image
not
available

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C-1-22

I

PRÆSTANTIUM ac ERUDITORUM

VIRORUM

EPISTOLÆ

ECCLESIASTICÆ

ET

THEOLOGICÆ,

Quarum longe major pars

ſcripta eſt à

JAC. ARMINIO, JOAN. UYTENBOGARDO,
CONR. VORSTIO, GER. JOAN. VOSSIO,
HUG. GROTIO, SIM. EPISCOPIO,
CASP. BARLÆO.

Editio tertia, novo augmento locupletata.



AMSTELÆDAMI,

Excudit FRANCISCUS HALMA, Bibliop.

CIↃ IↃCC IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

PHILIPPUS A LIMBORCH.

Ffero tibi denuo, Benevole Lector, Præstantium ac Eruditorum Virorum Epistolas, easdem quidem quas in priore editione vidisti, sed, ut tantò gratiores sint, egregio augmento locupletatas. Perscrutanti enim scrinia mea aliquot se mihi antea aut non visæ, aut non accuratè satis lectæ & consideratæ obtulerunt, quæ, quoniam patriæ nostræ historiam & negotia Ecclesiastica non parum illustrant, dignæ visæ sunt quæ prioribus adjungerentur. Paucæ sunt; sed paucis illis adjunximus instrumenta quædam publica hactenus ignota, & in obscuro delitescentia, quæ publici juris facta maximi esse momenti comperientur. Eorum quædam, quoniam linguâ Belgicâ exarata sunt, in Latinam transferri curavi, ne intra augustos tantum patriæ nostræ limites, aut à solis linguæ nostræ gnaris legerentur; sed ad omnium, in quavis regione veritatem sincerè quærentium cognitionem veniant, omnesque de rebus in patriâ nostrâ gestis, earumque æquitate vel iniquitate, exactum formare judicium queant. Occurrunt hic primò quatuor Jacobi Arminii Epistolæ, quæ candoris ipsius & sinceritatis in suscipiendâ professione Theologicâ testes sunt. Has excipit honorificum à DD. Curatoribus Academiæ Lugdunensis Arminio defuncto perhibitum testimonium. Sequuntur tres Episcopii de statu Academiæ Lugdunensis, & nominatim Rectoratu Gerardi Joannis Vossii. Tum fragmentum Epistolæ

Digitized by Google

Joannis Bergii de geſtis Synodi Dordracenæ, ejuſque procedendi modo. Mox Ordinum Trajectenſium literæ, quibus ſuis ad conventum Ordinum Generalium Deputatis jam menſe Martio anni clɔ Iɔc xix. *mandant ac jubent, ut ſuo nomine ſubſcribant, non decretis aut canonibus Synodicis jam formatis, quippe menſe demum Aprili conditis, ſed iis quæ à Synodo ſtatuentur ac decernentur: Deinde Reformatio Academiæ Lugdunenſis poſt finitam Synodum Dordracenam inſtituta, ex ipſis decretis Curatorum Academiæ Lugdunenſis & Conſulum civitatis ejuſdem. Porrò, narratio proceſſus contra Franciſcum Auratum Eccleſiæ Sedanenſis Miniſtrum, ob Remonſtrantium ſententiam exautoratum, linguâ Gallicâ. Epiſcopii ad Grotium epiſtola de ſuo contra Cameronem tractatu. Epiſtolæ Joannis Bergii fragmentum de ſententiâ Spanhemii, nuper ad me ex Germaniâ à viro erudito miſſum. Epiſtola Synodi Hollandiæ Borealis ad Conſules & Senatores Reipublicæ Bremenſis, in*

Socinianum dogma Bremae

quâ non tantum Arminianum virus, ſed & multa impia, blaſphema & perniciosiſſima Socinianorum & aliorum heterodoxorum dogmata in Schola & Eccleſia Bremenſi ſpargi conqueruntur. Tandem augmentum hoc concludimus tractatione de mutua tolerantia inter Contraremonſtrantes & Remonſtrantes Ultrajectenſes per ſcripta habita, unde liquidò conſtat Remonſtrantes, perinde uti ante ſchiſma, dum adhuc in publicis Eccleſiis vivebant, mutuam Contraremonſtrantibus tolerantiam obtulerunt; ita nec poſtquam fuere condemnati, & Eccleſiis ejecti, ab ejuſdem oblatione reſiliiſſe; ac proinde ſicut immeritò accuſantur erecti, ita etiam continuati ſchiſmatis injuſtè reos agi. Hæc te, Lector, paucis monere volui: tu omnia attentè lege, conſidera, & ſine præjudicio judica. Valè.

Digitized by Google

CHRISTIANO LECTORI S.

QUanti ſit momenti in hiſtoria, verum à falſo accurate diſcernere, illis minimè obſcurum eſt, qui eam cum Cicerone norunt eſſe teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nuntiam vetuſtatis. Veritate ſiquidem ex hiſtoria ſublata res tanquam in infido ſpeculo repræſentantur, non ex vero, ſed pro affectu ſcriptoris, qui ſæpe & amore excæcatus & odio, benemeritorum virtutes, & improbiſſimorum vitia ac ſcelera, ſilentio prætermittit: quin & illis, licet innocentiſſimis, enormia affingit ſcelera; horum autem, licet ſceleratiſſimorum, illuſtria facinora factaque vere heroica, omni poſito pudore, deprædicat. Cum tamen, teſte Cicerone, prima hiſtoriæ lex ſit, ne quid falſi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat: ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. Præterea, cum rerum geſtarum decus a conſiliis & intentione honeſta ut plurimum dependeat, & facta oculis omnium expoſita ſint, conſilia autem ut plurimum lateant; facile contingit, quæ ab animo maxime honeſto profecta, & optimo conſilio geſta ſunt, ab infido ſcriptoris calamo animo impio ac fraudulento adſcribi, & tanquam ſcelera traduci: fraudes vero, impoſturas, iniquitates, tanquam virtutes omni laude dignas in cœlum efferri. Deprehendet hæc quiſquis hiſtorias omnis ævi, tam profanas quam Eccleſiaſticas, non oſcitanter perlegerit. In omnibus ita tralucet ſcriptorum affectus, ut de rei geſtæ veritate difficile ſit judicium. Quare illi de genere humano optime meriti ſunt, qui monumenta, quibus ſecretiſſima conſilia continentur, decreta, arcana mandata, deliberationes, epiſtolas, è tenebris eruta in lucem emiſerunt. Ad hæc ſiquidem, tanquam ad lapidem Lydium, narrationis veritas explorari, & quicquid ſcriptoris aut negligentia, aut adulatione, aut malignitate depravatum eſt, dignoſci poteſt. Habent præterea Epiſtolæ (ut de hiſce nunc ſolum loquamur) hoc peculiare, quod ſcriptoris ingenium animique indolem ac mores tanquam imago minime fallax exhibeant; utpote ad amicos intimos ex oblata occaſione ſubito ſine ulla præmeditatione nonnunquam ſcriptæ, ac proinde quis ſcriptoris illo tempore fuerit animus ſine ullo fuco candide ac ſincere repræſentantes. Vix ullum ſæculum tot celeberrimorum, quorum ductu & conſiliis res maximæ geſtæ ſunt, virorum monumenta in lucem produxit & poſteritati conſecravit, quam hoc noſtrum; quibus tanquam filo Ariadnæo ad veritatis antea latentis, & ſcriptorum infidelitate aut inſcitia ſuppreſſæ, cognitionem, & à falſo diſcretionem deducimur. Idem viro doctiſſimo ac fratri in Chriſto chariſſimo, D. Chriſtiano Hartſoekero p. m.

Digitized by Google

nuper Eccleſiæ Remonſtrantium numeroſiſſimæ Roterodami Miniſtro fideliſſimo, & mihi fuit conſilium, cum ante plures annos Præſtantium ac Eruditorum virorum Epiſtolas Eccleſiaſticas & Theologicas in obſcuro latentes magno cum labore in lucem emiſimus. Videbamus veritatem obſcuratam, & diſſonis ſcriptorum calamis non aliter ac denſiſſima nube obductam; cui diſſipandæ plurimum monumenta hæc collatura non dubitavimus. Nec fefellit nos exſpectatio noſtra. Maximo quippe plurimorum applauſu exceptæ ſunt, adeo ut jam à pluribus annis exemplaria deſiderata, alteraque editio efflagitata ſit. Deſiderio huic laudabili ut ſatisfacerem, alteram jam adorno editionem: in qua duo præſtiti: Primo quidem, quoniam prior editio innumeris ſcatebat vitiis, eam cum autographis, non ſine ingenti labore, ſtudioſe contuli, omniaque quæ Lectorem ſtudioſum remorari poſſent ſuſtuli, omiſſa ſupplevi: Et ne quis cauſetur, editionem hanc prodire mutilam, omnes quæ in priore exſtant epiſtolæ hic denuo comparent, ne iis quidem expunctis, quæ nobis inſciis inſertæ, neque à nobis probatæ fuerunt. Deinde editionem hanc augmento luculento, plus quam trecentarum epiſtolarum, locupletiorem feci; adeo ut hæc priore altera parte auctior ſit. *Inſertæ quippe hic ſunt, quæ in priore editione non exſtant, plurimæ Arminii, Uytenbogardi, Vorſtii, Voſſii, Grotii, tum & doctiſſimi Epiſcopi Lichtfeldenſis & Coventrenſis Joannis Overalli; nec non Joannis Haleſii & Gualtheri Balcanqualli de Synodo Dordracena; ac tandem reverendiſſimi Archiepiſcopi Cantuarienſis Guilielmi Laudi, epiſtolæ omni memoria digniſſimæ; ne alios, qui ſparſim hic illic occurrunt, Franciſcum Videl. Junium, Caſaubonum, Lingelshemium, Marcum Antonium de Dominis, alioſque commemorem.* Repræſento itaque hic viros maximos, tanquam in imagine viva & minime fucata, in epiſtolis ſuis ad amicos, in quorum ſinum abditiſſima cordis ſui candide effuderunt. Hic totius mundi oculis exponitur, quid intus in animo foverint, quæ conſilia agitarint; adeo ut in intimos cordis ipſorum receſſus introſpicere cuique fas ſit. Memini, cum prima editio prodiiſſet, mihi relatum, virum quendam magni inter Contraremonſtrantes nominis, ea conſpecta, dixiſſe; bene factum quod Remonſtrantes Epiſtolas has ediderint; jam enim eorum arcana patent: Me vero mox regeſſiſſe; imo tam candida ſunt Remonſtrantium arcana, ut ea totius mundi oculis patere cupiant: Provocamus Contraremonſtrantes, ut ipſi viciſſim ſua arcana in lucem proferant, & nobiſcum de conſiliorum actionumque æquitate totius mundi judicium exſpectent. Nunc unum hoc oro, ut viri illi magni, quorum arcana in Epiſtolis his reteguntur, etiam ex illis agnoſcantur; ac proinde ut Arminius, Uytenbogardus, Vorſtius, Grotius, Epiſcopius, aliique viri magni credantur, non quales ipſos multorum ſcriptorum calamus, odii, iræ aut invidiæ affectu depravatus, iniquiſſime depinxit; ſed quales ſe ipſi candide ac ingenue abſque fuco expreſſerunt. Hoc ſi poſito affectu ac præjudicio fiat, ſtatim in Arminio agnoſcetur eximia pietas ſumma cum modeſtia, moderatione ac manſuetudine conjuncta: in Uyten-

Uytenbogardo prudentia, candor, ac Dei timor: in Vorſtio manſuetudo ac lenitas: in Grotio pacis ſtudium, ac conſtans in patriam, licet peſſime de ſe meritam, amor: in Epiſcopio animi vigor, indefeſſum veritatis inveſtigandæ ſtudium, & animus à condemnatione temeraria alienus: ne de aliis quid addam. Voſſius, cujus per totum orbem nomen eſt celeberrimum, hic ſe Remonſtrantibus addictum, quin & pro eorum ſententia multa adverſa ac dura paſſum, ingenue declarat. Sed imprimis admirabilem ſe oſtendit Reverendiſſimus Archiepiſcopus Cantuarienſis Guilielmus Laudus, ob cauſam religionis à fervidis zelotis ſecuri percuſſus: qui adeo graviter impetitus, tot calumniis oneratus, in familiariſſimis ad Voſſium epiſtolis nullum contra ferociſſimos inimicos maledictum profert; ſed ad Servatoris ſui exemplum cum ei malediceretur non maledixit, & cum pateretur non comminatus eſt; ſed maledicentibus benedixit, & pro perſequentibus ſe ardentiſſime precatus eſt. Hic ab immani criminatione, qua ab infenſiſſimis inimicis coram toto orbe palam & odioſiſſime eſt traductus, quaſi Papatum in Eccleſiam Anglicanam reducere moliretur, adeo plene purgatur, ut ne ipſa ἀφεολὰ quicquam quod admordeat reperire poſſit. Exſtant hic continuatæ ipſius efflagitationes, vel decies in epiſtolis ejus repetitæ, ut Voſſius provinciam Baronium confutandi in ſe ſuſcipiat; adeo quidem ut id urgere nunquam deſtiterit: *Magnopere* (inquit) *cupio, antequam fata mihi aperiant ſepulchrum, Baronium videre ſub tuis telis cadentem; nec literas potes à me ullas exſpectare ſine ſtimulo.* Sed & non pauca hic, quibus hiſtoriæ veritas explorari poteſt, monumenta comparent; & inter alia in epiſtolis Joannis Haleſii & Gualtheri Balcanquallı plura in Synodo Dordracena ſecreto & poſt ſiparium geſta, ac hactenus orbi Chriſtiano incognita, diductis quaſi velis reteguntur: illa autem hic ea fide ac certitudine exhibentur, quæ omnem dubitandi anſam penitus excludunt. Fuit ſiquidem Joannes Haleſius Legati Regis Magnæ Britanniæ Dudleii Carletoni ſacellanus, & à domino ſuo Dordracum miſſus, ut quæ quotidie in Synodo gererentur ad ipſum perſcriberet. Balcanquallus à Magnæ Britanniæ Rege ad Synodum Dordracenam Eccleſiarum Scoticarum nomine eſt miſſus, omnibusque actionibus Synodalibus interfuit: uterque (ut ex epiſtolis liquet) Remonſtrantibus neutiquam addictus, licet poſtea Haleſius in Remonſtrantium ſententiam conceſſerit: uterque geſta Synodi refert Legato Regis Britanniæ, qui hoſtilem ſuum in Remonſtrantes animum tum acri contra ipſos in pleno Ordinum Generalium conſeſſu oratione, tum aliis molitionibus, quin & in hiſce epiſtolis, ſæpiſſime teſtatus eſt: adeo ut nulla locum habere poſſit ſuſpicio, ipſos in Remonſtrantium gratiam Synodi acta odioſius voluiſſe referre. Uterque res eodem quo ſcribebant die, aut ſaltem hebdomade, geſtas, quarum proinde recens erat memoria, Legato narrat, & Balcanquallus nonnunquam non ſine indignatione. Eas Anglico, quo ſcriptæ ſunt, idiomate primus vulgavit Reverendus in Chriſto Pater Joannes Pearſon, nunc Epiſcopus Ceſtrienſis, cujus nomen vel ſo-

lius doctiſſimi in Symbolum Apoſtolorum commentarii editione (ne alia ejus nunc monumenta commemorem) in Anglia eſt celeberrimum. Earum præcipuas (quoniam omnes ob idoneorum interpretum penuriam & temporis anguſtiam non potuimus) quibus quæ hactenus latuerunt retegun-tur, ea qua potui fide in linguam Latinam transferri curavi. Ex quibus prudens Lector, ſi eas cum Synodi actis conferre placuerit, facile deprehendet, Synodi ſcribas nimium affectibus indulgendo, non tam veritati ſincere litaſſe, quam tempori ſerviiſſe. Operæ pretium vel maxime judicavi eas huic operi inſeri: tum ad partis præter meritum oppreſſæ defenſionem; tum ut poſteritati ſit exemplo, ne per præcipites Synodorum convocationes ad fratrum oppreſſionem ruat, nec per temerarias deciſiones Eccleſiam in partes diſcindat; neve quicquam in occulto committat, cujus ſi totius mundi oculis reveletur pudere ipſam debeat: & vel ex hiſce ſententiæ Servatoris noſtri conſtantem veritatem diſcat; Nihil eſt occultum quod non revelabitur. Hæc ſunt, quæ Epiſtolarum harum editione præcipue intendi; in qua ea fide ac candore verſatus ſum, quæ à viro honeſto jure merito exigi poteſt. Omnes quippe, pauciſſimis exceptis, ex ipſis autographis, aut ejuſmodi apographis quæ nemo in dubium vocare queat, exceptæ ſunt. Literarum Grotii ad Voſſium, quæ huic editioni accedunt, uti & Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Voſſii ad Archiepiſcopum aliosque Anglos, apographum habui manu Illuſtris viri Georgii Ratalleri Doubletii, in Suprema Hollandiæ curia Senatoris olim digniſſimi, ex ipſis autographis deſcriptum: eaque de cauſa integras eas exhibere non potui, ſed nonnullas aliqua ſui parte mutilas, prout à Viro illo magno, qui ſibi tantum ea exceperat, ac proinde multa, quæ ſibi annotare operæ pretium non duxit, omiſit, deſcriptæ ſunt. Dubitare de fide noſtra voluit celeberrimus Samuel Mareſius, in præfatione quam Hydræ Socinianiſmi tertio volumini præmiſit, quaſi ad Vorſtium epiſtolam ſub ficto Acronii nomine, quæ nunquam ab Acronio ſcripta ſit, & in qua proinde perſonatus (uti ſcribit) loquatur Acronius, ſubſtituiſſemus Verum à crimine hoc ipſum Acronii autographum, quod adhuc præ manibus eſt, & cuivis curioſo oſtendi poteſt, ſatis nos vindicat. Tu, Chriſtiane Lector, labore hoc noſtro utere, fruere, & ſine præjudicio, ſine affectu, lege ac judica. Scribebam Amſtelodami, anno æræ Chriſtianæ CIↃ IↃ CLXXXIII. exeunte.

fidem Socinianismi.

PHILIPPUS à LIMBORCH.

PRÆ-

PRÆFATIO

priori Editioni præmiſſa.

CHRISTIANO LECTORI S.

EXhibemus tibi, Chriſtiane Lector, Præſtantium atque Eruditorum virorum Epiſtolas, non tantum pietatis atque eruditionis ipſorum egregia monumenta, verum etiam ad veritatis & omnium virtutum inveſtigationem propagationemque maxima momenta. Cum enim multa ſint ad veritatem, eruditionem, pietatem, promovendam atque propagandam utilia, tum nulla accommodatior, quam ea quæ per epiſtolas inſtituitur communicatio. Itaque non Ethnici tantum, quales Plato, Iſocrates, Cicero, Seneca aliique celeberrimi Philoſophi & Oratores ſummi; ſed etiam ipſi Apoſtoli, & Chriſtianæ religionis primi fundatores, cæterique doctores Chriſtiani primarii huic ſtudio litterarum diligenti cura incubuerunt. Nam præter Apoſtolorum θεοπνευστα epiſtolas maximo cum ſalutis noſtræ emolumento ſcriptas, etiamnum hodie Ignatii, Cypriani, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque virorum præſtantiſſimorum, qui olim in Eccleſia Dei temporibus primævis floruerunt, exſtant litteræ pereruditæ, quæ magno Eccleſiæ bono, doctorum manibus tractantur & piorum mentibus pervolvuntur. Reliquerunt nobis complurima litterarum monumenta viri celeberrimi & de litterarum ſtudiis optime meriti Ludovicus Vives, Guilielmus Budæus, Georgius Caſſander, & imprimis Magnus ille Eraſmus, nec non præcipui illi Reformationis duces Lutherus, Melanchthon, Martyr, Calvinus, Beza aliique maximi nominis Theologi. Prodierunt noſtro ſeculo eruditorum operâ Caſauboni ad varios, Grotii ad Gallos illuſtres & ſummæ eruditionis epiſtolæ. Nec ita dudum eſt, cum in lucem ediderunt Daniel Heinſius & Petrus Bertius, viri Clariſſimi, *ſelectiores Illuſtrium & Clarorum virorum epiſtolas à Belgis vel ad Belgas* exaratas, quibus ſuperiore ſeculo viri illi illuſtres de rebus graviſſimis inter ſe contulerant. Horum potiſſimum exemplo excitatus vir quidam litterarum & libertatis conſcientiarum amantiſſimus (qui de rebus Eccleſiaſticis, imprimis Patriæ ſuæ, ignotus etiam & gratis bene mereri cupit) hoc epiſtolarum opus magna ex parte primum collegit, nobiſque tradidit, nos ſedulo hortatus, uti eas, adjectis illis, quas nos habere ipſi compertum eſſet, in ordinem redigeremus, ac bono publico ederemus; amicorum præterea aſſiduis hortatibus incitati, & maxima quæ inde ad plurimos rediturа eſſet utilitate exſtimulati, haſce eruditorum, Belgarum imprimis, epiſtolas, quas à potiſſima ſui parte Eccleſiaſticas & Theologicas nuncupamus, ut in unum faſciculum colligerentur præloque ſubjicerentur operæ pretium exiſtimavimus: indignum rati ſi hanc pretioſiſſimam gazam ex chartis potiſſimum D D. Epiſcopii, Vorſtii, Barlæi aliorumque virorum doctorum erutam, tenebris ac ſitu obrutam obductamque lineremus intra privatos parietes perire, atque ita certiſſimos, qui ex ea promanabunt, fructus poſteritati præripere & quaſi invidere videremur. Denique nos manifeſto injurios fore credidimus non ſolum in magnos illos harum epiſtolarum authores, ſed & in veritatem tum rerum divinarum, tum temporis illius hiſtoriæ, quæ niſi lux harum epiſtolarum accederet, lateret in abdito, aut ſaltem minus ornata magis obſcurata prodiret. Sive enim harum epiſtolarum authores reſpicias, ſunt plerique eruditionis ac pietatis laude celeberrimi; ſive argumentum ipſum perpendas, res ut plurimum divinas, hoc eſt, omnium maximas & graviſſimas complectitur; ſive tractationis ipſius formam rationemque ſpectes, eſt ea plane digna tantorum virorum eruditione ac pietate. Nam quod ad Authores attinet, ſufficerit forſitan dixiſſe, longe maximam harum litterarum partem Arminium, Uytenbogardum, Vorſtium, Epiſcopium, Grotium, Barlæum, Curcellæum, alioſque Clariſſimos ſui authores agnoſcere. Qualis autem quantuſque fuerit D. Jacobus Arminius, ſatis ſuperque oſtendunt eorum teſtimonia, quæ minime ſuſpecta videri poſſunt aut debent. Quantopere enim adhuc adoleſcens ob animi ingeniique optimas & felicioſſimas dotes dilectus fuerit D D. Lamberto Danæo & Jacobo Grynæo, Theologiæ huic in alma Baſileæ, illi in celeberrima Lugd. Batava Academia Profeſſionibus, uterque ſæpe publico & ampliſſimo teſtimonio comprobavit. Cum ætate etiam accrevit ſimul & eruditio & pietas candorque viri, cæteræque virtutes quibus magis magiſque inclaruit Arminius. Summa enim cum laude miniſterio publico per aliquot annos in frequentiſſima Amſtelædamenſium Eccleſia functus in illuſtriſſimam Leydenſium Academiam fuit honorifice evocatus, & ibidem ſummo cum multorum applauſu, certo eruditionis & veritatis bono, Theologiam profeſſus bonis omnibus dum vixit vixit gratiſſimus. Quam immerito autem ab inimicis vir optimus tanquam Dei inimicus & fœderis ejus violator exagitatus, aliuſque nefandis calumniis fuerit impetitus traductuſque, jam ex ipſis adverſariis arbitramur non paucos agnoſcere: ſiquidem ita fieri ſolet, ut virtutem, quam præſentem oderunt plerique invidi, ſublatam ex oculis honorifico affectu proſequantur. Quam etiam falſo ille qui terror Romanæ ſedis fuit, Papiſmi ſuſpicione ſit inſimulatus luculentiſſime teſtantur verſus magni Poëtæ Danielis Heinſii, *in obitum* (ut habet ejus autographon, quod penes nos aſſervatur) *viri Reverendi D. Jacobi Arminii ſummi Pontificiorum oppugnatoris*, conſcripti & ad D. Uytenbogardum tranſmiſſi:

Arminius

Papismi insimulatus

PRÆFATIO.

Ingentem dominum rerum Martiſque nepotem
Germanis olim fregit Arminii viger,
Auſus inacceſſam Romano opponere gentem,
Nihil timere doctus & fortis mori.
Horruit, & noſtro Tiberis ſe ſubdidit Albi,
Martiſque gentem fœdus invaſit timor.
Quintilia cecidere acies, terramque momordit
Ferox juventus, unico minor viro.
Nunc alter Batavo de ſanguine, fortis & acer,
Et veritate armatus, & fandi potens,
Mendacem invaſit ſublimi pectore Romam,
Hoc quem ſepulchro terra victorem tegit.
Sic fuit in fatis: laudem hanc Germania ſervas,
Bis Roma noſtros non tuliſti Arminios.

Hoſce graves D. Heinſii verſus adſcribere libuit, tum quia nullibi, quod ſciamus, inter ejus poëmata (quo conſilio, non difficilis conjectura) conſpiciuntur, tum quia calumniatoribus omnem malevolæ ſuſpicionis anſam præcidunt, ac imprimis quia Arminio noſtro elogium merito ſuo perillustre perhibent. *Fuit enim vir*, ut Matthiæ Martinii, qui Synodo Dordracenæ membrum haud ignobile interfuit, verba noſtra faciamus, *vere Deum timens, eruditiſſimus, & in controverſiis Theologicis exercitatiſſimus, & in Scripturis potens: & valde circumſpectus & ingenii in Philoſophicis terminis ad res Theologicas accommodandis*: addimus, in veritatis inquiſitione ad finem uſque vitæ indefeſſus; quem ob rariſſimas & excellentes animi dotes Bataviæ noſtræ lumen vocavit & extinctum dolut vir Doctiſſimus Joh. Buxtornus in epiſtola quadam ad Joh. Uytenbogardum, quemque, niſi mors præoccupaſſet, in magni Scaligeri amici ſui locum ſubſtituere ſperabat. At quid ejus dotibus ingenii virtutibuſque commemorandis inhæremus, cum ea tum alibi, tum clariſſime in hiſce epiſtolis, quas ad Uytenbogardum aliosque amicos ſuo more familiariter & ingenue perſcripſit, non elucent duntaxat; ſed & incredibilem authori ſuo exiſtimationem & amorem conciliare poſſint. D. Jacobum Arminium ſubſequatur D. Johannes Uytenbogardus fidiſſimus ejus Achates, qui ſtylo & lingua ad miraculum uſque promptus, auditores ſæpe ſuos in ſtuporem egit, omniumque calculo omnibus eloquentiæ ſtudioſis longe palmam præripuit. Hujus enim incomparabilem facundiam multi principes viri eximie prædicabant, reconditam eruditionem docti extollebant, inſignem pietatem boni colebant, ſummam auxilii erga quoſvis promptitudinem cives & exteri grato animo agnoſcebant, ingenuam morum comitatem amici exoſculabantur, ineffabilem denique in conſiliis, rebuſque agendis prudentiam Patriæ Proceres aliique viri ſummi ſuſpiciebant; adeo ut quidem his exquiſitiſſimis naturæ ornamentis omnis generis mortales in ſui amorem & admirationem pertraxerit; non tantum indigenas, ſed & exteros, imo & longiſſime diſſitos; uſque adeo, ut fama tanti herois Conſtantinopolin uſque ſe diffuderit, magnumque illum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham, qui tum forte Conſtantinopoli commorabatur, excitaverit, ut amicitiæ ac fraternitatis dexteras cum D. Uytenbogardo per literas junxerit. Sed uti plerumque invidia virtuti eſt comes, & ex invidia quævis mala optimos quoſque comitantur; ita & noſter heros, (uti & plerique ſequentes viri,) apud exteros ſuſpectus & honoratus, præmia tantis meritis indigna in patria ſua tulit. Quid nunc memoremus virum eruditionis fama celeberrimum D. Conradum Vorſtium, cujus eximiæ dotes, eruditio, facundia, modeſtia, grata omnibus morum ſuavitas, pietas denique & egregia virtutis imitandæ exempla tanta fuerunt paſſim ab ipſo exhibita tamque illuſtria, ut ab invitis inimicis ſplendidiſſimum veritatis teſtimonium extorſerint. Ipſe Abrahamus Scultetus, qui quam hoſtiliter Remonſtrantibus eorumque cauſæ infenſus fuerit, ſatis manifeſte in Synodo Dordracena prodidit, de ipſo tale teſtimonium in epiſtola quadam ad D. Uytenbogardum perhibuit, cum Academia Leydenſis ſucceſſorem in magni Arminii locum deſideraret: *Crediderim ego vix alium virum aque atque hunc* (deſignans Vorſtium) *Academiam veſtram illuſtrare poſſe.* Quis Eruditiſſimo viro D. M. Simone Epiſcopio perſpicuitate ingenii & judicii acumine limatior? Hujus vividum ingenium erudita gravitate & pia eruditione mixtum omnes eruditi amabant, pii amplectebantur. Hic cum & ſtylo & eloquio potens eſſet duplici armatura pro veritate fortiſſime decertans, egregia victoriæ trophæa ab adverſariis reportavit. Hiſce egregiis ingenii donis acceſſit ſumma animi lenitas, & pectus pacis amore concordiæque Chriſtianæ flagrantiſſimum. Immerito itaque tanquam animi mordacioris traducitur, ab his præſertim, qui fellea Calvini, Bezæ, aliorumque ſuorum ſcripta probant & laudant. Quod ſi tamen liberius ipſorum ulcera tetigiſſe erroreſque perſtrinxiſſe illis videatur, non hujus ingenio id tribuant, ſed partim iniquitati temporum, partim luæ importunitati atque [illegible] Quanto vero pacis inter divulſas Eccleſias reſarciendæ mutuæque inter Reformatos tolerantiæ ſtudio cum præcedentibus & ſequentibus viris noſter Epiſcopius exarſerit, tum alibi tum in hoc opere manifeſtum eſt. Hactenus quidem vano, proh dolor! ſucceſſu; conatu tamen egregio; laudandi quippe in re præclara infauſti quoque conatus. Nam ſi forte præſens ætas tanta fælicitate indigna, aut non capax, ſaluberrima conſilia reſpuat, imminet fortaſſis fælicior poſteritas, quam tandem capiat aut pacis ſtudium, aut pugnandi tœdium, utpote hinc noſtri ſeculi malis, quibus nunc premimur, illinc hiſce epiſtolis aliiſque moderatis horum virorum ſcriptis, melius edoctam. Ad incomparabilis viri, non ſolum omni laude ſed & invidia majoris, D. Hugonis Grotii nomen plane obſtupeſcimus: quinam enim nos qui præclaras

In epiſt. ad Cor. Verſtium pag. hujus operis 238.

Pet. hujus operis 344.

Uytenbogardus

Vorſtius

Epiſcopius

contra Calvinum et Bezam.

Grotius

Trigland. hiſt. Eccl. pag. 574. b.

claras virtutes illuſtriſſimi Herois, quem ut eruditorum eruditiſſimum omnes vere docti venerantur ac ſuſpiciunt, fando ulla ex parte aſſequi valeamus? Sufficiat ergo vaticinium, quod vates, hac in parte minime vanus, Daniel Heinſius, exhibiturus nobis hoc Delphicum oraculum Bataviæ noſtræ & litterarum noſtro ſeculo immortale decus, valde appoſite in ejus effigiem anno CIↃ IↃC XIV protulit:

Depoſitum cæli, quod jure Batavia Mater
Horret, & haud credit ſe peperiſſe ſibi,
Talem oculis, talem ore tulit ſe Maximus Hugo:
Inſtar crede hominis, cætera crede Dei.

Grande hoc quidem elogium, at veriſſimum tamen; imprimis ſi ejus poëmata & litteras ſpectes. Nam, uti recte epiſtolarum hujus Authoris ad Gallos editor pronunciavit, *in omnibus ſuis lucubrationibus magnus* imo maximus *fuit Grotius, ſed in epiſtolis & in carminibus incomparabilis & divinus.* Quis D. Caſpare Barlæo viro Clariſſimo elegantior? hic in omni arte adeo egregie excelluit, ut nobis cum viro Illuſtri Hug. Grotio hunc vere dicere liceat, *Philoſophorum, Poëtarum, Oratorum, Medicorum principem*; addimus & inter Theologos ſui temporis excellentem virum exſtitiſſe. In Philoſophiæ ſtudio Ariſtotelem referebat, in Poëſi Virgilium aut Claudianum, in arte Oratoria Ciceronem, in medicina Hippocratem, in rerum divinarum cognitione cum ſummis Theologis comparandus. Quare non immerito vir Celeberrimus Fred. Spanhemius in haſce ſummi Poëtæ laudes ingenti animi affectu prorumpit: *Norunt*, inquit, *amici, quoties de te ſermo eſt, quam mihi in te laudando temperare non poſſim. Impenſe ſæpe doleo, quod in Leyda decus ſuum amiſerit, & quod non propius inter nos dextras jungere detur. Affectu interea ſemper tibi jungar, & cultu etiam, quem tua virtus, eruditio, & candor, addo etiam beneficia, mihi exprimunt.* Porro nemini obſcurum, quot quantiſque animi ornamentis excelluerit D. Stephanus Curcellæus? Fuit ſane ipſi mens erudita, & cum multijuga eruditione certabant candor ac pietas, geſſitque pectus omni virtutum genere munitum, pacis libertatiſque ſtudioſus, ſtudioſiſſimus autem piæ veritatis. Eſſet quidem de hujus præſtantiſſimi viri, præceptoris optime de nobis meriti, dotibus prolixius nobis diſſerendum; verum cum D. Arnoldus Poelenburg meritas ejus laudes erudita & facunda oratione in ejus obitum recitata & publicata ſit perſecutus, hoc labore nos merito ſuperſedemus. Injecta hujus noſtri Poelenburgii mentione non abs re fuerit indicaſſe, in hoc opere etiam repertum iri non paucas illius epiſtolas, quæ ſtyli ſuavitatem & doctrinæ gravitatem cæteraſque excellentes ingenii dotes, exhibent, atque teſtantur eum non indignum fuiſſe, cui, cum in collegio Joh. Gerardi Voſſii oratorio primam orationem ſuam haberet, hoc eximium teſtimonium clariſſimus vir Rhetorum ſummus nobis præſentibus perhibuit: quod multi viri docti, qui libros in lucem ediderunt, non ſcripſerint melius, imo nec tam bene: itaque ipſi ad ſumma aſpirandum, neque tam curandum, ut alios quam ſemetipſum ſuperaret. Huic ergo, cum merito ſuo maximis viris, Epiſcopio & Curcellæo ſurrogatus ſit, ex animo vovemus, ut geminatis ipſorum dotibus à Patre luminum illuſtretur atque magis magiſque exornetur. Mittimus alios complures harum epiſtolarum authores, Marnixium, Junium, Saraviam, Cataubonum, Druſium, Grevinchovium, Voſſium, Spanhemium, omnes authoritate, gravitate, eruditione, maximiſque ſuis virtutibus conſpicuos; quorum omnium laudes prolixius recenſere neque poſſumus, neque debemus, quia eas non capit præfationis modus. Ad argumentum autem harum litterarum quod attinet; delectabit lectorem ipſa rerum hic propoſitarum diſcuſſarumque varietas, quæ cum alibi ſit grata, tum in ſcribendo legendoque eſt gratiſſima ac plurimum adfert voluptatis. Invenias enim hic permixta Eccleſiaſticis Politica, & Theologicis Philoſophica, & ut verbo dicam, graviſſimas omnium rerum, imprimis Theologicarum, quæſtiones reperias in hoc opere in medium prolatas ac feliciter enodatas. Non hic agitur, ut in pleriſque epiſtolarum operibus, de rebus exigui, pene dixerimus nullius momenti, non de communis vitæ atque humanitatis officiis, aliiſque etiam minoris momenti; ſed de rebus ut plurimum arduis, & quæ ad eruditionem, Eccleſiarum pacem, veritatem denique, quæ eſt ſecundum pietatem, maximi ſunt emolumenti. Agitur enim de Deo, de ejus attributis, immenſitate, bonitate, præſcientia aliiſque; de prædeſtinatione, juſtificatione, fide, gratia, bonis operibus; item de Belgarum Confeſſione, Catecheſi Palatina; imprimis de Remonſtrantiſmo, ejus authoribus, origine, & progreſſu, aliiſque quæ eo pertinent: agitur de quorundam zelotarum molitionibus adverſus omnem publicam authoritatem. Denique de pace Eccleſiarum reſarcienda, & mutua inter eos, qui Romanam ſedem juſtiſſimis de cauſis deſeruere, tolerantia in rebus minoris momenti colenda & confirmanda. Agitur & de aliis multis rebus, ſcitu lectuque digniſſimis, quæ lectorem avidum non modo profutura voluptate, ſed & jucunda grataque utilitate perfundent. Illud enim in omni hoc opere ſedulo obſervare ſtuduimus, ut neque omnium promiſcue epiſtolas, neque omnes etiam ab eruditis viris conſcriptas, in hunc cenſum referremus; ſed eas duntaxat quæ aut ad eruditionem promovendam, aut ad veritatem illuſtrandam, aut ad innocentiam bonorum ac bonæ cauſæ teſtificandam momenti atque emolumenti plurimum adferrent. Etenim palato noſtro nunquam arriſerunt epiſtolarum editiones, quibus non alia fere continentur, quam vulgaria quædam atque familiaria, quæ non alia re magis, quam ſtylo fortaſſis ſuo, lectori commendari poſſunt: hoc autem non eſt ſolido cibo lectorem paſcere, ſed vento: quare eas ſolum, quæ res authoribus ſuis dignas, lectori utiles pertractant, ſeligendas duximus, cæteris, quarum magna nobis erat copia, ab hac editione merito ſegregatis, ut eo magis lectorum uſibus inſerviamus. Eſt vero & propter anteacti temporis hiſtoriam hoc nobis edendum opus & accurate omnibus legendum. Qui enim haſce epiſtolas ſedulo ſerioque leget ac perpendet, clariſſime perſpiciet, quam egregio ſolidoque fundamento innitatur Chriſtianæ tolerantiæ cauſa; quam

non

non illotis manibus ad ædificii tam illuſtris ſtructuram acceſſerint Arminius & Uytenbogardus; quam pio zelo eam promoverint Epiſcopius, Grotius, aliique Heroes; quam denique laudabili ſtudio eam exornaverint eorum imitatores. Quippe certiſſimum eſt, quarumcunque rerum narrationes non aliis ſcriptis ſincerius & verius exhiberi quam familiarium litteris. Caſpar Barlæus vir ille ſummus, cujus modo meminimus, Magni Eraſmi, qui fulgens Patriæ noſtræ lumen, & gloria ſuperioris ſeculi ſumma fuit, epiſtolas aſſidua manu vertabat, non ſolum quod eruditis tanti viri commentationibus caperetur, verum etiam quia volupe illi erat ex earundem epiſtolarum lectione, & Eraſmi cum Monachis Leo, Bedda, Stunica, Dorpio, Doctoribus Lovanienſibus ac Pariſienſibus conflictatione præſentis ſeculi imaginem recognoſcere, & in Reformatis nonnullis Monachalem impudentiam, maledicentiam & perſecutionum ſtudia obſervare. Quare epiſtolas Eraſmi non modo legebat, aliiſque ſummopere commendabat, atque uti ſtudiose perlegerent hortabatur, propter reconditam eruditionem ſtylumque elegantem plane ac venuſtum, ſed propter illius hiſtoriam temporis, quæ ex iis optime perſpici ac dijudicari poteſt. Liberius enim omnia ab amicis ad amicos ſcribuntur, neque ita multum affectibus indulgetur, ut in hiſtoriis fieri ſolet, quæ publice aut potius publico nomine eduntur. Plerumque in epiſtolis deteginus quæ in alio ſcriptionis genere altiſſime premere ſolemus, adeo ut hic pæne nudi aliorum oculis ſubjiciamur. Si quis ergo aliorum ingenium, indolem, animique affectus noviſſe cupiat, eorum litteras legat oportet, in quibus hæc omnia egregie depicta deprehendet. Ut ut alibi ſimulatio & fucus locum habeat, hic vero non niſi candor & veritas & nativus ille color ut plurimum fulget. Et profecto in ſubita illa & ſæpe calida ſcriptione ad amicos, qui ſimulare animus poſſet? Quare admodum appoſite nonnemo epiſtolas non vanas ingenii, judicii, imo & vitæ imagines, affectus corduſque ſpecula atque indices nuncupare eſt uſus. Verum nobis fortaſſe temeritatis dicam ſcribent nonnulli, quod quidam epiſtolas familiarium, invitis procul dubio authoribus, ſi in vivis eſſent, publici juris fecerimus. Inſigniter hic ſæpenumero peccari poſſe & ab aliis peccatum eſſe non diffitemur: verum ſi hic nihil temere tentetur, ſed conſilio cum viris eruditis, uti à nobis præſtitum, communicato, habita quoque ratione non hujus aut illius privatæ, ſed publicæ utilitatis, nemo ſanus nobis vitio vertat, qui Clariſſimorum virorum exemplum imitati, quorundam familiares litteras edidimus, quibus aut malorum artes deteguntur, aut bonorum innocentia inclarescit, aut Reip. bono, aut denique Eccleſiæ ſaluti conſulitur. In quibus enim hæc bona deſiderabantur, ab hoc corpore ſtudioſe ſejunximus. Jam vero ratio ſcriptionis ac ſtylus, quia diverſorum ſunt epiſtolæ, magna varietate permixtus atque conditus eſt. Solent in convivus delectare diverſa ciborum genera, ac tum imprimis ſi adſit diverſitas condimentorum ac varietas, quibus mirum in modum appetitum exſtimulari deprehendimus. Illud cum alibi, tum hic maximopere uſu venit. Verum enimvero quoniam hoc epiſtolarum opus rerum magis maximarum pondere quam verborum ampullis & phaleris eſt gravidum, nolumus hiſce condimentis velut aucupio lectorem inescare. Satis fuerit dixiſſe, pleraſque omnes materias, quæ hoc opere exhibentur, ſtylo ut plurimum terſo, ſæpe eleganti, atque ordine accurato, perſpicuo & conveniente eſſe perſcriptas.

Sed antequam deſinamus, de quibuſdam rebus te candide & amice lector prænoſcitum volumus, quæ tua intereſt ſcire; & primo quidem, omnes hasce epiſtolas aut ex autographis eſſe impreſſas, aut ex ejuſmodi exemplaribus, quorum fidem in dubium vocare nemo æquus rerum æſtimator poſſit; deinde nullas hic exhiberi epiſtolas, quæ in aliorum operibus quod ſciamus reperiuntur, aut ſeorſim ſunt editæ, perpaucis exceptis, quas non ſine gravi ac juſta cauſa recudendas putavimus, partim quod alibi exſtarent ſæpe potiſſima ſui parte admodum mutilatæ, partim etiam quod exemplaria ſeorſim edita à multis deſiderarentur. Horum ergo deſiderio nobis ſatisfacere viſum, illorum occurrere tementati. Pauciſſimas præterea à Belgico termone factas eſſe Latinas ex addita ubique monitione manifeſtum; Gallicas vero epiſtolas pleraſque eo quo ſcriptæ erant idiomate edidimus, cum ea lingua ſatis nota & familiaris doctis habeatur. Ordinem maxime naturalem ſecuti ſumus, digeſtis epiſtolis juxta ordinem temporum, non autem perſonarum, idque cum ob alias rationes, tum potiſſimum ob argumentorum congruentiam rerumque hoc ſeculo geſtarum hiſtoricam connexionem; niſi quod in paucis quibuſdam aliquis lapſus intervenerit, quod ſubſcriptionis tempus inſpiciens, ipſe per te, erudite lector, facile emendabis. Pleraſque voces Græcas, ne quem remorari poſſent, in Latinum ſermonem tranſtulimus. Argumenta epiſtolis præmiſimus, ut uno quaſi intuitu, quid ſingulis contineatur animadverti poſſit. Indices duos ſubjunximus, quorum prior commonſtraturus eſt, quis, ad quem, & quoties ſcribat; poſterior omnium rerum toto hoc opere pertractatarum ſummam complectitur, fecimuſque eum adeo locupletem, ut pauca eſſe exiſtimemus obſervatu digna, quæ ibidem reperire quivis facile non queat. Duo præterea ſunt de quibus imprimis monendus videaris, Chriſtiane lector. Primum eſt, omnium harum epiſtolarum copiam curioſis fieri poſſe, vel à nobis, vel ab aliis, penes quos autographa aſſervantur, ut fide optima nos in hiſce edendis verſatos eſſe omnes intelligant. Alterum eſt, cujus te monitum volumus, nos omnia quæ huic operi inſerta ſunt, vel diſcuſſa, vel definita, vel acrius dicta geſtaque, non noſtro ſuffragio comprobare (nam nonnulla aut cum veritate aut etiam inter ſeſe pugnantia, utpote à variis conſcripta, deprehenduntur) ſed quod ubique tenendum, hic etiam ex Apoſtoli præcepto obſervetur; πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Vale amice Lector, noſtriſque laboribus fave, utere, fruere.

Gouda VIII Kalend. Sept.
Anno CIↃ IↃC LX.

CHRISTIANUS HARTSOEKER.
PHILIPPUS à LIMBORCH.

IN-

INDEX

eorum à quibus & ad quos hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.

A.

Aconii J. ad Voſſium. Ep. 75.
Aerſſenii F. ad Uytenbogardum. 109. 112. 138.
Amamæ S. ad Barlæum. 444.
Anglorum Brouniſtarum in Belgio viventium Epiſtola Confeſſioni præfixa. 36. ad Junium. 38. 41. 43.
Arminii J. ad Borrium. 78. 116. H. à Collibus. 114. Druſium. 13. 14. 18. 22. 47. 61. 73. 115. Sebalt. Egberti. 101. 118. 119. 123. 124. Matthiſium. 84. Narſium. 82. 86. 87. 100. Voſſium. 105. 126. Uytenbogardum. 19. 23. 24. 26. 44. 45. 46. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 65. 66. 69. 70. 71. 72. 74. 76. 77. 80. 81. 83. 88. 98. 99. 125. ad N. N. 85.
Arminii & Taffini ad Junium. 39.
Arminii & Uytenbogardi ad Lubbertum. 127. Melvinum. 104.
Arnoldi H. ad Martinum Gregorii. 307.

B.

Balcanquali G. ad Carletonum. 317. 326. 328. 330. 333. 336. 337. 340. 341. 342. 344. 346. 348. 349. 350. Nantonum. 347.
Barlæi C. ad Epiſcopium. 331. 466. 468. 477. 479. 504. Molinum. 461. C. Mylium. 489. 579. A. Mylium. 580. Nihuſium. 430. 432. 434. Ordd. Fœderatos. 379. Remonſtrantes exules. 361. Voſſium. 249. Uytenbogardum. 260. 476. 482. 485. 486. 488. 490. 491. 492. 496. 497. 498. 503.
Baronis P. ad Hemmingium. 15.
Baſilienſium Theologorum ad Heidelbergenſes. 34.
Baudii ad Leydenſes Curatores. 178. Uytenbogardum. 135. 179.
Becii J. ad Uytenbogardum. 93.
Berni P. ad Voſſium. 147.
Beverowicii J. ad Epiſcopium. 520. 521. 522. 524. ad Grotium. 641.
Bezæ T. ad Lydium. 12. Voſſium. 17.
Bignonii H. ad Grotium. 451.
Bogermanni J. ad Voſſium. 102.
Bohemiæ Ordd. Regi Poloniæ. 366.
Borrii A. ad Epiſcopium. 130. 157. Voſſium. 169.
Boſwelii G. ad Voſſium. 561.
Brandenburgici Electoris ad N. N. 612.
Brantii B. ad Grevium. 375.
Britannorum Theologorum ad Archiepiſc. Cantuarienſem. 335. 343.
Buxtorfi J. ad Uytenbogardum. 137.

C.

Carletoni D. ad Archiepiſc. Cantuarienſem. 318.
Caronii N. ad Uytenbogardum. 265.
Caſauboni J. ad Bertium. 170. Grotium. 211. 224. Heinſium. 143. Næranum. 142. Scaligerum. 107. Uytenbogardum. 141. Colloquium cum Uytenbogardo. pag. 250.
Coddæi G. ad Voſſium. 159.
Coſini J. ad Grotium. 395.
Cunæi P. ad Barlæum. 506. Voſſium. 201.
Cupi P. ad Epiſcopium. 455.
Curcellæi S. ad Cupum. 591. ad Hartſoekerum. 597. Limburgium. 594. Patium. 607. Sorbetium. 605.
Cyrilli Patriarchæ ad Uytenbogardum. 191. 213.

D.

Dammanni A. ad Ordd. Fœderatos. 20. 21.
Deputatorum Senatorum Ordd. Hollandiæ ad Comitem Steinfurtenſem. 622.
de Dominis M. A ad Ordd. Fœderatos. 291. 299.
Dudithii A. ad Threcium. 16.
Druſii J. ad fratres Belgas. 253. ad Voſſium. 64.

E.

Epiſcopii S. ad Arminium. 131. Barlæum. 467. 469. 475. 478. Beverowicium. 523. Boetſelerum. 250. 252. Borrium. 208. Brenium. 426. Bylandium. 251. Corvinum. 136. Crocium. 345. Cupum. 456. Grevinchovium. 338. Grotium. 238. 407. 439. 484. 567. Gualterum. 229. 246. 268. Marium. 404. Reigerum. 450. Schneiderum. 527. Schotlerum. 283. Tauriſium. 563. 568. Vitellium. 228. Voſſium. 273. 280. 301. 397. Uytenbogardum. 215. Witzendorffium. 525. ad N. N. 555. Colloquia cum Waddingo. p. 604.
Epiſtolica narratio eorum quæ in Synodo Dordracena contigerunt. 316.
Erpenii T. ad Epiſcopium. 359. ad Voſſium. 282.
Euſtachii R. ad Thraſyllum. 378. ad N. N. 609.

F.

Friderici Henrici ad Grotium. 419.

G.

Galliæ Regis declaratio in gratiam Remonſtrantium 411.
Goſſii S. ad Voſſium. 534. 539.
Goclenii R. ad Voſſium. 163.
Goulartii S. ad patrem. 374. ad Cupum. 429. 441. 445. Montanum. 424. 428. Remonſtrantes Wallones. 384. Uytenbogardum. 446.
Grotii H. ad Barlæum. 462. 481. 500. Boetſelerum. 257. Creſſium. 501. 511. Duræum. 545. 546. Epiſcopium. 203. 408. 417. 421. 438. 483. G. Grotium. 447. 453. 532. 541. Jac. Laurentii. 570. M. A. de Dominis. 294. Overallum. 289. 293. Puteanum. 388. Reigersbergium. 117. Ruarum. 502. Vaſſium. 394. Voſſium. 216. 218. 230. 232. 255. 256. 274. 276. 298. 383. 390. 399. 401. 440. 442. 480. 495. 500. 513. 518. 531. 535. 538. 548. 549. 550. 551. 554. 556. 557. 564. 566. 569. 574. 578. Uytenbogardum. 225. 226. 231. 234. 565. 580. 582. ad N. N. 542.
Grevii J. ad Brantium. 376. Narſium. 422. Voſſium. 320. 405.
Grevinchovii N. ad Epiſcopium. 443.
Gualteri M. ad Epiſcopium. 245. Remonſtrantes exules. 364. Urbanum. 267.

H.

Haleſii J. ad Carletonum. 312. 313. 319. 321. 322. 323. 324.
Heidelbergenſium Theol. ad Plancium & Becium. 149.
Heinſii D. ad Vander Mylium. 377. 386.
Hogerbeetſii R. ad Voſſium. 391. ad N. N. 425.
Holl. & Weſtfr. Ordd. decretum pro pace Eccleſiarum 224.
Honerdii R. ad Barlæum. 544.

I.

Jacobi Regis M. Britanniæ ad M. A. de Dominis. 285. Ordd. Fœderatos. 171. 206. 284. Winwoodum. 172.
Jannini P. ad Grotium. 389. ad Ordd. Fœderatos. 129.
Jaskii J. ad Grotium. 642. 643.
Junii F. ad Anglos Brouniſtas in Belgio viventes. 37. 40. 42. Ultrajectenſem Remp. 9. Ultrajectenſes Miniſtros. 10. 11. ad N. N. 8.

L.

Landavenſis Epiſc. ad Carletonum. 319. ad Archiepiſc. Cantuarienſem. 334.
Laſſonii J. ad Grotium. 402.
Laudi G. Archiepiſc. Cantuarienſis ad Helvetios. 552.

ad

PRÆSTANTIUM
AC
ERUDITORUM
VIRORUM
EPISTOLÆ.

I.

JOANNI UTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.

Inter epiſt. 57. & 58.

COnveni heſterna die D. Arnoldum Cornelii, prout nobis ſtatutum erat, & nonnullis cum illo egi apertè & liberè, partim conquerens de nonnullorum ſiniſtro judicio de me, partim me excuſans & defendens: identidem autem inſpargebam, non videri mihi iſtam rationem agendi ſatis Chriſtianam, aliam uſurpandam eſſe certiorem, & ſinceritati Chriſtianæ convenientiorem. Ille apertè mihi ſignificavit, quibus ipſe cauſis motus metueret Academiæ, ſi me in illam cooptari contingeret, nempe diſſenſionem quæ mihi eſſet cum Eccleſiâ ſuper VII. cap. ad Rom. & collationem cum D. Junio p. m. Ego utrumque negotium latius illi explicavi. Arbitror Virum bonum intellexiſſe, ſibi nonnulla nota ſatis non fuiſſe antea. Obtuli autem me unicuique ad placidam collationem, per quam facile omnis ex animis omnium bonorum metus eximi poſſet. Quid effecerim ignoro. Diſceſſimus amicè, ubi alter alteri lauſta precati ſumus. Tu jam porro quod videbitur illi ſignifica, & ſi forte inter conferendum quid ille dixerit tentandi tui cauſâ, cave exiſtimes illum quidpiam ex me cognoviſſe, quod ex te ſolo intelligere potui: ut autem illi injicerem aliquam neceſſitatem ſe apertè patefaciendi, dixi obiter, videri mihi Curatores in vocatione urgenda perrecturos: At forte non curavit id tantoperè, quia me falli exiſtimavit: Tibi ergo incumbit jam id muneris, quod tanto libentius exſequeris, quia forte cognoſces quo fructu cum illo collocutus ſim. Videor mihi videre omnia illorum conſilia & acta ex vano quodam metu profecta eſſe, concepto ex perverſis nonnullorum de me narrationibus, quos dixi me facilè ipſâ veritate convincere poſſe, ſiquidem daretur occaſio & locus mei defendendi. Prolixum eſſet omnia ſcribere, tu ipſe facilè potes apud te concipere quid in hujuſmodi colloquiis fieri ſoleat: itaque finem facio, quia feſtino, & volui te hæc quam citiſſimè ſcire, quia ipſe Arnoldus hodie diſcedet Delphos. Vale amiciſſime mi, & me ama, meique, quod feciſti hactenus, curam gere. Dominus te tueatur cum tota familia. 28 Januarii 1603. Amſtelodami.

Tuus ARMINIUS.

II.

JOANNI UTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.

LIteras tuas cum adjuncto ſcripto, mi amiciſſime, accepi die dominica circa tertiam pomeridianam, paulò ante concionem veſpertinam, quæ mihi poſt habitam antemeridianam habenda erat: unde tantoperè ſum defatigatus, ut cœnare non potuerim, vix incedere, vix ſedere: quæ cauſa fuit, quod iſto die ſcriptum legere non potui: die lunæ ſenſi non ex ſolo labore concionum iſtam laſſitudinem exortam; ſed ex iſto catharrum, qui antea cerebrum infeſtaverat, in totum corpus pervaſiſſe, & omnibus ejus partibus uſque adeo incubuiſſe, ut totum diem lunæ ſimilem laſſitudinem & gravedinem corporis ſenſerim iſti, quæ ante quinquennium anteambulo erat morbi inſecuti: hoc ergo veluti triſti præſagio compulſus advocavi D. Sebaſtianum, ex cujus conſilio die martis præparantes duas potiones ſumſi; & hodie, qui eſt dies mercurii, purgo præveniendi morbi cauſâ: & ſpe-

Inter epiſt. 59. & 60.

Digitized by Google

ro feliciter: laſſitudo enim abiit, & catharrus paulatim abſumitur, Dei beneficio. Hinc vides quid mihi mentis, quid temporis fuerit ad iſtud ſcriptum accuratè legendum & penſitandum. Legi tamen, & nonnulla adnotavi, quæ tumultuariè non ſatis integra mente potui. Si licuiſſet per otium meditari, integram refutationem commentatus fuiſſem: nam tale eſt, quod refutari facile poteſt, & indignum quo quis à rectâ ſententiâ dimoveri ſe patiatur, aut ſaltem conjici in dubitationem. Crambe eſt ſæpius recocta & appoſita. Tu agnoſce voluntatem tibi gratificandi, licet poteſtas jam defuerit. Quod de Helmichio: erravi in eo quod ab ipſo id ſcriptum arbitratus ſum: ſcribis enim id illum alicui dixiſſe, qui de eo ad te perſcripſit: ſed non propterea de nihilo meus ille, quem ſcribis, ſtomachus; (quem tamen in illum non habui) nam imprimis ego ignoravi illum id dixiſſe cuidam ex condeputatis, qui id ad te perſcripſit: ſuſpicor quis ſit. Deinde, non poterat mihi ex verbis illis conſtare, quod adverſus vitæ meæ innocentiam calumniam non ſtruerent: imo ſi verba diligenter inſpicias, fateberis me vix aliud inde concludere potuiſſe: Op hellen eenige getuigtige zaken van Arminio te openbaren / daer groote oorſake upt zoude geven. Ergo non concernebant doctrinam publicè propoſitam; illam enim opus non erat manifeſtare, utpote publicam. Vix potui exiſtimare, quod eſſent gravia in doctrina, quæ ex me per collationem privatam intelliexiſſent; nam illa non vereor ut proferant, & ex talibus poſſum vel negando vel defendendo (ſi tamen tanti æſtimentur privatæ collationes) me extricare, etiam citra magnas turbas. Inde arbitratus ſum illos calumniam mihi ſtruere de vitâ anteacta, quam non magnoperè metuo ut inquirant. Hæc autem quum jam cognoſcam, omnino ſtatui nihil movere, ſed exſpectare dum illi moveant aliquid, & mihi defenſionis neceſſitatem imponant. Si bene me novi, ego in nulla collatione ita me geram, ut turbæ inde exiſtant: nam licet forte vehementiore affectu excipiam dicta adverſarii, tamen contendere eò uſque non poſſem: deponerem citius cum contentione munus quod obeo: tantoperè & paci Eccleſiæ & propriæ tranquillitati ſtudeo. Venio ad poſteriorem literarum tuarum partem longè alio affectu, quam ad pleraque hiſce diebus per literas inter nos acta. Triſtia illa fuerunt, ingrata, inamœna; hoc ſuave, mihi jucundum & acceptum: itaque de illo ita habe. Duplici nomine velim tibi id muneris imponi à Principe, rei ipſius & meâ privatâ cauſâ. Rei ipſius: quia arbitror per neminem prudentius, commodius, conſtantius agi & peragi poſſe, ſive apud Magiſtratum, ſive apud Synedrium. Imprimis enim ſcio Magiſtratui te gratum eſſe & acceptum: deinde te rationes illas, cur ego Leidam transferri debeam, & rectius intelligere, & accuratius explicare poſſe, quam quivis alius queat. Eccleſiaſtico ſenatui ut gratus ſis non admodum hic opus eſt: quamquam ſcio te pleriſque & Miniſtris & Senioribus eſſe gratiſſimum: unus eſt atque alter ſecus in te animatus, vel potius ſiniſtrius de te ſentiens. Verum hoc, ut dixi, tantoperè ad rem non facit. Quod petitur, hi ex amore, illi ex alio affectu putabunt vobis negandum, & vix fieri poterit ut ſenatui eccleſiaſtico ſecus perſuadeatur: Sed forte invenietur via rem perficiendi: de quâ coram ubi veneris. Meâ cauſâ gaudeo: habebo enim cum quo libere agere liceat, qui me conſilio juvet, quem & ego liberè inſtruere poſſim de iis quæ agenda videbuntur: tum poterimus tu & ego cogitare de viis eò quò volumus perveniendi: de quibus ego cum nullo hominum auſim deliberare. Itaque non tantùm arbitror id fieri poſſe citra ullum incommodum, ſed omnino utiliter futurum, & per iſtam viam impetratum iri, ſi quid impetrari poſſit. Scripſi poſtremis literis meis, quarum ſolarum exemplar habeo, hæc verba: ut quemadmodum per te cœpta eſt vocatio, tuo quoque conſilio patiar irritam fieri. Illa jam immutare mihi licet: Forte ita divinitus ſtatutum, ut quemadmodum per te cœpta eſt vocatio, ita per te finem conſequatur optatum. Optatum dico, non tantum tibi, & Curatoribus, ſed mihi quoque: magis enim magiſque propendeo in functionem iſtam, & nonnullis de cauſis, quas tibi narrabo præſens; ita tamen ut affectus non ſit ita vehemens, quin facile reprimam, ſi Deo ſecus viſum fuerit. Sed ulterius non licet propter temporis defectum. His ergo vale, & ipſe ita rem adminiſtra ut rogeris à Principe. Dominus Jeſus tibi adſit, & te conſervet Eccleſiæ, familiæ tuæ, & mihi. 12 Martii 1603.

Tuus ex aſſe

J. ARMINIUS.

III.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI UTENBOGARDO

meo ſalutem, & bene per Chriſtum agere, precor.

PErge ita, mi amiciſſime, bene mereri de me, & obruere me beneficiis: non curo magnoperè etiamſi ita me devincias, ut nunquam me debito exſolvere poſſim: volo

Inter epiſt. 62. & 63.

volo perpetuum esse nomen in tuis rationibus, & nunquam expungi. Res autem ipsa quam scribis tantâ me affecit lætitiâ, ut præ gaudio exsilierim: intelligo enim bonos illos viros, Deputatos inquam, vehementer esse anxios & sollicitos: quod etiam heri ex D. Helmichio intellexi. Ego interea bono sum animo. Omnino placet id statutum D D. Curatorum, & gratias ago Deo meo, qui curam gerit mei, & defensionem insignem parat innocentiæ meæ. Nisi Deputati Synodorum, & nostri, re altius pensitatâ, consultum arbitrentur ut ego solus cum D. Gomaro conferam, puto isto modo collationem instituendam, quem animo conceperunt D D. Curatores. Imo, si hoc apud te deponere licet, nescio an non malim in tam insigni confessu causam meam agi. Quia tamen & alia consideranda veniunt, ob illa ipsa præferam privatam cum Gomaro solo, te unico præsente, collationem: quam & Gomarus præferet, si rem bene & accuratè pensitabit. Liberiusculè enim mecum agere poterit, & de omnibus etiam iis quæ extra controversiam sunt meam inquirere sententiam: In confessu isto persistendum erit intra terminos earum rerum, quæ suspicioni occasionem dederunt ipsius Gomari opinione, & extra Confessionem & Catechismum vagari non licebit: ego enim strictè me intra istam sepem continebo. Erit etiam in collatione tam celebri aliqua, licet amicâ, concertatio de eruditione: dabitur enim utrimque opera ut aliquod existimationi accedat augmentum apud conscientiam talium auditorum, atque eo ipso libertati collationis non parum decidetur: Accedit, quod si ego exorbitem alicubi, aut minus distinctè & eruditè sententiam enuntiem, facilè impetrabo veniam, utpote ecclesiasticæ docendi rationi assuetus, quæ istam ἀκρίβειαν non desiderat, imo penè rejicit & repudiat: ille ut tot annis versatus in academiâ citra aliquam notam vix in minimo delinquere poterit. Quam autem facile illi sit & proclive alicubi impingere cognosces, si meas notas in illius de Providentiâ libellum inspicias. Addam quartum non minoris momenti. Ego reus habeor, ille velut actor, & reus citra culpam meam, judicio D. D. Curatorum, tuo, & D. Hogerbeetii: quam autem favorabilis sit causa rei notum ex Juris regulis, imo ex agnatâ nobis omnibus misericordiâ & ἐπιεικείᾳ. Itaque arbitror Gomarum suis rebus consulturum melius, si ipse privatâ collatione contentus ad istam solennem se pertrahi non patiatur. De me autem rectè & liberè dixisti Arnoldo & Becio; quod susque deque habeam sive quatuor, sive octo, sive viginti adfuerint. Tua unius præsentia me satis reddit confidentem & animosum, quanto magis si accesserint illi tantæ autoritatis viri, quos scio mihi esse benevolentissimos. Perstabo tamen, ut spero, intra terminos modestiæ & patientiæ, neque quicquam committam me indignum, aut tantâ coronâ, fretus ope & auxilio Spiritus Christi. Unum tamen est quod levem scrupulum injicit, illud nempe, quod scribis de adhibendis testibus ex Synedrio nostro. Nescio sanè an Plancius possit adesse negotio, & an non ego justas habeam causas illum repellendi: tamen si ita videatur, & hoc vincam, modo illi non permittatur vel verbulum quacunque occasione proferre inter conferendum. Risi autem affatim, cum legi de Bertio & Coddæo: viros illos doctos arbitror, & mihi ob hoc negotium minus forte amicos, utpote quem tuis desideriis non obstare, sed opponi vident. Verum in perpetuum illud non obtinebunt: facile erit artem arte depellere & illudere. E latebris protrahent illi scholasticis tricis insudaturum; ignorant illi divisionum, distinctionum, respectuum, rationum, formalitatum, abstractionum, compositionum vires, si id sibi facile fore polliceantur. Sed de isto viderint illi. Ego simplicitati studebo, & prudentiam quantum possum adhibebo: illa favorem mihi conciliabit; hæc tutum præstabit ab insidiis, Deo benedicente simplici candori pectoris mei, cujus illum testem habeo & approbatorem. De iis, quæ scribis de tuo, conferemus ubi venero ad vos: itaque iis jam supersedeo, ut & multis aliis, quæ transcribere non est opus. His vale, mi anime, cum bono Deo, qui te tuosque custodiat. Salveat à me tua carissima, & amici alii, Hogerbetius, Cromhoutius, Junius, &c. 26 Aprilis 1603.

Tuus ARMINIUS.

IV.

JOANNI UTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.

LIteras tuas 29 scriptas, accepi 30 post horam undecimam, quum ex concione antemeridianâ, quam ego habueram, domum redii: & quia horâ primâ secundò mihi concionandum erat, parum temporis habui ad rescribendum. Respondi tamen cursim & tumultuariè, & curavi per nautam, qui duodecimâ hinc solvit Leidam, deferri ad ædes D. Zeistii, ut tibi porro traderentur literæ. Jam verò addendum puto, si forte hæ tempestive satis per la Faille ad te curari possint, de Gomari ad nos adventu, siquidem ille jussu D D. Curatorum fiat. Inter epist. 62. & 63.

& ille hoc judicet, non tantum inutilem fore, sed & damnosum meo judicio. Nam præterquam quod arbitrabuntur nostri, meo rogatu rem ita geri, Gomarum etiam existimabunt, metu correptum, non ausurum mecum liberè conferre, & passurum ut sibi satisfiat etiam citra justam causam: Insuper & spem concipient Curatores istam talem, ut ab ipsis proposita est collationem omnino non permissuros; unde causam sibi commodam præberi judicabunt me retinendi ex pacto. Itaque id videtur inconsultum. Verum si Gomarus re apud se diligenter pensitatâ judicaret, collationem privatam convenientiorem fore, & justas se causas habere existimaret cur aliam collationis viam inire nollet, ut sanè causæ sunt non exiguæ & parvi momenti quæ illum movere deberent; tum aliquid effici posset per illum apud nostros, quibus nulla in Gomarum est autoritas, si quidem illis suam mentem constanter & rationibus vestitam aperiret. Conditio enim hæc fuit, ut ego cum Gomaro conferam præsentibus Synodi Deputatis. Gomarus neget sibi integrum esse collationem istis præsentibus mecum instituere, & causas addat cur integrum sibi non sit, & conditio irrita facta est, imò impleta, quandoquidem per me non stat, neque per illos qui me vocarunt, quo minus conditioni satisfiat: illis enim qui conditionem posuerunt incumbit onus Gomaro persuadendi, ut velit talem mecum collationem instituere: persuadendi, inquam, non jubendi, non cogendi pro arbitratu. At Gomarus forte declaravit jam ante, sibi non displicere istum modum. Esto: potest causas declarare quas antea animo non conceperat neque perpenderat. Verum nolet petentibus Amstelodamensibus præsertim, quorum consensui se jungunt Deputati Synodi, id ipsum negare. Si ita sit, neque hic cogi potest: Sed dispicere potest, annon, quum ille collationis mentionem fecerit antequam istam conditionem stipulati sint nostri, imò & ipse causam dederit cur ego DD. Curatoribus mihi functionem illam offerentibus responderem, non videri consultum ut quippiam, etiam arbitrii mei factus, cum illis transigerem nisi collatione prius cum Gomaro facta de nonnullis rebus, ipsi imputari quid possit hujus rei; quæ tantopere displicet Magistratui Leidensi. Verum quicquid sit, Gomarum quod attinet, facile arbitror inter nos conventuros, & amicè consensuros. Me quod attinet, ego nihil omninò difficultatis invenio in solemniore illâ collatione. Cavent DD. Curatores satis per protestationem suæ autoritati, & ne quidquam sibi usurpent Ecclesiastæ in vocationes Academicas. Si tamen id tantoperè metuant, an non licet collationem instituere ipsis absentibus, præsentibus duobus Deputatis Synodorum, teque & Hogerbetio, illis conniventibus, vel non curantibus? Arbitror Deputatos malle ipsos abesse, quam adesse, præsertim si non sint adfuturi, nisi factâ protestatione: quod videor mihi ex ore D. Helmichii intellexisse. Hoc diligenter videtur considerandum, annon, si DD. Curatoribus non videtur consultum permittere ut collatio fiat juxta conditionem à nostris positam, hac illorum negatione nostri sint habituri quod desiderant maximè, nempe ne ego ad istam functionem adhibear; & simul viam sibi apertam habebunt alias etiam vocationes in posterum impediendi: conditio enim stipulanda, quam Politici non admittent, ne fraus fiat potestati illorum. Et quibus ego tum suspicionibus obnoxius ero? Non enim suspectus tantum habebor hæreseos, sed & eò usque diffidens meæ causæ, ut conferre non audeam præsentibus Synodi Deputatis. Malim ego cum integrâ Synodo & duabus Synodis conferre, quam vel minimam occasionem præberi secus de me arbitrandi, quam quod bonâ conscientiâ in omnibus usus non metuam collationem prolixissimam, imò ne rigidissimum examen quidem. Accedit, quod majore sanè molestiâ & labore impetrata sit dimissio, quam ut illam irritam fieri patiantur DD. Curatores per speciem diminutæ autoritatis ipsorum, quum id cavere satis possint per protestationem. Quid ergo agendum? Mihi sane videtur, aut præstandam conditionem, aut per Gomarum nostros à proposito dimovendos, idque non argumentis à Curatorum voluntate & autoritate deductis, sed ab ipsius Gomari personâ, & re ipsâ, quæ videtur confici posse commodius & convenientius per privatam quam publicam collationem. Sed vos agite quod videbitur. Ego conferam quocunque modo videbitur: non enim refugio ullius hominis præsentiam: quanquam arbitror Plancium interesse non debere. Si tamen cum Gomaro conferendum esset præsente solo Helmichio, imo & Hallio, non magnoperè laborarem, quanquam malo solemnem esse collationem. His vale, & me ama. Post tertiam pomeridianam, & raptim. 30 Aprilis 1603.

Tuus ARMINIUS.

V. *Tele-*

V.

Teſtimonium Senatus Academiæ Lugduno-Batavæ de

JACOBO ARMINIO.

Rector Magnificus & Senatus Academiæ Lugduno-Batavæ Univerſis & ſingulis, qui hoc teſtimonium lecturi ſunt vel audituri, S.D.

Inter Epiſt. 133. & 134.

QUandoquidem Deo Opt. Max. viſum fuit Clariſſimum ac Reverendum Virum D. Jacobum Arminium Sacroſanctæ Theologiæ Doctorem, & in Academia hac noſtra, facultatis ejuſdem Ordinarium Profeſſorem, ex profeſſione quam per annos, quos hic egit non paucos, ſingulari adminiſtravit induſtria, & auditorum applauſu, in cœleſtem revocare patriam, & æternum à diuturnis quos tum in Eccleſia, tum vero in Academia ſuſtinuit laboribus, vacationem atque immunitatem dare, cumque defuncti ejuſdem feliciſſimæ memoriæ vidua, una cum liberis, quos ex eodem ſuſcepit, marito ſuperſtes, debitum præclaris illius virtutibus exhiberi ſibi teſtimonium à Senatu petiiſſet, nobis autem propter eximias, non paucas viri illius dotes, æquum poſtulare videretur, ſupremum quod à nobis præſtari officium poteſt, deſideratiſſimæ ejuſdem memoriæ libenter contribuimus. Teſtamur itaque prædictum D. D. Jacobum Arminium, ita in Academia hac noſtra vixiſſe, ut Sacroſanctam Theologiam (nam de controverſiis non judicamus) & in publico & domi ſuæ ſedulo admodum ac diligenter doceret. Sed & in Senatu Academico, quemadmodum prudentem imprimis & cordatum virum oportet, locum ac dignitatem, tum ſuam, tum totius Ordinis Ampliſſimi prudentia, conſilio, autoritate tueretur: publica negotia, de quibus in conſeſſu noſtro unanimiter agendum eſſet, ſuis ac privatis præferret. Quæ conducere Academiæ exiſtimaret, liberè proponeret: quæ contra, ab iis abhorrere ſeſe teſtaretur. Nullam moribus aut vita ſanctiſſimæ profeſſioni labem aut maculam inureret; ſed, ut virum probum oportet, vacationi ſuæ ac muneri convenienter viveret. Ut Doctorem diligentem decet, aſſiduitate & induſtria juventutem ſuæ fidei concreditam erudiret. Rogamus itaque univerſos & ſingulos, ut de eodem D. D. Jacobo Arminio felicis memoriæ viro, ita & loquantur & ſentiant, quemadmodum eruditio illius, opera in Academia hac navata, & præſtantia meretur. Cujus teſtimonii fidem Secretarii noſtri manu, noſtro vero etiam ſigillo, confirmandam ac corroborandam curavimus. Contulit cum autographo & deſcripſit ex eodem juſſu Magn. Rectoris & Senatus Academici,

DANIEL HEINSIUS.

(Locus Sigilli.)

VI.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS.

Inter Epiſt. 247. & 248.

REverende Domine & Frater in Chriſto obſervande. Etſi non dubitem quin jampridem partim per D. Næranum, partim per literas D. Utenbogardi, certior factus ſis de omnibus iis quæ ad negotium D. Voſſii pertinent, tamen cum intelligerem ex Molano impenſè te deſiderare & cupere, ut per me tibi de ſumma rei totius conſtare poſſet, nolui deeſſe officio meo & petitioni tuæ. Itaque de D. Voſſio ita habeto: De vocando eo ad extraordinariam & inuſitatam Profeſſionem jam antehac ſeriò egerant D.D. Curatores, & ex parte inter ſe convenerant. Sed cum difficultates quædam oborirentur, DD. Conſules gravati poſtmodum ſunt plenum adhibere conſenſum. Interea Steinfurtenſis vocatio intervenit: Itaque de novo deliberatum eſt, anne prior vocatio promovenda eſſet, an Comitibus Benthemenſibus gratificandum: Cumque res calidè urgeretur à quibuſdam, ab aliis verò retardaretur, tandem rebus omnibus graviter & circumſpectè exploratis & expenſis, itum eſt in hanc ſententiam, ut, ſiquidem adduci D. Bertius poſſet, in locum ipſius Voſſius hic ſubrogaretur & ſubſtitueretur; Bertioque interim Profeſſio honorifica in Academia aſſignaretur. Cauſſam & cauſſæ momentum facile perſpicere tua Reverentia poteſt: Provincia tentandi D. Bertium delata fuit D. Mylio. Tentavit, ſuaſit & perſuaſit, adeo ut inter ipſos jam de Profeſſione Ethicâ, & ſtipendio aliiſque convenerit, nihilque inſuper agendum reſtet, quam ut communi calculo D D. Curatorum omnium approbetur id, quod geſtum eſt, authoritateque DD. Ordd. confirmetur & executioni mandetur, idque quam fieri poterit citiſſimè, quia jam rumor percrebuit & in vulgus diſſeminatus eſt. Hodie Hagam profectus eſt Syndicus noſter promoturus & acceleraturus negotium, antequam in nervum erumpat. Habes breviter rerum geſtarum ſummam, quæ etſi fortaſſe diſplicitura tibi ſit, quod hac ratione, Scholæ Steinfurtenſi non

si non consulatur, tamen si penitius consideretur & ad mentem revocetur, non poterit non probari tibi quammaximè, vel eam tantum unam ob caussam, quod, quantum momenti ad Reipub. totius, hujus & Ecclesiarum omnium, incolumitatem ac conservationem, positum sit in recto unius Collegii regimine, apprime nôris & pervideas: Quæ caussa tam gravis visa fuit D.D. Curatoribus, ut nisi ea una obstitisset, nunquam forte vocatio hæc communibus suffragiis comprobata fuisset. Interea spero Dominum Deum suppeditaturum Atlantem etiamaliquem, qui Scholæ Steinfurtensi jam nutanti humeros subjiciat & opem suam ferat. Quid! fallor? an audivi esse aliquem jam repertum qui tibi non displiceat, quique hactenus extra partes se contineat, qualem vix multis è millibus unum hodie reperias? Quæ contra Sladum adnotata sunt percurram: Si quid ad Theses meas nuperas observaveris cujus me monitum velis, obnixè rogo ut significes, certus gratissimum mihi futurum quicquid ad me eruendùm facere possit, imprimis in re tam difficili & gravi, à qua tractanda & ventilanda, etsi naturæ quodam secreto instinctu aut genio meo proprio abhorream, abstinere tamen plane mihi non licuit. In ea scilicet incidimus tempora, quibus aliquando vis facienda est animo nostro, ut quod non nisi ægrè facere potes, facere tamen aliquando cogaris, imprimis eo in loco in quo me nunc collocatum video: obtemperandum & cedendum aliquando tempestati est, dummodo clavum recta teneamus, & inter scopulos præruptos conscientiam integram & bonam mentem salvam referamus. Vale mi Frater, & uti facis, me amare perge, qui te cum dilecta uxore tua, fratribusque omnibus Domino Jesu Christo commendo. 2 April. 1615. Raptim

Tuus EPISCOPIUS.

VII.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Inter Epist. 248. & 249.

REverende Domine & Frater. In perlustranda Antisladi tui parte primâ etiamnum occupor. Quæ hactenus vidi perplacuerunt, spero placitura & reliqua omnia, partim quia censuram nostram liber jam editus non fert, partim quia eadem ferme, quæ antehac dicta sunt aliquoties, reponuntur. Duriuscula quædam & cum salis atque aceti aspergine nonnulla præter morem tuum scripta videntur: sed non nisi pro merito adversarii tui, ut hoc vitio tibi dandum non existimem. Quæ ad appendicem augendam facere possunt præter ea, quæ à te hactenus allata, & ab aliis indicata sunt, quod addam nihil habeo: Scrupulos qua ratione omittere possis non video, cum passim eorum tanquam scripto subjunctorum mentio fiat & lectorem subinde ad illos ableges. Ne itaque aut hiantem lectorem inducas, aut alieniorem inter legendum reddas, operæ pretium esse puto ut scripto adnectantur, nisi tales forte sint, quos omnino præstaret omitti. De adventu tuo ad nos, velim tibi persuadeas, me quod attinet, eum tam mihi futurum gratum quam ingrata hactenus & molesta fuit absentia tua. Aliorum judicia non libenter inquiro. Video Proteos esse multos & varios, qui judicia sua aut tempori, aut affectibus suis accommodant leviter; adeoque in horas ferme mutantur. Quod si tamen gratum tibi hoc esse intellexero, non gravabor expiscari judicia eorum ex quibus maxime pendent res tuæ. Alioquin fratres omnes, quantum observo, & dolent longam absentiam, & adventum tuum expetunt. Faxit Deus ut tam sit gratus aliis omnibus quam nobis futurus est. Vossius die Solis præteritâ, post exauguralem Bertii, inauguralem Oratiunculam in præsentia D D. Curatorum, D D. Consulum, Facultatis Theologicæ, Dominique Grotii habuit, in qua quid sibi propositum haberet docere in futurum, exponebat, vid. in explicatione Scripturarum & controversiarum diremtionibus, diligenter examinare & expendere catholicum & antiquissimum consensum, cum sine dubio illud quod a pluribus & antiquissimis dictum est, verissimum sit. Deinde cum hæreses & schismata tolli vix possint, aut impediri aliter quam imperio & authoritate supremi Magistratus, hoc agere, ut Magistratui sua constet sarta tecta authoritas & majestas. Hic pulvis & hæc arena ipsius erit, in qua velites suos exercebit, misero uti metuo & dolendo spectaculo: quod tibi in aurem dictum velim. Ministerium quod hic vacat ex voto & desiderio tuo nostrûmque omnium, delatum est D. Duinguloni à parte nostra, adsentiente tum Senatu, tum presbyterio toto. Gaudeo me istâ sarcina levatum esse, & uni curæ satis gravi ac molestæ, si pro dignitate & merito obeunda sit, relictum, quodque caput rei est, nos auctos novo tibicine & Atlante qui nobis opem ferre & possit & velit. D. Bucerus, Minister Verensis, alteri parti concessus est: Ad vocationem instituendam delegati sunt D. Colonius & Corvinus noster cum Consule & Syndico. Æmylius, nescio quibus autoribus, aliud vitæ genus delegisse

laudabilij Vossij sententia.

giſſe videtur & in eo perſeverare velle, niſi neceſſitas aliter facere jubeat. Libros quos ab ipſo recens accepi rudi Minerva compingendos curavi, miſſurus eos quamprimum tibi legendos, ea lege, ne nos celes quæ apud te varia eſſe aut brevi futura nec dubito, nec ignoro. Sylloge argumentorum tuorum in ſecunda parte Antiſſadi omni exceptione major eſt, quamquam ad rei talis probationem ſylloge opus non ſit, in quâ fieri vix poteſt ut non dicatur idem ſæpius, ſed alio indutum ſchemate tantum ac colore. In Academiâ antiquum omnia obtinent: Singuli nos res noſtras nobis habemus, & vultu foris blandi nobis mutuo videmur, cætera intus premuntur. Vale mi Frater, & uti facis me amare perge; qui te tuoſque omnes Deo & gratiæ divinæ commendo, ex toto corde. Salveant Fratres omnes & quiſquis nobis favet.

à

23. Junii 1615.

Tibi obligatiſſimo

EPISCOPIO.

terique ætate, non paucas, quas hactenus clauſis oculis præternavigavit, offendet, reperietque majoris, quam hactenus putavit, momenti, & impeditioris conſiderationis eſſe. D. Æmylius jam rurſus totus mutatus eſt, & nil niſi miniſterium ſpirat, neceſſitate adactus, an ſponte ſua & lubente animo, non facile dixerim; Deus novit. Suſpectæ mihi ſunt ſubitæ & crebræ mutationes in re tam ſeriâ & gravi: quid futurum ſit, tempus veritatis filia docebit. In Academiâ hic omnia antiquum obtinent. Bucerus vocationem oblatam accipere noluit, nec dolent ii, qui hominem coram viderunt & audiverunt: Quis in locum ipſius ſufficiendus ſit, incertum adhuc eſt: de Duinglone cauſſæ ſunt cur bene ſperemus. Vale mi Frater cum delecta conjuge & familia tua, fratribuſque omnibus, qui apud vos ſunt, quos omnes tecum, Deo & verbo gratiæ ipſius ex animo commendo. 8 Julii 1615.

Tibi devotiſſimus

S. EPISCOPIUS.

VIII.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS.

Inter Epiſt. 248. & 249.

REverende Frater. Mitto tibi, quos videre pridem deſideraſti tractatus aliquot ſimul compactos, una cum commentario in Epiſt. Joannis. Folia nondum diſſecta ſed cohærentia adhuc, indicant eos nondum à me perlectos eſſe, quocirca velim, ut, quamprimum fieri poterit, eos ad me remittas, imprimis Commentarium, quo interdum uti ſoleo, ſi ita videbitur, cum auctario aliquo earum rerum, quæ penes te ſunt variæ & hactenus nondum in lucem editæ, aut nobis viſæ. De adventu tuo, ſententiam & vota fratrum antehac ſignificavi. Quæ ſit D.D. Conſulum ſententia, brevi, ſpero, ex ipſis intelliges; audio enim illos unanimes te cogitare, & inviſere prima occaſione in animo habere. D. Syndici judicium ſolum ſufficit, ut, an D.D. Curatoribus dedicationem tuam inſcribere velis, apud te ſtatuas & decernas. D. Voſſius in Collegio placide & modeſte res ſuas agit. Utinam tam eſſet peritus rerum divinarum Theologus, quam eſt Vir bonus, candidus & ſincerus, melioriſque literaturæ & antiquitatis cernuus admirator! Sed ſpero, prout ingenuus eſt, ita etiam alia paulatim mente & judicio futurum, imprimis cum ſalebras, ſyrtes, ſcopulos & charybdes, in bonis illis Patribus, ve-

De Voſſio iudicium, ad inimicum. Episcopius Patribus paulo inferior.

IX.

D. JOHANNES BERGIUS

Profeſſor Theol. in Epiſtola ad Dominum

D. MARTINUM FUSSELIUM

Eccleſiaſten Electoralem Brandenb. &c.

Anno 1619. *die* 23. *Febr.*

SYnodo Hollandica me abeſſe gaudeo, adeò nihil illic, quod tanto molimine ac ſumptibus dignum fuerit, geſtum video. Perſcripſit enim fermè ſingula Dominus Agricola. Quinimò pro certo habeo, non modò nullum indè fructum, ſed majoris mali incendium excitatum iri. Quod etſi nunc fortè adverſariorum potentia paulisper oppreſſum ſub favillâ deliteſcat; erumpet tamen haud multo poſt majori impetu. Ac certè diffiteri non poſſumus, iniquius paulò cum Remonſtrantibus actum. Et quis illis vitio vertat, quod Bogermannos, Gomaros, Sibrandos, quos præcipuos & acerrimos ſemper adverſarios habuerunt, Præſides ac Judices agnoſcere noluerint? Cum id ipſum nos in Pontificibus & Cardinalibus non feramus? Quid autem magis ridiculum, quàm illis exeſſe juſſis, poſtea hoſce Judices totos dies in illos declamare, & eorum argumenta fortiter refellere? Mihi quidem hoc tanti non videtur, ut propterea mediâ hyeme ſerum iter ſuſcepiſſe cupiam. Sed hoc illi viderint. Ego ad nundinas autumnales proximas exſpecto Pontificiorum ſatyras, & Remonſtrantium proteſta-

Inter Epiſt. 332. & 333.

Digitized by Google

teſtationes, Synodique refutationes. Deus miſereatur Eccleſiæ! Una ſpes ſalutis erat, ſi Patres illi reconciliationi partium ac coalitioni animorum ſtuduiſſent. Ea poſtquàm decollavit, nihil ſani bonique exſpecto.

X.

ORDINES TRAJECTINI

ad Deputatos ſuos in Conventum Ordinum Generalium.

Inter epiſt. 340. & 341. verſ. ex Belgico.

PRoceres Reipub. Ultrajectinæ ad diem condictum ſolenni more convocati, ſperantes ac confidentes fore quod ſecundante benigna & omnipotente Dei Providentiâ per Synodum Nationalem, quæ nunc temporis Dordraci habetur, religionis controverſiæ, ante aliquot annos in Eccleſiâ Dei, per Regiones Unitas, exortæ, ex quibus tot mala, ſicut vulgo notum, redundarunt, componentur, ac ſopientur, & commotæ Eccleſiarum ac popularium mentes ad priſtinam tranquillitatem, fauſtitatem ac unitatem reſidebunt; ad firmiorem ſecuritatem Reipubl. adverſus ejus, & puræ Religionis doloſos & violentos, ſive clandeſtinos, ſive apertos hoſtes; ſtatuerunt, ac auctoritate ſua munierunt, quemadmodum ſtatuunt & auctoritate ſuâ muniunt delegatos ſuos ad conſeſſum Procerum fœderatorum, ut hujus Reipubl. Ultrajectenſis nomine comprobent, ac recipiant, quicquid à Synodo Nationali & convocatis extraneis Theologis ſtatuetur, ac decernetur. Actum Ultrajecti XVI. Martii. cIↃ IↃ CXIX.

THEODORUS ab EK. vt.

Subſcriptum

Senatuſconſultum Ordinum, & ſubſignatum

ANT. ab HILTEN.

XI.

EX DECRETIS

Curatorum Academiæ Lugdunenſis & Conſulum civitatis ejuſdem, habitis in eorum Conſeſſu,

IX. *Februar.* cIↃ IↃ CXX.

Inter epiſt. 365. & 366. verſ. ex Belgico.

CUm nono Februarii tradita eſſet relatio rerum ad Academiæ negotia pertinentium, conſulto priùs Principe Auriaco, Curatoribus ac Conſulibus, nec non quibuſdam Delegatis illuſtriſſimorum Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, ex re eſſe viſum fuit eas, approbantibus Ordinibus, in tabulas referre.

Relatio rerum ad Academiæ negotia ſpectantium, conſcio Principe Auriaco à D. D. Curatoribus Univerſitatis, Conſulibus Lugdunenſibus, ac Delegatis quibuſdam Illuſtriſſ. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, qui in fine recenſentur & huic negotio præfecti ſunt: Quod auſpicatum eſt nono Julii, & ſubſequentibus diebus anni cIↃ IↃ CXIX. *continuatum.*

Quandoquidem D. D. Curatoribus Univerſitatis, & Conſulibus urbis Lugdunenſis innotuit, quod Illuſtriſſimis Ordinibus Hollandiæ ac Weſtfriſiæ ante aliquot dies placitum fuerit, D. D. Curatoribus ac Conſulibus mandare, ut Univerſitatis ſtatum in ordinem diſponerent, quem uſus Reipubl. ac Eccleſiæ requirat, quod & ipſi D. D. Curatores ac Conſules, tam ex propriâ experientiâ, quam relatione Deputatorum utriuſque Synodi Hollandiæ & Weſtfriſiæ, ex uſu eſſe compertum habent: Quocirca reputantes impoſiti ſibi ab Ordinibus oneris pondus, illud animadvertunt ejus eſſe momenti; ut perſuaſi ſint, ſe ex conſueto aut ordinario mandato non idoneâ auctoritate munitos, nec ſatis inſtructos ad exſecutionem rei tam extraordinariæ ſuſcipiendam & exſequendam. Quocirca Curatores ac Conſules ſe ad Illuſtriſſimos Ordines contulerunt, orantes, quoniam non videbantur rem perficere poſſe, ſine remotione & ſuſpenſione quorundam Profeſſorum, ac aliorum ejuſdem Univerſitatis membrorum, quia ingentes de iis factæ erant querimoniæ, & rationes malè ſuſpicandi de iis ſuppeditatæ, ut mentem ac propoſitum ſuum in hoc negotio, & omnibus huic annexis, diſerte enuntiare ne dedignentur. Et cum profeſſiones ac facultates diverſi ſint generis, ſic ut ratio expoſtulare videatur, ut diverſis modis, & pro ratione cujuſque profeſſionis ſit agendum, ut D. D. Curatores ac Conſules exactè, & diſtinctè inſtruantur. Cum hoc à D. D. Curatoribus ac Conſulibus in conventu Illuſtriſſ. Ordinum præterito menſe Julio fuſius, & additis, quæ tunc incidebant, rationibus eſſet propoſitum, viſum fuit Præpotentibus Proceribus, poſtquam maturo, & accurato examine Curatorum ac Conſulum propoſitionem expendiſſent, hoc ſequens decretum in manus tradere.

Cum Ordines Hollandiæ ac Weſtfriſiæ in Conſeſſu ſuo intellexiſſent, quæ à Curatoribus & Conſulibus urbis Leidenſis eſſent prolata, nempe de neceſſariâ tam Univerſitatis & Profeſſorum, quam Collegii Theologici emendatione & correctione, ut in eum reſtituantur locum, quem Reipubl. ſalus, Patriæ, ac Eccleſiæ tranquillitas expoſcat; commodum & utile eſſe judicarunt,

Digitized by Google

runt, ut res Academiæ, quæ præcipuæ curæ esse debent, jam inclinatæ & prolapsæ, restituantur, hac tantum una vice cum Principe Auriaco, Curatores, Consules civitatis Leidensis, D. à Swieten, & ex Magistratu Harlemensi, Delphensi ac Alcmariensi singulos potestate instruere, quibus, aut maximæ illorum parti auctoritatem concedunt, quâ ipsis liberum est, omnia immutare, exauctorare Professores, ac Rectores, & nomina proponere aliorum integræ existimationis virorum, ex quibus, annuente Principe Auriaco, Curatores ac Consules abdicatorum loco idoneos Professores, aliosque Collegii Præfectos subrogare queant. Interim Curatorum & Consulum Leidensium prudentiæ committitur, an consultum arbitrentur in vocatione Professorum, ac Rectorum Collegii, Delegatos Synodi admittere. Mandaturque omnibus & singulis, ad quos hæc pertinent, ut Principi Auriaco, Curatoribus, aliisque Delegatis in hac suâ provinciâ debita reverentia exhibeatur, & omnes arbitrio illorum se submittant. Actum Hagæ, impresso sigillo Illustriss. Procerum. Julii quarto cIↃ IↃ cxix.

Subscriptum

Sic sanxerunt Ordines, & signatum

A Duyk.

EX vi hujus decreti, quod à Principe, Curatoribus ac Consulibus ritè est expensum, ut formæ, temporis, ac loci in hoc negotio habeatur ratio, Princeps, Curatores, ac Consules statuerunt, ut post dimissum Ordinum Consessum cum extraordinariis Delegatis Lugdunum Batavorum convenirent, & patefacerent viam ad exsequenda negotia inquisitione, aliisque rebus, quas rerum constitutio ad instruendum Principem Auriacum postularet, sic tamen, ut illis peremptorium decretum facere non esset liberum. Adhæc promiserunt D. D. Delegati, instantibus Curatoribus ac Consulibus, se Lugduni Batavorum, nono ejusdem mensis præsto futuros, quemadmodum constituto die omnes convenerunt.

Eodem etiam die negotium, restaurationem & emendationem prædictam spectans, susceptum, & omnium calculis in eam itum sententiam, ut curiosa indagine in vitam, mores, merita, diligentiam, cæteros animi habitus Professorum, Regentis, Subregentis, etiam aliorum, si usus postularet, in genere aut particulatim inquirerent, ut eum in finem provectioris ætatis ac integræ famæ Professores, ex unaquaque facultate adhiberent testes; & præsertim tales, qui olim Rectoratu ejusdem Universitatis aut functi erant, aut jam fungebantur: vel qui egregiis animi dotibus opinionem omnium obtinerent, sibi decus, honorem ac salutem Universitatis quam maximæ curæ esse; admonitos sedulo, ut publicæ rei, ac commodo Universitatis, nec non animo ac studiis Præpotentiss. Procerum satisfacientes, diserte, tanquam genuina Universitatis membra, ad ea, quæ ipsis proponerentur, responderent, sub fide silentii, ac promisso, omnia, ab ipsis in commodum Universitatis prolata, studiosè tectum iri.

Cùm D. Joannes Polyander ab urbe abesset, non rediturus, dum hoc negotium sub manibus versaretur, nec facultati Theologicæ suppeterent alii Professores, advocati sunt quinque ex senioribus & fidissimis aliarum facultatum Professoribus, quibus singulatim proposita sunt nomina Professorum, in quavis facultate hujus Universitatis profitentium, qui de singulis Professoribus, aliisque hujus Universitatis membris, eorum ministerio, statu, aliisque vitæ conditionibus ita nos edocuerunt, ut abunde instructi, collatis cum Principe Auriaco consiliis, deliberare possimus, quâ ratione & quorum respectu porrò ad executionem mandati nostri, tempore opportuno, esset procedendum.

Et cum Professio Theologica uno tantum Professore constaret, nec ea sine magno detrimento Ecclesiæ ac studiosorum, huic Facultati operam dantium, diutius vacare posset, visum nobis fuit, ut mox, omni cunctatione remota, duo designarentur pii, docti, ac celebres Theologi, per quos hæc Professio luculenter & honorificè ornaretur. Id ut maximo professionis hujus usu & incremento fieret, statutum est; quoniam gliscentes haud ita pridem in templis, ac inter ipsos Professores (quas avertat Deus!) contentiones, tam intra, quam extra Patriæ fines, sinistram famam & impuræ doctrinæ suspiciones huic Universitati adsperserunt, quibus multi studiosi extranei, qui hanc olim frequentare solebant, à suis sunt detenti; ut huic malo medicina fieret, propositum est, annon possent vocari peregrini, & præsertim an in Gallia inveniri quiret, qui huic professioni idoneus esset. Tandem, consultatione habita, statutum, ut Theologorum quorundam domesticorum ac extraneorum in medium proferrentur nomina, ex quibus Curatores ac Consules, ex ordinaria sua potestate, aliquem vocarent.

Ex indigenis Theologis propositi sunt D. Antonius Walæus, Verbi Divini Minister Medioburgensis, D. Antonius Thysius, Professor Theologiæ Hardervici, & D. Jacobus Rolandi, Pastor Amstelodamensis. Ex peregrinis D. Petrus Molinæus, &

D. Antonius Rivetus, Miniſtri Lutetiæ Pariſiorum & Towarſii, nec non N. N. Chamierus, Profeſſor Montalbani. Adhæc, ut tempori conſuleretur, ex arbitrio Principis Auriaci, re accuratius excuſtâ, decretum eſt à Curatoribus & Conſulibus Leidenſibus, ut in iis Viris vocandis ordine procederetur, ſic ut primas machinas admoverent ad D. Walæum, & D. Molinæum. Quod mox exſecutioni mandatum, & eatenus promotum, ut electionem D. Walæi à Senatore Honardo, & Petro Arnoldi Deyman, Conſule Lugdunenſi ad id ſpeciatim deputatis magno molimine tentatam, Magiſtratus & Synedrium Medioburgenſe tandem habuerint ratam: quemadmodum & Walæus profeſſionem oblatam ſuſcepit, promittens nihil in ſe moræ futurum, quominus medio Septemb. poſſit inaugurari.

Cum omnibus ſtaret ſententia, omnibus modis dandam eſſe operam, ut D. Molinæus ſui nos compotes faceret, & certis indiciis conſtaret, ipſum non modo Eccleſiæ Pariſienſi oppidò gratum ac maxime utilem, ſed omnibus Gallicis Eccleſiis neceſſarium; & ſic conjecturâ aſſequi poſſemus, quod ſcribendo luderetur opera, viſum eſt, ut D. Thomas Erpenius, Linguarum Orientalium Profeſſor Lugdunenſis, ſe conferret Lutetiam Pariſiorum, ſi quo modo D. Molinæi nobis copiam facere poſſet. Hoc ut effectum detur, D. Erpenius à Curatoribus ac Conſulibus mandatis, ut par eſt, inſtructus præter litteras commendatitias ad Delegatos à communibus Galliæ Eccleſiis, Synedrium Pariſienſe, ac ipſum D. Molinæum, amandatur. Quæ accuratiſſimo modo conſcriptæ, illi traditæ ſunt à Principe Auriaco, ac Deputatis Ord. Hollandiæ Senatoribus, una cum litteris fiduciariis Univerſitatis. A Deputatis etiam Ordd. Hollandiæ Senatoribus ac Curatoribus litteræ datæ ſunt ad D. legatum à Langerak, ut Erpenio operam ſuam navanti ſuccurreret, cùm res ita poſtularet. Quid hactenus effectum ſit, & quæ ſpes adventuri Molinæi affulgeat, Præpotentiſſimi Ordines ex addita epiſtolâ D. Erpenii certiores fient.

Nobiliſſimi, Doctiſſimi, Prudentiſſimi Viri D.D. Simulac Lutetiam Pariſiorum adveniſſem, protinus ad exſecutionem mandati Legato, D. à Langerak, Turonibus reverſo, ſalutem dixi, cauſam ac rationem adventus expoſui, ejus operam ac induſtriam in negotio mihi commiſſo expetens, quam mihi benevolo animo prolixè condixit. Poſthæc D. Molinæum verbis veſtris ſalutavi, & veſtras ac Principis Auriaci, nec non Deputatorum Ordd. Hollandiæ Senatorum litteras tradidi, omnia rationum momenta, quæ menti occurrebant, adhibens, ut veſtræ petitioni concederet. Tandem eo rem perduxi, ut annueret votis meis, ſi Eccleſia Pariſienſis non gravaretur cum dimittere. Idcirco propediem Delegatis Eccleſiarum Reformatarum litteras porrexi, multis rationibus eorum operam expoſcens; nec mihi defuit Legatus D. à Langerak; cui, ſicut & mihi reſponſum dederunt, rem non eſſe in ſua manu poſitam, utpote quibus non Eccleſiaſticarum, ſed Politicarum rerum cura eſſet demandata. Hic nos, ut ſaltem ſuâ commendatione pro viribus Eccleſiæ Pariſienſis benevolentiam nobis conciliarent, rogavimus. Quod promiſerunt, addentes tamen, nunquam Eccleſiam iſtam, ſuo quidem judicio, miſſioni D. Molinæi ſubſcripturam. Litteras veſtras ad D. Pleſſiacum, comitatas iis, quas D. à Langerak in eundem finem ſcripſerat, primâ datâ occaſione miſi, obnixe Virum Nobiliſſimum orans, ut literis commendatitiis ac ope ſuâ nos ſublevaret. Cumque die lunæ præteritâ poſt meridiem Presbyterium Pariſienſe conveniſſet, & jam fama adventus mei, cauſæque percrebuiſſent, viſum fuit D. Molinæo, ac D. Legato, ut non exſpectatâ D. Pleſſiaci epiſtolâ, rem agendam exponerem, ac in conventu literas traderem. Hoc ubi feciſſem, rogamur, ego, ſicut & mox D. Molinæus, ut aliquamdiu ſecederemus: quod etiam factum à D. Molinæo, qui prior revocabatur, deinde ego; ſed tandem amborum petitioni concedere ſine circuitione abnuerunt, multis dicentes, ſe Præpotentiſſ. Ordinibus Hollandiæ ac Weſtfriſiæ, ut & Principi Auriaco maximas agere gratias, pro honore ſibi, ac ſingulatim fratri ſuo D. Molinæo habito; tam præclaras ac officioſas litteras ad ſe ſcribendo, meamque perſonam adlegando. Se magno gaudio excepiſſe, Præpotentiſſ. Ordines ac Principem Auriacum tantam diligentiam ac ſtudium adhibuiſſe, & etiamnum adhibere, ut Eccleſiæ ac Reipubl. ſtatus in priſtinam tranquillitatem ac integritatem reſtituatur, nec ſe dignis ſatis laudibus extollere poſſe tam veſtram, quam Illuſtriſſ. Ordinum & Principis exactam prudentiam, qui hoc agitis, ut Univerſitatem Lugdunenſem, quæ tanquam fax Chriſtiano orbi præluceret, nec tantum Patriæ, ſed circumjacentibus regnis ac provinciis doctorum & piorum meſſem ferre ſolebat, priſtino ſtatui ac ſplendori reddatis, in eum finem oculos intendentes in viros, qui eruditione ac pietate res prolapſas reſtaurent. Quod fateantur recte vos rationem iniiſſe, eligentes D. Molinæum, egregiis ſuis dotibus inclinatæ Theologicæ facultati reſtituendæ apprimè idoneum. Sed quod res ſuæ, ac eædem illius dotes non ferant, ut eo ullo modo care-

carere poſſint. Neminem Eccleſiæ Pariſienſi, aut univerſis Reformatis Galliæ Eccleſiis adeo neceſſarium, quam hunc Virum. Quod nullam Eccleſiæ ſuæ excuſationis cauſam poſsent dicere, nec hujus oculos ſuſtinerent ſubire, ſi hunc dimitterent. Eum rebus ſuis adeo eſse neceſsarium, ac opportunum, ut, ſi apud nos, aut in Angliâ verſaretur, non minorem adhiberent ſudorem ac laborem, ut eum obtinerent, quam vos nunc adhibetis. Quod ſi huic, quem nunc habent, diſcedendi libertatem indulgerent, Eccleſiæ ſuæ tantùm non perniciem arceſserent, cujus ab omnibus cauſa haberentur. Si Deus hunc morte ereptum veniret, illud æquo animo, tanquam pœnam graviſſimam ferendum, ſed magnam animi anxietatem ac calamitatem allaturum incertis, unde alium in ejus locum cooptarent. Quod jam dudum concionatoris indigi, hucuſque quæſitum inveſtigare, aut conſequi nequiverint. Quicquid refellebam, idem ſemper reſponſum tuli, ſeriò rogatus, ne plura verba facerem, operam perditurus apud eos, qui nunquam voto noſtro annuerent. Verum ſi aliis in rebus vobis uſui eſse poſſint, etiam cum ſuo detrimento operam ex animo daturos. Aliud reſponſum elicere nequiens, diſceſſi, dicens, me bonam ſpem fovere, quod ab hac ſuâ ſententiâ diſcedendo, gratius reſponſum ſint daturi. Ad hæc referebant, me ſpem alere vanam, orantes, ne verbum amplius adderem. Sic ſe res habent. D. Molinæus inſtanter ab iis petiit, ut ad duos aut tres annos uſum ſui offerrent vobis, quod acribus verbis & rationibus jam dictis rejecerunt. Ominabatur tamen D. Molinæus, hoc fortaſse, ſi eo contenti eſsetis, poſse impetrari, &, ſi illius compotes eſsetis, rem poſtea ulteriùs perfici: in qua ſententia ſe etiam eſse mihi dixit D. de Somersdyck. Sed quia id à vobis non erat mandatum, nec literæ veſtræ ullam ejus mentionem faciebant, religio mihi fuit hoc expoſcere. Verum ſi animus veſter fert, hoc ut faciam, precor, ut me primâ datâ occaſione certiorem facere, & literas ad Presbyterium expedire dignemini. Si vero eo non inclinat ſententia veſtra, rogo, ut mihi quamprimum liceat reſcire, quid porro ſit mihi agendum: Si alio proficiſcendum, ut mandata ac literæ propediem mittantur. Si viſum eſt vobis, ut D. Molinæi uſurariam mutuationem petam, conſultum tamen, pace veſtra dixerim, videtur, ut eâdem operâ mandetis, an ulterius iter peragendum, an vero revertendum ſit. Quoniam veriſimilius eſt eos uſuram aut mutuationem D. Molinæi negaturos, quam conceſſuros. Interim dum nova mihi juſſa ac præſcripta exſpectanda ſunt, multum labitur temporis, magni ſumptus faciendi, & præſentia mea domi requiritur. Hic Nobiliſſimi, Doctiſſimi, Prudentiſſimi Viri finem faciam, Dominum Deum orans, ut vos ſanctiſſimo præſidio protegat, & diu ſervet incolumes, omni beatitudine cumulatos. Lutetiæ Pariſiorum, decimo quinto Auguſti anno clɔ Iɔ cxix.

Subſcriptum.

Veſter omni obſequio ac fide miniſter

THOMAS ERPENIUS.

Inſcriptio.

Nobilitate, Sapientiâ, Prudentiâ, Æquitate Spectatiſſimis Viris, D. D. Curatoribus Univerſitatis & Conſulibus Lugdunenſibus.

POſtquam D. D. Curatores Principem Auriacum, ac Delegatos extraordinarios participes fecerunt hujus epiſtolæ, 27. Auguſti ſtatutum, ut apud Presbyterium Pariſienſe intentius urgeretur negotium, & ſi plena dimiſſio D. Molinæi extorqueri non poſſet, ut duos ſaltem annos per mutuationem ejus copiam facerent. Erpenio demandaretur, ut eum in finem omnes admoveret machinas, nec diſcederet ab inſtituto, niſi poſtquam omnis ſpes eſſet præciſa. Tum ad Erpenium ſcriberetur, ut juxta ordinem, illi præſcribendum, pergeret ad ambiendum D. Anthonium Rivetum.

Quoniam Deputati ambarum Synodorum D. D. Curatoribus ac Conſulibus Lugdunenſibus in ſpecialibus ſuis conventibus, ut & in hoc conſeſſu una cum Delegatis Præpotentiſſim. Ordinum ſæpius indicarunt, non tantum Facultatem Theologicam duobus aut pluribus Profeſſoribus eſſe inſtruendam, ſed præcipuam curam intendendam in Illuſtriſſimorum Ordinum Collegium, profitentes, quod Rector præſens Eccleſiis, ob rationes tum temporis allatas, minime ſatisfaciat; decretum eſt maturâ conſultatione habitâ, addente ſuum ſuffragium Principe Auriaco, ut Regens Voſſius, defectuum ac confuſionum, quibus Collegium laborat, admoneretur, illique proponeretur, quoniam ipſe conjecturâ ſuâ facile poſſet aſſequi, ſe tum temporis ob varias rationes eo ordine ac loco Univerſitati ac Eccleſiis uſui eſse non poſſe, an non ſibi conſuleret, ſi bene ſubducta ratione munus ſuum reſignaret D. D. Curatoribus, qui alium ſubrogarent. Stare dictis Dominis ſententiam, ipſum datâ occaſione profeſſione Oratoria aut ſimili ornare. Hoc effectum: ac Voſſius eo inductus & adductus,

ut tandem Regentis munus in eorum manus resignaret. Quo ab iis recepto, ipse statim à munere est dimissus, lactatus spe firmâ, quod ejusmodi professio, qua, sine Theologicæ facultatis noxâ, perfungi posset, illi deferretur.

Accersitus est etiam Caspar Barlæus, Subregens Collegii Theologici, qui ob rationes vulgo notas, sine insigni offensâ & incommodo, munus, quod obire solebat, ultra non poterat sustinere; quod & Deputati utriusque Synodi querelis suis testati sunt. Cui annunciatum est, D. D. Curatores, Consules, aliosque Delegatos, inito cum Principe Auriaco consilio, ipsum munere Subregentis habere exauctoratum. Quorum imperio se reverenter submisit, se dicto audientem futurum declarans: rogans tamen, quoniam una Logicam professus esset, quâ provinciâ sine detrimento Theologicæ facultatis fungi posset, ut in eâ progredi liceret. Cui responsum, ejus suo tempore rationem habitum iri.

Ad Collegium Theologicum in rectum ordinem redigendum, statutum est, ut ad Nobiles, Civitates, alioque, qui in hoc Collegio alumnos alunt, scriberetur (sicut postea factum) à singulis alumnos suos esse revocandos domum, Ecclesiæ Ministrorum examini subjiciendos, & quos ratione opinionum, aliorumve vitiorum non idoneos judicent ad fructus bonos in Theologia ferendos, domi detinendos, aliosque bonæ spei, instructos testimonio sincero eorum, qui in illos inquisiverunt, remittendos.

Quod nullis posthac studiosis in hoc Collegium patebit aditus, nisi ab Ecclesiæ ministris, à Patronis suis ad id institutis, factâ inquisitione habeantur explorati ac probati, qui justum testimonium adferre, & in Regentis manus tradere tenebuntur; cujus partes erunt ejusmodi testimonia Curatoribus exhibere, ut una cum cautione novitiorum ejusmodi studiosorum in tabulas, ad id parandas, referantur. Quæ literæ ita se habent. &c.

Tandem visum fuit, ut præsens Oeconomus Christianus Sir, Jacobi filius, dimitteretur, in cujus locum succederet Cornelius Boissens.

Repudiatis Regenti, Subregenti, & Oeconomo indictum, ut sibi quamprimum aliud domicilium curent; quod se facturos promiserunt: & quoniam importuno tempore esset migrandum, cautum est, ut Curatores, ac Consules hanc ob causam æquo pretio ipsis satisfaciant.

Quia Regentis, ac Subregentis munus sine insigni damno illius Collegii vacare non poterat, à jam dictis D. D. proposita sunt nomina trium, ex quibus, inito cum Principe Auriaco consilio, cuique provinciæ unus deligeretur. Muneri Regentis destinati D. Festus Hommius, D. N. Vogelsangius, & D. Sebastianus Dammius, tres Ecclesiæ Ministri; Subregentis, Franco Petri Bargersdycius, Delphensis, Professor Philosophiæ Salmurii, Mr. Daniel Sinapius, & Andreas Colvius, Dordracenus. Sic à D. D. Curatoribus & Consulibus, suffragante Principe Auriaco, constitutus est Regens D. Festus Hommius, & Subregens Mr. Daniel Sinapius, cum iisdem honorariis, stipendiis, ac emolumentis, quibus Prædecessores gaudebant; promittentes se ineunte Septembri præsto futuros.

Quod reliquas Professiones attinet, quoniam Præpotentissimorum Procerum animus est, Universitatem habere omnibus suis numeris consummatam, ut Patria non tantum ex studiosis Theologiæ, sed etiam ex aliis fructus lætos capere possit, & respectu aliarum facultatum quædam aliæ inciderint deliberationes, visum est, ut res illa intacta ac in integro linquatur, donec à Curatoribus cum Principe Auriaco inita sint consilia. Quod factum est decimo sexto Julii, & statutum pro ratione illius temporis; quoniam haud ita pridem Illustrissimorum Ordinum prodiret Edictum, quo præscriberetur ordo, secundum quem omnes in rebus Ecclesiasticis ac Politicis se gererent, nempe ut, usquedum Edictum promulgatum sit, in statu suo remaneant, & interim liceat cognoscere, quomodo quidam Professores, qui justam offensionis ansam, tam in Politicis, quam in Ecclesiasticis, præbuerant, se gerant, ut si quidem intelligi posset in posterum se recte acturos, ac spem facerent sine magno scandalo ac periculo posse ferri, ipsorum ratione capiantur consilia, quæ Universitatis salus exposcat. Quam propositionem à Principe Auriaco prolatam, cum omnes ratam haberent, decretum est, ut à Delegatis Ordinum peterentur exemplaria decretorum Synodi nationalis Dordracenæ, Rectori Magnifico committenda, qui illa inter Professores distribuat, ut exinde sibi, ac suis rebus consulere possint.

Vigesimo sexto Augusti, denuo à prædictis Dominis Lugduni-Batavorum consessus est habitus, ut quæ agenda restarent, deliberatione maturâ exsequerentur. Vigesimo septimo post meridiem admissi, quod ita expetiverant, Deputati Synodi Hollandiæ Australis, qui hujus Synodi verbis nobis in memoriam reduxerunt, quæ ante commendaverant, de restituenda Universitate, orantes, ut non tantum Professionis Theologicæ, cujus jam initia ac fundamenta posita esse fatebantur, gereremus curam, sed & eandem duorum Professorum

rum ſubſidio fulciremus, quorum unus Vetus Teſtamentum Hebraicum paraphraſtice interpretaretur, alter caſus conſcientiæ tractaret. Aſſerebant inſuper quaſdam profeſſiones à ſuſpectis hominibus adminiſtrari, præcipue quidem earum facultatum, quæ cum Theologiâ aut affinitatem quandam habent, aut ad eam viam ſtruunt, ut ſunt Ethica, Logica, linguarum Scientia, maxime Hebraicæ, & cætera ejus generis. Nobis etiam retulerunt, quæ ante aliquot dies acta & decreta ſunt à Synodo Hollandiæ Auſtralis adverſus Caſparem Barlæum, Subregentem, & Petrum Bertium, Ethices Profeſſorem: Quin etiam verba eſſe commutata cum D. Gerardo Voſſio, nuper Regente, de libro, qui agit de *Reliquiis Pelagianorum*, & quomodo hæc Synodus injunxerit, ut plures cum Voſſio ſermones conferrent: Rogantes, quandoquidem homines iſti erant membra & ſubditi Univerſitatis, ut Curatores ac Conſules æqui bonique facerent, quicquid Synodus cum iis egiſſet; cui non eſſet animus privilegia ac libertates Univerſitatis, aut auctoritatem Curatorum ullo modo imminuere; Sed quod in iſtos homines ſolummodò de rebus Eccleſiaſticis modo Eccleſiaſtico exercuiſſet judicia; quod illæſo jure Univerſitatis, D. D. Curatorum, ac Conſulum fieri poſſe aſſerebant. Initâ deliberatione ipſis ex omnium unanimi ſententiâ renunciatum eſt, Dominos illorum admonitionem, ut in reſtituendæ Univerſitatis curam incumberent, boni conſulere; aliquos hic jam progreſſus feciſſe, ac ſibi rem exſequi, uſque dum cuncta ſe bene habeant, eſſe propoſitum. Sed Dominos ſe continere non poſſe, ut ſine admonitione dimittant, Synodum cenſuram in Voſſium, Petrum Bertium, & Caſparem Barlæum præcipiti ſtudio ſtringendo, extra limites ſuos eſſe evagatam. An non æquius & lenius fuiſſet actum à Synodo, ſi Curatorum ac Conſulum decreta, ductu, & auſpicio Principis Auriaci, ac aliorum expectaſſent; præſertim cum illorum cauſam cognoſcere aggreſſi eſſent. Nunc ex placitis Synodi ejuſmodi præjudicium ortum, ut ſibi deliberatio de tribus illis hominibus non ſit integra: Se tamen omnia recte curaturos, Principem Auriacum omnium facturos certiorem, & de pluribus Profeſſoribus in Theologiâ eligendis amplius conſultaturos.

Poſtquam res inſtituta, ac porro inſtituenda ſatis animo ac cogitatione eſſet verſata, viſum eſt, ut Domini, de omnibus plene edocti, Hagæ-Comitis, præſente Principe, ne aliquod præjudicium opinioni ejus caliginem offundat, negotium peragerent. Rogati Lugdunenſes Conſules, ne gravarentur proficiſci Hagam, morem geſſerunt; & ſic Curatores aliique primores, vigeſimo octavo ejuſdem menſis, ſe Hagam conferentes, rebus, quæ Lugduni-Batavorum actæ erant, denuo cogitatis ac excuſſis, poſt deliberationem cum Principe Auriaco, & omnibus antea memoratis, ſuſceptam, vigeſimo nono ejuſdem menſis ſtatuerunt, quod ſequitur:

Primùm, Magiſtro Petro Bertio, Profeſſori Ethices, & Caſpari Barlæo, Collegii Subregenti, indiceretur, Principem Auriacum, cæteroſque memoratos illorum operam, quam hactenus Univerſitati navarint, ultra non requirere, eoſque habere à profeſſione ſuâ remotos. Poſtquam hæc ultimo Auguſti eſſent acta, ambo profeſſi ſunt, quod ſe dictis ſubmitterent, nec munere poſthac fungerentur. Addente Bertio, Dominos nihil agere ſine rationibus. Ambo promiſerunt, ita ſe geſturos, ut nulla incideret querela. Quare promiſſum eſt iis, quadrantis anni, quem ingreſſi erant, & migrationis Barlæi æquam rationem habitum iri.

Voſſio denunciaretur, quod & eodem die factum, Principem Auriacum, Curatores ac Conſules Lugdunenſes alioſque Delegatos, ob rationes non exigui momenti, nondum potuiſſe à ſe impetrare, ut illi aliquâ profeſſione conſulant, ſed ſpe inducti, quod modeſtè ſine offendiculo ſit acturus vitam, illi deſtinaſſe ad tempus, donec aliter decernatur, honorarium octingentorum florenorum annuum, ea conditione, ne convictores alat, aut Collegia diſputantium ſive domi, ſive alibi inſtituat. Quod attinet colloquium à Synodo Hollandiæ Auſtralis cum quibuſdam, dimiſſis ex ſuo cœtu, indictum, mandatum Voſſio, ne ei ſe immiſceat, antequam à Principe Auriaco, D. D. Curatoribus ac Conſulibus Leidenſibus, detur venia, quâ excuſatione ſe apud Legatos Synodi poſſit defendere. Hæc quando Voſſio relata ſunt, honorarium grato animo exceptum, & promiſſum ab eo, ſe bene ac honeſte inſtituturum vitam, &, ſicut juſſum erat, colloquium illud declinaturum.

De D. D. Gulielmo Coddæo, & Gilberto Jacchæo decretum eſt, ut ſuſpendantur à lectionibus, alendis convictoribus, diſputationibus & habendis Collegiis tam intra, quam extra ædes ſuas: ut acerba caſtigatione in ipſos animadvertatur, monitos, ſi poſthac in Rempubl. aut Eccleſiam peccent, quod profeſſionis ac ſtipendii jacturam non effugient. Spe tamen, ipſos prudenter ac quiete acturos, & ita animum inducturos, ut exemplo ſuo aliis calcar addant, ad tempus, donec aliter viſum ſit D. D. Curatoribus ac Conſulibus,

illorum ſtipendium, aut pars ejus, pro arbitrio Curatorum ac Conſulum, continuabitur: Verum eâ lege, ut ſe ab Univerſitatis Senatu abſtineant.

Joanni Meurſio indicaretur, Dominis innotuiſſe, quam exiguos fructus Univerſitati ferat, ſive hoc ex quodam ingenii vitio oriatur, ſive invitâ Minervâ fiat; quo circa enitendum ipſi, illud ut diligentiâ ac omni conatu corrigat, Studioſis majori uſui ſit, & Spartam melius ornet. Quoniam veriſimile eſt, ſcribendo multos libros ſolennia ejus ſtudia inhiberi, potius libros edere ſuperſedeat, admonitus, niſi ſe melius gerat, aut gerere poſſit, D. D. Curatores ac Conſules evitare non poſſe, quin poſt elapſos ſex menſes alteri Profeſſionem Græcæ linguæ, quæ, quod ipſum non fugit, ad communia ſtudia permagnum habet momentum, committant. Quod illi etiam ad Senatum Univerſitatis præcluſus erit aditus. Hæc ubi illi puntiata ſunt, excuſationes aliquas protulit, attamen officio ſe defuncturum recepit.

Tandem D. Cornelius Sylvius, Profeſſor Inſtitutionum Juris Civilis, miſſionem, quam petierat, ſpecioſis rationibus co inductus, impetravit, addito interdicto, ne peculiaria Collegia aut privatas diſputationes inſtitueret: ad quæ ſe componere non abnuebat, quanquam ſeriâ excuſatione, quæ ſibi crimini data erant, dilueret.

Cum Deputati à Synodo Auſtralis Hollandiæ urſiſſent, ſicut ante dictum, ut inſuper Facultati Theologicæ duo adjungerentur Profeſſores, quorum unus Caſus conſcientiæ tractaret, alter Vetus Teſtamentum Hebraicum legeret, & quidem brevi paraphraſi interpretaretur; Sic ut integrum Vetus Teſtamentum trium annorum ſpatio ad finem perduci poſſet, quod Studioſis Theologiæ perutile ac commodum eſſet futurum, quo celerius ad Eccleſiaſticum munus accingantur, decretum eſt, ut Profeſſorem, qui Vetus Teſtamentum interpretaretur, quamprimum cooptarent; propoſituſque D. Antonius Theiſius, Profeſſor Theologiæ Hardervici, & mandatum eſt D. D. Curatoribus, ut cooptationem hanc propediem procurarent. Alteram poſtulationem quod attinet, tanquam non adeo neceſſaria, hactenus eſt denegata.

Viſum eſt etiam, ut à D. D. Curatoribus ac Conſulibus ad Provincias quaſdam, nempe, Ultrajectenſem, & Tranſiſulanam, ubi nullæ Univerſitates, literæ ſcribantur, exponentes Univerſitatis Lugdunenſis ſtatum, quo undique ſtudioſos alliciant, & attrahant. Quæ literæ poſtea diſperſæ ſunt, hoc argumento, &c.

Compertum eſt etiam, poſtquam rite perſpeximus & excuſſimus Univerſitatis ſtatum, niſi à vobis, Illuſtriſſimis Ordinibus, prompta ac idonea adhibeantur remedia, eam brevi eò dilapſuram, ut niſi magnis ſumptibus fulciri non poſſit. Idcirco decretum eſt, ut Illuſtriſſimi Ordines maturè ac exactè ejus certiores fiant, & quoniam Curatores & Conſules Lugdunenſes imminentis ruinæ invidiam à ſe remotam cupiunt, quod ſummo ſtudio teſtabantur, iis inſtantibus decretum eſt, ut Præpotentiſſimorum Ordinum oculis exhibeantur ſtatus, & reditus ordinarii, cum expenſis ejuſdem Univerſitatis, & deliberatio inſtituatur, quibus modis ingruenti confuſioni poſſit occurri. Adhæc Illuſtriſſimi Ordines rogantur, ut æquum ac favens decretum edant.

Domini Extraordinarii Delegati judicantes omnia eſſe peracta, quæ ſibi una cum Curatoribus ac Conſulibus à Præpotentiſſimis Ordinibus Hollandiæ ac Weſtfriſiæ juxta formulam mandati, ante memorati, erant commiſſa & commendata, huic negotio, poſtquam D. D. Curatores ac Conſules Principi Auriaco pro prudenti ejus ductu ac conſiliis & D. D. Delegatis pro adhibitâ operâ prolixas egiſſent gratias, finis eſt impoſitus, & quæ porro in Univerſitate agenda reſtant, D. D. Curatorum ac Conſulum curis ſunt concredita. Actum Lugduni-Batavorum, ultimo Auguſti, anno milleſimo, ſexcenteſimo, decimo nono.

Subſignatum erat

J. A WASSENAAR ET DUVENVOORDE.
ADRIANUS PAUW.
R. AB HONERT.
A. DE SWIETEN.
P. DEIMAN.
A. AB HOOGEVEEN.
G. BAARSDORP.
GERARDUS LEONARDI.
G. GLARGES.
SANTEN.
A. RABBI.

Inferius erat ſcriptum.

Poſtquam Ordines Hollandiæ & Weſtfriſiæ accepiſſent relationem, à D. D. Curatoribus Univerſitatis, & Conſulibus Civitatis Lugdunenſis, ac quibuſdam Delegatis extraordinariis, de reſtauratione Univerſitatis ac Collegii Theologici, una cum lectione eorum, quæ in hoc negotio acta ſunt; & inſuper intellexiſſent Principem Auriacum rem omnem ductu ac auſpicio ſuo rexiſſe, ac traditam relationem, antea ſibi perluſtratam approbaſſe, ita cenſuerunt, quemadmodum nunc cenſent, in adminiſtratione,

ſtratione; ac reſtitutione Univerſitatis ac Collegii Theologici actum eſſe ſecundum mandatum, ac bonam intentionem Potentiſſim. Ordinum, approbantes ac habentes rata, quæ ſecundum hanc relationem ſtatuta & tranſacta ſunt: ita porrò cenſentes, D. D. Curatores ac Conſules Lugdunenſes, juxta ordinariam poteſtatem res, utilitatem ac commodum Univerſitatis ſpectantes, moderaturos, quod ipſis committitur, & ad conſervationem ac reſtitutionem recti ordinis, nec non amplificationem gloriæ ejuſdem Univerſitatis requiritur. Actum Hagæ Comitis, decimo nono Decembris. clc Io cxix.

Subſcriptum

Ita ſciſcentibus Præcribus.

Signatum

A Duyk.

Placuit etiam ſequentes Articulos à D.D. Curatoribus ac Conſulibus in Conſeſſu Ordinum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ propoſitos, in tabulas referre, cum decretis poſtea conſequutis.

Poſtquam Ordines Hollandiæ ac Weſtfriſiæ conſpexerunt, ac in conventu ſuo rite expenderunt ſummam articulorum, à D. D. Curatoribus Univerſitatis & Conſulibus Lugdunenſibus propoſitorum, ſtatutum eſt, quod in margine cujuſque articuli expreſſum eſt.

Summa Articulorum à D. D. Curatoribus Univerſitatis & Conſulibus Lugdunenſibus in Conſeſſu Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ propoſitorum, ad quos illorum decreta poſtulantur.

Primo, ut Ordines Hollandiæ dignentur approbare negotium, in reſtituenda Univerſitate Lugdunenſi, conſcio Principe, à Curatoribus, Conſulibus, una cum Extraordinariis Ordinum Legatis tranſactam, juxta habitam ac traditam relationem, ut ſolenni more in acta referatur.

Relatio actorum in reſtaurandâ Univerſitate Lugdunenſi viſa ac reviſa, comprobata ac rata eſt habita, ejuſque ſpecialis formula poſt relationem optimo modo adſcripta, cum gratiarum actione pro fideli operâ, in exſequendo negotio adhibitâ, & plenâ fiduciâ, Dominos, qui hanc relationem exhibent, in ſtudio pro ſalute Reipubl., Eccleſiæ, Univerſitatis ac Collegii Theologici perſeveraturos, quod hic etiam monentur, & rogantur.

Similiter ut Privilegio, à Chriſtianiſſimo Rege Galliæ olim Univerſitati conceſſo, intercedente Legato Ordinario hujus Reipubl., aut aliâ quadam idonea occaſione, continuatio & comprobatio ex ſolenni formulâ, ubi uſus poſtulat, procuretur. Sic & ab aliis Regibus ac Principibus, huic Reipubl. faventibus ſimiles prærogativæ in gloriam, ac honorem Univerſitatis expoſcantur.

Illuſtriſſ. Ordines omni conatu dabunt operam, per Ordinarium hujus Provinciæ in Galliâ Legatum, aut Legationem extraordinariam, ut ejuſmodi approbatio, & relatio in acta, ubi & quando uſus eſt, impetretur; ut etiam cæteri Reges ac Principes, in hanc Rempubl. propenſi, ejuſmodi prærogativas indulgeant; cujus curam Proceres in ſe recipiunt.

Ut Potentiſſ. Ordines, non obſtantibus actis ac inſtitutis nuperæ Synodi Hollandiæ Auſtralis, Lugduni Batavorum convocatæ, iiſque, quæ exinde in diſceptationem trahi poſſent, Univerſitatem, ejuſque Profeſſores ac membra tueantur, ut privilegiis ſuis ac ordine gaudeant, ſub præſidio Procerum, ad quorum mandata ſe ſemper compoſuerunt.

Viſum eſt Ordinibus, ut regimen, adminiſtratio, & cura Univerſitatis ac Collegii Theologici committatur, ac relinquatur penes Curatores ac Conſules Lugdunenſes: adhæc ut Profeſſores, ejuſque membra ſuis gaudeant privilegiis & ordine, ſub tali regimine, abſque ulla mutatione; ſub quali, ex D. D. Ordinum mandatis & auctoritate hactenus fuerunt, reſciſſis iis, quæ in conſultationibus & actis nuperæ Synodi Hollandiæ Auſtralis, Lugduni Batavorum habitæ, aliter ſtatuta ſunt: Quoniam Proceres non ferunt, ut D. D. Curatoribus ac Conſulibus in ſua Provinciâ à Synodi placitis aliquid præjudicii afferatur: aut his invitis à Synodo quicquam in Univerſitate aut Collegio Theologico fiat; niſi forte Profeſſores Theologicæ facultatis, & Regens Collegii cum Synodo ob juſtas rationes ordinem inſtituant, quem ſinguli obſervare tenebuntur.

Tandem ut D. D. Curatores ac Conſules, idoneâ auctoritate inſtruantur, ut poſſint leges, ſtatuta ac decreta tam Univerſitatis, quam Collegii recognoſcere; ac pro ratione rerum, in uſum Univerſitatis

Digitized by Google

tatis ac Collegii, recolere & corrigere, ut Procerum oculis exhibeantur, qui, quod ſibi conſultum videtur, ſtatuant.

D. D. Curatoribus ac Conſulibus auctoritas conceditur recolendi, corrigendi, ampliandi, renovandi leges, ſtatuta, ac decreta tam Univerſitatis quam Collegii Theologici, pro ſtatu temporis ac rerum, prout utrique maxime felix ac fauſtum eſſe deputatur. Verùm antequam vim legis obtineant, offerentur Proceribus, ut, iis rite perpenſis, ſtatuant, quod facto uſus eſt.

Actum Hagæ Comitis XIX. Decembris cIↃ IↃ C XIX. Sic jubentibus D. D. Ordinibus Hollandiæ ac Weſtfriſiæ. Signatum erat

A Duyk.

XII.

Recit des procedures tenues par ceux de Sedan contre

FRANCOIS D'OR

cy-devant Miniſtre de la parole de Dieu audit lieu.

Inter epiſt. 373. & 374.

LE troiſiéme de Novembre 1619. François D'Or Miniſtre de la parole de Dieu en l'Egliſe Françoiſe & Allemande de Sedan, ayant fait à ſon tour un preſche ſur le verſet 13. du 1. chap. de l'Epiſtre de Saint Jacques, qui luy eſcheoit à expoſer ſelon la ſuite de ſon texte; & en cette action deduit ce point; Que Dieu n'eſt point autheur de peché, n'ayant que cette propoſition à traitter & pour cette raiſon s'y eſtant eſtendu amplement & ayant montré clairement; que ni la Nature, ni les Actions de Dieu ne donnoient aucun ſujet de croire, non pas meſmes de ſoupçonner, qu'il fuſt autheur du mal: Ayant auſſi reſpondu à toutes les objections (du moins aux principales) que, ou les ignorans pourroyent, ou les malicieux & Contemteurs de Dieu ont accouſtumé de faire, abuſans des paſſages de l'Ecriture Sainte, eſquels il ſemble, que non ſeulement Dieu ordonne les pechez; mais auſſi qu'il les face lui meſme, ou y pouſſe les hommes. De ſorte que la Sainteté de la nature divine, & la juſtice de ſes ordonnances & la droiture de ſes actions eſtant ſolidement demontrées & naifvement repreſentées au peuple, à l'honneur & gloire de la Providence admirable de Dieu; Il ne pouvoit reſter à l'homme pecheur que honte & confuſion & avoir la bouche fermée devant Dieu & les hommes, ſe ſentant convaincu en ſa propre conſcience de malice & iniquité volontaire.

Neantmoins pluſieurs & meſmes des Principaux s'eſmeurent & fremirent audit preſche, & en teſmoignerent leur indignation & deſpit, portans leurs plaintes droit au Prince du lieu, accuſans le Miniſtre ſus dit d'eſtre Arminien & d'avoir fait ce preſche expres, pour les redarguer, concluans, qu'il ne le falloit plus ſouffrir en l'exercice de ſa charge. Cela eſt agité & negotié entre eux depuis le dit Dimanche, juſques au 23. du mois, auquel jour le Prince fit appeller ce Miniſtre en ſon chaſteau & lui tint ce langage; Qu'il avoit divers avis, comme à toutes occaſions il faiſoit profeſſion de la doctrine des Arminiens, que meſmes ſon preſche ſuſdit avoit ſcandalizé beaucoup de perſonnes comme ſentant icelle doctrine, qu'il deſiroit ſçavoir de lui, ſi ainſi eſtoit: & qu'en ce cas, il eſtoit contraint lui declarer, qu'il ne le pourroit plus long temps ſouffrir en ſa charge; d'autant qu'il avoit reſolu de ſe maintenir en l'Union des Eſtats de Hollande, & des Egliſes de France, & pour cet effet de ſuivre la route, qu'avoit prins le Synode de Dordrecht; & que le retenant & ſouffrant plus longtemps en ſa charge, il en ſeroit en peine vers leſdits Eſtats & Egliſes.

A cela fut reſpondu par ledit Miniſtre: Qu'il eſtoit bien esbahi d'entendre qu'aucun ſe trouvaſt ſcandalizé de ſon preſche ſuſdit, veu que ce n'eſtoit point matiere controverſe: & qu'il n'eſperoit pas, qu'aucun de ſes auditeurs, & notamment gens de ſçavoir & de conſcience, voudroient entreprendre d'affirmer, ce qu'il avoit nié avec l'Eſcriture Sainte, aſſavoir que Dieu fuſt autheur de peché: Qu'il s'aſſeuroit bien n'avoir rien mis en avant qui touchaſt perſonne en particulier, & qu'au reſte il ne peuſt bien deffendre; A quoi il s'offroit, ſuppliant inſtamment, que les propoſitions ou fauſſes, ou ſcandaleuſes lui fuſſent repreſentées; ou qu'à faute de ce, il ne pourroit ſinon ſe plaindre de ceux qui en menoyent tel bruit, comme de gens paſſionnes, portés de prejugé contre lui.

Que touchant ſon ſentiment ſur les cinq points condamnés par le Synode de Dordrecht, il n'eſtoit nul beſoin de s'enquerir, veu qu'il y avoit bien deux ans qu'il l'avoit franchement declaré au Prince, en preſence de ſon Bailli le Sieur de L'Aage & des Sieurs Cappel & Rambour Miniſtres: qu'il avoit auſſi preſché librement ſelon ſon ſentiment, bien qu'il ſe fuſt abſtenu de refuter directement le ſentiment contraire juſques à ce jour là. Adjouſtant que ſi en cette ſorte ſon Miniſtere n'eſtoit plus utile en

Digitized by Google

en ſon Egliſe, ou meſmes en quelque ſorte nuiſible à l'Union que le dit Prince vouloit entretenir avec les Eſtats & Egliſes ſuſdittes; qu'il remettoit cette conſideration à la prudence du Prince: Mais quant à ſa perſonne; qu'il s'eſtimoit trop peu de choſe pour mettre un tel Prince en peine à ſon occaſion, qu'il n'avoit jamais eu autre deſir ni deſſein, que de lui rendre tres-humble & fidele ſervice, & eſtoit preſt de s'y porter, meſmes au peril de ſa vie: Qu'il pouvoit reconnoiſtre que rien ne l'avoit porté à ce ſentiment que ſa conſcience, laquelle il euſt creu bleſſer faiſant autrement; qu'il avoit refuſé des conditions avantageuſes, qui lui eſtoient encor preſentées, ſi ſeulement il vouloit ſouſcrire au Synode de Dordrecht, & qu'il n'ignoroit point, ne pouvoir s'attendre par cette ſienne franche confeſſion, à autre choſe, ſinon d'eſtre privé des gages de ſa petite condition & de tomber lui, & ſa famille qui n'eſt pas petite, en extreme pauvreté, n'aiant point d'ailleurs de quoi vivre.

A cela fut repliqué par le Prince, que puis que tel eſtoit ſon ſentiment & reſolution, qu'il trouvoit bonne ceſte ſienne franche & ingenue confeſſion, & qu'auſſi il diſpoſeroit les choſes en telle ſorte, que ce qui ſe feroit pour ſon regard ſe paſſeroit avec honneur & à ſon ſoulagement. Le meſme jour le Prince appella le Sieur Gantois, auſſi Miniſtre en l'Egliſe de Sedan & beaupere du dit François D'Or, pour lui communiquer ce que deſſus; & lui dit de plus, qu'il aviſeroit touchant le congediement du dit D'Or, s'il le feroit de ſon authorité ſeule, ou s'il emploieroit d'autres compagnies & particulierement des Miniſtres & Anciens. Dequoi le dit D'Or adverti par ſon dit beaupere, s'attendoit qu'au premier Conſiſtoire l'on traitteroit ſon affaire, & s'eſtoit preparé à quelque petite harangue, laquelle le jeudi matin il communiqua ſommairement au Sieur Tilenus Profeſſeur en Theologie. Mais ce jour ne fut fait autre choſe, ſinon qu'en l'aſſemblée & au lieu ordinaire du Conſiſtoire, le Sieur Rambour Miniſtre de la maiſon du Prince, propoſa de la part d'icelui: S'il ne ſeroit point à propos, d'aſſembler en Synode les Paſteurs des Egliſes des Souverainetés de Sedan & Raucourt avec quelques Anciens, ſous pretexte de reprimer les dances & ballets, qui prennoient la vogue eſdittes Egliſes; Et que depuis peu il s'eſtoit commis de grandes inſolences en un ballet à la ville. Cela fut tout auſſitoſt trouvé bon & neceſſaire par la compagnie, qui deputa ſur le champ un Miniſtre & Ancien vers le Prince pour lui faire entendre cette reſolution, & donna charge d'appeller les Paſteurs & Anciens ſuſdits. Le lendemain ils accourent & ſe trouvent au lieu accouſtumé, où le Sieur Cappel, pour garder quelque forme, recueillit les voix pour l'Election d'un Conducteur de l'action, & fut eſleu lui meſme par la pluralité. Mais bien que la ditte aſſemblée portaſt le nom de Synode & que ce ſeul nom requiſt par honneur quelque ſolennité & forme d'avantage; ſi eſt ce que le dit preſident eut ſi haſte d'expedier l'acceſſoire pour venir au principal, qu'il oublia de paſſer à l'Election d'un adjoint & d'un ſcribe, comme on a accouſtumé de faire. Auſſi y eut-il du plaiſir à les ouir traitter ceſte matiere joyeuſe des dances & ballets. Les uns declamoient furieuſement contre les dances, n'en voulans faire, ni recevoir aucune diſtinction, comme s'il eſtoit impoſſible aux gens de bien & d'honneur de garder aucune moderation en leurs resjouiſſances, maintenant qu'il les falloit defendre purement & ſimplement comme de ſoi mauvaiſes. L'avis des plus raiſonnables fut, que conſiderans le peuple de Sedan grandement enclin à diſſolution & desbauche, il eſtoit expedient & neceſſaire veu le mal, de leur defendre pour lors toute ſorte de dance, comme le Medecin interdit le vin à celui qui a la fievre. Après on s'eſgaia à trouver les moyens pour empeſcher les dances & à mettre en avant des inventions, pour leur couper chemin & boucher toutes avenues. Les uns vouloyent que la muſique & les violons fuſſent bannis des feſtins, comme autant d'attraits à la dance. Quelcun replica, qu'ils faiſoient comme autrefois Anacharſis, qui pour eviter l'ivrognerie conſeilloit aux Scythes de couper leurs vignes: que s'ils vouloient il leur donneroit un moyen plus expedient & efficacieux encore, aſſavoir de defendre les feſtins meſmes, puis que de la pance vient la dance, & que le ventre vuide & affamé n'auroit point d'oreilles pour les violons, ni de pieds pour la dance. On fut un peu en debat ſi on feroit un article de ceſte reſolution, & ſous quelles peines les dances ſeroient deffendues. On alloit à l'excommunication, les moins en colere à la ſuſpenſion de la Cene. A toute force on en vouloit forger un nouveau Canon & article, outre celui de la diſcipline; bien que l'on remontraſt que c'eſtoit multiplier les articles ſans neceſſité, & que celui de la diſcipline eſtoit aſſés clair & ample, qu'il n'y manquoit que l'execution; que leur zele s'eſtoit deu reſueiller de meilleure heure, ſans laiſſer depuis un an & plus par connivence ou oubliance non ſeulement les feneſtres, mais la porte toute ouverte à telles inſolences. La concluſion fut, qu'avant que de rien eſcrire le tout ſeroit referé au Prince, qui en prononceroit l'arreſt definitif.

by Google

Pour paſſer par degrez de ces jeux comiques à quelque choſe de plus ſerieux & tragique, il fut mis ſur le tapis & en deliberation ce que l'on feroit pour le regard de ceux qui s'appelleroyent en duel; d'autant que le Conſiſtoire de Sedan aiant voulu proceder contre un certain perſonnage coulpable en tel fait, par cenſure eccleſiaſtique, & l'obliger à reconnoiſſance publique de ſa faute, & en aiant eſté empeſché par l'authorité du Prince, au rapport de quelques Miniſtres, il ſe trouvoit en peine pour l'avenir. Là fut dit, que le Conſiſtoire de Sedan eſtant complaignant, il falloit que les Miniſtres de dehors ſe chargeaſsent de cet affaire & en fiſsent leurs remonſtrances au Prince; mais leſdits Sieurs en firent difficulté & ne voulurent accepter. Sur ces entrefaittes un de la Compagnie qui eſtoit ſorti, revient & donne avis, que toute la Compagnie eſtoit mandée au chaſteau par le Prince, qui l'attendoit avec ſon Conſeil. Auſſi toſt chacun ſe leve (toutesfois Monſieur le Preſident trouſſe à la haſte une petite priere pour action de graces) & s'en vont au Chaſteau. Le Miniſtre D'Or avoit eſté en toute cette action, & aiant eſté averti que le Conſeil & Synode eſtoient expreſſément aſsemblés contre lui, s'eſtoit reſolu en ſoi meſme de n'y point faire longue harangue; mais de maintenir conſtamment & en toute ſimplicité la pure verité de l'Evangile de noſtre Seigneur Jeſus, & pour cet effet à l'inſtant qu'il falloit aller à ce Synode des dances & ballets, avoit mis ſur le papier la doctrine qu'il avoit preſchée en ſon Egliſe touchant les cinq points tant controverſés, & ce en termes, eſquels il s'eſtoit tousjours contenu: il marche donc avec les autres & comme on montoit l'eſcalier de la maiſon du Prince, un de la trouppe demanda ou eſtoit le dit D'Or, auquel il reſpondit qu'il ſuivoit & ne cherchoit point de leur eſchapper. Eſtans montés & entrés dans la chambre, où eſtoit le Prince avec ſon Conſeil, la priere fut faite & après commandé au dit D'Or de ſortir. Eſtant rappellé, le Prince lui dit; qu'il avoit repreſenté à la Compagnie ce qui s'eſtoit paſſé entre eux deux le 23. mais que de peur, que ſa memoire ne lui euſt manqué en quelque choſe, qu'il avoit trouvé bon de l'ouir encor ſur ces matieres; Qu'il lui demandoit donc, s'il n'eſtoit pas vrai qu'il euſt le meſme ſentiment des Arminiens, touchant les cinq points condamnés au Synode de Dordrecht? Lors ce Miniſtre voiant qu'il lui eſcheoit de rendre raiſon de ſa foi, & faire une franche confeſſion de la verité, comme avoit fait Jeſus Chriſt devant Ponce Pilate commença à dire:

Qu'il louoit Dieu de ce qu'il lui faiſoit l'honneur de l'appeller devant une ſi notable aſſemblée & Compagnie du Prince, de ſon Conſeil, & du Synode des Egliſes de ſes Souverainetés, pour rendre teſmoignage à la pure doctrine de ſalut; que quant à lui il pouvoit dire avec verité avoir cheminé en toute bonne conſcience devant Dieu parmi eux juſques à ce jour-là: qu'à meſme que Dieu lui avoit fait la grace de voir la lumiere de verité, il n'avoit point manqué de la preſcher, qu'il n'avoit jamais rien mis en avant, qu'il ne creuſt eſtre conforme à la Sainte Eſcriture; que toute ſon Egliſe & eux meſmes lui pouvoient eſtre teſmoins, que touchant les cinq points debatus en Hollande, le ſommaire de ſes predications en revenoit là. Et commença à reciter le premier point; mais le Prince l'interrompit & dit qu'il n'eſtoit point à propos de deduire en ceſte compagnie ſa creance & doctrine, qu'il n'eſtoit beſoin de declarer autre choſe ſinon s'il eſtoit Arminien, ou non. A cela le Miniſtre replica que ce nom eſtant fort odieux, beaucoup plus que la doctrine, il eſtimoit eſtre obligé à deduire la ſienne, n'eſtant raiſonnable qu'il fuſt condamné par prejugé, mais après bonne cognoiſſance de cauſe. Le Prince adjouſta comment il pouvoit proteſter d'avoir cheminé en bonne conſcience, veu que juſques-là il n'avoit point refuté la doctrine contraire à la ſienne? A quoi le Miniſtre reſpondit, qu'il croioit avoir peu faire ainſi en bonne conſcience, eu eſgard à la paix de l'Egliſe pour un temps, & que le Prince pouvoit ſe ſouvenir de ce que lui meſme avoit dit au dit Miniſtre par ci-devant, preſents ſon Bailli le Sieur de l'Aage & deux Miniſtres les Sieurs Cappel & Rambour (le dit D'Or eſtant accuſé d'avoir en un Catechiſme refuté ce que le Sieur Rambour avoit dit le matin en ſon preiche & reſpondant qu'il eſtoit tenu d'enſeigner la verité) aſſavoir qu'il n'eſtoit pas toûjours temps de dire toute verité, & qu'il falloit attendre; enjoignant aux dits Miniſtres de conferer & mettre peine de s'accorder enſemble, du moins à prendre garde de ne point contredire les uns aux autres en chaire. Ce qui fut reconnu par le Prince, & le Miniſtre adjouſta qu'il eſtoit donc juſtifié en cet endroit. Sur ce lui fut permis de faire declaration ou recit de ſa doctrine, ce qu'il fit liſant un papier ou eſtoit eſcrit. Je croy

1. Que Dieu par ſa miſericorde ne voulant point qu'aucun periſſe, mais que tous hommes ſoient ſauvés & viennent à connoiſſance de verité, a arreſté en ſon Conſeil eternel & immuable, de ſauver; gratuitement en Jeſus Chriſt & par Jeſus Chriſt du genre humain tombé en peché; tous ceux qui par ſa grace croiront en lui & perſevere-

ront

ront en la foy: & au contraire de laiſſer en peché, & abandonner en ſon vice, voire condamner à jamais tous les impenitens & infideles.

2. Que Jeſus-Chriſt le fils eternel de Dieu eſt le Mediateur de cette Alliance de grace & de reconciliation, qu'il la nous a acquiſe & meritée par ſa mort, laquelle il a ſoufferte pour tous hommes, s'eſtant donné en rançon pour tous; Et neantmoins que nul n'y participe pour obtenir le ſalut, que les vrais croyans & fideles.

3. Que l'homme n'a point la foy, ni la repentance ſalutaire de ſoi meſme, ni par la force de ſon franc Arbitre, parce qu'en l'eſtat de peché & de condamnation il eſt mort en ſes fautes & offences, & ne peut penſer ni dire, ni faire, ni connoiſtre, ni vouloir les choſes à ſalut; mais il faut, qu'il ſoit renouvellé par la parole & l'eſprit de Dieu en ſon entendement, en ſa volonté & en ſes affections.

4. Que cette grace de Dieu eſt le commencement, progrez & accompliſſement de tout bien; & que Dieu la donne, ſelon qu'il connoiſt eſtre neceſſaire pour ſa gloire & le ſalut des hommes.

5. Que le Croyant eſt tenu de perſeverer en la foy & obeiſſance; que Dieu a promis grace ſuffiſante pour cet effet, & neantmoins deffendu la confiance charnelle, & menacé celui qui ſe deſtournera de la foy, de le rejetter; mais aſſeuré celui, qui ſera fidele juſques à la mort, de le maintenir contre tous ennemis, meſmes contre les portes d'enfer; tellement que le fidele, ne peut eſtre ſeparé de la dilection de Dieu. Car Dieu a eſleu & predeſtiné à ſalut, quiconque croira & perſeverera en la foy de ſon fils. Il adjouſta: Telle eſt ma creance, & m'offre à la maintenir par la parole de Dieu. Si toutesfois on me peut montrer que je ſoye en erreur, je promets de me rendre & ſubmettre à la Verité.

A cela le Prince reſpondit, que s'il vouloit faire ce qu'il promettoit, l'affaire ſeroit en bons termes, mais que ſoubs ces articles, il y avoit des ſubtilités cachées, & que les Arminiens avoyent bien autre creance. Le Miniſtre repliqua auſſi toſt, qu'il ne promettoit rien, qu'il ne fuſt bien reſolu de tenir, pourveu que l'on ſatisfit à ſa requeſte, & qu'il ne deſiroit rien plus que de connoître de jour en jour la verité & preſenta ſon papier où eſtoient eſcrits ſes Articles. On ne le voulut prendre. Il dit plus: Qu'il ne cachoit aucunes ſubtilités; qu'il n'ignoroit pas voirement, que pluſieurs queſtions ſe pourroient faire ſur ces Articles, mais ſachant bien auſſi qu'elles ſe pouvoient ignorer & obmettre ſans intereſt à ſalut, qu'il s'eſtoit contenté de preſcher ainſi. Quant à la creance des Arminiens, qu'en ce qui eſtoit accordant avec ſes Articles, il ne les pouvoit condamner, non plus que ſoi meſme. Que ſi on lui pouvoit montrer qu'ils tinſent quelque choſe contraire, il eſtoit preſt de le rejetter & condamner, comme toute autre doctrine repugnante à la pure parole de Dieu. Le Prince lui reprocha qu'il avoit prins conſeil, puis qu'il avoit recours à telle procedure. Mais il reſpondit, qu'il n'avoit point prins conſeil, avec la chair & le ſang, mais avec Dieu par prieres & oraiſons. Qu'il avoit voirement veu le Sieur Tilenus & lui avoit communiqué ſon deſſein, mais que cet avis n'eſtoit point venu de lui, & que meſmes il n'avoit point veu ces Articles. Sur ce on lui commanda de ſortir. Or ce qui fut dit entre eux n'a non plus eſté tenu ſecret que le reſte, c'eſt pourquoi je ne ferai point conſcience de le reciter auſſi, afin que le lecteur non paſſionné juge plus aiſément de toute la procedure. Le Prince donc prennant les advis s'addreſſa tout premier au Sr. Gantois, beau pere du Miniſtre de queſtion, & lui demanda s'il trouveroit bon, qu'un Miniſtre Arminien montaſt en chaire & fuſt ſouffert entre eux en l'exercice de ſa charge. Là le dit Sr. ſe trouva bien empeſché, comme tenant le loup par les oreilles. Car s'il euſt reſpondu qu'oui, il s'en alloit pour certain tenir compagnie à ſon gendre; Et de dire tout ouvertement que non, il ne pouvoit ſans quelque remords de conſcience. Le bon homme donc s'aviſe d'eſquiver, diſant qu'il croioit bien que ſon dit gendre eſtoit Arminien de creance, mais, puis qu'il avoit requis, que l'on prinſt cognoiſſance & entraſt en examen de ſes articles, qu'il euſt deſiré & trouvoit expedient de lui accorder ſa demande. Et interrogé quel fruit il en eſperoit? auroit reſpondu que pour le moins ſon dit gendre venant à eſtre convaincu par la conference d'erreur & de fauſſe doctrine, ſeroit rendu inexcuſable, & auroit la bouche fermée: Au lieu que s'il eſtoit jugé de cette ſorte, il penſeroit avoir ſujet de ſe juſtifier, & plaindre d'avoir eſté condamné, ſans avoir eſté oui en ſes raiſons; que pour ſa part il s'offroit à diſputer & ergotter le premier contre ſon gendre. Un autre encor de la trouppe opina ſur ceſte briſée, & parla avec moderation de l'accuſé, trouvant ſes articles fort tolerables & des moins Arminiens, eſtant d'avis que l'on accordaſt l'examen & la conference; mais fut rabroüé & rebutté rudement. Les autres plus fervents contre-Remonſtrans & grands Zelateurs des traditions du Synode, donnerent ſur la fripperie du pauvre Miniſtre à toute reſte. Mais le Prince après l'advis des Miniſtres (qui eſtoient ſix en tout en ce Synode)

de) laiſſa là les Anciens qui eſtoient environ dixhuit, bien esbahis la plus part de la concluſion que l'on prennoit contre le dit d'Or, & que l'on condamnoit cette doctrine par lui propoſée, laquelle ils tenoient eux meſmes; & ne leur demanda point leurs advis, mais ſe tourna vers les gens de ſon Conſeil pour prendre le leur. Ceux là repreſenterent qu'il n'eſtoit point expedient, ni que ce Miniſtre qui eſtoit tenu & deſcrié pour Arminien, fuſt plus toleré en l'exercice de ſa charge, ni que ſa demande lui fuſt accordée, qui eſtoit d'entrer en l'examen de ſa doctrine comprinſe en cinq articles par lui preſentés.

D'autant qu'en ce faiſant il ſembleroit que l'on vouluſt revoquer en doute la verité infaillible de l'arreſt & ſentence prononcée par le Synode de Dordrecht, & que par ainſi on offenceroit les Eſtats de Hollande & les Princes qui y avoyent envoyé leurs deputés & meſmes les Egliſes de France, leſquelles avoyent ſecondé la reſolution du dit Synode, par la publication du livre de Maiſtre Pierre du Moulin (ce grand Hercules des Gaules reformées, qui a ſi vaillamment combattu ces pauvres Arminiens & Remonſtrans ja abbatus & terracés par les Peres conſcripts du Synode.) Ils remonſtroient que l'Eſtat du Prince de Sedan eſtant neceſſairement attaché pour ſa conſervation à ces Eſtats & Egliſes, comme un eſquif à un grand Vaiſſeau, ne pouvoit ſouffrir aucune diviſion, ni par conſequent (ô admirable Logique politique!) aucune recherche, ni examen de doctrine pour s'informer ſi elle eſt vraie ou fauſſe, mais qu'il la falloit recevoir & embraſſer toute telle que le Synode l'avoit emologuée & enjointe. Conclut un qu'il valoit mieux que ce Miniſtre fuſt jetté hors, que de mettre l'eſtat en danger de naufrage, ce qui fut prononcé par le Prince au dit Miniſtre eſtant rappellé, à peu près en ces termes: que tant par l'ouie de ſes articles (ci deſſus repreſentés) que par le rapport de ſon beaupere le Sr. Gantois il recueilloit & concluoit qu'il eſtoit Arminien & tenoit la doctrine condamnée au Synode, & que la conſideration de la conſervation de ſon Eſtat l'obligeant à ſuivre la deciſion du dit Synode, il ne pouvoit entrer en cognoiſſance de ſa doctrine, ni le laiſſer plus long temps en ſa charge; que partant d'authorité de Magiſtrat il lui defendoit de plus preſcher au dit lieu, n'empeſchant pas au reſte qu'il allaſt aux Synodes, qui ſe pourroient tenir ailleurs, preſenter ſes articles, & là les faire examiner. A cela le Miniſtre reſpond, que puis qu'il lui eſtoit deffendu de plus preſcher au dit lieu, qu'il n'entreprendroit point au contraire, mais que nonobſtant il requeroit & ſupplioit au nom de Dieu, que l'on vouluſt prendre cognoiſſance de cauſe & s'enquerir de la verité. Ce que lui eſtant derechef refuſé, il proteſta devant eux tous, qu'il s'eſtoit acquitté de ſon devoir au milieu d'eux tant qu'il avoit peu, & que puis qu'ils rejettoient ſon Miniſtre, & lui denioient toutes voies equitables, ne voulans point connoiſtre de la verité de ſa doctrine, qu'il ne pouvoit ſi non remettre le tout à Dieu, qui connoiſtroit de ſa cauſe, quand il lui plaira & ainſi ſortit de devant eux. Et l'un des Miniſtres rendit graces à Dieu de ce qu'il avoit chaſſé les loups de ſa bergerie, le priant de continuer, & ainſi ſe departirent ces bons paſteurs & toute l'aſſemblée.

Le Prince ne laiſſoit d'eſtre encores porté de bonne affection vers ce Miniſtre & meſmes des le lendemain fit porter parole, par un homme de qualité, au beau-pere d'icelui qu'il le vouloit retenir à ſon ſervice & emploier en quelque autre vocation honeſte. Mais les Zelateurs ne le laiſſerent gueres en cette charitable reſolution, ains l'irriterent par pluſieurs artifices & rapports odieux contre ce pauvre homme ainſi debouté de ſa charge. On le charge donc notamment de trois crimes, &c.

1. D'avoir prevariqué & uſé de malice, entant qu'après avoir confeſſé au Prince en particulier, eſtre du ſentiment des Remonſtrans touchant les cinq points controverſés, lors qu'il eſtoit comparu devant le Conſeil & Synode, au lieu d'avouer ſimplement qu'il eſtoit Arminien, il s'eſtoit aviſé de bailler des articles tiſſus de paſſages de l'Eſcriture Sainte, pour cacher ſes opinions & decevoir les ſimples.

2. D'avoir menti au Prince & à l'aſſemblée, pour ce qu'il avoit proteſté devant le Prince n'avoir prins avis de perſonne & cependant qu'il auroit concerté les ſusdits articles avec le Sr. Tilenus, voire qu'icelui les lui auroit dictés.

3. De troubler l'Egliſe pource qu'il montroit ſes articles à ceux, qui l'alloient voir, & les convertiſſoit par ce moyen à l'Arminianiſme, d'autant que preſque tous ceux qui les voyoient proteſtoient que telle auſſi eſtoit leur creance. Sur ce le Prince entre en colere contre ce Miniſtre & teſmoigna ſon indignation au beaupere d'icelui, qui l'eſtoit allé voir, pour le remercier de ces belles promeſſes qui lui avoient eſté faites trois jours auparavant, proteſtant qu'il n'aſſiſteroit le dit Miniſtre ni de ſes moyens, ni de ſa faveur. Le Sr. Gantois en avertit ſon gendre, qui aiant le tout entendu le prie d'aller retrouver le Prince & le ſupplier de ſa part de lui vouloir donner audience, eſperant de lui donner contentement. Car quant à la premiere accuſation il proteſtoit n'avoir

uſé

uſé d'aucun artifice, ni desguiſement. D'autant que ſes Articles n'eſtoyent point differens de la doctrine des Arminiens compriſe en leurs cinq articles: qu'il les avoit conceus voirement en termes les plus generaulx & de l'Eſcriture, mais neantmoins propres & nullement ambigus, comme il euſt bien fait paroiſtre en la conference, ſi on y fuſt venu. Si en quelque article il n'avoit point exprimé la controverſe à leur gré, qu'il eſtimoit en avoir aſſés mis en avant pour deffendre ſa creance. Enfin qu'il avoit voulu bailler ces articles, afin que l'on ne ſe ſerviſt point de ſa confeſſion contre lui, au ſens, qu'ils ont accouſtumé, aſſavoir pour lui imputer ſous titre d'Arminien toutes les Calomnies & menſonges horribles & diabolics, que l'on eſcrit, & que l'on vomit contre ceux, que l'on appelle maintenant ainſi. Et c'eſt ce qui leur a fait ſi mal au cœur, que qualifians par tout ce Miniſtre Arminien, & faiſans croire au peuple, qu'un Arminien c'eſt une perſonne execrable tenant des opinions monſtrueuſes & impies, & de plus partiſan de l'Eſpagnol, traiſtre à ſa patrie; quand le peuple eſt venu à ſçavoir les dits articles, & reconnoiſtre que ce n'eſt point autre choſe, que ce que leur Miniſtre ſusdit leur avoit preſché par pluſieurs années, pluſieurs murmurent & portent avec regret de ſe voir privés de ſon Miniſtere, trouvans fort eſtrange que les autres veuillent contredire à une telle doctrine. Eſtimoient-ils ce Miniſtre ſi ſimple, ſi despourveu de cognoiſſance, & de conſcience, que d'aller declarer avoir la creance des Arminiens en la façon & maniere, comme le Synode ſelon ſa bonne foy la repreſente? C'eſtoit ſans doute ce qu'ils deſiroyent, afin de triompher de luy ſans contredit puis après, mais c'eſtoit conter ſans ſon hoſte.

Pour le ſecond, ce Miniſtre ſe defendoit ainſi de l'accuſation de menſonge. Qu'il avoit voirement veu le Sr. Tilenus, comme il l'avoit declaré en l'aſſemblée, qu'il lui avoit communiqué ſommairement le diſcours, qu'il s'eſtoit propoſé de faire lors qu'il ſeroit appellé au Synode pour ce que deſſus: Mais qu'il n'avoit point concerté avec lui les dits articles & moins receu de ſa dictature; qu'il les avoit couchés par eſcrit ſeulement un peu devant que d'aller au Synode, & encor à la haſte & à tout hazard, n'eſperant point qu'on lui deuſt donner beaucoup d'audience. En ſomme que le Sr. Tilenus avoit bien approuvé ſon deſſein, mais qu'il ne lui en avoit point donné l'advis, ni dicté les Articles. Par conſequent que ſa proteſtation avoit eſté veritable & non menſongere. Mais quand il euſt receu le tout de l'avis & conſeil du Sr. Tilenus, quel crime de ſe conſeiller à un ſien ami & de ſa Creance, ſur un affaire de telle importance; aſſavoir, comment on pourroit pour le mieux deffendre ſa cauſe, & maintenir la verité celeſte? En ceci certes ſe montre le meſme Eſprit qui a preſidé au Synode de Dordrecht, où on n'a voulu permettre aux Cités de ſe deffendre, qu'entant & comment il ſeroit trouvé bon par le Synode (c'eſt à dire par la partie adverſe; ceci ſoit dit par parentheſe.) Venons au troiſiéme grief.

A cela il reſpondoit n'avoir rien à reſpondre ſi non qu'il lui avoit eſté deffendu de preſcher, non de dire ou monſtrer ſa creance en particulier, en eſtant requis de ce faire, & qu'il avoit voirement montré ſes Articles, & euſt bien deſiré les faire voir & entendre à tous, & amener un chacun par ce moien à la cognoiſſance de la pure & ſimple verité. Qu'il croioit eſtre obligé par la vocation meſme generale de Chreſtien d'inſtruire ſon prochain, & notamment ceux qui le venoient trouver exprés pour s'eſclaircir: Que neantmoins il promettoit bien de s'abſtenir de diſputer contre perſonne, puis que l'on le lui defendoit avec menaces, & meſmes d'exhorter le ſimple peuple, qui s'addreſſeroit à lui de ne ſe point brouiller l'eſprit par l'embarras des diſputes, mais de ſe contenter de croire que Dieu les appelle en ſon Alliance de grace, à la communion du merite de la mort de Jeſus-Chriſt; qu'il requiert d'eux la foi & la repentance, & leur promet & offre grace pour cet effet; que c'eſt à eux à l'embraſſer, à y perſeverer, & teſmoigner leur foi par œuvres dignes de repentance & de charité ſans feintiſe, & qu'ainſi indubitablement ils parviendront à ſalut.

Voila les reſponſes données à ces plaintes, mais on ne ſçait ſi elles ont eſté fidelement rapportées au Prince, d'autant que le Miniſtre ſusdit n'a peu obtenir audience, & que l'on a continué de le calomnier de la plus horrible & furieuſe façon, qu'il eſt poſſible de s'imaginer. Car on lui attribue de croire & vouloir enſeigner: Que Dieu auroit predeſtiné la plus grand' part des hommes à damnation & que quelque bien que ceux là facent, qu'ils ne peuvent eſtre ſauvés: Qu'il n'auroit eſleu & predeſtiné à ſalut qu'un petit nombre, & que quelque mal, qu'ils commettent, ils ne peuvent eſtre damnés: Que l'homme eſt juſtifié par le merite de ſes œuvres, & que la mort & merite de Jeſus Chriſt ne nous ſert, ni profite de rien: Enfin que Dieu eſt autheur de peché; & en cette ſeduction & aveuglement volontaire y en a qui ſe ſont laiſſés transporter juſques là que de dire, vouloir eſtre condamnés à livrer les fagots pour bruſler

leur susdit Pasteur & Ministre. Qui plus est les Alliés de ce Ministre debouté, lui ont aussi jetté la pierre & par leurs calomnies & mesdisances tasché de le rendre encor plus odieux, & empescher ceux qui lui portoient bonne affection de l'assister en son extreme necessité. Mais toute la malice des envieux & haineux ne peut point empescher la benediction de Dieu, tellement que nonobstant tout cela le Prince, bien que pousse & incité d'ailleurs, il lui eust fait signifier qu'il se retirast de la ville, & deffendu au Magistrat de lui donner une attestation politique de sa bonne vie, n'ayant Dieu merci commis aucun acte reprehensible en justice, n'a laissé de lui donner une demie année de gages. Dequoi il a esteint une partie de ses dettes, qui est l'espargne, qu'il avoit peu faire au service de la ditte Eglise en l'espace de douze ans & demi, & ses amis l'ont aidé à se desgager du reste. Et Dieu qui la tiré de là parmi toutes ces espreuves ne l'abandonnera point, ni ses autres fideles serviteurs & Ministres, qui pour la mesme cause sont arrachés de leurs chers troupeaux & bannis de leur agreable Patrie.

Une chose est à remarquer, & qui doit consoler & resjouir les vrais fideles & enfans de Dieu zelés à l'avancement de la verité. Cest que tout ce que je vous viens de representer a servi à Sedan, à resveiller plusieurs de l'assoupissement de negligence & securité charnelle, ne prennans point garde ci devant à ce que leur enseignoient les Pasteurs; de sorte que depuis ces choses, ils reconnoissent la difference entre la pure doctrine & les traditions humaines, & n'oyans presque autre chose que des presches de debat, de questions, & ire, pleins d'invectives & calomnies atroces, ils regrettent de n'entendre plus les instructions paisibles & les remonstrances non moins serieuses, que modestes, du passé; & remarquants les contradictions que font les Zelateurs en un mesme presche (afin que je ne die rien de leurs absurdités, fausletés & blasphemes contre la Sainte Alliance de nostre bon Dieu & Pere, & le sacré merite de son fils Eternel, nostre Seigneur Jesus Christ glorieux) ils sont d'autant plus confirmés en la connoissance & creance de la simple & pure verité, & en la foi sincere & profession ingenue du Saint Evangile, lequel quoi que les ignorans & passionnés, voire le Diable mesme face, sera tousjours la Puissance de Dieu à salut à tout croyant, & l'odeur de bonne senteur de Christ, & de ses fideles Ministres à Dieu, en ceux qui sont sauvés.

Il ne sera pas hors de propos de noter encore pour la fin & conclusion de ce petit discours, de quel esprit peuvent estre poussés ceux, qui n'agueres prennoient pour pretexte d'assembler un Synode, le Zele de reformation & la repression des dances & ballets; voulans en effet condamner la verité de Dieu, & deposer un fidele Ministre de l'Evangile de grace. C'est que le Sr. Cappel mesme, qui presidoit au dit Synode, qui est Ministre, Professeur en Theologie, & Principal au College de Sedan (voyés quel zele & affection ce personnage pouvoit avoir à la reformation & repression de ces vices) lui mesme dis-je est quelques mois après devenu chef & conducteur de Jeux & Comedies, qu'il fait jouer par ses disciples en son College, & à son exemple la jeunesse de la ville s'en donne au cœur joye, & se rejette autant que jamais à toute insolence & dissolution, & notamment aux comedies, farces, satyres & autres bouffonneries indignes d'estre nommées entre les Chrestiens. Dieu vueille que le tout ne finisse point par une horrible & espouvantable tragedie de l'ire & juste jugement du Seigneur, qui est patient, ne voulant point qu'aucun perisse ains que tous viennent à repentance; mais duquel la patience enfin tourne en fureur contre ceux, qui detiennent sa verité en injustice, & qui voulans avoir l'apparence de pieté, ont renié en effet la force d'icelle.

XIII.

HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Vir Amplissime.

EN responsum meum ad defensionem Cameronis, & cum eo supplicem epistolam, ut si quid abs rebus tuis seriis ac gravibus otii tibi supereſt, istud legere non dedigneris. Fiducia benevolentiæ erga me tuæ facit, ut hoc rogare & sperare ab A. T. audeam, etsi prolixum & maculis ac lituris hic illic deforme sit. Crevit sub manu labor, & secundæ curæ, si non meliores, attamen auctiores ex nano pumilo ingentem librum fecerunt. Et hæc tot liturarum causſa fuit. Accessit chartæ vitium, quod scripturam non parum dehonestavit: ut secundò laborem describendi sumerem, non potui à me impetrare. Similitudo mater est fastidii, & nova scriptio novas curas, ut clavus clavum trudit, & quod vitium meum est, postremæ curæ semper fere mihi videntur meliores, præsertim in argumento, in quo limæ labor requiritur. Itaque à nova de-

Inter Epist. 436. & 437. De scripto suo contra Cameronem.

deſcriptione novas lituras metuebam. Amanuenſem ſi pecunia redimere ex animi mei ſententia potuiſſem, nitidum & bene terſum ſcriptum obtuliſſem A. T. Sed quia ejus potiundi ſpes nulla hic fuit, ſuſcipiendus mihi fuit deſcriptionis labor, qui hic illic infeliciter mihi ceſſit. Ignoſces ſpero pro tua æquitate, & malæ ſcriptionis tædium fruſtratæ intentionis cogitatione dilues. In reſpondendo ſecutus ſum rationem ſcribendi, quæ Cameroni placuit, & ubique veſtigia ejus preſſi: quæ cauſa fuit, ut non raro idem fuerit dicendum; ſed alia & alia ſemper occaſione, quæ novam aliquam lucem requirere videbatur. Nihil ſciens prudens prætermiſi in quo momenti aliquid eſſe credidi. Tuum eſt, Vir Ampliſſime, judicare, an rem acu tetigero & adverſario meo ac cauſſæ ſatisfeciſſe videri debeam. Quicquid judicaveris, id oraculi mihi inſtar erit: Scio enim te & veritati & mihi adeo impenſè favere, ut non ſis judicaturus, niſi ex vero. Ea magnitudo animi & te decet & nulli non cordato homini non debet non eſſe gratiſſima. Ab ea itaque exſpectabo liberrimam cenſuram & non aſteriſcos tantum ſed obelos & verua, quæ quanto erunt plura, tanto erunt mihi gratiora; ſcio enim non deeſſe multa obelis digna, & quæ præter te nemo videat accuratius, & judicet candidius: Unum tantum hic ex te quærere libet, quod nonnihil me angit. An exiſtimes in Symbolo Concilii Nicæni, cum dicitur: Eos, qui dicunt Filium Dei ex alia eſſentia vel ſubſtantia eſſe, aut creatum aut convertibilem, hos tales anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia: vocem, *convertibilem*, ſignificare, Filium Dei capacem virtutis & vitii; id enim in Sozomeno, Socrate & Theodoreto, Arrium aſſeruiſſe reperio; an aliud quid? Non poſſum mihi perſuadere vocem iſtam eo fine Symbolo additam eſſe, propterea quod inter ipſos Catholicos reperiantur, qui idem iſtud aſſeruerunt hodieque aſſerunt, quos tamen ea propter hujus Concilii authoritate premi nuſpiam obſervo. Sed ego hac de re judicium tuum cognoſcere aveo. Non enim libenter iſto argumento in ſpeciem gravi premerer: non quod ei magnum pondus ineſſe credam; ſed quod iſtis argumentis felicius hodie apud populum pugnetur, quam juſtis rationibus: Nemo tamen, quod ſciam, hoc argumentum unquam movit: Ego & D. Uytenbogardus, an id nobis opponi non poſſet aliquando, contulimus. Reſtant adhuc tria capita nondum deſcripta; Ea, ſi hæc non omnino diſplicuerint, ſubmittam: Hæc præmittere malui, ut fidem diligentiæ meæ facerem, & ſpem atque exſpectationem veſtram diutius non fruſtrarer. Novarum rerum hic nihil eſt: Magni hi apparatus belici quem ſucceſſum ſint habituri, dies docebit. Magna utrimque molimina audiuntur, & animi ex utraque parte obfirmati, ſeu certare manu, ſeu certæ occumbere morti. Naves, quæ hic arreſto detinebantur, heſterna iterum die ſolutæ ſunt. Eccleſiæ noſtræ vivunt, vigentque; neque tamen afflictiones ceſſant. Benedictus ſit Dominus Jeſus, qui eis adſpirat animum & vires. Profeſſores Theologiæ dicuntur ſub prælo habere Confeſſionis noſtræ examen: Id novæ ſcriptioni anſam dabit. Ita labor ex labore naſcitur: Nec erit finis, niſi cum Deo ſic videbitur, qui ſæpe in propinquo eſt, cum longe abeſſe videtur. Eum ſupplex rogo ut A. T. diu incolumem & melioribus temporibus reſervet, & interim benedictionibus omnibus ſuis magis magiſque cumulet multorum bono: Idem benefaciat dilectæ conjugi & familiæ tuæ. Salutant A. T. qui hic apud nos ſunt, & ut A. T. ſalutarem officioſiſſime petierunt à me obnixe per epiſtolas D. Niellius & D. Cupus, de tua ſalute non minus quam de propria ſua ſoliciti, & animis erecti atque infracti in carcere licet admodum ſtricto.

Mart. 19. 1625. Rhotomagi.

T. A. devotiſſimus

S. EPISCOPIUS.

XIV.

Ex Amœbeis

D. FRIDERICI SPANHEMII

&

D. JOHANNIS BERGII

Extractum.

QUod poſtremò monet Vir Clariſſimus, ſententiam Magnorum Virorum de abſoluto Reprobationis Decreto odioſè traducendam non eſſe: Equidem illos quantum poſſum excuſare ſoleo, & adverſus Lutheranos quidem & Pontificios eò facilius, quia utrique magiſtros habent in eodem luto hærentes: ſed tamen ſententiam ipſam conſtanter atque ingenuè rejiciendam cenſeo, quia fons eſt multorum in toto Theologiæ corpore dogmatum, quæ & veritati & pietati & paci Eccleſiaſticæ ſunt adverſiſſima. A quibus tamen Clariſſimus Dominus Spanhemius non alienus eſſe, adeoque Supralapſariis potius quam Synodo Dordracenæ accedere videtur, cùm & ipſam peccati occo-

oeconomiam, ut vocat, & ejus traductionem atque imputationem, adeoque Pharaonis & Judæ, & omnium similium peccata & exitium ad absolutam Dei voluntatem haud obscurè referat supra num. 97. primam etiam Gratiæ promissionem ad solum illud Adæ semen, quod à serpentis semine jam ab ipso utriusque ortu eadem voluntate distinctum, & in quo solo serpentis caput protritum & elisum sit, referre videatur, ut ita posteritatis Adami pars maxima, imò & ipsum primum mulieris semen, ut Cain, non propria demum impietate & impœnitentia serpentis semen fieri, sed ab ipso ortu ex Adamo merum serpentis semen nasci semperque manere dicatur, ad quod promissio illa de Semine mulieris serpentis caput contrituro nullatenus referenda sit. Quod dogma non à Supralapsariis modo, sed ab ipso Manichæorum dogmate, quàm haud longè absit, si res postulet, ostendi posse arbitror; eoque ingenuè fateor, nondum videre me quomodo vel hoc, vel cætera, quæ ex absoluta illa, ut quidem à nonnullis rigidioribus explicatur, Reprobatione pullulant dogmata, à gravi ac forte etiam aliquatenus fundamentali errore adversus Lutheranos pertinaciores ego possim defendere. Veruntamen id me solatur primò, quod non communis hæc Ecclesiarum Reformatarum, sed peculiaris tantùm quorundam in iis docentium sententia est: Deinde, quod & illi ipsi non ita pertinaciter eidem inhærent, quin dissentientes fraternè ferant, ut qui ab illa quoscunque damnandi aut anathematizandi libidine, quæ Lutheranos plerosque transversos agit, absunt longissimè. Quam animi moderationem inprimis in Clarissimo illo atque Doctissimo, cui hæc reponenda fuerunt, Theologo ita exosculor, ut eam plus inter nos valituram sperem, ad benevolentiam mutuam atque amicitiam firmandam, quàm hoc qualecunque opinionum divortium ad offensionem ullam aut simultatem excitandam. Ipsum imò, si quando hæc ad manus ejus perveniant, peramanter rogatum volo non alio ista animo, quam quo à me scripta sunt, id est, placido, sincero, ingenuo soliusque veritatis & mutuæ ædificationis cupido suscipiat: si quod fortè acrius paulo aut asperius verbum, rei, de qua agimus, gravitas expresserit, benignè interpretetur aut fraternè ignoscat: Vicissim, si cubi à vero aberrasse me putet, liberrimè moneat, sibique persuasissimum habeat, multijugam ipsius eruditionem cum eximia pietate conjunctam me ex animo venerari, & quovis amoris ac honoris cultu semper prosecuturum, nec non sinceriſſimis ad Deum votis, ut & ipsum ac Reverendos ejus Collegas, ceu veritatis ac pacis Ecclesiasticæ mystagogos fidelissimos, Ecclesiæ bono diutissimè servet ac sospitet.

XV.

Magnifici, Amplissimi, Prudentissimi & Spectatissimi

CONSULES & SENATORES

Inclytæ reipublicæ Bremensis,

Domini & viri in Christo honoratissimi,

VErissimè ab ore veritatis, imò ab ipsa veritate Domino nostro Jesu Christo dictum, Regnum cœlorum esse simile homini seminanti bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus inimicum ejus veniſſe, & seminasse zizania inter triticum. Hoc si unquam verum fuit, certissimè hisce ultimis & exulceratissimis temporibus maximè impletum fuit, quando nobis dormientibus præ nimia securitate & prosperitate, Satan inimicus ille homo per instrumenta sua, hæreticos & profanos homines zizania variarum falsarum & pravarum doctrinarum inter triticum sanæ & orthodoxæ fidei & religionis seminavit. Sensit hoc malum & calamitatem hanc expertum est ante aliquot annos florentissimum nostrum Belgium, in quod tanquam in ovile Domini nostri Jesu Christi ingressi sunt lupi rapaces, qui loquuti sunt perversa, non parcentes sed arcentes gregem Dei à vero suo pastore animarum, non pascentes, sed depascentes oves, quæ curæ ipsorum commissæ fuerant, qui subintroduxerunt hæreses exitiales, homines φίλαυτοι, glorioſi, superbi, maledici, ingrati, impii, charitatis expertes &c. qui quidem externam aliquam pietatis μόρφωσιν habebant & prætendebant, vim tamen ejus internam abnegabant, sanam doctrinam non tolerantes, sed auribus prurientes ipsi sibi coacervabant doctores: Et primum quidem circa spinosas quæstiones & verborum certamina, postea circum doctrinas exitiales insaniebant. Ex quibus tanquam ex equo quodam Trojano invidia, lis, maledicentia, suspiciones malæ, &, quod maximè deplorandum fuit, atrociſſima & miserrima tam in foro, ut dicitur, quam in choro, ne dicamus pejus, schismata provenerunt. Adeo ut cum D. Bernardo exclamare coacti fuerimus, Ecclesiam nostram (cùm esset adhuc tempore majorum nostrorum sub intolerabili illo Hispanico jugo) fuisse amaram in nece martyrum, sed postea in conflictu hæreticorum multò amariorem. Ab hoc malo paululum respiravimus, summâ Dei optimi maximi commiseratione,

Inter epist. 561. & 563.

ne, prudentia & auctoritate Illuſtriſſimorum, Potentiſſimorumque Ordinum noſtrorum, zeloque invictiſſimi & fortiſſimi Mauritii &c. (heu quondam noſtri!) promoventibus; adeo ut Eccleſiæ noſtræ priſtino nitori reſtitutæ ſint, & adhuc (quæ eſt ſumma & profunda Dei miſericordia) ſub umbra ſuorum Magiſtratuum halcyonia ſua ſentiant.

Ad illam perniciosiſſimam flammam, quam incendiarii noſtri Arminiani & alii maleferiati homines excitarant, extinguendam, vicinæ Reformatæ Reſpublicæ & Eccleſiæ, ex magna Britannia, Germania, Helvetia & Gallia (inter quos veſtra non minima fuit) ὁμόψυχοι καὶ ὁμόζηλοι advolarunt. Quod quidem non ſine magno, imò maximo fructu & magno emolumento, tam in veritate religionis noſtræ avitæ & priſtinæ conſervanda, quam in fraterna paco Eccleſiæ Dei reſtituenda, peractum fuit, cum ſub alis Illuſtriſſim. & Potentiſſim. Ordinum Generalium Synodus illa celeberrima nationalis in urbe primaria Dordracena celebraretur, ad quam non tantùm ſingulæ noſtræ provinciales Synodi ſuos deputatos, ſed etiam inter alios veſtri ſuos miſerunt.

Succeſſit ſatis feliciter totum illud negotium: veritas aliquo modo preſſa & ſuppreſſa caput ſuum rurſum extulit, falſa & hæretica turbonum noſtrorum dogmata ex verbo Dei à Venerandis Synodi illius Patribus condemnata ſunt, venenum illud Arminianum rejectum, pernicioſus ille & omnia devorans inteſtinorum diſſidiorum ignis paſſim extinctus eſt, & per Dei gratiam magis ac magis in Eccleſiis noſtris Belgicis extinguitur. Sed, proh dolor! ita accidit, ut extincto noſtro domeſtico incendio, ſcintillæ & cineres illius ad vicinas noſtras Eccleſias pervenerint & avolârint. Teſtis eſt florentiſſima illa Eccleſia Britannica, ad quam peſtis illa Arminiana pervaſit: quæ etiam ita eâ infecta fuit, ut penitus interfecta fuiſſet, niſi Deus Opt. maximus tanquam ἀπὸ μηχανῆς, ut dicitur, per nuperum illud, ut vocant, Parlamentum inferioris & ſuperioris Domus regni Anglicani, huic malo obviam iviſſet. Teſtis videtur eſſe, quod cum maximo dolore & triſtitia animorum noſtrorum nobis commemoratum fuit, veſtra inclyta ſchola & Eccleſiâ, in qua non tantùm Arminianum illud virus quaſi ex orco revocari, ſed etiam multa impia, blaſphema & perniciosiſſima Socinianorum & aliorum heterodoxorum dogmata ſpargi dicuntur, quæ referentes horreſcimus, videlicet,

1. Quod parum aut nihil homini Chriſtiano laborandum ſit, ut perveniat ad cognitionem perſonæ & utriuſque naturæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantummodo ut ipſius beneficii & officii particeps fieri poſſit. Quid hoc aliud eſt quam rurſus Arianiſmum & Anabaptiſmum invehere, vel ſaltem ad eum viam ſternere?

2. Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non eſſe in divina eſſentia tres diſtinctas perſonas & ὑποστάσεις, ſed tantùm diſtincta nomina, juxta diſtinctionem operationum illorum. En novum Sabellianiſmum!

3. Non ſciri poſſe, Chriſtum ita in cœlos aſcendiſſe, ut ſimul non ſit (juxta humanam ſuam naturam ſcilicet) in multis vel omnibus locis præſens, &c. Quid hoc aliud eſt, quàm prodigioſa illa Ubiquitariorum & Neſtorianorum dogmata confirmare?

4. Dubitari inter quoſdam de vera Deitate Filii & Spiritus Sancti. Annon hoc eſt plenis paſſibus ad Samotenianiſmum & Photinianiſmum accedere?

6. Quoſdam docere & urgere Chriſtum pro peccatis noſtris non ſatisfeciſſe. Quid aliud infauſta & blaſphema Socinianorum hæreſis facit?

7. Gratiam Dei ſalvificam omnibus & ſingulis hominibus offerri. Quid aliter veteres & novi Pelagiani faciunt?

7. Peccatum originale propriè peccatum non eſſe, nec quenquam propterea condemnari, niſi noſtra ipſa actualia peccata hoc faciant & cum eo concurrant. Quid aliud Arminius ipſiuſque aſeclæ ex veteri Pelagianorum & aliorum hæreticorum cloaca hauſerunt?

8. Omnes homines per Jeſum Chriſtum juſtificari, & per ipſum gratiam & jus ad vitam æternam accepiſſe. Quid aliter veteres & noſtri moderni hæretici docent?

9. Unumquemque in ſua religione ſalvari, vel ſalvum fieri poſſe: Annon omnes Neutraliſtæ & Libertini idem ſentiunt?

10. Quoſdam ipſam reſurrectionem carnis noſtræ in dubium vocare. Quid aliter olim Sadducæi, Epicurei, & hodie omnes Athei, Libertini & alii ſentiunt?

O monſtra & portenta dogmatum! O blaſphemas & execrandas hæreſes! O colluviem omnium hæreſium, quotquot à nato Chriſto Eccleſiam ipſius vexarunt & infeſtarunt! Quid hoc aliud eſt quam totum Chriſtianiſmum in dubium vocare? quam tota fundamenta religionis noſtræ Chriſtianæ labefactare, ſubvertere, & paulatim funditus extirpare?

Equidem Magnifici & Ampliſſimi viri, hæc eo à nobis animo non proferuntur, ac ſi crederemus veſtras Amplitudines illorum portentoſorum dogmatum fautores, multò minus promotores, ſed potius oſores & deteſtatores eſſe: Vel quod credamus omnes inter vos Paſtores & Profeſſores ejus mali & veneni participes eſſe. Charitas noſtra aliter

jubet, Spes noſtra aliter ſperat, Fides & fama de vobis & illis aliter perſuadet: Nec etiam quod ex πολυπραγμοσύνη & malevolentia aliqua falcem noſtram in alienam meſſem immittere velimus. Sed cauſæ, quæ nos ad hoc ſcribendum impulerunt, hæ præcipuè fuerunt.

1. Summus zelus pro Domini & Salvatoris noſtri unici gloria, quæ portentoſis & blaſphemis illis hæreſibus, ut nobis relatum eſt, obſcurari & peſſumdari cogitur. 2. Fervens noſter pro reformatæ noſtræ religionis veritate amor, qui nobis ad hoc ſcribendum calcar addidit. 3. Communio & unio illa arctiſſima, quæ hucuſque inter noſtram & veſtram Rempublicam, inter noſtram & veſtram Eccleſiam, inviolata floruit & manſit. 4. Pericula illa magna, quæ vobis & nobis, ac omnibus vicinis veſtris Eccleſiis, inde rurſus imminere videntur. Vidiſtis & audiviſtis quantam cladem periculoſiſſimæ illæ diſputationes & damnoſiſſimæ opiniones, Reipublicæ & Eccleſiis noſtris Belgicis attulerint, quantum vulnus inflixerint, quod nondum penitus ſanatum & conſolidatum eſt, quot ſectæ & hæreſes inde propullularint, quam miſerè, non dicimus veſtimenta, ſed ipſum corpus Chriſti ſciſſum & laceratum fuerit. Felix quem faciunt aliena pericula cautum! Venienti ergo occurrite morbo. Ex parva ſcintilla hujus vel illius periculoſæ opinionis, magna flamma multarum & variarum hæreſium oriri poteſt. Cogitate omnes falſas & hæreticas doctrinas ab Apoſtolo cum morbo illo periculoſiſſimo & tandem lethifero, gangræna comparari, quæ quidem primò inviſibilis & inſenſibilis in hac vel illa corporis parte latet, ſed paulatim per nobiliora membra & viſcera prorepit, & inſtar contagioſæ peſtis ipſum cor inficit, ac tandem, fruſtra omnibus renitentibus remediis, interficit.

Vos utique Magnifici & Ampliſſimi Viri inter omnes alios Chriſtianos & pios Magiſtratus, veri Eccleſiæ Dei nutritii eſtis. Procurate igitur ne lac illud λογικὸν & ἄδολον veneno illarum & aliarum hæreſium intoxicetur. Vos eſtis ποιμένες & paſtores populi veſtri: arcete igitur à vobis omnes illos lupos rapaces, qui, ut Bernardus rurſus dicit, oves quidem habitu videntur, ſed aſtu vulpes, & actu lupi ſunt. Vos vocamini cuſtodes utriuſque tabulæ divinæ: facite igitur ut illæ duæ tabulæ, præcipuè prima, à vobis ſalvæ & illæſæ conſerventur. Vos utique Vaſalli & miniſtri Dei illius altiſſimi, imò propter ipſum & nomine ipſius terreſtres quaſi Dii appellamini. Conſervate igitur, defendite & tuemini honorem & gloriam illius, qui vos in ſolio & dignitate ſua, tanquam Vicarios & vice-reges terreſtres conſtituit, & qui ſolus ſupra omnes, vos & alios Magiſtratus, Rex regum & Dominus dominantium eſt. Breviter, colite Jehovam cum reverentia &c. & oſculamini Filium illius unigenitum. Oſculamini illum oſculo amoris, honoris & obedientiæ veſtræ. Oſculamini ipſum in ipſius divina, tanquam verum & coæternum cum Deo Patre & Spiritu Sancto Deum; in ipſius humana natura, tanquam verum & nobis in omnibus ſimilem, excepto peccato, factum hominem. Oſculamini illum ut ſummum & unicum veſtrum Prophetam, Pontificem & Regem. Oſculamini ipſum in pretioſiſſima ipſius paſſione, morte, reſurrectione ac ſatisfactione pro omnibus & ſolis noſtris, omniumque verè fidelium peccatis, & ſic vobis non iraſcetur, neque unquam in via veſtra peribitis; ſed cum omnibus illis, qui ſe ad eum recipiunt, beati eritis. Beata erit veſtra Reſpublica, beata erit veſtra Eccleſia, beati erunt veſtri cives & inquilini, beati & benedicti eritis in civitate, beati & benedicti eritis ruri. Pax æterna, interna & externa nunquam à vobis recedet, quamdiu hunc æternum Principem pacis habituri eſtis.

Ita vovemus, ita optamus,

Veſtra Magnific. & Amplitud.
in Chriſto addictiſſimi &
obſervantiſſimi,

Synodus Hollandiæ Borealis, juſſu Præpotentum Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Hornæ congregata, & ipſius nomine &c.

Dabamus Hornæ in Hollandia Boreali, 23. Auguſti 1641.

XVI.

EX ACTIS ECCLESIASTICIS SYNEDRII ULTRAJECTENSIS.

MEmbra Eccleſiæ Ultrajectenſis Remonſtrantium, quæ ſe ad communionem Reformatorum & publicam Eccleſiam conferre cupiunt, profitebuntur. Inter epiſt. 594. & 595. verſ. ex Belgico.

Chriſtianam Reformatam religionem in Catechiſmo, cum adjunctis precibus, formulis, nec non Confeſſione, quatenus hæc ſunt eis nota, expreſſam ac in publicâ Eccleſiâ hîc receptam, eſſe veram Religionem, in cujus communione certum ſolatium haurire, & quiſque ſalutem ſuam operari cum timore ac tremore poteſt.

Unà

Unà etiam nobiſcum repudiabunt errores Pontificiorum, Mennonitarum, Socinianorum, & hujus ſeculi ſive apertorum, ſive tectorum Arrianorum, ſi forte aliquam cognitionem ejusmodi errorum habeant.

Et quoniam his in regionibus multæ diſputationes ac controverſiæ ſunt exortæ, de doctrina quinque articulorum, declarabunt ſe his ſimplicibus ac neceſſariis fundamentis ſolidi ſolatii, tam in vitâ quam in morte, & efficaciæ veræ pietatis (quamvis aliqua ipſis reſtet in his diſputationibus ignorantia, aut dubitatio) aſſenſum præbere, eaque amplecti.

Primò, abſolutum Dei beneplacitum, & impromeritam gratiam unicam eſſe cauſam, cur Mediator Jeſus Chriſtus nobis perditis ac peccato contaminatis hominibus eſt donatus, nos præ multis aliis luce Evangelii gaudemus, & virtute Spiritus S. ad cognitionem, fidem ac communionem Chriſti adducti ſumus: cujus beneficii non nobis ipſis, ſed ſoli Deo miſericordi tribuendus eſt honor, cui dignas gratias nunquam rependere valemus.

Secundò, neminem ſalutis compotem fieri, niſi perfectâ ſatisfactione ac meritis Domini noſtri ac fidelis Servatoris Jeſu Chriſti, qui, velut præs ac ſponſor noſter, peccata noſtra in ſe ſuſcepit; neminique merita Chriſti uſui eſſe poſſe, niſi ex animo pœnitentiam agenti, & fide vividâ Chriſtum admittenti.

Tertiò, hominem propter corruptelam ſibi adhærentem ex ſe, aut per ſe, ſine peculiari auxilio ac efficaciter operante gratia Spiritus S. ad ſalutem ac verùm & ſpirituale bonum in Chriſto rectè & ex animo quærenda, ac multò minùs ad ea invenienda, animo agitanda ac operanda ineptum eſſe.

Quartò, peculiarem internam gratiam Dei, & efficacem operationem Spiritus S. unicam eſſe cauſam, quâ ad veram pœnitentiam, ſalutarem cognitionem, ac ſpiritualem cum Chriſto communionem aſſurgimus, & ſic ex communi illo ac corrupto hujus mundi grege efficaciter, ac placidè protrahimur, ab eoque ſegregamur.

Quintò, Chriſtum oves, quas ſanguine ſuo redemit, & Spiritu Sancto in vera fide tanquam membra ſua ſibi adjunxit, ad finem uſque amore proſequi, ac firmis promiſſis fidem facere, illas ſe nunquam derelicturum, nec quemquàm eaſdem ex ſua manu erepturum, ſed gratiâ ac præſidio ſuo, non obſtante earum infirmitate, fideliter in fide & per fidem conſervaturum, in parta redemtione, ut regni ejus æterni reverâ compotes fiant, & ſic in eum ſubmiſſo ac grato animo fiduciam collocantes, firmum ac conſtans ſolatium tam in vitâ, quam in morte capere, & teſtimonio Spiritus S. ſuæ ſalutis adeo certi eſſe poſſint, ut nulla cauſa ſit, cur more Pontificio hæſitent, quònam morientes migraturi ſint.

Declaratione hac peracta, juxta normam Eccleſiæ tanquam membra admiſſi, fraternâ charitate ac benevolentiâ excipientur. Si tamen quidam ex illis in uno aut altero articulo controverſiarum de quinque articulis nondum ad perfectam cognitionem pervenerit, nec iis acquieſcat, hic modeſte ac quiete ſe geret, ac præbebit docilem, adnitens per gratiam divinam ad conſummatam notitiam & unitatem cum Eccleſiâ proficere; ſe porro in cunctis communi Eccleſiæ ordini, una cum omnibus membris noſtris, ſubmittens.

Quod ad præſentes Remonſtrantium concionatores, qui hic degunt, pertinet; ipſis, ſi viſum fuerit memoratam declarationem habere ratam, una cum membris ſuis ad communionem Eccleſiæ noſtræ patebit aditus, modo ab Eccleſiaſticis officiis abſtineant, ſive in hac, ſive in aliis Remonſtrantium Eccleſiis, eâ quidem conditione, ut ſi inſtrumento vacationis ab omni munere eccleſiaſtico anno clɔ Iɔ c xix. ab Ordinibus præſcripto, ſubſcribant, omnes nos daturi ſimus operam, quâ ipſis honeſtum ſubſidium ab Ordinibus impetremus. Si forte ambo, aut unus ex iis, ab animo impetrare non poſſit, ut hanc profeſſionem edat, parati tamen ſumus, ſi fidem faciant, ſe memorato inſtrumento ſubſcripturos, apud Ordines intercedere, ut dicti ſtipendii fiant compotes. Hoc dum fruentur, ſuppetet tempus ac otium cum Deo ac verbo ejus conſilium ineundi, an ſe idoneos præſtare poſſint, ut tanquam membra, & porro ad miniſterium Reformatarum Eccleſiarum admittantur.

Actum Ultrajecti 23. Decemb. clɔ Iɔ c LIII.

Infra ſcriptum

Nomine & ſpeciali mandato Synedrii Ultrajectenſis,

& ſubſignatum.

JOANNES BREYER
Eccleſ. Ultraj. & Synedrii p. t. Scriba.

XVII.

EX ACTIS

Eccleſiaſticis Synedrii Remonſtrantium Reformatorum Ultrajecti.

Verſ. ex Belgico.

QUamvis excerptum ex actis Eccleſiaſticis Synedrii Ultrajectenſis 23. Decemb. clɔ Iɔ c LIII. ſubſignatum nomine & ſpeciali mandato Synedrii Ultrajectenſis, à Joanne Breyero, Eccleſ. Ultraj. & Synedrii p. t. Scriba, non videatur inſtitutum ad pacem & unionem inter Contraremonſtrantes ac Remonſtrantes ineundam, ſed tantum ut membra hujus Remonſtrantium Eccleſiæ, quæ ad communionem publicæ Reformatæ Religionis inclinant, excluſis Concionatoribus ut Concionatoribus, recipiantur; & idcirco Synedrio Remonſtrantium juſta ſuboriatur ſuſpicio, an ex uſu ſuo ſit ad hoc reſponſum dare: Nihilominus cum multi ex publicâ Eccleſiâ honeſti ac fide digni homines teſtentur, ſuæ Eccleſiæ Synedrium id ſpectaſſe, ut aliquod à nobis reſponſum ferret, nobis viſum, ut omnibus innoteſcat, nos ex animo ad ſinceram pacem adſpirare, hiſce reſpondere: Nos prædictum apographum, uti ſe habet, ob diverſas rationes, & hanc præcipue, probare non poſſe; quod ejuſmodi unionem cum publicâ Eccleſiâ contrahentes, noſtros paſtores revera deſereremus, &, qui nobis fideliter inſervierunt, condemnaremus, eâdem operâ cauſam noſtram condemnantes. Quocirca amicè rogamus, ut publicæ Eccleſiæ Synedrium benevolam & pacificam animi intentionem pleniùs exprimere non gravetur, ac declaret ſe paratum in quinque ſic dictis articulis, prout in Confeſſione, Catechiſmo, ac formulis noſtris exſtant, ac latius extenſi ſunt, non tantum nobiſcum ut membris, ſed etiam cum Concionatoribus noſtris ut Concionatoribus, tolerantiam mutuam colere: quæ, noſtro quidem calculo, optima ac unica ratio, quâ deplorabile ſchiſma coaleſcere, & in integrum poſſit reſtitui diu exoptata pax, quæ ab omnibus ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſit conſervari; profitentes velut coram oculis Dei, nos eſſe paratos tam corpore, quam animo, ad conferendum, quicquid ad promovendam Chriſtianam tolerantiam ac firmam pacem Eccleſiæ poſſit conducere. In hunc finem nos Remonſtrantes parati ſumus per Deputatos ab utrâque parte congreſſum ac colloquium amicum inſtituere, ut tentemus quo pacto mutua tolerantia placidè, piè ac commodè introduci ac foveri poſſit, ſive in una câdemque, ſive in diverſis Eccleſiis, celebrantes tamen unam ſacram cœnam, ad publicam declarationem unitatis, in articulis ad ſalutem neceſſariis.

Actum Ultraj. decimo Februarii clɔ Iɔ c LIV.

Subſcriptum

Nomine & mandato Synedrii Reformatorum Remonſtrantium Ultrajectinorum.

Signatum

JOANNES MONACHIUS
Miniſter Eccleſiæ Remonſtrantium p. t. Scriba.

XVIII.

EX ACTIS SYNEDRII ULTRAJECTENSIS.

Verſ. ex Belgico.

QUoniam à quibuſdam membris conventus noſtri petierunt nonnulli ſcriptam declarationem de admiſſione Remonſtrantium in hac urbe, ad communionem hujus Eccleſiæ, ſi forte quidam adduci poſſent, aut ſponte cogitarent ad nos tranſire; & re in conſeſſu noſtro expenſâ, decretum factum XXIII. Decemb. anno clɔ Iɔ CLIII, ejuſque apographum editum eſt: & quoniam quibuſdam membris hujus conventus ſcriptum quoddam exhibitum eſt, datum x. Februar. clɔ Iɔ CLIV, cum hac ſubſcriptione: *nomine & mandato Synedrii Reformati Remonſtrantium Ultrajectinorum, Joannes Monachius, Miniſter Eccleſiæ inter Remonſtrantes* p. t. Scriba. Scripto illo lecto ſtatutum eſt, ut illud, quippe, quod minimè à nobis admitti poſſit, reſtituatur, teſtamurque, nos declarationem XXIII. Decemb. clɔ Iɔ CLIII. editam, adhuc ratam habere, nec detrectare ſive per integrum collegium, ſive per delegatos, ſive per Concionatores, ac Seniores ſingulorum vicorum, cum unoquoque Remonſtrantium, ſive Concionatore, ſive membro, aut cuicumque viſum fuerit, de hiſce rebus ſermones conferre, apertiorem declarationem, rationes præteritæ declarationis dare, ac animis eorum, Deo opitulante, plenè ſatisfacere. Quod vero pertinet ad rem x Februar. clɔ Iɔ CLIV. propoſitam, *de tollendo Schiſmate per mutuam tolerantiam in quinque articulis*, prout in *Catechiſmo & Confeſſione Remonſtrantium explicantur*; Reſpondemus, id procul aberrare à ſcopo & intentione noſtræ declarationis, quemadmodum in ſcripto illo x Februar.

ſatis

Digitized by Google

satis agnoscitur. Illud etiam prorsus inutile & incommodum esse iis, qui per gratiam divinam se sentient commotos, ad religionem suam in communione Ecclesiæ nostræ tranquillâ conscientiâ exercendam, effectum hujus tolerantiæ, aut cum Societate Remonstrantium colloquium ullum generale exspectare. Præterquam quod sit res judicata non tantum apud omnes Reformatos, sed etiam Lutheranos ac Pontificios (qui nihilominus in quibusdam dogmatibus quinque articulorum cum Remonstrantibus consentiunt) nullam Christianam tolerantiam in Remonstrantium quinque articulis, & iis, quæ in illorum Confessione ac Catechismo continentur, observari posse, quod in plurimis publicis libris, ac Synodalibus decretis satis superque demonstratum est. Si, hisce non obstantibus, quibusdam scrupulus fortè hæret, nos promptos & paratos illos rectius instruere, ac animis eorum satisfacere profitemur.

Subscriptum.

Actum in Conventu Ecclesiastico Ultrajecti xxi Februar. cIↃ IↃ CLIV.

Signatum.

Abrahamus à Velde Synedrii p. t. Scriba.

XIX.

EPISTOLA AD SYNEDRIUM ULTRAJECTENSE.

Venerandi, Pii, Doctissimi Viri.

Vers. ex Belgico. ALiquamdiu hæsimus incerti, quid nobis consultius foret, aut *ad Apographum ex actis Synedrii vestri* xxi Februar. cIↃ IↃ CLIV. habiti, aliquid responsi dare, aut planè silere; quia à vobis in Synedrio vestro non tantum decretum est, æquum ac Christianum excerptum nostrum, x Febr. cIↃ IↃ CLIV. traditum (quod continet *mutuæ tolerantiæ* propositionem, offertque per delegatos vobiscum agere de ordine ac modo, quo ea observari ac coli possit) quippe quod à vobis admitti non posset, fastidiosè *restituere*; Sed etiam quod vobis perstat sententia, *à declaratione vestra*, edita xxiii. Decemb. cIↃ IↃ CLIII, *non discedere*: Sic omnem spem pacis ac Christianæ communionis tantum non resecantes; quoniam ista declaratio, uti se habet, res in se complectitur, quas nec Remonstrantium membra, nec Pastores bonâ conscientiâ possint comprobare.

Verum postquam vidimus à *Joanne Waasbergio* impressum ac venum expositum esse libellum, cui Titulus: *Christiana & fraterna Pax Remonstrantibus oblata*, &c. necessarium duximus non ulterius tacere, & hoc responsum ad vos mittere.

Primò, vobis indicamus scriptum, quod typographus ad calcem libri posuit, tanquam responsum ad vestrum Apographum, datum xxi Februar. cIↃ IↃ. CLIV, idque Remonstrantium nomine conceptum, revera tale non esse. Adhæc editionem illam tam in illo, quam in nostro Apographo, x Februar. cIↃ IↃ CLIV. multis crassis vitiis scatere, quæ amborum scriptorum multis in locis non solum obscurant sensum, sed penitus invertunt.

Quod attinet ad Apographum vestrum, xxi Februar. cIↃ IↃ CLIV, *traditum*, perspectus ex eo nobis fuit animus vester aversissimus à pacifico nostro responso; in quo quidem non erubescitis profiteri, illud benevolum responsum, *quasi à vobis admitti nequeat*, nobis restituendum; quod summa cum nostra admiratione & mœrore, etiam revera (nostro quidem judicio) nimio cum contemtu, & sine ratione factum est.

Ad vestra verba, quibus declaratis, *vos paratos cum integro Collegio, sive alio quocunque modo cum nostris sermones conferre, ut apertiorem explicationem, & rationes vestræ declarationis dare, adhæc animis nostrorum plenam satisfactionem detis*, respondemus, nos vicissim idem offerre facere, cum Dei auxilio, omnibus ex vestris, qui id à nobis expetent.

Ratio in eodem scripto adducta, exigui ponderis nobis videtur. Nam ad id, quod dicitis, *inutile esse iis, qui ad publicam Ecclesiam se adjungere velint, ejusmodi tolerantiæ effectus exspectare*, respondemus: exspectationem in re magni momenti (qualis est redintegratio pacis, inter duas separatas Ecclesias, sine læsione ullius conscientiæ) omni modo æquam esse & probandam. Adhæc nemini ex nostris animo tam præpropero ac præcipiti novimus, qui animum inducat ob vestram, xxi Decemb. cIↃ IↃ CLIII, oblationem, se ad publicam Ecclesiam conferre, ut apud vos tranquillâ mente religionem colat, antequam in docendo utrimque mutua tolerantia introducatur, & expedita ad eam muniatur via.

Quod tandem asseritis, *rem esse judicatam, non tantum apud Reformatos &c.* est nostro quidem judicio anceps & æquivocum. Si intelligitis, *hic rem esse judicatam inter Reformatos &c.* de Articulis ipsis sententiæ nostræ,

an veri & S. Scripturæ convenientes sint nec ne, fatemur in Synodo Dordracena anni clɔ Iɔ cxviii, & clɔ Iɔ cxix, rem eam esse judicatam, sed modo indecenti, quoniam in nostrâ doctrinâ, doctrina omnium Patrum, qui prioribus quatuor seculis vixerunt, condemnata est, qui cuncti Prædestinationem singulorum ex præviså fide & incredulitate propugnarunt. Quod confitentur *A. Sculletus* in *Medullâ suâ Patrum*, *Vossius* in *Historia Pelagiana*, & præsertim *P. Molinæus* in Libro *de Novitate Papatûs*, contra Cardinal. Perron. Lib. I. Cap. 48. num. 7. disertè dicens, *Patres omnes ante Augustinum, ac Augustinum ipsum principio credidisse, Deum homines Prædestinasse ad salutem, secundum Præscientiam suam, quod his & ille opera bona faceret, ac fidem habiturus esset.* Et quamvis Augustinus, ac deinde alii quidam, in Prædestinationis negotio, mutarint nonnihil sententiam suam, tamen semper agnoverunt, *Christum pro omnibus esse mortuum, liberum arbitrium hominis in conversione, & quod possit homo deficere à fide.* Cùm etiam sententia vestra in tertio Concilio *Arelatensi* anni Iɔ xxiv. explosa sit, nostra tamen in nulla unquam Synodo, exceptâ vestrâ Dordracenâ, condemnata est. Verum dicimus cum Apostolo, nobis exiguum esse hominum judicio condemnari; constatque homines articulos fidei cudere non posse, omnesque illorum definitiones (quod inter Reformatos nullus negat) erroribus ac proinde semper examini esse obnoxias. Quocirca non oportuisset, hanc *rem judicatam* allegare, quæ apud omnes verè Reformatos & nos nullius est auctoritatis.

Quod ad Lutheranos & Pontificios attinet: equidem non possumus satis mirari quâ fronte illud de *re judicata*, contra sententiam nostram producere sustinueritis. Tantum enim abest, ut Lutherani sententiam nostram damnarint, ut non illi tantum, sed & omnes aliæ Ecclesiæ, vestrâ exceptâ, doctrinam, quam vos tuemini, de absoluta Prædestinatione, & illi annexis, rejecerint, & condemnarint; quod ex plurimis ac variis eorum libris constat, præsertim ex disputationibus *Balthazaris Menzeli* contra canones Dordracenos, & *Nicolai Hunnii* in Libro *de Dissensu fundamentali Calvinianorum & Lutheranorum*; qui, cum pluribus aliis, urgent, propter ejusmodi doctrinam, Christianam ac fraternam pacem cum Calviniistis (sicut vos vocant,) coli non posse.

Quod ad Pontificios spectat, verba vestra non minus absurda nobis videntur; cum fere omnes, nominatim *J. Malderus* Episcopus Antverpiensis in libro contra Synodum Dordracenam, quamvis in articulo de Electione aliquanto pronior in vos videatur, in reliquis tamen sententiam vestram prorsus damnet; præsens etiam Pontifex, *Innocentius decimus*, in quadam constitutione, Romæ anno clɔ Iɔ cliii, impressa, censoriam notam inusserit iis, qui jactant, *Christum pro omnibus non mortuum, nec sanguinem, nisi pro solis prædestinatis, profudisse, &c.*

Si vero creditis rem esse judicatam, quod nulla tolerantia diversarum sententiarum in religionis negotio ad praxin revocari possit, respondemus, contrarium liquere ex concordiâ illorum, qui Augustanæ, Bohemicæ & Helveticæ Confessionis sunt, in dogmate sanctæ Cænæ, initâ anno clɔ ɔɔɔɔɔ lxxv. Sendomiriæ in Poloniâ, ac postea variis Synodis confirmatâ; quin etiam in ipsa Prædestinatione, ex hodiernâ tolerantiâ, quæ his in regionibus à vobis exercetur, inter Supralapsarios & Infralapsarios. Quod discrimen magni quidem momenti etiam à Vestratium multis judicatur. Adhæc ex præsenti statu Ecclesiarum Reformatarum Gallicarum, quæ in Synodis nationalibus anno clɔ Iɔ c xxxvii. Alençone, & anno clɔ Iɔ cxliv & clɔ Iɔ c xlv. Carentone habitis, decreverunt, ut ii, qui absolutum decretum reprobationis, & alii, qui gratiam universalem tuentur, sese mutuo ferrent. Quemadmodum certiores facti sumus, plurimos hodie in Angliâ in mutuæ tolerantiæ negotio partes nostras sustinere: quod etiam aliquatenus constat ex libro J. Duræi, de Pace Ecclesiasticâ.

Porro *Lutheranos ac Pontificios judicasse tolerantiam sententiæ Remonstrantium de Prædestinatione & annexis, non posse ad praxin revocari*, nusquam nobis ex eorum scriptis, sed quidem contrarium liquet; quod, nempe, sententiæ vestræ tolerantiam admittere detrectarint; ut apparet ex colloquio Mompelgardensi inter Jacobum Andreæ & Theodorum Bezam, anno clɔ Iɔ lxxxvi, quamvis illi Beza fraternitatis manum offerret; & aliis illorum scriptis, postea editis, exceptis hodiernis Theologis Helmstadiensibus, nominatim *Georgio Calixto*, qui in libro, cui titulus, *Judicium de dissidiis inter Lutheranos & Reformatos*; & in alio quodam inscripto, *Studium Ecclesiasticæ pacis*, idem de mutua tolerantia, cum Remonstrantibus sentit. De Pontificiis *Leonardo Lessio*, Professor Lovaniensis, in præfatione libri de *Gratia efficaci*, refert Sixtum V. & alium deinde Pontificem, cujus reticet nomen, mutuam pacem ac tolerantiam inter Dominicanos ac Jesuitas in Prædestinationis dogmatibus, ejusque annexis, commendasse, *& suam utrique parti permisisse opinionem; ea tamen moderatione,*

ut

ut neutra alteram damnaret, aut acerbiore censurâ notaret, donec per opportunitatem quid tenendum sit, à S. Sede Apostolicâ decideretur. Quemadmodum præterito anno Papa Innocentius X. contra Jansenistas præstitit, quos ejusdem cum Reformatis esse sententiæ Samuel Maresius pronuntiat.

Constat ergo fationes vestras, quibus oblatam mutuam tolerantiam, quæ libertatem concedit non tantum sentiendi, sed & docendi controversa, repudiatis, esse parum firmas; ac proinde mordicus adhærentes actis XXIII. Decemb. cIↃ IↃ CLIII. editis, quemadmodum in scripto vestro XXI. Februar. cIↃ IↃ CLIV. profitemini, vos quidem, non verò nos, deesse officio vestro, & penès vos esse culpam, quod deplorandum hoc schisma non cocat, cujus etiam Deo rationem estis reddituri in die illo. Interim in patientiâ possidebimus animas nostras, illudque nobis erit solamen, quod hac occasione omnibus manifestum fecerimus, per nos non stare quominus denuo pax coalescat; quodque Dei gratiâ tam benigno gaudeamus Magistratu, sub cujus præsidio tranquillam ac quietam vitam agere, ac Deum colere licet, juxta conscientiam, in studio veritatis, quam secundum pietatem esse credimus.

Et ne in promovendâ pace à parte nostrâ videamur resides, Deum pacis supplicibus precibus venerabimur, ut pias cogitationes illorum, quibus pax & salus Christianæ Ecclesiæ verè cordi est, ita secundet, ac præcipue animos eorum, quos nutritios Ecclesiæ suæ constituit, & quibus speciatim ac potissimum cura ejus commissa, ita flectat ac dirigat, ut juxta exemplar piorum regum ac magistratuum Veteris & Novi Fœderis, tandem prolapsa concordia per eos restauretur, & nos tanquam fratres, si non in eodem cœtu, at saltem in diversis, in pace unà vitam agitemus, Deum, tanquam omnium Patrem, uno corde, ac ore invocantes.

Tandem

Reverendi, Pii, Doctissimi viri vos divinæ gratiæ commendamus, qui vos omnes S. Spiritu suo semper repleat, vobisque pacificas cogitationes inspiret.

Datum Ultrajecti XX Aprilis
cIↃ IↃ C LIV.

Subscriptum

Nomine, & jussu Synedrii Remonstrantium Trajectensium.

Signatum

Petrus Taurinus, Minister Remonstrantium & p. t. Scriba.

XX.

Clarissimo Doctissimoque Viro

ARNOLDO POELENBURGIO

Theologiæ Professori apud Remonstrantes.

QUod Sereniſſimi Regis noſtri reſtitutionem, quodque Regni & Eccleſiæ Anglicanæ tranquillitatem & pacem, vir Clariſſime, nobis tantopere gratularis, argumentum equidem eſt animi ingenui vereque Chriſtiani. Faxit Deus, ut ad illius gloriam utamur immenſis hiſce beneficiis nobis cælitus delapſis, & in ſera ſæcula fruamur. Scias vero me eò impenſius præſenti hoc rerum ſtatu gaudere, quò major ſpes ſit aliquam ſaltem fælicitatis noſtræ partem (quemadmodum ipſe auguraris) in veſtra etiam commoda redundaturam. Eſt certe ſatis magna conſenſio inter doctrinam Eccleſiæ noſtræ & Remonſtrantium, ſed & adhuc fortaſſe major inter privatas opiniones filiorum Eccleſiæ Anglicanæ bene multorum, & veſtras. Nam articuli noſtri ita contemperantur, ut tam Calviniſtæ quam Orthodoxi ſuis partibus favere putent. Quod ego optimo conſilio factum judico, ut qui pacem & concordiam veritati non neceſſariæ ſemper præpono. Nec abhorrerem ab hujuſmodi inſtituto, ſi quis vellet in locum quinquarticulanarum determinationum unicam hanc concluſionem ſurrogare: Ut nemo ſcilicet Chriſtianus inani ſpe ſe lactet, credatve ſe ſalvatum iri, niſi ſerio & ſincere vitam ſuam ad præcepta Chriſti componat. Hæc ſola mihi ſufficeret, in reliquis illis opinionibus profitendis unicuique permitterem jure & judicio uti ſuo. Doleo equidem vices veſtras, quod tam innocuus hominum cætus, vereque, ſi quis alius, virgineus, tam indignis huc uſque tractatus ſit modis. Sed minime mirari debes, cum ita viſum ſit divinæ providentiæ; quæ procul dubio pulcherrimum quodque & perfectiſſimum in gloriam & ornatum noviſſimorum ſæculorum reſervavit, quæ fortaſſe propius jam abſunt, quam putamus, imo ſi qua fides oraculis

Jam dudum illa imminet ætas
Aurea, & incipiunt magni procedere menſes.

Quanquam interim non eſt diſſimulandum rerum dominio plus ſolito inhiare Pontificios, & aliqualem periculi ſpeciem ſe offerre ne priſtina illa peſte & illuvie abſorbeamur. Quod malorum monſtrum à nobis bonus averruncabit Deus, optimique principis

Calvinistæ non sunt Orthodoxi.

quinque scilicet articulorum Synodi Dordracenæ

Digitized by Google

Book 2

PRÆSTANTIUM
AC
ERUDITORUM
VIRORUM
EPISTOLÆ.

I.

D. ADOLPHO POTTELBERGIO,

PHILIPPUS MARNIXIUS

Salutem in Christo Jesu multam precatur.

Theologica. De baptismo infantium & eorum.

ACcepi Catabaptistarum argumenta, quæ certis consignata capitibus misisti ad me: iis ut Latine respondeam cupis. Poterat me hoc labore penitus levare Calvini eadem de re accurata tractatio in Institutionibus, & in alio etiam libro, ubi hoc argumentum tractat ex professo. Poterant etiam doctissima Zwinglii scripta, ut jam taceam de Bullingero ac Musculo, aliisque infinitis, qui totum hoc argumentum ita dilucidè atque absolute excussérunt, ut nihil intactum reliquerint. Volui tamen tibi obsequi, ut si qua in re tibi mea opera posset esse utilis, scires esse paratissimam. Quare singula argumenta ordine excutiamus.

Primum ac secundum ejusdem sunt generis. Nam quia pædobaptismus nullum habeat Dei verbum, præceptum aut exemplum, ideo non modo in Ecclesia esse illicitum, verumetiam idololatricum efficiunt. Quæcunque enim in Dei Ecclesiam sine præcepto, verbo, exemplove introducantur, ea esse ejusmodi sumunt pro confesso. In quo ego argumento propemodum cæterorum omnium pondus arbitror consistere. Quare hoc uno confutato, cætera pleraque sua sponte corruent. Confutari autem non ægre potest, si Dei verbi vim, naturam, ac pondus penitius introspiciamus: Est enim verissima ea propositio: *Quidquid nullo Dei verbo nitatur, id ex Dei Ecclesia non posse modo, sed etiam debere exterminari*, modo ut recte intelligatur. Verum in eo versatur omnis controversia. Ecquid verbo Dei præcipi & contineri existimandum sit, quod non totidem syllabis diserte exprimatur? Quod si simpliciter negemus, jam non modo in infinitas absurditates labamur necesse est, sed ipsam etiam omnium Scripturarum authoritatem funditus evertamus: Et vero omnem de Christo doctrinam penitus enervemus. Quod ut intelligas, expende quæso elogia, quæ à Spiritu S. per os Pauli Scripturæ tribuuntur. Is enim ait: *Omnem Scripturam esse divinitus inspiratam, & utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia. Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus.* Atque adeo ipsam *Scripturam posse nos reddere sapientes in salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Loqui vero eum de Veteris Instrumenti Scriptura, nemo sanus unquam dubitavit. Ait enim in ea fuisse Timotheum ab ineunte adolescentia institutum. Idem coram Agrippa Rege testatur, *haud quicquam se dixisse extra ea quæ Prophetæ ac Moses prædixerant.* Nempe Christum esse passurum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo & gentibus. Ipse Christus ait ad Discipulos: *Hi sunt sermones quos locutus sum vobis, quum adhuc essem vobiscum, oportere impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit eorum mentem ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, &c.* Ejusmodi testimoniis plena est Scriptura, quibus diserte asseveratur omnem de Christo doctrinam Mosis ac Prophetarum libris manifeste absoluteque fuisse comprehensam. At vero amabo, an quisquam propterea dixerit: Quicquid est de Christo ab Apostolis traditum, idem totidem syllabis Veteri Testamento fuisse quondam Patriarchis explicatum? Haud equidem existimo. Satis enim est Scripturarum mente, sensu, atque analogia fuisse comprehensa. Ubi enim diserte testati fuerunt Prophetæ Christum cruci affigendum? Ubi etiam post triduum à mortuis excitandum? Ubi abolitionem ceremo-

Ep. I.

2 Tim. 3.

Act. 26.

Luc. 24.44.

Digitized by Google

Ep. I. niarum Moſis introducendam? Scio plenam eſſe ejuſmodi teſtimoniis Scripturam, ſi ad fidei analogiam exigantur. Sed ſi ſoli verborum apicesponderentur, nihil profecto tale effici poterit. Atque illud eſt cur Paulus dicat, *Judæos in litera mortua verſari, & velo legis eorum oculos eſſe obductos.* Id fiet exemplo clarius. Chriſtus Sadducæos in nudis ſyllabarum apicibus hærentes ita objurgat: *Erratis neſcientes Scripturas neque poteſtatem Dei.* Et mox: *De reſurrectione vero mortuorum non legiſtis quod vobis dictum eſt à Deo, dicente: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Deus non eſt Deus mortuorum ſed vivencium, &c.* Quid hic ad reſurrectionis confirmationem in medium adducit Chriſtus? Apicesne ſyllabarum, an ipſam Scripturæ vim, ipſamque fidei analogiam? Cur hic non obſtrepebant Sadducæi, ſine Dei verbo expreſſo ejuſmodi articulum ſtatui haud poſſe? Sed eſt profecto Dei verbis ea vis, ut animos hominum non ſyllabarum ſtrepitu, ſed ſententiarum pondere ac vi percellat. Quum enim hæc audiſſet turba, perculſam fuiſſe ob ejus doctrinam tradit Lucas. Ex quo facile eſt videre, ſuperiorem propoſitionem, ſi de ipſis ſyllabis atque expreſſis dictionibus, non de ſenſu ac mente Scripturarum, ad fidei analogiam expenſa, intelligatur, fore falſiſſimam. Poſſem ejuſmodi exempla proferre infinita: ſed nolo in re tam perſpicua eſſe prolixior. Ac ne quis exiſtimet novi Teſtamenti eſſe aliam rationem, Paulus manifeſte docet omnem prophetiam, id eſt, Scripturarum interpretationem, eſſe ad analogiam fidei exigendam. Alioqui quorſum attinebit donum prophetiæ in Dei Eccleſia, ſi ipſis ſyllabarum apicibus ita eſt inhærendum, ut interpretationis ad analogiam fidei exactæ nulla ratio habeatur? Unde docebimus Chriſtum eſſe Patri ὁμοούσιον? Unde Trinitatis doctrinam hauriemus? Unde Sacramenta ulla eſſe probabimus? Unde baptizatos eſſe Apoſtolos docebimus? Unde Baptiſmum minime eſſe iterandum? Unde Cœnam eſſe impertiendam mulieribus? & ejuſmodi alia infinita. Quare ex iis manifeſte efficitur, axioma illud ita eſſe intelligendum, ut

2 Cor. 3. Matt. 22. 29.

Homoousion.

Quicquid in verbo Dei, id eſt, in fundamento atque ipſa ſubſtantia Scripturarum, neque exemplum habet, neque præceptum, id ſit extra eccleſiam Dei ejiciendum. Atque hoc eſt illud quod toties in Scripturis repetitur: ad verbum Dei nihil poſſe vel demi vel adjici; quo non ſignificantur illi literarum apices, ſed ipſa verbi Dei doctrina, ad fidei analogiam revocata; niſi dicamus, addidiſſe ad legem Prophetas, addidiſſe Apoſtolos, addidiſſe denique omnes verbi Dei præcones; qui legi ſane nihil addiderunt, ſed ipſam legem ad veram fidei analogiam revocarunt. Debet itaque verbum Dei non ex numero ſyllabarum, ſed ex pondere ſententiarum æſtimari. Quod cum ita ſe habere apud omnes pios in confeſſo ſit, videndum eſt nunc quale Ep. I. robur hoc habeat argumentum.

Deut. 4.

In Eccleſiam Dei nihil debet introduci ſine Dei vel verbo, vel præcepto, vel exemplo: id eſt, quod ad fidei analogiam revocatum non habeat certum in verbo Dei fundamentum. Atqui Baptiſmus puerorum ad fidei analogiam revocatus nullum habet certum in Dei verbo fundamentum. Ergo in Eccleſiam recipi non poteſt.

Hic jam liquet, ſumptionem alteram eſſe falſiſſimam. Pædobaptiſmum enim certiſſima habere in verbo Dei fundamenta, infinitis argumentis evinci poteſt. Ita enim loquitur Apoſtolis Chriſtus: *Profecti in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſervabitur, qui vero non crediderit condemnabitur.* Quo nihil aliud doceri, quam Euangelii fidem eſſe baptiſmatis ſymbolo conſignandam, vel ipſi fatentur adverſarii. Nunc videamus quid ſit Euangelium. Paulus quidem ait, *Euangelium eſſe Dei potentiam in ſalutem cuivis credenti:* Eo quod *juſtitia Dei* per illud *retegitur ex fide in fidem.* Cum enim *ex operibus legis nulla caro in conſpectu Dei juſtificari queat, eo quod per legem ſit agnitio peccati. Ideo juſtitia Dei nunc abſque lege*, in Euangelio nimirum, *patefacta eſt per fidem in Jeſum Chriſtum.* Quamobrem erit Baptiſmus hujus juſtitiæ fidei ſigillum, ſymbolum ſive σφραγίς. Hactenus nobiſcum ſentiunt, ſi qui ſunt ſaniores inter Anabaptiſtas: nimirum Euangelii, ſive gratuitæ juſtitiæ fidei in Euangelio oblatæ, Baptiſmum eſſe certiſſimum ſignaculum ac σφραγίδα; atque eſſe ob eam cauſam atque in eum finem à Chriſto baptizandi ritum inſtitutum. Quod qui negat, is apertiſſimum Dei verbum negat. Efficitur itaque, ſi Baptiſmus à Chriſto inſtitutus eſt, ut eſſet σφραγὶς, ac ſymbolum ſive Sacramentum Euangelii, id eſt, gratuitæ juſtitiæ fidei in Chriſto per Euangelium oblatæ, omnes quicunque hujus juſtitiæ in Chriſto ſunt participes, ſimul debere hac teſſera, ſigno ac Sacramento obſignari. Omnino, quemadmodum in veteri Teſtamento Abraham fide accepit juſtitiam à Deo oblatam, propter ſemen promiſſum, ejuſque juſtitiæ ſignum σφραγίδα accepit Circumciſionem. Ex quo neceſſario efficiebatur, ut quicunque eſſent ejuſdem juſtitiæ participes, ſimul & ſigno juſtitiæ fruerentur. Alioqui non erit Baptiſmus ſigillum juſtitiæ fidei per Chriſtum acceptæ. Ex quo efficietur, vel Circumciſionis ſignum etiamnum reſtare integrum, vel ſigno juſtitiæ fidei nos omnino carere. Atqui eo carere non poſſumus, ſi Euangelii ullum eſt ſigillum. Eſſe autem, docet ipſe Chriſtus. Et Euangelium nihil continere aliud, quam illam fidei juſtitiam, quæ in Abrahamo ejuſque ſemine fuit Circumciſione conſignata, manifeſte teſtatur Paulus. Efficitur itaque ejuſdem juſtitiæ fidei eſſe Baptiſmum σφραγίδα, cujus olim fuit Circumciſio.

Mar. 16. 15.

Rom. 1. 16.

Rom. 3. 20.

Sigillum.

Atqui

Ep. I. Atqui illam fidei juſtitiam in infantibus fuiſſe olim obſignatam, nemini eſt dubium. Credidit enim Abraham, Deum non ſuum ſolum eſſe Deum, ſed ſui ſeminis Deum. Quod autem credidit, id propter ſemen promiſſum gratuito munere eſt conſecutus, atque in eo juſtificatus. Sequitur ergo, hanc juſtitiam non minus ad ejus ſemen quam ad eum pertinuiſſe, atque adeo in ejus ſemine optimo jure fuiſſe Circumciſione obſignatam. Quod non eſt noſtrum commentum, ſed ipſiſſimum Dei verbum, quo pleni ſunt omnes Prophetæ, plenus Moſes, plena denique Scriptura. Quare neceſſum eſt adverſarii vel negent Baptiſmum eſſe Euangelii ſigillum, vel Euangelium eſſe juſtitiæ fidei per Chriſtum oblationem gratuitam, vel hanc fidei juſtitiam ad infantes pertinere, atque adeo impie olim fuiſſe infantibus ſigillum juſtitiæ fidei exhibitum; vel certe fateantur, Baptiſmum pueris ex verbo Dei, ex Euangelii totius præcipuo fundamento, atque ex Chriſti inſtitutione optime convenire, non minus quam olim pueris conveniebat Circumciſio, quam Apoſtolus ejuſdem *juſtitiæ fidei* teſtatur fuiſſe *ſigillum. Et ideo etiam ſcriptum* prodit *non propter Abrahamum ſolum, ſed etiam propter nos; quibus futurum eſt ut imputetur eadem juſtitia fidei; iis nimirum qui credunt in eum, qui excitavit Jeſum Dominum noſtrum, traditum in mortem propter offenſas noſtras, & excitatum propter juſtificationem noſtri.* Atqui quemadmodum fides Abrahami id omne pariter amplexa eſt, quicquid promiſſione continebatur; nimirum juſtitiam, benedictionem, & ſalutem à Deo gratuito datam propter Chriſtum promiſſum, tum *ipſi*, tum ejus ſemini: ita hæc noſtra fides id omne amplecti debet, quicquid Euangelii promiſſione continetur; nimirum nos & filios noſtros eſſe per mortem ac reſurrectionem Chriſti à peccato purgatos, juſtificatos & ſanctificatos Atque adeo id omne quod fides amplectitur, ſive quicquid hæc juſtitia fidei comprehendit, neceſſario debet ex Chriſti inſtitutione juſtitiæ fidei ſymbolum, ſignum ac σφραγίδα accipere.

Sed clamant, verbo Dei non eſſe expreſſum, infantes eſſe baptizandos. Ita, ſi verbum Dei pro ipſis diſertis ſyllabis accipias. Sed nos verbum Dei vocamus ſubſtantiam Euangelii ac fœderis divini, mentemque ipſam Spiritus, qua ita diſerte hoc expreſſum fuit, ut ipſis ſyllabis exprimi eſſet ſupervacaneum. Chriſtus enim ſuperioribus illis de Baptiſmo verbis nihil aliud docet, quam Euangelium in Legis, ſive veteris Teſtamenti vicem ſucceſſiſſe, & quidem ſicuti in credentibus olim Lex Circumciſione fuit obſignata, ita hodie in credentibus Euangelium Baptiſmo eſſe obſignandum. Hinc eſt quod Paulus de Circumciſionis abrogatione diſſerens, manifeſte ait, nos in Chriſto eſſe circumciſos per Baptiſmum; quod ſane ſuiſſet abſurdiſſimum, niſi in vicem Circumciſionis, fœdus Dei Judæis obſignantis, ſucceſſiſſet Baptiſmus, Chriſtianis Euangelium obſignans. Ep. I.

Atqui Chriſtus diſerte exprimit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Ita eſt, fateor. Sed prorſus eodem modo inquit Paulus, Abraham primum credidiſſe, fideque juſtificatum fuiſſe, ac tum demum accepiſſe σφραγίδα ſive ſigillum juſtitiæ fidei Circumciſionem. Quare utrinque præcedat fides neceſſe eſt. Verum quandoquidem hæc fides non mutilam ſed integram promiſſionem amplectitur, quæ tam ad liberos quam ad parentes pertineat, omnino neceſſe eſt utroque utrobique fidei ſymbolo inſigniri. E converſo; quemadmodum nos in Chriſto per Baptiſmum circumciſos docet Paulus, ita alibi inquit, Patres ſub Lege fuiſſe etiam non minus atque nos in mari ac nube baptizatos. Quare ſi noſtri Baptiſmi vis atque efficacia ad illos eorumque liberos pertinuit, ſane & illorum Circumciſionis vis atque efficacia noſtro Baptiſmo expreſſe, & vero ipſe noſter Baptiſmus ad nos & noſtros liberos indubie pertinebit. Nec eſt quod hic objiciant, eundem Paulum docere, & illos eadem eſca eodemque ſpirituali potu atque nos fuiſſe refocillatos, neque tamen propterea effici pueris porrigendam eſſe Cœnam. In promptu enim eſt reſponſio: In inſtitutione Cœnæ requiri examinationem explorationemque, quæ pueris minime competit: ac deinde in Baptiſmo recipi in Eccleſiam, qui deinde tanti beneficii memoriam in Cœna debeant celebrare. Quare niſi infantes ab Eccleſia ſecludamus, neceſſe eſt fateamur, in Eccleſiam hoc ſymbolo eſſe recipiendos.

Deinde Paulus aperte docet in Baptiſmo indui Chriſtum, id eſt, Baptiſmum eſſe certiſſimum ſymbolum noſtræ cum Chriſto conjunctionis, communicationiſque. An hoc non eſt expreſſum verbum Dei, quo docemur, quicunque Chriſtum induunt, ſive quicunque in Chriſti communione recepti ſunt, eoſdem Baptiſmi lavacro tingendos eſſe? Atqui cum Chriſto habere communionem pueros, ipſe Chriſtus identidem inculcat, jubens eos ad ſe venire, talium enim eſſe regnum cœlorum. An vero majus eſt, hujus communionis ſigno pueros donari, an vero in ipſam Chriſti communionem recipi? ab ipſo Chriſto ulnis excipi, ejuſque oratione benedictioneque conſecrari? Et cum ipſe Dei Filius tanto illos honore dignatus ſit, nos homunciones eos à Chriſti communionis ſymbolo excludemus? Hoc eſt, quod de gentibus prædicat Petrus: *Nam quis*, inquit, *aquam prohibere poteſt quominus baptizentur iſti, qui Spiritum Sanctum acceperint ſicut & nos?* Scio eum de adultis loqui, ſed tamen interea ponit hoc axioma fixum, ratumque: Quoſcunque dignatur Deus Spiritu ſuo Sancto, eos ab aqua Baptiſmi non eſſe excludendos. Idem axioma, quod eſt certiſſimum Dei *Act.* 10. 47.

ſane fuerunt olim Patres, qui existimarent ἀναφορίαν infantibus necessariam, adeoque ejus eam ministrabant. Vide Dallæum de Usu Patrum.

Ep. I. verbum atque indubitatum Spiritus Sancti oraculum, & hic locum habet: Nimirum, neminem aquam prohibere posse, quominus baptizentur illi, qui in Christi communionem ac justitiæ fidei participationem recepti sunt, regnique cœlorum promissione donati, sicut & nos. Ac ne quis cavilletur, nos verba Petri contorquere, qui de solo Spiritu miraculorum disserat, cujus minime sint participes pueruli; audiant eundem Petrum, seu potius ipsum Dei Spiritum per os Petri ita pronun-
Act. 11.17. ciantem: *Postquam igitur par donum dedit eis Deus, ut & nobis, cum credidissemus in Dominum Jesum Christum, ego porro quis eram qui Deum possem prohibere?* ubi manifeste docet divinum oraculum, quoscunque Deus pari dono donarit, atque eos, qui in Christum credunt, eis non posse ab homine mortali Baptismo interdici. Atqui pari dono pueruli donari, ac eos qui adulti in Christum crediderunt, tota Scriptura clamat: Quare fanatici est hominis, velle illis Baptismi tinctione interdicere. Quod est enim donum, quo donat Deus credentes, aliud quam justitia seu justificatio? Uti luculenter in Epistola ad Romanos testatur Paulus ex Abrahami exemplo. Eodem autem donari parvulos, testis est Circumcisio, ejusdem certissimum sigillum. Nisi velint Christi adventu gratiam Dei esse imminutam; quod est prorsus nefarium, ac refellitur ipsa Christi oratione, testantis talium esse regnum cœlorum, docentisque eorum angelos conspicere faciem Patris cœlestis. Refellitur etiam Pauli testimonio, asseverantis, Christianorum liberos esse sanctificatos. Cum igitur & sanctificatione, & justitia, & Christi communione, & denique regno cœlorum ipsos dignetur Dominus, qui tandem sunt isti, qui Deum se putant posse prohibere? Sed urgent, Petrum de nullo alio dono illic agere, quam de Spiritu miraculorum, cujus sunt expertes pueruli. Verum, est illud primum quidem per se falsum. Etsi enim Spiritum miraculorum Petrus non excludat, tamen maxime agit de Spiritu adoptionis regenerationisque, cum ille in Christiano maxime requiratur: Uti vel ipsi mihi concedent Catabaptistæ, nisi se ipsi Baptismo velint excludere, propterea quod miraculorum Spiritu præditos esse se gloriari nisi falso non possunt. Deinde ut etiam sit verissimum, Petrum de miraculorum Spiritu agere; tamen illud ipsum nostram confirmabit sententiam: Spiritus enim miraculorum non est tanti momenti atque Spiritus adoptionis. Quare si propter minus donum putavit non esse arcendos à Baptismo, sane qui summo ac præcipuo Spiritus Sancti dono, adoptione inquam Dei, consignati sunt, qua fronte poterunt ab hoc Baptismi lavacro arceri? Donari autem adoptione, sive adoptionis atque adeo sanctificationis Spiritu filios credentium, fateantur necesse est, nisi velint inficiari, eos esse sanctos ac Dei filios. Neminem enim vel sanctum esse, vel Dei filium, sine Dei Spiri-Ep. I. tu sanctificante, atque adoptante, ita perspicuum est, ut nulla probatione indigeat. Pueruli enim sua naturâ esse impuros, ac filios iræ, non modo Scriptura docet, sed ipsi etiam Catabaptistæ fatentur, atque hoc uno nomine Christi generationem humanam eunt inficias. Quare sanctificari eos, & adoptari necesse est; sanctificari autem neminem posse, nisi per Dei Spiritum, nemo ignorat, nisi qui ipsa Christianæ fidei prima rudimenta ignoret. Quare Spiritu sanctificante adoptanteque donatos esse credentium filios, cum sancti sint, nemo nisi impudentissimus audebit pernegare. Cum igitur eodem spiritu, atque nos, donentur, videant Catabaptistæ, qua fronte illos ab hoc sanctificationis regenerationisque lavacro arcere audebunt? Quare colligamus hæc argumenta in unam summam. Dei verbum est, non modo quod certis disertisque verbis ac syllabis exprimitur, sed quod Dei institutione ac præcepto, fideique certissima analogia, verbo Dei continetur. Atqui Pædobaptismus ipse Baptismi institutione, fideique analogia continetur; ergo est Dei verbum. Major sumptio probatione non indiget. Minor probatur à definitione Baptismi, quod sit symbolum, sigillum ac tessera sive σφραγὶς Euangelii, id est, justitiæ fidei, quæ omnibus credentibus, eorumque semini gratuito datur: Ab ipsa analogia Baptismi, quod successit in locum Circumcisionis: Ab exemplo Judæorum, quorum liberi baptizati sunt in nube & mari, quemadmodum & nos circumcidimur in Baptismo: à fine Baptismi, nimirum communionis cum Christo obsignatione, cujus sint pueri participes, cum eos Christus ad se vocarit, eorumque regnum cœlorum esse pronunciarit: Item sanctificationis obsignatione, cujus minime exortes esse pueros, Paulus docet: Ac denique ab hoc generali axiomate; Quicunque paria dona accipiunt, iis aqua interdici non potest: Pueri paria dona accipiunt, nimirum justitiam, sanctificationem, redemptionemque in Christo, spiritumque adoptionis, ac denique regnum cœlorum: Non posse igitur pueris aqua interdici.

Quæ omnia ita sunt certa, firma, rata, & cum ipsa Baptismi institutione, natura, ac fine, ipsaque fidei analogia penitus congruentia, ut nemo nisi pervicax possit pernegare. Sequitur itaque verbo Dei non modo permissum, sed etiam præceptum institutumque Pædobaptismum.

Tertium argumentum, quia nihil contra nos facit, non puto esse refutandum. Ita enim ratiocinatur. Quicquid jussit atque instituit Deus, id eo modo quo instituit atque jussit, integrum inviolatumque observari debet. Atqui jussit Deus eos, qui in vera fide edocti institutique sunt & Euangelio credunt, ii ad conscientiæ certitudinem obsignationemque aqua baptizentur. Debet igitur hæc institutio manere

Ep. I. nere inviolata. Id vero libenter fatemur. Atque adeo, quia non poteſt manere integra, rata atque inviolata hæc inſtitutio, niſi credentium conſcientiæ in certitudinem promiſſionis totius atque integræ illæſæque obſignentur, neque poſſe obſignari in totam promiſſionem, niſi ſimul eorum liberi, qui eadem promiſſione continentur, eodem etiam Baptiſmo obſignentur; quia obſignatio tam late patet atque fides, fides autem omnino ſe porrigit quo integra promiſſio; ideo ex hoc argumento indubitate evincimus, pueros eſſe baptizandos. Nimirum, quia debet Domini inſtitutio non mutila, ſed omnibus ſuis partibus abſoluta obſervari; quod non fit, niſi abſolutam integramque promiſſionem abſolute perfecteque & fides amplectatur, & Baptiſmus obſignet.

Quarto argumento efficitur ex ſimilitudine Circumciſionis, neminem debere baptizari, niſi qui diſerte à Domino ſit expreſſus. Quia nimirum, etſi non eſſet vetitum alias perſonas, quam maſculos, circumcidi, neque aliis diebus quam octavo, neque alio inſtrumento quam quod ipſe Dominus expreſſerat; tamen id ipſum fuit illibate obſervatum. Sed eſt meo quidem judicio hoc argumentum non modo inefficax, ſed penitus inſulſum. Quis enim neſcit, ceremoniis olim aſtrictos fuiſſe Patres, à quarum obſervatione cum ſimus per Chriſti ſanguinem liberati, quis velit ducere argumentum, ad enervandum id, quod ex certiſſima fidei analogia, atque adeo ex certiſſimo Dei verbo edocti ſumus? Quanquam quis unquam ſando audivit circuncidi mulieres? Deinde ut maxime circuncidi potuiſſent, an non aperte in lege exprimitur ſexus maſculinus, in quo fuerit proculdubio ſanctificatus etiam fœmineus, quemadmodum fructus in primitiis fuerunt ſanctificati? Verum ubi unquam juſſit Chriſtus diſertis verbis credentes baptizari? Apud Matthæum ait: *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis?* Apud Marcum vero: *prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſervabitur, &c.* Quid hoc habet ſimile cum expreſſione maſculorum in inſtitutione Circumciſionis? Etſi nemo eſt, qui ignoret hic à Chriſto non inſtitui Baptiſmum, ſed tantum prædicationem Euangelii, eique Baptiſmum pro ſigno adhiberi. Alioqui ſcimus, Baptiſmum ante pridem fuiſſe inſtitutum. Jam enim non modo Chriſtus ipſe Baptiſmum in ſuo corpore conſecrarat: ſed Joannes etiam Baptiſta, ejuſque diſcipuli multos baptizarant in remiſſionem peccatorum; & poſt eum ipſi Apoſtoli, à Chriſto miſſi, Baptiſmum exercuerunt. Quare non poſſunt ex his verbis aliud elicere; quam illum ipſum Baptiſmum, qui in Circumciſionis vicem ſucceſſerat, quemadmodum Cœna Domini in Agni Paſchalis locum ſubierat, hic à Chriſto adhiberi in obſignationem credentium: quemadmodum olim à Deo fuit adhibita Circumciſio in obſignationem credentis Abrahami, cujus fides ſymbolum præcedens non potuit eſſe fraudi puerulis, cur minus eſſent & ipſi ejuſdem ſymboli participes. Sed quid quæſo ex ejuſmodi cavillationibus effici poterit, niſi primum quidem omnes puerulos eſſe damnatos? quia dicat Chriſtus: *qui vero non crediderit condemnabitur.* Nam ſi ideo pueri à Baptiſmo ſunt excludendi, quia illis Chriſti verbis diſerte non exprimuntur: *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit*; ſanc & his à ſalutis omni ſpe arcebuntur, quando ait: *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Deinde efficietur mulieribus Cœnæ ſacramentum eſſe denegandum, quia nihil de illis aperte præcepit Chriſtus. Aut ſi hic volunt, ſpectari analogiam ipſam fidei, finemque inſtitutionis, qui non minus ad mulieres quam ad viros pertineat; quid eſt cur in Baptiſmo tam frigide cavillantur? Nam de octavo die quid attinet dicere, cum is ad cæremonias veteris Teſtamenti pertineat, & ſimul myſterium inſtitutionis ad fidei analogiam pertinens indubie complectatur. Ep. I.

Quintum argumentum plenum eſt impudenti audacia. Aſſeveratur enim, ſine ulla probatione, Apoſtolos, niſi adultum, baptizaſſe neminem: cum tamen, ſi conjecturis ſtandum eſt, omnis veriſimilitudo in contrariam partem cedat. Sed primum vide rationem argumentandi. Ut probet ab Apoſtolis nullos eſſe pueros baptizatos, ait Apoſtolos neminem baptizaviſſe, niſi qui & re & verbo fidem ac pœnitentiam teſtaretur. Id quaſi ſatis ſit verbo dictum eſſe, tanquam indubitatum axioma ponit; & cum non modo nulla ſit probatione ſuffultum, ſed etiam incertum, & cum omni pugnans veriſimilitudine, tamen ex eo aliud etiam incertius efficit, nimirum, ergo pueros nullos eſſe ab Apoſtolis baptizatos.

Primum velim ex eis audire, an credant ipſos Apoſtolos fuiſſe baptizatos? Dicent ſe, niſi frontem nimium perfricuerint, credere. At quomodo tandem verbo ſunt edocti? Annon quia Apoſtolis ipſa Baptiſmi ratio, vis atque inſtitutio competit? Cur igitur non eadem conjectura efficiunt & pueros ab Apoſtolis fuiſſe baptizatos, cum pueris ipſa Baptiſmi ratio, vis, atque inſtitutio non minus atque adultis competat? Quis enim ex integris familiis eos docuit excludere parvulos? ſane integras familias ſe baptizaviſſe ait Paulus, neque pueros excludit. Et pueris Baptiſmi rationem, atque analogiam competere liquet, ut qui ſint in fœdere Dei, quibus per Euangelium juſtitia gratuita donetur, qui in Chriſti corpus ſunt adoptati, qui regno cœlorum donati. Quæ eſt igitur hæc audacia, velle puerulos excludere, quos Spiritus Sanctus non excluſit, nominatis integris familiis?

Scimus præterea quæ & quanta fuerit Apoſtolo-

Ep. I. ſtolorum temporibus de Circumciſione controverſia, aſſerentibus non paucis, Circumciſionem ex præſcripto Legis debere obſervari. An putamus qui tantopere fuere de Circumciſione ſoliciti, ſibi ſolis, an vero etiam liberis fuiſſe ſolicitos? Si liberorum nulla fuit cura, næ illi & charitatis legem contempſerunt, & Circumciſionis inſtitutionem, quam tantopere urgebant, perfide tranſgreſſi ſunt. Quæſtio igitur fuit haud dubie, an credentes & credentium liberi deberent Circumciſionis ſymbolo obſignari? Hic Paulus, cæterique orthodoxi, vehementer reſtiterunt, eo quod per Chriſtum eſſet abolita Circumciſio, in ejuſque locum ſucceſſiſſet Baptiſmi ſymbolum, quemadmodum ad Coloſſ. diſerte teſtatur Paulus. An igitur exiſtimabimus orthodoxos liberorum ſuorum curam ita protinus abjeciſſe, ut non eſſent quicquam ſoliciti de obſignandis eis in fœdus novum, quo erant una cum parentibus cooptati? Quare non poteſt eſſe dubium, quin liberos ſuos, à Circumciſionis obſervatione liberatos, novi Fœderis ſymbolo, quod in illius locum ſucceſſerat, curaverint inſigniri. Quod ſi non fuiſſet factum, quomodo non exorta fuiſſet ea de re controverſia? Qui enim Circumciſionem urgebant, urgebant procul dubio ex præſcripto Legis, ſibi inquam ſuiſque liberis. Hic Apoſtoli, totaque Eccleſia decrevit, Circumciſionis præcepto neminem amplius eſſe obnoxium, & vere Circumciſionem penitus eſſe abolitam. Quare qui Apoſtolorum ſententiæ hac in re acquievere, ii procul dubio vel derepente liberorum omnem curam abjeciſſent, vel certe de iis baptizandis moviſſent controverſiam, vel denique eos baptiſmate tinxiſſent. Atqui liberorum curam abjeciſſe, alienum eſt ab omni pietate. Ullam vero moviſſe controverſiam, omnino non eſt veriſimile, cum nihil ea de re tradatur Scripturis. Relinquitur itaque neceſſario, ex communi more Baptiſmo fuiſſe tinctos pueruloſ. Verum fingamus hanc interceſſiſſe controverſiam. Qua autem ratione putamus decidi potuiſſe alia, quam authoritate Scripturarum, quâ unâ uſi ſunt omnes Apoſtoli pro doctrinæ ſuæ unico ac certiſſimo fundamento? Novi autem Teſtamenti Scripturas, quæ id temporis necdum extabant, huc velle invehere, extra rem eſt. Quare fuiſſet procul dubio ex veteris Teſtamenti Scripturis definita omnis iſta controverſia. Quibus ſi ſtandum eſt, nemo eſt, qui non videat puerulis divini fœderis ſymbolum, ac ἀναγκαίως juſtitiæ fidei optima ratione, atque ex ipſa Dei inſtitutione, convenire. Atque hæc (mihi crede) una eſt ratio, cur hujuſce rei nulla fuerit in novo Teſtamento facta mentio. Tantum dicuntur baptizatæ familiæ, ipſe Baptiſmus in Circumciſionis abolitæ vicem docetur ſucceſſiſſe. Præterea haud exprimitur an pueruli, imo vero nec an ipſi Apoſtoli, an Virgo Maria fuerit baptizata. Quid ita? quia omnium controverſiarum judicem atque arbitram ſtatuunt veteris Teſtamenti Scripturam. Ad illius ergo analogiam id omne eſt revocandum, quicquid poteſt hic vocari in dubium, niſi Paulum ipſum, quid dico Paulum? imo vero omnes Apoſtolos, ac ipſum Chriſtum, volumus falſi inſimulare: qui uno ore diſertiſſime tradunt, ex veteri Scriptura poſſe abſolutam omnium doctrinarum probationem examinationemque ſtatui. Ab illa ſi quid eſt mutatum, id propemodum omne verſatur in ceremoniarum ritu. Cætera, ſi qua ſunt, ita diſerte exprimuntur, ut nihil relinquatur dubitationis. Pueros autem in fœdus patrum aſciſci inter cæremonias reponi non poteſt; neque eſt aliter hac de re in novo Teſtamento traditum, atque in vetere. Efficitur itaque ejus eſſe plane eandem rationem in utroque. Poſtremo doceant iſti Pædobaptiſmi oppugnatores, quando tandem hæc conſuetudo in Dei Eccleſiam, contra manifeſtam, ut ipſi volunt, Apoſtolorum inſtitutionem fuerit invecta, aut quo autore? quod ſi nequeunt, uti profecto nequeunt, niſi rancidam ſuam vel potius malignam inſcitiam prodant, rem ſibi ignotam in Rom. Pontifices derivando, credant omnibus ſacris hiſtoriis, credant antiquiſſimis Patribus, qui non multo intervallo Apoſtolorum ætatem conſecuti, diſerte produnt, ab Apoſtolis ritum hunc perpetua conſuetudine defluxiſſe. Irenæus ſane, qui ſub annum ſexageſimum poſt Apoſtolorum ætatem floruit, atque adeo vel ipſa ætate Apoſtolorum, vel certe non multo poſt intervallo vixiſſe potuit, manifeſte docet lib. contra hæreſes II. cap. 39. & infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & ſeniores pariter in Deum renaſci per Chriſtum. Quod ſi ita eſt, ut nemo non impius negabit, quis eſt præterea qui poſſit nobis adhæreſcere ſcrupulus? Origenes qui circa LXXXVII. annum poſt Joannis Apoſtoli obitum natus fuiſſe proditur, manifeſte tradit Eccleſiam ab Apoſtolis ſuſcepiſſe traditionem, etiam parvulis Baptiſmum dare. *Sciebant enim*, inquit, *illi quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & ſpiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipſum corpus peccati nominatur*, &c. Cyprianus vero, qui anno CLVIII. poſt Apoſtolorum ætatem martyrii corona donatus fuit, integram etiam ea de re diſputationem conſcripſit, noſtramque ſententiam multis firmiſſimis argumentis contra Fidum presbyterum conſtanter & valide tuetur. Ut præteream Gregorium Nazianzenum, qui poſt Apoſtolos ducenteſimo ſupra ſeptuageſimum anno claruit: qui graviter profecto & Chriſtiane monet, ne puerorum Baptiſmum per ſocordiam protrahamus. An non teſtantur hiſtoriæ ſacræ, ipſum Athanaſium, etiamnum puerum, fuiſſe à pueris per ludicram puerorum imitationem baptizatum, eumque Baptiſ-

Ep. I.

Epiſt. ad Rom. lib. 5. Idem tradit in Luc. Homil. 14. Et in Levit. Homil. 8.

Epiſtolarum lib. 3. epiſt. 8.

Ep. I. ptiſmum ab omnibus Eccleſiis ratum eſſe habitum, quod in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti factus eſſet? In quo etſi non videntur illi Patres ſatis dignam vocationis ac miniſterii æſtimationem habuiſſe, tamen hoc profecto ſatis declararunt, puerorum Baptiſmum ſibi vehementer probari. Sed quid opus eſt verbis? Nulli unquam Patres in dubium vocarunt, non modo an poſſent, ſed etiam an deberent pueri baptizari. Sicubi autem eſt minus obſervatum, id partim ſocordia, partim ſuperſtitione hominum, exiſtimantium ejus lavacri virtute peccata ablui, atque propterea in ultimum vitæ tempus id protrahendum, uſu venit. Ideoque à ſummis viris & ſæpe & graviter fuere reprehenſi. Baſilius cum matres infidelitatis, vel certe modicæ fidei ac puſillanimitatis inſimulat, quæ liberos ſuos primo quoque tempore non curant baptizari; eis Annæ exemplum proponit, quæ filium etiam antequam eſſet editus, Deo vovit. Ambroſius, ut qui fuerit Origenis ſtudioſus ſectator, etiam Origenis ipſa argumenta, & tantum non ipſa verba hoc in argumento eſt mutuatus. Hieronymus gravi ſcelere implicat eos, qui liberis parvulis Baptiſmum dare noluerint, eoſque facit iræ Dei obnoxios. Auguſtinus de Baptiſmo, contra Donatum diſputans, ſcribit: *Quod traditum tenet univerſitas Eccleſia, cum permulti infantes baptizantur, qui certe nondum poſſunt credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, &c. & tamen nullus Chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et ſi quiſquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime credimus; tamen veraciter conjicere poſſumus, quid valeat parvulis Baptiſmi ſacramentum, ex Circumciſione carnis, quam prior populus accepit, quam priuſquam acciperet, juſtificatus eſt Abraham, &c.* Sed nolo quenquam conſtringere authoritate hominum. Illud tantum volo, cum nullo, neque decreto hominum, neque concilio ſit hoc inſtitutum, & poſt omnium Patrum memoriam ſemper in Eccleſia conſtantiſſime obſervatum, quis dubitabit, quin ab ipſis Apoſtolis fuerit ea conſuetudo ad nos derivata? & in hac quæſtione potius fidem adhibebit omnibus Patribus, uno ore idem affirmantibus, quam novis iſtis hominibus, qui doctrinam à manifeſte fanaticis hominibus primum acceptam, ac deinde putida quadam hypocriſi nonnihil fucatam, nobis volunt pro Dei verbo obtrudere? & non dubitant impudentiſſime quod neſciunt, aſſeverare.

Sexto argumento probatur Baptiſmum infantibus non convenire, propterea quod non ſint regenerati. Hic vides ex errore errorem necti, nec unquam finem labendi fieri, donec in præcipitium abrepta ſit hominis, ab ipſa Dei veritate aberrantis, mens. Quam eſt enim hoc impium, pernegare infantes eſſe regeneratos? quos omnino conſtat in Chriſti corpus eſſe cooptatos? Velim profecto audire ex his hominibus, nunquid putent Chriſtum verum dixiſſe, quando uno verbo pronunciavit, neminem poſſe regno cœlorum frui, niſi qui denuo ſit renatus? Ajunt fortaſſe de adultis eum id modo intelligere. Quid verò? an ſoli adulti ex carne nati ſunt, an etiam infantes? Quo hic ſeſe contorquebunt? Veniat illis in mentem, quod alias ſolent identidem intonare, univerſam Adami ſobolem ita eſſe corruptam, ut ex ea Chriſtus naſci non potuerit, niſi ſimul eſſet ejuſdem corruptionis particeps. Quare ſi omnes infantes caro ſunt & ex carne nati, neceſſe eſt vel renaſci eos, vel regno cœlorum penitus excludi. Atqui Chriſtus ait, eorum, ſeu talium, eſſe regnum cœlorum: & ſimul idem ait, cuicumque conveniat regnum cœlorum, eundem eſſe regeneratum: quid eſt quod hic hærent homines αὐτοφυεῖς ac ſibi nimium applaudentes? An verbum etiam hic requirunt? an in luce meridiana etiam cæcutire pergunt? Sed hoc eſt profecto. Semel ſibi perſuaſerunt homines, propria juſtitia gratiam Dei conſequi: atque hinc fit, quod neque quid ſit regeneratio, neque quid juſtificatio, prorſus intelligant. Exiſtimant enim, regenerationem in hominis quadam virtute, non in Dei ac Spiritus Sancti gratiâ conſiſtere: Quare diſcant primum quid ſit regeneratio, & in Nicodemi ſcholam ablegentur, ut intelligant Spiritum eſſe, qui regeneret, quemcunque velit, neque id ex hominis pendere arbitrio; ac propterea neminem niſi regeneratum poſſe in regnum cœlorum introire, & ſe tum demum profiteantur magiſtros eſſe in Iſraël.

Septimum argumentum in ipſum Deum ejuſque æternam ſapientiam potius quam in nos contorquetur. Is enim, quemadmodum olim Circumciſionis ſymbolum conjunxerat cum ſeriis & gravibus exhortationibus, ad veram pœnitentiam ac circumciſionem præputii cordis; ita poſt etiam noſtrum Baptiſmum cum vera pœnitentia, & ablutione ſordium cordis & conſcientiæ conjunxit. Hic ſtomachantur Catabaptiſtæ, & volunt nemini competere ſignum, quicum ejuſmodi exhortationes ſint conjunctæ, niſi ſimul eiſdem competant ipſæ exhortationes. Improvide igitur eorum judicio à Domino factum eſt, qui, cum vellet Circumciſionem eſſe renovationis, ac pœnitentiæ mortificationiſque ſymbolum; infantes tamen, qui ejuſmodi nondum caperent, voluit circumcidi: vel potius certe improbe cavillantur iſti, quod Baptiſmus ſit ſymbolum ejuſdem renovationis ac pœnitentiæ, ideo pueris minime impartiendum. Quaſi vero & Baptiſmus, & Circumciſio, non primarie Dei erga nos fœdus ac beneficium, ac tum demum ſecundario noſtram etiam pœnitentiam ac fidei atteſtationem obſignent. Hi boni viri culicem excolant, cum camelo devorando non magnopere ſint ſoliciti.

Octa-

Ep. I. *Octavum, nonum, ac decimum argumentum* augent quidem numerum argumentorum, ſed reipſa cum primo & ſecundo ſunt eadem; quare eorum refutatio ex ſuperius dictis eſt petenda.

Undecimum argumentum mera eſt impoſtura. Quod enim non modo eſt in controverſia, ſed etiam longè falſiſſimum, id non tantum pro confeſſo ſumunt, ſed pro ipſo etiam ratiocinationis fundamento: Nimirum, baptizari in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nihil eſſe aliud, quam eam conſolationem, fideique certitudinem accipere, quod à Deo trino & uno peccata ſint nobis remiſſa, & quod Deo per Chriſtum grati ſimus. Qua definitione quid poteſt eſſe falſius? quidve abſurdius? quaſi vero baptizari ſit accipere conſolationem & certitudinem fidei, & non potius ſymbolo externo inſigniri, ut in fœdus Dei recepti eſſe intelligamur? Sed nolo eſſe nimium ſeverus: Demus poſitum fuiſſe pro definitione effectum, ſeu potius finem Baptiſmi. At certe cum hunc non eſſe Baptiſmi potiſſimum finem, jam ante ſatis ſit declaratum, quid hac argutatione efficitur? Eſt enim huic per omnia ſimilis. Circumcidi eſt accipere conſolationem & certitudinem fidei, quod ſimus juſtificati per ſemen promiſſum, quemadmodum in Abrahamo declaratum eſt; ergo quicunque ejuſmodi certitudinem non accipiunt, ii vel non circumciduntur, vel fruſtra circumciduntur. Hoc eſt profecto abuti & oratione & auditoris patientia. Quis enim non videt, ut etiam maxime demus Circumciſionem eſſe, vel parere, vel certe ſignificare ejuſmodi certitudinem, tamen ejus potiſſimam partem in eo conſiſtere, quod Deus ſuum fœdus in homine obſignet? Fœdus autem illud tam ad infantes pertinet, quam ad eos, qui hac certitudine Dei promiſſionem in cordibus ſuis obſignant. Alioqui neceſſario efficitur, inutilem fuiſſe olim Circumciſionem, cum poſt Abrahamum, niſi pueris, vel nullis, vel certe quam pauciſſimis data fuerit. Certe fœderis divini veritas non pendet ab humana certitudine, ſed à Dei certiſſima voluntate, qui quos vult in fœdus ſuum aſciſcit. Breviter itaque reſpondemus ad hoc undecimum argumentum, vel potius ad ejus argumenti priorem partem: Baptizari omnino non eſſe conſolari, confirmarique in fide; ſed eſſe nihil aliud quam inſigniri aquæ ſymbolo, quo fiat teſtatum, eos qui baptizentur in fœdus Dei, atque adeo in Eccleſiam, eſſe receptos; propterea quod, cum natura eſſent filii iræ & peccati labe contaminati, jam ſint virtute divini fœderis per Chriſtum facti filii Dei, & in Chriſti ſanguine purificati, ut poſthac eam purificationem in omni vita exprimant, & ſeſe Chriſto Jeſu conſepultos oſtendant. Hæc ſane omnia, quia infantibus pulchre conveniunt, ac ſuo profecto jure tribuuntur, cum ſint eis per Dei gratiam data, omnino efficitur & Baptiſmum eis convenire. Atque hic iterum obſervandum eſt, quod ante commemoravimus, turpiter eos falli, dum ſtatuunt, Baptiſmum à noſtri tantum parte eſſe ſymbolum; cum vel maxime in eo ſpectandum ſit Domini fœdus, quo ſe ipſe erga nos obligat: noſtra enim omnis ſanctificatio ex illo fonte oritur, non è contra. Nec enim, quia in novitate vitæ ambulamus, ideo nos adoptavit Deus; ſed quia nos jam ante adoptavit, & in Chriſti ſanguine puritate & juſtitia donavit, ideo ſimul etiam nos facit ſanctificationis participes: Et quia Deus noſter eſt, nobiſque gratuito peccata omnia remiſit, eorumque amplius recordari non vult, ideo nobis donat cor novum, in quo legem ipſe ſuam ita efficaciter inſculpit, ut in vitæ novitate ambulemus. Præpoſtere igitur ratiocinantur, atque adeo divinæ gratiæ injuriam faciunt, qui ex noſtris operibus beneficia Dei præciſe volunt æſtimare. Quemadmodum fit in ſecunda parte hujus argumenti: quaſi, quia nos conſepeliamus in Baptiſmo veterem hominem, ideo Dei fœdus ejuſque fœderis ſymbolum ad nos pertineat. Hoc eſt enim nimis maligne gratiam Dei evertere, qui procul omni dubio hac ſanctificatione nos donat, propterea quod ante jacta mundi fundamenta in Chriſto ſuo propter ſuum beneplacitum nos elegit, atque in filios ſibi adoptavit. Quam ipſe ſuam adoptionem electionemque in nobis jam ab utero matris conſignat: eaque poſtea Spiritum ſanctificationis ſuo tempore confirmat, ratumque in nobis facit. Ita ut manifeſte liqueat, ejuſmodi ratiocinationes non modo eſſe præpoſteras, ſed penitus impias, & divinæ gratiæ nimium injurias. Ep. I.

Duodecimum argumentum prorſus eſt nugatorium & paralogiſmis plenum. Ait enim, Quicunque nomen Trinitatis iis proponit, qui non habent aures ad audiendum, neque mentem ad intelligendum, eum abuti nomine Trinitatis. Atqui facere id eos, qui pueris nomen Trinitatis proponunt. Abuti itaque nomine Trinitatis, & obnoxios iræ Dei effici. In quo ſane argumento utraque ſumptionum eſt falſiſſima. Primum enim quod ait, non eſſe proponendum Dei nomen, niſi iis, qui audiunt & intelligunt, quam eſt falſum? Quis enim neſcit, quoties pueris benedicitur proponi nomen Dei. Rogatur enim Deus ut velit illis eſſe propitius, quemadmodum ab ipſo Chriſto factitatum legimus, qui pueros ulnis complexus Patri cœleſti commendavit, & ſacratiſſima ſua benedictione dignatus eſt. Deinde, an neſcimus non modo puerulis, verum etiam ſurdis, dæmoniacis, & vero mortuis ipſis nomen Domini invocatum perſæpe profuiſſe? An abuſus eſt Chriſtus ipſe Patris ſui ſacratiſſimo nomine, quando illud ſuper Lazarum, ut jam tot ſurdos præteream, invocavit? quando ipſi Lazaro inclamavit, Lazare tibi dico ſurge. Si reſpondeant, Chriſto etiam mortuas creaturas obedire: Nos viciſſim

Ep. I. sim dicemus, & Christi verbo puerulos sanctificari. Quanquam quid attinet hâc de re disputare, cum satis notum sit, in Baptismo non tam pueris ipsis nomen Dei proponi, quam ipsi Ecclesiæ, puerorumque parentibus: qui verbi divini certitudine persuasi, credunt Deum esse suum, suique seminis Deum, ideoque symbolum ejus fœderis à Domino institutum non dubitant suis infantibus consignare. Nec enim fide imbecilli vel suum corpus, vel suorum liberorum impotentiam considerant, vel adversus Dei promissionem infidelitate disceptant; sed fide robusti tributa gloria Deo plene persuasum habent, eum quod promiserit posse etiam, ut quam maxime repugnent Catabaptistæ, plene præstare: quemadmodum de Abrahamo testatur Paulus. Verum enimvero pervelim audire ex his divini nominis propugnatoribus, an censeant in Circumcisione fuisse nomen æterni Dei propositum iis, qui circumciderentur, nec ne? Si negant, jam ex sanctissimo Dei sacramento puerilem fabulam efficiunt: sin autem fatentur, jam ex eorum argumentatione efficietur Dei nomen frustra & mutiliter fuisse in Circumcisione usurpatum; quod cum sit horrendum vel cogitatione complecti, sequitur profecto impiam esse totam hanc argumentationem, nedum frivolam.

Tertium decimum argumentum est longe vitiosissimum. Quis enim unquam ita est argumentatus? Quicunque est anima rationali præditus, is est animal; atqui canis non est anima rationali præditus; non est igitur canis animal. Fatemur profecto nos, eum qui in fide divinæ gratiæ conformari queat, esse baptizandum, si baptizatus non fuerit. Sed nihil minus ex eo efficitur, quam propterea pueros non esse baptizandos. Quia quemadmodum etsi omnes rationali anima præditi, sint animalia, non tamen ii soli sunt animalia; ita etiamsi omnes fide præditi sint Baptismo initiandi, non tamen iis solis potest hoc competere.

Quartumdecimum argumentum ex falsis constructum, docent, tum ea quæ superius dicta sunt, tum una Cypriani epistola. Quanquam fatemur multos olim fuisse, qui, nisi ad extremam senectutem, tingi se patiebantur. Sed hoc superstitione factum est, quod ea tinctione putarent omnia sibi peccata condonari. Deinde propter horrendas persecutiones, per quas haud quicquam licebat statuere. De liberis, qui non raro ad idolorum cultum invitis parentibus rapiebantur, dilata sæpe fuit hæc tinctio Baptismi. Alioqui certum est, post Apostolorum ætatem & perpetuo & constanter fuisse hunc ritum in Ecclesia observatum. Quod etiamsi non esset, tamen esset potius ex verbo Dei quam ex prava consuetudine res æstimanda definiendaque.

Duo postrema argumenta, quæ eodem referuntur, superioribus positis facile sua sponte concidunt. Satis est enim declaratum, pædobaptismum ex certissimo Dei verbo, Christi institutione, exemplo ac doctrina, Apostolorumque certissimo axiomate esse constitutum. Quare, incertam velle efficere de pædobaptismo doctrinam, est penitus impium, & cum summa malignitate conjunctum. Quid enim eo potest esse certius, quod ex fidei nostræ certissimis eruitur fundamentis, ex ipsius verbi Dei, ad cujus amussim omnis est expendenda certitudo, doctrinâ certissime constitutum, ab ipso usque Abrahamo per multa annorum millia in Ecclesia constantissime observatum, neque ulla unquam ætate ab omnibus omnium sæculorum hæreticis revocatum in dubium? Quod ipsa etiam docet ratio, natura confirmat, sensusque communis extorquet; nimirum omnibus qui fœderis gratia justificationis dono in Christo donati sunt, eodem modo debere divini fœderis notâ ac symbolo insigniri? Atque hæc quidem hactenus. Ep. I.

De saltatione seu tripudiatione quam proponis quæstionem, majorem habet difficultatem: est enim difficile quippiam statuere nihil præscribente Dei verbo. Et conscientias vincire ubi liberæ sint à Deo relictæ, etiam est cum hypocrisi & impietate nonnulla conjunctum.

In veteri Testamento saltationes fuisse usitatissimas, nemini non est notum, nisi cui Scriptura ipsa penitus est ignota. In publicis feriis, in rebus lætis ac prosperis, choreas duxisse constat. In domesticis etiam gaudiis atque oblectationibus fuisse Christi temporibus usitatum, declarat illa Christi de filio prodigo parabola, Luc. 15. 25. in cujus reversione lætum patrem, ait, choros instituisse. Eumque morem à superioribus ætatibus fluxisse testantur omnes Prophetæ, qui intempestivas choreas, ludosque immoderatos in populo Dei reprehendunt. Sæpe etiam quoties cladem aliquam minantur, prædicunt sublatas iri choreas, cessatura tympana, ceteraque oblectationis instrumenta. Iisque ad turpes voluptates, carnisque illecebras fuisse abusos, testatur exemplum Herodiadis. Cum tamen eorum majores in rebus sacris, in Dei laudibus, in celebrandis feriis, ad Dei laudem, cum magna laude uterentur. Ex quo appareret, saltationes in eo genere ponendas, quæ cum per se sint adiaphoræ, ex usu ipso ac fine, cujus gratia usurpantur, vel pro bonis habentur rebus, vel pro malis. Solet autem fere saltationis esse finis vel corporis exercitatio, vel oblectatio animi. Accepimus enim olim apud Græcos, Indos ac Persas, in liberalibus studiis positam fuisse saltationem. Lacedæmonii quoque saltationem quasi ad bellum utilem, ut gressu composito incedere assuescerent, inter quotidianas disciplinas habuere. Nam esse motum illum totius corporis ad numeros vel rhythmum compositum, exercitationi aptum, tradunt inter medicos non pauci. Concinnitatem autem illam ad numerum compositi gressus, etiam animum recreare est extra dubium.

Ep. I. biuu. Sed quia ſolet ad inhoneſtas ac etiam ſceleſtas animi oblectationes plerumque adluberi, ideo à multis viris bonis damnata fuit, & è multis etiam bene conſtitutis rebus publicis exterminata.

Et ſane habet in ſe tum omnis ſaltatio, tum vero maxime ea, quæ hodie in uſu eſt, molle quiddam ac geſticulatorium, homine Chriſtiano indignum: quem vult Paulus non in actionibus tantum eſſe moderatum, ſed etiam gravem in oratione, & ipſa totius & corporis & animi compoſitione. Quod ſi etiam ad Chriſti capitis noſtri imaginem referri debent omnes noſtræ actiones, quam in vita Chriſti repericmus partem ad quam tale aliquod exemplum componi poſſit? Adde quod illud à Cicerone graviter dictum, etiam hac noſtra ætate, & his noſtris moribus multo eſt veriſimum: Intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comitem eſſe extremam ſaltationem. Ita ut quo magis ab ejuſmodi laſcivis ineptiis abeſt homo Chriſtianus, eo ſe propius ad Chriſti exemplum poſſit componere. Hinc eſt quod Genevenſes, homines certe meo judicio ſapientiſſimi, ſaltationis omne genus prohibuerunt. Quanquam poteſt etiam municipalis conſuetudinis ratio in cauſa fuiſſe. Scimus enim Burgundicam ac Sabaudam gentem non ſecus quam Gallicam levibus ejuſmodi ineptiis uſque ad flagitium addictos eſſe: Ita ut non poſſent viri optimi ac religionis ſtudioſiſſimi, ullam religionis formam introducere, niſi primum fœdos ejuſmodi ritus exterminaſſent. Atque hinc eſt, quod omnes choreas ita inceſſat Viretus, nominans eas Satanæ flabella, lenociniorum cadurca, ſcortationum tabernas. Habuit nimirum vir perſpicax ejus loci quo degebat rationem. Alioqui non video cur in Germania tantopere debeant inceſſi, cum gravitatem illam ſuam ingenitam etiam in choreas adhibeant Germani. Cum ſæpe viri principes magna gravitate, ac ſingulari pietate, ſæpe etiam miniſtri ipſi tempeſtivis choreis lætos nuptiarum Hymenæos condecorare non dedignentur. Atque eſt ſane alia apud Germanos, alia apud Gallos, ſaltandi ratio. Quare uno judicio de omnibus peræque ſtatuere, haud mihi videatur eſſe animi vel prudentis vel moderati. Poteſt enim quandoque ſine crimine animus recreari relaxarique. Ad eam rem variæ ſunt gentium conſuetudines. Alii muſicos concentus adhibent, alii etiam numeroſam corporis motionem adjungunt, alii pila corpus exercent, alii ſolle, alii alio genere. In quibus eſt profecto difficile ac periculoſum quicquam temerè ſtatuere. Et ſi eſt in voce conceſſus numerus & harmonia, cur non erit in greſſu? Illud tamen non verebor aſſeverare, omnino eſſe experendum, ut lege ſaltationum omne genus cohibeatur. Statuo enim meliorem fore civitatem ejuſmodi laſciviæ illecebris procul remotis. Melius etiam cautum fore muliebris ſexus pudicitiæ plane Ep. I. reor. Ubi vero non modo ſaltatur, ſed etiam ſaltatur impudice, ubi choreis intempeſtiva convivia, laſcivæ geſticulationes, impuræ larvarum oberrationes accedunt, non dubitarim eas in univerſum damnare. Velim etiam omnino removeri illas in choreis virorum mulierumque mutuas prenſationes: Et ſi omnino ſaltare vellent, ſaltem viri cum viris, mulieres ſaltarent cum mulieribus; propterea quod ſoleat plerumque hæc ſexuum permixtio laſciviæ ac libidini turpem feneſtram aperire. At vero in ſeſe haud exiſtimo ſimpliciter omnem ſaltationem uno calculo poſſe condemnari. Aliud eſt enim cum in Rep. de legibus bene conſtituendis, aliud quum in conſcientia de vinculis injiciendis agitur. In Republica enim ſuaſerim non modo ſaltationem, ſed etiam infinita alia ejuſce generis vel laſciva vel inepta oblectamenta penitus debere præcidi. At in judicio conſcientiæ, haud mihi ſtatuo jus eſſe quippiam in eo decernendi, quod verbo Dei videtur eſſe relictum liberum. Suaſerim tamen omnibus, ut ne quiſquam ad ejuſmodi nugas ſeſe projiciat. Sed neminem ego quidem damnabo qui ſaltarit, donec vel manifeſto Dei verbo edoctus fuerim ſaltationis omne genus eſſe vetitum, vel manifeſte videro eum ipſum qui ſaltavit, laſcivia atque intemperantia eo fuiſſe impulſum; quod poteſt quidem in pleriſque ſaltatoribus videri, at in omnibus ſtatui profecto non poteſt. Hoc eſt meum hac de re judicium, quod ego ſane tuo rogatu potius, quam mea voluntate inductus, in magna virorum diſſenſione interpoſui. Si quid habes melius, facito me participem. Cupio enim diſcere, & de mea ſententia lubens diſcedere, ubi quid rectius edoctus fuero. Vade & boni conſule.

II.

PHILIPPO SIDNEIO

EQUITI,

Vliſſingæ & copiarum quæ in Zelandia præfecto

JUSTUS LIPSIUS S.P.D.

ILluſtris Domine, Vltrajectum veneram, *Politica. & capitalia Buſil.* & id tantum, vere dico, tui ſalutandi cauſa. Elapſus mihi es paucis ante adventum meum horis; quod fero, etſi doleo. Res bellica vos nunc tenet; ſed nec togata iſta & politica negligenda eſt: in qua vereor, (cur non utar libertate quam apud te mihi eſſe voluiſti?) vereor inquam, ut quidam calide nimis & cum affectu verſentur. Lenta iſtorum hominum ingenia, neſcio quomodo tractari gaudent via len-

Ep. II. lentiore. Emiſſi Ultrajecto nuper magnus numerus, ſecuritatis cauſa: ſcio, nec damno. Sed quid ſi carptim & per partes? Uno agmine quid opus fuit? Buſius arcte, nec ex dignitate, detinetur; cui privatim amicum me fuiſſe fateor (nec enim ex iis ſum qui vultum & animum mutant cum fortuna) publice tamen ſi quid peccavit, non excuſo. An excidit tibi judicium de illo meum? Libere tunc, & quod pro patriâ cenſebam, in illum dixi: dicam quod pro illo videatur, ſed eodem fine. Studio patriæ, aut honoris veſtri nulli mortalium cedo. Res docebit. Parem me non fateor tamen illis, quibus lingua prompta, vaga, ſæpe vana. Quod ago, ſentio, ſerio ago, ſentio; nihil in frontem. Sed de Buſio: ſi non uſui ille vobis, nonne ordine moveri ſatis erat? At nocuiſſet. Ecce telum alterum, patria & finibus emitte. Carcer, nec cauſæ dictio, invidiam habet & ſermones, etiamſi meruerit. Quid novos fluctus movent, ubi veteres nondum quievêre? Ego tibi vaticinor (utinam vanè) ad diſſidia interna nos ducent rapidi & torrentes iſti; quod ſi imperium veſtrum ubique firmum, minore periculo peccarent; nunc ſcilicet quæ loca præſidiis careant, non vident. Aſſeri habenas vobis plene & firmiter probo, ſuadeo; tempeſtive modo id fiat & cum quodam tractu: in corpore tam ægro, omnia paucis menſibus curatis? opus eſt dieta. Hæc & plura utinam in ſermone potuiſſem: ſed mentem meam tu certe vides, quam puram & innoxiam eſſe Deus mihi teſtis. Ego te rogo per Regni & Reginæ veſtræ honorem, per communem omnium noſtrum ſalutem (nec enim disjungi poteſt) tempera, quod in te eſt, ſervorem illorum qui zeli ſpecie & amoris fallunt. Se, non vos, auctum eunt, qui in præcipitia iſta vos trudunt. Vale vir illuſtris & æternum mihi care. Illuſtriſſ. Comiti & Gubernatori, victoriam & ſucceſſum precorex affectu. Ultrajecti in diverſorio. xxx. Auguſti, CIↃ IↃ LXXXVI.

Illuſt. D. T. addictiſſimus Cliens

JUSTUS LIPSIUS.

Dum hic ſum, convenerunt me affines & amici Buſii, qui valde queruntur de carcere ſtrictiore. Imo nec acceſſum iis patere. Ego precor, ſed ita ut tu quid in rem ſit, videas, facias.

III.

Nobili, generoſo, magnificoque viro

THOMÆ, N.

Libero Baroni in Buckenhorſt,

Sereniſſ. Anglorum, &c. Regina per Belgium

LEGATO.

Legato Buckenhorſt Synodus Sueeana.

IN eam (proh dolor) temporum perturbationem, rerumque omnium confuſionem ob peccata incidimus, Nobiliſſ. generoſiſſimeque Domine, ut niſi ruptis è veſtigio omnibus moris, contumaciæque impedimentis jam jam ſolutis ad Deum Opt. Max. cujus in nos ira juſtiſſimis de cauſis efferbuit, ex animo convertamur, omnibus propediem ſit pereundum. Nos autem, qui Eccleſiis erudiendis, & gubernandis per Friſiam occiduam præfecti ſumus, Deum ipſum teſtamur, nos pro virili in id ſummo ſtudio, curaque apud noſtras Eccleſias hactenus incubuiſſe, ut, ſi fieri poſſit, offenſum numen aliquo modo neceſſariis pietatis Chriſtianæ officiis placaremus. Id quod aliqua ex parte impetratum eſſe divinitus, Spiritus Dei noſtris conſcientiis, quæ nunc paulo tranquilliores ſunt, & conceptum ex graviſſima Dei offenſa metum nonnihil remiſerunt, teſtatur. Sed & ipſe rerum ſtatus, qui antea vere deploratus erat, ejuſdem nobis rei ſpem nonnullam facit. Noſtræ enim lachrymæ, & continuæ preces Deum, pro ſe alioquin ad impertiendam pœnitentibus miſericordiam promptiſſimum, permoverunt, ut Sereniſſ. Majeſt. Angliæ excitaret, quæ nobis, & Eccleſiis in extremo rerum diſcrimine ſubvenire clementer velit. Quamobrem cum pro ſua in afflictum Belgium, ejuſque Eccleſias pene deploratas clementia Sereniſſ. Majeſt. noſtram gratitudinem publice declarare, atque ut in poſterum idem facere benigne dignetur, omnibus modis ſubmiſſe orare conſtituiſſemus, miſimus ex noſtra Synodo per Friſiam indicta, & celebrata, reverendum & doctum virum Magiſtrum Balthaſarum Arnemium, verbi Dei miniſtrum, dilectum nobis in Chriſto fratrem, ad tuam Generoſitatem, ut tibi Majeſtatis nomine per Belgium legato libellum ſupplicem Majeſtat. nomini inſcriptum exhiberet, quem tua Generoſitas primo quoque die in Angliam mittere dignetur. Quod tam petimus ardenter, quam tibi Chriſti Eccleſia, & Angliæ Majeſtas grata eſt. Dominus Jeſus Chriſtus rex regum, cui omnes militamus, tuam Generoſitatem clementer tueatur, & ſpiritu ſapientiæ inſtruat. Datæ Sneeæ ex oppido Friſiæ, ex Synodo, 22 Aprilis, Anno 1587.

IV.

Exemplar libelli ſupplicis ad Sereniſſ. Angliæ Reginam.

Inſcriptio.

SERENISSIMÆ

ELISABETHÆ,

Dei gratiâ Angliæ, Franciæ, Hyberniæ, &c.

REGINÆ.

Sereniſſima Regina,

Eliſabetha Anglia Regina Synodus Succana.

SI tanta fuit priſcis temporibus ſupplicum reverentia, etiam apud eos reges & populos, qui nulla immortalis Dei vera cognitione imbuti fuêre, ut eos poſt patratam, etiam in conſanguineos & propinquos, injuſtiſſimam cædem, in ſua tecta receperint, & à deposcentibus ad pœnam defenderint, religione quadam moti; quanta nos major fiducia tenere debet Tuæ, potentiſſima Regina, Clementiæ, qui non propter perfidiam in quemquam mortalium deſignatam, aut fuſum cujuſpiam ſanguinem, & vitam per ſummam injuriam ereptam, ad tuam Majeſtatem ſupplices confugimus: ſed maximo in metu extremorum periculorum conſtituti, non modo vitæ & fortunarum, verumetiam, quod maximum eſt, veræ religionis. Quod cum omnium ſermonibus triſtiſſimiſque Eccleſiarum Epiſtolis ad tuam Majeſtatem perferri non dubitemus, inanem nos operam ea in re tuæ Majeſtati pluribus declaranda ſumere noluimus, ne patentiſſimas tuæ Majeſtatis aures, per ſe alioqui promptiſſimas ad audiendas afflictæ propter rectæ fidei conſtantem confeſſionem Belgii querimonias, immodice oneremus. Verbis enim agitur apud imperitos, rationibus inducuntur repugnantes. Ut autem Eccleſiam noſtram in Friſiis ejuſque tutelam tuæ Majeſtati cum omni reverentia, ſolicitudine, ac demiſſione commendaremus, non alia nos impulit ratio, quam quæ ad omnes homines æque pertinet, Dei Optimi Maximi gloria, quæ ſarta tecta manere non poteſt. Quæ quia nunc in extremum diſcrimen quorundam maleſeriatorum levitate adducta eſt, non poteſt non ruere, niſi præſenti firmoque tibicine è veſtigio fulciatur. In hac igitur conſternatione omnium exitiique metu, in quem reſpicere, ad quem confugere certius poſſumus, quam ad eum, qui ſuis ſe affuturum uſque ad conſummationem ſæculi promiſit, Jeſum Chriſtum, Filium Dei Servatorem humani generis? Sed hic quando ſe in cœlos ad Patrem recepit, interea reges reginaſque conſtituit, quorum ſubſidiis foverentur pace, armis defenderentur bello, ſi ad ultima præſidia veniendum eſſet. In horum numero Pater tuus felicis memoriæ Henricus VIII. minime poſtremus eſt, qui primus in Angliæ regno reformandæ Chriſti Eccleſiæ fundamenta jecit: cujus veſtigiis Eduardus frater tuus inſiſtens, non modo reliquum opus magnifice auxit domi; ſed & extra regni fines progreſſus, alienas quoque Eccleſias omni pietatis officio, nullo clementiæ & liberalitatis genere prætermiſſo, proſecutus eſt. Hoc docent tot doctiſſimorum piiſſimorumque virorum lucubrationes, ejus nomini ad æternam laudis memoriam inſcriptæ; hoc teſtantur nobilium, privatorumque hominum, & eruditorum, & piorum infinita millia, qui propter ſanam veræ religionis ſcientiam patriis ſedibus per Germaniam, & Gallias ejecti, bonis omnibus ſpoliati, cunctiſque terrarum finibus exacti, in tuum regnum, non aliter quam in commune orbis terrarum aſylum, ſe tutiſſime contulerunt. Sed quia non minor eſt virtus animoſe parta tueri, quam recte quærere, tu demum, tu Eliſabetha acceſſiſti tertia, quæ operi ab Henrico parente feliciter inchoato, ab Eduardo fratre in immenſum aucto, coronidem jam conſummato imponeres, ab eoque omnem violentiam hoſtium tuis ſubſidiis arcendam putares. Quod tametſi propter ſummam tuorum concordiam, & perpetuum doctrinæ religioniſque conſenſum, tuo in regno per ſummam Dei benignitatem ut fieret, Te regnante, nondum neceſſe fuit; tamen quia aliarum etiam Eccleſiarum pericula tibi, propter communem Deum, communia putas, minime paſſa es, eas, quoties opus fuit, tuis auxiliis deſtitui; quo nomine Tuæ Majeſtati omnes pii immortales gratias agunt, & ſe tibi obſtrictas perpetuum, omnes Germaniæ & Galliæ Eccleſiæ libenter fatentur. Quid unquam mirabilius poſt hominum memoriam auditum eſt? Pater magno ingenio, ſummaque prudentia vir, incepit, adoleſcens infirma ætate promovit, filia in tanta ſexus imbecillitate abſolvit. Ut vero dubium non eſt, Henricum patrem tuum, & Eduardum fratrem, cum illud ſanctiſſimum Eccleſiæ per ſuum regnum repurgandæ ac inſtaurandæ conſilium mente agitarent, ad tempora Veteris & Novi Fœderis reſpexiſſe, quæ egregia, & multa exempla ſuppeditant piiſſimorum principum, qui ſublato impio cultu, Deo ſuum honorem ex ipſius decretis reſtituerunt: ita credimus Tuam quoque Majeſtatem eodem oculos convertiſſe. Sicut enim illi habuerunt ſuo in ſexu & ordine Davidem, Ezechiam, Joſiam, Theodoſium, Carolum cognomento Magnum, atque alios, quorum ſtudia, fidem, ac diligentiam in conſtituenda propagandaque vera religione imitarentur; ita nec Tuæ Majeſtati, tuo in ſexu & ordine defuerunt mulieres, quæ pios hoſtium injuria oppreſſos fortiſſime vindicarunt, & Eccleſiam labentem ſuſtinuerunt, & conſerva-

Ep. IV. ſervarunt. Talem ſacri libri memorant Deboram, quæ non tantum vatis nomen meruit, quod Eccleſiam erudiret, ſed & fortiſſimi ducis laudem conſecuta eſt. Nam Iſraëlis exercitum divino numine freta in aciem deduxit, & cæſo Siſera cum omnibus copiis & curribus in fugam actis, ſplendidiſſimam victoriam, ſuis conſervatis, reportavit. Quid memoremus Juditham, quæ maximas vires regis Aſſyrii ad Bethuliam disjecit, vicit, & contrivit, eluſo & obtruncato per pium aſtum duce ejus Holoferne. Ex gentium item hiſtoriis res maximæ à mulieribus fortiter geſtæ ſuppetunt, quas, quia eo tantum faciunt, ut earum præconia in rebus bellicis virorum gloria æquentur, conſulto omiſimus. Tuæ vero Majeſtati defigendi ſunt oculi, non in aucupationem perituræ poſt ultimum ſpiritum gloriæ; ſed in illum ſcopum, quem ipſa Dei Majeſtas ſuomet ore pronunciatum Regibus, Reginiſque, quos ſuæ Eccleſiæ nutritios, & nutrices deſtinavit, proponendum mandavit. Primum omnium ii, quos in hoc ampliſſimo mundi regno aliis regendis tutandiſque Deus præfecit, magna cura, ac ſtudio cogitabunt, quemadmodum in omnibus vitæ actionibus ſe ad illuſtrandam, provehendam, & defendendam illius ſolius æternam gloriam, comparare debeant; eò omnia vota ſua, conſilia, ac vires conferant. Deinde ne ab aliis diſcendum putent pluribus, quibus in rebus hujus divini honoris conſtitutio conſervatioque ſit poſita; ſciant eas res Deum ipſum tabulis duabus deſcriptas per Moſen promulgaſſe, atque ad has ſine diſcrimine æquo jure defendendas divinitus principes obligatos eſſe. Hoc ſi reges barbari ſumma ope conati ſuere, ſacra doctrina à Prophetis mediocriter aſperſi, Nebuchadneſer, Cyrus, Darius, Alexander; an non in idem omnibus nervis contentis incumbent Chriſtiani Monarchæ, quibus ſana doctrina & veræ religionis ſtudia per majorum manus tradita ſunt, eaque in matrum nutricumque lacte ab infantia imbiberunt? Macte animo, macte virtute, Sereniſſima Regina, aude, eja, rumpe moras, gladius hoſtium diſtrictus eſt, & noſtris cervicibus imminet, velut urſi, ungues nobis intentant, velut leones rugitu terrent, noſtra ſibi viſcera & ſanguinem eſcam deſtinant. Abſit fortiſſima piiſſimaque Eliſabetha Regina, abſit, ut leviſſimorum hominum calumniæ generoſi animi tui divinum propoſitum frangant, conſilium interturbent, voluntatem ab aſſerenda Chriſti gloria quovis modo abalienent. Aderit invicta Dei dextera, quam pii principes toties præter omnem ſpem & expectationem in maxima trepidatione, rebus deploratiſſimis, experti ſunt, & ſuis poſtea carminibus celebrarunt. Sint ob oculos potentiſſimorum regum Aſſyriæ, Syriæ, Ægypti, fœdi & triſtes exitus; & his oppoſitæ piorum clariſſimæ liberationes, & victoriæ. Non eſt imminuta vis divinæ Majeſtatis ut auxiliari non poſſit, non obſurduerunt ejus aures, ut ſuorum gemitus non exaudiat; colligit ille miſerorum lachrymas, & in utribus aſſervat, ut ait in odis Davides, ut & recordetur, & vindicet. Jam videmur videre illum diem, quo barbaris viris, ſua tantum multitudine & crudelitate confiſis certiſſimæ victoriæ, toto Belgio fuſis, ac terra marique fugatis, Tu fœmina, imbellis ob ſexum habita, ampliſſima trophæa, ſed in ſacro monte Sionis, hoc eſt, Eccleſia Chriſti ſtatues; atque ob id non modo in hac mortali vita inter laudatiſſimas fœminas numerabere, quæ & ſuos, & exteros maximis in omni genere beneficiis cumulate affecerunt; verumetiam in illo æterno beatiſſimorum heroum cœtu, qui dum viverent, optime de hominum genere meruerunt, locum minime infimum ſortiere. Hanc noſtram per Friſiam Eccleſiæ ſupplicem poſtulationem oramus, obſecramus, & per ſanguinem Filii Dei pro ejus liberatione ubertim effuſum obteſtamur, ut ſereno vultu T. M. accipiat: miſerere afflictæ Eccleſiæ, adfer opem Chriſto, qui cum ſuis pene profugus ſeſe tuum in ſinum auxilium implorans abjicit. Utinam vero citius per temporum injuriam licuiſſet hanc noſtram de Eccleſiæ imminente interitu querimoniam ad Tuam Majeſtatem perſcribere, quod quo minus factum eſt, reddent olim Chriſto judici rationem, qui obſtitere. Omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti tuam Majeſtatem cum ſubditis clementiſſime diu ſervet incolumem. Datæ Sneecæ ex Friſiorum oppido ex Synodo, 22. Aprilis, Anno 1587. ſtylo veteri. Ep. IV.

TUÆ MAJESTATIS.

obſequentiſſimi

Miniſtri cum Eccleſiis per Friſiam Occidentalem:

& horum omnium nomine ſubſcripſerunt

Harmannus Licinga, Miniſter verbi Dei in Belcum, Præſes nomine Synodi.

Martinus Lauermannus, verbi Dei, & Eccleſiæ Sneecanæ Miniſter, Synodi nomine ſcriba.

Balthaſarus Hydoreus Arnemius, Miniſter Eccleſiæ Hantumhuſianæ, ſubſcripſi nomine claſſis Doccumianæ.

Joannes Meppel, Eccleſiaſtes Bolſwerdianæ Eccleſiæ, claſſis Bolſuerdianæ nomine ſubſcripſi.

Albartus Sibrandi, divini verbi Miniſter, Leoverd. claſſis nomine.

Gellius Acronius, Eccleſiæ Franecenſis Miniſter, nomine claſſis Franecenſis.

Joannes Hilbrandus, Eccleſiaſtes, nomine claſſis Sneecanæ.

V.

EPISTOLA CORNELII WIGERI

ad omnes Synodi Nort-Hollandicæ Claſſes miſſa, Anno 1592.

Quid in præmonitione precibuſque, quæ baptiſmo & concioni præmittuntur, deſideret.

DUabus de rebus, Fratres, accuſatio adverſus me inſtituitur; quarum prima præmonitionem precationemque Baptiſmo præmittendam; altera preces illas reſpicit, quæ ante concionem habendæ. Exponam vobis ſimpliciter ac ingenue, primo hiſtoriam facti mei: deinde ſubjiciam rationes, quibus hoc benè factum defendam.

In Baptiſmi præmonitione doceo, Baptiſmum eſſe Sacramentum externæ inſitionis fœderatorum Dei, quod ad omnes pertinet ac ſolos eos, qui mediante Dei promiſſo in Fœderis divini participationem venerunt. Non ſoleo autem dicere hoc loco, liberos noſtros eſſe filios condemnationi devotos: ſed univerſum Baptiſmi myſterium duobus complector capitibus, aſſerens. 1. Baptiſmo obſignari filiis fœderis ablutionem illam, quæ per ſanguinem & Spiritum Jeſu Chriſti facta eſt, in remiſſionem peccatorum ſuorum, ad naturæ divinæ ipſius participationem, ſanctificationemque & imaginis Dei renovationem, &c. 2. Baptiſmum eos Chriſto Domino obſtrictos reddere, ut per omnem vitam nomen ipſius confitendo & præceptis obediendo gratos ei ſe probent.

Precationem, quæ præmonitionem hanc ſubſequi ſolet, integram, uti formata eſt, retineo; præterquam quod poſt verba illa, *ut infantem hunc gratioſe reſpicias*, omiſſis nonnullis quæ aliquot exinde lineis ſequuntur, hæc talia uſurpo; ut, quemadmodum ex promiſſo tuo per Spiritum Sanctum Filio tuo eſt inſitus, & cum eo conſepultus in morte, ita etiam in vitam novam reſurgat, ipſique per fidem veram, ſpem firmam, charitatem flagrantem adhæreſcens, quotidie veſtigiis ejus inſiſtat, crucemque lætabundus in hac vita perferat, &c.

In precibus, quæ concionem ipſam antecedunt, hac tali utor ratione. Primùm quod ad peccatorum confeſſionem (quæ eſt precum pars prima) non recedo à verbis illis, *nos* nempe *omnes* (per originis peccatum) coram te immundos eſſe, conceptos ex ſemine peccaminoſo, ac natos in injuſtitia: ſed verò omitto ibi dicere, nos filios eſſe iræ atque ad omne bonum inutiles. Tum & corruptionem internam, nempe imperfectam Dei cognitionem & ad malum propenſam cupiditatem, quæ propter regenerationis noſtræ infirmitatem in nobis reſident, peccatis actualibus, quæ inde proficiſcuntur, ordine præpono. Secundò quod ad invocationem ſive petitionem ipſam attinet (quæ in omnibus precibus alterum locum obtinet) dicere ſoleo in precibus Dominica die receptis, *ſerva corda noſtra à perverſitate & contumacia*; non autem, *purga corda noſtra, &c.* Rurſum in precibus quotidie uſurpandis, *noli à nobis auferre gratiam Sancti tui Spiritus, &c.* non autem, *da nobis gratiam S. Spiritus tui, &c.* Ep. V.

Expoſui nunc rationem mihi receptam, quam uſurpare conſuevi. Ac primo quidem illud vobis animadvertendum eſt, me peccatum originis non abnegare, ſiquidem in præmonitione illa affirmo *liberos noſtros ablutos eſſe:* & in precatione ipſa, *nos immundos eſſe* per labem originariam, *conceptos ex ſemine polluto, & in iniquitate natos:* ſed me illam tantummodo vim peccati originalis non agnoſcere, per quam talis ei efficacia tribuatur, ut fœderatos ſemenque eorum, qui Chriſto ſunt inſiti, condemnet. Deinde hinc cognoſcetis, me non univerſim, ſed tantum quod ad liberos fœderatos attinet, hanc efficaciam Originis peccato detrahere: quoniam voces utrobique adhibitæ tum in præmonitione illa, tum in ipſa precatione, de nullis, niſi fœdere Dei comprehenſis, intelligi poſſunt. Denique & illud hinc perſpicietis, me hanc filiorum Dei juſtitiam non boni hæreditarii loco ducere, quod ex Adami aut proximorum cujuſque parentum carne & ſanguine proveniat: ſed eam me habere pro Dei chariſmate ſive dono gratuito, quod in promiſſione fundamentum tenet: quandoquidem verbis illis diſertim utor, *conceptos nos ex ſemine peccaminoſo, ac natos in iniquitate.* Quæ omnia vobis idcirco animadvertenda dedi, ut controverſiæ cauſam, quæ mihi cum accuſatoribus meis intercedit, exacte cognitam habere poſſitis.

Jam verò, ſi iſti præcisè ac illimitatè contendant, filios fœderis per Originis peccatum eſſe filios damnationi & iræ Dei obnoxios, id quidem primo loco deſcriptioni omnium præcipuorum fœderis capitum repugnat: qualia ſunt, 1. Promiſſio, quæ ipſius fœderis fundamentum ac baſis appellanda, & habenda eſt loco diplomatis, quod ex Dei altiſſimi munificentia deductum eſt: ad cujus participationem deſignavit omnes fœderatos & ſemen eorum in millenas aliquot generationes, atque exinde de duabus rebus ipſos reddit certiſſimos. Primum pacem ipſis ſuam confirmat, propter redemptionem morte Chriſti Jeſu conſtitutam. Deinde etiam Spiritus ſui communionem, quem in ipſorum carnem ſe effuſurum promiſit, ut coram ipſo reges & ſacerdotes eſſe queant. 2. Obſignatio ſacramentalis, quam Deus in Vet. Teſtam. per Circumciſionem, in novo per Baptiſmum fieri præcepit: ut filiis promiſſionis, hoc eſt, fœderatis ac fœderatorum ſemini pars utraque promiſſionis, nempe peccatorum remiſſio & Spi-

ritus

Ep. V. ritus ſanctificatio, rata & obſignata redderetur, non veluti accipienda demum, ſed jam accepta & impetrata. 3. Juſtificatio à peccatis, quæ promiſſioni & promiſſionis obſignationi innititur, ipſiſque aliquam contra adverſarios gloriationem coram Deo ſuppeditat, ideoque perficit, ut peccatorum remiſſionem in conſcientiarum ſolamen & ſanctificationem actualem ad liberationem à peccatorum ſervitio perſentiſcant. 4. Diſcrimen illud, quod coram Deo hominibuſque valet, intercedens inter Judæos & Græcos, hoc eſt, inter illos qui fœderati ſunt & eos qui ſunt extranei à fœdere: unde fit, ut fœderati eorumque ſemen hæredes ſpei gloriæ filiorum Dei; reliqui autem, ut abſque Deo viventes, conſiderentur & appellentur. 5. Parrheſia ſive libertas, quam fides illa, de peccatorum remiſſione & Spiritus Chriſti communione concepta, in fœderatis eorumque poſteris operatur, ut cum precibus coram Dei facie ſiſtere ſe audeant, immo & de liberis ſuis infantibus confidant, quod ipſorum Angeli perpetuo Patris cœleſtis faciem contemplentur.

Primum igitur (ut particulatim de verbis illis agam) quod dicunt nos liberoſque noſtros per originis peccatum eſſe filios iræ & exitii, ad directa fronte adverſatur omnibus iis, quæ in his expoſitis jam fœderis capitibus de peccatorum remiſſione demonſtrata ſunt. Quod autem aſſerunt, nos liberoſque noſtros ad omne bonum inutiles, id pugnat cum omnibus iis, quæ ſuperioribus capitibus de ſanctificatione Spiritus ſunt dicta. Illorum autem locutiones ſic expreſſæ, in iſtis tantum hominibus veritatem obtinent, qui, cum extra Dei fœdus vitam degant, neque peccatorum remiſſionem, neque Spiritus ſanctificationem adepti ſunt. Nos autem confœderati Deo, unius illius peccatorum remiſſionis intuitu, quæ in Chriſti ſanguine conſummata eſt, pace fruimur cum Deo: nos mundi ſumus, partemque tenebimus cum Chriſto, quia ab ipſo ſumus abluti & emundati: cor noſtrum non turbari amplius aut metu angi neceſſe habet. Non potuit nos Deus ad iram, ſed ad redemptionem ſalutis. Quis eſt igitur, qui nos accuſare queat ac dicere, nos eſſe filios iræ? Rurſum, ſi ad Spiritus Sancti ſanctificationem reſpicimus, ſumus nos omnes filii lucis ac diei, conditi in Chriſto ad opera bona, ut in iis ambulemus. Per Dei gratiam ſic vivimus in Chriſto, ut jam ille vivat in nobis, noſque cum ipſo crucifixi ſimus: frugiferi ſumus in ipſo, quamdiu quidem in ipſo manſerimus, ut fidei noſtræ adjungamus virtutem, virtuti ſcientiam, ſcientiæ ſobrietatem, &c. Quis itaque dicere poſſit auſitque, nos eſſe ad omne bonum inutiles?

Præterea, ut univerſim etiam de vocibus illis nunc aliquid dicam: verba illa prorſus abolent 1. Diſcrimen illud, quod antea dixi ex ratione fœderis divini inter homines intercedere. Nam ſi nos etiamnum iræ Dei ſumus obnoxii, ſicut & illi: item, ſi liberi noſtri condemnationi ſubjaceant, ſicut illorum; quis jam dixerit aliquantulum intereſſe, ſive quis in Dei fœdere ſive extra fœdus ſit poſitus? Quod quidem omnem de noſtri ac liberorum noſtrorum ſalute conceptam animo certitudinem penitus delebit: ita ut nihil niſi ent huſiaſmus ſive evanidæ revelationis ſtulta exſpectatio relinquatur, unde animarum noſtrarum ſolatium hauriamus. 2. Tollunt hæc verba omnem libertatem liberos noſtros baptizandi: propterea quod imputatio juſtitiæ fidei nequit abſque Spiritus ſanctificatione conſiſtere: jamque in confeſſo eſt, Baptiſmum in Circumciſionis locum ſucceſſiſſe, ideoque hunc eſſe ſignaculum juſtitiæ fidei, itemque eum vocari lavacrum regenerationis & Spiritus Sancti. Quonam autem pacto infantibus hic adminiſtrari poterit, ſi utraque juſtificationis parte caruerint? An vero magnificæ illius promiſſionis vim ſubſtantiamque, *Ero Deus tuus ac ſeminis tui*, placet huic ſigno alligare? At primo hinc contra nos Anabaptiſtis robur accedet, infantes noſtros à Baptiſmi communione removendi. Deinde Pontificiorum error comprobabitur, dictitantium, infantes Chriſtianorum naſci gentiles, fieri autem ope Baptiſmi Chriſtianos; item, fidem eſſe Baptiſmi appendicem. 3. Hæc verba nobis ſpem omnem adimunt, fore ut in precibus noſtris exaudiamur. Cum enim omnis illa ſpes exauditionis nobis naſcatur ex certitudine miſericordiæ divinæ, quam in fœdere ſuo nobis & promiſſo & juramento ſancivit; ex adverſo autem cum contemplatio iræ Dei, quam illis, qui à fœdere ſunt alienati, conſtituit, efficiat ut in precibus ambigant atque diffidant: quomodo nos confidere poſſimus, futurum ut nos Deus exaudiat, ſi hanc de nobis perſuaſionem induere debeamus, nos eſſe filios iræ? Hanc igitur ob cauſam profunda oblivione oblitteranda eſſent illa exuberantis ſolatii plena dicta, quibus expoſitum eſt, quam gratioſi nos ſimus apud Deum Patrem noſtrum cœleſtem, & quanta ſpe obtinendæ exauditionis fruamur. Conſequeretur hinc inſuper, Pontificios juſtificari in falſa ſua ac penitus conficta doctrina, quam tradunt de ſanctorum Angelorum atque hominum demortuorum invocatione, quam dicunt inſtitui debere, quia Deus hominibus iratus ſit, unde nemini per ſe cum precibus ad eum citra iſtiuſmodi interceſſionem accedere liceat.

Atque hæc quidem hactenus pertinent ad confirmandum id quod dixi; verba illa, *per originis peccatum liberi noſtri ſunt filii damnationis & nos ipſi filii iræ*, præcipua analogiæ capita in doctrina fœderis divini ſubvertere. Nunc autem ſecundo, eadem verba deſcriptioni peccati originalis adverſantur. Neque enim peccatum originis ſimpliciter ac craſſe deſcribi poteſt, conformitas damnationis & exitii

ex

Ep. V.

Christiani fiunt, non nascuntur ait Tertullianus.

ita semper creditum in Ecclesia.

palmare me, dacium

Ep. V. ex Adami peccato orti; perinde quaſi omnes ex ipſo oriundi, neceſſario filii iræ & ſervi peccatorum naſcerentur; quemadmodum ipſe damnatus & mancipium peccati erat, poſtquam Diaboli voluntatem expleviſſet. Nam inter Adami ſtatum damnationis, cui cum omni, quam lumbis ſuis concluſam tenebat, poſteritate obſtrictus erat, & inter generationem actualem, unde omnis hominum multitudo proſeminata factaque eſt, tanquam medium aliquid conſiderandum eſt fœdus gratiæ in Chriſto Jeſu, qui factus eſt alter Adam in ſpiritum vivificantem: quod ſane fœdus per promiſſionem (qua Deus Adamo ejuſque ſemini Deus eſt factus, miſericordiam ſuam in millenas aliquot generationes diffundens) efficax fuit in juſtificationem vitæ, hoc eſt, in peccati remiſſionem & Spiritus Sancti ſanctificationem, omnibus omnino hominibus, quorum ille radix & baſis erat: ita uti antea peccatum ipſius erat omnibus efficax ad condemnationem. Verum deſcriptio ejus [nempe peccati originalis] ex ipſis promiſſionis fœderalis proprietatibus repetenda eſt; quas in eo ſitas eſſe diximus, quod ad filios fœderis promiſſio pertineat & promiſſionis obſignatio, ut eis juſtitia fidei imputetur, utque ultro cum parrheſia coram Deo compareant, & denique certi reddantur de liberis ſuis, ipſorum Angelos faciem Dei intueri: è contrario autem quod, qui alienati ſunt à fœdere, ad eos neque promiſſio, neque hujus obſignatio pertineant, hinc ipſos naturâ filios iræ eſſe, ſervoſque iniquitatis, qui à Deo non exaudiuntur. Ex harum proprietatum ratione ſtatuendum eſt, peccatum originis, in fœderatis hominibus conſideratum, eſſe naturæ corruptionem, cujus condemnatio à Jeſu Chriſto ſublata, cujus efficacia per ſanctificationem Spiritus Chriſti deleta & pedibus quaſi conculcata eſt; atque ea propter non poſſe id filios fœderis condemnare, aut in ipſos ad Chriſtum eis denegandum dominari, priuſquam peccatorum remiſſionem ſibi irritam reddiderint, ac deinde Sancto Spiritui, qui verbum reſipiſcentiæ annunciat, reſtiterint, eumque contriſtentur, atque hac via fœdifragi fiant. Sed quod peccatum hoc in omnibus hominibus, qui fœdus illud violarunt, ejuſmodi damnationem naturæque corruptionem producat, qua ſint naturâ filii iræ ac pro talibus haberi debeant; unde fiat, ut in Dei ignoratione verſentur, & ad omne nefas veluti manu ducantur.

Non arbitror neceſſarium, ut repugnantiam, quâ verba in quæſtionem adducta propoſitæ deſcriptioni peccati originarii adverſantur, prolixâ nunc applicatione demonſtrem; quandoquidem omnia, quæ proximâ illorum verborum cum fœderis capitibus inſtituta collatione ſunt dicta, huc accommodari poſſunt ac debent. Vos ipſi judicabitis; quemadmodum certum eſt, proprietates fœderis homines ab hominibus inſigni diſcrimine disjungere, & ſicut diſcrimen illud non niſi cum gratiæ Dei intuitu his datæ, illis denegatæ, conſiderari poteſt; atque uti conſtat neminem poſſe reperiri, cui eodem tempore datio fœderis, huicque contraria denegatio attribui queat: ita quoque certiſſimum eſſe, quod concedi non oporteat, ut aut illos, qui gratiæ locum tenent, filios iræ atque interitus; aut eos, qui iræ ſubjacent, filios gratiæ nuncupemus. Ep. V.

Deſinam nunc plures commemorare cauſas, quæ tot ferme numero poſſunt afferri, quot capita ſana Chriſti Jeſu doctrina complectitur. Vos ipſi perſpicitis, vim illorum, quæ verſantur in quæſtione, verborum (quæ nunc prætermitto) ſe mirandum in modum late diffundere: Primo quidem ad efficaciam reſurrectionis Jeſu Chriſti ejuſque paſſionis communionem abnegandam; quæ efficacia ſe exſerit, cum morti ac reſurrectioni ipſius conformamur. *Phil.* III. 10. *Rom.* VI. 5. Secundo ad diſſolvendum in nobis firmiſſimam certitudinem, quam de adipiſcenda ſpei noſtræ communione concepimus, *Heb.* VI. 11. Quam tenemus veluti anchoram animarum noſtrarum, quæ firma eſt ac tuta, atque pertingit ad id quod intra velum eſt, hoc eſt, ad id quod nobis Dei promiſſione donatur ac ſacramentali ejuſdem obſignatione deſignatur atque exhibetur, nimirum ad noſtram cum Jeſu Chriſto communionem. Tertio ad noſtris adverſariis, qui mirantur nos abhorrere ab iis quæ ipſi collaudant, viam aperiendum, ut nobis ſannis ſuis inſultent in omnibus iis, in quibus quotidie reprehenduntur à nobis, qui eo curſum noſtrum direximus, ut ſpem propoſitam conſequi poſſimus.

Enimvero perſuaſiſſimum habeo, judicium veſtrum in optimam partem prolatum iri, non modo quia hoc quod teneo fundamentum Catechiſmo noſtro, de fœdere quidem quæſt. 74. de peccato autem Originis quæſt. 8. traditur; ſed etiam, quia trita ac pervulgata jam via poſtulat, ut prophetia noſtra ac preces ex fidei analogia debeant inſtitui. Dominus ſit vobiſcum & cum ſpiritu meo, Amen. 2 *Tim.* IV. 24.

Hujus ſcripti exemplar ad ſingulas Synodi Nort-Hollandicæ claſſes dimiſſum fuit, eratque unicuique ſubſcriptum his verbis: Quod hic ſcriptum exſtat, ego Cornelius lubens id mea ſubſcriptione ſignavi, atque vobis ex Claſſis poſtulato tranſmiſi: ſiquidem confido, fratres in timore Domini judicium laturos. Rogo etiam fratres, obſervent eos, qui per calumnias aliter quam ex vero de mea in Eccleſia converſatione locuti ſunt.

1592. *Veſter frater & conſervus*

CORNELIUS WIGERI

Haec omnia confutat illud Pauli: Omnes nascimur filii irae.

VI.

Digitized by Google

VI.

SCRIPTUM

CORNELII WIGERI,

Quo continentur meditationes de instauranda ac emendanda Reformatione, quas Synodo Harlemensi proposuit 1594. *die* 15. *Junii.*

Mat. 28. 19. Act. 2. 38. Mat. 18. 15. DIsciplinæ Ecclesiasticæ nomine D. F. primum ea complector, quibus Ecclesiæ exædificatio constat, nempe verbi divini & sacramentorum administrationem. Deinde & eas res, quibus puritas ejus illibata conservatur; qualis est imprimis admonitio fraterna & Ecclesiastica censura. Tertio ea quoque omnia, quæ huic utrique rei conficiendæ perficiendæque inserviunt, nimirum, Synodales, Classicales, & Ecclesiasticas congregationes.

Act. 15. 27. 1 Cor. 5. 4. 14. 23.

Quoniam autem immutabili proposito constitutum est Deo ac placitum, ut in uniuscujusque capitis partisque praxi omnia gerantur, non ex privato lubitu neque ex cujusquam præjudicio, sed secundum expressa S. Scripturæ oracula ac fundamenta inde deducta exstructaque: liceat mihi ostendere, ubi & quantum in singulis capitibus ab hac norma recedatur.

1. *Dicendum est de iis rebus, quibus Ecclesiæ ædificatio constat*: ubi se primo loco offert *vocatio* illorum, qui opus Ecclesiæ administrant: deinde *opus administrationis* ipsum, quod, ut diximus, circa verbum Dei & sacramenta versatur.

Quod ad pastorum vocationem attinet; primo illud nullo Apostolici ævi exemplo nixum est, quod ea vocatio à paucis, Ecclesiarum puta presbyteris, instituitur; sed ex adverso illud Apostolicum censendum est, ut ea fiat ab omnibus fratribus, qui ad Ecclesiæ communionem pertinent, *Actor.* I. 15. VI. 2. XIV. 23. 2 *Cor.* VIII. 19.

Deinde; quod ejusmodi homines, qui tantum Belgicam linguam, ambiguitatibus scatentem, didicerunt, nec ullis sunt eximiis dotibus instructi ad verbum Dei recte secandum & contradicentibus os obturandum, ministerio verbi divini admoveantur: id viam sternit populo, qua plerique præcipites ruant in omnigenam mysteriorum fidei ignorantiam (uti antea evenit, perniciosis Pontificiorum ingruentibus erroribus) ac insuper ut sana doctrina contradicentium sannis reddatur obnoxia.

2 Tim. 2. 15. Tit. 1. 9. nulla per. Prov. 29. 18.

Tertium tendit in opprobrium curæ pastoralis, qua Deus Ecclesiæ suæ prospicit, cum à quibusdam hominibus, (ex imitatione seu potius ex depravatione missionis Apostolicæ, quæ à Christo facta est) citra præviam ex ordine ac lege vocationem nonnulli ministerio adhibentur. *Ephes.* IV. 11.

Quarto à Simonia non alienum est, quando nonnulli & nunc & olim sibi serviunt conventus erigendo, admonitiones proponendo, &c. ut apud simplicem plebem sibi laudis aliquid aucupentur, atque hac via ad ministerium Ecclesiæ promoveri queant. *Phil.* II. 21. Ep. VI. Philip. 2. 21. Heb. 5. 4.

2. Quod ad verbi divini administrationem attinet; peccatum primum contra ipsam verbi materiam committitur: unde adversariis arma subministrari queant, quibus ministerium nostrum prostituant: quod in tradenda Christianæ doctrinæ summa textibusque quibus ea continetur (qui textus expressi sunt Symbolo Apostolico, duorum instituto sacramentorum, præcepto Christi de exercenda censura Christiana, Decalogo, & precatione Dominica) doctrinam expositionemque ab hominibus adornatam, Catechismum, inquam, Heydelbergensem aut simile scriptum, primum prælegamus, deinde etiam explicemus, & quidem publice; cum sane nihil nisi S. Scripturam Canonicam proponi oporteat.

Symbolum Apostolicum

Jesa. 52. 10. Rom. 15. 18. 1 Cor. 3. 10. 11. Gal. 1. 12.

Alterum peccatum est in formam, quando doctrina, quæ tempus tum creationis tum redemptionis generis humani continet, per propriæ expositionis abusum detorquetur contra fidei analogiam: contra propositum, inquam, quod Deus in decreto suo de hominis creatione, & in promissio suo de hominis liberatione constituit, ordinavit, ac denique exsecutioni mandavit. Est enim decretum illud atque promissio, suo unumquodque tempore, fidei analogia; unde doctrina propr etatum naturæ divinæ, cum se à tergo hominibus conspiciendum præbet in operibus suis, cognoscenda est: unde & doctrina de substantiarum qualitatibus ac de naturæ humanæ proprietatibus profluit, cum hæc utraque iis circumscripta teneatur: unde norma etiam doctrinæ omnis de Dei hominisque cognitione formanda est ac depromenda. Per hunc autem abusum sive peccatum hoc potius, in doctrinam de providentia Dei, de imagine divina, de Adami peccato primo, de labe hæreditaria posterorum, de redemptione sive restitutione, de justificatione, de libero arbitrio, de bonis operibus, de perseverantia, de electione &c. (quæ dogmata inter capita doctrinæ pietatis primas tenent) inducitur tanta perturbatio atque confusio, ut ex iis dogmatibus nonnulla propter normæ neglectum interdum bene, interdum male, plerumque distorte exponantur, omniaque aut sibi mutuo, aut etiam sibi ipsis adversâ veluti fronte repugnare deprehendantur.

3. Quod ad sacramentorum administrationem attinet; primo cum singuli prope Synodales cœtus, quoties congregantur, hanc sibi libertatem vindicant, ut novas quasdam formas decernant, easque in usum deducant, speciem haud obscure præbent, quasi in Dei verbo reperiri nequeat ratio unumquodque sacramentum administrandi, immo quasi ra-

nota Variatio. nes 1 Cor. 11. 21. 22.

Digitized by Google

Ep. VI. tioni ibi expreſſæ obſtricti non ſimus. Quomodo vero hæc adminiſtratio vocari ſancta poterit, ſi formam ejus identidem cudamus ac recudamus? & quomodo ex his veluti ſignis viſibilis Eccleſia Dei conſpici poterit, ſi eorum forma tot immutationibus ſit obnoxia?

Secundo, quando ſub Baptiſmum ab infantium ſuſceptoribus confeſſio primariorum doctrinæ Chriſtianæ capitum exigitur, id quidem primo vehementer obſcurat Baptiſmi myſterium, quod in eo poſitum eſt, ut promiſſio ſalutis, quæ ad ſemen noſtrum non aliter atque ad nos ipſos pertinet, obſignetur. Deinde hoc pacto nos componimus ad imitationem ſtupidiſſimi Papatus, ubi fidelium infantes, & priſci gentiles qui fidem receperunt, una eademque ratione tractantur in Baptiſmi adminiſtratione; ſiquidem ii, qui infantes baptizandos offerunt, jubentur fidei confeſſionem illorum edere nomine, quam ipſimet edere per ætatem nondum poſſunt. Tertio hinc confirmatur etiam doctrina Anabaptiſtarum, qui urgent, Baptiſmum poſt externam fidei confeſſionem adhibitam eſſe adminiſtrandum. Ut jam non dicam, non modo in eâ, quæ Baptiſmo præmittitur, admonitione, ſed etiam in primo capite interrogationis illius, qua fidei confeſſio exigitur, has ipſas ineſſe abſurditates, de quibus nunc inter nos diſceptatur; atque in ſecundo ejuſdem interrogationis capite eaſdem, utut analogiæ fidei adverſas (quod oſtenſum eſt) S. Scripturæ veteris ac novi Teſtamenti affingi; atque in tertio capite parentes obſtringi, ut liberos ſuos, ubi ad judicandi facultatem pervenerint, in eâ pro viribus inſtituant.

Tertio, quando ante Baptiſmum oramus, ut Deus infantes noſtros Chriſto inſerat, &c. ac rurſum poſt Baptiſmum peractum Deo gratias agimus, quod eos Chriſto inſeruerit, &c. id ſcripto meo aſſerui Pontificiorum errorem ſapere, qui opinantur regenerationem Baptiſmo demum perfici. Quod ſi huic errato valedicere, idque tollere & emendare cupimus, ſufficerit poſt Baptiſmum Deo gratias agere, quod nobis liberiſque noſtris remiſſionem peccatorum & Spiritus ſanctificationem donaverit, & hæc dona per Baptiſmum obſignaverit, &c. Atque ita Baptiſmus noſter congruet cum Chriſti ac Pauli baptizatione, quos legimus, poſtquam baptizati eſſent, preces fudiſſe, *Luc.* III. 21. *Actor.* XXII.

Quartò, quod nomina eorum, qui de novo ſe communioni mentæ Dominicæ cupiunt adjungere, vulgo, in quo & probi ſunt & improbi irriſores, prælegi ſoleant; quis bonus in eo finis animadverti aut videri poteſt? cum ita irriſoribus iſtis judicium hoc quaſi deferatur, quinam ad communionem ſint admittendi; ac præterea homines propter metum, quem ex irriſorum multiplici improbitate concipiunt, à communione removeantur.

Quinto, quod ante Cœnæ Dominicæ adminiſtrationem domatim viſitatio atque interrogatio inſtituatur de ſcrupulis, quibus unuſquiſque teneatur; quonam id exemplo Eccleſiæ Apoſtolicæ firmari poteſt, in qua quotidie perſeverabant in fractione panis? *Act.* II. 41. Ep. VI.

Sexto, quod ſub Cœnæ Dominicæ celebrationem expoſitio inſtitutionis ac myſteriorum ejus primum de ſuggeſtu, mox iterum ad menſam tam prolixe enarratur, id neque uſum habet, & cum temporis diſpendio conjunctum eſt, & ſpeciem quandam præbet ſuperſtitionis; perinde quaſi ea ſermocinatio partibus Cœnæ ſive elementis, pani & vino, adhiberi debeat, priuſquam ſacramentum hoc formæ ſuæ perfectionem conſequi poſſit.

Septimo, quod hujuſce ſacramenti celebratio adeo ſit infrequens, id ab Apoſtolorum inſtituto longe abeſt, quod antea oſtendimus. Poſſit hoc facile corrigi, ſi illa quæ domatim inſtituitur viſitatio omittatur, & prolixa illa ac repetita myſteriorum inſtitutioniſque enarratio in compendium contrahatur.

II. *Dicendum eſt de iis rebus, quibus Eccleſiæ puritas conſervatur*: ac primo quidem de *fraterna admonitione.*

1. Ordo à Deo inſtitutus confunditur in hac fraterna reprehenſione, cum nullum obſervatur diſcrimen inter peccata quæ publici ſunt muneris, & ea quæ cujuſque hominis privati ſunt propria: neque diſtinctio adhibetur inter peccata palam & occultè commiſſa. Nam ea, quæ ad munus pertinent aut palam perpetrantur, clam per antecedaneos admonitionis gradus, quos Chriſtus inſtituit, reprehendi non debent: ſed ea, quæ cuique perſonæ propria, ex ordine horum graduum ſub cenſuram cadunt. *Gal.* 2. 11. *1 Tim.* 5. 20. *Mat.* 18. 15.

Eccleſiæ vero noſtræ omnem legitimæ cenſuræ ordinem ſuſtulerunt, quia non reprehendunt illam reprehendendi rationem, quæ contra illum graduum ordinem, quem Chriſtus inſtituit, exercetur: ſiquidem hoc facto non modo obtrectationis macula ſuſcipitur, ſed etiam rebellionis flagitium in Filium Dei committitur.

Secundo de *Cenſura Eccleſiaſtica.*

1. Cedit hoc in Eccleſiarum dedecus, cum cernimus ſingulas prope ſuum ſequi ordinem in adminiſtratione Cenſuræ. Ac dicendum quod res eſt; quandoquidem ſuum ſibi unaquæque ordinem ſervat, neminem ordinationi à Chriſto conſtitutæ parere.

2. Quod Miniſtri atque Presbyteri ſoli, non præſente reliquo Eccleſiæ corpore, congregentur ad audiendas ac dijudicandas criminationes in quempiam delatas; id ab Apoſtolorum exemplo prorſus eſt diſſentaneum, qui nunquam id niſi præſente fidelium Eccleſia ſuſceperunt. Tum etiam hoc pacto aboletur efficacia reprehenſionis ac metus, qui ex hac Chriſti conſtitutione ad omnes alios fideles dimanare queat: præterquam quod hinc fieri facile poſſit, ut de horum ipſorum judiciis *1 Cor.* 5. 4. *Act.* 5. 11. *1 Tim.* 5. 20.

con-

Ep. VI. conſtitutionibuſque dubitetur, an in iis integre citra affectus ac præjudicia verſati fuerint; quandoquidem multa occurrunt exempla, quæ docent, homines poteſtate, quam ſibi conceſſam habebant ad ædificationem, abuſos eſſe ad deſtructionem, & quidem illos, inquam, homines, qui conſederant ut judicium exercerent ex lege, & alios homines contra legem injuriis ac contumeliis onerarunt.

1 Tim. 5. 21. 2 Cor. 13. 10. Act. 23. 3.

3. Quod illa publica Cenſura peccatorum & eorum quæ contra munus commune, & eorum quæ ab aliquo privato commiſſa ſunt; item quod excluſionis ſive excommunicationis judicia, etiam legitime lata, de ſuggeſtu aut alioqui in templo palam coram omni populo (piorum & impiorum atque etiam irriſorum) non autem in Eccleſiæ corpore tantum ac fidelium congregatione promulgentur; id quidem primum adverſatur præcepto inſtitutionis Dominicæ, & praxi Eccleſiæ Apoſtolicæ primitivæ. *Matt.* XVIII. 15. 1 *Cor.* V. 4. 2 *Cor.* XII. 21. Deinde hoc ipſum cauſam præbet multiplicis mali, nimirum, 1. Ut ille pro fonte habitus civili etiam ignominia traducatur, ac ludibrio proſtituatur omnibus: atque præterea ut magiſtratui vel in corpore vitaque, aut ſaltem in facultatibus, pro delicti ratione reddatur obnoxius. 2. Ut homines integri & ſpectati, verbique divini cum primis obſervantes, abſterreantur ab Eccleſia; utque ardor ille animi, quo ad communionem efflagitandam erant incenſi, reſtinguatur; quia infirmitatis ſuæ conſcii metuendum ac formidandum exiſtiment, ne & ipſi aliquo forſan tempore labantur, & illam ignominiam irriſionemque improborum, quam alios experiri animadvertunt, perpeti aliquando cogantur. 3. Ut juſta ac debita ratio, qua diſſeparatio illa ſive excluſio facienda eſt, impedita intercidat; utpote quæ (ſicuti conſtat) non ſine animi contriſtatione & lachrymis à probo beneque affecto paſtore perfici queat. 2 *Cor.* XII. 21.

4. Quum peccatores pœnitentia tacti (qui audita clam fraterna admonitione, quæ Chriſti nomine clanculum inſtituitur, à peccatis ſuis reſiliunt) ad eundem modum quo alii, qui poſt perceptam privatim fraternam reprehenſionem in veteri inobedientia & contumacia perſiſtunt, ad publicam Eccleſiæ cenſuram obtorto veluti collo trahuntur; id plane adverſum eſt mandato ac rationi cenſendi, quam Chriſtus præſcripſit, quamque & antea in omnibus peccatoribus, & poſtea in Petri aliorumque diſcipulorum perſonis cenſendis adhibuit: quæ ratio etiam à Paulo renovata, & adverſus Corinthium illum, inceſtis novercæ nuptiis pollutum, exercita fuit: immo etiam præſumit ac minatur eandem ſemper & ubique ſe viam velle inſiſtere: quum dicit ſe deploraturum eos, qui poſtquam peccatis ſe contaminarunt, impuritatis ſuæ, ſcortationis & laſciviæ ſordes ſibi contractas profuſis reſipiſcentiæ lachrymis non eluerunt.

2 Cor. 12. 21. Matt. 18. 17. Marc. 16. 7. Gal. 6. 1. 1 Cor. 5. 4. 2 Cor. 12. 21.

III. *De Synodalibus, Claſſicalibus, & Eccleſiaſticis congregationibus.*

Hæ omnes nunc in abuſum venerunt: *Synodales* quidem; primum, quia celebrantur citra cauſam juſtam ipſiſque debitam, quæ eſt, ut diſſidium quod propter doctrinæ aliquod caput obortum fuerit, ſopiatur. Secundo, quia tantummodo à deputatis quibuſdam ſive plenipotentiariis aguntur ac celebrantur. Tertio, quia plus juſto ſibi arrogant, atque præſumunt decreta de omnibus Eccleſiaſticis & Politicis adminiſtrationibus condere. *Claſſicales* autem, quia miſſam faciunt exercitationem doctrinæ, ac ſe conſtituunt veluti novum quoddam ſpirituale tribunal, ut omnia ex Synodalium decretorum moderamine gubernent. *Eccleſiaſtica* denique, quia Presbyteri omnia (nempe imprimis judicia ſua de excommunicandis peccatoribus non reſipiſcentibus, ac de recipiendis iis qui poſtquam fuerunt excluſi, triſtitia affecti pœnitentiam egerunt) ſoli ſuo arbitratu citra Eccleſiæ præſentiam conformant.

Ep. VI. Act. 15. 7. Act. 20. 27. Rom. 15. 18. 1 Cor. 14. 37. Ezech. 44. 24.

Immo vero omnes hæ congregationes pariter abuſui ſunt obnoxiæ. 1. Quia ſeriem geſtorum actorumque, eorum quæ etiam rite ac juſte in quempiam decernunt, ſolent conſcribere: in quibus peccantium delicta ſempiternæ mandantur memoriæ, atque ita Chriſti honos per latus membrorum ſuorum (puta paſtorum, miniſtrorum verbi ſui, aut aliorum fidelium) & in præſens & in futurum tempus lauciatur atque confoditur. 2. Quia diſciplinam exercentes (hoc enim nomine rem exprimunt) quam Synodi ſub finem congregationis ſuæ, Claſſes & initio & ſub exitum conventuum ſuorum, Eccleſiaſtica Synedria tempore Cœnæ appropinquantis inſtituunt, & inſtituunt quidem abſentibus ſive diſcedentibus atque exire juſſis illis de quibus actionem ſuſcipiunt; hoc pacto liberrimam ſibi ſuiſque facultatem concedunt, collegis fratribus ſuis aliiſque honeſtis viris occultè detrahendi pro lubitu.

Epilogus.

Non eſt mihi propoſitum, novitates aliquas moliri eaſque in Eccleſiam invehere; ſed antiquitates Apoſtolicæ ut in praxin revocentur, hoc ipſum unice deſidero. Immo hac ipſa de cauſa conſtitutiones à noſtris innovatas, non minus quam inveterata Pontificum decreta, improbo atque deſpicio: quoniam Chriſtus dicit, *ego ſum veritas*; non autem, *ego ſum conſtitutio vetuſta*: hoc unum, inquam, unice ago ſtudeoque, ut hæc antiquiſſima ipſius veritas ab omnibus omnium humanarum conſtitutionum novitatibus purgata, liberata, ſtabilita permaneat: & ut ſacroſanctum Dei verbum ab ejus Miniſtris, qui ex legitimæ vocationis ordine, tanquam divina manu, in

Ep. VI. hanc meſſem protruſi ſunt, ſolum caſte inte-
Mat. 9. 37. greque prædicetur: utque Sacramenta ex ipſius inſtitutionis præſcripto ſancte adminiſtrentur: & ut in peccatores ex ipſius mandato & exemplo, ſecundum delicti in ſe conſiderati, & ſubſequentis inde vel reſipiſcentiæ vel contumaciæ rationem, animadvertatur: denique ut omnes illæ, quas recenſui, congregationes in ipſius nomine ad ipſius Eccleſiæ ſtatum integre illibateque conſervan-
Zach. 12. 3. dum habeantur: & Eccleſiæ unio atque communio ita ſit conſtituta, ut grave ſaxum rupeſve in conſpectu omnium populorum: ita ut omnes, qui eam tranſmovere de loco cupiunt, eâ diſcindantur avulſi. Quod ſi nunc hoc animi mei propoſitum atque hæc ſpes fruſtrata me fuerit, hoc tamen factum mihi in poſterum inſerviet ad teſtificandum, quod neque conſcientiam neque conſenſerim in ullos hujus generis abuſus, ubicunque & quandocunque vel citra vel contra traditam nobis Jeſu Chriſti voluntatem hos invaleſcere compertum fuerit.

VII.

EPISTOLA
CORNELII WIGERI,

quam Remonſtrantiam ipſe vocat, ad Ill. Ordines Hollandiæ Weſtfrifiaque Dominos.

NOn arbitror metuendum, Nobiliſſimi Præpotentes Domini, ne illud Profeſſorum judicium, quod veſtris A. A. eſt traditum, vim rationemque obtineat legitimæ ſententiæ, quæ in controverſiis noſtris inter me ac Synodicos diſceptatis lata ſit: quandoquidem conſtat, ipſorum judicium à re ipſa, quæ in quæſtione verſatur, multum diſcrepare: ac præterea ſine ordine judiciario ſuoque tantum ex uſu eos hanc ſententiam edidiſſe. Nimirum Deputati Synodi in capitibus controverſis me ad illud judicium vocarunt, non ut ipſam doctrinæ meæ formam, prout ea ſcriptis meis expoſita eſt, ſed ut me verſutis calumniis impetitum criminarentur. Profeſſores autem hanc tantam ipſorum malignitatem ſilentio ſuo prorſus diſſimularunt, ac judicium formarunt à forma doctrinæ meæ alienum: judicarunt, inquam, præfervidè ac præcipitanter, cum neque antea juſtas doctrinæ hujus meæ antitheſes, neque refutationem baſium quibus ea ſubnixa eſt, à Synodo depopoſcerint, nihilque inſuper aliud ſpectaverint, niſi ut ſuas, quas antea jam diu prælectionibus ſuis ac diſputationibus Theologicis expreſſas vulgaverant, de controverſis capitibus opinationes ſententiaſque ſtabilirent. Sed vero ſic in animum induco, veſtras A. A. de illo Profeſſorum judicio non aliter exiſtimare velle ac Ep. VII.
poſſe, quam novam inſtitui accuſationem, in qua Profeſſores meliore ordine ac via quam Synodici illi viri, non calumnias ſpargendo, ſed ipſam doctrinæ meæ arcem oppugnando, me ad veſtrum tribunal citarunt. In illo quidem judicio ſuo, ſeu potius nova accuſatione, paratos ſe offerunt ad declarandum ac comprobandum id quod inibi in me dixerunt, doctrinam meam in omnibus judicio illo comprehenſis capitibus controverſis pugnare cum Dei verbo & fidei analogia, &c. Sed quænam & quam multa illa ſint capita in ſingulis controverſiis, de eo nihil expreſſum atque expoſitum dederunt: tum neque ediſſerunt ſuas antitheſes, neque argumenta proponunt, quibus poſitiones ac fundamenta doctrinæ meæ labefactanda cenſuerunt. Hæc autem cum ab ipſis præſtita non ſint, tota hujus ſive quæſtionis ſive controverſiæ ratio manet abſcondita; ita ut neque prudentiæ veſtr. A. A. harum criminationum pondus ac dijudicatio liquere poſſit, ſintne parvæ aut magnæ, juſtæ an injuſtæ, neque mihi liceat ullam mei defenſionem ſuſcipere. Ratio ſane agendi perverſa, quam nulla unquam laudata Academia ineundam judicavit. Quapropter nunc veſtras A. A. obnixe rogo, Profeſſoribus veſtro mandatu injungatur, ut ad novarum illarum criminationum declarationem comprobationemque, cogantur capita iſtic recenſita reponere, atque ex ſcripto meo & hinc deducto compendio deſignare, quænam & quot illæ ſint poſitiones, quæ in ſingulis capitibus controverſis ex illorum ſenſu verbo Dei & analogiæ repugnent: præterea ut teneantur antitheſes ſuas meis poſitionibus adverſantes ſcriptoque conſignatas tradere, ac fundamenta refellere, quibus controverſæ poſitiones ſcriptis meis & ſcriptorum compendio comprehenſæ innixæ ſunt. Similiter & illud rogatos vos volo, concedatur hoc mihi à veſtr. A. A. ut & ipſorum antitheſes refellere, & juſtam doctrinæ fundamentorumque poſitionum mearum tutelam contra ipſorum cenſuras perficere, omniaque denuo ad veſtr. A. A. conſeſſum deferre liceat.

Illuſt. Potentes Domini, prætermitto nunc dicere, quam non vera ſit iſta Profeſſorum ſententia, ſive ſuſcepta de integro criminatio: quod poſtmodum fiet conſpicuum, ubi & illi ſuas pro ſe probationes attulerint, & mihi meipſum contra ipſos defendere licuerit. Neceſſario autem nunc mihi agendum eſt de illa, quam dixi, ratione ſeu forma, qua judicium illud ſuum, quod vobis oblatum eſt, concinnarunt, ac de fundamentis quibus id ſuperſtrui voluerunt, ut veſtris A. A. illorum & conſpiratio, quam cum Synoditis adverſus meam perſonam inſtituunt, & fraudulentia, qua me opprimere moliuntur, & malevolentia, qua ſtatum controverſiæ pervertunt, innoteſcere queat.

Primo

Ep. VII. Primo quod ad formam attinet; cum, uti antea conqueſtus ſum, alia de re, quam quæ in quæſtione verſatur, judicium ſuum ferre voluerunt; id eo fine factum eſt, ut pudendas calumnias, quibus me Synoditæ coram veſtris A. A. onerarunt, contegerent: ita futurum rati, ut & illi, qui tantum flagitium commiſerunt, juſtiſſimam reprehenſionem, quæ ipſos ex authoritate & amplitudine veſtra manebat, effugerent; & ut mihi debita meipſum ab ipſorum criminationibus expurgandi facultas omnis denegaretur. Deinde quod recenſionem illam, quam dixi, capitum, quatenus ea Dei verbo adverſari exiſtimant, ab hoc judicio ſuo ſegregatam eſſe voluerunt, hoc ſimiliter fecerunt eo conſilio, ut veſtris A. A. ſuſpicandi anſam præberent, quaſi ego talia errorum monſtra in ſinu foverem, qualia Synoditæ mihi per indignas ipſis calumnias coram veſtris A. A. objecerant: idque etiam ſpectatum eſt, ut his ipſis calumniatoribus apud vos priſtinum ſuum decus exiſtimatioque in poſterum etiam conſtaret. Denique quod eas, quas commemoravi, antitheſes refutationemque capitum doctrinæ meæ judicio iſti ſuo non inſeruerint, id inde profectum eſt, quia pudet ipſos veſtro ampliſſimo conſeſſui explicatum dare controverſiæ ſtatum; qui eſt (ſi proprie loquamur) tantum de ſenſu ſive expoſitione promiſſionis fœdere Dei comprehenſæ: quandoquidem in omnibus capitibus controverſis, quæ in illo *judicio* ſuo enumerant, hîc rei cardinem verſari deprehenditur, atque ab illis ita exponitur, ut eam ad aliquos tantum fœderatorum liberos pertinere ſtatuant. Ut jam non dicam, ipſos ad Phariſaicorum & Papalium cœtuum exemplum noluiſſe obſtrictos videri ad hujus *judicii* ſive redintegratæ accuſationis rationem vobis, quibus ea competit, reddendam: eos denique id unice conatos eſſe, ut mihi non modo viam facultatemque defenſionis meæ præciderent; ſed etiam ut veſtra perampla authoritate potentiaque abuterentur ad exſequendum decretum illud, quod adverſus me in hocce *judicio* ſuo condiderant: immo & ipſos in hac primi judicii ſui informatione (ubi à vobis quod concupiverant in iſto *judicio*, impetraſſent) id egiſſe maxime, ut inviolabilem legem conſtituerent, qua ſupprimant atque ſubvertant juſtas omnes cenſuras, quæ in alios rituum Eccleſiaſticorum, quos habent, abuſus inſtitui ullo unquam tempore queant.

Secundo quod ad fundamenta illius ſive accuſationis ſive judicii, id duplici probatione ſuffulciunt, videlicet, Dei verbo fideique analogia, ac deinde Belgica Confeſſione & Catechiſmo, eaque Reformationis conſtitutione quæ hoc tempore conſpicitur. Ego vero pro reſponſione utar Apoſtoli verbis, *Dominus is* 1 Cor. 4. *eſt qui me dijudicat, mihi pro minimo eſt quod ab humano die dijudicer*: quocirca me lubens ſubjicio verbi divini judicio, ſi id ſecundum fidei analogiam expoſitum fuerit. Sed quod Ep. VII. criminationem illam aliis etiam rebus, quarum facta mentio, ſuperſtruunt (licet doctrina mea, quam his omnibus adverſari dictitant, ex iis abunde demonſtrari poſſit) dico id ipſum prorſus reſponſo meo indignum videri. Quippe alterutrum ipſis ſtatuendum eſt, aut illis inſtrumentis eadem, quæ Dei verbo, contineri; quo pacto ſupervacuum fuerit ea ad criminationis ſuæ probationem adducere: aut aliquid in iis ineſſe, quod Dei verbo expreſſum non eſt; tunc autem ſiculnea ac frivola erit omnis probatio, quæ inde deſumitur. Atque ut hujus poſtremi ipſorum fundamenti rationem oculis veſtris clariſſime nudato, ut ajunt, velo ſubjiciam; non ignorant A. A. veſtræ, Papalis ſectæ duces & antecignanos in ſuis, quas nobis ſtruunt, accuſationibus, ad Eccleſiæ ſuæ Confeſſionem, libroſque etiam Catecheticos haud dubie, quos una nobiſcum aut ad noſtrorum exemplum fabricati ſunt (quamvis nondum illi, ſicuti nobis jam factum, eos intra Eccleſiæ templique limina invexerint) & ad receptam Eccleſiæ praxin provocare conſueviſſe. Quod autem nos ab illis tanquam neceſſarium poſtulamus, ut univerſam doctrinam ſuam cum analogica verbi divini declaratione conſentire doceant, atque, hoc niſi fecerint, ut deſinant nobis ſuæ approbationem doctrinæ communionemque cum Eccleſia ſua ſervandam injungere; id ipſum nunc meis accuſatoribus, ut mihi præſtent, incumbit. Confeſſionem Belgicam & Catechiſmum, quos libellos ita nuper procudimus, Spiritui Sancto tribuere non licet, quaſi ipſi Scripturam Sacram conſtituerent (tametſi apud nos jam obtinuit, ut loco Scripturæ uſurpentur) ſed hominibus adſcribendi ſunt, ut declarationes ſive expoſitiones doctrinæ, quam Sacris Literis comprehenſam judicamus: neque poteſt animus noſter ſententiaque extra omnem dubitationem conſtitui in declaranda doctrina, niſi in iis, quæ cum Dei verbo & fidei analogia conveniunt. Ad Reformationem vero quod attinet, eſt quidem illud laudandum, quod ea in hoc Belgio, operâ ac labore doctorum virorum, favente ac patrocinium ei ſuum commodante Magiſtratuum ſuperiorum atque inferiorum ordine, ſuſcepta eſt: verum hinc nequaquam conſequitur, eam, in quam ſemel redacta eſt, formam ſimpliciter ſine ulla vel additione vel detractione ſervandam. Scopus totius illius laudabilis inſtituti fuit, eſtque etiamnum, ut collapſa Eccleſia ad puritatem inſtitutionis primitivæ Apoſtolicæ ac primordiorum ſuorum erigatur. Idcirco nobis ſemper conceſſum eſſe ac liberum manere debet ſcrutamen atque judicium & dijudicatio, ut quicquid ab Apoſtolica veritate diſſonum fuerit, rejiciatur atque ex uſu tollatur. Quinetiam de hoc nunc potiſſimum inter ipſos & me diſcepratur, an Confeſſio, Catechiſmus,

Ep.VII. illaque Reformationis ratio, quæ ad hoc uſque tempus viguit, ubique & in omnibus cum analogica verbi divini declaratione conveniat. Tacitus nunc etiam prætereo (id quod neque Profeſſores ignorant & ego paulo ante attigi) Confeſſionem illam & Catechiſmum & receptam Reformationis praxin in capitibus quæſtioni noſtræ propriis ita verſari, ut non interdum, ſed ſæpe, immo plerunque & mihi & illis, adverſariis meis & acculatoribus ſuffragentur, atque utrimque poſitiones noſtræ illinc comprobari poſſint: ideoque tantundem valere debeant, quantum Regula Lesbia in probandis Architecturis. Quamobrem, ut ſummatim abſolvam, ſi Profeſſores criminationes illas ſuas his inſtrumentis humanitus effabricatis ſe probaturos præſumant, illud non fuerit probare, ſed verba & voces ſine pondere rerum effundere, aut, ut ſignificantius eloquar, petere principium, hoc eſt, incerta incertis ſtabilire.

Illuſt. Præpotentes Domini, æquum eſt mihi ac juſtum, ut adverſus illam rationem judicii Profeſſorum hæc mea, quæ nunc propoſui, poſtulata à veſtris A. A. expoſcam: quandoquidem conſtat, quæſtionem inter illos & me agitatam (quæ, ſicuti ego jam antea confirmavi, quod & ipſi ex Collatione Leidæ habita meminiſſe debent, eſt de genuino ſenſu promiſſionis fœdere Dei comprehenſæ, complectiturque fidei analogiam ſive orthodoxam verbi divini declarationem in ea parte doctrinæ quæ ſalutis æternæ participationem reſpicit) cum veſtrarum A. A. vocatione divinitus vobis demandatà apprime congruere. Muneris enim veſtri eſt, cuſtodes agere utriuſque tabulæ Decalogi ſive Legis. Tum & illud palam eſt, quod omnes promiſcue homines, qui aliorum criminationibus onerantur, annuente Deo, à legitimis ſuis Rectoribus efflagitent atque etiam impetrent hoc ipſum in cauſis ſæpe exigui ponderis, quod ego nunc in hac re longe graviſſima à veſtr. A. A. rogatione mea contendo. Eſtque hoc etiam in confeſſo, martyribus, qui ſub Paparum tyrannide, juxta Conciliorum Synodorumque decreta, accedente Scholarum ſupremarum judicio, condemnati ſunt, hanc juſti patrocinii libertatem renuente ac reclamante Deo denegatam fuiſſe. Immo omnes omnino homines agnoſcere & confiteri coguntur, formam agendi in controverſiis non debere uni parti eſſe propriam, ſed utrique communem; neque dari poſſe, ut qui actor eſt, teſtimonium aut judicium in ſua cauſa proferre poſſit.

Juſtum eſt, inquam, & conſentaneum, ut de probationibus illis, ad quas ipſi Profeſſores in hac nova criminatione ſua provocant, hanc ſpem concipiam, fore ut A. A. Veſtræ ipſis præcipiant, ut ſilentio atque oblivione tranſmittant rationes illas ab humano petitas die adverſantium ſibi mutuo opinionum, quæ in Confeſſione, Catechiſmo, & commemorata Reformationis praxi comparent: & ut ex ſola analogia ſive orthodoxa conſentientis ſibi ſancti verbi Dei declaratione ſubſidia cauſæ ſuæ quærere neceſſe habeant. In quam ſpem eo propenſius adducor, quia publica ampliſſimi veſtri regiminis adminiſtratio durante hujus Reformationis tempore id jam nobis ſpectandum præbuit, quod propoſitum ſit vobis ac conſtitutum, doctrinam Eccleſiarum, quæ ſpiritualis eſt, non ex verbis humanæ ſapientiæ, ſed ex vocibus quas à Spiritu Dei didicimus, utpote ſpiritualem illam ex ſpiritualibus, diſcernendam ac dijudicandam decernere. Quæ eximia & ſingularis & veſtro Regimini propria virtus, quia ſupra omne laudis decus aſſurgit, & à ſuperiore Papali improbitate atque tyrannide ſegregat regimen veſtrum, cujus ope ſubditi Veſtrarum A. A. conſcientiarum libertatem conſequuntur, ut ſecundum veritatem ſacroſancti verbi Dei, citra periculum ac metum bona ſua vitamque amittendi, vitam inſtituere poſſint: precor Deum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut hæc gubernacula veſtra gratiâ ſua ac bonitate magis magiſque ſtabiliat, ac felici rerum proſperitate provehat ad nominis ſui gloriam & animarum noſtrarum ſalutem. Amen.

Subſcriptum erat, Veſtrarum A. A. paratiſſimus obſequio ſubditus uſque ad aras,

1595. CORNELIUS WIGERI.

Synodus Enchuſana Cornelio Wigero.

SYnodus rogavit atque etiamnum rogat Cornelium Wigeri, ut deſinat tales agere conventus, quales impræſens habet in civitate Hornana, propter cauſas ipſi propoſitas, cupiens ut ad hoc rotunde reſpondeat. Enchuſæ, die 23. Junii 1597.

Reſponſio Cornelii.

REſpondeo ego Cornelius, conventus hoſce frequentari à nobis, qui in expoſitione promiſſionis gratioſæ ac liberatricis hanc ſententiam tenemus, quod ea ad fœderatos Dei omneſque eorum liberos excepto nemine pertineat, &c. Idque fieri à nobis ex illius ratione abdicationis, qua renunciavi communioni Eccleſiæ Reformatæ, & maxime quidem ex vi beneficii illius, quod in conſcientiarum libertate poſitum eſt, quam provinciæ patriæ noſtræ mutuo ſtipulatæ pactæque ſunt ſolemni unione: nimirum ex conformitate imitamur declarationem illam, quam Eccleſia Belgica anteactis temporibus de hac ipſa conſcientiarum libertate remonſtravit Hiſpaniarum Regi & ſubditis ei magiſtratibus. Quamobrem propter cauſam hujus congregationis noſtræ moleſtiam nobis faceſſere Synodum non decet, neque nos ab ea poſſumus deſiſtere. His addo, me nunc atque deinceps in poſterum renun-

Ep. VII. nunciare omni communioni Eccleſiæ Reformatæ quam vocant, quamdiu illa neque agnoverit neque profeſſa fuerit (id quo omnia controverſiæ hujus capita inter Synodum & nos agitata, tanquam unico fundamento nixa ſunt) promiſſionem illam paulo ante commemoratam ad omnes fœderatorum liberos excluſo nemine pertinere.

Subſcriptum

CORNELIUS WIGERI.

Has proavi ſui Epiſtolas è Belgicis fecit Latinas Arn. Poelenburg.

VIII.

FRANCISCUS JUNIUS

ad N. N.

De Eccleſia Ultrajectenſis miſere ſtata.

MIſeram Eccleſiæ illius conſtitutionem plus ſatis vidimus, ad cujus ulcera non unguibus, ſed malagmatis opus eſt: unguium in loco ipſo abunde eſt: nam vix unum aut alterum me audiviſſe memini, qui benè ſentiret de fratribus, aut benè loqueretur: quæ res convellit charitatem funditus, à veritate plurimum abducit, & ſpem omnem præſecat reſtituendæ charitatis in animis alieniſſimis, & veritatis in mentibus ſtudio abruptis promovendæ: nos autem, mi frater, qui infirmo & languenti corpori, non ſpectatores ſolùm ſed curatores etiam à Domino dati ſumus, ſingulos pro vocatione moduloque noſtro æquum eſt operam dare, ſi valemus, ut ſalutaria conſilia ægrotis demus: invaletudines & infirmitates curemus: ſi quæ curare nondum poſſumus, curatori ſummo confidamus & toleremus ipſi: quæ verò offenſioni eſſe poſſunt, ea quam diligentiſſimè amoliamur: denique boni, quicquid poſſumus, afferamus, & boni, quicquid ineſt, curemus foveamuſque religioſiſſimè. Nam ſi quid boni eſt adhuc in Eccleſia illa (eſt autem) id à nobis propter Chriſtum oportet ali, atque ſuſtentari, non autem exſtingui atque labefactari propter malum, quod cernimus. Valentibus non eſt opus medico ſed infirmis. Quid ergo futurum putamus miſero illi gregi, quem Chriſtus redemit ſuo ſanguine, ſi ita porro à nobis deſeritur, ab aliis impellitur, à ſe diſcinditur, & ab aliis Satanæ operis ac mancipiis illuditur? Ego verò de me hoc profiteor, & teſtis eſt mihi Dominus, cui ſervio in ſpiritu mentis meæ, ſi quid cura, ſtudio, labore, induſtria juvare poſſim, me non deterritum iri propter mala, quæ ineſſe video, ab ea adjuvanda, neque deterriturum eſſe quenquam; ſed contra omnia tentaturum modeſtia & μακροθυμία, quæ nos patientiſſimus ille infirmitatum noſtrarum medicus & curator Chriſtus elaborare docuit exemplo ſuo, & ſermone imperavit. Falluntur, qui Eccleſiam ullam ægrotantem aliter curandam putant, nec tolerantiam extraordinariam in extraordinariis malis adhibendam. At deſiderantur hæc & illa, dixerit fortaſſe quiſpiam! Quid? ſi abſiſtimus, deſideratæ res illæ an enaſcentur ultrò? nonne miniſterium propterea imperavit Dominus? Non tempus & opera in rebus illis ab iis, quos Deus honoravit opere miniſterii ſacri, conſumenda? Vos itaque rogo per ſanctiſſimum nomen Chriſti, ut quandoquidem propiùs adeſtis, ſedetis, & piis conſiliis veſtris illi Eccleſiæ proſpiciatis, & membris conflictantibus. Jam alii in alios plus ſatis judicio excurrunt, alii alios damnant, & ſibi argumento illius recuſationis nuper factæ videntur armati, ut quaſi ſecuri miſerum corpus diſſecent, tanquam ſi alii à Chriſto, ab Eccleſia, à communione aberrent longiſſime. M. cccc. xciii. 28. Novemb.

Longanimitate.

IX.

Prætori & conſulibus Ultrajectenſibus.

FRANCISCUS JUNIUS.

De ſtatu Eccleſiæ Trajectenſis, & earum curandi ratione.

NObiliſſimi ampliſſimi viri, Domini conſultiſſimi; quum ad res quaſdam procurandas in cauſa Eccleſiæ reique veſtræ publicæ poſtulatione veſtra acceſſerim, cogit me officium & rei ipſius neceſſitas, ut ea vobis exponam liberè, quæ ad commodum utilitatemque publicam ſentio pertinere; id enim veſtra auctoritate videmini poſtulare, id mea fides jubere, quum meam operam hoc loco de ſententia veſtra occupo. Fretus veſtra illa in omnes humanitate & in me benevolentia ſingulari, apertè ſum pauca dicturus de veſtris illis articulis, quæ ad veſtram meamque pariter exiſtimationem faciunt, & quæ ex uſu futura arbitror huic Eccleſiæ veſtræ & Reipub. Vos oro, ut quæ à me dicentur accipiatis in bonam partem, & certum benevolentis erga veſtram Amplit. veſtramque rempub. & Eccleſiam animi officium, benevolè interpretemini.

Primum igitur cum ad veſtros illos articulos reſpicio, afficit me non mediocriter ratio exiſtimationis veſtræ, quæ certè aliquo pacto laboratura eſt, ſi in hoc tempore, quo per Dei gratiam piis miniſtris veritatis divinæ & pacis publicæ amantibus inſtructi eſtis, placebit adhuc inſiſtere, & urgere iſtorum articulorum quibuſdam in rebus obſervationem. Cum enim veſtros illos, viri Ampliſſ. articulos curaveritis ante annos pauculos perſcribi per proviſionem ſolùm, certè cum ratione rei quæ agitur, tum confeſſione & profeſſione veſtra obſtricti eſſe videmini, ut exoleſcere ſinatis

auc-

Ep. IX. auctoritatem illorum. Nam ut de ratione dicamus primo loco, quid tam ex ratione eſt, quam ut ea res quæ per proviſionem pro tempore & pro re nata fuerunt inſtitutæ, eædemque mutatis rationibus expungantur? Atque hanc quidem rationem ipſam jam ex tempore agnoviſtis, quo articuli de veſtra ſententia perſcripti ſunt. Dixiſtis enim, & iis adſcriptum voluiſtis, per proviſionem vim fore iplorum, & promiſſione veſtra ſignificaviſtis publicè, auctoritatem ipſorum non diu permanſuram. Quod ſi jam perſtare placuerit obſervationem illorum, & mutationem aliquam ſaltem aliqua ex parte protrahi, equidem graviter metuo, ut multi, promiſſionem fuiſſe, objiciant, quam regia ac perpetua lege veſtis commutari: metuo ut hac ratione labes fidei veſtræ adſpergatur, cujus exiſtimationi optimè cupio conſultum in Domino.

Accedit ad hæc altera illa ratio, de qua dixi, exiſtimationis meæ: quam ego quidem non parvi facio, & vobis quoque, ampliſſimi viri, curæ eſſe non dubito pro humanitate veſtra. Periclitatur autem in hac cauſa exiſtimatio nominis mei: eo quod ratione fretus ex promiſſione veſtra dixi & ſcripſi & ſpopondi, vos commodis hujus Eccleſiæ alia via ſuo tempore conſulturos. Scripſi iis qui ex Germania vocabantur, & meas litteras cum V. A. conſilioque toto communicavi, antequam obſignarem eò tranſmittendas: ſpopondi negantibus, & quidem eo tempore, quo nonnulli auſi ſunt dicere, fore ut me Ultrajectenſes deciperent. Id autem eo majore fiducia feci, quod litteris publicis ad me veſtra auctoritate datis, etiam appellantes ſanctiſſimum Dei nomen, id veſtrum unicum ſtudium affirmatis eſſe, ut iſtud funeſtum ſchiſma conſtituto moderatè miniſterio è medio auferri poſſit. Vos itaque appello, qui appellaviſtis Deum, ut de hoc conſilio veſtro publicè privatimque expoſito quam diligentiſſimè cogitetis, rationemque (ut par eſt) habeatis & promiſſi mei & veſtri, & exiſtimationis meæ. Atque hæc quidem particularia videntur eſſe, qua vos, qua me attingunt. Etſi quomodo particulare id eſſe poteſt, quod perſonas publicas attingit, & publicè in omnium oculis expoſitas? Spectatur in publico adminiſtratio veſtra, & mea ſpectatur fides. Sed ſunt duo præterea argumenta ad neceſſitatem publicam propriè ſimpliciterque pertinentia, ſi probè ad ea attendatis, Eccleſiæ cauſa & Reipub. Etenim Eccleſiæ pax, quam benè conſtitui, quam firmè ſtabiliri in diuturnitatem articulis ita perſtantibus hoc in loco poſſit, ego quidem videre nequeo. Et miniſtris paſtoribuſque animus minuitur, & multis adimitur è Chriſtiano grege, ſi diu per vos urgebitur articulorum obſervatio. Miniſtri enim ſibi ac miniſterio, multi Eccleſiæ injuriam fieri judicaturi ſunt. Fuerunt iſti articuli propter ſuſpiciones & metus præceptos anteà perſcripti authoritate veſtra. Vobis certè bonos, qui recens Ep. IX. huc adveniunt, in hanc ſuſpicionem vocari indignum eſt: iniquum, eos conſtringi ſuſpicionis legibus, imò pergrave hoc ipſis, quamvis pacem cupientibus, maximè futurum eſt. Quemadmodum id me veſtris A. A. hoc loco memini in primo noſtro congreſſu dicere, cum de hac re apud vos agerem, ſi ego (exempli cauſa) his legibus ad ſacrum miniſterium in hac Eccleſia accerſerer, fore, ut mille potius mala, ſuſpicioneſque malorum hac occaſione in mentem venirent mihi, quam ut de eo capeſſendo apud vos quibuſcumque promiſſis cogitarem. Deinde vero politicus nemo arbitror judicaturus eſt id conſultum eſſe, ut ſuſpicioſi articuli in repub. obtineant diu. Non enim reſpub. hoc modo curaretur, ſed ſuſpicio contra, id eſt, venenum charitatis & amicitiæ (hac autem ſola reſpub. conſtare poſſunt) paſceretur, & corpus depaſceret vitioſitate ſua moribundum. Sed profectò gravius eſt præcludi aliquam rem ad juſtum uſum miniſterii illius ſacri pertinentem. Ut enim pro tempore civiliter libertatem in rebus quibuſdam præciditis, ita ex contrario Eccleſiis incidunt ſæpe tempora, quibus multa omnino ſunt neceſſaria, quæ alio tempore omitti poſſent, adeò ut iſta ſi Eccleſiæ adimas, nervos ejus quaſi ſuccideris. Hoc verò miniſterium pietati judicioque oportet cedi, hoc miniſterio. Sed omnium horum eſt longè graviſſimum vulnerari pias in Chriſti grege conſcientias. Hæ enim ſi quid miniſterio præcidi, ſi quid adſpergi impuritatis, aut labis Eccleſiis, ſtatim offenſionibus & ſcandalis publicè atque privatim pereunt. Ne cibo tuo (inquit Paulus) ne inſtituto tuo (inquam ego) eum perde, quo pro Chriſtus mortuus eſt. Ego verò ut veſtræ coram hominibus exiſtimationi, ita etiam populo veſtræque ſaluti in Chriſto Jeſu cupio conſulere, & vos confido conſulturos.

Quod ſi nondum id Chriſto, Eccleſiæ, miniſterio veritatis, & ſaluti gregis dari putetis oportere, ſaltem afficiat vos res veſtra publica, cujus cauſa ante hoc tempus articulos illos veſtros jubebatis obſervari. Nam videtis omnes, Ampliſſimi viri, quæ ſint quam periculoſa tempora, quibus temporibus cum alii multi, tum Jeſuitæ, publicæ illæ orbis Chriſtiani faces, emiſſarios ſuos omnibus rimis ſubmittant, ut perdant animas Hiſpanienſi pharmaco, cruentent manus, petant capita, quæ nobis oportet eſſe ſanctiſſima: videtis omnes ab illis excogitari artes, omnes cuniculos ſuffodi, ut faſces veſtros ſubjiciant alienæ tyrannidi, addo etiam ſuæ. Vos autem, Ampliſſ. viri, ſcio oſores tyrannidis, ingenuitatis amantes eſſe: ſtudere veritati ex animo novi, & ex officio ac fide veſtra teneri, ut ſanam doctrinam, quam docuimus ex Dei verbo, procuretis, promoveatiſque. De me hoc vobis confirmare poſſum cum bona veſtra venia, ſaltem unum

Jesuitae

Ep. IX. num de illis articulis vitæ Jeſuitarum convenire. Hi enim pontificia auctoritate curaverunt, & ſubdolo conſilio ſuo pronunciari Duaci & aliis locis; Quicumque in has partes veniunt, verſanturque, eos bona fide poſſe Sacramentum corporis & ſanguinis Domini in his Eccleſiis nobiſcum percipere, nempe ut eo commodiùs circumveniant imperitos, & ſuis nefariis, ſceleſtis atque perfidis conſiliis aperiant viam. Quum autem illud ipſum articulo uno veſtro olim curabatis (ſciens prudens moneo) videte, obſecro, quam accommodatum præſtruxerius argumentum iſtis artificibus quidvis audendi in hoc tractu, quum apud ſuos clanculum communicatione, apud alios palàm improba ſimulatione animos omnium ſibi adjunxerunt. Hic videre mihi videor rempub. veſtram, ſi ita pergeretur, quaſi nudatum pectus ſuum quod vos aluit in publico demonſtrantem, acerbiſſimè conquerentem, adeoque proclamantem & vociferantem contentione maxima, jam tempus eſſe, ut à telis latentium hoſtium quam diligentiſſimè omnibus viis & civilibus & Eccleſiaſticis ſine mora & cunctatione protegatur. Quæ cum ita ſint, oro & obteſtor vos, Ampliſſ. viri, ad exiſtimationem veſtram & ſalutem publicam attendatis, prout natura communi & ſingulari officio ac fide tenemini. Non peto ut publico contrario ſcripto antecedens ſcriptum evertatur. Non ut veſtris A. aliqua macula aſpergatur; non ut populus quaſi victoria parta inſoleſcat. Peto, hortor, conſulo, cenſeo, ut omnia agantur commodè. Ceſſura autem commode judico, ſi jam jam hoc tempore frænos illos miniſterio impoſitos eximatis. Ut dem non ſine cauſa fuiſſe impoſitos (& credo) tamen eos ſine modo & fine non convenit permanere. Sinite modò miniſtros agere, quicquid de ratione ſui miniſterii eſſe animadverterint: ſed paulatim aut ſenſim, ne fortè honori veſtro aut paci publicæ incommodent. Si qui res politicas curare velint, atque in eas invadere, id miniſtri ipſi luant facite, non miniſterium: nam illos πολυπράγμονας velim ſic pœnas dare audaciæ ſuæ, ut eis non eſſet animus unquam iterandi. Sed eandem rationem viciſſim à V. A. in rebus Eccleſiaſticis cupio obſervari, quarum illi adminiſtri, vos pro parte cuſtodes eſtis. Numquam Eccleſiæ melius habuerunt, quam cum res ita agerentur. Hoc autem ſi non feceritis, pericula, ruinas incendia, video reviviſcentia, quæ bonus Deus avertat, & vos, oro, pie & prudente conſilio & adminiſtratione depellite. Sin facietis (ut ego quidem confido facturos) benè vobis, benè Eccleſiæ, bene Reipublicæ, benè ſingulis in Domino. Hoc faxit Deus Opt. Max. hoc Chriſtus Jeſus ad gloriam ſui nominis ſalutemque ſui corporis & veſtrum. XII. Novemb. 1594.

X.

FRANCISCUS JUNIUS

Miniſtris Eccleſiæ Ultrajectenſis.

Pia ad præſſum in ſtudio pacis exhortatio.

S. Reverendi viri, Domini & fratres chariſſimi. Etſi ex eo tempore, quo inter vos conciliationem audivi fuiſſe factam, confido ſedata eſſe in veſtro ordine & tranquilla omnia. Cum tamen nemini veſtrum obſcura ſint machinationes Satanæ, & alios pro aliorum ſalute nos Chriſtiana charitas jubeat eſſe ſolicitos, non potui quin meum erga vos & Eccleſiam veſtram animum hoc meo ſcripto oſtenderem. Videtis, fratres, quem in locum providentia vos hactenus perduxerit: vocationem gravem, Eccleſiam non adeò compoſitam, & ſpem in cœlis ampliſſimam. Quid enim veſtra illa vocatione honoratius, qui pacem divinam præfertis, qui ad ſalutem ſermone vocatis, adminiſtratione ducitis & præitis exemplo, qui ſpecioſiſſimis pedibus (ut cum Propheta loquar) inſtructi eſtis à Domino, dum aliorum pedes in luto mundi iſtius pravi inquinantur. Agite, obſecro, dilecti fratres, excitate donum quod in vobis eſt, & in opus Euangelii pacis ſecundum Deum incumbite. Pacem dedit vobis Dominus. Eandem in vobis, atque inter vos, ut adminiſtri à Deo pacis habetote, & Dominus gloriæ, qui cœpit, brevi calcabit Satanam ſub pedibus veſtris. Imprimis autem vos oro ſingulos per ſanctiſſimum & ſalutare nomen Chriſti, ut attendatis ad vos & ad gregem illum cui vos Dominus præfecit Epiſcopos: ad vos, inquam, ut doctrina ſana paſcatis unanimes, & vitæ ſanctimonia afficiatis ſingulos, memores denuntiationis illius: quiſquis ſolverit unum ex mandatis hiſce, & ita docuerit homines vocabitur minimus in regno cœlorum. Ad gregem vero, ut vos ſemper coram eo ſiſtatis fidos gratiæ adminiſtros, præcones verbi vitæ, & typos bonorum operum, operarios ἀγρυπνοῦντας, vigilate in omnibus, perferte injurias, opus peragite diſpenſationis ſalutaris illius, & miniſterii veſtri plenam fidem facite, oves de grege Chriſti morbo affectas confirmando, ægrotas curando, confractas obligando, depulſas reducendo, peremptas requirendo, denique aquam vitæ imperturbatam in fide, charitate, patientia, lenitate omnibus exhibendo. Deus Opt. Max. qui operarios ſuos intruſit in meſſem ſuam, vos informet ad iſta & regat veritatis & pacis Spiritu. Quod ſi meam operam ad hæc religioſa veſtra ſtudia ex uſu fore vobis & Eccleſiæ arbitramini, id velim vobis perſuadeatis, me, quicquid poſſum, bona fide vobis largiturum & Eccleſiæ Dei, ut pax veſtra conſervetur, & Eccleſia Dei ædificetur ad gloriam ipſius, ad quamque ſignifica-

Ep. XI. tionem veſtram me compariturum in omnia officia paratiſſimum. Intereà vos commendati eſtote Domino & verbo gratiæ illius. Lugdun. Batavorum, die 28. Febr. 1595.

FR. JUNIUS.

XI.

FRANCISCUS JUNIUS

Miniſtris Eccleſiæ Ultrajectenſis.

Gratulatio de pace & concordia illius Eccleſiæ.

S. Gratias ago Deo Opt. Max. Reverendi viri, Domini & fratres chariſſimi, gratulor vobis & Eccleſiæ veſtræ, quod vos in opere Domini convenire audio, ut ordinem ſanctificationi & ædificationi & paci, & ſecuritati publicæ in hoc tempore perneceſſarium, uno animo procuretis: prout eſt ad me his diebus perlatum. Vidiſtis & videtis procul dubio damna, quæ ex diviſionibus antegreſſis Eccleſia veſtra accepit graviſſima, & quæ non niſi unione ſancta in Domino curari poſſunt. Pergite, amabo vos, fratres chariſſimi, pergite in hoc ſancto inſtituto, & Deum pacis in pace ſequimini. Memores illius dicti: Beati pacifici, nam viſuri ſunt Dominum: ſectamini pacem & ſanctimoniam, ſine qua Deum nemo viſurus eſt. In hoc autem principio teniera eſſe omnia non ignoratis: propterea gratulationi meæ ſi hortamentum utile adjecero, ad ea, quæ paci continendæ ſunt opus, ſpero vos operam hanc meam in bonam partem accepturos. In hac pace rogo, ut unitatem ſervetis inter vos, in Eccleſia, & cum Magiſtratû ampliſſimo, ſancta prudentia per vinculum charitatis. Ad unitatem inter vos hæc ſunt opus, ut omnes idem ſentiatis, & communem ſententiam fraterna communicatione ſemper foveatis, nihil ſeorſim agatis alii ab aliis in eo, quod communis cauſæ eſt, denique unum ſitis inter vos per omnia. Ad unitatem Eccleſiæ opus eſt, ut ſermones veſtros, actiones, exempla ſemper ita componatis, ut omnes videant, vos in Chriſto unum eſſe, neque minimam diviſionis aut divulſionis ſpeciem inter vos oſtendatis: quam rem in veſtro ordine pie prudenterque deſideravit ampliſſimus Magiſtratus veſter, ut potui animadvertere. Plurimum hic nocent diviſiones, plurimum ſuſpiciones, plurimum alienæ inſuſurrationes, à quibus vos, oro, tanquam peſtibus charitatis & pacis cavete prudentiſſime, diligentiaque veſtra. De veſtra cum ampliſſimo Magiſtratu veſtro adunatione nihil dicam: quam ſcio vobis cordi eſſe: Hoc tantum dico, ſi quid deſiderabitur porro, id prudenter & commodè à vobis procurari apud illum poſſe. Quod ſi mea opera ad rem ullam utilis vobis fore putabitur, habebitis me ſemper ad omnia pietatis & charitatis officia paratiſſimum. Deus pacis auctor mihi teſtis eſt in ſpiritu mentis meæ, me nihil eorum, quæ ad ſanctimoniam & pacem publicam pertinere vitâ ſunt, omiſiſſe, ſed ἀπραγμονήτως, quæ Dei ſunt, procuraſſe, & deinceps procuraturum, ſi quid erit, in quo veſtram illam compagem, & veſtri corporis juvare poſſim. Valete fratres chariſſimi, & me ſtudioſum veſtri redamate. Lugduno Batavorum. Die Lunæ XVIII. Martii. 1596. *Sine aſſectu privatæ perſonarum.* Ep. XII.

FRANC. JUNIUS.

XII.

Eximio Chriſti ſervo

D. MARTINO LYDIO

Eccleſiæ fido Paſtori fratri ac Symmyſtæ obſervando

THEODORUS BEZA S.P.D.

Eccleſiaſtica. Judicium de J. Arminio, &c.

REdditæ ſunt nobis jam pridem litteræ tuæ, chariſſime Frater, quibus tum ex veſtri cætus ſententia, tum ex ampliſſimi Magiſtratus voluntate, petebas noſtrum de Jacobo Arminio alumno veſtro judicium. Iis litteris etſi paulo poſt reſpondimus, tamen, quod eæ fortaſſis in hac temporum aſperitate ad vos uſque non pervenerint, rurſum nobis viſum eſt, hac oblata fidi tabellarii opportunitate, paucis rurſum reſpondere, nequid ipſius Arminii ſtudiis hinc accidat detrimenti. Ut paucis igitur omnia, ſcitote, ex quo Arminius ad nos Baſilea rediit, ita probatam eſſe nobis ipſius tum doctrinam, tum etiam vitam, ut optima quæque, ſi, quod facturum illum, Deo favente, exiſtimamus, eodem porro curſu perrexerit, de ipſo ſperemus. Tribuit enim illi Deus inter cætera felix ingenium rebus tum perſpiciendis tum dijudicandis: cui ſi pietas, cujus ſeſe ſtudioſum oſtendit, deinceps moderabitur, fieri non poteſt, quin hæc vis ingenii, tum ætate ipſa, tum rerum uſu confirmata, uberrimos fructus perferat. Et hæc quidem de Arminio, juvene certè veſtrorum, quantum exiſtimare poſſumus, benevolentiâ & liberalitate minimè indigno. De rebus noſtris. Quieta nunc quidem adhuc ſunt apud nos omnia, ſingulari Dei Opt. Max. beneficio, quod hoſtes etiam ipſi fateri & agnoſcere coguntur. Sed quum veſtra omnia, ſicuti charitas Chriſtiana jubet, pro noſtris ducamus, acerbam certè vitam in hac mediâ pace vivimus. Ad hæc accedit horrenda illa conjuratio in Galliis, nuper patefacta, nec Eccleſiis duntaxat novas longè maximas tempeſtates intentans, verum etiam, quod Dominus avertat, potentiſſimo regno excidium non obſcurè minitans, cum totius Europæ gravi concuſſione conjunctum. Præterea quis vicinum noſtrum Principem, avitum in nos odium foventem,

Judicium de Arminio

Ep. XII. tem, & huic civitati perpetuo insidiantem, & novâ nunc affinitate vehementer auctum, deinceps quietum fore credat? Itaque tum præsentibus vestris calamitatibus vehementer afficimur, tum Galliæ tumultus incerto exitu graviter angimur, tum privatim nobis imminentis tempestatis expectatione non parum premimur. Sed in his malis tamen, quod hæc omnia sciamus ab unius Servatoris illius nostri sapientia, & *ἐνδικῶς* pendere; *κἂν ῥύμης μὴ, ἀλλ' οὖν ἐξαπορίας*: imo quid prohibet quominus non modo non deficiamus animis, verum etiam in cruce Domini nostri gloriemur? Age igitur mi Frater, de hoc imprimis laboremus, ut fidi ad extremum inveniamur, & Filio ipso Dei reliquum navigationis nostræ cursum virtute sui spiritus gubernante, per istos quantumvis tumidos fluctus, ejusdem bonitate & misericordia freti, in portum usque provehamur: quod utinam Dominus nobis omnibus, pro sua benignitate largiatur. Bene vale observande Frater, & vicissim pro nobis precare. Dominus Jesus communes gemitus nostros tandem exaudiat, & tuis cæterorumque charissimorum Fratrum & Collegarum tuorum laboribus benedicat. Genevæ tertia veteris Junii 1583.

Beatiet. Hesitatione, sed non prorsus hæremus.

Tuus Beza, ex collegii totius sententia.

XIII.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

IN gratus sim, Vir Doctissime, si gratiam tibi debere diffitear: bis enim mereris, quâ instruendo me, quâ ornando. Instruis me literatis tuis literis, & aliis editis aureolis libellis; ornas, dum nomini meo in illis locum esse voluisti honestum. Gratias igitur tibi debeo lubens, &, quia debeo, habeo & ago; referre non est meæ tenuitatis, nisi tu benevolè meum studium, quo Theologorum filios mei similes ad tua legenda adhortor, ita æstimare velis; quamquàm nec illud facio tam quia debeo, quam ut animo meo satisfaciam, qui ægerrimè fert ab istius nominis hominibus illa contemni, sine quorum cognitione nomen illud amplum tueri non possunt. Tu autem breviter & solide illum contemptum & objectamenta, quæ ex eo & pro eo, redarguis. Si desinant, bene illis: sin minus, tu quoque perge, & hoc tantum illis ingere: Qui contemnit, contemnat, imo contemnatur. Perge, inquam, & puta istos contemptores numerum non facere, præ illis, qui ista studia ut par est amplectuntur. Ne autem vocis tantum vice tibi sim monendo, sed & cotis acuendo, statui porrò, quo majorem tibi de me benemerendi occasionem offeram, tecum de talibus conferre; & nunc de hisce. Locus apud Malachiam Epistola tua prima, ante quinquennium fere pro concione non dissimiliter est à me explicatus; nisi quod utramque sententiam tum populo proponebam, significans istam tuam convenientiorem videri, in quia etiamnum tua fretus auctoritate firmius persisto. At verba ista ליום אשר אני עשה an necessario per ellipsin sint explicanda? an non ita reddi possunt, *in die quam ego facio?* sicut Ps. CXVIII. זה היום עשה יהוה quod Pagninus vertit, *Hæc est dies quam fecit* JEHOVA, per ellipsin אשר: vel hoc pacto verti potest, *Hanc diem fecit* JEHOVA, absque ellipsi. Licet enim omnes in universum dies fecerit JEHOVA faciatque; tamen istos forte dies peculiari modo facere dicitur, quibus aliquod suæ providentiæ insigne opus exsequitur, qui propterea etiam suis nominibus sæpe insigniuntur, *ut dies judicii, dies visitationis, dies iræ, tribulationis, increpationis, dies furoris Domini, &c.* Et *dies Domini* dicuntur. Locum *Ps.* XIX. varie ab interpretibus redditum novimus, tua autem interpretatio duplici nomine mihi placebat, quum in horto Petri Vekemanni amici nostri eam proponeres, quia phrasi Hebrææ propinquior, quia sensui Prophetæ accommodatior. Atque ita etiam vertit paraphrastes Chaldaïcus דלא משתמע קלהון. Rectè. Quum enim cœlo attribuisset, quæ absque voce articulata, sermone, dictione illi convenire proprie non possent, explicat, quo pacto cœlum illa præstet etiam absque istis, & dicit cœlum מלל per ordinatum suum & regularem motum. Quum tertiam tuam epistolam legerem, in mentem venit vulgatum illud, bonum Philosophum non semper esse Philosophum: quæ enim ratio, ut gloria simpliciter linguam significet, quia aliquando ita accipiatur. Oratio enim efficit ut vox aliqua propter alias adjectas non proprie sed tropicè aliquando sit sumenda. In loco IX. *Judicum* epistola quarta sententia prior magis arridet: tum quia similis phrasis usurpatur ab olea, cujus fructus etiam in sacrificiis adhiberi solet, non autem à ficu, cujus dulcedinem amant ואנוש אדם, tum vel maximè, quia voce אנשים intelliguntur etiam isti magnates. Isti enim honorantur per oleum, dum unguntur in Reges & Deos. Nisi forte ea vox aliter hic quam versu 9. usurpetur. Sed hactenus ista, quæ judicii mei an feceris? non nominatim. Ergo ad id de quo nominatim me rogas sententiam. Dupliciter isto loco à Tremellio dissentis in voce דבר, & בהושע; quarum illam ille putat verbum, tu nomen, hanc reddit *ad Hoseam*, tu, *in Hosea*. Utrobique tibi assentior. Nulla enim hic est necessitas, qua infinitum verbum vice substantivi verbalis usurpetur, ut tu pulchrè commonstras. De

Epist. XIII.

Epist. XIII. altero autem licet aliqua controversia moveri possit ob particulae ב variam significationem, & ל ב & אל inter se transmutationem, tamen utri ratio nulla diversum jubet, in prima & potissima significatione videtur accipienda particula, qua ב idem quod *in* significat. Commodissimè autem dici potest Deus in Hosea locutus per internam revelationem. At hic duo quaedam mihi vide. *Numer.* XII. vers. 8. particula ב bis construitur cum verbo דבר: eademne significatione? non videtur. Nam פה אל פה אדבר בו incommodè redditur, *ore ad os loquar in eo*; sed potius, *loquar ad eum*, vel, *cum eo*. Et Paraphrastes Chaldeus reddit per עם: &. *Cur non timuistis* לדבר לעברי, *loqui*, non *in servo meo*, videtur, sed *contra servum meum*. Deinde, an ista loquendi forma significat haec in visione per noctem gesta esse à dormiente? Augustinus Enchiridii sui cap. LIX. locum Zachariae I. & II. *cap. Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*, non de apparitione & alloquio in somnis interpretatur, sed de interna revelatione, quae fit intus in animo extra somnum, sive per alloquium sive per visiones. At juvat tuam mentem locus alius eodem capite *Numeror*. Ubi utrumque conjungitur. בחלום אדבר בו. Ut ut est, in summa rei tecum mihi convenit, istis verbis significari internam revelationem, qua Deus suam voluntatem Prophetae Hoseae patefecit. Caeterum hujusmodi Hebraismi observandi videntur metaphrasti. Licet enim reipsa forte idem duae quaedam voces significent, tamen non eodem modo & ratione; & essentialiter seu realiter convenientia saepe formaliter & secundum certam rationem differunt. Interpreti autem, quantum fieri potest, & res ipsa significata & modus significationis videntur exprimenda. Cum his vale, & me, quod facis, amare perge. Salveat à me uxor tua lectissima. Etiam Everhardus Petri, cujus Ebraicam epistolam cum gaudio & admiratione legi, quod tam brevi istos progressus in sancta lingua fecerit, unde & tu, qui praecipuus illorum es auctor, laudem & gratiam à nobis mereris. Vale iterum, vir Doctissime & salve, ab eo qui Reipublicae Theologicae Princeps istius te bono in hanc lucem produxit. Amsterodami IX. Martii CIↃ IↃ XCV.

XIV.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

FAcile mihi tecum convenit, Vir Doctissime, super istis, quae de interna Dei revelatione Hoseae facta es commentatus. Neque in eo dissentio, quod istam in visione factam dicis, modo visionis vocem tam pro notionum audibilium quam visibilium impressione accipias. Locum autem Augustini adduxi, ut commonstrarem illius viri auctoritate alloquia hujusmodi non dormientibus tantum, sed & vigilantibus fieri, quod tu quoque fateris. Caeterùm quo pacto Angelus se suaque sensa homini communicare possit, jam non discutiam: illud autem diligentius mihi indagandum est, an ut alloquium ipsum Dei & mandatum de assumenda fornicatrice in visione Prophetae contigit, ita quoque istius mandati executio in visione facta fuerit, an vero reipsa; de quo mihi nondum constat, quid in alterutram partem sentiam. Cogitabo autem serio, & tum meam mentem tuae notitiae & judicii faciam. De loco Malachiae, an reddendus, *die quâ facio*, vel *quam facio*, non multum contendo, licet analogia constructionis Hebraicae pro me faciat, secundum quam legendum esset ליום אשר בו vel ליום בו אשר; quandoquidem nota seu terminus temporis, quae per quando significatur, particula ב Hebraeis exprimitur, vel ejus vice ל: nisi tu forte mihi gratificeris, & locum commonstres, ubi etiam absque hujusmodi particula terminus iste temporis significatur. De voce אלהים nobis sermo erat in coena, ni fallor, Ambrosii nostri, atque tum consensum inter nos, non significare personas seu ὑποστάσεις divinas, ut magnis nonnullis Theologis, praesertim Zanchio, videtur, cujus autoritatem secuti alii non indocti, etiam populo ex ista voce personarum Trinitatem adstruere moliuntur. Quae res quanti periculi sit, vident illi, qui in re tanti momenti solas ἀναλογίας adferendas censent; ne unico minus firmo argumento refutato spem concipiant adversarii, suspiciones imbecilliores, etiam alia omnia refelli posse. Quare tu utilem navasti operam epistola ad Montanum, non illi tantum, sed multis aliis illam lecturis, & per illam argumenti istius infirmitatem, ut spero, cognituris. Joannem Sylvium, antea mihi sat commendatum, magis propter te commendatum mihi fore ipse experietur, si qua in re opera mea ipsi usui esse possit. Vale vir Doctissime, & me ama. Plura jam non licet propter occupationes varias. 12. Aprilis CIↃ IↃ XCV. stilo novo.

Demonstrationes.

XV.

XV.

Clariſſ. mihique plurimum obſervando viro, Domino

NICOLAO HEMMINGIO

Theologo Præſtantiſſ. in Dania

PETRUS BARO.

De septio Prædeſtinat.

CUm nihil præter unicam veritatem, quæ in tuis ſcriptis relucet, reverende in Chriſto pater, mihique plurimum obſervande Domine, me in tui amorem & reverentiam pertraxerit: ſpero meas (oblata etiam hac occaſione) non fore tibi ingratas, quibus quam poſſim officioſe lubenterque te ſalutem, vehementerque rogem, ut quamvis multum jam in explicanda & illuſtranda Domini Philippi de Prædeſtinatione ſententia laboraris, pergere tamen uſque velis. Quum enim qui contradicunt non deſiſtant, licet eo jam perducti ſint, ut res abſurdiſſimas & nunquam prius in Dei Eccleſia auditas admittere & defendere non erubeſcant, eorumque ſcriptis nonnullorum oculi perſtringantur: Nec nobis certe à ſuſcepto veritatis patrocinio deſiſtendum eſt. Omnes autem in te, vir Clariſſ. oculos conjiciunt, cum propter tuam ætatem, tum propter pietatem & eruditionem; reſque ipſa id poſtulare abs te videtur: nempe ut ex tuo tam divite penu adhuc proferas quicquid ad hujus tanti momenti quæſtionis elucidationem pertinere tua prudentia judicarit. Idem nos abs te petimus & ſperamus, ut tuis armis muniti facilius reſiſtere & veritatem hic tueri poſſimus. Non ignoras præſtantiſſime vir, tua opuſcula abhinc aliquot annos Genevæ edita fuiſſe: ſed cum quadam præfatione, quæ ex ſtilo Bezæ videtur. In qua tuam ſententiam, licet eam æqui bonique interpretari velle videatur, ita ad ſuum ſenſum trahit, ut ex illa vix appareat quid ſentias; hoc multis ſcrupulos objicit, quos etiam ſi placet eximas, nec tuam ſententiam ita detorqueri permittas. Hic nobis quidem hactenus licuit de Gratia tecum ſentire: ſed vix quod ſentimus publice docere, multoque minus in lucem edere. Quod ſi nobis licitum foret, parata quædam habemus & quidem non pauca, quæ ad hanc rem conducere videntur: quæ utinam in tuis eſſent manibus, eaque perlegere & meliora facere, ac tandem in lucem edere velles. Sed quoniam tanta locorum diſtantia hoc fieri non permittit, tantum mittam quandam trium de Prædeſtinatione ſententiarum perbrevem ſummam, ex qua tu colligere poſſis, qualia ſint reliqua. Ea pro arbitrio utere, atque etiam ſi quid in lucem edas, & velis eam adjungere. Verum nos tua expectamus, Deum optimum maximum rogantes, ut te, reverende vir, incolumem diu protegat & conſervet ad ſuæ veritatis propagationem & defenſionem. Cantabrigiæ Calend. Aprilis, Anno 1596. Epiſt. XV.

Omni ſtudio atque officio tuus

PETRUS BARO.

SUMMA

Trium de Prædeſtinatione ſententiarum.

TRes ſunt in Eccleſia reformata doctorum virorum de æterna hominum Prædeſtinatione ſententiæ. Pelagianam enim & reliquas ab Eccleſia damnatas prætermittimus. Prima valde quidem hodie celebrata, nec minus tamen impugnata, eſt Calvini & Bezæ; atque etiam, ut hi volunt, Lutheri Auguſtinique poſterior, quæ hujuſmodi eſt. Deus in hunc proprie finem genus humanum ab æterno condere decrevit, ut certos tantum quoſdam homines, puta Petrum, Johannem, Jacobum &c. eligeret, reliquos vero omnes reprobaret, ad ſuam in illis miſericordiam, in his vero juſtitiam, & in utriſque gloriam illuſtrandam. In quo electionis & reprobationis decreto faciendo, nullam omnino habuit rationem, neque Chriſti mediatoris vel fidei, quod ad illos: neque quod ad hos peccati ullius, vel originalis, vel actualis; ſed illos eligere, hos vero reprobare abſolute decrevit, nihil extra ſe reſpiciens, ſed tantum quia ſic illi placuit gloriam ſuam illuſtrare. Ut autem ſuum hoc decretum exequeretur, ſecundo loco, licet etiam ab æterno, decrevit, ut primus homo ante laberetur, quam quemquam gigneret, ut illius peccato corrumperetur univerſum genus humanum, & condemnationi obnoxium fieret: quo hac ratione poſſet eorum miſereri, quos antea eligere propoſuerat, quorum etiam tantum cauſa Chriſtum mittere conſtituit, in quo eos ſibi in filios adoptaret ac tandem ſervaret: Alterorum vero, quos reprobare eodem decreto conſtituerat, poſſet non modo non miſereri, ſed etiam in illa perditionis maſſa deſertos & Chriſto liberatore omnique ſalutari auxilio deſtitutos ob peccata (ex inevitabili licet ipſius decreto admiſſa) miſere tandem perderet. Hoc enim decretum eſſe volunt principium rerum omnium energeticum atque efficiens: quo nempe Deus res & actiones omnes, earumque circumſtantias, locum, tempus, media, ſive bona, per quæ electi ſervantur, ſive mala, per quæ reprobi pereunt, certo & neceſſario fieri conſtituerit. Nam qui vult finem, etiam vult media: ita ut nullo modo poſſint qui ex illo numero ſunt non credere, non pie vivere, non ſervari: nec contra reliqui credere, pie vivere, ſervari. Licet, hoc poſito, vix ac ne vix quidem intelligi poſſit, quomodo Deus non ſit tam mali quam

non reprobavit, sed non elegit.

Epiſt. XV.

boni, tamque hominum exitii quam ſalutis autor habendus.

Altera autem ſententia eſt Auguſtini poſterior, etiam Sohnii Heidelbergenſis, dum vixit, Theologiæ Profeſſoris, & aliorum quorumdam Proteſtantium, ut Zanchii, atque etiam Bellarmini, qui omnes priorem illam improbant, in hoc inter ſe conſentientes, ut ſit prædeſtinatio ab Adami tantum lapſu accipienda; de quo Auguſtinus ipſe teſtatur, ita ſcribens; *Ex Ada origine damnata velut maſſa una meritæ damnationi tradita, fecit Deus alia in contumeliam vaſa iræ, alia in honorem vaſa miſericordiæ: Illis reddens quod debetur in pœna; iſtis quod non debetur in gratia.* Et hanc propterea ſic definit Sohnius: *Hominum Prædeſtinatio eſt æternum atque immutabile Dei decretum, quo univerſos homines à ſe præſcitos, ac ut poſt creationem & lapſum exſtituri erant conſideratos, id eſt, corruptos, ac per Euangelium, ad Chriſtum vocatos, ſecundum beneplacitum ſuum, ad vitam vel mortem æternam præordinavit, ad declarandam in æternum ſummam miſericordiam & juſtitiam, atque adeo gloriam ſuam.* Bellarminus ex Auguſtini, ut vult, doctrina ſic: *Prædeſtinatio eſt providentia Dei, qua certi homines ex maſſa perditionis miſericorditer ſelecti per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.* Secunda autem hæc ſententia cum priori illa in hoc conſentit, quod utraque velit, Deum ab æterno decreviſſe certum certorum numerum eligere, reliquos vero reprobare: ad ſuam in illis miſericordiam, in his vero juſtitiam declarandam. Deinde etiam in eo, quod illorum gratia Chriſtus ſit à Patre miſſus, in quo eos ſibi in filios adoptaret & ſervaret: ad reliquos vero redimendos, illius beneficium ex Dei ipſius conſilio & Chriſti mente, non magis pertinere, quam ad bruta, aut ſaxa, cum hi non ſint ex certo illo numero: licet omnes quotidie ad reſipiſcentiam invitet; & ſingulis gratiam offerat, quibuſdam etiam in verbo & Sacramentis, & omnibus quidem ſufficientem, ſed non efficacem, inquit Bellarminus. Denique & in eo, quod certi illi non credere & non ſervari, nec reliqui credere, & in ipſo ſervari ullo unquam modo poſſint. Nec hoc modo utrorumque fines eſſe certos & definitos, ſed media etiam omnino quibus ad illos pervenitur. Unde manifeſtum eſt, utramque ſententiam inevitabilem hominibus imponere neceſſitatem, unis quidem ut ſerventur, alteris vero ut pereant. Unde innumera naſcuntur abſurda. In hoc autem diſſentiunt.

1. Quod prior illa ſententia, homines ex maſſâ integra ad hos proprie fines à Deo creari & formari ſtatuit. Poſterior autem, ex maſſâ corrupta quoſdam à Deo miſericorditer eligi, reliquos vero juſte in ea deſeri & improbari; ita ut illud Pauli, *Nonne poteſt figulus unum vas in honorem, alterum vero in contumeliam facere?* Calvino & Bezæ de hominum creatione, Sohnio autem & Bellarmino, de humani generis poſt lapſum partim reparatione, partim perditione intelligendum videatur. Deinde & in hoc diſſident, quod prior ſententia electionis & reprobationis cauſam nullam omnino eſſe velit præter unicum Dei voluntatem, qua ad illuſtrandam ſuam miſericordiam & juſtitiam abſolute illos eligere, hos autem reprobare voluerit: ut ſit Chriſtus non electionis ſed ſalutis cauſa, utpote exequendo illi Dei decreto ſubordinatus. Poſterioris autem ſententiæ patroni, electionis cauſam, ſaltem materialem, in Chriſto Servatore, & reprobationis in peccato quærendam eſſe definiunt; ideoque Prædeſtinationem à lapſu incipiunt, ad vitanda prioris ſententiæ incommoda. In quo eſſent illis æquiores, ſi re præſtarent quod verbis pollicentur. Verum ſi urgeantur, ad abſolutam illam voluntatem, quam vitare ſtudent, neceſſe eſt ut recurrant. Cur enim Deus, cum omnes in maſſa perditionis æque ſint, & eatenus peccatores, hos potius quam illos in ea deſerit? Peccatum hujus diſcriminis cauſa eſſe non poterit: quum in illis qui liberantur non minus ſit quam in iis qui deſeruntur. Illis ergo confitendum eſt, ab abſoluta Dei voluntate hoc pendere, qui Chriſti meritum illis applicare velit, his non item. Unde conſtat, ex hac etiam ſententia, Deum ante hominis lapſum ita apud ſe facere conſtituiſſe: & in hunc & in illum finem hos & illos creaſſe. Itaque licet hæc opinio Prædeſtinationem à lapſu tantum incipere velle videatur, in priorem tamen recidit, quam vitare cupit. Ita ut duæ hæ ſententiæ pro una haberi eatenus poſſint.

Tertia vero eſt Patrum, qui Auguſtinum præceſſerunt, & ipſius etiam Auguſtini, priuſquam cum Pelagio congrederetur: tum enim quædam à majoribus accepta mutavit, ut ex retractationum aliiſque libris apparet, unde maximi in Eccleſia clamores extiterunt: quos etſi poſtea ſedare pro viribus conatus eſt, ſemper tamen de ea fuit ab eo tempore litigatum. Eam jam in Reformatâ Eccleſiâ amplectuntur & propugnant Philippus Melanchthon in Germania, Nicolaus Hemmingius in Dania, Gellius Snecanus in Friſia, & alii ubique non pauci Theologi; quæ hujuſmodi eſt:

Quum Deus natura bonus hominem ad bonum, hoc eſt, ad beatam vitam creaſſet, eidemque lapſo Filium liberatorem promiſerit, per quem caput ſerpentis conteręret, hancque propterea legem poſuerit, ex qua ſit de ſingulis judicium tandem facturus, *Quicunque in Chriſtum crediderit ſervabitur: qui vero non crediderit condemnabitur*; vere etiam omnes ſine ulla definitione ad reſipiſcentiam, fidem ſalutemque quotidie vocat atque invitat. Quum hæc, inquam, ita ſe habeant, manifeſtum eſt Chriſtum lapidem eſſe probationis, in quo electi à reprobis diſcernuntur: nec ullum

Epiſt. XV.

Ep.XV. ullum aliud eſſe arcanum de hominibus ſervandis & perdendis Dei decretum, quam hoc nobis in ſcripto Dei verbo patefactum. *Quicunque crediderit, &c. Quicunque vero non crediderit, &c.* Quapropter quos Deus ab æterno præſcivit in Chriſtum (qui unica ad vitam æternam via eſt) credituros, eoſdem etiam prædeſtinavit ut ei fierent in gloria conformes: Rebelles vero & in peccato contumaces, ut ad ſuum illud regnum ineptos, ab æterno etiam reprobavit. Hanc eſſe Patrum ſententiam teſtantur primum eorum ſcripta, deinde ii etiam qui ab ipſis hac in re defecerunt. Hoc Beza confirmat, qui in epiſtolam ad Rom. ſcribens *cap.* XI. *verſ.* 2. *Nec ullo modo audiendi ſunt Patres, qui ad fidei præviſionem hoc referunt*, inquit. Non dubitat ergo Beza hanc Patrum eſſe ſententiam; ſed ſuam illi anteponendam putat; quod alii negant, qui Patribus potius adhærentes, credunt Deum primum hominem & omnes ejus poſteros ad æternæ felicitatis participationem creare ſtatuiſſe, paratumque eſſe omnia tum naturæ, tum gratiæ, ad beatitudinis illius conſecutionem neceſſaria adjumenta omnibus largiri, atque etiam impedimenta quæ facere poſſent, quominus eam conſequerentur, è medio tollere: ipſumque nullum penitus hominem, non animadverſis primum ejus peccatis, beatorum conſortio excludere, atque æternis cruciatibus addici voluiſſe.

Editione ſecunda.

Quæ ſententia in hoc cum duabus præcedentibus conſentit, ut æterna & certa ſit hominum apud Deum electio & reprobatio: Et electio quidem etiam gratuita. In hoc autem cum ſecunda tantum conſpirat, quod Chriſtum (*in* quo Deus nos ante jacta mundi fundamenta elegit, & à reprobis & infidelibus ſecrevit) electionis cauſam eſſe teneat, ut antea diximus, peccatum vero reprobationis; quorum utrumque prima negat. Sed ab utraque vehementer diſſentit. Quod illæ velint, Deum maximam partem generis humani de induſtria & abſolute ad interitum ab æterno creare decreviſſe; ut prima. Aut in Adami lapſu ſine ulla ſpe veniæ relinquere; ut ſecunda. Ideoque Chriſtum nihil illis miſeris ad ſalutem profeſſe, ex Dei ipſius decreto & propria ipſius Chriſti voluntate: Nec pro ipſis à Patre miſſum, mortuumve eſſe, magis quam brutis aut ſaxis, ipſiſve etiam diabolis (ad quos tamen beneficium Chriſti nullo modo pertinere manifeſtum eſt) itaque nunquam eos potuiſſe credere & ſervari. Poſtrema inquam ſententia utrumque hoc improbat, & Theologia hæc duo axiomata pro veriſſimis & aperto verbo Dei nixis conſtanter tenet: Deum velle omnes homines ſervari neminemque perire; &, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, ideoque Deum neminem unquam odiſſe, nec odiſſe propoſuiſſe, quatenus hominem à ſe factum, ſed tantum *quatenus peccatorem*: Immo omnibus in Adamo lapſis & peccatoribus Chriſtum promiſiſſe & miſiſſe, qui caput ſerpentis contereret, & quod perierat repararet. Ideoque etiam voluit ut omni creaturæ, id eſt, cuivis homini Euangelium annunciaretur, ut omnes & ſinguli ad agnitionem veritatis pervenire & ſervari poſſent: quam Dei voluntatem, Patres antecedentem vocant. Itaque quod quidam ſerventur, ex Deo meràque ejus gratia id eſſe: quod autem alii damnentur, ex eorum id malitia & pravitate exiſtere: quæ conſequens Dei voluntas dicitur; ſequitur etenim hominum in peccato perſeverantium impœnitentiam. Damnantur etenim eo *quod dilectionem veritatis recipere noluerint ut ſerventur*, ait Apoſtolus, aut, ut Chriſtus, *quod tenebras amaverint magis quam lucem:* hoc eſt, quod Chriſto eos vocanti & ſub alas congregare volenti obtemperare noluerint, & Spiritui S. ſemper reſtiterint, inquit Stephanus. Ita ut perpetuo verum ſit illud, *Perditio tua ex te Iſraël, Salus autem ex me.*

Ep.XV.

Hæc igitur ſententiæ ſic inter ſe conſentiunt & diſſentiunt, ut prima & ſecunda damnationis & ſalutis neceſſitatem includant & hominibus imponant. Tertia non item. Sed hæc Prædeſtinationem, licet ſit ipſa apud Deum immutabilis, negat tamen immutabiles reddere hominum voluntates, neceſſitatemque illis inferre, ne Deum autorem peccati hominumque exitii faciat. Unde conſtat, totam hanc de Prædeſtinatione controverſiam in hoc veluti cardine verti, nempe utrum illa, quam primo loco poſuimus, Bezæ ſententia, in quam ſecunda recidit, ſit poſtremæ huic Patrum præferenda. Beza hîc Patres nullo modo audiendos eſſe ait: Hoc ipſi negant. Nos nobis veritatem inquirere fas eſſe arbitramur, in re præcipue tanta, ubi nempe de æterna hominum felicitate & miſeria agitur. Imo id non modo fas eſſe, ſed diligenter etiam atque etiam ſatagendum: nec à Patrum ſententia prius decedendum, quam id certa & aperta ratio dictet. Cæterum, quia hæ tres ſententiæ in Eccleſia ſint Reformata, quarum una tantum vera eſſe poſſit, videat quiſque & diligenter perpendat quam repudiare & quam amplecti potius debeat: nec in hujus aut illius verba juret, priuſquam diligens judicium adhibuerit, ſi ſibi ſuæ ſaluti conſultum eſſe velit.

Duæ igitur ſententiæ primæ, ut hoc repetam, hoc nituntur fundamento, quod tamen tertia ut falſum & Sacris Literis, Deique bonitati contrarium refugit, videlicet, Deum ab æterno, nullâ habitâ ratione peccati, ſed abſoluta ſua voluntate cui nemo reſiſtere poſſit, longe maximam humani generis partem reprobare & ad æternum exitium creare, (ut ſtatuit prima) aut in Adami ruina deſerere (ut ſecunda) immutabili atque irrevocabili decreto apud ſe conſtituiſſe; illos qui ex reproborum ſint numero neceſſario atque inevitabiliter quotidie naſci & perire: utpote quos Deus, aut nunquam ſua gratia dignetur, aut ſi quibuſ-

Epist. XVI.

busdam ex illis, veluti iis, qui in Dei Ecclesia versantur, eam in verbo, aut etiam Sacramentis offerat, id eum non serio, hoc est, ut per eam serventur, facere; sed contra, ut hi minus sint quam reliqui excusabiles, graviusque tandem puniantur: Neque enim pro his Christum venisse, mortuumve esse, nec ejus beneficium ad hujusmodi homines magis, quam ad saxa aut bruta, ipsosve diabolos pertinere: quum à Deo ab æterno reprobati & in hunc finem proprie creati, vel (quod eodem recidit) in massa perdita relicti sint, ut æterno exitio addicerentur. Hoc, inquam, est duarum sententiarum priorum fundamentum, quod tertia vehementer improbat. Cui vicissim illæ Pelagianissimum objiciunt, sed immeritò. Neque enim Patres qui Pelagium præcesserunt, neque Hieronymus & Augustinus priusquam cum Pelagio conferrent, Pelagiani fuerunt, qui tamen omnes hanc sententiam professi sunt. Neque Reformatæ hujus sæculi Ecclesiæ, quæ ipsam amplectuntur, ut major pars Germaniæ, totaque Dania, Norvegiaque; neque Philippus Melanchthon qui Confessionem Augustanam scripsit, quam reliquæ probant Ecclesiæ, neque alii ubique docti viri, qui hanc duabus illis anteponendam censent, Pelagiani tamen sunt. Facessat ergo hinc tam illiberalis calumnia, ad obruendam veritatem excogitata, nec quemquam impediat, quo minus de hujus quæstionis veritate diligenter etiam atque etiam inquirat. Amen.

P. BARO.

quenquam impellere. Vincula corpori, & animo habenæ injici possunt, animus certè nullis se nexibus constringi patitur. Quare cum hoc totum à Deo proficiscatur, qui unus fidei, & donorum spiritualium distributor est, cur in hominum mentes imperium sumere non dubitamus? Obsecro te, ut me scriptis tuis, & sermonibus lacerare desinas, hominem de te nihil male meritum. Non ignoro quid quoque in Polonia & dixeris, & conatus contra me sis: quàm bene, quam Christianæ charitati convenienter feceris, te vel ipsum judicem appello. Arianus non sum, nec esse puto quenquam in tota Polonia, si vera sunt, quæ de Arii sententia narrant historici. Hoc certo persuasum habe, me veritatis studiosum esse, quam studiosè perquiro, non ulla alia re adductus, quam ne cum multitudine errem. Quod si excidere me putas à veritate, & te recte sentire existimas, non odio, sed commiseratione potius dignum judices, ac Deum pro me precare, ne me tam periculosè labi patiatur. Hæc te scire volui, ut intelligeres dolorem meum, & si lubet posthac parcius de me scriberes. Oro te, ne mihi hoc otium perturbes conviciis hujusmodi. Non deessent mihi rationes, quibus par pari referre in omni genere possem, ut te intelligere existimo: sed malo amicè tecum agere, & bonum pro malo reddere. Vale meque mutuò ama. Abalienasti à me Bezæ, Simleri, & aliorum animos, quorum tamen amicitiam mihi studiosè conciliaveras. Viros illos summos ego & amo, & colo, omnique honore dignos esse judico, nec propterea odi, quod non idem sentimus. Beza nihil mihi respondet, nec rescribit an poculum à Venturino munere à me missum acceperit; aut si respondit, litteræ interceptæ sunt. Vetat nos Servator noster talem animum induere erga homines qualescunque. Quin etiam pro inimicis nostris orare nos jubet. Judaicus hic zelus est, & Papisticam tyrannidem præ se fert, dissentientes à se amicos hostiliter infectari. Remove affectus ac præjudicia, intelliges certè nihil absurdum me in hoc genere dicere. Vale iterum.

Epist. XVI.

XVI.

ANDREAS DUDITHIUS

Christophoro Threcio S. P.

EXcellentissime Domine & amice honoratissime; Cum alias sæpe multa ex Germania ab amicis meis nunciata mihi sunt, ex quibus apparet parum honorificos te de me sermones spargere solitum per litteras; tum hoc tempore quidam in hæc verba scribit: Threcius mel & delitiæ tuæ, te de nota meliori apud suos commendat. Inter alia sic; Duditius, inquit, noster indies magis Arianizat. Nunquam quod sciam te offendi: data opera abstinui à tua consuetudine, (quæ mihi quidem, ut scias, jucundissima fuit) eam ob causam, quod viderem te omnes odisse qui non idem, quod tu, de religione & sentiunt, & loquuntur. Nunquam te odi, neque amicus esse desii. Probare hunc morem, omnibus machinis oppugnandi eos, siqui diversam de pietatis aliquo capite sententiam tuentur, non potui, nec potero unquam: omnibus enim libertatem suam permitto: neque humanum esse puto ad hanc, vel illam fidem amplectendam

Duditius Arianizat.

XVII.

D. CONRADO VORSTIO

THEODORUS BEZA S. P. D.

De vocatione Sternfurtensi.

ETsi, vir eximie, & summe observande frater, nihil nobis optabilius accidere potuit tuo ad nos reditu, cognitis tamen ex Illustrissimi Principis literis, quam necessarias ob causas te istic retinuerit, non possumus non in iis acquiescere; Deum precati, ut quum illi visum sit tua istic uti opera, tam feliciter cœptis quam cumulatissime benedicat; & te quoque speciatim rogantes, ut qua nos benevolentia complexus es, quum hic apud nos esses,

Ep. 18. esſes, eâdem nos in posterum prosequi digneris, corpore quidem absentes, Spiritu vero ejusdem Christi conjunctissimos. Satis enim hic cognovisti quis noster sit status, si res humanas spectes, id est, quam infirmus & imbecillis, ac proinde quam illi sint necessariæ bonorum omnium preces apud illum, à quo uno pendemus: quod si quando tibi licuerit de vestrarum Ecclesiarum, ac præsertim de recens collectæ ibic Scholæ statu, nos certiores facere, idem quoque vicissim præstare studebimus, ut conjunctis animis, & iisdem armis adversus Sathanam & ipsius emissarios depugnantes, mutuo nos magis ac magis solemur & confirmemus. Bene vale, summe observande frater, & fortiter age in Domino. Genevæ, 9 Augusti vetere calculo, 1596.

Tuus Beza, totius collegii nomine.

XVIII.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

EGi hisce diebus cum Utenbogardo super negotio, de quo multus nobis sermo erat, quum hic esſes, eique id commendare studui pro viribus: at exigua opera ad hoc opus fuit apud illum, qui sponte sua & naturæ quodam affectu ad illa studia propendet. Quare operæ pretium erit, ut illum de rationibus tui instituti, ejusdemque utilitate per literas edoceas, quo solidè & accuratè negotium hoc apud Ordines agere possit, & quod volumus impetrare. Sperat omnino si utilitas rei, quam præ manibus habes, commodè explicata Ordinibus innotescere queat, non frustraneam fore pro ea intercessionem. Hoc ergo age, nec cunctanter. Res enim magna est quam tibi proponis, & laboriosæ plena operæ, sed cui fructus, meo judicio, respondurus sit amplissimus. Mirarer cur plerique hac ætate, tam jejune de ilt hoc studii genere sentiant, nisi viderem multos, etiam inter eos qui sacrosancto studio devota gerunt pectora, partim superficiariâ rei Theologicæ contentos cognitione solidam & vero nixam fundamento non quærere; partim illa sola magnifacere, sine quibus salutem constare non posse putant, floccifacere autem quæ ad phrasin sacri sermonis, ad certum sensum Scripturæ, ad antiquitates priscæ Judæorum Ecclesiæ, ejusdemque ritus, mores, consuetudines, tum in sacris tum in civilibus rebus pertinent. Quod magis mirum est, quum tantus ubique inter potentes & doctos sit numerus, qui quantivis pretii æstimant etiam minutissima, quæ ad Romanæ Græcæque rei & linguæ scientiam vel tantillum momenti adferre posse arbitrantur. Hujus autem rei, præter supinum omnis religionis, & præsertim veræ, qui in multorum Ep. 19. viget animis, contemptum; causam esse puto summam, & cum nisi impigro & assiduo labore superandam difficultatem, quam in istarum rerum inquisitione, elucidatione, & enucleatione necessariò positam vident. Quem laborem plerique fugiunt, aliis per occupationes impendere integrum non est, pauccissimi ob ignorantiam istarum Orientalium linguarum adhibere cum fructu & emolumento possunt. Quare rem illam omnium in divinis eruditorum opera dignissimam, tu porrò tractandam suscipe; instructus es à cognitione illarum linguarum, quæ ad eam requiruntur, suppetit tibi copia librorum necessariorum, otium non deest, quantum postulat usus, φιλονονία (*laboris amor*) adest tibi, necessarium magnis ingeniis ad præclara perficienda instrumentum; ad reliqua quæ desunt, quia ære suppleri possunt, rogandi penes quos ejus est satis ampla potestas: Ad hoc negotiationis munus se promptum offert Uytenbogardus; argumentis tantum instrue facundum intercessorem, & illius fidei negotium cætera securus committe, effectum dabit ex voto, nisi quis malus genius tantum bonum nobis invidebit. His vale, Vir Doctissime, & te unice colentem redama, quod facis. Precor Dominum Jesum ut tuis studiis ad nominis sui & Ecclesiæ amplificationem benedicere affatim dignetur. x. Kal. Jan. c1o 1o xcvii. stilo novo.

XIX.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI UYTENBOGARDO

meo salutem & bene per Christum agere precor.

COllocutus sum nuper, quum Leidæ nuptiis D. Kuchlini & meæ amitæ interessem, cum doctore Junio, super causa lapsus Adami, ejusdemque modo, id est, contingentia & necessitate: occasione & materia colloquii, quin & directione desumpta ex illius libello super eadem re edito. Dicebam mihi videri illos, qui quæstiones illas quatuor ipsi proposuerant, ad duas priores prorsus contrariam responsionem ab eo exspectasse, idque satis liquere ex duabus posterioribus, quæ omnino locum non habent posita tali ad duas priores responsione; facile enim quemvis videre, quomodo homo libere lapsus sit, & Deus non sit author peccati, si Adamus non necessario, sed contingenter, nullo decreto Dei nisi permissivo, atque ex ista mente explicato, mandatum Dei sit transgressus. Atque hinc mihi videri duas insuper alias quæstiones ipsi tractandas fuisse, quæ tali ad duas priores responsioni possunt opponi ab iis, qui non tantum exspectarunt aliud ad illas responsum, sed etiam *Theologica de lapsu Adami.*

Digitized by Google

Ep. 19. datum improbant & aliud datum mallent. Quæsivit quænam istæ essent. Dixi priorem esse; quomodo homo non eximatur divinæ providentiæ, si isto modo sit lapsus, quum actus ille, quo mandatum Dei est transgressus, ista ratione in Deum omnium primam causam non possit reduci. Alteram, quo pacto Deus lapsum hominis certo præscire potuerit, quum præscientia certa immutabili causa, juxta Ursinum & alios, debeat niti; libera autem hominis voluntas sit causa contingens & maximè variabilis; voluntas autem Dei sit causa immutabilis, & omnis in rebus creatis necessitatis principium. Fatebar quidem aliqua isti scripto interspersa, quæ responsionis loco esse possent; at mihi videri ex proposito istas quæstiones tractandas fuisse: quin & prudentiæ illorum fuisse, qui quatuor illas explicandas obtulerunt, etiam hasce addere; quia ut illæ duæ posteriores excipiunt responsum ad duas priores Calvini & Bezæ menti consentaneum, sic hæ duæ opponendæ videbantur responso ab illorum mente dissentienti. Respondit autem ad primam, quantum quidem ego capere potui; non eximi propterea hominem divinæ providentiæ, neque verum esse quod actus ille non reducatur in primam causam, stante illa sententia. Tum quia providentia omnibus rebus providet easque dirigit & gubernat, secundum modum earum; quumque creaturæ rationali proprium sit ut voluntarie agat, & suis actibus dominetur, æquum esse ut providentia Dei ita hominem gubernet ejusque actus dirigat, ut dominus ille suorum actuum maneat, actusque illius sint voluntarii. Tum quod prima causa cum alia secunda ad unum effectum concurrens agat secundum modum causæ secundæ, si secunda sit contingens & libera, ita agere primam ut illi contingentiam & libertatem suam non auferat, quod fieri nequit sine naturæ ipsarum interitu. Dicebam etiam illos, qui Calvini & Bezæ sententiam tuentur, dicere, hominem stante isto decreto, quod ipsi urgent, nihilominus voluntarie lapsum, & dominum istius sui actus fuisse, lapsumque contingentem fuisse: quum contingentia & necessitas ista non pugnent, diverso nempe respectu consideratæ, necessitas respectu decreti divini, contingentia respectu hominis voluntatisque illius. Hæc ego non ex meâ sed aliorum mente objiciebam. Respondit ille, hujusmodi necessitatem cum libertate & contingentia non consistere; verum autem esse, nihil ita esse contingens, quin aliquid habeat necessarii. Cujus responsi partem priorem explicuit satis plane & meo sensui accommodate; quare omnino in illius sententia acquievi, gravisus tanti viri judicium à meo non discrepare, quod, ut ut aliter videor, semper pene suspectum habeo, adeo etiam, ut me in multis, in quibus alii dubitationem nullam ferunt, suspensum & animi dubium teneat. Summa autem explicationis erat ex contingentis & necessarii definitionibus ita inter se contrariis, imo contradicentibus, ut uni eidemque effectui nullo modo convenire queant. Contingens enim est quod potest non esse vel fieri: Necessarium quod non potest non esse vel fieri. Distinctionem autem illam respectuum non efficere ut hæc duo in unum convenire possint, quandoquidem illa contingentia & libertas, quæ esset ex naturâ hominis voluntariâ, si decretum in alteram partem factum non esset, tollatur decreto facto, adeo ut incommode dicatur Adamum, posito quod Deus decreverit ut laberetur, potuisse non labi, quia sic potuit irritum reddere Dei decretum. Agitur autem non quid δυνάμει (*Potentiâ*) potuerit Adamus, quandoquidem illam non circumscribit decretum, sed quid actu, de quo est quæstio. Alterum illud, quomodo nihil sit contingens, quin aliquid habeat necessarii, obscurius explicabat: velim autem hoc latius ab illo tractatum, quod omnino ipsi faciendum esset, si de providentia Dei in universum agere instituisset. Verum quidem est, nullum fieri motum, nisi movens rei immotæ sit innixum: at hoc pulchrum esset cognitu specialius & latius explicatum. At ego de isto cognoscendo tum non laborabam, quia non tam scire prorsus incognita volebam, quàm à dubitatione illorum, quæ opinanter intelligebam, liberari. Addidi insuper, me non posse capere, quomodo causa secunda, à prima acta & in primam reducta, libera & contingens maneret, pro suæ naturæ modo, nisi statueretur actus & influxus causæ primæ, qualiscunque ille esset, sive universalis sive communis (sive specialis, sive particularis) ita esse in potestate secundæ, respectu (non initii illius actus sed) usus, ut illo influxu uti vel non uti posset pro arbitrio, ad effectum producendum quem vellet: alioquin, si influxus causæ primæ ita secundam moveret, ut non posset non moveri, & ex motu isto effectum producere, necessitatem in illum actum reduci simpliciter, omni contingentia sublata. Quod ille dicebat verum esse, & prorsus verum: bis enim aut ter id interrogabam; quandoquidem in isthoc nosse illius mentem erat mihi præcipua causa illius nostri colloquii. Ad secundam quæstionem respondit; verum esse, præscientiam certam & infallibilem esse non posse, nisi innixam causæ immutabili. Voluntatem autem Dei esse istam immutabilem causam negabat: at esse aliam, nempe naturam divinam, cui præscientia, seu potius scientia, inniteretur; quæ etiam ordine attributorum, in divina natura consideratorum, ipsam voluntatem præcedat. Hîc ego adeo sui gaudio perfusus, atque si ingentem gazam reperissem, quam præ certa scientia in istis rebus, de quibus jam septennium anxie dubito, ita vilipendo, ut veram & animo meo satisfacientem scientiam circa arti-

Ep. 19.

cu-

Epiſt. XX.

ticulos de providentia & Prædeſtinatione malim, (ita me Deus amet) quam Cræſi & Mydæ divitias, imo totius mundi gazas. Et præ iſthoc gaudio nihil ulterius objeci. Vidi quidem poſtea inſtantiam dari poſſe, nempe præſcientiam certam alicujus rei debere niti non tantum immutabili cauſa, ſed & immutabili cauſa rei præſcitæ, quæ non eſt natura Dei, utpote nullius rei extra ipſum cauſa, ſed voluntas. At hoc falſum eſſe dicet ille, qui ex Thomæ & aliorum Scholaſticorum, ſors omnium, ſenſu, novit ſcientiæ Dei rationem & cauſam non ex rebus ſcitis, ſed ex ipſa natura divina ſumendam & metiendam. Inde cœpi de Prædeſtinatione quid agere, non quidem ut de ea tum informarer, inſtabat enim veſpera; ſed ut tantum ſignificarem me in illa valde hærere, & ſperare me illius opera extricari poſſe; quam etiam obtulit benevolentiſſime, ſi ea quæ me angunt ipſi per literas patefacerem; quod & recepi facturum, at hactenus non potui propter varias occupationes, quibus invitus diſtrahor & diſtineor. Hæc tibi ſignificata volui, tum ne vacuum hunc & ſine literis ad te dimitterem, tum ut & tu ſuper iſtis, ſi integrum eſt, mediteris, & per occaſionem cum Junio conferas, quo ego Juniana tuo accurato judicio, quod ſemper maximi feci atque etiamnum facio, expenſa atque librata abs te accipere queam. Vale amiciſſime & me ama. Statuimus pæne, ſed nondum plene, Tyſius & ego, tecum de variis conferre, & propterea ad te (niſi tu antea huc veneris) excurrere, ubi dies provectiores facti fuerint. Vale iterum cum cariſſima Tua, cui à me & mea ſalutem dices. Amſtelædami 7 Februarii 1597.

XX.

ADRIANI DAMMAN

Fœderati Belgii Ordd. res apud Scotos Agentis.

AD ORDINES EPISTOLA.

Meſſeigneurs,

De turbis excitatis Edenburgi contra Regem.

QUelcque diligence que j'ay ſceu faire pour retourner à la reſidence de ſervice, ç'a eſté le XIX. jour de Feburier ſtylo novo, devant que j'ay peu avoir bateau pour aller en Eſcoſſe, & ay eſté ſept jours ſur mer juſques aux Schers de .... la ville de Barwijck, & de la par terre en trois jours, pour ne perdre plus de temps y attendant le vent. J'ay trouvé la ville d'Edenburg en grand trouble, qui eſt commencé quelques jours devant que j'y arrivay, dont la cauſe a eſté telle; le Roy & ſon conſeil eſtoient fort priés de la part du Comte de Hontlie, afin que le dict S^r. fuſt reçu en grace de ſa Majeſté, & reconcilié avec l'egliſe; Ep. 20. ceux du conſiſtoire, principalement un au dict Edenburg, s'y oppoſerent ardemment, criant touſiours contre le Roy & ſon conſeil: & cependant un miniſtre de S. Andries accuſoit publiquement la Roine d'Angleterre d'Atheiſme, appelloit le Roy ſon ſouverain, inconſtant & Apoſtat, dict qu'il n'attendoit rien de bon de la Royne d'Eſcoſſe, & que pourtant il ne pouvoit prier pour eux.

Tout cecy raporté au Roy, meſmement touchant la Royne d'Angleterre par ſon Ambaſſadeur, le dict miniſtre fut cité devant le Conſeil du Roy en termes communs; & y eſtant comparu, dict hardiment, qu'il n'en vouloit pas reſpondre, ni au Roy, ni à ſon Conſeil: car ſi ſcandale fut faict, ou pris de ſon ſermon, que c'eſtoit l'office & authorité de l'egliſe d'en cognoiſtre & ordonner. Depuis le dict miniſtre fut aultrefois adjourné en termes exprés, avec ſpecification des crimes à lui impoſés; & au lieu de comparoiſtre, il a faict preſenter une declinatoire en forme, ſoubſcript par pluſieurs miniſtres, & ſignammeut par ceux d'Edenburg. Sur quoy le Roy a faict confiner le dict miniſtre en certain lieu; puis il a commandé aux Magiſtrats de la dicte ville d'Edenburg, qu'ils donneroient ordre, que les miniſtres de leur egliſe n'exorbitaſſent plus en crieries & invectives contre luy & ſa Court, car il ne penſoit pas eſtre ſcandaleux à l'egliſe, ne luy ne aulcun de ſes ſerviteurs domeſticques. Mais tant ils ont failli à ſe moderer, que peu de jours apres le Roy eſtant venu en la ville, un deſdits miniſtres d'Edenburg a farcy tout ſon ſermon de calomnies contre le Roy, & ſes gentilhommes; appellant ſa court la maiſon du diable, le Roy apoſtat, & touts ſes ſerviteurs diaboliques; & apres ce bon diſcours, il ſemond la commune de ſes auditeurs en l'autre temple, où les miniſtres tiennent ordinairement leur conſiſtoire; la ou furent leus quelques chapitres de Heſter, touchant Aman & Mardochee; & apres, avec grande exhortation le peuple mis en armes, & auſſi perſuade deux Milorts, aſcavoir de Lindeſay & celui de Forbas; & avec ceſte ſedition coururent trois miniſtres d'Edenburg, *indigna profeſſione hominum Chriſtianorum vociferantes*, & ce juſques devant la chambre où eſtoit le Roy au conſeil. Les dicts S^r. (pour le preſent declarés rebelles) ſaiſirent avecq leurs ſerviteurs la grande & haulte rue d'Edenburg, & en faiſoient retirer toutes perſonnes à eux ſuſpectes, juſques à batre les pages & aultres ſervants à ſa Majeſté. Le quatrieſme miniſtre & *iſtorum quaſi caput, quod nobilis & opulenti viri filius eſſet*, nommé maiſtre Robert Bruce, ſe tenoit cependant en ſa maiſon, & eſcrivoit une lettre au Milord Hamilton en ceſte ſubſtance: qu'il y avoit un grand different entre le Roy & l'egliſe, & que ceux d'Edenbourg avoient pris les armes, *In-*

Ep. 20. *ſtigante & cogente Spiritu Sancto.* Que rien leur falloit q'un chef, tel qu'eſtoit ſa Sʳⁱᵉ. pourtant en conformité de la bonne expectation, qu'avoit on touſiours eu de lui envers icelle, qu'il lui pleut venir vers ladicte ville, le mieux accompagné que ſoudainement faire ſe pourroit. Or le dict miniſtre avoit enjoinct au porteur de ſa lettre, que ſi la lettre ne plaiſoit pas au dict Sʳ. Hamilton, il la remanderoit, & rapporteroit à luy: ſur quoy le dict Sʳ. demandoit, ſi la lettre n'eſtoit pas à luy, puis qu'elle luy eſtoit eſcripte: toutefois voiant l'inſtance que faiſoit ce gentilhomme, porteur de la dicte lettre, l'aiant faict bien copier, renvoia l'originelle, & la copie fut portée incontinent au Roy. Non obſtant, le grand tumulte, & effroi, meſlé de ſedition de leurs complices, le Roy s'aſſeura de ſortir de la chambre, & paſſer parmi la ville avec ſes Gentilhommes vers ſon Palais, trainant apres lui les hommes de ſon conſeil privé, & fut crié contre aulcuns d'eux, & principalement par des femmes, Aman, Aman.

Le jour ainſi paſſé, toutes les bourgeois ſont eſté ſi apprehendés de crainte, qu'ils s'en ſont fuits grandement; car incontinent un bruict alloit, qu'à l'inſtance des courtiſans la ville ſeroit ſaccagée & bruſlée: & à la verité quelques eſtourdys eſtoient de ceſt advis, mais le Roy leur dit, faiſons pluſtoſt une aultre telle ville. Le lendemain bien tempre arriverent vers le Roy plus de mille chevaulx, tant ſeulement du Laudien, pays plus proche d'Edenbourg, dont s'eſmouvoit une plus grande frayeur. Le Roy lors manda qu'on lui apportat les clefs de la ville, & qu'on luy amenat les quatre miniſtres d'icelle, mais ils eſtoient deſia enfuits: & partant de ſon palais alloit tout joignant les murailles d'Edenbourg, & tira vers Litholne, où ſe receurt à toute heure plus grande nombre de ſa nobleſſe. La auſſi arriverent les Magiſtrats du dict Edenbourg, mais ils ne peurent avoir audience. Toutefois le Roy eſmeu de compaſſion envers la plus ſaine partie de la ville, y venoit peu de jours luy meſmes en perſonne, ayant faict ſaiſir toutes les portes par des grands Sʳˢ. & eſtant au grand temple au mi temps du ſermon que faiſoit Mʳ. David Lindeſey, homme docte, modeſte, & politicque; dict tout hault, qu'il n'avoit jamais penſé de chaſtier les bons avecq les rebelles, & que pourtant ils ne craindroient rien, auſſi qu'ils ne croieroient pas ce qu'on ſemoit de luy, comme s'il voudroit entendre avec l'Eſpagnol, ou aultre ennemi de la Religion Chreſtienne; ains au contraire, qu'il monſtreroit par effect luy eſtre ennemi à toute occaſion, & qu'ainſi il prioit le bon Dieu de l'avoir en ſa ſainte garde. Sur quoi le peuple s'eſcria de joie, & le benit avec vœus & ſouhaits de ſa longue vie & proſperité.

Deſpuis, à ſcavoir le 4. de Mars, le Roy a tenu une aſſemblée des Eſtats en ſa ville de Perthy, aultrement dict S. Johanſon, la où Ep. 20. ſont eſte cités les Magiſtrats d'Edenbourg pour reſpondre de ceſte ſedition ſuſdicte, & comme l'un des Baillifs n'y comparut point, furent touts proclamés rebelles de ſa Majeſté, & tous Magiſtrats d'Edenbourg ſuſpendus de leur dignité & offices. Ce que fut publié en leur ville le x. dudict mois de Mars, & ont demeuré ainſi deſgradés juſques au xxiii. dudict mois *ſtilo veteri*, quelque ſollicitude qu'ils aient faites au contraire, & en ſont appoinctés entre autres conditions à l'amende de xx. mil livres.

Le jour precedent fut publié auſſi au dict Sʳ. Johanſon, qu'apres communication avec l'eſtat de l'egliſe, tout le differend eſtoit en train de bon accord, & que la reſte eſtoit remis à l'aſſemblée qui ſe tiendra en la ville de Dundy le 15 May prochain.

Fut auſſi le meſme jour y publié, que le Comte de Huntlie ſe preſenteroit en l'Egliſe a Abredijn, pour y ſe repentir publicquement de l'homicide commis en la perſonne du Comte de Mourray, auſſi pour s'y reconcilier avec ladicte Egliſe, avec confeſſion de ſes fautes & erreurs, à quoi ſeroient deputés certains miniſtres pour recepvoir la dicte penitence, Dieu donne qu'elle ſoit vraie, & qu'elle ne s'attende à la flotte d'Eſpagne.

Fut apres que nulles aſſemblées ſe feroient ne des miniſtres ne d'aultres perſonnes de quelque condition ou qualité qu'ils ſoient, ſans le ſceu & conſentement expres de ſa Majeſté. * * *

Quand au reſte, je m'ay addreſſé à des SSʳˢ. & bien affectionnés à la religion reformée, & clairvoyants aux affaires de ſa Majeſté, qui m'ont d'avantage aſſeuré, que le Roy eſt de tout ſon cœur addonné à la vraye doctrine de l'Euangile, & qu'il en avoit preuve tres-certaine; car aultrement que l'audace & ambition d'aulcuns, euſſent peu eſmouvoir à faire quelque mauvais tour de grande importance, à quoy auſſi il eſt aſſez d'ailleurs ſollicité, mais que graces à Dieu il eſt tout diſpoſé au contraire. Certes ces jours paſſez les femmes des quatre miniſtres fugitifs ont preſenté requeſte pour leurs maris. Le Roy les appella, & leur dit; vos maris n'ignorent pas les loys & couſtumes de leur patrie, que s'ils ſe fient en leur droict & innocence pretenduë, qu'ils viennent ſelon la couſtume du pays ſe preſenter en garde, juſques à la deciſion de leur cauſe; mais je ne veux eſtre encore ſi ſevere contre eux, que de leur conſeiller cela, car je crains, voire je ſçay, que les loix les chaſtiroient ſelon leur merites; bien leur veus je permettre, qu'ils m'envoyent quelques hommes modeſtes, & prudens, qui particulierement traictent avec moy du moyen de les reſtablir en paiſible eſtat, & m'y trouveront fort incliné & favorable. Certainement ces gens ont beaucoup perdu de la faveur popu-

lai-

Ep. 21. pulaire, ſur laquelle ils s'appuyoient entierement; auſſi toute la reſte du clergé les abandonne & deſadvoue, exceptés ceux qui quant & eux ont ſoubſcrit la dicte declinatoire. Le Roy eſt maintenant aimé & craint.

d'Edenbourg le 22. du Mars 1597.

XXI.

Idem ad eoſdem.

Meſſeigneurs,

De rebus ſuecis.

POur le ſervice de vos Seigneuries il m'a fallu aller en pluſieurs villes de ce Royaume, où le Roy avoit ordonné dietes, & aſſemblées des Eſtats, comme à S. Johanſon, Litsko, Dundy, Falckenland, & S. Andries, ou diverſes propoſitions furent miſes en avant Eccleſiaſticques & civiles. Car depuis l'eſmotion d'Edenbourg, qui fuſt vendredy le x. de Janvier dernier, pluſieurs differents Eccleſiaſticques ſe ſont meus par deça, mais qui plus long temps a duré, c'eſtoit: Si le Roy auroit auſſi la ſouveraine authorité en l'Egliſe, & ſi l'Egliſe ne pourroit excommuniquer hereticques, & ſcandaleux de toute qualité, ſans y reſpecter ou attendre le commandement & advenu du Roy. En fin apres force de diſputes eſdictes dietes, le Roy en la ville d'Edenbourg le 15 de ce mois eſt accordé avec l'Egliſe, luy permettant tout ce qu'elle avoit auparavant, toutefois les miniſtres diſent: *Accepimus nunc, quod potuimus, quando quod voluimus non licuit.*

Le Roy a accordé auſſi aux quatre miniſtres d'Edenbourg de rentrer en leurs charges & places premieres, à charge qu'ils ſe comportent modeſtement, ſans plus exorbiter en telle parrheſie de crier contre le Roy & ſon conſeil. Lequel a proteſté derechef devant Dieu, qu'il n'ayt eu oncques intelligence avecq les Papiſtes, ne volonté de l'avoir, & a aſſeure que jamais il ne fera choſe à ſon eſcient qui pourroyt prejudicier aulcunement à la religion reformée, en laquelle il ayt eſte nourry, & ſi bien inſtruict, dont il rend graces à Dieu, & aux hommes de toult ſon cœur. Comme le Roy eſtoyt à S. Andrieu, qui eſt la premiere & plus ancienne univerſité de ſon Royaulme, y a crée un Chancelier de toultes les univerſités Monſ. le Secretaire d'Eſtat M. Jehan Lideſey Gentilhomme fort docte, & adviſé, affin de donner ordre aux revenus des colleges, à leur diſcipline domeſticque, & eſtudes en publicq, y demettant de leurs charges quelcques nonchalans, & aultres trop libres à cenſurer & blaſmer la police de ſon Regne, entre aultres M. Andrieu Melvin perſonnage treſdocte & grand Theologien. Les Comptes de Huntlie, d'Aroll, & d'Angus, apres qu'ils avoyent faict la cene en la ville d'Abbredin, ſont fort ſolennellement remis en leur entier Ep. 21. par un Commiſſaire de ſa Maj. la où fuſt porté le ſceptre du Royaulme, devant lequel leſdicts Comptes s'agenoüillerent en faiſant ſerment de fidelité au Roy & à l'Egliſe, avecq deteſtation publicque de la ſecte papiſticque, de ſes erreurs & adherents.

Le Roy eſcript à Meſſeigneurs les Eſtats de Zelande en faveur dudict Compte d'Arol, affin qu'il leur plaiſe luy envoyer ſon obligation que ledict Compte y avoyt laiſſé par eſcript, en les remerciant toultefois de ce que leſdicts Sʳˢ. Eſtats avoyent faict pour luy faire plaiſir & ſervice.

Quant aux frontieres, le Roy avoit commandé aux Gardiens d'icelles d'envoyer en Angleterre certain nombre d'oſtagiers, en recepvant d'aultres d'Angleterre. Et comme le Sʳ. de Bachlouch avoit faict le retif, le Roy l'ayant faict venir à la court, l'aultre dict que c'eſtoient les meilleurs hommes qu'il avoyt; que ceux d'Angleterre luy demandoyent, & que les oſtagiers d'Angleterre n'eſtoyent que des vilains, eſtropiés deguiſés en gentilshommes par le luſtre d'accouſtrement. Ce nonobſtant le Roy apres avoir tanſé ledict Bachlouch, diſant que ſi long temps il ſeroyt Roy, l'aultre reſpecteroyt ſes loix, ordonnances & commandements, le deſtitua de ſa charge eſdicts quartiers, & l'envoya priſonnier au chaſteau d'Edenbourg: choſe qui eſt icy grondée entre les dents, tant le monde eſt animé contre l'Angleterre, ainſi il eſt apparent que leurs Majeſt. s'entretiendront amiablement.

Oultre les occupations du Roy ſuſdictes aſſez longues, & treſmoleſtes, le faict des ſorciers & ſorcieres l'a fort importuné. Car au pays de Nordt, ſignamment comme audict Abredin, Dundy, & ailleurs grand nombre a eſté prins, & en partie eſt executé, comme audict Abredin, cincquante ſept, ſans plus grand nombre à executer. Car le Roy veult luy meſme examiner les plus ſignales, & les faict tranſporter la où il eſt, & puis les renvoye à leurs reſſorts, confeſſent toults avoir eſté aſſemblés en une montaigne qu'ils nomment, ce meſme jour que le Roy debvoit tenir la dicte audict Dundy, & que lors ils ayent faict icy ceſt horrible, & non veue ſemblable tempeſte auparavant, en eſpoir que le Roy paſſeroit à voilles la riviere audict Dundy large, & ſalée, & afferment toults qu'en ce cas leur amy (car ainſi nomment ils le diable) leur avoit dict que le Roy euſt eſté noyé, mais il paſſoit en une navire tirée de pluſieurs eſquifs à la rame. Confeſſent auſſi avoir entreprins tuer le Roy avecq ſorcellerie en ſon image à ce loés par perſonnes dont on cache encore les noms. C'eſt choſe eſpouventable d'ouir parler ce que font ces meſchants qui ſont eſpars par toult ce Royaulme.

La chereté eſt icy incroyable de toutes choſes, nonobſtant que la ville d'Edenbourg m'aſ-

Ep. 22. feure qu'en leur havre ſoyent arrivés de dehors deſpuis un an en ça, dix cents mille bols de grains à manger. Les pluyes maintenant continuelles, & le peu de terres ſemées ne permettent encore prendre meilleur eſpoir.

Meſſeigneurs,

Je prie le bon Dieu proſperer les actions de voz Sries, à la gloire de ſon nom, & vous octroyer longue & bonne vie. d'Edenbourg le 17. de Juill. 1597. ſtylo veteri. Soubſcrit de vos S. treshumble & tresobeyſſant ſerviteur. Signé,

ADR. DAMMAN.

La ſubſcription

A Meſſeigneurs, Meſſeigneurs les Eſtats Generaulx des Provinces unies au pays bas. En la Haye.

XXII.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

LEgi, vir Eruditiſſime, commentarium tuum in Pſalmum ſecundum, cum voluptate ſane, nec ſine profectu: legi, inquam, & relegi, tantopere afficiebar, quum primitus percurrerem. Ego ſanè, ſiquid judicare poſſum, arbitror magno cum fructu & utilitate ſtudiorum Theologicorum lucem aſpicere poſſe, ubi abſolveris. Scio quidem eſſe, qui iſta talia, ut minuta contemnunt; at ignorant hæc talia eſſe principia & fundamenta eorum, quæ illi ſola pretii alicujus habent. Si noſſent Theologiam, non tam ſcientia quam fide apprehendi, ſecus forte judicarent. Fides enim innititur autoritate dicentis ſeu loquentis Dei, cujus ſenſum ſi quis percipere poſſe putat abſque ſingulorum verborum & phraſeon intellectu, næ ille mihi multum errare à vera mentis ratione videtur. Iſtam autem, quam tu ſectaris, viam percommodam eſſe ad ſingulatum verba tum phraſes ſenſumque utrorumque percipiendum, experientia ipſa demonſtrabit iis, qui experimentum ejus ſumere volent tua legendo & accuratè meditando. Quid enim huic negotio, quod inſtituis, utilius, quam variarum & doctarum interpretationum cum ipſa natura, & primæ vatum vocis, tum phraſeos Hebraicæ ſignificatione collatio? quam ſimilium locorum ex ipſo contextu ſacro comparatio? quam diligens & accurata omnium illorum inter ſe expenſio & dijudicatio? Fateor, ex Scripturis ea quæ abſolutè ad ſalutem ſunt neceſſaria percipi poſſe, abſque ea qua tu uteris, ἀκριβείᾳ & accuratione: at qui iſtam eandem ad refellendas falſas opiniones & doctrinas, ad uberiorem & rectiorem cognitionem ſacrarum rerum acquirendum inutilem eſſe cenſet, ob id quod ex qualicunque locorum, quos vocant, communium, cognitione, tanquam ex recta norma & ainuſſi judicare de illis difficilioribus poſſe arbitratur, ille dignus eſt qui majorem ſcientiam in iſtis non adipiſcatur, & inter minorum gentium Theologos habeatur. Remitto autem tibi commentarium, quem diutius quidem æquo apud me habui. Sed excuſationem aliquam mereor, tum quia aliquot hebdomadas apud Commelinum fuit, antequam nobis traderetur; tum quia Thyſius illum aliquandiu habuit, cujus judicium cum meo conſentit, quod tibi ſignificatum voluit; tum etiam quia ego aliquandiu abfui, & variis inſuper negotiis impeditus fui. Vale, Vir Præſtantiſſime, & me ama. Deus te diu ſuæ Eccleſiæ incolumem ſervet, & ſcholis. Amſterodami 12. Junii CIↃ IↃ XCVII. Ep. 23.

XXIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere precor

JACOBUS ARMINIUS.

De collatione cum D. F. Junio.

NUllæ meæ tantæ ſunt occupationes, quæ impedire poſſent, quominus tibi illa, quæ cum D.D. Junio per litteras mihi tractata ſunt, patefacerem. Te enim quid rerum iſtarum, imo mearum omnium, celare religio mihi eſſet; tantum ego tuo erga me amori tribuo, tantum mihi de tuo perſuadeo. Cauſa autem hæc eſt: quod ego ipſe ſcriptum illud nondum plane, atque ut decet, perlegi. Jam enim abiturо ad Synodum Enckhuſanam eſt miſſum, & reverſum tam multa & varia negotia, ut ſolet fieri, exceperunt & diſtinuerunt, ut operam ſcripto ex profeſſo impendere nondum licuerit; ubi autem diligenter perlegero, tibi ejus videndi poteſtatem faciam, quo & tu videas quid in eo certum & firmum ſit, quid obnoxium errori aut plenioris indigum demonſtrationis. Cæterum res non eſt integrè tractata. Ego tantum cœpi nonnullorum de Prædeſtinatione ſententias proferre, & de earum veritate inquirere, adhibitis nonnullis argumentis, ob quæ mihi nonnulla in aliquorum ſententiis non ſatis probarentur. Huic ſcripto D. Junius amplum ſcriptum repoſuit, pium ſane, eruditum & fraternæ plenum caritatis, quo ſuo reſponſo animum mihi addidit, ut paulo fidentius & liberius porro agam, & ſuo tempore & ordine plane omnia quæ me angunt, enuntiem, quo experiar an omnis ſcrupulus mihi illius docta opera eximi poſſit. Nihil autem illorum te celabo, ſub fide ſilentii, quam ſancte te obſervaturum ſcio; non quod de iſtis non evulgandis aliquid nobis eſt ſtatutum, ſed quia

Ep. 24. quia nonnullorum præpoſteram diligentiam ſatis noſti. At ſcito te non tantum ſpectatorem huic negotio intereſſe debere, ſed & actorem; omnino enim & tu tuam operam mihi impendere debes, quo aliquando certi quid in iſto articulo non ex hujus, vel illius ſententia, ſed ex verbo Dei conſtituere poſſim. De duplici autem iſto decreto ut ſententiam dicam de integro, integrum mihi non eſt; conſenſui enim fratrum aſſenſum meum ex parte tribui ſubens, & plene ex lege & more conventuum omnium tribuere debeo. .... Hiſce vale Uytenbogarde amiciſſime. Amſtelæd. 12. Julii 1597.

XXIV.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS.

Familiaria de collatione cum D. F. Junio.

MItto tibi, Uytenbogarde cariſſime, Junianum ad meam Epiſtolam reſponſum, & ſimul meas conſiderationes ad illud; quas jamdiu quidem paratas habui, at quia ad manum non fuit ante ferias noſtrarum ſcholarum qui deſcriberet, hactenus mittere non potui. Perleges utrumque ſcriptum, & aliquid temporis iſti lectioni dabis ſucciſum aliis tuis occupationibus; utere libertate in judicando, nihil dans favori, nihil præjudicio. Scies autem me non omnibus, quæ mihi video objici poſſe, prolepſi uſum reſpondiſſe, ne nimium ſedulus & præpoſtere diligens viderer eſſe voluiſſe, illiuſque, quicum mihi eſt collatio inſtituta, accuratam eruditionem capacitate mei ingenii metiri. Sufficere putavi hac vice, ſi ea conſideraverem quæ ad meum ſcriptum erant reſponſa. Ego nihil præter veritatem quæro, quam paratus ſum ambabus manibus amplecti, à quocunque mihi monſtrata fuerit. Quare & tuam hic imploro opem, ut juves ſicubi videbis te mihi ſubſidio eſſe poſſe. Ego de te ita judico, ut neminem putem (abſit adulationis ſuſpicio) firmius & rectius de hujuſmodi rebus judicare poſſe. Si exiſtimabis quædam eſſe, de quibus, antequam D. Junio meum ſcriptum mittatur, mecum conferre voles, per literas me ad te voca, vel huc veni; ſi vero id magnopere neceſſarium non putabis, ſed tale meum ſcriptum judicabis, quod illi abſque ulteriori correctione legendum dari poſſit; tum poteris id illi tradendum curare tanquam Amſtelædamo miſſum, cui fini etiam literas haſce adjunxi nulla temporis nota ſignatas. Scriptum autem Junianum tum mihi remittes. Ego omnino puto, ſiquidem iſta inter nos collatio duret, aliquid difficili iſti tractatui lucis inferri poſſe, aliquid etiam ſententiæ veræ roboris & firmamenti adferri. Ita enim veritas habet, ut magis magiſque niteſcat, quando accurate, abſque tamen animis & ſtudio diſſentiendi, inquiritur Ep. 25. & diſceptatur. Metuere videntur ſuæ ſententiæ, & iſthoc metu, illam minus firmam eſſe, quam videri volunt, fateri, qui diſquiſitionem Chriſtianam non ferunt. Securis nobis eſſe non licet de veritate ſententiæ receptæ, propter opinionum nimiam diverſitatem, & tantas de religionis pleriſque capitibus inter Chriſtianos controverſias. Danda opera ut veritati cognitæ argumenta quærantur, & ſolida, quibus firmari poſſit, & plana, quibus talis agnoſci queat ab iis, qui ſimplici animo & ex conſcientiæ judicio contradicunt: inter quos meum nomen profiteor, ſi alicubi à veritate aberro. Mirari autem ſatis non poſſum nonnullorum hominum præſidentem audaciam, qui quidvis ſuo palato non ſapidum cenſoria virgula hæreſeos condemnant; quum operam vix ponere velint in cognoſcendis controverſiis, &, ſi maxime velint, non poſſint, ob id quod deſtituuntur ab eruditione neceſſaria ad res tanti momenti dijudicandum. Demerſa eſt veritas, etiam Theologica, quantum ad hujuſmodi controverſiarum accuratam cognitionem, in puteo profundo, unde non ſine magno labore erui poteſt. Quod adeo verum eſt in iſto qui nobis tractatur articulo, ut qui hoc diffiteatur, eo ipſo declaret, ſe nunquam de iſto ſeriam cum animo ſuo cogitationem inſtituiſſe. Utinam autem Deus veritatis illam aliquando ad animi mei tranquillitatem invenire concedat. Tum ſane tanquam inventa pretioſa gaza magnopere lætabor, iiſque omnibus qui aliquid adjumenti attulerint obſtrictum multis nominibus fatebor. His vale mi anime, & tuo Arminio hic ades quantum poteris: ſic tuis ingentibus in illum meritis hoc auctarium addes, & magis magiſque illum tibi devincies & obſtringes. Salveat tua cariſſima à me & mea. Amſtel. 19. Octob. 1597.

XXV.

MELETIUS

Dei Miſericordia Papa ac Patriarcha Alexandrinus &c. Conſtantinopoleos Præſes,

JOANNI DOUSÆ

Nordovici, viro eruditiſſimo, mediocritatis noſtræ filio dilecto, gratiam, miſericordiam ac pacem à Domino Deo, Salvatoreque noſtro Jeſu Chriſto.

HAbent nonnihil conſolationis humanarum rerum calamitates; quum enim ad has nos detruſerit terreni elatio parentis; illam noſtros miſeratus labores cœleſtis elargitur Pater:

Ep. 25. Pater: atque hæc quidem harmonia è gravibus acutisque concinnata, fit piis auribus modulamen quoddam salutare: dum perpendunt gravitatem malorum poenam esse aut παιδεία (*castigationem*) nostrorum, id est humanorum, meritorum decentissimam: quicquid autem leve, id est lætum est, divinæ esse gratiæ monumentum, abysso ab imo perditionis, atque è faucibus orci ad sese pios animos retrahentis. Sic lapsam, sic labilem, sic oportuit humanam naturam erudiri: non modo ut agnosceret quid sibi, quid divinæ gratiæ deberet; sed etiam uti disceret non sibi, neque rebus his caducis inhiandum, sed spem, fidemque omnem, seseque totam in cœlestis favoris reclinandam sinus optatissimos; cui omnibus in rebus censet Paulus gratias agendas. Nihilo enim minus per acerbiores, quam per lætiores rerum eventus nos sibi allicit summus ille Pater hominum, rerumque conditor; tametsi illas alienâ culpâ convictas, suâ providentiâ ad meliores usus convertat: has, ipse pariat tum futurarum ἐυαγγελιῶν (*promissionum*) præconia, tum præsentium qualiacunque solatia malorum. Sed hæc tuâne interfint, an aliena sint penitus à tuo de filii optimi obitu dolore, ipse (quâ præditus es prudentiâ) judicabis: nobis quidem omni ex parte quam apprimè conveniunt: Quippe qui quum in hac versemur tesserâ humanæ conditionis, majoremque, atque fortassis potiorem vitæ partem traduxerimus; tandemque sedes illas Ecclesiarum quæ per orbem terrarum maximæ, atque supremæ sunt, Dei, Opt. Max. misericordiâ concreditas nobis, quam maximâ animi sollicitudine, magnis laboribus, ingenti periculorum æstu, in hac locorum sentinâ, in hac colluvie temporum, ad hanc usque diem magna omnium admiratione (præterquam nostra) administraverimus, dum his tempestatum tricymiis penè soli conflictamur semiobruti; fit tamen ut nonnunquam peregrinorum hominum colloquiis animus, curis æstuans, laboribus confectus (corporis præterea valetudinem adversam quæ animos infestat) fit tamen ut peregrinorum hominum colloquiis nonnullâ ex parte refocilletur: nec me deterret à quorumvis hominum, præsertim Christianorum, colloquiis, aut etiam litteris, diversitas religionis; aut enim sequestratis quæstionum, curiosarum præsertim, ambagibus, per charitatis spatia vagamur; aut de his etiam de quibus dissentimus, non sine charitate disserimus. Horum omnium testem atque participem esse voluit Deus Opt. Max. Georgium filium tuum, cujus nobis adventus consolationem attulit non vulgarem: est enim juvenis generosæ indolis, nihiloque à Patre te, viro & ingenio & eruditione pereleganti, degeneris: adde mores candidos, progressusque in literarum stadio non contemnendos: is secum attulerat literas eruditissimi hominis Simonis Simonidis, quibus juvenem commendabat: erant hæ altera consolationis mihi pars: his omnibus accedebat autoritas gravissima Illustrissimi Oratoris Angli, Eduardum dico, humanitate, eruditione, rerum experientiâ politicarum vere illustrissimum, filium nostræ mediocritatis multis nominibus dilectissimum, per quem apud nos juvenis commendabatur; ut cum ad has oras non inerti animi studio peragrandas accesserit; darem operam ut aliquid dignum laboribus suis, dignum patre, dignum patriâ nanciscerétur. Has ob res opellam nostram optimè merito juveni polliciti sumus; atque eò quidem libentius, quòd videbamus urbes hominum atque mores (id quod de prudenti viro cecinit ille) non inanis gloriæ studio perspiciendas aggressum juvenem; sed ad prudentiam comparandam. Quam ad rem si quid illi nostra contulit opera, nescio; hoc unum scio, quod juvenem amavimus, semperque libentissimè sumus alloquuti; neque impedimento nobis fuit, aut hominum, aut rerum nonnunquam ingens prægravisque conglomeratio: quin illi, & accedere, & assidere, & scitari, & consequi quicquid petierit, quam facillimè licuerit; tandemque cum ad te reverti cogeretur accitus, remque nobis, qua solebat fiducia, veluti ad Patrem referret; literasque tuas penè lacrymis madidas ostenderet (quum etiam tuorum poëmatum copiam fecit non inelegantûm) peteretque ut aliquid reliquiarum impartiremur; ne juvenem ornatissimum ad ornatissimum patrem ἀνέυσημον (*sine honorario*) patemur reverti; dono dedimus id quod efflagitavit opus perelegans Actuarii, medicis in rebus non postremum obtinentis locum. Quod ego opus magno consequutus orbi communicare destinaram: lætorque hanc nostri summam desiderii & vobis futuram ornamento, & amoris nostri argumentum: & ad utilitatem studiosorum prodituram: Quod ut quàm emendatissimum prodeat cupimus, præstantissimi medici, atque eloquentissimi opus. Reliquum est ut hæc vos amoris pignora rependatis aliquibus identidem amoris pignoribus; non gemmis, non auro, perditorum hominum deliciis; sed libris, quos typis apud vos multo atque laudabili fœnore pepererit Christiana charitas, cujus fructibus ii maximè carent, qui sese Aristarchos censoresque terrarum orbis haberi contendunt: indeque magisterium suum auspicantur, in hocque intendunt, in hoc se exercent, ut in homines fratres minime fraternis animis insultent: quumque calamitates hominum hominibus soleant ac debeant nonnihil incutere miserationis; illi contrà de miseriis hominum triumphant. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca. Filius Dei sese ipsum sua illa majestate exinanivit, dum saluti consulere hominum contendit: nos nescio quæ imperia extruimus in perniciem, & cum pernicie hominum; & haberi volumus pro Christo, illo, cujus studiis nostra studia διὰ παντὸς (*toto cœlo*) dissonare

Ep. 25.

Joannis Actuarii opus

Digitized by Google

Ep. 25. sonare deprehenduntur. Quod si in causas inquiras hujusce in nos, nescio quid aliud dicam, quàm id quod res est, odii, in nos Græcos dico, id est, Orientalis Ecclesiæ alumnos, quod veterum Patrum dogmata, traditiones, justa, placita, decreta sectamur; nihil invenies aliud quam id ipsum, quod Patrum incontaminata dogmata, traditionesque observantes, nullis nullorum hominum novitatibus, καινοφωνίαις falsis, fallacibusque doctrinis abduci patimur ab iis decretis, quæ septem tota Concilia universalia (ut Provincialia præteream) sanxerunt, Symbolum quod à primo Nicæno concilio contectum secunda complevit Synodus, accuratissimè Spiritus Sancti explicato articulo, inviolatum conservamus: Athanasio falsò adscriptum symbolum, cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius contestamur. Romanum Pontificem, Romanum agnoscimus Pontificem. Christum unum universalis Ecclesiæ universale caput cum Paulo prædicamus. Eundem esse lapidem illum angularem πρωτογωνιαῖον, in quo construendam esse Ecclesiam ipse dixit, ipsum ex ipsius verbis agnoscimus. ἐπὶ τούτῳ γὰρ τῷ πέτρᾳ, namque ait, τὴν ἐκκλησίαν (ἐπὶ τούτῳ γὰρ Paulus dicit ὃς ἐστὶ Χριστὸς) (*& super hanc Petram. Petra autem erat Christus*) neque enim in te Petro, sed in me (ut vigilantissime diligentissimus notat Augustinus) ædificabo dicit Ecclesiam meam. Hæc quum ita credamus, nescio quam ob rem audeant nonnulli (id quod satis impiè fecit Sanderus) Ecclesiam Orientalem cum Diaboli Ecclesia (ô scelus infandum) conjugare. Ita sunt animis parum Christianis quæcunque non faciunt ad palatum, quæcunque non arrident, impia, ab sinuque Dei ejicienda, ab Ecclesia proscribenda, ferro flammisque profliganda. Sed de hisce rebus satis sit, ne etiam literæ quas ad amicos scribimus aliquo officio exhilaran- Ep. 26.
dos, ac dulcorandos, recordatione nostrarum ærumnarum aliqua ex parte conturbent. Deus Opt. Max. tandem aliquando extinguat malarum cupiditatum ab animis hominum hæc incendia; dissidiorumque Ecclesiæ tenebras dissiciat: nosque omnes nobis ipsis ereptos afflatu Divini spiritus sibi arctissimè conjungat: nec diutius patiatur dissidere homines, ad quos cum inter se mutuo, tum sibi pariter uniendos Filium suum è cælorum majestate, ad terrarum infimas oras descendere voluit. Optimè valeas. Constantinopoli x. Kalend. Novemb. anno mundi 7mo. 9no. v1^to. Salutis M. D. XCVII.

Meletius Patriarcha.

XXVI.

D. JOANNI UYTENBOGARDO,

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

SI tibi omnia aut pleraque saltem ex animi sententia eveniant, mi amicissime, est quod tibi gratuler, & Ecclesiæ illius nomine plurimum gaudeam. Ego sane hoc omnibus votis opto, & à Deo Opt. Max. precor quam ardentissime. .... Interea me paro, & conquiro quæ ad elucidationem controversorum articulorum facere possint, ut saltem hoc pacto Ecclesiæ commodare queam, destitutus aliis donis illam juvandi. Tu velim & hic tuam operam, quantum per occupationes eidem fini impensas licet, colloces, eamque mihi adhibeas; ut alacrius in ista disquisitione versari queam. Considera autem jam mihi hæc paucula, quæ tibi non inamœna fore puto. *Theologica. Tabula de Prædestinationis.*

Posse salvari,	posse non salvari,	non posse salvari,	non posse non salvari
salvari,	non salvari,		
Certo salvari,	certo non salvari.	non certo salvari,	non certo non salvari.
Posse damnari,	posse non damnari.	non posse damnari,	non posse non damnari.
damnari,	non damnari.		
Certo damnari,	certo non damnari.	non certo damnari,	non certo non damnari.

Ista omnia sursum deorsum retro vicissim inter se conferre poteris, ut videas quæ inter se consentiant vel dissentiant, quæ se mutuo consequantur & æquipolleant. Deinde perpendere quænam ex illis tum reprobis tum electis, & quæ neutris commode attribui possint. Denique animadvertere quæ ad providentiam, & quæ proprie ad Prædestinationem & reprobationem pertineant.

Conveniunt inter se. Item.

1. Posse salvari, salvari, Certo salvari, Non posse non salvari,
2. Posse non salvari, non salvari, Certo non salvari, Non posse salvari,

quorum hic ordo & convenientia,

Potentia ad actum & ejus contrarium. Actus & ejus contrarium. Certitudo actus, ejusque contrarii. Necessitas & impossibilitas actus.

Digitized by Google

Ep. 26.

Conveniunt etiam inter ſe.

3 { Poſſe ſalvari, / ſalvari, / Non certo ſalvari, / Non certo non ſalvari, } 4 { poſſe non ſalvari, / non ſalvari, / non certo non ſalvari, / non certo ſalvari, } quorum hic ordo { potentia. / actus. / incertitudo & actus & ejus contrarii.

Diſſentiunt & opponuntur hæc ſequentia, & quidem

1 Ratione attributi.

1 { Poſſe ſalvari, / Poſſe non ſalvari, } 2 { ſalvari, / non ſalvari, } 3 { certo ſalvari, / certo non ſalvari,

4 { poſſe ſalvari, / non poſſe ſalvari, } 5 { certo ſalvari, / non certo ſalvari, } 6 { poſſe non ſalvari, / non poſſe non ſalvari, } 7 { certo non ſalvari, / non certo non ſalvari.

Conſequuntur invicem hoc pacto.

1 { 1 Non poſſe non ſalvari, / 2 Certo ſalvari, / 3 Salvari, / 4 Poſſe ſalvari, / 5 Non certo non ſalvari, } 2 { 1 non poſſe ſalvari, / 2 certo non ſalvari, / 3 non ſalvari, / 4 poſſe non ſalvari, / 5 non certo ſalvari, } quorum hic ordo eſt { ut ſingula priora poſita concludant ex ſe poſteriora. / ut omnia poſtrema inter ſe reciprocentur, utrumque enim ex altero concluditur, dico 4. & 5.

De damnatione & ejus modis ſimilia ſchemata confici poſſunt.

Æquipollentia autem ſunt.

1 { Poſſe ſalvari, / Poſſe non damnari, } 2 { ſalvari, / non damnari, } 3 { certo ſalvari, / certo non damnari, } 4 { poſſe non ſalvari, / poſſe damnari,

5 { certo damnari, / certo non ſalvari, } 6 { non poſſe non ſalvari, / non poſſe damnari, } 7 { damnari, / non ſalvari, } 8 { non certo ſalvari, / non certo non damnari,

9 { non poſſe non damnari, / non poſſe ſalvari, } 10 { non certo damnari. / non certo non ſalvari.

Jam videndum quæ illorum electis & reprobis ſolis, quæ ambobus, & quæ neutris conveniant. Hic duplex reſpectus conſiderandus in utriſque, quâ homines, & quâ electi & reprobi.

Qua homines, ambobus conveniunt.

1 { poſſe ſalvari. / poſſe non ſalvari. / non certo ſalvari. / non certo non ſalvari.

2 { poſſe damnari. / poſſe non damnari. / non certo damnari. / non certo non damnari.

Qua homines, neutris conveniunt.

1 { ſalvari. / non ſalvari. / certo ſalvari. / certo non ſalvari. / non poſſe ſalvari. / non poſſe non ſalvari.

2 { damnari. / non damnari. / certo damnari. / certo non damnari. / non poſſe damnari. / non poſſe non damnari.

Qua homines, nihil ſolis electis, nihilque reprobis ſolis convenit, in eo enim ſunt pares quod homines ſunt.

Electis qua electi hæc conveniunt.

1 { ſalvari. / certo ſalvari. / non poſſe non ſalvari.

2 { non damnari. / certo non damnari. / non poſſe damnari.

Reprobis qua tales hæc conveniunt ſolis.

1 { damnari. / certo damnari. / non poſſe non damnari.

2 { non ſalvari. / certo non ſalvari. / non poſſe ſalvari.

Tum

Digitized by Google

Ep. 26.

Ergo electis
- Tum quæ reprobis ſolis conveniunt.

Ergo electis non conveniunt
- Tum iſta
  - poſſe non ſalvari.
  - poſſe damnari.
  - non certo ſalvari.
  - non certo non damnari.

Ep. 26.

Ergo reprobis
- Tum quæ electis attribuuntur.

Ergo reprobis non conveniunt
- Tum iſta
  - poſſe non damnari.
  - poſſe ſalvari.
  - non certo damnari.
  - non certo non ſalvari.

Electis & reprobis qua tales nihil ſimul ambobus convenit, in eo enim diſcriminantur. Licet autem, poſſe ſalvari, ſalvari, & certo ſalvari, non pugnent, tamen de electis commode dici nequit, quod ſalvari poſſint; non enim ſatis dicitur, quandoquidem certo ſint ſalvandi. Ita quoque licet poſſe damnari, damnari, & certo damnari, conveniant inter ſe aliquo modo, tamen de reprobis non probe dicitur, quod poſſint damnari, nam certo damnabuntur. Quum illa poſſibilitas includat habilitatem ad utrumque contrarium. Quamquam etiam certitudo & neceſſitas ſeu impoſſibilitas, de qua agimus, optime conveniant, tamen certitudo illa non per neceſſitatem, ſed neceſſitas per infallibilitatem potius eſt explicanda. Conferantur jam quæ de electis, qua tales & qua homines, item quæ de reprobis qua tales & qua homines, dicuntur; & aperte conſtabit de iiſdem diverſo reſpectu eadem affirmari & negari, ſeu contraria dici.

De electis dicuntur.		De reprobis dicuntur	
qua homines	qua electi	qua homines	qua reprobi
	contrad.		*contrad.*
Poſſe damnari.	non poſſe damnari.	poſſe ſalvari.	non poſſe ſalvari.
Poſſe non ſalvari.	non poſſe non ſalvari.	poſſe non damnari.	non poſſe non damnari.
Non certo ſalvari.	certo ſalvari.	non certo damnari.	certo damnari.
Non certo non damnari.	certo non damnari.	non certo non ſalvari.	certo non ſalvari.

Ex hiſce videtur ſatis clarere, quam circumſpecte loquendum ſit apud vulgus de hiſce rebus, quod illos reſpectus interſtinguere non novit, & propterea facile uni reſpectui tribuit quod ſubjecto propter alterum propric convenit. Unde fieri nequit, quin exiſtat animi perturbatio aliqua, tendens, vel in deſperationem, ſi quod de reprobo, qua reprobus, dicitur, de homine qua talis dictum intelligatur; vel in ſecuritatem noxiam, ſi quod de electis, quà tales, affirmatur, de hominibus affirmatum intelligatur. Ex hiſce etiam bene diſtinctis videntur naſci certa reſponſionum firmamenta ad objectamenta adverſariorum confutanda.

Conſiderandum denique, quæ ex iſtis omnibus providentiæ, quæ prædeſtinationi, & illi oppoſitæ reprobationi, quâ contra pro videntiam diſtinguuntur, ſint attribuenda.

Providentiæ attribuenda videntur	poſſe ſalvari.	poſſe damnari.
	poſſe non ſalvari.	poſſe non damnari.
	non certo ſalvari.	non certo damnari.
	non certo non ſalvari.	non certo non damnari.
Prædeſtinationi hæc videntur propria	ſalvari.	non damnari.
	certo ſalvari.	certo non damnari.
	non poſſe non ſalvari.	non poſſe damnari.
Reprobationi hæc videntur convenire	damnari.	non ſalvari.
	certo damnari.	certo non ſalvari.
	non poſſe non damnari.	non poſſe ſalvari.

Hic quædam non inutilia conſideratu occurrunt. Primum. An providentia in iſtis omnibus ſe æqualiter habeat erga omnes & ſingulos homines, ſaltem eouſque ut omnes & ſinguli poſſint vel potuerint ſalvi fieri & non damnari? Secundum. An Deus ſalutem ſuorum electorum tantum prædeſtinationis actibus curet, an vero & providentiæ, ut contra illam diſtinguitur; &, an quod Deus ſalutem reproborum non curat, ſit tantum ex reprobationis decreto, an vero & providentiæ, & quomodo? Tertium. Si providentiæ decretum aliquibus hominibus neget media ad ſalutem ſufficientia & neceſſaria, quomodo juſte damnari poſſint? Quartum. An & quomodo providentiæ decreto Deus ſalutem curet alicujus, cujus ſalutem non curat decreto prædeſtinationis, & cujus damnationem concluſit decreto reprobationis? Quintum. Quomodo providentia dici poſſit media ad beatitem

Digitized by Google

Ep. 27. rem neceſſaria & ſufficientia præparare, ſi nulla creatura, capax nempe beatitatis, per illa ſola media reipſa beatitatem adipiſcitur? præſupponimus enim neminem niſi per actum prædeſtinationis ſalvari. Hæc ego tibi offero conſideranda: velim ut horulas aliquas iſti rei tribuas, & quæ meditaberis interea mihi transſcribas. Vale mi amiciſſime; precor Dominum Jeſum ut tuis laboribus affatim benedicat ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ædificationem. Amſtelædami 1598.

Tuus ex animo.

J: ARMINIUS.

XXVII.

DAVID PARÆUS

CONRADO VORSTIO S.

Theologica de ſatisfactione Chriſti.

COgitatio illius quod veriſſime dici ſolet, Curando fieri quædam pejora videmus Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit, nec non acerbitas doloris, quem tuæ ad me & amicos ſcriptæ litteræ mihi influxerunt, tantò gravio:em, quantò te propter præclaras dotes tuas & amavi impenſius, & magis promovere ſtudui, mi chariſſime D. Vorſti; effecit, fateor, ut nec ad ſuperiores tuas reſponderim, nec ad poſtremas reſpondere animum induxerim; ſed ſilentio potius te ſanare, & dolorem meum concoquere cogitarim, niſi & tot obteſtationes tuæ, & D. Holſtenii preces mihi quid extorſiſſent. Utinam vero de leviſſima quæſtione (ut tu vocas) diſſentio eſſet, ſane ipſos iniquiſſimos pronunciarem, qui te diſſentientem non ferrent; at magis magiſque oſtendis ipſe, non de quæſtione leviſſima, ſed de fundamento religionis noſtræ, non de quæſtione una, ſed de univerſa fide noſtra, controverſiam abs te moveri. Utinam ille jam vix occultus rumor de Socinianiſmo tuo, vana (ut tu vocas) calumnia eſſet, & non omnes propè fratres metuere cogerentur illud, latet anguis in herba. Non credam vis? Sed quid eſt quæſo, quod amicis ſcribis, te ex Samoſatenianorum libris demum didiciſſe θεολογεῖν? (*de Deo loqui, ſeu, de rebus divinis diſſerere*) noſtros Euangelicos doctores non parum dubia pro certis, falſa pro veris tenere? Quid illud, quod tres tuæ priores theſes ad D. Toſſanum ſcriptæ, ſunt ita Socinianis ſimiles, ut ovum vix magis ovo? Quid eſt quod mentem tuam quanto exponis pluribus, tanto ad Socinianos accedis propius? utcunque σοφὰ φάσματα (*pigmenta*) admiſcere ſtudeas. Meminiſti te ſolam Dei juſtitiam, qua vult bonis bene, malis male eſſe, non utique contingentiâ voluntatis, ſicuti vult cras pluere, aut non pluere, ſed perfectione & neceſſitate naturæ, ſicuti vult Deus eſſe; hanc, inquam, juſtitiam ſolam te cum Socino negare; immemorem ejus quod Apoſtolus paſſiones piorum vocat ἔνδειγμα (*demonſtrationem*) juſti judicii Dei, quandoquidem juſtum eſt apud Deum ἀνταποδοῦναι (*retribuere*:) & relinquebas interim nobis ἀπολύτρωσιν (*redemtionem*) Chriſti veram & propriè dictam, quippe qua pœnas nobis debitas Deo perſolvit, *theſ.* 17. & 18. Poſtea ut intelligeretur, (quod ad me & alios ſæpe miſiti) in quo tuæ theſes tibi ſatisfacerent, proferebas neſcio quod ἀδιέξοδον (*contradictionem implicans*) ſatisfactionem ſemiplenam impropriè, hoc elumbi inducto cavillo, quod Chriſtus non omnes pœnas nobis debitas, nec mortem æternam ſenſerit; cum prius *theſ.* 7. & 9. ἀνασκευὴν (*confutationem*) tuæ ſcripſiſſes, non ex parte, ſed pleniſſime à Chriſto perſolutum eſſe debitum noſtrum, & paſſionem temporariam Filii Dei æquivalere, imo præponderare infinitis & æternis omnium eorum, pro quibus ipſe paſſus eſt, ſuppliciis. Tandem ut quo tendas, magis liqueret, pedem amplius protuliſti, & in ipſo ſcripti limine (quod tum perſpexi) exhibiti 17. Junii ab Holſtenio (neque enim tum vacabat propter occupationes portentis hiſce bonas horas dare) non diſſimulanter abjeciſti Eccleſiæ doctrinam de fide juſtificante, & juſtificatione ipſa; nec amplius tibi placet, peccatorem coram Deo juſtificari hac fide, ſi credat, id eſt, certò confidat, pro ſe nominatim Chriſtum æternam mortem & univerſas damnatorum pœnas ſenſiſſe: contra magis arridere tibi videtur fides Sociniana & juſtificatio, videlicet, nos recipi in gratiam ſi Chriſto confidamus & obtemperemus; quæ duo Socino idem valent. Ita tibi juſtitia imputata jam nulla eſt, nulla fides juſtificans, id eſt, accipiens juſtificationem gratuitam, propter unum & perfectum Chriſti meritum: ſed fides juſtificans tibi eſt fiducia ſeu obedientia Chriſto, ſeu Deo per Chriſtum præſtita. Scis Socinum ſic ludere: imo converſio tibi antecedit fidem, & condonationem peccatorum, tanquam cauſa effectum, & eſt ἐφ' ἡμῖν; (*in noſtra poteſtate*) cum & 3. *theſ.* ἀνασκευὴν (*confutationem*) verè ſcripſiſſes, veram pœnitentiam eſſe donum Dei, quod ex formula fœderis iis ſolis contingat, quos jam in gratiam recepit Deus, *Jerem. XXXII.* ita ut remiſſionem potius ſequatur quàm antecedat. Hæc talia profectò ſunt quæ ſuſpicionem Socinianiſmi tui, qui te norunt & amant, non poſſunt non cum ſummo dolore exagere: ut metuam conſcientiam tuam non tam evidentibus, ut inquis, rationibus, quàm Socinianarum argutiarum laqueis, conſtrictam teneri; quibus tandem totus huc pertraharis, ut everſo juſtitiæ divinæ fundamento everras ſimul, hoc eſt, neges immenſam hominis culpam, & reatum: neges immenſæ ſatisfactionis neceſſitatem; neges ſatisfactionem omnem: neges perſonæ ſatisfacientis Chriſti & mediatoris immen-

Ep. 27.

Ferro-grum

Samoſatenia-ni.

Ep. 27. menſam naturam & potentiam, id eſt, divinitatem (huc enim noſti πρῶτον illud ψεῦδος (*primum mendacium*) Socini tendere) contra ex Chriſti λύτρου μαρτύριον, (*redemptionis pretio martyrium*) & ipſum Chriſtum ſervatorem mere exemplarem cum Socino facias, cujus ſcis hoc eſſe de Chriſto & ſalute hominis blaſphemum commentum; Primum: Dominum Deum pro ſumma bonitate olim decreviſſe omnibus reſipiſcentibus & ſancte viventibus peccata condonare, & æternam vitam donare. II. Propterea Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum miſſum in mundum, ut hanc ejus voluntatem patefaceret, & ſanctiſſima ſua vita nobis exemplum factus viam ſalutis monſtraret. III. Inde factum eſt, ut Chriſtus Jeſus nobis non modo tantam libertatem annunciaret, & mirandis operibus confirmaret; verum etiam poſtquam ſanctimonia vitæ ſuæ viam ſalutis monſtraverat, Deo ita mandante, paſſione & morte crucis eam obſignaret. IV. Quem proinde etiam Deus in tantæ obedientiæ ſuæ uſque ad mortem crucis præmium inſigne, tertio die à mortuis excitatum, in cœlum ad immortalitatem tranſtulerit, omni poteſtate ipſi data in cœlo & in terra, & eos qui viam ab ipſo verbis & exemplo oſtenſam, ingreſſi ac proſecuti fuerint, conſervare, & vita æterna donare poſſit. V. Atque ſic fieri, ut quicunque crediderit in Chriſtum, id eſt, non qui fiducia certa meritum mortis ejus ſibi applicarit, ſed qui ſe, abnegata impietate, juxta Chriſti præſcriptum ad Deum per bona opera convertent, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam certo conſequatur. VI. Credere in Chriſtum, & Chriſti juſſu ſe ad Deum convertere, & Deo obedire, & bona opera facere, idem valere. VII. Et eſſe in hominis poteſtate & libertate poſitum, quia homo habet liberum arbitrium, id eſt, facultatem habet bona opera ſua ad cœlum perveniendi. Hæc eſt egregia Socini Theologia, quam non ex Euangelio Jeſu Chriſti hauſit, ſed ex infauſto cerebro ſuo confinxit: huc nimirum tendens apertè, ut pro vero Deo Jovem aliquem Homericum obtrudat, qui ſcelera hominum vix pili faciat; ut Chriſtus æterna Deitatis natura & redemptoris munere exuatur: ut peccati horribilis deformitas & reatus elevetur: pravitas naturæ noſtræ extenuetur: gratia Dei abnegetur: juſtitia imputata & fides tollatur: vires arbitrii noſtri, meritaque humana ſtabiliantur, ſuperbia cordis humani adverſus Deum efferatur, & ſic miſer homo cum Satana horum miſeriarum architecto, in exitium æternum altius præcipitetur. Hæc enim cum Socino omnia tibi ſtatuenda, aut cum Eccleſia Dei tibi damnanda eſſe vides. Damno, inquis, ſententiam peccantem in defectu. At cur Somoſatenianam hæreſim vel nominare vereris? Cur integram non damnas? Mediam, inquis, ſententiam ego ſequor cum Auguſtino, Lombardo, Muſculo, Thoma &c. Falleris, ſi inter veritatem Euangelii & mendacium Diaboli, medium ſtatuis; & ſine dubio, illis quos nominas, injuria ſententiam tuam adſcribis; quod juſtitiam, de qua quæritur, naturæ Dei adimant, ſatisfactionis neceſſitatem tollant, Chriſto ſatisfactionem ſemiplenam relinquant. An ſuſpendunt illi ſatisfactionem & neceſſitatem à liberrimo Dei decreto? Concedo de modo ſatisfactionis per Filium mediatorem: Nam hunc modum liberrimo Deus decreto diſpoſuit. Alium modum divina ſapientia invenire potuerit, an non, noſtrum non eſt diſquirere: Hoc illi ſtatuunt, hoc & nos ſtatuimus. De omnimodæ ſatisfactionis neceſſitate, non concedo eam eſſe contingentis decreti; juſtum enim eſt apud Deum, ait Apoſtolus, ἀνταποδοῦναι (*retribuere*:) quia Deus non voluntate ſolum, ſed etiam natura amat bonum, & averſatur malum. *Pſal.* V. & XLIX. Non nego propter decretum ſeu edictum illud Dei, *morte morieris*, neceſſariam fuiſſe hominis peccantis deſtructionem, & ut ſervaretur vel ipſiuſmet, vel mediatoris pro ipſo ſatisfactionem; ſed nego, tantum neceſſariam fuiſſe propter hoc edictum; alioqui deſtructio Diaboli peccantis non fuiſſet neceſſaria, qui edictum hujuſmodi nullum habuit, & homo peccans non fuiſſet abjectus à Deo ſine illo edicto: quod utrumque ſine dubio falſum eſt. Quare tum propter juſtitiam Dei naturalem, tum propter veritatem divinæ comminationis, neceſſaria fuit pro hominis peccatis ſatisfactio. Quin largiar quod vis, & teneris nihilominus; Nam & decreti neceſſitas invertit illud tuum toties ingeſtum, Deum poſſe ſi velit abſque ulla ſatisfactione peccata remittere: conſtat enim eum non velle, quia aliter decrevit; ideoque nec poſſe, quia non vult: omnia enim poteſt (inquit Tertullianus) niſi quæ non vult; niſi forte poteſt velle mutare decretum, ſeipſum negare, aut mentiri: Evertit quoque ſemiplenam tuam ſatisfactionem, quæ, ut dixi, vere eſt ἀλογώτατον (*contradictionem implicans*:) nam ſemiplena ſolutio non eſt ſatisfactio: nec decrevit Deus tantum partem debiti à mediatore exigere, ſed totum omnino debitum ad extremum uſque quadrantem; quia nullum omnino peccatum dimittit Deus impunitum in æternum; *maledictus omnis qui non manſerit, &c.* At Chriſtus non ſenſit mortem æternam, ſed triduanam tantum; ac proinde non omnes pœnas nobis debitas. Reſp. Si mors æterna tibi eſt æterna divulſio animæ à corpore, fateor non ſenſit; ſed ſic nec reprobi damnati ſentient: hæc igitur non eſt æterna mors. In morte æterna duo ſunt. I. Immenſitas agonum & cruciatuum infernalium cum deſertione & abjectione à Deo. II. Continuatio agonis & abjectio in æternum. Illud per ſe adeſt morti æternæ, & in ſingula momenta: hoc per accidens, cum non fit liberatio: Illud maximè ſenſit Chriſtus deſertus & abjectus à Deo ad inferos uſque; alioqui nobis ſentiendum eſſet: utrumque reprobi ſentient. Vides igitur

Ep. 27.

Ep. 27. homonymiam vocis, & fallaciam accidentis; non enim debuit aut potuit Chriſtus mortem æternam etiam duratione ſentire. Non debuit; quia debuit eſſe vindex noſter; non potuit; quia moriendo ſatisfecerat, & perſona omnipotens erat. At dictum erat, morte æternâ morieris. Imo dictum morieris morte, videlicet corporali & ſpirituali, quæ non interrupta, ſed perpetuo continuata, ſane ſpiritualis non tantum, ſed æterna futura erat, etiam duratione, ut in reprobis. Mediator ergo moriens morte corporali & ſpirituali, ſatisfecit edicto Dei & juſtitiæ Dei; tametſi mors in eo nec debuerit nec potuerit continuari. At, inquis, ſic reipſa peccata noſtra ante converſionem noſtram deleta eſſent, quod tamen S. Scripturæ repugnat. At cui, quæſo, Scripturæ? Tam non repugnat, quam non, nos ante jacta mundi fundamenta electos eſſe & factos Deo gratioſos in Chriſto; noſti enim diſtinguendam eſſe præparationem gratiæ, à gratiæ applicatione & ſenſu. Inſtas. Si Deus totum id à Chriſto recipit, quod nos illi debebamus, non poſſet ullam à nobis conditionem (puta fidei, pœnitentiæ, charitatis erga fratres) exigere ad obtinendum remiſſionem peccatorum. Reſp. Nego non poſſe, quia neceſſaria eſt acceptio beneficii & gratitudo: ſic *dedit Filium ut omnis qui credit in eum non pereat*; ergo neceſſaria eſt conditio fidei; neceſſaria etiam charitas ad fidei veritatem, & ad gratitudinem, non ad fidei actum obtinendum, & remiſſionem peccatorum. At Deus cum ſit juſtus non poteſt nos fructu pleniſſimæ ſatisfactionis fraudare. Sane non poteſt applicatæ; poteſt autem, & ſe velle dixit, non applicatæ per fidem, *qui non credit in Filium, ſuper eum manet ira Dei.* Hæc ſunt quæ, mi chariſſime D. Vorſti, inter ſummas occupationes (quas ipſe D. Holſtenius vidit) pro ea qua ſalutis tuæ conſtringor cura, & amore, ad tuas litteras reſpondere hoc tempore viſum eſt; qui ut animo ſcripti candido, ſic tu candidè quæſo accipe, & cogita jam non de caſſa nuce controverſiam eſſe, ſed de ipſo, ut vides, fundamento religionis noſtræ. Per gloriam ergo juſtiſſimi Dei noſtri, per ſanctiſſimam & pleniſſimam ſatisfactionem Filii Dei, per vulnera & mortem ejus, per tuam æternam ſalutem, per Eccleſiæ Chriſtianæ pacem, per ſi quid tibi eſt charum, te obſecro, cogita quid agas, nihil tergiverſeris: σφὰ φάεσσιν (*pigmenta*) & colores te diu non tegent: filia temporis veritas. Cogita quale ſit, unum Socinum Samoſatenianum hæreticum orthodoxis Theologis omnibus anteferre, propter inanes argutias, fidei & Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui nuntium remittere. Cogita juſtam indignationem optimi Generoſi tui, ſcandalum Eccleſiæ, triumphos hoſtium, quos excitabis, pernitiem juventutis, periculum tuum. Libera me & amicos omnes hac ſollicitudine & metu, & hæreſim Socini aperte nobiſcum deteſtare; quod ut velis & poſſis & facias, toto pectore Deum rogo. Si quid durius vide- Ep. 28. bis à me dictum, nec mihi nec tibi, ſed Socino imputa. Vale Heydelb. Anno CIↃ IↃ XCVIII. 27. Junii.

XXVIII.

CONRADUS VORSTIUS

ad Theologos Heidelbergenſes.

Theologica de ſatisfactione Chriſti.

S. REverendi & clariſſimi viri, amici ac Domini plurimum honorandi. Haſce communes literas vobis ſimul omnibus inſcribere operæpretium eſſe duxi: tum quia cauſa, quam nunc ago, communiter ad vos omnes attinet: tum quia Illuſtri & generoſo Comiti noſtro viſum fuit, communi veſtro conſilio, ad ſopiendum illam infælicem ſuſpicionem paſſim de me conceptam, hoc tempore prudenter uti. Scitis illud Hieronymi dictum: *Nolo quenquam in hæreſeos ſuſpicione eſſe patientem.* Nec ignoratis, infaustum rumorem aliquot jam menſibus de me paſſim fuiſſe diſſeminatum, quaſi vel ad Arianos, vel ad Papiſtas (ſic enim diverſi diverſa ad me ſcripſerunt) defecerim. Hujus cauſæ cognitionem vobis, utpote profeſſione Theologis, & fautoribus, partim etiam præceptoribus meis obſervandis, libenter ultro detuli: certo nimirum perſuaſus, futurum, ut hac ratione & conſcientiæ meæ ſatisfieret, & calamitoſus ille rumor evaneſceret. Atque hoc fine vobis originem & progreſſum hujus diſputationis, inter D. Piſcatorem & me per ſcripta habitæ, candide expoſui: ne quam in animis veſtris male de me ſuſpicandi occaſionem relinquerem. Verum præter omnem expectationem meam evenit, ut res longe aliter, quam initio mihi perſuaſeram, ceciderit: ſicut partim ex poſtremis literis veſtris, quas D. Holſtenius mihi nuper exhibuit; partim ex ipſius Holſtenii ſermone, quem veſtro hortatu mecum habuit; partim denique ex aliis perſpicuis argumentis colligere poſſum. Quare neceſſitatem mihi impoſitam eſſe videtis, haſce apologeticas literas ad vos exarandi: quibus id conſequuturum me, Deo favente, plane confido, ut & vos aperte intelligatis, me per gratiam Dei non minus pacis & concordiæ, quam veritatis ſtudioſum eſſe; & omnes amici una vobiſcum agnoſcant, nos non tantum in iis doctrinæ partibus, de quibus ego multis abſque omni culpa mea ſuſpectus fui, verum etiam in hac ipſa quæſtione de ſatisfactione & merito Chriſti, re ipſa conſentire: dummodo Chriſtianam ἐπιείκειαν (*æquitatem*) (ſine qua nihil non perverti ac ſiniſtre explicari poteſt, quantumvis & vere & circumſpecte dictum) adhibere volueritis. Unde porro eventurum, Deo dante, prævideo, ut nos omni inteſtino diſſidio ſublato, laborantem Chriſti Eccleſiam, ſinguli ſuo loco, pro viri-

itized by Google

Ep. 28. viribus à Deo conceſſis ædificemus; & conjunctis animis atque operis noſtris (modo aliquid huc à me conferri poſſit) communes veritatis hoſtes felicius oppugnemus. Cæterum ut optatiſſimum hunc finem mearum literarum facilius aſſequar, initio planam & apertam apologiam de ſuſpicionibus, quibus gravari me video, in medium afferam: deinde declarationem meæ ſententiæ de merito & ſatisfactione Chriſti, ex perpetuis probatorum auctorum phraſibus contextam, ſubjiciam: quam ſi admiſeritis, ut prorſus exiſtimo facturos, nihil in hac parte reliquum manebit, de quo non liceat in utramque partem diſputare, ſalvâ manente fidei compage: poſtremo paucula quædam vos orabo ad conſtituendum, vel potius conſervandum, inter nos hac in re conſenſum pertinentia, quæ à Chriſtianis & Theologis ac fautoribus meis obtinere me æquiſſimum eſſe arbitror; atque ita demum huic epiſtolæ finem imponam.

I. Quod igitur ad primum caput attinet, teſtor ex animo coram Deo, me nec Arianis, nec Samoſatenianis, nec Papiſtis addictum eſſe: ac proinde merito conqueſtus ſum, atque etiam nunc conqueror, inique eos mecum egiſſe, qui primi auctores hujus invidioſæ fabulæ extiterunt. Argumentum innocentiæ meæ eſt, quod hactenus conſtanter ita doceo & diſputo, tum de vera atque æterna Chriſti divinitate, tum de ſalutari ejus officio, ſeu mediatione, uti S. Literæ, & ex his Eccleſiæ Reformatæ communi conſenſu docent. Et Deitatem quidem Chriſti, ſuperiore anno in hac ſchola contra hæreticos ex Dei verbo ſic aſſerui, ut melius & luculentius ego non poſſim: in qua aſſertione (eſt Deo laus) adhuc perſevero. De Mediatoris officio in ſumma ſic doceo, ut ſtatuam illum nobis à Deo Patre ex gratia datum, qui ſalutem æternam nobis obedientia ſua promereretur, virtute autem Spiritus ſui Sancti participes nos illius efficeret; atque ita merito ſimul & efficaciâ perfectus noſter ſervator eſſet. Unde porro cum S. Literis & confeſſionibus Eccleſiæ Reformatæ concludo, nos ſolâ fide in Chriſtum juſtificari; ſola juſtitiâ gratuito nobis imputatâ coram Deo niti; ſoli denique gratiæ Dei & ſoli merito atque efficaciæ Chriſti, tum converſionem noſtri ad Deum, tum remiſſionem peccatorum & vitam æternam eſſe accepta ferenda; excluſo omni merito ac dignitate tum fidei, tum operum noſtrorum. An ſic Ariani aut Samoſatenici de perſonâ, Papiſtæ de officio Chriſti ſentiunt? Imo annon citius aquam cum igni, quam confeſſionem hanc cum illorum opinionibus conciliaveris? Et quæ tandem indicia afferuntur mei vel Arianiſmi, vel Socinianiſmi, vel Papiſmi? Nempe qui me ſuſpectum de Papiſmo habuerunt, hoc reprehendere viſi ſunt, quod Patres & Scholaſticos aliquando recentioribus doctoribus antetroverſia malo cum Auguſtino & Aquinate loqui de neceſſitate ſatisfactionis, quam cum neotericis nonnullis. Sed, quæſo vos Clariſſimi Viri, an tales probationes in tam gravi cauſa ſufficiunt? Si ſic agitur, quis tandem innocens erit? Scribit alicubi D. Zanchius, ſe malle vetus vinum bibere, quam novum: idque interpretatur de Patribus, quos merito neotericis anteferri judicat, quoties agitur de quæſtionibus non diſerte in S. Scriptura explicatis, qualis eſt hæc noſtra. Neque tamen ego illorum ſententiam propterea horum ſententiæ præfero, quod illi antiqui, hi recentes ſunt (ſcio enim nec antiquitatem nec multitudinem, nec tale quippiam patrocinari poſſe erroribus) ſed quia illorum ſententia, meo judicio (quo ſane mihi eſt nitendum, non autem alieno; ſicut & meâ fide, non alienâ, mihi eſt vivendum) S. Literis eſt conſentanea; horum vero ſententia non item. Quare iſta probatio nullius momenti cenſeri debet. Quod autem nonnulli de juſtificatione ex operibus, deque horum meritis, & fiducia in iis collocanda, mihi objiciunt: id infra commodius refelletur. Qui Arianiſmi vel Socinianiſmi ſuſpectum me habere videntur, duo quædam potiſſimum in me culpant: tum quod phraſibus nonnullis apud illos uſitatis ipſe quoque utor familiarius: tum quod hypotheſes quaſdam, quibus illorum hæreſis tota inniti videtur, hactenus defendo. Ad primum reſpondeo: Semper in Eccleſia liberum fuiſſe, præſertim Doctoribus S. Literarum, quorumvis hominum doctorum (cujuſcunque ſectæ illi ſint) ſcripta & diſputationes in timore Domini legere ac dijudicare: nec minimam partem ejus libertatis, in quam nos Chriſtus ſuo ſanguine vindicavit, hac in re poſitam eſſe, quod nullius hominis mancipia ſumus in negotio conſcientiæ ſeu religionis; quum omnia noſtra ſint, nos autem ſolius Chriſti, ut inquit Apoſtolus. Unde efficitur, non poſſe hanc legem abſque injuria Chriſtianis præſcribi, ut iiſdem verbis ac phraſibus, quibus exempli gratia Lutherus, aut Melanchthon, aut Calvinus eſt uſus, in explicanda aliqua quæſtione ſemper utantur. Ego ſane & ingenuitatem in profitendo eo quod verum eſſe teneas, & perſpicuitatem ſermonis in eo quod ſentias efferendo, valde ſemper amavi, atque etiam nunc amo: nec diffiteor, illorum hæreticorum libros nonnullos attente à me fuiſſe lectos, ac pro exigua menſura fidei mihi donatæ examinatos. Hinc autem fortaſſe fit, ut ejus authoris, quem poſtremo legi, phraſes ac ſententiæ, ſi mihi veræ & perſpicuæ videantur, familiarius à me, quam aliæ aliorum authorum, uſurpentur. Sed quis ignorat, non ſtili, ſed ſenſus & fidei diverſitatem hic eſſe ſpectandam? Auguſtinus certe utile eſſe cenſet, ut de iiſdem quæſtionibus diverſo ſtilo, non diverſa fide, homines docti & ſcribant & diſſerant. Satis eſt, ſi *ἀρχέτυπον* (*exemplar*) illam phraſium S. Literis uſitata-

Ep. 28. Zanchii de Patribus ſent. eius.

rum

Ep. 28. rum retineamus: quod ego quidem sic fieri ab omnibus Theologis optarem, ut etiam juramento eos obstringi cuperem, quo promitterent se nihil detracturos de ullo fidei dogmate, quod non adhibitis S. Scripturæ phrasibus explicare possint. Nam si hoc unum obtineremus, minus inanium disputationum, & plus solidæ veritatis haberemus. Nolim tamen hæc ita à vobis accipi, Reverendi & clarissimi viri, quasi illorum hæreticorum phrases in hoc argumento admodum mihi arrideant. Nam Augustini & Scholasticorum, imo Musculi & aliorum, quos nemo unquam eo nomine reprehendit, verbis & sententiis hic uti malo: tametsi fateor, ante annos aliquot occasionem mihi amplius hac de re cogitandi præbitam fuisse à scriptis Socini: in quam sententiam fortè ad amicum quendam (de quo tamen nunc mihi non constat) scripsi, ex libris Samosatenicorum didicisse me vere Θεολογεῖν (*de Deo loqui, seu de rebus divinis disserere.*) Id quod tantum intellexi de occasione à libris illis mihi subministrata, qua factum est, ut diligentius de nonnullis sacris quæstionibus cogitaverim, de quibus alioqui fortè non fuissem cogitaturus. Hoc enim ad Dei gloriam confiteor, illorum libris me excitatum fuisse ad quædam rectius intelligendum, quam antea intellexeram. Existimo autem grati hominis esse, beneficium Dei, à quacunque tandem manu porrigatur, agnoscere: sicuti etiam cordati hominis esse existimo, attendere, quid dicatur, non quis dicat. Contra vero compertum est semper, eos alienæ fidei dominari, & conscientiis aliorum imperare cupivisse, qui libertatem illam omnia legendi & probandi è medio tollendam esse censuerunt. Quare, quum prorsus existimem, eandem esse vestram hac de re sententiam, persuadere mihi non possum, vos deinceps istâ meâ ingenuitate sic offensum iri, ut propter phrasium aliquam similitudinem idem cum hæreticis illis me sentire suspicaturi sitis.

Ad alteram objectionem, quæ paulo est speciosior, respondeo: nullas novas hypotheses in hoc argumento à me excogitari; sed eas, quæ Augustino & aliis semper probatæ fuerunt, defendi, & quidem justissimis, ut arbitror, de causis. Qui fit autem, quod in eadem causa non idem de nobis judicatur? Nemo enim hactenus inventus est, qui Augustino aut Scholasticis objecerit, viam ab ipsis parari Arianismo, eo quod agnoscant absolutam Dei potestatem in condonandis peccatis absque punitione, si modo ipse velit. Annon tunc idem periculum ex ista assertione potuit emergere, quod nunc metuimus? Deinde non memini ego legere in scriptis hæreticorum illorum argumentationem istam, quæ ducitur à non absoluta necessitate satisfactionis ad negandam Christi Deitatem. Quin potius scio, nullum argumentum fortius ab illis urgeri contra satisfactionem Christi, quam id quod ducitur à Deitate Christi. Ajunt enim, Christum nec satisfeciſſe, nec satisfacere potuisse, si sit ipse verus & æternus Deus: quum sibi ipsi nemo satisfacere, aut debitum aliquod solvere possit; & semper oporteat eum, qui alium sit placaturus, ab illo alio esse diversum. Neque solidè ad hoc argumentum responderi potest, nisi ad liberam Dei voluntatem, ejusque gratiosam ordinationem recurratur; sicut ex prima defensione D. Junii sub finem videre licet. Denique S. Litteræ nusquam utuntur istâ probatione in asserenda Christi Deitate: nec ullam firmitatem ipsa in se continet, quippe quæ multis modis refelli potest. Dicam enim cum Sacris Literis, oportuisse idcirco mediatorem esse Θεάνθρωπον, (*hominem Deum*) ut φιλανθρωπία (*amor erga homines*) singulari quodam modo nobis manifestaretur; item ut nos Deo indissolubili quodam vinculo in æternum conjungeremur; item ut λύτρον (*redemptionis pretium*) pro nobis præstandum esset satis pretiosum ad comparandam nobis æternam redemptionem: aliaque tales causas ex Dei verbo afferam, quales Calvin. lib. 2. Institut. cap. 12. non paucas affert. Quare non est, quod quis merito suspicetur, eos, qui hypotheticam tantum satisfactionis necessitatem agnoscunt, viam Arianismo sternere: præsertim cum Deitas Christi ex solidis S. Scripturæ testimoniis, non ex quibusdam consequentiis à nostra ratione excogitatis, sit asserenda, atque etiam asseri luculenter possit. Interim agnosco firmam esse probationem illam, quam Catechesis ducit ab immensitate iræ divinæ per Mediatorem placandæ, ad necessitatem immensæ personæ Mediatoris: verum ita, ut utrunque referam ad immutabilem Dei ordinationem, qua is apud se constituit, & tantam iram adversus peccata exercere, & eandem iram propter sufficientissimum λύτρον (*pretium redemptionis*) à Mediatore præstandum remittere.

Ep. 28.

Atque hæc quidem fusius ideirco visum est explicare, ut vobis, honorandi viri, omnes sinistras suspiciones semel eximerem. Nam, ut postea breviter dicam, pacis & concordiæ causa & stilum deinceps libenter mutabo, retentis, quantum fieri potest, usitatis in Ecclesia nostra phrasibus; nec hypothesin istam admodum urgebo, si Ecclesiæ ædificationi id servire à vobis intellexero.

II. Nunc ad secundum caput transeo, nempe declarationem meæ sententiæ de merito & satisfactione Christi, quam, ut initio dixi, candide à vobis accipi velim. Non enim præstigiis ludo, nec σοφὰ φάρμακα (*callida remedia*) admisceo, nec aliquod σκηπτρον (*contradictorium*) obtrudo (sicut mihi nuper objectum fuit) sed aperte & plane confiteor; præstitam esse à Christo veram & sufficientissimam satisfactionem pro omnibus nostris peccatis, & hanc satisfactionem fuisse necessariam, ejusque verum fructum in omnibus cre-

Ep. 28. credentibus esse remissionem peccatorum & salutem æternam. Tantum hoc caveo, ne, dum causas satisfactionis accurate, ut in Scholis fieri solet, explicare cupio, aliquid ejusmodi tradam, quod Dei vel Christi gloriam quoquo modo lædere, aut saluti hominum officere posse videatur. Quare primo cum de necessitate satisfactionis, sive de causa ejus impulsiva quæritur; dico cum Calvino lib. 2. Institut. cap. 17. *ordinationem Dei esse primam causam ut salutis nostræ, sic & meriti Christi:* item, *Christum non nisi ex mero Dei beneplacito quicquam mereri potuisse*: item, *ex sola Dei gratia dependere meritum Christi.* Item cap. 12. *Necessitatem* (qua nimirum oportuit Mediatorem nostrum esse simul Deum & hominem) *non fuisse simplicem aut absolutam; sed manasse ex cælesti decreto, unde pendebat salus hominum.* Ex quibus verbis colligo, non esse causam hujus necessitatis altius investigandam: quum tota ratio meriti Christi à solo Dei beneplacito pendeat. Dico cum Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 10. & seqq. *sic necessariam fuisse satisfactionem, ut Deo tamen alius fuerit possibilis modus liberandi nos à peccatis*: ac proinde necessariam illam fuisse non absolutè, quasi absque illa nullo modo nobis liberatio contingere potuerit; sed ex hypothesi divini decreti, quo Deus illam intervenire voluit, in liberatione nobis concedenda. Agnosco cum Lactantio, *liberam Dei potestatem ac licentiam* (ut ipse loquitur lib. de ira Dei cap. 10.) *ignoscendi peccata absque punitione, qualem potestatem non habet index, qui voluntati servit alienæ.* Dico cum Aquinate part. 3. quæst. 46. *non absolutam, sed hypotheticam esse satisfactionis necessitatem: quia simpliciter Deus non ageret contra justitiam, si peccata absque punitione dimitteret.* Addo ex eodem Aquinate, *eam Dei justitiam, quæ punitionem ob peccata exigit, à voluntate Dei pendere, sive esse effectum voluntatis ipsius, non autem essentialem Dei proprietatem.* Ubi illud obiter notandum, differè illic à Thoma explodi distinctionem illam, inter satisfactionem omnimodam, & satisfactionem Christi; quasi videlicet illa sit absolutè necessaria, hæc tantum ex hypothesi divini decreti. Nam rationes, quæ ab illo & aliis afferuntur, hoc inprimis ostendunt, essentialem Dei justitiam non simpliciter (hoc est citra considerationem decreti liberi) exigere satisfactionem. Nam, ut copiosè docet Pet. Martyr in locis suis de morte & resurr. Christi pag. 419. & 426. nefas est existimare, ullum externum effectum Dei, naturali necessitate ab eo proficisci. Unde etiam agnoscit, salutem humanam multis aliis viis ac rationibus, quàm per mortem Christi, modo Deus voluisset, parari potuisse. Denique cum Musculo ita sentio: *errorem esse, quod justitiam Dei nostro more ac sensu eam esse putamus, qua non modo bene facta bene meritis, sed & male meriti reprobentur & puniantur:* Ep. 28. *quod*, inquam, *cogitamus, Deum sic esse justum, ut remuneret justos, & aversetur ac punias injustos, nequeatque facere aliter, nisi velit facere contra justitiam. Hoc enim sensu derogamus Deo voluntatis libertatem, quam habet in omnia, quæ condidit; cujus respectu injustus esse non potest, dum favet, parcit, & benefacit quibus voluerit, sive bene sive malè meritis; & punit peccatores, quos vult & quomodo ipsi placet. Huc pertinet locus Apostoli* Rom. IX. *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat, &c.* Hæc totidem verbis Musculus titul. de Gratia Dei, ubi etiam simile adhibet à principe sumptum, qui absque injustitia nonnunquam fontes gratis dimittit, nempe quoties de suo, non autem Dei aut alterius alicujus jure remittit. Idem titul. de Dominatu Dei ait: *alteram partem liberæ potestatis Dei in eo consistere, quod ipse potest de jure suo remittere, vel partem aliquam, vel totum, cui, quantum, quando & quomodo placuerit; sic ut justitia misericordiæ & gratiæ cedere cogatur*: id quod exemplo Regis creditoris illius illustrat, qui de suo condonabat, *Matt.* XVIII. Cui deinde opponit exemplum iniqui dispensatoris, *Luc.* XVI. qui de alieno remittebat: & tandem concludit, *Deum pro sua liberrima potestate, quam habet in omnia, rectè facere de suo quicquid vult: ac proinde remittere illis, quorum misereatur, quos si vellet suo jure perdere posset.* Nec dubitat ibidem affirmare, *prorsus impium esse, si quis Dei potestatem velit restringere & limitare, ut non sit libera & absoluta.* Idem titul. de Justificat. cap. 3. ita loquitur: *Si Deus sic judiciaria justitia obstrictus est, ut non liceat ipsi quorum vult misereri & à peccatis absolvere reos, quod tamen permultos sibi principes liberè permittere videmus: consequitur inania esse, quæcunque in S. Literis de gratia & misericordia Dei leguntur; nec tantum illi potestatis esse in suas creaturas, quantum est homini in suos subditos, imò minus, quam est figulo in suum lutum; qua re quid potest magis impium cogitari?* Sic ille passim de justa & libera Dei potestate, quam is habet in remittendo jure suo, differit. Ubi imprimis observandum est, quod ait, Deum esse justum & misericordem pro sua libera potestate, hoc est, punire peccata, & eadem condonare ex plenitudine suæ liberrimæ potestatis: ac proinde nec justitiæ punienti, nec gratiæ parcenti esse simpliciter adstrictum; sed tantum ratione sui decreti semel hac de re constituti. Non enim possunt hæc intelligi de essentialibus Dei proprietatibus, quippe quibus simpliciter ipse est adstrictus, & quarum una nunquam aliis cedit. Unde efficitur, hæc duo esse libera Dei effecta, quæ si neges in ipsius potestate esse posita, id Musculus impium esse censet vel cogitare. Atque hoc ipsum est, quod ego Musculum imitatus dixi, contrariam opinionem erroneam & pestiferam esse, quippe quæ gloriam potestatis

Ep. 28. ſtatis Dei valde imminuit. Non enim doctrinam Eccleſiæ de neceſſaria Chriſti ſatisfactione peſtiferam vocavi; ſed ſolam opinionem illam, quam Muſculus impiam appellat. Et ſane facile controverſia hæc componi poſſet, ſi differentia inter eſſentialem Dei juſtitiam, quæ rectitudinem ſive æquitatem naturæ divinæ ſignificat; & juſtitiam hanc proæreticam, quam Muſculus judiciariam vocat, obſervaretur. Illa enim ſola infert abſolutam neceſſitatem, quippe quæ Deo eſt naturalis: hæc non item, quippe cui Deus non eſt amplius obſtrictus, quam ſemel obſtrictus eſſe voluit, quæ etiam ſæpe contrariæ miſericordiæ cedere cogitur. Hic igitur vos, Reverendi viri, iterum obteſtor, ut mihi liceat cum S. Literis & prædictis authoribus talem ſatisfactionis neceſſitatem agnoſcere, quæ cum majeſtate Dei non pugnet. Nam Deum timeo, nec adimere illi audeo, quod ipſe ſibi tribuit. Manet nihilominus neceſſaria ſatisfactio, quia neceſſe eſt fieri, quicquid Deus futurum decrevit. Agnoſco etiam hoc Dei decretum eſſe juſtum, quia non poteſt Deus jure ſuo abuti: ſed tamen ſi Deus jure uti noluiſſet, id quoque juſtum fuiſſet. Denique agnoſco, hoc recte dici poſſe, ſatisfactionem hanc juſtitiæ Dei fuiſſe debitam, nempe quia juſtum eſt, Deum in omnibus ſuis decretis, promiſſis ac minis, id quod certo conſtituit, reipſa præſtare. Quo ſenſu 2 *Theſſ.* I. 2 *Tim.* IV. *Heb.* VI. & paſſim, juſtum vocatur Dei judicium, quoties ipſe peccatores, præſertim obſtinatos, punit ac perdit; contra vero, piis ob veritatem Euangelii afflictis coronam juſtitiæ tribuit: quum tamen neutrum faciat Deus ex abſoluta naturæ ſuæ neceſſitate, quaſi aliter omnino facere non poſſit; ſed utrumque faciat ex arbitrii ſui libertate. Nemo enim Deo quicquam prior dedit, ut alicui retributio ſimpliciter debeatur: ſed tamen poſtquam Deus retributionem promiſit, æquum ac juſtum eſt, illam contingere iis, quibus eſt promiſſa; imo ut contingat neceſſe eſt. Hinc eſt, quod dicere ſolemus, omne promiſſum cadere in debitum; & quod initio eſt liberæ voluntatis, poſtea fieri neceſſitatis. Non igitur eſt, quod quis vereatur, ne, ſi hanc ſententiam retineamus, non poſſimus Catecheſin, aliaque ſimilia ſcripta publica, commode explicare. Nam, verbi gratia, cum Catecheſis inquit, *vult Deus juſtitia ſua ſatisfieri*; id de juſtitia ipſius proæretica, ſive (ut Muſculus appellat) judiciaria intelligi debet, quæ tota pendet à libera Dei voluntate, ac proinde cui Deus non eſt ulterius, quam ipſe vult eſſe, obſtrictus: id quod nullo modo affirmari poteſt de eſſentialibus Dei proprietatibus. Videatur quæſo Zanchius lib. 4. de natura Dei cap. 5. quæſt. 1. & 2. ubi poſtquam docuiſſet, Deum eſſe juſtum, partim quia ſimpliciter omni ex parte bonus ac perfectus eſt; partim quia ſecundum conditionem & ſtatum quem gerit ſincerus & integer eſt; partim quia præmia & pœnas abſque proſopolepſia diſtribuit; partim denique quia fidelis eſt in præſtandis promiſſis; mox quadruplicem Dei juſtitiam eſſe oſtendit, quarum prima & ſecunda tantum ſunt Deo ſimpliciter eſſentiales, videlicet ſumma & æterna ipſius poteſtas itemque bonitas: reliquæ autem pendent à libera ejus voluntate, videlicet ſpecialis ipſius miſericordia erga electos, itemque judiciaria retributio ſecundum cujuſque opera. Ubi etiam nominatim addit Zanchius ſect. 8. judiciariam Dei juſtitiam *ita liberam eſſe, ut poſſit pro ſuo beneplacito aliquem præter legem abſolvere, aut ſaltem mitius punire, quam gravitas peccati ipſius poſtulet.* Rationem paulo poſt ſubjungit: *quod Deus non eſt juratus judex, ſed Dominus liberrimus, cujus voluntas ſumma eſt juſtitia; & Deus etiam clementiſſimus, cujus miſericordia ſuperat judicium.* Neque vero eſt quod quis exiſtimet, eam Dei juſtitiam, cujus unica regula eſt libera ipſius voluntas, inferre abſolutam neceſſitatem, eo quod voluntas Dei eſt immutabilis. Nam, ut idem Zanchius rectè explicat lib. 3. cap. 4. quæſt. 6. & 7. quæcunque Deus extra ſe vult, ea libere vult, ita ut poſſit ea non velle; quæ vero de ſe ipſo vult, ea vult ex neceſſitate ſuæ naturæ, ita ut non poſſit ea non velle: ac proinde illa tantum ex hypotheſi divini decreti, hæc vero abſolute neceſſaria ſunt. Ex quibus apparet, judiciariam Dei juſtitiam, quum tota pendeat à libera Dei voluntate, nec proprietatem in Deo eſſentialem eſſe, nec abſolutam neceſſitatem inferre. Hæc eſt declaratio meæ ſententiæ de prima quæſtione, quam vel idcirco vobis probatum in ſpero, quia nihil continet, quod non totidem verbis alii orthodoxi Doctores aſſerant: præſertim ſi conſideretis, me pacis cauſa (ut poſtea dicam) paratum eſſe totam quæſtionem in medio relinquere, atque adeo etiam ſano veſtro judicio ſubmittere.

Ep. 28. acquisti nessun

Pergo nunc ad ſecundam, de materia ſatisfactionis, ſeu partibus materialibus. Scitis enim non exiguam eſſe de eo contentionem, an Chriſtus ſola obedientia paſſionis ac mortis ſuæ pro peccatis noſtris ſatisfecerit; an vero etiam obedientiâ vitæ, atque adeo totâ ſui humiliatione. Hic ego ſtudui controverſiam iſtam conciliare; quod ſtudium credo laudem potius quam reprehenſionem mereri. Et quia nullus hac in parte error mihi objicitur, eâ omiſſâ ad tertiam quæſtionem declarandam accedo.

Dico igitur, cum de modo ſeu forma ſatisfactionis Chriſti quæritur, non ſemiplenam aut imperfectam, ſed pleniſſimam & ſufficientiſſimam illam à me agnoſci: licet cum aliis doctis viris non paucis, atque adeo pleriſque, ut arbitror, Euangelicis negem, Chriſtum in ſua ipſius perſona proprie ſenſiſſe vel ſuſtinuiſſe æternam mortem atque univerſos cruciatus damnatorum. Dico enim cum prædictis Doctoribus, ſufficientiam ac perfectionem illius

Ep. 28. λύτρα, (*pretii redemptionis*) quod Chriſtus pro nobis dedit, æſtimandam eſſe, partim ex dignitate perſonæ θεανθρώπου (*hominis Dei*) pro nobis patientis & morientis, partim ex ſumma ejus charitate atque obedientia in ſuſtinendis graviſſimis doloribus, partim denique ex gratioſa voluntate Dei Patris λύτρα illud acceptantis; non autem ex ipſius rei natura, ſive ex ipſo juris rigore. Æquipollentiam igitur æternæ mortis hic plane agnoſco; tametſi rei identitatem nego. Imo apertè fateor, paſſionem & mortem Chriſti omnibus damnatorum pœnis longe præponderare, propter cauſas modo dictas. Cur autem negem, Chriſtum in ſe ipſo proprie ſenſiſſe æternam mortem, & omnes damnatorum pœnas, (quod non tam de continuatione, ſeu duratione pœnarum, quàm de univerſis earum partibus & gradibus intelligo) evidentes videor attuliſſe rationes, quas à vobis, Clariſſimi Viri, velim expendi.

Primo enim nihil urgeri debet tanquam creditu neceſſarium ad ſalutem, quod non extet in S. Literis: nihil autem tale in S. Literis extat de paſſione & morte Chriſti. Deinde plurima hinc ſequuntur abſurda: non ea tantum quæ Pontificii urgent de deſperatione, excæcatione, aliiſque ejuſmodi propriis damnatorum pœnis; verumetiam, quæ veram Dei æquitatem, veramque ejus benignitatem valde obſcurare videntur. Nam certe ſi ſimpliciter hic rigorem juris, ſive ipſius rei naturam ſpectare velimus, mox apparebit, univerſum Dei jus, quod ipſe habet in nobis ob peccata puniendis, eſſe penitus extinctum, ſive obligationem noſtram eſſe plane ſolutam; ac proinde nihil à nobis jure exigi poſſe ad obtinendam liberationem à reatu.

Unde & juſtitiam Dei, utpote certas adhuc conditiones à nobis exigentis, periclitari, & maximam peccandi ſecuritatem conſequi neceſſe eſt. Idem fere de miſericordia Dei, quæ cum rigidiſſima juris perſecutione ſimul conſiſtere nequit, eſt judicandum. In ſumma, conſtanter retineo ſententiam mearum theſium de Chriſto Servatore, in quarum poſteriore parte ſufficientiam ſatisfactionis, ita ut dictum eſt, expoſui. Hanc autem partem hactenus vobis probatam fuiſſe credo. Quare videtis, optimi viri, etiam hac in parte nos reipſa conſentire: præſertim cum ipſe quoque agnoſcam, Chriſtum non tantum in corpore, verumetiam, & quidem potiſſimum, in animâ plurimos & graviſſimos, adeoque infernales cruciatus, ſuſtinuiſſe, qui propter cauſas ſupradictas ſufficientiſſime compenſant omnes pœnas nobis ob peccata in æternum debitas, ſi modo in Chriſtum credamus. Addo hoc, videri prorſus curioſum, diſputare extra S. Literas de quantitate ac qualitate cruciatuum Chriſti: quum ſatis ſit tenere, eos tantos ac tales fuiſſe, quibus compenſatæ fuerint univerſæ pœnæ nobis peccatoribus debitæ. Itaque & hoc pacis & concordiæ cauſa in medio relinquam. Ep. 28.

Poſtrema quæſtio erat de fine ſeu fructu ſatisfactionis. Hunc ego apertiſſime agnoſco eſſe remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum, & ſalutem, quam ſperamus, æternam. Tantum hoc ex verbo Dei & perpetuo conſenſu orthodoxorum urgeo, nemini reipſa fructum illum contingere ſive applicari, ita ut ſentire poſſit ſua peccata ſibi jam eſſe remiſſa, (loquor autem de adultis) niſi vera fide ſit præditus: veram autem fidem abſque ſeria ad Deum converſione ac ſtudio ipſi obediendi nullam eſſe poſſe. Nec tamen fidem cum obedientia in actu juſtificationis confundo; nec meritum aliquod converſioni noſtræ tribuo; neque hanc ex viribus noſtris proficiſci doceo; ſicut ex ſequentibus clarius patebit. Atque hæc malo Calvini & Muſculi verbis quam meis explicare, quorum ille lib. 3. Inſtitut. cap. 1. ſect. 1. ſic ait: *Quamdiu extra nos eſt Chriſtus, & ab eo ſumus ſeparati, quicquid in ſalutem humani generis eſt paſſus ac fecit, nobis eſt inutile, nulliuſque momenti. Ergo ut nobiſcum quæ à Patre accepit bona communicet, noſtrum fieri, & in nobis habitare oportet. Ideo & caput noſtrum vocatur, & primogenitus inter multos fratres, nos etiam viciſſim dicimur in ipſum inſeri, & eum induere: quia nihil ad nos (ut dixi) quæcunque poſſidet, donec cum ipſo in unum coaleſcimus.* Item ſect. 4. docet, *nos ſalutis in Chriſto expoſita non fieri participes, niſi Spiritu Sancto & igni baptizemur, & in fidem Euangelii illuminemur, atque ita regeneremur, ut ſimus nova creatura.* Cap. 2. ſect. 8. refellit opinionem Scholaſticorum, qui aſſenſum ſeu perſuaſionem timore Dei vacuam fidei nomine dignantur. Et ſubjungit hæc verba: *Quum fides Chriſtum amplectatur, ut nobis offertur à Patre: ille vero non in juſtitiam modo, remiſſionem peccatorum & pacem offeratur, ſed in ſanctificationem quoque & fontem aquæ vivæ, eum haud dubie rite cognoſcere nemo poterit, quin ſanctificationem Spiritus S. ſimul apprehendat. Aut ſi quis apertius id dictum cupiat; Fides in Chriſti notitiâ ſita eſt: Chriſtus niſi cum Spiritus ſui ſanctificatione cognoſci non poteſt. Conſequitur igitur, fidem à pio affectu nullo modo eſſe diſtrahendam.* Deinceps ſect. 10, 11, 12. oſtendit etiam quoſdam eſſe, *qui credant Deum ſibi eſſe propitium, nec fidem ſimulent, qui tamen verâ fide careant, & ſeipſos falſâ opinione decipiant.* Sect. 29, 30. docet, *fidem reſpicere omnes verbi Dei partes, ac proinde etiam juſſa Dei obedienter excipere; licet proprie in Euangelii promiſſione acquieſcat, quatenus per eam juſtificamur.* cap. 3. ſect. 1. & 2. &c. docet, *ſummam Euangelii conſiſtere in pœnitentia & remiſſione peccatorum, & fidem non tempore ſed natura præcedere pœnitentiam; eſſe autem indiſſolubili vinculo utramque inter ſe connexam.* Imo ſect. 19. inquit, *Chriſtum in ſua prædicatione*

Ep. 28. *primo declaraſſe, theſauros miſericordiæ Dei in ſe apertos; deinde pœnitentiam exegiſſe; tum poſtremo fiduciam erga Dei promiſſiones.* Sed clarius adhuc Muſculus, dum ait titul. de diſpenſatione ſalutis per Chriſtum: *Niſi gratia Dei competenter accipiatur, inefficaciter offertur. Accipitur autem audiendo, credendo & obediendo.* Et mox: *Sine obedientia credentis non ſolum verbum fruſtra auditur; ſed & fruſtra, quod auditum eſt, creditur. Hæc obedientia reſipiſcentiam & innovationem vitæ includit.* Tum citatis locis *Gal.* V. 2. *Theſſ.* I. *Rom.* I. & VI. ubi de obedientia Euangelio præſtanda agitur, ſic ait: *Omnino ut incredulitas obediens eſt peccato, ſic requiritur, ut fides obediat verbo gratiæ.* Item; *Sive fides obedientiam gignat, ſive Apoſtolus fidem ipſam obedientiam vocet; omnino liquet, nec fidem veram eſſe, nec ad ſalutem eſſe efficacem in iis, qui ſic Chriſto credunt, ut interea ſint inobedientes verbo gratiæ.* Sic titul. de fide cap. 10. *Fides ineffícax*, inquit, *eſt opinio quædam, unde nemo ſervari poteſt. Efficacia autem fidei in eo conſiſtit, quod primo gignit veram reſipiſcentiam, idque adeo confeſtim, ut calitus eam velut pediſſequam afferre videatur: deinde apprehendit Dei gratiam & juſtificationem*, &c. *denique operatur pacem conſcientiæ, dilectionem erga Deum & Chriſtum ejus*, &c. Et poſtquam citaſſet loca *Act.* II. & XIX. *Jona* III. in quibus de fidelium pœnitentia agitur, continuo ſubjungit, *fidem ſine vera reſipiſcentia, tam non eſſe veram fidem, quam ignis ſine calore non eſt verus ignis.* Atque hic imprimis illud notandum, quod ait, fidem primo gignere reſipiſcentiam, deinde apprehendere juſtificationem: id quod prolixe Olevianus etiam in Notis ſuis ad *Epheſ.* V. 26, 27. docet, nempe *Deum in diſpenſatione gratiæ ſuæ non incipere à remiſſione peccatorum, ſed à fide & pœnitentia; ac proinde eos fruſtra confidere gratiæ Dei & meritis Chriſti, qui non ſunt à peccatis ad Deum converſi. Et ſane hæc in praxi melius diſcuntur, quam in theoria diſputantur. Nam conſcientia noſtra, ſi eam quiſque privatim conſulat, non poteſt gratiam in Euangelio promiſſam ſibi applicare, ſaltem abſque trepidatione, quamdiu nos in impœnitentia perſeveramus. Eſt enim gratia illa promiſſa ſub conditione pœnitentiæ: ac proinde hac nondum exiſtente applicari nobis illa non poteſt.* Idem Muſculus titul. de pœnitentia cap. 5. inquit: *Clementia Dei ſic comparata eſt, ut non ſit ad eam acceſſus niſi pœnitentibus*; idque probat *Ezech.* XVIII. & XXXIII. *Matth.* IX. Et mox addit: *Sicut omnibus durum & inhumanum videtur, & pœnitenti & miſericordiam oranti nolle ignoſcere; ſic contra æquiſſimum eſſe videtur, ut remiſſionis gratiam ſub conditione pœnitentiæ oblatam reſpuentibus haud ignoſcatur, ſed merita ſupplicia inferantur.* Ubi & cauſas hujus rei affert, ne videlicet juſtitiæ Dei nimium derogetur, ne gratia Dei prorſus contemnatur, ne omnes valvæ peccatis aperiantur, ne Ep. 28. denique omnes indiſcriminatim ſalventur. Sic titul. de remiſſ. peccatorum cap. 3. *Tametſi remiſſio*, inquit, *libera eſt & plane gratuita, ipſa tamen æquitas poſtulat, ut non ſine certis mediis & conditionibus conferatur & accipiatur.* Tum cap. 4. ait: *Certæ ſunt conditiones, ſine quibus hæc gratia aut non acquiritur, aut acquiſita non retinetur; quarum prima eſt vera & conſtans reſipiſcentia; ſecunda reconciliatio fraterna: tertia remiſſio fraternorum debitorum.* Et mox: *His conditionibus tamen non damus aliquod juſtitiæ meritum, nec quicquam Dei gratiæ detrahimus.* Item; *Satis detrahitur juſto Dei judicio, dum reſipiſcentibus peccata remittuntur, de quibus meritæ pœnæ ſumi poterant.* Denique cap. 6. poſteaquam quæſiviſſet, an remiſſio peccatorum ſemel facta ſoleat à Deo revocari, occaſione locorum *Ezech.* XVIII. *Matth.* XVIII. ſtatim reſpondet; *Quod ad Dei clementiam attinet, remiſſionem peccatorum eſſe abſque pœnitentia, & hactenus irritam fieri non poſſe: quod vero attinet ad nos, quibus peccata remittuntur, plurimum referre, quam conſtanter in gratia ſemel acceptæ maneamus, & conditiones illis annexas ſervemus.* Monet igitur, *diſcernendum eſſe inter eam gratiam, quæ nullas habet adjunctas conditiones, & eam quæ conditionaliter confertur; quomodo remiſſio peccatorum nobis contingit.* Et concludit, *hanc noſtro vitio irritam reddi, dum conditionibus illis non ſtamus.* Ne quis tamen putet, per quodvis ſubſequens peccatum irritam fieri præcedentium remiſſionem, diſtinguit inter peccata infirmitatis & relapſum; & de hoc peccati genere explicat illa loca *Heb.* VI. & X. ubi agitur de iis qui poſt acceptam veritatis cognitionem ultro & malitioſe prolabuntur; ſive, ut loquitur Petrus, qui tanquam canes ad vomitum revertuntur. Summa hæc eſt, requiri vivam fidem, non mortuam, *Jacob.* II. efficacem ſive operantem per charitatem, non autem otioſam, *Gal.* V. ſi quis reipſa velit participare fructum ſatisfactionis Chriſti; hoc eſt, ſi quis reipſa velit juſtificari, ſive à peccatis abſolvi: non fieri poſſe, ut, quamdiu homines in peccatis perſeverant, communionem cum Chriſto habeant, 1 *Joan.* I. ſine qua juſtificatio nemini contingit. Eſt autem hæc doctrina corruptiſſimo hoc noſtro tempore maxime neceſſaria, ne homines inani fidei ſimulacro ſe decipiant, veræ interim fidei expertes; atque ita ab æterna ſalute aberrent, quæ non continget omnibus dicentibus, Domine Domine, ſed iis demum, qui fecerint Dei voluntatem, *Matth.* VII. Neque video, quid huic doctrinæ objici poſſit. Non enim negat, nos ſolâ fide coram Deo juſtificari; ſed tantum vim & naturam fidei juſtificantis explicat, quæ licet fiduciâ gratiæ Dei in Chriſto exhibitæ potiſſimum contineatur, tamen etiam affectum Deo obediendi includit: adeo ut

propter

Ep. 28. propter hanc indissolubilem fiduciæ & obedientiæ conjunctionem Irenæus non dubitet affirmare lib. 4. cap. 14. *Credere in Deum vel in Christum, esse voluntatem ejus facere.* Non quod fiducia idem sit cum obedientia, sed quia separari non potest ab obedientia, imo quia vera & firma fiducia divinæ gratiæ in cordibus nostris absque affectu obediendi esse non potest: sicut unusquisque in se ipso experitur. Neque vero hæc doctrina negat, nos solâ imputatione justitiæ per Christum comparatæ coram Deo consistere: sed tantum ostendit, imputationem illam nemini contingere, nisi simul inhærente justitiâ, hoc est fide & novâ obedientia, quæ in nobis tanquam in subjecto hærent, sit præditus; sicut aperte constat ex Paulo *Rom.* IV. itemque Joanne in 1 *Joan.* I. & III. Nec denique statuit, nos operibus nostris vitam æternam, nedum remissionem peccatorum vel minima ex parte promereri; aut conversionem nostram absque speciali Dei gratiâ in nobis vel inchoari vel perfici: sed tantum docet, absque vera fide & conversione ad Deum neminem justificari; nec absque studio operum bonorum quenquam salvari; denique effectum ac continuum cursum divinæ gratiæ impœnitentiâ nostrâ impediri; quæ sane omnia verissima esse ex antedictis manifestum evadit. Quare jam apparet, etiam in hac quæstione consensum inter nos esse, dummodo utrinque recte explicetur natura fidei justificantis, sine qua inefficax nobis manet Christi satisfactio.

III. Restat postremum caput Epistolæ, quo animum meum pacis & concordiæ studiosissimum vobis exponam, & rationem illius perpetuo fovendæ, quæ mihi & facillima & æquissima videtur, indicabo. Itaque ante omnia vos, observandi viri, per Deum oro atque obtestor, ne deinceps ullius hæreseos suspectum me vel ipsi habeatis, vel aliis reddatis; quum probe sciatis, suspicionem esse venenum amicitiæ; imo sciatis, honestam alicujus existimationem lædi facilius posse, quam restitui; quâ tamen ii imprimis opus habent, qui ad munus docendi sunt vocati.

Deinde oro, ut declarationem meæ sententiæ eodem animo, quo à me scripta est, nempe candido & pacis studioso, accipiatis: nec illud ἀκριβοδίκαιον (*summum jus*) sectari velitis, quod quamdiu utrinque retinetur facillime animorum consensionem impedit. Agnoscite, quæso, nos reipsa consentire: de iis autem, quæ non eodem modo utrinque intelliguntur, posse salvâ fidei compage disputari. Videtis ipsi, quantum vestræ authoritati tribuam, & quid porro pacis & concordiæ studio facere paratus sim. Novit Deus, nihil tam mihi dolere, quam quod audio & video, occasione hujus controversiæ eos, qui in Ecclesia sunt, vehementer esse offensos; alios, qui foris sunt, gloriandi materiam captasse. Cupio igitur omnibus modis, ut malum hoc in herba supprimatur. Nam mori malim, quam Ep. 28. temere pacem Ecclesiæ turbare. Et sane hoc potissimum in istis literis specto, ne quis jure φιλονεικίαν (*contendendi studium*) aut pertinaciam in certis opinionibus defendendis, non admodum ad fidem necessariis, mihi possit unquam exprobare. Si quid igitur hactenus à me dictum aut scriptum est de tota hac controversia, id secundum hanc declarationem intelligi velim, aut indictum haberi. Si nec declaratio ista vobis per omnia satisfacit, cogitate quæso, semper in Ecclesia fuisse, & porro futuras de rebus abstrusis discrepantes hominum doctorum sententias. Si errare me putatis, agite, errorem amice demonstrate, & rationibus eripite. Ne cogite me quicquam facere contra conscientiam. Scitis ipsi, intellectum hominis nec vi, nec metu, nec ullis rebus externis cogi posse: posse autem solidis rationibus ad assentiendum invictæ veritati induci. Habebitis me semper & docilem & gratum, si amicâ ratione mecum egeritis, eâ nimirum, quâ vobiscum, si meo loco essetis, agi cuperetis. Interea placide ferte dissentientem in re tantilla: & amicos, qui illic aut in vicinia sunt, sinistris suspicionibus de me conceptis liberate. Id vero ut tanto facilius à vobis obtineam, promitto vobis, me theses illas, vel potius appendices negativas, de quibus controversia est, in posterum libenter omissurum, retentis tantum thesibus generalibus affirmativis. Verbi gratia, docebo, satisfactionem Christi fuisse necessariam, quia Deus immutabili ac justo judicio eam apud se ordinavit: de refutatione absolutæ necessitatis, ab essentiali Dei justitiâ dependentis, tacebo. Sic in passione & morte Christi, docebo fuisse cruciatus æquipollentes cruciatibus omnibus, qui nobis ob peccata in æternum deberentur. De morte autem æterna, quam Christus non sensit, tacebo. Sic denique docebo, veram & vivam fidem requiri in omnibus justificandis: omissâ quæstione illâ de peccatis reipsa nondum deletis ante conversionem hominis. Quare vicissim æquum esse videtis, honorandi viri, ut & vos aliquid mihi condonetis, nec superstitiose aut scrupulose in singulas phrases inquiratis. Te vero etiam nominatim, Reverende D. Tossane, oro, ut Basileënsibus & Genevensibus, ad quos etiam audio velox illud malum, famam hanc dico infælicem pervenisse, oblatâ occasione summam istius meæ Epistolæ perscribere ne graveris; ut & illi consensum nostrum amplius adjuvent, & quæ ad pacem ædificationemque faciunt studiose una vobiscum procurent. Hæc si à vobis obtineo (uti certe obtinere me æquissimum est) habebimus, quod nobis omnibus gratulemur, & de quo gratias agamus Deo, & denique quo scandalum in Ecclesia natum è medio tolli; hujus autem ædificatio feliciter, adjutore Deo, promoveri possit. Deum pacis oro, ut vos, Reverendi & Clarissimi viri, Spiritu

Ep. 29. ſuo ſancto amplius illuſtret, & Eccleſiæ ſuæ bono diu ſervet incolumes. Schuttorffio, quo nunc Schola noſtra propter peſtem Steinfurti gliſcentem eſt tranſlata, 27. Julii, Anni 1598.

Veſtri in Chriſto ſtudioſiſſimus atque obſervantiſſimus

CONR. VORSTIUS. D.

XXIX.

DAVIDI PARÆO

CONRADUS VORSTIUS S. P.

Hæreſeos crimen detrahitur.

QUia ſcriptum illud Apologeticum, quod tibi vir Clariſſ. & Reverende, tuiſque honorandis collegis ſimul inſcripſi, diutius apud nos aſſervatum fuit, operæ pretium putavi nominatim ad te ſcribere. Scito igitur, mi D. Doctor Paræe, me pacis & concordiæ retinendæ cauſa, quæſtiones illas duas de neceſſitate deque ſufficientia ſatisfactionis Chriſti libenter in medio relinquere: tertiam vero de effectu ſatisfactionis ita declarare, ut in adultis veram fidem, quæ abſque pœnitentia eſſe nequit, requiri doceam, ſi modo fructum illum ſatisfactionis, hoc eſt, remiſſionem peccatorum reipſa participare velint. Si quid utrinque non ſatis commode dictum aut ſcriptum fuit, id Dominus paulatim clarius patefaciet. Tantum oro, ut in via charitatis ambulantes alii aliorum nævos toleremus, nec omnia dicta aut ſcripta ad vivum reſecemus. Nam ſi hoc facere in animum induxerimus, bone Deus, quis tandem erit ille, qui ſuſpicionem hæreſeos hujus & illius effugere poſſit? Noſti vir Clariſſime ſemper inter antiquos Eccleſiæ Doctores fuiſſe diſcrepantes opiniones: imo etiam nunc eſſe inter orthodoxos ipſos. Et meminiſti, quid aliquando mihi de velitatione illa ſatis acri inter D. Toſſanum & te περὶ δικαιώσεως (*de juſtificatione*) habita narraveris. Denique quid notius, quam non eſſe, nec eſſe poſſe eandem prorſus ſententiam omnium de omnibus ſacris quæſtionibus? Quam æquum eſt, ut conſenſum quidem in præcipuis fidei capitibus urgeamus; reliquas autem appendices privatæ conſcientiæ ſingulorum doctorum & piorum hominum relinquamus? Sic ego ſane erga alios affectus ſum: ſic alios erga me affectos eſſe cupio. De ſuſpicionibus, quibus hactenus gravatus fui, ſpero me ſatis jam vobis eſſe purgatum. Errores Socini & aliorum de perſona & officio Chriſti, de fide & juſtificatione, aliosque ſimiles plane damno. Nec alio fine ſcripta illorum lego, quam quo vos legere ſoletis. Si quid tamen ex illa lectione ſermoni aut ſtilo meo adhæſit, quod à ſacris literis vel tantillum abhorreat, id non dictum, non ſcriptum eſto. Oro igitur, ut viciſſim Chriſtianam ἐπιείκειαν (*æquitatem*) erga me demonſtretis, & ſuſpiciones omnes de me conceptas non modo ipſi deponatis, verumetiam ex aliorum animis evellatis. Nominatim autem rogo, ut & declarationem hanc meam, & præfationem illam libro precationum præfixam (cujus præcipua capita ſeparatim Germanicâ linguâ explico) ita legatis, ut conſenſum hac in re noſtrum amplius confirmetis. Optarem quidem, licere mihi præſenti apud præſentes de re tota plenius agere: ſed rationes publicæ & privatæ nunc impediunt, quo minus id commode fieri poſſit. Interim hoc te ſcire velim, clariſſime D. Paræe, utramque exegeſin, quæ nunc ad vos mittitur, fuiſſe hic à pluribus aliquot & doctis viris examinatam & probatam: quo minus dubito, idem fore veſtrum de utraque judicium. Hoc autem faxit Deus, cui te, vir reverende, una cum clariſſimis tuis collegis ex animo commendo. Vale Schuttorfio 3 Septemb. Anno 1598. Ep. 30.

Tuus omni ſtudio.

CONR. VORSTIUS. D.

XXX.

DANIELI TOSSANO,

& DAVIDI PARÆO,

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

Nemini niſi de errore convictum ad palinodiam eſſe compellendum.

CUm poſtremas literas veſtras, Venerandi viri fratres ac Domini colendi, accepiſſem, & ſemel atque iterum diligenter perlegiſſem, decrevi nihil ad eas reſpondere, ne vobis moleſtiam ullam deinceps crearem: quia latis aperte ſignificabatis, conſtitutum vobis eſſe, non amplius mecum de hoc argumento diſceptare. Tandem ſententiam mutavi, ſperans, hoc ſaltem me à vobis impetraturum, ut per vos mihi liceat eſſe quieto, & illæsâ frui conſcientiâ coram Deo. Nam hactenus id revera egiſtis, ut errorem eſſe fatear, quam ego ſolidiſſimam & certiſſimam veritatem eſſe arbitror, errorem autem eſſe ne ſuſpicari quidem poſſum. Iniquiſſimum igitur eſſet, ad palinodiam me compelli, cui nondum error aliquis revera demonſtratus fuiſſet: nec minus iniquum, in ſuſpicionem me hæreſeos adduci, aut periculum aliquod mihi propterea creari, quod contra conſcientiam agere nollem. Vos quidem ad conſenſum cum Eccleſia colendum me vocatis, & juramentum quod in promotione mea præſtiterim non ſemel mihi in memoriam redigitis. At ego Deum teſtor, nihil in hac cauſa proterve à me fieri; nihil quod veram Chriſti Eccleſiam, quâ talis eſt, merito offendere poſſit; nihil denique quod juramento à me præſtito repugnet. Etenim vera Chriſti Eccleſia ejuſque paſtores libenter cuivis permittunt veritatem indagare, ſpiritus pro-

Digitized by Google

Ep. 30. probare, & poſt adhibitam διαμαρτυρίαν (*probationem*) id demum in religione (præſertim in abſtruſis illis quæſtionibus) amplecti, quod verbo Dei & rectæ rationi maxime conſentaneum eſſe unuſquiſque deprehenderit. Vera Chriſti Eccleſia non jactat aliquem conſenſum extra Dei verbum, nec quenquam adſtringit ad hominum, licet excellentiſſimorum, hypotheſes, nec denique quicquam in negotio fidei urget quod non ſit Deus ejuſque verbum. Hæc vobis notiſſima ſunt, & ſæpius contra Papiſtas & Ubiquitarios, alienæ fidei dominatores, qui Eccleſiam, conſenſum, concordiam & alia talia ad nauſeam uſque inculcant, accurate & prolixe explicata. Utimini igitur, quæſo, eodem jure erga me, quod ipſi hactenus aliis præſcripſiſtis. Mecum facile tranſegeritis, ſi vel certis teſtimoniis & argumentis errorem, quem exiſtimatis, mihi eripueritis; vel ſi id facere non poteſtis, diſſentientem placide tuleritis. Negare certe non poteſtis, meam ſententiam non ex Socino (licet occaſionem hac de re cogitandi ex libri illius lectione acceperim) ſed ex Auguſtino, Aquinate & aliis eſſe depromtam. Neque ignoratis, in religione ſpectandum eſſe quid dicatur, non quis loquatur. Veritas manet veritas, etiamſi à diabolo tradatur. Et ſcitis quid Tertullianus de iis dicat, qui fidem ex perſonis, non ex fide perſonas æſtimant. Imo licet Eccleſiæ proceres omnes contrarium ſentirent, fieri tamen poſſet ut errarent: quia etiam vera Chriſti Eccleſia ſæpius in iis quæſtionibus errat, quæ ipſam fidei Chriſtianæ radicem & medullam, non continent, hoc eſt non prorſus ſcitu neceſſariæ ſunt ad ſalutem. Juramentum nullum aliud ſcio me præſtitiſſe, quam de veritate ex verbo Dei & Confeſſione Auguſtana, quatenus hæc cum illo conſonat, tradenda, deque conſenſu cum fratribus colendo: quod poſterius neceſſario cum hac exceptione accipi debet, quatenus fratres illi nihil contra veritatem ſentiunt. Nam alioqui conſpiratio potius contra Deum & Chriſtum ejus, quàm fraterna in Chriſto conſenſio eſſet. Recognoſcite, quæſo, honorandi viri, quæ ſint diaboli ſtratagemata, quibus maximos ſæpe viros per ſpeciem zeli & pietatis ſupplantavit: de quibus accurate Acontium ſcripſiſſe noſtis. Videte, quæſo, ne impoſtor ille antiquus vobis imponat. Ego quidem nec Socinum nec ſpeculationes meas amplector, ſed Dei verbum & veritatem in illo comprehenſam exoſculor.

XXXI.

CONRADO VORSTIO

CHRISTOPHORUS PEZELIUS.

SAlutem & proſperitatem anni novi, quem recens inchoavimus, in Chriſto Immanuële & Servatore noſtro unico, Reverende & doctiſſime vir, amice chariſſime. Binas antehac non longo intervallo abs te literas accepi, ad quas propter inopiam tabellariorum reſpondere nondum potui. Nunc libens calamum arripui, cum typographus hic veſter tertiam mihi abs te epiſtolam redderet, ſeque confectis in noſtra urbe negotiis ſuis, rediturum ſtatim ad vos ſignificaret. Primum autem gratulor tibi de contracto nuper matrimonio, idque ut ſit ſuave, fœcundum, & fortunatum opto ac precor. Deinde gratiam tibi habeo quod liberaſti me ſcrupulo, injecto de te abiis, quos non malevolentia ulla, ſed συμπαθία (*condolentia*) Chriſtiana erga te affectos, intellexi dolere tuam vicem, quod in ſuſpicionem apud aliquos adductus eſſes, non tam de illa D. Piſcatoris opinione, quam de controverſia multo graviori, pertinente ad æternam Deitatem Filii Dei, quæ fundamentum fidei & ſalutis noſtræ continet. Quid per literas diſputaris cum ornatiſſimo viro D. Viviano P.M. & quid ipſe tibi reſponderit de hoc præcipuo fidei articulo, non vidi, ſed inaudivi ſaltem obiter. Sed D. Menſo in ſuis ad me non diſſimulabat, querelas de te ſparſas eſſe à Paſtoribus veſtræ Dioeceſeos. A D. Molinæo autem non memini niſi honeſtam tui mentionem fieri, niſi quod miratum ſe eſſe hunc tuum ſermonem ajebat, quod cum incidiſſet inter vos mentio de Samoſateniano dogmate, in hanc vocem proruperis: *Minime te dubitare, quin ante poſtremum Chriſti adventum exoritura ſit eximia quædam lux, etiam in hac parte doctrina, qualis non fuiſſet hactenus in Eccleſia.* Tuam ergo apologiam privatim ad me ſcriptam, quia id te velle animadverti, miſi ſtatim ad D. Menſonem, qui eam epiſtolam tuam adhuc ſecum habet. Nam propter pericula itinerum rariores ſe offerunt occaſiones colloquendi nunc per literas. Et reddita mihi epiſtola illa tua, ſuo tempore tecum uberius conferam. Illud tantum ſignifico nunc, mihi ſummam ſententiæ atque explicationis tuæ ſatisfeciſſe. Si quid eſt ſubtiliorum diſputationum de neceſſitate ſatisfactionis non abſoluta, ſed hypothetica, quam ego malim dicere ex hypotheſi ſeu conſequentis: itemque de gratioſa voluntate Dei acceptantis λύτρου (*redemptionis pretium*) Chriſti: id candide judicantes in optimam partem accepturos confido. Multo minus me offendit explicatio tertiæ quæſtionis abs te præpoſitæ, cujus veſtigia expreſſiora deprehendi in præfatione

Ep. 32. fatione libelli precationum, quam inſpiciendam mihi ſecreto exhibuit typographus veſter. Vix alia luculentior confirmatio ſententiæ tuæ afferri poteſt, quam Epiſtola Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, qui ut in Euangelii ſui hiſtoria efficaciſſimas probationes, & argumenta ἐναργεστάτας (*efficaciſſima*) æternæ Deitatis Filii nobis reliquit; ſic in Epiſtola copulationem indiſſolubilem juſtificationis & regenerationis noſtræ, itemque fidei & charitatis diligentiſſime urget. Noſtra Reſp. omnia nunc parat ac meditatur, ad Hiſpanam vim atque impreſſionem depellendam, quam hæc noſtra loca non minus verentur, quam veſtra ditio, & quæ ſunt in vicinia veſtra, niſi quod incendium illud vobis eſt propinquius. Stet pro populo ſuo Filius Dei, Dux ille magnus Michaël. Quamdiu autem ſpes erit contervandæ apud vos ſcholæ, nolim te cogitare de mutatione vocationis tuæ. Nam ſemina illa diſſidiorum, quæ ex ſiniſtra interpretatione tuæ ſententiæ apud Paſtores iſtos veſtros orta ſunt, credo facile repreſſum iri, ſi in præſentia unius atque alterius Theologi probati, inſtituatur ab Illuſtri D. Comite tuo ζήτησις (*diſquiſitio*) inter te, & adverſarios. Hæc defatigatus concione publica breviter ſcribenda putavi, ut meum erga te animum candide ac ſincere affectum eſſe oſtenderem, quem omnibus officiis pietatis & charitatis Chriſtianæ deinceps quoque, ubicunque occaſiones ſe dabunt, reipſa præſtare tibi cupio. Bene & fæliciter vale, & coſtam tuam ex me & meis filiis, qui tibi quoque ſalutem aſſcribunt, amanter ſaluta, ſicut & Dominum ſocerum tuum, & alios amicos. Bremæ 14. Januar. 1599.

CHRISTOPH. P.D.

XXXII.

CHRISTOPHORO PEZELIO

CONRADUS VORSTIUS.

Reſponſio ad ſuperiorem.

SAlutem plurimam à Deo Patre noſtro & Filio ejus Jeſu Chriſto Domino & Servatore noſtro, Reverende & clariſſime vir, amice ac domine honorande. Non parum me recrearunt literæ tuæ, quas typographus noſter mihi nuper attulit: quippe in quibus candide ſententiam tuam de exegeſi illa mea aperuiſti, ac præterea rationem quandam, qua omnem ſuſpicionem penitus à me poſſim amoliri, quæque jam pridem mihi viſa fuit omnium æquiſſima ac tutiſſima, expoſuiſti. Ego ſane reipſa experior in hac cauſa mea, veriſſimum eſſe, quod olim Simon Grynæus ad Calvinum ſcripſit: *Peſtis eſt Eccleſia noſtra una hac pernicioſa maxime, quod ſuſpicionibus valde inter nos laboramus, & fratres de fratribus raro candide vereque ſentimus; cum tamen oporteat, & in partem optimam omnia trahere, & non ante ſiniſtre de fratre ſuſpicari, quam ipſa res* Ep. 32. *eventuſque coëgiſſet. At quàm malum eſt, eos, quos noſſe Chriſtum credimus, in ſuſpicionem pravam rapere ſubito! Ita enim quod ſuſpectum erit nobis inutile reddimus.* Hæc ille, cujus epiſtolam ſcis extare inter epiſtolas & reſponſa Calvini. Porro qui de me paſſim fuit diſſeminatus rumor infauſtus, meris nititur ſuſpicionibus: ſicut ex re ipſa, hoc eſt iis quæ hactenus de æterna Jeſu Chriſti divinitate & ſalutifero ipſius officio ſermone & ſcriptis diſſerui, cuivis poteſt eſſe manifeſtum. Tantum offendit nonnullos ingenuitas illa, quâ ego in omni Religionis negotio utendum eſſe cenſeo: nempe ut libere & ſine præjudicio quorumvis hominum de fidei controverſiis differentium ſcripta legere, eaque ad normam divini verbi examinare, denique ex iis quæ vera videntur amplecti, quæ verò ſecus habent repudiare, idque citra cujuſquam injuriam, licitum ac pium eſſe teneamus. Hæc ſententia mihi ſtat, nullius hominis, præterquam Jeſu Chriſti nobis à cæleſti Patre commendati, nomen ferre, nulli me mancipare: & tamen omnium laboribus, prout res tulerit, reverenter uti, ad Dei gloriam, & fidei meæ necnon aliorum, præſertim eorum qui mihi docendi ſunt commiſſi, ædificationem. Vides igitur, clariſſime vir, hac mea libertate immerito nonnullos offendi. Nemo hactenus inventus eſt, qui ex meis dictis aut ſcriptis vel probabile aliquod argumentum afferre potuerit, quo demonſtraret, æternam Chriſti divinitatem à me in dubium vocari. De Viviano p. m. viro ſane doctiſſimo & mihi amiciſſimo quod tangis, nulla mihi fuit cum ipſo vel minima de hoc argumento diſputatio: ſed caput illud de neceſſitate & modo ſatisfactionis per Chriſtum præſtitæ, quod eodem tempore cum D. Piſcatore per literas tractabam, inter nos fuit excuſſum. Nec longe ſententiæ noſtræ hic diſcrepabant: ſicut ex poſtremis ipſius ad me datis literis, quas mecum habeo, facile eſt demonſtrare. Apud D. Molinæum non diſſimulavi, id quod vere ex animo ſentio, nempe multo clariorem divinæ cognitionis lucem, quam hactenus in Eccleſiis noſtris fulſerit, ante finem ſæculi haud dubie, meo judicio, exorituram. Id tamen non intellexi ſpeciatim de illo doctrinæ capite, de quo tunc inter nos agebamus: ſicut D. Molinæus verba mea videtur accepiſſe. Sed in genere de controverſiis Religionis ſum locutus: quomodo jam ante præclariſſimus Theologus Wolfgangus Capito in præfatione libri M. Borrhai de operibus Dei (ſicut meminiſſe potes) locutus fuerat; qui tamen omnia, quæ nobis in Religione nota ſunt, probe habuit perſpecta. Quod à D. Menſone de miniſtris hujus loci, quaſi qui de me ſint conqueſti, intellexiſſe te ſignificas, mirum id mihi videtur; quippe cui nullus hoc in loco, ſive paſtor ſive alius quiſpiam vir doctus, unquam aperte contradixerit. Tantum à D. Piſcato-

Ep. 32. ſcatore ſparſus initio fuit rumor, me tueri hypotheſes neſcio quas Samoſatenianorum: quia ſcilicet nego, ullam eſſe in Deo eſſentialem juſtitiam, quæ omnino exigat punitionem ob quodvis vel leviſſimum peccatum. Huic deinde rumori nimis facile creditum eſt Veſaliæ, & paſſim alibi: adeo ut, cum præfatio mea in librum precationum ſub illud tempus exiret, Veſaliensis quidam paſtor, datis ad generoſiſſimum noſtrum Comitem literis, cenſuerit, illam tantiſper eſſe ſupprimendam, dum Heidelbergenſes Theologi de re tota ſententiam tuliſſent: id quod hactenus factum non eſt, quamvis ego jam dudum exegeſin meam apologeticam ad illos miſerim. Interea ſcire te velim, Reverende vir, me Dei beneficio credere & gloriari, Jeſum Chriſtum eſſe verum ac æternum Deum, eundem ſcilicet cum æterno Patre & Spiritu Sancto, nec ullo modo Samoſatenicis hac in parte aſſentiri aut favere: tantum hoc à me quæri, ut doctrina ſalutis æternæ per Jeſum Chriſtum partæ ſic explicetur, ne quid falſi admiſceatur, atque ita reipſa noſtra doctrina hominibus non prorſus ſtupidis ſuſpecta reddatur: hoc eſt 1. ne Deo detrahatur ſuprema poteſtas utendi vel non utendi jure ſuo, prout ipſe voluerit, cum neceſſitas ſatisfactionis Chriſti eſt explicanda; 2. nec Chriſto impia quædam adſcribantur, cum modus ſatisfactionis ipſius explicatur; 3. nec denique homines à ſtudio veræ fidei & pœnitentiæ abducantur, cum finis ſeu fructus ejuſdem ſatisfactionis eſt inculcandus. Huc enim tendunt tria illa capita meæ jam ſæpius declaratæ & demonſtratæ ſententiæ. Et lætor inprimis, illam tibi in tertio capite probari, ejuſque firmamenta ex Dei verbo (præcipuè ex 1 Epiſtola Johannis) petita, in ſupra-dicta mea præfatione à te fuiſſe animadverſa. Sanctè jam pridem complures viri docti ſunt teſtati, ſe nihil in illa reperire poſſe, quod non ſit verbo Dei prorſus conſentaneum: & mirari, eam tamdiu ſupprimi. Quæ cum ita ſint, vir Clariſſime, per Chriſti gloriam te rogo atque obteſtor, ut primo quoque tempore ad Generoſum noſtrum hac de re ſententiam tuam candide perſcribere digneris, eique, ſi fieri poteſt (ut prorſus exiſtimo) perſuadere, ne gravetur ad tantæ rei majorem elucidationem, & meæ innocentiæ demonſtrationem, conventum aliquem doctorum virorum in ſua hac ditione congregare, ubi coram æquis arbitris (te autem & D. Menſonem inprimis arbitros eſſe cuperem) hujus cauſæ cognitio inſtituatur, & omni ſuſpicione ſepulta pax & concordia ſtabilis reſtituatur. Hoc ſi feceris, præclarum ſane κατόρθωμα (*egregium facinus*) pietatis & virtutis apud omnes pios edes. Vale feliciter in Domino Jeſu, quem oro, ut tuo meoque miniſterio amplius benedicat in dies. Filiis tuis, inprimis D. Licent. Toheæ, necnon D. Molinæo, officioſam ſalutem adſcribo. Steinfurti 12. Febr. Anno 1599. Ep. 33.

Tui in Domino obſervantiſſimus
CONR. VORSTIUS.

XXXIII.

CONRADO VORSTIO

HENRICUS ROSÆUS S.P.D.

Querimonia. De calumniis querendum.

REverende D. Doctor, heſterno veſpere litteras tuas, 18. Septembris anni ſuperioris Scuttorfio datas, ad me attulit quidam Weſtphalus Scuttorffienſis, in quibus rumuſculi iſtius ſparſi mentionem facis, quem tamen ſenſim evanuiſſe ſpero; quoniam peritiores & æquiores penitus de cauſâ iſtius calumniæ edocti melius de D. Doctore ſentiunt; quod non obſcure ex D. Uytenbogardo, cui circa calend. Januar. adfui Hagæ-Comitis, intellexi; dicebat enim ſe Amſterodami de negotio hoc certiorem à familiari quodam, mihi equidem incognito, factum eſſe, & iniquum eſſe judicabat, hominem ob accuratiorem veri inquiſitionem hujuſmodi calumniâ gravari: dolebat præterea paucos in hac ditione viros eſſe, qui per familiaria colloquia aut litteras religionis capita ſubinde ventilarent. Idem judicabat Adrianus quidam van den Borre, vir eruditione ac pietate conſpicuus, miniſter Eccleſiæ Schonhovianæ, qui & theſium de Servatore ſibi copiam fieri voluit, quas cum deſcripſiſſet, ad Dominum Utenbogardum meo permiſſu miſit, & nuperrimè, cum Goudæ convenſſemus, aliquanto uberius ſibi quæſtiones aperiri voluit; quod pro mea ingenii tenuitate candide & ſyncere me feciſſe ſpero; ita ut plane & iſte Adrianus teſtatus fuerit, nihil difficultatis ſubeſſe, ſi quis D. Doctoris ſententiam, quæ ipſi S. Scripturæ videbatur congrua, approbet. Quamobrem ego plane exiſtimo, hoc rumore veritatem produſſe clarius, & nihil exiſtimationi D. Doctoris detractum eſſe.

Cæterum ad piſces illos quod attinet, quos D. Doctor nondum accepiſſe ait, miror num uſui eſſe potuerint, poſtquam allati fuerunt, quoniam per æſtum eos tam diu aſſervari potuiſſe non exiſtimo. Alias merces, utpote haleces, ſalmonem fumo induratum, caſeos, & nonnulla alia apud me habebam, & quotidie de iis mittendis ſollicitus eram; cum vero itinera paſſim à prædonibus Hiſpanis obſeſſa intelligerem, illud intermittere conſultum putavi. Quia vero ex hoc Scuttorfienſi D. Doctorem in arce Steinfurtenſi propter pericula vivere intellexi: ego ſi vero placuerit, quædam neceſſaria Daventriam uſque ſalva Deo volente perferri curabo, lubens meam opellam in hoc & gravioribus D. Doctori ob benevolentiam debitam concedam. D. Doctor

Ep. 34. per Scottorfienſem quendam, qui ſubinde in hanc regionem proficiſci ſolet, quid fieri velit, ſignificet. Vale, reverende D. Vorſti, & me tui ſtudioſiſſimum priſtina benevolentiâ complectere, meo uxoriſque meæ nomine uxorem tuam, ſororem cæteroſque amicos precor ſalutato. Raptim ipſis Cal. Aprilis Anno 1599. Berkau.

T. obſervantiſſimus.

HENR. ROSÆUS.

XXXIV.

Theologi Baſileënſes ad Theologos Heydelbergenſes.

Theologus. de Doctrina Vorſtii de Satisfactione Chriſti.

REverendi ac clariſſimi fratres, viri ac ſymmyſtæ plurimùm obſervandi. Epiſtolam apologeticam, chari nobis in Domino fratris, ad nos tranſmiſiſtis, accepimus, & cum in conventu noſtro conjunctim, tum etiam ſinguli privatim cum attentione legimus & relegimus, quidve nobis de eâ videatur candide contulimus. Quoniam autem literis veſtris à nobis requiſiviſtis, ut noſtram de illâ ſententiam perſcriberemus, & in commune conſuleremus, quâ ratione pax in Eccleſiis noſtris (de quarum Reformatione utinam erga Deum grati eſſemus) conſervari poſſet, voluimus veſtræ poſtulationi fraternæ, quantumvis pluribus noſtrarum functionum occupationibus diſtracti hoc tempore, & acutioribus libenter judicium concedentes, aliquomodo ſatisfacere. Invocato igitur divino numine, perpendimus in timore Domini D. Vorſtii epiſtolam, & in eâ imprimis explicationem doctrinæ. Ac probari quidem à nobis teſtamur, quod de perſonâ, & officio Chriſti, de neceſſitate ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ ex decreto Dei, de juſtificatione per ſolam fidem, de converſionis noſtræ neceſſitate in genere docet, & ſe alienum à Samoſatenianis & Papiſtis eſſe profitetur, ac nonnulla alia, de quibus quoniam controverſia nulla eſt, pluribus ſupereſſedemus. A ſententiâ enim Sacrarum Literarum noſtro judicio diſcrepat, aut ſaltem periculoſa ambiguitate laborat, 1. Hypotheſis illa, qua ſtatuitur abſoluta Dei poteſtas in condonandis peccatis, ſi modo velit. Nam hæc hypotheſis ſimpliciter intellecta de excluſione omnis perſolutionis tum in ipſismet peccatoribus, tum in alio pro ipſis, implicat contradictionem, & naturæ ac voluntati Dei repugnat. At abſoluta potentia Dei eſt in illis rebus, quæ non implicant contradictionem. Id inde liquet, quia ſtatuit Deum eſſe & non eſſe, potentem eſſe & non eſſe potentem. Nam ſi Deus eſt, peccatum omnino impunitum ſinere non poteſt. Eſt enim ignis conſumens, & non tantum voluntate ſeu prohibitione, ſed etiam natura ſua, quæ ſanctiſſima eſt & juſtiſſima, à peccato Ep. 34. abhorrens. Nam non eſt Deus qui delectetur improbitate, non eſt commoratum coram ipſo malum. Ideo expreſſe ait *Eſa.* I. 13. *non poſſum ferre iniquitatem.* Si enim peccatum omnino impunitum ſinere poteſt, non eſt Deus, quia jam non erit ignis conſumens, jam natura ſua non abhorrebit à peccatis, jam delectabitur improbitate, jam poterit ferre iniquitatem. Pari ratione, ſi Deus potens eſt, peccatum omnino impunitum relinquere non poteſt. Sin vero peccatum penitus impunitum relinquere & pati poteſt, potens non eſt. Peccatum enim omnino impunitum dimittere poſſe, non eſt potentiæ, non minus ac mori poſſe, ſeipſum abnegare poſſe. Deinde hypotheſis illa adverſatur naturæ Dei, quia natura ſua ita juſtus eſt & ſanctus, ut neque in ipſo malum ſit ullum, neque malo ſive peccato quod extra ipſum eſt in creaturis ullâ ratione delectetur. Delectaretur autem eo aliquo modo, ſi prorſus pateretur impune abire. 3. Repugnat voluntati Dei in verbo patefactæ, quod docet Deum velle peccatum punire, *Gen.* II. 27. *Sophon.* III. 5. & nolle impune relinquere, *Exod.* XX. 7. Præterea tantum abeſt ut Deus peccatum impunitum ſinere poſſit, ut ne in Filio quidem pepercerit, ſed pro electis, quibus ſe ſponſorem conſtituerat, pœnâ affecerit. Unde condonat credentibus peccata, ipſiſque remittit pœnam, quia pro ipſis pœnam ſuſtinuit Chriſtus. Quin & ex ipſa hypotheſi graviſſima conſequuntur abſurda, videlicet juſtitiam Dei non poſtulaſſe ut peccata noſtra punirentur per Chriſti mortem; Juſtitiæ divinæ pro peccatis ſatisfieri non oportuiſſe; ſine ullâ pro peccatis ſatisfactione peccatores ſervari poſſe. Et hæc ipſa conſectaria ſpiritus infauſtus ille Deſidæus in libro de Jeſu Chriſto Servatore ex illa hypotheſi collegit. Quin hujus ipſius hypotheſeos aſſertio non poteſt non profanitatem & peccandi licentiam augere. Quis enim profanus non dedat ſe licentioſius peccatis, ſi intelligat, Deum ita potentem eſſe ut condonet peccata abſque punitione? Quod verò additur hypotheſi (ſi modo ipſe velit) falſitatem hypotheſeos non tollit, & Scripturæ repugnat. Scriptura enim teſtatur, Deum velle peccata punire, *Exod.* XX. 5. 7. Imo quemadmodum voluit, ita & punivit peccatum in Chriſto pro nobis, *Eſa.* LIII. 5. & punietæternum in damnatis. Nulli verò condonat, niſi pro quo Chriſtus ſatisfecit. At profecto in Theologiâ cenſemus de Dei voluntate nihil eſſe aſſeverandum, quod Scripturæ contradicit. Jam cum illa doceat, Deum velle punire peccatum, quid temerè aſſeritur, eum poſſe abſque ullâ punitione condonare peccatum, ſi modo velit? At ille non vult, ut paſſim teſtatur Scriptura. Ex qua præſtat dogmata fidei definire, quod ipſum D. Vorſtius optat, quàm ex Scholaſticorum impura

magna

Ep. 34. magna ex parte Theologia quæſtionariâ. Ubi D. Vorſtius ſcribit, hypotheſin iſtam Auguſtino & aliis probatam fuiſſe, neceſſe fuiſſet loca Auguſtini & aliorum addi. Nam loca Auguſtini & aliorum orthodoxorum in quibus ea probetur nobis nulla in mentem veniunt. Et quæ poſtea teſtimonia ex Auguſtino, Calvino, Muſculo, Martyre & Zanchio allegantur, ea hanc hypotheſin non confirmant, nec quicquam cum eâ commune habent, ſed aliam doctrinam continent, de neceſſitate ſatisfactionis illius quàm Chriſtus pro nobis præſtitit. Sunt enim hæ duæ enuntiationes diverſiſſimæ: Deus ita potens eſt, ut peccata condonare poſſit, abſque punitione, ſi modo velit: &, Chriſtus ita neceſſario pro noſtris peccatis ſatisfecit, ut tamen non defuerit alius ſanandæ miſeriæ modus Deo poſſibilis, cujus poteſtati cuncta æqualiter ſubjacent. Nam Deum potuiſſe alium modum, per quem ipſius juſtitiæ ſatisfieret, habere, à piis nunquam negatum fuit. Sed Deum poſſe peccata hominibus condonare abſque punitione ullâ, vel ipſorum hominum qui peccarunt, vel alterius tanquam ſponſoris pro ipſis, nemo orthodoxorum, quantum nobis eſt cognitum, aſſeveravit: Infauſtus veri ille Delydæus, ut ſatisfactionem Chriſti pro nobis præſtitam tolleret, improſperè effudit. Profitemur verò nobis placere, quod Auguſtinus dicit lib. 13. de Trinit. cap. 10. ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem modum non fuiſſe, nec eſſe potuiſſe, quàm nunc per ſatisfactionem Chriſti. Quod verò D. Vorſtius hypotheſin illam Deſidæi probat, & eandem à ſummis Theologis Calvino, Martyre, &c. aſſertam ſcribit, id inde ei eveniſſe putamus, quod quæ magni illi viri κατ᾽ ἐξοχήν, (*ſecundum quid*) de condonatione peccatorum, quam Deus liberrimè electis in Chriſtum credentibus præſtat, intellexerunt, ipſe ἁπλῶς (*ſimpliciter*) accepit. Nam docent illi & nos cum ipſis, Deum non ſolum poſſe, verum etiam reipſâ condonare peccata, & quidem ſolis electis credentibus in Chriſtum, ſine punitione, videl: in ipſis; ſed non omnino ſine punitione; quia pœna peccatorum ipſorum Chriſto pro ipſis impoſita fuit. Quod ergo illi dicunt de liberrimâ poteſtate Dei in condonandis peccatis quod ad electos attinet, eo fine dicunt, ut ejuſdem liberrima poteſtas in non condonandis peccatis, ſi reprobos ſpectes, aſſeratur, & intelligatur quod Paulus dicit; *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Atque adeò ut doctrina de prædeſtinatione Dei æterna, & liberrima exſequutione à calumniis vindicetur. Quomodo enim de poteſtate Dei loquendum Muſculus ſub finem loci de poteſtate Dei docet: *Libere ac ſimpliciter fatendum eſt, nihil eſſe illiciti, nihil reprehenſibile, nihilque poteſtati Dei inconveniens in eo quod Scriptura de illo prædicat.* Quum autem nihil tale, quod in hypotheſi illâ dicitur, Scriptura de eo prædicet, optaremus dilectum noſtrum fratrem D. Vorſtium illam hypotheſin nullam facere. Ep. 34.

Secundo, quod ſcribit ſe ex Thomâ Aquinate aſſerere, eam Dei juſtitiam, quæ punitionem ob peccata exigit, non eſſe eſſentialem Dei proprietatem, admodum periculoſum eſt. Nam illa juſtitia vel eſt in Deo, vel extra Deum. Si in Deo, eſſentialis eſt; nihil enim in Deo eſt quod non ſit eſſentiale, ſeu ipſa eſſentia; alioquin in Deo eſſet aliud & aliud, ipſeque compoſitus, quod nefas eſt cogitare. Si eſt extra Deum, ubi eſt, vel quid eſt? Dicit eſſe effectum voluntatis. Quod effectum? Definitione hic opus eſt, ut intelligatur quid ſit id de quo eſt controverſia. Cum Catechetis Heydelbergenſis ait, vult Deus ſuæ juſtitiæ ſatisfieri, quam juſtitiam intelligit? Intelligitne eam quæ in Deo eſt, aut quæ extra Deum? Si illam, certè eſſentialis eſt: nam Deus non aliâ re eſt juſtus quàm ſuâ eſſentia. Sin aliam extra Deum, ubi illa erit & quid? Tum juſtitia κατ᾽ ἐξοχήν, (*libere electa*) quam vocant, differtne reipſâ à rectitudine divinæ naturæ, nec ne? Si reipſa non differt, non minus eſt eſſentialis ac rectitudo illa. Si verò differt reipſa, tum in Deo eſt aliud & aliud, ac proinde eſt compoſitus. Si vero extra Deum eſt, ubi eſt, & quid eſt? Quod Zanchii & Muſculi auctoritatem prætexit, nos quidem miramur, cum nihil tale dicant; quod ipſe Zanchius in lib. 4. de natura Dei c. 5. quæſt. 2. docet aperte, unam eſſe reipſa Dei juſtitiam, quia una eſt eſſentia Dei, diverſis tamen reſpectibus multiplicem dici, unam qua juſtus eſt ut Deus liberrimus, alteram qua juſtus eſt ut Deus omnium, tertiam quâ juſtus eſt ut Deus electorum ac pater, quartam quâ juſtus eſt ut judex mundi: nec alia eſt ſententia Muſculi. Hæc autem quadruplex diverſis reſpectibus juſtitia, eſt reipſa una.

Tertio, quod ſcribit, Chriſtum in ſuâ ipſius perſonâ non propriè ſenſiſſe, vel ſuſtinuiſſe æternam mortem, ambiguum & ipſum eſt. Nam intelligitur vel Chriſtum non ſuſtinuiſſe ipſam mortem, quam nos in æternum ſuſtinere debuiſſemus, quamque damnati in æternum ſuſtinebunt; vel Chriſtum non ſuſtinuiſſe in æternum, vel in perpetuum. Poſteriore ſenſu non intelligit D. Vorſtius, quia ſubjicit aperte, ſe hypotheſin non de continuatione ſeu duratione pœnarum intelligere; neque nos exiſtimamus ullum eſſe vel fuiſſe, qui docuerit Chriſtum ſuſtinuiſſe mortem in æternum; cum hoc implicet contradictionem, & Scripturæ adverſetur, quæ docet Chriſtum ſolutis doloribus mortis victorem evaſiſſe, & à morte retineri non potuiſſe. Quod ſi priori ſenſu capiat, Scripturæ repugnat. Nam quam mortem Deus homini propter tranſgreſſionem legis eſt minatus, eam ipſam Chriſtus pro nobis ſuſtinuit. Quis enim dicat, quod lex aliam mortem ſit minata, aliam autem Chriſtus paſſus ſit: Atqui mortem illam quam in æternum ſuſtinebunt damnati, Deus homini propter

Ep. 34. transgressionem legis est interminatus: Unde sequitur, eam ipsam Christum pro nobis sustinuisse. Tum in quâ morte nobis in æternum manendum fuisset, nisi ab ea essemus redempti, eam ipsam Christus perpessus est pro nobis. At in morte damnatorum nobis æternum manendum fuisset. Illam igitur mortem, in qua damnati manebunt in æternum, Christus pro nobis est perpessus. Hæc evidentem habent veritatem. Nam non aliam mortem debuit pati Christus, quam nobis in lege denunciatam, nec aliter nos ab eâ liberare potuit, nisi eam pro nobis patiendo: ea autem alia non est quàm damnatorum mors, quæ illis est æterna, quia illam non superabunt in omnem æternitatem; Christo autem æterna esse non potuit, propterea quod eam devicit. Tum nisi statuamus eam ipsam mortem, quam lex nobis minata fuit, & quam in æternum pati debuissemus cum damnatis diabolis & hominibus, à Christo esse obitam, & nostro bono victam; non est satisfactum legi pro nobis, adhuc nobis illa mors subeunda. Unde apparet, non esse simpliciter negandum, Christum in suâ propriâ persona mortem æternam sensisse. Si dicatur: Atqui lex mortem in æternum duraturam minata erat. Resp. Verum id esse, sed cum hac conditione, nisi illa vinceretur; quemadmodum à Diabolis & hominibus damnatis non vincitur, ideo illis æterna erit: Sic ergo eadem mors æterna erit, vel non æterna; quemadmodum carcer uni debitori est perpetuus, alteri non item; perpetuus illi qui solvere debita non potest; ei verò qui debita persolvit, perpetuus non est. Summa; aliud est mors ipsa per se considerata, aliud æternitas, hoc est, perpetuà mortis duratio. Quod D. Vorstius addit de omnibus pœnis damnatorum, velut desperationem, excæcationem, &c. non est cum mortis pœna permiscendum. Necesse est enim pœnas distingui quæ simul peccata sunt, ut excæcatio & desperatio, ab illis quæ tantum sunt pœnæ, & quas Christus pro nobis tulit. Excæcatio autem & desperatio, quia simul sunt peccata, in ipso locum non habuerunt, quia peccare non potuit. Sententiâ sic explicatâ nulla absurda sequuntur.

Quarto, quod de participatione fructuum satisfactionis Christi scribit, absque verâ fide & ad Deum conversione neminem justificari, neque absque studio bonorum operum quenquam salvari, ambiguitate periculosâ laborat, quasi conversio nostra esset justificationis pars. Quia autem notum est, illam enuntiationem ambiguam turbas in Ecclesia peperisse magnas, antea quoque judicamus rectè facturum D. Vorstium, si potius phrasibus propriis, & in orthodoxâ Ecclesia receptis, utatur. Quod ad testificationem attinet, qua animum suum pacis & concordiæ studiosum esse scribit; profitemur nobis illam probari, sic ut D. Jesum veræ pacis datorem ex animo precemur, ut largiatur D. Vorstio Ep. 35. (quem nobis alioquin charum esse profitemur) quò malit omittere non necessarias quæstiones, quæ non nisi pugnas pariunt & Ecclesiam non ædificant: & ne facile sequatur quæstionarios Theologos in tradendâ Theologiâ, sed docendi modum attemperet ædificationi Ecclesiæ, nec alia censeat sibi auditoribus suis esse proponenda pro cathedrâ, quam ea quæ illi utiliter possint & debeant populo Dei proponere pro suggestu; cum schola non vanæ ostentationi ingeniorum, sed Ecclesiæ ædificationi servire debeat. Aliter quidem Theologiæ doctor in scholâ, quàm pastor in cœtu plebis Ecclesiasticæ debet docere, sed non alia. Optamus etiam ut pro phrasibus infausti illius Samosateniani, malit uti propheticis orthodoxorumque Patrum phrasibus, ut unum non tantum sentiamus, sed & loquamur. Hæc inter varias occupationes exarata, ita ad vos reverendi viri, nobisque plurimum observandi fratres, mittimus, ut vestro exquisitiori & accuratiori judicio nihil detractum velimus, Dominum orantes, ut in Ecclesia suâ veritatem & pacem conservet, vestrisque sanctis laboribus abunde benedicat. Basileæ 28. Feb. 1599.

Joh. Jacob. Grynæus subscripsi.
Amand. Polanus pro tempore Decanus subs.
Henricus Justus pastor ad S. Petri subs.
Joh. Triphius Ecclesiæ ad D. Leonhard. pastor subs.

XXXV.

JOANNI JACOBO GRYNÆO ET AMANDO POLANO

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

Theologica de satisfactione.

REverendi & Clarissimi viri, fratres in Christo plurimum honorandi. Redditum est mihi ὑπόγραφον (*exemplar*) epistolæ vestræ, ad fratres Heydelbergenses de controversia illa satisfactionis Christi prolixe & accurate scriptæ, est, inquam, mihi redditum circa finem mensis Junii, videlicet quarto circiter mense postquam epistola vestra scripta fuit. Gratias autem vobis ago maximas, quod meum illud scriptum apologeticum inter gravissimas vestras occupationes perlegere & examinare, deque proposita controversia sententiam vestram amicè & modestè cum aliis communicare non fuistis gravati. Oro etiam vos enixe, ut hanc quoque scriptionem meam, solo veritatis indagandæ ac patefaciendæ (Deus novit) animo susceptam, examinare ad S. Litera-

Ep. 35. terarum & rectæ rationis amuſſim ne dedignemini, deque ea mentem veſtram mihi per literas aperire. Scitis enim, in myſterio Dei & Chriſti ſemper eſſe, ubi proficere liceat: tum veritatem ſine diligenti inquiſitione non facile, præſertim in rebus vel ſuâ naturâ vel hominum potius culpâ abſtruſis, inveniri: denique Chriſtianæ æquitatis ac charitatis eſſe, fratrem alicubi hærentem expedire, aut errantem placide erudire, aut etiam diſſentientem in aliqua quæſtione nihilominus ut fratrem complecti. Quare fretus ſingulari veſtra pietate, candide & modeſte, quid in explicatione ſententiæ veſtræ adhuc deſiderem, vobis exponam. Quæritur de Satisfactione Chriſti. 1. an fuerit abſolute neceſſaria. 2. quomodo ſit à Chriſto præſtita. 3. quibus profit vel non profit. Dicam de ſingulis quæſtionibus inverſo ordine, quia prima prolixius erit tractanda.

1. Fides & pœnitentia requiruntur ante remiſſionem peccatorum.

Conſentimus igitur in 3. quæſtione, fructum Satisfactionis Chriſti, hoc eſt remiſſionem peccatorum, ſeu juſtificationem, & ſalutem æternam, ab iis duntaxat participari, qui verâ fide ac pœnitentiâ ſunt inſtructi; ac proinde hanc conditionem in nobis ante exiſtere oportere, quam reipſâ juſtificari aut ſervari per Chriſtum poſſimus. Quo ſenſu D. Beza recte docet epiſtola 20. *pœnitentiam anteire juſtificationi ſeu remiſſioni peccatorum.* Id quod Calv. lib. 3. Inſtit. cap. 1. prolixe quoque tradit, oportere Chriſtum ante noſtrum fieri per veram fidem, quæ ſine affectu pietatis ac reſipiſcentia eſſe nequit, quam fructum paſſionis atque obedientiæ ipſius pro nobis præſtitæ reipſa participemus. Porro dum ſic doceo, non ſtatuo pœnitentiam aut fidem partem juſtificationis; ſed ex S. Literis & rei ipſius natura oſtendo, illam eſſe conditionem neceſſario antecedentem, videlicet ordine naturæ, non tempore: ne quis exiſtimet (quod præcipue hic ſpectandum eſt) ſe, licet in impœnitentia perſeveret, verâ tamen fide præditum, atque ita fructus ex meritis Chriſti proficiſcentis participem eſſe poſſe. Hæc declaratio ſententiæ meæ, ſpero, vobis abunde ſatisfaciet hac in parte: atque ita velim accipi mea illa verba, *nemo poteſt juſtificari abſque converſione*; Item, *nemo poteſt ſervari abſque ſtudio bonorum operum*: Indicatur enim hiſce phraſibus ordo ille cauſarum ſalutis, in quo efficax vocatio ad fidem & pœnitentiam præit juſtificationi, ſicut hæc præit glorificationi, *Rom.* VIII. Interim fateor, poſt ſenſum juſtificationis, & fidem & ſtudium pietatis indies in nobis augeſcere. Quo ſenſu accipio etiam P. Martyrem & alios, qui alicubi docent, pœnitentiam ſeu converſionem eſſe juſtificatione poſteriorem, videlicet pleniorem illam & quotidie proficientem converſionem. Alioqui neceſſe eſt, initium converſionis ſive affectum ſaltem & ſtudium pietatis anteire: quum nemo juſtificari aut Deo placere poſſit, quamdiu plane expers eſt ſpiritus Chriſti, & quamdiu in carne vivit. Reclamat enim præter univerſam Scripturam ipſa manifeſta ratio, docens nimirum, eos qui Chriſti non ſunt, fructus obedientiæ Chriſti participare non poſſe. Non ſunt autem Chriſti, qui carnem non crucifixerunt, quique præcepta ejus nondum, animo ſaltem & affectu, obſervant. Hoc igitur ſic definitum eſto. Ep. 35.

Beza

Quod ad modum Satisfactionis Chriſti attinet, hactenus, niſi fallor, conſentimus, Chriſtum totâ ſuâ obedientiâ vitæ & mortis divino judicio pro nobis dependiſſe. Sed de morte ipſius quæritur, ſitne dicenda æterna, an temporaria. Hic, quæſo, mittamus inanes logomachias: rem autem ipſam diligenter inſpiciamus. Nego Chriſtum ſuſtinuiſſe mortem æternam: viciſſe autem atque aboleviſſe fateor & glorior. Rationes negationis hæ ſunt. 1. In S. Literis velut contraria opponuntur æternum & temporarium 2 *Cor.* IV. in fine. At Chriſti mors fuit temporaria, videlicet triduana. Non igitur fuit æterna. Dicitis, ſuſtinuiſſe quidem mortem æternam, non tamen æternum. At diſtinctio hæc ſecum videtur pugnare. Non enim eſt alia mors æterna, niſi quæ durat æternum. 2. In morte æterna reproborum excellunt deſperatio & ſimiles pœnæ. Has autem non ſuſtinuit Chriſtus. Ergo non ſenſit æternam mortem & univerſas damnatorum pœnas. Diſtinguitis inter eas pœnas quæ ſimul peccata ſunt, quas à Chriſto recte removeris, & eas quæ tantum pœnæ ſunt, quas omnes ei adſcribitis. Sed primum hæc diſtinctio ſatis oſtendit, non omnes reproborum pœnas Chriſto attribui poſſe: quod tamen aliqui faciendum eſſe contendunt. Deinde deſperatio per ſe non eſt peccatum, etiam cum pœnæ rationem habet; cum videlicet homo de eo deſperat, cujus nullam ſpem ſibi à Deo conceſſam eſſe optime novit. Quare ut ſpes, ſic & deſperatio, inter affectus adiaphoros per ſe numerari debet: licet alioqui per accidens non modo pœna peccati antecedentis, verum & cauſa vel occaſio multorum ſequentium peccatorum ſæpe exiſtat. Unde apparet, ne quidem omnes eas pœnas, quæ tantum pœnæ ſunt, à Chriſto revera guſtatas fuiſſe; ac proinde conſultius nos facturos, ſi cum S. Literis dicamus, Chriſtum ſuâ temporali morte viciſſe ac deſtruxiſſe mortem æternam; ſuâ temporali maledictione, quam in cruce ſuſtinuit, itemque temporali ſuâ paſſione, aboleviſſe æternam condemnationem in lege nobis denunciatam, ſi modo in ipſum credimus: quæ omnia 1 *Cor.* XV. *Gal.* III. *Heb.* II. & alibi, clare traduntur. Atque huc tendit explicatio meæ ſententiæ, in qua dicitur, æquipollentiam tantum æternæ mortis & omnium pœnarum nobis ex rigore legis debitarum, non autem rei ipſius identitatem, eſſe in paſſione & morte Chriſti quærendam: æquipollentiam autem illam eſſe æſtimandam,

11. Chriſtus ſua morte vicit atque abolevit æternam mortem, non tamen ipſam æternam mortem ſuſtinuit.

d by Google

Ep. 35. partim ex ſumma perſonæ patientis dignitate atque infinita majeſtate, partim ex liberali & gratioſa Dei Patris acceptatione. Sic enim omnia erunt expedita & plana, nec calumniis aliorum obnoxia erit hac in parte Eccleſiarum noſtrarum doctrina, nec denique opus erit ad varias & ſecum pugnantes diſtinctiones confugere. Sed objicitis, Chriſtum ſuſtinuiſſe eam ipſam mortem, quam Deus homini propter legis tranſgreſſionem fuit comminatus, & in qua nobis æternum fuiſſet manendum, niſi ab ea redemti eſſemus. Reſpondeo, hic manifeſte peti principium. Nam id ipſum eſt, quod à me negatur; quippe quod nullo modo in Chriſto factum eſſe apparet, imo quod in ipſo fieri nec potuit nec debuit. Etenim vos quoque fatemini, mortem perpetuo duraturam nobis à Deo propter legis tranſgreſſionem fuiſſe pœnæ loco conſtitutam: quam certe Chriſtus ipſe non ſuſtinuit, quippe qui victor ex mortuis emerſit; nec proprias damnatorum pœnas in ſua perſona eſt expertus. Simile quod afferitur à carcere, prorſus diſſimile eſt. Nullus enim debitor, quà debitor eſt, perpetuo carceri adjudicatur, ſed quà ſolvendo non eſt. Quare ſi perpetuo manet in carcere, id ex accidenti eſt. At nos ex ſententia legis, quatenus eam ſumus tranſgreſſi, jam æternæ morti mancipati ſumus. Neque lex ullo modo permittit, ut iſto nexu unquam ſolvamur; niſi Deus præter legem ex mera miſericordia nos abſolvat, acceptans loco noſtræ ſolutionis obedientiam Jeſu Chriſti Filii ſui dilectiſſimi. At ſic non erit legi ſatisfactum, neque nos erimus ab æterna morte liberati. Reſpondeo, legi ſatisfactum eſſe abunde, quia Deus id, quod Chriſtus pro noſtra ſalute fecit ac paſſus eſt, ſatis eſſe judicavit ad compenſandum omnes pœnas nobis ex legis rigore debitas. Et nos vere ſumus redemti ab æterna morte, quia Chriſtus ſatis magno pretio (non modo æquipollente, ſed etiam præpollente) nos inde liberavit, videlicet pretioſo corporis ſui ſacrificio. Videtis ergo, Reverendi viri, nihil eſſe abſurdi in ea ſententia, quæ ſtatuit, Chriſtum ſuâ triduanâ morte ſuaque illa paſſione, quæ nihil habuit commune cum propriis damnatorum pœnis, nos ab æterna morte ſeu maledictione vere aſſeruiſſe. Spero igitur, vos una mecum in hac S. Scripturæ ſimplicitate acquieturos, nec contrariam ſententiam, præſertim quum nullo S. Literarum teſtimonio, nulla etiam firma ratione ſtabiliri poſſit, deinceps, ſaltem ut creditu neceſſariam, eſſe defenſuros. Atque hæc de modo.

III. *Deus abſolute poteſt peccata condonare abſque omni prorſus ſatisfactione à quoquam accepta.*

De neceſſitate Satisfactionis hactenus conſentimus, quod vos una mecum agnoſcitis, Deo non defuiſſe alium poſſibilem modum miſeriæ noſtræ ſanandæ, præter Chriſti Satisfactionem: & viciſſim ego vobiſcum agnoſco, Satisfactionem à Chriſto præſtitam ex hypotheſi divini decreti fuiſſe neceſſariam. Hoc tantum quæritur, an Deus ſimpliciter in natura ſua conſideratus (hoc eſt citra conſiderationem divini decreti) peccatum abſque omni prorſus ſatisfactione condonare poſſit, necne poſſit. Quæſtio & utilis & ſuo loco neceſſaria eſt, ac proinde à magnis viris tractata, Auguſt. l. 13. de Trinit. c. 10 &c. Lombardo l. 3. diſtinct. 20. Aquinate parte 3. quæſt. 46. art. 1. & 2. aliiſque Doctoribus Scholaſticis, qui omnes uno ore affirmativam ſententiam tuentur. Ratio eorum præcipua ducitur à liberrima Dei poteſtate & juſtitia. Inquit enim Auguſtinus loco jam citato, *idcirco non defuiſſe Deo alium poſſibilem modum nos liberandi, quia cuncta ejus poteſtati ſubjacent æqualiter:* licet ſtatim addat, *non fuiſſe alium modum ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientiorem.* Aquinas certe, qui hauddubie mentem Auguſtini recte hic intellexit, diſerte docet, *Deum abſque omni prorſus ſatisfactione, ſi velit, peccata poſſe condonare: quum nulla ſit in Deo proprietas eſſentialis, quæ omnino diſtet quodvis peccatum eſſe puniendum, quumque ea juſtitia, quæ ſatisfactionem exigit, à libera Dei voluntate pendeat, hoc eſt, effectum ſit divinæ voluntatis, nempe jus quoddam à Deo libere conditum ac conſtitutum.* Sic recentiores Theologi hac de re docent, Calvinus lib. 2. Inſt. c. 12. ſect. 1. & c. 17. ſect. 1. Martyr, in locis claſſe 2. cap. 17. de morte Chriſti, Muſculus tit. de gratia Dei, tit. de juſtific. c. 3. & tit. de libera Dei poteſtate: denique Zanchius l. 4. de natura Dei c. 5. quæſt. 2. Quorum hæ ſunt præcipuæ rationes. 1. Deo non minus licet, quam nobis. Licet autem nobis injurias abſque omni prorſus punitione condonare. Ergo multo magis Deo licet. 2. Nullus externus effectus naturali neceſſitate à Deo emanat. Punire autem aliquem ob peccata, aut peccatori parcere, eſt effectus Dei externus. Non igitur naturali neceſſitate à Deo emanat. Sic enim Muſculus (qui unus inſtar omnium hic eſt) diſerte docet, Deum poſſe libere ac licite de jure ſuo quantum vult dimittere, quum id quilibet Princeps ac Dominus in rebus ſuis jure facere poſſit. Idem clare teſtatur in commentario ad *Pſal.* LXVII. par. 2. Deum non iraſci naturaliter, ſed per occaſionem, ut mali puniantur: bonum vero eſſe naturaliter, &c. Sed excipitis, eximios illos viros loqui τῇ τι (*ſecundum quid*) de condonatione peccatorum, quam Deus liberrime præſtat electis in Chriſtum credentibus; non autem ἁπλῶς (*ſimpliciter*) de condonatione abſque omni prorſus ſatisfactione. Reſpondeo, primum de Aquinate nullo modo negari poſſe, quin ἁπλῶς, non ſecundum quid, ſit locutus. Quod ad alios attinet, ſi rationes ipſorum conſiderentur, apparebit, eandem fuiſſe ipſorum quæ Aquinatis ſententiam. Si enim (quod vos ipſi fatemini) ſenſerunt, potuiſſe nos à miſeria noſtra liberari abſque Chriſti ſatisfactione, ſequitur eos ſenſiſſe, Deum abſque omni prorſus ſatisfactione peccata nobis condonare potuiſſe. Ratio eſt, quia nulla prorſus alia ratio fuit,

Ep. 35. fuit, quâ liberari poſſemus, præterquam ſatisfactio, vel noſtra, vel alterius alicujus pro nobis, videlicet Chriſti. Atqui jam conceſſum eſt, citra Chriſti ſponſoris noſtri Satisfactionem, potuiſſe nobis peccata ignoſci, vel quod idem eſt, potuiſſe nos à reatu peccatorum liberari. Conſequitur igitur, citra omnem prorſus ſatisfactionem potuiſſe nos à reatu liberari. Quod ſi conſequi negaveritis, oſtendenda igitur vobis erit tertia aliqua ratio ſatisfaciendi, quæ nulla prorſus eſſe poteſt. Itaque videtis, ex veſtra etiam conceſſione neceſſario concludi, Deum poſſe peccatores abſolvere abſque omni prorſus ſatisfactione. Atque hæc ratio una eſt pro mea ſententia, quæ ex Calvino & Martyre ducitur. Ex Muſculo autem inprimis urgeo argumentum illud à minore ſumtum: quod videlicet Deo omnium rerum Domino ſemper liberum ſit de ſuo jure dimittere quantum vult, quia id nobis hominibus licet in remittendis debitis ac condonandis injuriis. Nec video, quid hactenus ad argumentum illud reſponderi poſſit. Si quis enim dixerit, idcirco id Deo non eſſe liberum, quia repugnet ipſius naturæ: manifeſta erit principii petitio, ſicut paulo poſt amplius dicetur. Poſtremo ex Zanchio urgeo illud, quod juſtitiam punientem in Deo liberam eſſe docet. Si enim libera eſt, non eſt igitur Deo naturalis ſive eſſentialis: quum conſtet, eſſentialia in Deo eſſe ſumme & abſolute neceſſaria. Non enim potuit Zanchius hic eam libertatis ſpeciem intelligere, quæ coactioni aut violentiæ opponitur: quia nihil ad rem pertinuiſſet, quum manifeſtum ſit, omnes Dei proprietates ſic in Deo eſſe & operari, ut ab omni coactione ſint immunes. Intellexit igitur libertatem, quæ neceſſitati naturali opponitur: ſic & l. 3. c. 4. quæſt. 6. & 7. & 8. prolixe docet, Deum quæcunque extra ſe vult & agit, ita libere velle & agere, ut poſſit vel aliter vel omnino non velle & agere. Nam propterea etiam loco prius citato diſertè inquit, Deum poſſe aliquem præter legem abſolvere, vel etiam mitius quam lex requirit caſtigare: quum non ſit juratus judex, ſed liberrimus Dominus. In ſumma docet, Deum non eſſe adſtrictum huic judiciariæ juſtitiæ (ut eam Muſculus appellat tit. de gratia Dei) ſed poſſe libere ac licite, modo velit, aliquem, cui poena debetur, præter legem abſolvere ac ſervare. Nec refert, quod idem Zanchius docet, etiam hanc Dei juſtitiam eſſe naturalem ejus proprietatem. Nihil enim vetat, quin ipſe hic à veritate aberraverit, quam illic diſerte aſſeruit. Nam idem alibi quoque ſibi non obſcure contradicit, cum iram Dei modo facit eſſentialem Dei proprietatem (id quod Muſculus in *Pſal.* LXVII. & alibi recte una cum aliis negat) modo docet eſſe liberum duntaxat ipſius effectum. Ut hinc obiter diſcamus, etiam maximorum virorum ſententias ad Dei verbum & rectam rationem examinare. Sed video, quomodo hic mihi occuratis. Quæritis nimirum ex me, cum in Catecheſi Heidelbergenſi dicitur, vult Deus ſuæ juſtitiæ ſatisfieri, quam juſtitiam illic intelligam, eamne quæ eſt in Deo, quam vos dicitis eſſe Deo naturalem, an eam quæ eſt extra Deum; & ſi hanc intelligam, quæritis, quænam illa & ubi ſit? Reſpondeo, intelligere me juſtitiam quæ in Deo eſt quoad decretum ſeu conſtitutionem, extra Deum quoad promulgationem atque exſecutionem: quam Muſculus appellat juſtitiam judiciariam, alii retributivam, alii punientem aut vindicativam, alii generali nomine proæreticam, quia pendet à libera Dei proæreſi ſeu voluntatis ipſius determinatione. Hanc dico eſſe in Deo quoad decretum: quia Deus libere apud ſe decrevit, peccata pœnitentibus quidem condonare, in impœnitentibus autem graviter ulciſci. Eandem dico eſſe extra Deum, quoad promulgationem & exſecutionem; quia Deus hoc ſuum decretum tanquam legis appendicem (intelligo hic potiſſimum decretum puniendi) extra ſe nobis patefecit, idque reipſa ſubinde exequitur. Quod ſi igitur definitionem requiritis hujus juſtitiæ, hæc eſto: Juſtitia proæretica ſeu judiciaria eſt juſtum Dei decretum in lege promulgatum, quo Deus apud ſe conſtituit omnes ſuæ legis tranſgreſſores æterna morte mulctare. Non diſcrepat igitur hæc juſtitia Dei (quanquam in S. Literis nunquam juſtitia, ſed vindicta, ira aut ſeveritas Dei appellatur) ab æquitate ipſius eſſentiali; nec tamen eadem eſt cum hac naturali Dei æquitate: ſicut nullus Dei effectus à proprietatibus ipſius diſcrepare vel diſſidere poteſt (quum Deus nihil præter aut contra ſuas proprietates, hoc eſt ſuam ipſius naturam agere poſſit) nec tamen idem eſt effectus Dei externus quod Dei proprietas. Voco autem externum Dei effectum, quicquid ipſe facit quod non ad ipſum neceſſario ſed ad extra refertur: quum decreta Dei, quæ ante ſæcula ipſe apud ſe definivit, externi ſunt ipſius effectus. Neque vero hinc ſequitur, ſi iſta decreta non ſunt ipſe Deus, vel ipſa Dei eſſentia, fore Deum compoſitum, aut fore in ipſo aliud & aliud. Nam aliter in Deo ſunt naturales ipſius proprietates, aliter libera decreta: quum illæ quidem non poſſint non eſſe in Deo, hæc poſſint non eſſe: & illarum tantum reſpectu Deus ſimpliciſſimus intelligatur, non horum conſideratione; quippè quæ nihil ad Dei naturam pertinent, & ſine quibus Deus eſſe poſſet, ſi vellet. Exemplo rem declaro. Dicitur nos Deus elegiſſe ante ſæcula, & gratiam nobis in Chriſto dediſſe, *Epheſ.* I. 2 *Tim.* I. Quæritur, an hoc decretum eligendi non fuerit in Deo, atque etiam nunc ſit? Negari non poteſt. Nec fuit tamen unquam, neque erit unquam ipſa Dei eſſentia. Ratio manifeſtiſſima hæc eſt: quia potuiſſet Deus illud decretum vel aliter, vel omnino non definire, atque ita ſine illo decreto eſſe; ſine eſſentia autem ſua ne cogitari quidem poteſt. Et quis dicat, eſſentiam Dei nobis fuiſſe datam ante ſæcula? ſicut gra-

Ep. 35. gratiam nobis datam fuiſſe conſtat, quæ certe nuſquam tunc niſi in mente, ſeu voluntate, hoc eſt libero decreto atque ordinatione, Dei exiſtere potuit. Ex quibus tandem apparet, nullam eſſe in Deo eſſentialem juſtitiam, vel aliam proprietatem, quæ ſimpliciter exigat punitionem ob peccata; ſed omnem neceſſitatem luendæ pœnæ, ſive in nobis ipſis, ſive in alio aliquo, pendere à ſolo Dei beneplacito ſive ordinatione; juſtâ quidem illâ, ſicut etiam ſapiente, potente & bonâ, attamen liberâ. Nam ſi Deus aliud hac de re decretum feciſſet, id quoque, licet priori contrarium, juſtum fuiſſet & bonum. Non enim quidquid juſtum eſt etiam apud Deum, ſtatim eſt juſtitia Dei eſſentialis: quum ſæpe contraria ſint Dei effecta etiam in eodem genere objectorum (verbi gratia, quod ex eodem genere hominum peccatores alios punit ac perdit, aliis ignoſcit ac parcit, alios eligit, alios rejicit &c.) quæ tamen omnia juſta ſunt; eſſentialis autem juſtitia Dei ſibi ipſi contraria eſſe non poſſit. Dicamus igitur quod res eſt, Deum ſine violatione ſuæ naturæ aut naturalis juſtitiæ poſſe peccata condonare abſque ulla prorſus punitione: quibus autem & quatenus condonare velit, ex ipſius verbo diſcendum eſſe. Habet enim (ut Lactantius inquit de ira Dei cap. 19.) licentiam ignoſcendi; neque hanc ſibi ademit, cum legem poneret; neque eſt inſtar judicis alicujus terreni, qui de alieno jure diſceptat; ſed abſolutus eſt Princeps & Dominus omnium rerum, quibus uti vel non uti poteſt ſuo arbitratu. Neque vero hæc ſententia propterea damnari debet, quod Deſyderius ille, aut alii hæretici eâ ad ſtabiliendas ſuas opiniones abutuntur: ſed potius illorum aſyllogiſticæ ſunt oſtendendæ, atque ex Dei verbo refutandæ. Veſtræ profecto rationes, clariſſimi viri, quas in contrarium aſſertis, parum aut nihil potius firmitatis habere videntur. Objicitis 1. Deum ſuâ naturâ odiſſe atque averſari peccatum, nec ferre illud unquam poſſe. Reſpondeo ita eſſe, non tamen hinc ſequi, Deum ex naturæ neceſſitate quodvis peccatum punire. Nihil enim vetat, quin peccatum ſerio Deus averſetur, ipſi tamen peccatori clementer ignoſcat: quia ex odio peccati non neceſſario ſequitur odium ac punitio peccantis: ſicut quotidie pii parentes, præceptores ac magiſtratus, hunc affectum in ſe ipſis erga ſuos ſubjectos experiuntur. Itaque recte Savonarola in *Pſal.* L I. præcatur, ne Deus continuo nos odio habeat, licet peccatum in nobis oderit. Porro ignis conſumens dicitur Deus, quia inſtar ignis tandem conſumit omnes impœnitentes, non autem quod naturaliter quodvis delictum puniat. 2. Dicitis impotentiæ argumentum eſſe, peccata poſſe condonare abſque ſatisfactione. Reſpondeo, hoc potentiæ & poteſtatis ſive authoritatis indicium eſt, poſſe injurias aliis pure condonare, & de ſuo jure, quantum quis velit, dimittere. Non peccata condonare, ſed peccata admittere, vel ſaltem approbare, impotentiæ eſt. Ep. 35. Sed Deus peccata condonando neque ipſe peccat, neque peccata approbat; ſed gratioſe pro ſua poteſtate ignoſcit ac tegit. Itaque non mea, ſed contraria ſententia contradictionem continere videtur. Hæc enim ſtatuit, Deum, licet poteſtatem habeat in omnia ſua opera, non habere tamen poteſtatem de jure ſuo, quod ſibi adverſus peccatores acquiſivit, dimittendi. Hoc autem perinde eſt, ac ſi quis diceret, ſupremum Dominum non eſſe ſupremum Dominum. 3. Dicitis, condonationem illam abſque omni prorſus ſatisfactione repugnare voluntati Dei *Exod.* X X. &c. Reſpondeo, hoc facile concedi, ſed eſſe extra quæſtionem: quum tantum quæratur de poteſtate & juſtitia, non de voluntate & decreto Dei; ſive quid jure poſſit, non quid velit Deus, quippe quem conſtat plura poſſe quam velit. 4. Additis, profanitatem & licentiam peccandi ex mea ſententia facile orituram. Reſpondeo, nihil hic eſſe periculi, ubi docetur, Deum nolle impœnitentibus peccata condonare, ſed eos potius graviter ulciſci. Nemo autem recte argumentabitur à poſſe ad eſſe. Quæ præterea objicitis tanquam abſurda ſententiam meam conſequentia; vel abſurda non ſunt, vel ex illa ſententia nullo modo ſequuntur: ſicut vos ipſos, poſtquam hæc mea penitus examinaveritis, animadverſuros plane confido. Quod reliquum eſt, venerandi viri fratres in Domino colendi, iterum vos oro atque obteſtor, ut hanc ſcriptionem meam candide interpretari, &, ſi adhuc errare in hoc argumento vobis videar (quod tamen ſine periculo ſalvificæ fidei fore omnino mihi perſuadeo) errorem illum firmis rationibus & ſacris oraculis eripere mihi velitis; meque pacis & concordiæ in Domino colendæ cupidiſſimum, inutilium autem diſputationum & rixarum inimicum, fraternâ charitate complecti, denique veſtra eruditione & pietate me doctiorem & meliorem reddere ne dedigneminì. Ita vobis omnibus Deum propitium precor, qui veſtris ſanctis laboribus cumulate benedicere pergat. Steinfurto Calendis Sept. Anno 1599.

XXXVI.

XXXVI.

EPISTOLA

Præfixa Confeſſioni quorundam Anglorum in Belgio exulantium.

Illuſtriſſimis & doctiſſimis Viris, Sacrarum Literarum Studioſis, in celeberrimis Lugduni Batavorum, Sanctandreæ in Scotia, Heidelbergæ, Genevæ, cæteriſque Belgii, Scotiæ, Germaniæ, Galliæ Academiis Chriſtianis,

Angli in Inferiori Germania exulantes, Gratiam & pacem in Chriſto Jeſu.

VEram hanc fidei noſtræ Confeſſionem, S. Scripturæ (noſtro quidem judicio) omnino conſentientem, omnibus diſcutiendam exhibemus; vobis verò (illuſtriſſimi viri) duabus de cauſis dedicamus. Primum, quia vos noverimus poſſe, pro ſingulari veſtra in Scripturis intelligentia, & ſperamus velle, pro ſyncera veſtra pietate, ſicubi à nobis erratum ſit, errores noſtros verbi divini luce coarguere. Deinde, ut teſtimonium iſtud Chriſtianæ fidei, ſi cum verbo veritatis conſentire vobis etiam videatur, à vobis vel ſilentio vel ſcripto (prout viſum fuerit) comprobetur.

Audaces forſan videbimur, qui quum apud omnes contemptui habeamur, vos tamen tot tantoſque viros interpellare non dubitemus. Sed hoc fecimus, partim aliorum rogatu quibus id negare noluimus, partim veritatis veſtra ope magis tuendæ & propagandæ ſtudio, partim exilio aliiſque calamitatibus noſtris penè infinitis adacti, partim denique patriæ noſtræ nativæ harumque regionum (in quibus nunc degimus) & reliquarum omnium amore accenſi: optantes ut recto pede omnes ad veritatem Euangelii incedant; Deumque quotidie precantes, ut magnum illud Religionis & Eccleſiæ collapſæ inſtaurandæ opus, quod poſtremis hiſce temporibus per Sereniſſimum noſtræ regionis Principem cæteroſque harum ætatum & regionum Gubernatores ac ſervos ſuos feliciter inchoavit, plenè perficiat, ad Nominis ſui gloriam, & electorum ſuorum (ubivis terrarum) ſalutem in Chriſto ſempiternam.

Quæ verò cauſæ nos impulerint, ad Confeſſionem hanc fidei publice edendam, & Eccleſiam Anglicanam (prout nunc ſe habet) deſerendam, eas vere & quàm potuimus breviter, in Præfatione, quæ ſequitur, ad Lectorem, deſcripſimus: ideoque earum repetitione hîc ſuperſedendum cenſuimus. D. Jeſu vos veſtraſque Academias, ad Nominis ſui laudem, bonarum literarum decus, puræ Religionis propagationem & defenſionem, diutiſſime ſervet incolumes. Amſterodami in Inferiori Germania. Anno ultimæ patientiæ ſanctorum, 1598. Ep. 36.

Præfatio eidem Confeſſioni præmiſſa.

MIrum videri poteſt (Chriſtiane Lector) ex Anglis ullos eo adactos eſſe, ut veritatis Euangelii cauſa, natale ſolum relinquere, & in exilium abire cogantur: his præſertim diebus, quando Euangelium in illa regione jam diu cucurriſſe & floruiſſe videatur. Et certè hoc nomine plurimi de exilio noſtro ſiniſtre judicarunt, nonnulli malè loquuti ſunt, qui tamen ignorant (ut videtur) quæ ſit Eccleſiæ Anglicæ conſtitutio, quæve nobis ab eadem ſeparationis diſceſſionisque cauſæ: ſed quum audierint tantum, ab omnibus ubique huic (ut nuncupatur) [a] ſectæ contradici, ipſi etiam (abſque omni ulteriori diſquiſitione) nos tanquam hæreticos, vel ad minimum ſchiſmaticos, damnarunt & traduxerunt. Imo & aliqui (quos minime omnium decuit) afflictionum noſtrarum pondus etiam in his regionibus aggravare tentarunt: idque tum ſecreto tum aperte moliti ſunt. Iſtud Satan prioribus noſtris ærumnis accumulavit, omnem nobis quietem ubivis terrarum invidens, ideoque non ceſſat [b] bellum gerere cum reliquiis ex mulieris ſemine obſervantibus mandata Dei & habentibus teſtimonium Jeſu Chriſti. Verum Dominus ille Deus qui [c] priorem ſuum Iſraëlem eduxit ex Ægypto, quumque itarent à gente in gentem, à regno in populum alium, non permiſit cuiquam eos opprimere, etiam reges propter eos reprehendit; idem adhuc vivit ut cauſam tueatur afflictorum ſuorum ſervorum, quos ipſe ſegregavit & quotidie colligit è mundo, ut ſint ei [d] genus electum, regale ſacerdotium, peculium Iſraëlque Dei: ipſe eſt nobis receptus & robur, auxilium in anguſtiis præſentiſſimum: ipſe [e] alarum ſuarum umbra nos abſcondet, & ſub pennis ipſius erimus ſecuri, donec hæ tranſiverint ærumnæ.

[a] Act. 28. 22.
[b] Apoc. 12.
[c] Pſal. 105. 13. 14.
[d] 1 Pet. 2. 9.
[e] Pſal. 46. 1.

Et quamvis (nos ipſos quod attinet) hoc Chriſti opprobrium taciti ferre poſſemus, cauſa noſtra ei commiſſa qui juſte judicat filios hominum: tamen ut Dei veritas (quantum in nobis eſt) ab hominum calumniis aſſeratur, aliique in eandem Euangelii cognitionem & communionem nobiſcum adducantur, neceſſarium putavimus noſtrique officii, coram omnibus profiteri, quæ ſit fides religioque noſtra in Deum; quæ erga Regiam Majeſtatem cæteroſque Magiſtratus omnes nobis in Domino præpoſitos obſervantia & fidelitas; quæ denique cauſæ nobis fuerint, Miniſterium, cultum, Eccleſiamque Angliæ deſerendi. Quod non eſt à nobis factum (uti fer-

Ep. 36. tur) propter pauculos quosdam nævos & corruptelas: cujusmodi in Ecclesiis rectissime constitutis (quamdiu in terris degunt) subinde reperiundas non dubitamus: & quorum nomine nulli membro licere putamus, aggregationem Ecclesiæ mutuam derelinquere, sed omnes potius pro vocationis suæ ratione omni diligentia studioque in hoc eniti debere, ut talia corrigantur & emendentur: idque tamdiu expectare & promovere quoad vel remedium sequatur, vel morbus evaserit insanabilis & candelabrum loco moveatur. Veruntamen quum Dei gratia & verbo edocti simus *a* purum Dei cultum ab Antichristiana leiturgia, verum Christi ministerium ab Antichristiano sacerdotio & præsulatu, fœderis Christi sanctiones à canonibus pontificiis discernere: didicimus etiam *b* quod malum est rejicere, quod bonum deligere, è Babylone (terra captivitatis nostræ) exire, & ad Sionem (montem sanctitatis Domini locumque ubi habitat) proficisci.

Apoc. 2.5.
a 2 *Cor.* 6. 14. *&c.* *Psal.* 94.20. 2 *Thess.* 2. 4.
b *Psal.* 37. 27. *Jer.* 51. 6. *Apoc.* 18. 4. *&* 14. 1.

Sed te primum hoc scire & meminisse rogamus (Lector benevole) nos propter civilem statum & administrationem Reipub. quam valde probamus & diligimus, ab Ecclesia illa non separasse: nec unquam abjecisse fidem & officium augustissimo & serenissimo patriæ nostræ Principi, honoratissimis ipsius Consiliariis, cæterisque magistratibus debitum: sed amorem, honorem, reverentiam & obedientiam in Domino iis singulis præstitisse, & semper præstituros esse: etiam cum vitæ dispendio nos ipsos ubique opponentes adversus hostes omnes, tum exteros tum domesticos, & adversus seditiones, insurrectiones, proditiones & conjurationes quascunque, quæ vel in sacram Regiæ Majestatis personam, vel in fælicem Reipub. statum, à quibuscunque tentatæ fuerint. Imo adversarii ipsi, quos habemus multos & immanes, nunquam tamen potuerunt hoc nomine vel tantillam nobis infidelitatis notam inurere. Et quamvis jam in exilium pulsi simus, quotidie tamen pro Regia Majestate regnique totius salute, pace & prosperitate precamur & precabimur.

Quod autem accusamur, ac si Magistratus officium nobis arriperemus ad religionis corruptelas quæ in patria nostra supersunt reformandas, mera est & malitiosa calumnia, quam adversarii nostri ex animo suo commenti sunt. Plane contrarium semper professi sumus, nec quicquam hujusmodi tentavimus unquam aut cogitavimus. In hoc solum incumbimus, ut nos ipsos nostramque vitam ex verbi Dei præscripto corrigamus, ab omni malo abstinendo, & mandata Jesu Christi observando. Suppressionem vero & ejectionem omnium illarum idololatriæ reliquiarum, Magistratibus, quorum interest, relinquimus.

Deinde hoc testamur & apud omnes constare cupimus, nos à nullo articulo veræ antiquæ Catholicæ & Apostolicæ fidei, quam nostrates profitentur, desciviſſe; sed eadem cum ipsis Christianæ religionis capita & fundamenta retinere: consentire etiam in istis cum Belgica, Scotica, Germanica, Gallica, Helvetica, cæterisque hic illic Christianis & orthodoxis Ecclesiis: quarum Confessiones in lucem editas (& cum articulis fidei nostræ subsequentibus collatas) testes citamus Consensionis nostræ cum ipsis, in rebus omnibus majoris momenti. Ep. 36. *Harmonia confessionum fidei.*

His præmissis, restat ut dicamus quæ sint illæ res, de quibus inter nostrates & nos contenditur: & propter quas Ecclesiam Anglicanam ejusque cathedrales & parochiales (ut vocantur) conventus improbamus & deserimus. Ea autem (ut verbo dicamus) sunt, reliquiæ multæ illius Hominis peccati (quem expulisse videri volunt) retentæ adhuc apud eos, & elata manu propugnatæ, suffultæ, impositæ: Quas figillatim singulas recensere non possumus (sunt enim fere infinitæ, esſetque tibi, Lector, molestum nimis & injucundum:) Summa tamen earum capita vere proponemus, eaque tam breviter quam in materia tam vasta & confusa poterimus.

Primo, quum plantaretur & constitueretur Ecclesia illa (ineunte regno Elisabethæ Reginæ) simul recepti erant in Ecclesiæ corpus ut ipsius membra quotquot erant illius regionis incolæ, quorum tunc maxima pars constabat ex Papistis manifeste notis, qui defecerant à professione ipsorum edita diebus Edowardi Regis beatæ memoriæ, magnamque vim sanguinis effuderant Christianorum martyrum, regnante Maria. Hic populus, etiamnum perdurans in hoc nefario miserrimoque statu, in idololatria, cæcitate, superstitione, omnique impietate, absque ulla resipiscentiæ professione, imo absque mediis huc conducentibus (nempe divini verbi prædicatione præcunte) sola vi legumque authoritate coactus erat & in Ecclesiæ corpus adunatus, ipsorum liberi baptizati, ipsique ad cœnam admissi & impulsi; hoc ministerio, hoc cultu (quo nunc fruuntur) iis impositio: à quo tempore in hunc usque diem ipsi una cum semine suo in eodem hoc statu permanserunt, unum constituentes corpus, quod vulgo dicitur Ecclesia Angliæ. Hic nemo repellitur aut excluditur, ne ii quidem qui maxime sunt impii & scelerati: sit atheus, sit adulter, sit fur, sicarius, mendax, veneficus, præstigiator, sit omnium scelerum flagitiorumque sentina, ex omnibus tamen fit unum corpus, una fraternitas, Ecclesia una.

Scrutemur jam & consulamus legem Dei: inde constabit, istiusmodi non esse *a* aptos lapides ad Dei domum spiritualem constituendam, nec membra idonea & convenientia glorioso Christi corpori. Non est in *b* Ecclesiam adultus quisquam admittendus, nisi fidei, resipiscentiæ, & submissionis spontaneæ in Euangelium Christi ejusque sacrosanctas constitutiones, ingenuam liberamque professionem prius ediderit: nec in ea quisquam *c* diu-

a 1 *Pet.* 2. 5. *Jer.* 51. 26.
b *Act.* 2. 38. 40. 41. *&* 8. 36. 37. *&* 15. 9. *Joh.* 10. 3. 4. 5. *Isa.* 35. 8. 9. *&* 44. 5. *&* 54. 13. 2 *Cor.* 9. 13. *Psal.* 110. 3.

Ep. 36. c diutius retinendus, quam fidei fructus proferat, incedens uti dignum eſt Euangelio Chriſti. Chriſtus d ſuos ſervos è mundo vocat & ſegregat: quomodo igitur poterit confuſa iſta & miſcellanea turba cenſeri Eccleſia Dei rite collecta, verè plantata, rectèque conſtituta?

c Joh. 15. 2. 5. Matt. 18. 15. 17. Luc. 13. 46. Act. 19. 13. d Joh. 15. 19. & 17. 14. 16. Matt. 3. 12. Luc. 20. 24. 26. 1 Joh. 4. 5. 6.

Deinde, prout retinebant ſine ullo diſcrimine in Eccleſiæ ſuæ corpore univerſam Papiſticæ multitudinis colluviem: ita ſibi impoſitum habent eundem (ut æquum erat) papiſticum e Clerum & Præſulatum, quem primum à Romana apoſtaſia acceperant, quemque hodie in Papiſticis Eccleſiis eſt videre: nempe Archiepiſcopos, Primates, Pontifices ſeu Pontificales Epiſcopos, Metropolitanos, Suffraganeos, Archidiaconos, Decanos, Canonicos, Commiſſarios, & ejuſdem farinæ reliquos, quiiſtius Eccleſiæ conventus omnes, juxta papales canonas, ritus & conſuetudines regunt & gubernant. Penes hos eſt poteſtas & authoritas, Injunctiones pro arbitrio ſuo ſtatuendi, Miniſtros creandi & deponendi, ſacerdotes pariter & populum excommunicandi: id quod etiam bene & gnaviter faciunt, ubi quod poſtulant ſervitutis & ſubmiſſionis quavis in re non exhibetur. Hi authoritatem tam civilem quam eccleſiaſticam obtinent, regnandi inſtar principum in Eccleſia, vivendi inſtar procerum in Republica, puniendi, incarcerandi, ad mortem uſque perſequendi omnes qui contra nequiſſima eorum facinora vel hiſcere audebunt. De Præſulum iſtorum tyrannide, ſævitia, & illegitima authoritate, concionatores melioris notæ plurimi, populique pars magna diu multumque conqueſti ſunt: Principem & totius regni comitia obnixe comprecantes, ut iſti tanquam Antichriſti membra ex Eccleſia ejicerentur. Verumtamen cum nihil proficerent, ipſis nunc tandem placet (ut Chriſti crucem effugiant) Antichriſtianæ iſti Hierarchiæ ſeipſos ſuaſque animas ſubmittere, nequiſſimum traditionum (quas urgent) jugum & onus ſuſtinere, exitialem denique & deteſtandum Belluæ characterem accipere & circumferre.

e Circiter quadragenta papalia munera habet in Eccleſia Anglia habenda, quorum ut & unum quidem in Chriſti Teſtamento reperitur.

Apoc. 13.

Tertio, Eccleſiæ iſtius miniſterium inferius, conſtat ex Sacerdotibus, Parochis vel paræciarum Rectoribus, Vicariis, Curatis, Conductitiis prædicatoribus ſive Lectoribus, unà cum Clericis parochialibus & Ædituis; qui omnes munera ſua, vocationem, & authoritatem univerſam à Præſulibus Dominis ſuis ſupradictis derivarunt, illiſque acceptam referunt: Canonicam præterea obedientiam iis voventes, ſimulque promittentes ſe eam cum reverentia & ſubmiſſione omni præſtituros. Horum officium eſt * librum precum & rituum pontificalium populo recitare, & per eum ſimul Deum adorare, connubio jungere, mortuos ſepulturæ tradere, mulieres puerperas purificare, ægrotis moribundis ſacramentum adminiſtrare, eoſque à peccatis omnibus abſolvere: Et ſi ipſorum ſacerdotia vel beneficia (ut vocantur) certam pecuniæ ſummam (quæ in archivis Regiis notatur) valore excedant, tunc tenentur quater quotannis in ſuis paræciarum templis, vel per ſe vel per alium ipſorum vice ſubſtitutum concionari. Atque hîc obiter notandum eſt, maximam ſacerdotum iſtorum partem prorſus illiteratam eſſe, & concionari neſciam: unde fit, ut maxima quoque pars populi, tanta adhuc mentis caligine & cæcitate laborent, quanta tenebroſiſſimis papatus temporibus offundebantur. Hi miniſtri omnes, tam concionatores quam reliqui, gravi premuntur ſervitute & pavore ſub Præſulibus Epiſcopis ſuis antedictis: Sicut abſque ipſorum licentia ſcripta & obſignata non licet iis concionari; ita ubicunque ipſis diſplicuerint, ipſorumque Injunctionibus non obtemperaverint, ſuſpenduntur, degradantur, & (ſi dicto obedientes non ſint) incarcerantur; adeo ut ex iis plurimi interdicti fuerint miniſterio & in vincula conjecti, quia contra Prælatos iſtos concionati eſſent, quia articulis quibuſdam ab ipſis excogitatis & pontificali precum libro non ſubſcriberent, quia pileo quadrato & ſuppelliceo lineo uti recuſarent, quia librum precum lege impoſitum legere eique aſtringi nollent, quia in Præſulum iſtorum curiis, viſitationibus & inquiſitionibus comparêre negligerent &c. donec jamdudum vexationibus iſtis attriti, moleſtiaſque pertæſi, iſtorum tyrannidi ceſſerint, & ſeipſos Præſulum nutui conformantes Canonicam nunc præſtent obedientiam, ad quam ſe prius jurejurando obligaverant. Jam ergo ſilent prorſus, imo tergiverſantur, & ea perferunt ac defendunt, quibus ſe olim & ſermone & ſcripto oppoſuerant, quandiu ſcilicet ſpes affulgebat ulla Principem ejuſque Conſiliarios permovendi, ut ipſis auſcultarent, & ἀνταντίους καὶ ὑπεραιρομένους (*adverſantes & ſe extollentes*) iſtos ex Eccleſia depellerent.

2 Theſſ. 2. 4

Quarto, quod publicam ſpectat adminiſtrationem, omnibus tum Clericis tum Laicis (ſic enim diſtinguunt) lege impoſitam, Librum ſuum ritualem & precatorium verbatim è Miſſali pontificio deſumpſerunt, è Latino in Anglicum ſermonem transferentes Suffragia, Preces, Letaniam, Collectas &c. (craſſiſſimis quibuſdam fæcibus omiſſis:) retinentes adhuc priſtinam formam Pſalmorum, Capitulorum, Epiſtolarum, Euangeliorum, Verſiculorum, Reſpondarum: Item, Te Deum, Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis, Pater noſter, Kyrie eleeſon, Dominus vobiſcum, Domine labia mea aperies, Gloria in excelſis, Surſum corda, Venite exultemus, Gloria Patri, Quicunque vult, &c.

Iſta quotidie mane & veſperi per totum annum recitantur à ſacerdotibus, ſuperpelliceo lanaque indutis: quædam legunt, alia decantant, habentes in Cathedralibus & quibuſdam etiam Parochialibus templis Organiſtas,

* Hæc omnia quibus verbis & ritibus quo habitu & geſtu peragenda ſint, in Rubrica ultimi libri docetur.

Ep. 36. Choriſtas, Symphoniſtas, Cantatores, viros ac pueros, ut olim in Papatu. In iſto libro plurimi ſuperſunt papiſtici errores, à ſuis etiam Miniſtris obſervati & reprehenſi. Ibi præſcribitur quas precationes ſuper mortuos ſepeliendos legant, quas ſuper ſegetes & gramina campi, ſtatis quibuſdam anni temporibus: Ibi etiam indicuntur dies ſacri, Dominæ (ut ipſi nuncupant) Mariæ, omnibus Sanctis & Angelis, omnibus Chriſti Apoſtolis (exceptis Paulo & Barnaba:) quorum etiam profeſtis vigiliis jejunium imperatur, ut & in Quadrageſima ſua, omnibuſque per totum annum Eſuriliabus, Veneriſque & Saturni diebus. Hoc libro præterea edocentur Miniſtri, matrimonium celebrare cum annuli ſigno &c. Baptiſmum adminiſtrare in fonte conſecrato; cum ſigno crucis; adhibitis compatribus & commatribus; quæſtionibus etiam ipſi infanti propoſitis, num diabolo renunciet & omnibus ejus operibus &c. alterum item Cœnæ ſacramentum miniſtrare populo in genua devexo (ut quum in Papatu Creatorem ſuum reciperent,) ipſis præterea verbis inſtitutionis Chriſti immutatis, aliiſque è Miſſali pontificio in eorum locum ſubrogatis: cum infinitis ejuſmodi corruptelis & ineptiis, quibus iſte liber ubique refertus eſt. Atque hic eſt cultus, hæc leiturgia, qua ſola fruuntur plurimæ iplorum paroeciæ, niſi forte ſectionem aliquam præſcriptarum Homiliarum habeant ab indoctis ſuis Miniſtris lectam & recitatam. Huic leiturgiæ primus ubique locus eſt concedendus: abique hac (ne die quidem Dominico) aut conciones habendæ, aut Biblia ipſa legenda ſunt. Hunc librum qui bene legere poteſt, ſatis aptus eſt ad capeſſendum apud eos ſacerdotium: imo multi qui fuerunt opifices, puta ſutores, ſartores, textores, janitores, &c. domis & cognitione omni literaria prorſus vacui (excepto quod Anglice norint legere) per Præſules admiſſi fuerunt in Miniſterium, & in eo ad hunc uſque diem retinentur.

Sunt ex ipſis qui in libris quibuſdam Anglicè ediderunt plures quam tentum corruptelas Papiſticas adhuc in Eccleſia iſta retentas.

Ad hos conventus, hos Miniſtros, hunc cultum, populus ibi univerſus tenetur quotidie accedere: imo etiamſi in proxima paroecia concionatorem habeant, in ſua autem mutum prorſus & indoctum ſacerdotem; quiſque tamen ad Parochum ſuum aſtringitur, è cujus etiam manu quotannis ad minimum bis Sacramentum accipere tenetur. Si qui hoc recuſent, vel paroeciarum conventus frequentare nolint, citantur, excommunicantur, in carcerem conjiciuntur, donec in iſtis morigeri fiant & dicto audientes. Iſtam hodie noſtrates ſub Præſulibus & Sacerdotibus ſuis ſervitutem ſerviunt: Qui autem ex verbo Dei contra abominationes iſtas teſtantur, eaſque condemnant, hos odio proſequuntur, divexant, & ad exilium ac necem uſque crudeliſſime inſectantur.

Quis jam eſt, cujus cordi vel ſcintilla tantum veræ lucis ineſt, qui plane perſpicere non poteſt falſum hoc eſſe & adulterinum Miniſterium, cultum, Eccleſiam? Æternum Chriſti Teſtamentum, taleſne in Eccleſia ſua Præſules & pontificios Dominos conſtituit, aut dominium exercere permittit? Suntne iſti Chriſtiani illi *a* Epiſcopi, id eſt Paſtores, Doctores, & Presbyteri, quos Chriſtus in Eccleſia ſua poſuit, populoque ſuo præeſſe voluit, ad conſummationem uſque ſæculi? Aut poterunt Concionatores illi qui ita creantur & exautorantur ab iſtis ſuis Dominis ſpiritualibus, quique ſe iis adjuratos & obſequentes exhibent, an poterunt (inquam) pro veris Euangelii Chriſti prædicatoribus haberi, legitime ad illud miniſterium vocatis & ordinatis? Denique Anglicana illa Miſſa, *b* veruſne eſt & ſpiritualis Dei cultus ab ipſo præſcriptus ipſique acceptus? Scripturæ docent, *c* concordiam iniri non poſſe inter Chriſtum & Antichriſtum, inter leges Dei & traditiones hominum: Item, *d* ſervis Jeſu non licere Beſtiæ ſervire, ejuſve characterem accipere, neque de poculo fornicationum meretricis Babyloniæ bibere, vel quicquam de mercibus ipſius emere: ſed contra, *e* decertandum eſſe pro fide illa quæ ſemel tradita eſt Sanctis; ſeipſos debere *f* ſpiritu pariter ac corpore puros ab inquinamentis Antichriſti conſervare, nihil immundum tangere, nullum denique cum infrugiferis tenebrarum operibus commercium habere: ne ſi *g* participes cum iis fiant peccatorum, ex plagis etiam eorum accipiant, bibantque ex vino iræ Dei, & crucientur igne ac ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum & in conſpectu Agni in æternum.

Ep. 36.

a 1 Tim. 3. c. & 5. 17. & 6. 13, 14. Epheſ. 4. 11, 12, 13. Rom. 12. 7, 8. 1 Cor. 12. 5, 8, 28. AB. 14. 23. & 20. 17, 28. 1 Pet. 5. 1, 2, 3, 4.

b Joh. 4. 24. Matt. 15. 9.

c Deut. 6. 4, 5. Matt. 16. 6. 2 Cor. 6. 14, 15, 16, 17. Pſal. 106. 34, 35, 36. Levit. 20. 11 & 43. 8.

d Apoc. 14. 9, 10. & 18. 3, 4, 6, 11.

e Judæ 3.

f 2 Cor. 6. 17. Epheſ. 5. 11.

g Apoc. 18. 4. & 14. 10, 11.

Si Chriſtus ſit Deus, ipſum ſequamur: ſin Papa ſit Deus, quid dicemus? Cur reliquimus eum, ejuſque Eccleſiam & miniſterium, cultum & juriſdictionem? Aut quæ iſtæc claudicatio eſt & prævaricatio adverſus Deum, Papæ perſonam ejicere, & tamen Præſulatum, miniſterium, leges, traditiones, canones, cultum, & conſuetudines ejus retinere: vel ſaltem nobis ipſis effingere cultum, miniſterium, & Eccleſiam, ſecundum archetypum & formam apoſtaſiæ illius Romanæ? Quod quid aliud eſt, quam execrandi illius Θηρίου (*beſtiæ*) imaginem facere, & homines cogere ut eam adorent?

Matt. 6. 24. 1 Reg. 18. 21.

Apoc. 13. 12, 14, 15. 2 Reg. 16. 10, 11, 12.

Vides hic breviter (Chriſtiane Lector) quæ ſint illæ res quas in Eccleſia Angliæ improbamus, & à quibus diſceſſimus noſque ipſos ſegregavimus, prout * mandavit Deus. Hiſce omnibus, ſi ibi viveremus, cogeremur tum animas tum corpora ſubmittere: ſin minus, crudeliſſime à Præſulibus tractaremur, & tandem violenta morte, aut miſerrima incarceratione vitam finiremus: id quod multi è fratribus noſtris ſunt experti. Ea enim eſt Romaniſtarum iſtorum malitia & authoritas, ut ad mortem uſque perſequantur omnes qui iis contradicunt: quique ab iis in fœdos ipſorum carceres conjiciuntur, inde raro aut nunquam emergant (niſi læsâ conſcientiâ) donec in feretro

* Jer. 51. 6. Mich. 2. 10. Apoc. 18. 4. 2 Cor. 6. 17. Alter. 2. 40.

Ep. 36. retro exportentur. Nec ullam omnino curam habent victus eorum qui ſic ab ipſis incarcerantur; ſed ab illis ſine omni vel cibi vel pecuniæ ad vitam conſervandam demenſo, quantacunque penuriâ laborent, detinentur. Si quid ipſi de ſuo habeant, ibi coguntur id omne abſumere: ſi nihil habeant, aëri veſcendo à Prælatis relinquuntur. Et ut citius vel fame pereant, vel in veritatis defenſione langueant, includuntur ſæpe gurguſtiis arcanis & ab hominum colloquio prorſus remotis; omni etiam amicorum, imo uxorum & liberorum aditu præcluſo & prohibito: tanta tamque prodigioſa eſt ſanguiſugarum iſtorum Præſulum & ſuorum aſſeclarum tyrannis & immanitas. Quorum indurata corda & derelicta ab omni humanitate pectora, ſi tibi eſſent æque cognita (benigne Lector) atque plurimi è nobis ſenſimus, & in hunc uſque diem ſentimus; horreſceret tibi animus tam funeſtam barbariem & crudelitatem conſideranti. Quot in vinculis per iniquiſſimam iſtorum lævitiam perierunt, quot violenta morte interierunt, quot denique in exilium abierunt, poſſemus quidem, ad ignominiam eorum ſempiternam, toti terrarum orbi prædicare: ſed latius duximus iſta ſilentio præterire (nullam enim ex eorum infamia voluptatem capimus) & pro iis in occulto flere, cauſam noſtram Deo qui juſte judicat committentes, ut qui ſciamus eum qui ſanguinem repoſcit horum recordaturum, nec obliturum clamoris pauperum. Tuque (Chriſtiane Lector) dignare in precibus tuis apud Deum eorum mentionem facere, qui adhuc apud eos in vinculis & cuſtodia, propter teſtimonium Jeſu detinentur, ingens certamen afflictionum ſuſtinentes, & in ſeipſis ſententiam mortis habentes, nili Domino viſum fuerit inſperatam iis liberationem concedere.

Pſal. 9. 13.

Heb. 13. 3.

Et quoad nos, qui divinâ miſericordiâ locum quietis in his regionibus invenimus (quod beneficium omni cum ſubmiſſione & gratiarum actione ſemper & ubique agnoſcimus) abs te petimus (Chriſtiane Lector) ut non aliter atque Chriſtianum hominem decet, de nobis Chriſtianæ Religionis ſtudioſis, ſentire velis; noſque in ſanctis tuis precibus Deo commendare, cujus regnum quærimus, cujus præceptis obedire ſtudemus: Deum teſtantes in bona conſcientia, nos de ſola Euangelii veritate concertare, adverſus execrandas illas Antichriſtianæ apoſtaſiæ reliquias, quibus ne ad momentum quidem quovis nomine ſubjici audemus. Etenim ſi jam Chriſtianis non liceat Moſaicæ legis ceremonias unà cum Euangelio retinere, putâ, Paſcha, circumciſionem, ſacerdotium, ſacrificia &c. quæ tamen olim à Deo ipſo imperabantur: quomodo poterit tolerabile videri, ſacrilegis Antichriſti ceremoniis, legibus, ſacerdotio, hierarchiæ, & traditionibus ſubjici, quæ nunquam fuerunt à Deo inſtituta, neque ſubierunt aliquando in animum ejus: imo quæ horrendis denunciatis pœnis, ſeveriſſime omnibus interdixit?

Gal. 4. 4, 5. 6. & 5. 1, 2. Heb. 8. & 9. & 10. cap.

Ep. 37.

Jam vero, quum calumniis & quidem graviſſimis à noſtratibus domi laceſſiti fuerimus, earumque rumor in has etiam regiones nos inſectatus ſit, unde apud multos immerito male audivimus: coacti ſumus jam tandem, brevem hanc, ſed veram, fidei noſtræ Confeſſionem in publicum edere, ut per eam tum ipſi à calumniis liberemur, tum aliis, qui cauſam noſtram cognoſcere cupiunt, ſatisfiat. Hîc ſi erramus (quis autem tam perfectus eſt ut non erret?) tuam rogamus, Lector benevole, Chriſtianam & fraternam animadverſionem ac informationem, promittentes (Dei gratiâ) ſemper veritati cedere, erroribuſque omnibus renunciare quicunque à luce verbi Dei arguuntur. Tuum viciſſim erit, veritatem agnoſcere, eique parère, quatulicunque ii ſint qui eam profitentur; reſpiciens potius theſauri ipſius præſtantiam, quam vaſculorum quibus continetur vilitatem, aut teſtium ipſius infirmitates, quorum in mortali corpore nil niſi ſtigmata & mortificationem Domini noſtri Jeſu Chriſti videbis. Fidem vero tuam cum perſonarum reſpectu habere nolito, neque convitiis quibus nos proſcindimur movetor. Habes hîc veram Chriſtianæ fidei noſtræ ſummam: explora tu omnia ad veram verbi Dei lucem, & quod bonum eſt, retineto. Et ſi quid fructus hinc collegeris, da gloriam Deo, noſtrique apud eum in precibus tuis mentionem facito. Vale in Chriſto Jeſu. 1596.

2 Cor. 4. 7.

Jac. 2. 1.

XXXVII.

Fratribus Anglis in Belgio exulantibus

FRANCISCUS JUNIUS,

Gratiam, miſericordiam, & pacem à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto ſalutari noſtro P.

Judicium de Confeſſione Anglicana & pia ſeriaque ad pacis ſtudium exhortatio.

ACcepi nuper, dilecti in Chriſto fratres, per quemdam è numero veſtro libellum, qui inſcribitur, *Confeſſio fidei Anglorum quorundam in Belgio exulantium*: & partim ex tabellarii ipſius ſermone, partimque ex ſcripti præfatione cognovi deſiderium veſtrum. De me vero, dilecti fratres, quem propter vicinitatem fortaſſe appellari ſeorſim duxiſtis oportere, equidem non video quam multum in hac cauſa conferre, aut inſtituto veſtro commodare poſſim. Nam ſcio jamdiu ſingulos abundare in ſuo ſenſu, & ferri etiam fraterno animo tantiſper τοὺς ἑτεροφρονοῦντας (*diſſentientes*) oportere, qui caput & fundamentum tenent, atque exſpectari donec illis amplius Dominus revelaverit. Scio meas partes eſſe, non ut agam ἀλλοτριεπισκοπεῖν, (*alienarum rerum inſpectorem*)

Ep. 37. *rem*) ſed ut in ſtatione & menſura quam mihi præſtitit Dominus, Chriſtiana modeſtia & ſimplicitate veritati & charitati ſerviam, quoad ſciam & potero. Profecto ubi cauſam hanc expendi diligentius, nihil in hac re tota publico & vobis & mihi commodius aut tutius eſſe putaverim, quam ut ſanctum ſilentium colamus, ſiquid eſt in quo offendimur, & cauſam noſtram penes Dominum auctorem fidei & vindicem juſtitiæ noſtræ deponamus. Sed quia mihi non licet quodammodo per vos agere ſilentium, & in ſinu vulneribus Eccleſiæ συμπάσχειν, (*affici*) quæ plus ſatis, actionibus præſertim protruſis in publicum, hac noſtra memoria conſcinditur, paucis aperiam bona fide & conſcientia coram Domino quod ſentio, orans illum veritatis & pacis auctorem, ut me & vos pariter tum ipſe deducat in omnem veritatem ex promiſſione ipſius, tum mentes noſtras ſingulorum animoſque diſponat, ut alii aliorum poſtulata, reſponſa, monita, omnia denique officia fraterne interpretemur, quamvis à noſtro ſenſu (ut fit atque humanum eſt) & guſtu diſſidentia.

Tria igitur animadverto capita eſſe in libello veſtro, quæ in conſilium à vobis videntur mitti, & deſiderare ſententiam noſtram. Primum eſt doctrinæ, quam profitemini libello veſtro: ſecundum facti, cujus Eccleſias Anglicanas acculatis: tertium denique concluſionis eſt, quam infertis ex doctrinæ veſtræ & facti illius Anglicani comparatione: vos nempe cum Eccleſiis ejuſmodi communionem bona fide colere non poſſe, ſed ab eis toto animo abhorrere. De his itaque tribus dicam breviter ut ſentio, fraterne rogans ut in bonam partem accipatis reſponſum meum.

Doctrinæ locum vel libellum Confeſſionis veſtræ, dilecti fratres, miror ad me, miror ad ſacrarum literarum ſtudioſos omnes in Academiis Chriſtianis omnibus tranſmiſſum eſſe. Nam ſi doctrinæ certus conſenſus eſt, ut præ vobis fertis, equidem non video quid opus fuerit novam Confeſſionem à vobis edi in iſta ſanctæ veteriſque doctrinæ conſenſione: quod ſi qua forte in doctrina ſubeſt diſſenſio, ac potius ἀλογία, (*vocum diſcrepantia*) eam certe diſſimulari minime oportuit, ſiquidem eſſe duxiſtis neceſſarium, ut doctrina veſtra exponatur. Deinde vero quid ad me, quod ad publicam Confeſſionem, mittitis? miror ſane, demiror fratres, conſilium veſtrum, quâ fine, quâ facto. Si enim hoc fine eam edidiſtis ut vos purgetis, amabo fratres, cur vos purgatos cupitis apud tam multas animas, quæ vos necdum ſciverunt accuſari, quæ nunquam de accuſationis jure aut injuria poterunt cognoſcere, & quæ non ſunt ad iſtud vocatæ juſta ratione ulla? & (quod gravius eſt) cur iſtud factum voluiſtis coram tam multis infeſtis in Deum atque Eccleſiam hominibus, qui nihil tantopere ſitiunt, quam ſanguinem Eccleſiæ Dei, & vulnerum iſtorum promulgationem à nobis imprudentibus fieri gratulantur, ut per hæc ipſa vulnera Eccleſiam, corpus illud pretioſum Chriſti, ſanguine veritatis & charitatis ſucco exhauriant? cur denique coram tam multis infirmis, qui quum necdum vos ſciviſſent natos (ut ita dicam) prius cadaveroſo ſchiſmatum fœtore in Eccleſia offendantur, quam corpus ipſius noverint certo cui adhærere poſſint. Ah fratres fratres, tantine vobis eſſe purgationem veſtri, ut publicum Eccleſiæ in diſcrimen tantum propterea venire oporteat! Chriſtianum & humilem & pium animum aliter oportet ſapere, & poſtpoſita ratione privati ſui, conſtanter ita ſtatuere: Prius ima dehiſcat terra mihi (ut ajebat ille) potius fiam anathema pro fratribus meis, quam ut per me & meæ exiſtimationis cauſa vel uni ex iſtis minimis præbeatur offenſio, quo minus ad Chriſtum veniat, & in Chriſto maneat ſalutari meo: deteratur ſane quidvis de mea exiſtimatione qui Chriſtianus ſum, terar pedibus omnium, modo nihil facto meo deteram de Chriſto, de corpore ejus, vel minimum. Atque hoc quidem, fratres, vobis eſſe conſtitutum deliberatumque, huc adlaborare conſilia veſtra, tam ſum perſuaſus quam qui maxime. Sed quem finem in communi habetis, ab eo, proh dolor! in hac particulari cauſa (ignoſcite liberius dicenti, voluiſtis enim me dicere) videmini aberraſſe; fefellit nimirum hic vos, ſi quid video, cauſæ particularis veſtræ contemplatio: quam rem vos ipſi, confido, proculdubio animadvertetis, ſi ab illo ſenſu particulari veſtro, à cauſa veſtra pauliſper diſceſſeritis. Erroris aliquid eſſe in fine illo oſtendi: ad factum veniamus.

Facto inſtituitis purgationem veſtri: id nemini negatum eſt, ſi cauſa erit, ſi modus, ſi locus, ſi tempus. Sed cur apud me, fratres? qui nec audio acculationes illas veſtri, nec ſi audirem, temerè accepturus eſſem. Cur apud publicum? ubi noſtis plurimum accidere, ut qui ante adferunt purgationes ſui quam fuerunt accuſati, aut ſeipſos prodant, aut ſuſpiciones in ſeſe commoveant facilius, quam poſſint poſt illud tempus eluere eam. Noviſtis publicum nec juſtum ſæpe judicem eſſe; nec unquam ferme legitimum: adeo in publico obtinet ac regnat malum. Hos ergo judices appellatis, qui non judicando, non cognoſcendo ſunt: denique non modo non judices, ſed ne teſtes quidem. Sic autem non commodatur privatæ cauſæ, nocetur plerumque publicæ modis quam plurimis. Quinam ergo, dicetis, futuri ſunt? quos judices, quos teſtes appellabimus? Reſpondebit vobis pro me veſtra ipſorum præfatio. Nam quum in his regionibus prædicatis divina miſericordia vos inveniſſe quietis locum (agnoſcitis opinor verba veſtra) duo planè teſtificamini: unum, ſi quietis locum inveniſtis, prudentius facturos vos eſſe ſi non moveatis ubi poteſtis quieſcere: alterum, ubi hoſpitium vobis eſt & quietis ſedes, ibi

Ep. 37. ibi plane judicium vos ſortiri oportere doctrinæ fideique veſtræ, ſi eam cognitam legitime & probatam vultis. In Eccleſia verſamini inſtructa ſervis Dei, quorum pietatem, eruditionem fraternumque erga Chriſti membra ſtudium probe noverunt boni. Illegitimum eſt profecto, illis omiſſis apud quos verſamini Eccleſiam aiteram, aut publicum totum, aut Academiam hanc, aut me qui tenue ſum in eis membrum Chriſti, ſeorſim aut communiter appellari. Hic ordo pius eſt, juſtus, legitimus, ad pacem ædificationemque pertinens: quo vos reſpicere primum modeſte oportuit, & quo ego infirmus frater fratres aberrantes fraterno officio teneor revocare; non autem præceps ferri, & in aliquam cognitionem his modis oblatam præter æquum, bonum, & præter ordinem irruere. Donec illud feceritis moneo, hortor, rogo, obſecro per ſanctiſſimum Chriſti nomen; ne me, ne alios quoſquam, ne ipſum publicum appelletis. Nam hac præpoſtera (ut ita dicamus) ratione non deoneratis vos, ut putatis, invidia aut crimine, ſi quod eſſe poteſt; ſed ipſi cauſam veſtram (cui ego quidem nullum præjudicium facio, religioſe dico coram Domino) ſuſpicionibus & præjudiciis oneratis. Dicant illi primum apud quos hoſpitamini, quos non negatis vobis eſſe fratres: quod ſi forte aut vobis illi ſatis, aut vos illis non feceritis, tum nova ratio legitimo ordine inſtituatur licet: hoc nemo bonus denegaturus eſt. Ante vero quam hoc fuerit tentatum, aliud agere certe vobis inutile, Eccleſiæ damnoſum futurum eſt. Ego autem, nec collegæ mei, nec alii prudentes viri, ſumus eo imprudentiæ unquam deventuri, ut iis, ad quos ex ordine hæc cognitio pertinet, eripiamus, aut antevertamus cognitionem ſuam. Atque hæc de doctrina.

Ad accuſationem venio, qua adverſus Anglicanas Eccleſias (ut ſcribitis) utimini. In hac vero accuſatione, dilecti fratres, rogo amanter ne feratis iniquo animo, ſi vos de rebus paucis, quas jure mihi videre videor, monuero. Primum, quid opus eſt illas à vobis accuſari? ceſſiſtis loco, in aliud forum (ut ita dicamus) tranſiviſtis: cur ceſſeritis nemo inſtat cognoſcere, negotiumve faceſſit vobis. Si in Anglia vobis facta eſt injuria (ut dem fuiſſe factam: meum non eſt affirmare aut negare, qui non cognoverim) tamen deſiit injuria iſta vos diſcedentes perſequi. Quid vos compellit commoveri & ſuſcipere accuſationum onera? quid non quieſcitis extra aleam telorum poſiti? quid non potius diſſimulatis injuriam præteritam? quid non fertis potius (ſi qua adhuc eſt) in ſilentio & ſpe, quam ut commoveatis quieſcentem? Plane Chriſtianum eſt, ſi feras: prudens, ſi à malo bene depoſito, quod ajunt, abſtineas commovendo: impotens, ſi facias contra. Et quo fine, quæſo? an ut purgetis vos? At hic qui recoquat regeratque vobis accuſationes iſtas nemo eſt: quid purgare attinet? An ut illis par referatis de quibus conque- Ep. 37.
rimini? Hoc vero non foret Chriſtianum; hoc agi à vobis non putem. An ut illos emendetis? Hoc quidem ſtudium ſanctum eſt: verumtamen ſi non potuiſtis coram, quid ſitis effecturi dum abeſtis expendite. In primis autem quibus modis hanc viam meatis, reputate: accuſando nimirum apud me, apud alios, ad publicum, in theatro Eccleſiæ, in circo mundi. Ah dilecti fratres, an unquam vel fando auditum eſt, hac via hominem privatum quemquam (ut nihil de magna communitate dicam) emendatum eſſe? Tum videte quæſo apud quos inſtituantur à vobis iſta. De me dicam, penes quem libellum veſtrum deponi voluiſtis unum. Neſcio an me hoc libello veſtro ut interventorem, an ut cognitorem, an ut judicem appelletis. Si enim ut interventorem, nonne potius querimonias veſtras in ſinum indi oportuit, quam in propatulo (quod ignominiam ſpectare videtur) explicari, & Eccleſiam Chriſti, innumerabiles animas inicias, infirmas, alienas pulſari typis impreſſionis veſtræ? omnino eos, de quibus agitis, conſtat hoc gravi aculeo amplius efferatum iri. Si ut cognitorem, ecquo jure futurus eſſem? qui nec legitime auctoritatem habeo cognoſcendi à Deo, ab Eccleſia, à Magiſtratu, aut ab utraque parte, nec ſi deferretur, eam facile accepturus eſſem; adeo ſum mihi conſcius tenuitatis meæ. Nam quis ego ſum, aut quid, quove modo de vobis, de illis, ſingula quæ opus eſſent ad cognitionem juſtam perviſurus eſſem? hoc autem juſta imperat cognoſcendi ratio: alioquin (ut prudenter ait Seneca) qui parte altera inaudita judicat, etiamſi judicet quod rectum eſt, tamen injuſtus eſt. Fallimini non mediocriter, in hoc judicio veſtro, dilecti fratres; propemodum facitis mihi injuriam, quum me ἀλλοτριεπίσκοπον (*alienarum rerum inſpectorem*) accerſitis, aut putatis fore, ſuſceptis cognitoris partibus, (ſive quod invidioſius & alienius) judicis. Quod autem de me dico fratres, idem ab aliis fratribus, qui ubivis locorum ſunt in Eccleſiis, in Academiis; reſponſum vobis cogitate. Nemo ſapiens in iſtud ſcamma temere deſcenſurus, aut in iſtud tribunal conſcenſurus eſt. De fide quidem doctrinaque veſtra aliquid dici poteſt, ſi eam exponitis, ſi res ſit ordine: ſed de accuſatione gentilium veſtrorum, & de rebus ultro citroque factis, nemo ſanus me auctore ſuſcipiet hac lege judicandi onus. Et per Deum immortalem, eventum mihi facti illius expendite. Nam cui bono futurum eſſet, ſi illud fuerit quod vultis inſtitutum? nec vobis certe, nec illis profeſſet, nec his apud quos nunc hoſpitamini, nec Eccleſiæ Dei. Contra vero cui non eſſet futurum damno? Res iſta vos magis inflammaret, prout contentiones magis ferveſcere ſolent quo moventur magis. Illos magis abalienaret, quos iniquius à vobis abalienatos eſſe obtenditis. Nam iſta non eſt docendi atque informandi,

Ep. 37. di, non conciliandi via. Bonos, quorum hoſpitio jam commode utimini, aut à vobis, aut inter ſe in partes varias diſcinderet: quod officium à vobis non ſunt promeriti hoſpitalitate ſua. Eccleſiæ toti graviora inferret incendia, & per totos artus (quod Deus avertat) diſpergeret. Illum vero imprudentem qui partes iſtas auctoritatis uſurpaſſet, ludum maledicorum efficeret, bonis commiſerantibus inanem operam illius & veſtram exſpectationem. Poſtremo autem (ut hoc quoque addam, & videte hic fratres, quam ſincere, quam fraterne vobiſcum agam) etiamſi & poſſem & vellem ego legitime tum de fide veſtra quam exponitis, tum de facto accuſationis, quam in gentiles veſtros intenditis, ſententiam ferre; tamen vos ipſi hac ratione & modo facti veſtri, auctoritatem faciendi id quod petitis mihi eripuiſtis: ipſi hac petitionis forma impedimentum objicitis poſtulationi veſtræ. Mirabimini fortaſſe quod dico: ſed tamen ita eſt. Nam ita petitis judicium meum, ut & Academiarum & ſtudioſorum omnium ſimul poſtuletis. Hoc ſi communiter poſcitis, non ergo deſideratis ut ſolus faciam: ſin particulariter, putatiſne quemquam noſtrum ita dementem fore, ut quum tam multorum bonorum judicium & opera deſiderata eſt, unus aliquis Palæmon ſibi aſſumat primas, & ſolitarius de ea re dicat, quæ à tam multis æque doctis, adeoque doctioribus, & pietate, judicio, experientia inſtructioribus expetitur, & quæ ſeriam conſultationem, communicationem ſanctam judiciumque maturum οὐ ἀνεύθυνον (*& irreprehenſibile*) deſiderat?

De tertio vero quid dicam? Ipſi opinor, fratres chariſſimi, animadvertitis, ſi de antecedentibus illis duobus capitibus nec poſſum ea lege nec debeo reſponſum dare, id plane iniquum fore, ſi de ea concluſione quam inde, ex illis, inquam, præmiſſis eruitis, aliquid adhuc in utramvis partem ſtatuero. Ego vero ἐνίχω, (*hæreo*) fratres, ἐνίχω in hac cauſa, prout me Deus, & natura, & ratio, & jura omnia imperant facere. Cauſas ex iis quæ modo legiſtis, arbitror cognoviſtis: & ex aliis præterea diſcetis rebus, quas Deus vobis ſuppeditaturus eſt (ſpero) per Spiritum veritatis atque prudentiæ. Judicium de rebus incognitis, aut certe non uſque adeo exploratis, nec debeo ipſe apud me facere, nec apud vos aut alios præcociore audacia, dum mihi non ſatis liquet, pronunciare. Novit Dominus & judicat, cui ſtant aut cadunt quotquot ſervi ſunt ipſius. Alioquin credo ego vos non eſſe neſcios, tria eſſe quæ ſancti Patres inde ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ex verbo Domini ſemper diſtingui voluerunt in populo Dei: fidem ſive doctrinam, rationem vitæ ſive morum, & ordinem diſciplinæ. Omnes autem ſapientes viri id uno ore docuerunt, & poſteritati tradiderunt, ubicunque doctrinæ veritatis, quæ arx ſalutis eſt, fundamentum remanet, quamvis corruptiſſimis moribus atque diſciplina, Eccleſiam permanere, nec hominis cujuſque eſſe officium, ut ſeſe ab ea Eccleſia temere abgreget, dum ſalva fide & conſcientia ſua poteſt; aut abjudicet ei Eccleſiæ nomen: præſertim quum omnis Eccleſia ex paſtoribus & grege conſtituta ſit: quam ſi qui paſtores aut præfecti turbant, alienum tamen eſt aut paſtoribus cæteris hoc nomen adimi; quod Chriſtus doctrina veritatis teſtatum facit; aut gregi adimi, quem Chriſtus ſuo ſanguine comparavit, ſanctificatque in dies lavacro regenerationis per verbum. Satis hoc vobis eſſe oportuit, ſi quid vos apud veſtrates habuit male, quod jam vobis alibi paterna Dei providentia indulgentiaque proſpexerit. Omnino dum illas Eccleſias inceſſitis, cauſam illam veſtram apud bonos non eſtis eo meliorem aut etiam probabiliorem effecturi: quam rem ſi nondum ratione aut conſilio meo, & eorum, qui vobis bene cupiunt, monitis concepiſtis, experientia ipſa tandem (faxit Deus ne ſero, & vos ipſe informet in bono) hæc vobis omnia comprobatura eſt. Etenim doctrinæ veritate, vitæ ſanctimonia, opere fidei & patientiæ, charitatiſque officiis, etiam erga eos ipſos à quibus vos fuiſſe offenſos prædicatis, non clamoribus aut ſcriptis editis, vos ipſos magis probabitis & cauſam veſtram; quemadmodum & ille Servator noſter non vociferando clamoribuſque complendo vicos, ſed leniter inſufflando in elychnium fumigans, & quaſſatum calamum agendo commode, judicium dicitur ad victoriam perduxiſſe. Quæ quum ita ſint, oro vos dilectiſſimi in Chriſto fratres, per ſanctiſſimum illud nomen Chriſti quod profitemini, per illa viſcera miſericordiæ quibus nos ex alto Chriſtus complexus eſt, de alia ratione cogitetis, aliam viam ad ſalutem, ad ædificationem, ad pacem ingrediamini. Fidem veſtram, ſi conſentio eſt, ne ventilandam denuo rationibus novis excutite: ratio ſuſpecta eſt. Sin autem neceſſe eſt excuti, ſatis habetote, ſi apud eos Dei ſervos probetur primum, quorum in medio habitatis: hæc via certe legitima. Injurias anteactas, ſi quæ fuerunt, Chriſtiana charitate condonate eis à quibus accepiſtis, eaſdem apud alios Chriſtiana prudentia diſſimulate; non eſt metus ut eo facto rumpamini; præcordia veſtra ſpiritu charitatis dilatabit Deus quam commodiſſime: ad vos ipſos attendite, ut ejecta omni acerbitate & animi amaritudine ſitis εὐάρεστοι (*accepti*) Chriſto & Eccleſiæ utiles, & odor ille pietatis veſtræ ſermone, vita, ordine ad omnes pios ſuaviſſimus ſine ſchiſmatum inimicitiarumque nauſea differatur. Ne judicate ut non judicemini: ſed à gravioribus illis in alios determinationibus atque concluſionibus (ut vocant) abſtinete; neque laborate ut aut ſuffragatores in judicio illo anteacto veſtro adipiſcamini (quod in vobis factionis ſpeciem, in illis imprudentiæ habere diceretur) aut eos ad intempeſtivam, incivi-

Ep. 38. civilem, incommodam ac periculosam dictionem sententiæ deducatis. Misereat vos, oro, vestri, fratres dilectissimi, & gregis totius qui in vobis collectus est: misereat vos eorum à quibus per errorem infirmitatemque vos clamatis infestatos: misereat vos hospitum vestrorum, apud quos iniquissimum foret ista zizania à vobis seri, præsertim admonitis; & quos indignum istis vestris clamoribus aut scriptis ad suspiciones judiciaque sinistra de vobis, de adversariis (ut vos quidem putatis) vestris, aut de utriusque facienda excitari futurum esset: misereat vos denique Ecclesiæ Christi, quam certe non decet, non expedit, ac ne oportet quidem, in tot tantisque vulneribus ipsius universe impositis, hoc particulari vulnere à vobis ulcerari: ita vos amet Deus omnipotens, & misereatur vestri Christus Jesus misericors ille Dominus & Servator noster. Quod si quid in bonum conferre potuero causa publica & vestra, persuasum illud habetote, me nulli operæ, labori, molestiæ parciturum, ut vos nobiscum & omnes simul in sanctimonia & pace (sine quibus nemo Deum visurus est) bonis Domini in domo ipsius & ante faciem ipsius expleamur. Deus vero pacis, qui reduxit à mortuis Dominum nostrum Jesum, magnum illum pastorem ovium, per sanguinem fœderis æterni, perficiat vos in omni opere bono ad præstandam voluntatem ipsius, in vobis efficiens quod acceptum est in conspectu suo per Jesum Christum: cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen. Precor autem vos fratres, sufferte hunc sermonem exhortationis, quem brevibus perscripsi vobis. Gratia Dei sit cum omnibus vobis, Amen. Lugduno Batavorum die Sabbathi 9. Januarii 1599.

Vester in Domino

FR. JUNIUS.

XXXVIII.

FRANCISCO JUNIO

FRATRES ANGLI,

Gratia & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo Servatore nostro.

Responsio ad superiorem, & de eadem expostulatio.

Literas tuas (Reverende Vir, & charissime in Christo frater) quas ad ministros Ecclesiarum hujus civitatis Belgicarum & Gallicarum missi non obsignatas, ut ab illis prius legerentur, deinde nobis traderentur, nuper accepimus. Eas legimus, expendimus, & rescribendum esse duximus: partim ut gratias ageremus, quod scribere ad nos dignatus sis; partim ut tibi (si poterimus) in quibusdam satisfiat, ubi te videmus hallucinatum. Quæ dum scribimus, humillime rogamus, ut libere ac ingenue loquentes quod res ipsa postulat, æquo & fraterno animo (ut soles) ferre digneris. Multa quidem scripsisti, quæ libenter agnoscimus; & in quibus una tecum nos consentimus. Ea non attingemus omnino: reliqua eo persequemur ordine, quo à te sunt proposita. Quod tibi exhibitus est libellus per quendam è nobis, non ita accipiendum est, ac si tu solus, aut seorsim appellatus esses. Nobis enim retulit frater ille, qui tibi librum exhibuit, de eo inter vos transactum fuisse, ut per te communicaretur collegis tuis Academiæ illius præfectis, teque istud in te recepisse. Jam vero si hoc præstiteris, qui fit ut tu solus rescribas? cur etiam toties repetis & reprehendere videris, te, te (inquam) solum seorsim appellatum? Si non præstiteris, vide in quem cudenda sit faba, quod cum iis non sit communicatus in Academiâ illâ, quibus est à nobis dedicatus. Iterumque petimus, ut memor promissi id præstare digneris; ut tu una cum reliquis ibidem doctissimis pisque viris ac fratribus, aut convincatis fidem causamque nostram erroris, aut pro fide istâ semel sanctis traditâ nobiscum decertetis. Alterutrum videtur necessario faciendum esse. Id collegimus ex collatione *Jac.* V. 19,20. cum *Jude vers.* 3. Et hoc illud est, quod rogavimus, & etiamnum rogamus, in epistolâ illâ dedicatoriâ. Atque hæc semel dicta sufficiant (quæsumus) toties à te in his literis objectæ & repetitæ criminationi de te seorsim appellato.

Tria deinde proponis in libro ipso animadvertenda, de quibus te breviter & fraterne dicturum ut sentias polliceris. Primum caput (inquis) est doctrinæ quam profitemur libello nostro. Sane. Hic exspectavimus (quoniam de doctrinâ quam profitemur instituis scribere) ut articulos fidei nostræ excuteres, errores(que (si qui sint) verbi Dei luce coargueres. Quis autem id non exspectasset? Sed ecce, ne verbum quidem de doctrinâ & fide ipsâ. Quid? An quia tu ipse fidem hanc credis veram, sanam, verbo Dei fundatam eique consentaneam? Si ita sit, cur ista scribens non profiteris? cur dissimulas, præsertim cum fidem istam audieris ut hæresin & schisma traduci? Sed vides forsan nos in fidei doctrinâ à veritate aberrare? Si ita sit, cur scribis, & tamen errores non ostendis? cur (quantum in te est) errantes in viam non revocas, ne quum id quidem petatur, ut S. Scripturæ luce errores demonstrentur? Aliud certe suadet pietas tua: aliud requirit Deus ipse, *Jac.* V. 19,20.

Verumtamen quum doctrinam ipsam non attigeris, quid est, quod hac in parte scribis? Id unum; ut persuadeas, in eo à nobis erratum esse, quod fidei nostræ Confessionem in publicum ediderimus. Primo, hoc modum spectat, non rem ipsam. Sed expendamus tamen rationes tuas. Si doctrinæ (inquis) certus consensus, non opus fuit novam Confessionem à nobis edi, in ista sanctæ veterisque doctrinæ consensione. Itane vero? Cur igitur jam dudum post editas Confessiones fidei Germanicarum

Ep. 38. carum & Gallicarum Ecclesiarum, Belgicæ item & Scoticæ aliæque Ecclesiæ suas præterea ediderunt, in sancta veterique doctrina cum iis consentientes? Imo dic (quæsumus) quid tibi videatur de privata illa publici doctissimique viri D. Theodori Bezæ Confessione fidei nuper publicata? ut taceamus multas alias à multis etiam Martyribus Jesu suis singulis ætatibus exaratas & divulgatas. An non consentiunt hi omnes in sancta veterique pietatis doctrina? An igitur edi non oportuit has fidei Confessiones? Quidquid pro his dixeris, idem pro nobis dictum puta. Deinde: si qua (inquis) in doctrina subest dissensio, eam dissimulari minime oportuit, &c. Hoc vero quid ad nos, qui aperte diximus & recensuimus, quibus in rebus ab Ecclesia Anglicana (quacum hac ex parte nobis res est) dissentimus? Nec id solum, sed & ea non obscure in Confessione nostra descripsimus, de quibus inter Ecclesias hujus civitatis, & nostram adhuc non convenit.

Posthæc finem & factum istius divulgationis excutis. Finem quod spectat, eum explicavimus in Epistola & Præfatione libro ipsi præfixis. Et respondemus præterea, eodem fine hoc à nobis factum fuisse, quo singulæ Ecclesiæ Reformatæ suas jamdudum publicarunt Confessiones. Hic loquatur pro nobis præfatio Harmoniæ Confessionum fidei præfixa, & cum nostra collata. Si rationes utrobique allatas sustuleris, cedimus: sin minus, vide an non per latera nostra has etiam omnes Ecclesias, tum hic tum alibi, sæpius in his tuis literis percusseris. Causam & purgationem nostri Deo, piisque omnibus veritatis amantibus committimus. Qui causam nostram antea non noverunt, eam jam hinc dignoscere possunt. Qui Dei, Ecclesiæ, veritatis hostes sunt, nihil habent ex hoc libro nostro unde sibi gratulentur. Dolebunt potius, cum hinc etiam viderint magis magisque discoopertum esse Anti-Christum, hominem illum peccati, quem Dominus tandem spiritu oris sui, in servorum suorum testimonio (non in illorum silentio) conficiet ac abolebit, 2 *Thess.* II. 8. cum *Apoc.* XII. 11. & XIV. 6, 7, 8. & XX. 4. Qui denique infirmi sunt, & præ schismatum fœtore verum Christi corpus cui adhærere debent ignorant, hinc melius instituti possunt, & ad veram Ecclesiam fidemque Christi certius dignoscendam & amplexandam adduci. Sic publico Ecclesiæ bono consultum esse, sic Christum super omnia eminere cupimus. De fine diximus: in quo nos falli aut errare adhuc non censimus.

Ad factum quod attinet, similiter respondemus, ut supra de fine. Quæ autem hic adfers de publico non appellando, ea similiter urgere possis contra Ecclesias omnes Reformatas: contra Athanasium, Origenem, Augustinum, Tertullianum, aliosque è Patribus: contra Zuinglium, Lutherum, Calvinum, Bezam, aliosque harum ætatum permultos viros pios, ac plerosque etiam Martyres Jesu Christi; qui suas fidei Confessiones, suas Apologias, querimonias, disputationes, suas denique privatas epistolas, de rebus in Religione publice controversis in publicum emiserunt. Sed hæc forsan in mentem non venerunt, dum tibi ob oculos tantummodo esset causæ nostræ particularis contemplatio: quam rem tu ipse (confidimus) animadvertes, si oculos paulisper à nobis ad alios à te ipso comprobatos converteris. Deinde utcunque in publico obtineat malum (quod scribis) semper tamen & ubique sapientia à filiis suis justificatur, sicut docuit Christus *Matth.* XI. 16, 19. Hoc nobis & piis omnibus sufficiet. Denique in causa tanti ponderis, tantæ necessitatis, qui potius appellandi essent, quam Sacrarum Literarum in Academiis Christianis studiosi? Quinam (quæsumus) melioris aut sanioris habentur judicii? Quorumnam magis interest de veritate & erroribus in religione cognoscere? Quinam melius possunt in vero instituere, falsumve convincere? Quinam denique melius his discutiendis vacare vel possunt, vel debent?

Sed objicis, *quum hic quietis locum invenerimus, hic etiam judicium nos sortiri oportere doctrinæ fideique nostræ, si eam cognitam legitime & probatam volumus*, &c. Hic multa occurrunt consideranda. Primum, quid si quies & respiratio, qua hic fruimur, non à ministris, (de quibus tu loqueris) sed à magistratibus nobis obveniat? quod sane semper & ubique cum gratiarum actione agnoscimus. Deinde, quid si ministri isti (viri quidem eruditi & sapientes) in eadem tecum sententia essent, se nihil omnino de fide & causa nostra audituros aut dicturos esse, quippe qui nec interventores, nec cognitores, nec judices futuri essent? Præterea, quid si illis exhibita fuerit jam ante triennium fidei nostræ Confessio, ut ab eis vel approbaretur, vel (si ubi erratum esset) errores convincerentur? Quid si ex iis quidam nos ut hæreticos & schismaticos denunciarint? Quid si articulos quosdam plenos mendaciis & calumniis, sparsos vero contra nos, acceperint, & nobis tamen eorum exemplar in hunc usque diem non impartiverint, ne rogati quidem? Quid si cum illis (occasione oblata) de corruptelis quibusdam egerimus in ipsorum Ecclesiis adhuc remanentibus, quas tamen ne agnoscere quidem voluerunt? Quid si denique rebus his omnibus dissimulatis & posthabitis, jam iterum, superiore hoc anno exhibuerimus eis fidei nostræ Confessionem scripto exaratam, prius quam typis impressionis cuderetur? Vides quid hac ex parte respondere possemus: sed ista potius oblivione sepeliremus, nisi tu nos sic urgeres, ut apud te dissimulari quidem non possint. Ignosce tu igitur, & ignoscant illi (rogamus) liberius dicentibus: tu enim voluisti nos dicere,

imo

Ep. 38. imo cogis invitos ea ſcribere quæ lubenter ſilentio tegeremus, ſperantes in poſterum meliora. Præter iſta, reſpondemus etiam in præfatione Confeſſioni præfixâ ſignificatum fuiſſe, nos non hic tantum, ſed ubique fere ut hæreticos & ſchiſmaticos traduci: ideoque noſtrum erat, non apud hos ſolum, ſed apud omnes fidem cauſamque noſtram exponere. Id quod ante nos ſimili de cauſa fecerunt, ut ſupra diximus, jam olim è Patribus nonnulli, & nuper elapſis ſæculis Eccleſiæ fere omnes Reformatæ, ac Martyres etiam Jeſu non pauci. Atque hactenus de rationibus tuis adverſus fidei noſtræ divulgationem allatis, quæ quam infirmæ ſint tuum eſto judicium. Verum ut demus firmas eſſe, ac proinde in eo à nobis erratum eſſe, quod in publicum miſſa ſit hæc fidei noſtræ Confeſſio; jam tamen quum divulgetur, oſtendendi certe ſunt & verbo Dei convincendi errores, ſi qui in ea reperiantur. Alioquin facile colliges in fide iſta nos magis magiſque confirmatos iri. Et cum tu (doctiſſime vir) de doctrina quam profitemur ad nos ſcribere inſtituis, errorem autem in doctrina vel unicum non oſtendis; vide quid feceris; Errantes (ut putas) in modo & circumſtantiis, adjuvabis; in re & fide ipſa non juvabis? Abſit hoc longe à te tuaque pietate, eruditione, prudentia, charitate. Atque hæc ad primum caput quod de doctrina inſtituebas.

Secundum caput eſt facti, cujus (ut ais) Eccleſias Anglicanas accuſamus. Hic etiam exſpectavimus, ut quatuor illa capita excuteres, quæ in præfatione iſtius libri ſigillatim recenſentur, & ab illis quotidie fieri ac uſurpari in ipſorum cultu divino oſtenduntur, quorum etiam nomine nos exulare & ab iis diſceſſiſſe teſtati ſumus. Atqui de his quidem ne verbum habes. Et hoc tamen præcipuum illud factum erat, quod in Eccleſia illa animadvertendum eſſe notavimus. Alterum illud de Præſulum tyrannide, & perſequutione noſtri, obiter tantum & paucis attigimus. Miramur igitur, & ſane demiramur, iſta quæ rem ipſam cauſamque plane ſpectant ſic à te ubique prætermitti, qui tamen præ te fers errantes in viam reducere. Sed videamus nihilominus quæ ſint illæ res quas ſic tantopere urges.

Primum Eccleſias illas à quibus diſceſſimus non eſſe à nobis accuſandas. De verbo (accuſationis) non contendemus: id tantum dicimus, à nobis (quod meminerimus) non uſurpari, niſi quum cauſam noſtram agimus, qui ab illis quidem accuſamur hæreſeos, ſchiſmatis, ſeditionis, &c. De quibus quum apud illos, hic, ubique, accuſati fuerimus, locum defenſionis quis bonus nobis denegabit? Sed *cur ceſſerimus* (inquis) *nemo inſtat cognoſcere; & diſcedentes etiam deſiit injuria perſequi.* Hæc quomodo tibi exciderint miramur. In utroque enim aliter ſcribis quam res eſt. Nam & quamplurimi indies cur ceſſerimus inſtant cognoſce-

re, & diſcedentes injuria in hunc locum ad hunc uſque diem perſequuta eſt. De priori teſtes citare non eſt opus, ſunt enim fere infiniti. De poſteriori præter libros à noſtratibus Latine editos, præter chartulas famoſas à noſtratibus in hac civitate adverſus nos diſperſas, præter calumnias noſtratium etiam ubique nos infeſtantium, præter iſta inquam omnia, Miniſtri ipſi Eccleſiarum tum hujus Amſtelædamenſis, tum Dordracenſis, tum Gallicæ, quæ hic in præſentia agit, teſtari poſſunt. Acceperunt (ut ante diximus) adverſus nos conſcriptos articulos quoſdam mendaciis & calumniis refertos, eoſque (quantum nos quidem ſcimus) etiamnum apud ſe habent. Præterea ſi nihil horum aperte contigiſſet, quis tamen neſcit, Anti-Chriſti ſatellites (cujuſmodi ſunt præſules pontificii) ſerpentis ingenium moreſque referre, qui ex ore ſuo poſt mulierem quæ à conſpectu ipſius avolarat aquam tanquam flumen ejecit, ut eam faceret rapi à flumine, quam præſentem devorare non poterat, *Apoc.* XII. & XIII. *cap.*

De injuriis diſſimulandis quod ſubjungis, id à nobis (quantum quidem potuimus) obſervatum eſt. Eas enim nec particulatim recenſuimus, nec poſſumus ſi vellemus. In genere tantum ea notavimus à præſulibus fieri, quæ à Beſtia & Anti-Chriſto Scriptura prædixit perpetranda fore. Nec in hoc genere ſcribendi aut primi ſumus, aut ſoli. Sic jam olim ſcripſerunt plerique Dei ſervi, in ſingulis fere regionibus ab Anti-Chriſto divexati. Nec id ſolum, ſed & perſonas, nomina, locos, tempora, martyria, cauſas actionis, injurias particulares denotarunt. Conſule (ſi placet) Eccleſiaſticos ſcriptores cujuſvis fere ætatis, conſule acta & monumenta Martyrum, in hac, in noſtra, in Scotica, in Gallica, in reliquis fere omnibus circumjacentibus regionibus, imo Acta ipſa Apoſtolorum conſule, & vide an non ibi etiam ejuſmodi particulares hiſtoriæ reperiantur. Præterea dic, quæſumus, ſi id ab omnibus factum fuiſſet, quod tu à nobis exigere videris, unde vel tibi vel aliis quibuſvis ita conſtaret, prout nunc conſtat de complemento (per ſingulas ætates) prædictionum illarum quæ in Scripturis habentur, de Beſtia, de Pſeudo-propheta, de Anti-Chriſto, de ipſius myſterio, exaltatione, tyrannide, mercatoribus, retectione, caſu, &c. unde ex ipſorum actis adverſariorum ora ſic obſtruerentur, prout nunc indies à Martyribus ſerviſque Chriſti fieri videmus, audimus, legimus? Quomodo denique à te ipſo aliiſque doctiſſimis viris hic explicatus fuiſſet divinus ille Apocalypſeos liber (ut de aliis Scripturis itidem expoſitis non loquamur) prout à vobis jam factum eſt magno cum fructu & gratulatione piorum omnium?

De fine quem hic etiam urges, & ſupra in his libris, & in epiſtolis libro ipſi præfixis dictum eſt. His adde, ſi præſules cæterique veri-

Ep. 38. tatis adversarii his & similibus scriptis non emendentur, fient certe magis inexcusabiles. Deinde larva illa, qua tibi (ut videtur) aliisque fere omnibus imposuerunt, exuenda erat. Istud vero apud omnes (ut par erat) aliter quam scriptis publicis fieri non potuit. Ut alios omittamus, tuam (doctissime vir) appellamus conscientiam, an statum Ecclesiæ illius, præsulum illorum ejusmodi aliqua ex parte putaris fuisse, quo ad Anti-Christianam constitutionem, Leiturgiam, ministerium, & Hierarchiam (quam tu esse bestiam illam alteram agnoscis in *Apoc.* XIII. 11, 18.) qualem jam pro certo audis, & libello isto ob oculos quasi depictum intueris? Sed de istis in libro ipso satis dictum est. Hæc sane & ejusmodi eorum infrugifera tenebrarum opera arguenda erant, non dissimulanda, non probanda, præsertim quum tam pertinaciter ab iis retineantur, defendantur, urgeantur, idque sub prætextu Euangelii, cum quo tamen illis non magis convenit, quam tenebris cum luce, Belial cum Christo. Nec est illud accusationum onera suscipere, sed larvam detrahere Anti-Christianæ apostasiæ, & veritatem Jesu Christi contra Anti-Christum attestari. Quod officium à te, à nobis, à piis omnibus exigit Dominus ille & Servator noster Christus, qui ultimis hisce temporibus hominem illum peccati exlegem retegere cœpit, & spiritu oris sui per sermonem testimonii servorum suorum tandem confecturus est. Tantum abest ut ἀπολεσσιμισται (*alienarum rerum curiosi*) habeantur, qui hoc officium Christo præstent, aut ut tibi nos in hoc officio injuriam aliquam faciamus. Tantum etiam abest ut cogitemus quod de te dicis, idem ab aliis fratribus, qui ubivis locorum sunt, in Ecclesiis, in Academiis responsum nobis esse. Ut taceamus alios, novimus D. Th. Bezam, excellentem illum servum Dei, in causis non multum dissimilibus aliter respondisse. Sed hac de re dicetur postea. Interim (ut nos etiam tecum sincere & fraterne agamus) vide, quæsumus, an tu tibi ipsi injuriam non feceris, dum in istud scamma descendis, tam confidenter de aliis pronunciare id, de quo (quantum nos quidem opinamur) tibi nullo modo constare poterit; imo dum solitarius ea de re definias, quæ (ut tuis utamur verbis) seriam consultationem & communicationem sanctam desiderat.

Ephes. 5. 11. Apoc. 18.

Eventum quod spectat, eum Deo committimus; quem certo speramus in bonum, & nobis, & illis à quibus in exilium pellimur, & his apud quos hospitamur, & Ecclesiæ Dei ubivis hæc omnia operaturum. Et cui (quæsumus) bono futurum non esset, si illud fieret quod cupimus? Nos, si erramus, retundat justus & corripiat, benignitas nobis erit & unguentum præstantissimum. Adversarii nostri si magis abalienentur, ipsorum culpa erit, non nostra, non illorum qui pie & ingenue testati fuerint quid sibi in hac causa videatur. Et quis novit, an hinc ipsi secum magis quam antehac expendentes illegitimam Ecclesiæ suæ constitutionem, immanem etiam suam tyrannidem, de priori pie reformanda, de altera prorsus reprimenda serio cogituri sint? Bonis quorum hospitio utimur, de fide causaque nostra melius constabit; ipsi etiam inter se in veritate Euangelii firmius coalescent, dum hinc excitentur, magis in id incumbere ut corruptelæ, quibus ipsorum Ecclesiæ adhuc laborant, rite aboleantur, & dum ii qui erroribus Papistarum, Anabaptistarum, cæterorumque hæreticorum Ecclesias istas infestantium seducuntur, hac occasione ab eis dimoveantur; & ad veritatem Euangelii disquirendam, dignoscendam, amplectendam incitentur. Ecclesiam denique totam speramus nonnihil emolumenti hinc habituram, si fides & causa ista (quæ jamdiu à permultis pro hæresi & schismate damnata fuit) si etiam Anti-Christiana illa apostasia (quæ mundum jam diu sub pietatis larva in mysterio iniquitatis seduxit) si ista, inquam, tanti momenti à tot tantisque viris pietate, eruditione, judicio, sapientia instructissimis, ad Scripturæ canonem examinentur & discutiantur. Atque hæc de secundo capite, quod erat facti. Ep. 38.

Tertium, inquis, est conclusionis ex doctrinæ & facti superioris comparatione illatæ. Hic primum affirmas te in hac causa ἀπόρειν (*hærere.*) Esto. Deus est qui tibi hoc quoque retegere, tuamque conscientiam spiritu & verbo suo persuadere potest. Deinde subnectis quædam de Patrum & sapientum omnium per singulas ætates doctrina & consensu: sed ea tam ambigue à te proposita sunt, ut (causam nostram quod spectat) quid tibi velis, assequi non possimus. Sic intelligi possunt verba tua, ut tecum hac in re libentissime consentiamus; contra vero sic accipi possunt, ut à te non parum nec sine causa dissentiamus. Ab Ecclesia ulla nec temere nec omnino, dum salva fide & conscientia manere quis possit, segregandum esse judicamus. Explicatius igitur dicendum est, quid tibi videatur de separatione nostra (si hac ex parte errasse nos putes) iis omnibus ad verbum Dei examinatis, quæ à nobis in præfatione & Confessione nostra exposita sunt; interim audi & perpende (oramus) quid doctissimus ille & de Ecclesia Christi optime meritus Th. Beza de quæstione ista jampridem scripsit & divulgavit. Sic habetur in ipsius Epistolis in publicum missis. Epist. 8. ad Ed. Grindallum, jam olim præsulem Londinensem, in qua scribens de statu & corruptelis Ecclesiæ Anglicanæ, *Si verum est*, inquit, *quod passim fertur, & ego mihi nondum persuasi, mulieribus istic baptismum privatum permitti, non video, quid sit à meta ad carceres regredi, si hoc non est*, &c. *Illa vero si vera essent, quæ ne verisimilia quidem esse arbitror, Metropolitanos videlicet fœdissimos illos abusus (quibus ne Antichristiana quidem Ecclesia quidquam*

Ep. 38. *quam intolerabilius habet*) *in uſum revocare, nempe beneficiorum pluralitates, licentias non reſidentiæ, libertates contrahendi matrimonii, & uſus carnium, & alia ejuſmodi: hæc eſſet profecto (quod non ſine horrore dico) non corruptela Chriſtianiſmi, ſed manifeſta à Chriſto defectio; ac proinde non damnandi, ſed laudandi potius eſſent, qui ſeſe iſtiuſmodi conatibus opponerent.* &c. Hæc ille, & pleraque alia ejuſmodi in Epiſtolis cæteriſque ipſius libris divulgatis. Jam vero quæ ille ne veriſimilia quidem putavit, nos veriſſima eſſe novimus: nec ea ſolum, ſed centum fere alia iſtiuſmodi, prout attigimus in præfatione Confeſſionis noſtræ. In quibus te rogamus hæc tria præcipue animadvertere, ita tamen ut à reliquis oculos non avertas. 1. Confirmationem baptizatorum (cum jam adoleverint) à Præſulibus ipſis in hunc uſque diem adminiſtratam. 2. Sacros clericatus ordines, & 3. juris (ut vocant) Canonici diſciplinam & ſanctiones in Eccleſia illa adhuc vigentes: & dic (oramus) libere ac ſincere, quid jam tibi videatur de Eccleſiæ illius ſtatu, noſtraque ſeparatione. Equidem (ſi te capimus) de tribus hiſce proxime ſupradictis Antichriſti abominationibus, tu ipſe, characterem, nomen & numerum nominis Beſtiæ interpretaris, in explicatione tua Apocalypſeos, *cap.* XIII. *verſ.* 16. 17. 18. Iſta vero accipere, probe etiam noſti, omnibus ſub pœnâ æterni exitii interdictum eſſe, *Apocal.* XIV. 9. 10. 11. & XVIII. 4.

Sed jam ad D. Bezam ut revertamur; in eo etiam occurrunt nonnulla, (quæ cauſam noſtram ſpectant) diligenter advertenda. Primo, eum privatas ſuas Epiſtolas in publicum edidiſſe; ſecundo, in iis ſententiam ſuam de ſtatu Eccleſiæ Anglicanæ non diſſimulaſſe, ſed libere & ingenue dixiſſe; tertio non tamen ἀλλοτριοπραγίαν (*alienarum rerum curioſum*) eſſe, aut inſipientem, qui in iſtud ſcamma deſcenderit, aut Eccleſiam illam inceſſendo cauſam ſuam apud bonos pejorem effeciſſe, &c. quarto, ſi nihil aliud eſſet, hinc tamen cogitandum eſſe, non quod de te dicis, idem ab aliis fratribus qui ubivis locorum ſunt in Eccleſiis, in Academiis, nobis reſponſum eſſe: quinto denique, nec rupturæ obnoxium fuiſſe, ſi iſta diſſimulaſſet, nec dum iſta pie & fideliter ſcripſerit, factioſum aut incivilem fuiſſe, aut zizaniorum quicquam ſeviſſe; ſed veritati Euangelii Chriſti teſtimonium perhibuiſſe, veréque demonſtraſſe ſe Apoſtoli inſiſtere veſtigiis, qui de ſe & fidelibus omnibus Chriſti ſervis ſic ſcribit & teſtatur, *Non poſſumus quicquam adverſus veritatem, ſed pro veritate*, 2 *Cor.* XIII. 8. Hæc obiter: ita tamen ut tecum ipſe conſideres (dilecte frater) an ea quæ de nobis hic illic in literis tuis innuere videris, in caput ipſum piiſſimi viri Th. Bezæ non recidant, eodem jure, vel potius eadem injuriâ. De aliis itidem doctiſſimis piiſſimiſque viris nunc non loquemur; hujus ſolius mentionem hic feciſſe ſufficiet. Ep. 38.

Quod autem Præſules Pontificios & Sacerdotes ab ipſis creatos (cujuſmodi miniſterium Anglicum eſſe conſtat) pro paſtoribus veris agnoſcere videris, vide quam recte hoc feceris, & quam congruenter cum Spiritu Dei, qui ejuſmodi appellat locuſtas, pſeudoprophetas, Meretricis mercatores, &c.

De Chriſto vero Servatore noſtro quod dicis, cum non vociferando clamoribuſque complendo vicos, ſed leniter inſufflando in ellychnium fumigans, & quaſſatum calamum agendo commode, judicium ad victoriam perduxiſſe; id ſane lubentiſſime agnoſcimus, & precamur ut ſacroſanctum hoc exemplum ipſius imitari poſſimus. Verumtamen iſtud etiam meminiſſe oportet, aliter egiſſe Chriſtum cum infirmis (de quibus hic eſt ſermo) aliter cum ſcribis & Phariſæis, cæteriſque ſimilibus conjuratis veritatis hoſtibus; cujuſmodi hodie præſules Pontificios & eorum ſatellites eſſe quis neſcit, quis non agnoſcit? Idem etiam videre eſt in Apoſtolis Chriſti, ipſorumque actis cum Simone Mago, Elyma, Hymenæo, Alexandro, Phileto, Diotrephe, &c. *Matth.* 16. 3. 4. & 23. *cap.*

Quæ cum ita ſint, humillime oramus te (reverende vir & frater in Chriſto dilectiſſime) per ſanctiſſimum illud nomen Chriſti quod profiteris, per miſerationes Dei quibus nos in Chriſto dignatus eſt, de aliâ ratione cogites (quam quæ tibi adhuc probari videtur) aliam viam ad apoſtaſiam Anti-chriſti retegendam & profligandam, ad ſalutem, ædificationem, pacem tum noſtram tum aliorum promovendam ingrediaris. Fidem veram (quod jam diu magnâ cum laude & fructu piorum feciſti) defendere pergito, errores detegito, cauſas bonas ſublevato, malas deſerito; pro Chriſto & veritate Euangelii ipſius decertato, adverſus Antichriſtum & reliquias apoſtaſiæ ipſius dimicato! apud omnes conſtet, quæ ſit tua non ſolum de fide Chriſti, ſed & de Antichriſti myſterio, apoſtaſiâ, & iniquitate ſententia. Denique quod ad nos ſpeciatim attinet, ſi reſcribis, humiliter & obnixe rogamus, ſicubi à nobis in fide cauſaque noſtrâ erratum eſt, id nobis luce verbi Dei oſtendere digneris. Alioqui ſuſpicio erit, quum tantum operæ poſueris in his diſcutiendis, quæ modum, non rem ipſam ſpectant, te aut diſſimulare ſententiam tuam (quæcunque ea ſit) aut revera in eadem nobiſcum eſſe; præſertim cum jam ſcripſeris, te cauſæ noſtræ nullum præjudicium facere, idque religioſe dixeris coram Domino. Miſereat te (oramus) Eccleſiæ noſtræ hic exulantis, probris ubique affectæ, profundâ inopiâ fere exeſæ, pene ab omnibus ſpretæ & afflictæ, adverſus quam denique Satan extrema quæque modis omnibus jam diu molitus eſt. Miſereat te eorum à quibus diſceſſimus, qui ſub Euangelii prætextu Antichriſtianæ inſiſtunt apoſtaſiæ, eamque tam mor-

Ep. 38. dicus tenent,& acriter defendunt,ut contra eam vix quiſquam apud eos vel hiſcere audeat. Miſereat te Eccleſiarum iſtarum(apud quas hoſpitamur) in quibus ſive preces publicas, ſive Sacramentorum adminiſtrationem,ſive diſciplinæ executionem reſpicias, nonnulla habentur zizania(modo zizania dici poſſunt)aut potius corruptelæ, & eæ quidem non exigui momenti, ad quas impingere ferunt Anabaptiſtas & alios non paucos hic degentes; de quibus etiam antehac nos cum miniſtris harum Eccleſiarum (viris quidem eruditis & fratribus dilectis) oblatâ occaſione amicè egimus; ſed adhuc de illis non convenit inter nos, ſperamus tamen in poſterum (favente Deo, & te aliiſque piis viris adjuvantibus) meliorem conſentum. Miſereat te denique Eccleſiæ Chriſti totius, quam certe non decet, non expedit, ac ne oportet quidem in tot tantiſque vulneribus ipſius univerſe impoſitis, hoc particulari vulnere à te ulcerari, ut veram Chriſti fidem à nobis divulgari, & reliquias Anti-chriſtianæ apoſtaſiæ retegi iniquius feras.

Libere quidem & audacter ad te ſcripſimus (Clariſſime vir) quem pium, doctiſſimum, & de Eccleſia Chriſti optime meritum ex animo agnoſcimus. Maluimus enim, audaciæ ut nos inſimulent homines, quam cauſæ ſuæ deſertæ ut nos coarguat Chriſtus. Te etiam non dubitamus pro ſolitâ tuâ & nunquam ſatis laudatâ humanitate, hanc nobis culpam condonaturum, ad quam non contradicendi animo, ſed veritatis amore, charitatis ſtudio pertracti fuimus. Ipſe autem Deus ac Pater noſter, qui dilexit & vocavit nos in Chriſto, deditque conſolationem æternam & ſpem bonam per gratiam, compleat in te omnem ſuæ bonitatis gratuitam benevolentiam & opus fidei potenter, ut glorificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in te, & tu in eo. Gratia Dei noſtri & Domini Jeſu Chriſti ſit cum ſpiritu tuo. Amen. Amſtelædami, 19 Menſis 2. 1599.

Tibi in Domino addictiſſimi

Fran. Johnſonius.
Henrich. Ainſworthus.
Daniel Studlejus.
Georgius Knivetonus.
Chriſtoph. Bomannus.
Stan. Mercerus.

Cæterique Angli Euangelii cauſâ exulantes & in præſentia agentes Amſtelædami.

XXXIX.

FRANCISCO JUNIO

JOHANNES TAFFINUS,

JACOBUS ARMINIUS,

Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto. Amen.

De quorundam Anglorum fratrum expoſtulatione.

VIr clariſſime & frater in Chriſto reverende; literas tuas, quas Eccleſiæ Anglicanæ, quæ apud nos eſt, fratribus inſcripteras, accepimus, & ex voluntate tua legimus, magna ſane cum animi delectatione, plurimum gavisi quod unus idemque tibi ſuper iſto negotio quod Angli iſti fratres agunt, ſenſus eſſet nobiſcum. Quare utile putavimus, imo & neceſſarium, ut fratribus Anglis iſtas traderemus, ſpem non exiguam concipientes, fore ut illi momentis rationum ponderatis, & argumentis, quæ cumulate & cum pondere abs te afferuntur, ſancte in Domino expenſis, propoſito deſiſterent, & quieti, quam hic invenisse vere gloriari poſſunt, ſe darent. At ſecus accidit. Viſum enim illis eſt reſponſum ſatis prolixum tuis opponere, quod nobis tradiderunt, perlegendum primum, hinc tibi tranſmittendum, eodem uſi traditionis modo quem tu ante uſurparas. Conſultum itaque vitum fuit illud primum legere, inde ad te ex illorum juſſu transferendum curare. Illud dum agimus, animadvertimus nonnulla iſti reſponſo inſparſa eſſe quæ nos concernunt, eaque talia, ut per ea neceſſitatem nobis impoſitam arbitremur de iis plenius paulo ad te perſcribendi, quo tibi de veritate iſtorum conſtare poſſit liquidius, & tu rectius apud te ſtatuere queas quid porro opus facto ſit; quod nos tuæ charitati & prudentiæ totum relinquimus.

Primum autem caput quod nos concernit, hoc eſt. Dicunt linea 1. fol. 2. ſe in Confeſſione ſua non obſcure deſcripſiſſe capita iſta, de quibus inter Eccleſias hujus civitatis & ipſorum nondum convenit. Hoc neque tu, vir doctiſſime, neque quiſpiam alius, oculatiſſimus licet, in iſta Confeſſione facile viderit: nulla enim iſtic mentio eſt ullius controverſiæ quæ ipſis ſit cum noſtris Eccleſiis, multo minus ulla expreſſa controverſorum capitum propoſitio. Verum quidem eſt, nonnulla articulis Confeſſionis iſtius intermixta eſſe, de quibus inter nos & illos controvertitur; at eadem ſub ſimplicis affirmationis & confeſſionis forma ibidem proponuntur, & illis verbis, quæ interpretationem noſtræ ſententiæ non diſſentaneam abſque ulla coactione patiuntur. Quo hoc videas, ecce tibi articulos nonnullos, quos pio & docto cuidam viro, non ita pridem ſeniori ipſorum Eccleſiæ, nunc conrectoratu fun-

Ep. 39. fungenti ſcholæ publicæ quæ eſt in veteri hujus urbis regione, propoſuerunt, ut illum à cœtibus noſtris Eccleſiaſticis, quibus ex officio & lubens conſcientia aſſentiente intereſt, abſtractum ad ſuos reducere poſſent. Articuli ſunt iſti.

1. Eccleſiæ Amſtelædamenſis conſtitutio adeo eſt confuſa, ut 1. Eccleſia tota nunquam ſimul conveniat. 2. Miniſtri una cum grege diem dominicum nunquam ſanctificent. 3. de membrorum Eccleſiæ præſentia nunquam conſtare poſſit. 4. nulla denique actio publica, ſive excommunicatio ſit, ſive quævis alia, rite præſtari queat.

2. Ad baptiſmum recipiunt ſemen eorum qui Eccleſiæ vitibilis membra non ſunt: de iis tamen baptizatis ut de membris curam non habent.

3. In cultu Dei publico commenti ſunt & utuntur alia precationis formula præter eam, quam præſcripſit Chriſtus Dominus, *Matt.* VI.

4. Mandatum illud Chriſti *Matth.* XVIII. 15, 16, 17. nec obſervant, nec rite obſervari ſinunt.

5. Deum in *ἀιδιότητι* Antichriſti colunt.

6. Miniſtri alio modo ſuſtentantur quam conſtituit Chriſtus, 1 *Cor.* IX. 14. Et eo quidem ejuſmodi, quo ſuſtentari poſſet miniſterium quodvis, ſive pontificium eſſet, ſeu aliud quodvis.

7. Presbyterium annuarium eſt, non perpetuum.

8. Matrimonium in Eccleſia celebrant ac ſi pars eſſet Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, cum ſua natura ad civilem tantummodo politiam ſpectet.

9. Nova ſuſpenſionis cenſura utuntur, quam non præſcripſit Chriſtus.

10. Dies certos conſecrant Nativitati, Reſurrectioni, Aſcenſioni Chriſti in cœlos, &c.

Hoſce articulos, noſtro judicio, & quidem quod controverſi ſunt, in Confeſſione iſta ne obſcure quidem expreſſerunt. Videntur quidem art. Confeſſ. 22. ad ſextum illum exſpexiſſe. art. 23. ad 7. 24. ad 1. & 9. art. 33. ad 10. 35. & 37. ad 2. 38. ad 1. art. 39. ad 5. 45. denique ad 3. at ex collatione Confeſſionis & illorum articulorum apparet planiſſime, verba Confeſſionis ne ſapientiſſimis quidem ſatis ſignificaſſe, quod decem iſta capita ſint controverſa inter nos & illos. Quin & ipſa illa decem capita explicatione indigent prolixiore, ut intelligi poſſit quid autores illorum ſibi velint. Quod vero nos experti ſumus, dum abſque explicatione illorum mentem capere non potuimus, & omnino putamus tibi eventurum, ſiquidem illa cognoſcere voles & de iis ſententiam dicere; quod ſi ſtatues, & nobis conſciis, explicationem quam ex ipſorum ore accepimus, tibi ſcripto tranſmittemus.

Sequuntur deinde nonnulla alia, quibus nos oblique notare videntur, & tantum non accuſare, uſi particula connexiva, *ſi*, & oratione conditionali, quam facile eſt cuivis pru- Ep. 39.
denti in ſimplicem affirmationem ex ipſorum mente & ſententia tranſmutare, quod & ipſi in nonnullis faciunt. Dicunt ſibi quietem iſtam, de qua utrinque ſermo eſt, non à miniſtris ſed à Magiſtratibus obveniſſe. Recte ſane; Magiſtratus enim publicæ quietis ſunt cuſtodes, & penes illos & leges patrias eſt, in civitatem & tutelam quos viſum eſt recipere. At innuere videntur, eam ſibi obtigiſſe miniſtris invitis, & impedire conatis. In eo vero falſi videntur. Nos enim quum eos huc appuliſſe, & conventus agere intellexiſſemus, officii noſtri fuiſſe exiſtimavimus, & illos monere, ne quid abſque Magiſtratus venia hîc tentarent, & ſimul Magiſtratui indicium de illorum conventibus facere; non ex ullo pravo adverſus illos affectu, ſed quod in juſtam Magiſtratuum offenſam ſilentio uſi incidere metuimus. Hoc admonitionis officio erga illos uſi ſumus, antequam Nardam ſe conferrent; poſtea ubi inde ad nos redierunt, repetivimus, pro quo & tum gratias nobis egerunt. Putavimus porro ad nos pertinere, quandoquidem non obſcure diſſenſionem aliquam à noſtris Eccleſiis præ ſe ferebant, ex ipſis cognoſcere, quibus in rebus diſcrimen illud conſiſteret, & aliunde reſciſcere quid de illis judicii facerent tum Anglicanæ ipſæ, tum & noſtræ quæ ſunt in Anglia Eccleſiæ; hoc fine, ut ſententiam de illis rogati, quod quidem futurum ex more & conſuetudine Magiſtratus noſtri ignorare non potuimus, reſpondere quid certi poſſemus: ubi autem à Magiſtratu rogati fuimus, quod accidit, ſi recte memimimus, occaſione libelli cujuſdam ſupplicis, quem Magiſtratui pro obtinenda publicorum conventuum venia obtulerunt, reſpondimus quod tum ex ipſorum ore, tum ex aliorum literis cognoveramus, & quidem longe parcius quam ad nos perſcriptum erat. Addunt ſe Confeſſionem ſuam ante triennium, imo & ſuperiore anno, nobis exhibuiſſe, ut eam vel approbaremus, vel confutaremus, ſicubi à veritate aberraſſet. Verum id eſt; ſed reſponſum quod dedimus prætereunt, nempe nobis videre neceſſe non eſſe ut Confeſſionem ipſi ſcribant, ſufficere poſſe ad ipſorum excuſationem, ſi Confeſſioni noſtrarum Eccleſiarum ſimpliciter ſubſcribant, & hoc modo conſenſum in doctrina teſtentur, quem etiam in ſupplici ad Magiſtratum libello præ ſe ferebant. Gravius autem multo eſt quod ſubjungunt; ſe ut hæreticos & ſchiſmaticos à quibuſdam noſtrum denuntiatos eſſe. Hoc factum ignorare nos dicimus. Dolenter quidem pro eo ac decet tulimus iſtam illorum à noſtris Eccleſiis ſejunctionem, quod & illis coram cum fraterna doloris teſtificatione ſignificavimus; at ignominioſis iſtis nominibus illorum factum non notavimus, ſolo quippe fraterno erga illos affectu & Chriſtiana *συμπαθείᾳ* (*compaſſione*) prohibiti; quum alioqui non una nobis oblata occaſio eſſet & dolendi de illis,

Ep. 39. lis, & gravius quid adversus illos pronunciandi. Pergunt de nobis conqueri, quod articulos quosdam plenos mendaciis & calumniis, sparsos contra ipsos, acceperimus, & ipsis exemplar eorum in hunc usque diem, etiam rogati, non impartiverimus. Res ita habet. Occasione cujusdam Joannis de Lescluse, qui à Walonica Ecclesia, quæ hic est, ad Anglos secesserat, scriptum est ad Ecclesiam Gallicam, quæ est Londini in Anglia, ut nos tum de isto Joanne, qui aliquando istius Ecclesiæ membrum fuerat, tum de opinionibus Anglorum, qui apud nos exulant, instruere vellent; quod & Antistites illius Ecclesiæ non gravate fecerunt. Nos vero illa qualiacunque sint apud nos retinuimus, ne cum Synedriis quidem nostris integris facta communicatione, tantum abest ut in vulgus eadem sparserimus: Mirum ergo unde illi resciverint calumnias & mendacia esse, quæ ad nos transscripta sunt; nec minus mirum, quod cum sparsos illos articulos dicant, ipsi exemplar eorundem adipisci nequiverint. Neque unquam à nobis exemplar istorum articulorum petierunt, anteaquam à nobis privatim moniti essent de gravi quadam calumnia, quam adversus nos publicis typis & Belgico sermone disseminarunt, in brevi præfatiuncula, quam Confessioni suæ in eundem Belgicum sermonem adeo male, ut etiam hæreli occasionem dare posset, translatæ præfixerunt: cui nostræ admonitioni nihil opponere potuerunt, quam rogationem, ut ipsis articulorum istorum exemplar traderemus: de quorum publicâ dissemination istâ præfatiunculâ totâ verbis multum aculeatis, & nomini nostro non parum injuriis, conqueruntur. Hic sane dicam calumniæ ipsis scribere, & jure cum iis agere potuissemus, nisi Christiani nominis memoria & miserorum illorum commiseratio sola fraterna admonitione contentos esse jussisset. Cæterum corruptelæ quas in Ecclesiis nostris adhuc remanere dicunt, sunt decem istis articulis comprehensæ, nisi forte & alias norunt. Actum inter nos & illos est de nonnullis illarum: at bona conscientia testari possumus, nihil nostris Ecclesiis objectum esse impuritatis ab illis, quod non probæ refutationis litura deleverimus. At lis ista pendet, partibus utrinque, ut fieri solet, pro se pronuntiantibus. Quod bis terve repetunt, se hic & ubique hæreseos, schismatis, seditionis accusari, & inde causam sibi justam fuisse videri volunt purgandi sui divulgandæque Confessionis; id frustra faciunt, donec narrationi illi, quam suæ apologiæ præstruunt tanquam firmamentum, fidem adstruxerint, quod per duorum aut trium è vulgo, ista crimina illis objicientium, productionem, legitime fieri non potest. Dicunt quam plurimos esse qui cognoscere instant cur cesserint ex Anglia. Si ita est; ex vulgo illi sunt, nullo publico munere fungentes, ad quos propterea authoritas & potestas cognoscendi non pertinet; quibus etiam vel verbulo responderint, si dixerint, sibi facti sui rationem constare, & paratos reddere ejus rationem, si postulentur ab iis ad quos cognitio ista jure pertinet. Et hæc quidem ad ea quæ nos tangunt breviter annotare visum est, ut tu de veritate illorum edoctus, pro pietate tua & prudentia statuere possis certius, quid porro fratrum illorum bono & Ecclesiæ Christi causa abs te fieri oporteat. Precamur Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut te Spiritus sui donis magis magisque instruat, tuisque sanctis laboribus affatim è cælo benedicat ad sanctificationem nominis sui & Ecclesiæ emolumentum. Vale vir Clarissime & frater in Christo reverende, nosque te unice in Domino colentes ama, quod facis. Amstelædamo 3. Martii, 1599. Ep. 40.

Tui in Domino ministri Gallica & Belgica Ecclesiæ, & omnium nomine

JOANNES TAFFINUS.
JACOBUS ARMINIUS.

XXXX.

FRANCISCUS JUNIUS
FRATRIBUS ANGLIS

Gratiam & pacem à Domino.

Litteras vestras, fratres charissimi, accepi heri & legi. Si per nuncium vestrum antè fuisset indicatum, quò ad quem scribi oporteret, res aliter fuisset gesta; sed mensem integrum exspectavi & quæsivi, incertus ad quem mitterem. Si quid secus gestum est quam velimus, accidit facto vestro. Ne falsæ suspicioni detis locum, nihil fratribus & collegis inconsultis feci. Vobis verò consilium dedi: Si non placet, per me sinatis licet: non decet nos esse contentiosos: non enim hic mos noster est, neque Ecclesiarum Dei. Nuncius autem ille vester me solum sine litteris est alloquutus, collegarum neminem: itaque quam fabam in me cuditis, fresa est. De fide quidem rogavistis: at nobis visum est de consilio agere. Quid? si lege vestra non respondetur, an continuò iniquè fit? Sinete nobis, quæsumus, fratres judicium nostrum: Consilium magis quam responsionem ad quæsita dari putavimus oportere: hoc nobis erga vos licere fraterno officio. Si non licuit nobis, at nos æquiores erimus: licet vobis per nos abstinere; literas licet discindere, etiam nobis dissimulaturis. Scripsi de consilio, quia putavi esse opus: non scripsi de quæstione, quia putavi non esse tempus. Alioquin de vobis & de rebus vestris, ne per somnium quidem mihi in mentem venerat, adeò cognitionem rerum alienarum fugio.

Cur

Ep. 40. Cur non tempus? dicetis: Quia non constabat mihi rem ordine & modo gestam: ad quæ vos consilio dato revocavi. Nam si servavistis modum & ordinem, licuit ostendere, si non servavistis, licuit ad eum regredi, quem observetis. Mihi nihil omninò constitit, nec per vos, nec per alios quosquam, ne quem fortè in suspicionem vocatis innocentem. Nec ordine solemus respondere quærentibus ex ordine: si qui ordine non quærunt, ad ordinem solemus revocare ut facto opus. Etiam si quis nos centies præter ordinem urgeat, hunc nos centies ad ordinem retrahemus, aut silentio consulemus tranquillitati nostræ. Ergone pro confesso rem quæsitam habebitis? Bona verba, fratres charissimi: hoc neque veritas, neque charitas docet. Qui diversum dicit, neque hoc, neque illud dicit: qui autem certo judicio diversum dicit, sententiam differt in neûtram partem pronuncians. Hoc si mihi non licebit per vos, quod jure cuivis licet, unum mihi assumam pro jure meo, silentium, ut à cavillationibus vindicam sermonem meum. Qui me confessum dixerit, in veritatem impinget sciens. Alii Confessiones ediderunt. Scio & laudo: nam aut in manibus persequentium titubare visi & dicti sunt; aut consentiente & probante Ecclesia fecerunt ordine. Qui animo dissentiendi scribit, contra ordinem scribit, & contra legem charitatis damna Ecclesiæ ventilat. At si quid dissensionis est, non dissimulare vos profitemini. Imò ne vestigium quidem ullum animadverti in Confessione vestra, ex quo mihi certò de ea re constare posset. Excusate me: nares meæ sunt obesiores, quam ut res adeò latentes odorari possim. Et tamen nunc vel eo nomine gratias vobis habeo, quod dissentire vos à ministris Amsterodamensis Ecclesiæ in nonnullis rebus cognoscitis: Deo verò gratias, quòd me ad suspendendum judicium meum adduxerit. A me igitur factum benè qui rerum vestrarum planè inscius, tamen ita scripsi, ut rem à vobis dissimulatam, aut certè in obscuro positam, salubri consilio anteverterem. Finem, purgationem vestri (etsi de vobis nihil constabat mihi) uno die magis assequemini agendo cum Ecclesia in qua versamini, quàm centum annis (si tot darentur vobis) ad alias huc illuc perscribendo. Factum ex ordine esse nondum mihi persuadetis: si nos constantiùs ordini hæremus, & improbatis, saltem ferte. Nam quod dicitis ubique vos hæreticos, &c. proclamari; ego verò de vobis nescivi; & nondum, si tacuissetis, sciturus fuissem quicquam: adeò rumoribus sunt obstructæ aures meæ. De facto Anglicanarum Ecclesiarum mihi non constat. Quid nos jubetis dicere? Vobis licuit tacere, ut vos litteris meis monui; & per vos non licebit nobis? Vos, si quidem ita novistis probè, judicium penes vos habere potestis; sed in vulgo id pronunciare, ejus suffragatores advocare, & compar judicium à nobis exigere non potestis. Habetote sanè fiduciam vestram, & nobis relinquite modestiam nostram, qui de rebus alienis nisi percognitis non statuimus dicere: Putatis alios bonos aliter dicturos: ego verò melius de illis sentio, quos scientia, peritia, sapientia è cœlo instructos persuasius sum, potiùs huic modestiæ nostræ subscripturos, quàm isti judiciali fiduciæ vestræ. Eventum curare, prudentiæ est: quam si non curatis, det vobis Deus ille prudentiam, qui omnis sapientiæ auctor. De conclusione quid vultis, fratres, aliter dici quam fuit à nobis dictum? Ego verò nec vestra, nec cujusquam mortalis causa constitui præceps in judiciis & inconsideratus esse: præsertim ubi nec nostrum est judicare, nec judicari cum fructu potest. Vos, si rectè potestis, non impedimus: nobis, qui non possumus, liceat profiteri hoc unum apud vos, judicium ferri à nobis non posse. De aliis quos novimus alibi diximus: de illis quia non novimus, ne adhuc quidem dicimus. De Beza (quanto viro!) quod sæpius dicitis, videte, fratres, ne decipiamini. Ille ex hypothesi dixit, quam vos etiam in litteris vestris exprimitis: nos verò, quia videmus, & docet experientia, verba illius hypotheticè dicta simpliciter à multis accipi, ne ex hypothesi quidem audemus respondere. Hoccine grande nefas vobis, & morte piandum? Absit à vobis, fratres, absit illa ratio agendi cum bonis, quam periculosam esse Deus, ratio, tempora nos docuerunt. Non sunt præcipites sententiæ exigendæ, non ferendæ, non audiendæ. Ille Deus veritatis nos jure castigaret, si abjecta prudentia (quæ his temporibus opus est maximè) responderemus ad singula semper, prout leges nobis à consulentibus ponerentur. Tria illa nobis sunt lex secundùm Deum, veritas, charitas, prudentia. Horum sicubi unum deest, metuimus offendere. Petimus à vobis, fratres, metum illum religiosum: nostrum saltem nobis finite, donec expeditiora nobis facta sint omnia: quòd si vobis fortiores in judiciis esse videmini, nos velut infirmos ferte, dum quiete pia & studio sacro ad altiora & certiora venerimus. Quod verè, piè, fraternè, prudenter possumus, in eo nunquam, segnescemus, si quid vobis & Ecclesiæ Christi possumus commodare. Deus vos, dilecti fratres, instituat suo Spiritu, & ad veritatem charitatemque in prudentia sancta & fide dirigat ad gloriam sui nominis, ædificationem sui corporis, & dispositionem salutis vestræ. Amen. Lugduno Batavorum die Mercurii 10. Martii 1599. Ep. 40.

Vester ex animo

FR. JUNIUS.

XXXXI.

FRANCISCO JUNIO FRATRES ANGLI.

Gratia & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

DAtæ ſunt nobis litteræ tuæ, (reverende vir:) quibus perlectis, ſic nos nobiſcum. Si reſcribimus, contentioſum fortaſſe videbitur; ſi tacemus, veritati poterit damnoſum eſſe. Quid igitur? A contentione abſtinendum, ita tamen ut veritas non deſeratur, pro qua etiam contendere hortatur Apoſtolus. Sic igitur paucis accipito, clariſſime vir: Quòd nihil hac in re feceris, fratribus & collegis inconſultis, de eò quidem gratias agimus. Vos itaque conſultatione habita, errorem in fide cautàque noſtra nullum oſtenditis. Quòd conſilio veſtro non acquieverimus, cauſæ ſunt multæ & graves, ſuperioribus noſtris literis tibi ſignificatæ, hic autem à te ſilentio prætermiſſæ. Donec eas ſuſtuleris, nihil à nobis in hoc negotio fieri præter modum & ordinem juſtum ac neceſſarium oſtendi poſſe putamus. Publica criminatio, publicam requirit apologiam. Alii qui Confeſſiones ſuas ediderunt, à te agnoſcuntur & laudantur. Nos forſan ſoli hoc facto peccavimus; & quod jure cuivis Eccleſiæ, (& fere cuivis homini juſta de cauſa) licet, nobis tamen noſtræque Eccleſiæ per vos non licebit. Tam æqui eſtis erga nos. Nec ad illarum Confeſſionum editionem conſenſit Eccleſia Catholica: de particulari vero Eccleſia conſentiente & probante ſi loqueris, ſic etiam edita eſt Confeſſio noſtra. Sed ſcripſerunt illi diſſentientes à Romana Eccleſia, ejuſque ſimilibus, religione adducti: Idem nos ſimiliter fecimus, diſſentientes à Romanæ illius filia, (quoad ejus leiturgiam, hierarchiam, conſtitutionem) nempe Eccleſia Anglicana. Illi tamen dum iſta ſcriberent, nec contra ordinem ſcripſerunt, nec contra legem charitatis damna Eccleſiæ ventilarunt. Utique nec nos.

Jude verſ. 3.

Apoc. 17. 5. Ezech. 16. 44.

De diſſenſione verò non diſſimulata, quid opus eſt aliter ſcribere quam jam ante ſcriptum eſt? Cum Eccleſia Anglicana hac ex parte nobis res erat, & etiamnum eſt: eamque diſſenſionem nominatim, & per certa quædam capita ſpeciatim explicuimus, prout res ipſa & exilium noſtrum neceſſariò poſtulabant. A miniſtris verò harum Eccleſiarum etiamſi in quibuſdam diſſentiamus, cum illis tamen ante admonitionem ſpretam ſimiliter agendum non erat. (Eccleſiæ falſæ alia eſt conditio, veræ (quamvis corruptæ) alia, etiam donec admonitionem ſpreverit.) Aliàs quidem poſſes aliquantum rectè urgere ordinem, & legem charitatis, ſi iſtorum etiam nomina & peculiaris diſſenſionis deſcriptio particulatim à nobis in libro illo expoſita fuiſſent. Veruntamen quicunque praxin iſtarum Eccleſiarum norunt & animadvertunt, (de ejuſmodi ſolis loquimur) poterunt ii quidem percipere ex praxi illa & Confeſſione noſtra invicem collatis, differentiam inter illos & nos intercedere. Atque id etiam novimus à quibuſdam obſervatum. Alioquin ſi ita res habeat (quemadmodum præ te fers) ut illius ne veſtigium quidem ullum animadverteris in Confeſſione noſtra, ex quo tibi certò de ea re conſtare poſſet: quî fit, ut in tanta conſenſione, illi orthodoxi, nos hæretici à tam multis judicemur? Adde, quòd hinc etiam concedis, illos (quantum tu animadvertere potes) unâ nobiſcum conſentire, quoad Eccleſiæ Anglicæ corruptelas, noſtramque ab iis ſeparationem; quandoquidem iſtas apertiſſimè ibi propoſitas, ſemicæcus quiſpiam videre poterit. Quo nomine & tibi gratias agimus, & Deo qui te ad hoc judicium & teſtimonium ferendum adduxerit. Hoc enim illud eſt, in quo ſententiam veſtram deſideravimus. Et vel hinc appareret, neceſſarium fuiſſe, ut Confeſſio fidei noſtræ ederetur (prout jam factum eſt) propter Eccleſiam Anglicanam, cum qua nobis res eſt, & à qua quum diſſentiamus, accuſamur ut hæretici ac ſchiſmatici, malè audimus, & in exilium pellimur.

De fine, facto, eventu, jam ante examinatis, plura adjiciemus, eo ſolum excepto, quod præter alia nonnulla ſcripſimus in præfatione, ideo à nobis editam fuiſſe illam fidei Confeſſionem, ut veritas Dei (quantum in nobis eſt) ab hominum calumniis aſſereretur, & ut alii unâ nobiſcum in eandem Euangelii cognitionem & communionem adducerentur. Tacemus ſimilia aliorum ſcripta & facta, à piis omnibus approbata, nec loquemur plura de afflictionibus, quas multas & graves pro fide hac jamdiu ipſi ſuſtinuimus: Tantùm commemorabimus, (te ſic iterum urgente) * libellum à te ipſo de vita tua conſcriptum: in quo recenſes ærumnas & afflictiones multas, quas antehac in cauſa religionis, tu ipſe ſubiiſti, inſectatus ab adverſariis Chriſti & veritatis Euangelii ipſius. Si quis jam in te regereret, *permultos viros pios iſta non reſciſſe, & nondum, ſi tacuiſſes, ſcituros fuiſſe; te ceſſiſſe loco, & in aliud forum tranſiiſſe, injurias anteactas, ſi qua fuerunt, à teipſo ſilentio & ſpe ferendas, ita à quibus acceperis Chriſtiana charitate condonandas, apud alios Chriſtiana prudentia diſſimulandas; nec eſſe metum ut eo facto rumparis; ſe quemque ſuamque cauſam probare debere pietatis & charitatis officio, non clamoribus aut ſcriptis editis; adverſarios hinc meliores non reddi, ſed cum gravi aculeo amplius efferatum iri; te, ſiquidem ita noviſti probe, judicium penes te habere potuiſſe, non id in vulgo pronunciare; accuſationum onera non eſſe*

Ep. 41.

* *Vita D. F. Junii: edita, anno 1595.*

Digitized by Google

Ep. 41. *esse suscipienda, nec habendam judicialem fiduciam; eventum curare, prudentiæ esse; præcipites sententias non exigendas, non ferendas, non audiendas esse*, &c. Si quis (inquam) ista in te regereret, quæ tu contra nos, annon iniquè hoc ab illis factum putares? Cur igitur quod tibi fieri nolles, aliis facis? Cur ista tam iniquè urges contra Ecclesiam hanc Christi, ejusque membra universa, quæ plures omnis generis afflictiones, plura opprobria, incarcerationes, damna, exilia, mortes perpessa est, quàm tu ipse & alii nonnulli viri boni (etiam ærumnis tuis decies duplicatis,) quorum tamen historiæ particulares conscribuntur, publicantur, approbantur? Sed ista mittemus: nec enim placet nobis mos iste suggillandi, dedignandi, divertendi à proposito, toties à te in literis tuis indignè usurpatus: nec negamus veras fuisse & graves quidem ac condolendas tribulationes tuas, quas etiam, si fidelis permanseris ad finem usque, abundè retribuet in cœlis Dux fidei & spectator certaminis nostri, Jesus Christus, cui totam hanc causam committimus & commendamus.

Conclusio etiam antea pensitata fuit. Nunc autem quid alii de causa nostra sentiant, ipsis relinquimus vel silentio innuendum, vel aliter (ut visum fuerit) explicandum. Interim Domini Bezæ modestam simul & confidentem sententiam omittere non possumus, cujus hypothesis, cum constet eam de rebus verissimis & certissimis proponi, idem valet ac si ab eo simpliciter fuisset enunciata. Et hunc in modum colligere (nostro quidem judicio) nec est malè agere cum bonis, nec periculosum esse; Deus, ratio, tempora docuerunt. Id potiùs periculi plenum esse hæc omnia docent, ad Antichristianam defectionem ejusque reliquias connivere, & veritatem Christi adversus eas in controversia positas, ne ex hypothesi quidem attestari. Hic tecum reputa (si placet) primum Antichristi illius ortum, incrementum, exaltationem. Quæ dum D. Beza consideraret, tam periculosa esse judicavit, ut in eadem epistola profiteatur, se totum cohorrescere, quoties de illis cogitat, & easdem aut etiam acerbiores pœnas plerisque populis initio Euangelium cupide amplexis, à quo nunc sensim deficiunt, imminere prospicit. *Epist.* 8.

Nos ipsos quod spectat, non sumus ii qui leges aliis præscribere aut possumus aut volumus. Omnium sumus infimi & infirmissimi. Atque hoc quidem ingenuè & sincerè agnoscimus: omnique modo studemus à confidentia nimia abstinere, & modestiam sanctam consectari. A te verò (doctissime vir) aliisque itidem piis, eruditis, fortibus, prudentibus viris, instrui cupimus & erudiri, imò in viam revocari, ubicunque in fide causaque nostra erraverimus. Hoc etiam à vobis tria illa, quæ omnibus lex esse debent secundum Deum, veritas, charitas, prudentia, summopere efflagitant. Quo nomine te hortamur, rogamus, obsecramus per sanctissimum Christi nomen, Ep. 42. ut advenias ad auxilium Domini inter fortes. Religiosus metus, (in omnibus & ubique laudandus) hoc nihil impediet, imò promovebit potius: dum consideramus sic metuendum esse ne offendamus, ut interim meminerimus, Deum non dedisse nobis spiritum timiditatis, sed roboris & charitatis & sanctitatis animi; ut non pudeat nos testimonii Domini nostri, neque eorum qui ipsius sunt captivi, exules, testes. 2 *Tim.* 1. 7. 8.

Quod tam liberè ad te scribimus, ignosce precamur. Hoc nobis extorquet veritatis studium, tuique amor. Sumus enim ut veritatis Dei, sic nominis etiam & dignitatis tuæ studiosissimi. Si quid sit, in quo tibi sine veritatis & charitatis detrimento inservire poterimus, imperabis. Aliter (confidimus) nihil à nobis requires.

Fœliciſſimè valeto in Christo Jesu: cui te tuosque sanctissimos & Ecclesiæ utilissimos labores ac studia ex animo commendamus. Amsterdami, 18. Martii 1599.

Tibi in Domino debitissimi,

Ecclesiæ Anglo-Amsterodamensis fratres, Christi exules.

XXXXII.

FRANCISCUS JUNIUS

FRATRIBUS ANGLIS

Salutem in Christo.

LItterarum immanem fasciculum, dilecti fratres, heri vespere à vobis accepi. Consilium dedi quiescendi à quæstionibus; vos me jubetis in quæstiones ingredi: ego in sententia manco: nam mihi pluris est pax in Ecclesia, quam rixarum semina: qui his seminibus pascuntur, fructum metent. Quod concluditis, & prædicatis, me ergo vobis assentiri, conclusio falsa est; de re silentium mihi imposui: & quamvis centies interpellatus litteris, in argumento consilii manebo, donec aliam viam iniri videro. Si non placet, finite; nec mihi placet quæstionum tractatio in hoc tempore. Magis est secundum Deum, silere me à quæstionibus hoc rerum statu, quam in eas me & vos simul effundere. Movetis multa literis; ego quiescam à rebus illis, & in opere Domini me religiosè occupabo. Nunquam prudentia Christiana me patietur de quæstionibus controversis dicere alterâ parte inauditâ. Litteras meas ad vos Anglicè fuisse redditas, nunc primùm cognovi per vos; nescivi factum. Objicitis, meas litteras non esse à vobis ostensas. Credo: nam & litteris & sermonibus multorum factus sum certior non esse ostensas. Si placet, ostendite, per me licet. Videbuntur omnes, quam falsi sermones de

Ep. 42. eis fuerint habiti. Earum me nec pudet, nec pudebit unquam. Sed miseret me vestri (ex animo dico) qui pro litteris meis publico datis conclusiones vestras. Cum bonis benè agi oportet. Quòd exempla litterarum mearum in Angliam delata sunt, vos ipsi facilè potestis conjicere, quo factum modo. Fuit illic legatus serenissimæ Reginæ ante menses quasi decem, & duo ex numero vestro sunt apud ipsum pransi. Quid in prandio acciderit, potestis meminisse. Ille huc venit ad me; miratus est factum discessionis vestræ; exposui me ad vos scripsisse; exempla postulavit. Consilium vobis dedi: quisquis dedit publico, me inconsulto fecit: non alterius præstabo factum, sed meum. Interea Deum orabo animos vestros ad veritatem, prudentiam, charitatem, pacemque componat, & nostros omnium ad gloriam suam. Valete in Domino. Lugduno Batavorum, die 16. Julii. 1602.

Vester ex animo

FR. JUNIUS.

XXXXIII.

FRANCISCO JUNIO

FRATRES ANGLI.

Gratia & pax in Christo Jesu.

LItteras tuas tertias & breviusculas (dilectissime vir) accepimus hac superiore septimana. Fasciculum immanem, si ita fuit, fecerunt litteræ tuæ impressæ & inclusæ. Non bene à te dictum, quod fidei Christianæ Confessionem & ejus divulgatæ apologiam vocas quæstiones & rixarum semina; nec quòd dicis nos te jubere in quæstiones ingredi. De conclusione, verane sit ad falsa, judicent nunc alii, qui tuas unâ cum nostris videbunt. De re silentium tibi imposuisti: Et de modo etiam ac reliquis, ubi nec occurrit quod respondeas. De reipsa tamen, si cum Papistis, Anabaptistis, aut quibusvis ejusmodi à vera fide erraremus, non dubitamus quin os aperires ad respondendum, refutandum, convincendum. Sed quia in fide nostra nullum potes ostendere errorem, & tamen in hoc tempore & rerum statu pro nobis causaque hac stare non placet, silere tutissimum. Prudenter quidem, sed non secundum Deum; qui denuncians per
Jer. 48. 10. prophetam dixit, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*; &, *maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine.* Contra; *Beatus*,
Psal. 137. 8. 9. *qui tibi*, filia Babyloniæ vastanda, *rependet maleficium tuum quo affecisti nos*; *beatus qui prehendet & dissipabit parvulos tuos ad petram.* Si hoc contra Moabum & Babylonem materialem, quanto magis contra Antichristum & Babylonem spiritalem omnesque illius filias & abominationes? Si hoc in umbram & typum, quanto magis in substantiam & corpus ipsum? De argumento consilii satis dictum est. Si tu millies repetas, nec responsionem & rationes tollas, (in primis nostris litteris allatas,) idem semper responsum & nos repetemus. Multa illa quæ tuis & nostris litteris continentur, jam prodeunt in publicum. Nec dubitamus, quin hoc opus Domini. Vide igitur ut in eo religiosè occuperis. De rebus controversis ut dicatur, nos non aliter postulavimus, quàm Ecclesiæ Reformatæ & viri illi pii ac martyres Jesu, qui eodem consilio suas fidei Confessiones & ærumnarum causas, coacti, in publicum emiserunt. Litteras tuas non esse à nobis ostensas, non scripsimus: sed, exemplar illarum nemini fuisse à nobis concessum: quâ cautâ, scripsimus in superioribus. Ostensæ quidem erant & perlectæ in publico Ecclesiæ nostræ cœtu. Si aliis ostendi volebas, id nos nescivimus. Jam quum scribis hoc te velle, ostendemus tuas unâ cum nostris publicè apud omnes; & si qui falsos ullos de eis sermones habuerint, eos jam pudeat. Interim tu ipse providebas, missis tuis primum non obsignatis, ut aliis priùs ostenderentur quàm nobis, ab aliis etiam prius legerentur. Nec rem excusat, quod in secundis tuis scripsisti per nuncium non fuisse indicatum quò, ad quem, scribi oporteret, ideoque te mensem integrum exspectasse & quæsisse, istius rei incertum. Nos enim utrumque expresse significavimus in Epistola dedicatoria præfixa libro illi qui tibi per nuntium exhibitus erat. Alioqui unde nosti post mensem magis quàm ante, quò & ad quos mitteres? Aut cum noveris, cur non obsignabas? An quia ostensas voluisti? Credimus: & ea de causa etiam exempla illarum in Angliam delata. Istud quoque & nos novimus, antequam Anglicè redditæ essent; sed tacuimus, exspectantes quid inde sequeretur. Jam tu ipse vides redditas & publico datas. Pro illis igitur & cum illis nos etiam nostras. Unde patebit, cum bonis bene nos egisse. Appelles tu eas quo placet nomine; nostra parum refert: hoc illud est quod cupimus & enitimur, simplicitatem Euangelii Christi, iniquitatem apostasiæ Antichristi, apud omnes magis magisque innotescere. Si te igitur nostri misereat, feremus: precantes ut tui misereat Deus in Christo.

Ep. 43.

Quod scribis, duos ex numero nostro apud honoratissimum illum Legatum pransos fuisse; verum non est, quantum nos quidem scimus; nec quid in prandio acciderit novimus. Neque ille nos accersivit, neque nos ipsos intrudere placuit. Si de causa nostra per nos certior fieri voluisset, lubenter à nobis & syncerè factum fuisset. Tu etiam poteras, quum à te scisciteretur, nostras cum tuis, & fidei nostræ Confessionem unâ ostendisse, exempla quoque litterarum utrarumque dedisse. Sic trantlator utrasque publico dare potuisset. Sic tu cavisses, ne sententia diceretur altera parte

inau-

Ep. 44. inaudita: quod prudentia Chriſtiana, tu ipſe dicis, non patitur in quæſtionibus controverſis fieri. Hac igitur ex parte à te erratum eſt, & hoc à te præſtandum: tametſi de facto ſuo ipſi reſpondendum ſit, qui tuas te inconſulto tranſtulit & publico dedit. A nobis ſicubi erratum eſt, oſtende (rogamus iterum iterumque) ex verbo Dei, id eſt, ex ſola veritatis regulâ, & cedemus lubentiſſimè. Et ſic precamur Deum, ut te unâ nobiſcum & ſuis omnibus dirigat ſemper ad Jeſum Chriſtum, & conſervet in ipſo, qui ſolus eſt via veritas & vita. Cujus nomen benedictum in ſecula. Amen. Amſterodami Julii 21. 1602.

Tui in veritate & pace Euangelii Chriſti,

Fran. Johnſonius.
Henr. Ainſworthus.
Daniel Studley.
Stan. Mercerus.
Chriſt. Boman.
Tho. Biſhop. David Breſſeo.

Unâ cum reliquis fratribus Eccleſiæ Anglo-Amſterodamenſis.

XXXXIV.

JOANNI UYTENBOGARDO

Amico amiciſſimo ſalutem & bene per Chriſtum agere precor,

JACOBUS ARMINIUS.

De Trinitate.

QUod rarius ad me ſcribis, ſcio quidem ex amoris defectu non fieri, neque ex oblivione mei, at interim dulcedine alloquii tui me privas, qui mutui amoris fructus eſt exoptatiſſimus. Quare age & quod polliceris poſtremis tuis literis, priſtinam taciturnitatem crebriore affatu reſarci, & majore loquacitate (ita enim loqueris) compenſa. Ingratum eſſe non poterit, quod abs te mihi proficiſcetur. Quin ſi ipſe venias, multo id mihi gratius accidet. Ne autem promiſſi præſtationem differas ulterius, en tibi occaſionem à me ultro oblatam. Verſor in ſynopſi locorum Theologiæ ordine inſtituenda: ſtatui de novo Theologos tum veteres tum Neotericos omnes qui ad manum ſunt & quos nanciſci dabitur, pervolvere, accurate quantum in me erit ſingulos locos penſitare, & quæ digna videbuntur obſervare, & ad ſuas claſſes referre: quæ etiam videbuntur nota aliqua & animadverſione digna, cenſere. Initium facio à loco de Deo, qui primus in Theologia eſt ordine & dignitate. In hoc tum naturam tum perſonas conſiderabo. Illius conſideratio plana ſemper habita & raris obnoxia diſputationibus in Eccleſia Chriſti; perſonarum vero difficilior judicata, & quæ Eccleſiam inde pene ab initio illius varie affecit & turbavit. Quare varii de illarum æqualitate & diſtinctione veteribus ſcripti tractatus, & crebriores qui æqualitatem inter illas ſeu conſubſtantialitatem, quam diſtinctionem earundem probandam ſumpſerunt: propterea quod Arrii factio probabilioribus in ſpeciem niti videbatur rationibus, quam Sabelliana. Noſtro vero ſæculo Sabelliana factio interpolata non eſt. Arrii vero & Samoſateni quin & Macedonii plurimum renovata, licet mutato vultu & variata pelle. Quare & illi qui veritatem adverſus ſophiſmata & blaſphemias novatorum defendendam ſumpſerunt, intenti in id quod ex propoſito agebant, de unitate eſſentiæ & conſubſtantialitate trium perſonarum plurimum tractarunt, de diſtinctione earumdem parum admodum, niſi eouſque, quod diſtinctæ eſſent perſonæ, breviter annotata characteriſtica diſtinctionis nota. Quouſque autem & quatenus, & quæ diſtinctionis origo & quid eandem conſequens, non æque meo judicio accurate penſitarunt. Quare etiam nonnunquam loquendi modis mihi uti videntur, qui Sabellianæ hæreſi affines non abſque cauſa haberi poſſint. Horum tibi nonnullos proponam dijudicandos, quo occaſionem tibi dem ſilentium & taciturnitatem abrumpendi, quamquam tibi deeſſe illa non poteſt, pro ampla & varia rerum Theologicarum quæ tibi divinitus obtigit cognitione. Calvinus lib. pr. Inſtitut. cap. 13. ſect. 19. dicit. *Quum de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, bene & proprie ipſum à ſe eſſe aſſerimus, & ideo unicum vocamus principium:* & hæc putat ſe ex antiquitatis ſenſu hauſiſſe; addit enim, *veteres nunc Patrem Filii principium tradere, nunc Filium à ſe ipſo divinitatem & eſſentiam habere.* Danæus lib. 1. Iſagoges Chriſtianæ cap. 23. ita loquitur. *Pater dicitur principium & origo relative ad ea omnia quæ ab eo creata ſunt, ut putat Auguſtinus, non autem ad Filium. Cauſam enim divinitatis Pater Filio non dedit.* & paulo poſt. *Poteſt tamen Pater dici principium ad Filium, non tamen principium & origo Deitatis Filii vel Spiritus Sancti, ne eos faciamus Patre minores. Neque enim Filius quà Deus eſt poteſtatem à Patre habet, aut vim divinitatis quam habet in ſeſe.* Vide Philippum Melanthonem & Pezelium tomo 1. object. de diſcrimine trium perſonarum, argumento 2. ubi phraſes illæ conſiderantur, Eſſentia gignitur, Filius eſt eſſentia divina genita: & quidem bono ſenſu rectè uſurpari poſſe dicuntur. Amandus Polanus lib. 1. partitionum Theologicarum; *Filius non eſt quidem αὐτόθεος, id eſt, ex ſeipſo Filius, quia eſt Patris Filius. Sed eſt tamen αὐτόθεος, hoc eſt ex ſeipſo Deus, hoc eſt, illa eſſentia quæ eſt in Filio non eſt ab alia eſſentia ſed à ſeipſa, cum una ſit eademque Patris & Filii eſſentia.* & paulo poſt. *Chriſtus igitur eſt Deus ex ſeſe. Niſi enim ex ſeſe Deus eſt, omnino Deus eſſe non poteſt. Nam ut Deus ſit, id Deo ex ſeſe eſt inſitum, Deus enim eſſe*

Ep. 44 *non poteſt, cujus ideo non ſit à ſeipſa. Eſt vero aliud gigni eſſentiam, aliud ex eſſentia. Eſſentia non gignitur ex eſſentia, Eſſentia eſt ἀγέννητος, ideo etiam Filius, quà Deus, eſt ἀγέννητος. Sed Filius ex Patris eſſentia eſt genitus. Quare Chriſtus qua Deus eſt à ſeipſo eſt, qua Filius ex Patre eſt.* Zanchius de tribus Elohim quodam loco Calvinum explicat & defendit. Bellarminus in Calvino illum loquendi modum reprehendit, at excuſat authorem, quod licet incommode loquatur, non male tamen ſentiat de articulo Trinitatis. Ego ut breviter de iſtiuſmodi loquendi formulis meam ſententiam dicam, ſimpliciter rejiciendas puto, ut Sabellianæ hæreſi affines. Singulos tamen locos paulo latius conſiderabo. Et Calvini prius. *Quum de Filio*, inquit, *ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur*: at quomodo de Filio loqui poſſumus ſine Patris reſpectu? nonne Filius relative dicitur ad Patrem? *At quum de Filio loquimur quà Deus eſt, tum recte aſſerimus illum à ſe eſſe & divinitatem & eſſentiam à ſe habere.* Nullo modo. Filius enim à ſe eſſentiam habet, jam non eſt Filius. contradicens eſt in adjecto. Nam Filius eſt qui à Patre eſt. Recte, inquiet, quà Filius, non quà Deus. Imo & quà Deus. Eſt enim Deus ex Deo, Filius ex Patre; & falſa eſt ſimpliciter hæc loquendi formula, Filius quà Deus non eſt ab alio. ut ut enim Filius conſiderari poſſit citra illam relationem quam habet ad Patrem, tamen nullus conceptus Filio adaptari poteſt, quocunque id fiat reſpectu, qui Filii definitioni adverſetur: adverſatur autem Filii definitioni, à ſe eſſentiam habere. Neque alia re Filius eſt Deus, alia Filius. Compoſitus enim eſſet. Deus eſt Deitate ſibi communicata, & Filius eſt divinitate ſibi à Patre communicata; licet Dei vocabulum præſentiam Deitatis includat tantum, Filii inſuper modum illius præſentiæ, nempe per communicationem à Patre per generationem factam. At quid hoc ſibi vult? Filium vocamus unum cum Patre principium? Mera hic eſt æquivocatio: de principio enim hic agitur quo Pater eſt principium Filii, & Filius ex Patre, & dicit Filium vocari unum principium cum Patre reſpectu creaturarum. Nam opera ad extra ſunt indiviſa, ſervata tamen diſtinctione perſonarum. Ergo aliter hic uſurpata vox principii quam decet, ubi de relatione inter perſonas agitur. Quod autem illa etiam à Patribus tradita dicit, vix credo. Saltem illa loca, quæ in margine ex Auguſtino citat, nullo modo id habent. Videamus Danæum. *Pater dicitur principium & origo*, inquit, *ad ea quæ creata ſunt, non ad Filium.* At inquam ego; Pater dicitur principium & origo ad Filium, & ad ea quæ creata ſunt: ad illum quidem ſolus, & per actum generationis; ad hæc vero una cum Verbo & Spiritu ſuo per actum creationis. Ratio meæ dictionis hæc eſt, phraſi Danæi explicata; quod Pater Filio cauſam divinitatis dederit, id eſt, cauſa ſit quod Filius ſit Deus. non enim eſt alia cauſa cur Filius ſit Filius, quam cur ſit Deus. Sed corrigit poſtea ſeipſum & dicit, *Patrem poſſe dici principium ad Filium, ſed non principium & origo Deitatis Filii.* Utrumque hoc vere dicitur. Pater enim eſt principium Filii, & non Deitatis Filii. Nam Filii Deitas eſt eadem quæ Patris; at illa ſimpliciter eſt ſine principio, & originis expers. Eſt tamen cauſa quod Filius habeat Deitatem. Cauſam reddit; *ſic enim Filius eſſet minor Patre.* Sane, ſi Deitas Patris eſſet originis expers, Filii vero divinitas principium haberet, minor eſſet Patre Filius, quod ad naturam attinet Deitatis. Sed quid hinc ſequitur? Minorem eſſe Filium Patre ratione perſonæ. Nam Patris perſona eſt originis expers, Filii perſona eſt à Patre. Hoc ſequitur ex concluſione Danæana, & neceſſario. At id putabunt nonnulli blaſphemiam. Si ita eſt, tum plerique ex antiquis Patribus Græcis blaſphemi fuerunt, ſine quorum opera tam planam hujus articuli explicationem non haberemus. Quæ addit, diſſentiunt ab antecedentibus. *Neque enim Filius*, inquit, *qua Deus eſt, poteſtatem habet à Patre, aut vim divinitatis quam habet in ſeſe.* Quomodo ergo Pater principium ad Filium dicitur? & unde ergo Filius habet vim divinitatis? Si à ſe, ſeu potius à nullo, jam Filius eſt Pater; quod eſt directe Sabellianum. Ergo ab alio; à quo, ſi non à Patre? Loquendi iſtæ formulæ, ut ad Melanthonem & Pezelium veniamus, Eſſentia gignit, Eſſentia gignitur, ſimpliciter ſunt repudiandæ, utpote inconvenientes. Neque tollitur inconvenientia per explicationem hanc, Eſſentia conſideratur communiter & relative. Qua communiter conſideratur, nec gignit nec gignitur; ſed qua relative, & gignit & generatur. Abſurdum enim eſt eſſentiam tribus communem relative conſiderari. Si enim eſſentiæ addas relativum conceptum, jam non amplius eſſentiam, ſed perſonam eſſentiam habentem conſideras. Nam relatio addita eſſentiæ perſonam conſtituit. Neque rectè definitur Filius, Eſſentia divina genita: Sed, perſona habens eſſentiam per modum generationis. Non enim poteſt eſſentia ingredi definitionem perſonæ niſi in obliquo caſu, ut loquuntur Scholaſtici. At perſona, inquit Pezelius, conſtat eſſentia & relatione. Quærit ergo mens ſtatim, quæ res ſit quæ gignatur? Num ſit relatio tantum, an eſſentia? Reſpondet, non relationem tantum eſſe terminum generationis, ſed ipſam eſſentiam genitam, id eſt, Filium ipſum Patri. At dico, terminum generationis dupliciter dici, nempe terminum quo, & terminum quod; terminus generationis quo, tum activæ tum paſſivæ, eſt eſſentia; terminus quod generationis activæ eſt Pater, paſſivæ eſt Filius. Pater enim generat, & Filius generatur. Eſſentia vero ideo nec generat nec generatur, tum quia generatio, utpote actio & paſſio, con-

Ep. 44. convenit τῷ ἰδιωματίῳ: Eſſentia autem id non eſt: tum quia neceſſe eſt ut id quod generat re diſtinguatur à genito, & contra. Eſſentia vero re non differt à perſona, vel gignente, vel genita. At terminus generationis quo, non neceſſe eſt ut differat re à gignente, vel genito. Quare abſtinendum videtur à loquendi formulis, neque in Scriptura uſitatis, hæreſi autem occaſionem præbentibus, neque ad normam probæ enuntiationis efformatis. Reſtat Amandus Polanus, qui dicit Filium non eſſe ἀυτόθεον, id eſt, ex ſe Filium, ſed tamen ἀυτόθεον, ex ſe Deum. At inquam ego. Quemadmodum Filius non eſt à ſeipſo Filius, ita non eſt à ſeipſo Deus. Eſt quidem ἀυτόθεος, id eſt, à ſeipſo Deus, id eſt, ea divinitate Deus quæ ipſius eſt propria; ſed non eo ſenſu quem ille dat iſti verbo. Explicatio vero quam adfert probum habet ſenſum, ſed non eſt explicatio ejus quod antecеſſit. *Eſſentia enim quæ eſt in Filio non eſt ab alia eſſentia*; at illa verba non idem valent, neque directe neque conſequenter, quod iſta: *Filius eſt ex ſeipſo Deus.* Pergit. *Chriſtus igitur eſt Deus ex ſeſe.* Infero ego. Chriſtus ergo eſt Pater. Probat. *Niſi enim ex ſeſe Deus eſt, omnino Deus eſſe non poteſt.* Bona verba! Sic vere dixero ſolum Patrem eſſe Deum, & Filium Spiritumque Sanctum Deum eſſe non poſſe. Neuter enim eſt à ſe, ambo à Patre; ille à Patre tantum; hic etiam à Filio, juxta Latinos, vel per Filium, juxta Græcos. At quod addit, ſatis declarat quo ſenſu hæc dixerit, *Deus enim eſſe non poteſt*, inquit, *cujus ἰσία non ſit à ſeipſa.* Recte; at quia Filius habet ἰσίαν quæ eſt à nullo, hinc non ſequitur quod Filius ſit Deus ex ſeipſo. Multum enim hæ loquendi formulæ differunt; iſta enim eſt orthodoxa; Filius eſt Deus ea Deitate, quæ eſt originis expers & à nullo: vel, ut ille loquitur, quæ eſt à ſeipſa. Hæc vero eſt Sabelliana, Filius eſt Deus à ſeipſo, ſeu ex ſeſe. Hoc enim attributo tollitur diſtinctio perſonarum, quæ his particulis declaratur; Pater eſt Deus à nullo, Filius eſt Deus à Patre, Spiritus Sanctus eſt Deus à Patre & Filio. Sed inquiet aliquis, iſtæ formulæ ita explicatæ nihil continent falſi & abſurdi. At inquam ego: abſurdus eſt qui putat iſtas formulas idem ſignificare quod explicatio dicit. Non tantum recte ſentiendum, ſed & recte loquendum eſt, præſertim de divinis. Ineruditi eſt, imo incogitantis, non curare quibus verbis ſententiam veram enuntiet. Si hanc ſemel licentiam nobis conceſſerimus, quo abibimus? Dicet alius; Filius eſt Pater; & defendet recte dictum, quia hunc habet ſenſum, Filii divinitas eſt eadem quæ Patris. Item, Filius à Patre non eſt diſtinctus; quia eſſentia Filii à Patris eſſentia non eſt diſtincta. At dicet quis, illas formulas mordicus retinere volens; An non una eademque perſona conſiderari poteſt tum ut Deus, tum ut Filius? Quis neget? An non utraque conſideratio ab altera differt, & aliud concipimus ſub nomine Dei perſonæ tributo, quam ſub nomine Filii? Eſto, neque enim hoc negaverim. At perget. Sub nomine autem Filii iſti perſonæ tributo concipimus quod iſta perſona ſit ab alio, nempe à Patre. Ergo ſub nomine Dei eidem perſonæ tributo concipimus quid aliud quam quod ſit à Patre. Recte. Ergo quod ſit à nullo. Non ſequitur. Non enim ſunt contrarii iſti termini, Deus & Filius, quales ſunt eſſe ab alio, & eſſe à nullo; ſunt tantum diſtincti. Nam Filius notat conceptum, quo illa perſona eſt ab alia; ſub Dei notione concipimus illam perſonam participem eſſe veræ Deitatis. Conjunge utrumque conceptum, & ſenſus erit; Filius eſt perſona divinitatem à Patre habens per generationem. Et hoc voluerunt illi, qui dixerunt, *Deum de Deo*, ut ipſa verba docent; nempe Filium non tantum eſſe aut dici Patris Filium, ſed ipſum à Patre Deitatem habere, & propterea recte Deum dici, & Deum ex Deo. Conſubſtantialitatem enim iſtis vocibus expreſſerunt, non negationem originis ex alio; quin hanc iſtis verbis aperte excluſerunt. Inſiſtet pertinax aliquis ulterius, & dicet, an non Filius & Pater ratione Deitatis ſunt unus Deus? Sane. At Pater eſt Deus à nullo, ergo & Filius ratione Deitatis à nullo. Nego ſequi. Quia Pater eſt Deus à nullo, non quia Deus, ſed quia Pater; licet vox Patris non ſignificet directe quod ſit à nullo, ſed quod ſit genitor; hoc tamen ex eo neceſſario infertur, niſi velimus infinitatem in perſonas divinas invehere. Dicam accuratius; Pater eſt Deus à nullo, non qua Deus, ſed qua illa perſona, quæ ingenitus dicitur, quia eſt expers originis, & Pater dicitur, quia origo Filii. Ingenitum enim non eſt vox eſſentiæ determinativa, ſed modi ſubſiſtendi ſignificativa, & quidem per negationem ſeu privationem; quemadmodum Baſilius Magnus, Cyrillus, & alii Græci Patres adverſus Arium, Eunomium, Aëtium & ſimiles hæreticos vere & erudite docuerunt. Ep. 44.

At unde noſtris iſtæ loquendi formulæ uſurpatæ? Dicam me neſcire, & vellem dicere poſſe ex ſimplici ignorantia & incogitantia. at metuo pejus. Suſpicor ex pravo aliquo de Trinitate conceptu haſce loquendi formulas ipſis natas eſſe. (Ne mirare Uytenbogarde, puto enim paucos eſſe, qui iſtum articulum ut nobis in Scripturis eſt propoſitus, & à Patribus, præcipue Græcis, tum etiam Latinis, plenius pertractatus, accuratè conſideraverunt) Suſpicionem meam breviter tibi enarrabo. Quando perſonæ tres unus Deus dicuntur, perſonas ſingulas apud ſe cum proprio exiſtendi ſeu ſubſiſtendi modo & characteriſtica ſua nota concipiunt; deinde conceptum quemdam communem formant ſub nomine unius Dei: & quidem ut illum conceptum formant diſtinctum à conceptibus iſtis, quibus ſingulas perſonas conſiderarunt cum ſua proprietate (neque enim fieri poteſt ut mens finita

tmo

Ep. 44. uno conceptu concipiat perſonas tres cum modo quo differunt & quo unum ſunt) ita quoque quod conceptui ſubeſt,, nempe res ipſa Dei voce ſignificata, diſtincta æſtimatur à rebus quas ſub aliis iſtis conceptibus conſiderarunt: inde eſt quod iſtis perſonis ſub ſuo conceptu conſideratis proprietates tribuunt ipſis convenientes; ſub conceptu vero unius Dei tribuant id quod Deitatis eſt proprium, nempè à nullo & ingenitam eſſe. At conceptus ille eſt pravus. Nam licet conceptus ſit diſtinctus, tamen mens, de ſuis diſtinctis conceptibus judicare potens, debebat eoſdem docuiſſe, conceptum illum unius Dei attribuendum ſingulis perſonis ſub ſuis conceptibus conſideratis. Conceptus enim iſte Dei tribuendus ſubjectis ſeu individuis, extra quæ ille conceptus entitatem ſeu exiſtentiam non habet. Utinam hoc poſſem enuntiare ut apud me ſentio. Dicam tamen adhuc aliquid majoris explicationis gratia. Noſti authoribus noſtris vulgatam hanc eſſe diſtinctionem, quod Dei vox aliquando eſſentialiter, aliquando perſonaliter ſumitur. Quando eſſentialiter, tunc communem eſſe tribus perſonis; quando perſonaliter, tunc uni perſonæ propriam eſſe. Ut ut illa diſtinctio vera ſit, tamen ſciendum, vocem illam Dei eſſentialiter ſumptam, non ſignificare quid exiſtens extra perſonas, quod & illi ſæpe docent; neque tribui poſſe perſonæ ſingulari & individuæ, niſi cum certa reſtrictione, quam circumſcribit modus quo iſta perſona in ſua proprietate incommunicabili ſubſiſtit. Deinde notandum, quod vox Deus non ſit abſtracta, ſed concreta; & propterea non eſſentiam notans, quæ ſe habet ut abſtractum; ſed perſonam, ſub vaga tamen & indiſtincta notione; notione, inquam, quæ non certum modum ſubſiſtendi denotet, ſed ſubſiſtentiam tantum indicat in eſſentia divina. Dei enim vox perſonam notat ſubſiſtentem; ſed notatio eſt ab abſtracto, quod eſt divinitas & eſſentia divina. Sicut Filii vox perſonam notat, ſed ab abſtracto, quod non eſſentiam, ſed relationem notat & modum ſubſiſtendi, ut etiam Patris & Spiritus Sancti, ſeu potius Spiritus Dei. Hinc eſt, quod Dei vox quia perſonam notat, licet indiſtincte, nihil perſonæ cui attribuitur tribuere poſſit, quod contrarium ſit proprietati iſtius perſonæ incommunicabili, imo quod iſta proprietate non nitatur. Quia autem notatio eſt ab abſtracto, quod eſt tribus commune; hinc eſt quod iſta vox, perſonam notans, licet de ſingulis diſtinctim prædicetur, tamen multiplicationem non patiatur. Neque enim recte dicitur, tres eſſe Deos; licet tres ſint perſonæ habentes Deitatem: quia cum notatio ſit ab abſtracto, illius concreti multiplicatio neceſſario abſtracti multiplicationem inducit. Si quis hinc inferat, quemadmodum tres perſonæ, quia unius numero Deitatis ſunt participes, tres Dii dici non poſſunt, ſed unus Deus; ita quoque, quia eædem perſonæ participes ſunt Deitatis origine carentis, Ep. 44. poterunt dici origine carere, quando ſub notione Dei conſiderantur. Nam Deitati tam convenit expertem principii eſſe, quam unam eſſe. Reſpondeo. Si perſonæ illæ omnes citra communicationem Deitatis eſſent participes, ſicut unius Deitatis ſunt participes per communicationem, recte ita concluderetur. Nam communicatio iſta unitati Deitatis non eſt contraria; at facit eadem communicatio, ut perſona, cui communicatio facta eſt, originis expers dici non poſſit. Deinde originis carentia dupliciter dicitur. Deitati attributa, eſt carentia originis in eſſentia: attributa perſonæ, eſt carentia originis in ſubſiſtentia. Denique quando Deitati adimitur principium, illud intelligitur, quo ex non eſſe producta ſit ad eſſe ex nihilo: quando vero principium adimitur perſonæ, illud intelligitur quo ex alterius eſſentia nata ſit vel producta. Hac itaque ablegatâ homonymia rectè dicitur Filius eſſe expers originis, id eſt, non eſſe ex non eſſe ad eſſe productus ex nihilo. Hoc autem non ſignificatur quando Filius quà Deus ex ſeſe eſſe dicitur. Cæterum totum hoc quod de cauſa iſtorum loquendi modorum dico, latius explicare poſſem à natura generis & individuorum; licet eſſentia genus non ſit, ſed conceptu ſimili aliquo modo conſideretur. Videtur enim mihi origo totius hujus ignorantiæ eſſe ex eo, quod Dialecticis leviter imbuti plerique non ſatis naturam generis intelligant, neque conſiderent quantum diſtet ejuſdem rei conceptus ut abſtractæ à ſubjecto individuo extra quod eſſe non habet, & ut eidem individuo, unde per mentis actum abſtracta eſt, redditæ: cui redditioni innituntur omnes attributiones, quæ ſubjecto iſti etiam per medium iſtius conceptus attribuuntur. Talia enim ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſubjectis, & propterea etiam prædicatorum prædicata. Ut vero jam in pauca contraham, quæ prolixe ſatis, quia confabulari tecum libuit, tractavi, inſpice mihi hunc ſyllogiſmum, cujus concluſioni omnes iſtæ loquendi formulæ videntur ſuperſtructæ. Deus quà Deus eſt originis expers & à nullo. At Filius eſt Deus. Ergo Filius quà Deus eſt originis expers & à nullo. Nego propoſitionem iſtam univerſaliter veram eſſe in omni ſenſu qui iſtis verbis continetur: quare diſtinctione opus eſt, quæ conſiderata monſtrabit quatuor terminos in iſto ſyllogiſmo eſſe. Deus enim quà Deus eſt originis expers, qua ex non eſſe productus ſit ad eſſe ex nihilo: non autem originis expers qua productus ex eſſentia generantis vel ſpirantis: & particula illa, à nullo eſſe, hoc poſtremo ſenſu uſurpata non eſſentiæ nota eſt, ſed perſonalitatis paternæ characteriſtica. At vero dicet quis; illos qui formulis iſtis uſi ſunt, hoc voluiſſe ſignificatum. Dicam ego, illos temere & fruſtra hoc voluiſſe, quia iſta verba ſenſum iſtum non habent. Nam ſubjectum cui tribuuntur, nempe Filius,

by Google

Ep. 45. lius, in ſua proprietate perſonali includit contradicens iſti attributo. Quare concludo, abſtinendum eſſe ab illis loquendi formulis, & omnino operam dandam, ut de tam altis myſteriis non tantum cum Scriptura ſentiamus, ſed etiam loquamur quantum fieri poteſt. Hæc tu conſidera, & quid tui judicii ſit reſcribe; vel potius, ſi ita res tuæ ferunt, ſemel excurre, ut de illis & ſimilibus conferre liceat, non raptim & obiter, ut propter tuam, quum apud nos es, feſtinationem nimiam fieri ſolet, ſed accurate & diligenter, ut rerum gravitas & dignitas meretur. Velim te negotium Druſianum habere tibi quam maxime commendatum; illius enim viri ſtudia Theologis, meo judicio, quam maxime ſunt utilia. Jam forte id impetrari poterit, propter deceſſum D. Sanctaldegondii, niſi, quod abſit, tranſlationis biblicæ negotium una cum eo interciderit: puto Druſium multum in ea re poſſe, tum propter Hebraicæ phraſeos cognitionem, tum propter variam variorum commentatorum non omnibus obviorum lectionem. His vale mi amiciſſime cum uxore chariſſima. Salutat vos ambos mea uxor. Salveat à me D. Junius communis noſter amicus, & qui domi tuæ habitat Grotenhuyſius, quem ad ſtudium Theologiæ, quo delectari coepit, incita magis magiſque. 18 Februarii 1599.

Tuus ex intimis animi præcordiis.

XXXXV.

Chariſſimo & unice dilecto fratri in Chriſto

JOANNI UYTENBOGARDO

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Theologica. de peccato in Spiritum S.

AMiciſſime hominum, de peccato in Spiritum Sanctum coram Eccleſia tua dicturus, petis, ut ego tibi meas de eodem conſiderationes & commentationes aperiam: petebas antea, ut ſententiam meam ſuper iſto tibi explicarem. At in eo tibi obſequi non potuiſſem: nullam enim certam & animo meo plene perſuaſam ſententiam de illo concepi: at illas tibi denegare nec volo, nec debeo, cui jam dudum plenarium jus quidvis à me poſtulandi, imo & mandandi, tranſcripſi, neque patiar me ab hoc deſiderio tibi obſequendi abduci per pravum & ruſticum pudorem; licet ſciam meas meditationes ſuper illa quæſtione tales eſſe, ut tibi ſatisfacere non queant, quum ne mihi quidem ſatis probentur. Qualeſcunque enim ſunt futuræ, ſcio illas excuſationem mereri, quum de illa ſint quæſtione, qua nullam fere in tota Scriptura difficiliorem inveniri arbitratur ipſe Auguſtinus, ex profeſſo de hac re agens tom. 10. fol 9. in explicatione loci *Matt.* XII. &c. Spero inſuper atque omnino mihi perſuadeo, te illas ita limaturum, ut non cum fœnore modo ſim recepturus abs te eaſdem, ſed & alias, quæ animi mei deſiderium prorſus explere poterunt. Non expendam autem, quæ Auguſtinus ibidem de hoc peccato profert, neque quæ apud alios, ſive veteres, ſive noſtri ſæculi ſcriptores, de eodem peccato ſcripta inveniuntur, ne prolixior ſim citra ullam neceſſitatem; quum tibi à libris inſtructiſſimo iſta eadem inquirere ſit in proclivi. Tantum meas meditationes tibi tranſcribam, non illo ordine, qui rei ipſius naturam deceat: qui poſſim? quum illam mihi cognitam non habeam; ſed quem ego in cogitationum variarum confuſione obſervare poſſum. Imprimis non inutile erit locos ipſos præmittere, quibus in Scriptura mentio iſtius peccati fit, aut ſaltem fieri videtur. *Matth.* XII. *cap. verſ.* 31, 32. *Propterea dico vobis, quod peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, blaſphemia vero Spiritus non remittetur hominibus. Et quiſquis locutus fuerit adverſus Filium hominis remittetur ei; quiſquis autem locutus fuerit adverſus Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Marc. III. *verſ.* 28. 29. *Amen dico vobis, quævis peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemia, quibus blaſphemaverint. Sed quicunque blaſphemaverit in Spiritum Sanctum; non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno judicio.* Lucæ XII. *verſ.* 10. *Et quiſquis locutus fuerit adverſus Filium hominis, ei remittetur. Ei vero, qui in Spiritum Sanctum blaſphemaverit, non remittetur.* Sunt inſuper duo loci *ad Hebræos*, unus VI. *capite*, alter X. qui non incommode horſum quoque referri poſſe videntur. *Heb.* VI. 4, 5, 6, 7. *Impoſſibile enim eſt, qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtaverintque donum illud cæleſte, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſæculi, ſi prolabantur, ut denuo renoventur ad reſipiſcentiam; ut qui rurſum crucifigant ſibi Filium Dei, & ad ignominiam exponant.* Heb. X. 28, 29. *Qui abrogaret legem Moſis, abſque miſericordia ex duorum aut trium teſtimonio moritur; Quanto putatis acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur, qui Filium Dei conculcarit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit.* Accedat locus ex Joannis *Ep. priore cap.* V. *verſ.* 16. *Si quis viderit fratrem ſuum peccare, peccato non ad mortem, petet, & dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget.* Addatur ſi placet (explicationis gratia, non quia prorſus ſit idem) locus ex II. *capitis ad* Hebræos *verſ.* 2. 3. 4. *Etenim ſi per angelos dictus ſermo fuit firmus, omniſque tranſgreſſio & contumacia juſtam mercedis retributionem retulit; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexeri-*

Ep. 45. *mus ſalutem, quæ quum primum enarrari cæperit per ipſum Dominum, ab eis, qui ipſum audierunt, fuit nobis confirmata: ſimul teſtificante Deo ſignis & prodigiis, variiſque virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus pro ſua voluntate.* Imo jungatur & locus *Actor.* VII. *verſ.* 51. *Duri cervice & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri, ſic & vos.* De illis autem dicitur, *qui non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui per quem Stephanus loquebatur, verſ.* 10. *cap.* VI. *Et qui ſedentes in concilio videbant faciem Stephani quaſi faciem angeli, cap.* VI. *verſ.* 15.

Hoice locos omnes conjungo, non alia de cauſa, quam ut omnes unico intuitu contemplari poſſim, & meas cogitationes ſecundum iſtos dirigere.

Initio videndum, quibus nominibus peccatum illud, de quo agimus, appelletur.

Matthæus, Marcus, Lucas, *blaſphemiam Spiritus*, vel *in Spiritum Sanctum* appellant. In Epiſtola ad *Hebræos* VI. *capite* dicitur *prolapſus. capite* X. ejuſdem Epiſtolæ, *contumelia in Spiritum gratiæ*; adderem *crucifixionem Filii Dei*, ejuſdem *ad ignominiam expoſitionem* ex VI. *cap.* & *Filii Dei conculcationem, ſanguiniſque fœderis profanationem*, ex X. niſi illa alium reſpectum habere poſſent. De quo paulo poſt. 1 *Joan.* V. appellatur *peccatum ad mortem. Hebræos* II. peccatum, quod ibi deſcribitur, appellatur *neglectus ſalutis à Chriſto & Apoſtolis annuntiata* & infallibilibus teſtimoniis à Deo comprobatæ. *Act.* VII. *reſiſtentia Spiritus Sancti.* Licet iſtis locis ſic uti, quia genus peccati inquiritur.

Ille vero, in quem peccatur, dicitur, apud Matthæum, Marcum, Lucam, *Spiritus Sanctus*; Hebr. X. *Spiritus gratiæ*; quo poſteriore epitheto Spiritui addito, ſignificari videtur non tam perſonam ipſius Spiritus Sancti hic conſiderari, quam actum aliquem gratioſum ejuſdem. Apud eoſdem Euangeliſtas diſtinguitur hoc peccatum à peccato in Filium hominis. *Hebr.* VI. & X. dicitur idem peccatum ad ignominiam Filii Dei & ſanguinis ejus redundare; quæ poſtea concilianda. Utrumque enim verum eſt.

Sed illi, qui hoc peccatum committunt, deſcribuntur *Heb.* VI. qui *ſemel illuſtrati fuerunt, guſtaverunt quæ donum illud cæleſte, & participes facti fuerunt Spiritus Sancti, guſtaverunt quæ bonum Dei verbum & virtutes futuri ſæculi. Hebr.* II. ſalus illis annuntiata dicitur & indubitatis teſtimoniis comprobata. *Act.* VI. tribuitur illis, quod ſapientiæ & Spiritui per Stephanum loquenti reſiſtere non poterant, & quod faciem illius viderent, tanquam faciem angeli. Unde etiam colligi poſſe videtur, qua cauſa impulſi ita peccent.

Attribuitur porro iſti peccato à Matthæo, Marco, & Luca, quod ſit *irremiſſibile*; à Joanne, quod ſit *ad mortem*; ad *Hebræos* VI. idem dicitur, ſed (ut mihi videtur) in cauſa: *impoſſibile* enim dicitur, ut, qui ita prolabitur, *ad reſipiſcentiam renovetur. Heb.* X. dicitur in apodoſi collationis acerbius ſupplicium meren, quam abrogatio legis Moſis; & in protaſi, punitionis certitudo ſignificatur per hæc verba: *ſine miſericordia moritur*; quod in antapodoſi etiam ponendum videtur. *Hebr.* II. dicitur ſalutem illam negligens *non effugiturus juſtam mercedis retributionem.* Ep. 45.

Cauſa inſuper cur illud peccatum ſit irremiſſibile, ad mortem, & cur qui ita peccavit, ad reſipiſcentiam renovari nequeat, videtur reddi *Heb.* VI. his verbis: *crucifigentes ſibi ipſis rurſum Filium Dei, & ad ignominiam exponentes.* Ad *Hebr.* X. *qui Filium Dei conculcavit, & ſanguinem fœderis per quem ſanctificatus profanum duxerit.* Non enim videntur mihi iſta cum prolapſu & contumelia in Spiritum gratiæ collateraliter poni poſſe, ſed ſubordinate inter ſe ponenda arbitror.

Inſtituitur denique (nam & hoc conſiderandum, ut de genere peccati recte ſtatui poſſit) collatio inter hoc peccatum & violationem abrogationemque legis Moſis *Heb.* II. & X. Unde apparet illud peccatum, de quo ibidem agitur, non committi contra legem Moſis.

Cæterum occaſio, per quam Chriſtus apud Euangeliſtas, Paulus ad Hebræos, Joannes in ſua Epiſtola mentionem fecerunt iſtius peccati, ex ipſo contextu antecedentiumque & conſequentium collatione eſt deſumenda.

Jam vero inquiramus illa, quæ conſideranda veniunt in iſto peccato, ſequentes, quantum fieri poteſt, ductum illorum locorum quæ præmiſimus & præſtruximus inquiſitioni noſtræ. Illa autem mihi videntur commode iſtis terminis circumſcribi poſſe: ut primum de genere diſpiciamus: inde de objecto, & ejus modo: tunc de iis, qui peccatum id committunt: hinc de cauſa impulſiva: quinto, de fine iſtius peccati: ſexto, de gradibus iſtius peccati: ſeptimo, de attributo iſtius peccati, nempe de irremiſſibilitate, & ejus cauſa. His ſubjungemus tres alias quæſtiones, quarum tu mentionem facis in tuis literis. 1. An humano judicio iſtud peccatum cognoſci poſſit, & quibus indiciis? 2. An illi, qui vulgo exiſtimantur illud peccatum perpetraſſe, eo teneantur reipſa, nec ne? 3. An diſtinctio iſta inter peccatum in Filium, & inter peccatum in Spiritum Sanctum, non faciat pro confirmanda veritate [illegible] (*perſonæ*) Spiritus Sancti?

Ad genus quod attinet, dolendum vehementer, illius diſquiſitionem difficilem eſſe: illud enim non aliunde, quam ex nimia peccati fertilitate, & in varias ſpecies deductione derivationeque provenit; omnes tamen peccati diſtributiones diſtinctioneſque huc referre, non eſt neceſſium: deſcendendum commode per gradus, qui ad hoc peccati genus nos deducere poſſunt. Hoc uti fiat, à ſummo incipiendum. Peccatum itaque eſt legis divinæ (qua-

Ep. 45. (qualiſcunque illa ſit) tranſgreſſio : de hujuſmodi enim peccato agimus. Tranſgreſſio legis eſt vel ſpecialis contra unum aut plura præcepta legis, vel univerſalis contra totam & integram legem, quæ dicitur ipſius legis rejectio, abrogatio, & à lege defectio; quæ non tam eſt contra id, quod lege præcipitur vel vetatur, quam contra ipſum præcipientem directe, ex ipſius contemtu. Quale peccati genus puto in Veteri Teſtamento ſignificari hac phraſi; *elatâ* ſeu excelſa *manu peccare:* conſtat enim lex moralis præfatione, quæ his verbis continetur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te*, &c. & præceptorum enarratione. Rejicitur vel ipſa præfatio, & Deus directe contemnitur; vel peccatur in præcepta, quorum nullum quidem violari poteſt citra majeſtatis divinæ ignominiam, contemtumque Dei; ſed non omne peccatum eſt ex contemtu Dei. Adulterium commiſit David, quod reductive ad contemtum Dei referri poteſt, inque illum reſolvi. at non peccavit ex contemtu Dei. Jam vero duplex eſt lex Dei, una operum, altera fidei. Vel præcepta Dei ſunt duplicia, alia legis ita proprie dictæ, alia Euangelii. Hoc autem peccatum, de quo agimus, non eſt de genere eorum, quæ contra legem Dei perpetrantur, ſive ſpecialis illa ſit, ſive univerſalis tranſgreſſio, & apoſtaſia à lege; quod patet ex *capite* X. *ad Hebræos*. Confertur enim hoc peccatum cum violatione ſeu abrogatione legis Moſis, tanquam cum minore majus: quemadmodum etiam *Heb.* II. Dicitur etiam contumelia adverſus Spiritum gratiæ, qui non eſt legalis, ſed Spiritus Chriſti & Euangelii ipſius. Idem videre eſt ex Euangeliſtis: dicit enim apud Matthæum Chriſtus, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, pervenit ad vos regnum Dei.* Eſt igitur hoc peccatum commiſſum adverſus Spiritum teſtificantem regnum Dei adveniſſe; & propterea non contra legem Dei, ſed contra Euangelium Jeſu Chriſti. Idem liquere poteſt ex *Heb. cap.* VI. ubi de prolapſu agitur ab iis donis quæ ibi recenſentur, quæ ſunt Euangelii Chriſti. Item dicitur Chriſtus per illum prolapſum *iterum crucifigi, ad ignominiam exponi.* Hebr. X. *conculcari*, & *ſanguis fœderis profanari*: quæ omnia peccata ſunt, non adverſus legem, ſed adverſus Euangelium Chriſti commiſſa. Unde apparet, non ſatis diſtincte de hoc peccato docuiſſe, qui illud committi dixerunt adverſus veritatem agnitam de Deo, ejus voluntate, & operibus: addendum fuit, adverſus veritatem Euangelicam. Præceptum autem Euangelii eſt duplex, fidei in Chriſtum, & converſionis ad Deum. De fide conſtat. De converſione videamus. Quum enim averſio à Deo per peccatum facta eſt, lex maledictionis reum peragit averſum citra ullam ſpem veniæ; Euangelium vero converſionem poſtulat, & veniam pollicetur. Eſt ergo converſio ad Deum præceptum Euangelicum, non legale. Jam vero converſioni ad Deum opponitur impœnitentia; quæ finalis damnat hominem ex decreto Dei peremtorio, hoc eſt Euangelico. Sed illa impœnitentia finalis non poteſt peccatum in Spiritum Sanctum dici, hoc nempe, de quo agimus. Nam 1. Illa omnium damnandorum eſt communis; peccatum in Spiritum Sanctum nonnullis, imo paucis convenit. 2. Illa non eſt commiſſa, niſi clauſa vitæ periodo; hoc peccatum commiſſum eſt ab homine, dum adhuc decurrit hujus vitæ ſpatium: quod apparet ex Joanne: *eſt peccatum ad mortem, pro quo non dico ut rogetis.* 3. De hujuſmodi peccatore dicitur, quod non poſſit renovari ad pœnitentiam; de impœnitente finaliter illud fruſtra diceretur: notum enim eſt, veniæ ſpem terminari hujus vitæ curriculo. 4. De hoc peccato dicitur, quod non remittetur neque in hoc, neque in futuro ſæculo, id eſt, in æternum. Hoc de impœnitentia finali opus non eſt dici. Hoc ergo peccatum eſt tranſgreſſio præcepti, quo fides in Jeſum Chriſtum mandatur. Quum vero doctrina de fide in Chriſtum Jeſum & integra ſit, & partibus nonnullis conſtans, hinc diſcrimen deſumi poteſt tranſgreſſionis, ut una ſit univerſalis, alia ſpecialis. Univerſalis, qua Chriſtus ſimpliciter rejicitur & repudiatur; quæ infidelitatis nomine generali appellari poteſt. Specialis, qua non univerſe rejicitur, ſed non accipitur pure & pute, prout in verbo eſt manifeſtatus; & hæc dicitur hæreſis, iſta voce de iis uſurpata, qui fidem Chriſti profeſſi, ejus tamen dogmata non integra ſervant, ſed corrumpunt. At in iſta non eſt peccatum, de quo agimus. Ad univerſalem ergo illius præcepti de fide in Chriſtum tranſgreſſionem pertinet hoc peccatum; eſtque infidelitas: non omnis; nam varia eſt illa. Primo eorum, qui de Chriſto nihil audiverunt: at illi hoc peccatum non committunt. 2. Eorum qui audiverunt quidem, ſed non intellexerunt. *Matth.* XIII. 18. neque eorum eſt. 3. Qui intellexerunt quidem, at de veritate intellectorum non fuerunt certo in conſcientia ſua perſuaſi & convicti; neque horum eſt. 4. Illorum, qui convicti in ſua conſcientia, quod Jeſus ſit Chriſtus, tamen illum rejiciunt infidelitate ſua: & ad hoc genus pertinet peccatum, de quo agimus, meo judicio. Genus ergo eſt, repulſa & rejectio Chriſti contra conſcientiam; non abnegatio; nam illa eſt ejus, qui confeſſus fuit: non oppugnatio; nam illa eſt ulterioris progreſſus, ut poſt videbitur. Notum autem, re unum idemque eſſe, ſive dicatur repudiatio Chriſti, ſive rejectio veritatis de Chriſto; modo univerſalis rejectio intelligatur, non particularis in uno aut altero dogmate.

Ep. 45.

Jam ad objectum veniamus. Objectum peccati dicitur perſona, in quam peccatur, ſive illa Deus ſit, ſive homo ipſe peccans, ſive proximus. At non objectum ipſum modo, ſed & modus ejus, quem Scholaſtici vocant ratio-

Ep. 45. tionem formalem, eſt conſiderandus: qui modus objecto additus facit, ut illud ſit proprium adæquatum & ἴσιον. Superficies objectum viſus eſt, ſed colorata; ingratitudine peccatur in Deum, ſed ut bene meritum; inobedientia & contemtu in eundem, ut jubentem, vetantem, promittentem, comminantem, caſtigantem, corrigentem, &c. Apoſtaſia committitur adverſus Deum, ſed agnitum pro Deo, & in cujus numen & nomen juraverat, qui deficit. Hoc vero loco peccati, de quo agitur, objectum eſt Jeſus Chriſtus, & immediate. (Quod ideo addo, quia qui Filium rejicit, rejicit & Patrem) Modus ſeu ratio formalis eſt manifeſtatus, & comprobatus, imo & cognitus, quod ſit verus Meſſias & Redemtor mundi. Patet hoc ex *Hebr.* VI. ubi dicuntur ita prolabentes *ſibi crucifigere rurſus Filium Dei & ad ignominiam exponere.* Item *Hebr.* X. ubi dicuuntur, *conculcare Filium Dei, & ſanguinem ejus profanum ducere.* Apparet idem ex verbis Phariſæorum dicentium: *iſte in Beelzebub principe demoniorum ejicit demonia*: quæ à Marco referuntur, *dicebant enim, Spiritum impurum habet*: ſive illis verbis hoc peccatum commiſerint, ſive non: occaſionem enim continent, per quam Chriſtus de peccato in Spiritum Sanctum loqui eſt aggreſſus. Cæterum quia modus iſte objecto convenit per actum aliquem gratioſum, qui præcipue & immediate à Spiritu Sancto ſeu Spiritu gratiæ proficiſcitur; hinc peccatum illud peccatum in Spiritum Sanctum ſeu Spiritum gratiæ dicitur, propterea quod in actum illum Spiritus Sancti peccetur, ſive actum contemnendo, ſive illum etiam ignominia afficiendo. Actus vero ille Spiritus eſt actus teſtificationis de Chriſto, & adventu regni illius, non ſufficiens modo ad comprobandum Jeſum eſſe Chriſtum, ſed etiam efficax, & de eo mentem conſcientiamque ejus, cui teſtificatio fit, certo convincens, cujus opus & apoteleſma eſt in mente hominis certa notitia & perſuaſio hujus veritatis, quod ille Jeſus ſit Chriſtus Filius Dei. Ipſe vero Spiritus Sanctus non eſt objectum hujus peccati: non enim tendit in illius perſonam; quod apparet ex fine teſtificationis, & ejus objecto: eſt enim objectum teſtificationis Chriſtus. Unum autem idemque eſt objectum peccati illius adverſus teſtificationem commiſſi, & ipſius teſtificationis. Et finis teſtificationis eſt, non ut Spiritus Sanctus, ſed ut Jeſus agnoſcatur & accipiatur pro Filio Dei & Chriſto Domini. Hoc declarat Chriſtus hiſce verbis: *Si ego in Spiritu Dei ejicio demonia, igitur pervenit ad vos regnum Dei.* Horſum etiam facit, quod non Spiritus extra Chriſtum, ſed ipſe Chriſtus in & per Spiritum miracula patravit. Unde apparet, miraculorum effectionem ſervire probandæ veritati prædicationis Chriſti de ipſo Chriſto.

Hinc puto facile diſſolvi iſtam difficultatem, quæ eſt in verbis Chriſti, diſtinguentis hoc peccatum in Spiritum Sanctum à peccato in Filium hominis, & hoc remiſſibile, illud vero irremiſſibile dicentis: nam peccatum in Filium hominis citra illam teſtificationem Spiritus remittitur multis, & apparet toto iſto tractatu non tam reſpectum haberi perſonæ, in quam peccetur; quam actus teſtificationis à Spiritu Sancto profecti, contra quem peccatur. Actus ergo ratione dicitur in Spiritum Sanctum, non in Filium hominis. Objecti ratione, in Filium hominis, ſed ex actu teſtificationis cognitum. Quum igitur potius actus habeatur ratio, quam objecti, hoc reſpectu peccatum illud in Spiritum appellatur à Chriſto, & à peccato, quod in Chriſtum citra iſtum modum & rationem formalem conſideratum, committitur, diſtinguitur. Scio eſſe ex Patribus, qui nomen *Filii hominis* per reduplicationem ſeu reflexionem accipiunt, pro Jeſu, qua eſt Filius hominis, & Filii Dei epitheton pro eodem, quatenus eſt Filius Dei; quumque peccatur in Jeſum, qua eſt Filius hominis, aliter peccari & minus, quam quum in illum peccatur, ut in Filium Dei. Sed illa conſideratio hic non obtinet: teſtificatio enim Spiritus Sancti in hanc finem tendit, ut illa perſona, quæ nunc Filius hominis, nunc Filius Dei dicitur, pro vero & unico Meſſia recipiatur. Si quis tamen & illam conſiderationem huc referre velit, dicere poterit, in Filium hominis peccari, quando Jeſus pro Filio Dei non eſt cognitus; in Filium vero Dei, quum jam indubitatis teſtimoniis comprobatum eſt illum eſſe Filium Dei. Cui conſiderationi ſerviet, quod apud Euangeliſtas dicitur, *qui peccaverit in Filium hominis, illi remittetur.* Ad Hebræos vero; *crucifigentes ſibi Filium Dei*, & *qui Filium Dei conculcarunt*, id eſt, Jeſum, quem jam ante pro Filio Dei per illuminationem Spiritus Sancti habuerunt. Conſtat enim ex Scriptura, de Jeſu Nazareno hoc fuiſſe credendum attributum, quod Chriſtus eſſet, Filius Dei, Salvator & Redemtor mundi; &c. quumque objectum & actus circa illud occupati mutuum inter ſe reſpectum habeant, adeo ut ex objecto adæquato de actu ſtatui poſſit, & ex actu de objecto adæquato concludi, videtur ex actibus, quos recenſet Apoſtolus ad *Hebr.* VI. & X. *cap.* concludi poſſe, illos, qui ita peccaverant in Jeſum, non tantum illum pro Filio Dei agnoviſſe, ſed & in illum ut in Filium Dei ab ipſis agnitum peccaviſſe. Secundo enim crucifigere & conculcare Filium Dei non dicitur, niſi qui illum ut Filium Dei agnoſcit, & in illum ut ſic conſideratum peccat: quemadmodum Indiani Euangelium Chriſti conculcaſſe dici nequeunt, quum librum Euangelii, ab Hiſpanis monſtratum & pro Euangelio illis venditatum, pedibus protererent & in ignem conjicerent.

Progrediamur ad deſcriptionem perſonarum, quæ hoc peccatum committunt, qua-

Ep. 45.

les

Ep. 45. les nempe ſecundum Scripturam nobis definiantur. Illi autem ſunt in genere, qui per Spiritus Sancti teſtificationem in mente & conſcientia ſua convicti ſunt de hac veritate, quod Jeſus Filius Mariæ ſit Chriſtus Filius Dei. Hi vero inter ſe differre poſſunt, imo & reipſa differunt; nam convincti de iſta veritate, aut ſtatim rejiciunt Chriſtum, nunquam illi nomen ſuum dantes; aut aliquandiu amplexi & profeſſi Chriſtum, deficiunt ab illo & prolabuntur. Ex primo genere eſſent Phariſæi, ſi tunc temporis, cum dicebant, Chriſtum per Beelzebub ejicere dæmonia, convicti fuiſſent in conſcientia ſua illud vere eſſe opus Spiritus Sancti, quemadmodum Chriſtus adſtruebat: *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, & Filii veſtri in quo ejiciunt?* Ex altero genere ſunt, quorum fit mentio *Hebr.* VI. & X. *cap.* Nam qui amplectuntur Chriſtum etiam fide temporali, id faciunt ex illuminatione Spiritus Sancti. *Nemo* enim *poteſt Jeſum dicere dominum, niſi in Spiritu Sancto*; illis guſtus quidam præbetur doni cæleſtis, boni Dei verbi, & virtutum futuri ſæculi: fieri enim nequit, quin teſtificatio Spiritus Sancti de Jeſu Chriſto Filio Dei menti plene perſuaſa gaudium aliquod excitet in corde Chriſtum profitentis, quemadmodum Chriſtus *Matth.* XIII. dicit; *qui in petroſa ſemen excipit, ille eſt, qui ſermonem audit, & ſtatim cum gaudio accipit.* Item *Joan.* V. de illis, qui ad tempus in luce Joannis Baptiſtæ exultare volebant. Verum de iſto conſulatur Calvinus, Inſtitutionum lib. 3. cap. 2. ſect. 11. Quod vero additur ad *Hebr.* VI. eoſdem participes factos fuiſſe Spiritus Sancti, poteſt id de extraordinariis donis Spiritus Sancti intelligi, quæ tunc temporis in Eccleſia vigebant. Quod etiam dicitur *Hebr.* II. *Deus una teſtificabatur ſignis* &c. *& variis Spiritus Sancti diſtributionibus pro ſua voluntate.* In hiſce locum habet abnegatio Chriſti, quæ ad *Hebr.* VI. *prolapſus* dicitur, id eſt, à veritate agnita & confeſſione nominis Chriſti, de qua abnegatione Chriſtus generatim agit *Luce* XII. *verſ.* 9. ſubjungens illi mudum ſpecialem in particulari facto, de quo nos jam agimus, & inquiens: *Quiſquis dicit quidpiam in filium hominis remittetur ei; qui vero in Spiritum Sanctum blaſphemaverit, illi non remittetur.* Ad genus illud abnegationis pertinet factum Petri. Ab hac vero ſpecie diſtinguitur & multum differt, ut ex proximo membro conſiderationis noſtræ patebit. Diſtinguitur ergo peccatum in Spiritum Sanctum ſecundum modum efficientium cauſarum, quarum jam diſtinctio à nobis eſt allata.

Sequitur, ut de cauſa videamus hujus peccati. Cauſa peccati vulgo ſtatuitur vel ignorantia, vel infirmitas, vel malitia. Ignorantia, non negativa, ſed privativa ſcientiæ debitæ ineſſe, & propterea ignorantia juris; Infirmitas reſiſtendi vehementi paſſioni & tentationi, illectionique ad peccandum impellenti. Malitia, qua quis ſciens volens, allectus quidem tentatione aliqua, ſed cui facile reſiſti poteſt à voluntate, imo quam voluntas facile ſuperare poteſt, ad peccatum fertur. Quamquam ignorantia & infirmitas non ſint directe & immediate, cauſæ peccati, ſed per modum abſentiæ prohibentis: ignorantiæ per modum abſentiæ rectæ ſcientiæ & rationis, quæ impedire poſſet à peccato, inſtruendo voluntatem; infirmitas per modum abſentiæ virtutis & potentiæ, quæ impedire poſſet à peccato, firmando voluntatem. Eſt itaque (ſi accurate hanc rem expendere velimus) voluntas propria, adæquata & immediata cauſa peccati, quæ duplex habet motivum & incentivum ad peccandum, internum & externum. Internum, quod in ipſo homine eſt, eſt amor ſui ipſius & rerum temporalium ſeu bonorum apparentium concupiſcentia. Externum eſt objectum movens appetitum, qualia ſunt honores, divitiæ, voluptates, vita, ſanitas, amici, patria, & ſimilia, quorum contraria odit homo & execratur, timetque, ſi imminere ſibi arbitretur. Hæc autem motiva voluntatem non movent ita efficaciter, ut voluntas neceſſario moveatur: ſic enim voluntas à peccato eſſet excuſabilis; ſed per modum ſuaſionis & illectamenti. Jam vero quum homo per amorem ſui ipſius, & deſiderium boni alicujus apparentis (cui includitur fuga ſeu odium mali apparentis) ſollicitatur ad actum aliquem, qui vetitus quidem eſt, at ipſe peccatum eſſe ignorat; tum voluntas ſequens appetitum & rationem erroneam, ex ignorantia peccare dicitur. Quum vero per eadem motiva ad actum tentatur, quem novit eſſe peccatum, tum voluntas ſequens appetitum peccat quidem ſciens; ſed an ex infirmitate, an vero ex malitia peccet, id judicari debet ex neceſſitate boni illius, quod proſequitur, & gravitate mali, quod fugit, potiſſimum: tum etiam ex appetitus ſeu paſſionis vehementia; imo vero & ex affectu erga perſonam, quæ impedire velle videtur deſiderii expletionem (quod quidem non ubique locum habet, ſed hic certa de cauſa addendum putavi) ubi etiam diſcrimen modi, quo ille impedire conatur, conſiderandum venit, bonuſne ille ſit & licitus, imo juſſus; an vero malus, illicitus, & vetitus. Iſta jam, ſi placet, propoſito applicemus. Paulus perſecutus eſt Eccleſiam Chriſti, ſed ignorans, zelo & deſiderio nimio legis accenſus, ut & Judæi multi crucifixerunt Chriſtum, illum ignorantes gloriæ Dominum eſſe, ſecus à tam nefario ſcelere abſtinuiſſent. Ab illis ergo hoc peccatum, quo de agimus, non eſt admiſſum. Petrus Chriſtum Dominum ſuum, quem ſciebat verum eſſe Meſſiam & Chriſtum Domini, & quidem ex ipſa revelatione Patris, abnegavit; ſed ex deſiderio vitæ, & metu mortis, qui etiam in fortiſſimum cadere poteſt. Erga ex infirmitate. Quidam ex metu

Ep. 45.

Ep. 45. exſilii, proſcriptionis, damnationis ad metalla, vel ad perpetuos carceres reſilierunt à confeſſione nominis Chriſti; ex infirmitate id feciſſe judicandi ſunt. Quidam ut dignitatem gladii, cinguli, &c. redimerent, quam adimendam ipſis imperator minabatur, niſi Chriſtum abjurarent, abnegato Chriſto dignitatem antiquam conſervarunt; adhuc & illi ex infirmitate peccaſſe ſunt dicendi. Quidam à Chriſtiano ſive principe, ſive populo vehementer vexatus, afflictus, læſus, bonis exutus, blaſphemiam in Deum & Chriſtum evomit; ex ira & vehementi animi commotione id feciſſe exiſtimandus eſt. Si vero illi antecedentes iſti ſuo peccato odium adverſus ipſum Chriſtum ejuſque doctrinam adderent, non longe ab hoc peccato abeſſent, meo judicio. Jam ut verbo dicam & concludam; dico hoc peccatum adverſus Spiritum Sanctum ex malitia proprie committi. Maniam hic intelligo duplicem; unam, qua non reſiſtitur concupiſcentiæ, cum id facile fieri poſſit, citra magnam noxam; alteram, qua ipſe Chriſtus odio habetur, vel quia ipſe præceptis ſuis deſiderii illiciti expletionem impedire conatur, vel quia propter ipſius cauſam & nomen eodem frui non liceat. Quæ utraque quidem malitia fuit in Phariſæis iſtis, quibuſcum Chriſto eſt negotium *Matth.* XII. Sed nondum videntur plene convicti fuiſſe in conſcientia, quod Jeſus eſſet ille Chriſtus, & Meſſias promiſſus. Addamus ergo reliquis partibus definitionis, ex malitia & odio adverſus Chriſtum, ſeu Chriſti & veritatis de ipſo. Quod odium puto includi verbis ab Apoſtolo ad *Hebræos* VI. & X. uſurpatis: dicuntur enim tales *crucifigere ſibi rurſus Filium Dei & ad ignominiam exponere*, *Filium Dei conculcare & ſanguinem ejus profanare*, *ſpiritumque gratiæ contumelia afficere*. Quibus ego verbis non puto eventus ſignificari, præter opinionem prolabentium ſeu deficientium à Chriſto ex illorum peccato exiſtentes; ſed actus peccato ipſorum per ſe & ſua natura affines, vicinos & conſequentes ex eodem peccato, non citra propoſitum peccantium.

Finem commode cauſæ iſti ſubjungemus: correſpondent enim plerunque ſibi ipſis, & certo reſpectu conveniunt. Finis itaque duplex eſt, unus boni apparentis deſiderati adeptio & fruitio; alter odii expletio & Chriſti veritatiſque agnitæ rejectio: quod Calvinus enuntiavit his verbis, *in hoc ut reſiſtant*. Quo ipſo malitia ita peccantis ſignificatur, quæ non contenta adeptione boni apparentis per actum peccati, etiam ipſo peccati actu tanquam fine ſuo delectatur; quod certum ſignum eſt, voluntatem iſtius hominis non ab affectu ſeu paſſione impulſam id peccatum perpetraſſe, ſed libere affectum ſecutam eſſe, & alterum hoc, nempe odium in Chriſtum, de ſuo adjeciſſe; unde illud odium prorſus voluntarium, & propterea ex malitia natum dici poteſt; nam uti appetitus concupiſcibili, infirmitas iraſcibili, ignorantia rationi ſeu menti, ita malitia voluntati tribuitur. Ep. 45.

Jam vero ex hiſce ita conſideratis, peccatum in Spiritum Sanctum ita definiri poſſe videtur: Peccatum in Spiritum Sanctum eſt Jeſu Chriſti, per teſtificationem Spiritus Sancti certo agniti pro Filio Dei (ſeu, quod idem eſt, veritatis Euangelicæ agnitæ univerſalis) rejectio & repudiatio ex deſtinata malitia & odio Chriſti, contra conſcientiam, in hoc patrata, ut deſiderium ſuum boni apparentis nullo modo neceſſarii expleat & Chriſtum rejiciat.

Subjungamus de gradibus iſtius peccati. Gradus iſtius peccati mihi commode iſti poni poſſe videntur, ut primus ſit rejectio & repudiatio Chriſti agniti, ſeu veritatis Euangelicæ agnitæ; qui gradus univerſalis eſt, & primus, & ubique locum habet, ſive rejiciens & repudians ad tempus ſit profeſſus Chriſtum, ſive non, de quo antea actum cap. 3. Secundus eſt blaſphemia in Chriſtum Filium Dei & veritatem Euangelii agnitam. Tertius eſt, Chriſti, vel in ipſo vel in membris ipſius, oppugnatio & perſecutio, ſive veritatis agnitæ exſtirpatio. Quartus addi poteſt ex diſcrimine objecti & actus, quo illud objectum demonſtratur & manifeſtatur, blaſphemia in ipſum Spiritum, ſive in actionem Spiritus Sancti. Aliter enim peccat, qui Chriſtum agnitum pro Filio dicit eſſe vini potorem, amicum peccatorum & publicanorum, ſeductorem & pſeudoprophetam; quam ille, qui ipſa opera miraculoſa Spiritus Sancti dicit à Beelzebub patrata & diabolica eſſe.

Veniamus ad ſeptimum caput, de adjuncto ſive attributo proprio iſtius peccati, id eſt, de irremiſſibilitate iſtius peccati, & ejus cauſa, cur nempe ſit irremiſſibile. Peccatum hoc dicitur *ad mortem*, non eo ſenſu, quo omnia peccata mortem æternam merentur, quæ tamen multis remittuntur, utpote credentibus in Chriſtum, & ad Deum convertentibus; ſed quia nulli unquam, qui illud peccatum patravit, patrabitve, contigit aut continget mortem æternam evadere. Irremiſſibile dicitur, non quemadmodum infidelitas & impœnitentia finalis irremiſſibiles ſunt ex decreto Dei: *qui non credit in Filium Dei condemnatur*; &, *niſi converſi fueritis, itidem peribitis*, &c. Sunt enim conditiones, citra quas nemini ullum peccatum condonatur. Sed irremiſſibile dicitur eo ſenſu, quod ſemel perpetratum, etiamſi peccator multis poſtea ſæculis vixerit, nunquam apud Deum remiſſionem inveniat, aut invenire poſſit, ex ſtatuto & decreto definitivo & peremtorio Dei. Cauſa vero proxima & immediata, cur peccatum illud ſit irremiſſibile, mihi videtur comprehenſa hiſce verbis Apoſtoli ad *Hebræos* VI. *Impoſſibile eſt renovari ad pœnitentiam prolapſos*. Cujus cauſæ efficacitas eſt ex perpetuo & immutabili decreto Dei de non condonandis peccatis ſine pœni-

Ep. 45. pœnitentia. Verum hic animus quieſcere non poteſt. Quæritur enim ulterius, cur qui ita peccaverint, renovari ad reſipiſcentiam non poſſint? Hujus quæſtionis ſolutio mihi deſumenda videtur, partim ex cauſis iſtius renovationis ad pœnitentiam, partim ex gravitate iſtius peccati deſcripta ab Apoſtolo ad *Hebr.* VI. & X. *cap.* Ex quorum collatione conſtabit, cur iſti, qui ita peccant, renovari ad pœnitentiam nequeant. Ut de cauſis agamus renovationis iſtius. Renovatio ad reſipiſcentiam videtur proficiſci ex miſericordia ſeu gratia Dei in Chriſto, propter interceſſionem Chriſti, per operationem Spiritus Sancti, ſeu Spiritus gratiæ. Iſta autem Dei miſericordia, illa Chriſti interceſſio, & operatio Spiritus Sancti, non ſunt infinitæ, id eſt, operantes ſecundum omnipotentiam infinitam Dei & Chriſti, Spirituſque ipſius: ſed circumſcriptæ certo modo æquitatis & voluntatis Dei, Chriſtique, & Spiritus Dei: quod apparet ex certis Scripturæ locis. De miſericordia Dei, *Deus miſeretur, cujus vult, & quem vult indurat.* De interceſſione Chriſti; *non pro mundo rogo.* De Spiritus Sancti operatione; *Quem mundus non poteſt capere.* Jam peccati iſtius gravitatem conſideremus ex deſcriptione Apoſtoli. Qui ita peccant, inquit, *crucifigunt ſibi rurſus Filium Dei, eumque ad ignominiam exponunt; conculcant Filium Dei, ſanguinem fœderis profanum ducunt, & Spiritum gratiæ contumelia afficiunt.* Hoſce autem actus ita tetros & diabolicos eſſe puto, ut dicendum ſit, aut nullis omnino terminis miſericordiam Dei in Chriſto circumſcribi, nulloque ſpatio Chriſti interceſſionem concludi, nulla malitia Spiritum gratiæ impediri poſſe; ſi Deus miſericordiam ſuam iſti tali non deneget, ſi Chriſtus pro tali intercedat, ſi Spiritus gratiæ à tali non abſterreatur, quo minus gratioſam ſuam efficacitatem in illum exſerat. Conſideretur diſcrimen peccati, quod committitur adverſus legem Dei, & adverſus Euangelium & gratiam Dei in Chriſto; quanto gravius ſit rejicere remedium morbi, quam in morbum incidere. Petrus auditoribus ſuis, convictis de peccato ipſorum adverſus Chriſtum commiſſo, deſperationem veniæ erepturus, dicit; *ſed ſcio, fratres, vos per ignorantiam id feciſſe.* Paulus ad Corinthios; *ſi Dominum gloria cognoviſſent, non crucifixiſſent.* Idem de ſe ipſo: *ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Chriſtus in cruce pendens, intercedens pro peccatoribus (ut Scriptura loquitur *Eſaiæ.* LIII.) ita dixit: *Pater ignoſce illis; neſciunt enim, quid faciant.* De Spiritu Sancto dicit Scriptura, quod non modo triſtitia affici poſſit, ſed & exacerbari & exſtingui. Quicunque illi tales Chriſtum diu agnitum pro Filio Dei crucifigant, illius ſanguinem conculcent, ſanguinem, quo Deus ſibi Eccleſiam redemit, qui eſt redemtionis pretium, quo nihil pretioſius, quo ſolo fœdus inter Deum & homines gratuitum confirmatur Ep. 45. & ſtabilitur; & Spiritum Sanctum ſumma ignominia contra conſcientiam afficiant, atque ita graviter in illum peccent, ut gravius nequeant, ſequitur jure illis talibus denegari renovationem ad pœnitentiam, niſi Deo juſtitiam ipſius prorſus adimamus, & miſericordiæ divinæ adminiſtrationem liberæ ipſius voluntati auferamus. Quo facto, & miſericordiæ ſeu bonitatis divinæ infinitati ſalutis diſpenſatione adſcripta, perit funditus religio, & omnibus in univerſum hominibus, imo & diabolis, vita æterna adſignatur. Si quis putet illa, quæ ibi dicuntur, iis ſolis convenire, qui profeſſi Chriſtum prolabuntur; ille ſciat, Spiritum gratiæ etiam contumelia affici à nunquam Chriſtum profeſſis; & illa verba, *rurſus renovari*, & *per quem ſanctificatus erat*; iſtis talibus videntur proprie competere; reliqua, toti ordini in Spiritum Sanctum peccantium.

Hiſce ita raptim & tenuiter conſideratis, de tribus iſtis, quas propoſuiſti, quæſtionibus videamus. Ad primam. Puto cognoſci poſſe quempiam iſtud peccatum admiſiſſe; ſecus enim Joannes non vetuiſſet pro illo precari. Pro illis enim omnibus precandum eſt, quibus putamus probabiliter tantum, miſericordiam Dei expoſitam, interceſſionem Chriſti paratam; & Spiritus Sancti gratiam non denegatam eſſe. Judicavit idem vetus Eccleſia, quæ non modo non pro Juliano, ſed & contra illum precandum cenſuit, & precata eſt. Indicium autem illius cognitionis præberi puto duplici ita peccantium actu; quorum prior eſt, nominis Chriſti profeſſio, non coacta, non affectata; ſed voluntaria; poſterior Chriſti ejuſdem rejectio & profeſſionis abdicatio. Si accedat blaſphemia, oppugnatio, &c. longe clarius illud judicium redditur. Unde videtur de illis ſolis judicium fieri poſſe humanitus, qui aliquando Chriſtum profeſſi ſunt & inde prolabuntur. Quid enim Spiritus Sancti teſtificatio effecerit in mentibus illorum, qui Chriſtum rejiciunt, antequam profiteantur, id nobis non niſi per revelationem divinam conſtare poteſt. Hoc ipſe Joannes ſignificaſſe videtur, quum inquit: ſi quis viderit *fratrem*, id eſt, fidem in Chriſtum profeſſum, peccare non ad mortem, precabitur, & dabit illi vitam; unde à communi videtur repetendum, Eſt peccatum ad mortem, quod *ſi à fratre* committitur; non dico pro eo rogandum eſſe. Conſideretur hiſtoria tota de Juliano Apoſtata, & conſtabit judicium Eccleſiæ iſtius temporis iſtis duobus Juliani actibus ſubnixum fuiſſe, profeſſionis priore, & poſteriore abnegationis, blaſphemiæ, perſecutionis.

De altera quæſtione, an Cain, Saul, Judas, Julianus, Spiera &c. illud peccatum admiſerint? Dico, citra præjudicium aliter, & fors rectius, ſentientium, mihi videri, Cainum illud peccatum non perpetraſſe. Rationem puto

poſſe

Ep. 45. poſſe reddi probabilem. Non enim in ipſam gratiam ex ejus odio peccavit; ſed ex perverſo erga gratiam zelo, & invidia adverſus fratrem, quod ille gratiam ſibi negatam obtinuiſſet, fratricidium perpetravit. De deſperatione, quæ ipſi tribuitur, ſcimus ipſos interpretes variare; & licet deſperaſſet de miſericordia Dei, hinc tamen concludi nequiret peccatum, de quo agimus, ab illo perpetratum fuiſſe: deſperatio enim aliorum etiam eſt peccatorum conſectanea, & hujus peccati, ut ego arbitror, non ſemper pediſequa. Saulis peccatum fuit adverſus Davidem typum Chriſti, quem perſequebatur adverſus conſcientiam ſuam; ſed hunc in finem ut ſibi poſteriſque ſuis regnum illud in poſterum ſartum tectum conſervaret. Cum vero aliud ſit adverſus typum Chriſti, quem forte talem ignoravit, peccare, quam in ipſum Chriſtum, neque prorſus à religione Judaica defecerit; veriſimile mihi non eſt ab illo peccatum hoc admiſſum eſſe. De Juda Iſcariote ſecus arbitror: exiſtimo enim illum in Spiritum Sanctum peccaſſe, idque ex duplici indicio, quod ante poſuimus: quum enim integrum triennium cum Chriſto familiariter converſatus ſit, ejus conciones audiverit, miracula viderit, ipſe etiam ad prædicandum Euangelium cum condiſcipulis emiſſus ſit, & eo uſque à Spiritu Sancto illuminatus, ut illud munus obire potuerit, & obierit, Spirituſque Sancti particeps miracula ipſe patraverit, dæmonia ejecerit, ægrotos ſanaverit, mortuos excitaverit in nomine Chriſti; dubium eſſe non poteſt, quin Jeſum Nazarenum præceptorem ſuum pro vero Meſſia & Filio Dei certo & indubitanter agnoverit. Hunc vero ita agnitum non modo deſeruit, ſed & hoſtibus ipſius tradidit, qui illum ad necem quærebant, non ex imbecillitate, aut neceſſitate aliqua excuſabili, ſed ex pura puta malitia & odio Chriſti. Quod apparet ex Euangeliſtarum hiſtoria, qui narrant Judam eo ipſo momento, quum unguentum illud pretioſum in caput Chriſti effuſum eſſet, abiiſſe ad pontifices, & cum eis de pretio traditionis tranſegiſſe; procul dubio ulturum ſe adverſus Chriſtum de præreptis ſibi illius permiſſu trecentis denariis, quibus illud unguentum venundari potuiſſet. Accedit huc, quod Scriptura *Act.* I. illum connumeret iis, adverſus quos David, typus Chriſti, olim idem illud precatus eſt, quod Petrus iſtoc loco Judæ accidiſſe commemorat. De Juliano idem meum eſt judicium; quem exiſtimo omnia iſtius peccati munia, ex ſumma malitia & acerbiſſimo in Chriſtum odio expleviſſe. Defecit enim à Chriſto, contumeliis infinitis illum affecit, Chriſtianos veritatemque Chriſtianam variis modis, imo omnibus quos excogitare potuit, perſecutus eſt. Miracula Chriſti magis & diabolo adſcripſit; qua de cauſa Eccleſia iſtius temporis adverſus illum peccata eſt, & à Deo exaudita. Ad Franciſcum Spieram quod attinet; non facile auſim dicere, illum iſtius peccati reum fuiſſe; imo potius in alteram ſententiam inclino, ſecutus in hoc judicium nonnullorum doctorum virorum iſtius ſæculi, qui non modo illum excuſant ab hoc peccato, ſed ne à venia quidem peccatorum excludunt. Nam 1. Chriſtum ipſum non abnegavit, ſed reſiliit ab iſta nominis Chriſti profeſſione, quam Pontificii improbabant. 2. Id non fecit ex malitia & odio veritatis ſibi cognitæ; ſed ex imbecillitate & deſiderio nimio boni apparentis ſibi aliquouſque neceſſarii: metuit enim bonorum ſuorum ereptionem, citra quæ vitam hanc ſuſtentare cum ſuis ſe putabat omnino non poſſe. 3. In ipſo deſperationis agone, ſæpiſſime honorificam non modo Chriſti, ſed etiam veritatis iſtius, quam profeſſus erat, mentionem fecit. 4. Rogatus ab aſſtantibus, num vellet ſibi remiſſionem illius delicti à Deo concedi, & ejus certitudinem animo ſuo imprimi? Reſpondit, nihil eſſe, quod magis vellet, imo ingentibus cruciatibus illam redemtam cupere, ſi fieri poſſet; quod tamen ſcivit fieri non poſſe; ne quis putet illum iſto deſiderio ſuo Chriſti ſanguini injuriam irrogaſſe. 5. Diligenter & ſerio admonuit, qui ipſum viſitabant, ut carnis mortificationi ſtuderent, vitæ hujus bonis renuntiarent, quin ipſam quoque vitam contemnerent, ſi Chriſti & veritatis cauſa eſſet deſerenda; ne exemplum ipſius ſecuti in eundem deſperationis & condemnationis abyſſum ruerent. Quæ omnia multis cauſa fuerunt defectionis ab Eccleſia Pontificia, & acceſſionis ad Euangelicam, nonnullis etiam, qui acceſſerant, perſeverantiæ in eadem.

Ep. 45.

Ad tertiam quæſtionem quod attinet: Reſpondeo, peccatum illud non in ipſum Spiritum Sanctum directe, ſed in actum gratioſum ejuſdem committi primo, proprie & immediate: quod tamen ita redundat in ignominiam ipſius Spiritus Sancti, ut ipſe blaſphemari & contumelia affici dicatur per idem peccatum, idque non ex accidenti, ſed per ſe. Exiſtimo autem hinc bonâ conſequentiâ deduci poſſe, Spiritum Sanctum non eſſe proprietatem aliquam in Deo, non virtutem, ſeu potentiam, ſub modo qualitatis à nobis conſiderari ſolitam; ſed eſſe vivens, intelligens, volens, agens, diſtinctum à Patre & Filio; quod apud homines perſona appellari conſuevit. Idque mihi his argumentis comprobari poſſe videtur. 1. Quia adverſus Filium diſtinguitur; quod fieri non deberet, ſi eſſet virtus ſeu potentia non ſubſiſtens, Chriſto à Patre communicata, per quam ille miracula faceret, tanquam per principium quo, non per principium quod ipſum ſui actus dominium & poteſtatem habet. 2. Quia in Spiritum Sanctum peccari, Spiritus blaſphemari, & contumelia affici dicitur: quæ phraſes mihi non inexiſtentiam Spiritus Sancti in Deo & Chriſto, ſed exiſtentiam ſubſiſtentiamque Spiritus Sancti indicare videntur: præſertim cum peccatum

hoc

precata eſt

Franciscum Spieram, catholicum Patrem, ut videtur

Ep. 46. hoc diſtinguatur à peccato in Filium hominis: quod fieri non deberet, ſi peccatum illud perpetratum eſſet contra actum potentiæ Chriſto inexiſtenti, & à Chriſto uſurpatæ, non contra actum potentis & operantis Spiritus Sancti: ut enim actiones ſunt ὑποστάσεων (*perſonarum*) licet per aliquam naturalem ſuam proprietatem operentur, ita etiam paſſiones ſunt ὑποστάσεων (*perſonarum.*) Rejicit quis gratioſam Dei ad pœnitentiam invitationem: peccatum illud committi dicitur contra actum miſericordiæ Dei, atque hoc pacto in miſericordiam Dei peccare dicitur ille, qui peccat; verum ita, ut eo ipſo actu proprie in Deum peccetur, qui ipſe author eſt gratioſæ invitationis, ſecundum gratuitam miſericordiam ſuam. Neque ita peccans in miſericordiam Dei, dici poſſet non peccare in Deum, ſed in miſericordiam ejus; quemadmodum qui peccat adverſus gratioſum actum Spiritus Sancti, non in Filium hominis, ſed in Spiritum Sanctum peccare dicitur hoc loco.

Addi poſſet tribus iſtis quæſtionibus alia quarta: An ſcilicet cogitatio, imo & deliberatio ſeria de iſto peccato perpetrando, nomine illius peccati venire & appellari poſſit; quemadmodum homicida dicitur, qui fratri iraſcitur, & adulterium commiſiſſe in corde ſuo, qui uxorem proximi ſui adſpicit ad concupiſcendum? Reſpondeo: id mihi non videri: nam quamdiu deliberatio iſta durat, tam diu viget in illo homine Spiritus Sancti efficacitas ad impediendum illud peccatum adhibita, uſque dum finaliter & abſolute concludit de peccato iſto perpetrando, ſpreta & repudiata Spiritus Sancti obſiſtentia; quam concluſionem peccatum ſequitur eo ipſo momento, quod ad repudiationem & rejectionem Chriſti, non quod ad alios gradus adnotatos, quos ſuis occaſionibus producet, ſi malitia ſui ipſius & odium Chriſti etiam illorſum impellere non deſierit.

XXXXVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

Amiciſſimo ſalutem & bene per Chriſtum agere precor

JACOBUS ARMINIUS.

Theologica. De imputatione fidei ad juſtitiam.

QUia hic ſe obtulit lator, nolui illum ſine meis ad te literis dimittere, quanquam nihil habeo argumenti ad te quod ſcribam: tantum volui te commonefacere, ut promiſſum literarum munus ulterius præſtare ne differas. Scio quidem te occupationum varietate multa diſtrahi & diſtineri: at & hæc inter illas locum habeat aliquem, numerum quidem illarum auctura, ſed non numero, at unitate ſola. Inſpexi hiſce diebus, ſed obiter, confeſſionem quam Tako Medenblicenſis conventui Alcmariano nupero obtulit; vidi in Ep. 46. hanc phraſin uſurpatam, *fides juſtificat acceptive.* Audivi ſuper iſtius phraſeos ſententia in iſto conventu diſceptatum, eo quod ambigua judicaretur. Vox enim *acceptive* tum activâ tum paſſivâ ſignificatione accipi poſſe videbatur: active ſumptâ voce, proba phraſis æſtimabatur, paſſive falſa. Non admodum miratus ſum diſtinctionem iſtam adhibitam; cuivis enim etiam non admodum perito notum, duplici ſignificatione iſtas voces accipi ſolere. At videndum fuit, an Scriptura iſtam interpretationem approbet: velim ergo ut quis mihi phraſin Scripturæ uſitatiſſimam, cum de juſtificatione ex fide agit, nempe fides imputatur pro juſtitia, cum iſta interpretatione conciliet. Si quid ego intelligo, puto hunc iſtius phraſeos eſſe ſenſum, fidem Deus habet pro juſtitia. Et ſic fidei juſtificatio tribuitur, non quia accipit, ſed quia accipitur. At inquiet aliquis, fidei tribuitur juſtificatio propter objectum quod recipit fides, nempe Chriſtum qui eſt juſtitia noſtra. Hoc non repugnat illi meo ſenſui, ſed reddit cauſam cur Deus fidem noſtram pro juſtitia nobis imputet; nego autem tropicam eſſe locutionem iſtam, fide juſtificamur, id eſt, re illa quam fides apprehendit. Neque placet iſta interpretatio phraſeos omnium primo in hac materia uſurpatæ, *credidit Abraham Deo & imputatum eſt illi ad juſtitiam*, id eſt, id ipſum quod Abrahamus fide ſua apprehendit hoc illi eſt ad juſtitiam imputatum: non enim objectum quod fide apprehendit, ſed ipſum credere dicitur illi imputatum ad juſtitiam; unde etiam Paulus illam phraſin deſumpſit, *fides imputatur pro juſtitia.* Intellexi præterea etiam de regenerationis ſubjecto motam quæſtionem, an anima id eſſet, an vero etiam corpus hominis, & animoſe ſatis agitatam eſſe. Riſi & dolui. Riſi, quod ſcirem cauſam unde & cur iſta diſputatio moveretur. Dolui, quod viderem novas quæri ad conturbandam Eccleſiæ pacem diſceptationes. Ignoſcat Deus zelo nonnullorum, & addat illis ſcientiam. Tu vero de iſtis ne verbulum ad me. Forte non fuit tutum id credere literis. At cognitio iſtarum rerum omnium ad nos pertinet. Actum enim de illis in iſto conventu, qui ex noſtris conſtabat mandatariis. Quare vide ne in poſterum nimis ſis cautus; utile enim eſt admodum & alios habere plenam cognitionem iſtarum rerum, ut tempeſtive omnibus poſſit occurri quæſtionibus, ne Eccleſia ſcindatur. Hunc latorem bonum virum, quantum illum novi, præfuit enim ſcholæ noſtræ Gallicæ, velim ſicubi poſſis tuo favore proſequi non dedigneris. Vale amiciſſime. D. Jeſus te conſervet incolumem Eccleſiæ & mihi, tuiſque. Salveat à me tua cariſſima. 10 Aprilis 1599. Raptim.

Tuus Arminius.

XXXXVII.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

DOlenter pro eo ac debui uxoris tuæ optimæ fœminæ obitum tuli; non tantum quia te fidiſſima vitæ ſocia privatum intelligo, ſed etiam quia novi quantum rei familiaris cura ſtudiis incommodet, eorumque progreſſum impediat. Tu tamen, qui quotidie ſacras literas, penu & ſacrarium omnis veræ conſolationis, ingrederis, ſolatio adverſus illud malum deſtitui non potes; ab iſta vero te eouſque diſtrahi & diſtineri non patieris, ut inceptum opus ſegnius tractes, tardiuſque quam utilitas publica permittit, abſolvas. Neque eſt quod ego hic monitoris fungar vice, aut ibi conſolatoris. Scripſit ad me hiſce diebus Joannes Uytenbogardus amicus noſter, ſe negotium illud, quod ipſi commendavimus, ante abitum ſuum in caſtra plene conficere non potuiſſe, ſpem tamen ſibi optimam factam à Berneveldio fore ut voto noſtro potiamur. Spondet interea idem Uytenbogardus pro Ordd. nihil tibi defore eorum quæ ad promovendum opus iſtud exiſtimabis pertinere. Pollicetur inſuper ſe literis ſuis apud D. Berneveldium inſtiturum, & ſi omnino id iſto pacto confectum reddere nequibit, ſtatim ubi redierit ex caſtris, omnibus viribus anniſurum, ut ex voto noſtro fælicem exitum ſortiatur. Perge itaque forti pectore, adjutus multorum bonorum & doctorum ſuffragiis & votis, multorumque qui in auctoritate ſunt favore ſuffultus. Ne te moveant ſiniſtra quorundam judicia: major illis omnibus eſto, & contra audentior ito. Cogita res magnas adorienti plerumque impedimenta objici, ſtudio quidem communis adverſarii noſtri Sathanæ, qui ſtudia ſuis ſtudiis contraria vult impedita; at permiſſu providentiæ divinæ, quæ exercere & probare nos ſtatuit, & neceſſitatem objicere operam ipſius continuo implorandi. Nehemiæ exemplum inſpice & imitare, & fælicis exitus recordatione te conſolare. Vale Vir Doctiſſime, & me ama te unice colentem. Salveat à me Nicolaus noſter, cujus ſtudiis ſanctum & fælicem ſucceſſum opto, in Domino. 9. Kal. Junii CIↃ IↃ XCIX. Amſterodami.

XXXXVIII.

JOANNI UYTENBOGARDO JACOBUS ARMINIUS S.P.

Familiaria. De negotio Druſii &c.

MItto tibi, mi amiciſſime, literas quas Druſius ſuis ad me incluſas tibi mitti voluit; puto utraſque ejuſdem argumenti eſſe, ut negotium illud apud Ordines, quantum fieri poteſt, promoveatur; quod ut tu facere velis me hortatore non indiges, non minus quippe erga id propenſus quam ego. Omnino autem id neceſſe eſt, ſi velimus illius viri laboribus, nobis ſane perquam utilibus, aliquando frui; nobis, inquam, & omnibus illis qui ad ſolidam rerum ſacrarum cognitionem adſpirant: ſuppeditat enim plurima non contemnenda ex varia illorum autorum lectione, quos nec habere cuivis eſt datum, nec intelligere, nec cum otio verſare intelligenti. Sunt qui minuta iſta exiſtimant; at ſine illis ſæpe magna percipi nequeunt, & lapſus in iſtis ut talibus, eſt turpior eruditionis famam conſecutis, aut nomen captantibus. Miſit mihi ſpecimen obſervationum ſuarum in Hoſeam, quas imprimere cœpit Raphelengius filius; at ita mendoſe, ut coactus fuerit Druſius operas inhibere: cauſa eſt præter operarum inicitiam & incuriam, quod ipſius manum non aſſequantur operæ, & nemo ſit qui deſcribere velit, niſi pretio conductus. Quare vides tua illi interceſſione hic opus eſſe, ut etiam noſtro bono obtineat, ſine quo nobiſcum ſuos labores communicare non poteſt. Res vero iſta eodem prorſus eſt loco, ne ſemel quidem ab illo tempore tractata; impeditur interea quem præcipue concernit; at Dominus dabit exitum. Experior id Chriſti locum habere ubique, in patientia poſſidete animas veſtras. Ego interea pergo in cœpto ſtudiorum curſu, ſed minus fæliciter, quia nemo eſt cum quo liceat utiliter conferre; Thyſius enim noſter rurſus in Galliam abiit: tu verſaris in caſtris, & domi quum es vix occupationes tuæ id permittunt, utiles quidem ex alia parte Eccleſiæ ædificandæ, at multum hinc adjumenti acceptura, ſiquidem & hic operam aliquam collocare velles. Vanæ ſunt iſtæ tuæ excuſationes, quas apud me aliquando protuliſti; & ſi maxime veræ ſint, tollere tibi cauſas facile erit, ſi ingenii vim eo contuleris. Utinam biduum vel triduum integrum tibi adeſſe poſſem, circa alia non occupato, nonnullarum rerum commonſtratione animum tuum ita inflammarem (ſic mihi perſuadeo) ut impulſore tibi opus non foret amplius. Mitto tibi diſpoſitionem quandam & brevem ſynopſin tomi primi locorum Theologicorum communium: tu vide, expende, & judica. Quæ in ſingulis attributis conſideranda putem, alias tecum communicabo.

by Google

Ep. 49. cabo. Velim moneri D. Baſelium, ut ad meas literas Eccleſiæ noſtræ nomine ipſi ſcriptas reſpondeat, ſi tamen acceperit, quod equidem exiſtimo. Salutem autem illi meis verbis precaberis. Si hanc meam delineationem cum illo voles communicare, poteris, tui id arbitrii facio. Velim & alios inſtigari ad ſimile ſtudium, & re penſitata me monere ſicubi aberrem. His vale, mi amiciſſime. Precor D. Jeſum ut te, urbemque & exercitum noſtrum conſervet & tueatur quam potentiſſime. 10 Junii 1599. ſtilo novo.

XXXXIX.

JOANNI UYTENBOGARDO

Amicorum intimo ſalutem & bene per Chriſtum agere precor,

JACOBUS ARMINIUS.

Theologica. ADoleſcens hic, notus mihi de meliore nota, à Druſio ad te venit; velim ut pro tua comitate illum audias, conſilioque tuo & auxilio juves quantum in te erit. Quantum ex Druſii ad me literis cognoſcere poſſum, hoc habet tecum agere negotii. Emit Druſius, quum poſtremum in Anglia eſſet, libros nonnullos ſtudio iſti, quod tractat, utiles; Ordines videntur de ſolutione ſpopondiſſe, tempus autem iſti deſtinatum jam effluxit, neque ita inſtructus eſt Druſius à nummis ut præſtare illam poſſit: quare tua illi opera hic opus erit, ut pecunia iſta ab Ordinibus adnumeretur ubi opus erit; ſi quod aliud eſt, ex ipſius ore intelliges. Literas autem tuas accepi, & jam reſponſionem adparavi, ſed nondum deſcripſi, ubi obtulerit occaſio mittam. Interea velim Baſelium roges, ut apud ſe contineat quod in mea Synopſi vidit, præſertim ne divulget, addito iſto commentario, quaſi iſtum in attributis ordinem ſtatuerim fundamentum doctrinæ de Prædeſtinatione non uſitatæ in noſtris Eccleſiis: fallitur bonus vir, non cogitans tanto molimine rem iſtam non indigere. Vita hominis integra vix ſufficit iſtis ſatis accurate meditandis & perſpiciendis. Omnino autem verum eſt, Prædeſtinationis negotium ex attributis etiam divinis pertractandum. At ordo quem poſui naturalis eſt, neque id diffitebuntur ipſi vehementiſſimi Prædeſtinationis, ut à Calvino & Beza docetur, propugnatores. Video præjudiciis ubique laborari; at ego illa vel flocci facio, obduratus ſcilicet ad illa. Neque omnino poenitet communicationis tecum initæ, licet non probes mea. Hoc enim nunquam cupivi: non amo qui mea omnia probant, niſi ex judicio id faciant. Veritatem inquiro, quam non monſtrabit niſi rigide mea examinans. Si quis invenille ſibi eam in omnibus videtur, plaudat ſibi & ferat indoctiores. At plauſum illum in iſtis de quibus ego ago & dubito plaudere deſinet, ſi vel ad horam me audire ſuſtinebit: non quod animum certum dubitationum incerto involvere mihi ſit volupe; ſed quia jam ſæpe ſum expertus, opinionem eoſdem cum ſcientia producere in animis opinantium effectus, quam excutere quam utiliſſimum eſt ipſis opinatoribus, ut opinionem incipiant cum certa ſcientia commutare. Si opinari ſe Baſelius non putat, probet mihi certis argumentis unum ex hiſce tribus, optionem illi offero: Prædeſtinationem & reprobationem factam ex nondum conditis hominibus, ut Calvinus & Beza ſentiunt; vel ex conditis at in puris naturalibus conſideratis, ut Thomas & Scholaſtici nonnulli alii ſentiunt. (Putarim Junium iis adſtipulatum aliquando, an jure, Theſes quas aliquando diſputavit poſſent decidere) vel hominibus in Adamo ut lapſis conſideratis, quam ſententiam Auguſtinus ſequitur & pleræque noſtræ Eccleſiæ, cui ego me non oppono; at fundamenta irrefutabilia deſidero, aut quæ non facile dirui poſſint. Eſſe autem aliquam Prædeſtinationem & reprobationem, eamque ab æterno & ex libera Dei voluntate miſericordiam & juſtitiam declarare volentis, quis dubitet? Hoc ſcilicet probant loca Scripturæ à noſtris uſurpata; at non hoc probandum. Verum quod ſinguli addunt, ex ſuo ne an ex Scripturis, fundamenta docebunt. Mittam autem explicationem prolixiorem meæ ſynopſeos, ut rectius videre & judicare queas. Vale & me ama. D. Jeſus te conſervet, ſaluta collegas tuas, Baſelium & Valeſium amicos mihi amiciſſimos. Raptim, ut vides, & ſine exemplo, quod & te ubi legeris velim nullum facere. Julii 1599.

L.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI UYTENBOGARDO

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

De Druſii itu Piam pro pace Eccleſia votum.

TRanſiit hac Joannes Druſius, Leydam abiturus, ut curet quæ ad editionem lectionum ſuarum in Hoſeam pertinere arbitrabitur; quin & inde Hagam profecturus, ut ab Ordinibus obtineat pecuniam in ſolutionem librorum illorum, quos in Anglia nuper illorum aut juſſu, aut ſaltem conſenſu, comparavit: quia autem intellexit te ſuper iſta re obtinuiſſe & impetraſſe Ordinum decretum, quod Apoſtillam vocant, ad libellum ſupplicem oblatum, petit ut illius ſibi facias copiam, quo ea inſtructus voto iſto ſuo potiri poſſit. Alterum illud negotium porro tuæ fidei & curæ committit, quandoquidem minus decorum putat, & merito, ut ipſe iſti petitioni ſe immiſceat, quæ ſine aliqua ipſius

Ep. 50. commendatione nec inſtitui poteſt nec impetrari. Manebit autem aliquamdiu Leydæ, ſi interea quid vel tu vel Baſelius ad illum curare vultis, commode id poteritis. Significavit mihi inſuper ſe, quia tam prope tibi adſit, illubentem domum rediturum niſi antea tuo colloquio potiatur; qua cauſſa petit ſibi locum & tempus tibi quam commodiſſima indicari; dabit operam, ut iſto loco & tempore tibi adſit quæ præſcribes, ſi fieri poteſt. Dixi illi rem iſtam curſim peragi non poſſe, tempore & ejus tempeſtivitate indigere, itaque moram aliquantulam non eſſe ægre ferendam, quod & ipſe intelligit: ſed ego illius feſtinationem illam præproperam interpretor ex deſiderio naſci parturiendi & enitendi multijugos eruditionis ſuæ fœtus, quos jam diu concepit. Et tu quoque ita interpretaberis, ſat ſcio, pro tuo candore. Intellexi autem ex Baſelio, te totam hanc æſtatem in caſtris actum, ubi proculdubio & Martialis eſſe diſces, qui hactenus manſuetiora pacis ſtudia coluiſti, ſtrenuus æque in bello & pace futurus. At videſis ne nimis calide igneum illum Deum colas, ne flamma quam ex candenti ore perpetuo evomit te ablumat. Videſis etiam, ne poſt tyrocinium Martialis ſtudii feliciter abſolutum, ſuperbus ad tuos reverſus ex alto deſpicias quos in pace agnoviſti, Martialium multorum more: ſi autem omnino ita mereri tibi videbitur difficilis exercitii & periculoſi ſtudii dignitas & majeſtas, me ſane, qui omnino abs te deſpici nolo ſed agnoſci, non diu deſpicies, ſed ejuſdem ſtudii fervore animum meum ita accendes, ut quocunque titulo, quacunque occaſione eidem me ſim dediturus; ſicque te commilitionem tuum agnoſcere cogam, quantumvis glorioſum. At proſpere, inquies, res tuæ habent, quia ridere & jocari vacat. Ita velim. An ignoras eos qui dolent, riſum ſæpe invocare, & vel invitum ad ſe trahere, quo vel ad momentum tetrici illius hoſpitis obliviſcantur, Democritum induentes, licet norint ſibi Heracliti perſonam, quam non niſi larva tenus depoſuerant, ſtatim cum augmento ſuſcipiendam? Ita ſane mecum agitur. Et quomodo gaudere poſſit, qui præter univerſalem toto orbe graſſantem impietatem & injuſtitiam, in ipſa Chriſti Eccleſia, in ipſo Chriſtianiſmo, tantam videt opinionum de religione diverſitatem, tantam in quovis hominum genere quodvis adverſus veritatem opinandi licentiam, tantam in pleriſque, qui ſunt in auctoritate apud ſuos, confidentiam, & vehementiam omnia, quæ ipſis videntur, pro articulis fidei ad ſalutem neceſſariis toti Chriſtianæ Eccleſiæ præſcribendi & obtrudendi? Hæc ſane dum cogito, liqueſcit in me anima mea, tantoque variarum cogitationum æſtu rapitur & torquetur, ut, quid ſibi in iſtis tumultibus faciendum ſit ignara, exclamare cogatur ad Deum ſuum; Da Domine pacem Iſraëli tuo, ſit pax in antemurali ejus, proſperitas in palatiis tuis: Plagas & vulnera Joſephi conſolida, ut fratribus & propinquis uno veritatis, ad tuam gloriam & hominum ſalutem neceſſariæ, & ſolidæ charitatis vinculo nexuque conjunctis, laudes tibi in domo tua dicere liceat de generatione in generationem. At quo me rapis o dolor! non hæc chartæ committenda ſæpius infidæ, exſpecta dum in ſinum fidelis tui Uytenbogardi iſta conjicere & exonerare te licebit; & ſic faciam, teque valere jubebo cum Baſelio collega tuo. Dominus Jeſus vos ambos conſervet illæſos, & incolumes, reducat ad Eccleſiam quemque ſuam & ad proprios lares, Amen. 1 Auguſti 1599. Ep. 51.

L. I.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Interpretia, Theologica.

MItto tibi Uytenbogarde cariſſime, literas Druſii, quas tibi inſcripſit; Tu illas leges, & quantum in te erit, poſtulato illius ſatisfacies. Ego puto virum illum natum eſſe Hebraicæ literaturæ promovendæ, & veræ interpretationi veteris Teſtamenti ex ipſis fontibus Hebraicis & variorum commentariis eruendæ: qua re & plurimum rei Theologicæ & nobis illius ſtudioſis commodat, dignus qui viciſſim à nobis officia grati animi omnia obtineat, quæ præſtare noſtrarum eſt virium. Agetur proculdubio per deputatos Eccleſiarum Hollandiæ utriuſque apud Ordines de Belgica Bibliorum verſione à D. Aldegondio p. m. inchoata ad finem perducenda, vel aliter inſtituenda. Huic negotio an ullus ſit aptior hoc eodem Druſio, neſcio; ita omne ſuum ſtudium ad hanc unam rem confert. Illius igitur erit mentio inter cæteros imprimis facienda apud Ordines, ejuſque labor commendandus iiſdem, ut illorum liberalitate obtinere queat, quod noſti. Si effici poſſet, ut, ubi illa res agetur, ab Ordinibus Hagam evocetur ſententiam ſuam dicturus & explicaturus ſuper inſtituenda tranſlatione, ſeu perficienda quæ cœpta eſt, non erit inconſultum rei ipſi, & gratum Druſio. Tu autem diſpice quid hic agendum. Res illa paulo meliore eſt loco, immutatis nimirum illis quæ cauſa diſputationum eſſe poterunt, & eouſque ut iis aſſenſum ſuum dederit cujus cauſa erant poſita. Quid autem illo futurum ſit ignoro, tempus docebit. Ego interea quod poſſum facio, veritatem mihi cognitam docendo, & ignotam inquirendo, quin & cognitam ulterius inveſtigando, ſolidiſque rationibus adſtruendo & firmando. Hæc autem in ſilentio & ſpe; ſuſtinens interea nonnullorum intempeſtivum zelum & vix tolerabilem vehementiam: dum Deus me iſtac moleſtia exſolvat, aut illis ſpiritum diſcretionis & prudentiæ addat, qui zelum temperet & mode-

Ep. 51. moderetur. Quod autem zelum illis tribuo abſque ſcientia, cauſam mihi habere videor juſtiſſimam. Videor enim illos nihil minus agere, quam quod ex officio tenentur, cujus pars vel potiſſima in inquiſitione veritatis eſt poſita. Hujus autem rei cauſa illis eſt opinio & perſuaſio de veritate adepta, quæ in nonnullis ita eſt potens, ut ex tempore de quavis re, etiam difficillima & nunquam illis antea meditata, ſententiam dicere peremtoriam auſint, magno ſane Eccleſiæ Chriſtianæ malo & veritatis certo detrimento. Narrabo tibi aliquid ut videas, quod dico, & rideas ſi lubet. De regeneratione corporis, dum ageremus dé illius corruptione, agendum erat neceſſario, quam quidam vehementer urgens, hoc argumento me concludere cogitabat. Tu animam, inquit, à Deo immitti credis; puram igitur & ſine peccato; unde ergo anima eſt corrupta? Niſi à corpore contrahat labem, nullum eſt peccatum originis. Itaque tu, inquiebat mihi, qui id negas, peccatum originis ſimul negas, & hoc intolerabile eſt. Reſpondi, ne tantopere feſtinaret me concludere; duplex enim mihi patere effugium, unum de quo tum agere nolebam, quia requirebat diligentiorem tractationem & explicationem, de modo nempe quo anima corrupta eſt, citra contactum corporis, & citra ejuſdem ex traduce propagationem. Alterum breviter monſtrabam, nempe per animæ traducem. At illam negas, inquit. Ita ſane: ſed magis nego per contactum corporis animam infici. Si nulla alia ratio eſt præter iſtas duas, jam pedibus ingredior in ſententiam animam ex parentibus naſci affirmantium, & ſic evado tuam concluſionem, dicebam; & ſimul cum iis qui ita ſentiunt dico te peccatum originis negare, qui illius ſubjectum proprium facis corpus, & id in animam per corporis contactum traducis, quod eſt abſurdiſſimum. Hæc dum audiit, tacuit, videns ſe ſua concluſione me non cogere ad aſſentiendum ſibi, ſed ad magis diſſentiendum; nam & ille judicat animas divinitus immitti in corpora, & à parentibus non proſeminari ſeu propagari. Hinc de reliquis actis judicium facere tibi licet. Sed alias de iſtis coram, ſi Deo viſum fuerit. Hæc ex occaſione epiſtolæ Druſianæ ad te curandæ ſcripſi, ne nihil ſcriberem, quanquam & hoc pene nihil eſt. Vale mi amiciſſime. Dominum precor ut te Eccleſiæ ſuæ quam diutiſſimè incolumem ſervet. Raptim & currente calamo. 8 Sept. 1599.

LII.

JOANNI UYTENBOGARDO

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Familiaris & pius de Religione ſermo.

QUod ab binas tuas priores, Haga unas, Ultrajecto alteras ad me ſcriptas non reſpondi, amiciſſime mi, eo factum eſt, partim quod neſcirem an Ultrajectum an Hagam Comitis literæ mittendæ eſſent; partim quod itinera tum temporis uſurpari vix poterant, aquis quippe couſque gelu conſtrictis, ut navibus perviæ non eſſent, terra vero tam denſo luto obſita, ut non niſi magna cum difficultate viatoribus tranſitum concederet. Scio quidem quid officii mei ratio illo tuorum ſtatu poſtulabat; at quæ tempeſtive ſatis præſtare non poſſem, intermittere viſum fuit: præſertim quum ſcirem animum tibi ad iſta talia Dei beneficio obfirmatum eſſe. Ego etiam interea non prorſus eram immunis: nam duo minores filii & filia morbo puerili, quem varos vocant, graviter laborarunt, Hermanno interim febricitante, atque ſic, ut puto, adverſus contagium illud præſervato; quod tamen an ipſius ſanitati in poſterum ſit conducturum ignoro, quum videamus fatale pene eſſe omnibus in univerſum hominibus iſt hoc genere morbi ſemel in vita defungi. Acceſſit quod & ancilla noſtra ægrotare cœpit primum pleuritide, hinc eodem morbo puerili, denique dyſenteria quæ illam abſumſit, & jam ſextus agitur dies ex quo vitam cum morte commutavit. Utinam Deus iſta caſtigatione contentus ſit, & porro Angelum percuſſorem jubeat ædium noſtrarum poſtes ſacro ſanguine adſperſas ſine clade præterire, quod & tuæ familiæ opto ex animo. Moleſtiæ autem iſtæ quæ diligenter curandis & aſſervandis liberis erant inſumendæ non permiſerunt, ut id quod in VII. caput præ manibus habebam abſolverem, & viſum erat illud ipſum una cum literis ad te mittere. Verum hoc jam propediem exſpecta planius, & latius paulo pertractatum. Iſtac autem conditione accipies, ut quod tibi diſplicebit, aut non ſatis probum probatumve videbitur, libere tranſcribas. Veritatis enim inquiſitio, quam inſtitui, ita poſtulat. Abſit ut ego mea probari velim qualiacunque ſint, proba improba. Gaudeo plurimum, ſi quis contradicere meis ſtatuit hoc animo, ut & ipſe veritatem indaget: illos autem ægrè fero, qui omnem ſcientiam ſibi tribuentes in hoc ſolum & audiunt & legunt aliena, ut hæreſeos notam adſcribant, ſi quæ occurrant illis vel non nota antea, vel non probata. Crede mihi non facies hoc inutiliter, certus & tibi, & mihi inde conſtabit fructus. Plenus ſum medi-

Digitized by Google

Ep. 52. tationum de rebus ad regenerationis negotium pertinentibus, illas hac occasione in sinum tuum effundere quam maximè gestio. Hoc autem inprimis mone, sicubi putabis me à communi nostrorum consensu, non tam in loci alicujus sensu explicando, quam in fidei dogmatibus, longius discedere. Non festinabo mea aliis offerre, quos de meliore nota non novi. Perpetuus iste, quem injicis, metus animo meo obversatur. Pacis enim Ecclesiæ studiosissimum gero animum, Dei beneficio; sed & indefessum studium veritatis inquirendæ & confirmandæ profiteor. Nulla mihi, non dico, dies, (absit jactantia, tu me nosti) sed ne hora præterit, sine illarum rerum, quas tracto, meditatione: insuavia omnia & ingrata æstimo præ illius studii dulcedine, perire mihi puto id temporis, quod huic rei non impendo; dicere licet, utinam ne nimis. Nam & hic modus est tenendus, ne ab aliis officiis pietatis, quæ majoris sunt momenti, impediat. Veritatis inquisitione & scientia spiritualis etiè conor, qui omnia dijudicare valeat; utinam & affectuum mortificatione, veraque in Deum fiducia & conversione ad ipsum. Hoc unum sæpe doleo & deploro, quod nemo adsit mihi cum quo conferre liceat. Negotium Drusianum porro tibi commendo, & fax o ut illi de tuo animo & studio vel per me vel per Vekemannum, fors per utrumque, constet. At mi anime, an non dolendum, ita agi inter Christianos, inter fratres, inter Theologici studii professores, & omnia tegi velo zeli erga gloriam divinam & veritatem cælestem? o Deus quousque! tu vides & judicas. Necdum statui de negotio quod mihi in Synodo est impositum; propendet tamen animus certis de causis ad suscipiendum, modo rescisscere possem id mihi syncera mente commissum esse, de quo dubitare me cogunt sinistra nonnullorum de me judicia. At ut ut est, ego judico utilem fore istam operam Ecclesiæ Christi; non quia istæ hæreses non sint erudite & solide refutatæ, sed quia novæ refutationes novos inveniunt lectores. Ego vero non habui hactenus studio Anabaptistarum hæreses earumque firmamenta tam accurate cognoscere, quam postulat usus istius negotii; hoc unum me paulum remoratur. Si qui animo tantum sensa mentis meæ de nonnullis controversis articulis erucndi istud mihi onus imponendum putaverunt, illi quod volunt non impetrabunt; neque enim refutationis necessitas postulabit, ut ego omnem meam mentem explicem super dogmatis de Prædestinatione & libero arbitrio, de quibus inter alia litem nobis movent, quos dixi, Anabaptistæ. Tu autem neque hic mihi deëris, sat scio, qua instruendo libris, si quos habes hoc negotium tractantes, quà etiam monendo & mea corrigendo. Interea autem persequar institutum locorum communium syntagma, quia video hoc ab isto negotio non usquequaque dissentire. Ursinus apud nos est, ter pro concione dixit, satis propensi Ep. 53. sunt in illum Seniorum animi; si dona ejus huc usque placere poterunt ut judicentur Ecclesiæ nostræ profutura, salva res erit; quod ego sane bono viro ex animo precor. His vale cum conjuge carissima & familia tota. Salveant à me D. Hogerbetius & D. Cromhoutius. Vale & me ama. Amstelædami 26. Januarii 1600.

LIII.

JACOBUS ARMINIUS
JOANNI UYTENBOGARDO

meo, salutem & bene per Christum agere precor.

GRatias tibi uxorique tuæ habemus pro remedio subministrato, quod adversus dolores papillarum est præsentissimum. Dolendum sane uxorem tuam istam sibi artem soli reservare velle: unde fiet ut cum illà intercidat & emoriatur, ingenti sane matrum lactantium damno & detrimento: quod ideo dico, quia expertus sum in propria uxore, quantum malum sit cui mederi novit istud pharmacum. Sola illa ars pauperculam alere posset, quæ pretium suæ industriæ & operæ statuere vellet indigentibus. Quare hortare uxorem, ut ne patiatur secum intermori artem tam necessariam: si nolet communicare dum vivit, saltem scriptum relinquat ex hac vita discedens. Sed nescis, mi anime, quid nuper Theologi Franekerani filius pleno ore & planis verbis enuntiarit de decreto Suyd-Hollandicæ Synodi, quo circumscripti sunt illi qui translationi Bibliorum præficientur in posterum. Roggius, dicebat, mihi narravit Drusium per Suyd-Hollandicam Synodum à translatione Bibliorum, imo & inspectione translationis esse excluſum. Tu quidem illius solius excludendi causa decretum factum esse prudenter animadvertebas, sed juvenis viginti annorum hoc ex ore Roggii aperte est professus, ignarus proculdubio quo loco Drusius apud me esset. Velim, ut apud Centurionis Ludovici (qui equitum turmam ducere solebat vivus) viduam, quæ apud vos esse dicitur, exquiras an Cæsar Molettro maritus aliquando Christinæ Henrici nostræ, quam nosti, obierit nec ne. Christina mihi scripsit ante annos aliquot, maritum suum ad Sylvam-ducis cum aliis cæsum occubuisse. Interest alicujus boni viri, qui illam jam uxorem habet, ut de illa re certus sit. Debuit quidem, fateor, antea de eo inquisivisse; at fidem habuit hactenus uxoris narrationi, quæ jam illi cœpit esse suspecta. Thysium nostrum ex Galliis rediisse nosti. Velim illum alicui functioni præfici in vicinia nostra, & quidem Leydæ si fieri possit; propendet illi animus ad Hebraica. Ego puto, si professio illa ipsi adsignaretur, daturum operam ut Spartam suam cohonestare posset. Diligentissi-

Privato Ecclesiastico Theologo.

Ep. 53. tissimus est indagator eorum quæ ad eam rem spectant, imo & curiosus. Tu rem hanc habeto cordi. Ego conquiro mihi undique Anabaptistarum scripta, quæ habeo perlego, ut illorum sensa de singulis fidei articulis nosse queam, qui primus operis mihi impositi labor esse videtur. At Corputius mihi scripserat de submittendis illis quæ alii apud se haberent adversus Anabaptistas meditata; nihil istorum accipio. Ego tamen aliquid moliar, quo successu docebit eventus. Non tamen festinabo, sed prout juxta ordinem locorum communium quem habeo præ manibus singula incident, ita quoque tractabo, nisi forte urgear. Tu scripseras impositam tibi curam respondendi epistolæ Cukianæ, velim ubi responsum adaptaris videre. Non possum te celare, Harlemenses gravamen hoc proposuisse proxima Synodo tractandum; An non sit consultum ut Ministri Ecclesiarum quotannis renovent subscriptionem Confessionis & Catechismi, quandoquidem inveniuntur, qui licet in muneris ingressu subscripserint, tamen postmodum mutatæ sententiæ indicia dant manifesta. Ego miror hominum improvidas mentes, qui non vident se isto pacto, & omnium Ministrorum fidem in dubium vocare, utpote qui annuis subscriptionibus sint ad constantiam in fide compellendi, & litium quotidianarum semina spargere. Quasi vero accidere nequeat, ut qui sub ingressum muneris non dubitavit atque ita ex conscientia subscripsit, temporis progressu dubitare de articulo quopiam incipiat, unde se ante revolutum subscriptionis novæ tempus extricare non poterit. Addo, quod hæc res ad omnes Ecclesias pertineat æqualiter. Et quis prudens unquam judicavit ex usu reipublicæ aut Ecclesiæ esse, inquisitionem instituere de criminibus non manifestis, imo & illos qui nihil mali cogitant ad apertas dissensiones adigere? An non ista novæ Hispanicæ seu Tridentinæ Inquisitionis fundamenta esse videntur? Hæc scribo, non quod ego subscriptionem detrectem, sed rei ipsius causa. Putavi autem te monendum. Agitur & hoc, An non utile sit futurum Ecclesiis, ut conjungantur Synodi utriusque Hollandiæ, & quotannis Synodus habeatur aliqua omnium Ecclesiarum ad utramque Hollandiam pertinentium. Videntur mihi Uytenbogarde multi, ne parum satagentes videantur rerum Ecclesiasticarum, noctes diesque meditari, an non aliquid & ipsi proponere possint in Synodis tractandum. Revocandi sunt isti tales ad dictum Apostoli; *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Mirum enim quam supina sit multorum negligentia & securitas in istis quæ ad muneris functionem præcipuè pertinent. Hæc tecum confabulari volui. Tu boni consule, & vale cum carissima tua, cui salutem à mea adscribo. Dominus Jesus tibi adsit, te tueatur & conservet ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ emolumentum. 26 Maii 1600.

Ep. 54. EJusdem Theologi, de quo ante, filius major conciunculam, propositionem, habuit, in 1. *versum Psal.* XXXII. in qua digrediens paululum, probavit VII. caput *ad Rom.* de homine regenito intelligendum; usus autem est his duobus argumentis. 1. quia homo non regenitus interna sua peccata non agnoscit. 2. fuit prorsus herculeum, imo tonitru instar, ut dicebat, ad profligandam sententiam contrariam; nam isti homini tribuitur velle bonum, quod non convenit nisi regenito; probavit postremum ex loco *Phil.* II. *Deus efficit in nobis velle & perficere.* En quam accurata capita, ecce quibus homullulis infestemur & impetamur, & præsentes. Monui illum de aliis nonnullis, & verbo dixi; ipsum in 1. argumento falsum dixisse, in secundo suam sententiam refutasse. Nam homo de quo Apostolus agit non invenit perficere; in hoc vero efficit Deus perficere. Adjunxi, diligenter illi esse inspicienda loca Scripturæ & ponderanda argumenta. Verum dictum est; Ignorantia audax & superba. Et hoc volui tibi scribere ut mecum rideres. Vale iterum amicissimum mihi pectus, & me ama.

LIV.

JOANNI à MUNSTER

DAVID PARÆUS S.

Ecclesiastico. Theologico. de fractione panis in cœna Domini.

PLusculum tacui, Vir nobilissime, fautor honorande, non tam meâ voluntate, quam occupationum imperio. Quare veniam peto. Merito Ecclesia luget tanti Doctoris, quantus erat Tossanus noster, jacturam: lugent nobiscum omnes boni, quorum lacrymis, cum tuos quoque adjungas gemitus, pietatem sane in defunctum, affectum in Ecclesiam testaris. Adfui ego morienti: audivi extreme balbutientis vota & gemitus. Pietas ipsa mori videbatur, vel obdormiscere potius. Non quidem tam dolemus, quod talem amiserimus, quam gaudemus, quod talem habuerimus. At vulnus quod ejus exitu Ecclesiæ & Academiæ nostræ inflictum sensimus, parum abest, quin lethale sit. Nisi confiderem, te programma funereum, quo Rectoris jussu sanctis ejus manibus subito parentavi, jam pridem accepisse, adjicerem istis; sed parentationes Academicæ solemniores brevi evulgabuntur, quæ desiderium bonorum magis lenient: ut, quem corpore nequeunt, recordatione teneant: quod de suo Nepotiano Hieronymus dicit. Quod nuper suasi, non esse altare contra altare apud vestros erigendum, ex Augustino suasi, & recte tu in disceptatione nostra consuluisti id ipsum: nec quid sibi velit est obscurum. Altare nostrum Christus est, cum orthodoxâ fide, à quâ se Ubiquitaria factio segregans, suum sibi altare contra erigit,

Digitized by Google

Ep. 54. rigit, vel certè jam erectum pertinaciter defendit. Suasi ergo, hæc duo altaria non esse simul ferenda in Ecclesia unà. Nam prudentia conjungere volens utrumque, nihil est nisi fomentum schismatis inter membra unius corporis. Cum constet ministerium esse impurum: repurgetur ergo: non purum cum impuro conjungatur. Vidimus utriusque consilii experimenta in uno Palatinatu: qui apud Rhenum habens unum altare felicior est: in Bavariâ gemino altari in primariis oppidis hostiliter in hunc diem secum dissidet & varie distrahitur.

De disceptatione vestrâ legi ἐκτροπιασμὸν (*inexpectata*) non sine dolore. Jam pridem enim arbitrabar, constare inter nos de quæstione juris & facti in fractione panis Dominici restituenda Ecclesiæ. Doleo igitur Sathanam hanc ruinam invenisse, per quam ad vos turbandos irreperet. Vos vero pro vestrâ pietate & prudentiâ per eandem eum repellite. Bene tamen est quod in quæstione juris convenitis. Meam de ea sententiam, non est, cur nunc multis exponam, aut à me petatis. Habetis enim evulgatam, ad quam etiam video utrumque accedere, & te, vir amplissime, & D. Flurerum. Constat ergo inter vos, fractionem panis Eucharistici non esse ritum ἀδιάφορον (*indifferentem*) sed mere & vere sacramentalem, ad integritatem sacramenti pertinentem. Nec dissidetis in eo, an sit restituendus ritus necessarius Ecclesiæ.

De tempore & modo restitutionis non convenire video: jamne sub reformationis initia, alienis vel offensis adhuc domesticorum & vicinorum animis sit restituenda, an differenda, dum nullâ vel minore res offensione laboret? Prius tibi, posterius D. Flurero placere video. Non judex, sed frater sum: causæ astipulabor. Si Dominus Jesus ita judicasset in expurgando fermento Pharisaico, in tradendâ doctrinâ cœlesti, & in ritibus divinis innovandis, scandalum errantium cavendum esse, & differendam doctrinæ ac rituum divinorum (disciplinæ diversæ fuit ratio) repurgationem, dum omnes cessarent offendi vel obloqui; ubique reclamantibus omnibus, tum Theologis & Politicis, nec doctrinam Euangelii è sinu Patris promulgasset, nec Eucharistiam cum Baptismo instituisset, nec panem fregisset unquam. At, non obstantibus illorum vel scandalis, vel contradictionibus, fecit hæc omnia: *ad judicium*, inquit, *veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant:* quo dicto tradidit regulam in repurganda doctrinâ & ritibus divinis, potius ædificationem eorum, qui sunt dociles, sive pauci, sive multi, spectandam esse, quam offensionem eorum, qui ultro ad veritatis lucem cæcutiunt, aut ei contradicunt. Quia hoc scandalum acceptum est, non datum. Unde consequens est, sive offendantur errantes, sive non, doctrinam cœlestem & ritus à Deo mandatos retineri, vel si exciderint, postliminio restitui debere in Ecclesia. In disciplina quidem & adiaphoris Christus neminem vult offendi: sed ad infirmitatem errantium descendit ipse, & descendere nos jubet: ne si injiciamus vinum novum in utres veteres, rumpantur utres, & vinum effundatur, hoc est, infirmi rigore intempestivo offensi resiliant, & fructus doctrinæ pereant. Ita Apostolus etiam fiebat omnia omnibus, quod nobis quoque est faciendum. At doctrinæ & rituum nobis divinitus mandatorum alia est ratio. De his enim parendum est mandato: *quod auditis in aurem, prædicate super tecta. Prædica sermonem, insta tempestivè, intempestivè.* Hic omnis dispensatio in hominum gratiam, odii vel periculi metu facta, cunctatio est, vel prævaricatio. Jam si fractionis ritus ex istorum est genere, quid sequatur palam est. Et valde probo scriptum primum D. Flureri de causis restituendæ fractionis: à quo non spero eum recessurum in alicujus gratiam. Probo moderata consilia: sed in iis quæ moderationem habent, in reliquis probo cordatum candorem, qui rectâ viâ; brevissimâ nempe, incedere solet. Metui vero aut lentitati nostræ scandalum infirmorum, vel errantium aut contradicentium prætexere, tergiversari est. Vis paucis dicam? Si differenda est rituum sacramentalium, aut etiam doctrinæ repurgatio, dum Titius, Mævius & horum vicini applaudant, vel offendi cessent, næ nos Christum cum suâ reformatione ad Calendas Græcas suspendemus. Si corrigere, quod potestis, non vultis, languor est: si, quod vultis, non potestis, culpâ vacatis, modo esuriatis & sitiatis justitiam.

In Bernensi & Basiliensi Ecclesiâ ministri in hoc ipso expetunt ἀποκατάστασιν, (*instaurationem*) sed impediti autoritate superiorum mutationem facere non possunt. Nævum igitur agnoscunt & excusant minime. Deus Pater misericordiarum compescat Sathanam, ne vos turbet, aut impediat; ipse vero per spiritum suum vos sanctificet & roboret, ut omnes idem sentiatis in veritate, & inoffenso pede procedatis. Qui Crollii ingenium hactenus noverunt, claudicationem ejus non mirantur, nec apostasiâ offendentur. Semper contentiosus fuit & arrogans. Culpam frustra aliis imputabit: cum stultum & miserum sit, ut aliis, à quibus nos læsos putamus, ægrè fiat, ultro se præcipitare. Deus ipsi adsit, ne seipsum perdat. Hæc vir Nobilissime, ad tuas eruditissime exaratas ruditer currente calamo respondere volui. Si nimis multa aut diluta, veniam peto. Dominus gratia sua tibi, tuæque conjugi, ac familiæ nobilissimæ benigne adsit. Tu vero, quod facis, tuâ me benevolentiâ porro etiam complectere.

Heidelbergæ 24. Febr. Anno salutis reparatæ 1602.

L. V.

L V.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

Religioſa de peſte Amſtelodami graſſante.

LEctis literis tuis, mi Uytenbogarde, non affectus modo ſed perfuſus ſum gaudio ineffabili, tum quod vehementem tuum erga me amorem ex iis perſpicio, qui levia & exigua benevolentiæ ſigna æſtimat prægrandia; tum quod ex iis curam tuam & ſolicitudinem de me meaque familia cognoſco, quam tuis precibus commendatam habes unicè, quibus ego à multo tempore plurimum tribuere ſoleo, adeo ut non parvam mihi ſpem faciant immunitatis ab iſto malo, quod nos undique obſeſſos & quaſi circumvallatos tenet: à quo quidem hactenus indemnes nos præſtitit gratia divina, neque nos ſolum ſed & omnem hactenus familiam paternam, fratres ſororeſque omnes & eorum liberos: quod beneficium nobis perpetuum eſſe velit benignus Pater. Magna ſane & gravis ira Dei in nos totamque urbem incumbit, quam plurimi ægrotant, multi quotidie obeunt, præterita hebdomada ſeptingenti ſunt numerati & ultra, neque dum remittit lues. Quamplurimi fuga ſibi ſuiſque liberis conſulunt, faxit Deus ut evadant, licet magis probem illos qui cum Eccleſia apud Michæam dicunt; iram Domini feremus, quia peccavimus illi; non ſervabit, ſpero, Dominus iram in perpetuum, neque perpetua oblivione ſepeliet miſericordias ſuas antiquas, non delebit matrem cum filiis univerſis, ſemen aliquod ſibi relinquet, quod ipſius nomen laudeſque concelebret in terra viventium. Nos interea non negligimus pro ſalute reipublicæ ardentes ad Deum preces fundere, populum ad preces & vitæ ſeriam emendationem adhortamur, puſillanimes concionibus conſolatoriis reficimus, perterrefactis conſcientiis animos addimus commemoratione promiſſionum divinarum, atque iſta majore zelo ut faciamus ipſa neceſſitas & anguſtia temporis velut conſtringit nos, & facies urbis vehementer mutata impellit. At vero, quod miraculi pene inſtar eſt & ſingularis Dei providentiæ documentum certiſſimum, nemo hactenus (hoc inquam anno) ex Conſulibus, Scabinis, Theſaurariis, orphanorum Præfectis, Verbi adminiſtris, ſenioribus, diaconis, eleemoſynariis, Rectoribus ſcholarum & hypodidaſcalis iſta lue infectus fuit, miris modis Deus omnes illos conſervavit, & ſpero, conſervabit porro. Hujus rei conſideratio vehementer me afficit, ut non poſſim quin in laudes providentiæ divinæ erumpam: & afficiet omnes illos qui ſciunt quam graviter peſtis iſta per totam urbem ſæviat. Reipſa diſcimus veritatem Davidicæ deſcriptionis, qui illam appellat, *peſtem pravitatum, timorem nocturnum, ſagittam volantem interdiu, peſtem in caligine ambulantem, peſtem vaſtantem meridie.* Ante quatuor hebdomadas dies rogationum publicus indictus & celebratus eſt ad iram Dei avertendam, magna hominum frequentia conciones frequentante & magna animi devotione Deum invocante. Scimus autem Deo tempus præfigendum non eſſe. Exſpectamus ab ipſius benignitate liberationem à malo, aut ſaltem mitigationem. Quam etiam velim te tuis apud Deum precibus ardentiſſimis flagitare, quin & Aldenhovium, Dolegiumque admonere ut una nobiſcum precibus ſuis certent apud Dominum. Quis ſcit an miſereatur noſtri ut non pereamus univerſi? Hæc hactenus. Studia mea calidiſſimis hiſce temporibus vehementer frigent; quidquid ab ordinariis & extraordinariis functionibus temporis ſuppetit, non tam ad ſcientiam comparandam quam ad conſcientiam ædificandam inſumendum eſt, domui præſcribendum, & omnia diſponenda atque ſi in horas iſta lue corripiendi ſimus, quæ nulli hominum generi parcit, non pauperibus, non divitibus, non infantibus, non pueris, non ſenioribus, non viris, non fœminis, nullus locus in urbe eſt immunis: à tergo, à fronte, à latere, in proximis mihi ædibus infectio iſta vim ſuam exeruit. De D. Taffini obitu audiviſti proculdubio, de quo tamen dubitatur an ex iſto morbo obierit. Facile apud te ſtatuere potes, quantopere ego ſtudiis incumbere queam: licet, quod libere & vere apud te dicere licet, imperterrito hactenus animo, at non citra commiſerationem, caſum tam multorum inſpexerim. Si Deus ſuperſtitem me hiſce malis eſſe voluerit, ad interruptam ſtudiorum meorum meditationem redibo. Helmichius egregie officium facit quà publice quà privatim. Talem ſe præbet qualem ego ſane optare poſſim maxime. Virum bonum, candidum & ſyncerum, eſſe arbitror. Comem ſe & affabilem declarat omnibus, neminem præ ſe contemnere videtur, licet inſignibus à Deo donis ſit inſtructiſſimus. Ego tane magnopere Eccleſiæ noſtræ gratulor, quod illum nacta ſit; ſi te illi & nobis collegam haberemus, triumphare certo poſſemus; at hoc forte fruſtra opto, propterea quod ſciam quantopere tua opera deſideretur, probetur, & utilis ſit inter iſtos magnos totius reipublicæ noſtræ Primates, cum quibus vix ulli alteri tanto cum fructu verſari contingeret. Non dubito quidem, quin multa quotidie obverſentur oculis tuis, quæ merito diſpliceant: at quid agas aliud, quam ut corrigas quà potes, & interea animam juſtam affligendo Domino Deo tuam operam & fidem approbes, exſpectans meliora. Feſtinat Uytenengius, qui aut ipſe aut ſaltem per alios haſce ſuſcepit ad te curandas. Quare finem faciam, & te totum-

Ep. 56. tumque exercitum noſtrum Domino Deo ejuſque tutelæ potentiſſimæ commendabo, precans Dominum ut ſpiritu prudentiæ, fortitudinis & veræ magnanimitatis omnes inſtruere velit, quo bellum hoc Domini ad ipſius gloriam, Eccleſiæ augmentum, & patriæ noſtræ vehementer afflictæ ſalutem quam citiſſime debellari queat. His vale mi amice, D. Deus te tueatur, conſervet, protegat ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ ædificationem, tuorum emolumentum, & meum gaudium in Domino. Raptim currente calamo. 17 Auguſti 1602. Salveant à me quam officioſiſſime Dolegius & Altenhovius ſi adhuc in caſtris verſentur.

QUum clauſurus eſſem literas, ſignificavit Uytenengius, quem jam jam putabam abiturum ad exercitum noſtrum, ſe Ultrajecto, quo jam abit, ad nos rediturum, atque tum iter propoſitum perſequuturum. Quare putavi, quum temporis ſatis ſuperſit, non ingratum tibi fore ſi adſcribam Pſalmum nonageſimum primum, prout illum hiſce diebus latinis verſiculis tranſtuli, ut illum firmius memoriæ meæ imprimerem; alligavi me ad textum ipſum quantum potui; quare non miraberis ſi verſus ſint horridiuſculi.

LVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Narratiuncula de tentatione quorundam ſuper certitudine ſalutis, item de profeſſione Lugdunenſi, aliiſque.

LIteras tuas 22 Septembris miſſas, 27 ejuſdem menſis accepi gratiſſimas mihi ſemper & acceptiſſimas, hoc vero rerum noſtrarum ſtatu pluſquam exoptatas & deſideratas. Vehementer enim me conſolantur, vel ſola ſolicitudinis tuæ de me meiſque, & precum tuarum (quas ſcio ardentiſſimas eſſe & efficaciſſimas) ad Dominum mentione. Nam omnino mihi perſuadeo, me hucuſque tuis potiſſimum & Eccleſiæ noſtræ precibus immunem ab iſta dira & graviter graſſante lue perſtitiſſe, quam inter primos cælitus in caput noſtrum devocavi. Confido etiam porro perſtiturum magna Dei miſericordiâ, ſi ipſe ita gloriæ ſuæ, Eccleſiæ ædificationi, & ſaluti meæ meorumque conducere novit. Jam diu autem me vitamque meam illi obtuli, exſpectans indies dum illam à me repetat, & meliorem cum fœnore reponat, idque animo quieto, tranquillo & (fidenter dico ut tu gaudeas) imperterrito, quem mihi ad extremum uſque ut conſervet Deus ille omnis conſolationis, precor, & ut tu mecum preceris obnixe peto, imo jubeo, viciſſim paria tibi præſtiturus. Quum primum exitiabile malum graſſari circum circa, & ingentes funerum acervos facere inciperet, non parum afficiebat animum cogitatio de uxore & liberis; conſiderabam enim quam exiguam hæreditatem eſſem relicturus. At ſuperavi Dei beneficio iſtam tentationem, & Domino Deo Patri viduarum & pupillorum illos quam commendatiſſimos fore non dubito: non quod ego ita me erga illum geſſerim, ut illius favorem etiam poſt mortem meam erga meos duraturum confidere poſſim; ſed quia id præfidente fiducia ſperare audeam. Torſit me multum, atque etiamnum torquet ineptiarum mearum, quas chartis obiter illinivi, cogitatio. Ut illas comburi jubeam morti propinquus ſtatuere auſus non fui, propterea quod mihi utiles eſſe poſſent, ſi contingeret præter opinionem ſuperſtitem manere. Ut patiar mihi fatis meis functo ſupereſſe, multo minus animum inducere poſſum; ſcio enim indignas eſſe quæ inſpiciantur, & vel tuum amiciſſimi hominis judicium ſubeant. Gaudeo enim iſto loco apud te eſſe, quo ſum, & porro iſto loco apud te eſſe volo mortuus; quod non potero, ſi illæ, quod facient inſpectæ, liquidiſſime declarent loco iſto indigniſſimum fuiſſe. Hoc autem tibi declaro, & quidem ultimæ meæ voluntatis loco haberi volo, quod in nullius quam tuas & Jacobi Brunonis manus illas incidere velim, quos ſcio *ἰσιμοῦς (ex æquo & bono)* illis uſuros, & ad commodum hæredum, correcturos, ſi quid ſit quod facili opera correctum lucem adſpicere poſſet. Ac ut de ſtudiis meis aliquid addam, jam aliquamdiu, ita conſtringente hujus tempeſtatis neceſſitate, de providentia Dei meditatus ſum, ad cujus pleniorem & accuratam explicationem puto adhuc nonnulla deſiderari, præter illa quæ à noſtris auctoribus eruditiſſime & accuratiſſime ſunt tradita. Legi Urſinum, Zanchium, Gommarum, qui ex profeſſo iſtam materiam tractarunt. Singula penſito ſecundum modulum meum. In Gommarum, quod breve eſt illius ſcriptum, nonnulla animadverto (quod & forte in reliquis ſum facturus) ea tecum communicabo ubi abſolvero, non ut te doceam, ſed ut tuum judicium, quod ſemper maximi feci, experiar. Hujuſmodi autem ſtudia libenter ſuſcipio ſecundum naturæ meæ propenſionem, quæ ſemper ad veritatis ulteriorem inquiſitionem tendit, neque deſinere novit niſi pertenderit, aut ſaltem putaverit pertendiſſe. Hoc autem luctuoſo Reipublicæ noſtræ ſtatu magnopere impediunt varia eaque gravia officia, præſtanda tum amicis & propinquis ad animos illorum contra metum mortis confirmandos, tum ægrotis qui peccatorum onere prægravati in Deum per Chriſtum ſpem ponere vix audent. Neceſſe habeo tibi narrare quid hiſce diebus bis mihi acciderit, primo apud fœminam peſtilentiali febre, inde apud virum graviſſima peſte laborantem, ambos Eccleſiæ noſtræ membra, probæ vitæ & integræ famæ homines, & ut ego exiſti-

Ep. 56. exiſtimo verè Chriſtianos. Illa judicioſa admodum & rerum ſacrarum ſupra ſexum gnara, ille earumdem eouſque peritus ut alius etiam ſolandis idoneus judicatus fuerit, neuter alteri notus; quod ideo addo, ne alterum alterius exemplo traductum putes in iſtas tentationes. Ambo vehementer angi cœperunt animo, quod certitudinem remiſſionis peccatorum, & alloquium Spiritus Sancti in cordibus ſuis non perſentiſcerent, iſtô præſertim tempore, quo quam maxime id neceſſarium arbitrabantur. Conatos quidem fuiſſe meditatione ſeria verbi Dei & precibus illa, ſi fors ſepulta laterent in cordibus, exſuſcitare, at inani opera & ſucceſſu caſſo. Illa in lachrymas ubertim erupit, hic intus dolorem coquebat; neuter tamen deſperabat, ſed vehementiſſime affligebantur iſta quam dixi de cauſa. Ego animo, ut verum fatear, triſti, & ſeria commiſeratione tactus utrumque audivi, & remedium iſti tentationi adhibere conatus ſum tale, & utrumque ſucceſſit. Quæſivi quæ cauſa eſſet cur tantopere iſtam ob rem cruciarentur? Reſponderunt, adeo cogitationes illorum conveniebant, ſe exiſtimare certitudinem remiſſionis peccatorum & teſtimonium Spiritus ſancti in cordibus fidelium eſſe ipſam fidem, qua homo fidelis juſtificatur, & propterea ſe, quod illa certitudine & teſtimonio hoc tempore deſtituerentur, fide etiam carere. Hic ego rogare, annon crederent Jeſum Nazarenum eſſe Chriſtum à Patre in mundum miſſum, verum & unicum mundi Salvatorem? annon certo ſcirent Deum Patrem in hoc unico mundum ſibi reconciliaſſe, non imputando illis peccata ipſorum; eundemque Jeſum accepiſſe à Patre poteſtatem remittendi peccata quantumvis gravia, & dandi Spiritum adoptionis credentibus in ipſum, quam etiam poteſtatem omni modo paratus ſit in fidelium ſalutem uſurpare, imo & uſurpaturum ſe ſancte promiſerit? Reſponderunt ſe firmiter iſta omnia credere. Reſpondi, illam eſſe fidem quæ in juſtitiam imputatur; remiſſionem vero peccatorum eſſe fructum iſtius fidei; quam ipſam neceſſario ſequitur, ordine ſaltem naturæ ſi non tempore, ſenſus remiſſionis iſtius in corde fidelis, dicente Apoſtolo, *Juſtificati fide pacem habemus erga Deum*: atque ita quoque de dono Spiritus qui credentibus in Chriſtum obtingit, & ubi obtigit operari incipiat prout ipſe Spiritus conſultum novit ſaluti eorum quibus datus eſt. Hic arrigere aures illi & aperte profiteri (iſte præſertim adjutus ab uxoris ſuæ ſorore, quæ mentem ipſius & una ſuam explicabat quam commodiſſime) ſe hucuſque exiſtimaſſe ſenſum remiſſionis peccatorum eſſe fidem ipſam. Ego vero multis Scripturæ locis in medium allatis probavi, fidem juſtificantem, remiſſionem peccatorum & ſenſum remiſſionis, diſtincta eſſe in Scripturis, & conſectaria inter ipſa. Hoc facto meliuſcule animati fuerunt. Explicavi etiam, quibus de cauſis contingat ut iſta certitudo & alloquium Spiritus non ſemper æqualiter ſentiatur a fidelibus. Tandem Dei beneficio effectum eſt, ut ambo in ſpem erecti auſi fuerint Deo animas ſuas in ſpe & patientia commendare & mortem tranquillo animo exſpectare, quam & iſte biduo poſt in Domino obivit. Ex hiſce confirmatus ſum in priſtina mea ſententia, neceſſariam eſſe accuratam rerum inter ſe conjunctiſſimarum diſtinctionem, ne illarum confuſio conſcientiis ægritudinem & perturbationem adferat, non auferendam niſi per diſtinctionem naturæ rerum intimæ convenientem. Hæc hactenus. Venio ad id quod præcipuum eſt poſteriorum tuarum literarum argumentum, profeſſionem inquam Theologicam; quæ propter obitum clariſſimi & optimi viri D. Trelcatii vacat in Academia Leydenſi. Exiſtimas tu & vir alius quidam doctiſſimus me iſti muneri idoneum eſſe poſſe, ſi modo in me id ſuſcipere velim. Ego non dicam vos multum aberrare, ne excuſatiunculas adferre velle videar tibi, ſi excuſare me iſta parte laborem, quod tamen ſi faciam vere faciam. Eſto, concedo, ſi ſtudium adhibeam, & iſti rei me totum dedam, non omnino ineptum futurum ſtudiis Theologicis promovendis. Sed præter hoc multa ſunt, quæ ſuadent ne functionem in qua ſum deſeram, & cum iſta altera commutem. Inprimis eſt vehemens Eccleſiæ erga me amor & ſtudium, quæ ego ſane mutuo amore ut remunerer æquiſſimum arbitror, & ſi liceat dicere, pro virili facio: quare ægerrime ab illa abſtrahi potero. Noſti autem quantum interſit inter affectum quem gerant oves erga paſtorem perpetuum, & quem diſcipuli etiam probi erga doctorem aliquot annorum habent. Accedit conſcientiæ meæ propriæ ædificatio, cujus (non pudet dicere apud te) niſi me Deus huic muneri adhibuiſſet non tantam rationem habuiſſem. Omnino expertus ſum perſonæ ipſius ad munus ſanctum deſtinatæ ſanctificationem per muneris ſanctificati functionem vehementer promoveri. Soli hypocritæ, iique inſignes, tam ſancto munere fungi poſſunt citra ſui ſanctificationem. Scio æquum eſſe & ordinem rerum id poſtulare, ut perſonæ ipſius privata ſanctificatio præcedat ejuſdem ad publicum munus ſeparationem, & terque quaterque beatos agnoſco, quibus de hoc in Domino gloriari licet: At recreat me, quod & illi fælices ſunt, qui coacti per muneris ſancti functionem de privata ſanctificatione ſerio cogitarunt. In profeſſione Theologica, ut ut etiam ejus occaſio & cauſa ſit, non æque tamen valida, non æque efficax. Dico tibi, nimium deſiderium rerum conſiderandarum pluſculum mihi auferre temporis, quod ædificandæ & ſanctificandæ propriæ conſcientiæ impenderem decentius, certè fructuoſius. Quid fiet, ubi in iſtam functionem me dedero, quæ tales cogitationes magis poſtulat? Verſor etiam in Republica

Ep. 56. ubi Magiſtratus præeſt, cui facillimè citra ullam labem aut moleſtiam conſcientiæ ſatisfieri poteſt; an illam mihi facile cum quavis alia commutandam cenſeas, tu arbitrare. Statuo quidem ſemper rectam ſervare mentem, neque ullius in gratiam conſcientiæ vim inferre; ſed tamen dolet ſæpicule, ſi Chriſto placere non poſſimus, nili talibus diſpliceamus. Servit illud conſcientiis vehementi gaudio & lætitia afficiendis. Accedit etiam huc cura rei familiaris, quæ optimos etiam merito tangit, horſum ſaltem ut ſuis proſpiciant, non ut opes magnas corradant, quod ego non affectavi unquam, ut tu noſti & norunt omnes qui me norunt. Attamen neceſſe eſt ut cura iſta anxium non habeat, qui rerum gravium conſiderationi intentum habere debet animum. Hic dum ſum, liberum ab iſta ſollicitudine animum gerere poſſe mihi perſuadeo. Nam ſtipendio honeſto fruor, cujus augmentum neceſſitate ita poſtulante impetrare mihi proclive eſſe exiſtimo. Poteſt enim Reſpublica ſumtus illos ferre facillime, & iſtam in ipſa Magiſtratus conſcientia de me ſuſcitavi exiſtimationem (niſi vehementer fallor) quod neceſſariis contentus plura non deſiderem. Quumque liberis hæreditatem congerere nec laborem, nec ſi laborem anxie, poſſim; etiam non parum me recreat, quod certo ſperare mihi liceat, Eccleſiam illorum juſtam rationem habituram, iiſque ob parentis qualecunque miniſterium de neceſſariis proſpecturam. Harum rerum conſideratio efficit, imo jam dudum effecit, ut nullius mutationis cupido, imo ne diuturnior cogitatio animum unquam affecerit. Deſideravi quidem aliquando paulo plus temporis & otii ad ſtudia promovenda, ſed & hoc præ ædificatione conſcientiæ diſco paulatim minoris æſtimare. Tuam & D. Thyſii præſentiam viciniorem ſæpe exoptavi, atque etiamnum exopto, quam gazis Arabum & Lydorum pretioſiorem exiſtimo: hanc ego mallem, quam quidquid in hac vita carum & acceptum accidere poſſet, quacunque terrarum in regione contingere poſſet. Iſta tamen quæ retuli non tantopere me movent, ut omnia bonorum & doctorum, præſertim Eccleſiarum Chriſti, judicia contemnere velim, ſi exiſtimarent meam operam iſtic utilius quam hic occupari poſſe. Verum exiguum rei momentum adfertur eo ipſo, quum Reſpublica noſtra integrum in me jus habeat, quæ me in ſtudiis aluit, & huc uſque produxit, ut ipſi aliquam utilem operam navare poſſem. Hujus præſtites vix ac ne vix quidem adducentur, ut me Leydenſibus, aut, ut ille vir doctiſſimus dicit, Bataviæ concedant. Et hæc mea opinio non nititur propriæ ſufficientiæ conſcientia (ſcio enim tam nobilem Eccleſiam dignam eſſe, quæ à melioribus & doctioribus adminiſtretur) ſed familiare eſſe novi magnatibus, ut vehementer ament quos beneficiis affecerunt. Ut enim norunt ſe illos devinxiſſe ſibi, ita ab illis viciſſim exſpectant memorem benefactorum recordationem, & amoris reciprocationem. Ad Eccleſiam ſi eatur, non minor oborietur difficultas. Et quis ego ſum, ut tanta moles mei cauſa moveatur? Hæc ego tibi tranſcribere volui, ne petenti tibi quidpiam denegem, non quia neceſſe ſit. Intelligo enim illum, cujus in literis tuis mentionem facis, propediem experimenti cauſa vacuum locum conſcenſurum. Quod ſanè me volente fiet, licet D. Thyſium multis de cauſis in iſtam functionem vocari malim: ad quem recta eundum arbitror, ſi quod de illo intellexi non ſuccedat. Ecce mi Uytenbogarde ſatis longam epiſtolam, ex qua intelliges, (ſcio cum gaudio) me adhuc vivere & valere magno Dei clementiſſimi Patris beneficio, qui me & familiam hactenus inter infinitas cadaverum ſtrages potenter ſua dextera conſervavit; quod ut porro faciat ardentibus illum precibus ſollicitare non deſino. Tu tuas, ut facis, adjungito, non pro me ſolum & meis, ſed pro tota noſtra republica. Neceſſitas enim id poſtulat, non tantum non remittente, ſed & æque graviter ſæviente indies lue & graſſante. Dominus Jeſus te ſervet incolumem Eccleſiæ tuæ, familiæ tuæ & mihi, & donis ſuis magis magiſque inſtruat ad nominis divini gloriam & Eccleſiæ emolumentum. Vale meum corculum, animæ dimidium meæ, & me ama, meique memor eſto apud Dominum. 1 Octobris, 1602. Ep. 57.

LVII.

JOANNI UYTENBOGARDO.

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

De obitu F. Junii, ejus ſucceſſore conſtituendo.

QUando iraſci deſines Jehova? Jehova opus tuum in medio annorum vivifica, in ira recordare miſericordiæ tuæ. Annon conveniens nobis hoc luctuoſo & funeſto tempore iſta precatio? Fateberis ſcio, & precaris eandem. Utinam ſufficiat hucuſque feciſſe alienum opus, opus alienum ſuum, quo porro in medio annorum, in medio punitionis peccatis noſtris debitæ, proprium ſuum miſericordiæ gratioſæ facere poſſit! & faciet, quando iſthoc præcedaneo opere locum ſubſequenti fecerit in nobis vere ad ipſum converſis. Grave vulnus inflictum erat Academiæ & Eccleſiæ per obitum D. Trelcatii, eidem vulneri jam gravior plaga inflicta eſt per mortem præſtantiſſimi illius & doctiſſimi viri Franciſci Junii, cui quomodo medela fieri queat equidem non video. In Galliam ſi oculos conjicio, inde ſpes nulla ſe præbet. Nam intelligo vix ipſis Eccleſiis iſtius regni ſatis proſpectum eſſe de mediocribus in iſto genere.

In

Ep. 57. In Germaniam si abeo, vix unus atque item alter occurrit alicujus nominis, qui locum defuncti subire posset. Pezelius per ætatem vix poterit. Grynæus etiam sexagenario est major. Paræus forte adstrictus est Palatinatui. Si Piscatoris ætas non obstet, illum unum omnium commodissimum existimem, quem etiam fors non admodum erit difficile à Comite Nassovio impetrare, si Comes Mauritius & DD. Ordines intercedere non dedignabuntur. Doctus est, diligens est, facilis, planus, & perspicuus. Nominis celebritatem sibi editis scriptis comparavit apud multos. Hoc potissimum videtur hoc Academiæ statu requiri, ut succedat qui possit locum tueri pro dignitate, unde tantus vir excessit, & quem posse, publicè innotuit. Tu in partem veni, & juva quantum potes. Veniunt ad vos Cyprianus de Valera & Jacobus Laurentius, oblaturi DD. Comiti & Ordinibus exemplaria nonnulla Bibliorum Hispanicorum, quæ Dei beneficio ad finem perducta sunt. Est aliquid inter illos dirimendum, quod tu compones; uterque enim tuum suffragium appellavit. Exiguum est, & facile transigetur, præsertim quum ambo viri boni sint & amici, qui-huculque amicissimè & conspirantibus animis illud opus promoverunt, & ita sunt affecti, ut nulla de causa amicitiam istam velint dirimi. Tu dabis operam quantum potes, ut Cyprianus in Angliam redeat ad suam uxorem insigni viatico instructus: ego hic quantum potui effeci. Meretur sane bonus ille vir, ut hoc quod ipsi restat brevis ævi quam minimo incommodo traducat. Hasce inclusas velim ad Danielem Dolegium transmitti. Ego forte causa classis nostræ ad vos cogar excurrere hisce diebus, differo tantum propter morbum, qui licet remittat, tamen adhuc nobis imminet. Verum de illo ex Jacobo Laurentii coram intelligere poteris. Nos sane non possumus Deo condignas unquam reddere grates, quod tam clementer nobiscum egerit. Vere dicere possumus, illum desinere irasci, opus suum in medio annorum apud nos vivificare, in ira misericordiæ suæ recordari. Faxit idem ut perpetuo istius beneficii memores gratos nos reipsa præstemus. Vale mi amicissime, & me ama. Dominus Jesus tibi adsit, te tueatur & defendat, & laboribus tuis quam cumulatissime benedicat. Salveat conjunx tua carissima, cui meis & uxoris verbis salutem officiosissime dices. Iterum vale, & fac ut propediem tuas literas videam. 3 Kalend. Novemb. 1602.

L. VIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Dezelotii vocationem Leydens. impedientibus; per familiarem.

Literæ tuæ quam exspectatissimæ mihi advenerunt, quia plenius explicant id, de quo aliquid jam ante inaudiveram: & gaudeo sane quam plurimum, quod illorum conatus mihi ita aperte explicas; qui tamen non admodum me movent meâ causâ, licet ipsorum causâ non possim quin doleam, utpote tam graviter adversus Christum ejusque legem peccantium. Neque enim possim id peccatum puro zelo, licet non secundum scientiam, adscribere; secus enim agerent, nisi humano spiritu agerentur ipsi. Verum ut ipse ad te veniam, licet nihil lubentius faciam vel colloquiorum sanctissimorum causa, jam mihi vix integrum est propter catharrum, qui ex frigore contractus vehementer cerebrum & loca vicina infestat; metuo valetudini, ista præsertim in parte quæ ante quinquennium vehementer affecta fuit. Nolim etiam meis Amstelædamensibus vel minimam præberi suspicionem affectatæ à me professionis istius. Et fieri posset ut interea Helmichius inde discederet. Mallem cum toto deputatorum collegio conferre super istis rebus quas adversus me habent. Utinam illud ab Amplissimo viro D. Barneveldio obtineri posset, ut coram ipso juberentur in me præsentem agere; hoc sane longe ardentius peto & cupio, quam quod illi me cupere arbitrantur, professionem dico Theologicam. Omnino autem mihi persuadeo (& certe sic decet fieri) illos bonos viros fidem apud cordatos homines non inventuros; præsertim quum ille qui petitur se offerat ad legitimam defensionem, & presbyter sit, adversus quem nemini fas est accusationem suscipere nisi sub duobus aut tribus testibus. Puto itaque profectionem istam non tantopere necessariam esse hoc tempore, quum jam deputatorum bona pars discesserit, ad quos Helmichius provocare posset, si ego cum eo agere instituerem. Manet mihi interea integrum jus cum illo jure experiundi, etiam cum reliquis illius sociis. De quo videro ex tuo & aliorum consilio quid faciam. Si tamen putes necessum esse ut ego tibi mentem meam ad quæsita nonnulla aperiam, transcribere illa poteris, & ego tibi planissime & synceriſſime respondebo. Nolim enim quidquam vel committere vel omittere quod promovendæ aut impediendæ vocationi servire queat. Statui enim me totum Dei voluntati committere, ut bonam conscientiam habere possim, quemcunque eventum res fortita fuerit. Interea velim te bono animo esse, & mœstitiam tuam temperare; scio enim quam necesse sit

Ep. 59. ut hoc te rogem. Dominus Deus providebit & ſucceſſum dabit, quem novit ſuæ gloriæ & Eccleſiæ ædificationi, quin & meæ meorumque ſaluti maxime conducturum. In hunc ego jacto omnem curam meam, ille educet ſicut lumen juſtitiam meam, & judicia mea ſicut meridiem. Itaque taceo Jehovæ, & ſpero in eo quod daturus mihi ſit petitiones cordis mei, quarum ſumma eſt, ut habitem in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ut videam pulchritudinem Jehovæ & quæram in templo ejus. In hoc difficultates omnes ſuperabo, & ex iis omnibus quantumvis magnis non magno negotio eluctabor, præſertim ubi te tam fidum habebo commilitonem, qui apud Deum precibus me juvabis & conſilio me inſtrues ſecundum Deum ſalutari. At, mi Uytenbogarde, quo meo facto tantum tuum erga me amorem ſum promeritus? quid tibi viciſſim rependam pro tanta tua ſolicitudine, & animi anxietate, qua me & exiſtimationem meam curas? Nihil habeo in viribus meis, quandoquidem me totum jam multo ante tuis meritis poſſides. Spondeo tamen gratitudinem, quam præſtabo, dans operam ut doctior quotidie & melior evadam, quo tu doctiorem & meliorem poſſideas. Chartas meas, ubi dabitur cui tuto credere poſſim, tibi mittam, quo legas, expendas & judices. Veno non dedi ferendas, neque fratri meo Jacobo Laurentii, quia vix domum redieram Oudewatria quum illi abirent. His vale hominum amiciſſime, & animæ dimidium meæ, cum cariſſima conjuge & tota familia; velim me moneas eorum quæ uſus ut ſciam poſtulabit. Dominus Jeſus tibi adſit, & te ſuo ſpiritu magis magiſque inſtruat, Amen. 3 Martii 1603. Raptim, quia experiri volui an etiam hodie illas tibi mittere quirem.

LIX.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Dei propoſito & ſtudio ſe crimine hæreſeos purgandi.

HAſce incluſas ea ipſa hora, quâ tuas accepi, exaravi ad te, ſperans inventurum qui hoc ipſo die hinc ad vos abiret. At ſecus evenit, abierat enim ordinarius curſor ea ipſa hora qua tuæ mihi ſunt traditæ; ex quo pluſculum temporis nactus rem iſtam attentius mecum expendere cœpi, & varia animo agitare conſilia, horſum tendentia omnia ut viam & rationem inveniam, qua me adverſus accuſationes iſtorum defendere poſſim, & auctoribus os obturare, vel ſaltem falſi convincere; de ſucceſſu vocationis non admodum meâ causâ ſolicitus. Quamquam omnino neceſſarium arbitror, ut iſti functioni præficiatur, qui ſtatum Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ, & præſertim patriæ noſtræ, utcumque habeat cognitum, & ſeria ejus commiſeratione tangitur, ſummo accenſus deſiderio vulneribus ejus medendi, & ſciſſuras ejus conſolidandi, quantum veritas quæ eſt ſecundum pietatem permittit. Illa autem conſilia mea aperte enunciabo tibi, hunc in finem, ut id, quod tu adprobabis maximè, effectum dare poſſim. Inprimis non inconſultum videtur, ut, quandoquidem apud ampliſſimum Barneveldium delatus ſum, coram ipſo defenſionem meam inſtituam, eaque de cauſa Hagam Comitis me conferam, anteaquam huc veniant qui vocationis negotium porro ſunt curaturi, præmonitis tamen antea Conſulibus & ipſo Helmichio de inſtituto meo, & advocatis Bernardo & Arnoldo Cornelii anteaquam virum ampliſſimum conveniam: ut ſi lubeat, imo ſi boni viri ſunt, audiant defenſionem meam, & coram, ſi quid habeant, objiciant. Sic fiet ut una opera reſpondere poſſim ad illa, quæ vel ampliſſimus Barneveldius, vel tu ex me quærere voletis. Hoc ſi minus placeat, alterum eſt, ut Conſules noſtros adeam, eoſque plene de hiſce nonnullorum molitionibus edoceam, quæ magnopere ad nominis mei contumeliam vergunt, cujus illi ſe ex officio defenſores præſtare tenentur, & præſtabunt, certo ſcio, animo benevolentiſſimo; ſimulque petam ab illis, ut, quum vocationis iſtius occaſione nigra nomini meo & famæ nota adſpergatur, & nota quidem hæreſeos (cujus ea inſimulatio eſt, ut in ea patientem eſſe non virtus ſit ſed intolerabilis negligentia, imo & impietas) honoris mei & exiſtimationis illam habere velint rationem, quam officii mei dignitas poſtulat, & qua me apud ſuam conſcientiam dignum arbitrantur; præcipuè vero ne unquam ſtatuant, tertiam quæ inſtituitur petitionem repellere, niſi me plene ob omni ſuſpicione hæreſeos, & quidem conſitentibus ipſis deputatis, juſtificato. Perſuadeo mihi me id facillime à Conſulibus impetraturum. Video quidem id mihi concedi non poſſe, quin inter Helmichium & me aliqua oriatur contentiuncula, ſi tamen ille ſe deputatis aliis adjungere volet; at illud longe præſtat, quam ut ego totam vitam cum Helmichio miniſterio Eccleſiæ ejuſdem fungar, illo animo, cui ſemper obverſabitur hæreſeos ab illo impacta ſuſpicio & criminatio. Vix enim ac ne vix quidem fieri poterit, ut non per occaſionem aliquam inde gravis inter illum & me contentio exiſtat. Verum & hoc conſilium meum tui quoque judicii facio, ita tamen, ut utrumque non rejicias niſi monſtrata aliqua commodiore via, qua me juſtificare poſſim, antequam mei Amſtelædamenſes tertio repellant petitores. Hoc enim facto, non magnopere me curabunt boni illi Viri, ſi iſtud nomen merentur, qui ita adverſus ſymmyſtam & conſervum ſuum ſe gerunt. Omnino decrevi hac mihi neceſſitate impoſita, imo

Ep. 60. imo pluſquam juſta occaſione oblata, ad innocentiæ meæ demonſtrationem uti. Fors ipſa defenſio, cujus neceſſitas multa dicere permittit accuſato, quæ minus decenter extra illam dicere poſſet, negotio promovendo ſerviet. Vix enim peragi poterit, niſi per crebram rerum variarum Theologicarum mentionem, & hæc iſto ordine & modo fieri poterit, uti dicentem facile ab ignorantia iſtarum rerum liberet, etiam apud rigidiſſimos cenſores, ne quid dicam amplius. Non enim vereor in Arnoldi, Helmichii, Gommari, & quorumvis aliorum, qui iſtarum rerum peritiſſimi habentur, conſpectu & præſentia de illis diſſerere, probe mihi conſcius de ſententiæ meæ veritate, & illorum cenſuram minime reformidans; quod tibi idcirco dico, ne hoc ipſum timidius urgeas. Hæſi quidem aliquando circa nonnullos articulos, non eouſque tamen, ut quæ de illis creditu neceſſaria ex Scripturis probari poſſunt, non adprobaverim; ſed jam per diuturnas & aſſiduas meditationes id conſecutus mihi videor, ut de omnibus & ſingulis rationem reddere non extimeſcam: utinam, utinam iſta dies illuxiſſet jam ante, vel illuceſceret aliquando, quo in conventu piorum & doctorum moderatè de omnibus & ſingulis dogmatibus ſententiam dicere & confirmare liceret! Sed ulterius capit me hoc deſiderium & cupido tecum confabulandi. Neſcio quomodo nec manum de tabula tollere novi tibi ſcribens, neque ſermonem finire quum tecum præſens de iſtis rebus colloquor. Sed jam finio, ne modum excedam, me meaque omnia tibi commendans ſecundum Deum. Vale & me ama, tui amantem unice. Dominus Jeſus tibi adſit, & Spiritu ſuo ſancto magis magiſque inſtruat ad nominis ſui ſanctificationem & Eccleſiæ ſuæ emolumentum, Amen. Salveat à me & meâ cariſſima uxor tua, cui patientiam precor in doloribus & eorum mitigationem à Domino. 4 Martii 1603. Amſtelædami.

LX.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Theologica de fide; Nativitatem, & Dei patientia.

VEhemens tuus eſt erga me amor, hominum chariſſime, qui facit ut omnia mea non ames modo, ſed & exoſculeris; pudet me ſane iſtis notis chartam commaculaſſe; at non potui non tibi obſequi petenti, non tam veritus inſulſus tibi quam immorigerus videri, & minus fidens tuo amori. Dabitur occaſio de iſtis & aliis latius agendi, ut ex mutua collatione ambo inſtrui & erudiri poſſimus. Gaudeo plurimum, tibi à principe id munus mandatum; gaudeo te idem ſuſcepiſſe, tum rei ipſius, tum & mei cauſa. Aut enim tu illam confectam dabis, aut nemo; & ego habebo cujus conſiliis uti potero prudentiſſimis & fidiſſimis in negotio quod me concernit maxime, ubi plerique omnes cœcutire ſolemus, affectui pluſculum vel in hanc vel in illam partem concedentes. Quod invidiam cures, non eſt: tu enim illa major es, & illius bona pars tibi jam ſuperata. Ego operam dabo, ne te operæ tuæ pudeat pigeatve. Non committam ut quis vel veriſimili ſaltem cauſa de me metuere videri poſſit. Dominus autem, pro ſua infinita ſapientia & bonitate, eventum dabit ipſius gloriæ & Eccleſiæ utilem; huic ego omnia mea commendo, pacata mente exſpectans rei exitum. Helmichius die lunæ me acceſſit, non quidem, ut ſub diſceſſum dicebat, conferendi animo, ſed tantum interrogandi, quando mihi integrum eſſet cum ipſo paucis conferre, tum enim occupatus eram in ſcholarum noſtrarum examine. At primum ipſius alloquium tale fuit, ut ego inde occaſionem non captaverim, ſed acceperim aliquantulum de deputatis conquerendi: quærebat enim, anne pergerem ſedulo in refutatione Anabaptiſticorum dogmatum; quam ego quæſtionem excepi narratione cauſarum, quæ me moverant ut id negotii ſuſciperem, inter quas non minima erat, quod gauderem me iſto Synodi decreto extra omnem erroris ſuſpicionem & controverſiam poni; jam vero ex deputatorum actione aliud quiddam mihi exiſtimandum præberi. Atque ſic in collationem devenimus non tantum ſuper facto deputatorum, quod ille omnino excuſare, ego contra accuſare nitebar, ſed etiam ſuper argumento de Eccleſia Romana. Initio autem id cavi diligenter, quod tu cautum quam maxime voluiſti. Vehementiuſcule quidem carpſi factum illud deputatorum, & illa occaſione nonnulla ipſi dixi quæ ſcire illum volebam; at omnia ſtudio feci & certo conſilio, non ex vehementiore affectu; tum enim deferbuerat calor conceptus ex tuis literis & rei ipſius conſideratione. In collatione autem de Eccleſia Romana id obtinui, ut diceret ipſe, ſe ſatis perſpicuè intelligere de re ipſa nullam eſſe nobis controverſiam; attamen videri ſibi phraſin iſtam, de libello repudii, imbecillioribus ſcandalo eſſe poſſe, & propterea ab illa abſtinendum. Ego reſpondi, mihi ſecus videri; ſi tamen poſt collationem accuratam, etiam ſuper illa phraſi habitam, ipſi & aliis bonis videretur phraſin calumniæ & ſiniſtræ interpretationi obnoxiam eſſe, me facili momento adduci poſſe ut ab ea abſtineam. Videre mihi videor bonum illum virum, & pleroſque alios, non ſerio ſatis de iſto argumento cogitaſſe; niſi forte parcat fortiſſimis argumentis in ſolemniorem collationem, ne ego præcognitis & prævisis telis repellendis maturè umbonem quæram & inveniam.

Ep. 60. veniam. Sed res id docebit, quale ſit. Non aggredientur inopinantem & planè ejus rei ſecurum. Quæ præterea acta ſunt inter nos, narrabo ubi veneris; per duas enim integras horas & amplius collocuti ſumus. Ego vero apertè ſignificavi, me nihil adverſus ipſum ſpeciatim habere, & omnino mihi perſuadere, ſartam eſſe inter nos & tectam fraternam caritatem & amicitiam; quam & ille candide affirmavit, & mihi fidem fecit, in iſtam partem forte æquo plus credulo. Nihil mihi interea accidit, quod referre arbitror ut tu ſcias, niſi quod intelligo illum, qui mea potiſſimum commendatione huc venit, indigna nonnulla de me ſpargere. Sed ego taceo, & occaſione data reſpondebo, & me ita purgabo, ut illum pudeat futilitatis, ob quam apud multos vilior eſt, quam dignitas patitur muneris in quo verſatur. Volupe autem mihi eſt intelligere quæ inter te & Bertium acta ſunt, præſertim quod addis illum viſum candido animo agere; quamquam qui illum noſſe exiſtimant, tecti & vafri inſigniant titulis; ego tamen minime id arbitrari velim, malo candidius de illo ſentire. Ad rem vero ipſam collationis veſtræ quod attinet, in illâ hoc mihi inprimis inconſulte dictum videtur, quod lucta inter carnem & ſpiritum vix poſſit ex Scripturis aliis liquido probari, ſi hic locus Eccleſiæ adimatur. Concludet alius, perfectionis ſcilicet propugnator, ſi ita eſt, imbecillo admodum fundamento iſtud dogma niti, quum ſolo iſto loco, tam controverſo, & olim à pleriſque primitivæ Eccleſiæ doctoribus aliter explicato, adſtrui poſſit. Fuit mihi etiam cum Helmichio ſuper iſto capite ſermo, non quidem argumentis illis utrinque adductis, ſed tantum an ego occaſione iſtius explicationis merito ſuſpectus haberer vel leviſſimi erroris, quod ego negabam. Dixi me paratum cum omnibus ſuper illo conferre, etiam cum ipſo, & dare illi legenda quæ ſuper iſta re jam conſcripta haberem. Idem etiam lubens faciam cum Bertio; at non antequam hoc negotium ad finem perductum ſit, niſi ſecus videatur tibi & illis qui hoc ex auctoritate curant. Sed quod de juſtificatione te rogavit, neſcio quid illum moveat. Licebit illi idem quærere de Deo, de Chriſto, de peccato originis, & de omnibus fidei noſtræ articulis. Scio illum magnum eſſe Catechiſtam, idque potiſſimum ex inſtinctu ſoceri, qui bonam ſui partem debet iſti libello. At jubeo illum ſecurum eſſe, non tangam iſtam oculi ipſius pupillam; placet mihi & perplacet iſte libellus, quem ſemper judicavi erudite & judicioſe ſcriptum eſſe. At ex eo quod narras jam video multis paſſim doctis ſcrupulum injectum, video illos id velle videri. At non credo illis revera iſtic calceum urgere. Decorus admodum eſt ſermo, & index ſoliciti amoris erga veritatem & Eccleſiam Chriſti; Metuo ut illi per omnia cum veritate conveniat, ne Eccleſiæ unitas per illum diſlocietur. Si tamen ſcrupulus vere illos urget, ego quoque authoribus aliam mentem precor, & fauſtum benevolumque Numen, quod non poteſt ipſis iraſci ob iſtas tam indignas calumnias. Ego me teſtimonio conſcientiæ rectæ conſolor, & ſuper Jehovam viam meam volvo, ille educet in lumen juſtitiam meam, & judicia mea ſicut meridiem. Ep. 60.

Venio ad iſta quæ in ſcripto meo iterato ad D. Junium animadvertiſti. Exiſtimo rem illam ita claram eſſe, & tam firmis argumentis adſtrui poſſe ex Scripturis, ut nemo obloqui poſſit; imo arbitror etiam noſtros id facile conceſſuros, ſi patientem tantum aurem commodent explicationi. Neque indiget illa res explicatione latiore, unde nempe fides iſta ſit in homine. Nam id ipſum prorſus eſt alterius negotii. In Juſtificatione enim non docetur unde fides ſit, ſufficiat ibi probatum eſſe quod fideles, iique ſoli, juſtificantur ſine operibus legis. Ego conatus ſum diſtinguere, imo disjungere hoc decretum, quo Deus ſtatuit juſtificare & adoptare fideles, ab illo, quo ſtatuit fidem hiſce vel illis dare; & id quidem ex natura & neceſſitate rerum ipſarum: idque in hunc finem, ut docerem non de omni Prædeſtinatione controverti, ſed de iſta tantum; vel ſi quis velit unam eſſe totalem, quod difficulter probabit, non de totâ ſed de parte tantum unâ controverſiam eſſe; hoc ego exiſtimo facere ad minuendas controverſias & contentiones. Nunquam enim poſſum probare generales illas accuſationes, perperam ſentit de Prædeſtinatione; ſpeciatim explicandus eſt & velut in pugnum contrahendus controverſiæ ſtatus; quo facto, forte conſtabit diſcrimen tanti momenti non eſſe, ut propterea hæreſeos nota impingenda ſit aliter ſentienti. Certum eſt, illud decretum, quo Deus ſtatuit fideles juſtificare non operantes, maximi eſſe momenti, & alteram partem occupare doctrinæ Apoſtolicæ, illius, inquam, quæ Apoſtolis eſt propria, utpote Euangelii Chriſti adminiſtris. Ad alterius vero quæſtionis explicationem tam multa requiruntur, ut vix mihi ipſi tribuam facultatem id præſtandi, ſed propenſus ſum in partem gratiæ, neque velim quidpiam aſſeverare quod illi ſit injurium, aut eſſe videatur probabiliter; iſti autem explicationi jam ſuperſedebo, utpote prolixiori. At ponamus ita rem habere, fidem contingere hominibus ſola actione Dei omnipotente, & cui reſiſtere homo neque poſſit neque velit; & quibus non contingit, propterea non contingere, quia Deus illa actione in homine agere nolit; an propterea inutiliter docebitur, quod Deus non niſi fideles juſtificet? Solius ordinis à Deo poſiti ratio id poſtulabit, quamquam ipſe conditionem requiſitam à ſe præſtet iſta actione, non præſtabilem niſi per eandem. Adde, quod iſto etiam argumento uti poſſit & velit, præter omnipotentem & internam ſuam actionem; Deus non juſtificat niſi credentes, ergo crede ut juſtificeris; erit enim fides, iſtius argu-

Ep. 63. argumenti reſpectu, ex ſuaſione; at omnipotentis & internæ actionis ratione, ex efficacia irreſiſtibili. Si quis dicat, fieri non poſſe ut ſimul ſit ex ſuaſione cui reſiſti poſſit, & ex efficacia cui reſiſti nequit. Huic ego non magnopere contradicam, ſed habeo quod dicam aliud, Deum ſua actione omnipotenti uti iſto argumento, & per illud recte intellectum efficaciter operari fidem. Secus operationem non fore in intellectum hominis, ſed in lapidem vel truncum. Non poteſt illa, quam petis, quæſtio explicari, niſi antea conſtet, quæ ſit liberi arbitrii natura & conditio, quid item gratia, & qualis gratiæ efficacia, & quomodo utrique conveniat. Ignoſcis mihi, ſi jam in iſtam materiam non ingrediar, cujus explicatio prolixiorem meditationem requirit. De ordine inter fidem & vivificationem verbo dicere licet, quod fide vivificemur. Id ſi ſit, neque mortuus dicetur qui fide donatus eſt; neque ſequetur, ſi vivificatio contingat nobis in Chriſto, & ex Chriſto, etiam fidem in Chriſto & ex Chriſto dari. Quanquam non negem, fidem nobis obtingere ex ſpiritu Chriſti, quem ille à Patre obtinuit, & cujus ille donator & adminiſter à Patre eſt conſtitutus. Sed conſiderandum, quod ille ſpiritus præciſe conſideratus ut author fidei, ipſam Chriſti nobiſcum unionem præcedit; quod ex eo facile concludi poteſt, quod per ſpiritum & fidem noſtra cum Chriſto unio perficiatur. Syſtema Theologicum, quod meditor, omnes hujuſmodi quæſtiones dilucide ſolvet, ſi quidem ex voto id ad finem perducere contingat. Video nullum laborem utilius ſumi Theologiæ candidato, ejuſque naturam accurate inquirenti; quare etiam minime pœnitet laboris in illo conformando exantlati, neque porro exantlandi pœnitebit. In Calvini iſta ratiocinatione nihil eſt quod non facile adprobem, ſi recte omnia intelligantur. Fateor enim, gratiam illam, qua Spiritus ſanctus datur, non eſſe communem omnibus; fateor etiam, fidei fontem dici poſſe gratuitam electionem Dei; ſed electionem ad fidem dandam, non ad ſalutem communicandam. Eligitur enim fidelis ad ſalutis participationem, eligitur peccator ad fidem. At videndum de utra electione toties in Scriptura inculcetur. Elegit nos ad adoptionem filiorum. Propoſitum Dei quod eſt ſecundum electionem. Electio aſſequuta eſt. Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Conſideretur locus 2 *Theſſ.* II. 13. *quod elegerit vos Deus ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati*; & apparebit duplex iſta electio: aut ſaltem dici non poſſe quod electio ad ſalutem ſit electio ad fidem, quia iſta facta per fidem & ſanctificationem Spiritus. Ego non rejicio doctrinam noſtrorum, ſed deſidero diſtinctionem accuratiorem, atque hæc ſola cauſa eſt quod male audio. Si liceret totum me iſtis meditationibus dare, intelligerent & illi qui nunc meum ſtudium ſuſpectum habent, quantopere commodetur doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum per iſtam tractationem quam ego meditor. Unus mihi & idem ſcopus cum illis, at forte non pari paſſu & eodem greſſu ad eundem contendimus. Velim periculum fieri poſſe in aliquo articulo graviore, egone an nonnulli alii planiore via commonitrent veritatem doctrinæ noſtræ. Imo ut id in doctrina de Prædeſtinatione fiat, in qua me potiſſimum ſuſpectum habent nonnulli, te arbitrum velim, imo & ipſos qui mecum certabunt. Ep. 63.

De Ninivitarum pœnitentia.

De Ninivitarum pœnitentia vix habeo quod aſſeveranter dicam, præfero tamen illam ſententiam, quæ illam arbitratur ſolam immunitatem impetraſſe à pœna merita & denunciata. Non contravenit huic ſententiæ quod Chriſtus dicit, *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio*; nam ſufficit etiam iſta pœnitentia propoſito Chriſti firmando. Neque obſtat, quod nonnulli dicunt id fuiſſe præludium quoddam vocationis gentium; nam id dicitur citra probationem, & vix eſt veriſimile: toto enim genere differt concio Jonæ ab illa, qua vocantur populi ad communionem fœderis gratiæ: non tantum ſecundum plus & minus, ut præludium ab eo quod ſequitur. Statuo itaque illam non eſſe Euangelicam, nempe ut Euangelii vox nobis ſumitur quum de fœdere gratiæ agimus. At legalis vix dici poteſt; quia lex ſolam habet pœnarum comminationem & denuntiationem ſine conditione, ubi nempe perpetrata eſt iniquitas: conditionalem quidem quando res eſt integra: Si feceris morieris. Non; at feciſti, ergo forte morieris: verum, ergo certo morieris. Eſt itaque illa pœnitentia ex gratioſa adminiſtratione & diſpenſatione Dei, nolentis pœnas ipſis ſecundum ordinem juſtitiæ debitas infligere, ſi doluerint ob peccata, & abſtineant ab illis ſceleribus, propter quæ Deus reſpublicas evertere ſolet; quod ſane fieri poteſt per ſpiritum humanum, convictum de ſceleribus & juſto ſupplicio iiſdem debito. Fuit itaque pœnitentia Ninivitarum huic Euangelio corporalem ſalutem nuncianti accommodata, nempe: Jejunate, orate Deum ſupplices, deſiſtite ab iſtis enormibus ſceleribus, & Deus pœnam, quam meriti eſtis & quam ex juſtitia intra quadraginta dies poſſet vobis immittere, condonabit. Nulla pœnitentia mihi commode legalis dici poſſe videtur. Hujuſmodi autem pœnitentiam non adprobat Deus ulterius, quam ad ſuſpenſionem pœnarum temporalium, quas ſecundum modum providentiæ ſuæ, qua mundum gubernat, immittere ſolet ita delinquentibus; & vitæ correctionem ad donationem temporalium bonorum, ex quorum præſentia reſpublicæ florere ſolent. Quod pulchre Auguſtinus lib. de civitate Dei, ubi dicit Romanos adeptos mercedem ſuam, id eſt amplum imperium, ad quod per juſti-

Ep. 63. tiam, prudentiam, fortitudinem & temperantiam contendebant, ex *Matt.* VI.

De particula conditionali à Petro in adhortatione ad Simonem Magum usurpata, ita statuo: illam usurpatam ad exaggerandam peccati gravitatem, & animum illius mutandum instigandumque ut serio de rigida pœnitentia suscipienda cogitaret; tum grande ejus facinus non nisi seria resipiscentia & rigida pœnitentia expiari posse; aliud autem est pœnitentiam profitenti & resipiscenti remissionis gratiam annuntiare, quod officium ita competit pastoribus, ut citra conditionem illam pœnitentibus promittere debeant; hic vero potius hortatur ad pœnitentiam, cui hortationi varia argumenta inserviunt, à gravitate peccati ad necessitatem pœnitentiæ suscipiendæ persuadendam, à certitudine remissionis ad fructum & utilitatem veræ pœnitentiæ significandum; utrumque vero argumentum suo loco & tempore commode adhiberi potest; præfractioribus istud inculcandum potissimum, contritis corde hoc insinuandum diligentius.

De pœnitentia Dei.

De pœnitentia Dei dicta mihi sunt nonnulla ad F. G. libellum; sed & hic dicam quæ occurrent, ne tibi ulla in re desim. Deus ita est immutabilis, ut nulla mutationis vel umbra in illum cadat aut cadere possit: blasphemus est qui secus sentit aut loquitur; imperitus qui talia dicit unde Dei mutabilitas concludi possit. Atque hæc immutabilitas est non tantum naturæ ipsius, sed & decretorum omnium, imo & volitionum omnium quas aliquando decrevit. Hoc ut intelligi queat, sciendum est, multas adeoque infinitas esse Dei volitiones à voluntate ipsius ab æterno decretas, in tempore vero effectui mandatas secundum decretum æternum ipsius. Hæ volitiones aliquando decretæ sunt à voluntate absoluta, nullo actu creaturæ occasionante vel movente ad volendum; aliquando decretæ à voluntate ex occasione & motione actus alicujus creaturæ. Volitio creandi mundum decreta est pura voluntate Dei; volitio mittendi Filium in carne decreta ex occasione peccati; volitio perdendi mundum diluvio decreta ex merito pravitatis humanæ commovente Deum ad iram. Ubi jam volitio qualitercunque decreta effecit opus suum, aut produxit actionem suam cui erat ipsa destinata, tum ipsa finem suum assecuta est, & hoc ipso impleta. Non mirum ergo si illa tum desinat; neque mirum ut alia etiam decenter decreta locum illius suo munere defunctæ velut excipiat. Decrevit Deus ab æterno volitionem, qua Sauli regnum daret Israëlis, illique id ad tempus certum conservaret; Sauli inquam taliter sapientiæ ipsius infinitæ considerato. Decrevit ab æterno etiam volitionem, qua illi aliter considerato regnum auferret. Utramque volitionem exsecutus est in tempore: priorem, illum ad regnum promovendo & aliquamdiu sustinendo: posterio-

rem, eundem de regno deturbando. Hic nulla mutatio volitionis, sed tantum unius in alterius locum suo munere defunctæ successio. Sic decreta ab æterno à Deo volitio mittendi Jonam ad Ninivitas tam graves peccatores, ut ipsis minaretur excidium, talibus verbis quæ non tam comminationem quam perditionem continere videntur. Integrum enim est Deo suis prophetis mandare, quibus verbis proferant mandata ipsius. Decreta etiam ab æterno volitio parcendi illis resipiscentiam agentibus; utraque volitio suo tempore executioni mandata. Nunquam autem decrevit volitionem exstirpandi Ninivitas post quadraginta dies. Hæc ego ita consideranda arbitror; unde apparet quam procul absim ab illa sententia quæ Deo mutabilitatem impingit. Jam vero restat ut phrases Scripturæ, quæ mutabilitatem Deo tribuere videntur, in gratiam reducam cum ista mea immutabilitatis explicatione. Hic forte erit occasio calumniandi me, quod immutabilitatem Dei fortius quam Scriptura ipsa asseverem; sed absit. Scriptura, quum pœnitentiam Deo adscribit, nullam ponit in Deo volitionis ullius mutationem, quali, quum velle hoc decreverit, aliud ex tempore velit & faciat; sed pœnitentia per metaphoram à creaturis deductam Deo tribuitur, quum in locum unius volitionis, jam suo munere functæ, altera succedit à Deo decreta ex interventu actus alicujus creaturæ, quem actum adprobat vel improbat. Sic pœnituit Deum quod hominem creasset, id est, volitionem quandam executus est qua humanum genus perdidit, qui actus est creationi & conservationi hominum contrarius; pœnituit quod Saulem regem fecisset, quia volitionem quandam suam executus est, qua illum deposuit de regno, qui actus est contrarius actui promotionis ad regnum. Quare pœnitentia Dei recte dicitur, non mutatio voluntatis, neque etiam volitionis ejusdem; sed volitionis vel actionis Dei, ex interventu actus creaturæ decretæ, successio in locum alterius suo munere per contrarium effectum defunctæ. Atque hoc sensu intellectum velim, quod dixi in scripto Juniano, Deum alium & alium fieri homini voluntate, id est volitione (nam & volitio voluntas dicitur) id est, Deum alia & alia volitione circa hominem versari. Ex hisce puto constare aliquo modo, quomodo Dei immutabilitas in ista effectuum varietate, imo & contrarietate, consistere possit. Tu si quid adhuc desideres, significa, conabor tibi satisfacere. In ista autem explicatione nostrorum, vere & reipsa est simulationis species; itaque convenientior adferenda, quæ Deo nullam simulationis speciem tribuat, & simul ab omni etiam mutabilitatis specie eximat. Animadverto autem in illa nostrorum explicatione inversionem ordinis in volitionibus & actibus Dei, præter simulationis speciem. Decretum enim parcendi, ordine posterius est decreto de mittendo Jona, & sub-

Ep. 60. ſubverſione denuntianda. Illo enim argumento uti voluit ad illos convertendos. Converſis autem pepercit, ergo & parcere decrevit converſis. Quod vero Dei decretum non ſuſpendatur ab hominum actionibus, etiamſi id non faceret niſi hominum aliquo actu interveniente, plane commonſtrari poteſt. Nam proprie ſuſpendi dicitur decretum, quum impeditur quominus exſecutioni mandetur; hoc enim eſt cauſam ſuſpendere. At decretum illud nondum eſt factum, imo nunquam factum eſt, de ſubvertendis Ninivitis. Non igitur ſuſpenditur. Si quis dicat, decretum ſuſpendi quando ob cauſam aliquam non concluditur. Reſpondeo impropriam eſſe iſtam locutionem; ita dicendum eſſet, voluntatem Dei ſuſpendi ne velit actu tale decretum ſtatuere. Eſto, inquiet idem; at ſi iſta ſuſpenſio eſt ab actu creaturæ interveniente, tum Dei voluntas ſuſpenditur ab actione humana, quod æque videtur abſurdum: Reſpondeo, voluntatem Dei non ſuſpendi ab actu creaturæ, ſed ab aliis naturæ divinæ proprietatibus, ipſam voluntatem ordine naturæ in Deo præeuntibus. Hæ proprietates ſunt ſapientia, bonitas, miſericordia, juſtitia Dei, &c. Si actus volitionis ſit puræ putæ libertatis divinæ, tum ipſa libertas ſuorum actuum domina ſuſpendit actionem aliquam ſuam, licet tamen non citra judicium ſapientiæ. Actus vero creaturæ tam non ſuſpendit volitionem Dei, ut etiam illo poſito nihilominus Deus velle poſſit. Pone enim Ninivitas conſcientiæ propriæ teſtimonio convictos pœnitentiam egiſſe, ſane poterat Deus nihilominus iſtam talem pœnitentiam rejicere & urbem ſubvertere. Si quis neget id fieri poſſe, quia Deus decreverit generatim pœnitentibus parcere; ille mihi non contradicit: nam ſuſpenſionem ſubverſionis non tam actui pœnitentiæ, quam decreto Dei de pœnitentia non rejicienda adſcribit. Quod diligenter eſt animadvertendum; cauſa enim cur Deus actionem ſuam aliquam, vel ejus omiſſionem, decernat poſt actum præviſum creaturæ, non eſt ipſe actus creaturæ, ſed ratio ordinis quem Deus in ſuis actionibus conſtituit, interque eas & actiones creaturarum eſſe voluit. Abrahamo filium offerre parato potuit Deus tantam benedictionem non dare. Sauli præceptum Dei tranſgreſſo potuit peccatum condonare: utrumque ſane fuit, etiam poſito actu, libertatis divinæ. At Deus voluit hunc ordinem eſſe inter ſuas illas & creaturarum ſuarum actiones, iſtic ex gratioſa benevolentia, hic ex juſtitia. Hoc tamen verum eſt, nonnullos eſſe actus omnipotentiæ Dei poſſibiles, quos niſi poſito aliquo creaturæ actu jure producere non poteſt. Qualis eſt condemnatio innocentis; niſi forte quis dicat, illum actum eſſe etiam omnipotentiæ Dei impoſſibilem, quia ſit naturæ divinæ contraria, cujus, ut prioris, infinitate omnipotentiæ infinitas circumſcribitur. Sed intelligis quid velim. Verum hoc meo propoſito non adverſatur; nam tum ille actus Dei non propterea ſuſpenditur, quia actus ille à creatura patratus non eſt; ſed quia Dei juſtitia poſtulat ut ne actum illum præſtet Deus, niſi creaturæ talis actus anteceſſerit. Hoc modo & ordine ſi iſta conſiderentur, arbitror difficultates omnes exhauriri poſſe. Per immediata progrediendum eſt, ſecus confuſioni & inde errori cauſa præbetur. Ep. 60.

Iſta hactenus currente calamo, ut vides, quia volui tibi reſpondere petenti. Gratias habeo, quod tanti mea eſt tibi commendatio, ut etiam illam rem, quam ego etiam & Princeps ipſe difficilem impetratu vidimus, ſuſceperis me rogante; quamquam dubito an noſtra illa tanta amicitia, & familiaritas, admittat hujuſmodi dicta gratiarum actionem continentia. Ego ſane tantum tibi tuo merito in me juris concedo, ut quidvis mandare poſſis, citra gratiarum actionem ubi præſtitero. Nunquam enim præſtitero quantum tibi debere fateor. Perſto autem in propoſito, quo deſidero tuum, tuum inquam, adventum, non colloquii tantum cauſa (ejus enim libertati præſcribetur, ab amplitudine tuæ legationis, nam Principis ages mandatarium,) ſed quia, ut dixi, arbitror conducere. Venito itaque cum bono Deo, & ſperne minus recta nonnullorum judicia, ut hactenus feciſti. Venio ad epiſtolium incluſum. Gaudeo non parum, quod intelligo undiquaque propenſum in me ſtudioſorum Theologiæ plerorumque animum, quodque fidem non habeant ſiniſtris, qui de me ſparguntur, rumoribus. Gaudeo etiam quod tibi ſe debere fatentur, cui ego velim omnes homines debere. Ego curabo, ſi quidem eo me miſerit Dominus, ut magis intelligant ſe tibi debere; non tantum quia tu id negotium inprimis curas & promoves, quod ſciunt; ſed etiam, quia fateor me plurimum ex te tuiſque collationibus didiciſſe, quod non negabo ubi fatendi ulla erit occaſio; imo quia tu ſæpe labaſcentem & de intermiſſione iſtorum ſtudiorum cogitantem tuo ſolatio & judicio ſubſidioque ſuſtentaſti. Recte autem ille ſtudioſus judicavit, fieri non poſſe, ut in me tam monſtroſa opinio cadat, eoque ipſo judico non indoctum æſtimatorem eſſe, qui tibi adfuit, Gallum. Vix enim fit ut abſurdam ſententiam, quæ nobis talis videtur, impingamus, de cujus eruditione ad nos vel per rumorem eſt perlatum. Neceſſe eſt ut cauſam aliquam ſubeſſe putemus, cur vir eruditus ita ſentiat; quam cum ſane nullam invenire potuerit ille ſtudioſus in iſta monſtroſa opinione, recte judicavit, illam in me, non eruditum admodum, ſed talem æſtimatum ipſi, cadere non poſſe. Ego vero arbitror ex præcedentibus, tibi de illo utcunque conſtare, quare latiore ſcriptione ſuperſedeo, & tibi tuæque conjugi dilectiſſimæ ſalutem ex animo precor. His vale, mi anime, & me quod facis ama, & tantum, ut etiam quæ hîc ex tempore ſcribo citra

Ep. 61. exemplum grata habeas & accepta. Amſtelodami 27. Martii 1603.

LXI.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

TU ſolus es, Vir Doctiſſime, qui de negligentia mea in officio literarum quereris; neque ſane injuria fateor. Loquutulejus enim ſum apud alios amicos, quorum plerorumque nomina in meo ære habeo. Sed æquales ſunt plerique, eoque ipſo liberius cum illis confabulor. Tecum non ita audeo, ne infans habear. Soli itaque verecundiæ id adſcribi velim, non amoris defectui aut oblivioni. De profeſſione oblata, quod mihi gratularis, gratiam habeo; at quid de illa futurum ſit ignoro. Curatores vehementer negotium agunt, neſcio quo meo merito; & me non minus animosè ſe opponunt, & nonnulli ex illis etiam aliunde advocata opera. Ego rem Deo committo, & pacato animo eventum expecto. Statutum mihi Deo inſervire, in quacunque me ſtatione collocabit: Ille mihi hunc animum conſervabit, ſpero, & vires ſuppeditabit pro ſua benevolentia. Non poſſum quin providentiam ipſius hac in re admirer & exoſculer. Experior veriſſimum eſſe quod dicit Pſaltes, *Volve viam tuam ſuper Jehovam & ſpera in eo, & ipſe faciet. Educet ſicut lumen juſtitiam tuam.* Ego non paucis, qui ſunt in authoritate, dixi tuam operam imprimis iſti Academiæ eſſe neceſſariam, & hoc experientia teſte comprobavi, quod ex illa ad vos nonnulli hac ſola cauſa moti conceſſerint, ut ex te Hebraica diſcerent accuratius. Miſi ad Uytenbogardum programma libelli quem ipſi dedicaſti, & quod petebas illum monui. Expecto in proximam hebdomadam illius ad nos adventum, tum coram cum illo ea de re agam. Interea rogatum te velim, ut ſerio pergas, neque magnopere cures obloquutorum ſermones. Fieri enim nequit ut omnibus placeant noſtra, imo ut omnibus nos ipſi placeamus: quemadmodum neque nobis placent aliena omnia. Qui contradicit noſtræ ſententiæ citra acerbitatem & calumniam & argumentis ſuam adſtruere nititur, hunc ego etiam gratiam à nobis mereri arbitror. Nam datur occaſio aut diſcendi, aut ſententiam veram latius defendendi. Ita ego ſtatuo, virum doctum alicubi aberrare poſſe, ſed dum etiam errat declarare non exiguas eſſe cauſas errandi, quo ipſo eruditionem ſuam teſtatam facit doctioribus. Eruditionis palma in medio poſita eſt; ad illam contendant ingenia eximia ſuis nixa viribus, modo ne ſufflamine injecto aut objecto ſcandalo remorari curſum alterius moliantur, & ex ruina alieni nominis ſtruem ſuæ laudis facere per calumniam & maledicentiam. Ego id nunc ſæpe exopta- Ep. 62.
vi, ut qui ſiniſtrius de me ſentiunt, vel verbulo indicarent quid deſiderent: hoc impetrare vix ab uno potui. Mirum ni metuant plerique, ſi hæreſim cominus in ejus aſſecla oppugnatum eant, ut ipſi quoque ab hæreſi capiantur nacta non inidoneum defenſorem. At ecce verecundus ſum primo aditu, ubi illam deterſi, vix finem facio loquacitatis. Tu autem boni conſule, & me, quod facis, ama, te colentem unice. Vale cum bono Deo. Amſterd. 4. Kal. Apr. CIↃ IↃC III.

LXII.

JOANNI UYTENBOGARDO JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

DE collatione inſtituenda ego ſatago. Dies autem rogationum, quo abeſſe nobis non licet, impedit quo minus die Martis ſequenti peragi poſſit; urgebo ut ſtatim poſt illum diem fiat; ſed Helmichius non adeſt, Alcmariam profectus ob difficultates ibi exortas; ubi redierit, cum illo, quæ ſuades, tranſigam. Ego arbitror de illis tantum agendum quæ ſcrupulum movere potuerunt, eaque brevi ſpatio confici poſſe. Leydæ an Hagæ-comitis fiat, mihi perinde eſt. Cæterum inconſultum puto ut ego Hagæ fieri petam. Nihil enim mihi concedent, qui illam fieri volunt. Et ego, ut verum dicam, obdurui ad illa. Dabo operam ut induſtria & diligentia obliterem, ſi quid inde adſpergatur meo nomini labis aut maculæ. Forte & ipſa collatio cedet in meum decus. Nam comperient qui aderunt, aut juſtas mihi eſſe cauſas ita ſentiendi, aut paratiſſimum eſſe cedere rectiora monſtrantibus: pacis certe ſtudioſiſſimum eſſe faxo ut intelligant, & multum ab illo differre, qui deſcriptus ſum penicillo minus recte de me judicantium. Ego me ad quietem animi mei comparo, quam omnibus rebus mihi præhabendam exiſtimo. Pacato animo omnem eventum exſpectabo, quem Dominus daturus eſt. Expertus enim ſum, quam mihi noxia ſit inquies animi. Unum modo ne fiat, reliqua facile feram; hoc eſt, ne cum πολυπράγμων (*multis ſeſe negotiis immiſcente*) noſtro idem trahere jugum cogar. Scio calumniandi libidinem obtinere apud multos, nec dubito quin varia nomini meo ignominioſa ſpargantur. At quid agam? ego innocentiam Dei beneficio præſtare poſſum, calumniam amoliri nequeo. Sunt iſta Satanæ ignita jacula, quæ repellenda ſunt ſcuto fidei in Chriſtum. Ipſi autem collationi ut interſis tu potiſſimum volo. Nam mirum in modum me recreat & firmat tua præſentia. Nec abs re fore arbitror, ſi quis alius interſit qui ſit in auctoritate politica. Curatores ſi intereſſe velint ſub proteſtatione, gratiſſimum mihi id accidet. Teſtabuntur enim illi de mea, ut ſpero *inno-*

De collatione coram curatoribus Acad. inſtituenda.

πάφ

Ep. 63. *æquitate*, (*æquitate*,) & moderatione, quam præſtare ſtatui in collatione. Conſideravi de novo VII. *caput ad Rom.* & magis magiſque in ſententia confirmor, eo magis, quod videam interpretationem iſtam Theologiæ noſtræ valde eſſe conſentaneam. Habuit heri concionem Plancius, quam confeſſionis fidei nomine appellant noſtri; iſti ego interfui: facillime ex illa cognoſcere potui, hominem ſenſus ad iſta talia exercitatos non habere. Multa autem dixit de papatu, quæ proculdubio meæ ſententiæ opponere voluit; at ita confuſe & imperite, ut mirarer res tantas tam projecte enuntiari; præter hoc, quod mea cum iſtis facile conſtare poteſt ſententia. Ita contra umbram ſuam digladiantur multi, non intellecto ſtatu controverſiæ. Sed mi anime, unum eſt quod me vehementer angit. Quomodo ego potero ſatisfacere exſpectationi tantæ? quomodo me præſtare ex parte dignum, ob quem tanta moles moveatur? Sed me conſolor hoc unico, quod profeſſionem non ambivi, quodque Curatores jam ante moniti ſunt de iis quæ inciderunt, quam de me vocando concluderent. Non labaſcit mihi quidem animus, imo magis accenditur ad muneris egregiam functionem; ſed ex initiis ſolet fieri judicium, quæ non poſſunt mihi non eſſe difficillima. Tu præoccupabis animos nonnullorum, & hoc efficere conaberis, ne præproperi ſint in judicio ferendo: hoc modo obtineam, de ſucceſſu honeſto optime ſpero, ſpem mihi faciente anteacti temporis experientia. Quo autem rubiginem detergam ingenii, tecum ad dies pauculos colloqui ſtatui, & intereſſe bis terve lectionibus & diſputationibus Theologicis, auditor tantum, ſcio quantum iſtud me poterit juvare. Sed charta finem facere jubet. Vale mi amiciſſime cum uxore & familia. Dominus tibi adſit & te tueatur. 26 Aprilis 1603.

LXIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Familiaris. MActe iſtoc erga me animo, Uytenbogarde amiciſſime, perge ita bene de me mereri, animum labaſcentem non fulciendo modò, ſed impellendo ad audendum alacriter ſubire, quod jam detrectare non licet munus graviſſimum. Non facile dixerim, quam gratæ mihi fuerint tuæ litteræ tempeſtiviſſimo tempore ſcriptæ, pleniſſimæ argumentis prægnantiſſimis ad confidentiam aliquam animo meo ingenerandam. Inſperſa ſunt nonnulla quæ tu mihi ex amore tribuis; & licet illa non agnoſcam, tamen gaudeo & gratulor mihi, quod tu iſto me habeas loco, cujus candorem & ſimplicitatem animi jam dudum mihi perſpectam habui. Quid ergo? audeant alii ipſi tenere quod Uytenbogardus meus magni facit, contemnere & improbare quod ille probat & æſtimat? Utinam ego tam libere apud alios publice dicere audeam illa ipſa, quæ aliquando privatim apud te depoſui! Sed audebo. Quid ni enim audeam, quum Deus loqui jubeat, & prophetare, quum Academia deſideret, quum favorem non exiguum dicturo polliceatur indubiis ſignis & ille & iſta. Aggrediar itaque cum bono Deo, & ſucceſſum ab ampla Dei benedictione exſpectabo. Novit ille, quo animo id munus ſuſceperim, quid ſpectem, quid in ejus adminiſtratione mihi propoſitum habeam. Novit & adprobat ſcio. Non vanus hujus ſæculi honor, fumus, & bulla, non opum congerendarum ſtudium, (quod etiam fruſtraneum ſit, ſi maxime coner) huc me compulerunt; ſed unicum votum meum eſt, ut publico ſerviam in Euangelio Chriſti, & illud quam planiſſime & firmiſſime proponam iis, qui porro ad alios idipſum ſunt propagaturi. Aderit ergo Deus tam ſancto propoſito, non dubito, præſertim tuis & aliorum ſanctorum precibus pro me apud ipſum intercedentibus, quas equidem quanto poſſum opere ambio & efflagito. Gratiſſimum etiam fuit videre carminis illius, quod Nobiliſſimus Douza in tui laudem meritiſſimi decantavit, partem iſtam, integrum videre pervelim. Quid ni enim gaudeam, quum video Uytenbogardum meum apud illos Heroas illo loco eſſe quo ſuis virtutibus meretur? Pertinet enim & illa laus ad me quoque duplici nomine; tum quod omnia tua ad me pertinere arbitror; tum quod laus mea in ore tuo tanto eſt celebrior, quanto tu major es & haberis. Sed dicam quod ſentio? Tu non tam illo nomine laciniam iſtam deſcriptam epiſtolæ inſeruiſti, ut ego videam quo tu loco ſis apud Clariſſimum Virum; ſed ut cognoſcam quantopere idem ille me æſtimet, quum ea cauſa tibi Academiam debere, affirmat, quod me illi dediſti doctorem. Vere ergo gloriari mihi licet iſto tanti viri elogio, qui iſta debitæ tibi gratiæ confeſſione, quamquam aliud agens, ita de me meretur, ut ego ſolvendo imparem me eſſe profitear tam liberali commendationi: ſed nihil eſt ab omni parte beatum. Infixit mihi laudatio iſta aculeum, non modo incitantem me ad audendum, verum etiam incutientem non exiguum metum ſucceſſus tantæ exſpectationi non reſponſuri. Verum ita habent humana omnia. Aſt ego operam dabo, ut quæ fiduciam adferre poſſent, perpetuo obverſentur oculis, rejectis ad tergum quæ formidinem mihi conciliare poſſent. Ita enim prorſus eſt neceſſum hoc rerum mearum ſtatu, quum plus ſatis in hanc partem propendeam. Audivi hiſce diebus utrumque collegarum, & hoc ipſum robur aliquod animo addidit, audendique confidentiam attulit; non

Ep. 64. quia arbitrer me paria præstare posse ab ipso initio; sed quod non desperem illorum vestigia pone legere posse, & una iter facere, quamquam in extremis. Quæ de Boscoducensi obsidione scribis, ægritudinem quidem adferunt, sed non præter opinionem antea animo conceptam. Dominum Deum precor ut Illustrissimum Principem & totum exercitum salvum præstet, & reducem nobis sistat citra noxiam: quidquid boni ultra accidit, id totum lucro deputabo, & inexspectato, quamquam desideratissimo votis omnium patriæ amantium. Quod de dolore tibi ante discessum tuum illato scripsi, id cognovi non ex te ipso, sed ex tui & mei amantissimo homine successore meo, qui indignissime ferebat indignam istam injuriam tibi inferri ab illis bonis viris; & addebat, omnino arbitrari se nihil effectum iri, & in nervum erupturum conatum omnem; quod ego etiam existimo, & ex animo Deum ut fiat precor. Quin & hoc eundem precor, ut tibi constantem & inconcussum animum largiatur, ne moveris illis molitionibus & machinationibus, sed pro nihilo ducas, ut inerentur, iisque ipsis utaris tuo & Ecclesiæ bono; eò fortius decurrens stadium quod tibi præscriptum est divinitus, quo obstacula & impedimenta majora tibi objici animadvertis. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Ista est sors servorum Christi. Virtutem semper comitatur invidia. At comitetur tantum; ne patere ut te ab illa dejiciat eique præponderet; hoc enim si feceris, voto illi suo fruentur actu tuo, quo potiri non potuerunt poteruntve machinamentis suis. Sed occupationes non permittunt latius tecum colloqui, quo tamen ipso nihil facio libentius. Itaque excusatum me habe, & precibus tuis apud Deum commendatum. Ego tui totiusque exercitus vicissim memor ero. Vale, mi anime, Dominus Jesus tibi adsit, te tueatur & incolumem conservet, reducemque nobis sistat ex voto nostro. Leydæ 22 Septembris 1603.

LXIV.

CONRADO VORSTIO,

Theologiæ Doctori & Professori,

JOHANNES DRUSIUS.

Privata. Theologica.

REverende vir, juvenis ille bona fide tradidit mihi literas tuas. Idem me admonuit, ut intra octo dies pararem, si quid scribere vellem. Tum erat dies dominicus, quando maxime mihi vacat. Scripsi ergo ex tempore, quæ ut in bonam partem accipias rogo. Literæ tuæ mihi fuerunt gratæ, & qui hoc tibi dixit, nihil præter verum dixit. Scribe igitur cum voles: ego respondebo cum erit, cui dem. Mitto nunc indicem librorum meorum, quem petis. Ex iis aliqui desiderantur, sed plerique extant apud Radæum. Minores Prophetas excudit Raphelengius. In Danielem nihil scripsi; quod quidem editum sit. Habeo multa domi partim adfecta, partim confecta; sed destituor typographo. Qui hîc est, nimis difficilem se præbet: credo, quod non possit distrahere. Unde ubique desiderantur, & literæ mihi hac de re ab omnibus partibus Europæ. Hoc me male habet. Nam privor ita maxima parte laboris mei, qui susceptus ad utilitatem publicam. De quæstione à te proposita, nihil video absurdi, si dicamus angelum creatum apparuisse Mosi in aliqua specie visibili, qui eum allocutus sit nomine Dei, à quo missus erat. Itaque etiam Deus cum eo locutus esse legitur. Qui mos loquendi è medio sumptus. Nam quæ Rex per legatum aut ducem suum agit, ea promiscue & Rex & legatus agere dicuntur. Sic sane Deus Mosi visus est in angelo, & angelus in forma aliqua, qua videri potuit. Sunt qui dicunt, initio angelum apparuisse Mosi, postea ipsum Deum ore ad os locutum esse. Relinquamus hoc in medio. Angelum Jonathan appellat Lagnugaelem. Cur non potius Michaelem? nam is præerat genti Ebræorum. Sed audaces Judæi in fingendo. Cave sequaris. Verba Nicolai ad hunc locum digna legi; *Angelus ille*, inquit, *apparebat & loquebatur in persona Dei, & ideo aliquando angelus, aliquando Dominus vocatur, secundum quod dicit B. Gregorius.* Aliter tamen Augustinus in secundo de Trinitate cap. . . . . Ebræi regulam ponunt, quam memorant Fagius, Lippomanus & alii, *Angelus vocatur de nomine mittentis.* Quæ dextre intelligenda. Nam legatus non vocatur Rex, tametsi quæ agit, Regis sui nomine usitate agere dicatur. Adhæc in Ebræo est nomen tetragrammaton, quod creaturæ non tribuitur. Id movit, credo, doctores Catholicos, ut hoc explicarent de angelo increato; hoc est, de Christo Filio Dei, qui magni consilii angelus vocatur. Tu hæc expende, & me, ut cœpisti, amare perge. Raptim Fran. 28 Octob. stilo veteri 1603.

Hæc scripsi manu filii, quod vereor ut meam legere posses.

Tuus

JOH. DRUSIUS.

LXV.

LXV.

JOANNI UYTENBOGARDO JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

De effigianda Dei eſſentia.

DE effigianda Dei eſſentia vis ut tibi ſcribam; at tempore excludor, quominus id poſſim commode; verum ne tibi petenti quidpiam negem, ecce quæ nuper contulimus paulo diſtinctius habe. Inter eſſentiam & Deum ipſum primo diſtinctionem hic non ponimus, eſt enim nullius momenti: notum, non eſſentias, ſed concreta, quæ appellantur, agere & pati. Effigiari autem Deus, vel eſſentia Dei, dicitur reipſa, aut opinione & judicio alicujus. Reipſa non effigiatur, neque enim poteſt. *Eſaiæ* XLV. *Cui aſſimilabitis*, &c. *Act.* XVII. *progenies Dei quum ſimus, non debemus exiſtimare*, &c. Opinione ergo alicujus effigiatur eſſentia Dei, vel Deus. Eaque eſt vel hominum effigiantium ſeu imaginem facientium; vel ipſius Dei, qui judicat hujuſmodi ſimilitudinis ſeu imaginis factionem eſſe effigiationem ſui. Opinione hominum unquam imaginem factam ab iis, quæ ipſam Dei, quem colebant, eſſentiam exprimeret aut referret, non eſt veriſimile; nili illorum, qui Deos homines arbitrati ſunt, aut humanis corporibus veſtitos. Dei ergo judicio effigiatur Deus, quando ulla imago fit qua ipſe quovis modo repræſentatur, ſeu qua ipſe ullo modo, quem humana mens comminiſci poteſt, ſignificatur. Hoc urgendum adverſus Pontificios, quorum actus (qualicunque illi iſtum appellent nomine) à Deo æſtimatur quod ſit Dei effigiatio, illi dicuntur merito effigiare Dei eſſentiam. Hujus rei ratio eſt, quia Dei judicium eſt quo ſtatur & caditur. Hoc poſito, probandum Deum judicare ab illis effigiari ſuam eſſentiam, qui aliqua ſimilitudine illum repræſentant: ſive illi arbitrentur iſtam ſimilitudinem Deum aut aliquid Dei exprimere; ſive profiteantur & proteſtentur, ſe nolle iſta ſimilitudine Deum aut Dei quidpiam figurare, ſed tantum ſignificare, quod Deus aliquando ita apparuerit; quamquam hoc nuperum eſt inventum Jeſuitarum. Quicunque ei prætextus excogitetur, ſi commonſtretur Dei hoc eſſe judicium, quod eſt ſecundum veritatem, cauſa cadunt Pontificii. Planiſſima autem ſunt Scripturæ loca hoc convincentia. Primum eſt ad *Rom.* I. ubi, qui ſimilitudine hominis vel aliarum creaturarum Deum repræſentarunt, dicuntur *gloriam Dei mutaſſe in effigiem imaginem*, &c. fuiſſe autem inter illos qui ita non arbitrabantur, adparet ex *cap.* II. ubi invehit in illos qui alios damnabant; proculdubio reſpicit Apoſtolus ad illos, qui vulgus ridebant varia diis ſuis ſimulachra ſtatuens. *Facitis* enim, inquit Apoſtolus, *eadem*. Unde adparet & neceſſario concluditur, proteſtationem hujuſmodi non juvare, neque excuſare à culpa, utpote quæ ſit contraria facto. Sic *Actor.* XVII. *Non debemus exiſtimare auro aut argento aut lapidi numen eſſe ſimile.* At vero hoc Philoſophi & plerique alii ſciebant quoque, neque opus fuit hoc illos doceri, ſiquidem hæc duo diſtinguenda ſunt & disjungi poſſunt ab invicem, imaginem aliquam componere qua Deus repræſentatur, & hoc facere cum hac opinione, quod Deus ſit ſimilis iſti imagini. Tum ſane neceſſe fuit Apoſtolum aliter inſtituere ſermonem, & dicere, video vos hac in urbe veſtra nullas imagines feciſſe quibus Deum repræſentare voluiſtis; hoc quidem non improbo, niſi cum diſtinctione: ſi putetis Deum eſſe ſimilem iſtis imaginibus, male facitis: at ſi exiſtimetis Deum nihil cum iſtis imaginibus habere commune, tum quidem non eſtis accuſandi, imo ut religioſiores collaudandi: apparet Apoſtolo ipſam imaginis ex auro argentove confectionem eſſe exiſtimationem quod numen auro ſit ſimile, ſeu aureæ imagini ſit ſimile. *Eſai.* XLVI. dicit Deus, homines *facere ſibi Deum ex auro*; quamquam illi ſciebant ſe non Deum facere, ſed imaginem tantum qua illum repræſentabant vel ſignificabant. Item *cap.* XLIV. *Quis formavit Deum & ſculptile conflavit*, & quæ ſequuntur. *Sculptile conflare*, & *Deum facere*, idem ſunt judicio Dei. At quis unquam iſtorum idololatrarum arbitratus eſt, illud ſculptile eſſe Deum ſuum? Perpetuum ergo hoc eſt judicium Dei; illos qui quovis modo, quovis prætextu, quavis proteſtatione ullum cultum exhibent ſigno alicui, quód factum ad Deum repræſentandum vel ſignificandum, illos hoc ſignum Deum exiſtimare. Et ſi ita judicat Deus, illiuſque judicio ipſi ſtare debebunt, ut idololatræ puniantur. Effugium illud, quod non Deum repræſentant, ſed tantum viſionem qua Deus aliquando ſe conſpiciendum dedit, eſt novum & rei non conveniens. De novitate conſtat. At non eſſe conveniens rei, adparet ex actibus qui præſtantur iſti ſigno. Procumbitur ante ſignum, ornatur ſignum veſtimentis, geſtatur, reponitur, collocatur in altari, thus incenſum illi adoletur, &c. At vero id non debet neque poteſt fieri ſigno viſionem aliquando factam repræſentanti. Nam hoc ſignum tantum narrat talem viſionem aliquando exſtitiſſe; quo facto nihil illi ſigno ulterius præſtandum ab homine; & ſi quid præſtatur ulterius, certum eſt, non narrandæ viſionis cauſa ſignum expreſſum, ſed alterius rei gratia. Ecce raptim hæc tibi; non quia illa non rectius conſideras, ſed ne tibi denegem aliquid petenti. Ubi veneris, & quidem præparatis rebus tuis ut hic aliquamdiu ſubſiſtere queas, tum latius de his & aliis. 22. Novemb. 1603.

Ep. 65.

Inveni ſcripta de purgatorio. Aurelius Londini eſt, ut ex literis ejus jamjam hac hora datis ad me intelligo. Verum revertitur ad nos, quia non putat ſe ibi locum commodum inventurum.

LXVI.

LXVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

Quomodo Chriſtus in lumbis Adami exiſtens conſiderandus.

ITa meritus es de me, hominum amiciſſime, ut nihil tibi petenti denegare poſſim, etiamſi quum id præſto infantiam meam tibi pateſacere debeo, aut ſaltem negligentiam. Chriſtum arbitror in lumbis Adami non fuiſſe extra peccatum conſiderati. Ut ita ſentiam ſuadent quæ ſubjungo argumenta. In lumbis Adami, ſic conſiderati, nemo eſt niſi vi iſtius benedictionis, *creſcite & multiplicamini*. At Chriſtus vi illius benedictionis non eſt productus, ne præter ordinem quidem adminiſtratæ; quod addo, propter Iſaacum natum vi benedictionis iſtius præter ordinem adminiſtratæ. Sara enim ſterilis & effœta accepit divinitus vim ad concipiendum, vel potius ad ſeminis emiſſionem, juxta id quod eſt *Hebr.* XI. *verſ.* 11. 2. Qui fuit in lumbis Adami ante peccatum vi iſtius benedictionis primæ, ille in Adamo peccavit, filiuſque iræ eſt naturâ & mancipium peccati. Non ſolvit nodum iſtum diſtinctio activi & paſſivi principii, quo quis ex aliquo naſci dicitur: in lumbis enim eſſe notat principium activum, & qui ratione principii activi ex Adamo non eſt, ille non eſt ex illo vi benedictionis primæ; ergo alterius, & illius quidem quæ peccatum eſt inſecuta. Diſtinctio illa inventa eſt à Scholaſticis, ut Chriſtum à peccato originis eximendum docerent. At non poteſt hoc per illam obtineri immediate; poteſt autem, ſi ex illa concludatur quod nos volumus, nempe Chriſtum non fuiſſe in lumbis Adami vi benedictionis primæ; ſi enim tum in lumbis Adami non fuit, quum peccaret Adamus, non mirum quod peccato originis inquinatus non ſit. Vide quam utile ſit examinare diſtinctiones, an valeant efficiendo iſti ad quod adhibentur; quod ſi feciſſent Scholaſtici, proculdubio & hoc dixiſſent quod nos dicimus. 3. Si Chriſtus in lumbis Adami fuit citra peccatum conſiderati, tum ex lumbis ejus egreſſus fuiſſet etiamſi Adam non peccaſſet; qui enim in lumbis eſt, egredietur aliquando juxta decretum Dei & potentiam qua eſt in lumbis. Tota autem Scriptura clamat, Chriſtum hominem factum ut peccatum tolleret, illumque fruſtra fore mortuum ſi ex lege eſſet juſtitia. 4. Chriſtus etiam in Abrahamo decimatus eſt, ſi in lumbis Abrahami fuerit ſecundum benedictionem primam, & ſic minor Melchizedecho, ſacerdotiumque ejus non ſecundum ordinem Melchizedechi. Fruſtra hic dicitur, Chriſtum non conſiderari in Abrahami decimati, ſed Melchizedechi decimantis perſona repræſentatum; debuit enim repræſentari in perſona Abrahami, ſiquidem ejuſdem benedictionis vi ex Abrahamo natus eſt, quo Levi & Judas; ſecus perit robur argumenti Apoſtolici, ex eo, quod Levi fuit in lumbis Abrahami quum occurreret Melchizedecho, concludentis Levi in Abrahamo eſſe decimatum. 5. Chriſtus eſt ſecundus Adam; non ergo vi benedictionis primæ natus ex Adamo. Quod argumentum certum intelligetur, ſi dixero, Chriſtus eſt novus homo, Adam vetus, ergo ex Adamo non natus vi benedictionis qua omnes homines ex Adamo nati ſunt. Addatur, quod Chriſtus ſit primitiæ humanæ naturæ ſanctificatæ, quin & illud quod Adam typus futuri Chriſti dicitur, *Rom.* V. Cœpit autem Chriſtus in lumbis eſſe Adami poſtquam peccaſſet, & fuit in lumbis ejus vi benedictionis iſtius, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*. In Abrahami lumbis fuit vi iſtius benedictionis, *In ſemine tuo benedicentur omnes nationes terræ*. In Davidis vi hujus, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſolium tuum*. Horſum ſervit, quod Chriſtus ἐπαγγελίας (*promiſſionis*) filius dicitur, proprie, qui Euangelio eſt exhibitus. Inſpiciatur ipſa conceptio Chriſti ejuſque nativitas, & utrumque certo certius comprobabitur. Conceptus eſt ex Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. At virgo non parit vi illius benedictionis primæ, ſed hujus ſecundæ. Ex Spiritu ſancto qui concipitur, non concipitur vi benedictionis primæ, ſed vi ſecundæ, quæ adminiſtranda fuit à Spiritu ſancto. Si homo perſtitiſſet in integritate, neque virgo peperiſſet, neque ex Spiritu ſancto illa conceptio fuiſſet. Nam Meſſias ſolus homo naſci debuit ex virgine, & Spiritu ſancto operante conceptum ejus. Meſſiæ autem adventus non neceſſarius fuiſſet, ſi homo in integritate ſua perſtitiſſet. Inſpiciatur paulo attentius quomodo egreſſus ſit è lumbis Adami, Abrahami, Davidis. Nam quum eo modo fuerit in lumbis quo egreſſus eſt, certum eſt ex egreſſus modo intellecto, etiam modum intelligi quo fuit in lumbis illorum. Egreſſus eſt ex lumbis Adami, Abrahami, Davidis, quatenus egreſſus eſt ex Maria virgine. At ex Maria virgine egredi non potuit, niſi conciperetur in illa; concipi in illa non potuit, niſi vi Spiritus ſancti. Nam ſi vi & operatione viri concepiſſet, non virgo ſed fœmina concepiſſet. Sanguis ergo Mariæ, qui ex lumbis Adami, Abrahami, Davidis eſt, à Spiritu ſancto obtinuit, quod fuerit ſemen unde Chriſtus materialiter eſt exortus. Non habuit itaque Mariæ ſanguis relationem ſeminis, ſive reſpectum materiæ, ad Meſſiam naſciturum, niſi qua affectus fuit operatione Spiritus ſancti, qui ſanguinem iſtum ſanctificavit & fœcundavit, ut inde naſceretur Meſſias. Unde ſequitur, Adamum, Abrahamum, Davidem reſpectum parentum ad Meſſiam filium non habere, niſi beneficio operationis Spiritus

Ep. 66.

Ep. 67. tus ſancti. At Spiritus ſanctus non primæ, ſed ſecundæ benedictionis immediatus adminiſter. Ergo Chriſtus in lumbis Adami, Abrahami, Davidis non ratione primæ, ſed ſecundæ benedictionis; quod probandum ſumſeram. Tu expende & judica. His vale & me ama. Salveat à me & mea tua cariſſima, à qua mea petit remedium dolori mamillarum, qui vehementer illam infeſtat, fruſtra adhibito remedio quod ſoror noſtra p. m. ſua diligentia ex tua diſcere eſt conata. Saluta D. Potterium & reliquos commenſales. Lugduni Batavorum 21. Decembris 1603.

LXVII.

JOHANNI PISCATORI

SYNODUS GALLICA S.P.D.

De Juſtificatione.

NOn te latet, vir Clariſſime, & dilecte in Chriſto frater, quo ſint loco res Eccleſiarum Gallicarum: quanta ſuſtineamus odia inimicorum: quanta nos circumſtent pericula: nobis ſemper alius ex alio labor. Sed Deus dare voluit in nobis experimentum quantas vires habeat concordia, cujus beneficio ſtetimus hactenus invicti, & ſtabimus quamdiu fidei ejuſdem vinculo ſociati, veluti conferto agmine pugnabimus. Agnoſcimus ſane hac in parte ſingularem Dei erga nos benevolentiam & curam, qui non paſſus eſt hactenus Eccleſias noſtras aut diſſentionibus diſtrahi, aut erroribus inquinari. Quæ nos cogitatio in eam rationem impulit, ut tibi per literas exponeremus, quæ putamus pertinere ad Dei gloriam, & Eccleſiarum noſtrarum tranquillitatem: quandoquidem tu unus es, à quo expectamus gliſcentis morbi medicinam. Serpit enim apud nos neſcio quæ contagio, quæ animos quorundam occupavit, docentium, obedientiam perfectam à Chriſto legi præſtitam, nobis non imputari, nec ejus Juſtitiam atque puritatem nobis cedere in pretium ſalutis æternæ: ſed ſolidam hanc laudem ſolis Chriſti paſſionibus deberi. Atque hi te authorem perhibent ſententiæ, & pugnant tua authoritate; ut eſt ingenium hoſtis animarum noſtrarum, abuti magnis nominibus ad perniciem incautorum; & ſi quid viris bonis & doctis, ſed interdum non ſatis attentis, exciderit, magno cum ſtrepitu in ſcenam producere. Scimus vir ornatiſſime, & agnoſcimus, quam ſit tibi comptum ingenium, quam multas dotes Deus tibi plena manu admenſus ſit; dant certe tua ſcripta documentum, quid in magno ingenio magna poſſit induſtria: ſed hæc quo ſunt majora, eo magis metuendum eſt, ne animos hominum tranſverſos agant, & fiant præſidia erroris, quæ debuerant eſſe ſubſidia veritatis. Quocirca rogamus te etiam atque etiam, ne patiaris dogmate non probo, & pugnante cum Euangelio, Eccle- Ep. 68.
ſiarum noſtrarum pacem & quietem perturbari. Satis nobis negotii in oppugnando Antichriſto: abunde nobis creant curarum ſævitiæ hoſtium, & extrinſecæ peſtes, quibuſcum aſſidue conflictamur: ad quas ſi inteſtinæ diſſenſiones acceſſerint, fiemus ludibrium hoſtium, & disjectæ vires atque diſſipatæ impares erunt tanto certamini. Vobis quidem, qui in tranquilla regione agitis halcyonia, facile eſt invenire decertandi materiam: ſed hæc in animos adoleſcentum admiſſa altè ſedent, & juventus noſtra apud vos erudita cum ad nos redit initiando ſacro miniſterio, mordicus tenet hauſtam opinionem, unde diſſidia collegarum, ſcandalum infirmorum, inſultatio Pontificiorum. Et jam late ſerpit hoc malum: quod ne invaleſcat, penes te eſt, vir doctiſſime: Dabis hoc petitioni univerſarum Eccleſiarum noſtrarum: nec deinceps inſtillabis in teneros animos talia documenta: quæ quidem potuiſſemus, prolatis ex ſacra Scriptura teſtimoniis & rationibus convellere: ſed putavimus cum viro pio & docto agendum monendo potius, quam differendo: & plus apud te valituras preces hujus cœtus ampliſſimi, quam cujuſquam argumentationes. Hæc viſum eſt ad te ſcribere, quæ profecto ab hominibus tibi devotis, & tui amantiſſimis, ſed invigilantibus ſaluti gregis, nobis concrediti, pari benevolentiâ ſuſcipies. Deus det tibi quæ optas vir ornatiſſime. Datum Vappinci Delphinatum, octavo Idus Octobris 1603. ſubſcriptum erat: Tui amantes, & te colentes Paſtores Synodi Vapincenſis ex tota Gallia congregati; Chamierus Paſtor Eccleſiæ apud Aculios & Synodi moderator. Ferrierius Eccleſiæ Nemauſenſis Paſtor & in Academia SS. Theolog. D. & Profeſſor, Aſſeſſor. . . . . Eccleſiæ Bleſenſis Paſtor, Synodi Actuarius. D. Regius, Eccleſiæ Santonenſis Diaconus utriuſque juris Licentiatus, & Synodi Actuarius.

LXVIII.

Reverendis Ampliſſimis & Doctiſſimis viris Dominis

PASTORIBUS ECCLESIARUM GALLICARUM,

Iis qui nuper Vappinci Delphinatum in Synodo Nationali congregati fuerunt,

JOHANNES PISCATOR S.P.D.

REverendi, Ampliſſimi, & Doctiſſimi viri, fratres in Chriſto dilecti; Intellexi ex Epiſtola veſtra vos ægre ferre, quod nonnulli apud vos concordiam veſtram turbent, dum *Reſponſio ad ſuperiorem de juſtificatione.*

Ep. 68. docent, obedientiam perfectam à Christo legi præstitam nobis non imputari, nec ejus justitiam atque puritatem nobis cedere in pretium salutis æternæ: quodque hi me authorem perhibeant sententiæ, & pugnent mea auctoritate. Cognovi etiam vos hanc doctrinam vehementer improbare & damnare: quippe quam appellatis contagionem, errorem, dogma non probum, pugnans cum Euangelio, denique opinionem. Quamobrem petitis à me, ne post hac instillem in teneros animos talia documenta. Ego vero vobis concordiam inter vos opto, sed per omnia fundatam in veritatis cœlestis consensu. Doctrinæ vero illius, quam isti fratres apud vos docuerunt, me authorem esse nego, & ægre fero, si illi mea auctoritate pugnent: pugnare enim debent auctoritate solius S. Scripturæ; nec me auctorem perhibere ejus doctrinæ, quam doctrinam à vobis, Ecclesiæ pastoribus, tantopere improbari vehementer doleo & damnari: & quoniam crimina illa, quibus eam damnatis, non agnosco, conscientia mea non patitur, ut petitioni vestræ satisfaciam, abjiciendo eam doctrinam, quam ego pro orthodoxa, & verbo Dei consentanea habeo. Quin potius officii mei esse duco, ut secundum præceptionem Apostoli Petri, apologiam ejus apud vos instituam, ejusque quæ in me est spei rationem vobis exponam, idque cum mansuetudine & timore Domini. Etsi enim vos id à me non petitis, tamen id postulat gloria Dei, & ædificatio Ecclesiæ, quæ utraque hic agitur. Et certe non solum petere à me hujus meæ doctrinæ rationem debuissetis, verumetiam operam dare, ut me erroris (qui vobis in doctrina mea inesse videtur) ex verbo Dei convincerctis. Neque enim hujus officii omissionem excusat, quod scribitis: vos illa mea documenta potuisse quidem prolatis ex S. Scriptura testimoniis & rationibus convellere: sed putavisse cum viro pio & docto agendum monendo potius quam differendo, & plus apud me valitutas preces cœtus istius amplissimi, quam cujusquam argumentationes. Imo verò si vobis vir pius & doctus videor, debuistis cogitare, me & argumentis meæ doctrinæ instructum esse, & eam bona conscientia ad gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ hactenus pro officii mei ratione tradidisse: ac proinde eam in nullius hominis gratiam deserere posse. Utut autem mecum à vobis sit actum; ego tamen meum non negligam officium, sed quantum Deus dederit gratiæ, rationem doctrinæ meæ vobis reddam. Vos, Reverendi viri & fratres in Christo dilecti, oro atque obsecro, ut hanc meam disputationem patienter & attente perlegatis, & in timore Domini sepositio omni præjudicio perpendatis.

Cum autem quæstio inter nos controvertatur de imputatione obedientiæ Christi; de utroque prius aliquid dicendum est, videlicet tum de obedientia Christi, tum de verbo *imputandi*. Igitur ut τὸν τάξιν (*ordine præposfero*) progrediar; *Imputandi* verbum proprie intellectum, significat aliquem pro eo habere qui aliquid fecerit, quod tamen ille non fecit; ac proinde, si, quod ei imputat, malum est, pœna eum dignum judicare, atque etiam illum (si ejus rei potestatem habeat) afficere: si verò id quod ei imputat bonum est, judicare eum dignum præmio, eodemque si potest afficere. Ita Deus Christo imputavit nostra peccata, habendo eum pro eo, qui peccata nostra fecerit, ac proinde pœnis meritis (nempe quas nos meriti eramus) illum afficiendo. De qua imputatione loquitur Jesaias, cum ait: *Jehova fecit ut occurrat in eum omnium nostrum iniquitas.* Et Paulus cum dicit: *Fecit* (enim Deus) *ut is qui non novit peccatum, pro nobis peccatum esset.* Vicissim nobis qui in Christum credimus imputat Deus justitiam, habendo nos pro justis, id est, pro iis, qui perfectam legi ipsius obedientiam præstiterimus, ac proinde præmio vitæ æternæ nos afficiendo: de hac imputatione loquitur Apostolus *Rom.* IV. 6. ubi ait, *Sicut etiam David dicit, beatificationem esse hominis cui Deus imputat justitiam.* Atque hæc de verbo *imputandi.*

Jam ad obedientiam Christi quod attinet, ea in Scripturis traditur duplex. Una, quam præstitit legi communi, sancte secundum eam (ultra passiones) vivendo: Altera, quam præstitit speciali mandato Patris de patiendo ac moriendo pro electis: quarum illam docendi gratia obedientiam vitæ; hanc vero obedientiam mortis κατ' ἐξοχὴν (*per excellentiam*) nominare soleo: quia mors passionum Domini veluti τέλος (*finis*) fuit. Ad obedientiam vitæ pertinet mors ejus, & id genus alia. Ad obedientiam verò mortis pertinet, quod ipse Christus de anima sua loquens dicit: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus assumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Item illud ejusdem. *Non loquar amplius multa vobiscum: venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam: sed hæc fiunt, ut cognoscat mundus, me diligere Patrem: & prout mandavit mihi Pater ita facere.* De hac obedientia insignis est locus *Heb.* X. ex *Psal.* XL. recitatus, ubi sic ait Apostolus. *Quapropter ingrediens* (Christus) *mundum, dicit: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata & hostiam pro peccato non approbasti: tunc dixi: Ecce adsum* (*in volumine libri scriptum est de me*) *ut faciam ô Deus voluntatem tuam.* Et paucis interjectis: *Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel factam.* Hæ duæ (ut ita loquar) obedientiæ Jesu Christi accuratissime distinguendæ sunt, quippe diversæ. Etenim obedientiam vitæ habuit Christus nobis-

Digitized by Google

Ep. 68. biſcum communem, quatenus obligatus ad eam erat ut verus homo: ad obedientiam vero mortis pro electis obeundæ, ipſe ſolus obligatus fuit, idque per voluntariam ſponſionem, quam ſponſionem ſignificat in loco recitato ex Pſalmis & ex Epiſtola ad Hebræos, ubi dicit: *Ecce adſum, ô Deus, ut faciam voluntatem tuam*, nempe mandatum illud de offerendo me pro electis. Porro utraque hæc obedientia ad juſtificationem noſtri coram Deo facit, ſed diſtinctè diverſiſque modis. Obedientia vitæ Chriſti ad juſtificationem noſtri facit, tanquam neceſſarium requiſitum ad hoc ut Chriſtus eſſet purus & ſanctus Sacerdos, qui pro nobis ſefe oblaturus aditum ad Deum haberet, & ſancta victima, quæ Deo accepta eſſe poſſet. Et ſanctitatem in Chriſto ut in ſummo noſtro ſacerdote requiſitam fuiſſe affirmat Apoſtolus his verbis; *Talis nos decebat Pontifex, pius, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*, &c. Sanctitatem vero victimæ indicat Petrus, ubi dicit; fideles *redemptos* eſſe *pretioſo ſanguine, tanquam agni immaculati & incontaminati*, nempe *Chriſti*. Imo ut hic ſanguis eſſet magis pretiolus ad redimendum nos, oportuit eum eſſe ſanguinem Filii Dei, ac proinde ipſius Dei. Quam pretioſitatem, ut ita loquar, ſignificat Joannes, cum ita ait: *Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus purgat nos ab omni peccato*. Et Paulus, cum dicit: *Deum acquiſiviſſe Eccleſiam proprio ſanguine*. Atque ſic obedientia vitæ Chriſti (id eſt quam præſtitit legi ſancte ſecundum eam vivendo) à Juſtificatione noſtri non excluditur; ſed ei includitur conveniente loco, tanquam requiſitum neceſſarium ad hoc ut Chriſtus nobis juſtificationem per obedientiam poſſet mereri. Obedientia igitur mortis Chriſti ad juſtificationem noſtri facit, tanquam cauſa meritoria: quia per illam nobis Chriſtus juſtificationem eſt meritus, ut Scriptura abunde teſtatur, & apud vos in confeſſo eſt; in hoc autem à me diſſentitis, quod ego doceo, Chriſtum per ſolam obedientiam mortis remiſſionem peccatorum meritum eſſe nobis, proque illis Deo ſatisfeciſſe; ac proinde illam ſolam, non etiam obedientiam vitæ, à Deo nobis imputari. Hanc igitur ſententiam demonſtrare nunc aggrediar: & quoniam cum viris doctis mihi res eſt, argumenta mea ſyllogiſtice proponam, ut facilius rectiuſque poſſint judicari, & veritas magis eluceſcat.

Propter quam rem Deus nobis remittit peccata, propter eam ipſam imputat nobis juſtitiam. Atqui propter ſolam obedientiam mortis Chriſti (quo nomine cæteras ejus paſſiones per Synecdochen comprehendo) Deus nobis remittit peccata; ergo propter ſolam obedientiam mortis Chriſti juſtitiam nobis imputat. Propoſitionem hujus ſyllogiſmi probo ex æquipollentia iſtarum phraſium, remittere peccata, & imputare juſtitiam: quæ æquipollentia manifeſta eſt ex verbis Pauli *ad Rom.* IV. verſ. 6, 7. ubi ſic legimus: *Sicut & David dicit, beatificationem eſſe hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus, dicens: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum peccata obtecta ſunt. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Hic probaturus Apoſtolus teſtimonio Davidis juſtificationem nihil aliud eſſe quam juſtitiæ imputationem, affert locum ubi nulla fit mentio (ſi verba ſectemur) imputationis juſtitiæ; ſed tantum remiſſionis peccatorum: ergo aut nihil probat iſtis verbis, id quod dicere blaſphemum eſſet; aut neceſſe eſt fateri, phraſes has, imputare juſtitiam & remittere peccata (quarum altera habetur in quæſtione, altera in teſtimonio ad probandum adducto) Apoſtolo æquipollere. Aſſumptionem vero ſyllogiſmi probo ex eo, quod Scriptura nullam aliam rem tradit, per quam nobis expiata ſint peccata, eorumque nobis parta remiſſio, quam obedientiam mortis Chriſti. Jam autem dubitare nefas eſt, quin Scriptura tradat doctrinam de cauſa meritoria remiſſionis peccatorum, ſalutiſque noſtræ æternæ, perfectam; nam Sacræ Literæ (ut Paulus ait) poſſunt nos reddere ſapientes ad ſalutem. Sed hic vos occurretis, afferetiſque in medium teſtimonia quædam Scripturæ, quæ vobis diverſum teſtari videntur. Et ſane veſter legatus mihi triæ ejuſmodi teſtimonia objecit, ad quæ quod illi coram reſpondi, idem apud vos nunc per literas reſpondebo. Primum teſtimonium habetur *Rom.* V. *verſ.* 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Reſpondeo: Quum duplex ſit obedientia Chriſti, una vitæ, altera mortis, ut ſupra demonſtravi, non eſt conſequens, ſi hoc loco Apoſtolus obedientiam Chriſti nominet, eum utramque intelligere; poteſt etenim fieri ut intelligat alteram tantum. Quod autem intelligat alteram tantum, videlicet obedientiam mortis Chriſti, ex eo probo, quod alibi, quoties de cauſa meritoria remiſſionis peccatorum loquitur, nuſquam obedientiam vitæ indicat, ſed ubique obedientiam mortis. Secundum teſtimonium habetur *Philip.* II. *verſ.* 8. *Ipſe enim Chriſtus ſe ſubmiſit, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Reſpondeo: At hinc non ſequitur obedientiam Chriſti utramque nobis ad juſtitiam imputari. Nec Apoſtolus ibi de juſtificatione quicquam agit, ac proinde nec de obedientia Chriſti, tanquam juſtificationis cauſa meritoria, de qua nunc controvertitur; ſed tantum hortatur ad modeſtiam, ſeu animi demiſſionem, τὴν ταπεινοφροσύνην, idque exemplo Chriſti: ut patet ex *verſ.* 3, 4, 5. ubi ait, *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam, ſed ex modeſtia quiſque alium ſe præſtantiorem exiſtimet; ne ſua quiſque ſpectetis, ſed etiam quæ ſunt aliorum; hic enim affectus ſit in vobis, qui fuit & in Chriſto: qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam*

Ep. 68.

Ep. 68. *ſinam æqualem eſſe Deo, ſed ſe ipſe exinanivit, forma ſervi accepta, ſimilis factus hominibus, & habitu compertus ut homo, ipſe ſe ſubmiſit factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic nulla prorſus juſtificationis fit mentio. Tertium teſtimonium habetur ad *Rom.* IV. *verſ. ult.* ubi ſic loquitur de Chriſto Apoſtolus; *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & excitatus propter juſtificationem noſtri.* Reſpondeo: Traditus eſt Chriſtus in mortem propter lapſus noſtros (qui cauſam mortis ei attulerunt) expiandos, idem excitatus eſt propter juſtificationem noſtri teſtificandam; nam nihil Chriſtum reſurrectione ſua nobis meruiſſe ex eo intelligi poteſt, quod merendi tempus fuit in ſtatu humiliationis; at reſurrectio eſt primus gradus exaltationis. Exaltationis autem ſtatus non facit ad merendum, ſed ad teſtificandum, quod Chriſtus nobis ſit meritus omnia bona, & ſatisfecerit pro omnibus malis: itemque ad applicandum beneficia merendo & ſatisfaciendo acquiſita, quæ applicatio fit per fidem, ex efficacia ſpiritus à dextra Patris miſſi. Quare nihil ad propoſitam quæſtionem concludendam valet iſtis ex verbis Pauli ratiocinatio; Chriſtus reſurrexit ad juſtificationem noſtri: At reſurrectio eſt actio quædam. Nam quid hinc ſequitur? nempe hoc; ergo actio quædam Chriſti ad juſtificationem noſtri facit. At hic aberratur à quæſtione. Non enim quæritur, an actio quædam Chriſti ad juſtificationem noſtri valeat. Nam extra controverſiam eſt obedientia mortis Chriſti: (quæ certe actio quædam eſt, nempe animi motus ad faciendum quod Pater mandaverat, videlicet ad offerendum ſeſe pro peccatis electorum) extra controverſiam igitur eſt, obedientiam mortis Chriſti ad juſtificationem noſtri plurimum valere: ſed quæſtio eſt, an obedientia vitæ Chriſti legi præſtita, ſic facit ad noſtri juſtificationem, ut Chriſtus hanc per illam meruerit. At reſurrectio Chriſti ad actiones à Chriſto legi præſtitas referri non poteſt. Hactenus primum ſententiæ meæ argumentum.

Secundum ſequitur hoc modo: Si peccata noſtra expiata ſunt per obedientiam vitæ Chriſti, expiata ſunt aut omnia & perfectè, aut quædam tantum & imperfectè. At neutrum horum vere dici poteſt. Non prius: quia ſequeretur Chriſtum fruſtra eſſe mortuum; quippe cum mortuus ſit ut expiaret noſtra peccata, quæ utique expiare non habuiſſet neceſſe, ſi jam per obedientiam vitæ fuerunt expiata. Non poſterius; quia Chriſtus obedientiam legi Dei præſtitit perfectam; quare ſi illam præſtitit ad expiandum noſtra peccata, neceſſe eſt ut per eam illa expiarit omnia, & perfecte. Hinc jam intelligitur, peccata noſtra non eſſe expiata per obedientiam vitæ Chriſti; ac proinde nobis illam ad juſtitiam non imputari.

Tertium argumentum: Si Chriſtus obedientia vitæ ſatisfeciſſet Deo pro noſtris peccatis, ſequeretur Deum eſſe injuſtum, qui inſuper poſtulaverit ſibi ſatisfieri per obedientiam mortis, atque ita idem debitum ſibi bis perſolvi voluerit. Atqui Deus non eſt injuſtus; ergo Chriſtus obedientia vitæ ſuæ non ſatisfecit Deo pro peccatis noſtris. Quod ſi quis dicat, obedientia legi præſtita Chriſtum ſatisfeciſſe pro noſtris peccatis ex parte tantum, pro reliqua vero parte ſatisfeciſſe obedientia ſuæ mortis; is hoc ipſo imperfectionis argueret utramque illam obedientiam, cum tamen utraque fuerit perfecta. Ep. 68.

Quartum argumentum hoc eſt: Si Chriſtus pro noſtris peccatis ſatisfecerit per obedientiam præſtitam legi, ita ut illa nobis imputetur à Deo ac ſi eam nos præſtitiſſemus; ſequitur nos ab obedientia legis eſſe liberatos, quippe quam Chriſtus, ex hypotheſi, pro nobis, ſeu vice noſtra præſtitit: ſicut recte cum Apoſtolo dicimus, nos eſſe liberatos à maledictione legis, quia Chriſtus pro nobis factus ſit maledictio. Atqui nos non ſumus liberati ab obedientia legis, ſed eam Deo præſtare in æternum tenemur. Ergo Chriſtus per obedientiam legis præſtitam pro peccatis noſtris non ſatisfecit. Quis igitur illius obedientiæ finis & uſus? nimirum is, quem initio indicavi; ut ſcilicet Chriſtus eſſet idoneus ad fungendum efficaciter ſacerdotio ſuo, & ad expiandum peccata noſtra ſacrificio mortis. Et hæc de quarto argumento.

Quintum argumentum: Si Chriſtus per obedientiam legi præſtitam nobis meritus eſt remiſſionem peccatorum, ſequitur remiſſionem peccatorum fieri abſque ſanguinis effuſione, nempe tali, quæ afferat mortem. Neque etiam in lege cuiquam mandatum eſt, ut ad remiſſionem peccatorum impetrandam ſinat ſanguinem ſuum effundi, ſeque occidi. *At ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, *Hebr.* IX. 22. Ergo Chriſtus non eſt nobis meritus remiſſionem peccatorum per obedientiam legi præſtitam.

Habetis Reverendi & Ampliſſimi viri, fratres in Chriſto dilecti, argumenta ſententiæ meæ; quæ ſi vobis ſatisfacient, oro ut me prima occaſione teſtificatione veſtræ approbationis exhilaretis: ſin minus, peto, ut quid in eis deſideretis, certiorem faciatis. Verum enimvero illud quoque diſſimulare non debetis, qui immerito me inſimulatis φιλονεικίας, (*contentionis ſtudii*) quod ſcribitis, nobis, qui in tranquilla regione agimus, facile eſſe invenire decertandi materiam. Ego vero Deum teſtor, me proponendo hanc de juſtificatione doctrinam, nunquam hunc ſcopum habuiſſe, ut invenirem decertandi materiam; ſed tantum, ut pro ratione muneris mei ea docerem, quæ judicabam vera & recta eſſe, & tum ad gloriam Dei, tum ad ædificationem & ſolidam conſolationem facere; & me non eſſe φιλονικῶ, (*contentioſum*) teſtabuntur omnes viri

Ep. 68. viri boni, quotquot me familiariter norunt. Atque adeo ipſa hæc controverſia meam in hac parte innocentiam defendit; nam ſi certandi cupidus eſſem, refutationem meam diſputationis Baſilienſis, quæ meis quibuſdam manuſcriptis theſibus ante annos quatuordecim fuit oppoſita, in lucem edidiſſem; non autem ſchiſmatis evitandi cauſa privatim ad diſputationis illius authorem miſiſſem. Idem dico de aliis diſputationibus & ſcriptis, quæ eodem loco contra hanc doctrinam meam proximis annis exierunt. Hæc habui Reverendi & Ampliſſimi viri, fratres in Chriſto honorandi, quæ referiberem ad epiſtolam veſtram. Præterea autem intellexi ex D. Reinaldo, Legato veſtro, vos deſiderare etiam aliquid in doctrina mea de pœnitentia & fide, videlicet quod pœnitentiam fide priorem ſtatuam: unde periculum ſit, ne hæc doctrina à Jeſuitis accipiatur, quaſi ſentiam bona opera una cum fide, in juſtificatione noſtri coram Deo concurrere. Sed ego non video quomodo id poſſit ex verbis illis colligi. In volumine theſium, loco XIV. theſis prima ſic habet: Quum ſine pœnitentia nemo fidem, & ex conſequenti nec remiſſionem peccatorum, vitamque æternam poſſit adipiſci, operæ pretium eſt conſiderare quænam illa & quotuplex ſit, &c. Theſis vero ſecunda hæc eſt. Igitur pœnitentia eſt factorum admiſſorum, factive admiſſi, improbatio dolorifica, ſeu animum excrucians, ex conſideratione offenſionis Dei orta. Ex his verbis planum eſt, me loqui de pœnitentia propriè ſic dicta, quæ Græcis μεταμέλεια nominatur. Jam μετάμελειαν eſſe fide priorem & ex eo percipi poteſt, quod niſi ad eam acceſſerit fides, exitialis ſit, ut exemplum Judæ demonſtrat. Si vero fides acceſſerit, redditur ſalutaris, ut apparet in exemplo Petri. Quam ipſam pœnitentiæ diſtinctionem in illis meis theſibus expreſſè poſui. Deinde ipſa natura per ſe hanc anteceſſionem oſtendit. Fieri enim non poteſt ut quis fide amplectatur promiſſionem gratiæ, niſi prius gratiam expetiverit; gratiam autem expetere non poteſt, niſi qui ſe peccatis ſuis Deum tanquam juſtum judicem offendiſſe agnoſcit ac dolet; quæ nimirum pœnitentia proprie dicta eſt μετάμελεια; μετάνοιαν (*reſipiſcentiam*) vero, ex qua demum bona opera oriuntur, eſſe fide poſteriorem, tanquam illius fructum; id equidem minime nego, ſed una vobiſcum profiteor. Quod reſtat, Deum oro ut vos Spiritu ſuo, ſicut in aliis, ita in hoc quoque negocio regat: ut ſepoſita omni authoritatis humanæ conſideratione, ſolam veritatis cæleſtis illuſtrationem, atque ita gloriam Dei & ædificationem propoſitam habeatis. Valete in Domino. Ex arce Dillenburgo 24 Januarii 1604.

LXIX.

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

De veritate; ac imprimis de vitâ Termini.

LIteras tuas poſtremas, vehementiſſimi tui in me amoris indices locupletiſſimas, amiciſſime hominum, quanto cum gaudio legerim & relegerim calamo diſtringere non poſſum. Quamquam ſub initium aliquid contineant, à quo in poſterum abſtinere debes; qui enim fieri poſſet, ut meus erga te amor diminuatur, non deſinentem magis magiſque de me mereri, qua monendo, qua ſolando? Prius mei ipſius quam tui amorem deponam aut minuam. Itaque ſecurum te hac parte eſſe jubeo, non quia arbitrer meum amorem magnopere tibi prodeſſe, ſed quia vis à me amari. Grata quoque mihi eſt ſolicitudo tua de nobis, præſertim de filio noſtro, qui jam extra periculum, eſt ut arbitramur; movere enim incipit brachium, & citra dolorem. Teterrimum morbum ſcorbutum non ſegniter oppugnamus, & proficimus. Utinam vos in oppugnanda munitiſſima Sluſa tantumdem proficiatis, quod Deum precari non deſinam: quamquam non ea animi alacritate id facio qua ſoleo, nondum enim ille mentis & animi vigor rediit: ubi tuo conſpectu rurſus frui dabitur, diſpulſum iri ſpero reliquias quæ cerebrum offuſcant. Quo pacto Bergopzomanis commode proſpici poſſit ignoro: vix erit qui cum Paſth. jugum trahere volet, quantum intelligo; niſi forte paratus ſit illius ductum ſequi in omnibus; quod inutile erit iſti Eccleſiæ. De Sibrando Lubberti quæ ſcribis, non miror; illud enim plerorumque doctorum deſiderium, rem facere ex ſtudiis, etiam illis, quæ φιλαργυρίαν (*avaritiam*) ſummopere ut idololatriæ crimen deteſtantur. Cætera vir doctus eſt, diligens & induſtrius, ſed parti addictus, quam ſuſcepit, plus æquo. Scripſit idem hiſce diebus D. Gomaro collegæ meo, ſe de juſtificatione tractaturum adverſus Pontificios, etiam controverſiam quæ Socino eſt cum Eccleſiis Reformatis de juſtitia Dei naturali & voluntaria, ſive arbitraria, tractare velle: petiitque Gommari & Trelcatii, etiam meam ſententiam ſuper ea re cognoſcere. Ego dixi Gommaro, me de iſta quæſtione non ſatis mihi perpenſa nihil præjudicare, ſed judicium ſuſpendere, uſque dum Socini rationes videro & examinavero. Videri autem mihi non eſſe uſque adeo neceſſariam iſtam controverſiam, modo probetur ex Scripturis, Deum noluiſſe remittere peccata citra pretium aut ſatisfactionem: an potuerit, necne, difficilioris eſſe diſquiſitionis. Quod meum judicium Gommarus,

Ep. 69. me volente, illi transſcripſit; cui reſpondit, ſe tanto magis deſiderare meam ſententiam cognoſcere, quanto ego magis illam aperire detrecto. Sed perſiſto in ſententia. Video autem illum ex Scholaſticis illam materiam pertractare velle, quos inveniet non conſentire. Scripſi tibi poſtremis meis, quid mihi cum Plancio & Helmichio actum ſit Amſtelædami: idem arbitror de Helmichio, nunquam illi ſatisfactum iri. Qui poſſit? quum longe aliis fundamentis nitantur conceptus ipſius, quæ ipſe non exponit ut dijudicari poſſint. Semper differt & detrectat ſententiam ſuam cum argumentis proponere. Metuunt plerique, ne ſi patefaciant, non ſatis valida comperiantur adverſus examen ſeverum. Quæ de prædeſtinatione docentur Amſtelædami multos offendunt, à paucis intelliguntur, à pluribus repudiantur: nec mirum, quum ipſi doctores vix ſatis quæ dicunt intelligant, & metuant ne fidem inveniant dicta illorum, tam contraria ſenſui communi, ut ipſi fatentur, & ipſi Dei verbo; quod ego novi, & magis magiſque patefacere non deſinam per occaſionem. Quæ de laboribus tuis narras, gaudium mihi & admirationem conciliant: gaudium, quod tam ampla tibi oblata occaſio talentum tuum in fœnus collocandi: admirationem, quod tam multis & tantis par eſſe poſſis; quamquam mihi non ignota ſit mentis tuæ capacitas, & vires ingenii. Perge animoſe cum bono Deo, quem precor ut te magis magiſque inſtruat ſpiritu & virtute ſua, quo etiam illa, de quibus proponendis deliberas, ita tractare poſſis, ut certa inde conſtet auditoribus tuis utilitas. Ego operam meam tibi deeſſe non paterer ſi propius abeſſemus: jam vix commode illam tibi præſtare poſſum, quia res ſcriptione exigua tractari vix poteſt.

Ut Symbolum Apoſtolorum tractandum ſumas, arbitror eſſe utiliſſimum; verum Scripturæ, cui illius veritas innititur, majori molimine adſtruenda eſt authoritas, quam temporis iſtius & loci, etiam auditorii, permittet ratio. Suffecerit forte, ſi rationibus nonnullis, quas tibi ipſa rei natura & notitia Scripturarum ſuppeditabit, adſtruxeris religionis Chriſtianæ veritatem univerſe, & ſingulorum articulorum, ſpeciatim in explicatione eorundem, inſtituta comparatione inter religionem Chriſtianam, & alias omnes quæ obtinent in mundo, ſive pagana ſit, ſive Judaica, ſive Mahometana. Verum adprobanda religio, aut iis qui nullam veram arbitrantur eſſe religionem; itaque aut Deum negant, aut ſaltem ejus providentia adminiſtrari humana: aut illis, qui omnes religiones eodem loco habendas eſſe arbitrantur: aut iis denique, qui unam tantum veram eſſe poſſe ex omnibus arbitrantur. Hiſce poſterioribus facilius adprobari poteſt veritas noſtræ; contra illos plus ſumendum operæ; attamen probari poteſt eſſe aliquam veram religionem, & unam illam eſſe non plures, ex ipſius Dei & hominis natura, Ep. 69. quin & hujus ſtatu. Quæ etiam argumenta valde ſerviunt probandæ veritati religionis Chriſtianæ. Cæterum quæſtio illa, cur Deus credi quam videri maluerit, eſt elegantiſſima, & digna quæ tractetur velut præcedanea toti explicationi. Tractabitur autem non incommode, ſi ad hæc quatuor attendatur. Quid viſio Dei contineat, quid habeat fides in Deum, quid creaturam rationalem deceat, quid Deo ejuſque majeſtati conveniat. Ex quibus hoc thema exſurget. Non convenit Deo ejuſque majeſtati, ut creaturam ad imaginem ipſius conditam, viſione gloriæ & majeſtatis ſuæ donet, antequam illa officium præſtiterit ex præſcripto Dei, beatitatemque apud Deum quæſiverit, & ab illo ſperarit. Quæ officii præſtatio, beatitatis quæſitio, & ſpes, fide innituntur tanquam fundamento. *Hebr.* XI. 1. & 6.

De dierum decurtatione.

Altera quæſtio, An quis vitæ terminum decurtare poſſit, ſi dies ejus numerati ſunt, dijudicatu difficilis non eſt; at explicatu apud illos, quorum ſenſus non capiunt, quomodo Deus uno individuoque actu, & tamen ordinate, omnia videat & ſtatuat, difficillima. Ad quæſtionis autem ſolutionem initio diſtincte mihi explicandum videtur, quinam dicantur dies hominis, ſeu quot modis dicatur terminus vitæ humanæ. Tribus autem modis, quod ad hanc quæſtionem attinet, dici videntur dies hominis. 1. dies quos plerique homines attingere ſolent qui non immatura morte hinc abripiuntur: quos ſeptuaginta aut octoginta annorum ſpatio Propheta circumſcribit. 2. dies hominis dicuntur, quos ſecundum benignitatem divinam attingeret, ſiquidem in viis Domini ambularet, hi enim illius ſunt ratione promiſſionis divinæ. 3. dies hominis ſunt quos illi Deus, ſecundum extremum ſapientiæ decretum, conſideratis omnibus circumſtantiis, præfixit. Hac diſtinctione præmiſſa, reſpondetur ad quæſtionem: Secundum ſenſus duos priores hominem poſſe decurtare dies ſuos, quà noxam inferendo corpori ſuo, quà Deum peccatis ſuis ad iram provocando, quin & vitæ abbreviationem merendo, & comparando ſibi tum apud Dei, tum apud Magiſtratuum tribunal: Secundùm tertium non poteſt decurtare dies ſuos, vel potius non decurtat dies ſuos. Nam actus quo decurtantur dies ſecundum duplicem iſtum reſpectum, vel cauſa propter quam Deus illos decurtet, jam à Deo conſiderata eſt, quum terminum iſtum præfigeret non decurtabilem, vel non decurtandum. Non ergo mirum, ſi dies non decurtentur iſto reſpectu. Nullus enim inter actum Dei præfigentis & exſecutionem intercedit actus creaturæ. Circa tale enim objectum verſatur Deus exſequendo decreto, circa quale verſatus eſt decernendo. Occidit filios Heli ſacrilegos, adulteros, patri immorigeros, Dei contemtores,

Ep. 69. res, taleſque ſtatuit occidere. At non ſtatuit anteaquam videret illos tales futuros, vel potius tales eſſe. Deo enim omnia præſentia. Narratur *Geneſ.* XXXVIII. de Er & Onan filiis Judæ, interfectos illos eſſe à Domino, eo quod mali eſſent; itaque cauſa quæ illum movit ad interficiendum illos in flore ætatis, erat malitia illorum. Malitia itaque ſua decurtarunt dies ſuos, tum quos poterant vivere ſecundum morem & conſuetum naturæ ordinem, tum quos vixiſſent ex benignitate Dei ſecundum promiſſionem ipſius; poterant autem à malitia abſtinuiſſe per Dei gratiam, quæ illis præſto erat. Tota difficultas explicationis pendet ab ordinata conſideratione decretorum Dei, quam plerique obire non poſſunt, propterea quod æternitas, quæ caret ſucceſſione prioris & poſterioris, ipſis impedimento eſt; quæ tamen omnibus Dei decretis vere adſcribitur. Hujuſmodi autem hominibus longe tutius eſſet, ſepoſita iſta æternitatis decretorum Dei conſideratione, quam non capiunt, ita de Deo æſtimare, atque ſi ſingulis momentis, prout incidunt cauſæ, vel vitam alicui ſecundum bonitatem & promiſſionem Dei provehendi, vel eandem juxta iram & comminationem decurtandi, de vita hominum vel proroganda vel abrumpenda ſtatueret: uſque dum ordinatam illam decretorum Dei rationem intelligere poſſent. Omnino enim neceſſe eſt, ut credant ſe peccatis ſuis apud Deum mereri vitæ abruptionem, reſipiſcentia autem & precibus impetrare vitæ prolongationem: quod adparet etiam in exemplo Ezechiæ regis. Secus nihil valebunt admonitiones à promiſſionibus & comminationibus iſtis deſumtæ: ſed hæc cogitatio Eſavitica illorum animos occupabit; quo nobis primogenitura, ſi quotidie animas noſtras in manibus noſtris portamus, eaſque depoſituri ſumus ea hora & momento quo Deo ſtatutum eſt illas à nobis repoſcere, quidquid demum agamus? Quæ cogitatio à vero eſt aliena, & reſipiſcentiæ impedimentum: omnino itaque auferenda à mentibus hominum & eradicanda. At eradicari non poteſt, ſi obtineat doctrina illa, quam noſti. Nam aut decretum de morte alicui iſto loco, tempore, & modo inferenda, præſtruitur ſecundum illam: hinc media ad illam tendentia ſive præparative ſecundum naturam, ſive meritorie apud Deum ſubordinantur neceſſario exſtitura. Aut decretum quidem propter actus creaturæ fieri dicitur, quod non fieret niſi actus præceſſiſſent: ſed actus ipſi neceſſario exiſtunt ſecundum aliud decretum Dei. Sic Onanum ſtatuit Deus occidere in flore ætatis; quod quia vult ut pœnam peccati, res ita adminiſtrabitur, ut ille in peccatum ruat, volens quidem juxta mutabilitatem voluntatis, at juxta decretum neceſſario. Vel ſtatuit Deus ut Onam in peccatum labatur, & quidem ita ut ille vitare id non poſſit; inde ſtatuit Deus illi propter peccatum mortem immaturam inferre. Ep. 69.

Sane ſecundum iſtam doctrinam nemo poteſt dies ſuos decurtare ulla ratione; quia jam aut ſtatuti termini vitæ ipſius, antequam Deus ullum actum ejus conſideraret; vel ſi ſtatuat poſt actus conſideratos, illi actus jam alio præcedente decreto ſunt eventuri neceſſario, & inde ſecutura vitæ decurtatio ſecundum ſeveritatem Dei. Quare omnino ſtatuendum eſt, homines libera voluntate bonum facere & malum: verum hoc libero arbitrio ſolo, illud excitatos & adjutos gratia Dei, cui tamen reſiſtere poſſunt & non cooperari; aut ad quæſtionem illam ſolide reſponderi non poteſt, ita ut omnis difficultas exhauriatur. Inſpiciatur iſta res alio modo; Quæritur an homo dies ſuos decurtare poſſit, ſi dies illius numerati ſint? Sane illos dies decurtare non poteſt, qui jam numerati ſunt, & ipſi præfixi extremo & peremtorio Dei decreto; vel potius, illos non decurtabit. At quæſtio aliter proponatur, uti debet. An homo aliquo ſuo facto apud Deum impetrare poſſit vitæ ſuæ continuationem, quam non obtinuiſſet citra illud factum; & rurſus mereri vitæ abruptionem, quæ facta non fuiſſet citra illud factum? Reſpondendum ita rem habere, juxta expreſſa teſtimonia Scripturæ, *Pſ.* LV. *Sanguinarii & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*, &, *Honora patrem & matrem*, &c. Dies enim illi decurtari dicuntur, qui potuiſſent adjici, & adjecti fuiſſent præſtita conditione ſub qua adjectio eſt promiſſa; non illi, quos Deus ſtatuit præciſe homini concedere. Nam quomodo decurtentur, quum præciſe ſint determinati ſecundum voluntatem conſequentem Dei; cujus voluntatis eſt illa numeratio, cujus mentio facta eſt in ipſa quæſtione? At ſecundum antecedentem Dei voluntatem, paratus eſt Deus illis vitam prorogare, quam etiam prorogaſſet ſecundum conſequentem voluntatem, ſiquidem illi conditionem antecedente voluntate poſitam præſtitiſſent, quod potuerunt. Ponantur enim hæc eo ordine quo debent, decretum Dei, actus hominis meritorius abruptionis, vel impetratorius continuationis, inde exſecutio abrumpens vel continuans. Ordine naturæ primus eſt actus, hunc ſequitur decretum, quod excipit exſecutio. Quemque decretum & exſecutio neque objecto neque cauſa differant, ſed tempore ſaltem; hinc ſequitur, quum quæritur, an dies decreto præfixi decurtari poſſint? idem valere iſtam quæſtionem, atque ſi hoc pacto eſſet propoſita, an dies quos homo jam vivit decurtari poſſint? decrevit enim Deus hucuſque illi vitam continuare, & reipſa continuat. Quod autem præſens eſt, fieri nequit ut non ſit. Decretum enim illud includit dies præſentes, excludit futuros. Jam ſi decurtarentur illi dies, non fuiſſent præſentes; & ſic præſentes fuiſſent non præſentes, & propterea contradicens in adjecto. Quare inſulſa eſt & ſtulta

quæ-

Ep. 70. quæſtio, qua rogatur, an homo poſſit decurtare dies illos quos Deus illi ſtatuit dare, & actu dat, imo dedit decreto, dat exſecutione, dabit porro uſque dum terminus præfixus advenerit? Monſtretur aliud abſurdum ex præcedentibus in iſta eadem quæſtione. Quæritur an homo dies qui præfixi & numerati ſunt decurtare poſſit? numeratio autem & præfixio in decreto facta eſt: & inter decretum & exſecutionem nullus intervenit actus hominis; præcedit enim ille naturæ ordine decretum, & tempore exſecutionem: quare tantumdem valet iſta quæſtio, atque ſi quæreretur, An homo poſſit decurtare dies ſuos ſine ullo actu ſuo, id eſt, decurtare ſine decurtatione? Ergo illa quæſtio aut inſulſa eſt, aut ita intelligenda, ut antea dixi, de diebus quos vivere potuit quiſpiam vel ſecundum conſuetudinem vulgarem, vel juxta promiſſionem Dei. Et hæc quidem de quæſtione iſta. Quod autem ſerius hæc ad te ſcribo cauſa eſt profectio mea ad Campos cum D. Bernardo, quam ego ſuſcepi ex voluntate noſtrorum, etiam Hagenſium, eo quod quidam ex noſtris Campenſium cuidam Conſulari narraverat, etiam Leydenſis Eccleſiæ commodo dimiſſum iri Lamotium. Puto autem te jam intellexiſſe ex literis D. Bernardi, negotium ſucceſſiſſe ex voto, & nos Borrio potituros, cujus ego quidem præſentiam flagrantiſſime deſidero. His vale deſideratiſſime hominum, & me, quod facis, ama tui amantiſſimum. Dominus Jeſus te & totum exercitum tueatur, brevique victores reduces nobis ſiſtat. 15 Julii 1604.

Raptim & per ſaltus varios, interrupta crebro ſcriptione.

LXX.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Examen ſententiæ Piſcatoris ejuſque adverſariorum de juſtificatione.

SI unquam, hominum humaniſſime & amicorum intime, tuæ mihi literæ acceptæ fuerunt, hoc præſertim calamitoſo nobis per varias Dei caſtigationes gratiſſimæ acciderunt. Nam præterquam quod infortunio iſto affecti ſumus in brachio filii, de cujus integra reſtitutione adhuc periclitamur, etiam ancillam Deus peſte afflixit, quam tamen mature efferri curavimus, ne contagio noceret tenellis liberorum corpuſculis: interea animo conſtanti exſpectantes quidquid Domino viſum fuerit de nobis ſtatuere, nobiſque immittere. In ipſo autem puncto tempeſtivitatis tuæ mihi ſunt allatæ, cum adjunctis ſcriptis, quæ videre & legere gratiſſimum eſt, tum propter ipſam materiam quam tractant, tum quia ex parte etiam me concernunt, ut tu recte mones. Non potui autem quin dolerem, cum animadverti tam calide hoc negotium agi; neque citra riſum intellexi, quam ferventer ſe Brederodius immiſceat negotio ſibi non intellecto, quod facile ex ipſius ad te literis perſpicio. Non poterit tibi deeſſe quod reſpondeas & opponas. Ego etiam delector meas operas adjungere tuis, ut mutuo auxilio alter alteri adſimus, ego meas cogitationes tibi ſubminiſtrando, tu apud illum & alios, ubi opus erit, agendo, quod ex veritate & pace Eccleſiarum erit. Initio ſingula ſcripta iſta percurram, & adnotabo quæ ad rem videbuntur pertinere, inde de reipſa paulo ordinatius pertractabo. Ep. 70.

In Epiſtola Synodi ad Piſcatorem non hærebo, quia ad illam prolixe reſpondet ipſe Piſcator. Attamen duo in illa animadvertenda. Primum: hoc omnibus fuiſſe ab ultima antiquitate cœtibus Eccleſiaſticis & Eccleſiis ſolenne, præſentem ſuum ſtatum perfectum æſtimare, cui nihil deſit veritatis neceſſariæ, nihil inſit falſitatis; ideoque hoc tantum curandum, ut firmiter in ſuſcepta doctrina perſeveretur, & pro ea concorditer pugnetur contra adverſarios. Hoc enim ponunt fundamentum ſuæ petitionis miniſtri in iſta Synodo congregati. Alterum eſt petitio ipſa, quam à D. Piſcatore impetrare conantur. In illa 1. gravius exagitant Piſcatoris ſententiam quam fas eſt. 2. Argumenta petitionis proferunt Synodo indecora; non enim precibus ſed firmis probationibus impetranda eſt à viro docto & pio mutatio ſententiæ, quam pro vera habet, ejuſque aliis ex officio inſtillandi intermiſſio. 3. Sua mala valde æſtimantes, quibuſcum malis Eccleſiæ alibi conflictentur vel neſcire, vel non curare videntur, quum dicunt Eccleſias Germanicas halcyonia agere.

Verum ad Piſcatoris reſponſionem accedo, in qua etiam quæ videbuntur adnotabo. Inprimis argumentum à precibus ductum commode confutat; inde ad ſententiæ ſuæ probationem progreditur; cui præſtruit fundamentum ab explicatione verbi *imputandi*, & declaratione obedientiæ Chriſti, ex arte ſecundum ſciendi modum exſtructum, agitur enim de imputatione juſtitiæ ſeu obedientiæ Chriſti. Imputandi verbum commode ſatis explicat. In explicatione duplicis obedientiæ, vitæ nempe & mortis, hoc diſplicet, quod ad illam obligatus fuiſſe dicitur ut verus homo: nam qui ſua cauſa homo factus non eſt, ille non eſt obligatus; imo qui homo futurus non erat niſi violata lege, ille obligatus eſſe non potuit ad illam præſtandam. Non enim poſita illi lex, qui, ſi præſtita fuiſſet ab aliis quibus erat poſita, homo futurus non erat: itaque obedientia vitæ præſtanda illi alio iſto reſpectu, quem deinde explicat Piſcator. Sententiam autem ſuam, qua ſtatuit ſolam mortis obedientiam imputari tanquam meritum remiſſionis peccatorum, quinque aſtruit argumentis, quæ videamus. Syllogiſmus quo primum argumentum concluditur

pro-

Ep. 70. probus eſt, & male Brederodius poſtulat particulam, *Solum*, majori inſeri. Video bonum virum ſyllogiſmorum rationem non intelligere; particula enim *ſola* eſt in concluſione ſubjectum; itaque non fuit ponenda in majore, quæ continet argumentum & conſequentem partem ſeu attributum concluſionis: vel ſi tranſpoſitio fiat, nihilominus erit probus ſyllogiſmus. Generatim enim proponitur eandem rem eſſe propter quam Deus remittit peccata, & propter quam imputat juſtitiam: eo poſito, ſi per ſolam obedientiam mortis remittat peccata, propter ſolam eandem imputat juſtitiam. Major autem ſimpliciter eſt vera, ſiquidem remiſſio peccatorum ſit imputatio juſtitiæ, & imputatio juſtitiæ remiſſio peccatorum; quod ſatis firmiter probatur iſto loco *ad Rom.* IV. *verſ.* 6, 7. Aſſumtio itaque probanda, & probat, ſi Sacræ literæ nullam aliam rem tradant. Itaque adnotatio Brederodii, quod ſynecdochice iſta dicantur, frivola: niſi probet ſynecdochen eſſe; quod non poterit, niſi adferat loca ubi alteri præterea rei adſcribitur remiſſio peccatorum. Sed afferuntur tria loca quæ id probare videntur. Primus eſt *Rom.* V. Sed quæritur an iſte locus agat de obedientia, indiſtincte utramque comprehendens; an de altera tantum; & de utra. De ſola mortis obedientia Apoſtolum loqui, non ſatis firmiter probat Piſcator, quum dicit ubique aliis locis Scripturæ remiſſionis cauſam meritoriam adſcribere obedientiæ mortis. Nam ſi hoc loco id non fiat, ſolus ſufficiet adfirmando dogmati contrario; niſi forte dicat Piſcator, de tanto articulo veriſimile non eſſe unico tantum loco agi, ut contendunt adverſarii etiam aliis locis agi; itaque probandum fuit Piſcatori ex ipſo loco, agi tantum de obedientia mortis. Tu vide an hæc argumenta eo ſeryiant. Inprimis dicitur Adam typus Chriſti futuri; at non quatenus Chriſtus erat impleturus legem, ad quam Adam obligabatur, & in eo cæteri homines. Nam peccato adverſus legem perpetrato non amplius tenebantur homines, niſi Deus denuo illos in gratiam recepiſſet & fœdus cum iis iniiſſet: quod non fecit niſi per manum Mediatoris Chriſti, & illius reſpectu. Dicitur itaque Adam typus Chriſti, quatenus per Adamum mors, per Chriſtum reſurrectio mortuorum, per Adamum peccatum, per Chriſtum juſtitia in remiſſione peccatorum. 2. Gratia Dei & donum in gratia, ſeu per gratiam, ſignificat favorem Dei & ex favore remiſſionem peccatorum, quod donum eſt Chriſti. Quod 3. planius ſignificari videtur, quum hoc donum chariſma appellatur, quod dicitur eſſe ex multis offenſis ad juſtificationem. Unde videtur concludi poſſe, chariſma eſſe remiſſionem peccatorum, illa enim eſt ex multis peccatis. Hoc non convenit porro juſtitiæ, quatenus activa intelligitur. 4. Per obedientiam Chriſti ut ſacerdotis conſtituuntur juſti; at obedientia vitæ non eſt ſacerdotis; requirebatur enim iſta ad hoc ut ſacerdotis munere fungi poſſit, quod eſt offerre & precari. Locus ſecundus *Philipp.* II. pro Renaldo nihil facit, ſed magis pro Piſcatore, quia fit mentio obedientiæ mortis. Verum ad illum ſatis reſpondet Piſcator. Tertium teſtimonium etiam nullo modo facit probandæ Reinaldi ſententiæ. Nam juſtitia activa præſtita ante reſurrectionem, imo & ante mortem; quare ſi locus iſte urgeatur, Piſcatoris ſententia obtinebit per illum; niſi dicant in morte per ſynecdochen intelligi obedientiam vitæ. Secundum Piſcatoris argumentum inſulſum videbitur, niſi quis illius hypotheſin intueatur, qua ſtatuit juſtificationem eſſe remiſſionem peccatorum, quæ remiſſio obtinetur per expiationem eorumdem morte Chriſti factam. Hac præſuppoſita hypotheſi non poteſt rejici. Sed negant juſtificationem conſtare ſola remiſſione peccatorum, dicunt inſuper legis præſtationem requiri. In 3. argumento eadem hypotheſis obſervetur, ſecus dicent adverſarii, Chriſtum legi non ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, ſed pro nobis, qui tenebamur legem præſtare. Quod etiam verum eſt, ſiquidem nos tenebamur legem præſtare, & Chriſtus illud in ſe receperit. In 4. argumento idem videndum, niſi quod cum dicit vice noſtra præſtitiſſe, ſtrictius urgeat adverſarium. Nam ſi vice noſtra præſtitit, nos non tenemur amplius. Verum hic diſputatur, an nos teneamur ad obedientiam legis nec ne, quatenus nempe lex illam poſtulat ſecundum legalem modum. Verum hoc argumentum, ſi recte urgeatur, facit ad Piſcatoris ſententiam tuendam; verum aliter propoſitum, hoc pacto. Si Chriſtus obedientiam legis vice noſtra præſtitit, non tenemur ad ullam amplius obedientiam, quia non tenemur ad pœnam, quam ille vice noſtra tulit. In 5. argumento eadem hypotheſis obſervetur, qua negata, & recte negata, nihil valet argumentum Piſcatoris. Verum Piſcator videtur ſibi primo argumento ſatis firmiter probaſſe, totam juſtificationem conſtare ſola remiſſione peccatorum, quod ſi verum ſit obedientiam Chriſti nullam, ne vitæ quidem, pertinere ad impetrandam juſtificationem, niſi quatenus illâ remiſſionem peccatorum impetravit Chriſtus. Hoc ita conſiderato, poteſt de robore argumentorum Piſcatoris judicari. Sed miror Piſcatorem non fortius pro ſua ſententia pugnaſſe, quum ad tantum conventum aut illius deputatos ſcriberet; plus tamen fecit quam illi, qui ſuis literis nullo argumento utuntur ad convincendum Piſcatorem. Quæ de pœnitentia illi objecta ſunt, nos non moramur hoc tempore. Ep. 70.

In literis Joannis à Munſter ad Alexium, & Alexii ad illum, nihil video notatu dignum, niſi quod Joannes urget totum Chriſtum nobis cedere in bonum, & auctoritate doctorum proba-

Ep. 70. re nititur, etiam obedientiam vitæ nobis imputari, dolens verba nonnulla prolata ab Alexio indigna in orthodoxos. Alexius vero non negat totum Christum competere fidelibus, & hic notandum artificium. At insistit vestigiis Piscatoris in probando: urget enim obedientiam vitæ non facere ad satisfaciendum pro peccatis, & non esse causam meritoriam remissionis peccatorum. Verum, ut dixi, dicent alium habere respectum obedientiam illam vitæ, quod videtur etiam confutandum fuisse; attamen quum in eo consistant, proculdubio hoc habet aliquid momenti, de quo post videbimus. Verum id non potest probari, Satanæ hic mentionem fieri. Verum quidem est illum dissidii omnis esse auctorem: at de illa dissidium inter orthodoxos oriri non debet, si quidem ipsi rem accurate pensitent. In rescripto Joannis à Munster hoc placet, quod permittat placide sententiam illam cum argumentis proponi & defendi; modo fiat citra refutationem acerbiorem secus sentientium: hoc quoque notandum, quod obedientiam vitæ ponit meritum nostræ justitiæ, non remissionis peccatorum, quod & antea notavi; quare & Piscatori incumbit hæc probatio, nullam aliam esse obedientiam qua justitia nobis impetrata sit, quam mortis Christi, & totam justitiam nostram consistere in remissione peccatorum impetrata morte Christi. Sed responsio ad argumentum Piscatoris præcipuum videatur. Argumentatur Piscator. Aut ad obedientiam, aut ad pœnam, lex obligat; non ad utrumque. Sed Christus pro nobis satisfecit; itaque aut pro pœna, aut pro obedientiæ debito; non pro utroque: pro pœna autem satisfecit; ergo non pro obedientiæ legalis debito. Respondet Munsterus, id verum esse in hominis statu primo, id est, ante lapsum; non in secundo. At vero facit hoc pro Piscatore. Nam si in statu primo ad alterutram tantum obligabatur, non potuit in altero statu ad utramque obligari simul; quia obligatio nulla est nisi Deo recipiente hominem in fœdus suum, & illi præscribente rursus obedientiam. Ergo in statu peccati tantum obligabatur ad pœnam; in statu gratiæ tantum ad obedientiam, non ad pœnam, nisi sub conditione Euangelica, nisi præstet obedientiam. Hæc consideratio Munsteri robur videtur esse totius istius sententiæ, quæ statuit duplicem justitiam requiri ad justificationem, de qua postea in altera parte nostri hujus scripti.

In scripto Paræi humanitatem probo; nec non & hoc; pacis conservandæ causa posse retineri & proponi hanc thesin Scripturæ, totum Christum, vel potius Christum, esse nostram justitiam, omissa voce, *totius*, qua videtur præjudicium fieri sententiæ aliorum: quod velim Paræum cogitare, non minus quam ipse putat suæ causæ & sententiæ præjudicari, si vox *sola* passivæ obedientiæ jungatur. Et sane omnino præstat in illa thesi persistere, quam contendere cum detrimento concordiæ Ep. 70. Ecclesiarum. Verum si id permittere vellet utraque pars, quod sane est permissivum, posset adhiberi explicatio commoda, quomodo, qua ratione, secundum quem respectum & quas actiones passionesque Christi ipse dicatur justitia nostra. Si id non possit, persistemus in hisce, Christum esse justitiam nostram, & illum fidem nostram fieri, quæ nobis imputetur in justitiam. Probo etiam quod triplicem imputationem & tripartitam justitiam D. Bezæ improbat; de quo nosti nos sæpius egisse, etiam tum quum Genevæ versaremur; ut etiam de activa & passiva, quarum illam etiam tum dixi Christum non debere qua creatura est & homo, utpote qui propter se & sua causa homo factus non sit. Neque hoc prætereundum sine nota, quod idem Paræus dicit, illud pomum Eridis in Gallicana Confessione non legi. Nam videmus eo ipso addi aliquid Confessioni Gallicæ, cum præcise urgetur utriusque obedientiæ ad justitiam concursus: saltem explicationem addi, quæ forte non est vel verbis Confessionis, vel autorum menti consentanea. Non sufficiunt itaque Confessiones dirimendis contentionibus, si de talibus citra contentionem disceptare non liceat. Locum *Rom.* V. & *Philipp.* II. antè Piscator consideravit, & nos vidimus.

Tandem ad Domini Brederodii literas venio, in quibus multa apparent indicia animi præjudicio abrepti, & vehementius negotium hoc curantis & agentis. Ego singulis non inhærebo, sed tantum quæ ad disputationem præsentem faciunt. Urget ille inprimis; quod indistincte propositum est ab Apostolo & indefinite, illud à Piscatore male distingui. At potuit Piscator excipere, illud argumentum Brederodii non valere, nisi constet ex Scripturis, ullam esse activam obedientiam Christi, qua nos justi simus constituti, propterea quod illa nobis imputetur atque si nostri vice & loco illam Christus præstitisset. Talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur esse à prædicatis; potest itaque tale quid addi subjecto, quod circumscribat subjectum generali voce enuntiatum, & ex indistincto in se distinctum faciat in ista enuntiatione; itaque distincte sumendum. Quod Piscator illi concedere debuerit, in obedientia passiva esse actionem; quid mirum? quum sit obedientia. Imo eo ipso est obedientia, quod volens obierit passionem, & passiva dicitur ab objecto. Verum quod in activa sit passio, non æque recte dicitur, nisi hoc sensu, Christum multa passum esse interea quum legi obedienter viveret, & quidem propterea non destitisse officio fungi ex præscripto Patris. Verum quid hoc ad causam? Quæstio de filio prodigo ita hic narratur ex abrupto, ut facile credam, si ita desultorie ab argumento ad argumentum provolaverit Brederodius, Piscatorem arbitratum cum illo qui res non accuratius pensitavit

disputa-

Ep. 70. diſputationem fruſtra iniri. At videamus quid eo Brederodius efficiat pro tuenda ſententia ſua. Arbitratur bonus vir, per exutionem veſtis ſordidæ notari remiſſionem peccatorum, & per indutionem veſtis mundæ ſignificari imputationem juſtitiæ activæ, qua legi obediit Chriſtus; ideoque Piſcatorem ad illam parabolam reſpondere non potuiſſe, convictum ſcilicet eo ipſo, quod pater filio jubeat adferri mundam veſtem poſtquam ipſi peccata remiſerat. Poterat Piſcator reſpondere, ſanguine Chriſti utrumque beneficium obtineri, nempe remiſſionem peccatorum ablutionemque illorum, & conſcientiæ ipſius emundationem & purgationem; quæ non ſunt unum idemque, ſed ſe mutuo ſequuntur. Nam abluitur peccatum, ne reum agat peccatorem coram Deo; inde emundatur quoque conſcientia per ſanguinem Chriſti, id eſt, ſanctificatur, ut poſſit coram Deo comparere, & illi ſervire in novitate vitæ. Verum hoc omiſſo, quod forte non capiet Brederodius, dicendum eſt ex Scripturis, ſiquidem per parabolam iſtam tale quid ſignificari voluit Chriſtus, de quo controverti poteſt, per exutionem veſtis ſordidæ & mundæ indutionem, non ſignificari peccatorum remiſſionem & imputationem juſtitiæ; ſed exutionem veteris hominis & indutionem novi; quod ad ſanctificationem & regenerationem pertinet: inſpiciantur loci ubi illius fit mentio, *Epheſ.* IV. 22. 24. *Coloſſ.* III. 9, 10. Hinc phraſis illa, *Chriſtum induere*: quæ non ſignificat Chriſti activa juſtitia juſtum æſtimari; ſed Chriſti naturæ per Spiritum ſanctum participem fieri, & ad novam vitam reformari. Quod ex ipſa quoque parabola probabitur, ſiquidem illa ad hanc rem pertineat. Nam tria ibi ponuntur, remiſſio peccatorum, exutio veſtis ſordidæ, & indutio mundæ. Neque patitur ipſa ratio parabolæ, ut exutio veſtis ſit remiſſio admiſſi criminis; poſtquam enim pater illum in gratiam receperat remiſſis peccatis, jubet ut exuta veſte ſordida & ignominioſa, veſte induatur ſplendidiore. Mihi itaque veriſimile non eſt, Piſcatorem ad talia objectamenta reſpondere non potuiſſe. Verum ulterius pergit bonus Brederodius; non enim falſam modo æſtimat Piſcatoris ſententiam, verum & intolerabilem; utpote quæ partem tantum Chriſti apprehendere doceat, quæ minus tradat quam ad ſalutem ſit neceſſarium, quamque articulis fidei ſit propoſitum. At prius falſum; ſecundum probandum è Scripturis: tertium ex ipſis articulis fidei convincitur, ubi nulla activæ juſtitiæ mentio, ne per umbram quidem. Quæ ſequuntur declamatoria ſunt, itaque reſponſione indigna. Piſcator ita poterit quoque gloriari: Ego ne ſanguinem Chriſti æſtimem mihi ad juſtitiam & vitam non ſufficere? Ego ſanguini pretioſiſſimo injuriam iſtam inferam, ego illum tam indigne conculcem, qui tam eſt pretioſus ut vel unica illius guttula (noſti morem loquendi) ſufficerit ad redimen- Ep. 70.
dum totum humanum genus, & vitam æternam omnibus comparandam? Apage à ſeria diſputatione hujuſmodi nænias apinaique. Hiſtorica quæ narrat non perſequar: apparet tamen Brederodium vehementer indulgere affectui ſuo, dum Piſcatori ſectarios tribuit, quum ita tenuiter de argumentis Piſcatoris judicat, & Renaldi tantopere extollit: quæ ſane alia non potuerunt eſſe quam quorum mentionem jam factam arbitror iſtis in ſcriptis, ſecus Brederodius illa attuliſſet. Sane ſi Renaldum novi, non eſt cur illi concedat Piſcator. Nam quum Genevæ verſarer ego, inter minimos erat, & tum etiam ætate ſatis provecta vix latine loquebatur, ſi idem ſit ille Antonius Renaldus quem iſthic novi, & à quo, Baſileæ cum degerem, literas accepi. Verum potuit interea magnam ſibi comparaſſe eruditionem; quod facile concedo; at non tantam quæ Piſcatoris ingenium & eruditionem exſuperet. Non fit igitur mihi iſtud judicium Brederodii veriſimile. Quare arbitror te recte facturum, ſi Brederodio prolixe explices quid judicii facias, & de veritate & de neceſſitate iſtius controverſiæ; addita monela, ne ille falcem mittat in alienam meſſem, præſertim quum ſub prætextu auctoritatis, quam illi circumpoſuerunt Ordines, premat cauſam nondum injuſtitiæ & falſitatis convictam.

Jam vero ut de re ipſa aliquid dicam, quod initio ſum pollicitus; ita illam conſiderari poſſe, & fors conſiderandam eſſe arbitror, ut diſquiſitionis initium fiat ab eo quod nos tenebamur præſtare; quum enim Chriſtus dicatur obedientiam non tantum noſtrâ causâ & propter nos, ſed etiam pro nobis & noſtro loco præſtitiſſe, videndum ad quid nos obſtricti fuerimus. Obligatio noſtra primæva, quæ lege eſt expreſſa, ad obedientiam legi præſtandam eſt, vel ſi defuerimus officio, ad pœnam tranſgreſſioni poſitam perferendam. Ad utrumque ſimul non obligabamur, neque enim fieri poteſt. Tranſgreſſione facta ad pœnam obligabamur; itaque illa obligatio urget conſtitutos in ſtatu peccati, & quidem ſola, non etiam illa quæ eſt ad obedientiam. Vana enim eſt illa conſideratio, quæ ſtatuit Deum, cum homo decidiſſet è ſtatu integritatis, & pœnæ obnoxius factus erat, etiam obedientiam ab homine poſtulaſſe pro jure ſuo, utpote à quo Deus non exciderit propter inobedientiam hominis. Videntur illa habere veriſimilitudinem aliquam, ſed ſecus res habet rectè inſpecta. Nam in ſtatu peccati cum eſt homo, non eſt fœderatus Dei: itaque nullus inter Deum & hominem contractus quo ille obedientiam poſtulat: nam quo præmio ſanciet legem & qua pœna, quum homo propter inobedientiam jam præſtitam à præmio exciderit & pœnæ ſit obnoxius? niſi dicamus, Deum illi pollicitum eſſe, ſi obediret porro, impetra-

Ep. 70. turum remiſſionem pœnæ & vitam æternam: quo quid poteſt dici abſurdius, & minus conſentaneum doctrinæ auctorum illorum, qui dicuntur contra Piſcatorem ſentire? Exciderat enim Adam à fœdere, & nos in illo; itaque aliud fuit fœdus ineundum, antequam præſcribi & poſtulari potuerit obedientia. Hoc autem obiri non potuit niſi reconciliatione facta. Chriſtus itaque intervenit ex decreto Dei, qui reconciliavit nos Deo per ſanguinem ſuum, & fœdus firmavit inter utroſque. Ergo Chriſtus obnoxius præſtare, quod nos ante illud fœdus, initum & firmatum per illum, tenebamur præſtare, nempe ſolutionem pœnæ. Hoc argumentum puto eſſe peremptorium. Accedit, quod quum Deus homini propter peccatum ademerat legem præſtandi vires & potentiam, eo ipſo ſignificaverit ſe nolle ejus præſtationem porro ab homine poſtulare, niſi redintegratis viribus illius. Addo neque jure potuiſſe. Non obſtat ſimile quod uſurpant nonnulli, ſi quis miles imperatori ſervitium debens ſua culpa fiat ſervitii præſtandi impotens, nihilominus poſſe imperatorem ab illo ſervitium poſtulare. Nam imprimis ſimilitudo non quadrat omnino, niſi addatur hoc, ſi imperator illi vires ademerit propter peccatum aliquod adverſus imperatorem perpetratum. Alia enim ratio eſt, ſi imperator militem peccantem multet brachio & pedibus, quam ſi ipſe petulanter quempiam ad duellum provocaverit, & brachii pedumque amputationem inde reportaverit. Sane quis fatebitur, niſi inſipidus & inſulſus, imperatorem, ſi peccatum militis puniat abſciſſione pedum & brachiorum, poſſe adhuc ab illo poſtulare ſervitium? deinde, non eſt auditum hoc unquam accidiſſe, ut imperator à tali poſtulaverit ſervitium, imo ne ab illo quidem, qui ſuo facto tanquam medio amiſerit brachia citra punitionem intervenientem imperatoris. Sed inquiet aliquis, ergo poterit ne creatura à jure creatoris eximi, ut non teneatur obedire illi? Ita ſane, ſi creatura ſit maledicta, & creator indignam æſtimet à qua petat obedientiam: quod hic velim conſiderari: ſummæ enim pœnæ loco eſt, creaturam quæ peccavit, ita ſub peccato concludere, ut nolit ab illa obedientiam ſibi præſtari. Hoc enim ſignum eſt iræ irreconciliabilis, ſcilicet iſto rerum ſtatu. Tertio, addatur conſideratio ipſius legis quæ præſtanda fuit; an illa talis ſit, ut deceat illam præſtari à peccatore extra gratiam Dei conſtituto; jubetur Deum habere pro ſuo Deo, illum amare, honorare, revereri, in illo fiduciam collocare, illius nomen reverenter uſurpare, &c. an veriſimile eſt hujuſmodi obedientiam poſtulari ab eo qui eſt in maledictione Dei? Quod ſi in ſtatu peccati homo non tenebatur ad obedientiam Deo præſtandam, an dici poteſt Chriſtum pro nobis illam præſtare debuiſſe? non arbitror. At dicit idem, non tantum fuiſſe pœnam auferendam, ſed & vitam æternam promerendam: noſtrum autem mediatorem illam nobis mereri non potuiſſe niſi pro nobis legem præſtaret. Concedo illud, nego hoc. Nos non potuimus ex legis formula vitam obtinere, niſi illam feciſſemus: Ergo Chriſtus non poteſt vitam æternam obtinere nobis dandam ſub conditione certâ, non præſtita ſed præſtanda: (quod etiam notandum eſt diligenter) id vero non ſequitur. Potuit enim Pater alium contractum cum mediatore & ſponſore noſtro inire, & ſecundum aliam formulam cum eo agere. Neque potuit tantum, ſed & alium contractum invit, & ſecundum aliam formulam cum illo egit. Inſpiciantur enim loca Scripturæ quæ indicant quâ re Chriſtus non modo remiſſionem peccatorum, & redemtionem, ſed & juſtitiam & vitam impetraverit. *Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Quum poſuerit ſacrificium pro delicto animam ejus*, vel animam ſuam, *videbit ſemen*, &c. Item *Dan.* IX. junguntur hæc immediate, *ad finiendam prævaricationem, ad conſummandum peccatum, ad expiandam iniquitatem, ad juſtitiam ſæculorum adducendam. Fecit ut qui non novit peccatum pro nobis eſſet peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo. Chriſtus dilexit Eccleſiam & expoſuit ſe pro ea, ut eam ſanctificaret & ſiſteret eam glorioſam*, &c. *Propterea dedit illi nomen, quia obediens factus eſt ad mortem crucis uſque. Chriſtus per paſſiones & mortem intravit in gloriam ſuam, & regnum eſt adeptus. Conſecratus per paſſiones factus eſt auctor ſalutis æternæ obtemperantibus ipſi.* Perget porro idem theſin ſemel poſitam defendere, & dicet; Legem fruſtra latam fore, ſiquidem nemo ſit, qui illam obſervet. Ut hoc concedam, quod tamen negare poſſum; quid inde ſequitur, quum fateamur Chriſtum legem Patris perfecte præſtitiſſe? Verum inde inferet idem ille, ſi præſtitit legem, aut pro ſe, aut pro nobis; at non pro ſe; ergo pro nobis. Explico prius; non pro ſe, tanquam qui debuerit; ſed pro ſe, utpote qui per præſtationem legis aliquod ſibi bonum comparaverit. Verum eſto, non pro ſe, ergo pro nobis. Fateor. Ergo pro nobis, hoc eſt vice noſtra. Non ſequitur. Sed quomodo pro nobis, ſi non vice noſtra? Piſcator, inquit, ut eſſet ſanctus ſacerdos & pura victima; & hoc pro nobis. Quid ſi addam, Chriſtum factum eſſe ſub lege etiam obedientiæ præſtandæ cauſa, ut illam abrogaret, quo Deus porro nobiſcum non ſecundum legis ſed aliam formulam ageret, & citra legis injuriam ullam, ut poſſet transferre obedientiam legis in obedientiam Euangelii, quæ conſtat fide in Chriſtum. Conſideretur inſuper & hoc; Si Chriſtus obligatus eſt noſtro loco ad utramque obedientiam præſtandam, an non prius præſtanda fuerit paſſiva; nam prius pœna perſolvenda pro peccatis, quam præmium promerendum per legis obedientiam. At in Chriſto res ſecus habet, pri

Ep. 70.

Ep. 70. prius obedivit legi quam pœnam pertulit. Adde, ſi obedientiam noſtro nomine præſtitit, ut pœnam perſolvit, ſic tam immunes ab obedientia præſtanda nos, quam à pœna perſolvenda; utrobique enim eadem ratio. Dicent eſſe immunes ab obedientia legali præſtanda. At inquam ego, ita immunes, ut Deus non poſſit ullam à nobis poſcere obedientiam, utpote qui præſtiterimus in Chriſto perfectiſſimam illam quam lege poſtulavit; quemadmodum nullam à nobis pœnam poſtulat, utpote quam in Chriſto perſolvimus? Dicent, Deum non poſcere obedientiam à nobis ut illa ſit vitæ impetratoria, ſed ut ſit ſignum gratitudinis erga Deum & Chriſtum; quemadmodum etiam immittit ſæpe varias miſerias, ut Chriſto conformes fiamus. Dico, obedientiam quam præſtamus ex fide Chriſti, non tantum habere hunc reſpectum ut Deo grati ſimus, ſed etiam vita æterna illius meres dicitur. Verum in hoc argumento non pono robur hujus controverſiæ meæ. Quamquam ſi quis mordicus illud urgere velit, veriſimilitudine ſua officere poſſet adverſariæ ſententiæ. Forte non inutiliter hic diſtinctio adhibebitur inter iſta quæ Chriſtus fecit & adminiſtravit ut officio fungens aliquo ſibi à Patre impoſito, & quæ fecit ut officio fungi poſſet. Sponſor noſter eſt ut mediator; itaque illa pro nobis vel vice noſtra ut ſponſor præſtitit, quæ præſtitit ut Mediator. At ut Mediator noſter non obedivit legi; ergo non vice noſtra. Verum ut poſſet Mediatoris fungi munere, juſtus eſſe debuit, non modo juſtitia nativa & inhærente, ſed etiam activa, quæ conſtat obedientia legis perfecta. Adnotentur loca ubi Chriſtus dicitur miſſus eſſe, veniſſe, ingreſſus in mundum; & ſimul cur in mundum venerit; & quidem duplici de cauſa. 1. Ut adpareat illam phraſin ſæpe ſignificare muneris auſpicationem. 2. Ut cum finis ingreſſus cognoſcatur eſſe officii præſtatio, ipſa obedientia legis, cujus præſtandæ cauſa nunquam veniſſe dicitur, ſejungatur ab iis quæ ad muneris exſecutionem pertinebant. Potiſſimum ille locus videatur: *Quapropter ingrediens in mundum dicit, ſacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*, & quæ ſequuntur. Et ne quid omittam, ecce aliud. Si tam activa Chriſti obedientia, id eſt, vitæ, quam paſſiva & mortis imputatur in juſtitiam, tum videtur fides noſtra tam tendere debere in activam obedientiam juſtitiamque, quam in aliam. At nullibi legimus, fidem noſtram pro objecto habere juſtitiam ſeu obedientiam vitæ Chriſti; niſi quatenus pertinet ad aliquid credendum; ut, credimus juſtum fuiſſe, ut credere poſſimus ſacerdotem noſtrum eſſe. *Nam talis nos decebat pontifex*, &c. Inſpiciantur articuli fidei, & nulla in iis mentio juſtitiæ activæ. Legimus, *per fidem in ſanguine ipſius*, non, per fidem in juſtitia activa ejus; quamquam ille locus aliter legi poſſit, ut utrumque, & fides, & in ſanguine, jungatur remiſſioni peccatorum. Verum de his ſatis. Ep. 70.

Progredior ad alia Epiſtolæ tuæ: & primo de fidei in juſtitiam imputatione. Arbitror illam phraſin eſſe propriam, & non metonymicam: quod prius commoniſtrandum antequam progrediar: arbitrantur enim noſtri metonymicam eſſe, atque ita explicandam, quod fides ponatur pro objecto fidei, quod eſt Chriſtus vel juſtitia Chriſti: quare propria hæc erit ex mente illorum, juſtitia Chriſti à nobis fide adprehenſa imputatur nobis in juſtitiam. At quod imputatur in juſtitiam, non eſt ipſa juſtitia. Juſtitia Chriſti, ex mente etiam illorum, eſt ipſiſſima & perfectiſſima juſtitia; ergo non imputatur in juſtitiam. Si dicant, imputari nobis, quia nos illam non præſtiterimus: hoc aliud eſt, ſed non dictum aut comprehenſum iſtis Apoſtoli verbis. Aliud enim eſt imputari nobis, aliud imputari in juſtitiam. Si juſtitia Chriſti imputatur nobis, eo ipſo ipſius juſtitiæ merito juſti ſumus. Si imputatur in juſtitiam, jam non eſt ipſa, ut dixi, juſtitia, ſed æſtimata à Deo pro juſtitia. Nam quod à Deo in juſtitiam imputatur, id non juſtitia eſt in ſe & velut merito ſuo, ſed Dei gratioſa acceptatione; quod non poteſt dici de juſtitia Chriſti ex mente noſtrorum. Addo, quod nunquam iſta propria in Scripturis habeatur: Juſtitia Chriſti nobis imputatur in juſtitiam: mirum autem ubi Apoſtolus ex profeſſo agit de juſtificatione, tropica voluiſſe uti locutione, cui æquipollens propria in tota Scriptura non exiſtat; propria itaque eſt. Nam fides ipſa juſtitia non eſt, ſed gratioſa Dei æſtimatione & acceptatione habetur pro juſtitia; quod quinquies in eodem *capite 4. ad Romanos* dicitur: fides enim non modo optime cum gratia conſiſtit, ſed aperte dicitur, ut ſit per gratiam & ex gratia imputatio, debere eſſe per fidem, *propterea ex fide ut ſit per gratiam*. Cauſa autem cur fidem Deus voluit habere pro juſtitia, eſt tum ipſe Chriſtus, qui legem abrogavit, & nos Patri reconciliavit; tum Deus, qui voluit hunc honorem haberi Filio ſuo, ut fides in illum tantundem illis polleret, atque ſi legem ipſi præſtitiſſent; quod decretum Patris impoſuit mundo neceſſitatem in Chriſtum credendi, cui dedit jus remittendi peccata, juſtificandi, & vitam æternam largiendi; ac ſi dicat: Ego hucuſque vobiſcum egi ſecundum legis formulam, poſtulavi à vobis obedientiam ſecundum legem, non præſtitiſtis illam; itaque ſub maledictione fuiſtis. Filius meus factus eſt pro vobis ſub lege, & exemit vos à maledictione legis; poſt non amplius agam vobiſcum ſecundum legem; ſed Filio meo omne jus in vos tribui, & volo ut ille vobiſcum agat, & vobis peccata remittat, juſtitiam imputet, & vita æterna donet: at hac conditione tantum, ut illa obtineatis ab illo ſi in illum credatis: hanc enim fidem veſtram in illum volo vobis eſſe pro juſtitia. Qua de cauſa lex dicitur, operum lex,

Ep. 70. Euangelium vero fidei lex, *Rom.* III. utpote quæ fidem præſcribat in juſtitiam. Conſideretur an cauſa quæ meritoria dicitur, poſſit eſſe ipſa materia juſtitiæ, & quidem per imputationem. Nam imputatio eſt actio Dei, qua verſatur Deus circa aliquid, ut hac æſtimatione ſuâ faciat id quod non eſt. Verſatur ergo Deus circa fidem imputatione ſua, & illam facit eſſe gratioſa imputatione quod non eſt; nempe juſtitiam. Hoc autem de juſtitia Chriſti dici non poteſt, quæ eſt, ut dictum, ipſiſſima juſtitia.

De fide & fiducia ita ſtatuo. Hanc illius vel conſequens eſſe neceſſarium, vel effectum; ad illius autem ſubſtantiam ut ejus partem vix pertinere arbitror. Fides enim in aſſenſu poſita eſt; & illo quidem, vel intellectivo tantum, vel affectivo inſuper, vel etiam practico, pro natura objecti ipſius. Fiducia in parte animæ, quæ iraſcibilis dicitur, poſita videtur. Id latius explico: Aſſenſus intellectivus tantum eſt, qui enuntiationi veræ aſſentitur, citra ullam conſiderationem, an iſta enunciatio etiam bonum aliquod contineat; ut credimus eclipſin eſſe terræ inter lunam & ſolem oppoſitionem. Aſſenſus affectivus eſt, quando & enuntiatio vera eſt, & inſuper bonum aliquod, ad quod habendum affecti ſumus, conjunctum habet: ut Deus eſt bonus, clemens, miſericors, paratus benefacere ſuis creaturis. Practicus aſſenſus eſt, quando enuntiatio vera eſt, & ſimul bonum, quod à nobis præſtandum eſt, enuntiat: ſic diligendus eſt Dominus Deus noſter. Fides eſt in aſſenſu affectivo. Ex qua diſtinctione intelliguntur iſtæ phraſes; *Credere Deo*, &, *credere in Deum*. *Credere Deo* generatim dicitur, quodvis enuntianti, ſive id tantum verum ſit, ſive inſuper bonum aliquod contineat. *Credere in Deum* ſpecialius ſignificat, quando enuntiatio tale quid de Deo nobis tradit, quod verum eſſe noſtro bono volumus; ut eſſe ſapientem, juſtum, bonum, miſericordem. Quamquam *credere in Deum* aliquando generatim ſumatur, tamquam in illum qui verax eſt in omnibus dictis ſuis. Ex fide hac in Deum, ſeu affectivo aſſenſu, exiſtit fiducia in illum, quæ recumbit in illum quem talem eſſe novimus cum affectu de quo diximus, reſpectumque habet ad illa quæ ab illo exſpectamus & ſperamus. Unde etiam fiducia ſpes robuſta ſeu roborata à Scholaſticis non incommode dicitur. Fieri autem nequit ut fides vera, qualem Deus in ſe poſtulat, non producat ex ſe illam fiduciam, & quidem eo ipſo momento, quo primum Deum talem concipit; hæc enim eſt nativa inter intellectum iſtum affectivum & hunc affectum, qui fiducia dicitur, relatio. Articulus vero ille fidei, Credo in Deum Patrem, non legalis eſt, ſed Euangelicæ fidei. Quamquam enim deſcriptio Dei ſit legalis, tamen fides in illum iſtis verbis expreſſa non eſt legalis, ſed Euangelica. Nam nemo peccator ſecundum legem in illum credit, fide iſta affectiva, de qua agimus, unde naſcitur fiducia. Comprehenditur autem ſub creatione providentia, tum ut creationis continuatio, per conſervationem omnium rerum, & gubernationem ſeu directionem; tum quia fides in creatorem non fertur, niſi concipiatur ut conſervator & gubernator. Potentia quidem, ſapientia, & bonitas ſecundum quam meretur fidem, voce creationis ſignificantur; at neceſſe eſt ut iſta ſapientia, bonitate, potentia porro curam noſtri gerat, aut credi in illum non poteſt. Cur Deus credi potius voluerit, quam ſciri & intelligi, prioribus meis ad te paucis explicui; addo nunc, intellectum reſpondere proprie explicationi rei, quæ inſtituta eſt ſecundum ipſam rei naturam ut cognoſcatur; at fides reſpondet revelationi rei inſtitutæ ſecundum capacitatem ejus cui revelatio fit, ut rei ex parte cognitæ actus aliquis alius præſtetur. Ep. 76.

De fidei neceſſitate ad ſalutem, qua excluditur plerumque humanum genus à ſalute, utpote cui revelatio illa facta non ſit, jam non dicam; quia meditationem ampliorem poſtulat, & jam epiſtolæ modum exceſſi, neque volo hujus miſſionem diutius differre. Cæterum ut illa Gallorum vehementia me commovit, ita æquitas Anglorum & Scotorum me recreat; omnino ſpero mitiores futuros, ubi accuratius negotium perpenderint, cui fini ſcriptum N. N. ſervire poterit, modo ille ex fundamento rem tractet, & cum ſpiritu manſuetudinis; quo video tum Gallos deſtitui, tum etiam nonnullos qui Piſcatori adſtipulantur. Verſabar hiſce diebus in explicatione actionum divinarum, qua ſibi argumentum præparavit quo Jonam de iræ ipſius injuſtitia, & de juſtitiâ miſericordiæ ſuæ inſtrueret: in quibus multa dixi ad providentiam Dei pertinentia, & præſertim de connexione quæ eſt inter illas Dei actiones eventuſque illarum, & affectum Jonæ, qui natus fuit ob ricinum areſactum; quam dixi non neceſſariam, ſed contingentem eſſe. Quod etiam allatis multis aliis exemplis ex Scriptura comprobavi, libere & frequenti auditorio; ſpero approbaturos qui audiverunt. Diſputavimus etiam hiſce diebus de peccato primorum parentum. Theſes ipſe conſcripſi, ut facile videbis ex ſtilo & ordine; libertate in iis uſus ſum, ſed in ipſa diſputatione majori; nam aperte præſente D. Gommaro & Trelcatio confutavi neceſſitatem, & contingentiam ſtabilivi; vellem te interfuiſſe. Nihil autem inter D. Gommarum & me actum; ſi tamen ille colloquium deſideret, ego modeſtiæ memor ero. Verſatur ille jam in capitis noni ad Rom. explicatione, quod pene abſolvit. Pollicetur ſe omnes de Prædeſtinatione ſententias collecturum, ſingulas examinaturum & judicium de iis laturum, quin & ſuam adjecturum & comprobaturum. Ego exſpecto quid futurum ſit, dabo operam ut videam & legam. Etiam aliquid editurum ejus rei multitant ſtudioſi non-

Ep. 71. nonnulli; verum ut talia sint quæ refutari non possint vix arbitror; statutum enim illi persistere in sententia. Si tamen talia proferat argumenta ad quæ responderi non possit, primum me habebit assentientem & suæ, & recantatorem sententiæ meæ. Mitto tibi exemplar thesium istarum. Excusa inconditam scriptionem, quam obivi inter varias occupationes. Ancilla convalescit, & jam duodecimus dies est ex quo cœpit ægrotare. Deus huc usque nobis parcit, quod ut porro faciat, illum veneror precorque, tu tuas preces, quod facis, nostris adjunge, ego vicissim pro te & toto exercitu precari non desinam. Vale hominum desideratissime, & amicorum intime, cum bono, cui te tuaque omnia commendo flagrantissime. 3 Kalend. Augusti 1604.

Addo etiam alias theses cras disputandas, quas non ego, sed ipse Respondens confecit, pauculis à me tantum mutatis & additis.

Sine exemplari & citra relectionem, tu excusabis, ut omnia mea. Remitto tibi scripta ista, & gratiam habeo.

LXXI.

Reverendo viro

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, salutem & bene per Christum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

De fidei Christianæ necessitate: item de necessitate & contingentia.

ARdua omnino quæstio est & difficillima explicatu, quam à me cupis tibi dissolvi, de fidei Christianæ necessitate ad salutem, exclusa tantâ orbis parte, quæ legibus Christianæ fidei subjecta non est, hoc est, ut ego arbitror juxta mentem tuam, quæ per Euangelii præconium ad fidem in Christum vocata non est: atque ita ardua, ut ego vix conatum adferre possim ad illam pertractandam: faciam tamen quod possum impræsentiarum, ne tibi petenti quid denegem, quum sciam te pro tuo erga me amore facile excusaturum quidquid excidet minus probe dictum. Inprimis pono necessariam esse legis observationem perfectam illi, qui salutem ex debito seu ex conditione fœderis legalis sit adepturus: & addo, unicuique hoc notum esse ex ipsa natura: subjungo, neminem esse qui non convictus sit in conscientia sua legis violatæ; aut si sit talis, illum officium non facere in examinando seipso; quo ipso merito incurrit offensam Numinis, & ex illa excidium: præsertim quum talis incuria & negligentia sui probandi non cadat in illum, qui serio de vita sua juxta Dei voluntatem instituenda cogitat, sine quo nulli salus obtingere potest, ne quidem in statu gratiæ. Hinc sequitur impossibilitas salutem obtinendi per legem, & simul illius impossibilitatis cognitio. Notandum, quod illa axiomata non modo vera sint, sed & nota communiter omnibus, imo universe omnibus, qui de officio suo, de lege Dei, de salute, de justitia Dei & judicio exacto illius unquam cogitarunt. Ex hisce infero, absolutam esse necessitatem misericordiæ Dei remittentis peccata ad salutem obtinendam. Unde sequitur ex voluntate Dei necessitas agnoscendi necessitatem misericordiæ ipsius. Vult enim Deus, & æquum est ut hoc velit, ne quis salutem adipiscatur per misericordiam Dei, nisi agnoscat illius necessitatem. Imo ex præcedentibus apparet, neminem esse qui etiam hanc misericordiæ necessitatem non agnoscat ad salutem consequendam; aut saltem agnoscere potuerit ex illa notitia quæ omnibus hominibus est agnata vel infusa. Addamus hisce necessitatem interventus Christi ex voluntate Dei, sive ut pacificatoris, sive ut annuntiatoris & confirmatoris, sive denique ut datoris vitæ æternæ; de quo hic controversia non est. Certum enim arbitror ex Scripturis, neminem hominum vitam æternam adepturum nisi mediante Christo. Loca non adfero, sunt enim quam plurima & omnibus obvia. Hisce præmissis, ad quæstionem de necessitate fidei in Christum veniendum; quæ aut solo decreto Dei nititur, volentis ut quemadmodum nemo sine interventu Christi salvabitur, sic ab omnibus per illum salvandis iste honor illi habeatur, qui constat fide in illum tanquam salvatorem: non aliter quam antea vidimus in necessitate misericordiæ Dei, & ejus necessitatis cognitione. Vel nititur insuper necessario respectu inter Christi & misericordiæ Dei agnitionem, utpote de qua nemo certus esse possit, nisi in Christo & per fidem in eundem. Multa arbitror esse loca in Scripturis, quæ faciunt ad hanc & illam necessitatis fidei in Christum rationem comprobandum. Ad illam. *Hæc est vita æterna. Qui credit in Filium habet vitam, qui non credit condemnatus est.* &, *Hæc est voluntas Patris*, &c. Ad hanc. *Habentes Pontificem magnum. Quum habeamus libertatem ingrediendi in sacrarium. Qui per eum creditis Deo, qui excitavit eum ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac spes vestra in Deo esset.* Usque adeo autem plana sunt Scripturarum loca, quæ Christi notitiam & fidem ad salutem necessariam dicunt, ut illi etiam, qui apud nos salutem extendunt ad omnes nationes, illa negare non possint, sed conentur interpretatione aliqua ad sensum suum trahere, dicentes, quum Christus sit Dei sapientia & potentia, omnes Christum nosse quibus nota est sapientia & potentia Dei; ut hac ratione necessitatem tollant cognitionis Christi, quam historicam adpellant. Cui fini mihi aliquando hæ quæstiones à quodam non infimo inter illos scripto propositæ fuerunt. 1. *Of de almachtigheyt Godes niet en vermagh yemant salig-*

Ep. 71.

Psal. 130. 3. & Psalm. 143. 2.

In Euang. & Epistola Joan. &c. Hebr. 4. 14. 15. 16. Heb. 10. 19. 20. 21. 22. 23. 1 Pet. 1. 21

Rom. 4. 4, 5.

Rom. 1. 20. Rom. 2. 15.

Rom. 8. 3. Rom. 1. 32.

Ep. 71. *ſaligheyt te vergunnen ofte geven, buyten de ſtoriale kenniſſe van Chriſtus paſſie? 2. Of Chriſtus niet en is de wijſheyt Godes, ende ſoo wie Godes wijſheyt geniet ende kent, dat die Chriſtus kent ende geniet, ende volgens door heen ſaligh wort? 3. Of Godt (in onſe begrijp niet anders zijnde als wijſheyt, goetheyt ende macht) niet gelieft wort van alle de gene, die ware wijſheyt, goetheyt ende macht lief hebben, ende na al haer vermogen na trachten? 4. Of de gene die ware wijſheyt, goetheyt ende macht lief hebben buyten ſtoriale kenniſſe, onſaliger zijn, als die ſtoriale kenniſſe hebben, ende de lieſde Godes onmogelijk houden, ende geneyght zijn Godt ende haren naeſten te haten?* hoc eſt: 1. An Deo per omnipotentiam ſuam non liceat alicui ſalutem dare extra Chriſti paſſionis cognitionem hiſtorialem? 2. An Chriſtus non ſit ſapientia Dei, & ſi quis Dei ſapientia fruatur & cognoſcat eam, non etiam Chriſtum cognoſcat eoque fruatur, ac proinde per eum ſervetur? 3. An Deus (quem nos non alium concipimus quam ſapientem, bonum & potentem) non ametur ab omnibus, qui veram ſapientiam, bonitatem & potentiam amore proſequuntur? 4. An illi qui veram ſapientiam, bonitatem & potentiam amant extra hiſtorialem cognitionem, infaeliciores ſint iis, qui hiſtorialem cognitionem habent, amorem Dei impoſſibilem ducunt, & propenſi ſunt ad odium Dei & proximi? Quibus ego reſpondi per quæſtiones alias nihil affirmans, ne occaſionem darem offendiculi aut contentionum. Verum omiſſo eo quod illi concedunt vel negant, ad rem redeamus. Videtur tamen iniquum eſſe, ut ab illis fides in Chriſtum poſtuletur, qui de illo non audierunt. Quomodo enim credent in illum de quo non audierunt? & pleraque pars orbis habitabilis deſtituitur auditu verbi quod eſt de Chriſto. Quare veriſimile eſt, loca illa Scripturæ intelligenda eſſe de iis, qui audiverunt & non crediderunt: quod etiam ex nonnullis aliis locis colligi poſſe videtur. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*, ſcilicet incredulitatis; *nunc vero non habent quod pretexant peccato ſuo*, &c. Hic ſiſtamus pauliſper, & videamus quid ad hoc objectamentum reſponderi poſſit. Ego adferam quæ pro tempore & occaſione poſſum, & imprimis abſurdum aliud iſti abſurdo opponam. Si homines ſine fide in Chriſtum ſalutem obtinere poſſunt, tum non videtur Deus magnum beneficium præſtitiſſe illis quibus Filium ſuum annuntiari juſſit; imo potius, quum annuntiationi junctum ſit mandatum credendi in illum, ſancitum pœna condemnationis niſi credatur in illum, adeoque duplex illos pœna maneat, tum tranſgreſſionis legis à qua liberari poterant per fidem in Chriſtum, tum incredulitatis; videtur Deus gravius quid impoſuiſſe illis, quibus verbum mittit Euangelii, quam aliis; præſertim quum tanta ſit credendi difficultas ſermoni crucis, qui offendiculum eſt Judæis, & Gentibus ſtultitia, & tanta facilitas credendi miſericordiæ divinæ neceſſitatem, ad eamque confugiendi, ſiquidem per illam fidem remiſſio peccatorum impetrari poſſit, & ſine fide in Chriſtum credi in miſericordiam Dei. Verùm ita non ſolvitur difficultas iſta per oppoſitam difficultatem alteram; itaque illi difficultati objectæ obviandum. Quod ut commode fieri poſſit, proponenda eſt ut debet, ne non neceſſaria admiſceantur. Varie enim proponi poteſt. Aut hoc pacto. An Deus jure poſtulet fidem ab iis, quibus verbum fidei non mittit, ſub pœna condemnationis propter incredulitatem, ſi non credant? Vel hoc pacto. An Deus ſalutem, non niſi per remiſſionem peccatorum impetrandam, alligare poſſit conditioni fidei in Chriſtum, & potiſſimam orbis partem deſtituere verbo fidei, inſtrumento ad fidem ingenerandam neceſſario? Ad priore modo propoſitam quæſtionem reſpondebitur, Deum id jure non poſſe ſub pœna incredulitatis ſi non credant, ſi verbum illis non mittat, niſi illi verbum prædicatum rejecerint olim, vel niſi cauſſa ſint cur Deus illis verbum iſtud non mittat. Ad poſteriore modo propoſitam reſponderi poteſt. Si Deus totum mundum juſte ſub peccato concluſit, integrum illi & liberum eſſe talem proponere conditionem impetrandæ remiſſionis qualem vult; eamque patefacere quibus viſum eſt, & non patefacere quibus non vult. Verum neuter iſte modus propoſitæ quæſtionis mihi ſatis placet, quia videtur quæſtioni hypotheſis ſtatus hominum iſtorum præſupponenda, quod factum non eſt. Alia enim eſt ratio illorum, qui ipſi per ſe in propriis perſonis legem quam poterant præſtare tranſgreſſi ſunt; alia eorum, qui in primo parente legem tranſgreſſi ſunt, & eo ipſo condemnationis rei facti ſunt, & impotentes legi porro præſtandæ; qualis dicitur eſſe ſtatus omnium illorum, qui ab Adamo ſecundum naturalem propagationem deſcenderunt. Itaque juxta hanc hypotheſin quæſtio eſt proponenda, tum de facto Dei, tum de jure illius. De facto: An Deus ab omnibus hominibus qui in Adamo peccarunt, fidem poſtulet in Chriſtum, ſub pœna retentionis peccatorum contra legem perpetratorum, & incredulitatis ſi non credant, quamquam nonnullis, imo & potiſſimæ illorum parti, verbum fidei in propriis illorum perſonis non mittat? Et ſi faciat, An juſte faciat in illo? Et quæ juſtitiæ illius ratio reddi poſſit? Ad primum de facto reſpondendum arbitror, ita rem habere, ſive ſit fides in Chriſtum venturum, ſub conceptu promiſſi à Deo ſeminis, ſive in Chriſtum qui venit. Scripturæ enim loca plurima id videntur ſatis manifeſte probare, & rationes quamplurimæ ſunt ex Scripturis deductæ, quibus eadem veritas adſtruitur. Neque puto quidpiam adferri poſſe in contrarium, præter hoc, quod in ſecunda

Joan. 15. 22. 24.

quæ-

Ep. 71. quæſtione pertractandum eſt, nempe Deum id juſte facere non poſſe, itaque non facere. At vero præſtaret ita argumentari; Deus id facit, ergo juſtum eſt, etiamſi nobis ratio juſtitiæ ipſius in illo facto ſit obſcura & occulta. Verum, quia opinio iſta injuſtitiæ impedit, quominus hoc pro vero accipiatur à multis, videndum an & hic aliquid dici poſſit, quod ſatisfacit arbitrantibus Deum id juſte facere non poſſe. Duæ rationes allatæ ſunt ab aliis iſtius juſtitiæ: una eſt, quod illi, quibus non offertur verbum in propriis ipſorum perſonis, id ipſum aliquando in parentibus ſuis vel avis & majoribus rejecerunt; altera, quod etiamnum illi ipſi cauſa ſint, quominus verbum ipſis offeratur; eo quod non faciunt ad gratiam Dei promerendam, vel impetrandam potius, quod facere potuerunt iis adjuti auxiliis, quibus non ſunt deſtituti, ſed quæ ſingulis hominibus ad annos diſcretionis uſque viventibus adſunt, ſaltem aliquo tempore. Prima ratio illis ſatisfacere debet, qui arbitrantur & credunt propter Adami lapſum omnes reos eſſe. Sed in altera, ſiquidem illa comprobari poſſet, plus eſſet momenti ad perſuadendum; de illa itaque videamus, juxta ordinem rerum quas conſideravimus initio hujus epiſtolæ. 1. Omnes homines qui ad annos diſcretionis pervenerunt, debent & poſſunt habere conſcientiam peccatorum ſuorum, & ſcire ſe eſſe peccatores ex lege ipſis innata. 2. Omnes homines debent & poſſunt agnoſcere neceſſitatem miſericordiæ Dei ad ſalutem obtinendam. 3. Omnes homines convicti de peccatis ſuis & de neceſſitate miſericordiæ divinæ ad ſalutem, debent & poſſunt per auxilium Dei, quod illis præſto eſt ita convictis, dolere de peccatis ſuis & miſericordiam Dei implorare & ambire. 4. Omnibus hominibus ita dolentibus de peccatis, & miſericordiam Dei ambientibus, paratus eſt Deus ſubvenire, eaque præſtare quæ neceſſaria ſunt ad obtinendam miſericordiam. 5. Neceſſaria eſt autem fides in Mediatorem, ex præſuppoſitione noſtra, ad impetrandam miſericordiam: ergo Deus paratus eſt mittere ad illos verbum fidei, ut per illud vi Spiritus ſancti verbo utentis fidem concipere poſſint. Si hæc quinque themata vera ſint, tum arbitror difficultatem ſublatam eſſe, nihil enim video quod ulterius deſiderari poſſit. Nam ſi ſint qui peccata non agnoſcunt, neque miſericordiæ neceſſitatem, neque de illis dolent, & hanc impetrare conantur; illi ſane juſtiſſime deſeruntur in ſtatu ſuo, ex quo exire quantum poſſunt non moliuntur. Itaque tantum laborandum in commonſtranda veritate iſtorum thematum. Duo priora ante comprobavimus: tertium verum eſt ex natura ipſa rerum. Nam illa convictio, de peccatis & neceſſitate miſericordiæ Dei, proximum finem habet dolorem ob peccata, & miſericordiæ implorationem; nihil autem eſt quod non poteſt aſſequi proprium & adæquatum finem propter defectum Dei nolentis auxilium præſtare neceſſarium. Secus enim fruſtranea eſſet iſta convictio: at fruſtranea non eſt per culpam Dei: ſi fruſtranea eſt, hoc fit hominum vitio convictione illa non utentium, ut decet. Videatur ulus legis in Scriptura, an non ille ſit dolorem parere ob peccata quæ monſtravit, & compellere ad miſericordiam quærendam? ut ægroti medicum quærant facit agnitio morbi, & dolor propter eundem. Conſideretur cur Deus in homine voluerit eſſe reliquam notitiam legis, qua convinci poſſet de peccato, ut laborans confugere cogeretur ad miſericordiam opitulatoris. Apoſtoli ſcientes non juſtificari ex operibus, in Chriſtum crediderunt, utpote ſine quo miſericordiam conſequi non poterant ad juſtificationem neceſſariam. Hinc lex pædagogus ad Chriſtum, ſed prius ad miſericordiam Dei, hinc ad Chriſtum, per quem miſericordiæ participes fimus. Ne quis vero hic Pelagianiſmi nos inſimulet, ubique jungimus Spiritus gratiam excitantem & adjuvantem legi munere ſuo fungenti, imo ipſa lege utentem, & per eam de peccato convincentem, dolore afficientem, ad miſericordiam quærendam impellentem. Verum & alias probabo latius, jam ſufficit monſtraſſe. Quartum thema omnino mihi probatione indigere non videtur. Eſt enim certum ex natura Dei, ex multis locis Scripturæ, ab ipſa experientia; unde & quintum ſequitur. Verum quia jam occaſio eſt mittendi per Felicem Gallum ſtudioſum, qui heſterno veſpere me monuit de ſua ad caſtra profectione, abrumpo, ne illi in mora ſim: tu interea hæc non meditata ſatis nec limata æqui conſules, uſque dum aliquid accuratius de illa quæſtione dabitur meditari. Adfuit mihi hiſce diebus D. Helmichius, & egit mecum de neceſſitate & contingentia, de qua ego in lectionibus, & in diſputatione de primo hominis peccato egeram. Ille ſuſtinebat diverſo reſpectu multa eſſe contingentia & neceſſaria; ego negabam, ſcilicet neceſſaria abſolute, aut reſpectu cauſæ antecedentis, quam appellant neceſſitatem conſequentis. Non contenſimus, ſed diſceſſimus utrique in ſententia perſiſtentes, ita tamen ut ille fateretur diſputationem illam non eſſe de neceſſitate fidei, neque hæreſin eſſe poſſe in altera ſententia: ego urgebam pro gloria Dei facere, ſi nihil præter illum neceſſarium dicatur, & ſi ille contingentia etiam qua talia præſcire dicatur, ſimulque per contingentes eventus & liberas cauſas exſequi quæ ſtatuit. Utebatur hiſce dictis. Verbum Dei ſtat. Verbum Dei irritum fieri non poteſt. Conſilium Dei impletur. Verba Dei non peribunt, &c. ergo, inferebat, quod Deus decrevit, neceſſario fieri debet. Ego conſequentiam negabam, propterea quod Dei decretum ſtat, ſi quod decrevit fiat, etiamſi non neceſſario fiat. Imo ſi decrevit Ep. 72.

Ep. 72. ut contingenter fiat aliquid, non fieri decretum Dei, si id necessario fiat respectu decreti. Sed non possum prolixe narrare quibus utrinque argumentis usi simus. Si quid scire velis ea de re, Felix tibi narrare poterit, non quid mihi cum Helmichio actum sit, sed quid agatur. Sunt qui aegre ferunt, me dixisse nullam esse absolutam in rebus, praeter Deum, necessitatem, imo ne ignem quidem urere necessario: sed necessitatem quae in rebus est seu eventibus, nihil aliud esse quam relationem causae ad effectum, & quidem, quando causa actionem suam suspendere non potest, & objectum non potest impedire quominus causa ista in se agat secundum efficacitatem ipsius causae; sic ignis non potest suspendere ustionem, si admota sit materia; neque materia ustibilis resistere ignis actioni: sic est relatio mediorum ad finem; ut Christus debuit pati ut intraret in gloriam Patris, quia Deus decrevit ut non nisi per passiones in gloriam intraret. D. Trelcatius edidit Theologiam suam, de qua aliquando conferemus, si Deus volet. Scio praeproperam istam editionem non placere quibus obtulit & dedicavit librum, sed hoc tibi habe. Et sane res illa majoris est momenti, quam ut tam breviter & leviter transigatur. Ancilla mea convaluit Dei beneficio; de filii brachio bona spes est; die Jovis praeterito intelleximus repositum esse quod luxatum erat & dislocatum. Faxit Deus ut porro convalescat. Nos interea utcunque valemus inter multa funera. Deus nostri misereatur, quem etiam oro ut te exercitumque nostrum conservet incolumem, & brevi victoria potiri concedat. Vale mi anime, & me, quod facis, ama, Deumque pro nobis ora. 17 Augusti 1604.

Citra exemplum, quia non est otium, neque digna sunt quae describantur, tu tamen asservabis, si placet, ut aliquando recolamus.

LXXII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

De necessitate & contingentia.

AMicissime mi, accepi gratissimas literas tuas cum exemplari Epistolae Lypsianae, quod commonstravi iis quos volebas, & aliis quibus putavi ostendendum. Ad tuas autem ita habe. De iniquo collegarum Theologorum in me animo hactenus nihil intellexi, nullum ejus indicium datum neque publice, neque privatim, quod ad meam venerit notitiam; at ita fit plerumque, ut quem negotium concernit, maxime serius in ejus veniat cognitionem. Sed de eo magnopere solicitus non sum, modo ipse iniquum nihil patrem & me indignum. Cavebunt sibi puto ne quid moliantur, neque eousque vehementiae & confidentiae concedent. Si tamen fecerint, non deerunt defensionis justissima argumenta. Ego quod verum esse arbitror ingenue & modeste propono, semper paratus cedere veriora commonstrantibus: quod & publice & privatim profiteor. Sed multi eo sunt animo, ut nosse nolint quae hucusque ignorârunt, ne mutare cogantur quae publice professi, aut contra conscientiam retinere. Quae de necessitate & contingentia cum Helmichio disceptavi, aliunde nosse potuisset, ex scriptis Scholasticorum priscorum & modernorum, siquidem illi tanti essent quos legere vellent nostri. De necessitatis autem & infallibilitatis discrimine pauca dicam, quia petis. Scio necessitatem aliquam dici infallibilitatis, at accuratè minus. Nam necessitas est affectus rei necessario eventurae, & infallibilitas est affectus mentis certo praescientis; quod ipsa vocis significatio evincit; infallibile enim est quod falli nequit, hoc est decipi; id non potest nisi mens capax scientiae & ignorantiae, veritatis & erroris. Per metalepsin itaque quod mentis est praenoscentis rei praescitae tribuitur, quasi illa necessario eveniat, propterea quod infallibiliter praesciatur à mente divinâ. Tam autem infallibiliter Deus praescit quae contingenter sunt eventura, quam quae necessario; praescientia enim non nititur causa immutabili existentiae rei, sed infinitate scientiae divinae. Et quae sapientiae divinae laus, si ideo praesciat res futuras, quia statuit ipse immutabiliter eas producere ea potentia, cui resistere nequeant creaturae? Quotiescunque itaque dicitur res eventura infallibiliter vel certo, metaleptica est oratio; & altera accidit metalepsis, quando quod infallibiliter futurum dicitur, necessario fieri dicitur. Et propterea licet in Scriptura quandoque vox, *oportet*, usurpetur, tamen illa commode explicanda, ne impingat in id quod alibi Scriptura negat. Exempli causa. Oportet impleri quod praedictum est. Anne praedictio causa est necessitatis complementi? an potius argumentum quo consequentia complementi comprobatur? ut si quis dubitet an futurum sit, probet quis, futurum, quia à Deo sit praenunciatum: ut hoc *oportet*, non ipsam rei necessariam futuritionem significet, sed consequentiam & sequelam necessariam probationis: & non necessitatem consequentis, sed consequentiae, generans in mente certitudinem praecognitionis, non rei adferens necessitatem existentiae. Oportuit Christum pati, attamen potuit rogare Patrem, &c. Verum ego non tantopere contendo de iis quae Dei decreto efficiuntur & producuntur bona, quam de malis & peccatis quae necessario propter decretum Dei fieri debere dicuntur. At putas magnum discrimen non esse, sive quis dicat aliquid necessario fieri propter decretum, vel contingenter; cum utrobique decretum sit existentiae rerum causa, atque ita ut non possit non existere res propter immutabile decretum. Sane sic discrimen nullum est, & tum tolletur omnis contingentia, si res non possit non

Ep. 72. non exiſtere. Quum autem Deus decrevit, ut aliquid fiat contingenter, tum decretum non eſt ut fiat, niſi per præſcientiam, fore ut illæ cauſæ liberæ & contingentes ita operentur citra neceſſitatem ullam impoſitam ipſis à decreto. Ut vero de neceſſitate & contingentia ipſa paucis agam, ita habe. Neceſſitas & contingentia totam entis amplitudinem dividunt, adeo ut quidquid eſt, neceſſarium ſit vel contingens, non minus quam ſimplicitas & compoſitio, quam infinitas & finitas. Quare non magis in idem ſubjectum coincidere poſſunt neceſſitas & contingentia, quam ſimplicitas & compoſitio, infinitas & finitas. Differunt enim integris eſſentiis, non reſpectibus. Et quemadmodum ad Dei gloriam facit, quod ſolus eſt ſimplex & infinitus, reliqua omnia ab illo compoſita & per illum finita; ita quoque quod ille ſolus ſit ens neceſſarium, reliqua contingentia. Inſpiciantur definitiones utriuſque, & res evadet planiſſima. Neceſſarium eſt, quod non poteſt non eſſe; contingens, quod poteſt non eſſe. Quomodo autem poteſt de una eademque re ſeu eventu utrumque dici, quamquam diverſo reſpectu? An non hoc eſt notiſſimum, nullum reſpectum rei competere ſeu in rem cadere, qui ſit contrarius ipſi rei definitioni? Ajunt, contingens eſt reſpectu cauſarum ſecundarum, neceſſarium primæ reſpectu & decreti divini. At interea eſt unus idemque eventus, qui conſiderandus eſt in ſua integritate reſpectu omnium cauſarum junctarum, quæ ſimul ſunt totalis cauſa; & tum ſi ex iſtis junctis neceſſario exiſtat, neceſſarius eſt: ſi contingenter, contingens. Abſurde & imperite effectus diſcerpitur iſto modo. Adde quod ipſum decretum Dei ſit cauſa libera & contingens, non neceſſario agens; nihil enim Deus extra ſe agit neceſſario. Deus ſtatuit mundum creare, & mundus contingenter creatus eſt libera Dei voluntate, potuitque non creari. At quum Deus decreverit, non poteſt non decreviſſe: ita eſt, quia quod factum eſt, infectum fieri nequit. Imo cum decrevit, non poteſt non exſequi: ita eſt, quia immutabilis eſt in decretis ſuis Deus: at eadem libertate exſequitur qua decrevit Deus, & eo modo exſequitur quo decrevit exſequi. Eſt tamen neceſſitas aliqua in creaturis, ſed non abſoluta, verum relata, quæ eſt in habitudine cauſæ ad effectum; nempe quum cauſæ illa eſt natura, ut actionem ſuam adhibito objecto ſeu materia ſuſpendere non poſſit, & illud objecti ſeu materiæ ingenium ut reſiſtere non poſſit efficacitati ſeu efficientiæ cauſæ. Illa eſt neceſſitas inter ignem & uſtionem. Verum, quod abſoluta non ſit, adparet ex hiſtoria trium puerorum in fornace Babylonis. Sic à decreto Dei eſt neceſſaria relatio inter finem & media, quum tamen neutra ſint abſolute neceſſaria. Sic neceſſarium eſt ut homo credat in Chriſtum, ſi velit ſalutem conſequi; at neque ut credat, neque ut ſalvetur, abſolute neceſſarium. At Deus decrevit illi dare ſalutem & fidem: Ergo neceſſario habebit utramque. Negatur conſequentia: decrevit enim illa dare libere Deus, & per tales actiones quibus reſiſtere poteſt homo, quamquam non reſtiturus ſit actu, & Deus nôrit non reſtiturum. Et hæc eſt Auguſtini prædeſtinatio, de qua jam non dico: tantum adverſus neceſſitatem pugno, quæ non poteſt eſſe niſi à phyſica determinatione, quæ tollit libertatem hominis, & propterea illum à peccato excuſat, utpote quod fiat inevitabile, & Deum peccati culpæ involvat, quidquid tandem dicatur. Eſt itaque maxima neceſſitas & evidens utilitas iſtius doctrinæ, ſecundum quam Deo ſoli tribuitur quod ſit purus actus ſine potentia, & ſolus ens neceſſarium; deinde & homini conſervatur ſua libertas, eique culpa transſcribitur peccati, & Deus à culpa plane eximitur. Quod omnino fieri nequit, ſi decreti reſpectu neceſſario peccaſſe dicatur homo. Omnis enim neceſſitas antecedens liberat à culpa creaturam; at quæ eſt à decreto eſt antecedens. Futilia ſunt & indigna quæ viros doctos moveant, effugia horſum uſurpari ſolita. Fatebitur Helmichius nullam eſſe hæreſin in iſta mea doctrina: at ego dico in Helmichii & aliorum doctrina non unam eſſe hæreſim, & non exiguam, ſed fundamentalem, Deo peccatum adſcribentem, & homini libertatem adimentem, ſine qua hominem juſte damnare non poteſt. Et recta eſt conſequentia, quam aliquando Cornelius Wiggeri uſurpavit; Si peccata fiunt Deo decernente & neceſſario, nullum futurum judicium; quia id juſtum eſſe debet: at juſtum eſſe non poteſt illo poſito. Quod non modo Cornelius Wiggeri, ſed tota Patrum & Scholaſticorum univerſitas credidit & credit. Quare & hi adverſus illam doctrinam pugnant, tanquam adverſus hæreticiſſimam. At noſtri illam putant præſterni poſtmodum inædificandæ hæreſi; quia contingentia introducit libertatem arbitrii. Imo potius libertas arbitrii contingentiam ponit; illa enim eſt in cauſa efficiente, & modus eſt efficientiæ; iſta in effecto, & modus exiſtentiæ. Verum quid hoc ad libertatem arbitrii, quæ à peccato dicitur & ejus dominio? Toto genere iſta differunt; illa enim eſt naturalis, & tam ante peccatum quam in peccato & ſub gratia obtinet; hæc non niſi ante peccatum, & ſub gratia. Et ego Helmichio obtuli collationem de omnibus articulis Chriſtianæ religionis, & tota doctrina Theologica, ne quid ſubeſſe arbitretur. At caveant ſibi ſi ſapiant. Nam meam proponendo illorum confutare conarer; & quam id facile qui illam recte percepit! Nihil aliud neceſſe erit, quam proponere proceſſum quem illi obtinere putant in ſalvando & damnando, & abunde erit confutata tota doctrina. Quæ enim adferuntur ad excuſandum, talia ſunt, quæ à nemine capiuntur:

Ep. 72. imo neque ipſi intelligunt qui proferunt; quod adparet ex loquendi formulis quas uſurpant. Introducitur Stoicum fatum & abſoluta rerum neceſſitas, & quod Manicheiſmo pejus eſt, bono Deo cauſa mali adſcribitur; quod cum vitare vellent illi, neque poſſent, propter imperitiam, ſecundum Deum tenebrarum finxerunt: tolerabiliore errore, meo judicio. Ego quæ ad excuſandum adferuntur, non majoris facio, quam quæ Pontificii, ut excuſent ἀρτολατρείαν (*religioſum panis cultum*) ſuam; minus enim ſpecioſa ſunt quam hæc; quod fateberis ipſe ſi conferas effugia. Quamquam autem digna ſint quæ explodantur, ego tamen moderate cauſam meam ago, nulli præjudicans, nullius ſententiam exagitans, id unum petens, ut quæ adfero diligenter examinentur & excutiantur. Quamquam non video quid contradicere queant, ſi neceſſitatem ex decreto & præſcientia, quam hypothericam vocant, infallibilitatis tantum eſſe dicant; tum conſentimus in re, ſi res rectè intelligatur; illa enim eſt neceſſitas à poſteriori, præſcientia enim definita eſt re ipſâ & eventu poſterior. Trelcatius in Theologia ſua quam hiſce diebus edidit, in loco de providentia rem ita videtur intelligere. Verba ſunt fol. 42. communicabimus de illo loco & toto ſcripto ubi redieris cum bono Deo: ſiquidem illi videbitur mihi vitam prorogare. Ego interea pergam in propoſito inquirendæ & patefaciendæ veritatis citra contentionem & acerbitatem, ut huc uſque feci, promtus audire & reddere rationes. De Synodo cogitabo ſerio, ut in adventum tuum paratus ſim, ad collationem ea de re tecum ineundam. Cum Borrio communicabo: at ille nondum venit; ſperamus propediem adfuturum: quamquam de tempore præciſe non conſtet. Quæ de Dontekiockio narras, gratiſſima ſunt; ſpero & alios futuros qui ſe mitiores præbeant ſententiis noſtris. De A. A. vehementia ego multos conqueri audio, & metuo ne ille turbas det majores. Utinam uterque miniſterium deponere vel jubeatur, vel ſuadeatur, in iſta urbe, ut illi pax ſit. C. H. procul dubio proſpicerent facile, qui cauſam illius probant. Alter non magnopere affectat eſſe miniſter, mallet rectorem agere: conquirat ille ſibi functionem. Sed metuo ut illam viam ineant, ſine qua tamen pax Eccleſiæ iſti eſſe non poteſt, meo judicio. Librum Socini, ſub titulo Dominici Lopez, non vidi: ſi poſſim, conabor ut habeam & legam. Alterum de Salvatore legi, & relegam (ita enim poſtulat ſcripti ratio) antequam judicium tranſcribam. Quod Fælix arbitrabatur aliquid mihi publice edendum, hoc potius ex deſiderio, quam certo judicio, proloquitur. Ego quidem ſæpe eâ de re cogito: ſed, ut verum dicam, tam multarum rerum inſcius ſum, ut vix audeam quid meum publico committere; non tam quod judicia verear, quæ liberrima ſunt hodie, & minime candida: quam quod metuo ne mihi res non ſatis ſint perſpectæ & cognitæ, de quibus agendum erit. Corpus doctrinæ ut evulgem, non poſſum; quia id operæ difficillimæ omnium. Autus id eſt Trelcatius; ſed forte aliquando pœnitebit, ubi videbit quam plurima minus bene & minus vere dicta eſſe: quod procul dubio videbit, ſi Scripturam accuratius leget & meditabitur. Ego illi multa poſſem commonſtrare, ſiquidem ſcirem ferre poſſe monitorem. At differam, uſque dum tu adveneris, ut ſimul diſpiciamus. Quæ de Gommaro ſcripſeras, non attigi, quia nihil erat quod reſponſum poſtularet. Quia perſtas in propoſito, quo vis non prælegi tua, in eo tibi morem geram; quamquam & ego perſtem in judicio meo, quo arbitratus ſum indignum ut tu id petas. Non puto ullam te dediſſe occaſionem in literis tuis ad me, quâ quis ignorantiam aut negligentiam tibi objicere poſſet: neque factum arbitror: ſi reſciſcam, non impune fecerint, ſi qui ex collegis meis fecerint: monebo enim, & graviter increpabo, ut decet. Aldegondii liber ſub prælo eſt, & me conſentiente, quia urgebat vehementer vidua filii, quæ apud nos eſt: & putavi, quamquam non ſit primo ſimilis, eo quod ultimam manum autoris non ſenſit, tamen exire poſſe cum præfatione, quâ excuſetur impreſſio, & ejus ratio reddatur: ſunt enim multa digna quæ legantur, & habebunt procul dubio ſuum uſum. Scripſeram ad te de defectibus, quos apud ſe eſſe dicebat Caſenbrotius, ſecretarius comitis Ludovici; at tu nihil reſpondes: ſi habeat, urgendus eſt ut ad nos mittat: ſi non habeat, nihilominus edi poteſt ſcriptum eo modo quem tu adſcripſiſti in margine, ſi titulus tantum mutetur; tum defectus non erit, aut non adparebit ſaltem. Quam multa exeunt hodie minus compta, minus docta? Judicant alii mecum fas eſſe ut exeat: tu itaque aſſentire etiam, & reſcribe ad iſtas literas, quas eâ de re ad te miſi; aut ſignifica te non accepiſſe, tum argumentum earum reiterabo. De Magn. noſtro quod ſcribis, doleo vehementer & iſtic innotuiſſe: datur tamen opera ut ille moneatur, corrigatur, & ſcandalo occurratur aliquô modô, quantum permittit hujus Eccleſiæ ratio, & illius dignitas: puto in poſterum abſtenturum: vehementer perculſus eſt ſeria actione quæ in illum inſtitui cœpta eſt; cedet, ut ſpero, iſtud peccatum in ipſius animæ ſalutem. Ep. 72.

Vale mi anime cum bono, cui te tuaque omnia & totum exercitum commendo: Deus porro vobis benedicat & Oſtendam liberet, cujus ego ſpem non abjicio, ea ipſâ de cauſa, quod numero militum non pollemus, & hoſtium vires noſtras vel duplum exuperent. Dei opus eſt quod effectum eſt in occupatione Sluſæ, ille proſequetur ſpero, & ut faciat ardentibus votis opto. Ego cum familia huc uſque bene habeo, Deus porro noſtri miſereatur,

cui

Ep. 73. cui fini etiam tuas preces pro nobis flagito ardentiſſimas. Vale iterum, & me, quod facis, ama. 3 Kalend. Septembris 1604.

LXXIII.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

CLariſſime Vir, quum hi diſcipuli mei declararent in animo ſibi eſſe aliquantiſper veſtram ſcholam viſere, vel tui potiſſimum audiendi cauſſa, & ſimul commendatitias ad te peterent; Ego illorum petitioni deeſſe nolui, probi enim ſunt & honeſti; ille pædagogus, diſcipulus iſte miri ingenii & progreſſus ſupra ætatem, præſertim in Philoſophicis. Velim itaque ut tua officia, quantum feret æquitas, ipſis deeſſe non patiaris. Intelligo acrius apud vos de voce Jehova & Elohim diſceptari, & quidem nova nomina confingi, dum Jehoviſtæ & Elohiſtæ appellantur nonnulli: non arbitror tibi iſta placere, quare velim ut authoritate tua iſtis obviam eas. Satis enim diſſentionum eſt in orbe Chriſtiano. Sat multis conflictatur & affligitur contentionibus Eccleſia Chriſti. Demus operam ſopiendis iis & minuendis, quantum in nobis. Si quid ſcire arbitremur aliis ignotum, juſtis rationibus adſtructum proponamus publico judicandum, probandum, improbandum cum omni manſuetudine & lenitate. Ignoſce liberiori ſcriptioni, quam ideo inſtituo, ut abs te intelligam, quid rei ſit & unde cauſa mali. De familia etiam tua nonnulla feruntur minus jucunda auditu. Dominus illam tibi integram & illæſam conſervet. Sunt qui cum dolore & commiſeratione de illa loquuntur, at quid illi acciderit mali non enuntiant apertè: unde mihi ſuſpitio, quam abs te eximi velim, ſiquidem juſta petere exiſtimes. Non ſum curioſus inquiſitor rerum alienarum: at doleo quum iſta audio ab iis, qui norunt quantum inter nos ſit amicitiæ vinculum. Unde etiam arbitrari mihi licet, quorſum iſtæ narrationes tendant, ſiquidem bono animo fiunt, nempe ut ego pro virili occurram, qua monendo, qua precando, ne per te gliſcant diſſidia inter illos, quos fas eſt eſſe quam conjunctiſſimos. Niſi animum tuum erga me noſſem, & ſcirem perſpectum tibi eſſe animi candorem mei, tanta apud te libertate non uterer. Vale Vir Clariſſime cum bono Deo, cui te tuaque omnia commendo obnixiſſime: & me, quod facis, ama te colentem unice. Lugduni Batav. 11. Sept. CIↃ IↃC IV.

LXXIV.

JOANNI UYTENBOGARDO JACOBUS ARMINIUS,

Gratia Jeſu Chriſti.

AMiciſſime mi, gratiſſimas tuas literas heſterno veſpere accepi, quibus lectis & ipſe miratus ſum quod de Gommari ab ædibus ſuis abſentia ea de cauſa, quæ nobis nota erat, non cogitaverimus: at nihil noxæ illatum negotio, cui peragendo te arbitrum ſtatuo pleno jure & poteſtate. At non remittit morbus meus, ſed ingraveſcit; ſtatutum mihi ex conſilio D. Pavii ſerio illi medicinam adhibere, quod hactenus illum minoris faciens feci obiter, & ſine cura. Hanc integram hebdomadam, quocumque modo res cadat, domi deſidere ſtatui, & non exire niſi priſtinum robur acquiſiverim; poterit tamen colloquium illud peragi, ſi D. Gommaro non ſit grave futurum, ut ad me accedat, qui ad ipſum accedere deberem. Interim bono ſum animo, imo optimo, tum quia tu, animus meus, ita jubes, tum quia imperat ille qui ſupra nos eſt. Scio etiam & conſcientiam teſtem habeo, nihil dixiſſe vel feciſſe quo illi cauſam offenſionis præbui. Facile etiam cum illo, etſi offenſiſſimo, redibo in gratiam, imo & cum Amſterodamenſi illo, modo porro taceat. Odiſſe quempiam fas mihi non eſt, neque diu iram ſervare, quamquam juſtam, in aliquem; ſic me docet verbo, ſpiritu & exemplo Deus ille quem Scripturæ nobis deſcribunt. Utinam ille me doceat nulla re moveri, niſi cujus culpa mihi ipſi merito adſcribi queat. Non eſt meum præſtare quod alius dicat faciatve, & ſtultus ſim ſi tantum in me juris conceſſero alicui, ut me, ubi volet, turbare poſſit. Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi. Pergam etiam in veritatis cœpta diſquiſitione, & illi immoriar, cum bono Deo: etiamſi totius mundi odium & invidiam eo nomine ſubire debeam. Non enim eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Non novum eſt hoc, veritatem rejici etiam ab iis quos minime decet, & qui minime id videri volunt. Sed valeant: & tu quoque mi anime vale, & mei memor vive, præſertim in precibus tuis apud Dominum. 1 Novemb. 1604.

LXXV.

CONRADO VORSTIO

JOHANNES ACRONIUS. S.P.

Querela de tardatis ad se scriptis.

VEllem equidem, vir Clariſſime, nos quandoque una eſſe, & de rebus Theologicis, interque eas de meo etiam Syntagmate, familiarius συμβιβάζειν (*conferre*) poſſe. Sed quando aliter Domino viſum eſt, age mutuis litterulis ſubinde, id quod coram non licet, ſarciamus. Concinnaram jam antea ſcriptum illud meum: & cum certis de cauſis coram mihi eſſent nuper compellandi DD. Ordines Friſiæ, nec fœtum illum meum, ob curas viſitationis Claſſium hujus Provinciæ, ab Illuſtriſſimo D. Proprincipe mihi demandatas, relambere liceret, feſtinanter edere ſum coactus. Verum quum ſtudii iſtius mei fructus qualeſcunque jamdiu etiam experiar, non ſane abſtraham à tabulis iſtis manum, antequam luce dignior fœtus evadat. Et hunc in finem haud illibenter tuas quoque animadverſiones & cenſuras viderem, quo cum iis, quæ ipſe in meo iſto opere deſidero, utilius conferre poſſem. Nec putabis te magis gratificari hoc quidem tempore mihi poſſe, quam ſi ſcripti iſtius mei cenſurandi laborem aliquando tibi ſumas. Scis quot quantiſque diſtringamur negotiis & occupationibus, qui in Belgio magnarum urbium Eccleſiis ſervimus, ut pauxillum ſane otii ſacris ſuperſit ſtudiis. Et fateor mihi etiam, noſtratium craſſa barbarie, & Cyclopica ingratitudine erga Miniſterium, ſic obtundi ingenium, ut torpeſcere jam pene incipiat. Nulla hic eſt cultura eruditionis, nullus honos. Regio indoctis miniſtris oppleta eſt; & ſi qui ſunt peritiores, vix quinque numero, ii ſanè pariter omnes, partim effrænata iſta ἀταξίᾳ (*ordinis perturbatione*) quæ hic inter tot Sectarum agmina regnum obtinet, ac licentioſe graſſatur; partim exactionum mole fracti animis fatiſcunt, & rubiginem contrahunt. Hæc & meum ſic mordent animum, ut niſi ſubinde in divinam vocationem, qua huc ſum pertractus, reſpicerem, nil magis in ſtudio haberem, quam hinc me rurſus ſubducere. Tanto nixu (ut de aliis taceam) ipſe cauſam Euangelii, quæ hic peſſimo loco eſt, provehere ſum conatus, ut majore non potuerim; ſed eo proh dolor! cum profectu, quem Syſipho, ſaxum illud ſuum volventi, poëtæ tribuunt. Sed quid tibi hoc theatrum ob oculos pono? Illud ſaltem commonere volui, ita nos hîc vivere, ut æger animus perpetuis his moleſtiis indies deteratur, vigorque & alacritas ingenii, ſi qua fuerit, evaneſcat. Eſt etiam hic quidam Juris Doctor, Mellæus Brunſema, excellente certe doctrina, & donis in ſua facultate præſtantiſſimis, teſtibus omnibus, qui eum hic norunt, præditus. Is ab Illuſtriſſimo D. Proprincipe noſtro per totam hanc regionem emiſſus, ut bonorum Eccleſiaſticorum rationes inquireret, & catalogum ex iis conficeret, tantam inde noſtrorum Harpyarum in ſe concitavit invidiam, ut à publico, quo hic laudabiliter fungebatur, munere ſit dejectus, âque omni ſpe occupandi novi plane excluſus, ociosam hic vitam trahat. Is per te, vir Clariſſime, operam ſuam, ſive in Schola veſtra, quæ cum ſtudioſorum frequentia jam clareſcat, decorari per illum poſſet, ſive in politia, offerri cupit Illuſtri & Generoſo veſtro D. Comiti: meque ut ſuo id abs te nomine contenderem, aliquoties rogavit. Nec difficile ei erit, ſi opus ſit, ab Illuſtriſſimo noſtro D. Proprincipe, D. Wilhelmo Naſſovio, ampliſſimum afferre teſtimonium: ac ipſe quoque, ut coram eum, priuſquam recipiatur, explorare Gen. D. Comes poſſit, profectionem ad vos ſuſcepturum ſe offert. Et ſane dignus ob eruditionem eſt, qui bono ſit loco, & promotio ejus Illuſtriſſimo noſtro D. Proprincipi, ob certas cauſas, erit grata. Quare te vehementer oro, vir Clariſſime, ut prodeſſe ejus rebus eouſque velis, quo apud vos, vel in Scholaſtica & Juridica Profeſſione, vel in politica functione, locum honeſtum habere poſſit. Eſt Eccleſiæ noſtræ membrum, & ab adoleſcentia puriori Religioni innutritus: & eum ſe haud dubie præſtabit, ut nec me commendationis, nec te collatæ in ipſum operæ, unquam poeniteat. De bello noſtro hæc feruntur: Claſſis Hiſpanica dicitur circumnavigata Scotia, ad Amaſum iter deſtinaſſe. Nec tamen adhuc certi quicquam compertum habemus. Ex Hollandia & Zelandia jam ultra quadraginta naves exploratum egreſſæ ſunt. Si ſe offerat claſſis, haud dubie ſanguinem potabit Neptunus. Quotquot in dictis provinciis ſunt naves, arreſto detineri nunciantur. Heri Princeps Mauritius totum Dordraci convocavit exercitum, quo abiturus ſit, nondum liquet. Urbs Embda cum Ordinibus agri contractum iniit, quo pacem à Comite Ennone, oblatis ultra quinque auri millionibus, poſcunt. Sed ridet & ludificat illos Comes, cui & regionis iſtius nobilitas adhæret. Hinc loci veſperi hac tranſierunt duo Conſules, cum urbis Syndico, ad accerſendum è Belgio militem, ut vi eum compellant. Et certè video patriam illam meam optimam à quibuſdam impiiſſimis hominibus diſperdi. Bene vale, vir Clariſſime & mihi plurimum colende, noſtrumque Mellæum, prout expedire judicaveris, juva, & quandoque reſcribe. D. Rectori ſalutem.

Groningæ Calend. Maji, Anno 1605.

Ep. 75.

J A-

LXXVI.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, salutem & bene per Christum agere P.

Querela de quorundam machinationibus, aliaque.

REverende in Christo vir, frater dilectissime; hesterno vespere literas tuas accepi, ex quibus confirmor in sententia, quam animo conceperam de machinationibus quorumdam; at omnino non moveor. Dominus enim aderit suæ veritati, & illam ex animo diligentibus tuentibusque non deerit auxilio & patrocinio suo. Ad collationem nos præparemus, quam utinam fratres nostri animo syncero & Christiano expetant! præjudiciis & suspicionibus agitur res, quin & animis valde vehementibus. Si jubeantur suspiciones suas planis verbis enuntiare, & causas adferre, hærebunt deprehensi in calumnia. Ignorant enim quid illud sit in quo est dissensio, imo dissensionem interpretantur, suspensionem judicii in nonnullis quæ controvertuntur inter partes æquali utrinque verisimilitudine. Quum dissensionis argumentum ab illis quæritur, obmutescunt, generatim tantum affirmant esse dissensionem in istis articulis, quos ipsi norunt maxime esse controversos, & in quibus nemo facile illorum sententiæ astipulatur, qui ad se pertinere putat, argumentorum quibus nituntur robur prius diligenter examinare, quam adsensum præbeat. Ita ipsi produnt suæ causæ diffidentiam, quum examinari argumenta non permittunt. Qui ex tuis concionibus & colloquiis tale quid colligere sibi videntur, magis arbitror ex præconcepta jam animo suspicione id affirmare, quam quia verba illorsum facientia abs te audierint. Qui Helmichium illa de re compellavit, viam aviam ingressus est, quæ illum ad scopum ducere non potuit. Quid enim Helmichius de iis, quæ Ultrajecti dixisti hisce diebus, nosse potest? Sic agitur: rogantur qui explicare non possunt quod quæritur; prætereuntur illi qui soli possunt, hoc est, ipsi qui suspecti habentur: quod quidem dolendum est, quia sic peccatur in fratres & in Christum. At quum ita ipsis statutum sit agere, non parum accedet causæ justæ commendationis. At quod de duabus sororibus scribis, stomachum & risum mihi movit: stomachum, quod Helmichius istas suspiciones vel nutu solo fovere videatur: risum, quod & uxor Helmichii tam probe sciat supputare tempora quibus tu ad maritum ipsius scribis, & ipsa quoque de doctrina judicium sibi sumere velle videatur. En quo devenerimus. Concioni Borrhii de Magis Orientalibus ipse interfui, at tale nihil audivi; dixit, quod ægre tulerunt nonnulli, Deum habere rationes multas quibus suæ veritatis notitiam aperiat quibus vult, præter ordinariam ab hominibus seu per homines factam prædicationem. Quod colligebat ex eo, quia Magi instructi eo usque de Messia, nulla tamen ope prædicatoris hominis. Sed poterunt ex illo cognoscere qui volent, quando advenerit. Utinam animum vacuent à præjudicio, antequam ex ipso suæ sententiæ explicationem audient! Doligius hesterno die mihi adfuit, qui magnum præ se fert Ecclesiasticæ concordiæ desiderium; egi cum illo de nonnullis, quæ arbitrabar convenire; at hoc quod de Taurino, tacui, & prorsus dissimulavi. Res videtur collationem postulare, quam non detrecto, modo instituatur isto modo, qui certum aliquem ejus fructum nobis polliceri possit. Meus ille, quem nosti, patruus suos omnes à lectionibus meis impedire voluit, sumta sibi hora octava, ad explicandum Confessionis Belgicæ articulos, cui lectioni omnes interesse volebat. Ego effeci, ut per Consules ipse juberetur id differre usque in adventum Curatorum, qui erit 8 Maii, ut nosti. Utinam tu ad nonum adesse posses, forte erit ex re nostra. D. Gommarus nudiustertius in disputatione de providentia Dei objicienti Vlietio, & modestè satis, ita respondit, ut omnibus animi commotionem ostenderet; dicebat etiam nonnulla, ut ipse putabat, contra me; sed fefellit illum perversa narratione qui mea illi retulit. Ego sine ullo motu vehementissime loquentem audivi, & id porro conabor, ut integras vires adferre possim ubi necessitas postulabit. Non credis, quam parum instructi sint ad oppugnandum aliena, & sua defendendum, imo non credis modo, sed & scis experientia edoctus. Argumenta præcipua hæc sunt; Ita omnes Doctores Ecclesiæ senserunt. Hæc Ecclesiæ Reformatæ perpetua est sententia. Nullibi audio, hæc dicit Dominus. Meditor theses de justitia & efficacitate providentiæ Dei circa malum, quas post aliquot dies publicè disputandas ex ordine proponam. Non possum mihi satisfacere in explicatione istius negotii; aliquid tamen conabor, & libere dicam quid sentiam; possum enim, & in Confessionem & Catechismum non inpingam. Utinam coram te & Borreo prius explicare sententiam potuissem, & vestro examini & judicio subjicere, forte, imo certo certius tres juncti fecissent, quod unus solus non potest. Declarabo saltem, me providentiam non modo non negare universe, sed ne circa malum quidem. Haice enim illi adscribam actiones. Impeditionem & permissionem circa peccati initium; determinationem & directionem circa progressum; circa finem, punitionem, ubi de ablatione gratiæ, traditione in reprobum sensum, &c. & remissionem illius. Ad quæstionem matrimonialem respondeo, videri mihi istias nuptias esse illicitas, utpote expresse prohibitas, *vers.* 14. *Levit.* XVIII. Quid refert enim, an patrui uxor sit, an patrui majoris?

Ep. 76.

Ep. 76. ris? nisi quis putet referre an matrem quis ducat an aviam; patruus enim & patruus major eodem modo subordinantur inter se: quamquam collateraliter se habeant respectu nepotis. Nulla illarum exceptionum, quas considerari posse dixi in altero illo casu qui sæpius incidit, hic valet meo judicio; itaque ex analogia judicandum videtur, si quis neget id expresse contineri istis verbis 14 versus. Nordovicensis res eo loco est, ut præproperam postulet curationem; in dies enim in pejus vergit. Hisce diebus quidam ex iis, quos *Ambacht-bewaerders* vocant, Platevoetio colaphum intlixit, & sunt qui pejora metuant: itaque si ullo modo res tuæ ferre possint, vellet Classis Leydensis & ipsi Nordovicenses, ut diem unum aut alterum isti pacificationi dare posses; sin minus, id significes, ut alia via prospiciant majoribus malis. Sed hæc hactenus, ad lætiora. Uxor mea hodie mane ante semiquintam filium mihi peperit nonum, & septimum continuata serie, ab ipsa nativitate medicum, siquidem hisce Antonii Ansaldi verbis fides haberi possit; Certa constat experientia, infantem eum, qui continuata serie maiculorum septimus in lucem prodiit, strumas seu scrophulas vel solo attactu curare. Quod etiam Christianissimis regibus nostris Gallicis raro quodam privilegio Dei concessum est. Centuria 3. sectione 66. At si fides certa requiratur in parente ut hoc donum constet filio, metuo ut in meo obtineat. Puerpera & infans utrinque bene habent, pro quo beneficio Deo immortales gratias debeo, quem supplex veneror & precor ut matrem mihi & filium superstites esse velit; cui voto meo velim ut tu tuum adjungere digneris apud omnis boni muneris datorem. Hoc meum gaudium communicabis cum D. Uytenengio & uxore ejus, ut & isti bene illis precentur & mihi. Borrio tuas, quà voluisti, communicavi; ille patientiam opponendam judicat, & suo tempore veritatem fortiter propugnandam. Funis triplicatus non facile rumpitur. Utinam illum stringat magis magisque sacrosancta veritas in unitate Spiritus sancti, cujus utraque est filia! Meditationes meas, quales hoc rerum statu habere possum in illud, *Si quis aliud*, tibi transscribam Deo volente, ut habeas in id tempus quod significasti. His jam vale, amicissime hominum, & me quod facis ama. D. Jesum precor ut tuis sanctis laboribus affatim è cœlo benedicat. 2 Maii. 1605.

LXXVII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS.

Ecclesiastica. De Ecclesia & Academia Lugdunensi sua.

AMicissime hominum; Literas tuas Bergopzomio scriptas accepi, in quibus legere mihi volupe fuit contentiunculam quæ inter te & illum Amsterdamensem fuit. Itane vero ab Ecclesiastico Papatu nihil nobis imminet periculi, quum nonnulli ex isto ordine audeant legibus adstringere ea, quæ in Antichristianismo semper libera fuerunt; & ad leges istas, quarum norma nullibi exstat, nisi forte in memoria nonnullorum jam præsenio vix mente sibi constantium? Desivimus enim sub cruce esse jam triginta & amplius annos. Sed ista cum Politarchis à nonnullis suscepta, & magno animo agitata contentio, noxam non exiguam intulit, & porro, ni Deus bonus avertat, inferet Ecclesiis nostris: alia cum illis ratione agendum erit, quo illos nobis conciliemus. Metus ille de mutatione doctrinæ vanus est, & ipse fateri deberet, siquidem illius causas explicare juberetur; ne verbulum enim proferre posset quod à nobis prolatum sit adversus Confessionem & Catechismum. Sed etiam tuta omnia timenda. Quod si sit, & mihi liceat metuere, illos brevi omnem religionem pessumdaturos, & atheismum invecturos pro syncera pietate. Si quærat quis, quæ causa metuendi? Respondebo, omnia tuta timenda; quamquam non desit alia responsio. An vero ille de tua fide dubitet, necne, non asseveso in hanc vel illam partem: si fidem pro eo quod Catechismo & Confessione continetur accipiat, puto illum valde de tua fide dubitare, nisi forte de mea securus sit, quem tu promovisti eo, ubi magis nocere possit, & hoc fine ut noceat: id est, invertat pristinam doctrinæ formam. Quod vero de calumnia liberiuscule scripseras, ille dum de calumniatore interpretatur, non mirum eo commotiorem fuisse. At in bona causa agendum confidenter & fortiter, tamen prudenter & modeste; quod utinam nobis Deus ille concedat, qui nobis bene velle tribuit! Borreus mea, ut puto, monela non indiget, scio intra terminos mansurum: attamen statui sequente hebdomada illum invisere, & tum de istis colloquemur. Ego conabor nosse quinam ad Synodum sint ituri deputati, & agam quæ jubes. Quod dolorem ex obitu uxoris carissimæ, cum qua viginti integros annos vixisti amice & quiete, & cui omnia tua tuto credebas, conceptum tam facile abstergere non potes, mihi non mirum; utut enim animus sit constantissimus & sibi præsentissimus, instructus etiam ab omnibus illis remediis, quæ isti mœrori leniendo & tollendo adhiberi so-

leng

Ep. 77. lent & poſſunt; attamen tempus accedat oportet, quod paulatim minuat ægritudinem & eandem auferat; & æquum eſt ut Dei caſtigantis ferulam ſentiamus, ſecus gravius preſſuri, ſi plagæ dolorem non intulerint. Sed ille qui vulnus fecit, idem quoque ſanabit, adhibita medicina convenientiſſima & efficaciſſima verbi ſui & ſpiritus, in quo & à quo omne ſolatium rebus in arctis petendum eſt dolentibus. Eſt enim illud ſolatii plenum, & iſte ſpiritus merito conſolator dicitur, veniens à Patre omnis conſolationis, & Filio Servatore noſtro ab omnibus malis. Illius lectionem & meditationem ut tibi commendem, opus non eſt. Hunc tibi precor ardentiſſimis votis ab illo cujus eſt, & qui hunc in finem eum accepit, ut in fideles ſuos effunderet; de quo proculdubio ages, ipſius temporis oportunitate provocatus, hoc inſtante feſto Pentecoſtes; tunc quæ aliis propones, ut tui ipſius cor primo valde afficiant, Deum optimum rogo & veneror. De Antwerpia maxima eſt exſpectatio, ut & deſiderium flagrantiſſimum. Utinam Deus exercituum Principem illuſtriſſimum & totum exercitum ducere & dirigere dignetur, & Angelis cuſtodibus mandare; in illius manu ſunt fines terræ, ab illo victoria venit, fruſtra alioquin ad bellum armatis equis & milite. Nos quod poſſumus, pro vobis ſupplices ad Deum manus levabimus, & preces fundemus, utinam tam ardentes, quam Moſes pro Iſraëlitis adverſus Amalechitas pugnantibus obtulit! multum enim valet deprecatio juſti efficax. Mitto tibi exemplar Theſium de providentiæ Dei efficacitate, & juſtitia Dei in malo; tu lege, expende, & judica, rigide & fortiter, & indica quid deſideres; hoc poſtulat tuus in me amor, & præſertim ſtudium in ſacroſanctam veritatem, cui indagandæ & explicandæ animam hanc Chriſto & Eccleſiæ ejus conſecravimus. Noſti me à feſto Natalitiorum poſtremo, quo poſtremam concionem habui, nunquam rogatum, ut conſcenderem ſuggeſtum; hoc etiam in calumniæ robur ſtruitur à quibuſdam, quaſi judicio Eccleſiæ & Magiſtratus jam damnatus ſim, ne id mihi ultra liceat. Sed Magiſtratui ipſi inprimis, tum etiam pleriſque ex Synedrio, id vehementer diſplicet, qui videntur de eo ſerio cum reliquis acturi. Ego juſtam habeo cauſam cum F. H. & E. Am. expoſtulandi de calumniis nonnullis; forte neceſſitas coget id ut faciam: ſi tamen fecero, modeſte agam, at fortiter; quia video iſtorum vires non niſi in abſentem valere; præſentis vultum vix intueri audent, ipſi ſibi conſcii calumniarum. Feſtus ab eo tempore, quo illi, te & Borreo præſentibus, ad omnia ipſius objectamenta reſpondi, eouſque ut diceret abiens, ſe veritatem inquirere velle, mihi non adfuit colloquii de illis rebus gratia: narrat ſe domum tum à colloquio iſto reverſum, Deum ſuppliciter invocaſſe, ut oculos ſibi aperiret, & veritatem manifeſtaret; quo facto tantam ſibi obortam lucem & lætitiam, Ep. 77. ut porro perſeverare ſtatueret in recepta ſententia. Eia veritatis indagatores idoneos! Quaſi vero Deus Spiritum ſuum Sanctum ad unam precationem tam largiter concedat, ut de rebus tantis citra errorem judicare poſſit. Dat ille Spiritum ſanctum electis ſuis noctu diuque pro illo interpellantibus Majeſtatem ipſius. Ego vero quum iſta audio, narro quæ vobis præſentibus acta mihi fuere cum illo: & dico me paratum ipſi commonſtrare ex verbo Dei, iſtam ipſius ſententiam cum illo conciliari nullo modo poſſe. Omnibus etiam data occaſione, narro, me Helmichio obtuliſſe placidam de omnibus Chriſtianæ religionis capitibus collationem, ſive privatam, ſive publicam; & porro offero omnibus qui de eo me conveniunt. Tuto hoc poſſum, quia cogam illos fateri, quod Confeſſionis & Catechiſmi terminos egrediantur, quod etiam nunc coguntur, non magnopere adacti. Ego vero puto, me omnia quæ unquam dixi cum Catecheſi & Confeſſione non modo conciliare poſſe, ſed & illorum præſidio defendere. Hujuſmodi autem defenſionem concinnatam non habeo: qui enim poſſim? cum ignorem quid ſit quod illi à me dictum improbent: infinitæ enim illud operæ fuerit: cæterum meditationes habeo in Confeſſionem, quas rurſus præ manibus ſumo, & ſimiles in Catecheſin moliar: ut ubi res poſtulabit inſtructus ſim, ne imparatum adoriantur. De Trajectenſi Eccleſia quantum in me erit curabo: nemo adhuc occurrit illo qui prope Arnhemum militat P. S. aptior. Uxor Dei beneficio hucuſque bene habet, niſi quod cum antiquo malo conflictatur mamillarum dolore; infans etiam bene valet. Deus porro nobis parcat, & mihi concedat ex iſtis, quibus petor & premor calumniis, eluctari: quod forte obtinebo ſi illos aperto marte adoriar, & jubeam reſpondere de calumnia coram iis quorum autoritati concedere debebunt. Exſpectabo tamen eventum ejus, quod jam in Synedrio agitur; quem ubi dederit Dominus, tibi ejus indicium faciam, ut porro diſpiciamus. Nihil agam præpropere; volo ut non modo pateat omnibus cauſæ meæ æquitas, ſed & in agendo moderatio probetur viris bonis & prudentibus. Deum rogo ut mihi ſapientiam & patientiam concedat, & animi robur invictum adverſus machinationes ex inſcitia zelantium: quo molliſſimo nomine illos appello. Halsbergius die Sabbathi præterito hic fuit auditurus diſputationem noſtram: at incaſſum, quia reſpondens diſtulerat, eo quod impreſſas theſes habere non poterat tempeſtive ſatis; ille legit & probavit; non dubito quin Amſterodami id ſit profeſſurus, ubi opus erit. Neminem adhuc audio illas notare impuritatis. Quid craſtino die objiciendum ſit, ignoramus; dabimus operam ut modeſte, commode & aperte reſpondeamus. His vale mi chariſſime & reverende

Ep. 77. in Chriſto frater, cum bono Deo, cui te & totum exercitum commendo obnixiſſime; ille vos conſervet, & victoria potiri concedat, ad patriæ noſtræ, heu nimium afflictæ! ſolamen & quietem. Amen. Leydæ 20 Maji 1605.

Scribe aliquando quid agatur, non tam mea cauſa, quam illorum qui arbitrantur te pro noſtra neceſſitudine hoc officii mihi præſtare debere; omni modo volo ut conſtet illis quæ mihi pars ſit in amicitia tua.

VIdes mi amiciſſime quo tempore iſtæ ſcriptæ ſint, jam tum cum D. Tunningius à nobis diſceſſurum ſe diceret, cum quo mittere potuiſſem, ſi ut fecit, dixiſſet ſe iter in craſtinum dilaturum: at quum vix bihorium antequam ſe abiturum diceret, monebat, non potui illum cum literis meis dimittere, tantum petii ut te ſalutaret, interea literæ iſtæ apud me manſerunt. Volui illas cum Felice Nemauſenſi mittere, qui Angliam petebat; at quia ipſe dubius erat, quo itinere profectionem inſtitueret, non uſus ſum illo latore. Inde alia oblata occaſio, ſed & illa non ſum uſus, quum intelligerem negotium ſuſceptum non ſucceſſiſſe; unde dubitavi quo mittendæ eſſent. At nihil magnopere omiſſum, niſi quod tu doleas de mea taciturnitate. Crede mihi, non tam tu deſideras meas literas, quam ego tecum per illas colloqui; ſed raro adſunt occaſiones curandi fideliter. Poſt vero iſtas ſcriptas diſputatio peracta eſt, & ex voto ſatis; niſi quod non multa objecta, quæ ob difficultatem ſuam moleſtiam facere aut acuere diligentiam poterant reſpondentium. Caſ. Junius bonam temporis partem ſolus occupavit nullo Scripturæ loco objecto; videbis aliquando quæ objecta fuerint & quæ reſponſa; nam J. Arnoldi Leydenſis ad Borreum tranſmiſit ſatis fideliter excepta. Quod de Synedrio ſcripſi, id tranſactum. Rogatus ſum ut ipſo feſto Pentecoſtes concionem pomeridianam in templo D. Petri haberem, quam etiam habui. Adfui hiſce diebus D. Borreo, qui mihi tuas ad ipſum ſcriptas communicavit. Quum iſtic eſſem, rogatus ſum à Synedrio, etiam de conſenſu Magiſtratus, ut concionem haberem, & ego excuſavi, quia putabam negotio, quod agimus, non fuiſſe conſultum. Magnopere ſoliciti ſunt de ordinariis, & quidem talibus qui negotium cœptum fæliciter adminiſtrent, quod D. Ledenbergius admodum ſerio videtur curare, cui bis adfui, & præſente Borreo locutus ſum: utrinque uſi libertate, quæ decet ingenuos. Placet mihi ille vir, imo perplacet, promptus eſt ingenio & lingua, comis & affabilis, & ad unguem affabre factus curandis negotiis ſeriis & gravibus. De religionis negotio & Eccleſiæ hodiernæ ſtatu judicat optime. Magnum acceſſit Eccleſiæ iſti emolumentum in illo viro, ut ego quidem judicio: ut autem iſti proſpiciatur urbi, Ep. 77. nemo præter Sonnium, Taurinum & Waleſium occurrit: ſi ille ſatisfacere poſſet auditorio, commodiſſimum arbitrarer; iſtius juventus fors impediet, niſi ſenior aliquis prius vocatus fuerit. De tertii nimia familiaritate & promtitudine ſermo apud omnes qui illum norunt; ſi temperare poſſet non eſſet inutilis, imo fructum facere poſſet haud pœnitendum. Hagæcomitis concionem unam aut alteram habuit, ſatis ex voto auditorum, ut ille ipſe mihi narravit: forte de illo vocando acturi ſunt. Præferret tamen ille Ultrajectinam functionem; veſter interim qui abiturit, id forte aget; ſed quam ille ſibi ſperat vocationem certam non habet, & poſſet ſpe ſua excidere. Amſterodamenſes ſpectat; at in illa republica ſunt qui norunt quid Hagæcomitis aliquando actum ſit: non erit illis æque gratus, atque duo vel tres ex noſtro ordine ſibi perſuadent. Si Helmichius & hic rogetur cœptis deſiſtere ut in cauſa Topandri, non poterit non noxam conciliare exiſtimationi ſuæ; ſed ille viderit. Animadverto ex veſtra collatione illum animoſe ſatis negotium ſuum agere; ſed & nos agamus fortiter. De Novitatibus facile ipſi & aliis reſpondebitur, & puto te recte reſpondiſſe. Compendioſa via eſt ad confutandam veritatem, ſi novitatis inſimuletur. At mirum illos illam ingredi, quam Antichriſtus cum ſuis præivit; niſi forte arbitrentur & ſibi ſucceſſurum fæliciter, ut & illi, qui ſe adhuc adverſus omnes novitates illo prætextu tuetur. At videor mihi aliquid in illius verbis animadvertere, quod meticuloſius dictum videtur: nempe in hiſce, *die in den grondt niet over een komen met de leere*, &c. Quid hoc eſt? in fundamento non conveniunt? illud in fundamento addendum non fuit, niſi cavendum putaverit de mendacio. Sed unum illis incumbit probandum; quidquid docetur ab iis, quos ille jactat autores reformationis, Scripturis eſſe conforme: ſi dicant in fundamento convenire, agendum de eo quod fundamentale appellant. At nos urgebimus aliena fundamento non eſſe ſuperſtruenda, & docebimus multa ab illis dicta à fundamento aliena, ſi non contraria. Et quid nobis decedere poteſt paratis veritatem ſequi in omnibus, unius addictis jurare in verba magiſtri, qui eſt Chriſtus & Spiritus ejus in verbo veteris & novi Teſtamenti? Ego arbitror, ſi ſuſpicionibus non nimium concederetur, unitatem & concordiam inter nos eſſe poſſe. Sed quis bonus Deus illis finem imponet? Perſeveremus nos in inquiſitione veritatis, & pacis ſtudium ne negligamus; proculdubio qui veritatis author eſt & pacis ſucceſſum dabit, ſi non optatum, ſaltem non pœnitendum. Arnoldus Cornelii Delphenſis nudius-tertius obiit, magno ſane cum Eccleſiæ illius, imo & totius Hollandiæ, detrimento. Moderatus erat, & illa animi temperantia po-

terat

Ep. 78. terat continere in officio ferventiores, propter ætatis, eruditionis & pietatis prærogativam. Deus tamen suæ Ecclesiæ non deerit. Utinam omnes vitæ nostræ brevitatem serio contemplemur, & quod restat vitæ gnaviter Deo & Ecclesiæ ipsius impendamus! Distractiones nostræ sunt plurimæ; at quum immunes ab illis sumus, meditationes eo dirigamus & istic figamus, non nimis soliciti quid de nobis humanus dies judicet, modo conscientiam Deo & Christo ejus in isto tremendo die approbare queamus. Cum D. D. Gommaro mihi pax est, & puto futuram firmam satis, nisi aurem præbeat illi, qui hoc unum videtur agere, ne ipse vanus vates fuisse comperiatur. Ego contra id dabo operam, ut mea modestia & æquanimitas omnibus conspecta sit, ut causæ simul bonitate, & modo agendi superior sim; tu juvabis me precando & monendo. Doctor Gommarus jam Sluisam abit, forte in illum incides; nosti quomodo cum illo agendum sit amice & fraterne, ut intelligat vanos esse metus, quos de nobis conceperunt nonnulli. Quæ cum Barneveldio acta tibi sunt, & oportune & prudenter acta existimo. Sed spero rem periculo carituram, quum intelligam illos mitescere; nisi forte & hoc præ se ferant, ut incautos fallant; sed sinceritate animi, qua hucusque usi sumus, porro utemur, & facile dissipabimus consilia præpostere zelantium. At finem facio, ne exerceat nimis epistola, & te Deo Opt. Max. commendo obnixissime, totumque exercitum illius tutelæ & curæ, ut si non victores, saltem salvos vos & reduces videre possimus. Leydæ 7 Junii 1605.

LXXVIII.

ADRIANO BORRIO

JACOBUS ARMINIUS S.P.

Ecclesiastica.

R. Everende Vir & frater in Christo dilectissime scriptionis officium non neglexissem, si lætior mihi scribendi occasio fuisset: piget enim istis, quæ quotidie obveniunt, linguam & calamum simul occupare: Arbitratus etiam sum, quum tuum reditum expectarem, in illum differri posse communicationem nostram. Ne tamen incivilis videar, en tibi responsum breve ad duas postremas tuas. Omnino adversarios meos hoc agere video, ut turbent, quo ego saltem turbarum occasio insimulatus cogar è latebris prorumpere, & me palam patefacere, in quo certam sibi victoriam spondere videntur. Verum ego tanto magis me domi continebo, & illa proferam, quæ putabo veritati, paci & tempori servire posse; quamquam scio illos spe sua frustratum iri, etiamsi me aperte illis manifestarem. Antiquum illud quidem est, hæreticum & hæresin protraxisse in lucem confutasse est: sed panegyricum est hoc, & illorum qui triumphos canunt ante victoriam. Grave illis esset hæreseos convincere illa, quæ plenis buccis hæretica esse clamitant. Audio illos conqueri, quod meam sententiam, & argumenta quibus nititur, ipsis non patefacio, & querelæ hunc prætextum addere, mihi in animo esse ipsos ex improviso adoriri in Synodo Nationali, & obtrudere sententias non cognitas, easque argumentis firmare, de quorum confutatione antea cogitare non potuerint. Arbitrantur illi eo modo illum conventum peragendum, quo antehac; & ignorant me conscientiæ & causæ bonitate fretum, disquisitionem & examen, etiam rigidissimum & tempestivum, non metuere. Theses de libero arbitrio tibi mitto, quas ita composui, quia ad pacem sic conducere arbitratus sum. Nihil posui, quod falsitati affine arbitror. At nonnulla vera, quæ dicere poteram, tacui: sciens aliam esse rationem verum tacendi, aliam falsum dicendi; quorum hoc nunquam licet, illud aliquando, imo & sæpissime expedit. Joannes Arnoldi ab eo tempore, quo una tecum, mihi non adfuit; interea ego quantum potero, illius negotium promovebo; animum illi adderem, si me accederet: quod forte, ne magis se obnoxium faciat suspicioni & calumniæ, omittit. At non est, quod amplius meticulosius agamus: aperte illi agunt, & nos declaremus nullo nos metu tangi illorum, qui nocere non possunt. In calumnia robur ipsorum est positum, quæ non durat, nisi dum in tenebris versatur, protracta in lucem disparet, & perit. De Taurino & Sonnio nihil scribis præter expectationem meam. Uterque ab eodem magistro probitatem didicit. At ille habuit, unde eruditionem comparare sibi potuit; isti id defuit. Sufficiet probitas illius, & compensabit defectum boni minoris, quem ipsum explere poterit, si volet conversari cum illis, unde proficere poterit. ** Res pro occasionibus gerendæ suis, quas, si Deus aspiret cœptis, præbebit commodas: adversas, si negotio cæpto benedicere non volet, objiciet. Prudenter itaque factum ab Uytenbogardo nostro, qui quod postulat necessitas & temporis opportunitas fecit, totius rei successum Deo commendans, cujus Numen ardentibus precibus sollicitandum est, ut optatum eventum concedere dignetur, siquidem vota nostra sibi gloriosa & Ecclesiæ utilia esse novit. Ipsæ, quæ obveniunt difficultates, mihi spem faciunt fœlicis successus. Nam & constantiam suorum fidelium servorum probare solet objectis impedimentis, & insignem Ecclesiæ utilitatem adferre per vias humano consilio impervestigabiles. Sic nempe omnis illi gloria tribuitur fœliciter administrati negotii, & ad finem optatum perducti. Quid quæramus nos scimus & ille novit; in molimine defecisse egregii operis officium est fecisse, cujus eventum in nobis non est præstare. ** Quod deputati Synodi tam benevolos experti sunt Ultrajectinos & prom-

Ep. 79. tos ad concedendum, quod rogabantur, plurimum me exhilarat, vel eo saltem nomine, quod intelligant ex eo Synodum Nationalem à nobis valde desiderari; ignorare enim non possunt Uytenbogardi opera & suasione id effectum esse. Ex quo id saltem, siquidem res, prout deberent, accurate intuerentur, colligere possent, nos nullius hæreseos nobis conscios, lucem non reformidare, & hoc saltem non habere hæreticorum proprium, quos legimus Ecclesiasticos conventus semper fugisse, nisi quos ipsi conscriberent, & in quibus numero victuros se arbitrabantur. Significavi tibi per Narsium, quid Synodi utriusque deputati apud me egerint: non repeto, sed ejus rei latiorem narrationem in tuum reditum differo. Magistratus noster statuit per literas ad magistratum Ultrajectinum reditum tuum postulare, & serio, neque credo prorogationem tui ministerii concessum iri Ultrajectinis. Ex me si quæras, quid utile putem? dico tuam præsentiam hic desiderari: multa enim te absente acta, quæ præsentiam tuam requirebant. * * Interea agamus, quod ex veritate & pace Ecclesiæ Christianæ, proh dolor nimium afflictæ; precemur pro pace Hierusalem: illam, quantum in nobis est, procuremus; & tanto ardentius, quanto plures videmus ejus dissidium & perniciem vel inscios promovere. Reverende vir & frater in Christo dilectissime, Dominus Deus tibi adsit, & Spiritu Sancto magis magisque corroboret in emolumentum Ecclesiæ, & divini nominis sanctificationem. Amen. Lugduni Batav. 25. Julii 1605.

Tuus ex animo

JACOBUS ARMINIUS.

Epistola hæc vetustate adeo erat lacera, literaque exesa, ut aliquot locis legi non potuerit.

LXXIX.

RICHARDUS THOMSON

DOMINICO BAUDIO S.P.D.

LIteras tuas & Drusii fasciculum post aliquot mensium errores tandem accepi, doctissime Baudi. Sed bene, quod tandem. Gratissimum enim fuit intelligere ex te, quo gradu & loco isthic esses. Nam ex quo hinc discessisti, nihil nisi per nebulam de rebus tuis inaudire potui, etiamsi diligenter inquisiverim. Gratulor ergo tibi hanc professionem tuam, mi Baudi; præsertim vero, quod in illa cum utilitate auditorum placeas. Rara ista conjunctio, & paucis concessa, etiam magnis alioquin viris. Perge age, & lucem illam ingenii tui, cujus strictura vidimus, magis magisque quotidie diffunde. Nos inter illos sedebimus, qui maxime plausum dabunt. De Arminio quod scribis, benigne. Quanquam illius Viri fama non tam ignorabilis apud nos est, atque tu videris existimare. Nam & mihi olim notissimus, antequam apud vos profiteretur, & ex quo profitetur multis aliis quoque hic innotescere cœpit. Itaque quoties istinc studiosi aliqui ad nos veniunt, diligenter de Arminio inquirunt Professores nostri. Itaque Academiæ vestræ nomine sane lætor, quæ tantum virum tenet. Angli nostri studiosi raro peregrinantur, quare mirum non est si pauci ad vos confluunt. Scaligeri Elenchum vidi. Profecto ita est, ut scribis, θαύματα καὶ τέρατα (*miracula & portenta*) non ῥήματα (*verba*) sunt, quæ effundit. Ego illum libellum necdum ex manibus deposui, etiamsi aliquoties perlegerim. Plane divinum scriptum est. * *. Vale mi optime & doctissime, & me, quod facis, ama. Cantabrigiæ ad 6. Kal. Aug. 1605. Ep. 80.

LXXX.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, salutem & bene per Christum agere P.

NOn possum, amicissime hominum, quin nonnulla tecum fabuler, quamquam nihil habeam, de quo conferendi ulla sit necessitas. Ab eo enim tempore quo à nobis abes, nihil mihi accidit insolitum. De Synodi statuto jam ante proculdubio intellexisti: quod ipsum me non eousque commovit, ut aliquid de eo ad te scribendum arbitratus sim. Videntur enim ipsi potius laborasse consilii inedia, quo pacto rem cœptam porro administrarent, quam magnopere suscepto negotio profuisse. Quantum enim hoc est, quod deputatis injunxerunt, ut inquirant coram quomodo res habeat dissidii nostri, & porro videant quid facto opus sit; quod ipsum non statuant nisi ex consensu Curatorum? At apud quos illa inquisitio fiet? Apud Theologiæ Professores non potest, qui jam scripto suam sententiam Curatoribus tradiderunt. Ergo apud studiosos Theologiæ id agendum erit, qui vel non audebunt quidpiam proferre rogati, vel jussi probare deficient in conatu; forte id consultum non putabunt permittere, quibus Academiæ quies domi cordi est. Vix enim videtur illa inquisitio fieri posse citra tumultum & seditionem; nota enim sunt ingenia juventutis plus æquo fervida in utramque partem. Ego tamen me continebo, & oculo pacato intuebor quæ fient, fretus conscientiæ testimonio & innocentia mea. Narravit mihi D. Borreus, unum ex collegis suis Festum Hommium hisce diebus in Synedrio Ecclesiastico cœpisse ali-

Ecclesiastica. De iis quæ in Ecclesia & Academia Lugduni agebantur.

Ep. 80. aliquid movere ex occaſione, ut ipſe dicebat, rumorum qui ubique ſpargunturde diſſidio orto inter miniſtros; cui componendo putabat Synedrium intercedere debere, tum ut bene habeat Eccleſia, tum etiam ne miniſtri contra fas & æquum male audiant apud alios; videri autem commodiſſimam viam rumorum iſtorum tollendorum, ſi publice conſtare poſſet omnes miniſtros unum de articulis fidei ſentire; huic autem rei ſe concepiſſe certas quæſtiones, quibus ſi ſubſcribant omnes unanimi ſenſu, compoſitam rem eſſe; ſin minus, conferri poſſe de iis, & per collationem in conſenſum reduci. Exiſtimare ſe officium eſſe ſeniorum, mandare miniſtris, ut ad iſtas quæſtiones reſpondeant; & ſe quidem paratum eſſe id facere. Seniores, qui non pleno numero aderant, petierunt, uno verba præeunte animoſiore, & ſatis prudenti, ſibi tradi ſcripto petitionem iſtam & articulos quæſtionum (ex ſcripto autem prælegerat ſua Feſtus) ut mature deliberare poſſent quid ex re eſſet Eccleſiæ; quod ipſis negavit ille. D. Borreus, quantum memoria poterat, excepit quæſtiones; eædem pene ſunt cum iis quas mihi proponere ſtatuerant, ſi ego collationem non detrectaſſem cum Synodi deputatis; puto nihil actum iri, quia boni viri ad ſe rapiunt, quod ipſorum non eſt, & poterit Borreus excipere, ut quæſtiones iſtas prius offerant generali Synodo, quo viſo illius judicio ipſe quoque diſpiciat de iſtis, aut ſaltem quo ipſi & tunc præſentibus fratribus de iis opinari liceat, ubi id fieri debet. Videtur hoc conſilium natum fuiſſe Roterodami, quo paulo ante Feſtus conceſſerat, ut Synodi deputatus, cum aliis acturus de rebus nonnullis: ubi etiam tunc fuit meus collega D. F. Gomarus, ſed alia, ut mihi narravit, de cauſa. Nos interea nos continemus, niſi quod ego officio ſemel ſuſcepto incumbo veritatis magis magiſque propagandæ, quantum poteſt fieri citra diſſidium. Diſputavi hiſce diebus de legis & Euangelii comparatione, ubi etiam de veteris & novi Teſtamenti convenientia & differentia actum, quin & de promiſſionis & Euangelii. Theſes ipſe feci, cum applauſu fuerunt exceptæ, multi mihi gratias egerunt, quod rei difficili iſta mea explicatione lucem aliquam attuliſſem. Tibi illas dabo ubi commode potero, ut & tu videas. Inſtat mihi habendæ diſputatio de perpeſſionibus Chriſti, reſpondente Burchlonio, quem noſti: ille difficultates movet ſuper ſententia Calvini & Bezæ de inferni pœnis à Chriſto toleratis, quam dicit ſuum hoſpitem cum acrimonia tueri. Ego videro qua me expediam ratione, ne conſcientiæ infligam vulnus, aut occaſionem dem contentioni. Quod ſine difficili ſtudio vix potero. Si tu adeſſes, opera tua mihi utilis eſſe poſſet, forte generalibus terminis uſi nos expediemus. Deus dabit exitum, quem precabimur ſedulo ut nobis conſilio ſubminiſtrare dignetur. Quam difficile, veritati ſimul & paci operam dare his infælicibus ſæculis, ubi iſta animorum eſt vehementia! Niſi conſcientia integritatis, bonorum nonnullorum judicia, quin & apertus & manifeſtus profectus, quem animadverto exiſtere ex meis laboribus, animum mihi adderent, vix poſſem aliquando non commoveri: at Deo gratia qui robur animo addit & conſtantiam, & pene ſecurum facit, quiſquis ſit futurus exitus. Utinam nos ſerio cogitaremus de pacificanda Eccleſia Chriſti, & corrigenda vita, ut ſemel hoc difficili & periculoſo bello expediri poſſemus? Videmur ad carceres regreſſi, quum jam ad metam perveniſſe putabamus, aut ſaltem ab illa non longe abeſſe. Proculdubio ira Dei adverſus nos accenſa eſt, quæ iſtos ſucceſſus infenſiſſimo hoſti in nos dedit. Scio quidem ex ſucceſſibus de juſtitia cauſæ non eſſe judicandum; ſæpe tamen in mentem venit, forte & errores in nonnullis capitibus fidei cauſam Deo dare non promovendi negotium quod cœptum eſt reformationis, præter cauſam illam capitalem corruptiſſimorum morum & vitiorum regnantium & late dominantium: cui ipſi an non ipſi errores & diſſenſiones in religione fomentum præſtent, equidem non citra cauſam quis inquirere poſſet. Vera certe & ſincera illa charitas, nobis tantopere commendata, non parum detrimenti accipit per illas diſſenſiones; quum nemo mentis judicium in diſſentiendo à flamma voluntatis ſeparare commode poſſit, propter opinionem neceſſitatis in articulis controverſis omnibus pene diſſidentibus innatam & agnatam. Peſſimum hoc videtur in religionis controverſiis, quod nulla non cum ſalutis diſpendio & jactura gloriæ divinæ conjuncta videatur. Moneo ego meos diſcipulos, ut non tantum inter verum & falſum diſcant ſecundum Scripturas diſcernere, ſed etiam inter articulorum neceſſitatem majorem minoremque, ex iiſdem Scripturis. Unum pene oblitus eram narrare, quod accidit in diſputatione noſtra de legis & Euangelii comparatione. Sub finem quidam objiciebat, hominem non potuiſſe non tranſgredi legem, propterea quod decreto Dei, quo ſtatutum erat ut tranſgrederetur, reſiſti non potuit. Ego juſſi, ut talia non proferrentur ſine proteſtatione; abſit blaſphemia: & porro reſponſum eſt ad objectionem pro neceſſitate. Illa tam audax propoſitio diſplicuit nonnullis ex Profeſſoribus qui intererant, & unus non infimæ autoritatis & notæ modeſtiæ mihi privatim dixit, illa talia compeſcenda eſſe, & autoritatem iſtis objectamentis interponendam eſſe; ego excuſavi objicientem ita inſtructum à Doctoribus nonnullis, & autoritatem interponi vix poſſe dixi propter nonnullorum ſecus ſentientium vehementiam, quæ ipſi quam optime nota erat; placuiſſe tamen ſibi dixit, quod monueram de blaſphemia. Quum hæc ſcribo, narrat mihi Borreus, deputatos Synodi Hagæcomitis

Ep. 80. eſſe congregatos, & ut arbitratur, iſta de cauſa potiſſimum, quam dixi propoſitam fuiſſe Synedrio Lugdunenſi, ut porro quid facto opus ſit diſpiciant. Ego juſſi illum bono animo eſſe, & continere ſe. Tua præſentia nobis in hiſce, qua ad conſilium, qua ad auxilium, magnopere utilis eſſe poſſet: ſed illam dabit Deus propediem, ut ſperamus. Intellexi hiſce diebus ex fide dignis P. Plancium mirum in modum debacchatum eſſe in novos Pelagianos, quos illo Monacho longe pejores dicebat: coalque autem efferveſcebat, ut etiam non nimium peritis exorbitare videretur, & male conſequentia & cohærentia inter ſeſe connectere. Multi vehementer commoti fuerunt, etiam nonnulli ex Magiſtratu, quorum quidam cum illius ſummo aſſecla de concione iſta contendebat, tanquam præter textum habita, ex puro affectu dicendi quæ ira dictabat. Dixit etiam publice, & magna vehementia ulus, Pontificiæ Eccleſiæ libellum repudii miſſum à Deo eſſe, non minus quam Turcicæ & Perſicæ, in qua etiam multi articuli apud Pontificios & nos in uſu obtinent, utpote, quod unus ſit Deus creator, quod futura ſit reſurrectio mortuorum, &c. Vide quantopere zelus contradicendi hominem iſtum abripiat. Vulgus, ut confutet tam vana, quærit, quum ille in Pontificia baptizatus ſit, num curet ſe rebaptizandum, vel potius baptizandum, quum baptiſma illud nullum ſit, quod extra Eccleſiam adminiſtratum eſt ab eo qui jus nullum habebat baptizandi? Nulla tam exigua occaſio offertur, quin excandeſcant in iras; imo ad quodvis pene verbum, quod ex voto non eſt, exacerbantur, & indicia edunt animoſitatis. Quid ſit quod illos tantopere turbet, ignoro. Ego interea ſtrenuè adnitor ut non ſit materia cur ringantur, auditoribus pro modulo Scripturarum veros ſenſus aperiendo, & hac ratione illos ad lectiones meas alliciendo; quæ nunquam tanta frequentia, ut nunc, auditæ ſunt. Abſit tamen ut in iſtum finem id faciam; ſcio id injunctum mihi eſſe, & ex conſcientia teneri; ſi eventus ille inde exiſtat, fas non eſt ut ego propterea officio deſim. Præclariſſimum hoc arbitror vindictæ genus, bene faciendo efficere, ut male ſit illis qui oblatam amicitiam & fraternitatem ſpernunt. Neque auditores modo multi ſunt, ſed & approbatores partim aperti, partim clandeſtini propter metum potentiorum; quemadmodum mihi referunt, qui inter illos familiariter verſantur ex ipſorum numero. Illa ſcilicet vis eſt veritatis, etiam apud illos quorum animi, quantum tenera ætas fert, imbuti erant conceptibus à forma ſanorum ſermonum differentibus in nonnullis. Fuit nuper cuidam cum quodam noſtri ordinis ſermo de eo, an Chriſtus fuiſſet in lumbis Adami quum peccaret iſte; quod cum ipſe negaret, & argumentis negativam probaret, quibus tamen ille nil ni- Ep. 81.
ſi negando reſpondebat, tantum non irriſus fuit; at ille poſtulans contrariæ ſententiæ argumenta, hæc accepit; Chriſtum eſſe filium Adami, & illius genealogiam ad Adamum uſque à Luca extendi; inde ſemen illud, unde Chriſtus natus, ex Maria jam tum in Adamo potentia fuiſſe. Verum reſpondit alter: etiam Adami filium eſſe, qui in Adamo poſt peccatum eſſe cœpit, & ex illo poſtmodum ortus eſt, utpote filius promiſſionis; & ſanguinem iſtum non habuiſſe rationem ſeminis, neque unquam habiturum fuiſſe rationem ſeminis, unde Chriſtus naſceretur, niſi ſtatutum fuiſſet Deo, Filium iſtum promiſſionis vi Spiritus ſancti ex Maria virgine producere; quod non ſtatuit niſi homine lapſo, vel ut lapſo in peccatum conſiderato. Diſcipulus iſte erat, at ſatis peritus rerum. Mirum, quum iſta ſententia noſtræ ſententiæ adverſus Anabaptiſtas ſtabiliendæ ſit convenientiſſima, & in nullo articulo Catecheſi vel Confeſſioni, ne per decimam conſequentiam quidem, contraria, tam præfracte rejici, eo ſolo quod ex me primum ſit audita; quamquam intelligam D. Fr. Junium p. m. ſimilia aliquando dixiſſe: quod tamen vix mihi fit verſimile, propter ſententiam illius de Chriſto Mediatore etiam inter Deum & Adamum integrum; niſi forte Filium Dei ſecluſa humanitate Chriſtum appellandum putet. Privatum meum collegium etiam floret vigetque, & unum non ſufficeret, niſi verentur nonnulli, ne nimia familiaritas mei ipſis noxia eſſe poſſet. Verum ubique me contineo intra terminos Confeſſionis & Catecheſeos; ſaltem ne quid dicam quod per illas confutari poſſet, imo quod non bene & aperte cum illis conciliari; quod etiam neceſſe eſt, propter judicia varia & tenera ipſorum auditorum. En quam prolixe tecum fabuler, tu pro tuo affectu boni conſule ineptias meas. His vale vir clariſſime & dilectiſſime cum bono Deo, cui te tuaque omnia & totum exercitum ſuppliciter commendo: quem etiam precor, ut faxit vos victores, & brevi nobis reduces ſiſtat. Lugduni Batavorum 27 Octobris 1605.

LXXXI.

Viro Reverendo

JOANNI UYTENBOGARDO

meo, ſalutem & bene per Chriſtum agere P.

JACOBUS ARMINIUS.

REverende vir & hominum amiciſſime. *De Prædeſtinatione.* Statueramus ego & Borreus ad te hac hebdomada excurrere; ſed catarrhus ex cerebro defluens, quem frigus illi conciliavit, impe-

Ep. 81. impedivit: qui tamen ubi exſiccatus fuerit, quod ſperamus propediem futurum, propoſitum volente Deo exſequemur, illa quam noſti de cauſa. Tu interea da operam ut meliuſcule habeas, & otium ſuperſit nobiſcum conferendi. Ne vero hoc indicio facto claudam & finiam, nonnulla ad literas tuas, quas mihi ſcriptas coram nuper tradidiſti, adnotabo, quia id tum etiam petiiſti. Ad 1. Ordo hic eſt decretorum, 1. Fideles volo ſalvare. 2. Huic fidem dabo, & in fide conſervabo. 3. Hunc ſalvabo; ita enim præſcribit primum decretum, quod neceſſario eſt præponendum, quia ſine hoc fides ad ſalutem non neceſſaria, & propterea nulla neceſſitas adminiſtrandi media ad fidem; illi autem directe opponitur ſententia quæ ſtatuit, fidem dari, cui velit ſalutem antea. Nam ſic vult ſalvare non fidelem. Quod dicitur de diſcrimine decreti & exſecutionis, quaſi velit quidem prius alicui ſalutem quam fidem, at non dare ſalutem niſi fideli; futile eſt; præterquam enim quod illa ſint conſentanea, certum eſt Deum, quod dare non poteſt propter præcedens decretum ſuum, id quoque velle dare non poſſe. Itaque ut fides generatim præſtruitur ſaluti primo decreto; ita neceſſe eſt in ſpeciali & ſingulari ſaluti hujus & illius præſtrui etiam in decreto ſpeciali, quod exſecutionem ſubſequentem habet. Ad 3. ζήτημα (*quæſitum*) ita potius opponam. An Deus ſtatuerit peremtorie cum nonnullis hominibus ſecundum rigorem legis ſtrictum agere, ut cum Angelis lapſis, cum aliis ſecundum gratiam Euangelicam. Si negent, habeo quod volo. Sin affirment, abſurditatibus erit obruenda iſta ſententia; quia ſic ſeverius egerit Deus cum multis hominibus, quam cum Angelis lapſis; utpote qui creaturæ puræ ſpirituales ex propria malitia nemine ſuadente, & ſinguli per ſe peccaverint. Quartum meum oppoſitum negare non poterunt; peccata enim confitentibus promiſſa eſt remiſſio, & initialis timor dicitur reſpectu ſubſecuturi filialis. Si fateantur; at dicant Deum tamen iis non moveri: jubebo illos tunc ex ſuo interrogato idem verbum delere, & melius ſententiam ſuam enunciare. Quintum omnino negare debebunt: ſi affirment, falſum dicent, & invidiam ſubibunt, omnium prudentium, etiam infirmorum. Quærant ergo, quod velut intermedium ponant, inter ſuum & meum poſtulatum, & monſtrabo id ipſum vel cum ipſorum, vel cum meo coincidere. Ad 6. poſui duo, quia & duplex eſt illorum quæſtio. Ad priorem nihil deſideras; ad poſteriorem dico explicationis cauſa, circulum eſſe, ubi nec initium eſt nec finis, ſed initium & finis ubique; quod in decretis Dei ſine abſurditate locum habere nequit. Quæro, an ſtatuerit fidelibus dare ſalutem, an vero ſalvandis fidem? Si utrumque dicatur, quæro utrum prius, utrum poſterius ſit? Neutrum dicent, & eſt circulus: ſi hoc dicant, nempe Deum ſtatuiſſe ſalvandis fidem dare; ego probabo illum ſtatuiſſe fidelibus ſalutem dare, & effecero circulum illis invitis; diverſum reſpectum ſi adferant; illum, dabo operam, ut confutem: quod non poteſt eſſe difficile in re planiſſima. In 7. reſpectum habui ad vocem *debet*; nam de poſſe non eſt contendendum; fides autem juſtificans non eſt, qua credo mihi eſſe remiſſa peccata; nam ſic idem erit objectum & effectum fidei juſtificantis, per illam enim obtineo remiſſionem peccatorum; ergo præcedit aliud objectum. Et nemo poteſt credere ſibi eſſe remiſſa peccata, niſi ſciat ſe credere fide juſtificante: qua de cauſa etiam nemo poteſt credere ſibi futura peccata etiam remiſſum iri, niſi ſciat ſe ad finem uſque creditorum: Credenti enim remittuntur peccata, & non niſi jam ſint perpetrata; quare promiſſio remiſſionis, quæ eſt novi Teſtamenti, conſideranda eſt ut innitens conditioni à Deo ſtipulatæ, quæ eſt fides, ſine qua nullum eſt pactum. Ad 8. diſtinguatur inter fidem qua qualitas eſt ſeu habitus, & inter eandem qua actus; actuale credere juſtificat, ſeu ipſum credere imputatur in juſtitiam; nam poſtulat Deus fidem actualem, quam ut præſtare poſſimus infundit habitualem. Itaque cum fides actualis non conſiſtat cum peccato mortali, incidens in peccatum mortale poteſt condemnari; poteſt autem incidere fidelis in peccatum mortale, ut eſt in Davide videre. Ergo poteſt incidere in illud momentum, quo ſi obiret, condemnaretur. Si cor noſtrum non condemnat nos, habemus fiduciam; ergo ſi condemnat, non habemus, nec habere poſſumus; quia Deus eſt major corde noſtro & videt omnia. Quod dicitur de impoſſibilitate iſtius eventus, propterea quod Deus ſtatuerit tales iſto momento ex vita non tollere; ad rem non facit. Hoc enim opponitur finali excidio, non temporali, & totali ad tempus, de quo quæritur in quæſtione octava. Ad nonum meum oppoſitum, ſi reſpondeant Deum in fœdere gratiæ poſtulare officium homini impoſſibile; neceſſario fateri cogentur, præter hoc fœdus aliud inſuper eſſe neceſſarium, ſecundum quod Deus ignoſcat non præſtito officio ſecundum fœdus illud gratiæ, quemadmodum neceſſe fuit ut aliud eſſet fœdus quo Deus ignoſceret officio non præſtito juxta fœdus legale: & ſic ibimus in infinitum; & tandem eo deveniendum erit, ut dicamus Deum infinita miſericordia, quæ nullis omnino conditionibus ab ipſius æquitate præſcriptis limitetur, ſalvare peccatores. Quod omnino videtur conforme futurum toti doctrinæ illorum qui prædeſtinationem abſolutam urgent. Quum enim ira & miſericordia opponantur, an non ut ira eſt infinita, ita & miſericordia? Ira, ſecundum illorum doctrinam, quidquid contra opponant, facit homines peccatores, ut habeat quos puniat. Miſericordia, quod expreſſe dicunt, facit homines fideles vi omnipotente, & ſervat eos ne Ep. 81.

exci-

Ep. 81. excidere poſſint, ut habeat quos ſalvet. At vero, ut Nicaſius van der Schuer dicit, ſi potuit facere peccatorem ut haberet quem puniret; potuit etiam ſine peccato punire; itaque potuit etiam ſine fide miſericorditer ſalvare; & quemadmodum ira voluit habere juſtum damnationis titulum per interventum peccati; ita decuit miſericordiam citra ullius officii interventum ſalvare, ut conſtaret totum eſſe miſericordiæ ſine ſpecie juſtitiæ. Speciem juſtitiæ dico; quia fidem ingenerat per vim irreſiſtibilem, & facit vi irreſiſtibili ut homo ad finem uſque in fide perſiſtat, & ſic neceſſario ſalvetur, juxta decretum, Qui crediderit & perſeveraverit ſalvabitur. Hoc poſito, excluditur omnis æquitas tam à decreto prædeſtinationis ad ſalutem, quam à decreto ad mortem. Hæc ego illorum ſententiæ citra calumniam objici poſſe ſentio ex conſcientia, & paratus ſum id ipſum contra quemvis patronum iſtius ſententiæ tueri. Non enim expediunt ſe, cum dicunt hominem & ſponte peccare, & ſpontaneo motu credere. Nam ſpontaneum & naturale non opponuntur, & ſpontaneum coincidit cum eo quod abſolute eſt neceſſarium, ut lapidem moveri deorſum, beſtiam edere & gignere, hominem amare quod ipſi bonum eſt; omnes autem excuſationes in hoc ſpontaneum terminantur. Venio ad id, quod occaſione epiſtolæ aliquando ad te datæ, ubi narro quid mihi accidit viſitanti nonnullos conflictantes cum dubitatione de ſalute ſua, petis, de fide hiſtorica, an non illa ſit, credere Jeſum hoc eſſe, hoc poſſe, hoc fidelibus promiſiſſe. Ita ſane eſt, quatenus illa fides præſtatur puræ putæ narrationi; at vero qua præſtatur juſſui credendi, & promiſſioni, non eſt hiſtorica, ſed ſalvtica; dæmon credit quia verum novit: at homo credit quia verum novit & ſibi bonum, hac cauſa, ut Deo obtequatur jubenti, & obtineat additam promiſſionem. Illa itaque fides eſt hiſtorica; hæc juſtificans, & quæ obedientia fidei dicitur. Conſiderentur hæc ordine. Prædicatur hoc verbum; qui crediderit in Jeſum Chriſtum ſalvabitur, vel, credenti Jeſus Chriſtus erit Salvator, Redemptor: & prædicatur id hominibus, non dæmoni; quamquam fieri nequeat, quin ille ſciat hoc prædicari, & vere prædicari. Si quis ergo idipſum ſic conſideret ut ad ſe non pertinens, quamquam credat verum eſſe, non tamen credit vere, & eo quo debet modo, tum credi hoc ipſum, tum & credere ille. Nam id annunciatur ut ſic credatur, & annunciatur ut ille credat, hoc eſt, tenetur ille credere hoc ipſum, & quum hoc credit, jubetur credere in Jeſum Chriſtum, vel potius efficitur ut credat in Jeſum Chriſtum, inductus hoc argumento, quia ſecus ſalutem & vitam æternam adipiſci non poterit. Fundamentum ergo fidei continetur in conjuncta officii noſtri & præmii divini propoſitione, quod reſolvitur in poſtulationem actus credendi & promiſſionem vitæ æternæ. Reſponſio ad poſtulationem eſt fides juſtificans; cujus præmium eſt vita æterna: ſed reſponſio, ad quam faciendam inducor propterea quod credo hanc connexionem eſſe certam, Credenti dabitur vita, non credentem manet mors. Diſtinguatur inter Servatorem eſſe conſtitutum, & actu ſervare; illud enim notat potentiam, voluntatem & poteſtatem ſalvandi; hoc ipſam executionem & dationem ſalutis. Si itaque ego, prout teneor, credo Chriſtum eſſe conſtitutum Salvatorem; hoc eſt habere poteſtatem, potentiam, voluntatem ſalvandi, & ſic me illi ex fide trado, tunc obtinebo actu ab illo ſalutem, id eſt remiſſionem peccatorum, Spiritum gratiæ & vitam æternam. Ergo in illis verbis, credo Chriſtum eſſe Servatorem mundi, fidelium imo & meum Servatorem, non includuntur hæc, credo mihi eſſe remiſſa peccata, credo me habere vitam æternam; ſed, credo me habiturum illa in ejus nomine. Nam quia credo habiturum me hæc, ſi credam in illum, credo in illum ut actu habeam iſta, & tunc actu accipio. Confuſio harum rerum efficit, ut noſtri aliquando minus commode de fide juſtificante loquantur. Ecce mi anime quum tecum loquor pauſam facere nequeo. Tu ignoſce, & prolixitatem boni conſule, ut mea omnia. Vale & fac ut bene valeas. Deus te quam diutiſſime Eccleſiæ ſuæ, familiæ tuæ & mihi incolumem conſervet. Pridie Kal. Januarii 1605. & ſic veterem annum finio, & novum tibi precor feliciter ingredi, felicius progredi, egredi feliciſſime. Amen. Lugduni Batavorum.

LXXXII.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI NARSIO S.P.

Ep. 82.

PRæſtantiſſime & Chariſſime D. Narſi. Quod duabus tuis ad me literis nihil reſponderim, nulla factum oblivione, nulla incuria; ſed quod videbantur reſponſum non poſtulare, & quod raro mittendi offeratur occaſio. Jam vero cum affini meo Brunoni ſcriberem, volui & has ad te exarare, quibus te certiorem facio, nos tandem voto noſtro potituros. Conceſſerunt enim Ordines Generales id, quod petebatur. At injecta eſt ab illis mentio de reſumenda Confeſſione, quod nonnullos ex miniſtris ægre urit, qui putant illum canonem nimis eſſe rectum, quam ut veniat in controverſiam: alii æquiores concedunt quidem æquum eſſe, ut illius examen inſtituatur; attamen opus non eſſe, ut ejus mentio fiat ſpeciatim; illud enim ipſum videtur erroris alicujus illum tacite inſimulare; quum ante diſpiciendum ſit, an quidpiam ea contineatur non probum. Nobis perinde eſt, qua formula explicetur conſenſus Ordi-

Ep. 83. Ordinum, modo Confeſſionem examinare liceat in illo conſeſſu, cui totum me paro: ſemel enim data tam ampla occaſione utendum eſt, ne poſtea doleamus non uſurpatam. Ego, ut fieri ſolet, ad octavum Februarii Rectoratum meum depoſui. Succeſſorem habeo D. Pavium. Orationem habui de diſſidio religionis, cujus naturam & effectum cauſaſque, denique remedia explicui illa libertate, quam requirit ipſum negotium & Eccleſiæ ſtatus. Probant plurimi, improbant & dolent nonnulli. Ubi huc veneris, videbis illam, ut ſpero, & fateberis non eſſe à meticuloſo oratore profectam. Sentio enim illorum ſuſpiciones & calumnias mihi animum addere, quem & confirmat habenda Synodus, ad quam provoco, ſi quis adverſum me vel mea quidpiam dicat. Joannis Arnoldi vocatio concluſa eſt in Synedrio; offeretur Conſulibus, quos noſti erga illum bene affectos eſſe. Non dubito, quin ſucceſſura ſit, niſi in examine quidpiam lævum accidat, quod vix puto, propter autoritatem Conſulum in res Eccleſiaſticas apud nos. Ultrajectini jam ſunt Hagæcomitis, vocationem in Uytenbogardum inſtitutam urgentes: at puto illos præfeſtinanter agere & nihil effecturos. Quamquam non paucæ ſunt rationes, quæ movere poſſint animum D. Uytenbogardi. In Eccleſia & Academia noſtra pax eſt. Fuit nuper inter D. Borreum & collegas ipſius colloquium, quo ſublatæ ſunt ex parte ſimultates ex ſuſpicione diſſenſionis coeptæ exoriri. Mei collegæ nihil movent, & ego quieſco. Fervet æque ſtudioſorum affectus ad audiendum, quem ego diligenter exacuo, quantumvis in me eſt. Deus ſecundet inſtitutum meum, quod ille novit quo fine à me ſit ſuſceptum; quem etiam precor, ut tuis laboribus affatim benedicat. Vale chariſſime Narſi cum bono Deo. Salveat à me collega tuus, quamquam ignotus. Raptim, ut vides. Lugduni Batavorum 12 Februarii 1606.

Tuus ex animo

JACOBUS ARMINIUS.

LXXXIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS.

Salutem in Chriſto P.

De loco Matth. 18. verſ. 2. &c.

VIr præſtantiſſime, Sub veſperam hora ſexta literas tuas accepi, quibus quamquam tam brevi temporis ſpatio vix probe reſpondere poſſim, tamen quia reſponſum petis, illud qualecunque à me proficiſci poteſt, tibi non denegabo. Inprimis igitur probabilior mihi videtur ſententia Calvini, quam Piſcatoris, & de parvulis non ætate, verum humilitate & infirmitate intelligendum eſſe locum puto. Quod hiſce rationibus adſtrui poſſe videtur. Dicuntur enim illi parvuli in Chriſtum credere, & offendi poſſe, quæ offenſio continet deſtructionem operis Dei in illis 1 *Cor.* VIII. Occaſio quoque ſermonis & contextus id evincere videntur. Occaſio data ſermoni per contentionem diſcipulorum, diſceptantium de eminentia: unde Chriſtus cœpit hortari ad humilitatem animi; & quo adhortaretur fortius, puerulum in medio ſtatuit, cui illos ſuos voluit æquiparari. Ergo pueruli mentio hic facta ex accidenti, ut ſerviret pro ſimilitudine ad ſuaſionem: parvuli itaque ætate neque ſubjectum neque attributum ſuit orationis ſuaſoriæ, ſed explicatio attributi, Eſtote humiles, ut puerulus iſte. Tranſiret ergo Chriſtus ad aliud genus, ſi jam de parvulis ætate inciperet agere. Contextus id indicat: nam *verſ.* 4. & 5. iſta eſt connexio: Qui demiſerit ſe ut puerulus iſte, ille eſt maximus in regno cœlorum, & qui exceperit talem puerulum, ſe nempe demittentem, in nomine meo, ille me excipit. Duo argumenta nempe ſunt ſervientia ſuationi ad humilitatem: demittens ſe erit maximus, & digniſſimus qui ab omnibus recipiatur; ego enim æſtimabo me recipi in illo: alioqui *verſu* 5. nova ſuſcipitur adhortatio, quod non videtur convenire connexioni. Notanda etiam vox מקבל, *verſ.* 5. uſurpata, quæ qualitatem notat: quum קבל *verſu* 4. uſurpatum notet ſubſtantiam, nempe hoc מי אל מי, illud מקבל אל מי. Videtur inſuper neceſſitas aliqua urgiſſe, ut Chriſtus hortationi ad humilitatem ſubjiceret iſtam ad ſolatium & confirmationem humiliter ſe gerentium: quaſi dicat: Neque metuite, ſi humiles vos præſtetis, contemtui fore obnoxios: Ecce ego iſtos tales commendo omnibus de meliore nota: & eouſque, ut quidquid ipſis factum fuerit boni, mihi factum exiſtimem: ſi quid contra in illos peccatum fuerit, id in me perpetratum judicem, quin & in Patrem meum, & in Angelos, quorum tutelæ Pater illos commiſit. Voluit hac ratione obviare contemtui humilium, omnium digniſſimas perſonas nominando qui contemnuntur illis contemtis: & quorum initur gratia, ſi iſtis beneſiat. Et quis audeat contemnere, quis offendere illos, quorum ſalutem Pater vult, Angeli curant, & quorum ſalvandorum cauſa ego veni?

Ad ſecundum, de Angelis præfectis fidelium ſingulis: ſentio non ſingulis ſingulos præpoſitos Angelos, ſed multos ſæpe unius cauſa mitti, & unum ſæpe multorum, pro arbitratu divino. Quod Angeli illorum dicuntur videre faciem Patris, phraſis nota eſt; ſic à Regina Saba dicuntur ſervi Salomonis beati, qui vident faciem ejus: ſed an emphaſis ſit in pronomine iſto (Patris mei) ignoro; tamen ſi ſit, ſic explicari poſſe puto: Quum meus Pater, qui verus Deus eſt, Angelis ſuis mandata dederit, & quidem qua Pater meus eſt, de cuſto-

Ep. 83. stodiendis & servandis credentibus in me humilibus illis, & Angeli perpetuo adstent coram tribunali & throno mei Patris, ut jussa excipiant ipsius, & illa promtissime exsequantur; videte ne parvulos in me credentes contemnatis aut offendatis; sic enim Patrem meum, qui credentium in me Pater esse voluit, offendetis gravissime, & Angelos, qui hac potissimum de causa faciem Patris mei vident, ut de credentibus custodiendis, & puniendis illis qui eos offendunt, jussa accipiant, in vestram perniciem concitabitis. Et sane quamquam Deus Servator est omnium hominum, maxime tamen credentium, & credentium Servator, quatenus est Pater Jesu Christi, cum hoc particulari respectu. Sic Angeli sunt Spiritus administratorii ad salutem fidelium procurandam. Hinc quoque incumbit Christo cura commendandi & servandi illos, quia ipsi à Patre suo, id est, à Deo qua Pater ipsius est, dati sunt servandi. Et sane sic res habere videtur: Quod cum mutatione status totius mundi, res quoque Angelorum & hominum mutatæ sint. Quum enim antea Angeli, ut natura, sic quoque statu & gradu, digniores fuerint hominibus; jam post novam creationem, quæ à Deo Patre Christi per Christum Filium Dei & hominis facta est, videntur facti Angeli inferiores iis qui ad novam illam in Christo creationem pertinent. Non enim Angelis subjecit Deus mundum futurum, novum nempe illum, sed Jesu Christo & fratribus Jesu Christi, id est, credentibus in illum, *Heb.* II. Qua de causa forte dicuntur Angeli credentium, seu illorum proprie: utpote qui illorum causa, & ut ipsis serviant, aditent throno Dei, tanquam Spiritus administratorii minores multum Christo, & propterea etiam minores iis quos Christus fratrum suorum honore & nomine dignatur. Quæ forte causa est, quod, quum Angeli in veteri Testamento à fidelibus Domini appellati sint, & velut vicem & personam Dei gerentes honore ab iis affecti, sub novo Testamento honorem repudiaverint istum, & hoc nomine non fuerint amplius cohonestati, postquam nempe Christus Filius hominis constitutus est hæres & judex omnium, cujus illi servi sunt facti à Deo, qui illi nomen dedit supra omne nomen, ut etiam cœlestia genu illi curvarent. Connexio *versus* 11. cum antecedenti, qui abesse posse non videtur propter *versum* 14. ipsi respondentem, videtur esse qualem ponis, nempe Patrem suum, cujus faciem vident Angeli fidelium istorum parvorum, se mississe in mundum, ea de causa ut servaret parvos istos: quo ipso significaret quanto amore Pater illos complectatur: quum autem *servandi* verbo usus est Christus, quod opponitur offendiculi effecto, quod est destructio, etiam illi convenienter parvos istos appellavit perditos, proprie enim servatur quod in se perditum erat. Hanc connexionem probat *versus* 14. proxime cum isto 11. connexus, nam 12. & 13. similitudinem continent explicantem, quod dictum est *versu* 11. Ep. 84

Quid vero tibi velit ista appellatio *Filii hominis*, Christo ubique tributa in novo Testamento, certe fateor me ignorare, quamquam sæpe de illo cogitaverim: promptum esset dicere, quia sit conceptus ex Spiritu sancto, & natus ex virgine; at excipitur, etiam Ezechiëlem sæpe sic appellari: quamquam isti exceptioni forte opponi posset, Christum proprie Jesum dici, licet & Josuæ duo fuerint, unus dux, alter sacerdos in Israële. Forte voluit Deus isto nomine Prophetam istum insignire, ne nomen Filii hominis nimis esset insolens apud Judæos, ubi hic sub isto compareret. Quid si dicamus, illum dici semper Filium hominis, quia sit secundus homo ex homine natus. Primus enim esse non potuit; & tamen debuit esse ex hominibus, sed non via ordinaria per maris & fœminæ congressum, verum ex Spiritus sancti operatione: illud quod primus esse non potuit, & tamen ex hominibus esse debuit, Filii nomen ipsi donat; quod ex muliere tantum, non etiam ex viro, efficiet ut hominis Filius dicatur. Sed hæsito ego, me expedire non possum. Velim rescire quid tu super eo meditatus sis. Statui cum bono Deo cras ad prandium adesse D. Junio, ad quem uxorem quæ hasce ferat, præmisi: comitari non potui certa de causa adhuc obeunda. Vale vir clarissime & frater in Christo dilectissime. Deus tibi adsit & favore suo te magis magisque prosequatur. 4 Martii 1606. Leydæ. Æqui consule extemporaneas hasce meas responsiones, pro more tuo.

LXXXIV.

D. JOANNI MATTHISIO

JACOBUS ARMINIUS

Salutem in Christo P.

De Prædestinatione.

FRater in Christo dilectissime; Literas tuas decimo sexto hujus scriptas, vigesimo quarto accepi ejusdem; simulatque vero perlegi, calamum arripui & respondeo, quia tam grato & benevolo animo non satisfacere, quantum in me est, religio mihi est. Distinctioni fœderis in externum & internum locum non facio; quia nullibi in Scripturis illius est mentio; inde, quia cum natura ipsius fœderis, hominis, quin & Dei pugnat. In Scriptura non illius ulla mentio, imo contrarium docetur, quum novum fœdus, prout administratur Euangelio, remissionem peccatorum & Spiritus in corda infusionem continet, promissam in oblatione ejus, & quum recipitur fœdus fide conferendam. Exclude istam promissionem ab externo fœdere, & fœdus habe-

Ep. 84. habebis vacuum promiſſionibus; quod eſt contra naturam fœderis. Si talis diſtinctio explicetur, quæ non excludat; huic ego non contradicam, quum rem relinquat, in modo tantum explicationis variet. At quum internum fœdus proprium electorum, alterum commune eſſe reprobis dicatur; hæc non diſtinctio eſt fœderis, ſed diſſeparatio, non modo rei, ſed & ſubjecti, utpote quæ eiſdem ſubjectis non competat. Hominis naturæ contraria eſt, qui unus eſt, conſtans corpore & anima; cujus Deus eſſe nequit Jehova, niſi ſecundum totum Deus eſſe velit, id eſt, illius Salvator; ſecus cum illo agit non ut cum homine, ſed ut cum bruto; non cum homine prout ad ſpiritualem vitam conditus, ſed ut in animali ſolo conſtitutus. Noſti quam graviter Calvinus invehat in Servetum, quem dicit Patribus ſub* V. T. tantum bona terrena promiſſa adſcribere: idem dicere licebit de iis quos reprobos appellamus. Natura Dei repugnat iſti rationi, qui fœdus non init cum quopiam, niſi hac conditione, ut ipſe ſeipſum communicet, & merces magna ſit fœderato officium facienti; & viciſſim poſtulat à fœderato animi obedientiam, non ſacrificium ſed miſericordiam. Si quis dicat, externo fœdere iſta ipſa bona offerri quidem, ſed non niſi interno conferri. Reſpondeo; non offerri externo, ſi fœdus internum tantum competat electis, & non ſit commune omnibus. Qui enim bona illa offerantur alicui externo fœdere, ſi propria ſint interni fœderis, & decreto aliquo præcedente ipſam oblationem ſtatutum ſit iſtis talibus illa bona non conferre? Deinde, quæ poteſt excogitari ratio, cur oblatio ſit externi fœderis, collatio interni? quum collatio fundata ſit in promiſſione adſtringente promiſſorem ſi conditio præſtita ſit, & requiſita in propoſitione ſeu adminiſtratione externa fœderis per Euangelium facta: oblatio itaque aut mendax eſt & hypocritica, aut illam excipit neceſſario collatio, ſi præſtetur conditio. Si quis dicat, illam præſtari non poſſe niſi vi interni fœderis; ille fatetur mendacem eſſe & irriſoriam oblationem quæ verbo extrinſecus fit, quum Deo ſtatutum ſit vires non conferre ad præſtandam conditionem requiſitam neceſſarias. Hujus vero diſtinctionis confutatio doctrinæ de electione & reprobatione, prout Scripturis eſt explicata, non præjudicat; nam fœderis adminiſtratio & pactio præcedanea eſt electioni & reprobationi; quum illa ſit voluntatis antecedentis, hæc conſequentis; & fœdus pangitur cum hominibus citra diſcrimen electorum & reproborum, ſic ſpeciatim dictorum. Sed objicis; ſublata iſta diſtinctione, electionem pendere à præviſa fide vel perſeverantia: quod procul dubio abſurdum exiſtimas. Sed quid ſi hoc abſurdum non ſit reipſa, tantum verbis ſic enuntiatis eſſe videatur. Noſti odioſius efferri ſolere adverſariorum ſententias, ut compendio confutentur. Mutabo igitur paululum iſta verba, & dicam: Electionem verſari circa objectum, cujus formalis conditio, in objecto requiſita, eſt fides & perſeverantia: itaque finem præcedere electionem ad vitam vel ſalutem, quod innumeris Scripturæ locis comprobatur: Hæc eſt voluntas Patris, ut qui credit in Filium habeat vitam, qui non credit condemnetur. Dedit dignitatem ut Filii Dei fierent qui credunt in nomen ipſius: Quibus juravit non ingreſſuros in requiem infidelibus: Factus eſt autor ſalutis obtemperantibus ipſi: Non abjecit Deus populum quem præcognovit, id eſt, fidelium, ut probatur ex toto textu. Electio aſſecuta eſt, id eſt, fideles, reliqui occalluerunt, *Rom.* XI. Hoc probatur omnibus promiſſionibus & comminationibus, quæ locum non habent neque habere poſſunt ſublata iſta doctrina. Quæ contra objici poſſunt facile refelluntur; quod, ſi lubet, experieris, quando conveniemus. Deus itaque alligavit electionem ſuam ad ſalutem fidei, libero decreto, & decreto præcedente id decretum, ſecundum quod media ad fidem adminiſtrat. Quæ diſtinctio non animadverſa cauſa eſt erroris multis noſtrorum hominum. Si ergo dicatur pendere electio Petri à præviſa ejus fide, ſic intelligetur; quia Deus libere decrevit nemini niſi fideli ſalutem dare, & propterea neminem ad ſalutem eligere niſi fidelem; hinc non vult, ne ſibi contrarius ſit, Petro velle ſalutem dare, niſi fideli. Scio objici, fidem non eſſe omnium, & fidem dici electorum Dei; item, fidem eſſe donum Dei; nec non, quos prædeſtinavit vocavit, ſc. ad fidem. Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, reliquis in parabolis loquor. Abſcondiſti hæc à ſapientibus. Vos non poteſtis credere, quia non eſtis ex ovibus meis. Finis prior eſt in intentione & voluntate, quam media: At ſalus eſt finis; fides eſt medium. Et ſi quæ ſunt alia. Verum quam nihil faciant contra hoc quod aſſevero, alias dabitur occaſio demonſtrandi. Ad diſtinctionem quod attinet, qua Chriſtus ſufficienter pro omnibus mortuus dicitur, pro electis ſolis efficaciter: dico, ſi verba rigide urgeantur, abſurdam eſſe; quia neque efficaciæ, neque ſufficientiæ vox morti adſcribi poteſt: quid enim eſt ſufficienter mori, quid efficaciter? Itaque ſic explicanda phraſis: mors Chriſti pretium redemptionis eſt ſufficiens redimendis omnibus hominibus; ſed illa non prodeſt niſi credentibus, id eſt, electis, idque juxta decretum Dei, qui ſtatuit ne Chriſtus eſſet Salvator ullius hominis, præterquam fidelis. Deinde mors Chriſti antecedit electionem & reprobationem, & decretum de dando Chriſto in mortem præcedit decretum quo ſtatuit ſalvare & perdere Deus, id eſt, electionis & reprobationis. Ergo mortuus eſt Chriſtus pro hominibus peccatoribus, citra diſcrimen electorum & reproborum: Verum quum ille, qui Chriſtum morti tradidit, hoc animo id

Ep. 84. fecerit, ut conſtitueret illum Salvatorem, & fidelium tantum, hinc eſt quod mors illius utilis non ſit niſi credentibus. Recte ergo dicitur Chriſtum eſſe mortuum pro toto mundo, pro omnibus, pro multis, pro peccatoribus: verum cum mortuus ſit ex voluntate & decreto Patris, penes quem eſt jus & poteſtas decernendi quibus velit Filii ſui mortem prodeſſe; hinc dicendum, ſolis credentibus eam prodeſſe ad vitam æternam, quum ſoli credentes ad vitam æternam ſint prædeſtinati, & Chriſto ſalvandi dati: fidei autem includo perſeverantiam, juxta hoc, qui perſeveraverit ſalvus erit. Qui vero non credunt, illi rejiciendo Chriſtum illum ſibi inutilem faciunt. Secus ſane Euangelium omnibus proponi non poterit, comitans promiſſione remiſſionis peccatorum, & mandato fidei: ſecus infideles rei eſſe non poſſunt gratiæ repudiatæ, & ſanguinis Chriſti conculcati, ut recte & firmiter argumentaris. Reſpuunt autem illum infideles ipſi, vel in parentibus: at quomodo hoc poſtremum intelligendum ſit, prolixiore diſquiſitione indiget: quamquam id ipſum repudiari non poſſit à noſtris, qui dicunt nos omnes in Adamo legem tranſgreſſos eſſe, & condemnationi obnoxios factos. De diſtinctione iſta, qua Deus dicitur genera ſingulorum, non ſingula generum ſalvari velle, dico neque neceſſariam eſſe, neque probam. Non neceſſaria; quia commodius reſponderi poteſt ad objectamenta quæ objiciuntur, ſiquidem contra veritatem veniant. Eſt reſponſio, qua diſtinguitur inter velle ſervari homines, & ſervare; quæ cum eſt nullius pretii, eſt altera quæ majoris eſt momenti, de voluntate antecedente & conſequente; quam diſtinctionem licet nonnulli ex noſtris doctoribus repudient, tamen veriſſima eſt, & maximæ utilitatis, ad quam ſi conferatur diſtinctio voluntatis in revelatam & arcanam, noſtris uſitatiſſima, futilis & inſulſa comperietur. Non proba; quia nullum Dei decretum in Scripturis nobis deſcribitur, quo ſtatuit Deus genera ſingulorum ſalvare: quamquam verum ſit illum ſalvare ſenes, juvenes, viros, mulieres, divites, pauperes, ſapientes, inſipientes, ſeu ſimplices, reges, ſubditos; ſed non quia tales, verum quia fideles; at cur non venit illis in mentem, nobiliſſimam omnium diſtinctionem eſſe, qua homines diſtinguuntur, in negotio quidem ſalutis & vitæ dandæ, in fideles & infideles, bonos & malos? jam ergo & hic genera ſingulorum ſi ſalvare dicatur, dicetur etiam infideles & malos ſalvare: ſi hoc non dicatur, futilis eſt illa diſtinctio, quum non habeatur ratio generum, ſed individuorum in omnibus iſtis generibus, quatenus ſub unico fidelium genere comprehenduntur. Si de voluntate antecedente intelligatur; vult Deus ut omnes homines, hoc eſt, omnia individua ſalventur, & ad veritatis notitiam perveniant; quia individuis offertur & prædicatur Euangelium qua talibus, non qua ſub hoc vel illo genere virorum, mulierum, doctorum, indoctorum, &c. continentur. An non videtur probandum, quod dicitur tam confidenter? Deus vult genera ſingulorum ſalvare, inquiunt. Ubi, inquam ego, declaravit hoc Deus in Scripturis? Ex eventu, inquiunt, probatur; quia ſalvat genera ſingulorum, hinc voluiſſe ſalvare compertum eſt. Ita ſane: quum licet illis genera iſta circumſcribere, prout vident congruere poſitæ theſi, & rurſus excludere illa, quæ probare non poſſunt ſub ſalute comprehendi, quale eſt genus infidelium, malorum, impœnitentium, diſcedentium. In ſalvando non reſpicit Deus ad id quod genera iſta diſtinguat; niſi dicamus Deum voluiſſe præcipue tot doctos, tot indoctos, tot viros, tot mulieres, tot pueros, tot ſenes, tot Judæos, tot gentiles ſalvare, tot privatos, tot publicum munus obeuntes. Quamquam ſciamus Deo conſtare numerum omnium ſalvandorum, & quales illi ſecundum omnes hujus vitæ circumſtantias ſint futuri; tamen non illud conſideravit in decreto, ſed omnes ſub una fidei qualitate comprehendit. Jam vero in decreto de fide danda, non magis habuit rationem illorum generum: quare improba eſt iſta diſtinctio, & ad rem ipſam de qua nullius momenti: quia ad veritatem & ſalutem nulla illorum generum relatio eſt. Inſpiciatur locus, & apparebit Apoſtolo non venſſe in mentem vel cogitare de generibus ſingulorum. Jubet enim primo, ut preces fiant pro omnibus hominibus: an hoc ſenſu, precamur Domine pro viris, pro mulieribus, doctis, indoctis? an vero, precamur te pro iſtis & iſtis particularibus portionis quas novimus indigere precibus noſtris, citra reſpectum an ſub illo vel iſto genere ad animalem vitam pertinente fuerint? Bonum eſt & acceptum coram Deo; quia ille amat ſuas creaturas, qua creaturæ ſunt & individua, ſive ſub hoc, ſive ſub illo genere poſita ad animalem vitam pertinente. Ita progredere porro, & apparebit inſulſitas iſtius diſtinctionis. Hæc ego, venerande frater, prolixius forte quam neceſſe fuit, tamen ex animo tibi gratificandi: ſicubi putabis erraſſe à vero, moneto, & libere, citra excuſationes; nam ſtatutum mihi eſt veritati obtemperare in omnibus: docere paratus ſum, quia id officii impoſuit Deus ex ſpeciali vocatione: doceri paratus ſum, quia id commune poſtulat omnium munus, & ad exſequendum ſpeciale illud eſt neceſſarium. Gaudeo cum objiciuntur mihi contraria argumenta; quia datur occaſio aut confutandi, & ſic veritatem quam novi adſtruendi; aut diſcendi veritatem antea ignotam, ſiquidem confutare objectamenta non poſſim. Mihi enim veritas ita videtur eſſe affecta, ut nullas objectiones metuat; neque poteſt veritati quidpiam objici tam plauſibile, quod non confutari poſſit: ſi in confutando nobis hæret aqua, alterutrum ſtatuendum eſt,

Ep. 85. eſt, aut verum non eſſe quod arbitramur, aut nobis veritatem non ſatis eſſe cognitam. Sic ego judico, & ſecundum illud judicium mea inſtituo. Hæc etiam quæ dixi omnia, non modo ſacris Literis, quod unice curandum eſt, puto eſſe conſentanea; ſed etiam Confeſſioni & Catecheſi noſtræ non contraria; qua de cauſa etiam liberius iſta enuntio, quanquam apud te libertate uti poſſim. Ignoſce ſcriptionis incongruentiæ, quia feſtinante calamo ſcripſi, ſic urgentibus occupationibus meis. Si quid reſcribere velis, ego ad diem Lunæ ſub veſperam ſtatui eſſe Amſterodami apud conſulem & quæſtorem Joannem Petri Reael, avunculum uxoris meæ, ubi perdurabo uſque ad ſequentem Lunæ diem, Deo volente. His vale frater in Chriſto dilectiſſime, cum uxore & familia. D. Jeſus tibi adſit, & Spiritu ſuo ſancto magis inſtruat, magiſque. Lugduni Batavorum 24. Martii 1606.

LXXXV.

JACOBUS ARMINIUS

N. N.

Fragmentum epiſtolæ, de prædeſtinatione.

Dicis te ambigere, quomodo homo naturalis in juſto exitio ſuo ἀναπολόγητος (*inexcuſabilis*) fiat in conſpectu Dei. Rem ergo ſtatuis, at de modo ejus dubitas: quem ut expediam, primum neceſſe habeo, ut pro homine naturali, peccatorem ſubſtituam; peccatoris enim eſt reddi inexcuſabilem: Inde quid ſit inexcuſabilem fieri, declarem; quod mihi idem eſſe videtur cum eo, quod Chriſtus dicit, non habere quod prætexat peccato ſuo. Cauſa quæ peccatorem reddit inexcuſabilem de peccato admiſſo, eſt, quod ſciverit, vel ſcire ſaltem potuerit, quid ſibi faciendum eſſet, & potuerit id ipſum præſtare, vel potentia ſibi jam collata, vel quam habere poteſt, ubi operis neceſſitas poſtulat; modo ipſe cui lex ponitur, ſpiritui jubenti & conteſtanti non reſiſtat. Alterutrum ſi tollas, inevitabile facis peccatum, & eo ipſo excuſabile; quia evitabilitas ſola eſt & tota cauſa inexcuſabilitatis. Vide *Rom.* I. & II. *Joh.* IX. 41. XV. 22. *Eſa.* V. Ex quibus locis manifeſte apparet, inexcuſabiles dici peccatores, eo quod non fecerunt id, quod ſciverunt aut ſcire potuerunt faciendum, & quod facere potuerunt, ſive potentia ut loquuntur propinqua, ſive remota, ipſis tamen expoſita & parata ex benignitate Dei. Sed cum hominis naturalis mentionem facis, forte reſpicis huc, quomodo homo naturalis impotens præſtare, quod Deus jubet, tamen inexcuſabilis fiat, cum id non præſtiterit. At liceat mihi petere locum Scripturæ quo iſtud enunciatur. Res ergo primum aſtruatur, inde quæratur de ejus cauſa & ratione. Illo autem quod dedi reſponſo, juſtitia Dei vindicatur ab opprobrio & calumnia, quæ ſecus non parum laborat. Verum quomodo juſtitia Dei ſarta tecta ſit poſitis iſtis dogmatis de prædeſtinatione, & liberi arbitrii impotentia, ego omnino non video, neque huc uſque videre contigit, qui iſtum nodum expediverit; imo vero, ut libere dicam, qui conatum adhibuerit ſerium & ſolidum, ad iſta dogmata cum juſtitia Dei concilianda. * * Alterum quod attinet, quamquam in eo conſenſus ſit plerumque, tamen nihilo id ipſum certius eſt, quam prius illud. Scriptura enim nullibi, quod ſciam, inexcuſabilitatem peccatoris in eo fundat, quod in Adamo potuerit præſtare id, cujus præſtandi jam eſt impotens poſt lapſum. Velim loca adferri ex V. & N. T. quibus illud accuſationis genus uſurpatur. Si ad *Pſ.* LI. reſpicias, iſtic non agi, ex contextu ipſo probari poſſe puto. In N. T. nullum locum novi qui eo trahi poſſit; non ad *Rom.* V. non *Eph.* II. non *Joh.* I. aut III. Non ſufficit ſi cum Auguſtino dicatur, ex voluntario lapſu pœnalem vitioſitatem & neceſſitatem inſecutam eſſe, qua fit ut homo non poſſit non peccare; niſi ante probatum fuerit, Deum ab homine, quem neque in gratiam recepit, neque in gratiam recipere paratus eſt, obedientiam legis ſuæ poſtulare. Neque ſufficit nodo ſolvendo, quod ſpontaneo & lubente motu peccet homo. Nam ut recte dicis, ſpontaneus ille motus non eſt liber & arbitrarius. At libero & arbitrario motu patratur peccatum, non tantum ſpontaneo; ſecus peccatum non eſt, quod patratur. Libere autem dicitur peccare, qui poteſt non peccare. At poteſt non peccare, tum quia jam inſtructus eſt viribus ad vitandum peccatum neceſſariis & ſufficientibus; tum quia poteſt iis inſtrui, modo non obſiſtat vocanti Deo. Alterutrum enim dicendum eſt de iis, qui dicuntur veritatem in injuſtitia detinere. Nam qui plus boni facere nequit, quam actu facit, quamquam veritatem ſibi cognitam fruſtra habere dici queat, non poteſt tamen dici illam injuſte detinere. Eo enim loquendi genere ſignificatur, illum impedire, ne veritas ſuæ naturæ convenientes fructus producat; quod de eo dici non poteſt, qui impotens eſt veritatis juſſioni & ſuaſioni parere. Gratiæ ſufficientis & efficacis diſtinctionem invenit Auguſtinus, ut & liberum arbitrium ſimul, & gratiam, quemadmodum & ſuam prædeſtinationem, ſtabiliret. At illa noſtrorum pleriſque non probatur, à multis etiam rejicitur, ſtatuentibus nullam eſſe gratiam ſufficientem. Ego vero eam cenſeo admittendam; ſecus liberum arbitrium & juſtitia Dei defendi non poſſunt. Sed quomodo illa ab efficaci diſtinguatur, maximæ artis eſt explicare. Ego multum diuque ſuper illa re meditatus ſum, & non raro mihi id ipſum incidit, quod tu moves, quomodo ſufficiens gratia dici poſſit, quæ nunquam efficit cui ſufficit, & unde efficacitas gratiæ dependeat. Sed jam id non aggrediar, quia pro-

Ep. 86. lixioris operæ. Hoc tamen mihi certum est, sufficientem gratiam non externæ tantum vocationis, sed & interni doni esse, alioquin sufficientis nomine indignam futuram. Cæterum si solis electis propria sit regeneratio, certum est regenerationem à gratia sufficiente, quam etiam reprobis, & merito, communem facit Augustinus, distingui, & propterea aut gratiam, quæ sufficiens dicitur, non esse sufficientem ad hoc ipsum efficiendum; aut si sit, regenerationem ad hoc non esse necessariam. Idcoque si statuis sine regeneratione bonum effici non posse, & simul electis regenerationem propriam facis, necesse est, ut gratiam sufficientem neges: quod si non facis, alterutrum necesse est ut fatearis, aut regenerationem non esse eo necessariam, aut non esse electis propriam. Si quæras, quid ego hic sentiam? Dicam me electionem singularium ad salutem posteriorem facere fide & regeneratione; & ne mireris; petam ut distinguas inter electionem ad salutem, & electionem ad fidem & regenerationem. Nam aliud est decretum, quo Deus statuit fidelem servare; aliud quo statuit media ad fidem necessaria, efficacia administrare; & illud prius est isto, quia hujus nulla est necessitas, nisi illo præcedente. &c. Lugduni Batavorum 8 Julii 1606.

Tuus in Christo

JACOBUS ARMINIUS.

LXXXVI.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI NARSIO

Salutem & bene per Christum agere P.

Theologica, de metamorphosi Nebucadnezaris.

CAtharrus, qui partim in arteriam trachæam & pulmones, partim in stomachum delapsus illic tussim & obstructionem, hic febrim excitavit, impediit, quo minus literis tuis postremis per Paludanum latis responderim; quinque enim integras hebdomadas ab omni pene functione abstinere coactus fui. Jam vero quum Dei magno beneficio à febri liberatus sim & pristinas vires recolligere incipiam, quamquam obstructione adhuc durante, cui etiam remedium adferri posse arbitror, officium id erga te amplius negligendum non putavi. Quare ad tuas ita habe. Quod fratris tui obitus te afficit, æquum est & pium: decet enim nos affici discessu carorum & propinquorum à nobis, quamquam ad meliora vocatorum. Sed recte facis, quod æquam mentem servas, & voluntatis divinæ recordatione te solaris: illius in manu sunt tempora nostra, illo jubente statio & tenenda & deserenda est. De negotio tuo, quod Amsterdami agis, ego cognoscere nondum potui, quia per literas id periculose agitur, & nondum mihi contigit illo proficisci, quod propediem, ut puto, fiet, ex occasione, quam intelligo mihi oblatum iri. Tunc id agam, & serio inquiram, etiam tuto, ne dimanet, quod secretum esse oportet. De metamorphosi Nebucadnezaris sic statuo: illum neque quoad substantiam sive animæ sive corporis, neque quoad figuram corporis transformatum fuisse: sed illum secundum phantasiam, mentem, affectum & externos effectus in bestiam permutatum dici posse. Secundum phantasiam, quia secundum illam depravatam visus est sibi esse bestia. Secundum mentem, quia usu rationis privatus fuit, & velut amens factus, vi & facultate, secundum quam cogitamus & judicamus de rebus, corrupta & perversa, quod sæpe ex morbo, ex phrenesi exoriri solet. Secundum affectum, quod, quæ bestiæ desiderant, appetiverit, relictis objectis, quæ homines ad se inclinare solent. Denique secundum effectus, qui varii adnotari possunt, sed omnes ex istis tribus velut causis juxta temperamenti corporis vitiationem producti: vestimentis enim abjectis, nudus ingressus est, corpore omnibus cœli injuriis expositio; cultum corporis neglexit, in capillis & unguibus id apparet; usus est victu bestiarum; cum bestiis habitavit, fugiens hominum commercia; oris & linguæ usum non habuit, sed ritu bestiarum sonos inconditos edebat; non incedebat erecto vultu, sed reptabat manibus pedibusque ad bestiarum morem, denique totus habitus externus ferinus & belluinus erat. Quod de figura sibi restituta ait ipse, id non ad ipsam circumscriptionem corporis, sed cultum humanum pertinet. At inquiet aliquis, non videri conveniens, ut ipsi mentis usus auferretur; illius enim rectus usus videbatur facere ad finem resipiscentiæ, quem Deus intendebat. Respondeo, non opus fuisse, ut toto isto tempore illi mens constaret, & usus rationis; verum sufficisse, ut ipsi redderetur intellectus adhuc versanti inter bestias, & isto corporis habitu apparente, unde facile reliqua nosse potuit. Hæc breviter, tu æstima, & si quid absonum à vero, aut minus verisimile videris, significa. Vale cum bono Deo, cui te, tuaque omnia & vestram urbem obnixè commendo. Esto fortis, & in Deum tuas curas conjice, ille expediet viam tuam, & urbem vestram, ut spero, sartam tectam conservabit. Iterum vale & me ama. Precare Dominum, ut mihi integram sanitatem restituere velit, & ab ista obstructione, quæ non desinit esse molesta, plene liberare. Lugduni Batavorum 20 Julii 1606.

Tuus in Christo

JACOBUS ARMINIUS.

LXXXVII.

LXXXVII.

JOANNI NARSIO

JACOBUS ARMINIUS.

Salutem in Chriſto.

Theologica. Varia circa metamorphoſin Nebucadnezaris.

LIteras tuas, Narſi dilectiſſime, cum adjuncto impanato lepore eo tempore accepi, quo teſtes baptiſmi recens mihi nati filii excepturus eram, hoc eſt commodiſſimo; qua de cauſa & gratiam meritus es ampliorem, quanquam id ipſum ignoraveris, & ego referre paratus ſum, ubi dabitur occaſio. Gaudeo, quod tibi placuerint, & profuerint, quæ de ſtatu Nebucadnezari tibi reſponderam: jam addo ad reliquas tuas quæſtiones, eadem de re, reſponſum. Et primo ad pilos, quod attinet, qui dicuntur creviſſe inſtar aquilæ plumarum: arbitror eo ipſo & prolixitatem & denſitatem ſignificari pilorum: notum enim aquilam habere pennas prolixas, quibus in ſummam altitudinem elevari queat; illa autem prolixitas & denſitas pilorum ſervire potuit corpori Nebucadnezaris adverſus injurias omnes cœli ſaltem eouſque conſervando, ut ſuperſtes eſſe poſſet. De ejectione ab hominibus, ſic ſtatuo: & ipſum Nebucadnezarem horruiſſe hominum præſentiam, & qui cum illo converſari ſolebant, tolerare iſtum talem apud ſe non potuiſſe; qua de cauſa alterutrum faciendum erat: aut vinculis conſtringendus, & certo loco velut caveæ includendus fuit: aut ablegandus & amandandus abigenduſque. Illud quidem ex communi & uſitato hominum furioſos tractandi more videbatur faciendum; at quia prædictio divina hoc continebat, ideo in id inclinatum fuit; ſi ponamus ad illorum notitiam veniſſe ſomnium & ejus interpretationem; quod valde eſt veriſimile, præſertim circa id temporis, quo executioni mandata fuit prædictio; ipſe enim Daniel adeſſe potuit, & tunc ſomnii mentionem feciſſe reliquis proceribus; aut verba cœlitus facta exaudiri potuerunt ab iis, qui regi præſentes aderant: raro enim ſoli ſunt iſti monarchæ. Si vero ſtatuamus id ipſum ad illorum cognitionem non perveniſſe, tamen potuit iſta abactio facta eſſe, per actum quendam illorum non eo proprie tendentem, ſed quem quum in ſe intentari videret ipſe, fuga ſibi conſuluerit. Omnino autem veriſimile eſt illos nulla ira aut animoſitate adverſus illum incitatos id perpetraſſe; quia conſopitur illa, etiam vehementiſſima, ubi tam ingens mutatio accidit illius, quem ira noſtra dignum arbitramur. Et hoc ad tertiam quoque quæſtionem ſolvendam facit. Neque opus videtur, eo recurrere, ut vel prædictionem Dei pro juſſu interpretemur, aut juſſum interveniſſe neceſſe putemus. In iſtis enim prout rei natura & neceſſitas fert, communi dijudicatione ſtatuitur, quod videtur faciendum. Qua de cauſa cum hæc in probabilitate verſetur quæſtio, apodixin fruſtra hic quærere videaris. Hæc quidem hucuſque. Noſtræ res eodem prorſus loco ſunt, quo antea. Ego pergo in cæpto. Conantur obſiſtere alii, non directe, ſed variis per indirectum quæſitis mediis, de quibus forte miraberis aliquando, ubi innotuerint. Ego interea quamquam non poſſum non moveri iſtis, neque enim triplex æs mihi eſt circa præcordia, tamen non deficio, ſed Dei gratia corroborante me novas vires acquiro, & confidentius rem veritatis tuendam ſuſcipio. Scio enim in multis à vero aberrari; quod mihi ex ordine, ut decet, commonſtrandum ſumo; paratus enim ſum id in conventu omnium fratrum exponere, quod ſignum eſt & conſcientiæ bonæ & confidentiæ meæ: quumque nonnulli hoc dant operam, ne Catecheſis & Confeſſio in judicium veniant, eo ipſo diffidentiam quandam ſuam non obſcure fatentur. Tu etiam juva in partem, & ſingula dogmata Eccleſiæ noſtræ, vel doctorum, ad incudem revoca, & ad lydium Scripturæ Sacræ lapidem examina, ut bona conſcientia & πληροφορία (*plena perſuaſione*) animi populum tibi commiſſum docere queas. His vale cum bono Deo, cui te & tua omnia commendo. Uxor mea te ſalutat jam puerpera decimi filii, ex ordine ſine interruptione octavi. Lugduni Batavorum 27 Decembris 1606.

Ep. 88.

Tuus

JACOBUS ARMINIUS.

LXXXVIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

Eccleſiaſtica de iis quæ in ſynodo & academia agebantur.

REverende vir & hominum deſideratiſſime; Gratiſſimas tuas 28 ſcriptas hoc die 31. Auguſti accepi, quibus ſtatim calamo arrepto reſpondendum putavi, ut tu videas, quam mihi volupe ſit tecum colloqui & confabulari vel per literas, quum non liceat cum præſente verbis coram. Quod meas Amſterodamo datas non Ultrajecti, ſed Arnhemii accepiſti, latoris culpa eſt: tempeſtive enim ſatis illas miſi, ſiquidem tu iſta hora, quam dixeras, adhuc Ultrajecti fueris. At exiguum illud eſt, quum intelligas quæ me cauſa impedierit, ne colloquio tuo vel per horulam frui potuerim. De machinatione hoſtium adverſus urbem Rhenobergam jam audiveramus, non ſine dolore, quem non tam ex ſucceſſu conatuum hoſtilium concepimus, quam ex eo, quod in noſtro exercitu multa inordinate geri intelligi-

Ep. 88. ligimus, quibus corrigendis quisque manum admovere detrectet, alteri id munus resignans. Sed speramus meliora. Non deerimus precibus nostris vobis, quod solum possumus, opitulari: utinam vitæ nostra sic Deo grata sit ut exauditionem nobis spondere queamus! Sed spem meam alit cogitatio de fine belli, quod ab hoste geritur: idololatriæ nempe restauranda & tyrannidis introducendæ gratia, quo potiri zelotes ille & misericors Dominus illum non patietur. Tu necessaria de causa iter illud suscepisti, ut Ecclesiæ Dei & reipublicæ prosis; itaque spe bona esto, & animum obfirma; qui hucusque te custodiit, & maxima per te operatus est, servabit te porro regno suo cœlesti inter homines stabiliendo & promovendo. Quod ipsum, quamquam jam ante firma animi fiducia persuasum habui, tamen non parum confirmant quæ abs te, imo à Domino per te famulum tuum in Synodo postrema acta sunt. Magna animi delectatione ista Borreum narrantem audivi. Video enim omnia quæ desiderare potuimus effecta esse, imo & votis nostris superiora. Quantulum enim hoc est, ut de revidenda Catechesi & Confessione sileatur in literis, quibus Synodi habendæ potestatem nobis concedunt Politarchæ nostri, si tota nostra Ecclesia palam profiteatur idipsum vel præcipue ad Synodum pertinere, inque eo officium Synodi potissimum occupari debere? Sic in perpetuum irretiragabili lege statuetur, quod semel literis istis insitum futuro tantum conventui prodesse poterat. In altera controversia video ab adversariis concessum, quod videntur maxime impedire voluisse; nec concessum modo, sed ipsos eo adductos, ut id ipsum fieri petant, rogent, moneant: quo ipso ex officio non tantum divinitus, sed ab ipsa Synodo nobis imposito, jubebimur proferre in Synodo Nationali, si quid in Confessionis aut Catechismi doctrina desideremus. Quod enim additum, de indicio Classibus, & per illas Synodo particulari faciendo, eorum quæ adnotata erunt, frustraneum est; quum & post Synodum particularem inquirere liceat, imo & fas sit, juxta idem Synodi decretum, an Ecclesiæ doctrina, prout in istis formulis est comprehensa, verbo Dei consentiat nec ne. Gaudeo etiam plurimum, & Professores eadem de re conveniendos esse, & rogandos ut faciant, quod ex officio facturi erant, aut saltem facere debebant. Gaudeo, inquam, & mea causa, cujus gratia, ut recte dicis, statutum de Professoribus compellandis. Si itaque isti tui condeputati, te non exspectato, me compellarint, ego sic eos excipiam, ut intelligant nihil mihi gratius accidere potuisse, quam hujusmodi sive petitionem sive monelam. Rogas, ut abstineam ab iis quæ illis nova videntur. At vide mi amicissime, an istud ex re sit Ecclesiæ, an fini meæ vocationis conveniat. Quidquid illi non docent, inculcant quotidie, id novum ipsis videtur; & quod isti novo oppositum putant, docent & inculcant sedulo, data, non data, occasione. Ego cavebo, ut hactenus cavi, ne quid publice proferam verbo Dei, Catechesi aut Confessioni nostræ contrarium; hoc si fecero, officio meo abunde functum arbitror. Unum ex iis, quæ in illis animadverto, hoc est, quod suas privatas opiniones habeant pro norma, eaque omnino cum Catechesi & Confessione consentire arbitrentur: quum res multo secus habeant. Nam neutrius sententia de prædestinatione mihi consentanea videtur Confessioni aut Catechismo. Et quis nobis pollicetur ad Synodum usque superstites futuros? Occasio, quæ ampla offertur, non videtur negligenda; dabo tamen operam ne jure quid in me reprehendere possint. Quod locum Malachiæ explicaturus, putavi collationem instituendam inter Prophetam & Paulum, in eo feci, quod ipsa professionis ratio postulat, & quotquot Theologiam in Scholis profitentur, ante me fecerunt; si omisissem, officio non rite defunctus fuissem. Nihil etiam dixi contra Confessionem aut Catechesin; si locum Scripturæ abstuli iis qui illo ad suam privatam sententiam stabiliendam hactenus abusi vel usi sunt, pro jure meo feci, quod & illi ipsi quotidie faciunt: illo autem usus sum ad stabiliendum dogma quod fundamentum est Christianismi, salutis, & certitudinis nostræ de salute nostra, ipsis etiam fatentibus; & quod, vel ab invitis obtinebo, majoris est momenti quam quod illi eo stabilitum volunt. Et propterea id ipsum inculcandum est studiosorum animis, ut intelligant, quæ prædestinatio tam amplo nomine digna sit; & desinant pugnare pro ea, aut de illa, quæ tanti momenti non sit, ut pro ea digladiandum sit animis infensioribus. Doctor Gommarus citra ullam necessitatem sententiam suam de prædestinatione, non consentientem plerisque doctoribus nostris, explicuit & thesibus editis publicavit. Trelcatius librum institutionum edidit, in quo multa sunt nova, hactenus Ecclesiæ nostræ incognita. Miserrimus sim, si locum Scripturæ non liceat aliter interpretari quam explicuit Ecclesia, etiam tum quum de omnibus in Synodo communicatum fuerit. Neque enim consentiemus in argumentis, quæ ad dogma communiter probatum usurpabuntur: hoc fieri nequit: cujus rei Calvinus luculentissimum specimen dedit, quum probans sententiam multa loca aliter interpretatur quam Patres fecerunt, imo quam universa Catholica. Quod de ἀυθοῖς (*Deo à se*) narras motum, ita habet. Ego in disputatione publico-privata, quum opponens diceret Christum non habere essentiam sibi à Patre communicatam, monstravi id falsum esse, & contrarium toti orthodoxæ antiquitati, ex eoque sequi Sabellianissimum, nempe Filium esse Patrem, utpote qui essentiam habeat à nullo, quod proprium est Patris. Imo quum diceret ille,

Ep. 88. ille, communem quidem eſſe, ſed non communicatam; id quoque refutavi, & addidi ex eo ſequi tritheiſmum; quum ſtatuantur Pater, Filius & Spiritus collateraliter habere eſſentiam divinam. Nihil ergo hic ex propoſito certo dixi, tantum quod neceſſitas reſponſionis coëgit dicere; protuli. Sed quidquid ego dico, uni ſoli non probatum, monſtrum eſt. Trelcatius publico ſcripto edidit monſtroſiſſima, & Scripturis totique antiquitati & multis noſtris Doctoribus contraria, & nullum ille monſtrum alere dicitur. Verum Trelcatius ſuam ſententiam in prælectionibus ſuis de Trinitate adſtruere conatus eſt, & contrariam deſtruere, & ſatis animoſe; nam & adverſarium adpellavit, & vel malitia, vel inſcitia peccare; quod ego non magnopere curo: ſed dolendum eſt tantum valere præjudicia, ut ego ſententiam receptiſſimam defendens, monſtrum alere æſtimer: qui monſtroſas opiniones publice profitetur, non toleretur modo, ſed & commendetur. Imo hoc mihi monſtri ſimile eſſe videtur. Intelligo D. Gommarum in privato ſuo collegio Trelcatii ſententiam confutaſſe; quod mihi quoque faciendum erit, nam quæſtio mihi ante menſem propoſita hæc eſt: Quibus argumentis probetur Chriſtum non eſſe αὐτόθεον, ſed habere eſſentiam communicatam à Patre. Allata mihi ſunt argumenta, quibus Trelcatius ſuam ſententiam probavit: illa confutanda erunt; avide enim à meis, qui privato collegio interſunt, exſpectatur. Borreus omnino neceſſarium putat, tum propter veritatem, tum autoritatis conſervandæ cauſa. Modeſte tamen agam; quamquam hîc poſſim jure meo vehementia uti in juniorem & vehementer confidentem collegam. Nihil dicam, quod non adſtruam Scripturis, Patrum teſtimoniis & noſtrorum Doctorum: itaque nihil hic correctum volo in ſententia noſtrarum Eccleſiarum. Si tamen audire volent in Synodo, proferre nonnulla potero, quæ faciant ad Samoſatenianos fortius convincendos, aut ſaltem ad illorum argumenta & objectamenta commodius ſolvendum; ſic enim arbitror. Juſſi autem per quendam ſtudioſum Trelcatio ſignificari, mihi iſtam quæſtionem eſſe propoſitam, & reſpondendum eſſe ad ipſius argumenta; quæ dixi me vidiſſe, at non æſtimare proba, ſed facile refutabilia. Intelligam, an ſtudioſus ille id munus obierit, & quid Trelcatius reſponderit; forte ſtatuam defugere reſponſionem explicatis cauſis. Sed res magna eſt, & intereſt gloriæ Patris, imo & ipſius Filii, ut illa ſententia confutetur: metuo ne Satanas id agat, ut nobis Patrem auferat, Filio in illius locum ſubſtituto; quo facto neque Filium, neque Patrem habebimus. Progreditur ille paulatim, ut videre eſt in Ubiquitariis, qui ut probarent corporis Chriſti in cœna præſentiam & oralem manducationem, neceſſe habuerunt confugere ad ubiquitatem corporis Chriſti: qua occaſione quam multa alia falſa invecta ſint notiſſimum eſt. Verum quia Præſes viſus eſt in dubium vocare D. Gommari conſenſum hac in parte; ecce tibi ex Trelcatii libro & theſibus ſub Doctore Gommaro diſputatis verba prorſus contraria. Trelcatii verba ſunt. *Eſſentia quæ numero & individuo una eſt, impropriè à perſona perſonæ dicitur communicari.* In theſi 7 ita habent verba. *Vita Dei eſt eſſentia Dei; ergo Filio ſuo eſſentiam ſuam, nempe eandem & integram quam ipſe retinet, dat Pater habere in ſemetipſo.* Ergo genitura Filii eſt per communicationem totius Eſſentiæ Patris à Patre. Trelcatii verba ſunt. *Sunt enim perſonæ τρόποι ὑπάρξεως ſeu modi Eſſentiæ divinæ, à qua diſtinguuntur, non ſola ratione, non diſtinctione reali, ſed rei gradu & modo.* Theſi 12 ſub Gommaro ſic habetur. 3. *Quod proprietates aut τρόποι ὑπάρξεως non ſunt perſonæ ipſæ, ſed perſonarum vel proprietates vel exiſtendi modus, quod ſæpe à multis confunditur.* Ecce propter Trelcatium hæc dicta, & quoſdam noſtros Doctores. Nam inter Pontificios vix eſt qui confundat. Item theſi 19. *Diſtinguuntur autem perſonæ ab eſſentia, non realiter, ut ipſæ inter ſeſe, ſed ratione tantum.* Hinc vides, me tibi verum dixiſſe, & Præſidem in dubium vocaſſe imprudenter, de quo ipſi nihil conſtitit. Argumenta Trelcatii in proximam ſcriptionem à me exſpecta. De uxore tua ſolanda ob abſentiam tuam merito dolente ſolicitus ero; quamquam ipſa pro ſua prudentia & pietate argumentis talibus non deſtituatur. Deus conſolationis ipſi aderit, qui novit quo animo & fini ab illa abſis. His vale, amiciſſime hominum, cum bono Deo, cui te & exercitum noſtrum commendo obnixiſſime. Kal. Septembris 1606. Ep. 89.

LXXXIX.

CLEMENTI TIMPLERO

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

An actio voluntatis Dei quæ extra ſe venit ſit ipſa Deus volens.

CLariſſime vir, honorande D. Collega. Quia ſcriptum tuum, quo reſpondes ad argumenta quædam mea, maximam partem ex Juſtino collecta, quibus eſſentiæ ac voluntatis in Deo diſcrimen probetur, mihi, poſtquam diligenter ipſum perlegi, & conſideravi, neutiquam ſatisfacit: idcirco viſum eſt, ea, in quibus hallucinari mihi videris, brevi ſcripto comprehenſa ad te mittere; ut occaſionem habeas, vel errorem meum, ſi quis in hac parte eſt, mihi eripiendi; vel tuum, quem mihi videre videor, agnoſcendi. Hic enim ſcopus eſſe debet noſtræ ζητήσεως, (*diſquiſitionis*) ut veritatem in profundo demerſam eruamus, & nos invicem erudiamus, Deo honorem & gloriam omnem tribuentes. Sed ut brevis ſim, initio de ſimplicitate Dei, deinde de controverſia

Ep. 88. ipſa ſic agam, ut in duobus vel tribus tantum argumentis (quia in reliquis eadem fere occurrunt) ea paucis amorem, quæ impedire videntur, quominus veriorem ſententiam una mecum amplectaris.

I. *De Simplicitate Dei.*

Initio non nego abſolutam Dei ſimplicitatem, ſi modo, ut decet, de ipſa Dei eſſentia, non autem de liberis ipſius actionibus, intelligatur. Hoc ſenſu agnoſco veras eſſe concluſiones abs te propoſitas: videlicet ens & eſſentiam in Deo non differre realiter. 2. Deum non eſſe compoſitum ex ſubjecto & accidente: 3. denique eſſentialia Dei attributa reipſa eſſe ejuſdem naturæ omnia. Sed nego hinc ſequi, nullum eſſe reale diſcrimen inter eſſentiam, & volitionem Dei ad extra, hoc eſt, inter Deum ipſum agentem, & liberam ejus operationem: ſicut ex infra dicendis apparebit.

Deinde repeto quod ante ſcripſi, ſobrie de hoc Dei attributo loquendum eſſe: quum præſertim S. Literæ nihil expreſſe de eo aſſerant; periculoſum autem ſit, quidquam de Deo aſſerere, quod non ipſe prius in verbo ſuo de ſe aſſirmavit. Quare cum ex Dei verbo id tantum conſtet, Eſſentiam Dei eſſe omni modo perfectam & immutabilem, eoque omnis mixtionis ac compoſitionis expertem; non eſt, quod ſimplicitatem Dei ad ea quoque extendamus, quæ, cum libera Dei effecta ſint, ipſe Deus vel ipſa Dei eſſentia eſſe non poſſunt. Præterea, cum S. Literæ affirment, vere & reipſa quædam eſſe in Deo, quæ non ſunt ipſe Deus (verbi gratia libera ipſius decreta ac propoſita, de quibus *Eph.* I. & III. 1 *Cor.* II. *Rom.* VIII. 2 *Tim.* I. 1 *Pet.* I.) non eſt, quod ſine diſcrimine ſtatuamus, idcirco nihil eſſe in Deo quod non ſit Deus, quia videlicet Deus ſimplex ſit. Quin potius ejuſmodi axiomata, utpote ab hominibus excogitata, ad normam divini verbi exigenda ſunt, & non niſi certo reſpectu, quem ipſe S. Literæ nobis indicant, recipienda. Sed de hoc ſatis. Nota hoc argumentum: Propoſitum de rebus his vel illis faciendis, ante ſæcula fuit in Deo, & quidem realiter: non fuit autem ipſe Deus, quia non eſſe potuit. Ergo non quicquid vere in Deo eſt, ipſe Deus eſt. Major probatur in S. Literis: & ratio eam perſuadet: eſt enim propoſitum actio proponentis, quæ in ipſo revera immanet, & quaſi reſidet. Minor probatur ex differentia ipſius propoſiti, qua tam potuit non eſſe quam eſſe. Is enim effectus dicitur indifferens, qui ſic pendet à libera cauſa, ut tam non eſſe poſſit, quam eſſe. Aut doceatur, ubinam propoſitum illud fuerit, & quomodo liberum fuerit.

II. *De reali diſtinctione eſſentiæ & volitionis in Deo.*

Initio ne locus ſit æquivocationi, ſic theſin meam explico. Voluntas in Deo ſignificare poteſt 1. ipſam volendi facultatem. Et hanc conſtat eſſe Deo eſſentialem, ſive ipſam Dei eſſentiam. 2. actum volendi ſeu volitionem, eamque duplicem; tum neceſſariam, qua Deus ſeipſum vult; tum liberam, qua vult alia extra ſe. Neceſſariam illam volitionem credo eſſe Deo eſſentialem: hanc autem liberam (de qua eſt omnis noſtra quæſtio) minime eſſentialem ipſi eſſe ſentio. 3. rem volitam, ſive τὸ θελητὸν, hoc eſt, objectum illud, circa quod actio voluntatis occupatur; ſive etiam effectum illud, quod actione voluntatis producitur. Atque hoc θελητὸν, quatenus objectum, non autem effectum ſignificat, principaliter eſt ipſe Deus, quippe qui ſeipſum vult omnium primo. Deinde vero, quatenus & objectum & effectum ſignificat, eſt res creata extra Deum; quam omnes norunt Deo non eſſe eſſentialem, ſive ad eſſentiam Dei minime pertinere. Ep. 88.

Zanchius p. 220. ma ſatis recte hanc diſtinguit.

Hic igitur ſtatus eſt, an volitio illa ſive actio illa Dei, qua Deus extra ſe libere & indifferenter aliquid vult, ſit ipſa Dei eſſentia, necne. Negativam ſententiam ita probo. 1. Eſſentia Dei eſt abſolute neceſſaria, ita ut non poſſit aliter ſe habere quam habet. Volitio autem non eſt neceſſaria; ſed libera & indifferens. Ergo realiter inter ſe differunt: niſi velimus, contraria eidem rei ſimul ineſſe poſſe reſpectu eodem. Quod abſit. 2. Eſſentia Dei eſt prorſus independens, nec ullam ſui cauſam agnoſcit. Volitio autem pendet ab ipſo Deo libere volente, tanquam à cauſa indifferente & voluntaria; eoque poſterior eſt ipſo Deo. Ergo non eſt ipſe Deus: quum nihil ſit cauſa ſui ipſius, aut ſeipſo poſterius vel prius. Tale & illud eſt. Deus facit quod vult. Non facit autem quod ipſe eſt: quia faceret ſeipſum. Ergo eſſe & velle in ipſo differunt. 3. Eſſentia Dei eſt actu infinita, ſicut & potentia, & quodvis aliud eſſentiale Dei attributum. Volitio autem non eſt actu infinita; ſed ad certas res determinata. Ergo reipſa differt ab eſſentia & potentia. Plus enim poteſt Deus quam vult.

Plura argumenta nunc non repetam: quia horum examinatio fontem veritatis & erroris hac in parte abunde patefaciet. Itaque quid ad ſingula excipiatur, & quomodo exceptionibus illis occurrendum ſit, deinceps videbimus.

Ad 1. excipitur ad minorem, volitionem Dei etiam abſolute neceſſariam eſſe, cum ſit Dei attributum: licet indifferens ſit ad hæc vel illa volendum. Sed reſpondeo, principium in eo peti, quod volitio Dei dicitur eſſe attributum Dei, videlicet eſſentiale attributum. Hoc enim illud eſt, de quo diſputatur. Deinde contradictio eſt, volitionem eſſe liberam ſive indifferentem ad hæc vel illa, & tamen abſolute neceſſariam: nam quod abſolute neceſſarium eſt, id non poteſt aliter ſe habere quam habet: quod autem liberum eſt, id aliter habere ſe poteſt. Sic enim ipſe

Zan-

Ep. 88. Zanchius discrimen hoc explicat in attributo voluntatis Dei, ubi Deum necessario velle docet quidquid de seipso vult; libere autem, quidquid de aliis rebus extra se vult. Sic verbi gratia, libere voluit Deus hunc mundum creare, & nos in Christo eligere. Hoc Zanchius ipse explicat, ita ut Deus potuerit non velle id, quod revera voluit. Quod si potest Deus absolute non velle ea quæ actu extra se vult, fieri non potest, ut volitio illa, qua ista vult, sit in ipso absolute necessaria. Sed excipitur præterea, ipsa θελήσεις, vel potius (ut ego loqui malim ad vitandam ambiguitatem) ipsa θελητὰ posse aliter se habere, adeoque non esse; volitionem autem non posse non existere in Deo. R. Si per volitionem accipitur ille necessarius actus, quo Deus seipsum vult, fateor eam non posse non esse in Deo, & quidem semper eodem modo. Sin liber actus intelligitur, ut debet, dico esse contradictionem: quum ipsa etiam volitio ad extra sit & dicatur idcirco libera, quia possit non esse. Sed instatur, eandem esse formalem volitionem Dei, qua is seipsum, & qua res alias extra se vult: ac proinde si una sit Deo essentialis, alteram etiam esse. R. Nego esse eandem: quia non sunt iidem termini, ad quos utraque fertur; licet idem sit terminus, à quo utraque procedit. Constat enim, actuum diversitatem pendere ex diversitate objectorum, in quibus terminantur. Nam ut diversum scibile facit diversam scientiam, sic etiam diversum θελητὸν facit θέλησιν diversam: quia videlicet necessaria relatio est inter fundamentum & terminum. Quare ubi diversi sunt termini, ibi non potest eadem esse relatio, eadem, inquam, non modo genere aut specie, sed etiam numero. Nam quæ numero saltem differunt, ea realiter quoque seu formaliter differunt: sicut in diversis personis Deitatis apparet, immo in rebus omnibus numero differentibus. Quanquam volitio Dei ad extra, à necessaria & naturali Dei volitione non tantum numero, sed etiam toto genere differt: quum terminus illius ab istius termino totâ suâ naturâ differat. Non potest autem Deus à seipso, vel numero vel genere differre. Ergo volitio ad extra non est ipse Deus volens. Alioqui dicendum esset, Deum ex absoluta naturæ necessitate velle, ac porro etiam facere, quidquid extra se vult ac facit; nempe quia facit quidquid vult, *Psalm.* CXLV. Vult autem ita, ut non possit non velle: quum volitio ista sit ipsi essentialis, & essentiam suam inhibere, vel mutare, vel suspendere Deus ipse non possit. Quæ omnia sunt longe clarissima quod ad connexionem vel consequentiam.

Ad 2. excipitur, minorem esse falsam, quia volitio sit ipsa Dei essentia independens. Sed hæc est aperta principii petitio. Deinde negari non potest, Deum esse causam suarum actionum, quas libere agit, hoc est, ita ut possit non agere. Volitio autem est Dei actio libera. Ep. 89. Et omnis causa est prior effectu suo, & vicissim hic ab illa pendet. Item verissimum est illud axioma, quod naturalia & necessaria sint ordine naturæ priora, libera autem posteriora: quia prius est quod non potest non esse, posterius autem quod potest non esse. Hinc enim (ut videre est apud Aquinatem) probatur, Deum esse. Sed instatur, Deum ipsum esse liberum agens, nec tamen esse seipso posteriorem. R. Esse æquivocationem. Non enim Deus liber est respectu essentiæ, sive qua est; sed respectu liberæ operationis suæ, cujus ipse Dominus est, ita ut eam exercere vel omittere possit. Itaque hæc operatio, quatenus actu est, Deo posterior est, quippe à quo pendet. Nam quidquid ipsa est, hoc Deo acceptum fert: qui si aliter voluisset, ipsa non fuisset. Aut fatendum igitur, volitionem ad extra non esse ipsam Dei essentiam; quippe quæ non pendet aliunde, nec subest dominio aut potestati Dei: aut negandum est, volitionem istam esse liberam, atque in manu Dei positam. Quod autem instatur, volitionem istam esse æternam, ac proinde non posse alia re posteriorem esse. Ad hoc respondeo; æternam dici posse, quatenus ante sæcula vel conditum mundum fuit in Deo (sicut æternum dicitur Dei propositum aut decretum, 1 *Cor.* II. *Eph.* I. 2 *Tim.* I. &c.) non tamen esse simpliciter æternam, hoc est, omnis originis ac causæ expertem. Nam quod à voluntaria causa pendet, ait Scaliger, non potest simpliciter esse æternum.

Ad 3. excipitur ad minorem, esse quidem finita ἀπαρεμφάτως, sed volitionem esse infinitam, quippe quæ possit extendi ad omnia entia possibilia. R. Primo; non satis esse, eam posse tam late extendi, nisi reipsa & actu extendatur. Deinde contradictionem esse, si quis dicat, volitionem æque late patere ac potentiam Dei, & tamen res volitas esse finitas. Si enim actus volendi infinitus est extensive, omnino necesse est ipsa objecta, in quibus actus ille terminatur, infinita esse. Alioquin erit Elenchi ignoratio. Hoc enim quæritur, an sicut Deus infinita velle potest, sic etiam actu infinita velit. Item an actu velit ea omnia, quæ reipsa & actu velle potest. Hoc recte affirmari non potest. Ergo fatendum est, volitionem Dei non tam late patere quam potentiam, vel essentiam. Id quod Zanchius etiam sæpe inculcat.

Reliqua nunc omittam. Hæc enim fere præcipua sunt: ad quæ alterum tuum responsum videre cupio. Quod si confirmationem sententiæ tuæ ex veris de Deo principiis addideris, tanto gratius officium mihi præstabis.

Interim & hæc consideranda tibi propono. 1. Ais subinde, Deum, essentiam, & voluntatem Dei esse idem; & tamen negas, volitionem esse actionem voluntatis, licet sit actio

Ep. 90. Dei & eſſentiæ. Hæc contradictio eſſe videtur. Quæ enim idem ſunt, eorum eadem actio eſt. Neque ego voluntatem Dei realiter à Deo volente diſtinguo, ſed tantum volitionem ad extra. 2. Ais ſimpliciter, quidquid de eſſentia Dei affirmatur, vel negatur, idem de Deo affirmari, & negari poſſe, & vice verſa. Sed negare non potes, eſſentiam Dei nec gigni, nec gignere, quum tamen Deus utrumque faciat. Videris autem confundere abſolutum cum relato. Nam Deus abſolute ſpectatus, hoc eſt, in eſſentia ſua, non prorſus idem eſt quod Deus relate conſideratus, hoc eſt, quatenus extra ſe libere vult, aut facit. Etſi enim non eſt duplex Deus, eſt tamen in duplici cauſarum genere, videlicet naturali, & voluntario. Hanc autem utramque includit vox (Deus) quarum alteram vox (eſſentia) dilerte excludit. 3. Ais, eſſentiam Dei etiam res extra ſe producere. Id ſi ſimpliciter de immediato productionis principio accipis, verum eſſe nequit, niſi Deus ex naturæ neceſſitate agere dicatur. 4. Negas etiam, hoc poſtremum eſſe abſurdum: quum Deus nihil agere poſſit contra ſuam naturam. Sed aliud eſt abſoluta agendi neceſſitas; aliud neceſſaria actionis cum natura congruitas, ſive convenientia: quæ duo hic confundere videris. 5. Negas, decreta realiter eſſe in Deo. Sed, ut nihil de voce ipſa dicam, negare non potes, ὠφέλιμα & ἀναγκαῖα vere & proprie eſſe in Deo. Nam propoſitum de re aliqua futura, neque eſt ipſa res, neque in re exiſtit; ſed in animo proponentis. Non poteſt autem propoſitum Dei eſſe Deus ipſe: quia illud poteſt non eſſe, hic non poteſt non eſſe. Atque hoc diligenter à te conſiderari velim, ut opus Dei à Deo ipſo diſcernas. Vale.

Sic etiam Zanch. p. 220. dicit decreta Dei eſſe in Deo.

XC.

DEPUTATI

Synodi Hollandiæ Auſtralis

Synodo Eccleſiarum Gallicarum. S. P.

Commendatur Reviſio Catecheſeos & Confeſſionis.

FRatres in Chriſto reverendi, cooperarii in opere Domini; ſparguntur, ut noſtis, rumores varii, & ſiniſtri quidem de Confeſſione Belgica & Catechiſmo: quibus dum obviam ire paramus, attendentes puritati doctrinæ, tum apud omnes, tum vero maxime apud Eccleſiarum Miniſtros pace inviolatâ conſervandæ: placuit fratribus nuper in Synodo particulari hujus noſtræ Provinciæ Auſtralis, omnibus & ſingulis Claſſium ſuarum Miniſtris diligentem utriuſque inquiſitionem mandare, hac lege, ſi quid cuiquam animadverſione dignum videatur, id non ſine rationibus & argumentis ad Claſſem deferatur: cujus quidem decreti apographum hic videtis. Res agitur totius Eccleſiæ noſtratis, quæ hactenus Dei beneficio veritatem in unitate vobiſcum ſartam tectamque conſervavit. Itaque in cauſa communi, fratres honorandi, communem mutuamque opem & operam deſideramus: cui quidem deſiderio ſatisfactum putabimus, ſi hoc noſtrum decretum vobis probari intelligamus; certe ut probetur, etiam atque etiam rogamus; tum vero id maxime, ut idem inquirendi ordo apud vos veſtraſque Eccleſias obtinere poſſit. Atque his de rebus eo magis laboramus, quod tandem aliquando nunc ſit impetrata ab Illuſtribus Ordinibus toties exoptata illa Nationalis Synodus, verum non ſine conditione impetrata. Diploma ipſum, ſi placet, ſimpliciter conſulite, cujus exemplar his adjecimus. Conditionem fert duplicem, unam de reviſione (ut loquuntur) Catecheſeos & Confeſſionis Belgicæ: alteram de Conventu quodam præparatorio, in quo de modo, tempore, & loco ipſius Synodi diſpicietur. Nos utramque accepimus; & quidni? quamlibet accipiemus potius, quam ut Synodum (quam ſperamus, imo jam tenemus) nullam habeamus. Dio, nimis diu dilata eſt, cum noſtrum omnium, imo cum Eccleſiæ damno.

Itaque, fratres Reverendi, iterum vos non tam monitos quam rogatos volumus, ut ſi qui forte ex veſtro numero (quod quidem futurum arbitramur) ad conventum illum præparatorium fuerint vocati, hoc agant, in hoc incumbant, primum quidem ne ſucceſſu & ſpe Synodi Eccleſia fruſtretur; tum vero, nihilominus ne quid detrimenti patiatur; providendum eſt enim utrinque, ne qua juſta querela eſſe poſſit: quomodo providendum ſit, pro veſtra prudentia diſpicite. Nos fanè, conſiliorum veſtrorum in Domino adjutores fideliſſimos cognoſcetis. Unum reſtat de autographo veſtræ Confeſſionis (quæ & noſtra eſt, quia veſtra) ejus uſum à fratribus ſub fide reſtitutionis impetrare deſideramus. Bene & feliciter valete, fratres honorandi. Deus Spiritu ſuo ſancto vos deducat in omnem veritatem. Datæ Roterodami 3 Idus Septemb. 1606.

Nomine Synodi particularis Hollandiæ Auſtralis R. veſtræ addictiſſimi Fratres & Symmyſtæ Deputati Synodi, eorumque nomine

CASPAR GREVINCKHOVIUS.

XCI.

by Google

XCI.

SYNODUS

Ecclesiarum Gallicarum

Deputatis Synodi Hollandiæ Australis S.P.

Responsio ad superiorem.

SAlutem plurimam. Accepimus, fratres & Symmystæ Reverendi, litteras quas vestro nomine ad nos D. Gasparus Grevinckhovius dedit, easque in consessu nostro unà cum apographis adjunctis legimus: ex quibus cum de communi Ecclesiarum impendente malo, tum de consiliis vestris certiores facti sumus. Qua in parte non possumus non magnopere laudare providentiam & zelum vestrum, quem vobis à Domino perpetuum optamus. Nobis quidem statutum est, in ea doctrinæ puritate quam ab antecessoribus nostris accepimus firmiter perdurare. Cumque neminem habeamus apud nos, qui litem nobis hac de re moveat, minus necessarium videri poterat, in rem jam pridem satis superque notam & confirmatam inquirere. Quia tamen communem vobiscum habemus fidei Confessionem, & Catechesin vestram, etsi methodo & verbis diversam, reipsa tamen & sententia nostræ Catechesi consentientem, hactenus ut purioris & Reformatæ doctrinæ formulam constanter agnovimus, noluimus nos in communi causa periculis vestris subtrahere. Itaque singulis Synodi hujus nostræ Ministris hoc in mandatis dedimus, ut accurato examine tum vestram Catechesin, tum vel maxime communem utrinque Confessionem, diligenter scrutentur, & quæ notanda videbuntur, ad proximam Synodum nostram deferant. Præsertim autem hoc cautum voluimus, ut, si qui forte ex nostris authoritate potentissimorum Ordinum ad conventum illum præparatorium, cujus ministris, vocandi sunt, nihil admittant quod doctrinæ Ecclesiarum nostrarum præjudicium aut damnum aliquod adferre possit: interea tamen eo connitantur, ut brevi copiam habeamus Synodi Nationalis, cujus obtinendæ spem jamdudum certam ex decreto potentissimorum Ordinum accepimus. Exemplar quoque Confessionis nostræ Gallicæ deputatis vestris mittendum curavimus, ut vobis de utriusque Confessionis conformitate certius constare possit. Si quid porro est, ubi opem nostram in communi hac causa desideraveritis, nullibi eam vobis deesse patiemur. Dominum nostrum Jesum Christum ardentibus votis oramus, ut Ecclesiæ suæ Spiritu & verbo suo dignetur adesse, & amoto omni contendendi studio dirigat nos omnes in veritatis & pacis viam. Ex Synodo nostra Gallicarum Ecclesiarum habita Dordraci 15 Septembris anno salutis 1606.

JOHANNES POLYANDER, *Præses.*
SIMON GOULARTIUS, *Scriba.*

XCII.

CHRISTIANO HARTSOECKERO

ARNOLDUS POELENBURGIUS S.P.D.

De revisione Catecheseos Palatinæ.

QUod scribis, D. Hartsoeckere charissime, amicum nostrum N. N. mirari nostros quondam Theologos tanto studio revisionem, seu potius emendationem Catecheseos Palatinæ & Confessionis Belgicæ postulasse; id ipsum mirari eum valde mihi mirandum videtur. Primum enim, cum scripta illa ab hominibus sint prodita, & quidem ab istiusmodi hominibus, qui erroribus obnoxii esse potuerunt, atque etiam nonnulli fuerunt; sane nostrorum postulata fuerunt æquissima, cum ad S. Scripturæ Lydium lapidem ea explorari cupiverunt. Immo ne autoritas eorum cum Scripturæ dignitate conferri atque exæquari putaretur, hac ipsa de causa ad incudem Scripturæ fuerunt revocanda. Video enim non modo de plebe permultos, sed etiam ex Doctoribus aliquos, divinam prope autoritatem istis scriptis tribuere: usque adeo quidem, ut mirantem audiverim nonnneminem, cum Catechesin Palatinam divina inspiratione conscriptam negarem. Passimque illud jam obtinet, ut Doctores Ecclesiarum ista scripta pro fidei norma morumque regula & ipsi agnoscant, & populo commendent; immo ea nonnulli parva Biblia nuncupent, & Scripturæ medullam: ut alia nunc elogia præteream, quibus maxime Catechesin suam exornant. Itaque jam temporis progressu res eo perducta est, ut dogmata ex sacris Literis comprobasse non sufficerit, nisi illa & cum Confessione & Catechesi congruere constaret: qua de re in Collatione Hagiensi, Nostri merito conquesti sunt. Hinc quantum Scripturarum divinarum perfectioni decesserit, atque etiamnum decedat, nemini non patere arbitror, nisi quis judicium habeat vel præjudicio suo occœcatum, vel his ipsis scriptis penitus mancipatum. Quid quod etiam in suggestum tanquam in theatrum amplissimum Catechesin producant, atque ex ea textus argumentum non aliter tanquam ex Scriptura sacra sibi deligant. Quamvis enim ex sacris Literis locum aliquem in speciem prælegant; tamen & divisio, & ipsa tractatio, & doctrinæ ex tractatione deductæ, sacram istam Catechesin respiciunt. Mirandum est profecto, homines reformatos ita subito ad novum quasi Papismum relapsos. Itaque etiam in Synodo Dordracena illud etiam intellexi in deliberationem vocatum, an in Bibliis sacris excusis, seu excudendis, Confessio & Catechesis non præmitti deberent libris Apocryphis. Vereor, ne res ulterius deveniat, tandemque quæratur, an non debeant libris quoque Canonicis præponi: nec res carebit prætextu, quia horum continent medullam, & solent compen-

Ep. 92. dia ordine ſæpe integris voluminibus præcedere. Non oportuit autem hæc humanitus inventa ac procuſa inſtrumenta in tantum faſtigium evehere: præſertim cum illi ipſi, qui ea conſignarunt, autores (quod imprimis de Confeſſione verum eſſe liquet ex quadam Saraviæ epiſtola) id ſibi minime propoſitum habuerint, ut nobis normæ vel primariæ vel ſecundariæ uſum præberent. Præterea non noſtri tantum Theologi, qui circa Synodum Dordracenam habendam aut habitam vixerunt, ſed & Hollandiæ aliarumque harum provinciarum ſupremi Rectores, diu ante judicaverant ea denuo examini ſubjici debere. Animadvertebant enim viri prudentes, ex illis uberrimam multarum litium ſegetem ſubnaſci, & doctos viros pioſque meditationibus ſuis in ea paſſim incurrere. Nam ne nunc Coornhertium commemorem, atque etiam proavum meum Cornelium Wigen, qui in hiſce inſtrumentis non pauca deſiderari oſtenderunt: Piſcator ipſe inter Adverſarios magni nominis Theologus illa in tanto pretio non habuit, quin ea accuratius elimanda atque in melius refingenda cenſuerit. Sunt penes me meditationes Piſcatoris in Catecheſin Palatinam, manu D. Uytenbogardi p. m. exaratæ, quarum tibi exemplar mitto his literis intextum, ut eas amico illi noſtro commonſtrare poſſis. Sic autem ea habent de verbo ad verbum expreſſæ:

Quædam notatu digna, collecta ex dictatis D. Joannis Piſcatoris in Catecheſin.

Ad quæſtionem ſextam.

CÆterum, quod hic dicitur, Deum condidiſſe hominem, ut ipſum creatorem ſuum recte agnoſceret, ex animo diligeret, & cum ipſo beatus in æternum viveret, idque univerſaliter intellectum, conſiſtere non poteſt; tum quia repugnat expreſſis Scripturæ dictis, tum quia inde ſequitur abſurdum. Dicta Scripturæ extant de cognitione Dei, *Matt.* XI. *verſ.* 25. & *cap.* XIII. *verſ.* 11. Item 2 *Theſſ.* III. *verſ.* 2. De beatitudine vero ſeu vita æterna, *Rom* IX. *verſ.* 21. 22. 23. Item *Proverb.* XVI. 4. Jam abſurdum quod ex pronuntiato illo univerſali ſequitur, eſt hoc; quod ſequeretur, Deum illos qui pereunt ſervare non poſſe; quippe cum omnes ad ſalutem condiderit, ac proinde ſervare voluerit, &c.

Ad Quæſt. 10.

Pro eo quod in textu habetur, innata peccata, dicendum, innatum nobis peccatum.

Ad Quæſt. 36.

Cæterum, hic duo quædam corrigenda occurrunt. Unum, quod dicitur nos conceptos in peccatis, numero plurali, cum Scriptura hac de re loquens utatur numero ſingulari, *Pſal.* LI. 7. Alterum eſt, quod ſanctæ conceptioni Chriſti, ſive ſanctitati conceptionis & naturæ humanæ Chriſti, tanquam proprium effectum, adſcribitur remiſſio peccati originalis; cum tamen Scriptura remiſſionem peccatorum abſque ulla exceptione aut diſtinctione adſcribat ſoli morti Chriſti, 1 *Johan.* I. *ſanguis Jeſu Chriſti*, &c. 1 *Pet.* I. 19. *Matth.* XX. 28. Genuinus fructus ſanctæ conceptionis, & inde ſecutæ ſanctæ naturæ & ſanctæ vitæ, hic eſt, Quod Chriſtus pro nobis factus eſt ſancta victima, & ſanctitate illa victimæ peccata noſtra omnia expiavit. Ep. 92.

Ad Quæſt. 37.

Commodâ quadam explicatione indiget, quod hic dicitur, Chriſtum iram Dei adverſus peccatum univerſi generis humani ſuſtinuiſſe: id enim, ut veritas ejus conſtet, intelligendum eſt eo modo, quo intelligitur dictum Joan. 1 *Epiſt.* II. 2. &c.

Cæterum correctione primo eget illud, quod Articulus ille, *Paſſus ſub Pontio Pilato*, exponitur de omnibus & quibuſlibet perpeſſionibus Chriſti; cum tamen proprie loquatur de ſupplicio, quod Dominus ſuſtinuit ex ſententia judicis Pilati.

Alterum eſt, quod expiatio noſtrorum peccatorum, & reliqua effecta quæ inde dependent, hic adſcribuntur non ſoli morti Chriſti, ſed etiam reliquis ejus perpeſſionibus; cum tamen in Scriptura aliter fiat, &c.

Ad Quæſt. 55.

Poſterius membrum hic non convenit, cum, quia parit homonymiam vocabuli communio; tum, quia alienum eſt à propoſito. Etenim in ſymbolo commemorantur beneficia Dei erga nos, non autem officia noſtra, vel erga Deum, vel erga proximum; quippe quæ proprie exponuntur in decalogo. Cæterum priori membro addenda ſunt media, quibus beneficia Chriſti credentibus communicantur, ea ſunt Verbum & Sacramenta.

Ad Quæſt. 73.

Cæterum hic occurrunt quædam corrigenda. Ac primum quod hic dicitur, peccata noſtra ſanguine Chriſti expiari; quod ſi ſimpliciter intelligatur, de tempore ſcilicet præſenti, conſiſtere non poteſt: quia ex verbo Dei certum eſt, peccata noſtra jam expiata eſſe per ſacrificium Chriſti in cruce ſemel oblati, &c.

Deinde valdè improprie dicitur, peccata noſtra expiari Spiritu Chriſti; etenim expiatio peccatorum proprium eſt effectum ſanguinis Chriſti; commodiore hic verbo uſa eſt Catecheſis Germanica, *hin wegh genomen werden*, &c.

Tertiò occurrit hic oppoſitio, & ſimul comparatio paralogos, quâ ſcilicet idem ſibi-ipſi, tanquam diverſum, opponitur, & idem ſecum ipſo, tanquam majus, comparatur. Etenim reipſa idem ſunt: peccata noſtra expiari ſanguine Chriſti: &, Spiritu Chriſti: &, nos à peccatis ablui interna lotione: quippe in-

terna

Ep. 92. terna illa ſeu ſpiritualis lotio à peccatis, nihil aliud eſt, quam peccatorum remiſſio propter expiationem factam ſanguine Chriſti, & peccati abolitio per Spiritum Chriſti.

Quartò, illud quoque non plenam doctrinam continet, quod dicitur nos à peccatis ablui interna lotione, tempore ſcilicet præſenti; quia certum eſt nos à peccatis noſtris jam ablutos eſſe, &c. Catecheſis Germanica hic uſa eſt tempore præterito (*das wir gewaſchen ſeyn*) quod & ipſum imperfectè dicitur, ut ex dictis patet: oportet enim utrumque conjungere.

Ad Quæſt. 76.

Notandum illud effectum non recte hic pro altera parte formæ poni, cum tota illius ſpiritualis uſus & bibitionis forma in priori parte conſiſtat.

Ad Quæſt. 90.

Brevius & rectius hic poſſet definiri (nempe vivificatio novi hominis) Quod ſit, Spiritui ſancto ad bona opera inſtiganti alacriter obſequi.

In his Piſcatoris animadverſionibus illud eſt animadvertere, nonnulla cum iis, quas poſtea noſtri enotarunt, congruere; quale eſt illud, quod in ſextam quæſtionem obſervavit Piſcator; ubi noſtri in ſuis, quæ Synodo Dordracenæ exhibuerunt, annotatis utuntur his verbis: quemadmodum ea in Actis Remonſtrantium Synodalibus & in Altingii explicationibus Catecheticis exſtant edita. Conſiderandum, *An non Catecheſis, cum docet, hominem, ut cum Deo beatus in æternum viveret, à Deo conditum eſſe, contradicat quamplurimis Reformatæ Eccleſiæ Doctoribus.* Item, *cum Catecheſis inquit, hominem à Deo conditum, ut cum eo beatus in æternum viveret; conſiderandum venit, num hæc de duobus individuis tantum, Adamo & Eva, dicantur; an vero referantur ad univerſum genus humanum, in ipſis conſideratum: & ſi poſtremum hoc concedatur, quomodo cum illo conſiſtere poſſit ſententia illorum, qui docent Deum multo maximam hominum partem ad exitium creaſſe, & Adamum hoc fine condidiſſe ut laberetur. Quin & hoc conſideratione dignum videtur, num Deus hominem ad hunc finem abſolute creaverit, an vero ſub conditione. Si abſolute, quæritur quomodo id fieri potuerit, ut Deus fine hoc ſuo fruſtraretur, & maxima partis reſpectu eo excideret, irritumque Dei decretum fieret. Sin vero dicatur, ſub conditione hominem ad eum finem condidiſſe, quæritur, num ergo Deus hominem incerto fine condiderit?* Ad hæc ſimiliaque pro Catecheſi ſua reſpondens Altingius, partim effugia quærit, & directam reſponſionem declinat; partim dum reſpondet, neque ſatisfacit nobis, & ſibi ipſi adverſatur. *Non contradicit* (inquit) *Catecheſis Doctoribus, quia uſum tantum & finem imaginis Dei, homini in creatione collatum, indicat. Is certe fuit vita beata*, &c. Subjicit deinde, *Referri verba illa ad totum genus humanum*, &c. *nec tamen everti, immo ne attingi quidem iſtorum Doctorum ſententiam, quia non agitur de myſterio prædeſtinationis; ſed de uſu & fine imaginis Dei.* Perinde quaſi noſtri dixerint, agi iſtic de abſoluta Prædeſtinatione, ac non potius abſolutam ex illis Catecheſeos dictis everterint. Sed hoc merum eſt effugium. Tum autem repugnat ille ſibi non una ratione; primo, cum innuit alium eſſe finem prædeſtinationis, alium creationis ad imaginem Dei; immo ſtatuit haud dubie fines hoſce in multis eſſe contrarios: quod ſane falſiſſimum, quandoquidem Deus ſibi in omnibus eſt conſtans. Secundo, cum dicit, *indicari finem imaginis Dei homini in creatione collata*; & addit tamen, *illa verba referri ad totum genus humanum*; aut ſibi repugnat; aut concedat neceſſe eſt, univerſum genus humanum ad imaginem Dei conditum eſſe: unde adverſus ipſum valide concludi poteſt, omnes ad Dei imaginem conditos eſſe, ut cum Deo in æternum beate viverent; neminem autem ad interitum prædeſtinatum, quod non beneficii loco ſed in ſummo maleficio eſſet deputandum. At qui ad Dei imaginem efformatus eſt, haud dubie, ut divinæ fælicitatis particeps fiat, eſt conditus. Tandem tamen Altingius aliquid annectit, quo propoſitæ difficultati ſatisfacere conatur, ſed nequaquam ſatisfacit. *Reſpondemus*, inquit, *ad membrum poſterius dilemmatis, per inficiationem conſequentiæ: licet Deus ſub conditione perſeverantiæ in primigenia integritate ad ſalutem condiderit, & homo conditionem illam non præſtiterit, non tamen propterea incerto fine ipſum condidit. Ratio eſt, quia conſilium Dei de homine non terminatur prima ejus creatione, ſed ad omnia eventa creationem ſecuta ſe extendit: alioqui dicendum eſſet, & lapſum & reparationem hominis eveniſſe homini præter conſilium Dei, quod abſurdum.* Ubi obſervandum eſt Altingium, cum prius illud dilemmatis membrum intactum relinquit, haud obſcure concedere, Deum hominem ad finem ibi propoſitum, æternam ſalutem, non abſolute condidiſſe. Quo pacto & Piſcatori aliiſque Doctoribus ſuis Catecheſis contradicit, (quod ipſe fieri negat) & agnoſcit contra ſuas ſuorumque hypotheſes, Deum nonnulla velle ſub conditione, ac fine ſuo poſſe excidere. Sic enim procedo: Conditio illa, ſub qua Deus vult aliquid, aut neceſſario præſtatur ab homine, aut poteſt non præſtari. Si neceſſario; fruſtra conditionis fit mentio; quandoquidem ſi conditio eſt neceſſaria, in voluntatem abſolutam conditionata degenerat. Si poſſit ea non fieri, fieri poteſt ut Deus fine illo ſuo excidat: quod & Scriptura docet, cum queritur homines Dei voluntati reſiſtere ac Dei conſilium irritum reddere. Negat quidem ille, *conſilium Dei de homine terminari prima ejus creatione:* Sed quidni creationi proprius ſibi finis tribui poſſit,

Ep. 92. sit, cum in ea Deus potentiam, sapientiam, ac bonitatem suam manifestare proposuerit, atque etiam reipsa manifestaverit? Praterea Adversarii, cum ulteriorem finem Deo attribuunt, fines fingunt sibi ipsis adversantes. Quid enim magis diversum adversumque, quam statuere Deum in Adamo totum genus humanum ad imaginem suam, hoc est, ad immortalitatem beatam (ut exponunt illi) condidisse, & tamen maximam partem ad interitum absolute prædestinasse? Citius cœlum terræ miscebunt, ac polum Arcticum cum Antarctico conjungent, quam ut hæc adeo dissona atque disjuncta conglutinent. Possem plura attexere, in quibus pateat & nostros, & Piscatorem, & alios Theologos Catechesin justa censura notasse. Sed hoc ipsum satis est, quia volui tantummodo aliquo veluti specimine dato demonstrare, nostros neque primos fuisse qui illa scripta emendanda censerent, & in iis quæ emendatione putabant egere, alios ipsis vel præivisse, vel suffragatos fuisse. Quod autem amico illi scrupulus in hac re aliquis inciderit, id inde ortum videtur, quia nostri quondam & instrumentis illis publica plurimorum consensione stabilitis ipsi subscripserint, & sensus ibi nobis adversi adhibita commoda interpretatione in nostram sententiam facile pertrahi possint: Quod ego utrumque verum esse fateor; neque tamen hinc efficitur id quod ille tuus existimat. Subscripserunt enim illi, vel quia propter consuetudinem inolitam nondum ipsis satis perspectum erat quid cum ipsorum ratione officii exacte conveniret; vel quia necessitate quadam constricti se subducere atque opponere tanto consentientium agmini non poterant; vel ut opportunitate aliquando oblata hoc Catecheseos idolum è templo Dei eliminarent, & de suggestu tanquam de theatro solemniter exploderent. Quod ut perficerent, multos sedulo ad omnes commoditatis articulos animo excubasse certum habeo. Res quidem optima successu caruit; quod fuit eorum infælicitati, vel potius aliorum improbitati imputandum; sed nihilominus audendum tentandumque aliquando id fuit, unde Reipublicæ Christianæ plurimum emolumenti accessurum sperabatur. Nam tametsi in nostram sententiam multa ibi leniter inflecti possint; solent tamen illi clamare vim verbis inferri, & ea non nisi obtorto collo tracta inflexaque causæ nostræ servire. Demus autem eos non pauca male in sententiæ suæ patrocinium torquere; nunquam tamen permittendum est, si modo res impediri aliquo pacto possit, ut in scripto humanitus conscripto, quod ab errorum periculo immune esse nequit, fides nostra solis sacris Literis debita, vel primario vel secundario requiescat. Id enim & in Dei Scripturæque ignominiam cedit, & ad hominum salutem pietatemque promovendam noxium est; quia hac via à sacri contextus lectione justaque veneratione non pauci avocantur. Plura nunc non addam: si tamen amicus ille plura desiderat, in eo te ipsi abunde satisfacturum confido. Vale. Dabam Roterodami. 1659. 11 Kal. Febr. Ep. 93.

XCIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JOANNES BECIUS S.P.

HOnorande, erudite, prudens, chare Frater: Optaveram equidem Gorcomii tecum propius paulo conferre super quibusdam negotiis, quæ ibi inciderunt, imprimis sub finem nostræ congregationis. At cum importunitas temporis id non permitteret, eò quod mihi properandum esset, ut in tempore domi essem ad diem Dominicum, absente collega meo D. Dibbetio, qui tecum Culemburgum proficiscebatur; decreveram hac de re primâ datâ occasione tecum agere, aut ad collationem in scripto tecum devenire (ut qui sperarem te animi mei præsentiam hac in parte æqui bonique consulturum) id quod huc usque distuli, quod tu paulo post ad castra esses profectus. Nunc ex tuis literis ad D. Dibbetium datis certior factus, te fortasse non ita cito istinc discessurum; consultum existimavi meum propositum non ulterius differre. Equidem intellexi te sub finem conventus protestatum fuisse adversus eos, quibus ulla sinistra suspicio fuerit oborta de quibusdam tuis sermonibus in Synodo propositis. Me quod attinet, ego libens ex dictamine charitatis in bonam partem velim interpretari, quod à meis symmystis dicitur, aut agitur, quamdiu id aliquatenus cum veritate & æquitate queat consistere. Etenim Dominus novit, quam mihi chara sit pax cum meis symmystis, ad tranquillitatem Ecclesiæ. Attamen non possum non te certiorem facere, quod tua dissertatio ad nostrum Gravamen, quoad Confessionem & Catechismum, mihi & quibusdam aliis fratribus non satisfecerit. Cujus gratiâ ego nihilominus te apud alios non cupio in suspicionem vocare; sed malui eâ de re cum te ipso agere. Etenim capere non possum, quâ ratione illi, qui præ se ferunt, aliquid sibi esse adversus communem doctrinam Ecclesiarum hic loci, possint detrectare, quominus id aperiant in suis Classibus & Synodis, quibus subsunt, & à quibus appellantur. Atque inhæreo etiamnum meo dilemmati, quod tu quidem in Synodo retulisti; sed, ut mea fert opinio, non ad id respondisti: esse ea aut fundamentalia, aut non: si prius; quâ conscientiâ possint illi talia celare eos, quos credunt errare in fundamento? sin minus; quare contentio & commotio super iis excitatur in Ecclesiâ? Tu respondes, decidendum adhuc esse, an sint fundamentalia. Ego è contra assevo, dila-

Ep. 93. dilationem talis decisionis ad Synodum generalem esse tam absonam ac periculosam, quam differre declarationem istorum capitum, de quibus controvertitur. Nam interea turbantur Ecclesiæ; multi de doctrina sinistre opinantur; quidam, qui professi fuerunt Religionem, retiliunt; alii qui jam in viâ erant, retrahuntur, & adversarii inde majorem occasionem arripiunt magis calumniandi. Quod tu existimas, ittiusmodi difficultatibus posse præverti, tacendo utrinque; equidem assensum præberem, si hactenus tacitum fuisset, & taceretur etiamnum. Sed jam res non est in integro, os hominibus apertum est, sciunt esse controversiam in doctrinâ, nec licet scire liquido, quid sit; nihilosecius haud desunt, qui præ se ferant esse quippiam, quod tamen non sit animus aperire nisi in Synodo Generali. Ego tibi cogitandum do, quantum hinc offendiculum sequatur, & quomodo Libertinismus, & contemtus Religionis eo confirmetur & foveatur. Item, quæ hinc consequentia sequatur. Nam esto, si res optime cadat, Synodus intra vertentem annum celebrata sit, & formula concordiæ ibi statuatur, per quam omnis hallucinatio & discordia tollatur; annon fieri poterit, ut deinceps etiam quispiam novi aliquid habeat? Iste tunc quoque dixerit, & ab exemplo confirmavent, non esse sibi necesse, ut de eo sententiam exponat ante proximam Synodum Generalem. Interea liberum ipsi erit doctrinam generalis Ecclesiæ suspectam reddere. Nam si id semel permittatur, quomodo postea aliis vetabitur? Quomodo deinceps compesci poterunt, qui se doctrinæ publicarum Ecclesiarum opponunt? Et quâ demum cum ratione id constitat, ut quispiam habens aliquid adversus doctrinam publicarum Ecclesiarum, recuset id aperire magis coram suo collega, & minore coetu, quam in Synodo Generali? Ecquid novit, annon in minore congregatione ad eum modum ipsi sit respondendum, ut intelligat se in suâ sententiâ errare? An arbitratur se solum sapientiorem esse omnibus suis collegis in Ecclesia Jesu Christi? Siquidem ita de se sentiat, posset eâdem operâ Synodum Nationalem rejicere, & provocare ad Oecumenicam, sicut ii jure facere queant, qui se in Nationali Synodo adversus veritatem viderent suffragiorum numero pressos. Nam sunt, Deo sit laus, plures Reformatæ Ecclesiæ, quam in fœderato Belgio, nedum in Hollandiâ. Mihi aliud non persuaderi potest, quin ii, qui ita sentiunt, opinentur se adeo rerum suarum certos esse, ut in Synodo Nationali omnibus os occludant. Si vero sic res se habeat, quare igitur tergiversantur in minori coetu se ipsos aperire? an existimant se negotium ad eum modum directuros, ut in Synodo Nationali plus authoritatis habeant, quam in minori conventu? In eo certe calculum suum non recte posuerint. Nam esto, res eo deducatur; Ecclesiæ istiusmodi decreto Nationalis Synodi non tenerentur. Tu opinaris, nos perverse nobis imaginari aliquam Synodalem sanctionem super hoc negotio, absque recessibus antecedaneis. Cæterum ignoro, an tu certior in eo sis nobis; nam à compluribus, qui etiam non sint ex minimis, in talibus recessibus non parum difficultatis movetur. Nam concessis ejusmodi recessibus, in omnibus particularibus Synodis, Classibus & Presbyteriis, tractandum fuerit de controversiis in doctrinâ. An inde non plura extitura sunt gravamina, quam quando viâ ordinariâ illi, qui aliquid habent, id primum referant ad minorem congregationem; & si eis ibi satisfieri nequeat, per gradus ad majorem perveniant? Profecto ad eum modum omnia tranquillius agerentur. Alioqui omnibus os aperietur, adversarii aures arrigent, & talia offendicula orientur, quæ ego optarim vita meâ non attingere. Quod adfertur, ista non nisi meras imaginationes esse; atque interea spargitur, aliquam mutationem in Confessione fieri oportere; tibi expendendum relinquo, quomodo invicem constitat? Quemadmodum etiam, quod uno tempore nomine Amplissimorum Dominorum Ordinum declaretur coram universa Synodo, non esse suis Amplitudinibus consilium ullam mutationem in doctrinâ permittere; & alio tempore rursum significetur, faciendam esse mutationem. Me quod attinet, ego non video quomodo hæc inter se consentiant. Cum quæstio incidit super verbulo *revisionis*, declaratur, per *revisionem* non intelligi mutationem aut emendationem; & tamen scrupulus movetur super interrogatione omnium concionatorum & Doctorum, numquid habeant, in quo correctione opus esse putent. Honorande, dilecte Frater, non potui non hasce meas cogitationes tecum communicare, teque orare, ut hoc negotium tibi velis esse cordi in timore Domini, propagandæ Dei gloriæ, & incolumitati Ecclesiæ, quæ nobis summopere est commendata. Dominus te locupletavit ingentibus dotibus, ac per eas apud Primores Reipub. tibi authoritatem conciliavit, adeo ut hac in re plusculum possis. Quamobrem te, chare Frater, rogo, ut te ipsum huic rei impendas in gratiam Ecclesiæ, ac mecum, cumque aliis, qui zelo flagrant curandi salutem Ecclesiæ, consilia tua probè conjungas, ut tranquillitati nostræ consulatur in eo, quod non parum nos anxios reddit. Hanc meam præcipitem scriptionem à libertate animi ac fiducia profectam æqui bonique consule, & dignare eam, datâ occasione, responso. Et hisce honorande, erudite, prudens, ac chare Frater, Domino Jesu Christo ejusque gratiæ commendatus esto, qui te deducat, & incolumem reducat domum. Raptim Dordraci, decimo sexto Septembris. Anno CIↃ IↃC VI.

Ep. 93.

Tui Observantissimus

Versa ex Belgico:

J. BECIUS.

XCIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI BECIO S.P.

HOnorande, erudite, prudens, dilecte Frater: Epistolam tuam scriptam decimo sexto die, accepi decimo nono sequente, & responsionem propter varias difficultates atque impedimenta hucusque distuli. Collatio mihi grata est & accepta, si quando in dilectione & sincerè (prout ego confido) instituitur; quamvis nunc non tam proficua, quandoquidem Synodus super moto gravamine decreverit; adversus quod, sicut ego nihil specialiter habeo, sic & te in eo acquiescerę arbitror. Nec tamen animadvertere queo, quomodo mea declaratio (quam tu protestationem appellas) sub exitum congregationis facta, majorem tibi causam præbere potuerit ad hanc collationem, quam mei sermones diversis temporibus, durante conventu, propositi. In centura meæ personæ gratiis mihi actis tuo ore, quod congregationi bonis meis consiliis adfuissem; ego ad eas reponebam; confidere me, quandoquidem varii sermones à me fuissent prolati, quemadmodum in solenni censurâ non fuissem reprehensus eorum nomine; soluto conventu etiam de iis aut nihil, aut non aliter quam secundum veritatem verba facienda fore. Siquidem ego nihil antea censurâ dignum dixissem, hæc mea declaratio jure nemini offensionem creare poterat. Quod tu asseris, meum discursum (hoc pacto placet tibi appellare propositionem, bonis argumentis munitam, & à me factam ad ostendendum, quam periculosi, ancipites, nulloque fundamento nixi processus forent, qui videbantur agitari) super tuo gravamine quod spectat Confessionem & Catechismum, tibi & quibusdam aliis fratribus non satisfeciſſe, credo equidem: sed quod addis, te eâ de causa apud alios me nolle in suspicionem adducere, videtur mihi paulo alienius. Si id abs te omittatur, quod non deceat, & ex charitate, quatenus nullam injustitiam exercet, ego id missum facio. Cæterum si id omittis ex charitate, quatenus omnia tegit, & tolerat, id equidem sine notâ tranſmittere nequeo. Ego non petebam in mea memoratâ declaratione tolerari in sententiâ, cui, contradicens adversæ, patrocinatus fueram, & omnia ex dictamine charitatis in meliorem partem capi, nec me eâ de causâ apud alios traduci; sed ut de eo aut nihil, aut juxta veritatem verba fierent, relictâ Fratribus utrinque libertate. Quomodo? tuum aliorumque fratrum pronuntiatum mihi quoque non satisfacit: an ego autumarem quippiam eximii à me præstari, cum ego eos isto nomine non suspectos reddo? Omnium nostrum scopus fuit procuratio & conservatio Ep. 94 purę veritatis divinæ: cujus consequendæ ergò tu aliique censuistis media in tuo gravamine proposita idonea; ego ea prorsus inidonea futura: de quibus utrinque ratiocinationes inciderunt in pleno conventu inter eos, qui ad eum pertinebant, & quidem prout in mandatis acceperant. An propterea quispiam, tametsi erraret, suspectus reddi potest, & differri rumoribus? & cujus rei ergo? non ejus, quod apertè dixisset; nam eo ipso istud jam universis præsentibus innotuerat: sed (quemadmodum videtur accipiendum esse) de alio quopiam, quod non dixerit, & fortasse ne cogitaverit quidem. Si sic res nobiscum habet, dilecte frater, plane mihi mirum non videtur, quod complures querantur, tam facile nos mutuo suspectos reddi. Nihilominus aliquâ ratione laudabile est, quod tibi non sit animus id facere; tantum addo, tibi id quoque non esse faciendum, nulla alia ejus causa tibi oblata, quam cujus tuo scripto meministi: atque eo ipso prætermitto, quod tu porro refers de tuâ propensione ad pacem cum tuis symmystis, & tranquillitatem Ecclesiæ, quam ego Deum pacis obsecro magis magisque in omnium nostrum cordibus velle stabilire.

Veniens ad causam principalem, quam videris ab isto cardine suspendere, quod tu comprehendere nequeas, quâ ratione illi, qui præ se ferunt aliquid penes se esse adversus doctrinam communis Ecclesiæ in hisce regionibus, potuerint detrectare, quominus id ipsum aperiant in suis Classibus ac Synodis, quibus subsint, & à quibus compellentur; ac si quispiam ibi Synodo interfuisset, qui præ se tulerit, se quippiam habere contra communem Ecclesiarum doctrinam, nec tamen voluerit eo, quo à te memoratur, modo aperire: videtur mihi, salvâ correctione, melius te facturum fuisse, si statum quæstionis constituisses super verbis ipsius gravaminis, quod ibi ventilatum fuit; nam præterquam quod non desint, qui dicant, quod id, in quo gravantur, præter veritatem prætendatur esse doctrina communium Ecclesiarum harum regionum, cum tantum sint particulares quorundam opiniones; constat tibi gravamini isti, de quo quæritur, non fuisse causam præbitam per istorum hominum propositionem, qui à te notantur; sed ex decreto D. D. Ordinum: de quo igitur quæritur, an istiusmodi medium, quale est in gravamine, esset idoneum, quo sententiæ D.D. Ordinum satisfieret. De hoc summatim narrabo, quod in Synodo actum est, & tunc ad rem propius accedam. Mea sententia erat, ut & plerorumque nostræ Classis, non esse eam, quam gravamen monstrat, viam insistendam; sed omnia in statu relinquenda usque ad conventum præparatorium, quem D.D. Ordines in decreto suo dicerent se velle convocare, ut sententiæ dicerentur de modo habendæ Synodi, ubi hæc quoque res aptè tractari posset;

Ep. 94. poſſet; muniens hanc meam ſententiam (prout perſuaſus ſum) probis rationibus. Urgebatur nihiloſecius porro, & eo uſque, ut dilucidè ſignificaretur, iſtud gravamen niti arduis ſuſpicionibus, quæ adverſus quoſdam conceptæ forent, quos animus eſſet per hanc viam manifeſtare, & eoſdem uno atque altero præjudicio gravatos ad Synodum Nationalem, tanquam reos ad tribunal, pertrahere. Quo cognito, me adhuc magis oppoſui iſti conſilio, & inter cætera declaravi hæc tria; quorum primum: Si quis Eccleſiæ miniſter in aliquo capite doctrinæ culpabilis foret, eum liberè, non expectata Synodo Nationali, coram competente ſuo Judice accuſari, & adverſus eum ſecundum Eccleſiaſticam Sanctionem procedi poſſe. Alterum: iniquum eſſe, ex nudis ſuſpicionibus novam inquiſitionis formam invehere, ad hunc & illum rogandum, quid de hac aut illâ re ſentiat, ut ſuper eâ inſtituatur in eum actio, & ſic Eccleſiæ ante tempus diſputationibus repleantur. Tertium: non eſſe eos quoque ulterius premendos, qui aliquâ datâ occaſione declaraverint, eſſe ſibi alicubi, ipſam etiam doctrinam quod attinet, gravamen, ac ſtare ſententiam id ipſum proponendi inſtanti Synodo Nationali; ſed omnia uſque ad id tempus immota relinquenda. Primo membro omiſſo, ſuper altero & tertio magnæ altercationes inciderunt, in quibus dilemmate tuo jam relato abs te propoſito, ego reſpondi; non fieri mihi fidem, eſſe ullum Eccleſiæ miniſtrum, qui aliquid habeat contra fundamentalem ſalutis doctrinam in noſtris Eccleſiis traditam; cæterum adhuc inter celebres Theologos controverti, qui articuli pro iis ſint habendi, aut non; idque caput eſſe, cujus accurata ſit habenda ratio, ne qua veritas neceſſaria reddatur, quæ non ſit neceſſaria, & contra. Et ad quæſtionem tuam, quæ ſpectet turbas in Eccleſiâ, reponebam ego; iſta de re ſciſcitandos eſſe eos, qui turbas darent; meque multò potius pro authoribus turbarum (ſi quæ forent) habere, qui fratres ſuos apud hunc aut illum traducerent, & nomen novorum Coornhartianorum, recentium Pelagianorum, toties in ore habeant, in ipſâ quoque cathedrâ Eccleſiaſticâ; ut qui ſcilicet Eccleſiam de novitatibus commonefacere velint, nec tamen illos, quibus prætenſas has turbas crimini dent, & de quibus multus eſſet à tergo ſermo, ipſos auſint aut velint eo nomine compellare, & quod videretur ipſis vitio verti coram ob oculos ponere. Hic ego pedem fixi, & ſtatui eos homines, ſi quid eſſet, debitè accuſandos eſſe, & qui id faceret, profiteri debere ſe actorem, aut iſtiuſmodi agendi modos miſſos facere: & tametſi aliquis in Eccleſiâ hac aut illa occaſione ſuper ea re gravaretur, eum melius eſſe inſtruendum iſtiuſmodi rationibus, quæ id temporis à me prolixè deductæ fuerunt. Replicabatur, interim fundamenta novitatum jaci, & nunc hunc nunc illum præoccupari. Ego reſpondebam, me non capere poſſe, quomodo Ep. 94. id fieri queat, niſi quis mentem ſuam aperiret; & ſi quidem inde tunc aperta materia ſuggereretur, quarè in ejuſmodi hominem non inſtituitur actio? Quod cum non fieret, me credere oportere, omnem iſtum rumorem non niſi nudis ſuſpicionibus ſuperſtrui. Ex hac brevi relatione, chare Frater, etiamnum tibi judicandum relinquo, an ad tuum dilemma non ſatis reſponderim. Hic mihi liceret ſubſiſtere, ſed ut tibi ſatisfaciam, libenter propius ad rem accedam.

Aſſero igitur primo: non dari actionem adverſus ullum Miniſtrum in hiſce Belgicis provinciis docentem, quo ad impuritatem doctrinæ, niſi comperiatur quippiam tradere contrarium Confeſſioni & Catechiſmo. Deinde, ſicut nemini fas eſt proprio arbitratu iis contrarium docere; ita quoque ipſi liberum eſſe, emendationem requirere ejus, in quo putet ea opus eſſe. Tertiò, quod ei liberum ſit, ſcrupulum, quem hac de re habeat, in ſua Eccleſiâ, Claſſi aut Synodo particulari manifeſtare, ſiquidem ipſi id videatur. Sed ad id non teneri, aut ulla ratione legitime conſtringi poſſe, quamdiu declaret id ipſum ſe velle proponere in eo conventu, cujus ea ſit Confeſſio, & interea nihil adverſus eam doceat. Si quis eum ſuper hac re compellat dilemmate, quod tu moves; eſt fundamentale, aut non: ſi prius, tacendum eſt; ſi poſterius, non eſt movendum. Ille reſpondebit; prius ſuæ conſcientiæ committendum, & ſe eo loco habendum, quod ne quidem ad momentum diſſimulaturus ſit veritatem, ſine qua ipſe in conſcientiâ certus ſit, neminem ſervari poſſe: adeo ut ex ipſius ſilentio judicandum ſit, aut id quod habet non eſſe fundamentale, aut quod dubitet, utrum ſit fundamentale, ac proinde nolit feſtinare, ſed rem maturè expendere. Si deinceps deprehendatur, ipſius ſcrupulum non ſolum verum, ſed & neceſſarium fuiſſe ad ſalutem; quæratur tunc ex eo, ſicut nunc tu facis, qua conſcientia id potuerit tacere? & tunc in eum animadvertatur, ut qui veritatem in injuſtitiâ detinuerit. Si interim libeat dicere, detrimentum nimis ingens ac irreparabile eſſe: iſto correpto, conjiciamus oculos noſtros in Dei providentiam, cui non deſunt juſtæ rationes, quamobrem gentes tam diu in ſuis idololatriis, Chriſtianiſmum idololatricum tam diu in Papatu, & nos in talibus erroribus tam diu immerſos ſiverit. Cæterum non arbitror, dilecte Frater, vel minimam tibi ſuſpicionem oriri, ullam falſitatem in Confeſſione aut Catechiſmo commonſtrari poſſe: quod cum ſic ſe habeat, committatur liberè ipſorum conſcientiis, donec contrarium tuæ opinioni contingat: quod fortaſſe non fiet. Ad ſecundum dicet: Nil moveo; aut ſi moveo, adverſum me agito. Si porro quæratur: unde igitur turbæ? Vel negabit eſſe turbas, vel tantas eſſe, vel ſe illarum autorem eſſe. Forte etiam motuum, ſi qui

Ep. 94 sunt, causas in illos ipsos rejiciet, qui turbonem esse proseminarunt. Hic si ad actionem ventum fuerit, an non ut illi recriminationis, sic tibi criminationis incumbet probatio? Novisti recriminationem istam usurpatam ab Elia: quod dico, non ut omnimodam hujus & illius actionis comparationem instituam: absit: Sed ut eam ab insolentia, si quis hodie eadem utatur, vindicem. Si quis tunc volet dicere, de nihilo tamen nihil dicitur. Necesse est aliquid latere. Respondebitur: non sufficere, si quis in genere sic loquatur: inquirendum, quid, à quo, ubi & quomodo quid actum sit, priusquam sic in genere ad judicandum prosiliatur. Quid tibi videtur? Eratne Christi responsum impertinens; ego publice docui, quære ex iis, qui me audiverunt? Tu regeres; isti erant inimici: hi sunt amici & Fratres. Ego respondeo; ipsos etiam amicos ac Fratres interdum tam excedere amicitiæ & fraternitatis limites, ut non absque causa ipsos liceat tali responso excipere. Si non sit integrum actionem formalem instituere, tunc in nomine Domini silentium præstetur, & de aliis magis tempestivis mediis cogitetur ad tollenda gravamina exorta; ad quem finem, quod me attinet, commodiora ignoro, quam Synodum Nationalem; de qua quarto pronuncio, quod in ea non tantum quilibet Ecclesiæ minister possit, sed & debeat proponere quicquid existimat sive in doctrina, sive in Ecclesiastica Sanctione correctione habere opus, ad commune bonum Ecclesiarum, quarum est cum Ordo, tum Confessio. Rationes meæ sunt; Ishuismodi negotia propriè ad tales conventus pertinere. Deinde, nusquam ea majori cum fructu, ac minori gravamine tractari posse, partim propter autoritatem talis conventus, partim propter frequentiam celebrium virorum & prophetarum, qui probabiliter ibi plures, quam alibi compareant: tertiò, ob præsentiam & authoritatem summi Magistratus, per quem multa dirigi & componi melius queant, sine quo interdum [illegible] ageretur, & quid etiamnum in aliquibus Classibus agatur, proh dolor, satis constat. Taceo quod summæ Potestates, cum in Synodum consenserint, significent, velle se ut istiusmodi negotia ibi tractentur. Tertiò; quod sub hac declaratione istius libertatis in Synodo Natioli permittendæ multa particularia gravamina, quæ alioquin erupitlent in detrimentum, sint sopita. Quartò: quod respectu constitutionis (proh dolor) nostrarum particularium congregationum & ingeniorum (non loquor de omnibus sed pluribus) res aut prorsus infecta manere, aut infinitas altercationes & hallucinationes procreare possit; cui unicum remedium est, ut illud hic fiat.

Advertis ista multa abs te allegantur incommoda. 1. Multi alienantur à Religione, Libertinismus & contemtus Religionis eâ ratione confirmatur, & fovetur. Resp. Quod talis Libertinismus & contemtus Religionis, Ep. 94 proh dolor, inter nos sit, & quotidie conspicatur & roboretur, non hinc oritur; sed fortasse partim ex quibusdam earum rerum, quas in Synodo Nationali corrigi libenter cernemus; partim ex intemperie eorum, qui judicant priusquam cognoscunt, & sub prætextu zeli pro pura doctrinâ, classicum canunt, antequam ullus hostis appareat, arbores in tenebris pro armatis viris, quin & amicos pro hostibus aspiciunt, & sic Ecclesiam concitant: quæ postea in luce conspiciens se deceptam esse, non optimè in tales excubitores animata est, ut qui sine causa intempestivè quietem suam turbaverint. Locus, in quo dilecte frater hæreo, facit me illâ bellica similitudine uti. Ego unam admonitionem, quam audivi, sumo pro exemplo; quæ licet in generalibus terminis accepta veritati consentiret, in tali tamen loco & terminus pronunciabatur, ut quispiam cum antea nihil tale audivisset, & aliquatenus zelo flagraret pro puritate doctrinæ, continuò debuerit arma capere, ad dicendum, ubi sunt homines? Ubi est iste vir, qui nobis has tantas dat turbas, ut eum pro meritis tractemus? Quæ sunt capita, quæ impugnant? & sic deinceps. Quo casu isti bono viro (meâ quidem opinione) aut obmutescendum fuerat, & confitendum se cum propriâ umbrâ pugnasse; aut falsum asserendum; aut dicendum, se ad quod paulò ante declaraverit, non certo scire. Ishuismodi & alias evenerunt. Tale quoque incommodum oritur (si sic se res habet, ut dicis) ex impressionibus, per quas Ecclesiis superioribus annis persuasum est, ac si cuncta in nostris Ecclesiis ad eum se haberent modum, ut prorsus nihil corrigendum esset, nec foret: quod cum pluribus ita certo persuasum sit, formidant ipsi manum ulli emendationi admovere, (in ipsa etiam Ecclesiastica Sanctione) circa res quas tamen credunt necessariò esse emendandas. Philippe, ajebat Lutherus, tu quoque facito aliquid post meam mortem, alioqui cuncta in dubium vocabuntur. Constat tibi, de quâ re id pronunciaverit. Et hîc stamus. Idem respondeo ad secundum tuum incommodum, nimirum, nunc hominibus os esse apertum, & rem non esse in integro: eo tantum adjecto, aliquid boni quidem effectum iri ad id denuo occludendum, si animus sit ei rei tantundem studii impendere, quantum aperiendo adhibitum sit: quamvis fatear, ora prius referari quam occludi. Sed penes quos est culpa? penes eos, qui referarunt. Utcunque se hæc res habeat, tuum remedium ad id non est accommodatum, sed potius ad amplius aperiendum: Meum ora claudet, si claudi queant. Tertium tuum incommodum est, quod qui post compositionem horum gravaminum aliquid volet proferre, istud exemplum sequetur. Resp. Siquidem tu ponas integrum, prout ante à me collocatum est,

non

Ep. 94. non eſt incommodum. Si etiam vitemus in poſterum vitia, quæ nunc cernimus, hoc eſt, ſuſpicionibus non nimis indulgeamus, plus libertatis in particularibus communicationibus permittamus, nec quenquam eâ de cauſâ tam cito ſuſpectum reddamus, & Eccleſias inquietas reddamus (in unico verbulo) veritatem paulo melius ſectemur cum charitate; id non uſque adeo metuendum erit. Quinimo eo minus, quod ſpes affulgeat fore, ut Synodus Nationalis ſæpius habeatur, ſuppono ego, quolibet triennio. Per primum effectum dabitur, nequis ita meticuloſus ſit futurus in manifeſtandis ſuis ſcrupulis privatim; & per alterum, remedium ſemper erit in promtu, & præ foribus. Si iſte nolit illud tempus expectare, & interim, adverſus id quod receperit, docere, aut, ut tibi loqui libet, ſeſe doctrinæ publicarum Eccleſiarum opponere velit; quare non poſſet contra eum procedi? Præter allegationem horum incommodorum, placet tibi urgere medium in tuo gravamine propoſitum, quærens, cur in eo ſe quis difficilem præbeat? Dilecte Frater, pronuntiatur nonnunquam de hominibus, qui tantum communi ſunt præditi ingenio, eos hæreſin in mundum non invehere. Inter eos ego me ipſum quoque cenſeo, & Deo gratias ago: Nam cui multum eſt datum ab eo multum repoſcetur. Attamen ſi quid haberem adverſus Confeſſionem, & ſi animus eſſet id (prout nunc ſe habent res noſtrarum Eccleſiarum) eo modo mihi extorquere; ego quoque me difficilem præberem. Rogatus, quamobrem? Ego coram Deo (qui novit me non mentiri) dicerem, non omitti id à me, quod me ſapientiorem exiſtimem meis Collegis; nec propter opinionem ac ſi cunctis in Synodo os obturaturus ſim; nec ſpe aliqua, futurum, ut per aliquam directionem ibi plus audientiæ habiturus ſim (tu veriſimiliter intelligis ſiniſtram aliquam directionem) ſed ob alias rationes. Tibi eæ non occurrunt; præſtiterit ergo tacuiſſe, & Deo earum judicium commiſiſſe; quam tuis Symmyſtis tales rationes, ex ſuſpicioſis tantum imaginationibus hauſtas, affingere, quales in tuâ epiſtola exprimis. Nec veritas, nec charitas, dilecte Frater, tibi eas dictarunt. Non veritas: Quî tibi conſtat, quid homines cogitent? Non Charitas; nam hæc tam ſuſpicax non eſt. Nonne aliæ rationes tibi propoſitæ fuerunt in Synodo? Dictum eſt, iſtum proceſſum non eſſe rectum: Non teneri quenquam illud alibi, quam in Synodo Nationali aperire: Propriè huc pertinere: Metui, ne ex tali actione ignis diſſenſionis in Eccleſiis & Claſſibus oriatur, qui poſtmodum ægrè extingui queat. Serviturum iſtud ad notandum hunc aut illum, & proinde factioni, alienationi, & ſchiſmati: Negotium, præjudicio minoris congregationis deciſum, non tanto cum fructu in Synodo Nationali tractari poſſe. Si tu reponas, formidinem hanc, quæ obtendatur, vanam eſſe, & quaſi ex aëre arreptam, & ex iiſdem ſuſpicionibus naſci, de quibus ab aliis, à me etiam, tantopere querelæ moveantur. Ego tibi reſpondebo; quod, utcunque res cadat, iſtæ ſuſpiciones neminem gravabunt; ſed duntaxat ſervient cautioni & prudentiori directioni negotiorum; quod de aliis ſcrupulis aſſeri nequit, ut qui nonnullos gravent ſuſpicione Novitatis, Hæreſios & Schiſmatis. Illa convenit cum ſerpentinâ prudentiâ, hæc adverſatur columbinæ ſimplicitati. Cæterum ego non tantopere ei rei inſiſterem, niſi experientia in multis variiſque exemplis, imo (ego id libenter profiteor ad meam ignominiam) in memet ipſo, me docuiſſet, quam parum multorum aures idoneæ ſint, ad audiendum animo modeſto & à partium ſtudio vacuo, & meditandum, quod vel minimum adverſetur ſententiæ ſemel ab ipſis inbibitæ, niſi ibi fiat, ubi debet & oportet fieri, & ubi adſunt homines, qui ſua authoritate procurare poſſint, ut negotium debitè proponatur, excipiatur, & expendatur. Ad hæc in poſtrema Synodo à me pronuntiatum fuit, quod tametſi quiſpiam ſe permoveri ſinat, ut ſuos ſcrupulos in majori cœtu aperiat; quandoquidem tamen eo ipſo non impediretur (quod & Synodus declaravit) nihilominus in Synodo comparere, aut ut iterum proponat id, quod ſemel propoſitum fuerit, & quidem iiſdem, aut aliis, aut pluribus rationibus munitum; aut aliud quid, quod poſtea ipſi in mentem venerit; tali caſu patefactio ſcrupuli in minori cœtu aut fructu caritura ſit; aut utique id non effectura, quod præcipuè hac ratione quæritur, nimirum ut præcedanea cognitio habeatur omnium, quæ in Synodo Nationali tractanda forent. An hæ non ſunt rationes? Ep. 94.

Tu deinceps ad Receſſus progrederis, & arbitraris à compluribus, qui non ſint ex minimis; in iis haud parum ſcrupuli moveri. Equidem tuo pronunciato fidem habeo; ſed ignoro eorum rationes. Ex adverſo comperi, pluribus, qui etiam non ſint imi ſubſellii, optimè eos placere, tanquam verum medium prævertendæ formidini, quam ſibi imaginantur, ne in Synodo Nationali præoccupentur. Et quid ſibi perſuadent iſti homines? Res tanti ponderis per paucos deputatos tractari poſſe? & an Eccleſiis conſultum videbitur ejuſmodi viris abſolutam poteſtatem tradere? At ne diſputemus hac de re, neceſſitas ipſa forſan ipſos adiget ad Receſſus. Tu ipſe attèrendo, quod, ſi eò res evadat, quò nonnulli ſtudent eam dirigere, ut nimirum plus audientiæ habeant in Synodo Nationali quam in minoribus conventibus, Eccleſiæ tali decreto non ſint obſtrictæ, nobis monſtras Receſſum. In rebus arduis, præſertim Theologicis, præcipitantiâ citius peccatur quam tarditate. Receſſus faciunt, ut negotia ruminen-

Ep. 94. tur, nec non intelligantur, & ponderentur ab omnibus, qui jus ſuffragii in eis habent, majorque decretorum, ſi receſſus præceſſerint, eſt autoritas. Hinc, ais tu, plura gravamina ſequentur, quam ſi eatur via ordinariâ, & per gradus: & ſic deinceps. Ego nego tuam propoſitionem in hoc capite eſſe viam ordinariam. Tuum gravamen proponit tanquam novum quid & extraordinarium, quod multi ſtudent in uſum deducere & ordinarium reddere. Per iſtiuſmodi receſſus (ſunt tua verba) in omnibus particularibus Synodis, Claſſibus & Presbyteriis tractandum erit de controverſiis in doctrinâ, & talia ſcandala emergent, quibus tu non optes eſſe ſuperſtes. Sed an ex præcedenti manifeſtatione in conſimilibus particularibus cœtibus non eadem, imo majora & plura gravamina emergent? Ego affirmo; cum ex adverſo, re in Synodo Nationali primum propoſita, multo plus ſpei affulgeat futurum, ut is qui proponit (ſiquidem erret) inſtitutioni locum det, propter præſtantiorem directionem, & multitudinem celebrium piorum virorum, quos ibi reperturus ſit plures, quam in minoribus cœtibus: Si etiam tam inclita congregatio judicet ipſius conſiderationes eſſe alicujus momenti, ut ad Eccleſiæ in olumitatem attentius conſiderentur; negotium iſtud nomine Eccleſiarum & Claſſium ab ejuſmodi viris, & tali modo, in Eccleſiis & Claſſibus aperiri potent, ut multo minores alterationes (forte & nullas prorſus) excitaturum ſit; quam ſi quidam ſoli, iique jam nunc ſuſpecti, quippiam particulariter proponant. Huc accedit, quod Synodus Nationalis de aptiſſimis rationibus deliberare poterit, ut negotium interpoſita ſummarum Poteſtatum autoritate ita dirigatur, quo receſſus cum maximo ſilentio habeantur. Iſtud inſuper addo, fieri non poſſe (meo quidem judicio) ut iſtiuſmodi res in minoribus congregationibus plenè & particulatim tractentur; prout tamen requiritur, ſi cum fructu tractabuntur. Nunquid igitur præſtat, ut in Nationali Synodo id primum fiat? Quod attinet offendicula: ea neceſſe eſt evenire: Sed væ iis, per quos. Noſtræ poteſtatis non eſt cavere, ne, quamdiu mundus ſtat, aliquando diſputationes nonnullæ incidant ſuper aliquo doctrinæ capite. Id tantum conſiderandum, ut debito modo fiat, ad tutelam & patefactionem veritatis. Id ſi fiat, & tamen quiſpiam offendatur, id ſcandalum eſt acceptum, non datum: ac dicendum, ſinite illos: ſequendo in eo antiquum exemplum Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum, & recens eorum, qui manum Reformationi Eccleſiæ noſtris temporibus admoverunt; nulla habita ratione turbarum, ejus occaſione per univerſum Chriſtianiſmum ortarum, ut qui officio ſuo fungerentur. Et quis novit, num Deus nobis illam gratiam facturus ſit, ut per nos aliquod medium ad tranquillandas, utique ex parte, iſtas turbas, abſque ulla ſalvificæ veritatis jacturâ reperiri Ep. 94. poſſit, ſi ei ſtudeamus, flagrantibus precibus id contendamus, noſtra corda atque animos, verba & opera debite huc componamus. Quantopere incredibile id ſit, tamen iſtud tam velim ſperare, quam alterum timere. Utcunque res cadat, fatendum eſt, eſſe eas meditationes nunciis pacis & doctoribus juſtitiæ inprimis convenientes. Tu mihi adhuc cogitandas relinquis tres ſermonum copulas, tanquam invicem pugnantium, ac proinde animo tuo noxiorum. Quarum prima: quod dicitur, hinc, res iſtas nihil eſſe niſi meras imaginationes; illinc, nihilominus mutationem in Confeſſione fieri oportere. Reſpondeo primò, ad omnes iſtos qui prætendantur contrarios ſermones, ſimul; cum unuſquiſque ſit interpres propriorum verborum, proponendos eſſe iſtos illis, qui eos uſurpaverint, eo modo, quo à te prolati ſunt, de quo ego vehementer dubito: imo ego eos non audivi ad iſtum modum proponi. Ad primam quod attinet: ſpeciatim declarandum fuerit, quæ res eſſent, quas dicebant tantum imaginationes eſſe. Quod attinet gravamina quæ tu tibi imaginaris, ſi præteritis minoribus cœtibus res primâ inſtantiâ referatur ad Synodum Nationalem, in eo mihi non liquet repugnantia: quippe accidere queat, ut aliqua mutatio incidat in Confeſſione, nec tamen ulla aut non talis moleſtia inde ſequatur, ut tu arbitraris. Dato etiam, oriantur aliquæ moleſtiæ; ſi tamen mutatio ſecundum veritatem fiat, tum ea non erit cauſa iſtius moleſtiæ, ſed homines, qui tenebras malunt quam lucem; prout illi ſemper in cauſa fuerunt altercationis bonam mutationem ſecutæ. Bona mutatio occaſio quidem eſſe poteſt turbarum; ſed non cauſa, ut tibi conſtat. Secunda copula, qua aſſeritur, D. D. Ordines nolle permittere ullam mutationem in doctrinâ, nihilominus præ ſe ferre mutationem oportere fieri; conciliari poteſt, priori parte intellecta de doctrina ad ſalutem neceſſaria, altera de eo, quod non ſit tanti ponderis. Ad hæc, qui dicunt, Ordines in doctrina non expetere mutationem, (iſta verba ego audivi, non cætera, quod nolint permittere) ſpectant ſcopum (qui jam ſcopulus tactus eſt) clauſulæ reviſionis Confeſſionis à ſuis Amplitudinibus adhibitæ; quâ allegantur, ſuas Amplitudines non intendiſſe mutationem; ſed duntaxat id facere, quod ipſæ exiſtimant (& poſtrema Synodus etiam profeſſa eſt) ad iſtiuſmodi congregationem eſſentialiter pertinere; quippe cum eadem reviſio tam fieri poſſit ad confirmationem boni, quam rejectionem pravi. Alius non eſt ſcopus ſuarum Amplitudinum. Si nos ipſi arbitremur aliqua mutatione opus eſſe, id nobis permittunt facere; ut quod ſit noſtri officii. Speranteſ interim cum omnibus probis, non fore mutationem neceſſariam; ac nihilo ſecius paratæ ei autoritatem ſuam commodare, ad honorem

Dei

Ep. 94. Dei & tranquillitatem Eccleſiarum, ſi Synodo opus eſſe videatur. Poteſt vero is, qui intentionem D. D. Ordinum ſic exprimit, ſuam privatam ſententiam addere, videlicet ſe cernere mutationem fieri oportere, ſive ex proprio examine ac judicio, quod oriatur ex cognitione rerum; aut quod audiens noſtras diſputationes talem eventum ſibi imaginetur. Inſuper unum poteſt capi de doctrinâ, alterum de Eccleſiaſticâ Sanctione; ſed, ut dictum, quiſque verborum ſuorum interpres; ipſi rogandi eſſent. Tertia copula eſt, quod in declaratione vocis *reviſionis* non intelligatur emendatio aut mutatio; & nihilo ſecius ſcrupulus moveatur, ſi omnes concionatores interrogentur. Profecto *reviſionem* capere pro mutatione aut emendatione admodum foret impertinens; quandoquidem tantum ſit actio media, ut quæ ſerviat ad diſpiciendum an ulla mutatione ſit opus; & committitur non huic aut illi tantum, ſed univerſæ Synodo. Hæccine res tanti momenti eſt, ut ea de cauſa tanta camarina moveatur? Imo quæ non multo potius debeat, non ſemel, ſed ſæpius fieri, quam omitti? Cæterum an reviſio mutationem aut non ſignificet, quid hoc commune habet cum eo gravamine, quod movetur, quoad Eccleſiaſtas interea rogandos, aut non rogandos? An ea eſt bona conſequentia? Tu dicis, revdionem non ſignificare mutationem, ergo non oportet te gravari intempeſtivâ ſciſcitatione. Ego id non capio. Etenim reviſio poteſt quidem negari eſſe quod non eſt, ac nihilominus gravamen moveri de tuo putatitio proceſſu; eoque magis, quod huc potiſſimum videretur is deſtinatus, ut debita reviſio in Synodo impediretur; prout vehementes diſputationes motæ ſuper actu conſenſus, eam fuiſſe opinionem, ſatis indicant, & oſtendunt non dictionem, ſed rem, nonnullis diſplicuiſſe. Adhæc fieri poteſt, ut declaratio dictionis ab Ordinibus uſurpatæ, & gravamen, non ab iiſdem, ſed ab Eccleſiaſtis motum ſit; quæ itaque hic eſt pugna? Tandem & id mihi dicendum eſt, me iſta verba; *oportet mutationem fieri*, ex nullius ore audiviſſe; & ſi quis ea dixerit, is meo judicio præcipitanter & incogitanter locutus eſt.

Dilecte & honorande Frater, datâ rotundâ & ſincerâ huculque reſponſione ad præcipuum argumentum tuæ epiſtolæ, tranſeo ad concluſionem; in qua duo me rogas; quorum prius, ut hanc rem in timore Domini velim expendere ad gloriam Dei, & incolumitatem Eccleſiæ, quæ nobis ſummopere commendata ſit. Alterum, ut tecum & cum aliis noſtris Fratribus, qui zelo incolumitatis Eccleſiæ flagrant, conſilia probè communicare velim, ut eorum tranquillitati conſulatur in eo, quod ipſos non parum ſollicitos reddit. Prius quod attinet, dilecte & honorande frater, quamvis tu agens de hoc negotio ad animum revocando, non exprimas, quod illud ſit negotium; ego tibi teſtor coram Judice vivorum & mortuorum, propagationem gloriæ Dei, & incolumitatem Eccleſiæ mihi præcipue curæ eſſe, & quicquid ego rem (in hac epiſtolam pertractatam) ſpectans, unquam locutus ſui, feci, quin & cogitavi, nullum alium in eo ſcopum me habuiſſe, aut etiamnum habere: ad quam incolumitatem conſervandam ego jam ante complures annos judicavi, habita ratione ſtatus noſtrarum Eccleſiarum, Synodum Nationalem (ſicut D. D. Ordines nunc in eam conſenſerunt) neceſſàriam eſſe, in cujus promotionem, nec non omnium, quæ porro pro modulo mei ingenii capere poſſum, ad patrocinium veritatis in Eccleſiâ, tranquillitatem & pacem Eccleſiæ, ad hæc orthodoxam ædificationem ejuſdem & Dei gloriam factura, ego libenter conferre velim quicquid in mea poteſtate eſt, ipſis nec fortunis nec ſanguine excepto; idque non rogatus, & ex officio: multo magis à te (cujus uberes dotes, & fidam earundem diſpenſationem ego magni facio) ad id rogatus & requiſitus. Id ipſum etiam dico, quod attinet communicationem, quæ à te expetitur; ſi hoc ſolum ad ſuperiora addam, ut mihi liceat ſcire, quæ propriè tua aliorumque fratrum ſollicitudo ſit, quam ſibi eximi cupiant; & qui iſtud poſtulant, ejus me certiorem faciant, ut ego ipſorum poſtulato cum mea facultate comparato, diſpiciam, ecquid in eo facere queam; te & ipſos interim certos eſſe jubens, mihi voluntatem eis ſatisfaciendi, per Dei gratiam, nunquam defuturam; mihique nihil carius eſſe, quam probam, ſinceram & amicam communicationem cum meis Symmyſtis colere. Nunc viciſſim te honorande, dilecte Frater, rogo, ut tu aliique, quos tu ais flagrare zelo pro incolumitate Eccleſiæ, idem quoque ſentiatis de aliis, qui præ ſe ferunt aliquid cernere, quod emendatione opus habeat. Nam æquè zelo is accenditur, qui emendationi ſtudet iſtius, quod opinatur non bene ſe habere, quam qui omnia eo in ſtatu cupit haberi, in quo ſunt. Id ipſum quoque aſſero de puritate doctrinæ. Ea dictio nonnullis perpetuò in ore eſt, & ſic loquuntur, ac ſi ipſi forent, qui ſoli puræ doctrinæ patrocinentur; eo ipſo cæteros in ſuſpicionem vocantes, qui de emendatione loquuntur, ac ſi puritati doctrinæ adverſentur. Cum tamen fatendum ſit, neminem in capite doctrinæ emendationem quærere, quin ipſe id faciat (ſaltem ſua opinione) ad procurandam doctrinæ puritatem. Si ſecus judicetur de ipſius propoſito, priuſquam de ipſius ſententia conſtet, tum peccatur graviter adverſus charitatem, quin & in ſupremo gradu. Quid enim deterius de quoquam, cui nos decet perhibere teſtimonium eruditionis, & inculpatæ vitæ, (eo ſenſu, quo Apoſtolus iſto verbo ad Timotheum utitur) fortaſſe & uberum dotium & ſingularis ſedulitatis in perveſtigandis S. Literis, ſinceri-

Ep. 94. ceritatis, candoris, modeſtiæ & ſimilium virtutum, quique præterea nobiſcum eodem munere fungatur, nec vel minimum indicium præbeat, eſſe ſibi animum à nobis deſciſcendi; quid de ejuſmodi viro (inquam) ſequius ſentiri poteſt, quam quod ſciens prudens doctrinam ſalutis velit fallare aut inquinare? Siquidem etiam conſtet de ipſius ſententiâ, & ex eâ judicetur, quod impuritatem foveat; profecto eo caſu non ſincerè agitur, quando traducitur, ac ſi ſe nolit patefacere; quod ignoretur quid urgeat, ut liceat ſeſe ipſi opponere: quin etiam ſi quis ſe ipſi non opponat, qui tamen putet ſe ejus rei faciendæ rationes habere: Aut ſi de eo conſtet, nec tamen libeat quicquam in contrarium agere, ob difficultates aliquas, aut in reipſâ, aut in proceſſu deprehenſas; tunc utique decet ſuperſedere, nec eos homines tanquam impuritatis defenſores in ſuſpicionem vocare, ne quidem apud mortalium quenquam. Etenim quamvis forte ipſius pronuntiatum meæ ſententiæ adverſetur, ecquid mihi conſtat, an poſtmodum negotio debitè tractato ipſius ſententia ex Dei verbo deprehendi queat veritati propius accedere quam mea? Quietem igitur hic nobis imperare oportet, & iſtius ſententiæ recordandum, ad pœnitendum properat, cito qui judicat. Inſuper velim, ut nos zelo accenſi pro incolumitate Eccleſiæ, non ſolum oculos noſtros conjiceremus in Eccleſiam noſtram particulariter; ſed in univerſum Chriſtianiſmum, quem utique latâ ſignificatione agnoſcimus eſſe Eccleſiam Dei: non ut Deum idolo, lucem tenebris, Chriſtum & Belial ſimul maritemus, & ſic horribilem mixturam religionis faciamus (de ea merito pronunciaretur, mors in olla) ſed calamitoſiſſimo & nunquam ſatis deplorando ſtatu ejuſdem inſpecto, conſideremus an ex omnibus illis fracturis, rupturis & ulceribus, quibus ſcatet, non aliqua utique curari poſſent. Sunt homines in Chriſtianiſmo à nobis ſeparati, & nos ab illis, quos ſine formidine non auderemus pronunciare ſic ſentientes, ut ſentiunt, ſalute excluſos eſſe. Hic Rhodus, hic ſaltandum. Si ſic ſe res habeat, nobis cogitandum eſt de mediis ineundæ cum illis concordiæ, ac inprimis ejus zelo æſtuandum erat, eoque magis, quod multi eorum inter nos habitent. Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas. Et quis ſcit, qua benedictione Deus veritatis & pacis id negotii proſecuturus ſit, cum nos purâ conſcientiâ, & fidâ mutuâque communicatione conſiliorum frequenter hac de re loqueremur, & iſto negotio in omnes partes verſato univerſam huc operam intenderemus? Et ſi ad ſalutem dilectæ noſtræ patriæ reſpiciatur, quinquaginta millium copiæ non tam proficuæ forent Dominis Ordinibus foris, adverſus Hiſpanum, & Antichriſtum, quam labor huc impenſus. De hiſce & ſimilibus negotiis debebant eſſe noſtræ communicationes. Præcipuè etiam ulteriori voto dignum foret, cogitare in noſtro Ep. 94. zelo, quod particulares noſtræ Eccleſiæ, tametſi nos non credamus eas errare, poſſint tamen errare, quemadmodum nos iſtud vere adverſus contrarium thema Antichriſti tuemur. Non fugit nos, quo modo Luthero diêtim fuerit diſcendum, & quam craſſis erroribus nihilominus laboraverit. Melanthon purior fuit; quaſdam tamen ejus conſiderationes rejicimus. In Zwinglium & Oecolampadium eſt quod dicatur. Annon id quoque in aliis locum habere poteſt, quantopere etiam illuminati fuerint? Fuerunt in hiiſce regionibus diverſæ diſputationes cum variis ſpiritibus. Jeſuitarum diſputationes & ſcripta, præſertim in arduis materiis de Prædeſtinatione, libero arbitrio, & annexis capitibus, habentur apud omnes peritos ſic directa, ut ad ea acriter ſit attendendum; nec tu ignoras, qui ſermones de iis inciderint in nuperâ noſtrâ Synodo. Nunquid evenire poteſt, ut quiſpiam acutiori viſu præditus, quam nonnulli, & magna diligentia haſce diſputationes conſiderans, aliquid inveniat à noſtris dictum & defenſum, quod aliter dictum ac defenſum eſſe potuiſſet, ne adverſariis tot excipiendi anſa præbeatur, & fundamentalis veritas, quam docemus, ſolidius adſtruatur, & adverſariis ſolidioribus argumentis obviam eatur. An non Dom. Junio piæ memoriæ ſuæ fuerunt conſiderationes? Nunquid Piſcatori ſuæ ſunt? D. Sohnio ſuæ? Eſto, progrediatur nunc quiſpiam ulterius: an minus libertatis ipſi permittetur in majori, quam alii habuerint in minori; modo inſiſtatur ſemper uni eidemque fundamento? Nos diſſenſionem metuimus. Sed quid ſi ea tenderet ad majorem conſenſum? Diverſæ conſiderationes non pariunt diſſenſionem; ſed præceps judicium, & condemnatio. Nunquid nos docet ſanctus Apoſtolus, uni eidemque fundamento ſuperſtrui aurum, argentum, fœnum, ſtramen; & opus quidem hujus poſterioris, ſed non perſonas perituras, ſed ſervatum iri, tametſi cum periculo, & tanquam per ignem, eo quod inhæreant fundamento, quantumvis id, quod ſuperſtruit, non ſit magni pretii? Eſto, aliquis priorum ſuperædificaverit ſtramen fundamento, & ego id animadvertam; tamen rejiciendo ſtramen ego non rejicio fundamentum. Non eſt nobis ſtatuendum, omnia tam bene dicta aut poſita eſſe, ut non melius dici ſtatuique queant. Dei manus non eſt abbreviata. Fons donorum ipſius non eſt exſiccatus. Qui igitur zelo flagrant, rectè id faciant, hoc eſt, cum ſcientiâ; & diligenter attendant huic rei, ut hinc nimiâ licentiâ, illinc nimiâ ſervitute excluſa, ſpiritus prophetiæ non extinguatur, & nos tandem non deprehendamur humanam ſemel receptam doctrinam potius pro fundamento habuiſſe, quam verbum Dei. Si id caput tantum attendatur, & ejus zelo duci velimus, cerno equidem nos brevi expeditos curis,

Ep. 95. ris, quæ nos nunc anxios reddunt: & confirmo tibi, pro notitiâ quæ mihi eſt de nonnullorum fratrum meditationibus, nihil aliud intendi, quam fundamentalem veritatem magis magiſque ſtabilire; quod non eſt fundamentale, curare ut majori charitate & minori alienatione animorum examinetur, & conſenſum ac tranquillitatem Eccleſiarum majorem firmioremque reddere, idque in Synodo Nationali proponere, ut quod omnes tangit, ab omnibus intelligi, expendi, judicari, & promoveri poſſit, ad fructuoſam ædificationem corporis Chriſti, & amplificationem divini nominis. Vide, dilecte Frater, quam apertè tecum agam, ſcribens librum loco epiſtolæ: non ut te proprio inſtinctu huc aut illuc inducam; ſed ut à te incitatus ſic reſpondeam, quo tu conſpicias me non ſubterfugere, ſed ſtudere ut tibi omnibus modis ſatisfaciam, quibus poſſum, pro modulo meorum donorum, quæ ego ſcio ac ſentio hac in parte tam eſſe exilia, ut in hoc negotio multo malim tacere, quam loqui. Æqui bonique omnia conſulito; nec trahito, nec dirigito meas literas ulterius, quam verba præ ſe ferunt; nolito in eas gloſſare præter meam opinionem, quam omnibus horis, quandocunque placuerit, ex me poteris intelligere. In ſumma, invicem nos amplectamur charitate; ea amicti ceu Fratres in domo Domini verſemur, alter alterius ſententiam audiamus, & intelligamus, citra præjudicium aut propoſitum calumniandi, atque ita nos invicem honore & amicitia proſequamur. Sic facientibus bene res ſuccedet, ac benedictionem Domini ſuper noſtrum laborem in domo ejus magno cum incremento & gaudio experiemur. Hiſce honorande &c.

In caſtris infra Veſaliam, 27 Septembris CIↃ IↃ CVL.

Tui officioſiſſimus Symmyſta

J. UYTENBOGARDUS.

Verſa ex Belgico.

XCV.

CONRADO VORSTIO

DAVID PARÆUS.

Reſpon. ſua.

SAlutem. Cum D. Goddæus legatus veſter in tranſitu me compellaret, Vir clariſſime, frater honorande, nolui ſine meis ad vos rediret. Ex Academia Marpurgica varias amicorum literas, de Principis literatiſſimi ſingulari cura & ſtudio inſtaurandi ſcholam Theologicam ibi quam optime, hactenus accepi: quaſdam etiam nomine Celſitudinis ejus ad me, de ſolicitandis quibuſdam ex noſtris: ſed abſque ſucceſſu. De te illis propinqua ſpes facta. Utinam & hanc illis explere, & tuis non deëſſe poſſis! Ex dicto legato res veſtræ Scholæ & Ecclesiæ, quantopere tuam operam requirant quantique faciant, cum voluptate ſane cognovi. Et habeo in convictu meo popularem tuum Paulum Leonardi, tibi haud ignotum, qui idem mihi ſæpius confirmavit. Tu primus fundamenta ejus ſcholæ jeciſti, parietes ad tecta uſque ſuſcitaſti ſtudio & induſtria tua. Ad culmen eſt ventum. Ægre manum huic ſubtrahes. Etenim generoſorum Comitum animos æque integros propenſoſque tibi eſſe, atque Parentis defuncti fuerat, intelligo. Quæ dum conſidero, tametſi Marpurgicæ Academiæ, illuſtriori nobiſque vicinori, non te ſolum, ſed plures hujuſmodi athletas exoptem: tamen magis te tuis relinquere cogor. Heri ablegavimus ad D. Cunradum Vorſtium tabellarium, & literas vocationis miſimus: ſcribit ad me D. Vulteius 21. Octob. breviter addens tecum ibi geſta in optimam partem non pauca. Iterum dico: utinam & vocationi huic ſatisfacere, & tuis non deëſſe poſſis! Vide quanti interſit Eccleſiæ, hanc Academiam nunc tandem auſpiciis optimi Principis orthodoxiæ reſtitutam, quam optimos viros habere. D. Moltherum virum doctum, ſed in orthodoxia Heſſum antiquum, hoc eſt, lubricum, ex plurimis literarum colloquiis jam pridem cognitum habes. Reliquos non novi: præter unum D. Eglinum, cujus ingenium & dotes hactenus neglectas, occaſiones haud dubie acuent. Te unum in hac acie videre cuperent. Habent vicinos æmulos tumultuantes, & ferocientes plus. ſatis: nobis etiam Neoburgici, quibus ſudes ſumus in oculis, quique Palatinatum noſtrum jam pridem ſpe devorarunt, identidem duellum offerre non ceſſant: quod quidem nos minime reformidandum ducimus, ſive antagoniſtas, ſive cauſam ſpectemus, niſi per ſuperiorum ſtaret judicium. Una fidelia utrique dealbandi erunt, ſi perrexerint. De cæteris rebus noſtris credo te ex amicis cognoſcere. Venit ad me nuper filius veſtri Superintendentis Eb. Kemnerer, juvenis modeſtus & doctus, ut videtur, ſolicitans de ſtipendio Caſimirano facultatis noſtræ, cujus adipiſcendi ſpem ei feci, quantum ad me attinet. Etiam collegio meo, quod novum hodie redintegrare debui, ſed catarrho impeditus non potui, ſeſe adjunxit. Te cum tuis quam optime valere cupio, Deumque Opt. Max. ut tuis laboribus & vocationi, ſeu præſenti ſeu novæ, cumulate ſuo ſpiritu benedicat, oro. Heidelb. Calend. Nov. 1606.

DAVID PARÆUS.

Digitized by Google

XCVI.

MATTHIAS MARTINIUS

CONRADO VORSTIO S.P.

Familiaria. PEr veſtratem tabellarium, clariſſime domine Doctor, amice obſervande, paucis nuper ad tuas literas reſpondi: &, quum ille hinc deproperaret, atque moram, qua mihi tum ad indagandum, tum etiam perſcribendum cœnobii Keppeliani ſtatum opus erat, ferre ſe poſſe negaret, uberiorem polliciſus ſum epiſtolam, qua tuæ petitioni facerem ſatis. Ivi igitur ipſe eò; & conditiones ejus perluſtravi: quarum pius ordo auditu ac viſu jucundus mihi exſtitit. Ut autem tum certiorem tum pleniorem ſynopſin haberem, rogavi loci illius paſtorem, ut brevi ſcripto collegii illius conſtitutionem comprehenderet: quam ad vos tranſmitto. Si quid præter hæc deſideratis; abs te monitus, ut merito ita lubens, voluntati veſtræ obſequar. Sed opinio erat multorum, te potius jam ad Marpurgenſis Academiæ monaſticas reliquias perpurgandas accingi, quàm nunc apud vos de novis monaſteriis cogitare. Quod certe ſpe tui potiundi exciderunt, de eo merito dolent: prout optandum eſt, per virum in ſcholaſtico docendi diſputandique more exercitatum illi ſuccurri. Quum enim ab hac parte laboret, fit ut minus capiat fœlix incrementum. Ex omnibus, qui in illuſtribus ſcholis ἀδυναμὶν δόκιμων (*aptitudinis ad docendum probationem*) conſequuti ſunt, unus tu fuiſſes, qui illius Academiæ auctoritatem tueri, eamque per compendium celebritati ſuæ reſtituere potuiſſes. Sed, ut ex te intelligo, aliud viſum fuit noſtrorum conſiliorum moderatori Deo: cui ſoli notum eſt, ubi opera noſtra regno ipſius ædificando exſiſtat quàm fructuoſiſſima. Nec enim ejus judicio ſemper congruunt, quæ nobis quidem ſpecioſæ videntur rationes. Tuo ſane abitu nimium etiam deſertam reddidiſſes ſcholam Steinfurtanam, quæ tua cumprimis & cl. D. Timpleri opera in ſtudiis Theologicis & Philoſophicis uberem fructum tulit, & plurimis præluxit. Et mihi nunc hic ex præſenti ſcholæ hujus ſtatu, ingraveſcente jam ætate D. Piſcatoris, remoræ aliquæ injiciuntur: quæ tamen aliquando, & quidem brevi, mihi videntur rumpendæ Magnum mihi, in varia hic deſtracto, onus incumbit, cui ferendo me diu ſubjicere non cogito: fertur etiam animus ad verbi miniſterium, ad quod ſtudiorum meorum ſimplicitas magis eſt deſtinata, quam ad ſcholarum ſubtilitatem. Inſtant Embdani apud Comites noſtros, ut mei dimiſſionem impetrent. Menſe enim Septembri cum illis fui, & operam meam, exploratus dicendi dono, illis addixi, hac conditione, niſi quid mihi domum reverſo objiceretur, quo meam conſcientiam in diverſam moveri oporteret ſententiam. Jam ante & Comites & collegium noſtrum huic meo diſcedendi inſtituto non parum obſiſtunt, ſatiſque argumenti eſſe ajunt ad me detinendum, quòd ex meo diſceſſu non exiguum ſcholæ huic detrimentum immineat. Ita hæret adhuc negotium meum, quod nuper ad te ſcribens paucis attigi. Si vicinæ Academiæ vocationi parere te contigiſſet, atque ita omni ex parte ſtudiis Theologicis proſpectum eſſet, mea emigratio, in mea ſaltem conſcientia, minus fuiſſet habitura difficultatis. Sic enim ſentio, non tantum fore hujus ſcholæ uſum, ſi illa prorſus rectè ſit curata, atque hactenus quidem fuit, præſertim veritatis adverſariis regnum illic obtinentibus. Non eſt animus diu hic durare: interim, ut poſſum, præſentia facio, futura Deo commendans. Si animus eſſet, in ſcholaſtica vita perſeverare, & ſi ad pædogogei onera ſuſtinenda mens affecta eſſet & vires annuerent, amplexus eſſem, quem nuper locum oſtendiſti. Sed ſtatui, aut planè ſcholis renunciare, aut (ſi quando ita ferat vocatio) præter verbi præconium, tantum ſacrarum literarum meditatione & interpretatione illud vitæ genus juvare. Quid de vocatione Embdana futurum ſit, ut ſpero, inſtantibus nundinis cognoſcam. Si meæ conſcientiæ omni ex parte fuerit ſatisfactum, addicta eſt illis opera mea. Quare ſi nondum factum eſt, collegio veſtro meo nomine officioſas gratias ages, de ipſius erga me benevolentia. Ut id juvare poſſem, pro tenuitate mea, demonſtrabo meam erga illud obſervantiam aliis modis: quum præſens mearum rerum ſtatus aliud mihi imperet. Sed finem ſcribendi facere cogor: quum, quos lentius hoc tempore feſtinaturos opinabar, urgeant. Quapropter quæſo, ut collegas officioſe meis verbis ſalutes: & rogo, impetres à D. Timplero, ut dignetur meam adumbrationem diſciplinarum legere, & notis ſuis me erudire, ut occaſionem habeam illud opuſculum, ſi operæ pretium videatur, elimandi. Beneficium in hominem memorem & ſuarum laudum præconem contulerit. Interea, dum ei mea manu emendatum mittes exemplar, quod nuper tibi redditum eſt, ſi videatur, legat. Vellem omnium artium principia æquabili methodo, judicii rectius informandi cauſa, uno tractatu diſpoſita eſſe. Ipſius judicio in illis ſtudiis plurimum tribuo. Abs te autem hoc petere non audeo, quem gravioribus occupari novi. Si tamen de Theologiæ methodo, quæ eſt in illo tractatu, me monere volueris, officium facies gratiſſimum. Quod ſupereſt, Deum oro, ut te ſtudiis juventutis diu ſalvum & incolumem conſervet: & totius collegii veſtri laboribus luculentiſſimè benedicat. Script. 15. Martii 1607.

T. Clar. Obſervantiſſimus

MATTHIAS MARTINIUS.

Ep. 96.

XCVII.

XCVII.

EXTRAICT D'UNE LETTRE

de Monſ. DU PLESSIS à D. TILENUS

du premier de l'an 1607.

POur M. Harmin, je l'ouy louer à beaucoup de perſonnages tres-louables, & tout freſchement. M. de Buzenval m'a promis de me monſtrer l'eſcrit, duquel vous me faites lire en voſtre lettre le ſommaire. Que pleut à Dieu nous tenſſions tous dans les termes de l'Eſcriture, ſans fouiller plus outre, pour nous bander d'un commun effort contre l'idolatrie, la ſuperſtition & tyrannie Romaine. Supportans au reſte les uns les autres en ces profonds myſteres, eſquels il y a tousjours à apprendre, &, ſans doute, à reprendre, quelques circumſpects que nous voulions eſtre à les exprimer. C'eſt donc mon advis, de traitter & ces doctrines ſobrement, & les perſonnes qui les traittent, prudemment, pourveu que de leur part ils y procedent religieuſement.

XCVIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

De Chriſti interrogatione & reſponſione Petri, Matth. 16.

REverende vir & frater in Chriſto dilectiſſime. Quia meam de interrogatione Chriſti, & Petri ad illam reſponſione, ſententiam latius tibi perſcribi cupis, ita habe. Interrogationis ſubjectum eſt perſona illa, ſeu individuum hoc, quod Jeſu Nazareni nomine appellabatur, quod apud Matthæum nomine Filii hominis enunciatur; cujus appellationis cauſam & rationem dixi me ignorare, & nihil veriſimilius invenire, quam quod ex viſione Danielis *cap.* VII. deſumta ſit. De hoc ſubjecto interrogat Chriſtus, quam opinionem vel exiſtimationem habeant, tum Petrus, tum reliqui diſcipuli, id eſt, quam putent ipſi à Deo impoſitam perſonam, quem ſeu qualem, ſeu quo loco apud Deum eſſe arbitrentur, ſive quem ad Deum reſpectum habere exiſtiment. Unde adparet, nihil quæri à Chriſto quod ipſius naturam ſive ejus originem concernat: id enim totum ſubjecti locum occupat hic, per nomen *Filii hominis* enunciati. Quod enim ad divinam ejus naturam attinet, illa non modo huic enunciato ſubſternitur, ſed & ipſi humanitati, quæ nomine Filii hominis venit, juxta Orthodoxos. Qua de cauſa arbitror, quod de divina Chriſti natura dicitur, in ipſa explicatione ſubjecti breviter adtingi poſſe, ſi videatur, ut expeditior ſit explicatio attributi, quæ maximi eſt momenti. Hujus meæ ſententiæ rationem adfero, tum ipſam naturam rerum ſubjiciendarum & adtribuendarum, juxta prædicamentorum doctrinam & prædicabilium: tum Scripturæ normam, quæ dicit, ſermonem carnem eſſe factum. Reſponſio Petri, manente eodem ſubjecto, eſt de prædicato quæſito: nempe tu es Chriſtus, Filius Dei vivi: quod Belgice transferrem; *ghy zijt de Chriſtus, de Sone des levenden Godes.* vel, *ghy zijt Chriſtus*; ſicut Gallice, *tu es le Chriſt, le Fils de Dieu vivant.* Nam illa forma per additum articulum convenit prædicationi, ubi nomen adpellativum enuntiatur de ſubjecto aliquo: quod appellativum non eſt in præconceptione communi, tum quærentis, tum reſpondentis. In prædicato autem animadvertendum, Filium Dei non prædicari de Chriſto; ſed utrumque prædicari de ſubjecto Jeſu, vel Filio hominis; atque ſi dictum eſſet, tu es Chriſtus, tu es Filius Dei vivi. Æquipollent enim Chriſtum eſſe, vel Chriſtum eſſe Dei, ut Lucas dicit, & Filium eſſe Dei; ut patet *Pſalm.* II. *adverſus Chriſtum ejus.* Et, *Ego conſtitui regem meum:* &, *Filius meus es tu:* &, *Oſculamini Filium.* Et 2 Sam. VII. 12. 14. *Firmabo regnum eius. Et ille erit mihi in Filium, & ego ero illi in Patrem.* Item ex collatione horum locorum. *Actor.* IX. 20. *Et ſtatim prædicavit Chriſtum, nempe eum eſſe Filium Dei. Actor.* XVIII. 28. Apollo *redarguebat Judæos, oſtendens per Scripturas Jeſum eſſe Chriſtum*, id eſt, *dat Jeſus is de Chriſtus.* Act. VIII. 37. *Credo Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei. Joan.* XX. 31. *Ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum, Filium Dei.* Hiſce præmiſſis tria illa tractari poſſunt: 1. Quid Petrus & diſcipuli illo prædicato intellexerint. 2. Quid vere contineat id prædicatum, aliis Scripturæ locis poſt Chriſti adſcenſionem ipſi adtributum. 3. Quouſque tunc, quum Petrus confeſſionem illam ederet, Jeſus eſſet Chriſtus. Ad primum. Petrus & reliqui diſcipuli nullum alium de Chriſto promiſſo conceptum habuiſſe videntur, quam quod erat futurus Rex populi Judaici, qui populum ſuum liberaturus ab inimicis ſuis corporalibus, & omnes nationes ſuo populique ſui dominio ſubditurus eſſet: quod patet ex multis locis, etiam ex hoc capite. *Domine propitius eſto tibi*; &, *nequaquam erit hoc tibi*; ex matre filiorum Zebedæi; ex contentionibus de primatu; ex quæſtione ante adſcenſum Chriſto ipſi propoſita, quum jam à mortuis reſurrexiſſet. Quod magis mirandum eſt, quaſi ad regnum terrenum erigendum neceſſe fuerit illum mori & reſurgere; unde adparet conceptum de regno terreno altiſſime illorum animos occupaſſe, adeo ut ne per mortis & reſurrectionis interventum eripi potuerit. Sed ſpiritualem Chriſtum nemo niſi per ſpiritum Chriſti & Filii Dei intelligit, ab ipſo in gloriam Dei aſſumto effuſum. Nam quod Pater hoc Petro

Ep. 98. revelasse dicitur, non caro & sanguis, nihil est aliud, quam, Petrum vi cogitationis & conceptionis humanæ ullius eo conscendere non potuisse, ut Jesum, quem tam vilem & abjectum considerabat, pro Christo haberet; sed ab ipso Deo, qui in cœlis est, edoctum fuisse, ut terrenis cogitationibus abnegatis, altius quid de illo conciperet, quam species præsens præ se ferret. Addi potest explicationis ergo, istam Apostolorum notitiam & conceptum respondisse statui carnali populi illius, qui sub pædagogia, sub umbris & figuris legis & carnalis mandati, usque ad tempus plenum à Patre definitum, infantis instar, detentus fuit; quamquam illi ex institutione Christi plus sapere debebant. Ad secundum. Confessio autem ista prout jam post effusum Spiritum sanctum à fidelibus intelligitur, hoc habet; quod ille Filius hominis, id est, Jesus Nazarenus, à Deo sit unctus, consecratus, sanctificatus, constitutus Rex & sacerdos populi Dei, caput omnis principatus, præfectus domus Dei, qui purgatione seu expiatione peccatorum, facta per sanguinem suum, ejusque adspersionem, à dexteris Dei sedeat, pro suis assidue apud Deum intercedat, Spiritum sanctum & reliqua ad vitam æternam necessaria ex ejus manu accipiat, & in suos effundat, eos defendat, à ventura ira tueatur, & tandem vita æterna donet. Hic itaque de regno & sacerdotio Christi agendum, & quidem de singulis muneribus distincte, primum; inde quomodo ambo conjungi oportuerit, & ab una eademque persona administrari; quî rex debuerit esse sacerdotalis & sacerdos regius, secundum ordinem Melchizedechi, quemadmodum populus ejus est Regnum sacerdotale & sacerdotium regale: ex quo tractatu commodissima transitio fiet ad id quod dicitur, tu es Filius Dei vivi; nam Filio in ædibus paternis, nempe, qui vel unigenitus est, vel primogenitus, competit sacerdotalis honos & regia dignitas. Jesus autem, eo quod à Deo unctus est & sanctificatus, Filius Dei dicitur, & propterea ad dignitatem illam utramque elevatus, ut est *Psalm.* II. & *Hebr.* V. 5. 6. ubi connectuntur, *Filius meus es tu*, quod *Psalm.* II. de regno dicitur, & statim subjungitur: *Tu es sacerdos in æternum*: & *Heb.* IV. *Habentes itaque Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei*: & *Heb.* VII. *Sermo jurisjurandi constituit Pontificem Filium in æternum sanctificatum.* Hic, si liceat mihi, dicam Jesum Filium Dei (juxta sensum de quo agimus) factum esse per resuscitationem à mortuis, quæ generatio est, qua Deus sibi generat filios, nempe immortalitate illos donando, quæ immortalitas est id, in quo imago & similitudo Dei maxime consistit, & hoc quod Petro divina natura dicitur, & appellatur *Rom.* VIII. *libertas filiorum Dei*, id est, competens filiis Dei. Christus itaque per resurrectionem ex mortuis factus est Filius Dei, *Rom.* I. *Psalm.* II. & Ep. 98. *Actor.* XIII. Et quia primogenitus ex mortuis, inter filios Dei primogenitus, imo ille genitus ante alios, id est, quum nondum ulli alii essent filii Dei; secundum istum sensum, quo homines dicuntur filii Dei, quia filii sunt resurrectionis, *Luc.* XX. Et cœpit ipsa tota secunda creatio initium à resurrectione Christi, ejusque primum apotelesma fuit hoc, quod Jesus Nazarenus ex resurrectione mortuorum constitutus est Christus & Dominus, Rex & Sacerdos. 2 *Cor.* V. 16. 17. Ista igitur immortalitate nititur & sacerdotii & regni Christi æternitas, quæ utraque sunt secundum vim indissolubilis vitæ, *Hebr.* VII. Et juxta hanc considerationem, prius Filius Dei quàm Sacerdos & Rex; quamquam & eo quod quis rex est Filius Dei dicatur, *Psal.* LXXXII. *Joan.* X. Agitur itaque hic de filiatione, non æterna, neque quæ ex Virgine & Spiritu; quia illa ad naturam pertinet & personam; sed de filiatione, qua ista persona ad gloriam evectus regni & sacerdotii. Et sic puto commode obviari posse suspicioni, si explicatio veretur in officio impositio personæ isti tali. De tertio. Quum Petrus confessionem istam ederet, nondum erat ille factus Christus & Dominus, nondum sacerdos factus secundum ordinem Melchisedech, nisi destinatione & promissione Dei. Erat tamen tum Filius Dei vivi, qua sermo Patris & ex Spiritu conceptus, & qua sanctificatus & missus in mundum ad dandum testimonium veritati; etiam Christus erat, quâ unctus Spiritu sancto, & potentia ad prædicandum Euangelium pauperibus & miracula patrandum: quamquam Christi nomen non tam ad Propheticum munus pertineat, quam ad Regium, cui in illo junctum est Sacerdotale, & subservit utrique Propheticum, non quatenus ille id administravit in propria persona, ut minister circumcisionis, sed qua emittit Apostolos, *Ephes.* IV. &c. Ordo ergo in hisce talis animadverti potest. Qui Filius Dei est ab æterno, & postea Filius hominis factus, ideoque totus Filius Dei secundum naturam & originem, quamquam & hominis Filius secundum unam partem, ille Filius Dei secundum officium factus est, 1. per sanctificationem & missionem in mundum ad prædicandum Euangelium; quæ sanctificatio, quia unctio est per Spiritum, etiam aliquo modo illi nomen Christi dare potest: 2. per resuscitationem ex mortuis, qua illi immortalitas & indissolubilis vita est communicata; in qua quum imago Dei & similitudo potissimum consistat, eo ipso *Filius Dei constitutus* dicitur, *Rom.* I. & data illi officia administranda, Filio Dei immortali, ex mortuis suscitato, & æternum victuro convenientia; qualia sunt Regnum & Sacerdotium, quæ officia Christi nomine designantur; & Regnum excellenter, cui tamen in hac persona jungi debuit Sacerdotium, quia Rex iste dona, quæ

dare

Ep. 98. dare debuit, per interceſſionem à Patre obtinere debuit. Quæres facit ad commonſtrandam Dei gloriam in inflexibili amore juſtitiæ & odio peccati; & ſimul confirmat noſtram fidem, omnino fore ut nihil nobis deſit, quum Sacerdos noſter à Deo conſtitutus, etiam Rex ſit, qui poteſtatem ſummam habeat totius in cœlis & terris adminiſtrationis. Et hæc mi animæ raptim; velut ex incendio: uteris, & me excuſatum habebis. Alias magis ordinata & pleniora habebis, ſpero, de Jeſu Chriſto Salvatore, Rege, & Sacerdote. Vide enim quomodo mihi tempus effluxerit. Heſterno die poſt lectionem meam finitam, quam produxeram pene ad mediam decimam, conventus fuit hora decima, in quo perſtitimus uſque ad mediam ſecundam. Inde conventus indictus in quartam pomeridianam, qui duravit uſque ad medium octavam. Inter duos conventus meditandum fuit de modo & ratione inveniendæ qua ſtudioſis aliquo modo ſatisfieri poſſet, & turbæ inhiberi; ideoque ſola hæc hora mihi fuit ſuperſtes meditandæ & ſcribendæ huic epiſtolæ. Condonabis ergo. Quod ad negotium Ultrajectinum attinet, omnino mihi perſuadeo, hoc ab omnibus omni molimine actum iri, ut maneas Hagæcomitis, quod Eccleſiæ noſtræ, imo & reipublicæ, neceſſitas poſtulat hoc tempore. Tu ipſe noſti ita rem habere, quamquam ſubmiſſiſſime de te ipſo ſentias. Et Ultrajectinis promiſſione ſatisfieri poteſt, cujus præſtatio etiam in annum, & forte amplius differri poteſt, præſertim ſi aliquando illos accedere & tuam operam illis impendere tibi liceat. Si tamen res ſecus accidat, quod Deus avertat, & ego precibus conabor impedire, & conatus ſum; ferendum eſt mihi, cujus hic potiſſimum, ſi & privata admiſcere liceat, res agitur. Cogitabo etiam forte Deum noſtro conatui adeſſe nolle; quamquam ſciam illum mediis alligatum non eſſe, & opus ſuum variis modis peragere poſſe, ſine noſtra exili opera. Diſponam itaque me ad patientiam & tolerantiam majorem, quam etiam mihi video neceſſariam fore, quum & calumnias incipiant ſpargere quos ego putavi amiciſſimos, & apud eos, qui ſua autoritate aliquid poſſunt. Factum id nuper à N. Henr. in menſa D. illuſtris Scaligeri præſente aliquo, ſed illius cauſa non poſſum commode occurrere. Sed illi maledicant, tu Domine benedicito, & opus manuum tuarum ne intermittito. Bruno binas ad me dedit, unas quatriduum ſcriptas poſt priores, ſed mihi uno die traditas; narrant priores, difficultates quæ impediunt, quominus ante menſem Martium abeſſe poſſit à ſua Eccleſia; alteræ ſpem faciunt fore ut propediem adſit. Apparet ex ſcriptione, illi rem valde cordi eſſe, itaque maturaturum ſi qua ratione fieri poſſit. Tu pro tua prudentia rem adminiſtrabis omnem. Videtur nobis affulgere ſpes aliqua quietis in Academia, quum rem ſuam agant ſtudioſi jam per ingenia nonnulla manſuetiora & magis idonea rebus iſtis agendis. Raptim & volante calamo, quia à prandio diſputandum eſt, & collegium tum publicum, tum privato-publicum redintegrandum, cui rei præparanda ſunt neceſſaria. Vale vir reverende cum bono Deo, cui te & tua omnia commendo obnixiſſime. Lugduni Batavorum 3 Februarii 1607. Ep. 99.

OUdewatriani mei iſtuc venturi ſunt, puto, ut petant pro Stangero jam defecto ſtipendii continuationem, & ipſis liceat alium in ipſius locum ſubſtituere. Deſignarunt filium Conſulis Galeni, qui in collegio Ordinum vivit: juvenem quidem bonum, & qui (ut ex Bertio intelligo) mediocriter profecit, at tantum viginti trium annorum. Et quam bene conſulitur Eccleſiæ, cum illa creditur duobus juvenibus, quorum neuter vigeſimum ſextum ætatis annum excedit. Miſeræ res noſtræ, cum ita aguntur. Pater conſul eſt; filio, ut intelligo, procuratur conjunx. Argumento uſus eſt apud me Bertius ſuaſivo, quod vim habet diſſuadendi; Lydium nullum laturum, niſi qui ſe ſubmittat; ſi accedat paulo illo ſenior, fore perpetuas contentiones, quas contra ſenem puduit exercere. Ecce quibus pugnemus armis. Miſereatur Dominus plebis ſuæ, & det paſtores ſecundum cor ſuum. Injuria fit iſti Eccleſiæ, etiam juveni Galeno. Ego velim alium maturiore ætate, provectiore ſcientia, & majore prudentiâ, adhiberi iſti functioni. Tu, ſi quid potes, conſule in commune: ſancta & pia res eſt, ad noſtrum munus & curam ſpectans. Ordines ſtipendium adnumerant, ergo & illorum autoritas hic valere deberet. Eſt inſuper Scholæ Oudewatrianæ rectore opus; & vix id impetrari poteſt, quum T.T. abdicato olim rectoratu, alium in locum ſubſtituerit, non idoneum; & cui dimidium ſtipendii annui adnumeret, ipſe ſibi alteram partem reſervans. Verum & ille, Medicus profeſſione, adſpirat ad miniſterium, & promovebitur, puto; quia auditus eſt & placuit. Sic naſcuntur Theologi, & ſpatio unius anni apti ſunt ad tantum munus. Quis hæc audiens non doleat? Tantam injuſtitiam! frui ſtipendii parte, qui dives eſt, & laborem nullum ferre. Sed ſat querelarum: Dominus miſereatur, & corrigat pro ſua miſericordia.

XCIX.

JOANNI UYTENBOGARDO JACOBUS ARMINIUS

Salutem in Chriſto P.

REverende vir & amicorum integerrime; Doleo vehementer, quod tuæ petitioni ſatisfacere, tum per occupationes publicas, tum maxime per infeſtantem catarrhum, non liceat; metuo prorſus, ni obveniam ejus defluxui, *De loco Matt. 14. v. 32. &c.*

Ep. 99. fluxui, fore ut noceat; quod ut caveam, vehementer me ſolicitat uxor ad purgationes obeundas, quod etiam puto neceſſum mihi fore, quamquam intempeſtivo tempore. Velim itaque neceſſitatem hanc exculatam habeas. Brunoni tuam voluntatem ſignificavi; ille non refragatur magnopere; at unum movet ſcrupulum, quod deputati Geldriæ, inter quos & Arnemienſes Conſules, & alii qui ipſum norunt, concioni iſti ſunt interfuturi: præparat ſe tamen, & ad illius ejuſdem loci tractationem, craſtina die tibi adfuturus, & communicaturus, an non aliud tempus commodius ſit futurum, quo illi interſint tantum quorum intereſt de donis ipſius judicare. Ad locum vero ipſum quod attinet, quia meam de illo ſententiam exquiris, ita tractari poſſe arbitror. Inprimis prædictio Chriſti & ejus finis breviter ex ſuperioribus repetantur, & quia excidium tum urbis, tum orbis iſta prædictione involute contineatur, diſſeparentur iſta; & omiſſa illa, utpote quæ jam præteriit & ad nos non ſpectat, in hujus tractatione ſubſiſtatur: Perioche eſt; Vigilate & parate vos ad adventum Chriſti, ut ab illo recipi & gloriæ ejus participes fieri poſſitis. Exegeſis ad duo ſumma capita referri commode poteſt; quorum prius verſibus 32. 33. continet adventus prædicti per ſigna præcedentia demonſtrationem, ſimili illuſtratam; quod ipſum, quia in præcedentibus, ut recte ſcribis, pertractatum eſt, percurri obiter poteſt, ut concio tota ſubſiſtat in ſecundo capite, quo argumenta ſuaſionis ad vigilantiam & præparationem iſtam continentur efficaciſſima. Quæ mihi quidem quatuor numero eſſe videntur. Primum à temporis propinquitate, *verſ.* 34. Secundum ab adventus certitudine, *verſ.* 35. Tertium ab incertitudine ipſius diei & horæ. Quartum à ſupina hominum ſecuritate, *verſ.* 37. 38. 39. Primum argumentum ut commode pertractetur, explicandum quid intelligatur per iſtam γενεὰν, (*generationem*) & quomodo tempus illud propinquum dici potuerit. Per γενεὰν intelligi videtur, quum de futuro adventu Chriſti ad judicium locus intelligitur, hujus mundi ſtatus, qui non ſit mutandus, inſtar prioris mundi, quo per diluvium extincto alius ex aquis exſtitit; ſed cui finem ſit ipſum judicium impoſiturum, ut eſt 2 *Epiſt. Petr. cap.* III. 6. 7. Tempus autem illud breve & propinquum dicitur, eo quod apud Dominum (ut idem Petrus repellens impiorum de tardatione Domini objectamentum dicit ibidem) mille anni ſint ut dies unus, & unus dies ut mille anni. Cui addi poſſe videtur, ad argumenti corroborationem, ne reſpectu quidem hominum dilationem iſtam longam videri poſſe, quum de ea non conſtet iis qui ſuperſtites ſunt, & quum illis finis, iſque brevis vitæ terminus, ſit præſcriptus: adde, ſic adminiſtratum eſſe quidquid in novo Teſtamento de adventu Chriſti ad judicium dicitur, ut ſingularum ætatum homines videantur eo tempore ſupervicturi; quod ex multis locis manifeſtum eſt. Ep. 99. Secundum argumentum continet prædictionis aſſeverationem à conſtantia verbi Chriſti, quam illuſtrat à minore conſtantia cœli & terræ, quæ peribunt; ac ſi dicat: Impoſſibile eſt ut verba mea eventum non ſortiantur; ipſo enim cœlo & terra, quæ conſtantiſſima ſunt omnium rerum creatarum, quæ in oculos & ſenſus incurrunt, ſunt conſtantiora. Hujus autem veritatis neceſſitas argumentis multis adſtrui poteſt; tum à natura Dei, ſcilicet ab ejus bonitate & juſtitia; tum ab ipſius hominis conditione; inde à natura ipſa virtutis & vitiorum, quum illa conſiſtat in mundanarum rerum & affectus erga illas abnegatione, vitia in fruitione earumdem; denique à piorum & impiorum ſtatu in hoc mundo. Quæ argumenta ſunt etiam citra Euangelium nota. Si quis volet, poterit & reſurrectionem Chriſti, ejuſque ad dexteram Patris ſublationem allegare, in quo nobis eſt certificata reſurrectio, & judicium poſtremum vivorum & mortuorum. His explicatis, ad collationem dici poteſt; non mirum eſſe, quod cœlo & terra extinctis verbum Chriſti ſit ſuperſtes futurum, quum illa vi verbi Dei & potente verbo Chriſti ſuſtineantur, ſine quo ruerent & interirent. Tertium argumentum eſt ab incertitudine diei & horæ: quum dies iſta & hora, qua venturus eſt Dominus ad judicium, nulli hominum, imo nec Angelorum nota ſit; neceſſe eſt ut vigilent homines, & in omnem eventum ſe præparent. Emphaſim habet, quod dicitur, neque Angelis notam eſſe, qui antea dicti ſunt exſecutores & miniſtri Chriſti ad judicium venturi; unde facile eſt concludere, inane eſſe de hora inquirere, quum Deus ne Angelis quidem illam patefecerit. An addendum, quod Marcus ait de Filio, ignoro: ſi tamen volet quis; omiſſa diſputatione de ejus omniſcientia divina, dici poteſt, illum hic conſiderari ut Mediatorem, ſecundum quam rationem etiam ipſi judicium datum eſt; at vero Mediatorem non ſcire niſi quæ ipſi Pater per Spiritum ſuum revelat: nam qua talis, eſt Patris adminiſter. Conferatur locus: *Non eſt meum dare, ut ſedeat hic à dexteris, ille à ſiniſtris*; &c. Ille enim reſpectus convenientior huic loco, quam qui eſt à diſtinctione divinæ & humanæ naturæ. Quartum argumentum eſt ab hominum tum victurorum ſecuritate & negligentia. Quæ illuſtratur à ſimili. Securitatis autem illius mentio facit ad excitandam ſocordiam, & ingenerandam ſeriam curam harum rerum animis fidelium, duplici ratione; tum ne in exemplum ſecuritatis incidant, ubi tanta eſt negligentium multitudo; tum ne pro argumento differendi judicii habeant eundem mundi hujus ſtatum, & vitæ tum vegetativæ tum animalis tenorem, qui jam ab initio fuit, & ad finem uſque decurret; poſteriora enim non ſuccedunt prioribus abo-

Ep. 99. abolitis, ſed hæc per illorum adventum abolentur: quia vacuum eſſe non debet in rebus, non interregnum, non intermundium, ut ſic loquar, nihil inter animale & ſpirituale conſiſtens intermedium. Hic autem ſecuritas hominum notatur, non in eo, quod iſtis muneribus funguntur; nam ita ſane faciendum eſt: verum quod iſtis animalis vitæ muneribus fungantur citra ullam curam ſpiritualium, & præparationem ad cœleſtem illam vitam capeſſendam. Concluſio ſit, ergo vigilate & præparate vos ad adventum Domini; ubi argumenta ſingula urgeri poſſunt, breviterque explicari, quod iſta omnia nituntur fundamento duplici, nempe ingente bonorum felicitate, & malorum miſeria; inde deſiderio quod ſinguli & omnes habent, & hanc evadendi & illa potiundi; potiſſimum vero inſiſti debet in ſecuritate hominum, quæ ad miraculum uſque crevit, explicanda & deteſtanda: cujus cauſas Apoſtolus duas ponit *Tit.* II. impietatem, & mundanas cupiditates; & impietatem quidem; vel qua ſtatuitur non eſſe Deus; vel ſi ſit, non curare humana, neque judicaturum; vel quamquam rerum curam gerat, tamen non ſit tam rigide, ut Scriptura habet, judicaturus: quæ omnium eſt communiſſima, & alte ſedens in cordibus mortalium: ad quam non parum faciunt multa dogmata hodie in Chriſtianiſmo vigentia. Mundanæ vero cupiditates à Joanne 1 *Epiſt.* II. commode ad tria capita revocantur bonorum mundanorum: à Bernardo vero gradus vitæ hujus circa iſta occupatæ pulcherrime comprehenduntur hiſce quatuor occupationibus. Primum ſtudium occupat neceſſitas naturæ, quæ videtur excuſabilis. Alterum honeſtas vitæ, quæ, intra terminum conſiſtens, non prorſus illaudabilis. Tertium pompa & vanitas mundi, quæ omnino excludi debebat, utpote deteſtabilis. Quartum, ipſa malitia peccati, quæ ut à diabolo originem habet, ita & ingenium ejus refert penitiſſime. Argumenta autem non modo tractari poſſunt ſingula, ſed & junctim conſiderari, eorumque plenitudo & perfectio commonſtrari, ſi quidem id permittat ratio præſtituti temporis. Ecce, mi anime, quam ego familiariter tecum agam. Difficultatem iſtam non moveo, quæ conſiſtit in diſcrimine illorum, quæ ad excidium urbis Jeroſolymitanæ ſpectant, & quæ exitium orbis concernunt; neque laboro in explicandis bifariam phraſibus, quæ tam ad hunc quam ad illum ſenſum pertinent; aut ſi uni ſenſui propinquiores ſint, non do operam ut commonſtrem quo pacto & alteri ſenſui intervire poſſint; quia id jam antea actum eſt: quo ipſo omnis in hoc tractatu difficultas ſublata eſt, & ratio expedita negotium totum tractandi: itaque hic finio iſta. Exemplar reſponſi tui, quod Amp. Bemeveldio dediſti, non accepi: forte oblitus es inſerere literis tuis, quas per D. Curatorem Milium mihi miſiſti: Ex meis intelliges omnes tuas mihi bene traditas eſſe. Sed finio, & rurſus peto ut me excuſatum habeas, cui per catarrhum itineri committere non licet. Si tamen illo propediem liberabor, & tibi tum ſic videbitur, non detrectabo cum D. Ledenbergio quæ videntur agere, & illi penitius explicare, quæ cauſa ſit cur tu Hagæcomitis abeſſe non poſſis. Vale mi anime in Domino, cui te & tuam uxorem cum reliqua familia obnixe commendo. Lugduni Batavorum 9 Februarii 1607. Ep. 100.

C.

JACOBUS ARMINIUS

JOANNI NARSIO S.P.

PRæſtantiſſime Narſi, Quamquam frequens menti meæ obverſaris, neſcio tamen, qui fiat, ut literis tuis, & tuâ forſan expectatione, & mea opinione certe, ſerius reſpondeam. Occupationum frequentiam earumque variarum, & latorum raritatem, potiſſimam cauſam arbitraberis. Jam vero ad duas tuas poſtremas epiſtolas ſimul reſpondeo. Quæris primum de loco *Geneſ.* XLIX. 10. Hunc ego de adventu Chriſti vaticinari puto, ejuſque tempus circumſcribere regni Judaici duratione, quam extendo ad urbis uſque & templi excidium, quod ſub Veſpaſiano accidit. Quum vero id non futurum dicatur, donec veniat Siloh, præcedaneus ponitur Meſſiæ adventus. Nec obſtat, quod Herodes alienigena ſucceſſit in locum Davide prognatorum: duravit enim ſub illo non modo Synedrium LXXII. ſed & poſt illum uſque ad deſtructionem Urbis aliqua ſemper fuit Judaicæ tribui poteſtas, quamquam majeſtas illa regia ablata eſſet; notum enim paulatim regna inclinare, dum prorſus pereunt. Conſentit Daniel, qui dicit LXX. hebdomadas ſuper Urbe & populo determinatas fuiſſe. Erat ergo illa natio Judaica adhuc populus, & aliqua [illegible] utens ſecundum Moſis præſcriptum, quam prorſus cum Urbe & populi abductione ſuſtulit Veſpaſianus: Urbe enim, ſede regni, & templo, Sacerdotii ſacrificiorumque loco, deſtructis, Politia Moſaica periit, quam alibi exercere Judæis nec ſecundum Deum licitum erat, nec à Veſpaſiano permiſſum, utpote diſperſis & ſub jugum variorum populorum miſſis, ſervorum inſtar & mancipiorum ſub haſta venditorum. Ego hunc locum prolixe tractavi, & difficultates, quas Judæi opponunt, diſſolvere ſum conatus; ſed prolixiore opera eſſet opus ad explicandum, quam literarum ratio permittat. Velim ut notes, quæ te difficultas retardet, ut ad illam præciſe reſpondere liceat. Locum *Joannis* XII. 39. *Propterea non poterant credere*; nonnulli explicant de neceſſitate conſequentiæ, quæ ſequitur ex prædictione divina præſuppoſita: alii de neceſſitate conſequentis, ex eo quod ſua culpa & Dei juſto judicio Theologica

Ep. 100. dicio erant excæcati & obdurati; cui ego sententiæ potius accedo, si recte explicetur. Nam simile est: *Vos non potestis credere, quia gloriam alii ab alio capiatis, Joan. V. & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis*: &, *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, quarum propriuni est, audire vocem Christi. Auditus autem verbi ad fidem est necessarius. Unde dici potest; vos non potestis credere, quum non velitis audire verbum, sine quo fides haberi nequit. Sic 2 *Thess.* III. 2. *Fides non est omnium*, scilicet perversorum & protervorum hominum: dum enim tales manent, credere non possunt; at possunt mutari, & sic possunt credere, quia duities cordis potest deponi, & cæcitas auferri. Quo ordine autem ista fiant, epistolæ modus explicare non permittit. Dabitur occasio, totum hoc negotium plene & ex ordine pertractandi, ut spero, quo lux inferetur multis difficilibus rebus & locis Scripturæ. De causa, cur Ephrata dicta Bethlehem, mihi non constat. Videtur locus abs te citatus contra D. Junii sententiam manifeste facere: nisi dicamus loci descriptionem à Mose positam postea mutatam esse: quod non æque est verisimile, atque hoc, quod illa verba, *hæc est Bethlehem*, postea adjecta sint. Uytenbogardus adhuc Hagæ manet. Verum quid de illo futurum sit postea, dubium est. Non destituuntur spe ejus potiundi Ultrajectini, à quibus nec ille abhorret. Brunonis negotium, quod confectum putas, vix cæptum est, & an quid de illo futurum sit, ignoro. Quæstionem œconomicam non eadem facilitate solvere possum, ut multas Theologicas; quia conditio ejus, quam designas, mihi prorsus ignota est. De nomine tantum mihi nota est familia. Si illa tibi commoda est juxta opinionem tuam & amicorum, non dissuadeo, quum id negotium per inducias, quæ tractantur, quiete agere possis; secus, si belli moles vos urgeret, ut præteritus annus comminabatur, intempestivum tibi arbitratus fuissem de ista re cogitare, nisi occasio mutandæ stationis affulgeret. De induciis quod dico, ex rumore dico, qui omnibus in ore est; quid futurum sit, propediem sciemus. Occasiones oblatæ non sunt negligendæ ad conjugium adspiranti, quod ministro Ecclesiæ ad varia est utile, modo contingat, quæ apta sit marito &. domui, id est, quæ marito molestiam non exhibeat pervicacitate vel insciti a sua; sed illi morem, & hujus regimen gerere potest. Si accedat dos moderata, quæ difficultates temporum minuat, id in lucro ponendum est. Precemur Dominum, ut patriæ nostræ afflictæ misereatur, & fælicem eventum concedat consiliorum, quæ agitantur, quo nobis & Ecclesiæ Dei quiete in illa versari liceat, & quæ officii nostri sunt, placide peragere. His vale, dilectissime Narsi, cum bono Deo, quem tibi faventem precor in omnibus, & præsertim in arduo isto negotio, in quo bona pars salutis tuæ vertitur. Salveat à me tuus collega officiosissime. Lugduni Batavorum 29 Martii 1607. stilo Papano. Ep. 101.

Tuus

JACOBUS ARMINIUS.

CI.

SEBASTIANO EGBERTI

Reipubl. Amstelred. Consuli

JACOBUS ARMINIUS

Salutem in Christo P.

De quorundam zelotarum iniquitate & calumniis querela.

DE morbo D. Joannis Halsbergii, charissimi in Christo fratris & amici fidelis, jam ante intellexeram quidem; at naturæ vigor & anni tempus spem mihi faciebant convalescentiæ: quæ causa fuit quod ille minus me solicitum fecerit: si tamen ulla ratione tam subitum illius ex hac vita exitum præmetuere potuissem, non omisissem illi etiam ipse extrema officia præstare Christianæ benevolentiæ. At Deus id mihi non concessit: quæ res præter dolorem, quem merito ex amicissimi hominis morte concipio, non parum animum meum afficit. At recte ais illum præivisse; nos singuli suo ordine sequemur quisque: cujus rei cogitationem assiduam mihi inculcat catarrhus, quo jam per intervalla non rara infestor, qui nunc in trachæam, nunc in præcordia, nunc in ventriculum incumbit: vellicat mihi aurem ille qui paratus est ad judicium ferendum de mortalibus omnibus peremtorium: & hoc ipso jubet lenire dolorem ex amici obitu conceptum, quem forte non multis post annis insequar. Doce nos Domine numerare dies nostros, & adducemus in cor sapientiam. Illum præripuit Dominus ex die malo, ne videat quæ nobis propter peccata nostra imminent & impendent. Utinam faciem ejus præoccupemus in vera pœnitentia & vitæ nostræ correctione! ut opus suum in medio annorum vivificet, in medio, inquam, annorum vivificet misericordiam suam; in ira benignitatis suæ recordetur. Non est sine causa quod publicæ res anxium te habeant: Quem enim illæ quietum esse sinant? qui aliqua saltem cura Patriæ tangitur, quam frustra tentatam armis, jam specie & prætextu pacis adoritur vafer & irreconciliabilis hostis. Deus sapientiam & fortitudinem inspiret Magistratibus nostris, ut rectum clavum teneant. Mihi præterea cum furiarum pessima, diaboli primogenita, unde & nomen ipse ducit, negotium est; quam statui patientia debellare; faxit Deus ut possim Spiritus sui robore suffultus. Nihil non moliuntur quidam zelosi (ut præ se ferunt) tum hic tum alibi, in patria & peregre in Germania & Gallia, quo me miserum homuncionem de

Digitized by Google

Ep. 101. de cathedra deturbent & mutum reddant: at hactenus irrito conatu; quin & ipsis infælici; eo quod per calumnias nobilem faciunt qui latere desiderabat, & suis ipse virtutibus innotescere non poterat. Potissima hujus mali origo ex urbe vestra est, ubi confidenter de me dicitur, quod nemo hîc, ubi quotidie publice & privatim doceo, mutire auderet, si metueret ad me id perlatum iri. Novitatis insimulant me, qui totius orbis Novatores audiunt ab adversariis, & solius Scripturæ antiquissimæ obtentu tutos se putant; quum & ego ex illis solis mea omnia, & totidem, si volent, verbis sistere sum paratus. Declarant se ignorare quid ego agam, & toto cœlo aberrare in judicio, quod de me meisque studiis faciunt; quum non tam affirmem ego novi quidpiam, quam negem nova quædam ab illis in Ecclesiam Christi introducta: qua de re in Synodo Nationali, quam spero habitum iri vel hoc vel sequente anno, inter nos, siquidem superstites fuerimus & Deus dederit, agemus. Quod meam causam odiosiorem reddant nonnulli, qui pro meis habentur; vix capio qui fiat; quum ego nullos habeam pro meis; nam discipulos mihi non facio, sed Christo; & illi ipsi apud prudentes fidem non mereantur, vel propter imperitiam, vel propter affectum; præsertim quum illic notissimum sit, non semel mendacia aperta de me sparsa esse. Si boni viri sunt, cognoscant ex me quid ego sentiam, aut falli se judicio debere agnoscant. At nolo me aperire. Testabitur Helmichius me bis terve ipsi obtulisse collationem de omnibus fidei nostræ articulis: verum cur nonnullis Synodi deputatis ad rogata respondere noluerim, causas habui justissimas, quas scio, fidenter dico, & prudentibus viris placituras, & illi ipsi nulla ratione repellere possent, qui tunc me convenerunt. Res longiore narratione indigeret quam epistolæ brevitas permittit. At fundamenta pono novitatum mearum, quæ deinde vel abjicio vel eludo. Mira narratio, & quæ fidem non inveniat, nisi apud rerum ignaros omnium & inexpertes. Ego publice doceo frequente auditorio; sæpe disputo præsentibus collegis; fidenter dico, quod videtur, ad objectiones, nulla utor tergiversatione; collegium privatum habeo cui interfunt triginta aut amplius studiosi; an non mirum neminem hucusque vel verbulum protulisse, quod ego contra Scripturas, Confessionem nostram aut Catechesin sim prolocutus? Ipsi mei collegæ rogati, imo & incitati à nonnemine, quiescunt; quod omnino non facerent pro zelo erga puritatem doctrinæ, nisi in vanum & sine causa scirent se quidpiam in me molituros. Quod spargitur, me suasorem esse discipulis ad lectionem librorum Jesuiticorum & Coornhertii, non alio quam mendacii nomine appellare possum; nunquam enim cuiquam ea de re verbum feci, nec rogatus nec proprio instinctu. Sed post Scripturæ lectionem, quam vehementer inculco, & Ep. 101. magis quam quisquam alius, quod tota Academia testabitur, etiam conscientia meorum collegarum, ad Calvini Commentarios legendos adhortor, quem laudibus majoribus extollo, quam ipse Helmichius, quod mihi fassus est, unquam fecit: dico enim, incomparabilem esse in interpretatione Scripturarum, & majores faciendos ipsius commentarios, quam quidquid Patrum Bibliotheca nobis tradit: adeo ut & Spiritum aliquem Prophetiæ eximium illi præ aliis plerisque, imo & omnibus, concedam. Institutiones ipsius, ad locos communes quod attinet, addo legendas post Catechesin, tanquam pleniorem interpretationem. At hic addo, cum delectu, ut omnium hominum scripta legenda sunt. Hujus mei consilii testes innumeros proferre possem; illi ne unicum quidem, cui autor fuerim legendi Coornhertium vel Lojolitas: proferant, & mendacium patefiet: adeo hic de nihilo nascitur historia, vel fabula potius. Quæ alia illic agantur, scio; imo & quæ alibi actitata sint, arbitror te ignorare. Si scires, mirareris hominum perversam impudentiam. Huic omnibus antipharmacum oppono integritatem & patientiam, & sustento me spe fælicis exitus, quem mihi dabit judex justus, qui novit quid quæram & agam: illi scio mea studia placere, utpote uni veritati, pietati & paci inter Christianos firmandæ servientia. Non parum etiam recreant judicia virorum præstantissimorum in patria nostra, qui rectius de me meisque studiis judicant. Scio discrimen esse faciendum inter verum, & verum in religione; non enim omnia æque necessaria: quod si illi qui Amsterdami sunt & alibi æque cogitarent, ego liber essem à suspicione & calumniis. Neque moveo bene positum (malum:) utinam enim, quod illi jactant, bene posita essent fundamenta veri Christianismi in animis hominum. Ex collatione patebit de fine & modo agendi illorum, & meo. Ego modum cogitavi, quo quam maxime Jesuitarum conatibus & progressui Pontificii regni obviari possit, quam lubens cum illa via, quam P. Plancius ingreditur, & convenientem putat, præsentibus patriæ nostræ præstantissimis viris rerum gnaris explicarem, ut illi de utriusque agendi ratione judicium ferrent; quod velim te aperte, ubi postulabit occasio, apud quosvis enunciare: lubet experiri cum illo, qui se solum arbitratur mastiga hæreticorum; sed ubi decet, & cum fructu fieri potest. Ego circa Pentecostes festum istuc statui venire, ut experiar an præsentia mea calumniam dispellere possim; quod facile est, ne se prodat, sed ut ex animis eorum, qui gratis me suspectum habent, & putant utile esse rei suæ publicæ ut ego calumniis obruar, difficillime efficiam. Simile est figmentum de lymbo, quem ego puto me fortioribus argumentis destructurum, quam quemquam illorum: sed & hic velim

Ep. 102. rem ad collationem venire. Sed satis est harum rerum. De commodo loco pro Antonio Pauli inquiram, & statim tibi significabo quid resciero. Vale vir consultissime, & salutem conjugi tuæ carissimæ meo nomine dicito. Deus nostri misereatur, & Ecclesiæ suæ, heu nimium afflictæ & miseræ. Lugduni Batavorum 3 Maji 1607.

Raptim ita ut relegere non licuerit. Tu boni consule præproperam scriptionem.

CII.

JOANNES BOGERMANNUS CONRADO VORSTIO S.P.

Ecclesiastica. De iis quæ in conventu præparatoria acta sunt.

VIr clarissime Domine ac Frater in Christo Reverende. Nescis quanto mœrore nos affecerit responsum D. Timpleri. Abgram cum secundò ad ipsum & Gen. Comitem vestrum scriberetur: statueram meas ad te & ipsum Timplerum addere: primus enim hominem Collegis & Magistratui nostro nominavi, atque ut debui, non parum operæ in eo posui, ut vocaretur: sed acquiescendum est in voluntate Domini. Profectus eram cum D. D. Lubberto Hagam Comitis, idque ex voluntate Ordinum & Ecclesiarum hujus provinciæ, ut cum aliarum provinciarum deputatis communicaremus de iis, quæ ad legitimam convocationem, formam, eventumque optatissimum Synodi Nationalis spectarent. Intererat conventui D. Arminius, quo cum tribus aliis excepto, fuimus omnes in suffragiis concordes. Eum verò cum haberemus adversarium, coacti sumus de iis, in quibus cardo rei versabatur, judicia dissonantia Generalibus Ordinibus exhibere. Contendebat D. Arminius, ut ex professo resumerentur aut revidérentur Catechismus Heydelbergensis & Confessio Ecclesiarum Belgicarum, liberumque esset in iis mutare, corrigere, augere, minuere &c. prout Synodo videretur, idque in omnibus Nationalibus Synodis debere fieri. Nos, quia scripta hæc communi Ecclesiarum consensu recepta atque approbata sunt, pro concionibus item hactenus explicata, & per universum Christianismum vulgata, judicavimus hoc planè esse inconsultum. Cum enim scripta hæc & ipsi faterentur in fundamentalibus verbo Dei esse consona, non debere populum mutatione crebra eorum, in quibus sine salutis periculo aliter quis posset sentire, ad dubitationem de ipso etiam fundamento invitari, ipsisque adversariis occasionem suppeditari nostras Ecclesias Confessionis ambulatoriæ accusandi, negotium Religionis tandem abiturum in infinitum, omnibusque contentiosis & novitatis avidis fore ansam vel in minimis Ecclesiæ continuò faciendi negotium, ea quæ nunc demerentur vel mutarentur sequenti Synodo forte iri restitutum, &c. libertatem Ep. 102. hanc hactenus in Ecclesiis nostris fuisse usurpatam, ut diversæ sententiæ de talibus, manente Catechismo, sint propositæ. Unicuique tamen fore liberum sua gravamina proponere, modo Synodi se submittat judicio: Synodum debere Confessionum Orthodoxarum Ecclesiarum esse defensatricem, non correctricem, ne perpetuò in doctrina fidei, propter quam tot ac tanta hactenus essemus perpessi, videamur hæsitare, &c. Deinde disceptatum est de judice: D. Arminius judicavit, non Synodum ipsam legitimè congregatam debere judicare, sed omnes quotquot in Belgio sunt Ecclesiarum Ministros; ideoque res à Synodo Nationali ad provinciales, à Synodis provincialibus, ad singulas Classes omnesque Ministros esse referendas, & quidquid ab omnibus Ministris decerneretur id demum vim sententiæ definitivæ posse obtinere. Visum est id nobis absurdum, novum, nullo vel sacrarum Literarum, vel primitivæ Ecclesiæ, vel recentioris exemplo confirmatum, schismatum fomentum, denique ad omnia in seculum extrahenda aptum natum: itaque secundum ordinem hactenus receptum putavimus res à presbyteriis ad Classes, à Classibus ad Synodos provinciales, à provincialibus ad Nationales esse devolvendas, ibique terminandas vel omnibus vel pluribus suffragiis; & quod ab iis, qui ad id ab Ecclesiis essent legitimè electi, definiretur, id pro sententia definitiva Ecclesiarum habendum. Tertio actum est de ipsis judicibus, qualiter ipsos conveniat esse affectos. D. Arminius voluit ipsos, id est, omnium Ecclesiarum Ministros, durante hac indagatione veritatis, itemque ipso judicio, debere esse liberos ab subscriptionibus, obligationibusque quibus sese Catechismo & Confessioni astrixerunt. Quod nobis similiter visum est absurdissimum: pronunciandum quidem ex verbo Dei fatebamur; sed quia sine fide ut Christianum, ita nec Ministrum, esse decet; ita nec sine ea posse indagare aut judicare: nos verò eam fidei doctrinam habere pro vera, quam scripta ista ex verbo Dei tradunt: ut itaque fidelis nunquam liber est à verbo Dei, ita neque ab doctrina in eo tradita, quam credimus scriptis iis contineri. Contrariam opinionem fore fundamentum infinitarum confusionum in doctrina ac disciplina: durante enim hac indagatione, quæ durare posset in secula, nihil esset certi in Ecclesia, nulla hæresium, nulla scelerum coërcitio, &c. Hæc sunt potissima, in quibus, exceptis iis in quibus omnes consensimus, in diversas sententias itum est. Visa sunt fratribus ista consilia D. Arminii tendere ad turbas, ut revera exorirentur in omnibus provinciis Belgicis, si ea sequeremur; quod Deus, spero, avertet. Hæc breviter tibi duxi communicanda, ut scires quo loco sint res nostrarum Ecclesiarum, Deumque ores pro pace & tranquillitate earum. Politiæ enim pax

planè

Ep.103. planè dependet à pace Eccleſiæ; hac turbata, perimus. Nunc ad ſcholam noſtram redeo. Magiſtratus noſter noſtro conſilio Edonem iſtum à vobis tantopere commendatum accerſit, ut & locum ipſe videat, & cum eo coram agatur; quod fiet humaniſſimè. Suade igitur, ut quam primùm ad nos advolet, cujus ſpem fecit D. Timplerus. Si is eſt, ut confidimus, quem dicitis, erit nobis omnibus gratiſſimus. Vale in Domino, Frater reverende, & quæ de publicis ſcripſi boni conſule; confidebam tibi non fore ingrata. Deus tuis laboribus cumulate benedicat. Dat. 26 Junii. 1607.

Tui nominis ſtudioſiſſimus

J. BOGERMANNUS.

CIII.

Reverendo & clariſſimo viro

D. W. MELVINO,

Sacræ Theologiæ Doctori, & Profeſſori in inclyto Santandræano,

SIBRANDUS LUBBERTUS S. D. P.

Querela de Arminii atque Uytenbogardi hæreſeos.

DOctor Jacobus Harminius Profeſſor Theologiæ in Academia Leidenſi, & Joannes Uytenbogaert miniſter Hagenſis, videntur moliri, ut in recepta doctrina Eccleſiarum noſtrarum aliquid mutetur. Ut hoc perficerent dicuntur effeciſſe, ut D. D. Generales Ordines in Synodum Nationalem conſentirent; ſed hac conditione, ut Catechiſmus Heidelbergenſis, quem noſtræ Eccleſiæ receperunt, & Confeſſio Belgica in proxima Synodo revideantur. Quia vero reviſio non fit niſi in judiciis, ut ſententia ante lata corrigatur; fieri non potuit, quin Eccleſiæ noſtræ hoc Ordinum reſponſo graviter commoverentur. Paſſim audivimus has voces: Nos & nati & educati ſumus in hac doctrina, noſtri parentes propter eam durum exilium, & nos propter eandem hoc ſævum bellum hos quadraginta annos ſuſtinuimus, eadem doctrina tam multorum martyrum ſanguine obſignata eſt, & hos videmus fructus laborum, miſeriarumque noſtrarum, ut doctrina illa, cujus gratia hæc omnia ſuſtinuimus & perpeſſi ſumus, in dubium vocetur? Neque ratione carent hæ querelæ. Nam, ut quidam ſuſpicantur, præcipua doctrinæ capita, ceu ſunt de peccato originis, libero arbitrio, fide, juſtificatione, ſanctificatione, prædeſtinatione, Sacramentis, diſciplina Eccleſiaſtica, Presbyteriis, in dubium vocabuntur. Sunt etiam qui muſſitant de perſona Chriſti, redemptione; & ſatisfactione. Alii putant eos hoc agere, ut tota catechetizandi ratio ex Eccleſiis exterminetur. De his tamen nihil certi affirmare poſſum. Diligenter enim & ſerio rogavimus, ut ſe declararent, & oſtenderent quid vellent; nos daturos operam, ut ſatisfaceremus, ſi id ulla ratione facere poſſemus: ſed obtinere nihil potuimus. Sed enim reſponderunt, ſe non velle id, niſi in Synodo, proponere; addiderunt ſe etiam non teneri. Ac licet regereremus, omnes Chriſtianos teneri cuilibet reddere rationem ſuæ fidei, idque omni tempore: tamen nihil aliud obtinere potuimus, quam ut dicerent, ſe nolle ſeſe niſi in Synodo patefacere. D. D. Ordines cum viderent omnes Eccleſias hac re graviter commoveri; evocarunt ex ſingulis provinciis duos paſtores, ex Academia Leydenſi duos Profeſſores Theologiæ, ex noſtra me etiam; ut deſpiceremus quibus modis Synodus haberi poſſet. Nos convenimus Hagæ: ibi multæ quæſtiones præparatoriæ motæ fuerunt; videlicet: Quinam ſint ad Synodum venturi? cujus auctoritate ſint venturi? quam poteſtatem ſint in Synodo habituri? quis habeat poteſtatem convocandi? quis ſit in ea futurus controverſiarum judex? & annon ſint omnes, qui contra receptam doctrinam aliquid movebunt, vel de eo judicabunt, à ſubſcriptionibus Catechiſmi Confeſſioniſque liberandi? De illis inter nos convenit; de duabus poſtremis inter nos convenire non potuit. Utriuſque igitur partis ſententiam, prout eam ſcripto comprehenſam D. D. Ordinibus exhibuimus, ad te mitto. Eorum quæ obſcura ſunt explicationem addo, & rogo, ſi exiſtimas nos recte reſpondiſſe, nos tuo conſenſu confirmes: ſin minus, ut nos tuo conſilio juves, & meliora doceas. Res eſt communis, & pertinet ad omnes Eccleſias. Etiam igitur atque etiam peto, ut adjunctam chartam ſerio legas, & ſi fieri poteſt, etiam cum aliis doctis viris, qui iſtic ſunt, communices; ut conjunctis ſtudiis animiſque hunc ignem extinguamus, & pacem concordiamque in Eccleſia conſervemus. Si quid reſpondebis, quod te facturum mihi polliceor, mitte Londinum ad Simonem Ruitingium, miniſtrum Eccleſiæ Belgicæ: ille curabit, ut ad me perferatur. Vale. Franicæ. Anno 1607. Kal. Jul.

Ep.103.

Joh. Uytenbogardus hæc in margine hujus epiſtolæ manu ſua adſcripſit.

Ut uno verbo dicam, tota hæc Sibrandi narratio ſcatet puris putis mendaciis & calumniis, quibus jam tum in initio & vel nulla occaſione data nos obruere conati ſunt Ariſtarchi iſti. Quid mirum, ſi poſtea eodem quo inceperant pede pergentes, Eccleſias omnes in apertum ſchiſma conjecerint, patriam in extremum adduxerint diſcrimen, & omnes qui moderatioribus partibus vel tantillum faverent, ſævis perſecutionibus excitatis ad internecionem uſque delere adlaborarint, & etiamnum adlaborent? Libera D. Deus Eccleſiam tuam ab improbis iſtis hominibus. Sed videant illi, in quorum ma-

Digitized by Google

Ep.103. *nus charta iſta aliquando incidere poterunt, ſequentem Arminii & meam epiſtolam reſponſoriam.*

Narratio eorum quæ in conventu præparatorio Synodi Nationalis acta dicuntur.

ACerrima diſceptatio fuit de Judice controverſiarum, quæ in Synodo futura movebuntur. Nos ſuſtinuimus, Synodum de iis judicare debere, & fore ratum, quod vel ab omnibus, vel à pluribus, in Synodo congregatis pronunciabitur. Illi hoc negaverunt. Voluerunt enim, ut ſententia in Synodo lata, ſi partes illi parere nollent, deputati Miniſtri ad ſuos redirent, & in ſingulis provinciis cogerent Synodum Provincialem, eandemque rem ſcripto comprehenſam ſingulis Synodis Provincialibus dijudicandam proponerent. Quæſivimus, an rata eſſe deberet ſententia in Synodo Nationali lata, ſi vel ab omnibus vel à pluribus Synodis Provincialibus approbaretur? Reſponderunt quod non, niſi partes ultro parere vellent latæ ſententiæ. Voluerunt enim ut res tota, prout à Nationali & Provincialibus Synodis definita eſt, à ſingulis Synodis, in unaquaque Provincia, omnibus Claſſibus dijudicanda proponeretur. Et ſi ab Miniſtris, qui in omnibus Claſſibus fœderatarum Provinciarum conventuri ſunt, ſententia in Synodo Nationali lata approbaretur, fore eam ratam. Quæſivimus, ſi ſententia à pluribus approbaretur, an vellent ſe illi ſubjicere? ad quod reſpondere noluerunt. Quæſivit D. Fontanus, ſi trecenti Miniſtri de aliqua re judicarent, & ducenti nonaginta conſentirent, decem verò diſſentirent, an ſe ſententiæ iſtorum ducentorum & nonaginta Miniſtrorum ſubmittere vellent? Sed neque ad hoc reſpondere voluerunt. Hanc ſententiam expreſſerunt his verbis, *deur den Synodum verſtaen wy die gedeputeerde, ende gedeputerende Predicanten.* Hoc eſt; per Synodum intelligimus deputatos & deputantes concionatores.

Quum illorum mentem intellexiſſemus, diximus conditionem hanc eſſe impoſſibilem, impiam & abſurdam. Impoſſibilem: fore enim, ut opinamur, ad minimum tredecim aut quatuordecim doctrinæ capita, quæ in controverſiam ventura ſunt; neque poſſe niſi una definita, ſi omnia ordine fieri debent, de altera diſceptari. Si vero tam operoſe omnia diſceptabuntur, non poſſe integro ſæculo talem Synodum finiri. Addidimus: ſi in Nationali Synodo ita faciendum eſt; etiam in Provincialibus ita fieri debere: quod ſi fiat, Miniſtros nulla alia re, quam Synodicis altercationibus occupatum iri, neque quicquam præterea facere poſſe. Quin ſi Oecumenica cogeretur, quod multi pii Principes & Paſtores unice expetunt, in ea eodem modo agendum eſſe; atque ita fratres Polonos, Hungaros, Tranſylvanos, Bohemos, Moravos, Germanos, Sabaudos, Helvetios, Gallos, Anglos, Scotos, Belgas, Danos, cæteroſque fratres debere ad ſuos redire, & ſuper qualibet controverſia Synodos Nationales in quolibet regno cogere, in iiſque eam controverſiam diſceptandam proponere, ſententiaſque in Nationalibus Synodis latas ad Oecumenicam referre; & collatione facta, ſi partes acquieſcere nolint, ſingulis redeundum eſſe ad ſuos, ut cogant in quolibet regno Synodos Provinciales, in iiſque eandem rem diſceptandam proponant, ſententiaſque in ſingulis Synodis latas ad Oecumenicam referant, & collatione facta, ſi partes acquieſcere nolint, ſingulis redeundum eſſe domum, ut in qualibet Provincia omnes Claſſes cogant, in iiſque eandem rem dijudicandam proponant, ſententiaſque in Claſſibus totius orbis latas ad Oecumenicam referant, eamque debere eſſe ratam & definitam ſententiam, quæ ab omnibus Miniſtris claſſicatim in toto Chriſtianiſmo congregatis eſſet approbata. Sed hoc ordine, vix multis ſæculis unam Oecumenicam Synodum finiri poſſe. Addidimus, omnia Miniſtrorum ſtipendia vix ad viceſimam partem horum ſumptuum ſufficere; proinde hanc conditionem eſſe impoſſibilem. Ep.103.

Impiam. Hoc enim procedendi modo tollitur omnis diſciplina Eccleſiaſtica. Quamdiu enim judicia terminari nequeunt, ſententia pronunciari non poteſt; nemo propter crimen aut hæreſin Eccleſiaſtice cenſeri, nedum puniri poteſt. Hoc igitur procedendi modo introducto, omnia crimina in noſtra Eccleſia impune patrari, omneſque hæreſes in eadem impune diſſeminari poſſe, noſtramque Eccleſiam fore matrem omnium criminum atque hæreſeum. Futurum item eſſe, ut omnes improbe viventes, & impie ſentientes (ſi hic procedendi modus recipitur) ſe cum novatoribus conjungant, ac tandem principatum in Eccleſia obtineant. Deinde, hic procedendi modus eſt contra ordinem Eccleſiarum, primitus ex Dei verbo deductum, & deinde ab Apoſtolorum ſeculo ad noſtram uſque ætatem magno commodo Eccleſiæ uſurpatum. Actorum enim XV. *cap.* legimus habitam eſſe Synodum Hieroſolymis ſuper controverſia Antiochena, ſed ſententiam in Synodo latam habitam eſſe pro definitiva; ſæculis ſequentibus habitam eſſe Synodum Carthagine, cui Cyprianus interfuit; aliam Antiochiæ, in qua Paulus Samoſatenus condemnatus eſt. Euſeb. lib. 7. 29. aliam Romæ, in qua Marcellinus condemnatus eſt; alias item de obſervatione Paſchatis, in Paleſtina, Gallia, Græcia, Ponto, & Italia. Euſeb. lib. 5. 22. Atque in omnibus iſtis, ſententiam à Synodo latam, habitam eſſe pro definitiva. Poſt has Synodos coactam Oecumenicam Nicææ propter Arium, aliam Conſtantinopoli propter Macedonium, aliam Epheſi propter Neſtorium, alias Chalcedone propter Eutychen; atque in his omnibus ſententiam in Synodo latam, habitam eſſe pro definitiva; atque ita ſemper obſervatum eſſe in Synodis Africanis, Europæis,

Ep.103. pæis, & Aſiaticis. Noſtro item ſæculo Eccleſias Gallicam, Scoticam, Belgicam, obſervare eundem ordinem, neque contrarium exemplum dari poſſe;

Abſurdam. Hic enim modus procedendi eſt omnis boni ordinis everſio. Hactenus enim magno Eccleſiæ fructu proceſſum eſſe à Presbyteriis ad Claſſes, à Claſſibus ad Synodos Provinciales, à Provincialibus ad Nationales; hoc eſt, à minoribus conventibus ad majores. Hunc vero procedendi ordinem gradu retrogrado à Nationalibus Synodis deſcendere ad Provinciales, atque ab his ad Claſſes, & tandem ad ſingula individua. Deinde, Synodus ſignificat congregationem præſentium, neque ullius Græci ſcriptoris, vel probati Grammatici authoritate doceri poteſt, Synodum ſignificare multitudinem abſentium, inter ſe diſtantium, eorumque longe lateque vicatim & oppidatim habitantium.

Cum igitur ordo receptus habeat exemplum in verbo Dei, & ſit continua praxi veteris & recentis Eccleſiæ approbatus, ſitque hactenus utiliter ad doctrinæ & diſciplinæ conſervationem in Eccleſia uſurpatus; Contrarius vero ſit impoſſibilis, novus, nunquam in Eccleſia uſurpatus, & ſecum ferat omnium criminum hæreſeumque licentiam, atque evertat omnem bonum ordinem, nos merito antiquum approbatumque ordinem approbare, & novum iſtum, atque ante hunc diem inauditum, improbare. Ep.103.

Ad has rationes ſiluit Utenbogartius, & ſatis clare ſignificavit ſe reſpondere non poſſe. Poſtridie dixit ſe hæc argumenta cum Doctore Harminio communicaſſe: ſed neque ille vel unum verbum ad ea reſpondit; nihilominus tamen in opinione perſtiterunt. Ut igitur recte judicare poſſis, & illorum & noſtram ſententiam ſcripto comprehenſam, prout ipſis DD. Ordinibus eas exhibuimus, ſubjiciemus.

Hoc eſt, quemadmodum verbum verbo reddidimus.

Communibus votis.

Miniſtri, qui authoritate ſuarum Eccleſiarum in proxima Synodo comparebunt, debent omnes controverſias ad doctrinam pertinentes, quæ contra Catechiſmum & Confeſſionem Belgicam movebuntur, ſolummodo ex Dei verbo definire, neque ad quicquam (quantum controverſias doctrinarum attinet) quam ad Dei verbum attendere. Erit etiam cuilibet (qui in Synodo comparebit, & ſcrupulum aliquem in doctrina habet,) liberum, ſuam opinionem Synodo proponere, ſed ita, ut in omnibus cauſis quæ ad doctrinam & ordinem Eccleſiæ pertinent, ſe Synodi judicio ſubjiciant, & ut *quicquid à Synodo, vel communibus vel pluribus ſuffragiis definitum* fuerit, pro ultima & definitiva ſententia habeatur.

Suffragantibus

D. Harminio, Utenbogart,

Johanne Leo, & Everhard Botio.

Miniſtri, qui authoritate ſuarum Eccleſiarum in proxima Synodo comparebunt, debent omnes controverſias ad doctrinam pertinentes, quæ contra Catechiſmum & Confeſſionem Belgicam movebuntur, ſolummodo ex Dei verbo, *poſt debitam inquiſitionem* definire, neque ad quicquam, quam ad Dei verbum (quantum controverſias doctrinarum attinet) attendere, & debent propter iſtum finem ab obligatione iſtorum ſcriptorum durante hac inquiſitione & judicio ſoluti eſſe. Erit etiam cuilibet, qui in Synodo comparebit, & aliquem ſcrupulum in doctrina habet, liberum, *in legendis & expendendis iſtis ſcriptis (quod factu neceſſarium eſt)* ſuam aut Eccleſiæ à qua miſſus eſt, opinionem Synodo proponere. Sed ita, ut in omnibus cauſis quæ ad doctrinam & Eccleſiæ ordinem pertinent, ſe judicio Synodi (*per quam, non ſolum deputati Miniſtri, ſed etiam deputantes intelligendi ſunt*) ſubjiciat, & ut quicquid *ita* definitum fuerit, pro ultima & definitiva ſententia habeatur.

Altera controverſia eſt, an Miniſtri debeant à ſubſcriptione, qua Catechiſmo & Confeſſioni Belgicæ ſubſcripſerunt, ſolvi & liberari. Illi reſponderunt, quod ſic; idque propterea, quod durante iſta obligatione, nemini ſit licitum doctrinam iſtis ſcriptis comprehenſam oppugnare, neque contra illam pronunciare. Nos vero reſpondimus, quod non; & oſtendimus hæc ſcripta non eſſe normas, neque regulas noſtræ doctrinæ, ſed ſolummodo eſſe vincula ſocietatis & unitatis; addimus, nos non teneri ullis ſubſcriptionibus, niſi quatenus iſta ſcripta cum Dei verbo congruunt; doceri nos Samoſatenorum exemplo in Polonia, quid ejuſmodi prætextibus quæratur; itaque non poſſe ſuffragari, ut Miniſtri ab iſta obligatione liberentur; præſertim cum (ſi hic modus procedendi, quem illi urgent, recipiatur) futurum ſit, ut in univerſum omnes Miniſtri de his controverſiis ſint judicaturi, ac proinde in univerſum omnes ab hac obligatione ſolvendi & liberandi. Jam vero, ſi controverſiæ non poſſent finiri, vel non poſſent brevi tempore finiri, (quod iſto novo procedendi modo eſſet impoſſibile,) fieri non poſſet, quin vinculum & conjunctio Eccleſiarum noſtrarum plane rumperetur. Ne tamen vel illorum vel aliorum conſcientiis ullum ſcrupulum

Ep. 104. injiceremus, neque vinculum Eccleſiarum ſolveremus, mediam viam tenere voluimus, & pronunciavimus omnes controverſias ex ſolo Dei verbo definiendas eſſe; addidimus, cuilibet fore liberum (ſi quid contra doctrinam receptam haberet) hoc ipſum Synodo proponere, & arbitramur hoc moderatis ingeniis ſufficere debere. Quod vero illi addunt [*poſt debitam inquiſitionem*] & [*in relegendis & expendendis ſcriptis, quod omnino fieri debet*] & [*ita,*] hoc nos propterea approbare noluimus, quod metuimus, ne ſub his latebris reviſionem occultarent.

CIV.

W. MELVINO

JACOBUS ARMINIUS
JOANNES UYTENBOGAERDT

Salutem plurimam in Chriſto.

Criminationum Sibrandi purgatio.

REverende & Clariſſime vir: Paucis abhinc diebus ex Anglia ad nos tranſmiſſum fuit exemplar, cum literarum quas D. Sibrandus Lubberti Kal. Jul. ſuperioris anni ad tuam dignitatem Franckera dedit, tum cujuſdam ſcripti iiſdem literis à D. Sibrando adjuncti, quibus controverſiam quandam inter nos ſuper forma & modo habendi in hiſce Provinciis Synodum Nationalem ortam exponit, & ſuper ea T. D. aliorumque virorum doctorum judicium exquirit. Accepimus etiam ad alias exteras Eccleſias ejuſdem argumenti literas in eundem finem ab eodem ſcriptas eſſe, quæ ſi fidem invenerunt, quam illis deberi proculdubio ſibi perſuadet illarum autor, mirum ni nomini noſtro notam inuſſerint vix ullo unquam tempore delendam. Rumor quidem jam dudum fuit, ſiniſtra quædam de nobis per Eccleſias exteras ſpargi; neque enim ita ſe occultare potuit calumniæ ſpiritus, quin ex fœtore, nares noſtros vel à longinquo pervadente, perſentiſci potuerit: Calumniatorem autem ipſum & ipſam calumniam deprehendere, quia haud ita fuit facile, Deo innocentiam noſtram commendantes quievimus, ad ſuſurros obduruimus, & in patientia poſſidere animas noſtras ex ſummi Magiſtri noſtri præcepto, ejuſdem freti gratia, adlaboravimus. Jam vero viſis hiſce litteris, aliiſque ſimilibus etiam in Germaniam miſſis, ſilere amplius non licuit, ne ſilentium nobis & Eccleſiæ Dei fraudi ſit. Neque tamen in animum induximus reſpondere ad ſingula, quod facile erit ſi major nos urgeat neceſſitas: indicabimus tantum, quæ hac vice putamus utilia, idque ea, Deo duce, faciemus modeſtia, candore & conſcientia, quæ Chriſtianos & ſervos Chriſti decet.

Primum igitur per ejuſdem Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri ſacroſanctum nomen T. D. rogamus & obſecramus, ſecum pro Chriſtiana ſua ἐπιεικείᾳ, (*æquitate*) humanitate, & charitate expendat, an ſervo Chriſti (qualem autorem iſtarum literarum agnoſcimus & reveremur) conveniat conſervos ſuos, & quidem ex inſidiis, verberare, illoſque ſub vocibus ambiguis, *videntur moliri: dicuntur effeciſſe: ut quidam ſuſpicantur: ſunt etiam qui muſſitant: alii putant*, & ſimilibus, hæreſcos inſimulare, præſertim apud exteros, rerumque noſtrarum non uſque adeo gnaros; ac tandem concludere, *de his tamen nihil certi affirmare poſſum.* Ep. 104.

Deinde velimus & hoc à T. D. paulò diligentius conſiderari, an hominis ingenui ſit, ut veluti dubius & anceps aliorum ſententiam, de controverſia aliqua Theologica, vel Eccleſiaſtica, exquirens, & paratum ſe dicens meliora docentibus cedere, (quod ſe facturum literarum autor ſpondet) animum ejus quem rogat prius ejuſmodi narrationibus flectere & occupare tentet; quæ propter opinionem egregiam de rogante conceptam facile perſuaſæ non poſſunt non eundem vehementer percellere & concitare, quin & vehemens odium accendere adverſus illos, quorum ſententiæ ſe opponit: denique ita rem omnem inſtituat, ut vix ac ne vix quidem fieri poſſit, ut ille qui rogatur, jam ante prævia illa narratione perſuaſus, teterrimi monſtri quid alere contrariæ ſententiæ ſuffragatores, animo integro & non præoccupato ad quæſtionem, poſt ejuſmodi inſinuationes demum propoſitam, examinandam, diſcutiendam dijudicandamque accedat, & non ex præjudicato ſententiam ferat. Hoc autem agere literarum iſtarum autorem, ſive autores, cuivis illas inſpicienti ita planum eſt, ut quod planiſſimum. Alioqui, quorſum quæſo ſuggillationes iſtæ, de molitionibus adverſus Eccleſiarum noſtrarum doctrinam? quorſum tot capitum, quæ omnia & ſingula nos in dubium vocare velle ſuſpicionem eſſe dicit, enumeratio? præſertim quum in eo, de quo agit, Conventu, de iſtorum aliquo lis mota fuerit nulla; verum diſceptatio omnis tantum fuerit de forma & modo habendi Synodum Nationalem; & in ea diſceptatione proteſtati ſimus ſæpe, (quod etiam nunc coram Deo dicimus) nos ſententiam, quam de vera Synodi habendæ ratione & tuebamur tum & tuemur etiam nunc, dum edocti melius fuerimus, non hoc fine à nobis propoſitam, ac ſi ejus obtentu viam molitionibus, quas ſuſpicantur, ſternere conaremur; verum ex theſi tantum, & citra ullam ejuſmodi conſiderationem particularem: adeo etiam, ut (quod & aperte diximus) eandem propoſituri & defenſuri vel eſſemus vel fuiſſemus, etiam remota ſuſpicione omni futurum, ut vel unus adverſus doctrinæ receptæ articulum ullum aliquid moliatur: quemadmodum & noſtræ ſententiæ ſuffragatores habemus etiam illos fratres, quos extra omnem ſuſpicionis aleam poſi-

Ep.104. poſitos, ad illum uſque Conventum habuerunt omnes. Sed id ſperamus tandem planum faciet tum ſententia noſtra ipſa rite propoſita & expoſita, tum rationes & argumenta quibus eandem adſtruere debito ordine, modo, & loco parati erimus. Apage igitur verſutias iſtas & pias fraudes, quibus laboranti Eccleſiæ ſuccurrendum, ſi tulerit neceſſitas, non ſoli Pontificii exiſtimant.

Jam ad ipſius narrationis examen propius accedimus, in qua tot fere ſive falſitates, ſive errores, quot periodi. Ut enim in recepta doctrina Eccleſiarum aliquid mutetur, non molimur, utut hoc D. Sibrando aliiſque qui eminus conſpicientes homines arbores putant, videatur. Ut non niſi Reviſionis Confeſſionis & Catechiſmi conditione D. D. Ordines Generales in Synodum Nationalem conſentirent, neque effecimus nos, neque hoc fine effecimus, neque horſum ab Ordinibus decretum factum ut aliquid mutetur: quin potius pio, cordato, & prudenti huic D. D. Ordinum decreto (ſic pace D. Sibrandi exiſtimamus) occaſionem primam dederunt quidam ex iiſdem illis ipſis, quibus id maxime diſplicet. Si enim originem decreti & provinciam hanc noſtræ Hollandiæ reſpicias, plus quam decennale eſt, & ex alio fonte profluens, quod etiam ab eo tempore non latuit fratres. Sed quum jam abhinc biennio in eandem iverint & reliquæ Provinciæ ſententiam, in nos veluti ejus autores faba cuditur. Nihilominus tamen quum decretum hoc (noſtro judicio) pium ſit, utile & neceſſarium, autori, quiſquis ille fuerit, dedecori non erit. Vocum & rerum haud ſatis attentam conſiderationem, quam animadvertimus in eo, quod Reviſio fieri non dicitur, niſi in judiciis, ut ſententia ante lata corrigatur, prætereuntes, ad voces quas paſſim auditas narrat literarum autor ita reſpondimus, & coram Deo & ſanctis Angelis ipſius reſpondemus, nos neminem noſſe verbi Dei adminiſtrum in toto hoc Belgio, (quorum nomine & nos per Dei gratiam venire cupimus) qui in doctrina *in qua nati & educati ſumus, cujus cauſa parentes noſtri durum exilium paſſi ſunt, propter quam ſævum hoc bellum quadraginta annos ſuſtinuimus & perpeſſi ſumus*, in dubium vocare velit. Neque citra impietatem & ſummam ingratitudinem vel cogitare quis poteſt ipſos D. D. Ordines Generales, decreti iſtius autores, qui ſævum hoc bellum ſtupenda prorſus & admirabili conſtantia Reformationis Eccleſiarum ergo potiſſimum tot annos ſuſtinuerunt, quibuſque illud tanto ſanguine, fudore, ſumptibus, miſeriis denique innumerabilibus conſtitit, id velle, & quidem hoc tempore, quum poſt tot rerum diſcrimina, totque labores purioris Religionis ergo exantlatos, ejuſmodi pacis & libertatis ſpem è cœlis nobis oſtenter clementiſſimus Deus, ut ea ſi ſecundum Deum potiri pro votis detur, velut in portu navigare, quum Reſpubl. tum quæ illa vehitur Eccleſia, videantur. Illine jam pene Ep.104. victores hos laborum ſuorum fructus & miſeriarum ſuarum videre cupiant, ut doctrinæ illius mutationem inducere molientes Eccleſias inter ſe committant, & velut in portu naufragium faciant? Idque duorum vel trium homuncionum inſtinctu, qui ipſi ſi quid moliuntur, non niſi per Synodum, & quidem Nationalem, & quidem talem, in qua non pauci deputati judices ſedebunt, ſed omnium Paſtorum vota, prout D. Sibrandus narrat, audienda putant, moliuntur? Quorum igitur iſtæ voces, iſtæ querelæ ſunt? Credat T. D. illorum ipſorum eſſe qui ejuſmodi literas & ſcripta diſſeminant, quin & ex ſuggeſtu apud populum ebuccinant, totam pene Europam clamoribus complent, Eccleſias pacatas & tranquillas turbant, nulla alia re exciti quam miſera hac Reviſionis clauſula, decreto D. D. Ordinum cujus T. D. exemplar mittimus, ut ipſa quale ſit videat, inſerta. Quaſi vero novum, inauditum, & ſcelus, & quidem magnum ſcelus ſit, poſt viginti annorum & amplius, quibus totis Synodus Nationalis apud nos habita non fuit, emenſum curriculum, & varias quibus interea temporis Eccleſiæ noſtræ agitatæ fuerunt, etiam de quibuſdam Confeſſione & Catecheſi noſtra contentis, diſputationes, à repetitione, ſive Reviſione (de voce enim quæſtio nec eſt nec eſſe debet) & conſideratione doctrinæ, & proinde Confeſſione illarum Eccleſiarum, quarum Synodus habetur, negotium aggredi, & quidem non hoc fine præconcepto, ut mutatio doctrinæ inducatur, abſit; verum ut, ſicubi aliquid vel erronee, vel inconcinne, vel duriuſcule, vel non ſecundum ſanorum ſermonum ~~exemplum~~ (*exemplar*) vel unde quis ſanam doctrinam calumniandi, vel traducendi, vel infirmandi anſam arripere poſſit, (quod ejuſmodi ſcriptis accidere poſſe aſſerimus) dictum reperiatur, illud ipſum non hujus vel illius Ariſtarchi virgula cenſoria, ſed communi Eccleſiarum ſuffragio corrigatur & emendetur: quaſi denique ejuſmodi correctio in aliquibus citra ullam doctrinæ à D. Sibrando deſcriptæ mutationem, imo vero ullam de eadem ipſa dubitationem fieri nequeat. Hic profecto, ſi nobis volupe eſſet, longe alias piorum multorum voces & querelas, quas paſſim audimus, enarrare de quadam alia re, quam majorum noſtrorum duro exilio, ſanctiſſimorum martyrum ſanguine, ſævo hoc quadraginta annorum bello exterminatam & profligatam, quin imo ab incunabulis ipſis diris devotam, in Eccleſiam Chriſti introducere denuo ſive ſcientes, ſive inſcientes moliuntur quidam, aliam & quidem multo veriorem & triſtiorem cantilenam ex iis contextam T. D. audiret. Ratione tamen non carere querelas ſuas D. Sibrandus dictitat. Quænam vero illæ ſunt? *Quod ſuſpicentur quidam* (ait) *præcipua doctrina capita in dubium vocanda* (quæ & enumerat,) *quin & totam*

Ep. 104. *totam catechizandi rationem ex Ecclesiis exterminandam.*

O calumniam! Itane Sibrande frater? Omnis igitur & tantarum querelarum ratio in sola, & quidem *quorundam* tantum, *suspicione* est. Egregie! sic pergant fratres propter quorundam suspiciones, de quibus vel ille ipse illarum condus & promus nihil certo se affirmare posse fatetur, Ecclesias commovere, imbecilliores conscientias turbare, & innoxios conservos suos nullo neque rerum neque personarum habito discrimine traducere? Qui fit autem, ut nihil certi de illis affirmare possit? Quod nimirum diligenter & serio rogati declarare nos noluerimus, sed ad Synodum omnia rejecerimus. Hic singularem numerum in pluralem quum vertat D. Sibrandus, suspicionem facit non suo solius nomine literas istas scriptas: verum istud perinde nobis quum sit in hoc negotio, quærere ex autore sive autoribus lubet; Quinam fuerint diligentes illi & serii exploratores? Qui illi quos rogarunt; ubi, quando, quomodo, super quibus & qua de causa rogati? De his enim nisi loquantur planius, quomodo responsum instituamus ignoramus. Arminius aliquando rogatus de quibusdam, ita respondit, ut & facere quod illi petebant eo quo petebant modo, merito recusarit; & tamen alio quam illi proponebant modo è vestigio ad omnia & singula respondere paratus fuerit, siquidem voluissent illi qui rogabant æquissimis quas adhibebat conditionibus stare. Uytenbogardus autem, ut nullam huic inquisitioni causam dedit unquam, ita nunquam fuit sigillatim à quoquam rogatus: sed & non rogatus sponte sua in plena Synodo occasione data seipsum declaravit solus, & in alia Synodo cum reliquis Synodi membris omnibus rogatus cum iisdem respondit. Mirandum sane, & quidem valde mirandum, quum apud nos per Dei gratiam sint & habeantur judicia Ecclesiastica, & confessius multi Presbyterales, Classici, Synodales: quumque vocationem quisque nostrum suam publice & privatim, illustribus etiam in locis, qua prælegendo, disputando, concionando, consulendo pro mensura concessa à Domino obire studeat, nullique unquam conventui Ecclesiastico nos subduxerimus, eosdem autem pro muneris ratione diligenter coluerimus semper & observaverimus, neminem exstitisse hactenus, qui vel hoc vel ullius alius rei nomine litem nobis intentarit, & ad causam dicendam ordine & legitime invitarit. Quæ autem de patefactione ad Synodum rejecta addit D. Sibrandus, vel falsa sunt, vel ea attingunt quæ non nisi ad Synodum pertinent, nullibique vel proponi vel discuti quam in Synodo debent & possunt, secundum morem & ordinem in Ecclesiis nostris hactenus observatum. Sed quod sequitur, prorsus præter verum dicitur, D. D. Ordines videlicet Conventum præparatorium instituisse tum, cum viderent hac re Ecclesias graviter commoveri. Quasi vero ista quam fingit Conventus præparatorii causa fuerit. Hallucinaris Sibrande frater. Qui potuit Ecclesiarum motus ejus rei causa esse, quæ ipsa motui (quem imaginatur D. Sibrandus) causam dedit? Inspiciatur D. D. Ordinum decretum, patebit concessionem Synodi hujus evocationis, quæ eodem pæne halitu cum ista decernitur, causam fuisse: quam enim ibi decernunt Ordines Ministrorum, sive evocationem, sive convocationem præparatoriam, eandem illo ipso hoc de quo agitur Conventu præparatorio, non alio, exequuntur. Concessionis autem Synodi simulque decreti de hac evocatione, sive causa, sive etiam occasio fuit non Arminius, non Uytenbogardus, non hi vel illi rumores; sed partim vicennalis pene omnium Ecclesiarum nostri Belgii pro Synodo Nationali ab Ordinibus obtinenda instantia, (ab anno enim LXXXVI. nulla fuit habita) partim quod D. D. Ordines ipsi ad convocationem Synodi, quam sibi, ut summo in hisce Provinciis Magistratui, pro autoritate à Deo concessa deberi expressis verbis edicunt, profiliire noluerint, nisi auditis prius quorundam Theologorum suo arbitratu evocandorum consiliis, super forma & modo Synodi habendæ; quo auditis horum & illorum de eadem forma sententiis, diligenterque pensatis omnibus, ejusmodi peragendæ Synodi tantopere, & tanto tempore exoptatæ viam inire possent in timore Domini, quæ omnium videretur optima, & statui Ecclesiarum nostrarum convenientissima, undeque speratum fructum per Dei benedictionem expectare liceret. Quid? motuum, qui vel finguntur, vel illorum ipsorum, qui de illis dolent, susurris & fabris in Ecclesias immissi sunt, causam D. Sibrandus ipse supra rejecit in Revisionis clausulam; illinc enim voces, illinc querelas passim dimanasse conqueritur: Atqui istius clausulæ (uti dictum) & proinde motuum, quos inde exstitisse narrat, (quos tamen non tam in Ecclesiis ipsis, quam Ecclesiarum Ministris quibusdam, qui se ipsos & alios commoverunt, observare potuimus hactenus) causa illud ipsum D. D. Ordinum decretum est; causa tamen per accidens, & ex qua nulli nisi per quorundam sive inscitiam, sive malitiam motus extare potuerunt. Hæc ignorare non debuit D. Sibrandus, & forte non ignoravit: sed baculi undequaque conquirendi, ut miser vapulet Arminius, qui velut commune quoddam περγαμηνον (*purgamentum*) constitui à fratribus videtur, in cujus caput suos ipsius quisque errores conjiciat, quos ille solus luat: & si quos ictus Uytenbogardus ab illius cervicibus modesto & vero innocentiæ patrocinio avertere studet, hos ipse, velut ejus socius, excipere cogitur.

Ep. 104.

Progreditur porro D. Sibrandus ad quæstiones in Conventu præparatorio motas, quas recenset; at non recte, sive quæsita ab ipsis

D. D. Or-

Ep.104. D. D. Ordinibus conceptis verbis propoſita ſpectes, ſive etiam quæſtiones quaſdam obiter & per occaſionem tantum delibatas conſideres, ſive etiam concluſiones examines. Conveniſſe enim inter nos etiam de iis dicitur, de quibus vix diſputatum: quod ut perverſo animo factum nequaquam putamus, ita incuriam illius in toto hoc negotio recenſendo ſine nota dimittere non poſſumus, & tantam quidem, ut ſuæ ſententiæ aſſeclam unum Joannem Leonem nobis adnumeraverit, aliumque qui vere nobis ſuffragabatur expunxerit. Sed hoc, quia exiguum, prætereuntes, ad illam quam ſe obſcuriorum explicationem addidiſſe ait, reſpondemus; nos D. Sibrandum ſermonum noſtrorum interpretem nolle, noſque ipſius gloſſematis & explicationibus nequaquam ſtare, quod potius implicet noſtra quam explicet, ſtatum quæſtionis haud recte proponat, & pleraque præter mentem noſtram omnino pervertat. Præterea rotundis verbis edicimus, totam illam tam ſpecioſe & ſplendide ad ſuæ ſententiæ defenſionem, noſtræque depreſſionem fucatam & phaleratam in ſcripto adjuncto orationem, qua & quid nos, & quid reliqui fratres dixerimus, reſponderimus, ſiluerimus, &c. narrat, præſertim autem operoſam illam impoſſibilitatis, impietatis & abſurditatis, nunquam vel ab illis, uti recenſetur, prolatam, vel à nobis auditam, ſed longo tempore poſt excogitatam, natam & educatam demonſtrationem: ut & illud de noſtro reſpondendi ad quæſita impotentiam arguente ſilentio, eademque non obſtante in ſententia perſtandi pertinacia, totam illam, inquam, hiſtoriam, uti narratur & contexitur, fabulam dicimus & Sibrandiani cerebri commentum. Neceſſitati dictum illud urgenti venia concedatur. Singula non negamus, quædam enim eorum quæ narrantur, ingenue agnoſcimus: verum quia pleraque adſuuntur falſa, quædam tum temporis non dicta, quædam non ſuo loco collocata, neque ad iſtas quas dicit quæſtiones reſponſa, quædam non eo quo narrat modo propoſita: quia etiam ſententia noſtra non noſtris verbis enunciata, non recte prolata, argumenta & quidem gravia à nobis in ſententiæ noſtræ confirmationem producta tacite præterita, omiſſa, alto ſilentio obruta ſunt, omnem iſti ſcripto ita & ad eum modum coagmentato fidem detrahere cogimur. Et quis quæſo ſcriptum illud vel obiter introſpiciens fucum non deprehendat, & protinus videat horſum omnia tam artificioſe fabrefacta & concinnata, ut ſuæ ſententiæ quantum poteſt plauſibiliter propoſitæ T. D. & alios ſuffragatores faciat, alterius vero, quam perverſe & inutile propoſitam ne unico quidem argumento fulcit, cujuſque patronos prorſus elingues fingit, condemnatores? Hæc ſufficere poſſent, niſi viſum eſſet ad pleniorem rei intelligentiam totius hujus negotii ſeriem veram ab ovo quod aiunt, per epitomen tamen, ſubnectere, obnixe rogantes, ne ſi Ep.104. prolixiores æquo fuerimus, ægre id ferat T. D. verum quod hic peccabitur, illis imputet, qui hanc ſcribendi neceſſitatem, qua ſupereſſedere alioqui maluiſſemus, nobis impoſuerunt.

Eccleſiæ omnes Belgicæ, poſt viginti fere annorum ſæpius iteratas ſupplicationes pro habenda Synodo Nationali, tandem ejus convocationem obtinent, ſecundum hoc cujus exemplum T. D. tenet, decretum. Eædem ut hanc Synodi convocationem, ex eodem decreto, non niſi auditis quorundam Theologorum ſuper ejuſdem Synodi modo & forma conſulendorum ſententiis, futuram, promoveant, horum evocationem unanimiter apud D. D. Ordines urgent & impetrant. Hinc Ordinum eorundem literis & mandato evocati ex ſingulis provinciis Paſtores bini, præter Profeſſores, Hagam conveniunt, ubi frequentiſſimo D. D. Ordinum conſeſſu ex illorum ipſorum manibus octo articulos formam iſtam concernentes accipiunt, in hunc finem, ut deliberatione inſtituta de iis quiſque ſententiam dicat ſuam. Convenitur, & ipſo deliberationis initio duo unanimiter ſtatuuntur à fratribus, unum (quod notare T. D. dignabitur) nulla hujus conventus acta pro autenticis habenda, præter illa ipſa quæ ſub finem conventus ſcribo comprehenderentur communi, ſingulorum fratrum ſubſcriptione roborata. Alterum, adlaboraturos quidem omnes ut reſponſum & conſilium concors ſuper articulis propoſitis D. D. Ordinibus detur; verum ſi forte id obtineri non poſſet, nemo tamen ſuffragiorum pluralitate preſſus aſſentiri cogeretur iis quæ minus animo probaret, ſed ſententiam quiſque ſuam, quantumvis ab aliis diſcrepantem, proponeret. Utrique ſtatuto ſua fuit ratio, & quidem poſtremo iſta, quod ad conventum hunc veniſſemus non ut ab Eccleſiis deputati, ſed ut à Magiſtratu perſonaliter evocati, idecque perſonalia conſilia daremus tantum, non decreta cuderemus, quibus Eccleſiæ vel ullus alius obſtringerentur. His ita conſtitutis; ad deliberationem invocato Dei nomine accedimus, & conſenſus ſit tandem in omnibus, tribus potiſſimum exceptis; quorum primum fuit de judice controverſiarum in doctrinæ negotiis, ſi forte quæ inciderent, an videlicet paucorum miniſtrorum ſit, ab Eccleſiis delegatorum, controverſias de doctrina peremtorio judicio definire, (Epiſcopos enim à Presbyteris in Eccleſia etiam docentibus diſtinctos, quique non ut delegati ſed ſuo jure in Synodis comparere, vel ſi adeſſe non poſſent ipſi, Presbyteros locum ſuum occupaturos mittere ſolent, non habemus, ſuntque deputati iſti tam pauci numero, ut ne exigua quidem ex parte Epiſcoporum, prout fuit antiquitus, numerum æquare poſſent) an vero, antequam id judi-

Digitized by Google

Ep.104. cium cujus omnes miniſtri (ni loco cedere malint) ſtare & cadere tenebuntur, fiat, etiam delegantes miniſtri, qui nempe deputatos iſtos delegant & mittunt, & veluti illorum principales ſunt, de controverſia mota inſtruendi, audiendi, & illorum quoque ſuffragia exquirenda ſint. Alii fratres, & quidem numero plures, priori, nos pauciores poſteriori ſententiæ ſubſcripſimus. Delegati ſiquidem illi vel poteſtate abſoluta & nullis limitibus circumſcripta ad Synodum mittendi erunt, ut de rebus doctrinæ forte in Synodo agitandæ, omnia ſtatuant & decernant pro arbitrio conſcientiæ ſuæ, quod nos ut iniquum, abſurdum, & præter Eccleſiarum noſtrarum morem hactenus obſervatum rejicimus: vel poteſtate adſtricta ad delegantium mandata. Si hoc, in hanc vel illam partem de doctrina propoſita, & nunquam ante œcumenice deciſa eorum, à quibus miſſi ſunt, nomine, quorumque perſonam ſuſtinent, definire non poterunt, niſi mandatum de ita judicando habeant; quod ut tuto & certa conſcientia dari poſſit, controverſiam totam à delegantibus ipſis primum cognoſcendam, examinandam & dijudicandam putamus, quo ſingulorum judiciis per ipſos delegatos, (quod vel in rebus minoris momenti, adiaphoris & ordinem modo aliquem ſpectantibus ſæpius factitatum eſt) ad Synodum relatis, & inter ſe collatis, res tota vocum pluralitate per eandem definiatur. Et hæc quidem ſententia illa noſtra eſt, quam D. Sibrandus impoſſibilitatis, impietatis & abſurditatis damnat; facile tamen à triplici iſto crimine, ſi audiri patienter coram æquo detur judice, vindicanda: vel potius non eſt; illa enim quam noſtram indigitat noſtra non eſt, ſed ab ipſo D. Sibrando ferruminata. Altera controverſia fuit de norma ſecundum quam judicari debeat, de qua ita quæſivere D. D. Ordines; an ad Synodum deputandi non debeant obligari ut libere ſententiam ſuam dicant, & nulli rei alii quam unico Dei verbo obſtrictos ſe teneant? Verba Belgica ita habent; *Of de gedeputeerde ter Synodaler vergaderinge, niet en behooren verplicht te werden, vrymoedigh haer meeninge te verklaren, ſonder hun anders als aen Godts woort verbanden te houden?* Nos exiſtimavimus, ad iſtam quæſtionem citra ambages reſponderi debere ore rotundo, Ita. Verum id non placuit fratribus, qui quidem verbum Dei eſſe dijudicandarum de doctrina controverſiarum normam & regulam non negarunt, (quî audeant?) nihilominus neſcio quid monſtri latere ſub iſta quæſtione D. D. Ordinum ſuſpicantes, antequam reſponderent, hanc aliam quæſtionem ulterius nobis moverunt ipſi, an nimirum judices controverſiarum de doctrina ita ad verbum Dei adſtringendos exiſtimaremus, ut non liceret ſimul etiam ad Confeſſionem Eccleſiarum noſtrarum reſpicere, quam alter normam ſecundariam vocitabat, alter aliis elogiis, quæ tacere quam referre malumus, ornabat. Nihil Confeſſionem quidem agnoſcere & recipere nos pro conſenſus formula reſpondemus, at non pro norma ſenſus: & proinde, ſi vel illa vel aliqua ejus pars aut particula ſub diſputationis incudem forte veniat, in hoc judicio illam nullo modo reſpiciendam, ſed ſententiam etiam de illa ex ſolo Dei verbo ferendam; quod ut facere libere poſſint judices, à ſubſcriptione qua illi obſtricti ſunt, durante tantum iſto actu judiciali & non ulterius, eſſe ſolvendos; hac etiam à nobis adhibita cautione expreſſa, ut interea, dum huic examini & judicio intenti erunt, nemini liceat, neque in Eccleſia, neque in Academia, neque privatim, neque publice quicquam proferre quod illi Confeſſioni contraveniat. Fratres ſecus ſtatuerunt. Tertia (quam neſcimus quo conſilio D. Sibrandus omiſerit) fuit de Reviſione ipſa Confeſſionis & Catechiſmi Eccleſiarum noſtrarum ab Ordinibus decreta, de qua quidem nihil rogarunt D. D. Ordines, verum fratres quidam occaſione uſi voluerunt ut D. D. Ordinibus unanimiter ſupplicaremus pro iſtius clauſulæ omiſſione, multis ad hanc rem allatis rationibus: quæ quum nobis minus probarentur, illinc quia refutatu faciles, hinc quia in contrariam partem adductæ validiores viderentur, quæſtio de ipſius Reviſionis orta neceſſitate, quam nos D. D. Ordinum hac de re facto decreto ſuffragantes adſtruebamus, reliqui vero Synodi ipſius judicio permiſſam volebant. Tandem, quia fratres ſcandalum, quod ex iſtius clauſulæ in literis convocatoriis Synodi ſuo tempore emittendis inſertione metuendum dictitabant, identidem occinere non deſinerent, nos de re ipſa magis quam de formalitate, quam vocant, ſolliciti, in omiſſionem clauſulæ facile conſentimus, modo id citra Rei, id eſt, Reviſionis ipſius, quam omnino arbitrabamur & arbitramur etiam nunc neceſſariam, omiſſionem fieret: quod ipſum quia Fratribus diſplicuit, etiam hic in diverſas itum ſententias. Et hæ quidem fuerunt controverſiarum illarum occaſiones & capita. Ep.104

Omnibus recollectis ſcriptum concinnatum eſt, omnium qui aderant manibus ſignatum, quo ſententiæ tum concordes tum diſcrepantes comprehenſæ Illuſtriſſimorum Ordinum Ampliſſimo Conſeſſui oblatæ fuerunt, addita declaratione, paratos eſſe nos ad ſuarum Celſitudinum juſſionem ſententias noſtras ſcripto iſto breviter & ſtrictè comprehenſas latius explicare, rationibuſque quibus utrinque niterentur munire: quibus benignè ab Ordinibus auditis & acceptis, & conventu ſoluto, datis amice & fraterne dextris quiſque domum ſe recepit.

Nos rationes noſtras apologetico ſcripto comprehenſas jam dudum paratas habuimus, illudque ut calumniis quibus præter jus & fas propter conſilium datum nos peti ſentiebamus, mature iremus obviam, D. D. Ordinibus Hol-

Ep. 104. Hollandiæ, quorum paremus imperio, quique ſuis nos literis ad conventum iſtum evocarant, indicari curavimus, & in eo conquievimus. Fratres autem noſtri quid? D. D. Ordinibus, quorum proprium eſt hoc negotium, nobiſque, quorum petuntur nomina, inſciis, Acta illius conventus pro lubitu contexta mittunt ad Eccleſias exteras, eaſdem ſuper controverſiis motis, ſtatu earum non probè poſito, conſulunt: in ſpeciem quidem, ut illarum, velut neutri parti addictarum, ſententias exquirant, melioraque docentibus obtemperent; ſed revera, ut illas ſuæ ſententiæ ſpecioſiſſimè propoſitæ ſuffragatores habeant, numero nos premant, autoritate gravent, Magiſtratui & Eccleſiis præjudicent, & ita Synodum qualem illi volunt obtineant. Præpoſterus profecto & iniquus agendi modus, non componendis ſi quæ ſunt, ſed acuendis litibus, quin & turbandis paſſim Eccleſiis, non exædificandis, accommodus, in nos denique fratres & ſymmyſtas ſuos multis de cauſſis injurius. Ad conventum iſtum vocati & juſſi à ſummo Magiſtratu noſtro, venimus: ſententiam ſuper quæſitis ſecundum conſcientiam diximus: munire illam rationibus, & illorum qui rogarunt judicio permittere, parati fuimus & etiamnum ſumus, uſque adeo, ut ſi excuſſis & examinatis rationum momentis noſtram ſententiam ut pravam rejecerint, fratrum autem noſtrorum ut probam amplexi fuerint, nos propterea refragatores pertinaces habituri non ſint. Quid hic quæſo à nobis peccatum, quod dicam quam nobis ſcribit D. Sibrandus mereatur? Quid hic magni quod exteras Eccleſias fatigare cogat? Quod ſi nihilominus omnino neceſſum putarunt illas conſulere, quin hoc primum Ordinibus tanquam quæſitoribus primis, dein & nobis, ut alterius ſententiæ aſſeclis, indicarunt, quo ſtatu controverſiæ ex communi diſſentientium fratrum conſenſu probè expoſito, Ordinum ipſorum (ſi tanti hoc negotium habere voluiſſent) auctoritate & nomine quæſtiones inſtitutæ accuratius dijudicari potuiſſent? Hoc ſi non placuit; quin illud operam dederunt, ut ſaltem in ſtatu quæſtionis partes diſſidentes convenirent primum, ne ſi unius partis judicio ſecus quam ſe habet res ab altera proponeretur (quod jam factum eſt) Andabatarum more pugnaretur? Quod ſi nec illud voluerunt, quin iſto quod Ordinibus oblatum, manuum noſtrarum ſubſcriptione firmatum & utrinque authenticum habetur, ſcripto tranſmittendo contenti fuerunt? Vel ſi iſtud ſcriptum omnino explicationis latioris indigum exiſtimarunt, quin ſuis ſuas addiderunt, noſtris noſtras reliquerunt, aut potius diſtulerunt, dum rationes, quas jam ante ſex menſes in promptu habuimus (ut norunt) earum offerendarum juſſa tantum exſpectantes, additæ, ſententiam noſtram planiorem & dilucidiorem reddere potuiſſent? Si verò nec hoc aut nobis aut cauſæ concedendum putarunt, ſaltem nova & nobis antea non viſa acta fabricanda non fuerunt, quibus fidem adſtruere, niſi forte ex privatis ſchedis, quum potis non ſint, iiſque memoriæ cauſa ſigillatim congeſtis, quin eandem fidem & noſtræ merebuntur? Quæ ſi aliquando in lucem proferendæ erunt, tum demum quantum diſtent æra lupinis conſtabit. Quod ſi verò & hic genio tibi indulgendum ſuo cenſuit D. Sibrandus, cur nominibus noſtris non pepercit, cur ab injuriis non abſtinuit, cur tam multa ab hoc negotio aliena inſarſit? Denique quid opus fuit horum vel illorum ſive authoritate apud exteros fulgentia, ſive quorundam aſtu odioſa reddita, ſive etiam minus nota nomina, vel etiam numerum ab hac & illa parte ſuffragantium exprimere, multo minus quid hic, quid ille, ſive Sibrandus ſit, ſive Arminius, ſive Fontanus, ſive Utenbogardus dixerit vel tacuerit, odioſe ſugillare? Eia, Chriſtani ſumus, Fratres ſumus, conſervi & Symmyſtæ ſumus, unius ejuſdemque Euangelii præcones & adminiſtri, qui ſi aliqua in re ſententiis diſſentiunt, non propterea diſſeparantur animis, multo minus mutuis certare odiis, in partes abire debent, & ſchiſmata. Longè ſecus igitur inſtituenda fuit tota illa actio, alioqui facile noſtro judicio componenda; modo ſemotis præjudiciis, quæ domo allata in Conventum iſtum, heu! nimium multa, quod vidimus & doluimus, illata fuerunt, res cum re, cauſa cum cauſa conferatur, ſecundum verbum Domini, & ad veram corporis ipſius exſtructionem. Ep. 104.

Quæ quia obſervata non ſunt iſta de quibus agimus epiſtolâ & ſcripto, jure merito, & quidem obnixe, T. D. oramus & obſecramus, illis ne fidem habeat, neque quod nobis cauſæque noſtræ nocere poſſit nobis inauditis reſpondeat; aut ſi forte illorum, quibus iſta perſcribere libuit, authoritatis, eruditionis & pietatis opinione abrepta, contra vero ſiniſtrâ de nobis exiſtimatione imbuta jam reſponſum dederit ejuſmodi, quod noxam adferre queat, id ipſum velut non dictum, non ſcriptum habere dignetur; Confeſſione enim (quod dici ſolet) non rite peractâ inutilis abſolutio. Interea vero illud ipſum reſponſum, qualecunque illud ſit, nobis ingenue communicare ne gravetur, ut de eo certi quid (varii enim rumores ſunt) conſtare nobis è veſtigio, melioribus cedere paratis & id ipſum in lucro deputaturis, queat: denique judicium ſuum T. D. eo uſque ſuſpendat, dum quæſtione tota partium conſenſu debite comprehenſa, rationibuſque ad utriuſque ſententiæ confirmationem adhibendis accurate expenſis, judicium magis exactum adferre poſſit. Hoc inpræſentiarum à T. D. petimus, oramus, obſecramus. Ad farraginem autem iſtam argumentorum ab impoſſibili, impio & abſurdo ductorum non reſpondemus jam, ſed reſpondebimus

Ep. 105. nus loco & tempore convenientibus, ne dimidiatim & fruſtratim (quod D. Sibrandus fecit) rem tractantes, nobis laborem inutilem accerſamus, T. D. moleſtiam creëmus, & litem ex lite ſeramus, quod nolumus, adverſus illos præſertim, quibuſcum in veritate pacem colere & pacificè in domo Domini verſari ad extremum uſque ſpiritum decretum eſt. Hæc ſufficerit hac vice nominis ac miniſterii noſtri, tam opere per totam Europam volitantibus fratrum literis ſine cauſa infamati, aliqua ſaltem ex parte vindicandi gratia neceſſario ſuſcepta defenſio; cui ſi locum aliquem T. D. quum apud ſe, tum apud alios viros doctos cum quibus D. Sibrandus ſua conferri voluit, conceſſerit, erit quod nobis gratulemur: ſin minus, in Domino, cui conſcientias noſtras facile adprobabimus, conquieſcentes, & ab ejus bonitate eventum qualemcunque dare placuerit ſecure expectantes, hominum judicia & humanum diem cum ſanctiſſimo Apoſtolo eo quo decet loco habebimus. Ut autem hic epiſtolicæ narrationi noſtræ fidem quantam abſentes poſſumus, bonæ conſcientiæ argumento adſtruamus, permittimus T. D. ut exemplar harum literarum ad D. Sibrandum tranſmittat, imo vero ut id ipſum faciat ſerio rogamus; quod nos quidem ut viciniores leviori opera præſtare poſſemus, at certis de cauſis conſultius arbitrantes ut per T. D. ipſi innoteſcat reſponſio noſtra, hoc ipſum petere veriti non ſumus: nihil tamen præſcribimus, ſed tuæ prudentiæ totum hoc permittimus.

Vale Reverende & Clariſſime vir: Dominus Jeſus T. D. ab omni malo tueatur, S. S. ſuis donis magis magiſque locupletet, & ſanctis laboribus tuis cumulatiſſime benedicat ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ædificationem. Hagæ-Comitis 13 April 1608.

Hac eadem epiſtola mutatis mutandis ad D. Paræum miſſa eſt.

C V.

CONRADO VORSTIO

JACOBUS ARMINIUS

Salutem & bene per Chriſtum agere P.

Theologica. VOlupe mihi fuit, vir Clariſſime idemque doctiſſime, legere Apologiam tuam oppoſitam Theſibus Jeſuitarum, quibus Credo, ut ipſi loquuntur, Calviniſequarum explicant: & pro iſta miſſa & donata gratiam habeo; referrem etiam, ſi quod eſſet in mea bibliotheca literarium munus, quo compenſare poſſem; at nihil dum in lucem emiſi præter theſes in Academia noſtra diſputatas, nec quidpiam eo uſque affectum habeo, ut prodiem adſpicere lucem poſſit. Meditor tamen, & totus in hoc ſum, ut nonnulla vel non latis vere, meo judicio, pertractata explicem, & cum viris doctis (in quibus & tuum nomen inter prima eſt) communicem. Jam vero quia petis, ut ſicubi offendere putem apologiam tuam, de eo fraterne te monere non negligam; non poſſum non tam juſtæ & amicæ petitioni obſecundare, ut ex iſta alternata collatione ipſi inſtruamur, & veritas magis enitеſcat. Tu boni conſules libertatem, quam me perpetua quædam naturæ inclinatio uſurpare compellit in collationibus de veritate inſtitutis. Inprimis quod fol. 40. & 41. de præſcientiæ Dei certitudine ejuſque cauſa profers, non uſquequaque placet. Hanc dicis eſſe actum aliquem voluntatis Dei, ſeu decretum & prædefinitionem divinam, hoc argumento; quod nihil certo futurum ſit, niſi quod certam & immutabilem ſui cauſam habet; præſupponis autem nihil certo præſciri poſſe niſi quod certo futurum eſt: hoc vere; niſi quod particula (*certo*) hic ſuperflua videtur. Nam certitudo eſt affectus mentis ſeu qualitas ſcientiæ, non qualitas ſeu affectus entis vel eventus; ita ut certitudo ipſi futuritioni vel tantillum addat. Quod enim futurum eſt, id futurum eſt vel contingenter vel neceſſario, vel mutabiliter vel immutabiliter; & non poteſt eſſe præſcientia certa niſi rei futuræ, ſive iſto ſive hoc modo: unde quum certitudo non ſit eventus, neque cauſæ eſt; quia eventui per cauſam competeret. Itaque & in probatione non recte dici videtur, niſi quod certam cauſam habeat. Argumentum vero ipſum mihi infirmum eſſe videtur. Nam vere futurum eſt id etiam quod cauſam mutabilem ſui habet, modo cauſa mutari potens non mutetur actu dum cauſat. Notum quidem eſt illud Urſini; *Præſcientiam immutabilem neceſſe eſt niti immutabili cauſa, & , nulla eſt cauſa immutabilis præter voluntatem divinam:* Verum in eo liceat mihi animadvertere, præſcientiam non recte dici immutabilem; quia id rei ſeu eventui competit; at dicendam eſſe infallibilem. Hæc vero nititur cauſa infallibili, non rei præſcitæ, ſed præſcientiæ, nempe infinitate ſcientiæ divinæ. Cauſa vero rei, ſive illa mutabilis ſive immutabilis, contingens vel neceſſaria ſit, præſtat tantum objectum præſcientiæ, quæ porro internam cauſam habens, eamque immediatam circa qualemcunque eventum, non fallitur ob infinitatem & excellentiſſimam ſupereminentiam ſcientiæ divinæ. Argumenta quæ id ſuadent inter alia hæc ſunt. 1. Ordo inter ſcientiam, ſeu potius intellectum & voluntatem divinam. Ille prior eſt, hæc poſterior; ergo hujus effectio non eſt cauſa operationis propriæ illius. 2. Attributum infallibilitatis ſeu certitudinis, quod ſcientiæ divinæ proprium eſt, neque voluntati ejus, neque volitioni, neque rei volitæ conveniens. Poteſt quidem decretum Dei facere ut res exiſtat ſive neceſ-

Ep.105. neceſſario ſive contingenter, & ea ratione ſcibilis ſit; at vero ut ab intellectu ſciatur vel præſciatur non facit decretum, multo minus ut infallibiliter ſciatur vel præſciatur. 3. Nulla erit laus ſcientiæ divinæ, ſi infallibiliter præſciat omnia, eo quod ipſe immutabiliter ea facere decrevit, aut ſic adminiſtrare ut immutabiliter aut neceſſario fiant. Sic omnis laus immutabilitati voluntatis & irreſiſtibilitati omnipotentiæ tribuetur. 4. Sic Dei præſcientia ab humana non niſi ſecundum plura & pauciora objecta differet, prout voluntas & potentia Dei ad plura objecta ſe extendunt quam humana voluntas & potentia: modo vero conveniet: quia & homo præſcire certo poterit, quod ipſe decrevit facere, ſi nempe non intervenerit impedimentum. 5. Si iſta eſt cauſa infallibilis præſcientiæ divinæ, tunc fatum introducitur Stoicum, id eſt, connexio cauſarum inter ſe inſolubili nexu conjunctarum, qua fit ut omnia neceſſario exiſtant & fiant, quo præſciri à Deo poſſint: additio cauſæ, quod illa connexio ſit à Deo, non excuſat ſententiam illam à Stoiciſmo; quia veriſimile non eſt, Stoicos ita delipuiſſe, ut putaverint Deum alligatum eſſe ulli connexioni cauſarum, cujus ipſe author non fuerit. 6. Et propterea tollitur libertas arbitrii, quæ in eo conſiſtit, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis agere poſſit vel non agere, agere hoc vel aliud. 7. Tollitur contingentia omnis. Nam dicere, aliquid eſſe contingens & neceſſarium ſimul, diverſarum cauſarum reſpectu, abſurdum eſt. Contingens enim & neceſſarium integris eſſentiis differunt, non reſpectibus, & dividunt totam entis amplitudinem; quare coincidere in idem ens nequeunt. 8. Si illa eſt cauſa præſcientiæ, tunc Deus non præſcit mala; quia illa non ſunt à cauſa immutabili, alioquin in culpam imputari non poſſunt. Quod dicitur, Deum eſſe cauſam actus cui adhæret peccatum, & ſic peccatum propter actum habere cauſam immutabilem; non eſt ſolvere argumentum, ſed incidere in idem abſurdum. Permiſſio peccati, ſi ſit per ſublationem vel negationem gratiæ neceſſariæ ad vitandum peccatum, recidit in efficacitatem, & ſic eidem abſurdo affinis eſt. Sequitur ergo, præſcientiam Dei eſſe infallibilem propter infinitatem ſcientiæ ipſius; quam veritatem capere poteſt mens humana; at modus quo id verum eſt, ſoli Deo notus eſt. Quia vero nos nullo alio modo præſcire quid certo poſſumus, niſi propterea quod id à cauſa immutabili dependet, hinc à modo noſtræ certæ præſcientiæ concludimus modum præſcientiæ divinæ: at male: quia niſi ille toto genere differat, & nihil analogum habeat præſcientiæ humanæ modo, divinus non eſt. Scientia quidem humana analoga eſt divinæ; at modus ſcientiæ divinæ prorſus eſt ſupereminens. Secundo, nec illud placet uſquequaque, quod dicitur pagina 46. *Deum punire peccata peccatis*, & quod aliquid diverſo reſpectu & pœnæ & peccati reſpectum habere ſoleat; utitatum quidem illud eſt, at accurate examinatum vix verum eſſe deprehendetur. Quia pœna habet rationem involuntarii, & peccatum voluntarium eſt; peccatum eſt actio peccantis, pœna eſt paſſio ejuſdem; per pœnam redigitur peccatum in ordinem, at peccatum eſt ipſa ſumma inordinatio; per pœnam inquam, non reſpectu tantum, ſed re, & ſubjecto, id eſt, integra eſſentia differentem à peccato, ſeu malo culpæ. Metonymiam intervenire oportet, ut illa phraſis ſalvetur, qua id quod eſt pœnæ meritorium, & ad peccatum præparatorium, pœna & peccatum dicetur. Sic excæcatio, quæ eſt à Deo, pœna eſt, non peccatum, quamquam inde exiſtat aliud peccatum pœnæ majoris meritorium: at excæcatio quæ eſt ab homine, qua homo ſibi ipſe excæcat oculos, peccatum eſt; & ab hac actione hominis & actione Dei exiſtit unum apoteleſma, quod dicitur excæcatio paſſiva, quæ non eſt peccatum, ſed pœna & cauſa peccati, pœna præcedentis, cauſa inſequentis per remotionem prohibentis. Punit Deus adulterium Davidis per inceſtum Abſolomi; at hoc iſtud dictum dicere non vult; notum enim eſt, Deum punire unum hominem per actum alterius, qui ab iſto ſine peccato non perpetratur. Tertio, quæ foliis 190. 191. 192. de phraſi iſta *Deus de Deo*, & quæ folio 309. de ἀυτοθεῳ (*Deo à ſe*) dicuntur, probare omni modo non poſſum. Nam ſi verum eſt Chriſtum eſſe Deum, & illum Deitatem ſuam à Patre habere, quod eſt veriſſimum, ſequitur Chriſtum eſſe Deum de Deo. Dei enim vox concreta eſt, & notat perſonam habentem Deitatem univerſe, citra ſingularem rationem modi, quem habet, qualem modum Patris & Filii voces in ſe complectuntur; Pater enim eſt Deus à nullo habens eſſentiam, Filius à Patre. Et propterea non videtur mihi ulla ratione Filius dici poſſe αυτοθεος, ſi ea vox ſignificet Deitatem à ſeipſo habere. Nam à ſeipſo Deitatem habere eſt contrarium definitioni Filii; at nullus reſpectus poteſt in rem cadere ejus definitioni contrarius. Neque inde ſequetur, diverſos, aut inæquales fore quoad eſſentiam; nam eſſentia utriuſque una eſt eademque; verum differunt Pater & Filius modo habendi, qui modus habendi ſignificatur hiſce verbis, à nullo habere, ab alio habere. Neque ſequitur, ſi eſſentia Filii à nullo eſt, ergo Filius qua Deus eſt à nullo. Eſſentia enim de Filio nonniſi in obliquo caſu prædicatur. Scio hæc ſic diſtincte proponi: Filius, quà Deus, à nullo eſt, ſeu à nullo habet eſſentiam divinam; at qua Filius, habet ab alio, nempe à Patre. Sed dico, Deum & Filium non eo modo inter ſe eſſe affecta, quo, ab alio, & à nullo habere; hæc enim contraria ſunt, illa conſentanea & ſubordinata. Quod ut intelligatur, planius ponantur hæc tria. Habere eſſentiam divinam,

Ep.105. à nullo habere, ab alio, nempe à Patre, habere. Habere eſſentiam divinam, eſt Dei: habere à nullo, Patris eſt; habere à Patre, Filii eſt. Nullo modo Filii eſt, habere illam à nullo, ideoque non poteſt Filius Dei αὐτόθεος dici iſto ſenſu. Neque puto Calvinum ſic Patrum ſententiis ſe tueri poſſe. Ego multa loca Patrum collegi prorſus contraria. Citat ille in inſtitutione Patres; at nullo citatorum locorum id dicunt Patres iſti. Puto novum id dogma eſſe & corrigendum. Videatur Beza præfatione ad dialogos Athanaſii, quomodo ille commode conetur explicare verba Calvini. De prædeſtinatione denique quod dicitur fol. 197. nempe *fidem in Chriſtum à prædeſtinatione tanquam effectum à cauſa ſua pendere*, vix Scripturis arbitror conſentaneum, eo ſenſu quo id à noſtris dicitur. Locus *Rom.* VIII. id non probat. Nam prædeſtinatio iſta eſt fidelium; fideles enim ſunt præſciti, & à Deo prædeſtinati ad conformitatem cum Chriſto; hi ipſi vocantur ad communionem cum Chriſto. Locus *Epheſ.* I. tibi adverſatur. Adoptio non niſi fide obtinetur; ergo non adoptantur niſi fideles, & per conſequens prædeſtinantur fideles ad adoptionem. Et hæc mea eſt de prædeſtinatione ſententia: illam prædeſtinationem, quæ eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis noſtræ & certitudinis de ſalute, nihil aliud eſſe, quam decretum Dei Euangelio patefactum, quo ſtatuit fideles juſtificare, adoptare & vita æterna donare, contra impœnitentes & infideles condemnare: & de hac agi *Rom.* VIII. & IX. *Epheſ.* I. illud vero decretum, tum quo Deus ſtatuit adminiſtrare media ad fidem & ſalutem neceſſaria, ſufficientia, efficacia; tum quo ſtatuit Petrum ſalvare, Judam damnare, non eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis & certitudinis de ſalute: imo hoc non eſt voluntatis abſolutæ, neque antecedentis, ſed conſequentis; utrumque autem ſequitur & abſolutam iſtam voluntatem de ſalvandis fidelibus, & illam antecedentem, & ab utroque dependet; ſed de hac re aliquando plenius ſententiam meam explicabo. Fateor quidem fidem eſſe donum Dei, & quidem donum gratuitum, & quod non eſt omnium; ſed Deum abſolute quoſdam homines qua homines elegiſſe, ut fide eos donaret, quoſdam vero reprobaſſe qua homines, eiſque fidem negaſſe, id mihi veriſimile non eſt. Hæc hactenus. De Synodo apud nos cogenda, quod audiſti, ita habet. Conceſſerunt Ordines Generales fœderatarum Provinciarum Eccleſiis hujuſmodi conventum, cui præparando habitus eſt menſe Majo conventus nonnullorum miniſtrorum ex omnibus provinciis, junctis Profeſſoribus nonnullis Theologiæ, in quo actum de modo, loco, tempore habendæ Synodi: ſed inter illos de modo conveniri non potuit: quæ diſſenſio an impeditura ſit Synodum, ignoro: dabitur opera proculdubio ut ſententiis conveniatur, & Synodus habeatur. Diſſenſerunt quatuor à tredecim, inter quos quatuor & ego ſum. Capita diſſenſionis hæc ſunt, 1. quinam Synodum conſtituant; an illi tantum Paſtores & Doctores, qui eò mittuntur ab aliis deputati, an vero deputati & deputantes, hoc eſt omnes univerſe. 2. An Confeſſio & Catecheſis in iſta Synodo revideri, & reſumi debeant, adeoque examini ſubjici. 3. An durante actu examinis & judicii, liberi eſſe debeant ab obligatione, qua per ſubſcriptionem Catecheſi & Confeſſioni obſtricti ſunt illi qui examinabunt & judicabunt; ita tamen, ut neque ante Synodum, neque durante Synodo, neque poſt Synodum, quidpiam Confeſſioni aut Catecheſi contrarium ſive in Eccleſiis, ſive in Scholis doceatur, niſi ſecus ab ipſa Synodo conſtitutum fuerit. Nos quatuor Synodi ambitu comprehendimus omnes Paſtores & Doctores; Catecheſin & Confeſſionem revideri, reſumi & examinari debere dicimus; & examinaturos judicaturoſque ab illa obligatione iſto modo liberos haberi. Diſſentiunt tredecim. Sententiæ ſunt Ordinibus oblatæ, cum pollicitatione rationum quæ utrinque moverunt ad ſic ſentiendum. Omnino tecum ſentio, nihil fore optabilius, quam ut noſtri de nonnullis amplius deliberent, quæ ad veritatis, pietatis & pacis in Chriſtiano orbe promotionem & confirmationem facere poſſint. Nemo mihi controverſiam movet ullam; ſed varii ſparguntur rumores de me, & ſuſpicionibus, quin & calumniis gravor ubique, quas cum bono Deo abſtergam ſuo tempore. Interea in patientia & ſilentio poſſidebo animam meam, dum innocentiam meam in lucem producat inſpector cordium & protector oppreſſorum Dominus. Quem obnixe oro ut miſereatur miſeræ & afflictiſſimæ Eccleſiæ ſuæ. Hujus gratiæ te tuaque omnia commendo, & me tuis precibus. Vale in Domino. Leydæ 25. Auguſti 1607. Ep.106.

CVI.

CONRADO VORSTIO

HENRICUS ROSÆUS S.P.

De diſſidio Eccleſiarum Belgicarum, earumque autoribus.

REverende D. Doctor. Nuper cum eſſem Leydæ D. Arminius ſe litterarum aliquid ad te conſcripſiſſe dicebat, ſed incertum eſſe cujnam illas ad te perferendas committeret; ego illud negotii in me recepi, eoque libentius, poſteaquam epiſtola quadam mihi rurſum aditum familiarius te compellandi, quem tamen nunquam, niſi forſan meo ſilentio, intercluſum fuiſſe confido, patefacerem, quum conſilio & inſtitutione tua ſubinde mihi opus fore exiſtimem: gliſcunt enim hic, proh dolor! inter eos, qui charitatis exemplaria debebant eſſe gregi, de religionis quibuſdam capi-

Ep.107. capitibus difficilia, quæ tamen si animi, ut debebant, comparati essent, facile sopiri posse opinor. Sed ego ob extremam securitatem & luxuriam, quæ passim hic invaluerunt, aliquam Ecclesiæ & reipub. (avertat omen Deus) mutationem immipere vereor. Verum cum hæc semper ex sapientissimi Dei voluntate Ecclesiæ fuerit conditio, ut variis, ne puteſcat, procellis agitetur, est quod æquiori animo hæc feramus, operamque singuli demus, ne publicarum calamitatum semina sparsisse videamur merito. Exprimere vix queo quam periculoso loco hic sint res Ecclesiæ; nam quod extra dubium est, charitas ob res secundas pene periit; ambitio, invidia & suspicio, pestes Ecclesiæ, dominantur: quid hinc tandem, nisi schisma aliquod, si illi qui possunt huic malo non medeantur. Superioribus diebus litteras principis Palatini ad Rhenum ad Ordines Generales videre contigit, quibus ut de universali Synodo cogitare velint hortatur, eademque de re cum Rege Britanniæ egisse significat, illique cum eodem serio ut agant monet. Salutare sane consilium, modo eventum sortiatur; nimium enim angustis terminis Ecclesiam Reformatam conscriptam esse, quis non videt? quod nunc demum Palatinos animadvertere ex scripto illo ad Lutheranos, quos vocant, liquet. Et certe nisi aliqua libertas veritatem inquirendi, & etiam in quibusdam, non tamen iis quæ fundamentum concernunt, dissentiendi concedatur, quid aliud quam schisma aliquod exspectandum? proindeque quam necessarium sit semel ea communi consensu definire, quæ fundamentum Religionis Christianæ proprie concernunt, hinc appareat; quod ut fiat, plurimi hic optant. Vale reverende D. Doctor, Deus laboribus tuis benedicat, cui te cum familia tua commendo. Uxor mea tibi ut salutem ascriberem petiit. 21. Septemb. 1607. Hagæcomitis, ubi Ecclesiæ Dei ex voluntate ejusdem nunc inservio.

CVII.

JOSEPHO SCALIGERO

ISAACUS CASAUBONUS.

Ecclesiastica. Privata.

ILlustrissime vir; Venerat in hanc urbem adolescens Aquitanus, S. Theologiæ studiosus: qui illuc cogitans cum domo proficisceretur, literas à tuis acceperat, tibi reddendas, quas istis adjeci. Nam quia siniſtri admodum rumores passim dissipati sunt de vestratibus Theologis, nupera Synodus Rupellensis, quod hunc juvenem fugerat, expresse cavit; ne quis studiorum causa Theologiæ candidatus illuc proficisci vellet. Hoc nempe superarat, ut hac novâ σχίσει (*divisione*) Ecclesia Dei scinderetur. Quis piorum ἀδιαφόρων (*sine lachrymis*) hæc audiet? Sed accipe rem mihi privatim funestam & exitiosam, publicè primum lætam. Ego nunc in eo sum dies noctesque occupatus, ut apud Regem, & τῶν ἀμφ' αὐτὸν (*eos qui circa ipsum sunt*) de injuriis Genevensium, quas mihi fecerunt, conquerar. Barbari homines, scelerati prædones, postquam ego ab iis discessi, nullum temere diem prætermiserunt, quo non mihi aut meis aliquà nocerent. Sororem meam, mediocribus facultatibus præditam, longæ litis sufflamine, annorum spatio duodecim, aliisque nefandis iniquitatibus, ita attriverunt, ut hodie misella ne unum quidem obolum in bonis habeat. Iidem nuper me, reliquias hæreditatis Stephanicæ colligentem, inaudito scelere, magnâ pecuniæ summâ defraudarunt, ita ut fraude nequissimorum Pharisæorum, omnia mihi perierint, quæ post naufragium clarissimæ domus, magnis impensis meis servaveram. Color fraudi quæsitus è Testamento Roberti Stephani: quod non magis ad rem pertinuit, quàm folia Sibyllæ. Sed erat aliquid prætexendum. Amisi aureos mille trecentos: quorum pars in commodum anteriorum creditorum cessit: pars maxima diaconorum usuris est exhausta. Quod supererat, sententiâ perditissimorum judicum, quâ diaconis iisdem, quâ Scholæ est adjudicatum. Hæc pietas Genevensis. Imo hæc impietas, hic Pharisaismus. Quem ego retegam, & scelestissimos homines suis coloribus depingam. Nunc id ago, ut Regi causam meam probem: quem spero patrocinium meum, & sororis, quam cum liberis suis ego alo, suscipiat. Quid perfecerim scribam alias ad te, Illustrissime Vir. Vale, & me ama. Lutetiæ Paris. 14. Kal. Nov. CIↃ IↃC VII.

Clarissimis viris Baudio & Heinsio plurimam, nisi grave est, salutem.

Tui nominis præcipuus cultor

IS. CASAUBONUS.

Ep.108.

CVIII.

PETRO MOLINEO

JOHANNES UYTENBOGAERT

S. P. D.

Suspiciones & criminatio mali de Arminii & Uytenbogardi hæresi delatur.

MOnsieur & tres-honnoré frère: un personnage de qualité en vos quartiers à donné advis par deça, qu'un Ministre de vostre Eglise luy est venu dire, qu'il y a apparence d'un grand schisme es Provinces unies, s'il n'y est remedié promptement: que Arminius & Utenbogaert proposent des grandes nouveautez, & qui seront cause qu'on fera defence à la jeunesse de la France, de plus frequenter l'Université de Leyden: qu'ils demandent

Ep.108. mandent un Synode National pour conferer de pluſieurs poincts, deſquels ils refuſent copie aux Miniſtres pour les preparer & inſtruire: oſtent l'authorité de deciſion audict Synode, ſi toutes les voix generalement ne s'accordent, & avec cela deſirent que la Foy demeure en ſuſpens, juſques à ce qu'elle ſoit reiglée par la deciſion finale. Item: Que les Miniſtres des autres provinces & villes ont eſcript à voſtre Egliſe, pour avoir ſon advis: qui a reſpondu que ceſte procedure eſt tyrannique, & ainſi qu'ils doivent rejetter le Synode de peur de plus grands inconveniens: finalement, que là on a eſcript par tout le Royaume, pour obvier à ceſte nouveauté.

Ces nouvelles à la verité ſont bien pour eſtonner quelqu'un, qui auroit ſa conſcience pour partie: mais graces à Dieu, elle me deſcharge tellement, que je ne me trouve nullement en peyne de ces jugemens humains, ains m'en remets à ce grand ſcrutateur des cœurs & ſpectateur de mes actions, ſçachant qu'il jugera juſtement: Ayant, ce non obſtant, ceſte confiance, que quelque jour & vous & vos confreres, enſemble toute voſtre Egliſe, voire tous gens de bien, opineront autrement, qu'aucuns, peut eſtre mal inſtruits, me ſemblent avoir faict. Pour le preſent, Monſieur & frere, vous prieray-je de me pardonner, ſi je vous di, qu'il n'y a pas un ſeul mot de vrai en tout ce qui a eſté dit ci deſſus à noſtre charge, à prendre ces poincts comme ils ſonnent. Il a pleu à ceux qui vous ont eſcrit, de me faire compagnon de M. Arminius, en ceſte cauſe. Il ſoit: Je reſpondrai doncque pour nous deux, & diray, que nous ne propoſons pas des nouveautez; que nous n'avons pas demandé le Synode: que nous ne l'avons pas demandé pour conferer de pluſieurs poincts: que nous ne refuſons pas copie aux Miniſtres, pour les preparer & inſtruire: que nous n'oſtons pas l'authorité de deciſion audict Synode, ſi toutes les voix unanimement ne ne s'accordent: & que nous ne deſirons pas que la Foy demeure en ſuſpens, juſques à ce qu'elle ſoit reiglée par la deciſion finale. C'eſt abus que tout cela. La verité eſt, que non Arminius, non Utenbogaert en particulier, mais toutes les Egliſes des Provinces unies, ont demandé & fait pourſuivre le Synode, envers Meſſieurs les Eſtats, comme ils font encores par leurs deputez: voire avec toute inſtance, ayant ceſte pourſuitte durée tantoſt dixhuict années continuellement, & ſans interruption: non pas au regard d'Arminius, ny à ſon occaſion, moins à la mienne; mais ſimplement & nuement pour le regard des Egliſes en general. Nous demandons donc le Synode, en tant que les Egliſes le demandent; point autrement: de facon que ſi les Egliſes s'en peuvent paſſer, nous-nous en paſſerons aiſement, tant s'en faut que nous le voudrions preſſer pour aucune noſtre conſideration particuliere. Or, comme il a pleu à Meſſieurs les Eſtats generaux de l'accorder en fin, à ce, qu'entre autres, ſe face une reveuë tant de la Confeſſion de Foy, que du gouvernement de nos Egliſes, comme (dict l'acte de leurs Seigneuries) on eſt accouſtumé de faire en telles aſſemblées; eſt advenu qu'aucunes Egliſes trouvent ceſte reveuë de la Confeſſion, bonne, aucunes non. Celles-cy ont voulu, qu'on requiſt leurs Seigneuries, d'oſter ceſte clauſe de leur edict comme ſcandaleuſe, & que ce poinct la fuſt remis du tout au jugement du Synode meſmes; ſur quoy advis ayant eſté demandé entre autres à M. Arminius & moy, avons eſtimé, que ceſte reveuë eſtoit neceſſaire, principalement en ce temps, & que par tant elle ne devoit eſtre ſuſpendue à l'arbitrage du Synode, l'office duquel ſeroit de commencer l'aſſemblée par telle reveuë, à fin, que s'il y euſt aucun miniſtre, qui auroit à propoſer quelque grief la deſſus, qu'il le fiſt librement, & modeſtement, pour eſtre aviſé par l'aſſemblée, s'il y auroit à corriger quelque choſe ſur ce qui ſeroit propoſé: ſinon, qu'elle fuſt tant plus ſolemnellement confirmée. Et quant à nous, nous n'avons pas dit, ſi nous avions à propoſer quelque grief ou non; nous contentans d'adviſer en general, ſur ce qui nous avoit eſte demandé, preſts au reſte de ſuivre en cela l'ordre, qu'on eſt accouſtumé d'obſerver en telles choſes, lors que le temps du Synode ſera arreſté, & qu'on ſera du tout aſſeuré de la tenue d'iceluy. Or ſi n'ous n'avons meſmes parlé des poincts, que nous voudrions propoſer, ou point propoſer au Synode, comment avons nous peu refuſer copie? peut on refuſer copie la où il ny a point d'original? auſſi perſonne ne nous à demandé jamais copie d'aucun poinct, duquel nous avons dit vouloir conferer. Il n'y a pas long temps, que le Synode particulier de Zuyt-Hollande a reſolu, de commander à tous Miniſtres de revoir & examiner diligemment tant la Confeſſion ſuſdicte, que le Catechiſme, afin que ſi quelqu'un y trouve à redire tant peu que ce ſoit, non ſeulement en la ſubſtance, mais auſſi aux phraſes & mots, que librement il le propoſoit, pour en eſtre ordonné au Synode National. Quant à moy, je n'ay jamais contredict à ceſte reſolution: mais m'en ſuis meſmes aidé pour fortifier mon advis, preſt au reſte de l'obſerver. M. Arminius eſt blâmé, de vouloir uſer de ſurprinſe, s'il propoſe quelque choſe au Synode, ſans l'avoir communiqué au paravant. Il reſpond, qu'il eſt tres-content de bailler par eſcript au Synode, ce qu'il aura; non affin que la deciſion ſe face ſur le champ; mais affin que le Synode le voye & l'examine, s'inſtruiſe & propoſe tant qu'on eſtimera de beſoin; voire que les deputez le raportent aux Egliſes, pour, en ayans veu leurs advis, s'en retourner pour en juger, comme il appartient. Cela n'eſt pas (à mon advis)

Ep.108.

refuſer

Ep.108. refuſer copie ; mais c'eſt vouloir bailler meſmes l'original. Et voylà comment (Monſieur) nous demandons un Synode, pour conferer de pluſieurs poincts, deſquels on refuſe copie, ne voyés vous pas la calomnie?

S'enſuit le plus grand crime; c'eſt que nous oſtons au Synode l'authorité de deciſion, ſi toutes les voix generalement ne s'accordent. Je di, que c'eſt une pure calomnie: cela n'ayant jamais eſté dit, ny meſmes penſé de nous. Voici ce que nous diſons, à ſçavoir, qu'il n'appartient pas aux deputés repreſentans le Synode, de decider matieres de doctrine, ſans que preallablement leurs principaux, ceſt à dire les Egliſes, ſpecialement les autres Miniſtres, qui les ont deputez, ayent veu & examiné le tout, & dit leur opinion, & en ſuite de cela, baillé charge ſpeciale à leurs deputez, de rapporter au Synode les voix d'iceux leurs principaux, affin qu'ainſi la deciſion ſe face par la pluralité des voix: ſachans tresbien, que ce ſeroit choſe abſurde, de s'attendre à une deciſion generale & unanime de toutes les voix, qui peult eſtre ne ſe verroit jamais. De meſme eſtoffe eſt que nous deſirons, que la Foy demeure en ſuſpens, juſques à la deciſion finale. La Foy, & quelle Foy? Apoſtolique, Chreſtienne & univerſelle, decidée j'a tant d'années par l'Eſprit de Dieu, tant en ſa parolle qu'au Symbole, & tant des conciles univerſels? J'a n'advienne, que nous la voudrions, ou en tout, ou en partye tirer en diſpute, tant s'en faut que nous en voudrions ſuſpendre le jugement. Autant diſons nous de tous les points fondamentaux de noſtre Confeſſion. Mais ſi quelqu'un demandoit deciſion au Synode de quelque choſe, qui ne ſeroit pas clairement, & comme il appartient decidée, ne faut il pas qu'il ſoit ouy? Eſtant ouy & le faict mis en diſpute, la choſe ne doit elle pas eſtre ſuſpendue, juſques à la deciſion finale, qui ſe fera ſelon la parolle de Dieu? Attendre ce jugement, eſt-ce ſuſpendre la Foy? Et ces procedures, ſont elles tyranniques? il nous ſera aiſé de monſtrer que non, & Dieu veuille, que celles, que d'autres s'imaginent, ne le ſoient pas.

Encor vous plaira-il noter, I. Que nous n'avons pas dit, propoſé, ou advisé en ceſte matiere, ſans en avoir eſté requis legitimement par ceux, qui ont authorité de nous commander. II. Que ce que nous en avons opiné & adviſé, n'a eſté faict que pour nos perſonnes ſeulement, ſans par cela porter prejudice ni aux Egliſes, ny au Synode, ny à perſonne qui vive; comme auſſi noſtre advis le porte expreſſement. III. Que nous avons offert de fortifier nos advis de bonnes raiſons. Finalement, que nous nous contentons d'avoir dit noſtre advis, ſur ce qu'on nous a demandé, en bonne conſcience, preſts de ſuivre ce qui en ſera ordonné, par ceux auſquels le jugement appartient. Et en tout cela n'avons nous autre but, que le bien de nos Egliſes; l'eſtat deſquelles, comme auſſi de tout ce debat, ſi voſtre Egliſe euſt ſi bien cognue, comme peult eſtre elle ne faict pas, elle euſt, ou jugé autrement (ainſi le croyons nous) ou pour le moins ſuſpendu ſon jugement, juſques à avoir ouy pleinement & le dire & les raiſons, de ceux deſquels on ſe plaint ſi aigrement, & leſquels, quelque tort qu'on leur face, ſont reſolus, moyennant la grace de Dieu, tant qu'en eux eſt, de vivre & de mourir en l'union des Egliſes reformées, eſquelles ils ont ſervi tant d'années, & ſervent encores à Jeſus Chriſt, par ſa bonté & grace, non du tout inutilement. Et euſt eſté à deſirer, que les lettres qui en ont eſté eſcrittes pour avoir l'advis de voſtre Egliſe, euſſent eſté eſcrittes meſmes de noſtre ſceu & conſentement; affin que l'eſtat de la queſtion ayant eſté propoſé d'un commun conſentement & ſelon verité, le jugement en euſt eſté & plus aiſé & plus utile. Or que nos freres donnans carriere à leur peu charitables ſoupçons, & ſe pallians du manteau des Egliſes, nous preanent à partie tant qu'ils voudront: ja n'advienne pourtant que pour cela nous nous formions party, ſoit contre eux, ſoit contre les Egliſes. Dieu ſçait, que nous abhorrons & detettons le ſchiſme, comme œuvre de la chair, damnable & execrable; & jamais, Dieu aydant, nous ne ſerons cauſe d'aucun ſchiſme en l'Egliſe du Seigneur: & diray encor de moy, que pluſtot j'abandonnerai le Miniſtere, & me contenteray de demeurer en la Maiſon de Dieu, tout le temps de ma vie, comme privé, que de permettre qu'à mon occaſion la moindre diviſion y advienne. Il n'y en a que trop par la Chreſtienté, & travailleroi-je pluſtoſt à ayder à reunir les pieces mal joinctes, ſi faire ſe pouvoit ſelon Dieu, que desjoindre celles qui ſont unies. Et voila Monſieur, ce que j'avois à dire pour la defence de nous deux, ſur ce que l'advertiſſement, deſſus dit, porte avoir eſté la rapporté, & autant qu'il a eſté de beſoing pour ce coup & au regard des termes, portés par ledict advertiſſement. Pardonnez moy, s'il vous plaiſt, que j'adjoute un mot, touchant la defence, qu'on a faicte à la jeuneſſe de France, de ne plus frequenter l'Univerſité de Leyden: c'eſt à ſçavoir, que s'il eſt vray que ceſte defence eſt faicte, il faudra que Arminius le ſouffre; c'eſt choſe qui eſt en la main de vos Egliſes: Arminius ne la peut empeſcher; mais dira, peut eſtre, que non luy, mais ceux qui vous font tels rapports, ſont cauſe du mal, qui en viendra à l'Univerſité, & peut eſtre auſſi à voſtre jeuneſſe, & meſmes à vos Egliſes: le moindre ſera pour luy, ſi ce n'eſt que par ces crieries & faux bruits on taſche de ruiner l'Academie, pour ruiner Arminius, & l'accravanter ſoubs ſes ruines: au regard dequoy Arminius apprendra à poſſeder ſon ame en patience, ſachant qu'il n'eſt le premier, ny ne ſera le dernier de

Ep.108.

Nota, que ce ſont eſté les lettres de D. Sibrandus, toutes pareilles à celles de Melvin.

Ceci meſmes ne m'a eſté permis.

Ep.108 ceux, *quos vera peſſima deveravit.* Mais vos Egliſes ne voudroient elles pas eſtre ſi charitables envers M. Arminius, premierement que de faire ceſte defence, que demander par devers elles tous les François, qui l'ont ouy pour entendre s'il eſt vray, qu'ils ſont partis d'ici ſi mal edifiez de ſa doctrine & vie, que elles ſoyent contraintes de faire c'eſte defence? & puis mander ſpecialement audict Arminius, ce qu'ils ont depoſé; affin que le ſçachant, il s'amende, ou bien vous donne ſatisfaction? Et nous deux, ne pourrions nous pas avoir copie, tant des lettres que les Egliſes des autres provinces & villes, (comme l'on mande) ont eſcrit à la voſtre, que de voſtre reſponce & advis, pour voir quelles ſont ces Egliſes, leur demandes & voſtre reſponce? Car je vous proteſte, que nous n'en ſçavons rien: & eſt certain, que au Synode de Zuyt-Hollande, tenu au commencement de Septembre dernier, ny en celuy de Noort-Hollande & Geldres, il n'a eſté parlé de telles lettres. De meſmes ſommes nous aſſeurez de la province d'Utrecht. Vous ſçavez Monſieur, que ſe couvrir du nom d'Egliſe, & ſous ce maſque faire valoir ſon opinion, n'eſt pas artifice nouveau, & qui ne ſe puiſſe trouver ailleurs, qu'en la Papauté. Quoy que ce ſoit, encor que noſtre intention ne ſoit pas de vous trop importuner, nous ne pouvons obmettre toutesfois de vous prier bien affectueuſement, de pouvoir jouir des copies ſuſdictes, pour voir ſi l'eſtat de la queſtion ſoit propoſé ſelon verité; & par conſequent, ſi voſtre advis n'eſt pas fondé, ſur un faux donner entendre. Si nous l'obtenons, nous aurons occaſion de vous remercier de voſtre ſincerité, & peut eſtre de vous eſclaircir d'avantage: Si non, nous prendrons patience, & remettrons le tout à Dieu, qui cognoiſt nos cœurs & actions, enſemble de nos freres, qui nous blaſment ſans cauſe. Nous ne laiſſerons pour cela de pourſuivre en bien, & nommement à ce, que nous verrons eſtre neceſſaire pour le bien de l'Egliſe de Dieu, ſelon verité & charité, & en conformité de noſtre vocation, ny auſſi de prier Dieu,

Monſieur & tres-honnoré frere, pour la conſervation de vous & de voſtre Egliſe, enſemble de tous ceux qui travaillent avec vous en l'œuvre de Dieu fidellement & ſincerement, à ce qu'il luy plaiſe d'y eſlargir de plus en plus ſes ſainctes benedictions. De la Haye ce 9 de Novembre 1607.

CIX.

F. D' AERSSEN

ad I. UYTENBOGARDUM.

MOnſieur; Vous ne me devez pas plaindre la peine de voſtre longue lettre; car elle a aſſez bien reuſſy, & à mon inſtruction, & comme je croy, à la ſatisfaction de ceux, qui avoient beſoin de ceſt eſclarciſſement. J'ay veu par la conference, que ſur ce ſubject j'ay eu avec aucuns, qu'ils ont calé leurs jugemens, & addoucy leurs termes; vos conceptions ſont claires, la repreſentation vive, & vos raiſons ſolides, auſquelles je ſoubſcriray volontiers, & ſans aucune connoiſſance de cauſe, que ſur le ſeul fondement de voſtre probité, & louable reputation: il y en a d'entre vous par dela, qui ont formé leurs plaintes avec tant d'avantage, qu'il ſembloit à ceux de ceſte Egliſe, que vous prevalant de la preſence & authorité de Meſſieurs les Eſtats, vous buttiéz à introduire des opinions nouvelles, ſoubs pretexte, que rien n'en auroit juſques ores eſté decidé par l'Egliſe; meſmes qu'en ce faict vous vouliés ſeconder le jugement de M. Arminius, ſur la predeſtination, franc arbitre, juſtification, & aucunes, dont à leur dire, il eſcript, & inſtruict journellement noſtre jeuneſſe; perſonnage que je ne connoy que de nom, pour grand en ſcavoir & pieté, & utile à noſtre Univerſité; mais ayant vos raiſons eſté poiſées, & vos explications rapportées à noſtre gouvernement, & conſiderées, on m'a declaré, qu'il n'y a pas tant de mal, qu'on en avoit apprehendé. Bien eſt vray, qu'on ne peut pas comprendre, pourquoy on ne prepare point les Miniſtres ſur les points, qui ſe propoſeront, pour eſtre inſtruicts au Synode, & proceder à la deciſion, ſans qu'on ait beſoin de deux Synodes; ces preparations ſe pouvans faire par les provinces, comme il ſe pratique en France; & eſtiment aucuns, que cela ſe projette à deſſein, pour ſurprendre ceux qui rejettent toute nouveauté. Je vous confeſſe ingenuement, que je ne ſuis point verſé en ceſte matiere, & ce que j'en ay eſcript, a eſté pour parer à la ſiniſtre opinion qu'on vouloit faire concevoir de voſtre ſinguliere affection, au ſervice de Dieu, & de noſtre republique: juſques là, qu'on en a voulu eſcrire à Meſſieurs les Eſtats, ſi je me fuſſe voulu charger de l'adreſſe de la voſtre; encor n'auroy-je peu empeſcher les eſcripts particuliers, qu'on dit en avoir eſté envoyez par delà. Ceux qui en ſont les Autheurs feroient mieux, & ſelon leur vocation, d'ouyr partye avant que de precipiter leurs jugemens. J'ay delivré voſtre lettre à M. du Moulins; il m'a

Ep. 110. il m'a promis de vous faire reſponſe ; je l'en preſſeray, & vous ſupplie de croire que je vous ſuis ſerviteur, & ne permettray pas, en quelque lieu que ce ſoit, qu'on face aucune jugement de voſtre perſonne, que conforme à vos merites, que j'honore pour pluſieurs reſpectes, mais ſingulierement pour les rares vertus, deſquelles il a pleu à Dieu vous douer, & ſur ceſte proteſtation, je vous baiſe bien-humblement les mains, ſuppliant le Createur,

Monſieur, qu'en terniſſant ceſte calomnie, il vous doint proſperité & longue vie. De Paris ce 5 Decemb. 1607.

CX.

P. MORNÆUS

F. D'AERSSEN.

MOnſieur ; Vous m'obligés de plus en plus par la continuation des voſtres. Eſquelles j'apperçois, que Meſſieurs des Eſtats, nonobſtant ce miel de ratification, ne laiſſent pas d'en apprehender le fiel au fonds ; mais ſi doutez, qu'ils paſſent outre ; puis qu'avant ſon arrivé vous n'avez point traicté plus ſolidement avec les voiſins ; qui toutesfois ont aſſez de matiere de s'appercevoir des intereſts qu'ils y ont. Lors que les hommes manquent, ceſt lors qu'il plaiſt à Dieu d'abonder ; auquel il nous faut avoir recours ; à ce qu'il propice à voſtre Eſtat un bon Conſeil, ſur ces perplexitez. Cependant je deſirerois fort, que ces contentions Theologiques de voſtre Academie de Leyden fiſſent trefve ; ne pouvant aujourd'huy rien rencontrer de plus mal à propos, ny pour toutes nos Egliſes, ny particulierement pour les voſtres. A quoy il eſt de la prudence, & gravité de Meſſieurs les Eſtats de pourvoir, par l'indiction d'un ſilence juſques à un autre temps. Je ſaluë, Monſieur, humblement vous bonnes graces, & ſupplie le Createur vous avoir en ſa ſaincte garde. De Saumur ce 7 Decemb. 1607.

Voſtre humble & tres-affectionné à vous faire ſervice

DU PLESSIS.

CXI.

PETRUS MOLINÆUS

JOANNI UYTENBOGARDO.

MOnſieur & tres-honoré frere ; J'ay eſté bien aiſe d'entendre par vos lettres, que voſtre Synode eſt proche ; duquel toute-fois il eſt malaiſé que le ſuccés ſoit heureux, ſi on entre en diſpute : ſur tout, s'il eſt vray que les matieres dont on veut diſputer ſont celles cy ; *An Deus abſolute elegerit homines, an cum reſpectu ad fidem. An homo poſſit reſiſtere gratiæ regenerantis. An Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit. An vera fides poſſit amitti.* Ces queſtions ſont couchées en termes odieux & ambigus. Et ces choſes ſe peuvent bien diſputer entre amis, ou es eſcholes : mais le peuple ne doibt eſtre imbu de ces difficultés, leſquelles on peut ignorer & n'eſtre pas moins bon Chreſtien. En la communication amiable, que nous avons eu enſemble, en laquelle j'ay recogneu tant plus, voſtre bon ſens & prudence, avec un ſcavoir exquis, vous me diſtes, que l'intention des parties eſtoit de regarder, juſques à ou vous eſtes d'accord ; & faire defenſe de diſputer plus outre : ceſt avis eſt bon & à la gloire de Dieu, & neceſſaire pour le temps, auquel nous allons entrer, auquel nous aurons plus que jamais beſoing d'eſtre bien d'accord enſemble. Je ſcay Monſieur, que vous y contribuerés, & que vous ſerés un inſtrument utile pour l'union de l'Egliſe : A quoy je joins mes prieres envers Dieu, avec proteſtation de l'honneur & reſpect, que je vous ay voué, comme celuy qui vous ſera toute ſa vie, Monſieur, voſtre tres-humble, & tres-obeyſſant Serviteur, Dec. 1607.

De quinque articulis.

CXII.

F. D'AERSSEN

JOANNI UYTENBOGARDO.

MOnſieur ; Vous connoiſtrez par celle, que le Sieur du Moulin vous eſcript, combien les humeurs de deça ont eſté addoucies par les raiſons deduites en voſtre lettre. J'ay eſté prié, de ne vous point nommer mon Autheur ; j'eſtime que le trouverez bon, puis qu'on vous ſatisfaict d'ailleurs, & non ſans repentance d'avoir ſoit ſi toſt creu, ſoit parlé avec tant de vehemence ; on en deriveroit volontiers le tort ſur ceux, qui en ont eſté les motifs : & pour ma deſcharge, j'ay faict veoir à celuy qui m'en a faict la plainte, ce que ſur ſon rapport j'ay eſcript à M. d'Oldenbarnevelt ;

Ep. 113. nevelt ; & par le langage qu'on me tient, l'on euſt bien deſiré, que le mot de *tyrannique* n'euſt pas eſté exprimé, qu'en terme plus doux, & equivalent ; plus que ce faict avoit à ſe communiquer avec vous, dont il pouvoit naiſtre des aigreurs ; mais je n'en ay rien deguiſé. Ces propos m'ont eſté tenus tels, que je les ay repreſentez, avec refus de me charger d'aucune voſtre ſur ce ſubject pour le public ; je ſcay neantmoins, qu'on s'eſt ſervy d'aucune voye pour en eſcrire en particulier, pour empeſcher le Synode. Toutesfois ce vous eſt aſſez, que triomphez de la calomnie : car je ne puis pas comprendre, que ceſte matiere doive avoir tant de ſuitte, comme on a faict ſemblant de l'apprehender ; & ſi je ne me trompe, l'on s'ayde du nom de l'Egliſe, pour couvrir quelque paſſion particuliere. Bien eſt il vray, que ma lettre ne porte pas, que la defenſe a eſté faicte à la jeuneſſe Françoiſe, de frequenter l'Univerſité de Leyden ; mais bien, qu'on nous en menaſſe ; à quoy j'eſpere de pouvoir pourvoir, & à tout ce qui contrariera à voſtre ſervice & contentement, lequel j'affectionneray touſiours d'un ſoin ſingulier, & ſur ce je vous baiſe bienhumblement les mains, & prie Dieu, Monſieur, qu'il vous ait en ſa ſaincte garde. De Paris ce 10 Decemb. 1607.

Voſtre bien-humble & tres-affectionné ſerviteur

FRANCOIS D'AERSSEN.

Monſieur, vous vous eſclarcirez facilement de toutes ces plaintes, ſi obſervez les propos & actions de M. Sybrandus Lubertus ; feu M. Trelcat en eſtoit de la partie : mais je vous prie que ceſt office ſoit meſnagé ſans mon prejudice.

CXIII.

HUGONI BRUCHTONIO

CONRADUS VORSTIUS S.P.

Theologus. VEniam mihi dabis, Vir clariſſime & Domine honorande, quod ad elegantem Græcam epiſtolam tuam Latine reſpondeo : quia ſic occupatiunculæ noſtræ exigebant. De deſcenſu ad inferos aut nondum plene capio mentem tuam, quod fieri poteſt ; aut non multum inter ſe judicia noſtra diſcrepant. Sic enim cum D. Druſio, & recum (niſi fallor) ut ſumam, ſtatuo ; phraſi illa generatim ipſam mortem, & hanc quidem per ſe proprie, ſed conſequenter tamen & per accidens etiam ſepulturam mortuorum interdum ſignificari. Utrum vero *Hades*, in propria & uſitatiſſima ſignificatione accipias pro loco aliquo certo & definito, & quidem ſubterraneo (ut Pontificii fere omnes) an potius pro ſtatu & quiete mortuorum, id nondum ſatis intelligo. Videris tamen accipere pro loco, ſed generatim ſic dicto, qui & Paradiſum cœleſtem, & gehennam proprie dictam (ubicunque ea ſit) ambitu ſuo complectatur. Sed tamen durum eſt, pios hinc emigrantes dici in Paradiſum deſcendere. Huc enim aſcenditur, non deſcenditur, ſiquidem ſupra nos eſt. Optarem, te juſtum ſuper hac re tractatum edere, inque eo varias doctorum ſententias, præſertim veterum (qui variaſſe hic videntur) accurate examinare, & tuam theſin è ſacris ſimul ac profanis literis ſtabilire. Video te jam id feciſſe in libello ad Genevenſes : ſed & ampliore, & plenius per certa capita diſtincto ſcripto id fieri operam : & quidem Latino, ut tanto plus inde fructus capere poſſim. Si quid tale ad Regem M. Britanniæ miſiſti, fac quæſo nos participes. Nihil enim tam gratum nobis eſt, quam divina veritas ; quam libenter ex omnibus, eam profitentibus, audire & diſcere ſolemus. Vale Vir præſtantiſſime, & quam ipſe prior auſpicatus es amicitiam, in poſterum alere ne graveris. Si quid officiorum à me in te proficiſci poteſt, habebis me tibi ſemper obnoxium, quantum mea tenuitas quidem permittet. E muſeo meo Steinfurtenſi Anno 1608. 10 Martii. Ep. 114

CXIV.

Ampliſſimo Nobiliſſimo viro,

D. HIPPOLYTO à COLLIBUS,

Illuſtriſſimi Principis Palatini ad Ordines foederatos Belgii Legato, ſalutem & bene agere P.

AMpliſſime Vir, Nobiliſſime Domine ; Quum nuper ad colloquium tuum admiſſo benevole exponeres, quæ de *ἀναβάσεως* (*diverſa opiniane*) mea in nonnullis Fidei noſtræ Articulis *Heydelbergæ* ſparſa intellexeras ; non hoc ſolum fini, ut ipſe coram ex me veritatem rei cognoſceres ; ſed multo magis ut operæ tuæ interventu ſiniſtrius de me conceptæ ſuſpiciones aliorum animis eximerentur, ſiquidem id veritas poſtularit : ſedulo & ſerio hoc conabar, ut ad ſingula, quæ *T. D.* proponebat, aperte reſpondendo ſententiam meam modo ſuper iſtis capitibus patefacerem. Præterquam enim quod ex officio hominis Chriſtiani, maxime Theologi, idipſum facere tenebar ; exigebat hoc jure meritiſſimo tanta æquanimitas & benevolentia erga me uſurpata. Fuit autem, quod Divinæ erga me benignitati acceptum fero, eouſque grata *T. A.* mea explicatio, ut conſultum arbitrata ſit eandem ſcripto à me conſignari & ad ſe tranſmitti : tum ut certius ipſe & firmius de re, mature penſicata, judicare poſſes ; tum ut cum aliis com-

communicata calumniam confutarent, & innocentiam meam tuerentur. Hoc ego, (tuæ prudentiæ consilium secutus & eadem spe fretus,) jam hisce literis ago, quas rogo ut *A.T.* eâdem æquanimitate legere dignetur, qua coram loquentem audivit: inveniet in iis, nisi me animus vehementer fallit, quod omnem de me suspicionem siniſtram non modo obliterare, sed prorsus eradicare possit animis illorum, qui sciunt quemque optimum suæ sententiæ interpretem esse, & cuique de sua mente sancte coram Deo testanti, fidem maxime adhibendam esse. Capita de quibus Amp. *T.* quærebat, hæc fuere, quantum mihi memoria suppeditat: de Filii Dei divinitate, de Providentia, de Prædestinatione divina, de gratia & libero arbitrio, denique de justificatione: præter ista quæ sententias nostras ad interrogata *D. D.* Ordinum de modo habendæ Synodi concernebant: quæ postrema, quia reverendum & Clarissimum Virum Joannem Utenbogardum Hagæ-comitanæ Ecclesiæ administrum æque ac me tangunt, illi explicanda relinquo, qui tuæ Amp. propior est. De capitibus istis doctrinæ omnibus fidenter dico, me nunquam quicquam vel in Ecclesia vel in Academia docuisse, quod vel sacris Literis, quæ unica nobis & sentiendi & loquendi norma esse debent, vel Confessioni Belgicæ aut Catecheſi Heydelbergensi, quæ Formulæ sunt consensus nostri strictiores, contravenirat. Cui probando proferre possum liquidissima testimonia, Theses de istis ipsis Articulis à me conscriptas, & publice in Academia disputatas. Verum quia istæ Theses omnibus ad manum non sunt, neque facile transmitti possunt, de singulis speciatim agam, quantum necesse arbitrabor. Ep.114

De Filii Dei divinitate.

De Filii Dei divinitate docui atque etiamnum doceo, Patrem nunquam sine suo Verbo & Spiritu fuisse: Verbum vero & Spiritum non esse in Patre sub notione proprietatum, ut sapientia, bonitas, justitia, potentia, consideranda; sed ut ὑφιστάμενα vere subsistentia, quibus competat esse, vivere, intelligere, velle, posse, facere, quæ juncta, personæ sunt indicia & argumenta. Sic autem esse in Patre, ut etiam sint à Patre, ordine quodam originis, non per collateralitatem, ad Patrem referenda: & à Patre, non per creationem, neque per decisionem, sed per admirabilem & inexplicabilem emanationem internam, quam respectu Filii, prisca Ecclesia ex Scripturis generationem appellavit, respectu vero Spiritus, sic ipsa voce requirente, spirationem. De hac an à Patre sit & Filio, ut Latini dicunt; an vero à Patre per Filium, quod Græci malunt, ego judicium non interpono, quia fateor rem istam captum meum longe excedere. Sobrie hic loquendum & sapiendum existimo, si usquam. Hæc quum ita habeant, nulla causa fuit cur hic calumniam paterer. Confecta tamen fuit & sparsa primum per Germaniam à quodam, quem nec docuit, quia discipulus fuerat, & abstinere oportuit, propria experientia edoctum, quum aut infelicis memoriæ aut lubricæ fidei esset, cum antea de simili calumnia convictus culpam apud me confessus & deprecatus esset. Occasionem autem calumniæ arripuit, ut mihi (ex scripto quodam hûc ex Germania misso, quod idem Theologis Heydelbergensibus tradiderat,) innotuit, ex iis quæ ego de œconomia salutis nostræ à Patre per Filium & Spiritum Sanctum administrata publice docueram: in qua explicanda dixeram, diligentem habendam esse rationem ordinis istius, quem Scriptura ubique religiosissime observat, & quæ Patri, quæ Filio, quæ Spiritui Sancto propria in isto negotio tribuuntur, ab iisdem Scripturis, distincte consideranda esse. Inde alia ab aliis arrepta est occasio ex eo quod dixeram, Filium Dei non recte αὐτόθεον dici ea ratione, qua vocabulum illud significat à se Deum esse. Promovit hanc calumniandi audaciam, quod nonnulla loca V. & N. Testamenti ad Trinitatem consubstantialem vel coessentialem stabiliendam adferri solita, aliter explicui. Sed ex illis omnibus nulla verisimilitudine quippiam deduci posse, quod sanæ & orthodoxæ fidei sit adversum, facili momento ex ipsis V. & N. Testamenti libris, ex tota antiquitate, & sententia priscæ tum Latinæ tum Græcæ Ecclesiæ, quin & nostris Doctoribus, condocefacere possum. Hanc postremam occasionem frustra arripi docuit D. Pareus in defensione Calvini contra Calvinum Judaizantem Hunnii: ille me ab hujus operæ necessitate liberavit. In prima confutanda, ut laborem sumam operæ pretium non est: qui norunt Patrem in Filio mundum sibi reconciliasse, & reconciliationis verbum per Spiritum administrari, illi sciunt in dispensatione salutis ordinem esse considerandum inter Personas Trinitatis, & attributa non esse confundenda, nisi in hæresin Patripassionistarum incidere velint. De secunda occasione, quæ Vocem αὐτόθεον concernit, laboriosior paulo est suscipienda responsio, propterea quod non pauci sunt, qui secus arbitrantur: quos tamen de Trinitate non male sentire judicat Ecclesia nostra. Illi sic statuunt, propterea quod una sit essentia Patris & Filii, eaque à nullo originem habeat, Filium illius respectu recte αὐτόθεον, id est, à se Deum appellari. At respondeo, essentiam Filii à nullo esse, vel à se, non idem esse, quod Filium a se vel à nullo esse. Filius enim non est essentia proprie & formaliter loquendo, sed habens essentiam certo ὑπόστασιν (*subsistentia*) modo. Regerunt; Filium dupliciter considerari, quâ Filius, & quâ Deus: quâ Filius est, esse à Patre, & à Patre essentiam habere; qua vero Deus est, habere essentiam a se vel à nullo (quod ratio ipsa dicitur. A se enim habere implicat contradictionem.) Respondeo; me istam distinctionem quidem admittere, sed Ep.114

Ep. 114. ulterius illam extendi quam fas sit. Nam quâ Deus est, habet essentiam divinam; quâ Filius est, habet illam à Patre; hoc est, voce Dei significatur generatim, id quod essentiam Divinam habet citra certum subsistendi modum: at voce Filii significatur certus modus habendi, nempe per communicationem à Patre, id est, per generationem. Considerentur hæc bis terna inter se συνιχως (*in eadem serie*) opposita, Deitatem habere, Deitatem habere à Patre, Deitatem habere à nullo: &, Deum esse, Filium esse, Patrem esse; & constabit hæc inter se mutuo sic sibi respondere: Deitatem habere, & Deum esse: Deitatem habere à Patre, & Filium esse: Deitatem habere à nullo, & Patrem esse, consentanea esse; quamquam voce Patris ut affirmativa, non id significetur quod essentiam habet à nullo: id enim voce Ingeniti Patri tributa significatur, quamquam nec strictè, sed tantum non habere essentiam per modum generationis. At Patris vox idipsum concludit vi sua; quum necesse sit, ubi ordo est, ab aliquo primo initium fieri, secus erit confusio in infinitum procedens: qui autem primus est in ordine secundum originem, ille à nullo habet originem; qui secundus est, ille originem habet à primo; qui tertius, ille habet originem à primo & secundo, vel à primo per secundum; secus collateralitas esset, quæ tot faceret Deos, quot ponerentur collaterales personæ; quum unitas Deitatis in Trinitate per solam rationem originis, & ordinis secundum originem, defendatur adversus Antitrinitarios. Sed ut constet quid antiquitas de hac re senserit, nonnulla loca ex Patribus tum Græcis tum Latinis huic rei accommoda adducam. Basilius Magnus:

Adversus Eunom. lib. 2. *Nos juxta habitum causarum ad ea quæ ex ipsis sunt Filio Patrem præpositum esse dicimus.* Ibidem: *Quoniam à Patre principium est Filio, juxta hoc major est Pater, velut causa & principium. Quapropter & Dominus dixit: Pater major me est, eo quod Pater est videlicet. Patris autem vox quid aliud significat, quam causam & principium ejus qui ex ipso genitus est.* Idem:

Sermone adversus Sabellianos & Arium. *Pater est radix & fons Filii & Spiritus Sancti.* Ibidem: *Quum dixero unam essentiam, non duos ex uno divisos intelligo, sed ex principio Patre Filium subsistentem, non Patrem & Filium ex una Essentia superiore. Non enim Fratres dicimus, sed Patrem & Filium confitemur. Essentia autem identitas est, quoniam ex Patre Filius est, non præcisione factus, sed ex natura genitus, non divisus à Patre, sed manente perfecto, perfecte relucens. Ne autem ex his quæ dicimus criminari possitis; Duos Deos prædicat, multitudinem Deorum annuntiat. Non duo sunt Dii, neque enim duo Patres. Qui duo principia introducit, duos Deos prædicat.* Idem:

De Spiritu sancto c. 18. *Via cognitionis Dei est, ab uno Spiritu per unum Filium ad unum Patrem. Et rursus versa, naturalis bonitas, & naturalis sanctificatio, & regia dignitas, ex Patre per Filium unigenitum ad Spiritum transit. Sic & Personas confitemur, & pium Monarchiæ dogma non labefactatur.* Nazianzenus: *Ipsum esse commune & æquale est Filio cum Patre, licet alioqui hoc à Patre Filius habeat.* Ibidem: *Idem ut seipso majus sit sibique ipsi æquale, qui fieri possit? Nonne ergo perspicuum est, Majoris vocem (scilicet quæ Patri tribuitur respectu Filii) ad causam, Æqualis autem (quæ Filio tribuitur ad Patrem) ad naturam referendam esse?* & paulo post: *Quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, vere quidem dici potest, sed non perinde honorifice: Quid enim mirum Deum Homine majorem esse.* Ambrosius: *Quamvis Christus nos redemerit, Omnia tamen ex Deo, quia ab ipso est omnis paternitas: ideoque necesse est præferri personam Patris.* Videatur idem in XV. *cap.* 1. *ad Corinthios.* Augustinus: *Si gignens ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Idem: *Non dixit, Quem mittet Pater à me, quemadmodum dixit, Quem ego mittam à Patre. Videlicet ostendens quod totius Deitatis principium est Pater.* Idem: *Illud ideo dictum est de Patre, Ipse facit opera, quod ab illo sit etiam origo operum, à quo est existentia cooperantium Personarum; quia & Filius de illo natus est, & Spiritus Sanctus principaliter de illo procedit, de quo natus est Filius, & cum quo illis communis est idem Spiritus.* Idem: *Deus quidem Pater non de alio Deo Deus est; Deus autem Filius de Patre Deo Deus est. Sed tantus iste de illo, quantus ille de nullo.* Hilarius: *Deo, ex quo omnia sunt, Deus nullus est, qui sine initio æternus est. Filio autem Deus Pater est, ex eo enim Deus natus est.* Alibi: *Vera fidei professio est, ita Deum ex Deo natum, ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam sibi præstat ex se; ut det quod habet, & quod dederit habeat, &c.*

Ep. 114. *Sermone 4. de Theologia.* *Lib. 5. de Trin. c. 14.* *Lib. 4. de Trin. c. 10. Tom. 10. fol. 11. Col. 1.* *Contra Maximinum lib. 3. c. 23. Col. 2.* *Lib. 4. fol. 60. Lib. 6. fol. 87.*

Ex hisce locis apparet, secundum sententiam priscæ Ecclesiæ, Filium, etiam, quâ Deus est, ex Patre esse, utpote qui Deitatem suam, secundum quam Deus dicitur, à Patre nascendo acceperit: quamquam nomen Dei modum istum ὑπάρξεως (*subsistentiæ*) non indicet. Deinde, Patrem, propterea quod principium sit Filii & Spiritus Sancti, totius Deitatis principium dici; non quidem quod Deus principium habeat, sed quod illa à Patre Filio & Spiritui sit communicata. Tantum abest ut rectè dicatur, Filium Dei, quâ Deus est à nullo esse, & ratione essentiæ suæ à se vel à nullo esse: Ratione enim essentiæ à Patre est, qui à Patre essentiam nascendo accepit. Existimo igitur eis, qui cum orthodoxa antiquitate sentire & loqui volunt, abistis loquendi modis abstinendum esse; quia & Tritheitarum & Sabellianorum contrariis hæresibus videntur patrocinari. Videatur Theodorus Beza Præfatione ad Dialogos Athanasii de Trinitate, Calvinum excusans, quod duarum vocularum, *Filius est per se*, & *Filius est à se*, diseri-

Ep. 114. diſcrimen, non ita ſolicite obſervaverit. Siquis hic præterea quidpiam à me deſideret, non detrecto placidam ſive ſcripto ſive ſermone collationem. Pergo ad alia in quibus brevior ero.

1. De providentia Dei. De providentia Dei ſentio: illam omnibus rebus adeſſe & præeſſe, ejuſque gubernationi, conſervationi, directioni, omnia ſecundum eſſentias, quantitates, qualitates, relationes, actiones, paſſiones, loca, tempora, ſitus, habitus, ſubeſſe. Non excipio ſingularia, non ſublunaria, non vilia, non contingentia, non liberas voluntates hominum vel Angelorum, bonorum vel malorum. Et quod amplius eſt, ne ipſa quidem peccata, providentiæ divinæ gubernationi adimo, ſive eorum initium, ſive progreſſum, ſive finem conſideremus. Circa initium peccati hoſce actus providentiæ Dei tribuo. Primo, permiſſionem, eamque non otioſam, ſed quæ quatuor poſitivos actus junctos habet. 1. conſervationem creaturæ ſecundum eſſentiam, vitam, potentiam. 2. curam ne major potentia vel æqualis opponatur. 3. objecti in quod peccatum admittetur, oblationem. 4. deſtinatam concurſus ſui, quæ propter ſecundæ cauſſæ à prima dependentiam neceſſarius eſt, conceſſionem. Secundo argumentorum & occaſionum ad peccatum patrandum ſolicitantium adminiſtrationem. Tertio, loci, temporis, modi & ſimilium circumſtantiarum determinationem. Quarto concurſum ipſum Dei immediatum ad actum peccati. Circa peccati progreſſum tribuo Divinæ gubernationi etiam quatuor actus. Primus eſt, directio peccati jam incepti in certum objectum, quod creatura peccans vel non petivit, vel non præciſe petivit. Secundus eſt, directio peccati in finem quem ipſe Deus vult, ſive creatura illum intendat ſive non intendat, imo vero alium & prorſus contrarium intendat. Tertius eſt, temporis præſcriptio & determinatio, quamdiu velit ſeu permittat durare peccatum. Quartus eſt, magnitudinis definitio, qua modus ponitur peccato ne excreſcat & vires majores ſumat. Hoſque omnes actus tum circa principium, tum circa progreſſum peccati conſidero, ratione ipſius actus & ἐνεργείας diſtincte, quod neceſſarium & utile eſſe judico. Denique circa finem & complementum peccati tribuo providentiæ divinæ, vel punitionem ex ſeveritate, vel remiſſionem ex gratia, quæ circa peccatum verſantur, qua peccatum eſt & legis tranſgreſſio. Duo autem ſollicite caveo offendicula; ne Deus peccati author ſtatuatur, & ne voluntati humanæ ſua libertas auferatur; quæ Duo ſi quis vitare noverit, nullam ille excogitabit actionem, quam non libentiſſimus patiar providentiæ Dei adſcribi, modo juſte habeatur excellentiæ divinæ ratio. Hanc autem meam ſententiam repetitis de eadem materia theſibus publicè diſputatis explicavi planiſſimè. Unde & merito mirari me dico, unde mihi calumnia iſta, quod de providentiâ Dei prave ſentio, adſperſa ſit. Ep. 114. Si ſuſpicari liceat, puto ex eo natam, quod negavi, Adamum reſpectu decreti divini neceſſario peccaſſe: quod ipſum adhuc conſtanter nego, & puto tolerandum non eſſe, niſi vox *neceſſario*, quod à nonnullis fit, pro infallibiliter accipiatur. Quamquam enim iſta permutatio vocabulorum etymo non conveniat, neceſſitas enim eſt affectus entis, infallibilitas vero mentis; tamen facile fero illam, modo incommoda illa, quæ ante dixi, fideliter caveantur. *Adamus neceſſario peccavit.*

3. De Prædeſtinatione. Prædeſtinationis articulum quod attinet, de eo ſic ſentio: illam eſſe decretum Dei æternum & gratioſum in Chriſto, quo ſtatuit fideles juſtificare, adoptare & vita æterna donare: infideles vero & impœnitentes condemnare; quemadmodum theſibus publicè de eadem re diſputatis explicui, in quibus nemo quidpiam reprehendit, tanquam falſum. Tantum id à nonnullis judicatum fuit, non omnia continere quæ ad decretum illud pertinent, imo vero prædeſtinationem, de qua hodie maxime controvertitur, theſibus iſtis non tractari. Quod equidem fateor. Viſum enim mihi fuit de prædeſtinationis decreto agere, quod eſt fundamentum Chriſtianiſmi, ſalutis noſtræ & certitudinis de ſalute, de quo Apoſtolus agit *cap.* VIII. & IX. *ad Romanos* & I. *ad Epheſ.* At tale decretum non eſt illud, quo Deus ſtatuit ſingulares aliquas perſonas ſalvare, & quò id faciat, fide donare: alios vero condemnare & fide non donare: quam dicunt multi eſſe illam prædeſtinationem, de qua dictis Scripturæ locis agitur. Quod ego nego. Concedo eſſe aliquod decretum Dei æternum, ſecundum quod media ad fidem & ſalutem neceſſaria adminiſtrat, idque prout novit juſtitiam, hoc eſt, miſericordiam & ſeveritatem ſuam decere; ſed de eo nihil amplius ſcire neceſſarium arbitror, quam fidem eſſe purum putum donum gratioſæ miſericordiæ Dei; incredulitatem vero partim culpæ & malitiæ hominum, partim juſtæ Dei vindictæ peccatores deſerenti, excecanti, obduranti eſſe tribuendam. Cæterum de prædeſtinatione illa, quâ Deus ſingulares perſonas aliquas ſalvare & fide donare, alias vero damnare & fide non donare decrevit, tam varie ſentitur etiam à noſtræ Profeſſionis doctoribus, ut ipſa diverſitas ſententiarum facile declaret quam difficulter de ipſa quidpiam ſtatui poſſit. Alii objectum Prædeſtinationis generatim conſideratæ, id eſt Electionis & Reprobationis, ſtatuunt hominem peccatorem lapſum in Adamo: Alii ſtatuunt hominem conſideratum ut conditum, & in puris naturalibus conſtitutum: Alii ut condendum, vel ut nonnulli, ut ſalvabilem, damnabilem, creabilem, labilem. Alii ſtatuunt objectum Electionis & Reprobationis, quam non Electionem & Præteritionem appellant, hominem communiter & abſolute; Reprobationis vero, quam prædamnationem & affirmativam repro-

Ep.114 reprobationem adpellant, hominem peccatorem, & reum in Adamo. Denique alii putant objectum communiter prorsus considerandum esse, hominem condendum, conditum, lapsum. Novi, quum ista diversitas objicitur, responderi, in summa rei esse consentionem, quamquam discrimen aliquod sit in circumstantiis. Sed ego commonstrare possem, sententias istas in multis ad rem ipsam & substantiam Prædestinationis istius facientibus dissidere; consensionem vero non esse nisi in animis sic sentientium, paratis ferre eousque dissentientes: qui consensionis modus in Ecclesia Christi maxime est necessarius: utpote citra quem pax omnino servari nequeat. Utinam ego etiam tam benevolos illorum animos erga me & meam sententiam experiri possim! qui nihil definio, in ea quam tractavi Prædestinatione, quod non omnibus æquè probatum sit; tantum in eo differo, quod nullam illarum sententiarum secura conscientia affeveranter profiteri audeo. Cujus etiam meæ conscientiæ rationem reddere paratus sum, ubi id necessitas postulabit, & commode fieri poterit.

4. De gratia & libero arbitrio.

De gratia & libero arbitrio sic doceo secundum Scripturas & consensum orthodoxum. Hoc sine illâ nullum verum & spirituale bonum incipere aut perficere posse. Gratiam, & quidem quæ Christi est & ad Regenerationem pertinet (ne cum Pelagio ludere dicar in voce *gratia*) dico necessariam esse simpliciter & absolute, ad mentis illuminationem, affectuum ordinationem, & voluntatis ad bonum inclinationem. Illa est, quæ operatur in mentem, in affectum, in voluntatem: quæ menti infundit bonas cogitationes, affectui inspirat bona desideria, voluntatem flectit ad exequendum bonas cogitationes & desideria bona. Hæc prævenit, comitatur, subsequitur. Hæc excitat, adjuvat, operatur ut velimus, & cooperatur ne frustra velimus. Hæc tentationes avertit, in tentationibus adsistit & opitulatur, contra carnem, mundum, & Sathanam sustinet, in lucta victoria potiri concedit: victos & lapsos resuscitat, stabilit, & novis viribus instruit, cautioresque reddit. Hæc salutem inchoat, hæc promovet, hæc perficit & consummat. Fateor mentem hominis animalis & carnalis esse obscuratam, affectus pravos & inordinatos, voluntatem immorigeram, hominemque in peccatis esse mortuum: Et addo, illum doctorem mihi maxime probari, qui gratiæ quam plurimum tribuit: modo sic caulam gratiæ agat, ne justitiæ Dei noxam inferat, & ne liberum arbitrium ad malum tollat. Quid amplius à me desiderari possit, non video. Monstretur, & assentiar, vel assentiri non debere commonstrabo. Neque hic igitur videre potium, quo jure mihi calumnia impacta sit, quum Thesibus de libero arbitrio disputatis hanc meam sententiam satis dilucide explicuerim.

5. De justificatione.

Postremum caput est de justificatione, de qua hæc mea est sententia: fidem eamque solam, quamquam sola sine operibus non est, ad justitiam imputari: hac sola nos coram Deo justificari, absolvi à peccatis, & justos censeri, pronunciari, declarari à Deo, de gratiæ tribunali sententiam ferente. Quæstionem de justitia activa & passiva, sive mortis & vitæ Christi, non ingredior; ambulo in latitudine; Christum dico mihi factum esse à Deo justitiam; factum pro me peccatum, ut ego per fidem sim justitia Dei in illo. Nec tamen detrecto super ea ipsa quæstione cum fratribus conferre, modo fiat citra acerbitatem, citra opinionem necessitatis, ex qua vix fieri potest, quin animorum existat distractio, & exacerbatio, potissimum si inter fervidos & zeli vehementioris incidat disputatio. Hoc autem culpant nonnulli, quod ipsum fidei actum, id est credere, dico imputari in justitiam, idque proprio sensu, non metonymice. Fateor sane, præeunte mihi Apostolo *cap.* IV. *Epistolæ ad Rom.* & sæpius istam phrasin usurpante. At quod inde concludunt, nempe sic Christum, ejusque justitiam à justificatione nostra excludi, eamque dignitati Fidei nostræ tribui; minime concedo deduci ex mea sententia posse. Vox enim *imputandi* significat fidem non esse ipsam justitiam, sed gratiosè pro justitia haberi; quo ipso dignitas omnis à fide aufertur, nisi quæ est per gratiosam dignationem Dei. Gratiosa autem illa dignatio & æstimatio non est extra Christum, sed respectu Christi, in Christo, & propter Christum: quem constituit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Dico igitur fidem imputari nobis in justitiam, propter Christum & justitiam ejus: in qua enunciatione fides est objectum imputationis; Christus vero & obedientia ejus causa justificationis impetratoria seu meritoria; qui Christus cum obedientia sua objectum est fidei nostræ; at non objectum justificationis seu imputationis divinæ, quasi Deus Christum ejusque justitiam nobis imputet in justitiam; quod fieri nequit, quum obedientia Christi sit ipsissima justitia secundum severissimum rigorem legis sumta. Non nego autem Christi obedientiam nobis imputari, id est, pro nobis & nostro bono præstitam censeri; quia hoc ipsum, quod Deus nostro bono & pro nobis justitiam Christi præstitam esse censet, causa est cur Deus fidem nostram, quæ Christum, ejusque justitiam habet pro objecto & fundamento, nobis in justitiam imputet, nosque fide, ex fide, per fidem justificet. Si quis mihi in hac sententia mea errorem monstraverit, lubens agnoscam; errare enim possum, hæreticus esse nolo.

Ep.114

Et hæc quidem sunt capita, quorum à T. Ampl. mentionem factam esse memini, cum meis ad illam explicationibus ex animi sinceritate prolatis, quales etiam illas haberi velim ab omnibus, qui illas videbunt. Utinam à fratribus meis, ejusdem religionis professione mecum

Ep.114 cum in Domino ſociatis, hoc impetrare poſſim, ut ſaltem aliqua conſcientia Dei me tangi credant! quod ſane charitas Chriſti facile ab iis obtinere debet, ſiquidem ejus ingenium & indolem meditari velint. Quæ mihi utilitas poteſt exiſtere ex diſſenſione, mera animi libidine ſuſcepta, ex ſchiſmate in Eccleſia Chriſti, cujus me membrum ex gratia Dei & Chriſti profiteor, ſuſcitato? Si per ambitionem aut avaritiam me eo incitari exiſtiment, ſyncere dico in Domino, non noverunt me. Ab hac ita me immunem profiteri poſſum; ut me nunquam ejus illecebris titillari contigerit, quamquam aliquo prætextu illam excuſare aut palliare poſſem. Illam non habeo, niſi honeſtam, horſum me impellentem, ut veritatem divinam omni molimine inquiram ex Scripturis Sanctis, inventam placide & citra contentionem proferam, abſque eo ne ulli præſcribam, aut conſenſum extorquere laborem, multo minus ut alienæ fidei dominari velim, & eo fini ut etiam ipſe aliquas Chriſto animas lucrifaciam, & bonus ipſi odor ſim, & probum nomen in Eccleſia Sanctorum. Quod ipſum me ipſius gratia poſt longi temporis patientiam impetraturum ſpero: quamquam jam opprobrium ſim fratribus meis, περικάθαρμα καὶ περίψημα (*excrementum & rejectamentum*) iis, qui unum Deum Patrem, & unum Dominum Chriſtum, in uno Spiritu, eadem fide mecum colunt & invocant, ſpemque unam mecum habent hæreditatis cæleſtis, per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti obtinendæ. Dabit mihi Dominus ſpero (& utinam mihi ſanctus & felix ille dies illuceſcat!) ut in nomine Domini placide inter nos conveniamus, & collationem Chriſtianam de rebus ad religionem pertinentibus inſtituamus: in qua ſpondeo per gratiam Dei me illam animi moderationem & amorem erga veritatem & pacem demonſtraturum, qui à Chriſti ſervo merito poſtulari & exſpectari debeat. Quieſcant interea Fratres mei, & me quietum ſinant; ut ego quieſco & nullum illis negotium aut moleſtiam faceſſo: ſi ſecus de me exiſtiment, inſtituant actionem; non defugiam authoritatem judicis competentis, non deſeram vadimonium. Si animos eorum, qui me audiunt, eminus per calliditatem præoccupari putant, ſicque rem per aſtutiam adminiſtrari, ut neque conſultum putent coram judicio me convenire; neque ſatis tutum arbitrentur ſtudioſam juventutem mihi committi, ideoque nigram, quam meritus ſim, notam nomini meo adſpergendam, ut illi abſterreantur; quod ni fiat colloquii dilationem certum periculum adlaturam; ecce offero me, ut una cum ipſis compellem, ſolicitem, ſupplicem eos, quos penes poteſtas eſt conventus hujuſmodi indicendi, vel concedendi; ne diutius nos in iſto angore & inquietudine animi verſari patiantur, ſed præproperum remedium vel ipſi adferant, vel adferri patiantur, ſuo tamen ſcitu & du-

ctu. Nulli ego conventui me ſiſtere detrectabo, ſive omnium noſtri Belgii fœderati miniſtrorum, ſive nonnullorum ex ſingulis provinciis convocandorum, ſive etiam omnium Hollandiæ & Weſt-Friſiæ (ad quam provinciam Academia noſtra Leydenſis pertinet) ſive nonnullorum ex iis conſcribendorum; modo tota res ſub conſcientia legitimi noſtri Magiſtratus peragatur; imo vero neque præſentiam virorum doctorum ex aliis locis advocandorum defugio, aut reformido; modo æquis conditionibus, & iiſdem quibus ego ſubeſſe debebo legibus, collationi interfuturi ſint. Verbo dicam. Agatur conventus, multorum, paucorum, modo aliqua ſpes affulgeat ſucceſſus, ſpes inquam, quam ego refutare firmis argumentis non potero, ecce me paratum & promtum, hoc ipſo die, hac ipſa hora: tædet enim & piget quotidie calumniarum adſpergi novis quiſquiliis, & neceſſitate onerari abſtergendi. Hac ſane parte hæreticorum ſum diſſimilis, qui aut conventus Eccleſiaſticos refugerunt, aut hoc effecerunt, ut aſſeclarum numero fidere, & certam victoriam exſpectare poſſent. Sed finio. Satis enim diu, Vir Ampliſſime & Nobiliſſime Domine, tuas aures detinui, & tempora tua gravioribus negotiis impendenda, moratus ſum. Ignoſcat *T. A.* ſcriptionis libertati, quam nonnulla mihi neceſſitas expreſſit, & mihi, quantum veritas divina & Chriſtianæ Eccleſiæ pax & concordia permittent, patrocinium ſuum præſtare non dedignetur. Deum Opt. Max. oro & veneror, ut *T. A.* diu incolumem ſervet, Spiritu prudentiæ magis magiſque inſtruat, quo legationem injunctam ex illuſtriſſimi Electoris Palatini voto obire, eaque feliciter obita ad ſuos remeare concedat pius, benignus. Lugduni Batavorum 5 Aprilis Anno 1608.

Ep.115

T. Ampl. ſtudioſiſſimus Jacobus Arminius, *Theologiæ in Academia Leydenſi Profeſſor.*

CXV.

JACOBUS ARMINIUS JOANNI DRUSIO.

VIr Clariſſime idemque Doctiſſime; Incidebat mihi hiſce diebus ex occaſione deſiderium legendi libros tuos, quos de Hæſidæis & ſectis Judæorum contra Nic. Serrarium ediditi: inter legendum autem ita crevit deſiderium, ut de manu non depoſuerim antequam integros uno velut ſpiritu perlegiſſem. Legi autem, ut meus eſt mos legere omnia ſcripta, unis iis exceptis quæ κατ' ἐξοχὴν, (*per excellentiam*) Scripturæ appellantur, citra affectum & præjudicium; quod eo mihi eſt facilius, quia nulli me ſenten-

Ep. 115. tiæ mancipavi de rebus divinis, nisi quam Scripturæ planè & perspicuè enuntiant; nec de aliis rebus ullis, nisi quam video argumentis adstrui: quibus etiam vel fidem vel opinionem accommodo, prout vel verisimilitudinem vel necessitatem habere comperio documenta. Extorquet autem res ipsa, ut tibi potius quam Serrario assentiar: ut tu mihi munire sententiam tuam videris; ita ille lubricè versari in explicatione & probatione suæ. Tu ex penu scientiæ, multorum annorum studio comparatæ, depromere tua videris; ille ut authoribus obiter inspectis, & non raro ex relatione aliorum, & conjecturis istâ nixis, pleraque proferre. Non hoc dico, quia tu meæ professionis vel sectæ es assecla, ille pontificiæ. Quid enim ista ad dissensionem nostram de religione pertinent? Neque etiamsi pertinerent, à quo vel quali dicantur attendo; sed oculo puro in rem non in auctorem retorto lego quæ lego. Quæ ipsa res me multorum calumniis fecit obnoxium. Fateor autem me tibi plurimum debere ob operam istam navatam. Multa enim mihi non modo antea non satis cognita, sed ne cogitata quidem docuisti. Quidni enim syncere profitear, quod dictat conscientia? Et quotusquisque idoneus est istis talibus ex suis authoribus eruendis? Hujus ipsius rei luculentum tum specimen præbet ipse Serrarius, qui nec à libris nec à notitia linguarum videtur esse destitutus. Attamen tam multa errata in illius interpretationibus commonstras, quæ etiam ego, quamvis modicam Hebraicæ tantum linguæ cognitionem adeptus, animadvertere possim te sic præeunte, ut confirmer in ista sententia, quam à multis annis habui, tuos labores non modo utiles nobis esse, sed & magnopere necessarios, siquidem illorum, quæ sæpe sine aliquo dedecore & errore circa sensus nonnullorum Scripturæ locorum à nobis nesciri possunt, ignari porro manere nolimus. Perge igitur bene de studiis Theologicis meren; conciliabit tibi opera ista magis magisque, quanquam in tenui videatur posita, & famam & benevolentiam eorum, quos non pudet discere quæ ignorant, & per tedisse nequeunt: ex quorum numero ego me profiteor. Duo autem præ ceteris non possum non vehementer laudare. Primum est, quod aperte pronuntias te adhuc dubitare & sententiam suspendere, ubi argumentis prolatis plenum assensum tribuere vereris. Alterum, quod neque sententiam mutare detrectas ista ætate, & tot annos in rebus istis versatus. Quæ ipsa tanto magis amo, quanto meo proposito sint propinquiora. Neque enim tantum discrimen inter ea quæ tu tractas, & quæ ego, esse existimo, ut mihi omnino non liceret alicubi ἐποχὴν & sententiam suspendere, quum non omnia religionis æque sint necessaria. Et hoc ipsum in me calumnian- Ep. 115.
tur multi, qui omnium rerum scientiam scrinio pectoris sui inclusam gestant, ex quo de quacunque re rogati non nisi oracula obviis auribus & animis excipienda proloqui se arbitrantur. Neque pudet sententias nonnullas aliquando à præceptoribus instillatas mutasse, quum mihi videor argumentis firmissimis probare posse mutationem in melius factam esse: quod & paratus sum demonstrare simulatque cum fructu citra tumultum fieri poterit. Cæterum tam mihi firma est in istis meis sententiis conscientia, ut calumnias terrimas, quæ de me per Germaniam, Galliam, Angliam, Sabaudiam (ecce quantopere ego homuncio per diligentiam fratrum meorum nobiliter, de quo alioquin vix quispiam extra Hollandiam nostram vel sciret quidpiam vel loqui dignaretur) sparguntur, citra ullum animi motum excipiam, præterquam commiserationis quem debeo fratribus tantopere adversus Deum & proximum peccantibus. Hæc ipsa conscientiæ securitas facit, ut hominum etiam mihi amicorum monitis, quibus suadent ut calumnias confutem, præpropera festinatione parendum mihi non existimem. Neque vereor eousque animos sive magnatum sive doctorum hominum, sive eorum qui ex plebe sunt, præjudicis adversum me occupatum iri, ut sententiæ meæ & propositi vel sola explicatione etiam de facili eximi non possint. Imo vero ista tanta & tam præcox fratrum meorum adversus me machinatio, certissimum mihi ipsorum de propria causa diffidentiæ indicium est. Qui enim fidit non præfestinat, Jehova fretus, in quo solo ipsi omne est auxilium; & mihi sane in illius unico verbo, pro cujus solius veritate, perfectione, & perspicuitate adversus omnium hominum qualiumcunque traditiones decertare non desinam, dum vitam mihi ipse benignus largiri dignabitur, neque unquam patiar, ut Ecclesiæ Christi quæpiam norma alia, sive sub secundariæ sive sub alio titulo, obtrudatur, quam unica illa V. & N. T. libris comprehensa. Et video id necesse esse suscipi studium, etiam apud nos, qui non ita pridem hoc thema adversus Pontificios inprimis ursimus; at jam velut deferentes vadimonium, etiam Confessiones, & Catecheses, utpote à doctis viris conscriptas, variis judiciis adprobatas, temporis diuturnitate (incipiunt enim X L. annorum præscriptionem proferre) firmatas, sanguine martyrum corroboratas, tanquam traditiones, ad quarum normam Scripturæ explicari debeant, Ecclesiis earumque ministris præscribere non verecundamur. In vestra autem Frisia & Groningensi ditione hoc à nonnullis agi non intelligo modo, sed & certo scio, inter quos præcipua nomina D. Sibrandus, Acronius Groningensis & Bogermannus. Quo tandem abibimus, si sub initium reformationis ad pontificium agendi morem relabimur?

Deus

Ep.116. Deus noſtri miſereatur, & Eccleſiæ ſuæ adflictiſſimæ opera ſervet, ut in ſola Scripturarum veritate fundata debita pietatis munia Deo exſolvere, & viciſſim ab eo diuturnæ pacis gratiſſimo munere potiatur. Vale Vir Doctiſſime & multis mihi nominibus obſervande, cum bono Deo, cui te & omnia tua commendo. Lugd. Bat. 6. Aprilis. CIↃ IↃC VIII.

CXVI.

ADRIANO BORRIO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

De Synodo & Magiſtratus mutatione.

REverende vir & frater in Chriſto dilectiſſime. Quod tu & qui iſthic ſunt amici perſuadere mihi conaris, idem etiam hic audio, & ingeminant benevoli. Adduci non potui hactenus ut propoſitum mutarem, quia res noſtras ita diſcedentes non compoſuimus, ut diutius abeſſe liceret; & jam utrorumque unanimi conſenſu & rogatione victus, ante diem Sabbathi hinc diſcedere non ſtatui. Sentio mihi aërem hunc benigniorem favere; nudiustertius & heri nullum ſenſi in toto corpore dolorem, nullam laſſitudinem, nullum catharrhum; quamquam Viana circa veſperum diei Dominicæ curru Ultrajectum vectus ſim; eo enim mane ejuſdem diei navigio iveramus animi recreandi cauſa; tamen nihil incommodi attulit concuſſio, quam cavebamus pro virili: urget jam Henricus, qui hic eſt in conventu Eccleſiaſtico, Amersfortum ut ſecum abducat: at aſſentiri illi non potero, quia grave mihi eſt tamdiu erecto corpore in curru ſedere, neque permittit ſpina dorſi, cui tum maxime caput & corpus innititur ſuperius. Tempeſtas autem die Dominico erat nobis amoeniſſima, inde cœpit rigidior eſſe à flatu ventorum: at tolerabilis tamen eſt. Gaudeo familiæ bene eſſe, quam porro Dei & veſtræ cuſtodiæ committo. Intellexeram hic D. D. Ordines Hollandiæ & Weſtfriſiæ in conventum Synodicum conſenſiſſe: quo equidem vehementer gaudebam. Nam omnino ad collationem veniendum erit, cui debebimus nos accurate præparare. Quæ narras de oratione Ampliſſimi Barneveldii & aliorum aſſenſu, vehementer me exhilarant. Ita decet viros cordatos, & ſui ipſorum muneriſque impoſiti & poteſtatis à Deo traditæ gnaros. Niſi id agant ſerio, ut authoritas ſupereminens ſarta tecta, & omnis anima, etiam Epiſcoporum & Eccleſiæ Antiſtitum, ei ſubjecta ſit, perimus nos & ipſi, totaque patria noſtra. Non poteſt non Papatus, ſive in uno ſive in multis reſideat, eſſe ſtatus peccati & cauſa perditionis omnibus inter quos viget & obtinet. Experientia id docuit in Romano; ſtultiſſimi dicemur ſi per illam doceri nos non patiamur. Fortiter res agenda erit veritatis divinæ & libertatis Eccleſiaſticæ; utraque enim laborat graviter. Ego ſentio me Ep.117. magis magiſque animari ad utriuſque defenſionem. Deus nos inſpiret ſpiritu ſapientiæ & fortitudinis. Fratres quos ſalutari voluiſti, ſalutavi, & viciſſim tibi ſalutem dicunt omnes. Vivunt concordes, ut præcones pacis decet. Deus illis id bonum perpetuum eſſe velit. Haſce incluſas velim Angelicæ meæ tradas. Salveant amici, D. Pavius, Arnoldi, Haſius, &c. etiam tua cariſſima, Ultrajecti 23 Junii ſtilo novo.

CXVII.

HUGO GROTIUS

NIC. REIGERSBERGERO S.P.

Familiaris Eccleſiaſtica.

MI Frater, ita enim te appellare jus faſque eſt, non modo veteris amicitiæ privilegio, ſed & novæ affinitatis jure, quod ipſa ſoror tua, jam totum meniem nupta, negare non audebit. Ubi nunc agas, & quomodo, ſcire vehementer deſidero: Pariſiis an fueris, ibi Thuanum & Caſaubonum conveneris? quid tibi Aureliæ placeant? jamne Ligerim navigaveris, & ad Andes perveneris? quæ tibi vita nova terræ facies? ubi montes, ſilvæ, fontes, flumina, quæ nos Batavi ferme niſi legendo atque audiendo non novimus? ipſe regni auguſtiſſimi ac florentiſſimi ſtatus ecquid te delectaverit? quam feſtive nugentur monachi & ſacerdotes, vix antehac tibi viſa animalium genera? numquid ad Jeſuitæ conſpectum expalueris? quid tibi in mentem veniat audienti quotidie ſeneſcentis regis novos amores? quæ illic ſuper rebus noſtris judicia? pax ne ſperetur, an Gallicæ manus in Hiſpanum pruriant? Ego hic etiamnum à publicis privatiſque rebus in Zelandia apud tuos patrios Lares atque Penates diſtineor: ubi nec Pelopidarum nomen nec facta audio; niſi quod Præſidem Janninum ſcio in Hollandiam veniſſe: Legatos, qui partim diſceſſerant, redituros. De Monacho nihil certi niſi ad d.XVII. Julii in Hiſpania fuiſſe ſine certa ſpe reditus. De nuptiis noſtris unum te cælare non poſſum, * * Res Eccleſiaſticæ quieſcunt, & quidem melius, ut arbitror, præſertim cum hoſtis ſit in ſpecula. Gomarus magis in dies ſe ducem partium facit. Zelandi veſtri quotidie controverſias declamant, de Prædeſtinatione, de perſeverantia regeneratorum, de objecto juſtificationis, & alia ejuſmodi. Bucerus epithalamium Græcum nobis dedit. Neræus (noſti enim & hunc) Gallicum ſatis licentioſum. Heinſius etiam Batavicum. Baudio tam male eſt, ut verſus ſcribere non vacet. Da veniam quod longiores literas non ſcribo. Materia deficior, quam uberiorem habebo ubi in rerum ſcena, hoc eſt, Hagæ fuerim, quod cis octo dies aut paulo amplius futurum ſpero.

Ep. 118. Ubi te Pariſios iturum ſcivero, faciam habeas literas ad amicos. Monebis me in tempore. Omnes tui te ſalutant. CIↃ IↃC VIII. 18. Auguſt.

Tui amantiſſimus Frater

HUGO GROTIUS.

CXVIII.

SEBASTIANO EGBERTI

Conſuli Amſtelædamenſium,

JACOBUS ARMINIUS

Salutem in Chriſto P.

A calumnia, de Pontifice Romano pro Eccleſiæ membro agnoſcendo, ſe vindicat.

VIr ampliſſime; Perſcriptum mihi eſt, quemdam veſtrorum Eccleſiaſtarum dominica præterita, quum tractaret parabolam Chriſti de rege à ſervis rationem adminiſtrationis poſtulante, dixiſſe inter alia: Pontificem Romanum, qui conſervos ſuos verberat, non eſſe membrum corporis Chriſti, quemadmodum hodie à nonnullis Eccleſiæ adverſariis in cathedra & publicis locis docetur, libelliſque impreſſis in publicum ſpargitur; quos neceſſe habeat ipſe & alii confutare, quamquam eo facto odium incurrant, ſibique & liberis ſuis noxam concilient: Eſſe enim doctrinam iſtam Deo tantopere exoſam, ut à nonnullis prudentibus viris animadverſum ſit, ab eo tempore, quo quidam defendere cœperunt apud nos, res noſtras inclinaſſe, & nonnullas munitiſſimas urbes ab hoſte occupatas eſſe, ducente exercitum non præfecto rei militaris perito, ſed Italo mercatore. Concioni autem in qua hæc dicta ſunt, interfuiſſe ex Politarchis T. A. Jacobum Boelium, Joannem de Vry, Franciſcum Oetgens; etiam Syndicum Albertum Verium. Multos arbitrari illa contra me, meaſque theſes, quæ illic libellorum nomine pro concione apud vos non ſemel ſunt nuncupatæ, dicta fuiſſe: de quo equidem nihil affirmare habeo. Si tamen & vos arbitremini me tangi, video mihi aliquam impoſitam neceſſitatem, ab iſta calumnia me apud vos vindicandi; quod per ipſas theſes meas, tum quas ante annum de idololatria, tum quas ante duos menſes de Pontifice Romano diſputavi, facile erit factu. Prioribus enim corollarii vice ſubjunxi: Pontificem Romanum eſſe idolum, & qui illum pro eo habent, quem ſe venditat ipſe, eo ipſo idololatras eſſe. In hiſce dico, Pontificem Romanum eſſe adulterum & lenonem Eccleſiæ, pſeudoprophetam & caudam draconis, Dei & Chriſti adverſarium, Antichriſtum, ſervum malum, qui conſervos ſuos verberat, Epiſcopi nomine indignum, Eccleſiæ deſtructorem & vaſtatorem. An veriſimile eſt, qui hæc de Pontifice Romano adfirmat, ab eo Pontificem Romanum pro membro corporis Chriſti haberi? Ego puto hæc δὶς ἀφ' ἑαυτῶν (*toto cœlo*) diffidere, & ἀμάχεσθαι (*maxime pugnantia*) eſſe: Et aperte profiteor me Pontificem Romanum pro membro corporis Chriſti non habere; ſed pro hoſte, pro perduelle, pro ſacrilego, pro blaſphemo, pro tyranno, & violentiſſimo injuſtiſſimæ in Eccleſiam dominationis uſurpatore, pro homine peccati, pro filio perditionis, pro exlege illo celeberrimo, &c. Intelligo autem Pontificem Pontificatu more ſolito fungentem. At ſi quis Adrianus Ultrajectinus, ad Pontificatum citra ambitum evectus, reformationem moliatur Eccleſiæ, & ab ipſo Pontifice, & Pontificatu, Curiaque Romana exordium faciat, ſibique nihil aliud quam Epiſcopi nomen & authoritatem uſurpet, quamquam inter reliquos principem locum obtinentis ex ſtatutis antiquis Eccleſiæ, illum ego iſtis nominibus adpellare non audeam: quia quem ſatellites Antichriſtianiſſimi & Curia Romana inviſum habet adeo, ut & vitam ipſi eripiat, hunc ego peſſimum eſſe, mihi perſuadere non poſſum. Creditur autem veneno ſublatus eſſe ab iis qui Reformationem Eccleſiæ, & præſertim Curiæ Romanæ, ab illo futuram metuebant. Arbitror tamen, & ex Scripturis magna veriſimilitudine probari poſſe exiſtimo; ab eo, qui ad Pontificatum Romanum evehitur, reformationem non eſſe exſpectandam; & ſi quis ea ſpe ſe eo promoveri patitur, certum mortis aut exilii periculum incurrere, vel Deo ipſo ſic rem adminiſtrante: Abolebitur enim adventu illuſtri Chriſti: & Reformatio prædicta eſt futura per populorum à Babylone ſegregationem, quæ Babylon capite ſuo non deſtituetur. Cæterum ſi putet Concionator ille, ex eo quod ego ſentio, Eccleſiæ in qua ſedet Romanus Pontifex, nondum libellum repudii à Deo miſſum eſſe, ſequi me & ipſum Pontificem pro membro Eccleſiæ agnoſcere; declarat ſe neſcire diſtinguere inter eos qui ſeducti ſunt & tyrannidem patiuntur, interque pſeudoprophetam & tyrannum ipſum, qui nomen membri Eccleſiæ à ſe amolitur ipſe, quum caput Eccleſiæ ſe audacter pronuntiat, eoſque omnes excommunicat, vel pro excommunicatis habet, qui illum pro capite agnoſcere nolunt. Si tamen ex eo mihi id impingi jure poſſit, habeo Fr. Junium, & L. Trelcatium p. m. quin & ipſum D. Gommarum, & pleroſque noſtros Doctores ſocios in iſto crimine. Hæc T. A. ſcribere viſum eſt, ut innoteſcat aliis ejuſdem ordinis, qui interfuerunt eidem concioni, ne calumnia fortius occupet animos, quos mihi ut alteri parti integros ſervari velim. Si mihi liberam vocem apud vos uſurpare liceat, dicam non ſatis virili animo illius hominis audaciæ obviam iri ab iis, penes quos eſt inordinate ſe gerentes coërcere. Miram iſtic licentiam maledicendi ſibi ſumit quivis è vulgo etiam. Nam ne epitaphium quidem, quod inſultus

Ep. 119. sulsus quidam D. Helmichio p. m. composuit, innoxium esse potuit: fuerunt etiam in eo perstringendi, quos gratis fingunt esse Novatores: quum nemo hucusque vel verbulo vere significare valuerit, quid illud sit novi dogmatis, quod meditari confidenter asseverant, quos Novatorum odioso nomine indigetant. Calumnia primogenita diaboli, à qua & nomen habet, sedem veritatis occupavit, zeli erga veritatem & pacem Ecclesiæ palliata amictu, ut fallat incautos. At Deus & dies illam patefacient. Interea patitur justus, conniventibus, utinam ne adjuvantibus, iis quorum est sedentium in throno justitiæ à facie sua calumniam & calumniatores abigere. De obitu filioli tui serius intellexi, precor Deum ut tibi damnum hoc cum fœnore uberrimo restituat. Mitto quas voluisti acceptilationes, tardius, quia quum sepositissem illas, excidit illarum memoria. Vale, Vir Clarissime & Consultissime, cum bono Deo, cui te & omnia tua commendo. Salveat à me & mea puerpera uxor tua carissima quam officiosissime. Lugduni Batavorum 24 Septembris 1608.

CXIX.

SEBASTIANO EGBERTI

Consuli Amstelædamensium

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Epistola. VIr Consultissime; Gratum mihi officium feciti, quod defensionem meam Consulibus & nonnullis Consularibus exhibuisti. Utinam ex illa eum fructum saltem obtineam, ut iis cautius credant, qui zelum veritatis præ se ferunt, & illa vehementia in innoxios debacchantur: quem ipsum tamen vix spero me consecuturum. Ἀμβλεῖαι γὰρ πολλῶν τὰ νοήματα ἐξέπληξαν: (*calumnia enim multorum cogitationes fascinavit*) quæ nullum quidem potuit invenire speciosiorem prætextum apud Politarchas quietis studiosissimos, quam me καλὸν δὲ καὶ ἀσφαλῶς κεῖμενον διὰ τοῦτο ἀκίνητον καὶ ἀτάκτως. (*bonum bene positum & propterea immobile movere intempestive & inordinate.*) At velim illos ex zelotis istis percunctari sedulo, quid illud sit, quod ego moveo non movendum? spondeo nihil vere responsuros: aut enim talle erit quod cuivis facile constabit non esse immobile, imo vero vix positum esse; aut liquebit illud à me non moveri. Cujus mihi apertum indicium dare videntur ipsi, quum tanta vehementia negotium, quod immotæ veritatis esse dicunt, agitant. Veritas sui ipsius patrona facile falsum confutabit, præsertim defensa ab iis qui primas cathedras occupant. Ut theses conscribam de iis, in quibus me suspectum habent, nec consultum est, neque adeo facile; imo & frustraneum, quum calumniam de molimine Pontificii regni promovendi thesibus tam planis effugere non potui. Ep. 119. Et qui sciam in quibus suspectus sim, quum nemo id explicet aperte; ut ego id divinem, vix possim, & eo ipso me suspectum reddam apud prudentiores. Habeo triginta unum articulos qui mihi impinguntur, quibus etiam respondi apologetico scripto, quod iis tradidi qui mihi illos primum exhibuerunt: at existimo illos ipsos, viros cordatos tamen & magnæ autoritatis, editionem dissuasuros, ne calumnia nimis plane confutata autoribus ignominiam pariat. Mihi statutum est, si quid habeo movendum, illud fratribus meis in libera Synodo, vel Nationali, vel Provinciali, præsentibus Politarchis, quorum interest ista scire quam maxime, proponere, non nude, sed additis rationum momentis quibus id stabiliri credo; sine quibus nullo modo tutum mihi ullam thesin ad exteros Theologos judicandam mitti. Interea animam meam in patientia possidebo, ut hactenus feci, Deo fretus, qui bonam causam tuebitur, & injuste pressis solet præsenti ope subvenire, etiamsi conniveant, qui illius loco justitiæ vindices sunt in terra. Libere dico, sola ista mea patientia audaces reddit zelotas illos; cujus etiam suasores habeo non minimos in ordine Primatum, quibus si modo videatur consultum & res patriæ ferre, ut dicam publice quod habeo, operam quam nunc calumniæ impendunt, in defensionem turpium quorundam & enormium dogmatum consumere cogentur; quorum unum tantum proferam: Creationem in recto justitiæ originalis statu esse viam reprobationis, qua Deus statuit ab æterno maximam hominum partem æterno exitio devovere citra ullam peccati considerationem: quod dogma nec à Scripturis, neque ab ullo vel universali vel particulari Concilio, neque ab ullo ex Patribus, qui sexcentis primis annis vixerunt, positum est, imo vero non à communi consensu Protestantium Theologorum, neque ab ulla Ecclesiæ Protestantis Confessione. Ecce τὸ ἀκίνητον (*immobile.*) Lubet audire alterum? Regeniti non plus boni præstare possunt, quam præstant. Ecce tertium. Tam non fuit decretum Deo hominem ante lapsum per legem servare: quam post lapsum. Hæc ipsa quamquam enormia sint, tamen si intelligat ille apud vos præcipuus me ista moturum, protinus publice istorum defensionem suscipiet. Possem hujusmodi proferre plurima, nunquam audita in Ecclesia Christi nisi hisce postremis annis: notum enim Prædestinariorum dogmata cum hisce congruentia statim fuisse ab Ecclesia explosa. Inquiram de commodo diversorio pro affini tuo; putabam juniorem Heurnium convivas domi suæ excepturum, sic enim mihi narrarat; hujus fidei illum credere ausus fuissem; sed mutavit mentem: malim illum esse ubi pauci sunt, ne ullius petulantioris contubernio corrumpatur. His vale vir clarissime & consultissime cum conjuge dilectissima.

Ep. 120. Ignoſce ſcriptionis inconcinnitati, raptim enim & currente calamo ſcribendum fuit ob negotia. Leydæ 10 Octobris 1608.

CXX.

Nobiliſſimo viro

D. JOANNI ab OLDENBARNEVELT,

Equiti, Domino Berkelia, Rooderiſia, &c.

SIBRANDUS LUBBERTUS S.D.P.

De conventu præparatorio, & Catechiſmo Goudenſi.

VIr nobiliſſime,

Longo tempore id operam dedi, ut me meaque ſtudia tibi probarem, & tuam amicitiam atque favorem mihi conciliarem. Nam ut omnes boni viri, qui in foederatis provinciis agunt, uno ore confitentur Eccleſiam & Remp. tibi multum debere: ita ego quodam interno inſtinctu non tantum idipſum profiteor; ſed in facundiæ, prudentiæ, lenitatis, manſuetudinis, ceterarumque virtutum, quibus Deus te præ ceteris ornavit, admirationem abreptus, inter maxima Dei munera, quibus me ornavit, numero, quod me tua amicitia dignatus fueris: parum eſt, quod dico te me tua amicitia dignatum eſſe, inſuper etiam me aureo munere honorafti, neque me ſine tam ſplendido & magnifico munere abs te dimittere voluiſti. Ago igitur tibi ingentes gratias, Vir Nobiliſſime, omniaque mea ſtudia tibi defero, & rogo, ut mihi, cum ita viſum fuerit, aliquid laboris atque oneris mandare velis; ut poſſim reipſa oſtendere, quam ſim promptus & paratus ad illa facienda, quæ tibi probantur. Quod ad aureum munus attinet, hoc erit mihi perpetua teſſera tuæ erga me benevolentiæ, & ſtimulus ad diligentiam & induſtriam.

Cum tibi adeſſem, colloquebamur de conventu præparatorio, & Catechiſmo Goudenſi. Ego inter cætera dicebam de forma Synodi, eſſe quatuor controverſias, illaſque eſſe ejuſmodi, ut conciliari non poſſint.

Prima eſt de Synodi definitione, videlicet; An ille conventus, qui ex Illuſtriſſimorum Ordinum mandato congregabitur; an vero multitudo omnium Paſtorum, ſive congregentur, ſive non congregentur, ſit Synodus? Illi poſteriorem ſententiam ſequuntur, *deur den Synodum verſtaen wy die gedeputierden, ende gedeputierende Predicanten*; id eſt: per Synodum intelligimus, deputatos & deputantes concionatores: Nos priorem.

Secunda. An Synodus neceſſario debeat inquirere in Catecheſin & Confeſſionem Belgicam, & videre, an aliquid falſi ſit in iis? Illi reſponderunt, totam Synodum & omnes Paſtores, qui ad eam veniunt, hoc neceſſario facere debere: Nos vero non potuimus hoc approbare; ſed diximus illos, qui ad Synodum venturi ſunt, vel dubitare de doctrina; vel non dubitare de doctrina. Illis, reſpondimus, licere in Catechelin & Confeſſionem inquirere, & diligenter ſcrutari, an cum ſacris Literis congruant: Hos vero, qui receptam doctrinam credunt veram eſſe, & in ea acquieſcunt, ut idem faciant, cogi non debere. Ep. 120.

Tertia. An durante Synodico judicio omnes Paſtores, qui de controverſiis doctrinarum judicaturi ſunt, à juramento, quo per ſubſcriptionem obſtricti ſunt Catechiſmo & Confeſſioni, abſolvi debeant? Illi reſpondent, quod ſic; & contendunt judicia, niſi ita fiat, non fore libera. Nos vero reſpondimus, quod non; & oſtendimus, hoc juramentum nos non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid obſtringere Catechiſmo & Confeſſioni, videlicet, quatenus illa cum Dei verbo congruunt; & ut omnem ſcrupulum tolleremus, definivimus omnes ſententias, quæ in Synodo pronunciabuntur, ſecundum Dei verbum pronunciari debere; neque Synodicos, in controverſiis dijudicandis, ad ullam aliam rem, quam ad Dei verbum reſpicere debere: quo ſignificare voluimus, ſacram Scripturam eſſe unicam & ſolam regulam ac normam doctrinæ Eccleſiaſticæ, & judicii in Eccleſia. Addidimus, in Politicis ita quotidie fieri. Nam Senatores Friſiæ etſi jurejurando ſunt obſtricti provinciæ; tamen quotidie dijudicant eas controverſias, quas homines privati habent cum provincia, neque à jurejurando abſolvuntur. Cauſa hujus rei eſt, quod non ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, videlicet quatenus jus & leges ferunt, provinciæ obſtricti ſunt. In curia Hollandica exiſtimarim idem fieri. Ante hoc bellum, cum Senatores obnoxii erant regi, poterant ſalvo jurejurando contra regem pronunciare; neque neceſſe erat, ut quoties in cauſis ad regem pertinentibus pronunciare debebant, à juramento, quo regi obligari erant, abſolverentur.

Quarta. *Of men ook receſs nemen ſall?* An receſſus ſit habendus? Ad hanc quæſtionem quidam reſponderunt, fieri debere. Alii vero dixerunt, facere licere. Dum de hac re (liceret ne an deberet fieri) diſceptabamus, deprehendimus his receſſibus omne Synodicum judicium non ſolum enervari, ſed funditus everti. Ut igitur huic malo obviam iremus, neque tamen cuiquam juſtam de nobis conquerendi anſam præberemus, reſpondimus, in Synodi arbitrio fore, quare, quando, & qua de re, receſſus fieri debeant. Addidimus, Synodum habere facultatem definiendi controverſias, & ſententiam à Synodo latam eſſe definitivam; idque inductione omnium Synodorum, quæ à tempore Apoſtolorum ad noſtram uſque ætatem habitæ ſunt, oſtendimus. Hoc quatuor viri admittere non voluerunt.

Hæ quatuor controverſiæ ſunt hujuſmodi, ut conciliari nequeant. Ego diligenter explo-

ravi,

Ep.120. ravi, quænam ſit exterarum Eccleſiarum de illis ſententia. Hæ vero unanimiter reſponderunt, ſe ſentire nobiſcum. Ab eo tempore Doctor Arminius conſignavit quaſdam rationes, quibus ſuam ſententiam probaret. Has miſerunt ad me Paſtores fœderatarum provinciarum, & petiverunt, ut ego ad illas reſponderem: quod feci adjuncto libello.

Catechiſmus Goudenſis præcipua doctrinæ capita tollit, vel ſaltem omittit. Cætera quæ retinuit, ita explicat, ut Servetus, ſi reviviſcat, ſit illis libenter ſubſcripturus. Res ipſa docet, auctorem Catechiſmi omnia fere ad imitationem Fauſti Socini, qui eſt genuinus Serveti diſcipulus, cenſuiſſe. Hunc Catechiſmum vicini fratres ad me miſerunt, & petiverunt ut meum judicium ad illos perſcribere vellem; quod feci. Utrumque ſcriptum ad te mitto, & rogo, ut illa, ſi occupationes tuæ id ulla ratione permittunt, legere velis. Si autem negotia publica hoc tibi non permittunt; optarim ego, ut vel Dominus Mylius, vel Krumholtius, vel Hogerbetius, vel Santenius, qui ſunt omnes excellentes & præſtantes viri, iſta legere, & ad te referre velint, quibus rationibus utraque pars maxime nitatur. Ita ex utraque parte collatione facta, ſine errore judicare potentis, quid verum ſit, & quid falſum. Non volui hæc citius ad te mittere; metui enim, ut conſultationes de pace & induciis inſtitutæ non permitterent, ut his diſputationibus attenderes. Nunc vero, quoniam illæ paululum ceſſare dicuntur, judicavi me non diutius expectare debere. Scripti Synodici exemplum miſi ad D. Uytenbogardum, ut eo lecto, vel acquieſceret in ſententia noſtra, vel me meliora doceret.

Cum à te diſceſſiſſem, acceſſi ad Paſtores, qui illic congregati erant, & oſtendi illis, quam egregie eſſes affectus erga veram Religionem, & quam ſtudioſe laborares, ut in Eccleſia concordia conſervaretur. Hac occaſione illos monui, ut & illi concordiæ & tranquillitati ſtudere vellent. Inter cætera dixi, D. D. Ordines non velle libertatem Eccleſiarum minuere, neque iſtum conventum indixiſſe, ut cuiquam præjudicarent. Addidi, te mihi confirmaſſe, quod neque conſilium, neque auxilium dare velis, ut vel tantillum in Religione contra Dei verbum mutetur: quo ſane eos omnes ſupra modum exhilaravi. Cum hoc modo illos excitaſſem, rogavi obnixe, ut ſua conſilia tecum communicarent, ut ipſas controverſias tibi aperirent, & candide oſtenderent, quo loco eſſent res Eccleſiarum veſtrarum, ut nihil diſſimularent, ut ſe mutuo tolerarent, denique ut nihil molirentur te inconſulto. Addidi, unum virum politicum, quem Deus in eminentia conſtituit, & neceſſariis donis ornavit, plus utilitatis afferre poſſe Eccleſiis, quam decem bonos Paſtores. Si fratres meum conſilium ſequentur, ſpero Eccleſias veſtras fore tranquilliores. Deus te, vir Nobiliſſime, & Eccleſiæ, & Reipub. & mihi longo tem- Ep.121. pore incolumem conſervet. Vale. Fran. 1608. 16 Octob.

CXXI.

JOANNI UYTENBOGARDO

SIBRANDUS LUBBERTUS S.P.D.

EXteras Eccleſias nobiſcum ſentire, tibi antea ſignificavi. Ab eo tempore oſtendi tibi libellum Doctoris Arminii, quo reddit rationem de diſcrepantibus ſuffragiis Hagæ in conventu præparatorio latis. Ad hunc ego reſpondi: reſponſionem ad te mitto. Lege & judica; eoque lecto, doce nos meliora, aut in recepta doctrina acquieſce. Arminii libellum ita exhibeo, ut ad me miſſus eſt: tantum duas rationes in alium locum removi, idque propterea, quod à D. Arminio non collocatæ erant loco idoneo. Hoc volui ut ſcires. Si vis hæc cum D. Arminio communicare, per me licet. Nihil enim occulte in hac re agere cupio. Huc accedit, tam mihi jucundum fore ab illo meliora docente vinci, quam vincere. Conſule Eccleſiæ unitati & paci quantum potes, ego idem faciam. Reſponſio mea ad Socinum jam ad finem deducta, & pene deſcripta eſt. Vale. Fran. Anno 1608. 17 Octob.

CXXII.

SIBRANDO LUBBERTI

JOHANNES UYTENBOGAERT

S. P.

Reprehenditur Sibrandus, quod male fidei judicia exterorum de ſententiis in conventu præparatorio enunciatis exquiſierit.

ITa eſt, vir clariſſime, exteras Eccleſias vobiſcum ſentire mihi antea ſignificaſti; ſed neque tum, neque etiam nunc, quænam ſit illa Eccleſiarum exterarum ſententia expoſuiſti; quod equidem optaſſem: Sic enim conſtare mihi potuiſſet liquido, & quid rogaveris tu, & quid reſponderint illæ, quibuſque nitantur rationibus. Dicebat quidem mihi T. R. quum à me primo diſcederet, ſe ſtatus controverſiarum ad exteras Eccleſias perſcripturum, illarumque judicia exquiſiturum eſſe: at monebam ego viciſſim ne id faceres, haud enim magno id futurum emolumento, propter cauſas quas tum ſubjungebam: & ſi omnino tibi ſtaret ſententia id facere, inprimis hoc operam dares, ut controverſiæ ſtatus probe proponeretur. Hoc quidem te feciſſe ſcribis, & addis, te nihil exaggeraſſe, neque quenquam odioſe perſtrinxiſſe. Verum iſtæ ipſæ tuæ litteræ, quas vidi & legi, vetant frater chariſſime ne id credam; quod equidem doleo. Tutius longe fuiſſet, & ad Eccleſiarum pacem fovendam accommodatius, non ſollici-

taſſe

Ep.122. taſſe Eccleſias exteras, niſi exhibitis primum ſummo Magiſtratui noſtro, (hic enim nos evocarat & ſententias rogarat) utriuſque ſententiæ rationibus; quod & ſponte obtuleramus; hoc enim facto, ſi tum illi ipſi Magiſtratui viſum fuiſſet exterarum etiam Eccleſiarum judicia audire, potuiſſet id majore & authoritate & fructu peragi. Status controverſiæ etiam non ex unius partis arbitrio, ſed utriuſque conſenſu explicandus fuit, omiſſis quoque diſſidentium fratrum nominibus, aliiſque ad hoc negotium minime pertinentibus. Ita cum nuper T. R. in horto meo objicerem, excuſare quidem neſcio quo pacto conabaris; ejuſmodi tamen ſunt, quæ haud levem & cauſæ & perſonis injuriam intulerunt. Videtur enim R.T. rem totam ita inſtituiſſe, ut præjudicio adverſus Arminium & me concepto fratrum animis occupatis, illos quovis modo in tuam ſententiam pertraheres; quod ſane non decuit hominem ingenuum & doctum. Argumento ſint inter alia quamplurima quæ jam non attingo, hæc tuarum ad me literarum verba; *improbant etiam quod D. Harminius ſe declarare recuſat.* Niſi ſententiæ tuæ patrocinium ex præjudicio adverſus D. Arminium concepto quærere voluiſſes, iſta in tuis ad fratres litteris ne attigiſſes quidem: quid enim hoc ad rem quæ hic agitur, ſi ſe declarare Arminius voluerit vel noluerit? annon in ea quæ tum agitabatur controverſia, ſatis ſe declaravit Arminius? Alia ſi quæ fuerunt interſperſa, ut ad hoc negotium non pertinebant, ſic nec quæſtioni huic admiſceri, meo quidem judicio, debuerunt; ſed ipſæ T. R. litteræ quum in promptu ſint, eæque quid ſcripſeris, & qua fide egeris clariſſime teſtentur, argumentis haud opus. Jamdudum T.R. iſta & alia plura indicaſſem; verum abſtinui, ne te offenderem. Quia autem identidem me urges tuis litteris, pertinaxque meum ad illas ſilentium in calumniam rapi potuiſſet, ac ſi te, quem revereor, quod coram Deo dico, contemnerem, teque reſponſo haud dignarer; non potui quin modeſte indicarem, me hanc tuam agendi rationem probare non poſſe; quod obnixe rogo ne feras ægre. Non enim rixandi tecum libidine hæc ſcribo, ſed neceſſitate quadam compulſus quid mihi diſpliceat indico. Et ſane haud ſemel conqueſtus ſum, & adhuc dum conqueror, quod mihi vocato & rogato à ſummo Magiſtratu de legitima forma & modo habendi Synodum, ſententiam apud fratres meam libere dicere non licuerit; quodque propter eandem libere propoſitam à fratribus meis pene hoſtis loco habear, & apud exteros traducar, velut novarum rerum appetens, & Eccleſiarum turbator; quum tamen neque ante conventum præparatorium, neque poſt illum, hoc vel minimo indicio egerim, ut quenquam in ſententiam meam pertraherem; ſed ſemper ſim proteſtatus, me tantum velle quod ſentio loco & tempore congruis libere proponere, eoque facto, totam rem DD. Ordinum, qui nos vocarunt & rogarunt, judicio permittere, nulla propterea lite mota neque adverſus Eccleſiam, neque adverſus quenquam. Nihilo ſecius tamen (quæ quorundam eſt impotentia animi, & in alios dominandi libido) velim nolim in arenam pertrahor, ut fere ſingulis momentis de defenſione cum ſententiæ, tum nominis, ſit laborandum, optimæque horæ tam ingratis collocandæ laboribus. Crede mihi, mi Domine, ego ut ad conſilium veſtrum vocarer non ambivi; & ad illud non vocatus non acceſſi, quin & eadem qua tu authoritate vocatus acceſſi, & magis liber quam quidam alii, ſententiam juſſus dixi ex conſcientia, paratus eam etiam probis fulcire rationibus, ſi idem qui vocaverant, juſſerint, & ſi non juſſerint, tacere. Quid hic quæſo à me peccatum eſt? Et tamen ita mecum agit T.R. quaſi apoſtata factus eſſem; iſta enim tua verba ſunt, *Si ulla ratione fieri poteſt, redi ad nos.* Item; *noluiſſem ſuadere ut à nobis diſcederes:* Iterum; *ſi manſiſſes nobiſcum, potuiſſes Mediatoris munere fungi inter partes diſſidentes.* Quæſo te, mi Domine, mi frater, à quibus ad quos diſceſſi, ut mihi redeundum ſit? nulla ne igitur in re poteſt eſſe ſententiarum diverſitas, niſi protinus fiat diſceſſio? Quod ſi hic ferre diſſentientem grave, quid fiet in majoris momenti controverſiis? Et tamen mones Eccleſiæ unitati & paci, ut quantum poſſum, conſulam, teque idem facturum ſpondes. Pie profecto & ſancte: ad iſtas voces manus tuas deoſculor in Domino; externi enim & domeſtici hoſtes, quod ſcribis, ſuadent ut in eo laboremus: verum modos ineundæ & firmandæ concordiæ magis accommodos, & quidem voci divinæ convenientiores monſtrari velim, quam illi ſunt quibus utuntur hodie quamplurimi pacis præcones; unde etiam fit, ut id quod tanto conatu ſe velle videri volunt, tamen omnium minime aſſequantur. Non iuſurris, non calumniis, non ſiniſtris de fratribus judiciis, non præjudiciis, non clamoribus, non odioſis criminationibus, non virulentis & violentis ſuſpicionibus, non deciſionibus magiſtralibus, non rixoſis ſcriptionibus, quarum jamdudum totus mundus pertæſus eſt, iſta res peragitur; ſed amicis & fraternis collationibus, identidem bono modo & ordine repetitis, animiſque multo Dei timore, multa pietate, patientia, lenitate, manſuetudine & tolerantia præditis, ardentique veritatis amore inflammatis, charitateque fraterna flagrantibus, invocato ad illam rem undique ſerio divini numinis auxilio & præſidio. Quod ad me attinet, ego multa, & quidem publica & illuſtria, documenta, per Dei gratiam, proferre poſſem ſtudii mei vehementiſſimi, erga Eccleſiarum veram unitatem & pacem; in quo etiam perſtare ad extremum uſque ſpiritum decretum, quod tibi velim quam perſuaſiſſimum.

Ep.122. proponere, eoque facto, totam rem DD. Ordinum, qui nos vocarunt & rogarunt, judicio permittere, nulla propterea lite mota neque adverſus Eccleſiam, neque adverſus quenquam. Nihilo ſecius tamen (quæ quorundam eſt impotentia animi, & in alios dominandi libido) velim nolim in arenam pertrahor, ut fere ſingulis momentis de defenſione cum ſententiæ, tum nominis, ſit laborandum, optimæque horæ tam ingratis collocandæ laboribus. Crede mihi, mi Domine, ego ut ad conſilium veſtrum vocarer non ambivi; & ad illud non vocatus non acceſſi, quin & eadem qua tu authoritate vocatus acceſſi, & magis liber quam quidam alii, ſententiam juſſus dixi ex conſcientia, paratus eam etiam probis fulcire rationibus, ſi idem qui vocaverant, juſſerint, & ſi non juſſerint, tacere. Quid hic quæſo à me peccatum eſt? Et tamen ita mecum agit T.R. quaſi apoſtata factus eſſem; iſta enim tua verba ſunt, *Si ulla ratione fieri poteſt, redi ad nos.* Item; *noluiſſem ſuadere ut à nobis diſcederes:* Iterum; *ſi manſiſſes nobiſcum, potuiſſes Mediatoris munere fungi inter partes diſſidentes.* Quæſo te, mi Domine, mi frater, à quibus ad quos diſceſſi, ut mihi redeundum ſit? nulla ne igitur in re poteſt eſſe ſententiarum diverſitas, niſi protinus fiat diſceſſio? Quod ſi hic ferre diſſentientem grave, quid fiet in majoris momenti controverſiis? Et tamen mones Eccleſiæ unitati & paci, ut quantum poſſum, conſulam, teque idem facturum ſpondes. Pie profecto & ſancte: ad iſtas voces manus tuas deoſculor in Domino; externi enim & domeſtici hoſtes, quod ſcribis, ſuadent ut in eo laboremus: verum modos ineundæ & firmandæ concordiæ magis accommodos, & quidem voci divinæ convenientiores monſtrari velim, quam illi ſunt quibus utuntur hodie quamplurimi pacis præcones; unde etiam fit, ut id quod tanto conatu ſe velle videri volunt, tamen omnium minime aſſequantur. Non iuſurris, non calumniis, non ſiniſtris de fratribus judiciis, non præjudiciis, non clamoribus, non odioſis criminationibus, non virulentis & violentis ſuſpicionibus, non deciſionibus magiſtralibus, non rixoſis ſcriptionibus, quarum jamdudum totus mundus pertæſus eſt, iſta res peragitur; ſed amicis & fraternis collationibus, identidem bono modo & ordine repetitis, animiſque multo Dei timore, multa pietate, patientia, lenitate, manſuetudine & tolerantia præditis, ardentique veritatis amore inflammatis, charitateque fraterna flagrantibus, invocato ad illam rem undique ſerio divini numinis auxilio & præſidio. Quod ad me attinet, ego multa, & quidem publica & illuſtria, documenta, per Dei gratiam, proferre poſſem ſtudii mei vehementiſſimi, erga Eccleſiarum veram unitatem & pacem; in quo etiam perſtare ad extremum uſque ſpiritum decretum, quod tibi velim quam perſuaſiſſimum.

Uytenbogardus in margine adſcripſit. *Nota, iſta aliis D. Sibrandi ad me litteris contineri, quæ ut tu mittere alia & litteræ & ſchedæ tralatæ mihi perierint.*

Ep. 122. mum. Quod ſi tibi eadem mens, idem animus, en, cedo manum, meam tenes, agamus hoc utrinque in Domino. Exiſtimare te dicis, *rem adhuc componi poſſe*. Recte hoc exiſtimas: ſed da operam, ne qui ſe pacis cauſa continent, & ad infinitas pene, quibus proſcinduntur, injurias ſilent, dum legitima & æqua collatione inſtituta tota res tranſigatur in Domino, nimia quorundam inquietudine laceſſiti, tandem erumpant, & dedecora, quæ tegi ſatius fuerit, toti mundo palam faciant; ut ita bello palam publicato, & patria & Eccleſia hoſtibus ludibrio exponantur, in noſtrorum omnium perniciem. De me autem ita, rogo, ſtatuatur, me nempe à vobis non diſceſſiſſe, ideoque ut redeam neceſſe non habere. Sententiæ quidem veſtræ, de forma & modo habendi Synodum noſtram Nationalem, ſubſcribere hactenus non potui, neque etiamnum poſſum; quod firmis & probis deſtituta videatur rationibus. Sed abſit ut propterea (niſi vobis decretum non ferre, niſi conſentientem) ab unitate & pace, quam cum noſtris Eccleſiis colui hactenus in Domino, vel tantillum diſcedam. Scriptum refutatorium quod ad me miſiſti, legere nondum datum, legam ubi ocium fuerit. Obiter tantum inſpexi, & reperi quæ diſplicent non pauca: ſed de his forte alias, ubi penitius omnia perluſtravero, & accuratius examinavero. Video me paſſim nominari, & extra rem infarctis narrationibus, non admodum veris, ſatis odioſe perſtringi, præter omne meum meritum. Quid agam? quandoquidem T.R. vult me ita inclareſcere, patior, & exſpecto dum litem illam decidere aliâ, &, quod ſpero, magis amica, quæque Theologos magis deceat, ratione dabitur: interea me defendam umbone bonæ conſcientiæ, quam Deo probare magis ac magis adnitar per Spiritus ſancti gratiam. Quæ de Catechiſmo Goudano addis, ad me non pertinent, neque etiam ullum in toto mundo libellum novi iſto titulo. Velim T.R. hic & alibi paulo judicioſius agere. Libellus ille meo judicio neglectus jacuiſſet, niſi multorum inconditæ vociferationes majorem illi quam meretur authoritatem conciliaſſent: noviſti ſiquidem illud, nitimur in vetitum. Zelus laudandus, ſed cum ſcientia. Iſta nolim ita T.R. accipiat, ac ſi me libelli patronum præſtarem: ſed quod litem ex litè ſeri nolim, alioque converti arma velim ſpiritualia; aut ſi omnino ſilentio prætereundus non videtur, id alia quam ea, quam inſtitui video à quibuſdam ratione, fiat. Hoc meum eſt judicium: ſi ſecus ſenſerint alii, per me licet. Sancte teſtor, libellum à me non viſum niſi poſtquam vulgatus, imo & pervulgatus eſſet; neque de ejus editione me, antequam editus eſſet, unquam audiviſſe. Pro tuis in Gretzerum laboribus & munere ad me miſſo gratias ago, relaturus cum potero. Confutationem Socini tuam valde aveo videre. Ego hactenus Socini libros, quod coram Deo dico, non legi; jam vero me ejus legendi, & cum tua confutatione, ubi edita erit, conferendi deſiderium tenet. Ep. 123.

Oro Jeſum Chriſtum æternum Dei Filium, Eccleſiæ ſuæ afflictiſſimæ miſereatur, & nos omnes in veritatis & pacis via dirigat, T.R. conſervet, piiſque laboribus benedicat. Hagæ, 3 Decemb. 1608.

CXXIII.

D. SEBASTIANO EGBERTI

Conſuli Reip. Amſtelæd.

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Expoſtulatio adverſus calumnias, præcipue miniſtrorum Amſtelodamenſium.

ITa, apud vos præſertim, adverſus me agitur, ac ſi nullis mendaciis, detractionibus, calumniis in me peccari poſſet. Si Princeps Mauritius venenum bibiſſet, me authore & ſuaſore id factum non vererentur ſuſpicari, imo ne dicere quidem nonnulli. Ego ne diabolo quidem ipſi tam temere impingere auderem quidpiam. Hæreticus ſim, homo tamen ſum, quem Deus ad imaginem ſuam condidit, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, ipſius conſecraneus veritatis, ipſius aſſecla juratiſſimus, & defenſor ad mortem uſque (ſpero cum Chriſto) imperterritus: ringatur Satanas, & quicquid in orbe Antichriſtianum eſt. Id autem omnino impiiſſimum eſt, quod ſua crimina, quorum ipſi notorie rei ſunt, mihi tranſcribunt. Quidquid diſſenſionis eſt in Eccleſiis noſtris, ab ipſis eſt, & per illos ſparſum. Taceant illi, & tribunitiis clamoribus apud populum publice, & ſuſurris calumniisque privatim abſtineant, & compoſita res eſt. Ego, quia Eccleſiam in qua Pontifex ſedet, nondum libellum repudii accepiſſe dico, author ſum multis ad Papatum deficiendi, & occaſionem præbeo Politicis nonnullis minus animoſe denegandi Pontificiæ Religionis exercitium illud poſtulantibus? Itane vero? Cur non Junius & Gommarus, qui ſcriptis publice emiſſis, & late diffuſis, idipſum mecum dicunt, eidem culpæ involvuntur? Cur non Anglorum doctiſſimi quique, quos in eo adſtipulantes habeo? in quo regno tamen Pontificiæ Religionis exercitium, petentibus quamplurimis tale nihil conceditur. Legantur edicta Regis hujus ſuper eadem re edita, & adparebit ſolis iis argumentis Regem motum petitionem iſtam denegare Pontificiis, quibus ego utor & utendum cenſeo. Ego ea adverſus Pontificem publicis theſibus tractavi, quæ ſi me vindicare ab hac calumnia, & ab omni ſuſpicione liberum præſtare non valent, quid præterea agam ignoro. Calumniæ remedium duplex eſſe ſcio & uſurpo. Innocentiam, & patientiam: Utinam hanc mihi præſtet Dominus, ut alteram præſtare hucuſque dedit! Fidenter dico, neque metuo tribunal, etiam ſe-

Ep. 123. veriſſimum. Tutum non eſt ut Politarchæ ab Eccleſiaſticis petant, quibus juſtiſſimis cauſis exercitium Religionis petentibus Pontificiis denegari poſſit: at velim id à me & Plancio peti; & hic judicium fieri, ab utro firmiores & juſtiores producantur cauſæ. Illum nomino, quia cauſas habeo: nam illius rationes agendi videntur mihi maxime comparatæ ad Pontificii regni ſtabilimentum. Cujus etiam mei judicii rationem reddere paratus ſum, ubi ille volet mecum experiri æquis conditionibus. Non rogo ut hæc ſileas; tui judicii facio ut palam enunties, ubi conſultum arbitraberis. Dicor in mea ad Ordines oratione non ſcuto tantum, ſed & gladio uſus, idque immoderate. Res poſtulavit ut gladio uterer; quia ſententia dicenda fuit de dogmatis, quæ ego putem errori obnoxia eſſe. Dixi, & ſerio dogma de prædeſtinatione improbavi, quale illud apud nos obtinet; quia improbum eſſe dictat mihi conſcientia, quæ etiam jubet ne tacetam ubi de illo dogmate agendum eſt. At moderationem ſervavi; quia multa quæ dicere poteram tacui: perſuadeo mihi nobiliſſimum illum cœtum, hoc de oratione mea facturum judicii. Quid mirum ſi illis videar immoderate dixiſſe, qui omnino tacuiſſe vellent? At proferant ullam vocem à me pronuntiatam, quæ iſtius vehementiæ aut violatæ moderationis indicium habeat. Hoc faciendum illis eſt; quia dum in latitudine ambulat calumnia, deprehendi nequit. Fur eſt, latro eſt, contumax, præfractus, hæreticus, judicantis, æſtimantis, loquentis verba ſunt: at proferantur argumenta quibus ſingula doceantur, ut qui audit etiam de veritate judicare poſſit. Tale quid Helmichio p. m. in noſtro poſtremo colloquio Amſterdami objeci: at tacuit præſente Uytenbogardo, adeo ut iſte miraretur, nihil proferri ad probandum, quum dictum eſſet, me ſuſpicione hæreſeos, etiam cum iſtic viverem, à multis gravatum eſſe. Intelligo exiſtimare non neminem apud vos, me, ut juſſus ſum, ſcripto non traditurum, quæ tum dixi. Fallitur ille: tradidi, & ea fide, in qua nemo, quamquam mihi malevolentiſſimus, quidpiam deſiderabit. Nihil omiſi eorum quæ dixi; ſed nonnulla paulo latius explicui, quia excludebar temporis anguſtia quum dicerem. Neque inde mihi vel tantillum metuo. Non enim opus, neque decet. Quia ne corpus quidem occidere poſſunt, qui jam alienæ fidei dominatum ambiunt in Eccleſia noſtra. I. B. negotium vobis innocentiæ patronis commendo: Deus videt & judicat, qui adſtat in congregatione Deorum: cogitate, olim myſterium iniquitatis quum viguiſſet & egiſſet, ex eo hominem peccati exſtitiſſe & revelatum eſſe: quem ego credo, ſentio, dico, clamo, Pontificem Romanum eſſe, ob id maxime, quod dominatum in conſcientias ſibi ſumit. Bis ad me perſcriptum eſt, apud vos ſeptem articulos ſpargi ſub meo nomine; quos etiam ubi viſos eſſe intelligo. Nemo Politarcharum apud vos hoc mihi præſtabit officii, qui Ep. 123. Amſtelredamenſium alumnus ſui, & Eccleſiaſtes (quamquam indignus) quindecim integros annos, ut de veritate hujus rei & authore, qui illos mihi impingit, inquirere velit? quod equidem non alia cauſa, quam juſtæ tutelæ & moderatæ deſiderio fieri velim. Scribit mihi affinis meus Jacobus Laurentii, illos articulos ſuæ uxori traditos à quodam, qui à ſeniore Eccleſiæ illos ſe habere dicebat: facile poteſt inquiri quis ille ſenior ſit. Sed non ſunt irritandi. Suſtineo etiam. At videte ne veſtrâ conniventiâ & indulgentiâ aculei illis creſcant eouſque, ut fruſtra poſtea de punctura doleatis. Niſi mihi ſemel apud meum animum conſtitutum eſſet, non niſi ſumma neceſſitate preſſum ad publicas apologias confugere, demonſtrarem quanta mihi in iſtis articulis occaſio oblata ſit nonnullorum inſcitiam & malitiam perſtringendi. Communicavi negotium cum iis, quorum ego judicio multum tribuo, & ipſorum merito; putant illi recte facturum, ſi petam à Conſulibus ſuper ea re inquiſitionem fieri; & ſane jam abs te peto ut tuis collegis hoc ipſum meo nomine ſignifices, quos ego nulla juſta cauſa hoc mihi denegare poſſe puto. Ad ipſos ſcriberem, niſi conſultius arbitrarer, rem fieri quam minimo molimine: ſi tamen ſic judices conſultum, faciam, & ſcribam ad collegium Conſulum. Putant enim illi, quos dico, non negligendam tam pulchram occaſionem. Videntur nonnulli hoc agere, ut me irritent ad ſcribendum: Sed ſi glaciem illam ſemel fregero, ſpatioſiſſimum mihi mare apertum erit curſum peragendi. Ne putes me ſic impatientius loqui: Qui res noſtras penitius norunt, miſantur & obſtupeſcunt præfractum ſilentium meum, quum tam multæ & adeo pulchræ occaſiones tum veritatis, tum meam cauſam agendi, oblatæ ſint, & quotidie offerantur. Unica ſpes me impedit de fratrum meorum reſipiſcentia. Præterea intelligo iſtic ſpargi, Principem Auraicum, quum hic Leydæ nuper eſſet, mihi in collatione quadam de religione os occluſiſſe. Et hoc invenit apud vos qui credant; quod non poteſt non eſſe, aut ſtultitiæ, aut malitiæ indicium luculentiſſimum. Sed bene ſperent qui me hæreticum putant: Si Princeps Auraicus tam facile mihi os occludere potuit, quid non illi facient, qui ſe proculdubio ſenſus in Scripturis exercitatiores habere, & merito, ſibi perſuadent? Pedellum monui hiſce diebus: promittit ſe ad Natalitia Chriſti reliquum perſoluturum, quod etiam facturum mihi perſuadeo. Vale vir Conſultiſſime cum conjuge & tota familia. Deus te ſervet, & ſpiritu ſuo magis magiſque inſtruat. Deus miſereatur Eccleſiæ ſuæ & patriæ noſtræ. Amen. Leydæ, 10 Decembris 1608.

CXXIV.

Digitized by Google

CXXIV.

Conſultiſſimo viro

D. SEBASTIANO EGBERTI

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

De calumniis quarundam Confutatorum.

RECTE de calumniis judicas, minus noxias eſſe quæ arte carent: at quum talium confutandorum occaſio ſe offert, ea utenda videtur, ad larvam calumniatoribus detrahendam, qua tecti autoritatem conciliant calumniæ, quantumvis craſſæ. De defectione ad Papatum illius, quem terminum vocas, judicium P. Plancii aliquando meis auribus audivi, quo Eirenico Fr. Junii p. m. non parvam culpam impingebat: ſed credat Judæus Apella, & qui Boeotico in aere natus eſt Arcadicis parentibus. Quid Regem Angliæ & Scotiæ tantopere adverſus Puritanos inflammat, ut videatur illos cane pejus & angue odiſſe? putant nonnulli Catholicos non Papiſtas apud illum meliore eſſe loco. Audivi ego Bezam, illum de quo loqueris aliquando vehementer commendaſſe, & tantum non cubi inſtar immotum habuiſſe: at audivi poſtea ex aliis, quum defeciſſet, eundem dixiſſe, filium fuiſſe patri ſimilem, hoc eſt, Galliæ levitatis. Quæ ego moveo talia ſunt, ut abeſſe poſſint ab ædificio Reformationis noſtræ; & quamquam à nonnullis inſerta ſint, tamen citra ullam noxam amoveri poſſint; quod ipſum puto commonſtrari poſſe, ſi modo patentes aures præbere vellent qui ſecus æſtimant: & ego nihil auferre conor, niſi legitima via per fratrum omnium communem conſenſum: qua de cauſa vehementer Synodum & collationem urgeo. De tuo animo non dubito: ſed velim tuos Collegas hoc tantum cogitare, & me verum dicere poſſe, & alios fallum: quo ab illis impetrato, alteram mihi aurem præberent. Publicas ſcriptiones non facile adparabo; quamquam ex ipſis adverſariis ſint, qui id conſultum putent. Vellent ſcilicet ut me proderem: Sed ignorant, & calumnias me confutare poſſe, & non prodere me. Verum aperte jam in me agere incipit Collega meus. Comparuit ille die veneris præterito in conventu Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, & vehementi oratione me variarum hæreſeon accuſavit, impulſus literis deputatorum utriuſque Synodi, qui neceſſe putarunt, ut ille ſe jam palam mihi opponeret, ſi quidem cauſam juſtam habere ſe putaret; quum ego eodem in conventu multa adverſus communem ſententiam dixiſſem. Id Amſterodamenſes quoque audiverunt; & proculdubio aliqui jam confirmatiores erunt in ſiniſtra de me concepta opinione, quum ille non fuerit veritus id ipſum mihi coram ipſo ſummo Magiſtratu noſtro impingere, & quidem ſcripto comprehenſam tradere accuſationem (id enim feciſſe intelligo.) Verum id velim & ſcias ipſe, & per te alii, ubi opus erit, me omnes illius accuſationes non metuere: à quibus arbitror illum fuiſſe abſtenturum, ſi carum probationem apud alios, quam ſibi juratos judices, inſtituendam metuiſſet. Hoc enim agunt, ut ſoli judices ſedeant in Synodo, cautam agere juſſis reliquis, tanquam reis, vel etiam tanquam accuſatoribus, qui aliquid in recepta doctrina deſiderant. Si accuſationibus res agenda erit & defenſionibus, potius quam placidis collationibus, & illud potius curandum, ut convicti nonnulli de falſitate deponantur & excommunicentur, quam ut porro communi conſenſu conſtituatur quid docendum ſit; ego accuſationem adverſus illum & alios inſtituere non verebor, eumque & alios variorum fallorum dogmatum nomine incuſare, quæ neque ex Scripturis, neque ex Confeſſione vel Catechiſmo probare poterunt, ut credo ego, & mecum multi alii. At ſcio, rei partes ſunt favorabiliores: Tempeſtivum erit id facere, ſi reconventione mihi utendum erit. Vide in quas ſe neceſſitates conjecerint clamoribus ſuis, à quibus ſi abſtinuiſſent, non opus eſſet odioſo accuſatorum munere fungi. At quid prætexent tam tribunitiis concionibus, ſi non gravia illa ſint, quæ à me docentur? Ego jam nihil aliud accuſationis iſtius conſcius velim cogitare, quam quod dicebat ille: Si accuſaſſe ſufficiet, quis erit innocens? Ego vere & ſancte dico coram Deo, cum mihi capita accuſationis à quodam, qui ea exceperat, prælegerentur, non magis animo commotum fuiſſe quam columna ænea ab impacta pila palmaria: tantum poteſt conſcientia innocentiæ & integritatis. Antonio reliquam pecuniam dedi; apochas peram & curabo ut habeas. Vale vir Conſultiſſime cum bono Deo, cui te & omnia tua ex animo commendo. Salveat tua cariſſima à mea. Leydæ, 14 Decembris 1608. Ep. 125.

CXXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS ARMINIUS S.P.D.

Religioſa.

VIR reverende & amiciſſime: Nactus tam commodam tibi ſcribendi occaſionem, prætermittendam illam minime cenſui, quamquam nihil ſit digni argumenti quod ſcribam. Gratum tamen, ſcio, erit tibi cognoſcere, quod valetudinem mihi paulatim firmiorem divina largitur benignitas: perſequimur obſtructionis reliquias, non naturalem calorem expellere conamur, ut nativus redeat, & per illum adpetitus, qui imbecillis aut pene nullus eſt adhuc: at bona ſpes eſt fore ut redeat, ubi per tempeſtatem exercitio alicui me dare potero. Utinam liceat detri-

Digitized by Google

Ep. 125. mentum hoc ſtudiorum meorum aliquo emolumento compenſare! quamquam detrimenti loco habendum non erit, ſi morbus iſte interius animi vitiis corrigendis ex divina gratia & ope mihi ſervierit: quod utinam mihi largiatur benignus & clemens Dominus, etiam per tuas preces, ut propriæ conſcientiæ ædificandæ fideliorem & magis ſeriam inpoſterum operam adhibere poſſim! Neſcio enim qui fiat, ut cognoſcendis rebus divinis utcunque ſatagentes, ad officii publici functionem aliqua cum conſcientia adminiſtrandam, privatæ domus curam negligentius ſuſcipiamus; quum tamen id facere oporteat, & hoc non omittere. Cui rei quam cauſam aſſignem, propter ipſius cordis humani abditiſſima penetralia & homini ipſi vix perveſtigabilia, haud equidem ſcio: niſi forte amor noſtri nimius nimis facile nobis perſuadeat, officio integro functos eſſe, quum vix ejus partem obivimus ex debito. Scis me in privato collegio meo perveniſſe ad alteram partem Theologiæ ſeu Religionis, quæ agit de cultu & obſervantia mandatorum Dei: faxit Deus, ut in ejus meditatione & tractatione ſic verſari poſſim, ut aliqua juventuti pietas, & aliquod ſtudium obediendi Deo ingeneretur! Video difficultates non exiguas mihi oboriri in modo & ordine res illas conſiderandi; vix potero prima vice punctum quod deſidero attingere, conabor tamen aliquid, Deo duce & auſpice, ſecutus ipſius in Scriptura præeuntis veſtigia, idque preſſim, ut ſaltem ab errore immunis ſit totus inceſſus meus, ſi rem ipſam non ex præcipuo ſcopo attingam ubique. De te etiam ſolicitus ſum, & precor Deum, ut Spiritu ſapientiæ & fortitudinis te inſtruat & corroboret, ut ſi contingat ulterius tendere, etiam iſtic aliquem fructum percipere poſſis ex cordata inſtitutione tua. Calumnias malignorum evadere non poteris; at hoc efficere poteris, & Deo dante efficies, ut ringantur dum calumniabuntur. Cognoſcent enim ex tuis ſermonibus, nec rationes nec modum deeſſe nobis populum ab iis abducendi; ſi quidem omnes, qui in eadem vinea laboramus, & in hoc incumbimus, pari gradu & eodem tramite incederemus. Quis novit, cui fini Dominus ille omnis ſapientiæ fons & author, rerumque omnium providentiſſimus gubernator, & te iſtis in locis eſſe velit. Judæi in Babylonem propter peccata ſua captivi abducti, dicunt ſe Babylonem voluiſſe curare, at fruſtra: hoc ne ergo præter populi ſui caſtigationem etiam intendit Dominus, Babylonios reddere inexcuſabiles? Mirabilis Deus in cunctis operibus ſuis. Huic ſit laus & gloria & benedictio in ſæcula. Te vir reverende eidem Deo ex animo commendo, & me tuis precibus. Vale, vale & fortiter age, quia Dominus tecum eſt. Leydæ ex Muſæo meo 15 Martii 1609.

A prandio conabor exire in templum, ut Deo pro huc uſque præſtita gratia gratias agam: ſalveant Miniſtri Bergopzomani, etiam Ep. 126. D. Mylius Curator noſter, & ſi qui alii iſtic noti; præſertim Conſules, &c.

Quæſo ut per D. Houtenum, qui haſce fert, reſpondeas, & de rebus tuis aliquid perſcribas.

CXXVI.

CONRADO VORSTIO

JACOBUS ARMINIUS S.P.

GRatiſſimæ mihi fuere literæ tuæ, vir clariſſime; ſed haud paulo fuiſſent gratiores, ſi aliquod ad meas poſtremas reſponſum complexæ fuiſſent; verum quod differtur, non aufertur; niſi forte putes, haud tutum tibi eſſe, ſuper talibus mecum conferre; quod vix arbitror, quum ſcribas te amantem eſſe Chriſtianæ παῤῥησίας (*libertatis*) in omni religionis negotio, quæ hujuſmodi metum excludit. Interim vero dum id reſponſum expecto, non fruſtrabo petitionem tuam, qua de nonnullis, quæ hic aguntur, & apud vos & alibi de me ſparguntur, à me ipſo edoceri cupis. Imprimis vero id me neſcire fateor, cujus tu me conſcium eſſe arbitraris: qui enim ſciam, imo qui credam, me apud multos Theologos gravi ſuſpicione ἀιρεσέως, & quidem in fundamentalibus, laborare, qui ſcio quam grave crimen ſit tam enormi ſuſpicione quemquam ſine cauſa valde probabili gravare? Haud æquum eſt, ut credam calumnias tantum poſſe apud illos, qui ſal mundi ſunt, & veritatis ſacroſancti antiſtites. Nemo enim illorum, qui Theologi audiunt, illam ſuam ſuſpicionem mihi unquam explicuit. Non ignoro eſſe Theologum, qui in Germaniam ad D. Paræum, & in Angliam ad D. Melvinum gravia quædam de me, & reverendo viro Joanne Uytenbogardo perſcripſit; quæ tamen ipſe non aſſeveranter, ſed tantum per ſuſpicionem ſcribere ſe, iiſdem in literis confeſſus eſt. Dignum ſane Theologo, ad peregrinos ſuſpiciones tranſcribere de illis rebus, quarum veritatem unico ad me epiſtolio potuiſſet inquirere & cognoſcere. De Synodo noſtra generali nihil perſcribere habeo, an futura ſit, nec ne. Major ſpes eſt fore, ut Provincialem habeamus, id eſt, Hollandiæ & Weſt-Friſiæ, ſive Hollandiæ Auſtralis & Septentrionalis. Quid vero in ea tractandum ſit, & quo ordine, ego ignoro. Si ex meo voto res ageretur, Confeſſio noſtra & Catecheſis iſtic rigide examinabuntur; imprimis Confeſſio, cui ut conſenſus formulæ omnes hactenus miniſtri ſubſcripſerunt. De Catecheſi ego non urgebo, ſi pro ſimili formula nobis non obtrudetur; alioquin eidem examini ſubjiciendam arbitror. Libellus, quem Goudanam Catecheſin appellas, quamquam illud nomen ipſe libellus non præferat, Goudanos miniſtros habet authores, qui me ante editionem ejus con-

Redeſiderio. de. De veris contra ſe ſparſis calumniis.

Ep. 226. cohsultum, cauſis explicatis, cur edendum putarent, aſſentientem ſibi fecerunt. At illis nunquam venit in mentem, ut aliis, quam pueris in ſcholis trivialibus inſerviret; in quas Catecheſis Heidelbergenſis iſta in urbe introduci nunquam potuit. Prolixioris eſſet operæ, cauſas explicare; itaque abſtineo; præſertim quum illam mihi ex gravi morbo vixdum eluctato valetudo non permittat. Papam ego idolum & Antichriſtum eſſe profiteor, & ſemper profeſſus ſum, & nullo modo pro capite Eccleſiæ, ne humano quidem jure, agnoſcendum eſſe. At unde calumnia illa nata ſit, non lubet propter illam, quam dixi, cauſam adſcribere: ſi huc veneris, quod pervelim, intelliges; ubi ædes meæ tibi patent. Bellarmini tomum quartum nunquam dixi eſſe irrefutabilem; ſed dixi & dico, argumenta illa, quibus Bellarminus docet, ex nonnullorum noſtrorum doctorum ſcriptis ſequi, Deum eſſe autorem peccati, Deum vere peccare, Deum ſolum peccare, denique peccatum non eſſe peccatum, hucuſque ſolide meo judicio refutata non eſſe. Legi quæ abs te ad Credo Calviniſequarum ſunt reſponſa: at neque illa mihi ſufficere videntur, ignoſce libertati, noſtris excuſandis. Et Bellarminus nodum non adeo ſtrinxit firmiter, quin arctius multo necti poſſet adverſus eoſdem; quod planiſſime commoniſtrari poſſe exiſtimo. Qua de cauſa longe tutius arbitror, defugere authoritatem iſtorum doctorum noſtrorum, & palam profiteri, Eccleſiis noſtris particulares ſententias impingi non debere. Addi forte poſſet excuſandis noſtris, etiam inter Scholaſticos & alios Pontificios doctores eſſe, ex quorum ſcriptis eadem conſectaria duci poſſent. Quæ in colloquio Hagocomitano inter D. Gomarum & me acta ſunt, communi omnium qui præſuerunt & interfuerunt conſenſu, ſilentio ſunt conſecrata. Cæterum quod attinet ad judicia Theologorum de me meâque doctrina, illa velim moderata & candida eſſe, omneſque Theologos ita exiſtimare, non magis me adſtringi, ut mea dogmata ipſis adprobem, quam illi obligantur, ut ſua mihi probent: æquo enim jure in Eccleſia vivimus, neque cujuſquam eſt alterius fidei dominari, unus enim eſt magiſter noſter Chriſtus. Hæc ad tuas literas raptim reſpondere viſum eſt. Tu, vir doctiſſime, boni conſule, & valetudinem meam excuſa, quæ nihil amplius permittit. Precor Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut nobis omnibus ſerium & ſolidum veritatis, pietatis, & pacis amorem inſpiret. Huic Deo Opt. Max. te tuaque omnia commendo ex animo, & me tuis precibus. Deus miſereatur Eccleſiæ ſuæ, eamque à tyrannide, & verbum ſuum à vinculis humanarum traditionum clementer liberet. Leydæ pridie Kal. Aprilis 1609.

Tuus in Chriſto

JACOBUS ARMINIUS.

CXXVII.

SIBRANDO LUBBERTO

JACOBUS ARMINIUS

JOHANNES UYTENBOGAERT S. P.

Reſponſio ad S. Brandi criminationes.

SPectabilis ac reverende vir: Epiſtola tua 16 Martii ad nos data, una cum incluſo ſcripto, Arminio quidem eodem menſe tradita eſt; verum quia nobis duobus inſcripta erat, non ante 24 Aprilis, poſtquam nempe Uytenbogardus ex Brabantia domum redniſſet, lecta à nobis fuit. Speramus igitur te non ita rigide nobiſcum acturum, neque, quod minaris, pro recuſatione & tergiverſatione habiturum, quod intra terminum abs te conſtitutum ad illud non reſponderimus: præterquam enim quod authoritatem illam, qua leges nobis ferre præſumus, minime agnoſcimus, ſcripti ſane tui errores nobis fraudi eſſe non debent. Scriptum illud Replicationem vocas, vocabulo forenſi moderno; quaſi epiſtola ad D. Paræum apologetica, qua nomen noſtrum à tuis criminationibus vindicare adlaboravimus, tuæque relationi aliam tuâ ſaniorem & modeſtiorem oppoſuimus, juſtum ad controverſias abs te tractatas reſponſum contineat, noſque litem iſtam Academiis exteris dirimendam commiſerimus: quum te vel ex illo ipſo apologetico noſtro latere nequeat, nos controverſiam præcipuam ingredi noluiſſe, ſed illam totam DD. Ordinum fideliſſimæ & prudentiſſimæ directioni reliquiſſe. Hoc ſi tu pro vera litis conteſtatione juſtaque reſponſione accipis, ad quam tibi replicandum, nobiſque inde duplicandum ſit, ut tu pro lubitu tuo protinus ad alienum forum & judicem nos rapias, qui è veſtigio jus judicat; profecto valde falleris: quum de ipſo quidem controverſiæ ſtatu nondum conveniat, nedum ut argumentum ullum pro ſententia noſtra attulerimus, unde de ſententiæ hujus vel illius veritate vel falſitate judicium fieri queat. Verum cui bono, optime frater, hanc inter nos ciere pugnam? Si tu ex negotio publico privatum, & quidem tuum facere vis, nobis id neque licet, neque libet. Illuſtriſſimorum Ordinum negotium eſt, non noſtrum: illi nos evocarunt, quæſtiones propoſuerunt, ſententias rogarunt: His quærentibus ſententias noſtras ſinguli ex conſcientia (quod de nobis ſcimus, de vobis credimus) diximus, quas etiam, ſi Magiſtratus juſſerit, rationibus comprobaturos nos polliciti ſumus; huc præterea adhibita in Apologetica ad D. Paræum noſtra proteſtatione: ſi excuſſis & examinatis rationum momentis, ſententiam noſtram ut pravam rejecerint Nobiliſſimi Ordines veſtram autem ut probam amplexi fuerint, nos propterea refragatores pertinaces non habituros. Quin hic conquieſci-

Ep. 127. mus: interea vero omni hac vitilitigatione omissâ pacem fovemus in Domino, & ad magis pia & necessaria studia animum convertimus. Anne suffragia abs tuis diversa ferre non licet, nisi protinus judicio tecum experiri, velimus, nolimus, cogamur? Atqui, inquis, vel docere vos volo, vel à vobis discere. Verba sunt. Ratio siquidem docendi, quam instituis, nobis non placet: neque ut à nobis aliquid discas tu, animum tuum comparatum videmus. Quid enim tu vel doceas nos, vel à nobis discas, quos ludibrio habes, rides, cachinno dignos judicas? ne pejora proferamus animi erga nos tui indicia? Constitutum igitur nobis est rem omnem Deo potius, prudentissimisque Ordinibus committere, spiritumque veritatis & pacis orare, ut in via veritatis & pacis nos ducat & conservet, dum modo convenientiore & magis ad ædificationem faciente, citra acerbitatem omnem de tota re conferre dabitur in timore Domini; ne quod & celeberrimo viro D. D. Paræo indicavimus, dimidiatim & frustatim rem tractantes, nobis laborem inutilem accersamus, & litem ex lite seramus. Quid igitur, inquis, me apud Paræum criminamini? Non nos te, frater, criminati sumus, tu nos criminatus es: tu nos apud D. Paræum, & passim per totam Europam traduxisti, suspicionibusque atrocissimis objecisti. Annon licuit seriam defensionem opponere, & graves istas suspiciones, quantum in nobis fuit, à cervicibus nostris amoliri? Conquereris nos, te præterito, responsionem nostram ad Paræum misisse. Sed annon tu prior nobis præteritis nos apud D. Paræum & alios extraneos, scriptis ad illos literis, accusasti? annon hoc primum querelarum nostrarum caput est? Ex eo autem quod D. Paræum, cujus aures nobis insciis tu præoccupasti, de rei gestæ veritate contra tuas criminationes instruere conati simus, quid infers? nempe æquum esse ut aliorum censuram subeamus. Quasi vero si Titius Mevio apud Seium calumniam struat, Mevius autem Seio significet, calumniam esse, protinus Seium judicem agnoscere, ejusque censuram subire, cogatur Mevius ad Titii nutum. Dices forte, nos effugia quærere, & triumphum canes: sed ante victoriam. Non fugimus, imo strictim causæ adhæresimus: sed legitimum eam disceptandi & vere Christianum modum exspectamus. Tu interea interpretare silentium nostrum prout lubet, constitutum nobis est de negotio hoc publico, neque cum te solo, neque coram istis, quos nobis dare vis, judicibus litigare; & ut tu nostras Rhetoricationes, quas vocas, sic nos tuas Sophisticationes nullo alio, hoc quidem tempore, responso dignamur; ne quod certo futurum esset, actum agere cogamur. An igitur, omissis realibus personalia tractabimus? Ne id quidem; judicas enim hoc ineptum esse, & proinde te inepte fecisse, quum tot personalia tuis ad D. Paræum litteris immisceres. Videri tamen vis nobis pepercisse in eo, quod omissis reliquis controversiis, duas Ep. 128. tantum propolueris; quod nempe tam sint ridiculæ, ut omnes docti eas, si viderint, risuri etient, metuereque ne illarum tractatione nos aliorum risui exponeres. Itane? tu nobis parcere voluisti? Subfamma tu & ride fratres tuos risu, quantum vis, effusissimo: at cave ne risus ille aliquando vertatur in serium luctum; Dominus enim præsonibus est, qui & te ridentem videt, nosque ingemiscentes audit. Verum si controversiæ, quas præteriisti, ridiculæ, annon magis ridiculi vos, qui eas movistis? Non reponimus quæ merito reponere gestit caro, & à quibus abstinere jubet charitatis & pacis spiritus. Oremus igitur Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut hoc Spiritu nos magis magisque imbuat, ad nominis sui gloriam & Ecclesiæ afflictissimæ bonum. Vale Spectabilis ac Reverende vir, & quod ex tua commendatione lubentes accipimus, tibi vicissim commendatum habe, nempe veritatem in pace sectari & ab omni innovatione quæ contra veniat abstinere. Hagæ, 28 Aprilis. Postquam scriptum tuum 24 ejusdem perlegissemus.

CXXVIII.

EX LITERIS PAULI SERVITÆ VENETI,

ad Senatorem Parisiensis Senatus Gillotum scriptis XII Maji CIↃ IↃ C IX.

SI quam libertatem in Italia retinuimus, aut retinemus, aut usurpamus, totum Franciæ debemus. Vos & dominationi resistere docuistis, & illius arcana patefecistis. Majores nostri pro filiis habebantur olim, ut Germania, Anglia, & nobilissima alia regna servirent: ipsique servituris instrumenta fuere. Postquam excusso jugo illa ad libertatem aspirarunt, tota vis dominationis in nos conversa est. Nos quid hisce auſi fuissemus contra ea quæ Majores nostri probaverant, nisi vos subvenissetis?

In Fredericum Barbarossam.

Imperii scutum, Germana gloria gentis,
Exurge, & nostras res, Frederice, vide.
Post tot secla tuos committis mortuus hostes,
Vivum in te quorum vis sociata fuit.
Quippe pudet Papam Venetis debere triumphum,
Ingentis meriti nec benefacta manent.
Pœnitet ingrato Venetos servisse Quiriti,
Exemplumque, in te quod statuere, timent.
Nolite in fastum titulo pietatis abuti:
Esse jubet Regum libera colla Deus.

HUGO GROTIUS.

CXXIX.

CXXIX.

COMMENDATIO EPISTOLICA

pro Pontificiis Provinciarum Confœderatarum ſubditis, nomine REGIS GALLIÆ Præpotentibus ORDINIBUS ab illuſtri Præſide *P. Jannino* exhibita, 1609 menſe Junio.

MEſſieurs; Nous avons differé juſques icy à vous faire une priere & recommandation de la part de noſtre Roy, en faveur des Catholiques qui demeurent dans voſtre pays. Sa Majeſté n'ayant pas jugé, qui fuſt à propos de la faire, lors que l'on traictoit de la paix ou de la treſve; crainte d'adjouſter nouvelles difficultez à infinies autres qui ſe rencontroyent desja : Leſquelles joinctes enſemble, euſſent pluſtoſt eſté cauſe d'empeſcher ce bon œuvre, que de luy faire obtenir quelque fruict de ſa demande. Et maintenant nous la faiſons en un bon temps, auquel vous la pouvez ordonner en toute liberté & par voſtre propre jugement, ſans que la reſolution que prendrez en leur faveur vous puiſſe eſtre dommageable, ny qu'autre que vous meſmes s'en puiſſe attribuer la grace. Deux raiſons l'induiſent à vous faire ceſte priere. L'une, qu'il eſt Prince Catholique obligé par devoir, à procurer le bien & advancement, qu'il peut, à gens de ſa Religion. L'autre, qu'ayant bien & meurement conſideré ce qui vous peut eſtre utile ou dommageable, il prevoit & juge, qu'il n'y a rien plus neceſſaire pour vous maintenir tous en bonne union, ferme intelligence & ſincere amitié, & pour oſter auſſi tout pretexte à qui que ce ſoit d'entreprendre ſur vous & contre voſtre Eſtat, ſi non, que vous abſteniez d'oreſenavant d'uſer de rigueur contre eux, & que ſouffriez au moins par diſſimulation & tolerance, ſi ne le voulez permettre & authoriſer par Loy, qu'ils puiſſent ſervir Dieu ſelon qu'ils ont eſté inſtruits; ſe promettant qu'en ferez le meſme jugement, ſi vous examinez les raiſons qui ſont contenues en cet eſcrit, non avec un prejugé de les rejetter avant que les avoir entendus, mais avec un eſprit de manſuetude & charité, qui vous invite d'avoir quelque compaſſion & charité de vos compatriotes qui implorent voſtre juſtice, & la recevront en grace, encore qu'elle leur ſoit deuë, & doivent auſſi ſervir d'un remede ſalutaire pour vous aſſeurer du tout de leur affection & fidelité.

Conſiderez donc, s'il vous plaiſt, en premier lieu, le grand nombre de Catholiques qui ſont chez vous, tant aux villes, qu'au plat pays, & qu'ils ont travaillé avec vous, employé leurs moyens, eſté expoſez aux meſmes dangers, & touſiours gardé une inviolable fidelité à l'Eſtat, tant que la guerre a duré, ſans ſe plaindre ny murmurer, de ce qu'ils ne jouyſſoient de l'exercice de leur Religion, eſtimant, qu'en aviez ainſi ordonné, pource que la ſeureté publique requeroit lors ceſte ſeverité. Mais ils s'eſtoient promis, la fin de la guerre eſtant heureuſe, & vous rendus jouiſſans d'une entiere liberté, qu'ils avoient auſſi quelque part en ce bonheur, comme ils avoient eſte participans des incommoditez, depenſes & perils de la guerre. Ep. 129.

Or on ne peut dire libres, ny jouiſſans de quelque heur & contentement, ceux, auſquels l'on a oſté le pouvoir de ſervir Dieu ſelon la Religion, en laquelle ils ont eſté inſtruits. Au contraire, il n'y a ſervitude plus intolerable, ny qui offence & aigriſſe d'avantage les eſprits, que ceſte contrainte & rigueur, vous le ſçavez Meſſieurs; & que c'eſt la principale & plus puiſſante cauſe, qui vous à fait courir aux armes & meſpriſer tous perils pour vous en delivrer. Qu'elle à auſſi excité pareils mouvements en pluſieurs endroits de la Chreſtienté, & meſme dans le Royaume de France, avec des ſuccez ſi heureux par tout, qu'il ſemble Dieu l'avoir ainſi permis, pour nous apprendre, que la Religion doibt eſtre enſeignée & perſuadée par les mouvements qui viennent du S. Eſprit, non par la force & contrainte des hommes, & pour inſtruire auſſi les Roys & Princes par les maux & ruines, qu'eux & leurs ſubjets ont ſoufferts à ceſte occaſion, comme par un ſentiment de leurs propres intereſts & dommages, d'avoir plus de ſoin, qu'ils n'ont eu juſques icy, de faire prattiquer à bon eſcient les remedes, dont on avoit accouſtumé de ſe ſervir, lors que l'Egliſe eſtoit en ſa plus grande pureté, pour corriger les abus & erreurs, que la corruption des hommes eſſaioit d'y introduire, comme eſtant le ſeul & vray moyen de reunir les Chreſtiens en une meſme creance.

Or pendant qu'on ne peut apporter à l'attente de ce bon œuvre, que les vœux & prieres à Dieu d'y vouloir diſpoſer les cœurs des Princes Chreſtiens, comme auſſi du chef de l'Egliſe & des Prelats, auſquels le ſoin & devoir appartient, noſtre Roy travaille chez ſoy tous les jours autant qu'il peut, pour oſter l'aigreur, que les guerres paſſées avoient mis es eſprits de ſes ſubjets, à fin de les accouſtumer peu à peu à ſe ſouffrir & s'aimer, & ne plus deſirer & rechercher à cauſe de ceſte diverſité de Religion, la ruine les uns des autres; Ayant recogneu par effect, que ce conſeil, eſloigné d'une bonne & ſincere reconciliation entre eux, dont ſes predeceſſeurs Roys ont uſé, n'a ſervi que pour accroiſtre le mal, rendre les hommes plus opiniaſtres ou ſans pieté & devotion, & pour introduire auſſi des factions touſjours plus perilleuſes en un Eſtat. Et au contraire, que ſa moderation à ſouffrir & admettre la Religion, dont vous faites profeſſion, par

Ep.129. par loix & edicts qu'il fait soigneusement garder, au lieu qu'on les faisoit auparavant pour les rompre aussi tost qu'ils estoient publiés, a mis la paix & amitié entre tous ses subjects, qui est cause qu'aujourd'huy les gens de bien, & ceux qui sont les plus sages de l'une & de l'autre Religion, desirent & recherchent les moyens de se rapprocher & reunir, au lieu qu'autresfois ils cherchoient à se destruire, & ne prenoient plaisir, qu'à faire voire, que ceste division de Religion ne pouvoit finir, que par la ruine des uns & des autres : & pour ce que sa Majesté s'est bien trouvée de ce conseil, elle le donne volontiers à ses amis, & luy semble encore, qu'il y ait des raisons particulieres en vostre Estat, qui vous doivent convier d'en user ainsi.

Car il y a grande difference entre le refus d'un Souverain, qui ne veult permettre à ses subjects l'exercice d'autre Religion, que de celle qu'il a trouvée & approuvée en son Estat; ou de celuy que vous pourriez faire à vos compatriotes & concitoyens, pour leur oster celle, dont ils jouissoient avant que la vostre y fust introduite. Le premier le peut faire avec justice, non toutesfois sagement, si ce refus met en peril son Estat. Estant certain, qu'il se doibt lors plustost servir de la prudence & de son authorité, & des moyens qui sont propres pour adoucir & reconcilier, que d'user de la force & du pouvoir, ou commandement absolu. Mais vous ayans acquis ensemble & en commun, tant ceux de la Religion que les Catholiques, la liberté & souveraineté dont vous jouissiez à present, qui vous donne l'authorité & pouvoir d'establir telles loix qu'il vous plaist: Il est raisonnable que chacun y ait part, & seroit trop rude, qu'en la chose où nous sommes les plus sensibles, les uns fussent tenus pour Maistres & Seigneurs, & les autres mis au rang des subjects & esclaves, & par ceste rigueur privez non seulement des loyers & de la victoire & du bon succes, qu'il a pleu à Dieu donner à la cause commune; mais contraincts d'achever leurs jours en plus grande misere & pire condition qu'ils n'estoient auparavant. Jugez donc en vostre cause celle d'autruy, & donnez à la raison ce, qu'eux mesmes vous ont aidé à conquerir par la force & avec leur propre peril, contre des Princes qui estoient lors vos ennemis & les leurs.

Considerez aussi, combien l'exemple de ce refus, si vous le faictes, sera prejudiciable à ceux de vostre Religion, es lieux & endroits où ils sont fort foibles, lesquels implorent tous les jours avec larmes & supplications la grace des Souverains Catholiques, soubs lesquels ils residen, pour jouir de la mesme liberté, que nostre Roy vous demande au nom des Catholiques, qui sont parmy vous. Ne soiez pas cause de remettre es esprits des souverains & de leurs peuples, qu'un zele inconsideré a souvent porté à des violences & fureurs contre eux, que la guerre pour contraindre Ep.129. les plus foibles à suivre la Religion des plus forts, est juste & licite.

Vous pouvez accorder ceste grace sans aucun peril. Car si les Catholiques ont esté constans & fidelles durant les dangers & la guerre, encore qu'ils fussent privez de l'exercice de leur Religion; que doibt on attendre de leur zele & devotion, à conserver la liberté de leur pays, quant ils en jouiront & auront part à l'authorité & aux honneurs que ceste union vous a acquis en commun, si non, qu'ils se tiendront grandement obligez à vous de ce bon faict; pource qu'ayant eu le pouvoir de les en priver, comme estants les plus forts, & les surmontans en nombre, vous aurez neantmoins voulu user de ceste bonté & justice envers eux? Au contraire, que ne devez vous craindre, s'ils demeurent chez vous avec ce mescontentement & desespoir; si non, qu'on essayera de se servir de leur zele pour dresser des embusches contre vostre liberté?

Il y en a qui alleguent, pour faire rejetter ceste demande, que vostre Estat a esté fondé sur la Religion dont vous faictes profession, & par ainsi, que ceste diversité seroit cause de rompre la Loy fondamentale d'iceluy, & de vous mettre tous en peril. Si l'un ou l'autre estoient vrays, l'utilité publique serviroit d'excuse, & rendroit tolerable l'injustice contre les particuliers. Car le premier soing des Magistrats doibt estre, de garder inviolablement les loix sur lesquelles l'Estat a esté fondé, & d'oublier tout autre respect pour le salut public. Mais plusieurs restent encore parmy vous, qui estoient au temps de la premiere prise des armes; lesquels sçavent bien, & les escrits & les histoires, qui contiennent tout ce qui s'est passé durant vos guerres, en font foy; Que vous ne demandiez lors, si non l'exercice de vostre Religion, demeurant tousiours celle des Catholiques, receuë & authorisée par traictez, edicts & placarts, comme elle estoit avant l'introduction de la vostre; & eux, qui pouvoient grandement affoiblir vostre cause s'ils s'en fussent separez, s'y joignirent volontiers & feirent la guerre avec vous, non seulement pour ce que les privileges communs avoient esté violez par un gouvernement trop rude, que nommiez tous tyrannique: Mais pour ce, qu'ils n'estimoient pas raisonnable de vous priver de la liberté, de prier Dieu selon la creance en laquelle aviez esté instruits.

Et quant au peril qu'aucuns monstrent de craindre, si cet exercice est accordé; l'experience nous apprend tous les jours, que ceste diversité n'est pas cause de la ruine des Estats, & que le gouvernement ne laisse d'y estre bon, & ceux qui y residen, de vivre en paix & amitié les uns avec les autres, rendant l'obeissance qui est deüe aux loix

by Google

Ep.129. loix & aux ſuperieurs, auſſi bien que s'ils eſtoient tous de meſme Religion, ſans avoir autre penſement, que d'ayder à conſerver la dignité & grandeur de l'Eſtat, ſoubs lequel Dieu les a faict naiſtre. Et par ainſi le danger n'eſt pas en ſa permiſſion, mais pluſtoſt en l'empeſchement: car c'eſt lors que les hommes ſe jettent aux factions, & cherchent les moiens d'obtenir par force ce qu'ils ſe perſuadent leur avoir eſté refuſé injuſtement: dont les exemples de l'un & de l'autre ſont ſi communes & frequentes en diverſes provinces de la Chreſtienté, qu'il n'eſt beſoin de les vous repreſenter.

Aucuns adjouſtent encores à ceſte raiſon, que les Catholiques, ſe voyans du tout privez de l'exercice de leur Religion, ſeront contraincts de retourner à celle, qu'ils rejettent à preſent. Mais il y a pluſtoſt apparence, que la gehenne & violence, dont on uſera contre eux, ſera cauſe de les rendre plus ardents, & enflammez à deſirer ce qui leur aura eſté refuſé, & leur mort meſme n'eſteindra pas ceſte creance. Car ils l'apprendront & laiſſeront comme par cabale à leurs enfants avant que mourir.

Ou bien ne leur eſtant permis de ſervir Dieu ſelon le cult & creance qu'ils approuvent, la liberté de conſcience, qui ne leur pourroit eſtre deſniée qu'avec trop d'inhumanité, ſera neantmoins cauſe de les faire tomber peu à peu au meſpris de Dieu & à l'impieté. Car l'exercice de Religion, auquel la Loy du Chriſtianiſme nous aſſubjetit, eſt une honeſte contrainćte, qui nous fait ſouvenir de noſtre debvoir & crainte d'eſtre repris, ſi es actions de pieté & devotion, expoſées à la veuë & cenſure d'un chacun, nous ne faiſons cognoiſtre que ſommes Chreſtiens. Mais ce reſpect & ceſte crainte n'y eſtant plus, nous oublions auſſi aiſement ce debvoir, & nous laiſſons aller à je ne ſçay quelle nonchalance, qui nous oſte le ſouvenir de la divinité. Or les plus ſages de l'Antiquité ont tenu avec grande raiſon, qu'il valoit mieux ſouffrir la ſuperſtition en un Eſtat, que l'impieté; d'autant que le ſuperſtitieux craint tout, & croit, s'il evite la punition des hommes, qu'il tombe es mains de Dieu; ainſi ſe ſoubmet plus volontiers aux loix de l'Eſtat, ſçait mieux obeir à ſes ſuperieurs, & en effect craint touſiours plus de faillir, que celuy qui n'eſperant rien du loyer des bienheureux, penſe tout luy eſtre licite, s'il peut tromper la vigilance des Magiſtrats.

On peut dire, ſi on ne les contente de ceſte liberté de conſcience, dont j'ay repreſenté le danger, qu'il leur eſt loiſible de leur retirer, de quitter la converſation de leurs parens, amis & alliez, & toutes les douceurs, que la charité envers leur pays comprend en ſoy; pour jouyr ailleurs de ceſte paſture celeſte, qui à vray dire doibt eſtre plus chere aux vrays & bons Chreſtiens, que tout autre contentement. Mais avec quelle juſtice pourroit-on ordonner cet exil à gens, qui n'ont point failly, & qui ont aidé à gaigner & conquerir les pays, dont on les voudroit bannir & chaſſer. Puis, s'ils y ſont contraints, vous ſerez des ſolitudes dans voſtre Eſtat, qui peuvent eſtre ſuivies d'autres grands inconveniens, que j'aime mieux vous laiſſer conſiderer, que declarer icy. Ep.129.

Combien que ces raiſons ſemblent pouvoir ſuffire pour vous induire d'accorder aux Catholiques l'exercice libre & publique de leur Religion; Sa Majeſté, qui ne l'eſpere pas, s'abſtient de vous en requerir, pource qu'elle ſçait bien, que n'y eſtes nullement diſpoſez, & que la trop grande reſiſtence, que pluſieurs pourroient faire pour l'empeſcher, ſeroit pluſtoſt cauſe de mettre de la diviſion parmy vous, que de le vous perſuader. C'eſt pourquoy elle ſe contente de vous prier, que leur faiſiez au moins ceſte grace de tolerer & ſouffrir, qu'ils ayent quelque exercice en leurs maiſons ſans y eſtre recherchez, & ſans que la rigueur des placarts, cy-devant faicts à ceſte occaſion, ſoit plus exercée contr'eux.

A quoy on pourra bien apporter encores telles cautions & ſeuretez, que les plus ſcrupuleux & contraires à ceſte demande n'auront aucun ſubjet de s'y oppoſer, ny de craindre, que leur Religion ou l'Eſtat en reçoivent quelque mal; comme ſeroit, d'ordonner, que les Eccleſiaſtiques, qui voudroient demeurer au pays de voſtre obeiſſance, ſoient tenus de ſe preſenter devant les Magiſtrats du lieu, où ils auront choiſi leur demeure, pour faire inſcrire leurs noms dans les Regiſtres publiques. Et outre ce, de faire certifier par perſonnes de qualité, cogneus, qu'ils ſoient gens de bien & paiſibles, & que rien ne ſera dict ny faict par eux contre la ſeureté publique, & l'obeiſſance qui eſt deuë aux ſuperieurs, dont leſdites certificateurs ſeront reſponſables. Car en y procedant ainſi, tous les Eccleſiaſtiques ſeront cognus, & aurez aſſeurance de leur fidelité. Et s'il y en a d'autres qui ſe tiennent cachez, vous entrerez tout auſſi toſt en ſoupçon, qu'ils ſont venus chez vous avec mauvais deſſein, les pourrez chaſſer & faire punir, meſme, s'il eſt trouvé qu'ils ayent faict quelque choſe qui merite chaſtiment.

Vous voyez donc Meſſieurs, la demande qui vous eſt faicte de la part de noſtre Roy, en faveur des Catholiques, eſtre reduite à ſi peu, qu'en la leur accordant, il n'y a point d'apparence qu'elle vous puiſſe eſtre d'aucun prejudice; & ils en recevront une grande conſolation: Ils vous en demeureront perpetuellement obligez, & leur affection à deſirer & procurer la conſervation & proſperité de l'Eſtat, en deviendra plus ferme & aſſeurée. Sa Majeſté vous en ſçaura auſſi grand gré, & eſtimera qu'aurez pris un bon & ſage Conſeil. Au lieu, que ſi

Ep. 130. vous faites le contraire, elle craindra touſiours, que ce refus n'aliene les eſprits des Catholiques, & toit cauſe de les faire retirer, ou bien de prendre encores de plus mauvais & dangereux conſeils; Elle les exhorte neantmoins de ſouffrir patiemment ce que vous en ordonnerez, ſans faire choſe qui puiſſe troubler la tranquillité & ſeureté de voſtre pays; leur declarant de ſa part, que s'ils font autrement, elle les jugera pluſtoſt dignes de punition, que de ſon aſſiſtance & faveur.

CXXX.

SIMONI EPISCOPIO

ADRIANUS BORRIUS S.P.

Narratio diſputationis Arminii de vocatione hominum ad ſalutem.

AMiciſſime frater. Non poſſum quin tibi nunciem lætum nuntium de ſententia à Curia ſumma Hollandiæ pronunciata in cauſa Venatoris, qua ille ab adverſariorum atrocibus calumniis immunis eſt declaratus, omnibuſque interdictum ne poſthac ipſum iis gravent, ſub poena illis à Magiſtratu ex jure irroganda. Lata eſt illa ſententia concordibus omnium Conſiliariorum ſuffragiis, nemine vel tantillum contradicente, & pronunciata Alcmariæ in pleno Senatu, Lunæ proxima 27 hujus. Hoc præmittere volui, quo te ſub initium recreatum, tanto attentiorem haberem lectorem in reliquis quæ ſequentur. Dubitavi quidem, an quicquam hiſce ſubjungendum foret, donec graves illas quas mihi interminatus es minas, propter dilatum ad proximas tuas reſponſum, evaporaſſes: ſed cum viderem litteras tuas, quas dentatas admodum propter eandem hanc cauſam expectabam, tardare, perſuaſus iram & fervorem animi tui reſediſſe, decrevi aleam jacere, meoque modo experiri annon prorſus ad te rediiſſes. De quo ſi mihi plene conſtaret, rogarem ut nobis non invideres doctiſſima tua ad Jeſuiticas objectiones & inſtantias reſponſa. Quæ ut tanto facilius eliciam, faciam te participem eorum quæ hic ante aliquot dies contigere. Habita hic eſt ſub Arminio diſputatio 25 Julii, quæ eſt Sabbathi præterita, de vocatione hominum ad ſalutem. In ea D. Arminius animoſe admodum egit, diſertiſque verbis negavit irreſiſtibilem ſeu neceſſitantem vim per quam homines convertantur: quemadmodum ab altera parte fidenter aſſeveravit, vocationem divinam hoc habere, ut Deus vel vires dederit, vel paratus ſit dare ad præſtandum id ad quod vocatione ſua vocat. Quod non ita intelligendum, ac ſi homo ſub ipſum exordium vocationis, præſtare continuo poſſit quæcunque ad ſalutem requiruntur; ſed quod poſſit præſtare per divinam, quæ præſto eſt gratiam, id ad quod immediate per vocationem illam ipſam vocatur: ex. gr. Cum homo vocatur ad agnitionem peccatorum, non poteſt protinus pœnitentiam agere de peccatis commiſſis, ſed poteſt ea agnoſcere: cum ad ſerium propter peccata commiſſa dolorem, poteſt eo affici, veramque contritionem animo concipere, ſed non continuo credere in Chriſtum: & ſic porro deinceps, ſemper per gradus proximos ad ſuperiores promovendo, donec tandem ad mandatorum divinorum extremum, ad cujus præſtationem ſalus ex pacto Euangelico promiſſa eſt, evectus perducatur. Non addo plura, intelligenti enim ſcribo. Cum opponeretur, aliquam eſſe gratiam per quam homines certo convertantur, & ex eo porro argueretur neceſſitas converſionis: ſumpſit inde occaſionem ample diſſerendi de neceſſitate infallibilitatis, quam vocant Scholaſtici, ſed magna cum catachreſi: ſubjiciens, Scholaſticos non eſſe normam ſermonis, non fidei ſuæ, quippe qui exſiſtere tum demum cæperint cum Antichriſtus revelaretur; qui in multis & male locuti ſint, & peſſime ſenſerint, quorum Theologia non obtinuerit, niſi in exilium pulſa vera & Apoſtolica, &c. Facile ſe ferre ut quis ita loquatur, modo bene ſe explicet: verum, ſi ſui arbitrii res foret, dicturum ſe Scholaſticis, ut corrigant modos loquendi juxta ſenſum ſuum. Quorſum autem hæc hoc loco tam fuſe, cum vulgaria ſint & ſatis nota? Ut videas quam egregie in hac diſputatione propugnaverit Papiſmum Arminius, de quo ſub finem hujus narrationis aliquid audies. Bihorium integrum pæne extractum fuit à duobus opponentibus, qui tamen non valde urgebant: ſub ipſam horam undecimam Pontificius quidam, quem alii ſacrificum tantum, alii Jeſuitam arbitrantur (Adrianum Sinetium ſe indigetat) oppoſuit breviter, indicans ſe negotium intelligere, quia ipſum punctum controverſiæ inſitebat. Reſumpſit ille aliquid, quod præcedens proxime opponens dixerat ex VI, *capite Joannis*. Negatum erat, ex verbis Chriſti de tractione, datione, doctione Patris (liceat mihi ita per te loqui) omnes qui poſſent venire ad Chriſtum, actu venire. Hic ille videns ſtatui gratiam ſufficientem, ſic per dilemma inſtitit. Si non omnis qui poteſt venire ad Chriſtum venit, neceſſe eſt, ut quis veniat, præter potentiam veniendi accedere aliquid vel ex parte gratiæ, vel ex parte hominis. Si ex parte gratiæ, ergo illè qui acceſſione illa caret, non poteſt venire: ſi ex parte hominis, tum homo ſe determinat. Reſpondit Arminius, hominem ſe determinare, ſed non ſine gratia: concurrere enim liberum arbitrium cum gratia, ita ut in determinatione unum non agat ſine altero. Excepit Jeſuita, illuſtrans quod dixerat; conſiderari poſſe gratiam juxta gradus, ut Medici loquuntur, quæ ſi ponatur in duobus ſufficiens ad præſtandum actum, ut ſex: quæri, ſi unus ex illis ſe promoveat ad actum,

Ep.130. actum, alter non item; annon gradus ad sex addatur illi qui actum præstat, præ illo qui eum non præstat? Occurrit Arminius, non plus gratiæ illi fieri prævenienter, sed concomitanter tantum: quo respectu non incommode etiam dici possit plus illi dari gratiæ, quatenus gratia illi continuatur & urget opus suum usque ad ipsum actum, cum ab illo qui spiritui rebellis est intercidatur ipsius cursus. Tum Jesuita; sic nihil plus physicæ operationis adhiberi illi qui præstat actum. Hic Arminius rotunde, se agnoscere quidem physicam operationem in efficiendo sensu, sed non in consensu, quippe qui elicitur per lenes & morales suasiones. Instit it Jesuita; hoc pacto hominem gloriari posse. Respondit Arminius, non posse, quandoquidem fides, spes, charitas ejus sint naturæ, ut gloriationem omnem excludant, sicut ex apertissimis Scripturæ testimoniis adstrui posset. Rursum Jesuita; si res ita habeat, tum hominem seipsum discernere, contra expressum Apostoli dictum: *quis te discernit?* Hic Arminius, nihil esse absurdi in eo, si homo dicatur gratia uti, & per gratiam seipsum hactenus discernere, ut possit dicere, se cœlesti vocationi & gratiæ divinæ non fuisse rebellem, neque tam sæpe restitisse Spiritui sancto quam alius qui gratiam rejicit, Spiritumque gratiæ contumelia afficit. Quod autem ad locum allegatum attinet, illum non facere ad rem præsentem; quando non agat illic Apostolus de gratia gratum faciente, sed tantum de gratiis gratis datis, hoc est, de donis linguarum, miraculorum, aliisque consimilibus quæ ad ædificationem Ecclesiæ spectabant; quæ gloriationis materiam suppeditare poterant, juxta illud; Scientia inflat. Tum Jesuita intra dentes; hæc est vulgaris responsio: & sic ipso cessante finita est disputatio cum honore Arminii, quem videbant omnes se erigere, vividiusque respondere simulatque hic inciperet. Retuli breviter disputationis summam quoad substantiam, licet & meis verbis hic illic, & ἐκ τοῦ σύνεγγυς (*ordine confuso.*) Sufficit te sensum nosse, & horsum instituta hæc scriptio. Dixerat Arminius antequam hic opponeret, nec posse se nec audere definire modum quo Spiritus sanctus utitur in hominis regeneratione & conversione: si quis hoc audeat, jussurum ut probet: posse se dicere quomodo non fiat, videlicet non per vim irresistibilem; sed quomodo fiat, non item: solum enim illum hoc nosse qui scrutatur profunditates Dei. Cum objiceretur semel iste locus, *non est volentis nec currentis*, &c. respondit, non agi illic de misericordia qua fidem dat, mediaque ad salutem administrat; sed de ea qua fidelem justificat imputando illi fidem in justitiam propter Christum. Dum hæc dicerentur, & præsertim cum disputatio vergeret ad finem, Gommarus in varios mutabatur colores, & ne otiose tantum auscultare videretur, gestus subinde variabat: nunc aliquid scriptitans, nunc aliquid in aurem D. Vorstio qui adsidebat submurmurans, nunc torvum in collegam intuens, nunc oculos in auditorium conjiciens quod erat satis frequens, nunc denique intra labia aliquid susurrans; videbaturque in ipsa disputatione pæne oblocuturus iis quæ dicebantur, sed tamen se repressit: non tamen ita repressit, quin verba quædam indignabundo exciderint, quæ quidam se audisse adseverant, nempe hæc vel similia: Quæ hæc est impudentia? Cum egrederentur, adjunxit se Jesuita Arminio, excusans quod opposuisset, præcedentibus Gomaro una cum Vorstio. Vixdum extra auditorium egressi erant, cum Gomarus se convertens erumperet in hæc verba: egregie hodie laxatæ sunt Papismo habenæ: fuitque tanta ipsius intemperies, ut statim se adjunxerit Arminio, & præsente atque audiente Jesuita edixerit, se nunquam audisse tales locutiones talesque disputationes in hac Academia, quibus aperte janua aperiatur Papismo. Respondit Arminius, se tutatum esse conscientiam suam, negare autem hæc quicquam omnino facere ad Papismum. Tum Gomarus porro, se etiam refutaturum & quidem publice. Tum Arminius. Si quid dicatur quod contra conscientiam meam sit, spondeo & me aperte contradicturum. Gomarus, non deero causæ. Arminius, nec ego me defuturum confido. Experiemur autem suo tempore, certumque mihi est sententiam de irresistibili vi Scripturis, antiquitati, Confessioni & Catechesi nostræ contravenire. Sic Gomarus indignabundus abiit, relinquens D. Vorstium & Jesuitam apud Arminium. Hic Vorstius primo conatus aliquid dicere de ipsa re, continuo tamen se repressit, subjiciens se rem non intelligere: ad quem Arminius, quia fateris te non intelligere, quæso te ergo ne præsumas de ea sententiam ferre. Inter eundum etiam conversus ad Jesuitam, quid hæc, inquit, ad Papismum? Tum Jesuita, miror hanc sententiam in vestris Academiis defendi. Ad quem Arminius, nihil mirum, cum sit ipsissima sententia Augustini. Quod ipsum cum Jesuita falsus esset verum esse, Arminius ipsum cum Vorstio dimisit, & ipse haud multum post Oudewatriam abiit. Cordatus erat valde, & vehementer mihi placebat quod tam cordate hominis illius biliosæ intemperiei occurrerat. Non dubito quin litteræ volitaturæ sint per omnes Belgii nostri partes hac ipsa de re, & ea quidem tam odiose proposita quam fieri poterit; sed si nimis impudenter mentiantur, ita ut quid inde damni in causam communem redundaturum sit; censeam ego vel scripto publico veritatem aperiendam, ut ab injuria vindicetur vir optimus. Cæterum utut debacchentur & vociferentur Aristarchi, annon omnia quæ hic dicta sunt huc redeunt in summa: Deum non agere vi irresistibili in conversione homi-

Ep. 131. minum? Quod ipsum nisi admiserimus, ne pili quidem ego fecero reliquas omnes controversias. Quo magis autem vociferantur, eo minus spei ipsis esse suspicor de refutatione: si facile se refutare posse sperarent, mitius acturos crediderim. Si quid illic spargatur calumniæ, possis jam huic mendacio occurrere, ejusque cursum sistere. Video magis ac magis, si semel collatio instituatur, certamen nobis fore potius cum ira, amarore, indignatione hominum, quam cum argumentis & rationibus. Deus omnibus veritatis amorem inspiret, Ecclesiæque suæ gementis sub novarum traditionum onere misereatur in Christo Domino nostro. Hæc ita minutatim tibi, ut eliciam historiam itineris tui, & eorum omnium quæ in eo occurrerunt. Quæso te ne me diutius ea defraudes. Quod si plene beare volueris, pro corollario adde historiam disputationis nuperæ cum Sibrando super septimo capite ad Romanos. D. Arminius valetudine æque debili manet, nuper aliquid spei affulgere coeperat, sed hoc totum per continuationem languoris periit. Imo nocte ea, quæ consequebatur immediate diem disputationis habitæ, Oudewatriæ exstitem cum gravissimo paroxysmo conflictatus est, qui eum valde de novo infirmavit: quia tamen non recurrit, spes est de continuatione in solito statu. Multum ego vereor, ne præstantissimum hoc lumen nobis eripiatur ante tempus. Sed quid agas? Deo non potest obsisti, qui nihil nisi bonum, & quidem in suorum bonum, vult. Instemus nos ardentibus votis, etiam jejuniis additis, ut Deus saltem non tam propere nos privet ejus præsentia. D. Narsius sponsus est, ducturus Ultrajecti viduam D. Cæsarii. Heri ipsi sum locutus, qui mihi omni modo videbatur gestare frontem rugarum, quæ curarum indices, plenam. Expectamus Ordines omnino proximo hoc conventu aliquid facturos in causa communi: Sed quid & quomodo adhuc ignoratur. Faxit Deus veritatis ut tale sit, quod facit ad conscientiam hominibus ingenerandam, veramque pietatem. Cui te, destitutus tempore plura addendi, ex animo, frater carissime, amice integerrime, commendo. Salutat te, qui mecum adhuc commoratur, Hasius. Litteras tuas animis devotis expectamus. Salutat te Corvinus, & inprimis D. Arminius nostra lux, quam Deus faciat diu lucere in nostro hæmisphærio. Vale. Vix possum finire, & tamen cogor, 30 Julii 1609.

CXXXI.

JACOBO ARMINIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Narrat disputationem suam contra D. Sibrandum de loco Rom. 7.

ETsi post discessum meum, Reverende D. Doctor & observande Pater, nihil ad te literarum dederim, nulla tamen id tui oblivione aut supina ingrataque meritorum tuorum negligentia factum credas; sed tum amoris tui singularis erga me fiducia, de quo mihi impense admodum & confidenter promisi; tum vel maxime quod tibi, quem, præter serias gravesque occupationes, quas universas simul ingruere nunc & devolvi in caput tuum scio, insuper pertinacis morbi ægritudine identidem recurrente distractum, interpellare non audebam, erigere aut recreare non poteram, abunde satis afflicto molestus insuper esse noluerim, ratus sufficere tibi gratam tui memoriam adfectusque mei significationem crebram, per eos ad quos aliquoties scripsi. Utinam, Reverende vir, faxit Deus, ut cum gaudio tui recordari liceret hoc tam desperato sæculo, cui remedium aliquod ostendisse per te Deus videtur; utinam non ostendisse tantum! Quid enim? tam solicite desiderantibus nobis & identidem erigentibus nos in spei fiduciam, tamen aliud nuntiatur nihil, quam nondum remittere morbum, sed consistere pertinacem, irritari malignis & biliosis quorundam actionibus, inde velut postliminio recurrere asperius. Equidem si tantum tribuis mihi, ut aliquo momento ponderare res tuas, lectionumque & utilitatem & necessitatem quadamtenus æstimare possim, quam me ista res male habeat considerare potes. Ingratus sim, si ulla dies abeat, quæ non per intervalla crebra aurem mihi vellicet admoneatque morbi tui; quæ certe ita in dies affligit me cogitatio, ut una cum illa novum quasi aliquod mali participium me tangat & invadat; utinam eo usque ut ad te levamen aliquod rediret aut solatium! Sed non placebit fortasse Deo nostro huic invito, ingrato, & calcitroni orbi ulterius per te benefacere, qui scire non vult quæ ad pacem suam faciunt, nec tempus visitationis suæ agnoscere. Interea & hæc cura non parum exaggerat justi doloris magnitudinem, imprimis apud eos, quos tuus veritatis pacisque spiritus excitat & inflammat ad ferendum remedium & succurrendum laboranti Reipub. Christianæ; in qua tantum abest ut veritas & pax obtineant, ut potius omnia contraria dominentur; quæ tanquam in manifesta luce observare potest is, qui à te didicit non temere credere aut inhærere præjudicatæ sententiæ mordicus. Sancte dico tibi, nisi hic haberem ex te, quo ruminando atterere abundantiam otii, & lectionum ineptarum

Ep.131. rum tædium poſſem decoquere, nuſquam video unde mihi ſuppeditari poſſet quidpiam. Quas audivi lectiones pauculas, eæ tales fuerunt, ut ſi polemicas ineptias, dicteria, ſarcaſmos & reliquas phaleras ademeris, vanæ & ſine rerum hypoſtaſi futuræ ſint; quæ tamen tanta cum confidencia fiunt, ut nunquam vincere ſed ſemper triumphare videatur, adeo ut quidlibet etiam ſibi refutandum ſumat; ratus arbitror non confectum hoſtem, niſi omnia illius, hoc eſt, vera & falſa ſimul protriverit: unde perpetua altercatio de ſyllogiſmis hypotheticis, axiomatibus, enunciationibus, & ſimilibus, quibus profecto Scholaſtici irritandi mihi non videntur, tam in iſtis rebus curioſi & accurati, quam in divinis oſcitantes & ſecuri: in hoc certe diſſimilis Gomaro, quod cum hic per varia diſtinctionum diverticula elabi conetur; ille nudum & pervium ruſtica quadam ſimplicitate omnibus telis faciat; quamquam jam deinceps intelligo prudentius agere velle, ex quo diſputationem cum Leydenſi tali habuit, qui merito Arminianus dicitur, ut inquit, utpote (ignoſce Pater mi, verbis ipſius utor) quo melius aut accuratius Arminium ipſum urgere non poſſe credat, imo ſcire ſe dicat. Hic vero ſume animum, Vir Magne, triumphum juro tibi & victoriam ſi ad manum veniatur. Quid enim, ſi ille, quem nec ætas confirmata judicio, nec eruditio, nec authoritas commendat, quem tua ſola virtus armaverat, hoc illi invito & non proclivi alias ad bonum judicium extorſit, quid dicet ubi coram experietur adverſarium ſuum pari ætate, pari authoritate ea dicentem, quæ ille ne per ſomnium cogitavit quidem? Facit hæc res, ut non poſſim non in compendio hujus noſtræ diſputationis occaſionem recenſere & argumentum, quantum patitur memoria mea, quæ ita infida mihi eſſe ſolet, imprimis in ἀτακτοῖς, (*ordinis perturbatione*) omnique actione inordinata, ut niſi alieno ſubſidio ſubleveur, tranſactorum facile obliviſcatur. Occaſio fuit propoſitio Theſium de *cap.* VII. *ad Rom.* (quas quia coepiſſe te intelligo, non mitto,) & reſpondentis frequens, ſeria & importuna fere non tam poſtulatio, quam flagitatio. Detrectanti diudum, & forte injicienti mentionem de decreto contra me facto, occurrit ſtatim, ſcire ſe futurum gratum D. Præſidi, & ut contrarium experiar rogare obnixe ut aliquid agerem. Perſiſtens tamen in propoſito, & non dubitans rem hanc totam conſcio præſide ſic agi, qui tamen neſcire ſe primum quiſnam eſſem dicebat, quamquam poſtea me tibi notum publice ſe intellexiſſe affirmaret, paravi me aliquo modo. Poſt primum opponentem altum ſtatim ſit ſilentium, & ego ex medio primus provocor; cumque tergiverſatio mea parum eſſioeret, cœpi quædam proponere, poſtquam aliquot argumenta ex ſcripto tuo in *cap.* VII. ita dilute propoſita fuiſſent & frigide, ut tæderet & pigeret audire. Duo autem me propoſiturum dicebam. 1. Hic agere Apoſtolum in perſona hominis irregeniti; non tamen intelligere, qualiter illi irregenitum deſcribunt. 2. de fundamento ſententiæ eorum qui contra ſentiunt, conſtitutione nimirum hominis irregeniti. De his, omiſſis aliis quæ ſparſim in theſibus abſurda aut ridicula occurrunt, egimus ultra horam; quanta autem cum benevolentia & favore, quantis cum titulis, non eſt meum dicere, forte etiam antehac renuntiatum eſt tibi. Ad probationem autem primæ poſitionis, adhibebam duo (quamquam plura decreveram) idque ob ſemper redeuntem reſponſionem, quæ ſecundo membro infringi debebat. Primum nitebatur fundamento theſium ipſarum quod ponunt pro probatione, hominem vid. irregenitum ſine lucta ferri ad malum, quia nimirum mortuus eſt in peccatis; unde ſic concludebam ex contrario; Homo regenitus ſine ullo certamine fertur ad bonum. Hic homo de quo quæritur non fertur ſine certamine aut lucta. Ergo. Negavit majorem; quam probabam ex eo, quia mortuus peccato. Neganti majorem rurſum; dixi aut infirmum hoc argumentum eſſe, & ſic magnam partem theſium aliarumque rerum in variis argumentis Theologicis corruere; aut verum utrumque, & tum falſum hic agi de regenito. Reſpondit, mortem aliam eſſe perfectam, aliam imperfectam. Reſpondi 1. Sic elidi robur argumenti totius, quod iſtam diſtinctionem non fert; cum tota vis ſit in voce *mortui*, quæ alias futura eſſet imperfectè; quo oſtium aperiri dicebam aſſerentibus liberum arbitrium, negantibus efficaciam illam ſummam peccati originalis, &c. Nam cum mors dicatur privatio actorum & potentiarum vitalium omnium, in illa latitudo admitti non debet nec admittitur. Volebam equidem, Reverende Vir, non tam hoc argumento pugnare pro ſententia tua, quam ſuſpectum reddere & deridendum propinare auditorio argumentum illud palmarium, in quo plerique triumphant. Video dicebat tandem, ex quo habeas argumentum: Socinus iſtum libellum fecit, quem erigebat, ille iſto argumento utitur, & hoc ſine ut perfectionem ſtabiliat. Dixi, præterquam quod nunquam in Socino illud argumentum vidiſſem, ad rem etiam non facere quicunque aliquid dicat. Nec enim præjudicat author veritati, ſed veritas eſt veritas à quocunque dicatur aut enuncietur. Sed obſervata hominis abſurditate, & ut putabam ſatis demonſtrata, pergebam ad argumentum alterum. Regenitus homo non eſt captivus legi peccati, ſed liber. Hic homo eſt captivus. Ergo. Negavit ille mihi minorem; quod quamquam mihi mirum videbatur, tamen duobus modis probavi. 1. ex textu. 2. ex reipſa. Textus notus eſt; ſed negavit ille explicationem, dicens; non haberi, *captivum me abducentem*, ſed ἀιχμαλωτίζοντα, quod idem eſſe dicebat, atque volentem me

Ep. 131. captivum abducere; non dejicientem actu, sed conatu saltem, sicut rebellem subditum. Ego vero dixi, hic non conatum, sed effectum argui; cum conatus expressius sit per vocem ἀντιτυπίζοντα. (*repugnantem.*) 2. quia vox activa est, cui necessario passiva respondet. 3. quia vox haec passim in thesibus dicitur significare, violenter abducere in servitutem; 4. addere potuissem, in Scriptura sic semper usurpari verbum illud; sed non videram parallela omnia, & ille nullum locum suæ explicationi parallelum dabat, nec dare potest. Secundò fortissime probabam ex reipsa hoc argumento. Qui facit id quod vult hostis, illum non tantum vult abducere captivum, sed actu abducit; quia hoc est abducere, impellere voluntatem ad opus & exercitium ipsum. Hic homo facit id quod vult hostis. Ergo. Hic paulum hærens, cum negaret minorem primum, urgeremque actu concupiscere, quod tamen non vellet, explicata phrasi cum Augustino; Dixit, quod ad partem regenitam non velle, sed quod ad partem non regenitam. Tum vero ut arctius stringerem: Qui actu peccat, illius etiam mens ad peccati actum abducitur captiva; quia si non abducitur captiva, non peccabit. At hic actu peccat, quia actu concupiscit. Ergo. Ille nihil aliud quam objicere Apostolum, & dicere: Quod non volo, hoc facio. Tum vero dixi, necessario mentem & voluntatem hic intelligi ab Apostolo generalem æstimationem, non particularem & individualem approbationem: eadem ratione qua de continente Aristoteles & Philosophi ratiocinantur, qui generali æstimatione intelligit & judicat non facienda quædam, ad quæ particulari judicio, fascinato à sensuum vehementia, tamen abripitur, quia nondum habitus in voluntate formatus est: liceat ita loqui. Hoc probabam duplici argumento. 1. ex scopo, qui est, demonstrare per Legem non conferri vires ad præstandum eam, sed aperiri necessitatem gratiæ & Spiritus Christi; quem cum ille rejiceret & fastidiret, argumento dicebam me probaturum irrefutabili: Qui facit quod vult hostis, illius mens necessario consentit ad actum peccati; jam captivare non est aliud quam consensum elicere. At ex concesso hic facit quod vult hostis, id est, actu concupiscit. Ergo. Majorem probabam, ex loco *Jac.* I. quia *concupiscentia postquam concepit parit peccatum.* Conceptus autem ibi est consensus, quia aliud quid est ἀκατάληπτον (*incomprehensibile.*) Ille hoc simpliciter negare, quod ita manifestum erat; tum dixi: Cujus mens non consentit, illius voluntas non potest moveri & impelli ad actus exercitium. Omnem enim volitionem, & per consequens actum à voluntate imperatum, præcedere judicium practicum; quod nihil aliud est quam consensus. Ille hæc non considerans, ipse sibi aperiebat campum, multa dicens de continentis distinctione, ab hoc homine de quo hic quæstio; & talia quidem, quæ uno verbo dicebam esse æque controversa atque hoc ipsum; ut ea tanquam certa sumere in hoc negotio iniquum esset: ut, in hoc homine spiritum esse, quia mens dicitur, quæ sine dubio partem regenitam notet; cum irregenitus alias tantum sit caro, qui proinde nihil velit aut facere possit, quod bonum sit; in quo nulla sit recta ratio, cum ea esse nequeat in eo qui sit totus caro; unde Scriptura dicat: Non potest Æthiops mutare pellem suam, &c. Hæc aliaque nonnulla fuse & ad ravim usque inculcans, excepi & tanquam fundamentum thesium fere omnium sic oppugnavi, 1. Loci illius aliorumque in thesibus citatorum allegationem inconcinnam esse, cum ibi agatur de homine tali, quem consuetudo fecit intemperantem, quales omnes irregeniti non sunt; proinde mutari necessario quæstionem: cum enim quæstio sit, an homo irregenitus, quomodocunque se habeat, assuetus sit peccare ita ut aliter non possit? mutatur in hanc: an qui assuetus sit, possit non peccare, cum consuetudo habitum jam formaverit, quæ natura altera dici solet? 2. Sic de re agebam: Qui faciunt ea quæ legis sunt, in illis est recta ratio adhuc. Quidam non regeniti faciunt ea quæ legis sunt. Ergo. Negavit majorem, nihil insuper addens; quod certe indignum erat homine docto; quia quod rectæ convenit & commensuratur lineæ rectum est: aut ea quæ legis sunt oportet dicat mala esse, quod impium. Tum dixit tandem, faciunt quidem, sed non perfecte. Oppositi hoc non controverti: sufficere mihi si aliquid faciant; perfectio enim pertinet ad gradum in qualitate, non qualitatem ipsam. Interim ille persistebat in responsione, quam tandem sic eripiebam homini. Si ideo non est recta ratio in irregenitis, quia non perfecte faciunt quæ legis sunt; tum ne quidem in regenitis ulla est recta ratio per ipsum Spiritum Christi effecta. *Is* inquiebat, in perfectione sunt gradus. Ergo sequi dicebam perfectius facere regenitos, (si perfectio comparationem admittat) perfecte irregenitos in positivo. Hic rursum erecto Socini libello, exclamat, & hoc argumentum illius est, Vir clarissime. Sed hærere hominem videns, conferebam me ad examen Thesεos 10. in qua præter demonstratam alienam locorum allegationem, agentium de Euangelica materia, quæ per Spiritum Dei revelari debet, cum hic de Lege quæratur, sic conabar evincere errorem antedictum: In quibus est peccatum contra conscientiam, & qui convinci possunt in eadem de peccato perpetrato contra legem, in illis est legis notitia. At in irregenitis est prius. Ergo & posterius. Majorem negabat; quam cum firmarem; Quod ubi conscientia ibi scientia, & ubi convictio ibi clara demonstratio; etiam hoc negabat. Minorem probabam ex eo, quod veritatem detinerent in injustitia; veritatem autem cognitam & manifestatam, ut est *Rom.* I. & ex eo quod Dei jure agnito, nempe eos qui talia faciunt dignos morte, &c. Ep. 131.

Hic

Ep. 131. Hic vero ut quid reſponderit ſcribam, neſcio; illud videbatur velle, non poſſe illum cognoſcere totam legem, ita ut ſciat interno animi motu obediendum. At hoc ipſum cognoſcere poſſe irregenitum demonſtrabam; quia ille cognoſcere poteſt non concupiſcendum, in quo peccatum adhuc omnem efficit concupiſcentiam, imo per illud ipſum efficit. At ille irregenitus. Ergo. Hic vero rurſum: Video ex quo illud habeas, quem tibi non dubito notum optime, quem cum antea magni feciſſem, tum vero multum de exiſtimatione ſua apud me perdidit, poſtquam vidi illum diſtinguere, hominem in hominem ante legem, ſub lege, ſub gratia & ſpiritu: Sub lege hominem per legem eo uſque duci poſſe, ut eam intelligat, illi conſentiat & delectetur. Cum dicerem hoc ipſum non tantum eſſe apud me argumentum magnæ eruditionis, ſed etiam quaſi expreſſum ab Apoſtolo ipſo in textu. Tum verò ille allegare conſenſum omnium Eccleſiarum ad ipſam uſque Bohemiam, Moraviam, &c. in contrarium, quæ nihil de iſta diſtinctione ſciverunt, utut idem vir (quem te eſſe non dubito) varios in ſcripto ſuo citet; imo vero Patres omnes contravenire. Cum exciperem, conſenſum tam poſſe eſſe in errore quam in veritate; tamen putabam injuriam fieri rei ipſi, ſi dicatur illam rejectam à Patribus: cum diſerte pateat ex Auguſtino multos fuiſſe qui diſſentirent, imo hoc Pelagium objeciſſe illi, quaſi fere ille primus aut ſolus ſic explicaret locum in retractatione ſua. Tum vero ille hoc ſcire me volebat, pleroſque Patres ante Auguſtinum fuiſſe Pelagianos, & hæreſi illi addictos. Tum vero hic ipſum confirmare ſententiam meam dixi; non erum jam quæri qui ſint orthodoxi aut ſecus, ſed quot aut quam multi dixerint hoc ipſum. Tandem unum adhuc adferebam. Irregenitis tribui etiam bonam conſcientiam: ergo legis cognitio eſt in illis. Hic primum illos negabat irregenitos quibus tribueretur: cum dicerem Hymenæo & Phileto, iiſque tribui qui traditi ſatanæ poſtea ſunt; nunquam de loco hoc non cogitaſſet, negavit minorem: cum apertum textum allegarem; tandem, velut reſumta mente, bonam & erroneam conſcientiam conſiſtere poſſe ſimul dicebat, ſicut & de zelo dicitur *Joan.* XVI. Tum vero excepi hanc reſponſionem hoc argumento: Quæ conſcientia erronea eſt, ex illius abjectione nullus reprehendi poteſt, & ad cuſtodiam illius nemo incitari. At hic hoc fit. Hic rurſum multa dictitans ita frequenter delirabat, ut ſingulis vicibus totus pateret novo ictui, adeo ut punctim cuſimque feriri poſſet. Decreveram urgere hominem denſis tuis quibuſdam argumentis, de actionibus neceſſario præcedaneis ante regenerationem, ut illi eam acciperunt, ex quibus lucta neceſſario exiſtit; ſed cum ex reſponſionibus ſingulis, velut ex fœcunda Hydra, nova multa ſubnaſcerentur amputanda capita, non potui tam brevi tempore inſtitutum proſequi. Habes hic in compendio, Obſervande D. Doctor, quid in principio adventus mei egerim hic; quod etſi antehac ſignificare tibi decreveram, tamen neſcio quæ me à propoſito hactenus revocarint, uſque dum ſtimulum ſubderet D. Borrhius; habes etiam, ex quo perſpicere poſſis judicium & acumen viri illius, quem tam multi admirantur, quemque poſt Gomarum unum ſupereſſe credunt, qui tecum in arenam deſcendat, & manus conferat. Certe niſi habeat fœnum in cornibus, dignus non eſt ut metuatur aut præcaveatur. Sed ut ne præcipitem judicium de tanto viro, obnixe rogo te, Reverende Vir, ut judicium tuum ſuper hac re & cenſuram intelligere poſſim, ſimulque quod dignum judicaveris obſervatu in aliis nonnullis, quibus ruminandis hic otiari & vacare poſſum, deſtitutus aliàs omnibus à quibus ſuppeditari poſſit quidpiam. Unum reſtat, ut à te veniam facti impetrem. Nec enim immemor fui conſilii tui, qui author fuiſti, ut omnino conticeſcerem anſamque accuſationis omnem præciderem immerenti ſilentio: Et paruiſſem profecto, etſi non ita ſtricte ſequendum illud quidam tibi cari judicarent, niſi experiri libuiſſet, quid de decreto illo eſſet, de quo tam concorditer & conſentientibus vocibus mihi erat toties relatum, & quod tamen falſum eſſe perſuadere conabatur reſpondens, cum Magiſtro quodam Goudanenſi, qui ex pridiano colloquio, quod forte inciderat, magni aliquid de me ſentiebant, etſi Sibrando addictiſſimi: jeci itaque aleam, & feliciter cecidit. Ut enim judicium illius de me taceam, quod certe majoris facerem, ſi non ab illo profectum eſſet, qui projicere & abortire judicium ſolet, non excoquere, ita ille ſe geſſit erga me, ut commendata publice argumentorum elaboratorum, ut ajebat, quod ad formam, & materiam ſubtilitate, ad familiarem collationem cum amicitiæ ſecretioris promiſſione, cum ſolenni gratiarum actione, cum deſiderio ſæpius ſic exercendi auditorium, invitaret liberaliter. Ego vero hac in re quia prudentia opus eſſe intelligo, totus lubens à veſtro pendebo conſilio & arbitrio. De ſucceſſu ita mihi promitto liberaliter, ut quos ingenium & liberalior indoles commendat, illi excitati fuerint ad conſiderationem, ut hodie intellexi, & excitari inſuper poſſint; tantam enim (abſit ambitio aut φιλαυτία) (*amor mei ipſius*) conciliavit mihi authoritatem hæc ipſa diſputatio, ut quicquid impoſterum acturus ſum, illud in pretio futurum ſit, quilibetque fere tanquam rapinam ducturus ſit. Cæterum reperias etiam ita craſſos hic homines, & provectæ etiam ætatis Friſiabones, qui nec aculeum nec ſtimulum ſentire poſſunt; ſed unum hoc habent, oculos videlicet ad admirationem compoſitos, intentos & fere conglaciatos, ſed præterea nihil; adeo quidem ut

by Google

Ep. 132. ut nisi signum victoriæ silentium ab altera parte videant, nihil actum credant; apud quos tamen hoc me impetraturum confido, ut vilescat subtidatque authoritas paulum hujus hominis. Caterum qui has ad te perfert literas amicus & commensalis meus est homo Helvetius, duorum nobilissimorum filiorum pædagogus, qui rogavit me ut se commendarem aliquo modo tibi, quo posset accessum habere ad te, quem certe quanti faciat, ut ad te ipsum perscribam nec ipse cupis, nec me decet: tanti certe te facit, ut hoc nomine, præterquam quod judicio, humanitate, & prudentia non vulgari præditus sit, dignus sit qui commendetur; etsi vero vino vendibili suspensa hedera non sit opus, non potui tamen hoc ipsi officium denegare, & rogo te, ut si quid tibi mei carum est, valeat aliquid apud te hæc mea commendatio; non dubito quin humanitatem, qua alias erga omnes uti soles, imprimis vero rogatu nostro excitatam, qua, immane! quantum illi delectentur, deprædicaturi sint passim, idque iis locis quibus commendatio favorem conciliare potest eorum hominum, apud quos illi aliquo loco sunt habiti, ut Piscatoris, Eglini, Paræi, &c. Plura de hoc ad D. Borrhium scripsi, quia deficit charta. Restat ut te commendem Domino Deo & Christo nostro, apud quos intercedere non desinimus, ut te vel sanitati pristinæ restituere dignentur, vel superstitem saltem orbi Christiano conservare velint, quo accensam veritatis pacisque facem porro inflammare, & Ecclesiæ laboranti vel æger medicam manum possis porrigere. Audi nos propitius Deus, & miserere nostri, omniumque eorum qui ad veritatem & pacem redintegrandam consilia sua dirigunt. Vale mi Pater in Christo, à tuo qui te observat & suspicit, quem amare ne desine.

Uxori, D. Borrhio, Corvino, & si licebit per otium, D. Uytenbogardo, salutem plurimam à me significes velim.

Quia repentinus & vehemens morbus invasit Helvetios, quos putabam harum literarum futuros tabellarios, hunc sese mihi ultro offerentem delegi huic fini. Vale.

CXXXII.

PHILIPPO LIMBURGIO

ARNOLDUS POELENBURGIUS S.P.D.

DOctoris Arminii ■ ⟨illegible⟩ schediasma, D. Limburgi charissime, quod D. Hartsoeckerus noster ad me tuo nomine transmisit, de verbo ad verbum expressum sic habet:

Ep. 132.

An Christus habuerit secundum humanam naturam suam aliquam peccandi potentiam,

JACOBI ARMINII responsio.

SYllogismus affirmans. De quocunque possunt dici omnia, quæ omnibus & singulis hominibus sunt naturalia, exceptis iis quæ admittunt hoc prædicatum, quod sunt peccatum, de eo quoque dici potest quod potuerit peccare, & committendi peccatum potentiam habere: quia hæc libertas aliquando homini sanctissimo & citra omnem peccati maculam inerat, & à creatore ipso ingenerata. Atqui de Christo dici potest prius: Ergo & posterius.

Responsio confirmans. Quanquam satius sanctiusque esset de hac quæstione tacere, quam curiosius disputando inquirere; tamen & hoc ob ipsam hanc rationem salva conscientia de Christo dici posse videtur. Imo tantum abest ut hac ratione gloriæ Christi quidquam detrahatur, ut eadem etiam augeatur: quia gloriosius est Christum tanquam hominem affectum ad objecta, quæ vel minima voluntate, aut mentis inclinatione amplectendo quis peccet, habuisse, ideoque & passive tentatum fuisse, & tamen non peccasse, totque tentationum astutissimarum fluctus impetumque sanctitate superando, tot mirabiles Diaboli calles evasisse; quam tentatum fuisse & tamen non peccare, nec objectorum ad quæ summis blanditiarum præstigiis irritabatur, desiderio affici tangique potuisse. Nec etiam Diabolus ullum lapidem movebit unquam, ut tentet illum ad peccatum, quem certo scit nulla ad objecta affectione titillari posse. Nec unquam à quoquam mihi laudi ducetur, quod de rupe in vastissimum pelagus me nunquam præcipitem dederim, cum naturali impetu ad salutem corporis ferar, & naturæ interitum innato studio reformidem. Nec obstat quominus naturæ Christi humanæ hæc potentia inesse potuerit, quod nimirum eadem naturæ divinæ ⟨illegible⟩ (*substantialiter*) unita fuerit; unde propter arctissimam naturam unionem, peccante una natura tota persona ⟨illegible⟩ (*homo Deus*) peccatura fuisset; cum non naturæ Christi separatim, sed tota persona secundum hanc vel illam naturam omnia egerit. Quia de actu hic nulla est quæstio, sed de potentia tantum. Actum omnem qui scopo, ad quem Christus ex Dei decreto tetendit, repugnaturus fuisset, tum humanæ naturæ sanctitate, tum divinitatis gratia sanctissime præcautum fuisse asserimus. Et vero à negatione actus, quam salvifica fide credimus, ad negationem habitus aut potentiæ, nulla propter unionem hypostaticam datur consequentia. Ut enim illa unio duarum naturarum in neutram personæ naturam

Ep.132. turam habitum aut potentiam ullam invexit, ita quoque ex neutra nihil quicquam ſuſtulit.

Primus ſyllogiſmus negans. Si Chriſtus nobis dabit illam gratiam, non tantum qua non peccemus amplius, ſed etiam qua peccare non poſſimus, tum illam gratiam ipſemet quoque habuit: nihil enim dabit quod non ipſe habeat. At verum eſt prius: Ergo & poſterius.

Reſponſio refutans. 1. Nego conſequentiam; propterea quia Chriſtus non dabit nobis hanc gratiam niſi ex mortuis reſuſcitatis, glorificando nos & perficiendo pleniſſime opus regenerationis in his terris inchoatum, imaginem Dei, id eſt, juſtitiæ lumen & ſanctimoniæ decus non modo perfecte reſtituendo, ſed etiam gratia ſua ita fulciendo, ut extingui aut obſcurari deinceps amplius non poſſit. Quod ipſe reſuſcitatus & glorificatus habuit. 2. Chriſtus gratiam illam largiendo nec libertatem voluntatis auferet, nec habitum aut potentiam ullam naturalem extinguet; ſed legem ſuam abolendo affectum illum in nobis ſupprimet, tentatores conculcabit plenario freno ipſis injecto, hoſteſque omnes qui ad peccatum nos tollicitant coërcebit, voluntatemque in bono confirmabit; qualis confirmatio Angelorum eſt.

Secundus ſyllogiſmus negans. Si antea Chriſtus peccare potuiſſet, tum labile fuiſſet fundamentum electionis; quia in Chriſto tanquam fundamento omnes ſumus electi. Si autem labi potuiſſet fundamentum, tum quoque corruere potuiſſet decretum huic fundamento ſuperſtructum. At abſurdum conſequeris: Ergo & antecedens.

Reſponſio refutans. Negatur conſequentia majoris; ſequeretur enim hoc, ſi in Chriſto electi eſſemus, in ſtatu hoc exinanitionis ſeu humiliationis conſiderato. At decretum illud electionis factum eſt in Chriſto conſiderato in ſtatu exaltationis & glorificationis. Nec obſtat hoc, quo minus Chriſtus peccare potuerit; quia Deus, qui fecit illud decretum, etiam præſcivit Chriſtum in æternum nunquam peccaturum eſſe. Potuiſſet igitur corruere decretum illud ſi Chriſtus peccaſſet, non autem ſi tantum potuiſſet peccare.

Quæris autem, quid mihi ſuper hac eadem quæſtione & Arminii reſponſione ſit ſententiæ. Qua in re ut deſiderio tuo obſequar, illud primum exoptem ſummopere, ut de hac controverſia difficili & intricata reſpondendi neceſſitas nunquam fuiſſet Theologis noſtris oblata. Nam neque tacendo cordatis hominibus, nec reſpondendo clamoſis adverſariis ſatisfacere poſſumus. Mota eſt autem hæc quæſtio nobis ab adverſariis ex eo, quod ſtatuamus per irreſiſtibilem gratiæ divinæ efficaciam, qualem illi in ſuos abſolute electos à Deo derivant, perire omnem rationem obedientiæ proprie dictæ, cui apte ſive convenienter præmium aut remuneratio reſpon- Ep.131.
dere queat. Quod tane, ſi præjudicium & affectus abſint, ita perſpicuum eſt, ut nemo ſanæ mentis compos id vel inficiari, vel in dubium vocare poſſe videatur. Nam ſi illa gratiæ omnipotentia obtineat, per quam *in nobis ſine nobis* fides efficitur, quomodo quæſo ea obedientia vere noſtra dici, aut ſaltem quis propter illam obedientiam talem (ſi eam hoc nomine cenſere liceat) locus laudi, honori, præmio relictus ullo pacto videri poteſt? niſi quis forte ita inſaniat, ut, ſi quis ad ſtaturam proceram excreſcat, hunc ea de cauſa laude, honore, aliaque ampla remuneratione afficiendum putet, quia in eo parentibus ſuis, qui hoc volebant, obtemperavit. Ubi irreſiſtibilis vis gratiæ dominatur, ibi voluntati neceſſitas affertur: ubi prævalet inevitabilis neceſſitas, inde exſulat libertas, quatenus ea quidem in ἀδιαφορίᾳ (*indifferentia*) quadam voluntatis conſiſtit. Hæc autem libertas niſi illibata & integra maneat, nullam ibi ſpeciem idoneæ laudationis aut remunerationis mens cogitando aſſequi poteſt.

Non placet autem mihi hoc loco moleſta imprimis, multumque contrita inter adverſarios & noſtros, concertatio de liberi arbitrii ratione, qua in re conſiſtat, ſitne ea ſita in ἀδιαφορίᾳ (*indifferentia*) quadam, qua poſitis omnibus ad agendum requiſitis facere quippiam, aut non facere, aut aliter facere quis poſſit: an vero ſufficiat ad conſtituendam voluntatis libertatem, ſiquis prævia deliberatione aliquid egerit, quamvis & deliberatio illa & actio ſit neceſſaria. Nam quocunque modo voluntatem libertatemque voluntatis deſcripſeris, illud extra dubium ponendum eſt, niſi prior illa deſcriptio obtineat, in religione nobis patefacta nullum præmium, nullam remunerationem locum habere poſſe. Nam ſi quis id quod agit agat neceſſario, licet probatiſſima fuerit actio, tamen recta cum ratione nihil ei ſub præmii conſideratione perſolvitur, neque perſolvi poteſt.

Adverſarii vero, qui contra nituntur, exiſtimantes, ut videri volunt (ſerio enim id dici, vix credi poteſt) etiamſi aliquis vel maxime neceſſario quid fecerit, ſi modo adhibita ratione id fecerit, poſſe ei juſte & apte præmia reddi; obducunt nobis imprimis Chriſti exemplum, quem Patri obedientem fuiſſe conſtat, & obediſſe neceſſario putant, & propter obedientiam ampliſſima remuneratione cumulatum & exaltatum legimus, *Phil.* II. 8. 9. Quod autem olim Orator maximus aſſeveravit, de diis etiam vera dicere periculoſum eſſe; id imprimis hoc loco, ubi de Chriſto agitur, affirmare licet; tum quia huic Domino noſtro ſublimia quæque & ſumma deferre cupimus; tum propter adverſarios, qui niſi ex ipſorum captu reſponſum dederimus, contra veritatem miris clamoribus inſurgunt. Movit hæc res de noſtris D. Tilenum

Ep. 132. quondam, credo, cur, aliena primum (judicio meo) responsione usus, postea silentio se tegere, quam cum adversariorum odio respondere maluerit; itemque D. Carolum Niellium, cur in diversam à D. Episcopio sententiam pronius faciliusque concesserit. Ac fortasse satius fuisset hanc quæstionem responsionemque differre in illum usque diem, quando de facie ad faciem Christum intuebimur: quod quidem Judæis facere solemne est in rebus obscuris nonnullis, in quibus si viam satis expeditam non reperiant, responsionem ad Eliæ tempora rejiciunt, dicentes, hoc nobis Elias revelabit. Id ipsum de aliis hujus argumenti quæstionibus existimare liceat; inter quas est illa de statu Gentilium, de qua neque nostri satis consentiunt, & adversarii inter se hodie disceptant acerrime: tum de Gentilium infantibus, quos cruda nimium sententia nonnulli in orcum præcipitant. Solent tamen ipsi alicubi hanc moderationis sive modestiæ laudem aucupari, sed ibi tantum, ubi se ad incitas redactos animadvertunt; veluti, cum de Adami peccato quæritur, an & illud ex Dei decreto accident necessario; & ita libere tamen, ut Adamus potuerit non peccare? Si non libere; quomodo is peccati reus merito peragi possit? si libere; quo pacto Deus hoc ipsum præscire potuerit? De reliquis enim peccatis expedite respondent, Deum ea prænosse, quia ex Adami lapsu promanant necessario, omnesque in Adamo peccasse libere: Adamus ipse in quo alio peccaverit, non reperiunt, nisi forte in Deo aut Dei decreto, unde ipsi delinquendi necessitas illata fuerit. Sed hanc nimis apertam blasphemiam proferre multi erubescunt. Itaque Calvinus, Amyraldo teste, hic ad occultam Dei & abditam sapientiam confugere maluit, quam aliquid expositum (de ceteris peccatis quod fecit) edere. Alexander Morus nuper in ea, quam Strangii libro præmisit, præfatione, cum de reliquorum præscientia peccatorum aptam judicio suo responsionem dedisset; nostram illam, quam objicimus de Adami peccato difficultatem, insuperabilem penitus ac indissolubilem facile animadvertit, maluitque suam suorumque hic ignorantiam fateri, quam de re ardua sibi atque inexplicabili explicatius aliquid dicere; *Adami*, inquit, *longe alia ratio fuit, nec illibenter fatemur hic aquam hærere:* pauloque post, cum in Aquinatis sententia acquiescere non posset, subdit; *Quæstio hæc, ut alia multa, in quibus nos multum fatigamus, non est præsentis sæculi, sed* τοῦ μέλλοντος αἰῶνος (*futuri sæculi*) *ut distinguit Nazianzenus.* Hoc si liceat adversariis, ut tacendo respondeant, si aliter satisfacere non possunt; cur idem nobis facere non licebit, cum responsio suppetit vera quidem illa, sed quam tamen οἱ ἀκατάστατοι καὶ ἀνέστιοι (*indociles & instabiles*) in pravum fortasse sensum apud imperitos aliqua cum specie detorqueant. Sed quoniam nunc alea jacta est, nec tacere integrum est nobis, postquam alii responderunt; videamus, ecqua convenienti ratione doctis pariter & indoctis satisfacere possimus. Ep. 132.

Non est autem propositum mihi, omnia nunc argumenta retexere, quæ pro responsione & Arminius noster hoc loco, & alii alibi, multa non sine robore attulerunt: sed ostendam primum, nihil habere hoc responsum, cur merito in odium & invidiam vocetur; deinde adversariorum & hanc & alias sententias majori ac justo sane odio obnoxias videri debere; denique non deesse viam responsionis veræ atque idoneæ, qua nos hanc omni ab ipsis male excitati speciem à nobis juste removeamus, ac propulsemus.

Ad primum quod attinet; duæ sunt res quibus isti hanc D. Arminii sententiam maxime exagitent; tum quod eam Christi sublimi majestate censeant indignam; tum quod hoc modo totum redemptionis, à Deo nobis sive bono nostro destinatæ, opus irritum potuisse reddi existiment. Sed neque verum est quod putant, nec sequitur quod illi contendunt. Christi Domini majestas non violatur, si quis ipsum potuisse peccare dicat; sed si quis ipsum reipsa peccasse statuat. Neque enim posse peccare peccatum est, sed reipsa deliquisse. Nam alioqui Deus ipse primum hominem peccato imbutum ac pollutum condidisset, fieretque Deus irrefragabili ratione peccati conditor autorque primus, si potentia peccandi in peccatorum censu collocanda sit. Deus enim Adamum libero præditum arbitrio creavit, ita ut præceptum Dei transgredi, hoc est, peccare posset, si vellet. Præterea omnes Christiani toto pectore concedunt, & agnoscunt verum, quod Lucas Evangelista scribit, *cap.* II. 52. *Jesum profecisse sapientia & statura ac gratia apud Deum & homines:* & Marcus prodidit, *de die illo & hora neminem scire, ne Angelos* quidem *qui in cœlo sunt: nec ipsum Filium, sed Patrem. cap.* XIII. 32. Quæro nunc, an propterea negandum quod apertissimum est, Christum ignorare quippiam potuisse, quia id judicio nostro imperfecti aliquid sapere videatur? ac si hoc in Christi intelligentia admittant, cur idem istud in voluntate concedi non debeat? Si dicant, divinam Christi naturam sanctissimam obstitisse, quo minus peccare potuerit; quæramus pariter, cur eadem natura, omniscia cum sit, mentem rerum omnium cognitione non imbuerit, atque in rei maximæ ignoratione reliquerit? Si respondeant, Christum nunc in cœlos evectum judicii diem cognitum habere; respondebimus pari modo, nunc eum, postquam in cœli adita penetravit, extra peccandi aleam potentiamque constitutum ac subvectum esse. Hæc autem ita à nobis dicuntur, ac si piaculum non sit, Christo, si in statu hoc humiliationis, in quem se ultro demisit, consideretur, aliquid imperfectum tribuere. Quid vero, si insuper

con-

Ep. 132. contenderimus, nihil in hoc imperfectionis poſitum eſſe, ſi quis in obedientiæ via conſtitutus tranſgredi mandatum ſibi datum, atque ita peccare in Legislatoris voluntatem poſſit? Quid ſi hoc ipſum ad illuſtrandam ipſius obedientiam eamque celebrandam cumprimis faciat? Major eſt enim obedientiæ virtus ac laus, obſequi Deo, ſi poſſis non obſequi, quam ſi non poſſis non facere id quod lege præſcribitur. Addam amplius. Quid ſi aliter meriti ratio, quod certe in Chriſto maximum eſt, conſiſtere nequeat, ſi id quod in mandatis habuit à Patre, prorſus non potuerit negligere aut omittere? Sed hoc quia ex ſuperioribus jam patet, & in uniuſcujuſque animo ac mente defixum eſt, uberiore confirmatione noſtra nunc non eget. Quod ſi Chriſti honos amplificatur per obedientiæ ejus meritique magnitudinem, quomodo quæſo in contemptum ei cedere poteſt, ac non potius in gloriæ ſibi augendæ materiam, ſi tranſgredi mandatum Patris, atque ita vere obedientiam diſcere (quam didiciſſe Scriptura teſtatur, *ad Hebr.* V. 8.) & inſuper mereri nobis illa ſublimia bona conſentaneè potuerit?

At enim dicat fortaſſe quiſpiam; quid? tune præſtabilius exiſtimas homini, ſi peccato ſeipſum fœdare Deumque offendere poſſit, quam ſi non poſſit? nonne nunc Angelorum, nonne erit hominum beatorum poſt diem judicii conditio melior quam in hac vita, cum ab omni non modo labe peccati, ſed etiam peccandi periculo liberabuntur? Verum ad hoc expedita ſuppetit reſponſio; quod hujus ſæculi ſtatus ſit longe diverſus à futuro, multaque quæ conditionem mortalem adjuvant atque perficiunt, in immortalitatis ſede locum tenere non poſſint. Hic, ſi quis eſca bene fruatur ac potu, id ad ſanitatis ac vitæ ſtabilitatem ac fælicitatem refertur: illic nec eſca nec venter uſui erunt, ſed Deus & hunc deſtruet & illam; 1 *Cor.* VI. 13. Hic, ſi quis uxorem duxerit, non infælix; ſi liberos ex ea progignat, fælix ac divinæ benedictionis particeps cenſetur: illic, qui digni judicabuntur ut ad iſtius ſæculi ac reſurrectionis conſortium admittantur, neque uxores ducent, neque elocabuntur: Neque enim mori amplius poſſunt, erunt enim Angelorum ſimiles, & filii erunt Dei, ut qui ſint filii reſurrectionis: *Luc.* XX. 35. 36. Ad eundem modum nunc, dum in hoc obedientiæ curſu ac remunerationis ſpe viatores verſamur, tanto perfectior obedientia eſt, tantoque majore præmio digna, quanto majore cum difficultate conjuncta eſt (difficultatem autem obedientia non habet in eo, qui id, quod faciendum eſt, facit neceſſario) at in vita beata, poſtquam lex, obedientia, præmium ad metam ſuam complementumque pervenerint, tota animi propenſione ac veluti neceſſitate quadam feremur ad Dei tum voluntatem præſtandam, tum gloriam celebrandam. Erimus enim in cœlis, erimus in conſpectu Dei, erimus inſtar Angelorum, qui prompti adſtant velut alati ad juſſa Dei capeſſenda: ad quem ſtatum fælicem promptitudinis ac firmitudinis ut perveniant, in hac inſidiarum ac miſeriarum valle anhelant fidelium mentes, cum ad Deum precibus fuſis exclamant, *fiat voluntas tua in terra, ſicut in cœlo*: non quod parem Angelis alacritatem, (quæ nunc non datur) ſed aliquam eis ſimilem in hac vita deſiderent. Ep. 132.

Arbitror ex his atque ſuperioribus, quæ dixi, jam ſatis conſtare, ex illa Arminii ſententia nihil dignitati Domini noſtri, quæ quidem vere ei ex debito aſſignanda eſt & aſſerenda, decedere. Simul etiam illud colligi poſſe reor, Chriſti gloriam, quæ quidem in ejus obedientiæ ac meriti prædicatione conſiſtit, ex adverſario dogmate non leviter obſcurari. Quam vero imniane iſtud infandumque, quod Calvinus effari, aut ſaltem innuere, non erubuit, cum Chriſtum reipſa in deſperationem (peccatum quod ſane grave eſt) lapſum eſſe ac demerſum ſatis aperte contendit? Inſtit. lib. II. cap. 16. §. 11. 12. Declinat quidem ille à via paulum, cum neque actu deſperaſſe diſertim audet aſſerere, & affirmat illam deſperationem fidei non eſſe contrariam: ſed ille & *ἀνίσως* (*quæ ſimul conſiſtere nequeunt*) conglutinat, & ſeipſum abunde prodit, cum Chriſtum vult maledictionem & iram Dei timuiſſe; & paulo ante, Chriſtum cum Diaboli poteſtate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conſeruiſſe. Novimus enim, ex quo hæc fonte promanent: quia enim deſperationem inter damnatorum pœnas recenſent; hinc Chriſtum, quem inferorum ſupplicia perpeſſum autumant, in illam ipſam deſperationem prolapſum eſſe credunt. Jam & illud conſidera, quod iſti, dum Arminii in hac controverſia ſententiam atrociter oppugnant, in caſtra Socini haud obſcuro paſſu pedibus concedant. At in cujus Socini caſtra? illius, quem ſolent ipſi, ut hominem peſtilentiſſimum atque hæreticorum ducem, paſſim exſecrari. Is vero affirmare non dubitat, Chriſtum cogi potuiſſe, immo coactum fuiſſe, ut Patri morem gereret. Apparet igitur adverſariorum ſententiam ad Socinianam quam proxime accedere, ideoque ipſorum etiam judicio ſummopere improbandam, ne dicam deteſtandam videri: ſiquidem vix habet nunc Socinus quippiam à reliquo Chriſtianiſmo diſſentaneum, quod non plurimorum diris devotionibus atque exſecrationibus ſit obnoxium. Præterea mirandum profecto, quo, ſive perverſo judicio ſive cæco affectu, impulſi adverſarii tanto molimine peccandi potentiam ſtudeant amoliri à Chriſto, cum Deum Patrem Domini Jeſu tam multis modis tamque perſpicue ſententia ſua peccati conſtituant authorem. Res enim manifeſta eſt, nec opus eſt multiplici probatione, cum hæc una ſufficiat ad rem claram demonſtrandam. Si enim Deus de ſingulis

Ep.132. hominum actionibus, bonis pariter malisque, ab æterno decreta condiderit, & si ex decretorum immutabili fatalique lege omnia regantur ac gerantur necessario; jam non video, neque ulla mentis intentione indagare queo, qua ratione Deum sanctissimum ab omnium peccatorum ac scelerum inexplicabili atque inexpiabili nexu possint exsolvere: nisi fortasse eo confugiant, ea non esse in peccatorum censu reputanda, quod à Deo originem traxerint. Sed si hæc ratio aliquod pondus habeat, ne homines quidem accusari poterunt, qui peccant, quandoquidem opera Dei facere censendi sunt. ô fœdam labem! o ignominiam atrocem! ô ineffabile dedecus, quo isti inviolabilem Dei Patris sanctitatem commaculare non exhorrent! Quid quod isti statuant, Deum hos ipsos peccatores, qui necessario peccant & in peccando perseverant, ad resipiscentiam exhortari, invitare, precibus etiam & obtestationibus in speciem quasi compellere? Quid quod iisdem præmia promittat amplissima & æterna, si resipiscere velint; cum tamen nullo modo possint, non magis quam suis viribus ex morte resurgere? Quid quod eosdem, si hanc summam paternamque Patris cœlestis benignitatem aspernentur, hac de causa in æternos immensosque tartareos cruciatus ab eodem Deo nostro ac Patre Christi præcipites dari contendant? Hæc talia, tam dura, tam stupenda qui non admittunt, sed urgent esse vera; nonne hos mirandum est hanc Arminii sententiam concoquere non posse, si Christum non peccasse sed peccare potuisse concedat, ut hoc pacto & verus gratiæ divinæ modus asseratur, & gloria meriti obedientiæque Christi reddatur illustrior?

Postremo nunc illud reliquum esse animadverto, ut rationem directam aperiam, qua odiosam hanc criminationem penitus effugere, & clamores adversarios compescere possimus. Quia enim ipsorum aures voce *peccati* offenduntur, & quoniam infringi putant redemptionis opus, si Christus peccare potuerit; age, nunc inquiramus, an illuc necessario deveniendum sit, ut hoc utrumque sive alterutrum ex dogmate nostro jure merito deduci agnoscamus. Nego nobis deveniendum huc esse. Nam prius illud vitare licet, si modo ad usitatum Scripturæ stylum orationem nostram attemperemus. Sacræ enim literæ id peccatum, hosque peccatores nuncupant, si qui in supplicium aut malum peccato debitum incurrant. In promptu multa sunt hujus locutionis exempla. Sic Bathsebah Davidi, 1 *Reg.* I. 21. *Et erit*, inquit, *cum domierit Dominus meus Rex cum patribus suis, & ero ego, & filius meus Salomon peccatores*, id est, tanquam peccatores tractabimur, seu perdemur; quæ expositio est apud Rob. Stephanum, approbata doctis. D. Jesum eodem modo, quamquam *peccatum non noverat*, *Deus* tamen *peccatum fecit*, *ut nos simus Dei justitia in ipso.* 2 *Cor.* V. 21. id est, eum ut peccatorem tra- Ep.132.
ctandum affligendumque tradidit, ut nos tanquam perfecte justi censeremur, (licet in eo censu non essemus) ac justitiæ præmio donaremur, quamquam nihil tale promeriti. Vocem *justitiæ* hoc eodem significatu usurpatam reperias permultis locis: *Rom.* I. 17. III. 21. 22. IV. 3. 5. 6. 9. 11. 13. 22. V. 17. 19. 2 *Cor.* III. 9. *Gal.* II. 21. V. 5. Non potest igitur quispiam dici peccator proprie, nisi pœnam aut afflictionem transgressioni ex similitudine debitam suscipiat: pœna autem transgressioni non debetur liquido, nisi pœnæ comminatio præcepto sit addita. Negamus autem, fuisse mandatum Patris, quod Christo datum est, ulla supplicii comminatione sancitum. Fuit enim illud sive postulatum sive mandatum Patris Christo non rigide nec severe impositum, sed ei, ut dilecto Filio ac Legato Regio, honoris gratia hoc munus delatum, ita quidem, ut sine ullo id supplicii metu recusare posset, si vellet. Sed Christus partim ut Patri se obsequentem præberet usque ad mortem, partim propter reverentiam prædictionum paternarum (ut alias nunc causas præteream) impositio humeris suis oneri se noluit subducere, quamvis haud difficulter se subtrahere potuisset: quod ipse indicat apud *Matth.* XXVI. 53. Petrum gladio, ut eum liberaret, accinctum sic alloquens; *An putas me non posse nunc precari Patrem meum: & exhibebit mihi plures quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implerentur Scripturæ* [quæ dicunt] *quod sic oporteat fieri?* Ex his jam liquet, Christum, quia pœnam peccato debitam mereri non potuit, peccare proprie non potuisse. Transgredi quidem ille mandatum, sive non exsequi postulatum illud Patris potuit; sed potuit sine peccato, sine Patris offensa, sine supplicii metu, quod nullum ipsi fuerat intentatum: ideoque ratione pœnæ tantundem fuisset, ac si nullum peccatum admisisset. Nam quemadmodum mortis (quæ est pœna peccati) stimulus est peccatum, 1 *Corinth.* XV. ita si absit ea pœna aut pœnæ comminatio, peccatum desinit esse peccatum; quia id stimuli rationem amisit, qua in re omnis ejus vis & efficacia sita erat.

At vero sic labascit, (quod postremum objiciunt) totum redemptionis opus, labascere potuit certitudo salutis nostræ constituendæ, quam Deus intra se conceptam ac deliberatam habebat. Quasi vero non licuerit Deo, quod creditoribus in debitis terrenis licere nemo ignorat, sine ulla pretii solutione debitum peccati remittere. Nonne Domino licitum fuit in suis rebus facere quod voluit, *Matth.* XX. 15. Aut vero, perinde quasi Deo, si spectes ejus & sapientiæ inscrutabilem abyssum & omnipotentiam immensam, ex millenis aliquot rationibus (quas eum excogitare potuisse quis neget?) alia via defuerit liberandi genus humanum, siquidem hic modus exitum non

fuis-

Ep. 132. fuiſſet ſortitus. Certe id alia ratione à Deo perfici potuiſſe faſſus eſt Auguſtinus lib. de Trinit. 13. cap. 10. Sed neque opus eſt ad hæc reſponſa confugere, cum alia ſuppetat ſolutio magis recepta, & ad captum popularem accommodatior. Deus enim, cui ab ævo nota ſunt omnia opera ſua (ut eſt *Actor.* XV. 18.) quid ni prænoſcere potuerit Chriſti animum conſtantiamque, qua hoc Patris ſui propoſitum eſſet executioni daturus? De hominum omnium factis, dictis, cogitatis ſi præſcientiam Deo vix quiſpiam audeat detrahere, cur non multo magis omnia quæ Chriſto acciderent, quæque ipſe dilectus Filius præſtiturus eſſet, eum præſciviſſe ſtatuemus? præſertim cum hæc ipſa ſingulatim ac diſtincte omnia per internuncios Prophetas multis ante ſæculis populo Iſraëlitico prænunciarit: Jeſaias quidem Propheta Chriſti paſſionem mortemque ita graphice omnibus ad vivum coloribus depinxit, ut hoc nomine quintus veluti Euangeliſta à multis habeatur ac nuncupetur: quod facere ille non potuit, niſi Spiritus ſancti ope ejus mentem illuminantis; nec potuit Dei Spiritus illa prædicere tam apte, niſi ea exacte omnia prænoviſſet.

Sed fortaſſe reſpondebunt aliqui, Deum ea, quæ ab arbitrii libertate dependent, quia aut non fieri aut aliter quam fient fieri poſſunt, præſcire non poſſe: Deinde ſi concedant ea & præſciri poſſe & actu præſciri; tamen, quia præſcientia, uti præviſio quædam, naturæ ordine eſt rebus viſis poſterior, conſtitui per præſcientiam abſque decreto nihil in reipſa fixum, quod immutari non poſſit. Quoniam vero ut ſublimem illam de præſcientia Dei ac nimis reconditam diſputationem ingrediamur, epiſtolæ modus non patitur, quam exceſſi jamdudum; ſufficiat nunc uno verbo reſpondiſſe, in hoc præcipuam divinæ præſcientiæ laudem admirationemque conſiſtere, quod is, qui ea quæ non exiſtunt vocat non aliter ac ſi exiſterent, etiam poſſit imperveſtigabili acie penetrare ac perſequi ea, quæ neque exiſtunt hoc tempore, & poſſunt non exiſtere. Alioqui ſi Deus nihil provido illo mentis oculo præcipere ac prævidere poſſit, niſi quod aut ipſe decreverit neceſſario futurum, aut quod ex cauſarum conjunctione aut ſubjunctione mutua neceſſariam ducit originem, quid quæſo Deo tribuitur omniſcienti, quod non cuivis olitori ac ruſtico concedi neceſſe eſt? Unde etiam altera difficultas facile diſſolvitur. Quamvis res ipſa determinata non ſit præciſa neceſſitate, ſatis ſit tamen nobis, ſi Deo de futura rei veritate certò conſtiterit.

Quod ſi qui in hac reſponſionis noſtræ ſimplicitate acquieſcere non poſſunt, proferamus ea & aliam quartam, cui confido neminem, qui moderate ſapiat, præfracte adverſaturum. Illud igitur, quod principio poſitum eſt, fixum immotumque maneat, Chriſtum obediſſe Patri ſuo libere, non neceſſario: quod ſatis liquet ex Scripturæ apertiſſimis oraculis, Ep. 132. *Matth.* XXVI. 39. 42. 53. *Joh.* X. 17. 18. XIV. 31. *Philip.* II. 8. 9. Nunc ne quis hinc imminui aut infirmari putet redemptionis noſtræ certitudinem ac firmitudinem, quo magis ſatisfieri queat hominibus nimium hic fortaſſe perſpicacibus, adjungamus & illud iis quæ hactenus à nobis copioſe dicta reſponſaque ſunt, nos haud gravatim in eam fidem ſententiamque concedere, Deum, ſi Chriſtus per illam, qua fuit imbutus, gratiam voluntati Patris libere non obediret (obediit autem liberrime) majore gratiæ vi atque uberiore Spiritus copia ipſum de cœlo ſuperfuſurum fuiſſe. Neque alienum videtur, ſi quis exiſtimet eum, cum in gravi illa tentatione luctaretur atque ab Angelo corroboraretur, ſimul etiam cumulatiore Spiritus menſura ac robore majore donatum fuiſſe.

Video tamen duas res huic ſententiæ objici poſſe: unam; quod Chriſtus ſic proprie non obedierit, præſertim ſi illa gratia ei tam copioſe ubertimque cenſeatur collata, ut voluntati ipſius fuerit obediendi illata neceſſitas: ſaltem huic obedientiæ, ſi obedientia vere dici poſſit, remunerationem apte reſpondere non poſſe; quod in ſuperioribus ſatis jam dedimus confirmatum. Altera eſt ratio dubitandi; quia vulgo credunt, Chriſtum, quoniam ex Spiritu ſancto conceptus fuit, & quoniam Johannes Baptiſta teſtatur eum accepiſſe Spiritum abſque menſura, *Joh.* III. 34. tanta ab initio ubertate perfuſum fuiſſe, ut majore gratiæ cumulo donari ac ditari non potuerit.

Sed utrumque hoc objectamentum facillima ratione diluitur. Nam ut ad poſterius iſtud, quod ex Scriptura prolatum eſt, reſpondeamus prius; nego ex modo conceptionis Chriſti illam, cui nihil accedere poſſit, gratiæ immenſam copiam juſta conſecutione deduci. Neque enim, ſi Spiritus ſanctus Mariam vi ſua obumbraverit ac fœcundaverit, atque ita mariti quaſi partes impleverit, ex eo recte colligitur, illud, quod exinde conceptum natumque eſt, ſic Spiritus gratia ſtatim repletum fuiſſe, ut nihil aliud huic menſuræ ex largitate divina poſſit adjungi. Cum vero Baptiſta dicit, *ὁ γὰρ ὃν ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ*: quod Beza vertit, *non enim* [huic] *admetitur Deus Spiritum*, interpoſito verbo *huic*, ex ſua nempe ſententia; illa verba nulla neceſſitate ad ſolum Chriſtum trahuntur. Poſſunt enim ea ſic accipi, quod Deus, cum ſub Vet. Teſt. reſtricto quodam modo Spiritum ſuum Iſraëlitis admenſus ſit, (prout in LXX ſenibus, *Num.* XVII. 12. & Eliſa Propheta apparuit, 2 *Reg.* II. 9.) nunc Euangelii temporibus multo liberalius ac ſine modo eum elargiri decreverit: unde & effundere Spiritum ſuum dicitur paſſim, non ſolum in caput, quod Chriſtus eſt, ſed etiam in membra Chriſti, fideles. *Act.* II. 17. *Tit.* III. 6.

Præterea, etiamſi has voces ſolum reſpi-

Ep. 132. cere Christum statuamus, non tamen hinc necessario, ac ne probabiliter quidem, efficias, Spiritum adeo in Christum esse profluenter defusum; multoque minus, à prima conceptione tantam ejus profluentiam fuisse, ut majoris exuberantiæ postea non esset capax. Superius enim ex *Luca cap.* II. *vers. ult.* id satis refutatum est; liquetque contrarium ex triplici illa Spiritus unctione, qua Christus diversis vicibus ac gradibus delibutus fuit; primum quidem, cum Spiritus divini operatione conceptus est ac natus: deinde, cum post Johannis baptisma peractum Spiritus in eum sub specie columbæ demissus est: denique, cum in cœlos evectus glorioso oleo lætitiæ unctus est supra omnes consortes suos. *Matt.* I. 20. III. 16. *Hebr.* I. 9. Quid opus erat, immo qui fieri potuit, ut ter inungeretur ac repleretur Spiritu is, qui ab ipso conceptionis initio majus augmentum capere non poterat?

Ad illam autem rationem posterius refutandam, qua negari possit, Christum, si gratia majore roboratus obediisset necessario, sic proprie obediisse, aut saltem mereri nobis aut sibi potuisse; respondeo, primo; nos non hoc factum esse asserere (asseruimus enim Christum Patri libere paruisse) sed tantummodo quid fieri potuerit ostendere, ne Dei decretum de redimendis hominibus irritum reddi sententia nostra potuisse videatur. Deinde hoc ab adversariis objici nobis nequit, ut qui credant obedientiæ veritatem non tolli propter necessitatem, eique meritum optima ratione congruere. Denique fatendum est, remunerationis convenientiam obedientiæ necessitate excludi: sed Deus, qui abyssum sapientiæ possidet, Christo hoc honoris ac muneris deferre, & propter Christum Christi quoque fidelibus alio nomine, alia ex causa, ipsi cognitâ, salutem donare potuisse; cum etiam citra ullius meriti considerationem videatur id facere potuisse, si omnino voluisset. Potuisset Deus, si non merente, at petente Christo aut intercedente tantum, aut aliud quidvis Patri gratum præstante, (quod nos definire nec possumus nec debemus) nobis æternæ vitæ possessionem in Christi gratiam gratiose elargiri. In his autem omnibus & ipsi moderate sapere, neque alteri quicquam præsumptuose præscribere discamus, ne aut infirmitatis nostræ ipsi parum conscii esse, aut in servum alienum per summam injuriam dominii jus arrogare nobis velle videamur. Vale mi Limburgi dilecte. Dabam Roterodamo idib. April. 1659.

CXXXIII.

CONRADO VORSTIO

MATTHIAS MARTINIUS S.P.

Familiaris. De obitu Arminii.

ARdens febris, cujusmodi hîc aliquandiu epidemia multas familias prostravit, etsi paucos neci dederit, me post uxorem recuperatam jam ad sesquimensem lecto affixit; & licet nunc remittere videatur, languorem artubus tantum infudit, ut vix breve epistolium sine sensu molestiæ & morbi aggravatione exarare possim, neque dum lecto erepere. Quæ res, cl. D. D. & debita tibi officia nonnihil impedivit, & ad tuas literas plene respondere non sinit. Cum D. Mensone & D. Althusio, quum me ægrum inviserent, casum loquutus tui negotii causa, quæ amicum integrum decent, etsi & illi sponte in te existant benevolentissimi. Quanquam morbo pene exhaustus, illico præfationes, & nonnullarum quæstionum, ad quas ex indice lecto affectior tunc erat animus, tractationem perlegi cum gaudio, cum ob alia, tum ob ὁμοφωνίαν (*consensum*) in nonnullis, de quibus cum Philosophorum, tum Theologorum admodum variant opiniones: Ita istis amicis & fratribus opus tuum cum prædicatione commendavi. Opportunus admodum accidit hic honor nostris, quo tempore passim partim à malevolis, partim à male instructis traducimur. Ideo valde grata fuit Consulibus & Senatui tua ἀφιέρωσις (*dedicatio*:) quod etiam reipsa brevi sunt demonstraturi. D. Althusius hac de re ad te perscribit fusius. Quum etiam adsit ex Nassovia tabellarius cras abiturus, ad cætera epistolæ tuæ capita respondere non licet: quod faciam, ubi me Dominus restituerit. D. Arminius certo obiit. Cum eo loquutus sum inprimis de articulis, qui sparsi passim Ordinibus oblati dicebantur, quos in se calumniose confictos querebatur. Jam tum æger erat, etsi extra lectum: quare ei parcendum ducebam, ne mea colloquia crebriora vel prolixiora essent. Mihi vir visus est vere Dei timens, eruditissimus, & in controversiis Theologicis exercitatissimus, & in Scripturis potens: & valde circumspectus & ἀκριβὴς (*accuratus*) in Philosophicis terminis ad res Theologicas accommodandis. De ejus erroribus, an, qui, quanti, & quot sint, nondum ego cognoscere potui. Deus novit quid sit rei. Alias plura, si volet Deus, apud quem me precibus juva: sicut eundem oro ut te confirmet in sanctis contra Sophistas laboribus. Saluto Collegas officiosissime, & exspecto D. Timpleri responsum, ne sperni videar. Si nimis copiosum argumentum dedi, per partes respondeat oro. Donteglochium nondum legi. Quod mones de fide in literis, de eo ne dubita. Et ne offendere, si quid

Digitized by Google

Ep. 134. quid Nobilis D. Rugeius tibi retulit. Nosti quotundam ἀπερισκεψίας & ἀυθαδίας, (*imprudentiam & confidentiam*) qui quum abs te & tui similibus, vel etiam inferioribus discere possent & deberent, docendi & judicandi munus nimis temere sumunt. Populus ita obstitit conatui discessus mei, ut à gravibus viris monerer, ταραχὰς (*seditionem*) esse metuendam, nisi hoc tempore ab instituto desisterem: id feci: interim ἀθυμία (*tadium*) & crebræ aegritudines me brevi hinc expellent. Me illustris Comes vester clementer nuper ad vos invitabat.

Nonnulla desunt.

CXXXIV.

JOANNI UYTENBOGARDO

JACOBUS TAURINUS,

Pacem à Domino.

De scripto D. Gomari. PRæstantissime vir, frater ac symmysta dilectissime,

Tabellario huic Hagam ituro non potui, etsi novi nihil haberem, non literas ad te dare, quibus te tribus verbis de Ecclesiæ nostræ statu tranquillo, quamvis nonnihil aliquot, pauci tamen, turbati scripto D. Gommari, (fortasse etiam colloquio cum Smoutio habito, qui brevi huc venit confirmatum fratres, nobis omnibus inalutatis) certiorem facerem. Ego quum scriptum acerbum illud legerem, attonitus primo ad scommata hominis & malevolentiam, postea nobis gratulatus sum, ubi frigida ejus argumenta & ineptissimas legissem solutiones; quas explicationes (Doctore indignas) homo ille non fingit! & quanta confidentia, ne dicam impudentia! quas ne per somnium quidem docti interpretes viderunt. Hæccine ab Atlante, qui solus cælum sustinere aptus? Quis tyro quæso, qui vel de limine Theologiam salutasset, ex S. Ursino & Bucano (exceptis acutis inventis & explicationibus quorundam locorum, ut *Es.* V. &c.) ita non esset responsurus? Vere olim D. Junius dixit, *hominem istum mirum in modum sibi placere in suis commentis*: Item; *Omnia sua habere ex aliis, nihil proferre de suo, aut si quid unquam mutet, valde infelicem esse in mutationibus.* Næ ille vindictæ cupidus, quique adeo de lege talionis gloriatur, vindictam talionis meretur. Per interim tuum, quid intelligat, dubitare te audio. Vis dicam quid nos designari existimemus? Acta & Canones hujus nostræ Synodi. Quid agas mi frater amantissime? erigas te; perfer & obdura, tandemque te hisce turbis evolve; quod in manu tua est, & jamdiu factum oportuit. Sed finem faciam, quia tempus deficit. Uxori tuæ & D. Rosæo à me salutem plurimam. Raptim, Trajecti 24. Decembr. 1609. Pridie ante Festum Nativitatis Domini.

CXXXV.

Eximio Theologo & Ecclesiastæ

D. JOANNI UYTENBOGARDO

DOMINICUS BAUDIUS S.D.

Epicedii fautu Arminii obitum enfatio. REverende vir, Quum ex omni copia veterum amicorum, quos singulari observantia sum complexus, nulli sint quos tecum & cum felici Arminio comparare queam: summo me dolore affecit incommoda suspicio, quam de nostro Epicedio concepisse videbaris, quasi specie laudationis famam & existimationem defuncti traducere ullo modo voluissem: quod est alienissimum ab officio boni viri, nedum ab ingenuitate hominis sinceri ac minime duplicis, qualem me esse & haberi semper studui, nec eam mihi laudem obtrectatorum livor unquam ademit. Non adeo sum aversus ab ipsa humanitate, nec tam oblitus veteris amicitiæ, ut injurius sim mortuo, cujus vivi eximias dotes inter paucos sum veneratus. Sed quum non obscuris sermonibus longe lateque dispersa essent varia super defuncto judicia, videbar mihi prævaricaturus publicæ causæ, si rem apertam silentio plane ac dissimulatione prætermisissem. Si sepolitis partium studiis, quæ recto judicio nebulam offundunt, rem ipsam discutiamus, nihil aliud ex toto carmine elici potest, quam eum conflictatum fuisse præjudiciis, suspicionibus, calumniis, oppugnatumque non tam aperta petitione quam per cuniculos; quod cuivis integerrimo atque innocentissimo accidere potest. Numquam legitime ullius erroris convictus aut condemnatus est. Imo ad ultimum vitæ spiritum exornavit Spartam, quam ex decreto Curatorum & Consulum nostrorum adeptus erat, obiitque in possessione honoratissimi muneris, ut merito ejus memoriam boni omnes fausta recordatione prosequi debeant. Mihi triste sui desiderium reliquit, nec quidquam æque in votis habui, quam ut viderem diem illum, quo suam innocentiam ab invidiose sparsis & temere creditis rumoribus tutari posset. Nemini certe mortalium magis displicent quam mihi scripta illa virulenta, quæ nunc summo cum authorum dedecore projiciuntur in turbam, ad inquietandas infirmorum conscientias, & ad exasperanda partium certamina. Publicæ quietis & tranquillitatis interesset, hanc effrænem intemperantiam, & pruriginem male feriatorum ingeniorum, gravibus decretis amplissimi Ordinis salubriter compesci. Nam si remissius agatur, & si porro impune liceat scommatibus ac dicteriis allatrare famam bonorum, & privatas offensiones sub schemate zeli ac religionis alcisci; creabit hæc licentia tam prævalidos ac discordes animorum motus, ut iis moderandis vix

ulla

Ep. 136. ulla fortiora consilia sufficere valeant. Valde mihi probatur tententia tua, nimirum in componendis Theologorum dissidiis dandi consilii libertatem concedendam esse ordini Ecclesiastico, sed supremum statuendi arbitrium pendere ab authoritate summi Magistratus. Collateralitas illa si admittitur, hebescet acies amplissimarum Potestatum, labefactabitur pax Ecclesiarum, & mutatis nominibus eandem instaurabunt tragœdiam fratres, quam in Papatu tantopere criminamur. Sed nolo esse augur sinistri ominis: hæc ideo retuli, ut intelligeres, si quid id tua refert, meum sensum in re maximi momenti prorsus congruere cum tuo. Tum etiam, ut me tibi purgarem super negotio D. Arminii; quanquam præsens eam causam satis peroraſſe videor; sed nequid insideat offensæ in animis eorum qui defunctum amaverunt, neve me suffragatorem suæ inhumanitatis esse putent, qui cum mortuo inimicitias immortales exercere perseverant, decretum mihi est publico monumento mentem scripti mei interpretari. Nam non sine horrore audio esse complures, qui tam atrociter de nobis opinantur, quasi virum summis ingenii doctrinæque dotibus præditum, hominem moribus inculpatum, & singularem amicum, contendere voluerim cum sacerrimo capite nefariæ factionis Jano illo Leidensi. * * * * * * Vale & uxori plurimam à me salutem nuncia. Datum Lugduni Batavorum 4 Februarii 1610.

CXXXVI.

JOANNI ARNOLDI CORVINO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Narratio disputationis suæ de voce fidei habita adversus Sibrandum.

SImulatque accepissem literas tuas tristes illas & fere tragicas, Reverende D. frater, ob vulnus recens tibi tuisque morte carissimæ amitæ tuæ inflictum, destinaveram è vestigio responsum tibi, de nonnullis aliis quæ hic apud nos in hisce turbis Academicis acciderant: sed disputationis cujusdam non ita nuper habitæ spes inhibebat me, quippe quæ mihi materiam amplioris responsi spondere videbatur & promittere: neque fefellit me spes mea, quæ mihi sicut fors dilata solet, usuram peperit hanc tam uberem & foecundam, ut ferme dubitem an non prolixitate epistolæ futurus sim molestior tibi quam gratior. Ut itaque de turbis hisce earumque eventu, de quibus ad Prævostium paucis memini, nihil dicam, ne nimium excrescat epistola; accipe in compendio disputationis hujus summam. Die hujus mensis Febr. 10. instituta fuit à D. Sibrando ex occasione cujusdam objectionis meæ ante menses tres aut quatuor in disputatione de Justificatione propositæ (propter quam postridie dicebat velle se publice Theses affigere, ad Ep. 134 demonstrandam illius falsitatem. Cumque procrastinatio & dilatio longa spem faceret dignum aliquid tanto hiatu daturum promissorem, ecce post tot menses prodit nuda, macilenta & jejuna Thesis, cum crasso, pingui & stupendo capite; quam accepisse te ipsero à cognato tuo, qui illam ad te misit.) Occasio objectionis erat vox *Fidei*, de qua dixeram, non ita absurde sentire illos, qui eam proprie non Metonymice accipiendam putarent; & quia sub finem disputationis nascebatur, unica tantum erat eaque hæc: quia fide quidam justificati fuerunt, quorum objectum non potuit esse justitia Christi, proinde quorum fides pro objecto apprehenso Metonymice accipi non potuit: Tali fide justificatos dicebam Apostolos ante mortem Christi, quorum fidei objectum non potuit esse justitia Christi; quia nesciebant moriturum illum, nedum morte sua justitiam allaturum; sicut illud opinio & præjudicium eorum de regno terreno, etiam post ipsam resurrectionem, factum Petri *Matth.* XVI. & colloquium discipulorum euntium Emaus, & imprimis loca *Luc.* XVIII. 34. *Luc.* IX. 45. &c. manifeste arguunt. Contra quæ cum ille regereret confessionem Petri *Matth.* XVI. dictum Angeli ad Mariam, dictum Simeonis, &c. omnia loca V. T. & sacrificia tanquam typos; diceremque ex illis nullum posse formari argumentum, & contrarium evincere argumenta mea; aliquoties tales syllogismos fecit, ut ad oculum demonstraretur eorum vanitas & infirmitas: de qua re ut nihil amplius dicam, (mallem enim vos audire judicia eorum qui tum erant præsentes) ad hanc disputationem venio, quam simulatque adfixam vidi, hortatu variorum, paulò ante incitantium me, & tunc etiam urgentium, passus sum me in arenam protrahi. Invitarat ille ipse Pastores urbis præter morem, unde percrebuit rumor per civitatem totam, cujus etiam magna pars confluebat statuto tempore ad auditorium, solenni satis & inusitata frequentiâ, præter studiosos qui ad unum fere omnes convenerant, & Professores, qui raro frequentare disputationes hic solent, & Pastores varios ex vicinis pagis. Facto silentio, provocat me Sibrandus ipse de medio, statimque accingo me ad dictum ipsius. Primumque propono præfationis loco, non videri mihi satisfactum esse ista inusitata & invidiosa Theseos positione caritati & paci Christianæ, nedum fraternæ, & illi quæ inter ejusdem professionis collegas imprimis obtinere debet. Non caritati 1. Quod Arminium p. m. virum alias de Ecclesia Dei bene meritum, in hac propria ejus sententia (quam dicebat esse ejus, & contrariam Ecclesiis Reformatis) & privata, tam invidiose postponeret duobus maxime nunc ut habentur infamibus hæresiarchis, & quidem tanquam illos

Ep.136. illos secutum; etsi hoc vel de ætate, vel de sententia & doctrina accipi possit; in quo tamen etiam caritati non satisfit, qui & ipsi dissentirent inter se, & quos fortasse Arminius non viderat, & à quibus sententia plane dissentiebat, etiam quoad vocem *Fidei* attinet, saltem à Socino, quid enim Servetus proprie senserit exploratum non esse. 2. Quod illum opponeret Ecclesiis omnibus, quarum judicium, nec ad condemnationem, nec ad justificationem ejus sententiæ facere potest, sed solummodo ad conciliandam ipsi invidiam. 3. Quod illam ejus sententiam citaret ex epistola quadam ipsius privata & scripta tantum, quæ jure gentium ideo cera & sigillo claudi & obsignari solent, ut ne publicæ fiant & communes citra authoris consensum: quæ omnia caritatis defectum arguere, si non contrarium animum prodere, existimabam: quam existimationem confirmabat illud; quod si omnino placuisset contra hanc sententiam agere, multo rectius citare potuisset librum, non ita pridem à Pastore aliquo in hac classe & urbe ipsa typis excusum, in quo sententia hæc multo manifestioribus verbis proposita esset, quam unquam factum esset ab Arminio p. m. 2. Non paci etiam satisfactum dicebam, quia non ad instruendam Ecclesiam refutata sententia, sed ad exacerbandos utrimque animos, nude tantum proposita esset; quam rem mihi augere videbatur illud, quod illi incumberet probatio, qui phrasim contentam Scripturis aliter, sive tropice, accipiendam statuit quam verba sonant, ut non tam oppugnanda Thesis hæc videatur, quam rationes eam probantes. Ad hæc cum quædam satis frivola exciperet, ministroque illi censuram etiam minari videretur, ad rem ipsam veniebam, proponebamque: eo quod Fides in hac propositione, nec pro objecto formali, nec pro effecto suo sumi posset, proprie pro actu ipso sumi debere. Cum responderet pro objecto sumi, (eo enim ibam ut hoc adfereret) excipiebam illud non posse fieri propter tres rationes. Quod hinc extitura esset necessario propositio temeraria, impossibilis, ridicula. Tria certe dura aliquomodo & difficilia prima fronte, talia tamen, quæ merebantur opponi crudæ & importunæ illius thesi, & simul quæ excitarent censuræ suæ pondere & gravitate animos ad attentam considerationem. Temerariam extituram propositionem dicebam; quia resolvenda esset in propriam, quæ in Scripturis non sit, & quæ tamen per se necessaria creditu esset; unde sequeretur, aut propositionem necessariam creditu Scripturis non contineri, aut ex necessaria creditu fieri non necessariam. Hic ille statim, quod ad consequentiam contineri sensum hunc credendum, sufficere dicebat. Contra quod excipiebam duo. 1. resolvendam esse tandem sic fidem nostram in consequentiam humanam, si sensus credendus verbis explicitis non sit expressus. 2. hoc intendere me hoc primo argumento, non esse in Scripturis propositionem illam, quam propriam dicebat esse; quod profecto magnum præjudicium merito illi facere potest, aut suspectum esse, qui reverenter habet verbum Dei, ut in quo sensus omnes Dei perfectissime contineantur, & perspicue maxime: Unde quærebam; An verisimile esset, sensum ipsum tropicum centies, aut pluries, esse enunciatum, qui per se credendus non est; & proprium per se necessarium & credendum ne semel quidem? Hic ipse cum postularet probationem majoris, omnia credenda expresse contineri; dicebam, posse illud ita manifeste probari, ut nihil æque, neque ulla ratione Pontificiis satisfieri possit, nisi hoc ponatur, nec Scripturæ perfectionem debite alias defendi, &c. quæ quia disputatio deflexura esset, nunc declinare vellem; sufficere mihi, non esse propriam in Scripturis nisi quoad consequentiam, & talem quæ in dubium vocetur à nonnullis. Tum ille, an in dubium vocari possent loca *Rom.* V. *Philip.* III. Excepi, utrumque merito, eo quod in illis non ageretur de modo, quo justitia aut peccatum heret nostrum; multa enim alias absurda sequutura, ut nostrates probant contra Pontificios. Sed proponi *Rom.* V. duo capita tantum, à quibus duo effecta opposita prodierunt, citra ullam rationem modi, quo illa communicantur: quod cum ille concederet de *cap.* V. *ad Rom.* statim ad *Phil.* III. ibat, & clara voce recitans dicebat; *Et comperiar in eo non habens meam justitiam, sed justitiam Christi per fidem*: quam allegationem cum non bona fide fieri dicerem, eo quod non haberet textus *justitiam Christi*, sed *per fidem Christi*, phrasi Scripturæ usitatissima, inspecto loco ita deprehendit; cumque forte citarem locutionem ἐκ θεοῦ δικαιοσύνη (*ex Deo justitiam*) dici, sed non Christi; quæsivit an non Christus igitur esset Deus? an ita impius essem ut hoc negarem? addens insuper; Vide quousque tibi veniendum sit. Ad quæ cum exciperem, vocem Dei hic personaliter posse accipi, sicut sæpe in Scripturis, & quidem in negotio justificationis, pro Patre qui excitavit Jesum è mortuis, & ad justitiam nostram, qui proposuit Jesum placamentum per fidem, &c. nihil aliud dixit, quam prodere me nimis aperte quis essem: simulque opponebat, non posse vocem *Fidei* sic accipi proprie, quia sic esset opus, & proinde ex operibus justificatio: At credenti & operanti opponit Apostolus. Cum dicerem, non esse meum respondere; sed hoc etiam dici posse, opera Legis intelligi & appellari ab Apostolo, non opus Euangelii, eo quod opera intelligat quibus justitia ex debito competat, ut est *Rom.* IV. cum fidei naturâ suâ, quatenus opus etiam est, ex debito non possit competere, sed necessario ex gratia imputetur; quia semper respicit remissionem peccatorum, quæ esse non potest ubi ex debito datur justitia: Ille nil nisi simpliciter perstitere m

Ep.136.

Ep. 136. argumento, & iterare de voce Dei, illam de Christo accipiendam etiam, quorsum multa loca allegabat, ita importune, ut ostensis quorundam manifestis vitiis, studio descenderem ad secundum, probaturus, futuram propositionem impossibilem, eo quod objectum fidei non possit esse justitia Christi pro nobis præstita, sive ut ille loquitur, satisfactio, & illam consequens remissio peccatorum: quod tribus probabam. 1. Quia sequeretur hæc contradictionis implicatio, justitiam simul esse & imputatam & non imputatam: Imputatam ante fidem, quia ejus objectum: non imputatam, quia non nisi fide apprehensam; ita ut sit effectus instrumentalis qui prior est causa ipsa instrumentali. Ante fidem autem imputatam esse, & sic objectum, probatur inde, quia ut præstita pro nobis vel loco nostro, & sic acceptata à Deo, objectum est. At præstita loco nostro esse non potest, nisi interveniente imputatione hac Dei, qua vult ut loco nostro præstetur, & sic imputetur ac si nos eam præstaremus, idque à nobis credi vult: nisi dicatur ita præstitam esse, ut illa non ante nobis imputaretur, quam si illam acciperemus; quod aperte negabat, & negare profecto debebat secundum communem Ecclesiarum sententiam. Hic ille ludere me dixit in voce *imputationis*, illam nihil aliud esse dicebat quam applicationem ipsam. At vero dicebam, Applicatio est actio hominis & fidei, imputatio actio Dei. 2. ergo facta esset imputatio, aut falsa applicatio. 3. impossibile est applicare ipsam remissionem, quomodo enim applicabitur actus pure pute mentalis, internus, & judicialis alterius extra nos? Ille hic nihil aliud, quam dicere necessariam esse applicationem, eo quod justitia Christi præstita esset ante tam multos annos pro nobis, ut applicari necesse sit, si nostram esse, & pro nobis factam, certo cognituri simus: qua responsione cum non enervetur robur argumenti, idque aperte demonstrarem, tandem Socini hoc argumentum esse dixit, qui negat satisfactionem & remissionem simul consistere posse, cum hoc tantum de pecuniaria poena verum sit, non de criminali, inquiebat: Ego vero ostendebam præterquam quod extra propositum esset, eandem omnino esse rationem; hæc tria concurrant, justitiam præstitam esse plenam & perfectam, præstitam esse loco nostro, acceptatam à judice, nullum restare debitum quod remittatur, nisi hoc quod ille eam præstet pro nobis, cum nos præstare teneremur. At hoc non est remittere peccata, &c. Secundum argumentum sumebam ex *Hebr.* XI. *vers.* 1. *Fides est substantia verum sperandarum.* At justitia non est res speranda, quia diu ante præstita, cum spes sit rei futuræ. Hic ille negabat minorem, dicens, annon dicitur, spe salvi facti sumus? Quasi vero Hebraismus non sit, quo futura enunciantur per præterita ob futuritionis certitudinem. 2. Dicebat esse rem sperandam, quia in vita futura manifestabitur ejus perfecta cognitio; & horsum allegabat locum 1 *Joan.* III. *vers.* 2. *Nunc filii Dei sumus*, &c. Sed insulsum caput non videbat, tum objectum fidei non statui justitiam Christi, sed cognitionis illius futuræ; aut si fidei statuatur, non potest statui nisi cognitio ipsa illa quam credimus futuram; præterquam quod locus absurde allegatus esset, ut monstrabam, utpote in quo nulla justitiæ Christi mentio facta sit, nisi per multas consequentias. Tertium erat, quia fidem præscribit omnibus quibus Euangelium annunciat. At hoc non posset, si objectum illius esset justitia Christi; quia postularet ut omnes crederent pro se præstitam esse, cum præstita non sit; quod est falsum postulare. Hic ille statim inhians syllogismo exclamabat, Syllogismus non est bonus, non valet, in qua figura & modo? (nosti enim illum aliquando alicui de certitudine electionis opponenti, & non satis syllogistice, respondisse, impossibile esse formare bonum syllogismum ex isto argumento; si quisque teneatur credere se electum esse, falsum credere tenebitur; intelligo autem syllogismum categoricum, hypotheticos enim ille nullos admittit, sed eo ipso falsos dicit, quia non sunt categorici, aut cum eos ut categoricos formare non potest opponens) cum ostenderem illi in prima figura syllogismum factum esse, & quidem in Barbara, argumento à definitione ad definitum universali, nihil dicere audebat insuper, sed sarcastico & Sardonio risu cachinnans, dicebat argumentum hoc puerile esse & Samosatenicum seu Leydense, idemque cum eo, quo dicitur Deum non posse postulare à nobis legem, quia eam præstare non possumus; in qua re paulum hærens, dicebat tandem, volens declinare argumenti prioris robur, & quasi naso me suspendere: Ego juvabo te, & sic formabis argumentum: Sed cum viderem eò illum ire, excepi statim diversam utriusque argumenti esse rationem: Posse Deum aliquando impossibile aliquod postulare pro jure suo, sed nunquam falsum: proinde adjumentum illud nihil aliud esse quam subterfugium. At vero, inquit, omne impossibile falsum est. Hic consiste, & miserere disputatoris, quem tanti faciunt nonnulli. His visis & auditis (multa enim & plurima biliose & convitiose dicta non infero, quia ad illa minus advertebam, quæ post modum tamen mihi relata sunt: Ut, si religio tibi cordi est, non diceres hæc: Tu qui juvenis es, non deberes te opponere tam multis doctis viris, & Ecclesiis: quam responsionem omnium fuisse optimam narrant studiosi quidam ironice satis & sarcastice.) ad tertium accessi, quod dixeram de ridicula propositione extitura ex voce *fidei* tropice sumta; imprimis in æquipollentibus propositionibus, de quibus *Rom.* IV. Probabam primo in propositione hac: *Fides imputatur in justitiam*; hanc propositio-

Ep.136. tionem futuram, juſtitia imputatur in juſtitiam. At imputatio nunquam in Scriptura ſignificat aliquid alterius alteri tribuere, nec in lingua communi noſtra. 2. Non niſi ridicule *in juſtitiam* tum addetur, cum imputatio juſtitiæ hoc dicat; idem enim eſt ac ſi dicat quis, imputo tibi ſolutionem in ſolutionem; quaſi vero non ſatis ſit, imputo tibi ſolutionem illius; aut quaſi imputari poſſit in non ſolutionem, aut in aliud quid. Ad hæc ille reſpondebat, imputationem eſſe duplicem, unam qua facto alicui, in ſe illegitimo, adjudicatur gratioſe bonitas & juſtitia. Alteram, qua alterius alteri tribuitur. Cum hujus ſecundæ exemplum peterem, adduxit hunc ipſum locum controverſum: cumque hoc importunum eſſe, & principium petere dicerem, citabat *verſ. 6. cui imputat juſtitiam Deus*, quærens quam juſtitiam hic intelligerem: cum dicerem, phraſim eſſe & proprietatem loquendi eandem, cum reputare juſtum, remittere peccata, tractare ut juſtum, &c. cogebat me, ut dicerem quam juſtitiam, & cujus hic diceret; cum nullius tamen dicat, ſed abſolute proferat; quærebam è contrario, cujus juſtitiam imputaret Deus Phineazo? Ad hoc ille, aliud eſt, de facto aliquo & opere loqui, aliud de fide juſtificante. Accedebam ad ſecundam locutionem ridiculam: *Credenti imputatur fides ſua in juſtitiam.* Ex qua formabam hanc: Applicanti ſibi juſtitiam Chriſti, vel certe ſtatuenti ſuam eſſe, imputatur fides ſua, id eſt, juſtitia illa, quam per fidem ſuam fecit, in juſtitiam, id eſt, ut ſua ſit juſtitia. Hic neſcio quid reſponderit, niſi verba quædam *ἀσυνέσιωτα* (*nihil ad rem facientia.*) Tertia locutio ridicula erat, quia non poterit reſolvi vox juſtificationis per proprios actus ſuos, Remiſſionis & Imputationis, quæ *ἰσοδυναμοῦσι* (*æquipollentia*) ſunt cum juſtificatione, quin hæc eliciatur locutio: homini remittuntur peccata per fidem, id eſt, remiſſionem peccatorum, & imputatur juſtitia Chriſti per fidem, id eſt, per juſtitiam Chriſti, quæ ſunt objecta fidei, ut ipſi loquuntur, formalia. Hic ille identidem eadem repetens, & ſubinde ſubſiliens convoluto pallio, exclamabat: *Wat inſania te vexat?* Tum ego, inſaniam ferè illius metuens, alia argumenta, quæ habebam ex textu multa præterea, non proferebam, cedens etiam ad tempus furori illius, aut ſtupori potius: tacere malui, quam porro irritare ad jurgia, rixas, cachinnos & anathematiſmos, quibus ille impietatis & blaſphemiæ hanc ſententiam arguebat & condemnabat, citra ullam rationem & adſenſum, ut intellexi, pauciſſimorum. Ecce tibi ſummam & ſubſtantiam diſputationis præcipuam: de qua duo ex animo optarem, ut judicium primo veſtrum mihi conſtaret. 2. aliorum qui hic præſentes fuerunt vobis, id eſt, Profeſſorum, Paſtorum, ſtudioſorum, civium; inter quos plerique qui vix intellexerunt, hoc fere paſſim judicant, impeditiſſimum fuiſſe D. Sibrandum multumque ipſius exiſtimationi detractum: qui intel- Ep.136.
lexerunt, nulli aut pauciſſimis argumentis (hæc enim duo judicia audivi,) ſatisfactum fuiſſe: ſed convitiorum, dicteriorum, biliumi & irarum abunde projectum fuiſſe, ideoque ſententiam propriam aliquando propoſitam, non refutatam adverſariam: excipio paucos jurata ipſius & uſque ad hypocriſim devota mancipia. Interea tamen poſt finem precum invitavit me & auditorium ad eandem collationem; ſive ut confidentiam cauſæ ſuæ animis non parum alienatis oſtenderet; ſive ut damnum reſarciret; ſive, ut ego arbitror, ut argumenta reliqua quæ habere me dicebam ſic expiſcaretur, eademque refutata ſuis communicaret, ut feciſſe eum nuperis audio. Sed obſervata animi impotentia ſtudio recuſavi illud; dicens inſuper, præſtare ut illud fiat impoſterum ab iis quos non vexat inſania, ſed commendat credulitas. Hiſce actis in diſputatione, variiſque de eadem ſparſis rumoribus, petiit per internuncium aliquem, ut illi gratificari vellem & communicare in ſcripto argumenta mea, tum quæ propoſueram, tum quæ inſuper habebam apud me. Quod communicara primum re cum iis, quos hic mihi fidos ſecretoſque arbitror, imprimis cum Nobili D. Hottinga, quem noſti credo, viro certe tam egregie pio quam rara inter nobiles eſt pietas, tam plene cauſæ communi noſtræ, & imprimis etiam mihi addicto, ob diſputationes quaſdam, quibus ſe interfuiſſe dicit, ut favere ultra non videatur poſſe, adeo quidem ut profeſſionem hic mihi Philoſophicam procuraturum ſe, ſi arrideret mihi illa, conſideret hiſce comitiis, & hoc effecturum, ut non tantum in me non decernatur aliquid, ſed ut ego & Sibrandus coram comitiis pleno Volmachtorum conſeſſu jubeamur uterque ſententiam exponere, rationemque rerum in Academia propoſitarum reddere, (quam rem tamen non auſus fui recipere in me, niſi primum conſultis vobis,) negandum putavi, etſi non ſine offenſione illius, eo quod non viderem finem ullum propter quem fieret. Cum hoc non impetraret, rogari me curabat, ut perlegere vellem argumenta mea prout ipſe concepiſſet, an eſſent eadem cum meis ipſius; quod cum etiam negarem, ecce hodie adfixit alias Theſes de Juſtificatione, in quibus ponit Fidem non æſtimari pro ſumma & perfecta juſtitia legis à Deo; ſed fruſtra credo: Quia ut de illa materia rurſus agam, pauci ſunt qui conſulunt, etſi excipi rurſum poſſe videatur egregie: & cum ex primis omne ingenium & acumen ejus circa iſtam materiam, tanquam ex ungue leonem, quilibet pervidere potuerit; ut ex eo videre fuit, quod cum has defendendas offerret ſtudioſo cuidam, repulſam tulerit, dicenti, neutiquam ſibi ſatisfactum in diſputatione priore mea, & mirari ſe non reſponſum fuiſſe dignius tanta materia, & manifeſta ejus, ut creditur, veritate.

d by Google

Ep.136. Credite mihi, Domini mei, ſemen jactum eſt hic, ut dubitare audeant nonnulli, forte ſuo tempore ex illis ipſis fructum metetis. Aſſevero vobis, ſi non reperturi ſint aliquando plures ſibi adverſarios, quam etiamnum opinantur. Videre mihi videntur hoc, & propterea, ut mihi indicavit Nobilis D. Hottinga, in hoc toti ſunt, ut Collegium aliquod Theologicum Leovardiæ hiſce Comitiis per libellum ſupplicem impetrent, in quod mancipia ſibi & ſuæ ſententiæ ſubjuganda compingant, ſine ullo contradictionis metu, ad conſervandam veræ Religionis puritatem in hac provincia, averruncentque omnia zizania ſubnaſcentia, & ex Hollandia huc uſque transfretantia; quod an non ad extirpandam hanc Academiam faciat vobis judicandum relinquo. Sed laus Deo, ſunt qui illos & omnes eorum actiones acutum obſervant & conſiderant, neque ad ſcopum ſuum pertingere permittent, uti ſpero. Hæc de ſtatu noſtro. De ſtatu veſtro Academico necdum quicquam novi intelligo, niſi quod ex ſcriptis apologeticis, animos utrimque adhuc ferventes zelanteſque video; imprimis vero gaudeo de moderatione veſtrorum ſcriptorum, niſi quod D. D. Bertii & D. Grevinchovii ſalſum ſatis & acetoſum ſit: etſi utrumque ſolidum & accuratum. Admodum mihi D. Uytenbogardi priores quaterniones quinque, quos tantummodo perlegi, placent, tantumque, quantum illos diſplicituros reliquis fratribus non dubito. Jucundum eſt in eo videre ſtatum controverſiæ in apice conſtitutum, ſecus quam bonus noſter D. Gomarus feciſſe creditur, eundemque ſine ullo cujuſquam opprobrio dulci verborum rivo fluentem currentemque intra ripas humanitatis, & prudentiæ. Exiguum diſcipuli cujuſdam D. Regentis propemticum, & πρόδρομον, (*præcurſorem*) per fratrem tuum hic accepimus; utinam majus illud quod promittitur, & corpus ipſum haberemus! non dubito quin hoc placuerit illis, quibus ſeria admonitio placuit, ejuſdem credo artificis & fabri opus. Quid in negotio noſtro hiſce veſtris Comitiis actum ſit, quæſo communicare digneris; eo magis deſidero cognoſcere, quo ſecretius habendum judicas; conjecturis repleo me, ſed non ſatior. In tumultu Ultrajectino gaudeo non fuiſſe admixtum Eccleſiæ negotium, quod animos nimium proh dolor! exaſperare & dividere ſolet, eo quod maximam videatur habere ſpeciem juſtitiæ & zeli divini. Senex hoſpes noſter defuncta compare ſæpenumero ſolus luget valde, triſtibuſque indulget cogitationibus, quas tempus domet oportet & emolliat, cum ratio tam repente non poſſit: acutiſſimus quippe mali vel damni ſenſus in principio eſt. Bene vale mi frater, una cum uxore tua tuiſque, & D. A. Borrhium cum uxore ipſius, D. Prevoſtium, &c. nomine meo ſaluta plurimum. Benedicat vobis Deus omni benedictione ſpirituali in Filio ſuo Jeſu Chriſto, Amen.

D. Uytenbogartio ſalutem multam impertias velim, & hæſce quamprimum literas legendas tradito, ut ex iis cognoſcat, quæ hic apud nos geruntur, quæ ſcire deſiderat. Deſtinaveram illi epiſtolam, ſed hæc nimium excrevit, ut tempus non ſuperſit cum hoc ſtudioſo abituriente quicquam aliud mittere; quocirca etiam ignoſcet mihi ſpero, cui ut benefaciat Dominus, ſicut & vobis omnibus, iterum precor. Raptiſſime 18 Februar. Anno 1610. Franecanæ ex muſæo meo. Ep.137.

Si quid per ſcriptionis celeritatem peccatum eſt, id corrige quæſo & emenda, ſimulque ignoſce.

CXXXVII.

JOHANNES BUXTORFIUS

D. JOANNI UYTENBOGARTO

S. P. D.

Literæ tuæ, vir reverende, & amice plurimum honorande, 16 Febru. ſcriptæ, 14 Martii mihi redditæ, ingenti me gaudio afſecerunt, tum ob cauſam meam ſupra votum meum dexterrime ex divina providentia expeditam, tum ob animum tuum amice benevoleque mihi conciliatum. De morte alicujus difficultate, ne minima unquam cogitatio animum meum ſubiit. Tanti certe luminis Belgii inclyti, D. Jacobi Arminii, inopinata extinctio, juſtum animo meo mœrorem attulit, tum ob commune Eccleſiæ Chriſti incommodum, tum quod primus meus in tanti viri notitiam acceſſus, tam luctuoſe fuerit interruptus. Subſtituere enim hunc ſperabam in illuſtris herois D. Scaligeri, p. m. locum, qui mihi quoque citius numio ex his humanis fuit abreptus. Ingentes autem Deo Patri meo cæleſti gratias ago, quod arcano ſui Spiritus vinculo, tuum nunc cum meo colligavit animo, ut in privatarum curarum æſtu, inopinata mihi per te nunc allata fuit tranquillitas. Divino quippe nutu mihi praxis contigit illius ſapientiſſimi Regum loci, quem eodem momento, cum mihi tuæ traderentur, ad lectionem publicam meditabar: טוב יפיק בצון מיהוה, *Bonus impetrat favorem à Domino.* Commotus fuit divina lætitia animus, diffluerunt oculi tam inuſitata erga me munificentia: erupi illico in pia vota, Deumque Regem Opt. Max. ſancte pro ſalute Illuſtriſſimi & tam munificentiſſimi Ordinis veneratus ſum. Et quas gratias referam viris piiſſimis, qui negotium hoc eouſque promoverunt? Utinam, utinam ſuperſit dies iſte mihi optatus, quo vel animi grati ſignificationem erga eos edere poſſim! Mea erga te, vir reverende, merita nulla ſunt, & tamen tantam & tam incredibilem erga me exercuiſti benignitatem tuam. Deus Pater ille cæleſtis, qui hos in te erga me excitavit

Digitized by Google

Ep.137. tavit affectus, is quoque pro tanto tam fide præstito officio & beneficio tibi, vitæ tuæ, studiis ac rationibus omnibus sic ex sancto voto meo benedicat, ut largissimam compensationem videas, sentias, experiaris millies. Cæterum honorarium illud trecentorum vestræ monetæ florenorum, hic mihi fide exsolutum est, per mercatorem concivem nostrum, virum integerrimum Bonifacium Iselium, qui eos ad florenos nostros centum septuaginta tres reduxit, computatione, ut non dubito, fidissima. Ego Illustrissimis Ordinibus gratias submisse ago epistolio non longo, utinam tantis Principibus digno. Id curæ tuæ offerendum committo, ut cumulo hoc tuam erga me benevolentiam obsignes. Hoc certe tam laudatissima liberalitate effecerunt, ut ingentem mihi animum addiderint, ea approperandi, quæ in Præfatione mea promisi, ornare scilicet & amplificare literas sanctas Hebræas inter Christianos. Pars ejus hac æstate lucem videbit, Deo benedicente. Proponam centuriam Epistolarum Hebraicarum familiarium cum interpretatione Latina, & phrasium ac imitationis ratione perspicua, modo epistolandi, phrasiologia epistolari varia & jucunda. Id nemo ante me inter Christianos fecit, & optavit tantopere videre Illustrissimus Scaliger piæ memoriæ (ô decus mihi ereptum,) ut epistola sua ad me testatus est. Altera pars majoris est negotii. Ea continebit Lexicon quadruplex, Chaldaicum, Syriacum (literis tamen Hebraicis) Talmudicum, Rabbinicum, in quo explicabitur, quicquid hujus linguæ studiosi in ea hoc seculo requirere possint. Non transcribo errores, quod fecit Guido Fabricius (quantus tamen vir,) sed novo studio & labore exquisito ex ipsissimet authoribus Hebræis significata colligo, ac priorum errata corrigo, exemplis omnia illustrando. Opus magnum. Si vita ad biennium supersit, spero me absolvturum. Aliquot alphabeti literas jam expedivi. Forte post me vix longo tempore erit, qui eo modo id præstabit, quo ego jam instituere cœpi. Deus clementer largiatur successum, ac valetudini meæ benedicat. Nunquam cessabit in me labor & industria, si nunquam cessiet gratia & opitulatio divina. Nec avertet me, quod hæ literæ in his locis vix reperiant patronos. Sufficiabit mihi Deus alibi, qui suo patrocinio & ope meos labores juvent & alant. Si unus hic susciperet onus centum asinorum, ipsi non datur plus mercedis, quam asino uni. O mundi ingratitudo! Sed manum de tabula. Hoc extremum moneo: dederam D. Arminio autographon D. Scaligeri epistolæ ad me, ac remitti petieram. Si adhuc extet, & reperiri possit, studiosissime cupio, ut remittatur. Vellem enim partem ejus publicare cum epistolis meis Hebraicis, de quibus loquitur. Per mercatorem Calandrinum ad nostrum Iselium transmitti quidvis potest, ut audio, idque per postas. Sed prolixior fui, quam initio esse volebam; sed id amor effecit, cui ascribes omnem culpam. Vale vir reverende, & D. Heinsium à me saluta amantissime. Basilea 15 Martii 1610. Ep.138.

Te studiosè colens, qui suprà.

CXXXVIII.

F. D' AERSSEN

JOANNI UYTENBOGARDO.

Judicium de tractatu Uytenbogardi.

MOnsieur; J'ay veu vostre traicté sur l'authorité du Magistrat en l'Eglise; il est certes digne de vous, plein de science & d'eloquence; vous le deviez à vous mesmes, pour vous parer des pointes de Gommarus; mais il est encor mieux deu au publiq pour son instruction. Je voudroy seulement qu'il fust traduit en François; vostre nom n'est pas peu descrié en plusieurs endroicts de ce Royaume, comme suspect des nouveautez de feu M. Arminius, qui se bruient icy de tant plus que moins elles sont connuës; ce petit livret vous purgera, mettant en lumiere & la defense du defunct, & les preuves de vostre doctrine; il portera coup contre toute opinion anticipée, & je seray fort ayse d'en voir reussir le travail, comme celuy qui ay tousiours soustenu vostre probité, fidelité, & grand sçavoir. Si je vous donne donc le conseil de la version, donnez le à l'affection que je porte à vostre service. C'est trop peu de borner ce travail dans les limites de sa langue. La France, qui est la plus inquiete en pareilles matieres, en doibt avoir sa part; vous y connoissez plusieurs esprits assez pointilleux, & prompts à censurer avec passion; il sera bon de les arrester par des raisons, & ne laisser enjamber par dessus leurs voisins. C'est, Monsieur, mon jugement sur vostre traicté; si j'y pouvoy contribuer mieux, vous n'auriez pas le loisir de m'en semondre; car je desire que me continuiez vostre amitié, & faciez estat de mon service, & sur ce je vous baise bienhumblement les mains, priant Dieu,

Monsieur, qu'il vous ait en sa sainte garde. De Paris ce 17 de Mars 1610.

CXXXIX.

FRANCISCO ARSENIO

DD. Ordinum Legato,

JOHANNES UYTENBOGAERT.

De Uytenbog. libro, cui titulus de officio Magistratus, &c. in linguam Gallicam vertendo.

MOnsieur, J'ay veu ce que me mandez par voſtre derniere; leu auſſi celle que m'aviez eſcrite auparavant, delivrée à mon retour à la maiſon, & trouvée conforme à ce que me diſiez de bouche. Je vous diray donc, que mes occupations ne permettent de m'employer à ce tranſlat: & quand bien un autre y voudroit mettre la main (il y en a qui s'y ſont preſentez) je ne le trouverois conſeillable pour pluſieurs reſpects: entre autres, pource que je deſire ſçavoir, ce que mettront en avant ceux qui ſe preparent à le combatre. Il y a auſſi choſes perſonnelles qu'il fauldroit racler, avant que le faire voir aux eſtrangers: craignant ſans cela apporter plus de deſtruction que d'edification; le temps nous apprendra beaucoup en peu de temps.

Monſ. du Moulin.

Touchant voſtre homme, il faict bien de n'en parler qu'avec reſerve: auſſi n'en fay-je: & à la verité il y a peu de ſubject de faire autrement, veu l'eſtreciſſure du temps pour enfoncer matieres ſi amples: j'ay gaigné cela neantmoins, qu'il a accepté mes raiſons, touchant le faict duquel on avoit parlé, ſelon l'advertiſſement qu'il vous pleuſt un jour de donner par deça, auquel auſſi me reſpondis, & à vous & à luy; j'eſpere auſſi, qu'il croit qu'il ne tiendra à moy, que nos Egliſes ne demeurent unies, ſi tant eſt qu'elles ne deſirent le ſchiſme tout expres: je luy avois promis quelque eſclarciſſement ſur certaines queſtions, qui luy ont eſté envoyées de par deça, à ſçavoir ſi & quand je le pourrois; mais j'aime mieux temporiſer encores, pour l'eſperance ferme que j'ay que nous aurons bien toſt un Synode, où le tout ſe pourra eſclarcir & vuider. Quant au Seigneur du Pleſſis, ſes lettres n'eſtans que generales, & eſcrites pluſtoſt en termes d'eſtat que de Theologie, je n'en diray rien, ſi non, que tels conſeils ſe pourront donner par douzeines ſans porter aucun coup. Nul n'eſt propre de parler du remede, ſans eſtre bien inſtruict du mal; à le ſçavoir, peu de gens ſe peinent: à enſeigner les remedes tout le monde ſe meſle. Je ſçay fort bien, que pour eſteindre un embrazement, il faut courir à l'eau ſans s'enqueſter beaucoup d'ou il procede; mais encor fault il ſçavoir où il eſt. C'eſt choſe eſtrange, que tous ces gens de bien la n'ont juſques ores employé qu'une aureille, ſachans bien toutesfois que Dieu leur en avoit donné deux. Quant à vous, Monſieur, je vous remercie infiniment de ces advertiſſemens, vous priant d'y vouloir continuer, & en ce faiſant accroiſtre tant d'obligations que je vous ay, ſur quoy vous baiſant bienhumblement les mains, & me recommandant affectueuſement à vos bonnes graces, je prieray le Createur, Ep. 140.

Monſieur, de vous vouloir augmenter les ſiennes ſainctes & ſalutaires, demeurant touſiours, &c.

CXL.

ADRIANO BORRIO

JOANNES UYTENBOGARDUS S.

Epiſtola.

SErmones quos mecum habuit Bocardus ignoras? Dicam. Ad me miſſum ſe dicebat à vidua Warmondiana, ut intelligeret cauſam non habitæ concionis in Cagâ per Sopingium. .... Toparcham Benthuſanum non vidi: an hic ſit, ignoro: ſaltem me allocutus non eſt. Ut ipſe autem hoc rerum ſtatu adeam, aliumque commendem, vetant multa: maxime autem, quod ab artibus technis & ambitionibus illis, Eccleſiaſticos viros parum decentibus, omnino abhorream. Video eas paſſim in Eccleſiam Dei introduci: ſed metuo magno id fieri Eccleſiæ Dei malo. Fratres noſtri nihil inſuper habent, quò minus ſua promoveant, ac quam fortiſſime ſtringant. At videant illi quorum intereſt, ne autoritatem ſuam peſſundari patiantur veritatis damno irreparabili. Noſtrum non eſt clavum clavo pellere, ſimilique dolo & fraude uti: verum ſincere ubique agere; &, ſi aliter fieri nequeat, patienter ferre quæ emendari nequeunt. Hæc ideo dico, quia pertæſus ſum iſtius praxeos, quam & odi & exſecror. Nihilo ſecius tamen cogitabo, & quod cum Deo, & conſcientia bona adſtipulante potero, id faciam. Deputati Synodorum an hic fuerint, ignoro. De D. Plancio, quem Adſcenſionis die auditorem habui, certum eſt. Ille autem poſtea cum Roggio (quò, latet) diſceſſit, rediturus (puto) proximâ ſeptimanâ in reliquorum comitatu. Quin omnem moturi lapidem ſint, ut, quod volent, obtineant, haud dubito. Ejuſmodi etiam video Proceres ab Amſtelodamenſibus, forte & quibuſdam aliis civitatibus, ad hæc comitia ablegatos, quibus maxime fidunt, quoſque cauſæ quam agunt fidiſſimos patronos habent. Ego interea quieſco, & tacitus eventum exſpecto. Totam enim rem novit ille, cujus directioni maxime fidimus; neque iis quæ ore & ſcripto expoſui habeo quod addam. Si vel noluerit, vel non potuerit, ideoque nihil effecerit, quid agemus? Deo & bonitati cauſæ confidere, reliquaque providentiæ divinæ committere. Non noſtrum, ſed Chriſti & Eccleſiæ negotium agitur. Si placuerimus, reducet nos in gratiam cum

Ep. 141. cum fratribus, & veritati portam aperiet: sin minus, fiat voluntas Domini. Si illi munere cesserint, si forte quid præter eorum voluntatem decernatur ab Ordinibus: & isti malo remedium adhibebit Dominus, si volet. Interea liberalitates, quas jactant, solvendi stipendii, flocci facio. Scio enim quid hoc sit: verba nempe & voces hominum incogitantium, & qui quod dicunt non satis examinant. Sis bono animo, mi frater, forte negotium progredietur melius, quam vel sperare fuisse mus ausi. Discamus mundum, & ipsam quoque mortem, contemnere, vicerimus. Hisce vale, frater charissime. Haga, 23. Maji. 1610.

CXLI.

ISAACUS CASAUBONUS

D. UYTENBOGART V. Cl. S. D.

De parricidio Regis allatum.

CUm à nobis discessisti, erat mihi constitutum, vir venerande, quia nullum mihi in urbe datur vacuum tempus, rus secedere, & sacra studia serio aliquantisper meditari. Scis enim quæ me cura exerceat, & somnos mihi eripiat. Vix cœperam otio jucundissimo frui, cum perculit me horribilis nuntius de parricidio, quo Rex maximus, Mæcenas meus optimus, benignissimus & clementissimus, terris est ereptus. Incredibile dictu est, quantum ille tetterrimus casus doloris, mœroris & luctus mihi attulerit. Si non tangeret me, quæ maxime tangit, publica hæc calamitas; propria esset: quam ipse feci jactura, tanta est, ut videar posse dicere, omnes mihi candidos occidisse soles; amisi enim quod nunquam οὐδ' ὀνείρῳ (*ne quidem per somnium*) sum recuperaturus: herum, dico, bonitate, comitate, humanitate inter omnes Principes insignem & admirabilem. Ille me multos jam annos ita indulgenter habuit, ut prædicare ipsius merita erga me satis nequeam. Quod si per religionis causam non stetisset, magnis opibus ab ipso fuissem donatus. Has ego quum forti animo, (Deo sit laus) semper repudiarim; non propterea destitit benignissimus Princeps, & amare me, quod sæpe verbis est professus, & concessa semel liberalitate me fovere. Sed hæc prius fuerunt: nunc quis me status sit exceptarus ἐπὶ τῷ γένει κείσῃ. (*in Dei arbitrio positum.* Ego certe quid facturus sim nondum constitui: illud unum certum est, Deum sequi præeuntem; neque ab ejus voluntate, quæ quum cognita mihi fuerit, unquam recedere. Scito autem in eo studio me nunc esse de quo tecum egi; sed quæ promiseram me missurum, non possum adhuc mittere. Faciam brevi Deo propitio: quem toto affectu veneror, ut mala Ecclesiæ suæ, qui potest solus, velit sanare. Me, ne quid dissimulem, hæc tanta diversitas à fide veteris Ecclesiæ non parum Ep. 142. turbat. Ne de aliis dicam, in re Sacramentorum, à majoribus discessit Lutherus, à Luthero Zwinglius, ab utroque Calvinus, à Calvino qui postea scripserunt. Nam constat mihi & certissimum est, doctrinam Calvini de S. Eucharistia, longe aliam esse ab ea quæ in libro viri observandi Molinei nostri continetur, & quæ vulgo in Ecclesiis nostris auditur. Itaque Molineum qui oppugnant, Calvinum illi non minus objiciunt, quam aliquem è veteribus Ecclesiæ doctoribus. Si sic pergimus, quis tandem erit exitus? Jam quod idem Moluneus, omnes veterum libros suæ doctrinæ contrarios respuit ut ὑποβολιμαίους (*supposititios*) cui mediocriter docto fidem faciet? falsus illi Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, falsus Gregorius Nyssenus, falsus Ambrosius, falsi omnes: mihi liquet falli ipsum, & illa scripta esse verissima quæ ipse pronuntiat ψευδεπιγράφα. (*falsò inscripta*) Sed hæc pluribus alias, raptim enim illa exarabam, data repente occasione. Vale præstantissime vir, & contractæ nuper inter nos amicitiæ memorem te præsta. Amplissimum virum D. Mylium, & amicos quibus literas à me attulisti, verbis meis nisi grave est saluta. Scito me tuas exspectare, & quidem uberrimas literas. Iterum vale & festinationi meæ ignosce. Ad urbem, 7. Kalend. Jun. 1610.

CXLII.

JOANNI NARSIO

JOANNES UYTENBOGARDUS

S. P. in Christo Salvatore.

Ecclesiastica.

VIr doctissime, frater amicissime, idemque reverende: Quod reditum mihi ex Gallia gratularis, gaudeo & gratias ago: ipse etiam mihi ipsi splendidum illud iter sine ullo incommodo peractum gratularer, nisi pede claudo tristissimus pone insequutus esset nuntius, luctuosissimus nobis totique Galliæ, ne dicam Christiano orbi, tragicumque, maximi profecto Regum, casum nuntians, qui parum abfuit quin & me prostraverit, variis de causis; etiam ista, quod Regem, cujus & aspectu & alloquio me Deus tam recenter dignatus fuerat, quemque paucis ante diebus vivum, vegetum valentem reliquissemus, tam execrando & infando more (heu fatum Europæ!) sublatum nil tale opinantes intelligeremus. Quid vero agamus? inscrutabilia sunt ista & arcana summi Regis, Dei, judicia, quibus interstrepere nefas cum sit, silentio religioso labiis nostris impositio, hoc tantum dicere liceat, Domine tu fecisti. Certum autem mihi est, casum illum portendere nescio quid sinistri, nisi clemens ille pater misericordiarum, populi sui misertus, ictum illum à cervicibus

nostris

Ep.142. noſtris averterit. Ut ut enim hactenus pacatam ſatis habemus Galliam, & nobis amicam, nihilque religionis noſtræ aſſeclis de libertate per Regem defunctum conceſſa deciſum velle Regina & proceres declaraverint: miraculi tamen inſtar mihi erit, ſi non alii, & quidem funeſti, ſucceſſu temporis motus ſubſequantur. Sed & hoc ſummo rerum arbitro committendum, & interea adnitendum ſerio ut vitæ emendatione ab irâ venturâ ſervare nos ſtudeamus.

Optas mihi robur Spiritus Sancti in rebus gravillimis brevi peragendis. Exoſculor ſane pietatem tuam & affectum erga me. At me ne illum putas, mi frater, qui in acie collocandus ſum? Minime: aliis cura iſta demandetur athletis fortiſſimis, & in iſta palæſtra exercitatiſſimis. Qui autem illi erunt? Vix profecto ſcio. Spero tamen Deum ſuſcitaturum qui veritatis & Chriſtianæ libertatis cauſam non ſint deſerturi. Verum ſi non antea, jam ſaltem ſentio quantam jacturam fecerimus in Achille noſtro. De Synodo noſtra quid ſcribam, certi vix habeo. Ordines quidem literis ſuis ante duos menſes datis ad Claſſes, ſignificaverant Synodum hujus Provinciæ habendam Hagæ, Mercurii poſt octavam, ut vocare ſolent, Pentecoſtes; at additâ clauſula, ſe nempe operam daturos, ut eadem Claſſes interea temporis de ſua voluntate ulterioribuſque ad Synodum eandem ſpectantibus mandatis fierent certiores. Nihil tamen ulterius poſt illud temporis ab Ordinibus decretum, nihil ſcriptum, nihil ſignificatum, cum tamen dies ille præ foribus ſit. Verum poſtremis Ordinum Comitiis, quæ proxime elapſa ſeptimana ſolvebantur, actum inter civitatum deputatos de formâ & modo convocandi & conſtituendi hanc Synodum; an nempe Claſſibus linquenda libertas, pro more ad Synodum iſtam ablegandi quos vellent, mandatis ſuis inſtructos; quod aliquæ civitates urgebant: an vero ipſi Ordines autoritate ſuâ ad conventum iſtum vocarent quos vellent, maximeque rebus ibi tractandis idoneos cenſerent; quod Equeſtris ordo majorque civitatum pars volebat. Rationibus tamen utrimque penſitatis nihil adhuc decretum; verum deliberandum amplius cenſentes Ordines, in proximam diem Jovis, quo rurſum coire decreverunt, res rejecta. Quidquid autem hac in re decreturi ſint Ordines, hoc ſaltem conjicere licet, Synodum conſtituto die haud habendam, ſed forte paucis ſeptimanis differendam, ob temporis alioqui nimiam anguſtiam. Quæris, an fratres noſtri citra tumultum modum illum ſequentur, quem ex parte præſcripſerunt Ordines? Negotio Alckmariano excepto, quod hactenus nullis Ordinum mandatis componi potuit, ſic ſatis morigeros ſe præbuere fratres erga præſcripta hactenus: verum an eandem præſtituri obedientiam ſint, ſi forte aliam Synodi iſtius convocandæ & conſtituendæ rationem quam pro more inive- Ep.142.
rint Ordines, de eo dubito. Quod ad Lydium attinet, ille excuſat ſe, dicitque jam ante perlata DD. Ordinum mandata excuſum exemplar, præter voluntatem ſuam à typographo vulgatum fuiſſe, adeoque jam in manu non fuiſſe ſua id revocare: cumque acriter illum Ordines reprehenderent, non tantum de mandato veluti contemto, verum de quibuſdam, præfatione præſertim ſua, quæ ego tamen non videram, contentis, etiam lacrymis veniam in pleno Ordinum conſeſſu deprecatus eſt, me etiam, quem tamen graviter ſuo ſcripto læſerat, uſus interceſſore; ac, ut viles illæ animæ ſolent, nihil non fecit & dixit, quò dicam, quam ſibi parari metuebat, effugeret. Sic evaſit miſer: qui tamen liberatus hac moleſtia non admodum bonam gratiam neque Ordinibus neque mihi retulit. Interea liber ipſius paſſim publice proſtat, unaque cum eo hominis audacia & ineptia. Exemplar, quia petis, mitto, ut ipſe quid ſit videas, à me ipſo non niſi inſpectum obiter. Remittes ubi videris, vel referes hac tranſiens; nam non habeo niſi hoc; aſſervandum mihi ſi forte uſui ſiet aliquando. Tractatus meus ingrati paſſim apud fratres odoris eſt; quod putent me eo omnem ex Eccleſia diſciplinam ſublatam, omnem authoritatem Eccleſiaſticam penitus convulſam velle, imo & regiminis Eccleſiaſtici immutationem cupere. Minatur mihi Sibrandus, minantur Zelandi: & ſunt in Hollandia qui jam calamum in me ſtrinxerunt, ipſe imprimis, quod audio, D. Gomarus: quamvis nihil edat, Ordinum & Curatorum mandato cohibitus. Maxime urit, ut quidem præ ſe ferunt, collateralitatis vox, à me, ut ajunt, excogitata in rei odium, cujus etiam immerito acculari à me conqueruntur. Ego tacitus exſpecto quid futurum ſit, æquè paratus ſententiam retractare melius inſtructus, ac eam tueri ſi veritate nitatur. Tu quæſo candide mecum agito, & aperte nævos quos deprehendiſti, vel ab aliis indicatos vidiſti, indica, gratiam, coram Deo dico, inituras apud me maximam. At Trajectum cogitas. Hui! quanta ibi tam exiguo tempore rerum mutatio! Animus eo non propendebat modo, verum ſedes ibi figerè hac æſtate, omnino ſtatueram. Jam vero uſque adeo abhorreo, ut ejus rei mentionem vix ſuſtineam. Iſthac autem ſi tranſire dabitur, da operam huc uſque, etiam cum uxore, excurras, hoſpites futuri gratiſſimi. Quod catalogum ſerius acceperis, & ego viduæ cauſa doleo, æſtimationem forte librorum auxiſſet. Habes ad tuas reſponſum, mi frater, & quidem prolixius quam initio putaram. Sed hac vice tecum fabulari libuit. Vale & ſalve frater chariſſime, cum tuo collega D. Paludano. 1 Junii 1610.

Tui ſtudioſiſſimus

J. UYTENBOGARDUS.

CXLIII.

CXLII.

ISAACUS CASAUBONUS
SAMUELI NÆRANO S.D.

Familiaris. VEllem, doctiſſime Nærane, & valde vellem, ita res meæ ferrent, ut iſthuc Lares meos transferre quamprimum poſſem, & dulci otio frui, quo tu & alii amici mei iſthic fruimini: eſſet id mihi perquam gratum ἱμερτὸν, (*ſenium*) cujus deſiderio à multis annis teneor. Sed nimirum fata nos, mi Nærane, trahunt ſæpius quo nolebamus, quam ducunt quo optabamus. Fata appello Dei Opt. Max. providentiam, in cujus decretis acquieſcere nos, verum eſt. Quid igitur de nobis ὁ ἐπὶ πᾶσι (*qui ſuper omnia eſt*) decreverit, nondum plane ſcimus. Illud videmur intelligere, placere illi, ut Lutetia relicta aliò cogitemus. Sed quò nobis ſit tendendum, adhuc exploratum non habemus. Anglia, opinor, exilii noſtri ſedes erit, niſi vehementer animi fallor. Nam & Regem maximum & illuſtriſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem id optare certo ſcimus. Adhuc tamen id negotium, propter certas cauſas, manet ſuſpenſum & ἀτελέσφορον (*imperfectum.*) Det Dominus conſilio huic lætum exitum: erit autem mihi lætiſſimus, ſi facultas obtigerit inſerviendi gloriæ ipſius, & literulas noſtras colendi. Nobis illud longe gratiſſimum eſt futurum, quod inter homines videmur victuri, qui aliquam & olim fuiſſe Eccleſiam Dei, non plane vituperabilem, perſuaſum habent, Quod cur dicam, exponerem pluribus, ſi præſens tecum loquerer. Arminium, ὁ μακαρίτης (*beatæ memoriæ*) cujus ipſe facis mentionem, virum magnum fuiſſe non dubito: etſi noſtrorum paſtorum nullum adhuc inveni, qui pro infami hæretico illum non haberet, ut quibus ὁ κανὼν τῆς ἀληθείας (*norma veritatis*) ſit ſententia Calvini, quem ego virum vehementer ſuſpiciens, eos tamen ferre non poſſum, qui omnes ab eo diſſentientes malè oderunt: neque item illos, qui ut probent veteres pios idem nobis credidiſſe, ſcripta ipſorum miſerabilem in modum torquent, magno cum intelligentium & ſerio eruditorum ſcandalo. Sed hæc mitto, & Deo Eccleſiam ſuam curæ eſſe opto. Tu me ama & vale. Lutetiæ Pariſiorum 5. Kal. Aug. CIↃ IↃ CX.

De epigrammatis tuis noli exſpectare ut tibi gratias agam. Sunt illa quam elegantiſſima: ſed quæ ſalvo pudore de me eſſe ſcripta, exiſtimare non poſſum.

CLXIII.

ISAACUS CASAUBONUS,
DANIELI HEINSIO V. Cl. S. D.

Eccleſiaſtica quædam. UTinam, clariſſime vir, poſſem exprimere tibi, quantæ voluptati mihi fuerint literæ tuæ 3 Julii ſcriptæ, quas nudiuſtertius accepi. Mirabar ſilentium tuum, & ad cæteras ærumnas meas, quas fero graviſſimas, dolebam hunc acceſſiſſe cumulum longe moleſtiſſimum. Accepi à multis, nihil eſſe facilius quam Londino Lugdunum literas mittere, vel contra: ſingulis enim hebdomadibus naves ultro citroque commeare: eamque eſſe viam tutiſſimam. Si ita eſt, cur ſilemus, cur dum ſtudioſis noſtras committimus, alter alterius ſpem fruſtramur? Ego teci in ultis periculum: quæ ſi rectè fuerint curatæ, aſſiduus in ſcribendo ſum futurus, ἐφ' ὅσον ἐπιτρέπῃ ὁ ἐπὶ πᾶσι (*ſi permittat ſupremus arbiter.*) Riſi cum legerem in tuis, me in partes Lojolitarum tranſiſſe. Expecta paululum, & videbis, quam bene mihi cum illis peſtibus conveniat. Epiſtola ad Frontonem Ducæum mea, judicio Regis, & Archiepiſcopi Cantuarienſis, & plurium doctiſſimorum virorum mirifice probata, docebit meos ſycophantas, aliud eſſe pietatem veteris Eccleſiæ admirari, abhorrere à novitatibus, & optare concordiam in Eccleſia Chriſti: aliud perditiſſimæ factioni ſeſe adjungere. Ea epiſtola dudum ſcripta, pene jam edita eſt. Itaque mittam ad te ejus libri exemplar cis dies paucos, ut ſpero ἐν τῷ Κυρίῳ (*in Domino.*) Sed, mi Heinſi, quas ego tibi gratias referam, quod meam exiſtimationem tantâ diligentia iſthic defendis? At ſcito, eos mihi maledicere, qui Patres priſcæ Eccleſiæ ludibrio habent, imo oderunt cane & angue pejus. Eſt enim hominum genus, qui ſe putant ſolos ſapere, ſolos intelligere S. Scripturam, ſolos eſſe Eccleſiam Dei, & illum περιούσιον λαὸν (*peculiarem populum.*) Iſti unius viri, maximi illius quidem, ſed errori tamen obnoxii, auctoritate freti, ne pati quidem poſſunt illorum ſanctiſſimorum Patrum nomina, quorum operâ Deus immortalis olim eſt uſus feliciſſima. Iſtorum unus eſt Molinæus miniſter Pariſienſis, quem non puduit in quodam ſcripto ſuo B. Cyprianum appellare Anabaptiſtam: ut recentis hæreſeos infamia Martyris Chriſti memoriam macularet. Quid commemorem auſa aliorum ſimilis temeritatis plena? Volunt enim iſti, Patres fuiſſe ſemipaganos, imperitos Scripturarum, fatuos, ſtultos, bardos, impios. Hinc eſt, quod errores Pontificios ita oppugnant, ut ſæpiſſime per illorum latera jugulum priſcæ Eccleſiæ petant. Mihi hæc laſcivia, aut potius deteſtanda impietas, non placet. Videoenim iſtos, dum ſuperſtitionem oppugnant, latam profanationi rerum ſacrarum, & totius religionis Chriſtianæ, feneſtram

Hæc verba edidit Epiſtolarum Caſaub. præterniſit.

ed by Google

Ep. 144. d'Indes: ſe dire des injures. 3. Pour les malades porter la Cene: cela eſt dans l'antiquité. 4. Pour le Bapteſme, eſt advenu qu'en un temps extremement rude quelqu'un portoit ſon enfant pour eſtre baptiſé à Charenton, l'enfant eſtant malade à la mort, on ne voulut pas le baptiſer devant le preche, l'enfant mourut, le pere ſe revolta. 5. Pour le Sacrement, meſmes il eſt certain, que l'Antiquité donne à entendre, qu'il y a bien quelque autre choſe. Pleſſis beaucoup de fauſſetez. Moulin auſſi, au 3. c. de S. Denis, τὸ φορτικὸν δῶρον: προσφορὰν θεοῦ (*In mixtum donum: oblationem dei.*) 6. Pour la Predeſtination, il eſt mal aiſé de ne tirer la conſequence, *Deus eſt author mali.* 7. Pour le liberal arbitre, M. Calvin fait dire à S. Auguſtin, ce qu'il ne dit pas. 8. Pour les bonnes œuvres: il y a quelque autre choſe qu'on ne dit, pour le moins, il les faudroit plus preſcher; Monſ. Perrot diſoit une fois à Geneve, qu'on avoit trop preché la juſtification par la ſeule foy: il eſt temps qu'on parle des œuvres. 9. Pour la deſcente aux enfers, M. Calvin parle trop cruement, Je ſçay que M. Calvin a eſté grand perſonnage, mais ſes diſciples empirent les affaires. Il y a un vray Phariſaiſme. M. Goulart un jour taſchoit de faire jurer les Inſtitutions de M. Calvin. Je ſuis en la plus grande peine du monde. D'un coſté & d'autre je ſuis mal, non obſtant qu'il y a des gens doctes, graces à Dieu, qui m'aiment.

A tout cecy, *ego dixi, quod cogitatu eſſent digna: me etiam deſiderare multa: & in negotio prædeſtinationis me non videre quomodo dicta Calvini quadam excuſari queant à conſequentia, Deum eſſe autorem peccati; ſed tamen nihil eſſe innovandum, ne plus ſcindantur Eccleſiæ quam antea. Quæſivit de Arminio, anne & ille haberet aliquid de quo conquereretur. Reſpondi, habere, ſed præcipuum eſſe quod ageret, ut poſſet uniri Chriſtianiſmus: modum autem hunc eſſe, ut diſcrimen fieret inter fundamentalia & non fundamentalia; ut de illis certi eſſe poſſemus, de his libere prophetare. Ad hoc ille; ô ſanctas cogitationes! Addidi, voluiſſe ſua Arminium proponere in Synodo; ſed hoc nomine multa paſſum. Narravi de Synodo habenda. Sic diſceſſum, interveniente Reygersbergio.*

CXLIV.

CHRISTIANO HARTSOECKERO

ARNOLDUS POELENBURG S.P.D.

De Uytenb. cum Caſaubono collatione præcedenti judicium.

CHriſtiane, En tibi Rever. D. Uytenbogardi manu deſcriptum exemplar eorum ſermonum, quos ipſe, in Gallian una cum DD. Ordinum Generalium Legatis profectus, A. C. CIↃ IↃ CX. habuit cum Illuſtri Viro Iſaaco Caſaubono. Hæc ſane collatio nobis eo nomine magni facienda eſt, quia hinc conſtat, virum primarium, Caſaubonum inquam, nobis & in veritatis defenſione & in mutuæ tolerantiæ ſtudio adjutum fuiſſe. Quamvis enim in D. Conr. Vorſtio vocum quarundam novitates exagitet (quas tamen, qua veterum, puta Tertulliani aliorumque, exemplo nituntur, minus debebat odiſſe, nec propterea καινοφώνον (*novis vocibus utentem*) eum dicere Theologum) tamen, quid ſenſerit de controverſis illis fidei capitibus, ſatis teſtatum dedit in ſuis ad Baronium exercitationibus, cum ex Gallia ſua multos produxiſſe refert, qui ſe Auguſtino diverſum ſentienti ſtudioſe opponerent. In hoc autem ſcripto, quod nunc vides, quam ſancte exclamat vir eximius, *ô ſanctas cogitationes!* ad mutuæ concordiæ amorem reſpiciens, quo totus flagravit Arminius. Sed vero noluit quicquam innovari D. Uytenbogardus, ne plus quam antea ſcinderentur Eccleſiæ. Sic quidem tunc ille ſenſiſſe videtur (niſi fortè nos quid ſibi voluerit haud recte percipimus) ſed ætas & uſus & adverſariorum importuna dominatio ipſum poſtea docuerunt, ſi reſiſtas erroribus, quibus interdum reſiſtendum eſt neceſſario, non ſemper omnia in tranquillo ſervari poſſe. Sic enim pacis conſulendum eſt, ut veritas tamen divina non pereat; præſertim ſi ea & ad pietatem & ſalutis æternæ ſpem tum excitandam, tum fovendam ita ſit utilis, ut propinquo gradu ad neceſſaria maxime dogmata accedat; & maxime quidem, ſi error, veritati adverſus, gloriam Dei, pro qua nobis acriter certandum, gloriam juſtitiæ, miſericordiæ, veritatis divinæ penitus ſubvertere videatur. Fateor eſſe nonnullos quoque inter noſtros hoc tempore, qui exiſtimant, niſi dogma aliquod ad ſalutem præciſe ſit neceſſarium, ſatius eſſe ſi intactus relinquatur error, quam ut propterea turbæ oriantur in Eccleſia. His placet Politicorum illud celebre pronunciatum, malum bene poſitum movendum non eſſe. Sed primum illi ſententiæ ſua collapſum Eccleſiæ ſtatum in ſummas angustias redigunt, & errores inveteratos atque graves autoritate ſua nimium corroborant. Nam vix error ita noxius ipſis videbitur, cui juſta medicina debeat adferri, quandoquidem illa ἀκριβῶς (*præciſe*) neceſſaria dogmata perquam ſunt pauca, maximorum judicio Theologorum. Quis autem ille, qui ex omnium voto decidat ea, quæ omnia & ſola ad ſalutem neceſſaria ſunt, dogmata? & erit hic, ſi quis erit talis, mihi magnus Apollo. Quid autem, ſi hæc ipſa, de quibus nunc nobis eſt ſermo, inter illa ſumme neceſſaria referri debeant, aut ſaltem ad ea proxima cognatione pertineant? Certe poſterius hoc placuit non noſtris tantum Theologis, ſed etiam Lutheranis, ipſiſque adverſariorum ducibus anteſignanis, qui hanc ſententiarum diſcrepantiam judicarunt eſſe tantam, ut partes diſſidentes uniri vix ac ne vix quidem poſſint. Non jam immodeſtos illos tango, ſed reſpicio moderatos, quales habent nonnullos, licet cæteri prævaleant. Cæterum

Ep. 143. idem illi, qui omnia non liquido neceſſaria volunt intacta manere, nonne tacite viros præſtantiſſimos, prima illa Reformationis columina, condemnant; quos præciſe neceſſaria perpauca, multa vero non neceſſaria, ac vix utilia interdum nonnulla, moviſſe conſtat? Tunc vero, ſi quæ hinc turbæ ſuppullulent, ſi ſchiſmatibus corpus Eccleſiæ diſtrahatur, id veritatis ac pacis autoribus non eſt adſcribendum; ſed iis, qui veritatem ignorant, neque his omnibus, ſed illis tantum, qui in ſuis ſibi erroribus applaudunt, lucemque veritatis, quia ferre nolunt, ne poſſunt quidem. Horum cauſa ſi veritas divina & ſalutaris in lucem proferri non debet, occultanda ea erit in perpetuum, & æternis ſepelienda tenebris; quia nunquam deerunt noctuæ & ſalamandri, qui ignem contentionis amant, lumen veritatis non amant. Quod ſi hoc pacto latebris includi ſempiternis & occultari debeat veritas, cur eam ſancti viri divinitus inſpirati Canonicis libris expreſſam reliquerunt? cur non ejus veſtigia in Apocryphis tantum libris exſtare voluerunt? quos ita nuncupatos credimus, quia eos occultari oportet in Eccleſia, neque ad dogmata fidei ullumque comprobanda proferri. Itaque qui ſilentio, tanquam ſepulchro, contectam & obrutam derelinqui hanc ex Canonicis ſcriptis hauſtam veritatem volunt, videntur mihi novum nobis fidei Canonem procudere, & Canonicorum librorum magnam partem à reliquo corpore avellere, adeoque Canonicos ſententia ſua in Apocryphos convertere, aut imprudenter, ſi neſciant; aut impudenter, ſi ſcientes hoc faciant. Neque tamen iis ego aſſentior, qui qualibet de cauſa, de leviſſimo quoque dogmate vel errore, hominibus errantibus atque Eccleſiam conturbandi cupidis, controverſiam movendam anſamque turbarum excitandarum offerendam exiſtimant. Sed tum nego turbonibus ac lucifugis cedendum, ſi aut veritas ipſa graviſſimum pondus habeat, quæ revelanda, & invitis ac refragantibus etiam, ut ſalutaris quædam medicina, in os quaſi ingerenda eſt; aut ſi falſitas non modo ſit noxia, ſed etiam pro veritate neceſſaria habeatur. Hinc enim veritati ipſi majus quoddam pondus neceſſitatis accedit, ſi falſitatem noxiam non tantum pro utili, ſed etiam neceſſaria veritate homines perverſi aut imperiti venditent. Sic enim veritas illa, quam Deus aliquo ſaltem tempore prodeſſe nobis voluit, prodeſſe poſſet numquam. Eſt autem neceſſarium, ut id, quod Deus aliquando uſui eſſe voluit, non ita per noſtram ignaviam reddatur inutile, quin uſum ſuum aliquo ſaltem tempore præbere queat. Præterea ſi ſententiam falſam uſque eo dignitatis efferri patiamur, ut neceſſariæ veritatis culmen conſcendat, jam mox proclivi via in ipſam quoque conſcientiæ noſtræ arcem impetus fiet, quo nobis vis inferatur ad falſam ac noxiam pro vera & neceſſaria ſententia amplexandam. Ep. 143.

Quæ quidem vis an noſtris Theologis adhibita non fuerit, viri prudentes & æqui facile dijudicabunt ex eo, quod Synodi Dordracenæ Canonibus, (perinde quaſi hi Canonicam conſtituerent aut pernicerent Scripturam) ſubſcribere compulſi ſint; & quod, cum ſupprimere ſilentio veritatem ac ſubſcribere decretis hominum falſis & noxiis recuſarent, in exilium expulſi fuerint.

Porro in hac Caſauboni, quam cum D. Uytenbogardo habuit, diſſertatione illud mihi arridet imprimis, quod ad uniendas Chriſtianimi ſectas diſcrimen conſtituendum inter fundamentalia & non fundamentalia dogmata judicaverit, & in eoque ſanctas Arminii cogitationes & agnoverit, & prædicaverit. Nam omnia mihi, quæ ad pacem componendam à viris eruditis ac piis excogitata aut data ſunt, conſilia circumſpicienti, videtur hæc unica res remedium tantis malis, tam diuturnis, tam inveteratis ſchiſmatibus afferre poſſe. Etenim ſi hoc ſemel inter omnes conſtitutum fuerit, non licere corpus Eccleſiæ Chriſtianæ in partes diſcerpere, niſi aperte conſtiterit ex ſacris Dei Literis, errorem adverſarium ipſa fidei ac pietatis fundamenta ſubvertere: Deum immortalem! quod ſchiſmata, quam gravia, quam late divulſa conjungi hac via, & in eandem unius corporis compagem revocari ac conglutinari poterunt? Hoc igitur eſt illud glutinum, quo colligandi ſunt omnium animi fidelium. Utinam hunc curſum tenuiſſent illi, qui adulteratam vitiis & erroribus Pontificus Eccleſiam, integritati ac nitori ſuo ante alios reſtituere conati ſunt! hoc enim ſi ab ipſis fuiſſet ſedulo præſtitum, non eam nunc tam fœde diſciſſam ac dilaceratam haberemus. Utinam Calvinus, qui magnis alioqui dotibus ingenii, eruditionis, eloquentiæ ornatus fuit, hac quoque moderationis laude floruiſſet! majorem certe gratiam apud Deum pariter hominesque obtinuiſſet; uberiore cum fructu Reformationis arduum opus promoviſſet; reliquiſſet diſcipulos iis, qui nunc ſunt, multo meliores; denique ea jeciſſet fundamenta concordiæ, quibus nixa domus Dei bene firmata ac ſtabilita permaneret. Sed bene habet, quod & ipſi aliquando veram vocem vis invicta veritatis extorſit, cum ſcripſit Confeſſ. Eccleſ. Italic. editâ A. C. 1558. omnibus moderatis Chriſtianis ſufficere oportere Confeſſionem fidei Symbolo Apoſtolico comprehenſam; & Inſtit. lib. 1. cap. 13. §. 5. laudat Hilarium, qui alibi (libro de Conciliis) fælices Galliæ Epiſcopos prædicat, [illegible] nec excudiſſent, nec recepiſſent, [illegible] omnino noviſſent confeſſionem, quam veterem illam & ſimpliciſſimam, quæ ab ætate Apoſtolorum apud omnes Eccleſias recepta fuerat. Habuit ille interdum dilucida intervalla, ſed rara: quod ipſi teſtimonium merito perhibuit vir hujus ſeculi permagnus: idque ipſum

in

Ep. 145. in prædeſtinationis negotio verum eſſe liquet. Interim illud nobis lætandum cenſeo, quod, ſicut poſt ſervidas illas ab Auguſtino aliiſque ſuſceptas contentiones, mitior ac moderatior exinde poſt ipſum de prædeſtinatione ſententia paſſim in animis hominum crevit & adolevit; ita nunc hoc paulatim ſeculo, poſtquam deſerbuit illa nimia contendendi libido, quæ multos ſolet etiam ſummos viros in tranſverſum abripere, plerique in hac noſtra, aut alia ſimili, moderata tamen, mente conquieſcant. Eſt etiam hoc inter hujus ævi felicitates præcipuas deputandum, quod in omnibus Chriſtianiſmi ſectis viri præſtantes undique emergant, qui omnes ſuas curas cogitationeſque huic maxime ſtudio devovent, ut homines non minus ad pacis quam ad veritatis amorem inflammatos reddant. Denique hoc quoque nomine maximas Deo gratias agendas cenſeo; quod non Pontificiis modo, ſed & Reformatis imprimis Magiſtratibus hanc mentem indiderit, ut Inquiſitionis truculentum tribunal, omnemque in conſcientias tyrannidem, paſſim ex orbe dempſerint, ſuſtulerint, aboleverint. Deus noſter pacis autor & vindex, poſtquam exſtinxit vivicomburia & inſontium lanienas, hunc ſacrum amoris ignem per omnium Chriſto credentium corda diffundat magis magiſque: in quo voto deſino. Vale mi amice. Dabam Rotterdami. 1659 die 25. Febr.

CXLV.

Libellus Supplex

Exhibitus Illuſtribus Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordinibus, Titulo

REMONSTRANTIÆ,

à Miniſtris & Paſtoribus in cauſſa doctrinæ gravatis.

ILluſtres Nobiles, Præpotentes, Prudentiſſimi, juſque imperii habentes Domini. Miniſtri verbi Dei, ſubditi Illuſtr. D. D. Veſtrarum, qui ad literas & commonefactiones Veſtras datas XXIII. Novemb. Anni CIↃ IↃ CVIII. conſiderationeſſuas atque obſervationes ad Confeſſionem & Catechelin Eccleſiarum iſtarum Illuſtribus DD. VV. obſignatas exhibuerunt, ac porro exhibere parati ſunt, non poſſunt diutius ſuperſedere, quin Illuſtr. DD. Veſtris maximo cum animi ſui mœrore ſignificent, ſe apud conſervos ſuos in ſuſpicionem veniſſe, eoque paſſim apud ſupremi, infimi, mediique ordinis homines differri atque gravari, acſi quærerent Religionis mutationem, eſſentque cauſſa magnarum in Repub. & Eccleſia contentionum & motuum: adeò ut deprehendantur multorum animi in tantum exacerbati, ut levi negotio ex tali errore ingentes turbæ oriri poſſent, irritis ferè omnibus remediis, quæ hactenus ad declarandam Remonſtratum innocentiam ex vero adhibita ſunt: quia ſcilicet calumnia pari impetu contra ea obnitens, plus apud multos fidei invenit, quam debebat, ſive id affectionibus hominum adſcribendum ſit, ſive alii alicui cauſæ. Ac ſperaverant quidem Remonſtrantes exſpectatam diu multumque Synodum Nationalem aut Provincialem, occaſionem aliquam daturam eſſe patefaciendi omnibus inque lucem protrahendi iſtius erroris: ſed quum ea nondum habeatur, atque interea magnopere metuendum ſit, ne ſuſpicionum illarum flamma publicarum ſcriptionum actionumque fomite accedente tantum progreſſu temporis invaleſcat, ut poſtea vix poſſit inhiberi, cum ſummo patriæ communis incommodo, atque inprimis Eccleſiarum, in quibus Deus Remonſtrantes vocavit paſtores ac Doctores, inſuperque cum detrimento famæ atque exiſtimationis Remonſtrantium, quam tamen omnes (atque inprimis Eccleſiæ miniſtri) poſt conſcientiam ſuam apud Deum, tenentur præ omnibus hujus ſæculi rebus defendere ac tueri: inſpectis diligenter iſtis omnibus inque nomine Domini (quem ſuper hoc negotio frequenter ardentibus votis rogaverunt atque invocaverunt) expenſis, judicarunt honeſtum ac neceſſarium, imo vero perneceſſarium, omnia facere quæ ſecundum verbum Dei modeſtè ac decenter fieri poſſunt, ad diluendam prædictam illam calumniam, & ſedandos animos falſis rumorum diſſeminationibus commotos. Quocirca teſtantur ante omnia aperte Remonſtrantes cum ſumma reverentia coram Ill. DD. veſtris, ſupremo ſuo Magiſtratu, ſe nullam in religione innovationem quærere, ſed tantum optare & cupere, ut decretum de recognoſcenda aut revidenda Confeſſione iſtarum Eccleſiarum, jam ante annos duodecim, quinta ſcilicet Junii, anni CIↃ IↃ XCVII. occaſione gravium Eccleſiaſticarum diſſenſionum quæ paulo ante inciderant, rectè ac laudabiliter ſtatutum, poſteaque iterum XV. Martii anno CIↃ IↃC VI. ab Illuſt. Ordinibus Generalibus, non tantum ſuper Confeſſione, ſed etiam ſuper Catecheſi ſtatutum, omnibuſque Claſſibus indicatum, poſſit effectui mandari, eo quo decet ordine loco atque modo, ſub ductu Ill. DD. Veſtrarum ad gloriam Dei & ſtruendas Eccleſiarum Reformatarum. Intelligunt autem Remonſtrantes ſuum iſtud, uti judicant, Chriſtianum votum miris modis traduci, eamque criminationem duobus iſtis potiſſimum capitibus inniti. Uno, quod multi opinentur Reviſionem ipſam iniquam eſſe: altero, quod non cenſeant opportunum nunc eſſe rem iſtam aggredi. Neutrius vero culpæ purgationem ad ſe putant Remonſtrantes pertinere. Nam quod ad Recognitionem illam ſive Reviſionem attinet,

Ep.145. net, à vobis illa Ill. DD. Christianè & ritè, nec nisi gravibus de causis, uti ante dictum, decreta est. Non licebit ergo Remonstrantibus laudare idipsum suoque suffragio comprobare? Abiitne obedientia in crimen? Tantumne piaculum est, si Ecclesia propriam suam Confessionem, eamque ab hominibus conscriptam, recognoscat, expendatque an recte omnia in ea sese habeant, an vero aliquid in ea emendandum sit? Quaenam vero Confessio illa est, aut Catechismus? Nimirum illa, cujus de capitibus quibusdam, atque autoritate, quam in Ecclesia Dei habere debeat, multum contentionum jam ante complures annos, atque adeo ab initio inde Reformationis semper fuit. An igitur hoc novum est? insolitum? aut ante hunc diem inauditum? Ipsa Synodus Hollandiae Australis habita Gorinchemii anno CIↃ IↃ CVL judicavit *Revisionem illam faciendam more solito*. Eumque Canonem Actis suis inseri voluit. Si faciendа est more solito, moris est utique & consuetudinis ut fiat: Si consuetum est: non jam res nova est: Si nihil novi petitur, quid opus est tantos strepitus ob rem istam excitare? Conqueruntur quidam, Remonstrantes noluisse meditationes suas in Classibus aperire, sed voluisse omnia referre ad Synodum Provincialem aut Nationalem. Ita est: & quidem gravibus ducti rationibus, id sibi ita faciendum putaverunt. Nam quid opus est difficultates movere, ubi remedium, rebus ita exigentibus, sperare non possis? Majoris itaque boni causa praetermissum hoc fuit, & ad vitandas contentiones, & quia hoc totum ad Synodum pertinebat, & ut res ea quae observationem aut disquisitionem requirere videbantur, minore cum praejudicio illic proponi possent. Sed, inquiunt, Silendum ergo fuerat in eum usque diem. Responsum est: Classibus permissum, & quidem volentibus Remonstrantibus, fuisse, ut Ecclesiasticam censuram exercerent adversus eos, qui ἀτάκτως (*inordinate*) loquerentur, quive adversus Confessionem & Catechesin docerent, modo amice ex aequo & bono id facerent, & accusatis justum defendendi sui spatium concederent.

Ad tempus quod attinet, Remonstrantes dicunt, se tempora & momenta in sua manu non habere. Neque vero Remonstrantes hoc primi urserunt. Illi hoc urserunt, qui tantopere subsignationi illorum libellorum nunc insistunt, jamque aliquot annis multo pressius institerunt, quam unquam antehac, sicut ex diversis Synodalibus videre licet: quique perpetuo illos ipsos libellos in ore habent, si quando ulla de doctrina quaestio oritur. Adeone ergo absurdum est, Illustres Domini, si quis ob has causas judicet in libero aliquo Conventu, in quo singuli suum suffragium habent, aut alibi etiam, ubi id oporteat, scripta ista resumi & ad examen revocari oportere? Enimvero non liquet, neque est qui docere possit, illa initio Reformationis, ea, qua decuit religione, fuisse expensa: saltem causas habent Remonstrantes de hac re dubitandi gravissimas. Quod si interea temporis id factum alicubi est, prodant ii qui hoc adferunt, locum, tempus, modum. Ante annos duodecim quum Revisio ista ab Ill. D. D. Vestris primum decreta est, non erat tempus, eo quod Synodus Nationalis, in qua Revisio facienda erat, nondum erat concessa. Nunc vero tantum abest ut tempus fuerit, quum tempus jam esset, hoc est, quum Illust. Ordines Generales rogatu Ecclesiarum, Synodum Nationalem inserta hac clausula concederent, ut contra ex eo inde tempore maximae difficultates motae fuerint, perque totam regionem dissipari rumores improbissimi, Novam peti Confessionem & Catechesin, in dubium vocari doctrinam quam martyres suo ipsi sanguine obsignassent, novam cudi religionem, aliaque ejusmodi. Ergone, Illustres Domini, quotidie tempus erit censuram disciplinamque exercendi, etiam usque ad functionum publicarum suspensionem, in eos qui exspectantes istam resumptionem difficiles sese praebent ad novas subsignationes, neque unquam tempus erit serio expendendi ea quorum subsignatio tam caldè urgetur? Quin ergo qui ita sentiunt, apertè profitentur, nolle se ut libelli illi unquam resumantur: sed velle ut quilibet iis, prout sonant & jacent, adhaereat: ac postea despiciunt, quomodo conscientias suas tueri, & Jesuitas in summo nostrae reformationis capite excepturi, iisque os obstructuri sint. Sin autem mens haec ipsis non est: & si nihilo secius negatur totics jam dicta Recognitio, restituatur saltem Ecclesiis prisca illa libertas, quae inter alia hoc quoque habuit, ut in capitibus, quae paullo post recensebuntur, & in quibus Remonstrantes difficultates vident, Ministri Ministerive Candidati vel prorsus non examinarentur, vel si de iis in examinibus atque alibi sermo incidisset, facile quivis tali declaratione aut etiam dilutiore contentus esset, qualem Remonstrantes ipsi infra facturi sunt. Sunt & alia complura Ill. Domini, quae Remonstrantes ad justificationem tum Christiani, & reformatam Religionem docentis decreti vestri, tum suorum in istis judiciorum & factorum proferre possint, quae tamen hactenus magna cum patientia ducti melioris boni spe silentio texerunt, teguntque adhuc, donec cogantur ea libris in vulgus editis orbi patefacere. Ep.145.

Caeterum ut ne prolixiore oratione Ill. DD. Vestras detineant, utque simul ostendant, quantopere ipsi ad pacem propendeant, omnesque difficultates praecisas velint, judicaverunt Remonstrantes non abs re se facturos, si cum summa reverentia coram Ill. DD. Vestris testificarentur, se, ad ipsos quod attinet, non esse in mora, quin, si Ill. DD. VV. (vel quod non judicent hoc rerum statu habendam Synodum Nationalem, vel alias ob cau-

Ep.145. cauſas) ex publica Patriæ & Eccleſiæ re eſſe videatur, ut Recenſio illa aut Reviſio aliquantiſper adhuc differatur, ac melioribus temporibus reſervetur; hoc ita, ut placet, fiat, in nomine Domini: tametſi ex animo optent, ut ea primo quoque tempore inſtitui ritè poſſit.

Interea tamen non poſſunt non impræſentiarum teſtari Remonſtrantes, ſe Decretum illud VV. DD. & Præpotentum DD. Ordinum Generalium habere pro Chriſtiano, proque recte ac legitime facto: ſeque judicare, ſcripta illa eſſe ejuſmodi, ut in iis forte deprehendi poſſit aliquid, quod emendatione opus habeat, eaque propterea in eorum numerum eſſe reponenda, quæ examini & cenſuræ illarum Eccleſiarum ſubjecta ſint, quæ ſcripta illa pro ſuis haberi volunt: inſuper membris illarum Eccleſiarum liberum permiſſumque eſſe, ut ſuo loco & tempore obſervationes ſuas ad ea ſcripta, ſi quas habent, aperiant, quo ad Dei verbum examinentur, & ſi quæ forte deprehendentur illi non uſquequaque congruere, ſecundum illud corrigantur & emendentur: neque tamen eos, qui obſervationes iſthiuſmodi aut meditationes habent & proferunt, exiſtimant, ulli, vel minimæ cenſuræ eſſe obnoxios, etiamſi non ſatis ſolidis fundamentis ſuffultæ deprehendantur, auctoreſque ipſi ſcripta illa manus ſuæ ſubſignatione ante confirmarint: quandoquidem illa ſubſignatio non aliter quam cum conditione facta poteſt intelligi: ſive adeo conditio illa expreſſa fuerit, ſive non. Neque vero putant Reſumptioni illi aut Recognitioni jam dictæ quemquam obniti poſſe, niſi eadem opera & Confeſſionem ipſam, cujus de hac re extat Articulus ſeptimus, funditus everſam velit, & introductum in Eccleſias veſtras Pontificium dogma, quo humanis decretis ſcriptiſque tantum fidei atque autoritatis tribuitur, ut ea ἀνεμπλήκτα, (*infallibilia*) eoque Dei ipſius verbo ſive ſacræ Scripturæ paria ſtatuantur: quod quidem nos intolerabile eſſe judicamus. Ac poſſunt Ill. DD. Veſtræ facile tum ex re ipſa judicare, quanta æquitate fulta ſit hæc Remonſtrantium petitio, tum ex ſententia eximii & celebris in Reformata Eccleſia Viri, Zachariæ Urſini, qui dum vixit Theologiæ Doctorem & Profeſſorem Heidelbergæ & Neoſtadii egit: cujus nos ſententiæ fragmentum ex Admonitione Chriſtiana de libro Concordiæ deſcriptum, ſupplici huic libello noſtro ſubjecimus. Ut autem deinceps (ſalva tamen ea ipſa, quam ante poſuimus, declaratione) Ill. DD. VV. poſſint intelligere, quænam ſint præcipua gravamina quæ Remonſtrantes hoc tempore habent, & de quibus diſputationes agitantur; Teſtantur Remonſtrantes eſſe ea capita quædam, quæ ipſi multo aliter à quibuſdam urgeri atque agitari judicant, quàm Confeſſione ipſa & Catechiſmo continentur: quæ imo arbitrantur quibuſdam illorum ſcriptorum locis adverſa: tametſi Fratres qui capita illa pro orthodoxis tuentur, non tantum pro ſe quiſque ea judicent Confeſſioni & Catecheſi conformia; ſed etiam eadem aliis obtrudere conentur, & quia illa ipſorum ſubſignatione ſciunt eſſe communita, volunt quoque ex ſuo ſenſu doceri à nobis: niſi in pœnas cenſuræ Eccleſiaſticæ conſtitutas velimus incurrere; ſtudentes hac ratione peregrinam atque exoticam quandam Theologiam titulo Confeſſionis & Catecheſeos incrudare. Nam ſi id verum foret, hoc eſt, ſi talia doctrinæ capita illis ipſis ſcriptis continerentur, (quod quidem fieri Remonſtrantes pernegant) cogerentur illi ipſi Remonſtrantes teſtari, Confeſſionem ipſam & Catecheſin ob illa ipſa capita Dei verbo repugnare. Neque enim poſſunt intelligere, quin capita illa Dei verbo adverſa ſint atque inimica. Capita de quibus Remonſtrantes loquuntur, hæc ſunt.

Quod Deus (ut quidam loquuntur) æterno & immutabili decreto ex hominibus, quos non ut creatos, nedum ut lapſos conſideraverit, quoſdam ad æternam vitam, quoſdam ad æternam mortem ordinaverit, nulla habita juſtitiæ ratione aut peccati, obſequii aut inobedientiæ: tantum quia ita ipſi libuit, ad laudem juſtitiæ ſuæ & miſericordiæ, aut (prout aliis magis placet) ad declarandam ſalutarem gratiam ſuam, ſapientiam & liberam poteſtatem: præordinatis etiam æterno & immutabili decreto ad eam rem mediis ad executionem idoneis, quorum vi, eos, qui ad ſalutem ordinati ſunt, neceſſario & inevitabili modo ſalvari neceſſe eſt, ita ut perire non poſſint: ii vero qui deſtinati ſunt exitio (quorum quidem maxima eſt pars) neceſſario & inevitabiliter damnari oporteat, ita ut non poſſint ſalvari. I.

Quod Deus (ut alii malunt,) volens ab æterno apud ſe decretum conſtituere, de quibuſdam hominibus eligendis, aliis vero rejiciendis, conſideraverit humanum genus non tantum ut creatum, ſed etiam ut lapſum, inque Adamo atque Eva primis noſtris parentibus corruptum, eoque maledictione dignum: quodque ex illo lapſu & damnatione decreverit quoſdam liberare & ſalvare ex gratia ſua, ad declarationem miſericordiæ ſuæ: alios vero tum juvenes, tum ſenes, imo vero etiam infantes quoſdam fœderatorum, in nomine Chriſti baptizatos, inque ſua infantia morientes, juſto ſuo judicio relinquere in maledictione, ad declarationem juſtitiæ ſuæ: idque citra omnem conſiderationem reſipiſcentiæ & fidei in illis, aut impœnitentiæ & infidelitatis in iſtis. Ad cujus decreti executionem Deus quoque talibus mediis utatur, per quæ Electi neceſſario & inevitabiliter ſalventur, reprobi vero neceſſariò & inevitabiliter pereant. II.

Proinde Jeſum Chriſtum ſalvatorem Mundi non mortuum eſſe pro omnibus hominibus, ſed pro illis tantum qui vel priore illo, vel poſteriore iſto modo Electi ſunt, ut qui medium ſit, & ordinatus Mediator ad ſalvandos tantum illos, & præter ipſos neminem. III.

Ep. 145. IV. *Consequenter, Spiritum Dei & Christi in illis, qui vel ille vel iste modo electi sunt, operari cum tanta gratiæ vi, ut non possint resistere: ac proinde fieri nequeat, quin se convertant, credant, eoque necessario salventur. Hanc autem irresistibilem gratiam & vim solis ita Electis contingere, non autem reprobis, quibus non tantum gratia illa irresistibilis negatur, sed etiam necessaria & sufficiens ad conversionem, fidem, & salutem, non conceditur: Ad quam conversionem & fidem vocantur quidem, invitantur, & blande sollicitantur externe per revelatam voluntatem Dei: interna tamen ad fidem & conversionem necessaria vis illis non confertur, secundum voluntatem Dei occultam.*

V. *Quotquot autem veram & justificantem fidem semel per ejusmodi vim irresistibilem nacti sunt, eos eam nunquam totaliter aut finaliter, posse amittere, ne quidem si in quam maxime enormia peccata incidant: sed vi ista irresistibili ita duci & conservari, ut nec totaliter nec finaliter possint deficere & perire.*

Horum jam commemoratorum capitum nullum judicant Remonstrantes Confessione aut Catechismo istarum Ecclesiarum contineri aut exprimi, sed existimant in illis scriptis loca quædam istis sententiis repugnantia inveniri: utcunque verò se res habeat, non possunt ea judicare Verbo Dei conformia, aut apta ὠφέλιμα: sed credunt ea verbo Dei repugnantia, ædificationi valde adversa, imo noxia esse: proinde ea ovibus Christi & auditoribus Christianis non audent pro bono & salutari animarum pabulo proponere, aut docere, nisi aliter ipsi ex verbo Dei edoceantur.

Ut autem Ill. DD. VV. eadem opera possint intelligere quid Remonstrantes de illis ipsis capitibus statuant & doceant: testantur, hanc suam de illis esse sententiam.

I. *Deum æterno & immutabili decreto in Christo Jesu Filio suo ante jacta mundi fundamenta statuisse ex genere humano in peccatum prolapso, eos in Christo, propter Christum, & per Christum salvare, qui per gratiam Spiritus Sancti in eundem Filium suum Jesum crediturі, inque ea ipsa fide & obedientia fidei per eandem gratiam usque ad finem essent perseveraturi: Contra vero contumaces & incredulos, sub peccato & ira relinquere & condemnare, tanquam à Christo alienos: juxta verbum Evangelii Joh.* III. 36. Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui verò Filio non obtemperat, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum: *Cui alia quoque Scriptura dicta respondent.*

II. *Proinde Jesum Christum Mundi salvatorem pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse: omnibusque per mortem crucis promeritum reconciliationem & remissionem peccatorum: ita tamen, ut nemo remissionis illius reipsa particeps fiat, præter credentes: idque etiam secundum verba Evangelii Joannis,* III. 16. Ita Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum, Ep. 145. non pereat, sed habeat vitam æternam. *Et Epistola priore Joannis, Cap.* II. *vers.* 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis.

III. *Hominem salvificam fidem non habere à se, neque ex liberi sui arbitrii viribus: quandoquidem in statu apostasiæ & peccati nihil boni (quod quidem vere bonum sit, cujusmodi in primis est fides salvifica) ex se & à se posse cogitare, velle aut facere: sed necessarium esse ut à Deo in Christo per Spiritum ipsius Sanctum regeneretur atque renovetur, intellectu, affectibus seu voluntate, omnibusque viribus: ut verum bonum recte possit intelligere, meditari, velle, atque perficere, sicut scriptum est Joh.* XV. 5. Sine me nihil potestis facere.

IV. *Hanc Dei gratiam esse principium, progressum & complementum omnis boni: adeo quidem ut ne ipse quidem regenitus absque præcedente, sive præveniente ista, excitante, prosequente, & cooperante gratia, bonum cogitare, velle, aut peragere possit, ullisve ad malum tentationibus resistere: ita ut omnia bona opera actionesque quas quis cogitando potest adsequi, gratiæ Dei in Christo adscribenda sint. Caterum quod ad modum operationis ejus gratia attinet, non est ille irresistibilis, quandoquidem scriptum est de multis, quod* Spiritui Sancto restiterint. *Act.* VII. *Et alibi locis compluribus.*

V. *Eos qui Christo vera fide insiti, ac per consequens vivificantis ejus Spiritus participes facti sunt, abunde instructos esse viribus quibus adversus Satanam, peccatum, mundum, suamque carnem possint pugnare, atque adeo etiam victoriam ab iis referre: semper tamen (quod cautum volumus) auxilio gratiæ Spiritus Sancti: & Jesum Christum ipsis per Spiritum suum in omnibus tentationibus adsistere, manum porrigere, ac eosdem (si modo ad pugnam ipsi parati sint, ejusque opem deposcant, sibique ipsis non desint) fulcire ac confirmare, ita ut nulla fraude aut vi Satanæ seduci, aut ex Christi manibus eripi possint, juxta dictum Christi Joh.* X. Oves meas nemo rapiet ex manu mea. *Caterum, utrum iidem non possint per socordiam τὴν ἀρχὴν ὑπόστασιν χεῖρον πράγματα, & præsentem mundum iterum amplecti: à sancta doctrina ipsis semel tradita recedere, bonam conscientiam amittere gratiamque negligere: ipsis prius accuratius ex sacra Scriptura inquirendum, quam nos illud possemus alios cum πληροφορίᾳ animi nostri docere.* Hebr. 3. 6. 14. 2 Petr. 1. 10. Jude 3. 1 Tim. 1. 19. Mat. 22. 15.

Hos igitur articulos ita propositos & traditos censent Remonstrantes divino verbo conformes, ædificationi idoneos, & in hoc quidem argumento sufficientes ad salutem: ita ut necessarium non sit, aut ædificationi serviens, vel altius conscendere, vel inferius subsidere.

Atque ex his omnibus possunt Ill. DD. VV. clare intelligere, quam à vero alienum id sit, quod

Ep. 145. quod Remonſtrantibus impingitur de ſtudio mutandæ Religionis Chriſtianæ reformatæ: quandoquidem præter factam declarationem de recognitione, ſi quinque illi Articuli ita intelliganur & proponantur, ſicuti ab Remonſtrantibus intelliguntur & proponuntur, non tantum intactæ manent atque illibatæ Confeſſionum & Catecheſeos formulæ, ſed etiam in vero ſuo ſenſu (prout judicant Remonſtrantes) atque intellectu capiuntur, ad ſervandam veram harmoniam & conſenſum cum reformatis Eccleſiis per reliquam Europam diffutis.

Quocirca demiſſe admodum & nomine Jeſu Chriſti rogant Ill. DD. VV. atque obteſtantur Remonſtrantes, ut pro authoritate Ill. D. D. VV. tanquam ſupremo in patria noſtra atque Eccleſia Magiſtratui, divinitus conceſſa in rebus Eccleſiaſticis, etiam atque etiam deſpiciatis, quid in hoc negotio agendum ſit: ſimulque hoc ante omnia curetis, ut Ill. D.D. VV. ab omnibus pro iis, quibus ſuprema inſpectio & ſummum imperium in negotiis Eccleſiaſticis & civilibus ſub Deo juxta ejus verbum competit, agnitis, (quod quidem caput nos quoque exiſtimamus ita ſecundum Dei verbum doceri & defendi oportere) Remonſtrantibus itidem in legitimo liberoque conventu Synodico, ſub Ill. DD. VV. authoritate, προεδρία, (*præſidentia*) ductu, συμψηφισμῷ (*approbatione*) & moderatione habendo, plene auditis, ipſorumque rationibus expenſis, dogmata illa quære cenſuimus, accuratius inſpiciantur atque examinentur: Aut ſi nondum id commode fieri poſſit, Fratres tamen interea ſic invicem in dilectione & pace ferant & tolerent. Quod quidem ex animo optant Remonſtrantes, modo interea temporis de iis ipſis Articulis nihil doceatur, quod vel pietati officiat, vel bonis moribus adverſum ſit, & ne quis poſthac vel in Eccleſiaſtica vel in Scholaſtica functione neque præſentis ſtatus neque futuri reſpectu, neque eorum ratione qui jam nunc illa ipſa munera obeunt, neque eorum qui in poſterum ad ea capeſſenda evocandi ſunt, ob prædicta capita (prout ea à Remonſtrantibus explicata ſunt) ſuſpectus habeatur, rejiciatur, aut ullo modo gravetur: ſin ii qui ſecus ſentiunt id facere recuſant, ut tunc ſaltem Remonſtrantes ab iis ex Dei verbo melius doceantur. Quum vero hic Remonſtrantium libellus ſupplex facile in deterius trahi poſſit, ex eoque materia arripi ad gravandos Remonſtrantes, rogant porro atque obteſtantur, ut Ill. DD. VV. placeat, ipſos ipſorumque munia protegenda ſuſcipere, adverſus omnes Eccleſiaſticas cenſuras, quæ ob libellum iſtum Ill. DD. VV. exhibitum, quæque ex hoc facto pendent poſſent adverſus ipſos vel omnes vel ſingulos inſtitui.

Teſtantur ſimul coram Ill. DD. VV. ipſorum factum minime ſpectare ad excitandas factiones, divulſiones, ſchiſmata in Eccleſia aut in Politia, nedum ad procurandam mutationem Religionis: ſed ſe nihil aliud quærere, quam ut libera iſta ſponteneaque declaratione ſeſe liberent à ſiniſtris ſuſpicionibus, quibus ſatis hactenus ſuperque tum in hac Repub. tum alibi preſſi fuerunt: ſimulque emendationem, aut meliorem inſtitutionem, aut ſaltem tolerantiam, eo quo dictum eſt modo offerant & petant, ut Eccleſiæ ſua reſtituatur pax & tranquillitas. Ep. 146.

Aut ſi Remonſtrantes depulſi omni ſpe præter opinionem atque expectationem ſuam nihil iſtorum poſſint obtinere, ac proinde publica ſua munera diutius bona cum conſcientia in pace obire deinceps non poſſint: parati ſunt ad mandatum Ill. DD. VV. deſiſtere à ſuis functionibus, ac deinceps ſe ita componere, ut Deo & proximo, quam ſcient poterunt que commodiſſime ex conſcientia, juxta verbum Dei inſerviant, illæſa ſemper atque intemerata obedientia ea quam Ill. DD. VV. deberi intelligunt.

Ex admonitione Chriſtiana ſcripta à Theologis & Miniſtris Eccleſiarum in ditione Illuſtriſſimi Principis Caſimiri, &c. de libro Concordiæ.

SUnt igitur id genus ſcripta, neque æviternæ, ut Scriptura ſacra, atque immota & univerſalis norma fidei & veritatis, ſicut Symbola Eccleſiæ: ſed ſunt norma duntaxat Confeſſionis, ex quibus agnoſci poteſt, quid congruat cum ſententia illius Eccleſiæ, a qua Confeſſio eſt edita: non autem ſunt norma, ſecundum quam judicari aut pronunciari oporteat, quid credendum & concedendum, quid repudiandum & damnandum, quid verum aut falſum, orthodoxum aut hæreticum ſit. Non enim ſemper neceſſe eſt verum eſſe, quod cum alicujus Eccleſiæ Confeſſione congruit, neque ſemper falſum quod ab ea diſcrepat. Non tantum ergo poſtulari non debet, ut omnes Eccleſiæ unius Eccleſiæ particularis formulæ ſubſcribant: ſed ne quidem Eccleſiam ullam, aut privatum ullum obligant illæ formulæ, ut eas approbet, ſeque intra eas contineat, niſi cum iſta conditione, quatenus cum Scriptura & Symbolis univerſalibus congruant: Et propterea non tantum aliarum Eccleſiarum, ſed illarum quoque à quibus ſunt editæ, & in iis docentium ac viventium, judicio ac cenſuræ ſunt ſubjectæ, & ſi quid in eis vitii deprehendatur, audiendum, cognoſcendum & examinandum: Et ſi dignum emendatione judicatum fuerit, communi conſenſu & authoritate illarum Eccleſiarum, qua ſcriptum fuit, corrigendum aut declarandum eſt. fol. 124.

Et paulò pòſt.

Eſt igitur in his Eccleſiarum ſcriptis recipiendis aut rejiciendis cavenda nimia libertas;

ne

Ep.146. *ne videlicet, si liceat cuivis convellere pro libitu, quod publico consensu, & quidem ipso etiam consentiente, receptum est, sequantur schismata & scandala Ecclesiarum infinita, & novis subinde loquendi formis introductis, simul opiniones & dogmata nova obrepant. Cavenda est etiam nimia servitus: ne omnibus aliis Ecclesiis, una aut aliqua, formulam Confessionis suo arbitrio prascribant & dictent, & omnes in sua verba non jurantes damnare, & ab Ecclesia Catholica alienos pronunciare ausint: vel damnentur & excludantur omnes, qui aliquid in alterius vel sua Ecclesia Confessionis formula desiderent: sic tamen ut nihil Scriptura & Symbolis adversum proferant: aut non audiantur petentes se audiri, ut causa legitime cognita & dijudicata, vel ipsi qui moverunt quæstionem, si errent, in viam revocentur, vel si recte aliquid monuerint de Confessione publica, & dignum animadversione, id communi consensu corrigatur.* fol. 125.

CXLVI.

JOANNI UYTENBOGARDO V.R

JOANNES MEURSIUS S.P.D.

Judicium de libro cui titulus Officium Magistratus in rebus Ecclesiasticis

CUm liber tuus mihi traderetur, necessario proficiscendum mihi Ultrajectum; atque inde mox reduci in nuptiis perdendum tempus fuit. Facile itaque caulam vides, cur hactenus tuis non responderim. Nunc hisce diebus Hagæ fui, & te domi tuæ quæsivi ut salutarem, sed ejus diei fortuna colloquium mihi tuum invidit. Volebam simul gratias agere pro munere tuo, magno illo, non tam mole libri, quam rerum pondere, & dignitate. Quæris judicium, & censuram; ita enim visum tibi loqui. Sed vide quid agas: quippe testor humanitatem tuam, nimium me honoras, id est oneras; quod facis contra scitum Plinianum. Quando tamen non aliter tibi videtur, accipe verum animi mei sensum. Distincte, & ordinate, addo etiam ornate, qui genius tuus est, omnia ponis, examinas, & dispungis; ut negem aliquid fieri in eo genere posse perfectius. Ubique ostendunt se judicium subactum valde, & multiplex lectio, rerumque cognitio. Affirmo omnino, æstimabit te posteritas vel ab uno hoc scripto, quod dignum transfundi in plures linguas. Habes simplicem sententiam, quam non mihi meus in te adfectus, sed veritas dictavit, illa inquam, cujus tu patrocinium necessario suscepisti, etsi concitato, uti testaris, odio implacabili eorum, quorum amorem & benevolentiam vel sanguine, si ita usus veniat, redimere paratus sis. Macte ista virtute, V.R. & animum obfirma. Spondeo tibi, adferet aliquando voluptatem hæc res non exiguam, & debere se tibi plurimum Respublica grata fatebitur. Ominor, & in hoc omine desino, Deum Opt. Max. supplex venerans, uti Ecclesiæ te suæ quam diutissime servet incolumem. Vale V. R. & me amare perge nominis tui cultorem frequentissimum. Lugduni Batavorum. 7. Julii 1610. Ep.147.

CXLVII.

CONRADO VORSTIO

PETRUS BERTIUS S.P.D.

De vocatione Leydensi accipienda.

REverende vir, Frater in Christo & Doctor honorande. Quum ad vos publico nomine discederet lectissimus Dei servus D. Joannes Uytenbogardus, non potui non privato etiam instinctu meo aliquid per ipsum ad te dare litterarum, quò & negotium publicum meæ apud te voluntatis testificatione commendarem, & rogarem simul, ut post excessum incomparabilis viri D. Jacobi Arminii in illa Scholæ Ecclesiæque constitutione tuam nobis operam non denegares. Fecit enim quorundam fratrum nostrorum, rigorne dicam an zelus? ut dum de quibusdam capitibus amicè audiri & tolerari volumus, erepta pene fuerit nobis à majoribus ad nos transmissa & Ecclesiæ Christi concessa prophetandi libertas, sine qua facilè intelligis tolli seriam omnem veritatis investigationem: adeò ut, nisi nos Illustrium Ordinum nostrorum hactenus fulcisset autoritas, jam pridem moti loco vix extrema in Ecclesia Christi subsellia obtinere potuissemus. Capita præcipua intelliges ex eo ipso, quem iterum honoris causa nomino, fratre nostro Uytenbogardo. Enimverò quoties remotus à turbis in silentio mecum rem omnem reputo, non possum satis mirari, tam strictum fratrum nostrorum in hoc negotio rigorem, cui nisi tempestivè restitum fuisset, miseram nobis, miseriorem posteris nostris Ecclesiæ faciem in his locis effecisset. Et quia cum ex aliis scriptis tuis cedro dignissimis, tum ex illo ipso quod de natura Dei nuper abs te editum est, intellexi eximium, & Theologo, hoc est veritatis quæ est secundum pietatem professore dignum candorem tuum, non possum quin gratias agam primum omnipotenti Deo, qui hæc consilia Nobilissimis DD. Curatoribus suggessit, postea etiam ipsis illis Curatoribus, qui in eam partem omnes uno animo inclinarunt, ut te in florentissima Academia nostra S. Theologiæ doctorem esse vellent. Quod ergo fælix, faustum ac fortunatum sit, quodque tibi & Ecclesiæ Christi Reiq. publicæ nostræ benè cedat, habes nunc apud te illos, quibus hæc commissa provincia est, ut te ex illis locis ad nos evocent. Tuum erit vel veritatis, cujus es amantissimus, vel Deo, cui omnia debes, vel nobis, quos in eodem tecum stadio currentes non potes non amare, vel Ecclesiæ Christi, cui omnes militamus, vel denique patriæ nostræ, unico propemodum libertatis asylo, hoc dare,

Digitized by Google

Ep. 148. re, ut propediem intelligamus, & Nobiliſſimorum Curatorum Academiæ, & Conſulum Reip. noſtræ petitioni, iſtorumque qui ad te delegati ſunt voci, & noſtræ ſcriptioni aliquid apud te ponderis fuiſſe. Ita te Deus Opt. Max.

Reverende vir, frater in Chriſto & Doctor honorande, ſpiritu ſuo regat, ducatque in omnem veritatem. Vale. Dat. Lugd. Batav. 16. Julii. anno 1610.

CLXVIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

In Chriſto ſervatore.

Eccleſiaſtes Palatina.

EN exemplar, vir Clariſſime, quod promiſeram: quod ſi tardius ad te venerit, id tardiori meo in caſtra adventui, caſtrorum ad ſcribendum incommoditati, & nuntiorum ad vos eunntium defectui adſcribes. Jam viciſſim abs te peto, hoc ut tibi ſoli adſerves, nemini mortalium (quod & pollicitus eras) communices: judiciumque de eo tuum candidè mihi exponas: tametſi enim id cum adeſſem ſatis ingenuè feceris (approbabas ſiquidem omnia) volupe tamen erit intelligere, te in eodem judicio perſtare etiamnum accurate perpenſis omnibus. Quod reliquum eſt, vir doctiſſime, vide ne ſpem noſtram fallas, neque ulla ratione ab itinere Leidenſi dimoveri te patiaris. Sic enim datis dextris promiſſum, & qui cauſæ favent fratres omnes in hac ſunt expectatione. Rogo autem per Jeſu Chriſti Servatoris nomen, ne nobis deſis, imò ne etiam tibi. Quanquàm enim privatum nihil hic utrimque ſpectemus, tui tamen, quà publicum ſpectat, tibi etiam habenda ratio eſt: quod non ſine gravi cauſa addo. Expoſui ſtatum omnem tum Scholæ, tum Eccleſiæ, nihil diſſimulavi, nihil eorum quæ rei inſervirent & in mentem venirent tacui. Ad certamen, non ad quietem te vocari dixi, ſed glorioſum, & in quo certo certius Chriſto duce & auſpice, adjuvantibus etiam ſtrenuè fidiſſimis ſociis, ſuperior evades. Cauſa profectò ſpecioſior eſt & luculentior, Deo & Chriſto illius gratior, quàm quæ deſeri debeat: etiam hactenus majore ſpiritu acta. Deſerenda autem eſt, ſi ſchola deſeritur; quæ deſeretur ſi novis Diotrephis permittatur. Hoc fiet autem certò certius ſi te ſubduxeris. Perpende quæſo omnia, & veluti neuter rerum momenta & circumſtantias perpende: omni dubio procul pro nobis pronunciabis, & ad nos venies, fructus ibi facturus longè uberrimos. Collationem non inſtituo, ſed vel eminus rem inſpicienti patet clariſſimè. Veluti digito Deus hunc tibi montem monſtrat quem conſcendas, grataſſimum oblaturus ſacrificium. Metuis exitum? Deum vocantem ſequere, is providebit. Verum quia profectio Leidenſis reliqua edoctura eſt, abſtineo, & eò te remitto.

Hæremus ad Juliacum, arcem munitiſſimam, & ſtrenuè ſatis hactenus defenſam, oppugnantes. Propugnaculorum extra arcem extructorum imminemus foſſis, hiſce, uti bona ſpes eſt, intra biduum occupatis, ipſam arcem invademus. Quo ſucceſſu, dies docebit; ſperamus autem optimo, ſi Deus volet nobis eſſe propitius. Galli, qui hactenus non niſi advenare viſi, jam longis itineribus venire dicuntur. Qui ex præſidiariis in noſtras inciderunt manus, unus aut alter, uno ore teſtantur, ſe de auxiliis ab Archiducibus propediem ferendis certos eſſe, & in hanc ſpem erectos extrema paſſuros antequàm arcem dedant. In ipſis autem Archiducum provinciis altum de hiſce ſubſidiis ſilentium. Interea in omnes occaſiones intenti noſtri ſedulò rem agunt, urgent, inſtant, nihil denique omittunt quod expugnationi conducere poſſe exiſtimant. Sed quid hoc rei, quod undique nunciatur, ſubmiſſos eſſe qui Principem illuſtriſſimum feriant? Quin ſunt Antverpiæ qui illum intrà menſem certò certius ſublatum in palàm certare audeant. Verùm in manu Domini ſortes illius, quem piorum paſſim precibus Domino commendari non dubito. Comprehenſus hic & in carcerem conjectus Leodienſis quidam, qui apud Jeſuitas enutritus Romæ recens advenerat, hac Leodium, ut inquit, petiturus. Sunt qui illum monſtri aliquid alere dictitant; verùm languidiora ſunt indicia quam ut quæſtioni ſubjici poſſit. Hæc obiter de rebus publicis adjicere placuit. Vale Vir Clariſſime, & me tui amantem redama, quin & precibus tuis commendatum habe: & cum exemplar hoc acceperis, verbo indica. Veſaliam ſi tuas miſeris ad Iſaacum Brebirium ad interſignæ manus aureæ, tutò ad me perferentur. Ex caſtris Juliacenſibus 9 Auguſti 1610.

CXLIX.

Reverendis & Ornatiſſimis Viris

D. PETRO PLANCIO AMSTELREDAMENSIS, & D. JOHANNI BECIO DORDRECHTANÆ ECCLESIÆ

Paſtoribus fidelliſſimis, Dominis & Fratribus ſuis plurimum honorandis, S.

PEtitis, fratres Reverendi, à nobis, Theologorum in Germania rectè ſentientium, & noſtrum quoque de D. Vorſtii tractatu de Deo, judicium. De aliis nihil dum habemus. Recens enim liber prodiit. Nundinæ forte, quid alii ſentiant, docebunt. Nos editum dolemus. Utinam vero autor cogitaſſet illud Tertulliani: *de Deo ſtatum vera dicere, periculoſum eſſe.* Hoc agere videtur, ne quid cum aliis commune

Ep. 149.

Ep.149. ne ſentiat de Majeſtate Dei. Non dubitat ergo veterum & recentium Theologorum convellere doctrinam; ſola ea placent, quæ forte in lacunis Scoti, & Atheiillius Medici Taurelli, invenit portenta. Deum eſſentia magnum, finitum, compoſitum ex eſſentia & accidentibus, mutabilem voluntate, paſſivæ potentiæ obnoxium eſſe, & ſimilia trecenta. Metuimus ſane, ne ex omnibus angulis Jeſuitæ & Lutherani nunc tandem Eccleſiis noſtris capitaliter hoc intentent, quod Deum ipſum abnegent, atheiſmum inducant aperte. Quid enim intereſt, Deum eſſentia immenſum, an Deum eſſe, neges? Certe Ariſtoteles Philoſophus Ethnicus vidit, Deum, ſi eſſentiâ immenſus non ſit, ne potentiâ quidem eſſe infinitum poſſe. *οὐδὲν γὰρ ἔχει δύναμιν ἄπειρον πεπερασμένον* (*nihil enim finitum habet potentiam infinitam*) dicit Metaph. lib. XII. cap. VII. Eſt ergo hæc nova Metaphyſica, quam etiam ſana philoſophia redarguere poteſt. Rogavit ipſe à quodam noſtram ſententiam, de hoc ſuo fœtu; à quo reſponſum tulit: an & quomodo acceperit, nobis incertum. Nos quidem alienum ſervum judicare nolumus; monitus vero eſt, quod cauſam ejus noſtram aut aliorum orthodoxorum fieri, non ſimus commiſſuri. Ut vero, quod etiam cupitis, refutationem libri inſtituamus, operæ pretium non videtur, (vindices enim alios pares inveniet) neque, ſi videretur, nobis vacaret. Illud magis nos perturbat, quod de eo vocando ad Academiam Læidentem cogitari innuitis. Dotes viri agnoſcimus: Sed tam periculoſe habitare dolemus. Decennium eſt, quando à Comite defuncto, D. Arnoldo, hujus parente, huc miſſus, ſe coram facultate noſtra, præſente etiam D. Pezelio p. m. à Socinianiſmo purgare debuit. Et purgavit ſe tandem, relicta hic ſyngrapha, quæ in Actis Facultatis habetur. Utinam verò interim magis ratam feciſſet; ac non ſæpius varie ſuſpectum ſe reddidiſſet, quod nidum portentorum gerat in capite; quibus ſcholam & juventutem ejus loci, in quo eſt, hactenus inquinari (experti loquimur; non enim Socinus dexterius hæreſim ſuam tueretur, quam aliquot ejus diſcipulos hic eam tueri audivimus) plus ſatis eſt. Ad illuſtriſſimam Academiam Leydenſem ſi veſtri vocarent tam ſuſpectæ fidei hominem, quid niſi incendium oleo reſtinguerent? Ardet ea intus diſſidiis Pelagianis & Socinianis, neque amplius omnino clam res eſt in Germania. Tergiverſando diu flammam comprimere potuit author; poſt mortem non potuit. Condolent vobis omnes Eccleſiæ Orthodoxæ. Quid Academia ſine Theologiâ? Silent jam diu ejus profeſſiones. An nullus inter tot veſtros Theologos orthodoxus, tali Sparta dignus? Metuimus, ne unguem quæratis ulceri. Pulchre is diſſerit in Præfatione Anti-Bellarmini Contracti, de libertate prophetandi, neque hanc vult in novandi licentiam converti. Utinam non in utramque ipſe impingeret! Specioſe urget illud Apoſtoli, *Omnia probate.* Libere ergo prophetandum, neque ferendum vult novum Papatum, ut in hominum juretur verba. Sed præterit alterum Apoſtoli, *quod bonum eſt, tenete*: quo nec novatores eſſe permittit, qui ſubinde nova portenta excogitent, nec Pyrrhonios, qui nullam fidei formulam probatam & ratam eſſe velint; ſed jubet limites Religionis orthodoxæ, ſemel bene poſitos, ſacroſanctos haberi atque teneri. Hæc facere, nequaquam eſt novum Papatum invehere, aut in hominum verba jurare; ſed eſt in fide veritatis radicatim permanere, vanitatem ingeniorum cohercere. Quod ſi Illuſtriſſimi D. D. Ordines fecerint, & formulam doctrinæ Orthodoxæ, plurimo Majorum & ſuo labore ac ſanguine hactenus defenſæ, cum Orthodoxis Germaniæ, Galliæ, Britanniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Ungariæ, Daniæ, Sueciæ, &c. Eccleſiis, ſartam tectam retinuerint, neque Pelagianis aut Socinianis opinionibus locum dederint; utique rebus Belgii à Domino Deo bene ominabimur atque precabimur. In quam curam cum & vos, fratres, totos incumbere intelligamus, utique veſtra cauſa plurimum gaudemus, ac Deum Opt. Max. toto pectore rogamus, uti in ſancto propoſito vos omnes confirmet, veſtriſque miniſtris gratia Spiritus ſui copioſe benedicat. Heidelbergæ. 26. Auguſti. CIↃ IↃC X..

Veſtri in Domino

DECANUS & PROFESSORES

Facultatis Theologica in Academia Archipalatina.

Ep.150.

C L.

CONRADO VORSTIO

JACOBUS ad PORTUM S.P.C.

Vetus.

ACcepi tuas literas, Vir clariſſime, cum gaudio. Non video, quomodo ſatisfiat Dei odio naturali, ſi ex mera gratia, abſque omni interveniente ſatisfactione, peccata remittere poſſit. Laudo vehementer eruditiſſimas obſervationes tuas & annotationes, in Theſes de Deo, quas nullus reprehendet, niſi cujus judicium laqueis, tu ſcis quibus, eſt conſtrictum. Statueram multa ad te ſcribere, ſed propter tumultus illos bellicos in Germania hac vice intermittere cogor. Memoria hodie utimur, non judicio; normam habemus, ad quam quadrare oportet, quicquid ſcribitur. Varietatem ingeniorum & judiciorum ad unius ingenii anguſtias redigere velle, miſerum & ſtultum videbatur veteribus, nobis religio eſt. Inter plurima, quæ animum meum excruciant, hæc duo quoque ſunt. Unum, quod diſcrimen nullum agnoſcere velimus inter ea quæ utilia, ac ſimpliciter vera; & inter ea quæ abſolute ad ſalutem ſunt neceſſaria: in quo populus acquie-

Ep. 151. quieſcit, pene ignorat; omnia ſub neceſſitatis titulo, etiam crudæ interdum meditationes noſtræ, quas nullo alio titulo vendere poſſemus, populo obtruduntur. Alterum, quod non attendamus, cum quibus nobis res ſit: num cum illis, adverſus quos Paulus in Epiſt. ad Rom. diſputavit; an vero cum illis, quibus Jacobus fictam illam larvam fidei detraxit. Sed quid multis? cætera alio tempore. Suſcepi refutandas inſtitutiones Chriſtophori Oſtorodii; cauſas inſtituti alias ſignificabo; maximam partem jam abſolvi. Quum inciderem in Comment. D. Parei in Epiſt. ad Rom. Genevæ editam, maxime viſo titulo gaudio exultabam; ſperavi enim me tum à laboribus liberatum, tum promiſſis ſolutum eſſe: ſed decepit me titulus. Totum enim librum percurrens, non niſi unicum locum deprehendi, qui ab ipſo attingatur. Noſter Johannes Brewerus cum laude docet; Philoſophus noſter ad Miniſterium aſpirat, quod etiam data commoditate obtinebit, ſic volente ampliſſimo Magiſtratu; ſi is voti compos fiat, adnitar alterum ad Profeſſionem ordinariam promovere. Certe verſamur in loco ſalubrimo, autoritate ſumma, & fruimur ſtipendiis honeſtiſſimis; meum CC L. thaleros imperiales ſuperat per liberam habitationem, & commoditates alias: Cæterorum non multo minora. Fruitur vero & ille honeſto, modo ſemel ſe expediverit: Eo enim tempore quo hic vixit, paucas admodum pecunias accepit, & præterito anno annonæ caritas ſatis magna fuit; ſed Deus meliora dedit. Miror an ſint ex noſtris, qui Anti-Bellarminum tuum carpant; fortaſſis tua præfatio odium peperit, nimis enim vera dicis. Saluta quæſo ampliſſimum virum D. Wernerum Brewerum, cujus literis reſpondiſſem, niſi metuiſſem, ne propter tumultus illos bellicos non tuto ad vos pervenirent. Res noſtræ, per Dei gratiam, ſunt in ſtatu admodum tranquillo, & vix hoc tempore nubecula, quæ terreat. Vale Vir doctiſſime, & me, ſi dignus ſim, amare perge. Si D. Brewerus (cujus honeſtiſſimam conjugem ſaluto) miſerit filium alterum ad nos, omnia benevolentiæ officia à me experietur. Lauſ. 28. Aug. 1610.

CLI.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Reliquiæ Vorſtianæ.

CLariſſime Doctiſſime Vir: Meas tibi redditas cum adjuncto ſcripto impenſe gaudeo, & pro notis in illud tuis gratias habeo, ad illas reſponſurus ubi pluſculum fuerit otii. Viſum enim fuit ad tuas ſine ulla cunctatione reſpondere, & quidem per eundem qui tuas Vetaliam attulit nuntium, ſimulque de quibuſdam majoris momenti, quam ſunt notæ iſtæ tuæ, præmonere ante tuum in Hollandiam abitum, quem præ foribus eſſe intelligo non ſine voluptate. Suſpectiſſimum te haberi à quibuſdam in Batavia noſtra, verum eſt: ita enim & ad me perſcribitur. Tantum autem abeſt ut actiones & factiones iſtæ te deterrere ab itinere debeant; ut putem jam omni abjecta remora hoc iter tibi ſuſcipiendum eſſe. Crede mihi, facies hominis facies leonis. Ubi te conſpexerint coram, qui abſentem rodunt, agent mitius. Tua etiam vel maximè intereſt, ut te purges apud ampliſſimos DD. Curatores, apud quos Ariſtarchi illi te deferre haud ſunt veriti, ut nempè illorum animos abs te alienent, teque remoto, ejuſdem farinæ, cujus illi ſunt, homines promoveant: quo & in Schola & in Eccleſia dominari liceat pro lubitu. Imo tametſi ſtaret jam tibi ſententia manere ubi es; tuæ tamen, quin etiam noſtræ exiſtimationis intereſt vel maximè, ut coram diluas ea quæ in abſentem dicta ſunt. Alioqui, iidem illi qui te nobis invident, haud ceſſabunt dum & alibi inutilem te reddiderint. Rogo igitur, Vir Clariſſime, obſecro, imo per Filium Dei oro, ne ab iſta profectione ulla te ratione dimoveri patiaris, ſed eam conſtituto tempore ſuſcipias, aſſumto tecum Daventria Leidam uſque Aſuero, qui dux & comes itineris tibi futurus eſt. Hoc omnium fratrum moderationi faventium votum eſt, ut coram te videant, audiant, & amplectantur. Quia autem hæreo, an articuli, quorum cauſa *ἑτεροδοξία* (*diverſa opinio*) tibi impingitur, tibi tranſmiſſi ſint, en illos, ut à viro primariæ auctoritatis tranſcripti & mihi miſſi fuerunt. Vides nihil iſtorum quæ inter nos diſputantur attingi, ſed alia eſſe quæ tibi impinguntur: ad quæ ſi quod reſponſurus es breviter mihi ante diſceſſum indicaveris, tantum non beaveris me. An me in Hollandia inventurus ſis, neſcio; præterquam enim quod oppido nondum dedito incertus ſim de diſceſſu, vereor ne uxoris meæ, Hagâ Vetaliam propter negotia familiaria fatis ardua petentis, adventus me ad dies aliquot Vetaliæ detineat, ut rebus ex ſententia illic confectis unà cum illâ domum redire queam. Expediam tamen me quam potero citiſſime, ut, ſi fieri poſſit, conſilio & auxilio tibi adeſſe queam; quod ſane ego vel maxime optarim. Si autem voto noſtro hic frui non detur, habebis ibi quamplurimos pietate, eruditione, & prudentia præditos viros, qui de omni re æquè ac ego ipſe te inſtruere poterunt, quin etiam accuratè ad notas illas tuas in ſcriptum noſtrum reſpondere, ac ſcripti ſententiam plenè explicare: illi præſertim, qui literis illis ſub diſceſſum tibi traditis ſubſcripſere. Quis ille libellus ſit non tuus, de auctoritate ſacræ Scripturæ, cujus auctorem primum anonymum eſſe dicis, & de cujus editione cogitas, divinare mihi difficile eſt: vidi tamen quendam iſtius argumenti, nomen (ſi benè memini) Dominici Lopez fictum præ ſe ferentem, cujus autor Socinus prædicatur. Hic ſi eſt, vide etiam atque

Ep.151. etiam, ne vel ex ejus editione te magis ſuſpectum reddas; quamquam in eo nihil eſſe putem quod non & nos ambabus manibus amplectamur. Ita enim animi multorum comparati ſunt, ut adverſarios, ne vera quidem & eadem quæ nos dicentes, ſuſtineamus, præſertim illos, quorum vel ſolum nomen fœtet naribus noſtris. Hæc non ut editionem diſſuadeam dico, ſed ad cautelam tantum moneo, nimis fortè audacter, ut qui prudentiæ tuæ & pietati longè exquiſitiſſimæ totum illud committere debeam. Sed fortè is non eſt, quod videbimus ubi prodierit. Utinam autem tibi libeat, Deo ita animum tuum flectente, vocationi huic Lcidenſi obtemperare, & hunc libellum inſcribere Ampliſſimis iſtius Academiæ Curatoribus? maxime hoc utile futurum ſpero: addita in præfatione inſigni commendatione ipſarum S. Scripturarum, & modi quo tractari cum in Scholis tum in Eccleſia debeant: habes igitur & hic judicium meum. Jam addam aliquid de iis quæ hic geruntur, & primo de Eccleſiaſticis. Cum ampliſſimus Dominus Zeiſtius & ego, à vobis abeuntes, Veſaliam appuliſſemus, venit & eò D. Fontanus, caſtra noſtra peciturus, una cum alio quodam verbi divini adminiſtro, eo miſſus à Senatu Geldrico, SS. Miniſterium obiturus in caſtris apud Friſios & alios Belgas Ordinibus militantes: Hic in nos quum incidiſſet, petiit, an ex voto ſucceſſit vocatio inſtituta? valdè collaudans noſtrum de te vocando conſilium; addens etiam multa in tui commendationem. Reſpondimus prout debuimus; & quia illum audiremus tam effuſe inſtitutum noſtrum collaudantem, rogavimus illum, ne detrectaret cauſam tam bonam promovere, datis ad te literis horſum facientibus, ne vocationem detrectares; id enim Curatoribus Academiæ gratum, Eccleſiæ & Scholæ ex illius ipſius teſtimonio utile fore. Ille prolixe pollicitus eſt è veſtigio, ſe lubentiſſime ad te ſcripturum: verum quum adderemus, nuntium jam ad manum eſſe qui tutò illas curare poſſet, illarumque exemplar nobis dari peteremus, quo de ipſius quoque in Academiam ſtudio teſtari poſſemus DD. Curatoribus, (quod ego omnino futurum D. Zeiſtio prædixeram) tergiverſari & moras nectere occepit, deliberandi ſpatium petens in craſtinum: eo conceſſo, denuo monitus reſpondit, ſibi jam Duſſeldorpium abeundum, nec integrum eſſe ſcribere: velle primum mecum de toto negotio conferre; quod quum in caſtris fieri poſſet commodiſſime, malle ſe negotium eouſque differre. Nos riſimus, hominiſque ingenium & mentem ſatis ſuperque perſpeximus. In ipſis autem caſtris ſæpius quidem invifit me; verum quum ille ejus rei mentionem nullam ab eo tempore injecerit, ego etiam amplius urgere nolui. Hoc exiguum eſt. Aliud accipe. Habita fuit harum ditionum Synodus Marcoduri, cui interfuerunt, fratrum rogatu, Sculteros & Fontanus. Sæpius vidi utrumque colloquentem, & aliundè reſcivi Eccleſiaſtica inter illos tractari: antequam etiam coiret Synodus, illam habendam ſcivi: vix etiam ſolutus fuit conventus, quin mihi renuntiatum ſit quid actum fuerit: verum quia animadverti illos hoc ſtrenuè apud me diſſimulantes; & ego pari diſſimulatione utendum ad tempus duxi. Actum inter reliqua de conſtituenda formulâ fidei & doctrinæ, in quam jurare omnes harum ditionum adminiſtri tenerentur in poſterum: nihil tamen iſto conventu de eo ſtatutum, ſed rejectum negotium in alium, & quidem celebriorem conventum, habendum v 1. Septembris Duysburgi, ad quem denuò evocandi Sculteti & Fontanus. Hic ego apud me volvi & revolvi, annè bona conſcientia tacere poſſem, veritus ne ejus diſſimulationis ratio mihi aliquando coram Deo reddenda eſſet, ſi ne ſaltem aliqua ratione commoda obviam ire conarer malo, quod inde exſiturum tandem prævidebam (vel noſtro exemplo monitus) ſi ita præciſe in hominum verba juraretur: hoc enim directè contrariare judicabam cum divini verbi auctoritati, tum moderatæ iſti & veræ Chriſtianæ libertati, quam nos locum in Eccleſia Chriſti habere debere judicamus. Pertentare igitur primum D. Sculteti animum eminus conſtitutum fuit; quod ita ſucceſſit, ut de ipſius candore perſuaſus, quin & ſpe certa fretus, fore ut in moderatiorem inclinaret partem, tandem planius me illi aperuerim, & rotundè dixerim, me intellexiſſe hoc agi: metuere autem me, futurum ut, niſi prudenter & adhibita moderatione Chriſtianâ negotium adminiſtretur, magis noxam adferat veritati & bono Eccleſiæ, quam commodum: ſimulque expoſui, quid de tota iſta re, de auctoritate nempe illa quam ejuſmodi formulæ in Eccleſia obtinere debeant, ſentirem: ſimulque illi memoriam refricavi eorum, quæ ille ipſe mihi faſſus fuerit, quum poſtremum Hagæ me compellaſſet. Summa hæc fuit, omnino moderatam aliquam libertatem eſſe concedendam Eccleſiis, ſi illas ſalvas velimus. Hic ille aperte mihi expoſuit, ſe hac in re prorſus eſſe ejuſdem mecum & etiam tecum (nam & præfationis tuæ injecta mentio) ſententiæ, ac valde perplexum hærere, quo tandem modo in eo qui jam habendus eſſet conventu rem ita inſtituere poſſet, ne ejuſmodi aliquod decretum, quale à quibuſdam urgetur, fiat. Addebat, ſe valdè metuere, ne maximè ſibi adverſantem habeat D. Fontanum, quem inprimis hoc decretum urgere dictitabat. Hic ego, mirari multos dicebam, quare Fontanus potius ad illum conventum vocetur quam ego; imo exiſtimare quoſdam, hoc non fieri ſine aliquâ meâ injuria, ac ſi ſuſpectus habear à fratribus: vel enim neutrum eſſe vocandum, vel utrumque. Hic bonus ille vir totum negotium mihi aperuit, & quod animus mihi præſagit, Ep.151.

Ep.151. ſigiit, ita veritati conſonare declaravit, ut jam nihil fere lateat omnium illarum artium, quas adhibere ſolent illi, qui dominatum illum quem nos abominamur affectant. Simulque mecum inire cœpit conſilium, qua ratione obviam iri queat. De quo etiam aliquid inter nos ſtatutum. Hæc narro, non modo ut videas & hic me peti, quanquam fruſtra; verum ut mecum gaudeas de iſtius viri moderatione, adeo ut hac quidem in parte optima quæque de illo mihi perſuadeam. Hic meminiſſe te volo eorum, quæ in horto aulico Steinfurtenſi de hoc viro mihi diceres, quantoperè nempe exoptandum eſſet ut hic ad moderatiores partes perduci queat. Addam jam aliquid de hac obſidione. Arx eſt munitiſſima, & ita quidem, ut Antwerpiana exceptâ, munitiorem non viderim: imo Antwerpianam hac in parte ſuperat, quod terra circa hanc fuſa mollior ſit & cuniculis ducendis (hiſce enim maxime jam bellum geritur) admodum opportuna. Hæc autem admodum petroſa eſt, quam non niſi maximo labore, præſertim quæ ipſi arci propinquior eſt, penetrare & perrumpere potuimus. Incredibili interim labore, ſagacitate, & diligentia illuſtriſſimi Principis noſtri tandem effectum, ut perrupto aggere qui arcem cingit, & ſuperata foſſa, in ipſum murum amplius quam octo vel novem locis penetraverimus, adeo ut unius præſertim propugnaculi muro & valle magna ex parte tormentis noſtris, per aliquot horas ſine ulla ceſſatione in murum ejaculantibus, partim, partim etiam pulvere tormentario muri parti immiſſo, dejectis, de deditione heri agere inceperint præſidiarii, & hoc obtinuerint, primum, ut ab armis ceſſatum ſit. Induciæ igitur fuerunt ab horâ veſpertinâ quinta heſternâ, quæ etiamnum durant. Intereà agitur de conditionibus; & jam quidem, quod ad Juliacenſes, tranſactum eſt; verum quia eadem tranſactione tenentur etiam Bredebenſes loco cedere, neque hoc polliceri auſus fuit Ruſſenbergius, niſi, pertentatis primùm præſidiariorum animis, miſſus eo fecialis jam ante bihorium, qui nondum rediit. In ancipiti igitur verſamur ſtatu, ad hos Bredebenſes quod attinet. Juliacenſes autem cras loco ceſſuros puto; quorum conditionibus ſi ſtare Bredebenſes recuſarint, eò exercitum primo quoque die poſt occupatum Juliacum transferendum puto. Si de conditionibus quæris, manent gubernatori & militibus omnia ſalva, vita, arma, fortunæ omnes, & ſi quæ habent impedimenta & ſupellectilem privatam. De Religione Papiſtica etiam cautum, fore ut illi impedimenti nihil adferatur: noſtris intereà non excluſis, ſi qui ſunt qui religionis exercitium velint. Hæc de conditionibus nuntio, non ex certa ſcientia, ſed ex relatu; re enim nondum prorſus tranſacta poterit fieri aliqua mutatio. Coloniam Imperatorii, Saxonici, & Brunſvicenſes commiſſarii advenisſe dicuntur, ut totum negotium inter Impera- Ep.152.
torem & Principes componant. Bene factum, quod interea Juliacum Ruſſenbergio ereptum ſit; ſic enim compoſitio reſpectu Principum facilior erit: verum quis rem componet inter ipſos Principes? hoc opus, hic labor. Manifeſta profectò ſunt æmulationis indicia, quam Religionis ipſius diſſenſio haud parum fovet & auget. Spirarunt & ſperarunt noſtri per has ditiones ubique Reformatam Religionem hac occaſione invehendam: quin & Colonienſibus & Aquigranenſibus nos armis noſtris libertatem Religionis & exercitium publicum procuraturos. At vereor nondum eſſe tempus reſtitutionis regni Iſraëlitici. Ego, ſi qui ad me accedunt harum ditionum Miniſtri, patientiam, modeſtiam & preces ad Deum ſuadeo, ne, ſi præcipitanter quid egerint, ipſorum Principum & aliorum offenſam incurrant, & odia ſibi potius quam benevolentiam concilient. Brandenburgicus tamen ſe admodum favere Religioni Reformatæ oſtendit, Neoburgicus contra. O diſſidium Lutherano-Calviniſticum Eccleſiæ Chriſti pernitioſum! Et quis tamen de eo componendo ſerio laborat, ac ea quæ adhiberi deberent media adhibet? Rem hanc omnem, & alias, cum privatas tum publicas, tuam etiam iſtam, Deo commendemus ardentibus precibus, quas ut exaudiat, tibi tuiſque largiter benedicat, etiam atque etiam rogo. 1 Septembris 1610. ſub noctem, & quidem inconcinne ſatis. Excuſabis omnia in

Tui ſtudioſiſſimo
JOHANNE UYTENBOGAERT.

CLII.

JOHANNI UYTENBOGARTIO

ABRAHAMUS SCULTETUS S.P.

REverende & Clariſſime Vir, frater plu- *Eccleſiaſtæ.*
rimum honorande. Laboravi fruſtra apud fratres, ut, quod unice exoptaram, nobis adjungereris: reſponſum enim tuli; totius Synodi eſſe vocare exteros. In quo nos acquieſcere idcirco oportuit; ne viderer vel leges receptas violare, vel auctoritatem mihi ſingularem in fratres vindicare: quorum illud injuſtitiæ, hoc arrogantiæ eſſet. Dabo tamen operam, ſi convenerimus, ut præjudicare conventus exteris non poſſit. Quatuor libellos, quos ſeorſum nuper in menſa reponebamus tua, ſi per hunc miniſtrum meum mihi legendos miſeris, in beneficii loco numerabo. D. Vorſtii literas, in quibus honorificam tui mentionem facit, heri accepi: ex iiſque intellexi, illum nondum omne propoſitum ſui ad vos adventus abjeciſſe. Crediderim ego, vix alium virum æque atque hunc Academiam veſtram illuſtrare poſſe. Bene & feliciter vale, Reverende frater, & me ama. Sic te amet Chriſtus. 4 Septemb. 1610.

CLIII.

Curatoribus Academiæ Leydenſis,

Prorector & Senatus Scholæ Steynfurtenſis S. P. D.

De vocatione Vorſtii ad Academiam Leydenſem.

NObiliſſimi & Ampliſſimi Viri Domini honorandi;

Tranſit ad vos Reverendus & Clariſſimus Vir Dominus Conradus Vorſtius SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor, Collega noſter honorandus, ut promiſſo quo V. V. N. N. & A. A. per Dominos Legatos ex nuperrima vocatione tenetur, ſeſe exolvat, & collata utrinque ſpirituali Eccleſiæ ædificatione & fructu, (quo unice ſe collimare ſolemniter non ſemel eſt teſtatus) vel laudatiſſimæ Academiæ veſtræ ſeſe adjungat, vel, quod maxime optamus, noſter revertatur. Nec immerito id ſperare jubemur, ſi rationes, quas valde prægnantes habere putamus, legitime examinentur & trutinentur.

Primo igitur cogitabunt V.V. N.N. & A.A. hic longe alium Eccleſiæ & Scholæ ſtatum eſſe quam Lugduni, magiſque lubricum & periculis tam ſpiritualibus quam corporalibus obnoxium: cum ibi omnia confirmata & pacata; noſtra vero ſchola medio Papatu hæreat, qui jamdudum excluſus à vobis, imo acerrimis & virulentiſſimis adverſariis ſubinde impugnetur, quibus non mediocre gaudium, vel hac migrationis ſpe ſaltem, injectum, cum dolore jam aliquoties intelleximus.

2. Huic accedit, quod Academia veſtra doctis Theologis abundet; noſtra vix unicum hunc foveat, quo erepto, è multorum animis quicquid ædificatum corruet penitus, aut graviſſime periclitabitur: E contra non mediocre calcar hoſtibus fidei accedet Paſtore tranſlato; ut facile & prudenter æſtimare poterunt, quibus loci hujus conditio non obſcura.

3. Ulterius & hoc addendum, quod duplici officio, Eccleſiaſtico & Scholaſtico fungatur, & per conſequens diſpendium non ſimplex, ſed geminum inde exurgat.

4. Immo cum natus ſit in his regionibus, ſimplicium imbecillitati longe felicius ſuccurrere poteſt, quam alius quivis, etiam doctiſſimus, aliunde vocatus.

5. Nec obſtat, ad auguſtiorem locum & numeroſiori cœtui præficiendum vocari; cum ſacro codice palam ſit, plus eſſe coram Deo, unum à ſalutari fidei tramite devium revocare, quam nonaginta novem officio fungentes confirmare.

Sunt & plures rationes (hæ tamen præcipuæ) Dominis Legatis à Generoſis Dominis noſtris coram explicatæ, quæ ob epiſtolarem brevitatem omitti poſſunt.

Rogamus igitur, ut V. V. N. N. & A. A. bene ponderatis argumentis, pro ſua prudentia huic interceſſioni noſtræ, quæ non tam Dominum Collegam (qui forſan commodius ibi haberet) quam publicam Eccleſiæ & Scholæ ſalutem reſpicit, locum dare, ipſumque vel plane nobis, vel ſaltem ſuæ libertati relictum, ſine compedibus remittere velint, ut ita tandem cum Illuſtri Magiſtratu & amicis re deliberata, amicam hanc controverſiam ipſe expediat, nec tam rationibus quam authoritate veſtra victus acquieviſſe putetur. Ep. 154

Nos viciſſim noſtra qualiacunque ſyncero & lubenti animo offerimus, & V.V. N.N. & A. A. divinæ protectioni ad ulterius Eccleſiæ & Reip. incrementum, etiam atque etiam commendamus. Scriptum Steinfurti in Weſtphalia 6 Septemb. Anni 1610.

CLIV.

Illuſtri & Generoſo Comiti

WELHELMO HENRICO

Curatores Academiæ Leydenſis S. P. D.

ILluſtris & Generoſe Comes,

Præmiſſa debita ſalutatione, cum voto rerum omnium ſecundarum, mutuaque officiorum noſtrorum oblatione; Ex relatu Deputatorum intelleximus difficultates omnes & gravamina, quæ Ill. Gen. Veſtra cum Generoſis fratribus ſuis, movet in dimiſſione D. Conradi Vorſtii S. Theologiæ Doctoris, cujus nos operam ad Academiæ noſtræ conſtitutionem requiſivimus. Sed & eorundem nobis gravaminum memoriam refricuerunt litteræ Ill. Gen. veſtræ, quas nos juxta ac par fuit, etiam atque etiam diligenter examinavimus. Cæterum rebus omnibus utrimque excuſſis perpenſiſque, imprimis autem illo capite, utrum D. Vorſtius in Illuſtr. Gen. veſtræ Schola, an vero in hac Univerſitate noſtra uberiores ad Remp. Chriſtianam fructus proferre poſſit; licet abunde exiſtimemus à Deputatis noſtris Ill. Generoſ. veſtræ, & Generoſis fratribus veſtris eſſe ſatisfactum: tamen ſperamus Ill. Gen. veſtram haud ægre laturam, ſi D. Vorſtii dimiſſioni iterum per litteras inſtemus; eo quod diſpar omnino videatur futura ratio commodorum Univerſitatis noſtræ in illo conſequendo, & incommodorum Scholæ veſtræ in illo dimittendo. Sepoſitis enim omnibus aliis ipſius dotibus, quas in ipſo ſingulares agnoſcimus, cenſemus Univerſitati noſtræ hoc tempore ante omnia opus eſſe viro aliquo gravi, moderato, prudenti, pio, qui ad ſopiendas contentiones obortas & diffidentiæ ſemina reſtinguenda, conſilium & operam conferre poſſit. Quum autem virtutes iſtas in D. Vorſtio deprehendamus, ſperandum eſt, ſi quid commodi

Ep. 154. modi ab Ill. Gen. veſtra ad nos ex ipſius perſona promanarit, id principium fore longe maximi boni, temporiſque progreſſu ad pacem & concordiam omnium Eccleſiarum Euangelicarum redundaturum. Etſi vero ob hæc ipſa ſatis nobis cauſæ fuiſſe videatur, cur finalem & abſolutam reſponſionem hic à D. Doctore urgendo potuerimus exigere: tamen voluntati Illuſtr. Gen. veſtræ & D. Vorſtii petitioni hoc libenter detulimus, ut operam ſuam nobis non ante addiceret, quam Illuſt. Gen. veſtram de omnibus feciſſet certiorem. Quod quidem ipſum plene ac bona fide facturum confidimus. Neque dubitamus, quin ipſo illo, qui hic in re præſente, hoc eſt, in ipſa arena fuit, audito, Illuſt. Gen. veſtra judicatura ſit, propoſitum iſtud noſtrum non modo non eſſe impediendum, ſed omnibus modis promovendum potius, fauſtiſque acclamationibus proſequendum. Præterea, (quod Ill. Gen. veſtra per epiſtolam, ipſe vero Doctor Vorſtius etiam verbis ſuis ut fieret rogavit) audivimus reſponſionem ipſius ad capita accuſationum & calumniarum, quibus intellexeramus illum per quoſdam male feriatos homines gravari; idque ex occaſione cenſuræ cujuſdam Theologorum Heidelbergenſium ſuper libro ejus de natura Dei: quæ quidem cenſura ad petitionem quorundam concionatorum, præ ſe ferentium titulum Deputatorum Synodi, calide concepta, præpropere tranſmiſſa, & imprudenter vulgata eſt. Enimvero ſenſimus nos haud leviter hoc facto commotos: quandoquidem Ariſtarchi illi eo uſque ſe dederunt, ut vivis pariter mortuiſque inſultarint; neque vero virgulam ſuam centoriam ab illis abſtinuerint, quos neque viderunt ipſi unquam, neque cognoverunt. Proinde nihil præcipiti iſta atque inconſulta agendi ratione permoti, declarationem Doctoris Vorſtii audivimus, expendimus, intelleximus, probavimus: idemque factum à Nobiliſſimis atque Ampliſſimis deputatis Ill. DD. Ordinum accepimus, prout Illuſt. Gen. veſtra ex litteris ipſorum plenius intelliget. Neque vero ſufficere ipſis viſum fuit, ſi bona conſcientia ſatisfactum ſibi teſtarentur; niſi inſuper quoque nobis injungerent, ut in evocando quamprimum D. Vorſtio, apud Ill. Gen. veſtram inſtaremus. Quum ergo minime dubitemus, quin Ill. G. V. facilem ſe præbitura ſit in tam honeſta petitione noſtra, utpote in qua plurimum ſitum ſit ad procuranda Chriſtianæ Religionis incrementa, & fovendam vicinitatem amicitiamque mutuam, quæ Ill. G. V. & Generoſis fratribus veſtris cum Ill. DD. Ordinibus noſtris intercedit, rogabimus Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut Te Ill. Generoſe Comes, cum Generoſis fratribus ſuis, conjugibus, liberis, clypeo benignitatis ſuæ protegat ac defendat, inſuperque omnibus cum animi tum corporis bonis locupletet. Dat. Lugdun. Batavor. 22 Octobris Anno 1610. Ep. 155.

Ill. G. V. addictiſſimi Curatores Univerſitatis & Conſules Reip. Leidenſis: eorumque nomine

NIC. SEYSTIUS.

CLV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

CLariſſime domine Doctor: incolumem te Daventriam perveniſſe, ibi docuiſſe, honorifice exceptum fuiſſe, omnia domi ſalva eſſe intellexiſſe, gaudeo & gratias ago bono & benefico noſtro Deo. Spero porro te jam apud tuos eſſe, & quietiore aëre frui; quod an fiat, quomodoque res omnes eo loci habeant, ſcire ex te ſummopere deſidero. Ego etiam poſtero poſt tuum diſceſſum die, mane Amſterdamo profectus circa tertiam pomeridianam Leidam veni, unde relicta epiſtola tua in D. Bertii manibus (Borrius ſiquidem nondum Ultrajecto redierat) quo illam legeret, judiciumque reliquorum qui ibi ſunt fratrum ſuper ea re exquireret, ſub veſperam domum redii. D. Barneveldium cum quartana conflictantem repperi; eâ tamen remiſſâ, quia habet melius, quid Amſterdami actum expoſui. Expoſui idem & aliis amicis: Principi, at obiter. In tuo negotio, dum Amſterdami hæreremus, hoc accidit. Dordracenus Magiſtratus, audito decreto Ordinum de te vocando poſt explorationem tuam ſuper articulis excerptis factam, deputatos tres miſit Hagam, cum deputatis Ordinum expoſtulaturos de hoc decreto, ſimulque rogaturos denuo, ne pergeretur, ſed omnia ad comitia Ordinum ſolennia referrentur: ſin minus, ſe proteſtari velle. Audito tamen D. Barneveldio, (quem obnixe rogabant vocationem hanc ne ita urgeret, imo negotium hoc deferre vellet) unquum nempe eſſe quod peterent, nec magnam eſſe cauſam cur ita illi authoritatem publicam conculcatam vellent, neque jam poſſe Curatores pedem referre, acquieſcere viſi, & omiſſâ proteſtatione domum reverſi ſunt. Poſtea tamen denuo ſcripſerunt, & articulos, quorum hic vides exemplar novum, tranſmiſerunt. Excepta illâ urbe (in qua tamen etiam haud pauci moderati) pacata omnia hactenus. De collatione Amſterdamenſi ſic ſcribit Remus noſter, varia ſpargi, & ab intelligentibus rerumque peritis honorifica de te omnia. Apud ignobile autem & zeloſum vulgus (ignoratur tamen an D. Plancio vel hoſpitibus ſuis authoribus) hæc muſſitari. 1. Plancium ita te exagitaſſe, ut metus ſit ne tabem inde contrahas, & ipſam denique mortem: facile id ſiquidem fuiſſe cuivis ex vultus mutatione col-

Ep. 145. ligere. 2. Me etiam, ut harum turbarum authorem unicum, ita impetiſſe, ut ne hiſcere quidem auſus fuerim, & ad objecta ejus ne verbo quidem reſponderim. 3. Te culpam & errorem faſſum eſſe in nomine Jehovæ, emendationemque pollicitum. 4. Te apud Conſulem Boelens faſſum, te authorem eſſe libelli, cujus quaterniores oſtendit Plancius; poſtea autem in collatione id ipſum negaſſe te, eoque nomine te graviter fuiſſe à Conſule objurgatum. 5. Plancium voluiſſe notarios, te vero recuſaſſe. Pene eadem mihi ſcripta Trajecto. Reſpondi diferte ad omnia litteris meis, & pura puta figmenta eſſe oſtendi. De Conſulum autem judicio nihildum mihi conſtat, niſi quod in genere intelligam, non infructuoſam fuiſſe collationem. Comitia Ordinum nondum habita propter D. Barneveldii morbum, nec dum proxima ſeptimana habenda. Unde & illis non exſpectatis Trajectum ſub finem proximæ hebdomadis concedere decretum. Tu nihilominus litteras tuas ad me Hagam inſcribito: Remus enim (quo internuntio utimur) intelligens me Trajecti eſſe, eo facile mittet. Libellum qui ibi ſub prælo eſt, exemplum videlicet ejus quod habeo, obiter inſpexi. Falli videris in eo, quod alicubi Jeſum Nazarenum digniore appellet voce & titulo, nempe, uti dicebas, Filii Dei, redemptoris, &c. ubique enim æque dilute. Vide hoc ne corrigi queat in ipſa editione, & ad me perſcribe de quaterniombus iſtis, quomodo, qua fide tranſmiſiſ. Epiſtola tua D. Barneveldio placet; qui tamen illam Curatoribus (quod etiam apud nos ſtatutum) ac Ordinum deputatis inconſultis edi noluit. Habentur in diem Lunæ Curatorum comitia: re ibi deliberata mox prælo committetur. At vereor ne poſt feſtum. Pergendum tamen & faciendum officium. De Becani libro nihil audivi, inquiram. Tu exegeſin tuam para. Noſtri hic perſtant in ſententia de te vocando, rogantque me obnixe, ne deſinam te urgere, ut ne ulla ratione patiaris nos voto noſtro excidere: quod etiam nunc facio. Si tamen, quod Deus avertat, in ſiniſtriorem inclinaveris partem, rogo id ne mox Dominis Curatoribus perſcribas, ſed mihi, & quidem ſoli, indices, neque vocationem publice excuſes, niſi ubi meum reſponſum videris. Hoc tibi à me perſcribi voluit Barneveldius. Interea habebuntur Comitia, in quibus ſi quid acciderit ſcitu dignum, fideliter indicabo. De citationibus ad loca deſignata curabit Bertius. Germani tui negotium Principi illuſtriſſimo commendavi, & commendabo porro. Adjeci ad epiſtolam tuam quæ voluiſti. Emolliri autem iſta non tulit D. Milius, qui reſpondit opus non eſſe. Fiet tamen aliqua emollitio. Neſis ſollicitus de abitu meo Trajectum, nam & ibi reſciſcam omnia quæ hic fient. Ex deputatis Ordinum tres miſſi ad claſſem Leidenſem expoſtulaturi ſuper iſta inobedientia, de qua inaudiviſti cum hic eſſes, commiſſa videlicet adverſus decretum Ordinum Ep. 156. de ferendis fratribus in quinque illis articulis ſecus ſentientibus: ſimulque ſententias ſingulorum ſe præſentibus rogaturi. Longe major numerus obedientiam pollicitus, reclamante, & ita quidem ferociente, inſolenterque ſe gerente Feſto, ut omnem pene fidem ſuperare retulerint Deputati. Si ſic authoritatem ſuam tueri & ſtabilire perrexerint Ordines, bene habebunt omnia, Deo propitio. Idem ille ita etiam in me, quantumvis abſentem, debacchatus, ut qui præſentes aderant mirari ſatis hominis importunitatem nequiverint. Emiſſum aliquid denuo adverſum me. Concionem habui ante viginti annos, de jure Eccleſiæ in vocatione miniſtrorum: ibi quædam dixi non admodum conſentanea illis quæ jam ſtatuo in Tractatu meo. Concionem illam tum, pro juvenili ardore & inexperientia, amici unius aut alterius rogatu exciſeram, illiſque exemplar dederam. Hoc aſſervatum hactenus à D. Ruardo Acronio Schiedamenſi miniſtro editum, præmiſſa epiſtola ſua dedicatoria ad omnia conſiſtoria Hollandiæ utriuſque. Finis eſt, ut oſtendat me aliquando ſecus enſiſſe, & ita quidem tum adverſus nuperam hanc ſententiam dixiſſe, ut ipſe fundamenta hujus mei tractatus jamtum plane everterim. Ex Apologia quam paro conſtabit quam importunum, ineptum & falſum hoc ſit. Editio concionis facta præter mandatum Ordinum. Ordines exemplaria ubique perquiri & ſupprimi, me tamen inconſulto, voluerint: quod nollem factum: ita ſiquidem major mihi conciliabitur invidia. Ad me autem quod attinet, tantum abeſt ut vel tantillum movear, ut contra gaudeam, occaſionem tam divitem mihi natam aliquid dicendi. Sic furit Satan. At major qui in nobis eſt, quam qui in mundo eſt. Nil quod perſcribam præterea, habeo. Vale igitur, Vir Clariſſime, & me, quod facis amare perge. Salveat generoſus Comes, D. Reigerus, D. Timplerus etiam, cujus viri amicitiam, ſi ea dignus ſum, ambio. Uxor denique & tota familia ſalveant in Domino. Haga 7 Novemb. 1610.

Tui ſtudioſiſſimus

J. UYTENBOGARDUS.

CLVI.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

CLariſſime vir; litteras meas, ſeptima hujus ad te datas, te jam accepiſſe ſpero, exque iis intellexiſſe, quis ſtatus rerum, tum publicarum, tum privatarum. Tuas Daventriæ mihi perſcriptas paulo ante acceperam; jam alias Steinfurto abs te exſpecto, quod jamdudum incolumem te eo perveniſſe & nudiusvitie

Eccleſiaſtes.

Ep.156. divisse quædam, quæ nostra scire interfit, omnino putem. Literæ tuæ consultis primò D. D. Ordinum deputatis, postea etiam D.D. Curatoribus, hic Hagæ prælo commissæ; quarum exemplaria aliquot tibi mitto. Nos scholarum & Ecclesiarum Gallicanarum curam habebimus, Anglicanarum etiam & Scoticarum. De Germanicis dubitamus, anne & citius & certius per te quam per nos curari poterunt. Tentabimus tamen mercatores nobis notos, & quam poterimus adhibebimus diligentiam. Utinam maturius ista curari potuissent! moram intulit D. Barneveldii consilium, de communicando negotio Ordinum deputatis & Curatoribus, qui conventum suum demum ante biduum absolverunt. Cogitavimus etiam de Lutheranorum Scholis & Academiis; verum non patitur inscriptio, & prohibent fortè rationes aliæ. Decrevi mittere litteras Marpurgum, Herbornam, Basileam, Tigurum, Lodannam, Genevam: nescio an plures sint nostræ Religionis Scholæ in Germania. Cogitavi etiam de pastoribus Heidelbergensibus, propter Sculteum & Piscum. Quid si & ad ipsam Academiam illam, ne saltem te inaudito pergant ulterius. Hæc exemplaria tibi usui erunt, reliqua nobis curæ erunt. Becani libellum jam vidisti. Non gravabor tamen adscribere, quæ ad te pertinent, si fortè libellus tibi nondum visus. Libello titulum fecit, *Examen Plagæ Regiæ*. Examinat primò quis author sit Plagæ Regiæ; eumque merito suspectum dicit, quia Calvinista est. Mox ita sermonem prosequitur.

» Quis autem nesciat, quam atrox, blasphe-
» ma & pestilens Calvinistarum doctrina sit?
» Hactenus palam docuerunt hos Aphorismos.
» 1. Deum esse authorem peccati. 2. Deum
» prædestinare homines ad æterna supplicia, si-
» ne ulla ipsorum culpa. 3. Deum non sincerè
» sed simulate agere cum hominibus. 4. Chri-
» stum non esse mortuum pro omnibus. 5. Ima-
» ginem Christi crucifixi nullo modo in templis
» tolerandam esse. 6. Sanctos, qui dicuntur cum
» Christo regnare, esse larvas, bestias, car-
» nifices. 7. Peccatum originale non tolli per
» baptismum. 8. Nec reliqua tolli in justificatio-
» ne, sed tantum tegi, seu occultari. 9. Omnia
» justorum opera nihil aliud esse quam sordes,
» inquinamenta, & peccata mortalia. 10. Gra-
» tiam Dei non sufficere ad bene agendum.
» 11. Omnes filios fidelium esse sanctos ab utero
» materno, ac proinde non egere baptismo.
» At nunc ulterius progressi, non sunt contenti illis Aphorismis, sed hos insuper Atheismos
» adjiciunt. 1. Deum non esse infinitum. 2. Deum
» non esse ubique præsentem. 3. Incertum esse,
» an Deus secundum substantiam sit alibi præ-
» sens quam in cœlo. Et, quod inde sequitur,
» incertum esse, an Christus, cum in terris ver-
» satus est, fuerit verus Deus. 4. In Deo esse
» vera accidentia, realiter distincta à substantia
» Dei. 5. Decreta Dei (cujusmodi est decretum prædestinationis, aut reprobationis, aut creationis mundi) non esse ab æterno. 6. Æterni- „Ep.156.
» tatem non esse indivisibilem, & totam simul, „
» sed successivam. Ita Conradus Vorstius Cal- „
» vinista in tractatu de attributis divinis, quem „
» nuper edidit. Quid nunc sperare possis à Gra- „
» tiero, qui eodem spiritu Calvinistico imbutus „
» est? qui in eodem stadio currit, ut palmam „
» Atheismi consequatur. Hactenus Jesuita. „

Habes Vir Clarissime totam sectionem, quæ do hac re. Nusquam alibi in toto libello tui mentionem facit; eo verecundior nostris, quod sex articulis contentus sit, quum nostri disseminarint quadraginta, & amplius, quod notti. Libellus hic neglectus in officinis primum prostabat; sed simulatque innotuit aliquid eo contineri contra Vorstium, cum tanto studio & ardore perquisita fuere omnia exemplaria, ut nullum amplius Leidæ exemplum reperturus sis, etiamsi magno comparare velis. Reversus Leidâ domum Amplissimus Milius quæsivit apud me de hoc libello. Ego à te præmonitus Hagæ hunc mihi comparaveram, & totum perlegeram. Hunc autem locum integrum prælegi D. Barneveldio & Milio. Solutus uterque in risum, quum ex me intelligerent Aristarchos nostros adversum te producere velle hominem Jesuitam, & à quo illi ipsi tam acerbè perstringerentur. Hæc de Becano. In Exegeseos editione parcere huic Jesuitæ non debes. Libri tui de Deo & contra Bellarminum studiosè à doctis hic Hagæ perquiruntur & leguntur. Rescripserunt Curatores Dordracenis satis animosè. Nec vacillant vel tantillum in suscepto negotio; qui bona spe ducti, fore ut voto potiantur suo quod ad te attinet, strenuè pergunt. Mutatio Magistratus Leidensis jam facta: Vix magis idoneos & animosos, huicque causæ saventiores licuisset optare Consules: quod animum tibi additurum spero. Comitia Ordinum adhuc dilata propter D. Barneveldii morbum, qui nec intendit nec remittit. Quartana est quæ illum cruciat. Certò tamen habebuntur comitia circa vigesimum tertium vel vigesimum quartum hujus. Ordinum Deputati pergunt authoritatem suam per classes stabilire, novo & admodum fructuoso exemplo in classe Woerdanâ. Aristarchi ringuntur, coëunt, consultant, moliuntur & minantur dira: mira etiam prolaturi dicuntur proximis comitiis adversus libellum nostrum supplicem, & in me præsertim, qui jam tantum non publicè proscindor pro authore harum turbarum & hæreseum patrono unico. At non curo ista omnia ego, imò flocci facio, Dei nixus auxilio, & bonæ conscientiæ testimonio fretus. Imperterritus igitur sto, & exspecto quid futurum sit. Nondum concessi Ultrajectum, iturus Deo propitio hebdomade proximâ. Interea dedi & daturus porrò sum operam, ne quid Christi causa me absente detrimenti patiatur. Unum penè exciderat, rumorem esse, novas ab Heidel-

delbergenſibus ad Eccleſiam Dordracenam ſcriptas adverſum te litteras, quarum tamen tenorem reſcire nondum potui. Tu, Vir Clariſſime, quod promiſiſti effice in edenda Exegeſi, & mittendis, quæ deſiderabam, exemplaribus, maximè de deferendo Papatu. Vale, & animum tuum magis magiſque in nos propenſum fac ut brevi intelligamus. Saluta uxorem & omnes bonos. Hagæ 12 Novemb. 1610. Ep.157.

Tuus

J. UYTENBOGAART.

CLVII.

SIMONI EPISCOPIO

ADRIANUS BORRIUS S.P.D.

Narratio Collationis Vorſtii cum Plancio, aliaque.

AMiciſſime frater, Vir Reverende. Ante omnia tibi gratulor ſuper inauguratione in SS. Miniſterio, Deumque ſupplex precor, tibi ſpiritus prudentiæ & moderationis ut adſit, faxitque ut uberrimos fructus Regi & Domino tuo Jeſu Chriſto præſtes. Hoc exordio uti me decuit, quia nunquam antehac ex quo ad tam arduam functionem provectus es, compellare licuit. Varia eſſe ſcio quæ ex me audire diſcupis; itaque ut meipſum non confundam materiæ amplitudine & varietate, ordinem aliquem mihi proponam, & à remotioribus incipiens, paullatim progrediar, & de ſingulis aliquid delibans, tandem in eis quæ nuperrime contigerunt deſinam. Collatio Vorſtii cum Plancio primum locum occupato. Bis convenere præſentibus Coſſ. ſemel in turricula ubi ordinarie Coſſ. convenire ſolent, altera vice in ædibus Benningii. Die Dominica poſtridie quam appuliſſent audiverunt concionantem Plancium, & tractantem illud Euangeliſtæ ex *Pſalm.* CX. *Dixit Dominus Domino meo*, &c. quorum verborum occaſione vehementius quam antea invectus eſt in novatores, nihil aliud tota pæne concione inculcans quam novum Arianiſmum, Samoſatenianiſmum, & neſcio quas alias hæreſes; ita ut auditores egregie infarti hæreſeon monſtroſis nominibus templo exierint, eaque ratione optime comparati ad exſpectandum adventum Domini. Nominatim in hac concione detonuit in eos, qui nomen tetragrammaton יהוה, quod eſt Dei eſſentiale nomen, etiam creaturis adaptari aſſerunt; itemque qui illud Eſaiæ עד אב *Pater æternitatis* ad futuram æternitatem, hoc eſt, ad ſalutem æternam referunt. Adjecit alia ejuſdem generis, quæ jam non occurrunt, quia ſemel tantum D. Uytenbogardum hiſtoriam hanc commemorantem audivi. Prima collatio inter ipſos habita eſt die Mercurii XXVII. Octobris, à ſemiduodecima uſque ad primam, præſentibus tribus Coſſ. Benningio, Boelenſemio, Baſſio; atque tunc Plancius comitem ſive παρεδρὸν habebat I. Thomaſium. Hæc tergiverſationibus & captionibus meris à Stentore illo inſumpta, tandemque etiam abrupta fuit, ſub hoc prætextu, quod feſtum nuptiale ſororis ſuæ apud ſe celebraretur, quod mercator quidam dimittendus, litteræ ſcribendæ, & neſcio quæ alia agenda eſſent; adjecta ad finem obliqua quintatione, quaſi tempus hoc ſibi incommodum captatum eſſet à D. D. Vorſtio & Uytenbogardo, &c. Secunda collatio habita eſt poſtridie in ædibus Benningii, præſentibus omnibus Coſſ. Hoofdius enim interea domum redierat. Hic Vorſtius queſtus eſt de invectivis Plancii in ſe nunquam antea viſum, nunquam auditum, cum in concionibus aliis variis, tum in ea quam ipſe & Uytenbogardus nuper audiſſent; ſe multa in eo errata poſſe oſtendere quæ volens præteriret, ſed tantum acturum de illis quæ ſe tangerent. Dixerat, eos, qui nomen *Jehova* creaturis adaptarent, Arianiſſimum novum cudere. Hoc ante omnia taxavit Vorſtius, & os illud confidens urſit hac quæſtione; anne ille Arianiſmi jure inſimulari poſſit, qui in quibuſdam locis Scripturæ, Angelo mandatario, itemque templo Dei attribui nomen *Jehova* per tropum oenteret, hoc interea firmiter retento, nulli quam ſoli Deo proprie competere? Hic confidentiſſimo Stentori aqua hæſit; & merito, quandoquidem Vorſtio loca, ex Calvino & Mercero præſertim, ad manus erant ad ipſum confundendum. Diſceptatum deinde de reipſa ſatis diu, ubi argumenta Plancii parum ſtringebant, Vorſtii vero ita urgebant, ut nihil ad ea Plancius reſponderit. Progreſſi deinde ad locum Eſaiæ, rurſum eadem quæſtione qua antea in anguſtiàs redactus eſt notter hæreticomaſtix. Cæterum ut adverſarium ſuum referiret ille, produxit locum ex Tract. de Deo, ubi negat Chriſtum ut Mediatorem apparuiſſe unquam in V.T. exiſtimans ſe ipſum convictum tenore negatæ æternæ Chriſti Deitatis: ſed ſpe ſua fruſtratus fuit omnino, Vorſtio facillime nodum illum ſolvente, allata hac cauſa, quod Mediator ſit Chriſtus θεάνθρωπος proprie, hoc eſt, ſecundum utramque naturam; cum autem tunc temporis humanam naturam nondum induerit, non potuiſſe igitur in ea ſe conſpiciendum præbere. Ille autem ingeminans identidem illud Apocalypſeos, *Agnus occiſus ab initio mundi*, aliquid ſe Vorſtio negocii faceſſere arbitratus eſt: ſed Vorſtius prompta reſponſione illam opinionem illi ademit, oſtendens locum legi poſſe cum alia interſtinctione, ita ut temporis notatio non referatur ad occiſionem agni, ſed ad ſcriptionem in libro agni; addens, ſic Junium legere. Hac uſus occaſione dixit, ſic ipſum ſæpius errare, exiſtimantem ea quæ concepit, columnis cœli eſſe certiora magiſque firma; cum interea, ſi attenderet, continuo animadverſurus ſit facillimo negocio poſſe dilui. Hic Plancius longa ora-

Ep.158. oratione uſus ad oſtendendam neceſſitatem Articuli de Trinitate, autus eſt examinatorem agere, & quærere ex Vorſtio, anne orthodoxe de eo ſentiret? cum tamen D. Voritius in hac collatione ſæpius faſſus eſſet Chriſtum eſſe æternum Dei Filium. Ad hanc impudentiam commotior Vorſtius & paullulum vehementeſcens dixit, ſe non venſſe ut examini ſe ſubjiceret, ſed ut querimonias ſuas contra calumnias & invectivas Plancii proponeret, experireturque, ſi qua ratione mitigari, & ad magis Chriſtiane agendum in poſterum permoveri poſſet: ſed tamen ab ipſo poſtulare cauſam hujus quæſtionis, ſimulque ut oſtenderet, quonam pacto eſſet meritus, ut talis ſibi quæſtio proponeretur. Hic Conſule Hoofdio hac in parte adſtipulante Vorſtio, redactus eſt Plancius ad terminos non loqui. Negocio huculque producto, cum Vorſtio hac ipſa die eſſet diſcedendum, placuit illi ſiſtere ulteriorem diſputationem; gravi oratione interpellatis Coll. ut ne permitterent amplius in ſua urbe, ocello Belgii, viros innocentes ita publice proſcindi, famamque eorum lacerari; monito etiam Plancio, ut ſibi porro ab hujuſcemodi invectivis temperaret, quippe quæ non decerent Chriſtianum Doctorem, quæque non à ſpiritu Chriſti, ſed à ſpiritu carnis potius ortum ducerent: offerens illi quoad reliquas quæſtiones omnes, eas ut ſcripto conſignatas ſibi mitteret, ſe etiam ſcripto reſponſurum. Sic datis dextris diſceſſum, poſt actas Coll. gratias. Videntur non ſine fructu collationes habitæ. Si enim nihil aliud, certe modeſtia viri animos in meliorem de ipſo ſententiam traxit, præſertim conſiderantium immodeſtiam, malignitatem, confidentiam, denique & acerbitatem ejus quo cum commiſſus fuit adverſarii. Salvus autem, Dei gratia, domum pervenit, ibidemque omnia reperit ſalva; quemadmodum ex ipſius litteris ante ſex dies Steinfurti ſcriptis intelligimus. Nihil autem ex ſuperiore Germania adhuc audivit quod metum incutere viro conſtanti poſſit. Valde avet ſcire quid hic agatur, præſertim ab Ariſtarchis. Non videtur quicquam illi innotuiſſe de Becani Moguntini libello contra plagam Regiam Graſeri, in quo aperte ipſe perſtringitur, & ſatis quidem Jeſuitice, ita tamen ut fratribus noſtris Ariſtarchis itidem haud parcatur. Vobis forte libellus ille nondum viſus, itaque paucis attingam quid contineat de Vorſtio, quia Gomarus & alii zelotæ valde eo triumphant. Scripſit Graſerus Helvetius commentarium in Apocalypſin, dicatum Regi Magnæ Britanniæ, in quo hoc agit, & in eo totus eſt, ut oſtendat Papam eſſe Antichriſtum. Huic commentario titulum fecit *Plaga Regia*. Diſplicet hic liber Jeſuitis. In eum incurrit Becanus, & exiguo libello omnem auctori fidem derogare conatur. Inter argumenta ipſius hoc etiam unum, quod auctor ſit Calviniſta, quorum doctrina atrox, blaſphema & peſtilens cum Ep.158. ſit, facile colligi poſſe quam fidem mereatur. Hac occaſione recenſet quoſdam quos vocat Aphoriſmos, quos hactenus palam docuerunt, ad undenarium uſque numerum. 1. *Deum eſſe auctorem peccati.* 2. *Deum prædeſtinare homines ad æterna ſupplicia ſine ulla ipſorum culpa.* 3. *Deum non ſyncere, ſed ſimulate agere cum hominibus.* 4. *Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus.* 5. *Imaginem Chriſti crucifixi nullo modo in templis tolerandam eſſe.* 6. *Sanctos qui dicuntur cum Chriſto regnare eſſe larvas, beſtias, carnifices.* 7. *Peccatum originale non tolli per baptiſmum.* 8. *Nec reliqua peccata tolli in juſtificatione, ſed tantum tegi ſeu occultari.* 9. *Omnia juſtorum opera nihil aliud eſſe quam peccata mortalia.* 10. *Gratiam Dei non ſufficere ad bene agendum.* 11. *Omnes filios fidelium eſſe ſanctos ab utero materno, ac proinde non egere baptiſmo.* Poſt hos Aphoriſmos ſubjungit, quos vocat, Atheiſmos, & quidem ex Vorſtii Tractatu de Deo deſumptos, ut Jeſuitæ verba ferunt. Nexus & verba hæc ſunt. *At nunc ulterius progreſſi* (Calviniſtæ) *non ſunt contenti illis Aphoriſmis, ſed hos inſuper Atheiſmos adjicium.* 1. *Deum non eſſe infinitum.* 2. *Deum non eſſe ubique præſentem.* 3. *Incertum eſſe an Deus ſecundum ſubſtantiam ſit alibi præſens quam in cœlo; & quod inde ſequitur, incertum eſſe an cum Chriſtus in terris verſatus eſt, fuerit verus Deus.* 4. *In Deo eſſe vera accidentia realiter diſtincta à ſubſtantia Dei.* 5. *Decreta Dei (cujuſmodi eſt decretum prædeſtinationis; aut reprobationis, aut creationis mundi) non eſſe ab æterno.* 6. *Æternitatem Dei non eſſe indiviſibilem & totam ſimul, ſed ſucceſſivam.* *Ita Conradus Vorſtius Calviniſta in tractatu de attributis divinis, quem nuper edidit. Quid nunc ſperari poſſit à Graſero, qui eodem ſpiritu Calviniſtico imbutus eſt, qui in eodem ſtadio currit, ut palmam Atheiſmi conſequatur?* Hactenus Becanus. Antequam viciſſem ipſe librum, exiſtimabam magni aliquid ad guſtum Ariſtarchorum continere, audiens paſſim & videns eos geſtire lætitia: ſed jam nihili omnino facio. Nam ſi illi commode refutaverint ſeſeque extricaverint ex ſuis Aphoriſmis; certe Vorſtius æque facile ſe extricabit ex iis quos Jeſuita impingit Atheiſmis. Hactenus de Vorſtio, circa quem tamdiu hæſit calamus, ut jam properare cogatur ad finem. In noſtra claſſe comparuere 2. Novembris Depp. ex Collegio Ordd. Verlanius & D. Sebaſtianus; ſignificabant inaudiſſe Ordd. ſuas litteras & decreta inſuper habita hic fuiſſe, & examen inſtitutum contra quam mandaſſent; habere ſe igitur in mandatis, ut ſingillatim fratrum ſuffragia audiant, & deſcripto ex actis claſſicis impetrato ad ſuos referant. Propoſitione facta res intra horam confici potuiſſet, & illi ad ſuos reverti; ni Feſtus imprudenter, immodeſte, indecenter, denique & impuden-

Ep.157. ter oblocutus fuiſſet, totumque diem à duodecima uſque ad ſemiſeptimam veſpertinam ſuis blateronibus extraxiſſet. Mirati ſumus humanitatem Deputatorum, nec non & lenitatem atque patientiam, quam ego quidem pro exemplo mihi conſtitui proponere per Dei gratiam. Sed male nos habebat, quod cum illo homine veluti cum pari diſceptarent, paterenturque ipſum ſermonem aliorum interrumpere, refutare. Multa dicebat, in quibus potuiſſet impudentiae & malignitatis convinci; ſed quia nos collimabamus in ſcopum, in quem & Depp. intendebant oculos; hinc illa permiſimus praeterire. Acriter ſatis interdum ipſe fuit repreſſus, idque his vel ſimilibus verbis; ipſum non veniſſe in poſſeſſiones ſermonis; alios ex fratribus peraeque ſpiritu Chriſti ellc donatos atque ipſum; ipſum pro ſe ſententiam dicere debere, & tum conquieſcere; & ipſum conari alios fratres in ſuas partes trahere contra Magiſtratus mandatum, &c. Haec cum dicerentur, interdum reſidebat ipſius fervor, ſed ad breve tempus: ſimulatque enim quid audiret quod diſpliceret, & ſe poſſe in ſpeciem refutare arbitraretur, audacter interloquebatur. Ipſe ego, quamquam norim hominem, nunquam tamen exiſtimaſſem eo irreverentiae contra Magiſtratum ſuum provehendum, quouſque jam vidi & audivi provectum. Haec omnia palliantur praetextu conſcientiae, nec facile colorem plauſibiliorem quis inveniat. Labor autem omnis & anhelatio ipſius fruſtranea fuit; quia quinque tantum inventi fuere, qui ab ipſius partibus ſtabant, hoc eſt, quatuor praeter ipſum, Sprancknſius, Schuylius, Lodenſteinius terrae filius, Mich. Vorſchotanus. Reliqui omnes vel aperte obediendum eſſe Ordd. ſtatuerunt, vel ſaltem ſe ipſis non oppoſituros ſe ſpondebant. Valde male hoc ipſum habuit, ſed coactus fuit devorare. Si quicquam ſubodoratus eſſet de adventu Depp. proculdubio omnes animaſſet, etiam illos qui jam defecere; ſed quia improviſo factum, non potuit hoc facere. Sententia ipſorum fuit, gravari ſe in conſcientia manus imponere illis, qui ita venirent, quemadmodum iſti Articuli habent, nominatim in Articulo de perſeverantia; quia hoc ſit contra Scripturas, Confeſſionem & Catecheſin. Juſſus Collega meus producere vel unum ex Confeſſione locum, non potuit, ſed ad Catecheſin deflectere coactus fuit; unde quoque nihil allegavit niſi ad Articulum de ſpiritu reſponſionem, qui non eſt locus apertus, ſed unde tantum per conſequentiam dogma ſuum elicere potis ſunt. Itaque habemus Magiſtrum ſententiarum, nec non & Commentatores ejus, quibus adſtringamur utriſque. Objectum fuit, de pace & fraternitate Lutheranis oblata tam ſaepe, tam ſolenniter, qui tum ipſi & Paſtores ſuos habent, & alios in morientium locum quotidie ſurrogant: ſed haec objectio ſurda aure praeterita fuit. En quid in noſtra Claſſe contigerit. In Wourdana vero, quae die Ep.158. Mercurii proxima Bodegraviae habita fuit, felicius adhuc ſucceſſit res. Depp. enim iidem illic inexpectati comparentes, pauciſſimos invenere qui ſe opponerent ipſis, uno penè Ruylio, qui Neerdam abiturit, cauſam puritatis agente. Itaque tantum non omnia ſuffragia in bonam partem inclinarunt. Quo confecto, & hac regula examinibus inpoſterum poſita, non ſubſtitere Depp. ſed petiere (ut regulam ad praxim producerent, exemplumque primum ſtatuerent auctoritatis ſuae) à fratribus, ut Swanium ſeſe praeſentibus examinarent principaliter, & ſic porro in Miniſterio confirmarent. In hanc petitionem conventus etiam conſenſit; examen habitum eſt, Swanius ad Miniſterium idoneus judicatus, heri prima vice praeſentatus Eccleſiae, poſt quatuordecim dies publice inaugurandus. Reliqua omnia nihili facio prae hoc uno, & Deo meo gratias ago, quod eouſque ſemel tandem vel in uno res perducta ſit. En tibi jam litteras à fratre, qui in meis conquerebatur de ſilentio tuo, ſed poſtea ſignificavit te ſcripſiſſe 8 Novembris, ad quas litteras data occaſione reſponſurus ſit. Non videbatur illi placere quod inſtitueris propria quadra vivere. Tu habes cauſam & rationem cur ita facias. Non poſſum plura. D. Jeſus tibi adſit, & ſuo Spiritu uberrime te perfundat. Bene vale, mi frater. Alcmariani oculos videntur in te conjeciſſe, an te lubente? dubito. Lunae die 15 Novembris 1610. Sabbathi die ſcripſiſſem, ſed femina illa veſtras non comparuit apud nos.

CLVIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

CLariſſime Domine, Reverende Frater: Quas poſtremum ad me dediſti ambas accepi. Non reſpondi, exſpectans comitiorum exitum, quae poſt frequentem propter D. Advocati morbum procraſtinationem, tandem partim in D. Advocati aedibus, partim illo abſente habita, hunc in negotiis Eccleſiaſticis habuere exitum. 1. Plancius, comitatus quinque aliis deputatis, gravem querelam inſtituit adverſus quinque illos, quos libello ſupplici noſtro noſti adjectos, articulos; quos falſos eſſe dixit, verbo Dei, Confeſſioni & Catechiſmo contrarios, idque ſe probare paratum eſſe adverſum me (quem nominatim perſtrinxit, horumque articulorum architectum nominavit) & quoſcunque alios. Ordines poſtquam increpaſſent, quod adverſus eum, quem extra provinciam abſentem norat, dixiſſet, illi injunxerunt, ut ad proxima comitia comitatus quinque aſſeclis ſuis praeſto eſſet, veritatem accuſationis ſuae adverſus ſex alios ad ſui defenſionem vocandos, probaturus: Hinc vides no- Eccleſiaſtes.

Digitized by Google

Ep.158. novum & acre nobis imminere certamen. 2. Comparuit Hillenius Alcmarianus ille minister, Adolphi Venatoris adversarius, & ille stipatus Alcmarianis quibusdam civibus. Hi questi, quod Magistratus Alcmarianus Hillenium loco movisset una cum Consistorio, alium ministrum in Hillenii locum vocasset, novumque Consistorium erexisset; petierunt Hillenii & Consistorii veteris restitutionem, & etiam Adolphi & novi Consistorii abdicationem; & quædam alia satis audacter proposita postulata. Audito contra Adolpho cum suis, decretum ne Hillenius unquam in posterum pro Alcmariano ministro se gerat, & concionibus in ditione Alcmariana illi interdictum, electio novi Consistorii confirmata, permissum Magistratui Alcmariano ministerio Adolphiano uti, si ita videretur: hinc festo hoc natalitio Adolphus denuò ad suggestum admissus. 3. De tuo negotio hactenus merum silentium: sed sub comitiorum finem Dordraceni rogarunt, Ordines vellent authoritatem suam interponere apud Curatores, ne D. Vorstius ad professionem adhiberetur: hanc addentes causam, quod ista multis bonis viris displiceret. Responsum à Leidensibus cordatè. 1. Hanc rem ad Dordracenos non pertinere, sed ad Curatores & Leidenses. 2. Vorstium vocatum conscis etiam Deputatis Ordinum. 3. Vorstium substituisse Hagæ ad septimanas aliquot, accusatorum neminem prodisse, qui illi in os aliquid diceret. 4. Satisfeciisse illum Deputatis Ordinum super capitibus accusationis. 5. Brevi Exegesin editurum, qua se plenius declaret. Nequicquam tamen renitentibus Leidensibus suffragia rogata, quibus collectis, decretum totum hoc negotium permittendum Curatoribus & Leidensibus. Ita causa cecidere undequaque adversarii. Quid autem de tua vocatione postea senserint, quisque illis animus, habes ex illorum ad me litteris, quarum ad te exemplar mitto. Nondum tamen judicium meum ultimum de hac re tibi aperio, id facturus intra dies pauculos, ubi nempe paulò plenius de quibusdam constiterit. Interim velim te pares, & cogitationes tuas horsum magis magisque convertas: quantum enim animadvertere possum, Deus te huc vocat: ut manus laboranti sponsæ Christi porrigas. Ego adhucdum hic hæreo: sed vix subsisto, tam flagrans est in me fratrum odium, tanta sustinenda invidia, tot me excipiunt hic in urbe patria labores & molestiæ. Bis terve libellis famosis, quos Pasquillos vocant, sparsis partim per urbem, partim ad hospitii mei portam affixis, impetitus fui, iisque virulentissimis, & ad commovendam Rempublicam omninò compositis. Inquisitio à Magistratu, me non modò non petente, sed inscio etiam, super hac re instituta: comprehensi quidam non authores, sed seminatores, & in carcerem conjecti; tandem nominatus quidam, qui vocatus à Magistratu, comparere recusavit: misso sub-prætore qui hominem refractarium adduceret, ille, dum filius tormentum, ad hoc paratum ut videtur, displodere parat, & imparatum sub-prætorem ab ædibus arcet, aufugit, quem mox etiam secutus filius. Quod quum ignoraret sub-prætor, denuò una cum prætore & duobus lictoribus missus, cum in ædes irrumpere tentaret, plures in illis conspecti cives districtis gladiis ad arcendum prætorem: quod & factum, ita ut prætor cum suis re infecta redierit. Quum hoc sub vesperam accidisset, ne quid turbarum oriretur intempestâ nocte, Magistratus excubiis probè dispositis omnia in silentio continuit: illucescente autem die, præsidiarium militem in armis esse jubet; at fuga dilapsi omnes, qui isti negotio se immiscuissent. Citati postea publico programmate: rediêre quidam causam dicturi, quidam emanent: & adhuc lis pendet. Jam omnia quieta sunt: suggillor interea ego, ac si in mei gratiam rigidiorem solito (magna enim fuit hujus populi licentia) Magistratus se præbuisset. Scripsi nuper de concione quadam mea ante viginti annos habita, cujus exemplar nactus Ruardus Acronius, edidit, ut concionem tractatui, & me mihi opponeret. Paraveram defensionem: sed quia D. D. Ordinum decretum, quo ulterior scriptio prohibita, transgredi nolui, editionem distuli dum haberentur comitia, & de illorum voluntate forem redditus certior. Interea libellus famosus in me prodiit, cum hoc titulo. *Van de berispinge der Predicanten ? Ende NEEN van Johannes Uytenbogaert*, id est: *de vocatione concionatorum ITA & NON, Joannis Uytenbogardi.* Dialogus est, cujus colloquutores hinc Johannes, illinc Uytenbogaert; Johannes loquitur in concione, Uytenbogaert in tractatu; hic negat, quod ibi affirmat, & affirmat quod ibi negat, cum præfatione virulenta & acerba, sine nomine authoris, loci, typographi: missa ubique exemplaria ad bibliopolas litteris anonymis. Omnia composita ut omni me authoritate, velut levem ac inconstantem, exuant. Valde me hæc res, fateor, commovit, & penè de statione dejecit; maximè quod videam tantum fratrum improbitatem & malitiam. Ad hoc scriptum etiam apologiam paravi, jam excusam; verum non audeo in lucem emittere, ne offendam Ordines, quibus visum optimum, ut primum illud meum scriptum adhuc differatur. Sic undequaque curæ, anxietas, molestiæ, quæ me tantum non enecant. Subsisto tamen per Dei gratiam, qui etiam supra spem, frustra ringente Satana, ministerio in hac urbe meo benedicit. Solatur etiam me, præter causam ipsam quam scio bonam esse, D. D. Ordinum constans in protegenda veritate sententia. Quid enim non speres boni, cum videas illos, etiam absente D. Advocato, tam fortiter egisse, & prudenter? Hæc te scire volui. Bertius de suis etiam rebus, ni fallor, scripturus est. Ep.158.

Ep. 159. Borrius qui ex lenta & continua febre decubuit, per Dei gratiam restitutus pristinæ valetudini. Nil addo amplius, neque dolor capitis, qui me affligit, patitur, ut pergam ulterius. Quæ desunt habebis intra pauculos dies, Deo volente, cui te ex animo commendo. 24 Decembris St. Vet. Trajecti.

Tuus

J. UYTENBOGAERT.

CLIX.

CONRADO VORSTIO

GUILIELMUS CODDÆUS S.P.D.

Exhortatio ad Professionem Leydensem capessendam.

REverende D. Doctor, jam inde ab eo tempore, quo te coram, in domo maxime Amplissimi Syndici nostri, videre, alloqui atque amplecti nobis datum fuit, memoriam tui nunquam exuere potui, neque vero etiam unquam destiti precibus apud Dominum contendere obnixissime, ut siquidem hoc salutare Reipublicæ atque Ecclesiæ nostræ apud nos est, quod nos quidem quoadusque oculi nostri pertendunt, sed vero etiam ipsi DD. Curatores videre non possiunt, quin cum salute utriusque conjunctissimum sit, animum quæso tuum ad professionem S. Theologiæ apud nos amplectendam comparet, permoveat atque adducat. Quanti interfit in moderatiorem Theologiam incumbere, quæ in Ecclesiis quidem simplicitate doctrinæ contenta, populo neget fas esse sese abs se invicem dirimere illico, insectantibus se mutuo ob dilutam forte aliquam quæstionem Theologis; in Academiis vero, quoadusque de principiis & fundamentis doctrinæ nulla controversia est, libertatem quandam sententiarum atque judiciorum permittat; omnes vero quotquot sapientiæ Dei in Scripturis patefactæ pressius incumbere animum induxerunt, de eo probe fideliterque instruat, ne supra quam par est, sapere intendant, ubi satis alte itum est, se sistant: alii si dissentiant, illis suam sententiam proterve nimis ne obtrudant, eos ne damnent, ab illis ne se petulanter segregent; denique, quod minime omittendum est, quæ Magistratui Christiano jus suum, quo Deo auctore gaudet, sartum tectum relinquat; quis est qui temetipso melius pervideat? qui in id adniti te velle hactenus scriptionibus atque prælectionibus omnibus tuis, quasi manu in fidem data, publice professis es, etiamnumque profitere. Sed vero etiam qua sunt prudentia atque sapientia præditi illustrissimi Ordines nostri idem ipsum tecum judicant, neque unquam magna contentionum segete se liberandos, nisi quum hujus sui voti, quæcunque etiam difficultas oboriatur, compotes se viderint. Quo ergo tuamet te ipsius conscientia vocat, illustrissimorum DD. Ordinum atque Amplissimorum DD. Curatorum nostrorum judicia te vocant, vota amicorum tuorum te vocant, Deo atque paci publicæ quidquid etiam accidat sese devoventium, Magistratus etiam Amplissimi Leidensis nostri propensus erga te & quietem publicam, cum præclara quadam animi fortitudine atque constantia, affectus te vocat; Deus optimus maximus vero etiam ipse te vocat clarissimo hoc benedictionis suæ, qua sic omnia comparat atque disponit, testimonio; huc ne tandem sequi cum animo tuo statues? An hæc propositum tuum remorabuntur, quod pauci quidam Stentores (neque enim, confide, multi sunt) voces suas adversum te atque bonos multos obfirmarunt? Vidisti, imo superasti, tempestates id genus alias: aude idem rursum, apudque Proceres nostros certa tibi omnia spondé, atque σὺν θεῷ (*cum Deo*) eluctaberis. Bono religionis scis multos fuisse qui animas etiam suas in manibus suis gestaverint, seque tantum non morti etiam acerbissimæ obtulerint. Causæ tuæ justitiæ atque integritati si, quod facis, confidis, Deo in eo opere ad quod te forte porro uti vult, glacie jam plurimum rupta, totius orbis Christiani bono, manum tuam subtrahes? Ut mea fert opinio, non facies; sed vero potius, si quid hujusmodi est, in quod quotquot præterea hic sunt fratres idem tecum sentientes auxiliarem tibi manum pollicentur, id omne Dei auxilio fretus contemnes, atque ad opus Domini, utut in fragili hac carne, alacriter accinges te; nullus dubitans quin prolixe tibi Dominus è cœlo benedicturus sit. Utinam vero quod facto opus est, quodque, ut mihi omnino persuasum habeo, facturus es, id facias cito! difficultatibus quibusdam forte te nosque expedires. Tempus jam maturuit: si moram nectimus, quæ nunc rei bene agendæ adest καιρὸς, (*occasio*) metuo ut ea dilabatur, saltem deterior aliquantulum alicunde ut fiat. Nunquam emergemus, nisi nunc emergimus. Si conatus nostros nunc irritos reddere poterunt, poterunt eosdem semper sistere. Si hinc panico quodam tumultu avertere te poterunt, facile etiam ibi oppriment, ubi alta nunc tranquillitate frui tibi videris. Perrumpendum, mi D. Doctor, per bruta hæc fulmina; jacta, ut sic loquar, nunc alea est: aut hoc exspectemus licet, ut apud omnes omni ætate inglorius sis (quod vile quidem tibi esset, præquam esse Christi) atque inutilis in vinea Domini, quamdiu vives, servus habeare; aut Domino forte in opere suo segnior dicaris fuisse; quod qua conscientia excusares? Revoca hæc quæso omnia ad animum, & si quid vota, si quid preces nostræ, si quid temporis maturitas apud te possunt, obsecunda petitioni nostræ; atque Academiæ nostræ, quæ jam multis retro annis florentissima fuit, operam quæso tuam addicito, veteremque ei suum splendorem, quem vivente eique inserviente D. Doctore Arminio

pie

Ep.160. piæ memoriæ habuit, quique ceſſantibus in Academia omnibus diſputationibus, atque, quoniam locus ipſius nimis diu vacat, ſtudioſis paulatim diffluxuris, paululum obfuſcatur, poſtliminio quæſo reſtituito. Ita te & nos bonus Deus juvet. Porro vero Ampliſſime D. Doctor, Exegeſis tua, quam pollicituses, aviditſime ab omnibus nobis exſpectatur. Si ea edita nondum eſt, de quo tamen non dubitamus, cura quæſo ut citra cunctationem primo quoque tempore ea edatur; aut huc feſtinantiſſime mittatur, apud nos edenda. Ea enim, ſicut ſcis, opponi debet falſiſſimis iſtis rumoribus, quibus invidiam tibi conflare quidam ſtuduerunt, neque porro deſinent eidem fini omnem lapidem movere, quoadusque edita tua Apologia iſtis os obſtruxerit. Scopum totius tui laboris accurate quæſo inculca; hunc nempe, quod in vim argumentorum, quibus quidquid probatur, quum ſe tibi diluta aliqua in Theologia quæſtio offert, amice & placide citra cujuſquam præjudicium inquiris, ſolumque quidlibet dictatorie affirmandi atque determinandi πονηρὸν (*pravam conſuetudinem*) inſecteris, hocque è Theologia, quæ alioquin λογικὴ (*contentioſa*) ſit, proſcriptum velis. Vale Ampliſſime vir, atque cum bono Deo votis noſtris obſecunda. Salutant te officioſiſſime D. Syndicus noſter, Joan. Arnoldi, D. Licentiatus Linderhuyſius, D. Stochius, cæteræque. Finio, hoc addito, quod Doctoris Parei filius obſcuro rumore Franequeram ad Theologiæ Profeſſionem vocandus dicitur. Die 17 Januarii ſtilo novo, 1611. Leidæ.

CLX.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Leidæ. CLariſſime D. Doctor: Literas quas poſtremum ad me dediſti, priores & poſteriores, Leidæ, quum iſthac Trajecto domum rediens tranſirem, accepi, eaſque magno quidem deſiderio, haud pari tamen voluptate, legi; quod præter omnem opinionem meam tergiverſari, moras nectere, & negotium tanti momenti in longum trahere videaris: quod tametſi permoleſtum fuerit ipſis etiam Ampliſſimis Curatoribus, auditis tamen & expenſis tuis rationibus hac vice acquievere, & in ſententia priore unanimiter & conſtanter perſeverantes, denuo ad te ſcribere decrevere, & vocationem tanto animi ardore inſtitutam, tanta conſtantia proſequutam, iterum, & quidem peremtoriè, ſuis ad te literis urgere viſum eſt: quibus non affectu tantum proprio, ſed & illorum Ampliſſimorum precibus motus, & has meas addo, rogans, orans, & obſecrans per nomen D. Jeſu, ne animas noſtras diutius ſuſpenſas teneas; verum jacta ſemel in nomine Domini aleâ, de tuo ad Ep.160. nos adventu ſecuros & certos, nulla amplius injecta remora, reddas. Ita expedit Academiæ, Eccleſiæ, & niſi valdè fallor, ipſi tibi. Academiæ, ut quæ jam à multo tempore nullius, præter unius illius quem noſti, in rebus ſacris vocem audiat, eâ, quam cogitandam tibi & ſerio expendendam relinquo, candidatorum utilitate. Suas explicat Theſes de Juſtificatione, modo in Bertium, modo in piæ memoriæ Arminium, modo in ipſum etiam Johannem Piſcatorem (non audita mihi ſed relata refero) ea dicens quæ lubet, omnibuſque modis hoc agens, ut juventutis animos permulceat, & in ſuam ſententiam, non in hoc tantum argumento, ſed & in aliis controverſiis, pertrahat, haud ſine applauſu & ſucceſſu, quum neminem habeat in iſta profeſſione, qui liberius multo quam decet exultantem reprimat. Quid Eccleſiis noſtris hinc expectandum ſit boni, quid mali, tu ipſe pro tuâ pietate, ſagacitate, & prudentia facile judicas. De tuis rebus abſit, ut ego temerè quid pronunciem: interea quæſo patere me periſtare in ſententia olim & ſæpius tibi expoſita, futurum nempè, ut aliquando ſentias te non bene tuis rebus conſuluiſſe, ſi huic vocationi (quod te facturum non puto) renunciaveris. Scio eſſe, quæ te haud immerito deterreant: hiſce tamen ſi opponas, quæ allicere debeant, illa præ iſtis parvi habenda, imo flocci facienda, puto. Deterrent turbæ, & imprimis iſtius hominis impetus & vehementia, animus iracundior & concitatior, adde, ſi ita vis, etiam implacabilis; & qui ſe ferre diſſentientem nolle indies magis magisque declarat. Ad illas quod attinet, conſidera quæſo cauſas illarum, & ſtatum: nonne ſi quæ ſunt, ut eſſe fateor, inde ortæ, unde & omnes quæ tot annos rem Chriſtianam turbarunt; nempe ab affectata in conſcientias tyrannide, & in conſervos, ipſamque adeo in Domini hæreditatem dominandi libidine, quam tu in præfatione ad Anti-Bellarminum tam egregie depinxiſti, prognatæ? Omnino ita res habet. Ne rem ab origine repetamus, unico verbo expediam. Nos ferre illos parati ſumus: illine viciſſim nos? Quid impoſterum facturi ſint, ignoro: hactenus ſaltem declarant ſe nolle. Quid igitur volunt? Vel cogere ad ſententiæ (noviti cujus) mutationem; vel ejicere, aut ſaltem de ſtatione dejicere. Et hæc illa ipſa veritatis hoſtis acerrima tyrannis eſt, cui nos opponimus. At hæc ipſa etiam te premit, etiam latebras quantum potes quærentem. Hic quid facies? An diſces duro ſubdere colla jugo? Non credo. Excutiendum igitur: quod ut fiat, non arma modo explicanda, illa nempe, quæ ad omnem cogitationem, quæ ſe cognitioni Dei opponit, Chriſto captivandam valida eſſe aſſerit Apoſtolus; ſed & vires conjungendæ. Hoccine libellis editis, & tanquam ex ſpecu quodam ſubterraneo prodeuntibus, velut à timidis homi-

Ep. 160. nibus eminus emissis spiculis effici poterit? Minime. Verum locus quam maxime illustris seligendus, ubi castra figant, satisque frequenti numero convenire possint strenui Christi milites, cominus & velut in totius Europæ conspectu prælia Domini depugnaturi, adeoque vel hoc monstrum horrendum ingens, cui revera omne lumen ademtum est, debellaturi; vel fortiter in Domino occubituri. Hic autem in Hollandia hac nostra dulcissima, Leidæ inquam, locus ille est, ab ipso Christo veluti manu designatus, ad quem te vocat, te, inquam, D. Vorsti, huc, huc vocat, talentum tuum hic collocaturum longe majori cum fœnore. Hic reperies illos, quos ex parte novisti commilitones, qui non deserturi te sed lateri adhæsuri firmiter, & omni qua consilio, qua auxilio, qua opera poterunt suppetias laturi sunt. Ne te igitur turbæ & inquietudines non ex nova, sed veteri, & quidem tam nobili causa ortæ, deterreant; quin potius attrahant. De statu quid dicam quod te lateat? probè enim de re omni instructus es. Hoc tantum addam, non minui quidem eorum, quos nosti, ferociam: causam tamen eorum eadem ipsa magis magisque reddi deteriorem. Quotidie accedunt ad partes moderatiores multi, & inter hos etiam aliqui quum Politici, tum Ecclesiastici, qui antea iniquius judicabant. Longe maxima pars DD. Ordinum causæ nostræ favet, & ita quidem, ut non dubitem quin opus Domini serio sint promoturi indies. Quid postremis comitiis decretum sit, abunde tibi à me perscriptum. Quanta cum constantia & unanimitate Amplissimi Domini Curatores negotium hoc agant, vides ipse ex continuata negotii & actionum serie. Si igitur bono jam sint loco res nostræ, meliori erunt ubi tu veneris, ac tandem quidem, per Dei gratiam, optimo. Nos vincemus & superabimus, Christo juvante, quum propter ipsius causæ, quæ immota Dei veritate nititur, bonitatem; tum æquanimitate, patientia, mansuetudine, quam adhibere & decrevimus, & per Dei gratiam didicimus in Domino, ferre parati fratres si nos ferre velint. Vix credas quam gratus sit apud nos tui nominis odor, etiam apud acerrimos adversarios, propter eandem hanc, quam in te animadverterunt, moderationem. In summa, instat jam collatio, indicta ad x. Martii. Ad hanc nos accingimus, nihil addubitantes, quin per illam animi fratrum sint futuri multo quam antea sedatiores. Sed obstat forte Collegæ vehementia. Fateor hanc esse pertimescendam: at remedium in promtu: cautum jam tibi de collega, I. A. Ipse etiam, qui suis bilibus harum turbarum author merito haberi queat, jam aperte apud Curatores protestatus est, se abiturum si tu veneris. Et ut videas rem serio agi, ædes suas, quas habebat Leidæ percommodas, affixo ad fores programmate publice venum exposuit, & tandem vendidit. Ecce quem tu metuebas, hic te metuit. Alterutrum igitur erit, vel abibit si veneris, vel manebit: si illud; Academiam habebis pacatam: si hoc; sedatior sit oportet, vel non feretur: & in omnem eventum, collegam habebis, qui tecum unum cor, una anima futurus est. Statutum etiam ad Jurisprudentiæ professionem evocare Marpurgo Vultejum, qui & ipse bene audit moderationis hujus, quam quærimus, nomine. Actum etiam de vocando Molinæo in locum illius, si abierit; sed non, nisi jam antea plene constiterit de eadem moderatione & æquanimitate, & quoad illos quos nosti articulos, & quoad alia; in quem finem ejus animum jam imus tentatum. Cogita jam ab alia parte, messem quæ hic est, optimamque uberrimorum fructuum spem: tot fratres, & quorum quotidie crescit numerus, tecum idem jugum trahere paratos in Domino: causam hanc nobilissimam moderatæ libertatis in Ecclesia Dei stabiliendæ, tyrannidisque, quam ex pontificia reliquam adstringere novis nodis denuo conantur quidam, penitus profligandæ, nunquam tanta spe successius suscepta ac apud nos, neque ex ulla regione eandem latius diffundendam, quam ex hac nostra, si te nobis adjunxeris. Cogita etiam te reperturum hic patronos & multos & magnos, tibi addictissimos, & te omni benevolentiæ genere complexuros; & multa alia, quæ in hanc rem adduci possent. Scio equidem, non omnia ex voto plenissimè futura: & quis hoc quæso exspectet in hac mundi face? At neque tu hoc tibi persuades. Ubicunque locorum fueris, parata semper certamina, non desitura ante apparitionem magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Novi etiam te in otio & umbrà delitescere nolle; sed talenta abunde tibi à Deo collata fœnori exponere paratum, eo loci ubi maxima lucri spes. Huc igitur ad nos veni, quo te Deus vocat, neque, ut semel concludam, differto diutius. Res enim Academiæ & Ecclesiarum nostrarum moram diuturniorem haud patiuntur: quod expresse ad te scribi voluerunt Curatores Amplissimi. Exspectas collationis exitum? Ne quæso facias: unica enim collatione non finietur negotium; & quis novit, an præter omnium opinionem aliquid interveniat, quod eam differre in aliud tempus cogat? Et si processerit, ego de mediocri saltem exitu & successu non dubito. Quod ad tres illas mihi nuper propositas conditiones attinet: De collega jam tibi cautum: De libertate legendi & disputandi concessum: De stipendio conveniet facile. Quid restat igitur? Hoc unicum, ut semel tandem condicas, & plene rescribas te venturum, & simul cum dicto adventum tuum ad nos matures. Quod si ultimam vocem emittere non decretum, nisi prius de quibusdam aliis forte abs te proponendis plenè transactum fuerit, suaserim ut ipse quam maturrime, circa festum videlicet Paschatis, ad nos venias, Ep. 160.

Ep. 160. nias', coram omnia commodè tranſacturus. Interea & collatio habita erit, & omnia planiora reddita. At cave, ne reſponſo tuo ad has ipſas, ulterius deliberandi ſpatium petas; ſed te ipſum venturum', & de omnibus tranſacturum reſponde, idque intra certum tempus à te exprimendum, & quidem brevi, feriis nempe Paſchalibus. Hoc meum, & quidem ultimum & peremtorium, conſilium. Optaſti te collationi intereſſe poſſe. At obſtacula ſunt, quæ hoc non permittunt. Nec ipſe Gomarus adhibebitur, quantum ego exiſtimo. Erunt tamen & tibi tuæ partes ſuſtinendæ, ſed ſuo tempore. Exegeſin tuam aviditſime exſpectamus. Miror ubi hæreat.

Cæterum rectè valemus omnes, Dei beneficio. Quæ de me ibi ſparſa, vel loco motum me, vel ceſſiſſe, fabulæ ſunt: ut & hoc de DD. Ordinum decreto, quo ſtatutum, omnes eſſe abdicandos munere, qui intra ſex ſeptimanarum vel menſium ſpacium articulos illos, per libellum noſtrum ſupplicem oblatos, non ejurarint. Ne cogitatum quidem de ejuſmodi decreto. At hoc colligo ex hiſce rumoribus, fratres hoc moliri clanculum: at fruſtra, quod omnino confido: ſi effecerint, illis turbæ, nobis quies & tranquillitas. Jam optima ſpes eſt, futurum ut penitus convaleat circa vernum tempus D. Barneveldius: etiam Illuſtriſſimus Princeps, valida tuſſi intermixtâ febricula pene continuâ laboravit, at per Dei gratiam melius habet, nihilque putatur eſſe periculi. Trajecti miniſterio meo largè benedixit Deus. Verum non omnino ſedati multorum animi: quod ſi eſſet, optimo loco ibi conſtitui poſſe Dei eccleſiam mihi perſuadeo, etiam reſpectu ejus, quam propugnamus, moderatæ libertatis.

Iterum rogo, mi Domine, ne ægre feras has litteras tot lituris, & quidem fœdis, commaculatas; decreveram nitide reſcribere; at non vacat præ occupationum multitudine, & nuncii feſtinatione. Vale, Clariſſime Vir, & reſponſo exoptato nos exhilara, per eundem qui has fert nuncium, quem expreſſum à Curatoribus ad te ablegari intelligo. Salveat uxor à me & mea. Quæſo noſtri apud D. Cancellarium memor eſſe velis, ne diutius debiti iſthius ſolutio protrahatur. Vix credas quantum inde nobis accedat incommodi in re familiari, præſertim hoc tempore propter cauſas hic minimè adſcribendas. Urge quæſo quantum potes, & iterum vale. Hagæ 18. Feb. novi St. 1611.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CLXI.

JOANNES UYTENBOGARDUS ADRIANO BORRIO S.P.

HEri denuo iſti viro adfui, & ſententiam expoſui 1. de non adhibendis ejuſmodi moderatoribus. 2. de non habendo colloquio præparatorio ſemotis arbitris. 3. de non differendo. Annuit ubique. De ultimo quæſivi penitiorem dubitationis cauſam. Attulit hanc, ut poſſet N. adeſſe: metuere enim ſe, ne non poſſit. Reſpondi, cauſam illam ejuſmodi eſſe ut contradicere non audeam, ſperare tamen me meliora. Ego, ut verum fatear, dubito, & dubitabo magis, ſi denuo invaleſcat morbus ut cœpit poſtremo acceſſu: imo ſi hoc ipſo tempore id fiat, deteriora mihi ominor. Hinc vides, mi frater, nullum nobis eſſe præſidium, niſi in cauſæ bonitate. Agimus cauſam veram, & quæ ſecundum Deum eſt, Eccleſiaſticæ libertatis; quæ non ad hanc vel illam auctoritatem erigendam, ſed ad pacem aliquam inter Chriſtianos conciliandum, ad Antichriſti regnum evertendum, & pietatem ſtabiliendum facit. Hoc me ſolatur. Et quo magis me examino, eo magis me animari ad hanc cauſam agendam ſentio, & quidem miniſterio valedicendum, ſi omnis nobis eripiatur ſpes hac in re aliquid efficiendi. Unicum igitur exoptandum, & Deo Opt. Max. communis precibus & lachrymis extorquendum, nobis ut ſpiritu ſuo veritatis & pacis in hoc colloquio adſit, quo cauſam hanc fortiter & moderatè agere queamus; & ita quidem, ut auditoribus aculeus relinquatur, nos non ſine magna cauſa & ratione agere quæ agimus. Hoc modo obtineamus, ego de eventu, ad me quidem privatum quod attinet, ne tantillum quidem ſollicitus ſum: imo maxima cum animi voluptate (ſi probata apud bonos cauſa tamen propter turbarum in Republica metum obtinere nequeat) miniſterium meum deponam: imo hoc faſce levatus, tum demum vere me Deo & proximo vivere poſſe per Chriſti gratiam confido. Scio hoc tibi gravius futurum propter onera familiæ: atqui majora ſi tibi Deus patienter ferendi pro Chriſto cruce dona conceſſerit, quod haud dubium faciet, res eodem recidet. Solabimur tum invicem & verbo & re, & eas juvandi rem Chriſtianam rationes inibimus, quas Deus ſuggeret, quæque ſuam ſecum ferent in diem Jeſu mercedem. Nomina heri, Deo auſpice, tradidi. Venator non venit, nec ullum litterarum apicem ad me dedit, quod vereor ne alienioris animi indicium ſit. Convertat igitur etiam collega tuus horſum omnes rationes ſuas; ut ſe talem præbeat, qualis eſt, pium nempè, doctum, & moderatum. 2 Martii 1611. *Eccleſiaſticæ.*

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CLXII.

CLXII.

DAVIDI PARÆO, QUIRINO REUTERO, & BARTHOLOMÆO COPPERIO, Professoribus Heidelbergensibus,

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

Ecclesiastica. De prætestatione sua contra Heidelbergensium judicia.

QUas Eidibus Martii ad me dedistis literas, Reverendi & Clarissimi Viri, Fratres in Domino suspiciendi, eas sub exitum Aprilis demum Leidae accepi: Quae licet non omnino votis meis satisfecerint, non obscura tamen moderationis & benevolentiae erga me vestrae indicia prae se ferre videntur. Displicet vobis edita protestatio mea. At necessitas evidens eam extorsit. Vix enim credetis, quam impotenter aliquot in Belgio fratres, censurâ vestrâ freti, adversum me insurrexerint. Et his potissimum illa protestatio tunc opposita fuit. An non aliquam saltem etiam de censura hac vestra conquerendi causam habuerim, nolo nunc scrupulosius examinare. Nihil enim aliud, quam pacem & concordiam, inter nos sancte colendam, hisce literis quaero. Quod ipsi vos in fine epistolae vestrae optatis; idem ego animitus opto, vosque serio rogatos volo, ut caritate & amicitia inter nos certemus. Nulla porro convenientior ratio est, ad pacem inter fratres alendam, quam si moderata quaedam judiciorum libertas concedatur; nec continuo haereseos aut impietatis accusentur, qui forte in rebus non fundamentalibus, nec ad salutem scitu necessariis, à nobis dissentiunt: maxime si cogitata sua fratrum judiciis submittant, nec ullam assentiendi necessitatem cuiquam imponant: immo nihil adversus receptam doctrinam definiant, sed modeste tantum in eam inquirant, & alicubi suam in obscurioribus materiis ignorantiam agnoscant. Sufficit enim consensus in iis quae ad salutem scitu necessaria sunt, & quorum causa potissimum à Rom. Papatu descivimus. Multi passim viri boni sic agendum esse censent; contraque si fiat, nullum sectarum ac schismarum in Ecclesiis nostris modum aut finem exspectandum esse judicant. Atque inter hos sunt illi fratres, quorum in literis ad Reverendos viros D. Pitiscum & D. Scultetum mentionem injeceram: non certe ut minas vobis opponerem (absit haec vanitas) sed ut periculosâ consequentiâ eminus ostensâ, facilius ab acrioribus ejusmodi censuris vos avocarem, contraque ad fraternum amorem ac lenitatem animos vestros inflecterem. Certe in Belgio non exiguus eorum numerus est, qui, quum Reformatae Religioni nostrae ex animo addicti sint, non aliter tamen quam modo dictum est agendum esse judicant. Quos omnes acerbius exagitare, aut à nobis alienare velle, res periculi pleniissima foret. Obsistunt iis quidem alii, & speciosum Ecclesiae ac Synodorum titulum aliaque talia opponunt: sed ita, ut qui moderatiores sunt parum afficiantur. Rogo igitur vos, Clarissimi viri, ne quid deinceps in praejudicium nostrum à vobis decernatur. Si non satisfacimus ubique; monete nos amicis scriptionibus: & vicissim Exegeses nostras in timore Domini expendite: nec quidquam in favorem unius partis, alterâ nondum satis plene auditâ, statuere velitis. Non continuo Pelagianum; aut Socinianum est; quod his vel illis fratribus esse videtur. Homines sumus omnes: & proclives in errorem, eo magis, quo magis in homines recumbimus. Sed ista forte plenius ex aliorum fratrum literis propediem intelligetis. De me tantum haec paucula adjiciam: tandem in vocationem Leidensem me consensisse, jamque in eo versari, ut post hebdomadas aliquot familiam & supellectilem huc transferam. Opposuerunt se huic vocationi fratres alii, qui ἑτεροδοξίαν (*diversa & prava opinionis*) antehac suspectum me reddiderunt. Sed causa diu multumque in ipso Ordinum consessu agitata, & declaratione meâ ad omnia etiam minutissima, quae à fratribus illis praesentibus mihi praesenti objiciebantur, per complures dies auditâ, tandem decretum est, in vocatione pergendum esse. Quod & factum est, gravissimis de causis, & huic Academiae inprimis (ne dicam Ecclesiis harum regionum omnibus) plane salutaribus, nisi hominum culpa fortassis impediantur. Vestrum jam fuerit, Reverendi viri, huic incepto favere ac bene precari: nec aliis fratribus, si forte ulterius obsistere volent, hac in parte assentiri. Prolixe vobis omnia cum pietate & pace conjuncta per Dei gratiam de me polliceamini. Non fallam exspectationem vestram in colendo consensu vere orthodoxo, inque sanandis Ecclesiae vulneribus, pro tenuitate mea. Si quid Jesuita Becanus, aut alii similes, adversum me edunt, aut edent, ne vos nimium offendat. Scitis, quinam & quales isti sint, quidque de nobis omnibus existiment. Respondebitur illis à me, Deo juvante, placide ac moderate: nec veritas Euangelicae doctrinae quidquam ex hac parte laedetur: Tantum sit pax & concordia inter Ecclesias nostras, & vera φιλαδελφία (*fraterna charitas*) inter harum Doctores. Ita Deus pacis & charitatis nobis aderit. Quem supplex oro, ut vobis, honorandi Domini fratres, una nobiscum in S. vocatione nostra largiter benedicat. Amen. Leidae 15 Maji 1611.

Mitto exemplar Exegeseos meae. Rogo amice de ea judicetis: & si quid displicet privatim de eo moneatis. Iterum valete in Domino.

CLXIII.

CLXIII.

CONRADO VORSTIO

RODOLPHUS GOCLENIUS SENIOR

S. P. D.

Doctrina Vorſtii approbata.

CLariſſime Domine Vorſti; ago tuæ claritati gratias magnas pro communicata Exegeſi. Eam tanti facio, ut omnes & ſingulas quæſtiones publice diſcutiam, & pleraſque quidem ita, ut appareat inter nos concordia & συμφωνία (*in doctrina conſenſus.*) Doctrina tua de libero arbitrio, me judice, eſt ſincera puraque, etſi nonnullis è noſtris, præſertim Eglino qui totus eſt Bezæ, diſplicet. Bene valeat T. A. R. & me amare pergat. 1611. 10 Julii.

De prædeſtinatione doctrinam totam abs te traditam cognoſcere aveo, non propter me, (nam mihi ſatis explicata eſt) ſed propter Studioſos.

CLXIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS

CONRADO VORSTIO S.P.

De crimonatorum calumniis querimonia.

CLariſſime Vir, quod poſt tuum à nobis abitum haud ſcripſerim, id animi ingratitudini, variis ex moleſtiis conceptæ, & occupationum multitudini tranſcribas velim: quod ſi feceris, nec ego tui ſilentii rationes nimis accuratas & juſtas repoſcam. Jam verò eſt quod vel elinguem loquacem faciat, & muto verba exprimat: rumor videlicet, de iſtius decantati, mihi tamen ignoti, Oſtorodii ad te & tuis viciſſim ad eundem litteris; illarum argumento vocatus in Poloniam diceris, ut inter iſtos fratres, jam probè tibi cognitos, veritatis (Samolatenicæ videlicet) talentum colloces: illis verò tuis quò minus apertè in illorum caſtra tranſeas, hanc prætendi excuſationem, quod exiſtimet T. R. ſe illis operam longè utiliorem hiſce in locis navare poſſe. Hanc vel ſimilem ajunt iſtarum litterarum ſententiam. Addunt, tergiverſationi locum non relinqui, quod litteræ in promptu ſint, & oſtendi poſſint palam. Hæc quum ex doctiſſimi, ſingulariter probi, & quidem eximiæ authoritatis viri, T. R. impensè hactenus faventis ore amico & benevolo audiviſſem, inhorrui; neque quod regererem habui, præterhoc, me brevi vel ex te ipſo intellecturum, quid rei ſit. Nondum quidem pervulgatus hic rumor, quod ſciam, at procul omni dubio brevi ebuccinandus ab illis quos noſti: modo illi ſubſit aliqua ſaltem veri ſpecies. Jam vero tibi pro tua prudentia cogitandum relinquo, Vir Clariſſime quid de te, de nobis, de publicâ denique illâ, quam lætâ coram Deo conſcientiâ ſuſtinemus, cauſa cogitaturi, dicturi, judicaturi ſint paſſim cum fratres, tum Ampliſſ. Curatores, ipſi denique Illuſtres Ordines, iſta ſi vera (quod abſit) comperiantur. An non etiam in nos, quantumvis immerentes, iſta, ex parte, cudetur faba, quod noſtro tali quali patrocinio ejuſmodi homines, cum quibus tamen (Deum teſtor) nihil mihi unquam fuit commercii, imò quorum vix inſpecti libri, fovere, quin & in ipſam Academiam introducere fategerimus? Quocirca ne te pluribus fatigem, Vir Reverende, te etiam atque etiam quam poſſum obnixiſſimè rogo, imo per Chriſtum Salvatorem oro & obteſtor, ut ſeriò tecum perpendas, an non conſultum ſit, ut de ipſa rei veritate per te ipſum quam fieri poterit citiſſimè fiamus certiores; quò ſi falſa ſint & conficta, ore patulo & rotundo tetræ & nulli Chriſtiano ferendæ calumniæ totis viribus nos opponere, tuumque nobis alioqui cariſſimum nomen pro viribus apud probos tueri, & hanc maculam quantocius eluere queamus. Vel ſi forte tale aliquid apud te (quod minimè credimus) lateat, vide quæſo an non conſultius ſit, te quam primum huic vocationi renunciare, quam in cœpto iſto curſu pergendo, nobis, Academiæ, Eccleſiæ, Curatoribus, Ordd. denique ipſis imponere, addo, te ipſum in maximum diſcrimen conjicere; Chriſtianum enim exſpectant Profeſſorem, non Oſtorodianum. Ingenuitatem meam ſi noviſti, liberiori huic, & quam ipſa, non ſine ingenti mœſtitia, extorſit neceſſitas, ſcriptioni facilè indulgebis, tametſi ſinceram monitionem venia indigere vix crediderim. Vale Vir R. & Clariſſime, & optato reſponſo me mœrore penè proſtratum erige. Hagâ Comitis. 24. Junii. 1611.

CLXV.

JOANNES UYTENBOGARDUS

CONRADO VORSTIO

S. P. *in Chriſto.*

Eccleſiaſtes.

REverende & Clariſſime Vir, Frater in Domino ſumme obſervande. Reſponſum quod ad monitorias iſtas meas dare placuit accepi: avide & attente lectum, viro iſti Ampliſſimo, qui de miſſitatis litteris commonefecerat, è veſtigio communicavi; qui unà mecum deprenſo jam ex tua relatione (quam veram eſſe credimus) mendacio, impenſe gaudebat, & tantum non gratulabatur veritatis ſole diſcuſſas illas tam denſe obortentes teterrimæ calumniæ nebulas. Si modo diſcuſſæ; dubium enim non eſt, quin primis Ordinum Hollandiæ comitiis, illa hactenus latens palam in proſcenium ſit producenda ab illis, qui nuper ex immaturâ & imprudentiore articulorum iſtorum diſſeminatione haud magnam ſibi

Ep.166. nes & dogmata plenè cognoſcere, & ad ſacræ Scripturæ normam examinare, eoque fine omnium ſcripta, quæcunque haberi poſſunt, cum judicio tamen & delectu, ſedulo evolvere. Id autem falſum & calumnioſum eſſe teſtor, quod de mea promiſſione dictis hominibus facta, à malevolis, aut ignorantibus jactatur, quaſi conſenſum me cum illis culturum, & doctrinam ipſorum propriam hiſce locis propagaturum receperim. Etſi enim copias literarum mearum ad illos ſcriptarum non ſervavi (non enim tanti rem iſtam ducebam) nec proinde omnium & ſingulorum, quæ tot retro annis ſcripſi, exactè recordari poſſum: Illud tamen probè memini, atque in ephemeridibus meis expreſſè notavi, cum operam illi meam in profeſſione ſcholaſtica ſuſcipienda aliquando per epiſtolam requirerent, me præcipuè denegaſſe, idque hac præcipuè de cauſa, quod non idem cum ipſis de religione ſentirem. Denique poſito, non tamen dato, me illo tempore, cum ſcripta illorum nondum ſatis examinaſſem, quiddam liberius, aut imprudentius ad ipſos privatim ſcripſiſſe (& quis non facit in ejuſmodi litteris?) nullum tamen hinc cauſæ meæ præjudicium creari poſſet, niſi de factis ipſis poſtea perpetratis legitimè convictus fuero. Quod nunquam futurum mea mihi conſcientia ſatis ſuperque perſuadet.

Ad libellum deinde illum Socinianum, nuper in Friſia clanculum à quibuſdam editum, quod attinet, Deum teſtem invoco, neque illum à me profectum fuiſſe, neque me conſcio, nedum procurante, impreſſum. Quin neque infamiam aut ſupplicium ullum pati recuſo, ſi hujus rei culpam in me aliquam hærere deprehenſum fuerit. Nec dubito ipſos editionis autores, ſi modo probi ſunt (uti jam quidam eorum fecerunt) palam ubivis teſtaturos, immo corporali juramento firmaturos, nullam hic meam vel minimam ſcientiam, nedum ſuaſionem aut impulſionem aliquam interveniſſe. Alienam igitur culpam in me transferri iniquiſſimum eſſet: nam quaſcunque tandem malevoli ſuſpiciones objecerint, illud certiſſimum eſſe tandem apparebit, nihil mihi, vel de libello tali alicubi in Friſia exiſtente, vel de ipſius editione conſtitiſſe. Quin & illud ſanctè confirmo, ſi modo conatus iſte aliorum mihi perſpectus fuiſſet, eum me pro virili mea quam maximè impeditu-rum fuiſſe.

Quod præterea ad DD. Curatores & Conſules è Friſia ſcriptum eſt, me jam dudum de S. Triade, aliiſque id genus fidei noſtræ Capitibus, parum orthodoxe ſentire; id quia variis ſuſpicionibus, partimque calumniis innititur, eâdem facilitate à me negatur, qua ab aliis affertur. Etſi enim tricas & argutias Scholaſticorum, extra Dei verbum inventas, in hiſce myſteriis explicandis ſtudiosè vitare ſoleo: nec promiſcue quælibet Scripturæ loca, quæ forte huc vulgo citantur, ad haſce materias accommodo: ipſam tamen dogmatum ſubſtantiam, in verbo Dei expreſſam, & generali perpetuoque Chriſtianæ Eccleſiæ conſenſu approbatam, religioſe teneo, diſputationibus & ſcriptis aſſero. Privata vero ſchediaſmata mea in uſum memoriæ alicunde ſubito excerpta, & amico roganti forte communicata, ſed ab aliis deinde temere deſcripta (imo furto interdum ſurrepta, & per occaſiones variè corrupta) pro legitimis fidei meæ teſtibus haudquaquam admitto. Quod ſpeciatim notari velim, ob pagellas aliquot, de Filiatione Jeſu Chriſti, olim à me ſcriptas, & in Friſia alicubi jactatas. Itaque ut hac in parte DD. Curatoribus, & Conſulibus, de orthodoxia mea planè conſtare poſſit, ipſis ita petentibus, apertam & planam Exomologeſin meam hic breviter apponam, cujus uberiorem declarationem, ex Theſibus de S. Trinitate, deque Perſona & Officio Chriſti, publicè ante complures annos hic Steinfurti à me diſputatis (quas hic vobis ſimul exhibeo) ubicunque opus erit, cuivis petere licebit. Ep.166.

EXOMOLOGESIS.

I. SS. Triados myſterium juxta Dei verbum ſincere credo, in quo unum verum æternumque Deum ſic adoro, ut tres in una eademque divinitatis eſſentiâ verè diſtinctas hypoſtaſes agnoſcam: Patrem nempe ingenitum, totius divinitatis fontem, & Filium ejus unigenitum, cui Pater ipſammet Deitatem per arcanam generationem ab æterno communicavit, & denique Spiritum S. à Patre Filioque procedentem: ejuſdem omnes divinitatis, potentiæ, majeſtatis, & gloriæ conſortes, & eodem vere divino cultu pariter afficiendos.

II. Jeſum Chriſtum, non modo verum hominem, ſed & verum Deum, in una eademque perſona agnoſco, ut qui unigenitus & æternus Dei Filius exiſtens, in plenitudine temporis humanam naturam ex Maria Virgine, per operationem Spiritus ſancti, in unitatem Perſonæ aſſumſerit, atque ita citra ullam naturarum commixtionem in una Mediatoris perſona, Filius Dei ſimul, & Filius hominis exiſtat.

III. Hunc eundem verum & unicum eſſe Mundi Salvatorem firmiter credo: idque ideo potiſſimum, quod ſeipſum pro peccatis noſtris hoſtiam piacularem Deo Patri obtulerit, & perfectum redemptionis pretium dederit divinæ juſtitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, ſic plenè ſatisfaciens, & ſanctiſſimâ obedientiâ, paſſione, & morte ſuâ mundum Deo verè reconcilians.

Ita ſummatim de hiſce myſteriis hactenus docui, & porro Deo juvante docturus ſum.

Quæ omnia, attenta rei gravitate, in gratiam DD. Curatorum & Conſulum, quibus nihil

Ep. 167. non debere me fateor, hac vice ita consignare volui: de cætero mihi firmiter persuadens, futurum ut calumniis, & iniquis suspicionibus, adversum me temere sparsis, aut spargendis, universa fides abrogetur, nec ulla deinceps similis examinatio, aut in conscientiam meam inquisitio, ad libitum aliorum instituatur; sed doctrina publicè à me vel tradita, vel tradenda, ad regulam verbi divini placidè pièque exigatur. Actum Daventriæ 22. Julii, Anno 1611.

CONR. VORSTIUS. D.

CLXVII.

CONRADUS VORSTIUS

Curatoribus & Consulibus Leidensibus.

Nobilissimi, & Amplissimi Domini, Curatores & Consules.

Purgatio à criminationibus variis.

CUm nuper admodum Daventriæ essem, Deputatis vestris scriptam declarationem exhibui, de capitibus omnibus, vestro nomine, per ipsos mihi propositis: quam propediem ipsi vobis exhibebunt. Ad hanc rem cum responsum vestrum exspectarem, quo vobis à me satisfactum esse testaremini, ecce præter omnem opinionem, iidem Deputati huc Steinfurtum advolant, mihique literas DD. Ordinum Frisiæ ad Consules & Senatum Leidensem, una cum impressis studiosorum quorundam literis, & duorum Ecclesiæ Ministrorum attestationibus legendas ac ruminandas offerunt, vestroque nomine, quid de iis mihi constaret, à me serio requirunt. Ex quibus omnibus, præteritisque actionibus, satis animadverto, & vos, & Deputatos vestros in hac causa plurimum laborare, variisque molestiis inquietari: quin & gravissimas curarum causas vobis objici agnosco: sed me tamen inprimis hæc calamitas ferit, meumque cor ista cura exedit, & succum sanguinemque mihi exhaurit: dum non obscure perspicio, æmulos meos, præcipuos hujus fabulæ actores, non ante quieturos, quam & Leidensi & Steinfurtensi professione me dejecerint, immo hisce locis ejecerint, inque exilium una cum uxore ac liberis extruserint. Quin feritatem ipsorum ne hic quidem constituram esse suspicor, dum sanguinarias eorundem glossas ad studiosorum literas penitius expendo. Sed de his Dominus providebit.

Notum vobis est, Nobilissimi Domini, me neque directe unquam, neque oblique, professionem ambivisse. Nec ignoratis, quam difficulter à vobis adduci potuerim, ut tandem isti vocationi assentirer. Quippe qui præsente mea conditione optimè contentus essem. Neque vero temere, aut præcipitanter, oblatam à vobis spartam amplexus sum: sed prius, anno superiore, apud vos me stiti, Leidæque & Hagæ Comitis aliquot septimanas hæsi: potissimum eo fine, ut ex iis, qui ab initio huic vocationi restiterant, causas hujus oppugnationis cognoscerem. Nemo istorum unquam, hoc quidem animo, ad me venit. Quin ultro hoc fine ipse quosdam adii: sed nihil, aut parum, ad rem pertinens ab iis intellexi. Vos quoque sententiam quorundam serio rogastis: quidque ab istis contra me allatum, quidve postea coram vobis, & ad vestram instantiam, coram DD. Deputatis Ordd. Hollandiæ à me responsum fuerit, quomodo denique & vos, & DD. Deputatos in apologiâ meâ prorsus acquiescere testati sitis, absque dubio probe meministis. Interim in urgendâ vocatione vos perstitistis. Ego vero assensum adhuc suspendi, atque ita domum liber redii: partim, ut generosissimis dominis Comitibus nostris hac ratione satisfacerem, qui discessum hinc meum ægerrime laturos satis superque testabantur: partim ut longiore temporis morâ interpositâ plenius de re tota consultare possem. Denuo tamen à vobis requisitus, in Hollandiam secundò venio: accusatoribus meis ad petitionem vestram, cum alioqui nullo jure tenerer, in faciem me stiti, sicque in pleno Illustrium DD. Ordinum consessu, ad omnia mihi objecta respondi, ut vos, unà cum aliis non paucis, in hac etiam defensione meâ conquieveritis, utque vocationem mei ad optatum exitum perducendam esse censueritis. Quam & ipse tandem acceptavi, videlicet in conscientia persuasus, operam meam apud vos fructuosius, quam hic collocari posse. Quinetiam vobis sponte meâ, tum ore tenus, tum scripto promisi, nihil in professione meâ me docturum, quod non universali Ecclesiarum Reformatarum Confessioni, seu Confessionum harmoniæ, in verbo Dei fundatæ, consentaneum esset. His ita transactis cum ad meos redissem, illustribus Dominis Comitibus operam hic meam solenniter renunciavi. Quo facto, neque parum ipsorum erga me gratiam imminui, nec exiguum Collegis meis, aliisque viris bonis (quibuscum hoc loco, per annos amplius xv. in pace ac concordiâ Christo Domino servivi) mœrorem attuli. Sic igitur paulatim ad iter, suo tempore capessendum, me meosque præparabam. Sed interea varii rumores, de mea cum Polonis, quos vocant Fratribus, jam olim institutâ familiaritate istinc ad me perscribuntur. Ego è vestigio rescribo, meque sincera facti declaratione purgo. Non diu post Deputati vestri me Daventriam evocant, & nova mihi gravamina proponunt.

Respondeo ad omnia clarè, ingenuè, citraque omnem fucum, vosque & omnes bonos acquieturos mihi promitto. Nunc tamen inventa est nova machina, quâ innocentem me malevoli adoriuntur; nempe literæ quorundam studiosorum, meorum aliquando discipulo-

Ep. 167. pulorum, mihi objiciuntur, idque unicè urgetur ut de alieno facto reſpondeam. An hoc æquum putabimus? Sed omiſſa querela rem ipſam videamus. Accuſor Samoſatenianiſmi, & blaſphemam doctrinam in ſinu fovere dicor, idque agere, ut hæc ipſa in Academiam veſtram Leidenſem introducatur. Nego factum, probationem poſtulo. Producuntur literæ duorum juvenum, qui pridem in iſtâ, poſtea in Franekeranâ ſcholâ literis incubuerunt: ſimulque duorum Eccleſiæ miniſtrorum atteſtationes citantur. In literis, vel decies relectis, nihil invenietur, quod me legitimè alicujus culpæ convincat. Studioſi, quos dixi, pridem ſui juris ſunt, nec ætate, nec rerum uſu ſatis inſtructi. Scribunt inter ſe de ſtudiis ſuis Theologicis: loquuntur de cauſa quadam communi, de cujus ſucceſſu gaudere ſe dicunt: Præceptoris ſui Vorſtii apologiam non malè ceſſiſſe, & vocationem Leidenſem hactenus proceſſiſſe lætantur: præterea Dantiſcum ad ſupradictos fratres ſcribunt, & libros inde acceptos inter ſe communicant: quin & libellum quendam Socinianum (quædam bona, quædam etiam mala & noxia continentem) clam ſuis ſumptibus excudi curant, interque amicos ſuos diſtribuunt: denique ſeſe invicem de prudentiâ, hic adhibendâ, inſtruunt, maxime propter alios, quos ipſi adverſarios & hoſtes ſuos nominant: idque ſibi à Viro quodam, cui plurimum omnes debeant, ſuggeſtum eſſe dicunt, &c. Hæc omnia mihi nunc exprobrantur, qui præceptor ipſorum fui antehac: non ſtudioſis ipſis, quorum erat de factis ſuis rationem reddere, ſuaſque literas amplius declarare. Quidam vero anonymus, & perquam acerbus gloſſator, per communem illorum cauſam Socinianiſmum intelligendum eſſe contendit, perque Eccleſiam, de qua illic agitur, Eccleſiam Socinianam, cujus dux ſit Vorſtius: qui & ipſe viam illis oſtenderit Dantiſci libros illos comparandi; immo qui autor ſit libelli illius clam editi, aut ſaltem editionis ſuaſor & impulſor: qui denique callida illa conſilia, de proceſſu ſubdole inſtituendo, iis ſuggeſſerit, & vulpinam pellem ſibi aptare docuerit, &c. At ſtudioſi ipſi, quorum hæ literæ ſunt, quibuſque omni jure interpretatio earum convenit, palam contra teſtantur: prout ex Deputatis veſtris intelligere vobis licebit: quippe qui dictos ſtudioſos, nihil tale opinantes, nec ab ullo mortalium prænonitos, quam accuratiſſime examinarunt. Summa eſt: cauſam communem, de qua loquuntur, non eſſe Socinianiſmum; ſed doctrinam moderatiorem de Prædeſtinatione, ejuſque appendicibus: Eccleſiam illam, de cujus ſtatu Ulricus ille quæſiverat, non eſſe cœtum Socinianum, ſed generatim Eccleſiam harum regionum. Vorſtium non patefeciſſe viam libros Socinianos Dantiſci comparandi, ut qui nullum ibi hominem noverit: neque hunc eſſe autorem libelli clam impreſſi, neque autographum ab ipſo profectum fuiſſe, neque ipſo conſcio, nedum vel directe, vel indirecte procurante, typis deſcriptum eſſe: denique Vorſtium non illum eſſe, cujus ſuaſu & juſſu callidum illum agendi modum ſibi uſurpandum putaverint, ſed alium quendam, cujus nomini merito parcendum exiſtiment. Sic ſtudioſi illi. Nunc quivis cordatus judicet, utri parti fides potius habenda ſit, ſtudioſis-ne, quorum hæ literæ ſunt, quibuſque earum interpretatio omni jure competitan gloſſatori anonymo, qui non modo inſtar vulpeculæ aliorum literas intercipit, referat, rimatur; ſed inſtar leonis contra charitatem & veritatem violenter eaſdem detorquet, & quaſi novus hæreticæ pravitatis inquiſitor, tyrannidem in conſcientias exercet, ea volens quaſi per torturam & carnificinam ex ſtudioſis illis exprimere, ſub quorum obtentu, ſuis adverſus innoxios truculentis affectibus indulgere poſſit. Appello vos ampliſſimi Domini, ecquæ tandem æquitatis ſcintilla hic appareat. Sed his omiſſis, pauca de me candide ac rotunde ſubjiciam, quæ calumniatoribus fugillare facilius erit, quam refutare. Ep. 167.

1. Socinianus, aut Ebionita, neque ſum, neque unquam fui; ſed Euangelicus Chriſtianus, & doctrinam illorum propriam de S. Triade, deque Perſona, & Satisfactione Chriſti, &c. diſcipulis meis nunquam inculcavi, ſed contra quoties occaſio ſe dedit conſtanter refutavi.

2. Nullam ego communem cauſam agnoſco, ſub qua Socinianiſmus deliteſcat. Neque Eccleſiam ullam Samoſatenicam in hiſce regionibus novi; ſed cum Euangelicis omnibus veram ac fraternam communionem in religione colui & colo.

3. De ſancta Triade generalem & perpetuum Eccleſiæ Catholicæ conſenſum retineo, quem & Daventriæ expreſſi, & amplius in Theſibus ibidem exhibitis declaravi.

4. Interim periculoſas quorundam de hac materia phraſes, & curioſas Scholaſticorum deciſiones in Scriptura nuſquam fundatas, ſtudioſe vito: nec quælibet Scripturæ teſtimonia promiſcue huc accommodo: Sed in ſimplicitate verbi divini prorſus acquieſco, ſtudens hoc ipſum myſterium ad uſum pietatis referre, per conſiderationem Trinitatis œconomicam.

5. Libros Socinianorum, quotquot nanciſci potui, hactenus evolvi: & quia difficulter quoſdam obtinere poteram, bis terve ad ipſos hac de re ſcripſi, idque humaniter & Chriſtianè, ad ſententiam ipſorum plenè cognoſcendam. Qua in parte nihil à me factum exiſtimo, quod non officium boni Theologi requirat, ne quid vel damnet, vel approbet, quod non ante probè cognoverit.

6. Hanc ipſam ad illos ſcriptionem, quæque hinc orta fuit familiarem notitiam, ante complures annos ipſe abrupi: Sic tamen, ut quæ in iis laudanda videntur laudare, quæque culpanda, culpare ſoleam.

Ep. 167. 7. Discipulos meos ipse nunquam ad libros illorum legendos incitavi: sed interdum paucis ultro petentibus, & acriter instantibus, præsertim jam mediocriter in Dei verbo fundatis, usum libri alicujus ad tempus concessi, & quidem eo fine, ut jam in sacro ministerio constituti solidè ac graviter, tum veritatem confirmare, tum falsitatem refutare possent. Sic enim fieri debere arbitror: contrà quam nonnulli solent, qui in scholis vel templis adversus Socinianos ita declamitent, ut auditores suos ab eorum libris legendis interim summâ vi absterreant.

8. Libros Socinianos ego in has regiones non importavi: sed ipsorum aliqui ante complures annos, cum multas provincias obirent, longe lateque eosdem disseminarunt.

9. Neque ego curiosa ingenia ad inquirendum in hæc scripta impuli, sed ii potius, qui lectionibus, aut disputationibus Socinum crebro in ore habent, & cum objectiones interdum solvere nequeant, magna cum iracundia & animi impotentiâ in opponentes, quasi Socinianos, debacchantur. Hinc enim juvenes, præsertim injuriis affecti, ad inquirendum facilè impelluntur: quia nitimur in vetitum semper.

10. Libellus Socinianus, de officio hominis Christiani, &c. me penitus inscio (Deum testor) nedum auctore, & promotore, clam editus fuit. Et cum primum mihi res innotuit, quosdam ex iis, qui edi curaverant, ad me vocatos acriter objurgavi.

11. Siquidem hoc argumentum valere debeat: Quidam discipuli Vorstii libellum hunc edi curarunt, ergo Vorstius libelli autor, aut editionis promotor est: multo magis hoc valebit: Quidam discipuli Sibrandi, Vorstio nunquam visi, aut cogniti, & Franekeræ degentes, ubi libellus editus est, editionem hanc procurarunt. Ergo Sibrandus auctor aut promotor est. Hujus enim discipuli tam facile meos, quam mei ipsius seducere potuerunt: præsertim cum ipse Socinum crebrius in ore habeat, quam ego.

12. Si quidquam est, quod contra aliquorum sensum in Ecclesias & scholas nostras introducere cupio, certè hoc est, quod Scholasticorum tricas & argutias, quas multi ex nostris, etiam cum opinione necessitatis, urgent, eliminare cupio; quodque omnibus persuadere studeo, puro Dei verbo potius insistendum, nec humanis scriptis, licet publicè receptis, ita serviliter, ut fit, adhærendum esse: sed illud solum pro unica fidei norma habendum; hæc vero duntaxat pro formulis publici consensus, quæ correctioni, & examini, ordine ac moderamine servato, semper obnoxia sint.

13. Opto præterea, & in id incumbo, ut materia prædestinationis, cum annexis, non ita rigide & absurde, ut à quibusdam fit, in Ecclesiis & Scholis tradatur; sed tota ex Scripturis hauriatur & ad pietatis profectum referatur. Ep. 167.

14. Illud etiam voveo, ut alii alios in rebus non fundamentalibus dissentientes, majore cum patientia & lenitate toleremus, quo paci Ecclesiæ melius consulatur, & sectæ ac schismata paulatim imminuantur.

15. Et quia omnes S. Ministerii candidati, quisque pro suo modulo, & vocatione, huc collimare debent, ut omnia sapienter ad ædificationem referantur, idcirco discipulos meos subinde ad hujus sapientiæ praxin exsuscito: ne intempestivo zelo plus destruatur, quàm ædificetur. At callida illa & subdola consilia, quæ in literis alicubi continentur, nemini unquam suggessi.

Atque hæc de studiosorum literis sufficiant. Ad testationes autem quod attinet, mirum est sane, quum tot honestissimi viri passim in literis hisce & glossis diserte nominentur (imo quasi publico probro per glossatorem exponantur) horum duorum testium nomina non exprimi. Nec injuria suspicari licet, ab his quasi per torturam expressa fuisse, quæ aliis volupe fuerit audire. Forte discipuli olim mei fuerunt. Sic sane credo. Sed quæ hæc agendi ratio, discipulos adversum præceptores, in ejusmodi causis, testari cogere? Siccine proditionibus illi suis, fidelem horum institutionem compensant? Sed quid tamen hi testes deposuerint videamus.

1. Prior ait se monitum à me fuisse, ne Catechesi Heidelbergensi, ubique, sive per omnia, fidem haberet tanquam doctrinæ extra omnem dubitationem positæ, &c. Etsi non recorder hujus monitionis, piam tamen & salutarem eile agnosco, apud eos scilicet, qui nimium fidunt scriptis humanis; qualis ipse tum forte fuit. Solum enim Dei verbum extra omnem dubitationis aleam ponendum est, neque hic honos ulli Catechesi, aut Confessioni humanæ tribuendus. Si aliter ipse sentit, haud leviter errat.

2. Addit & aliam monitionem meam, de non omittenda Socini lectione, quia res salutem concerneret. Si lectionem Socini à me necessariam judicatam dicit (quod adjuncta ratio innuere videtur) plane mentitur. Sin ut licitam, & doctis utilem, simpliciter approbatam; verum quidem dicit, sed male tamen omittit, quod semper adjicio, ut cum judicio & delectu legatur.

3. Judicium quoque meum aperit de ratione comparandi libros Socini, apud Dantiscanos. Fieri potest, ut ab ipso dolose sollicitatus id ipsum dixerim, quod ab aliis audiveram, imo petenti in schedula describi curaverim. Qua in re nullum peccatum agnoscere possum; modo cautio jam dicta servetur. Itaque proditor benemerito malam gratiam rependit.

4. Scriptum de Filiatione I. Christi, rogatu amicorum à me compositum fuisse, falsum testimonium est. Mihi enim soli (ut multa talia)

Ep.167. ſa) ex aliorum ſcriptis excerpſeram: non ut dogmaticum eſſet, ſed tantum memoriæ ſerviret. Quod an hujus patri aliquando legendum dederim (quid enim amicis non communicamus) equidem neſcio. Sed degeneris filii eſt, paternis amicis & benefactoribus hanc mercedem reddere.

5. Poſterior teſtis nihil penè novi habet, niſi quod de Oſiorodi libro aliquid attexit, in cujus margine paſſim ipſe quædam adſcripſerim. Eſto. Quid hac in re peccatum eſt? An nova tyrannis in Eccleſiam reducetur, quæ lectionem librorum hæreticorum prohibeat? & quidem promiſcuè omnibus, etiam doctis, etiam Doctoribus ipſis?

Habetis hic, Ampliſſimi Domini, plenam & ingenuam factorum omnium narrationem. In quibus ecquod tandem meum tam enorme peccatum ſit, cujus cauſa tam vehementer exagitor, ſcire admodum velim. In literis ſtudioſorum, juvenilem quandam imprudentiam, immo ferociam & proterviam agnoſco: quam ut excuſare nullo modo cupio, ita mihi tanquam auctori iniquiſſime tribui conqueror. Ajunt ipſi unanimiter, occaſionem ſibi à D. Sibrando præbitam fuiſſe, qui Socinum crebris convitiis inceſſeret, ſed interdum malè refelleret. Quidquid ſit, injuſtitia mera eſt, alienam culpam in me, licet innoxium, transferre. Gloſſator ait, talpis cæciores eſſe, qui quas ipſe ſtruxit conſequentias, non ſole meridiano clariores eſſe intelligant. At verè talparum inſtar in ſole cæcutiunt, qui hunc gloſſographum prorſus acerbo & virulento ſpiritu hanc cauſam egiſſe, non animadvertunt. Hoc enim totis viribus agit, ut lector præjudiciis occupatus, non modo de literis, earumque auctoribus, tanquam à me ſeductis, ſed de me potiſſimum, tanquam tetro, jamque convicto hæretico, peſſimè ſentiat. Immo huc tendit, ut non tantum munere docendi; ſed & omni honeſta exiſtimatione, fortunis denique omnibus, & ipſa vita priver. Quid reſtat, niſi ut hæreticus pila in os adacta carnifici tradatur? Hæc praxis Antichriſti eſt: an hunc imitabimur Euangelici? Equidem confido Illuſt. Hollandiæ Ordines, & fortiſſimum Principem Mauritium, prout hactenus permultis afflictis & oppreſſis adverſus injuſtam tyrannidem ſæpe ſubvenerunt, ita deinceps minimè permiſſuros, ut inauditus atque indefenſus unquam ad malevolorum arbitrium condemner. Si qua in re hactenus erravi, doceri paratus ſum & meliora docenti cedere. Certe non ita malè de Eccleſiis noſtris ſum meritus, dum voce & calamo Antichriſti regnum oppugno, ut talis adverſum me proceſſus inſtituatur. Appello igitur vos, Nobiliſſimi Domini (quippe quibus jam ex mutuo contractu devinctus ſum) opem in hac injuſtâ oppreſſione mihi feratis. Nihil adverſus pacta conventa, ſciens prudens, huc uſque deliqui. Paratus ſum omnia facere, quæ vos juſſiſtis, quæque ego promiſi. Nihil etiam aliud in doctrinâ jam molior, aut ſentio, quam quod ab initio vobis aperte ſignificavi: Prophetandi libertatem, quam amo & propugno, jam ante publico ſcripto aſſerui. Limites in profeſſione mihi circundatos religioſe ſervo. Quid igitur in me culpari poteſt? Gloſſographus ait; Deum multorum fratrum ſuſpiria exaudiſſe, quodque latuerat jam detexiſſe. Quidnam hoc ſit, ipſe noverit. Hoc ſcio, me nullam cuiquam contra me ſuſpicandi cauſam juſtam in doctrinâ dediſſe. Sciat ipſe viciſſim, Deum mea quoque & meorum ſuſpiria & lachrymas, à calumnia & violentia expreſſas, ſuo tempore clementer aſpecturum. Appellat me, & quoſdam alios, Eccleſiæ proditores, qui jam deſerendi ſimus ab iis, ſub quorum umbra & favore latere nos poſſe crediderimus. Deus injuriam ipſi condonet. Nunquam Eccleſiam Dei prodidi: ſed pro virili mea ornavi & defendi. Hominum favorem nunquam jactavi, nunquam magnopere quæſivi. Hoc tamen ſcio, me Principum Virorum gratiâ & favore nunquam ad oppreſſionem proximi mei abuſum eſſe. Quid gloſſator hic agat, ipſe viderit. Judex ante fores adſtat. Sed abrumpo.

Vos Ampliſſimi Domini ſcriptionem hanc, præ temporis anguſtiâ properatam, in optimam partem accipietis, proque prudentiâ veſtrâ, ubicunque opus erit, ad benignam mei defenſionem adhibebitis. Interea Deum ſupplex in nomine Jeſu Chriſti oro, ut D. D. veſtras diu florentes & incolumes ſervare, veſtrumque erga me pium affectum perpetuare dignetur. Scriptum Steinfurti 3. Auguſti, Anno 1611.

Nobiliſſ. Dominationibus Veſtris in Chriſto addictiſſimus,

CONR. VORSTIUS D.

Ep.168.

CLXVIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

CLariſſime D. Doctor, frater in Domino Jeſu venerande: Salvi & incolumes Trajectum pervenimus decima ſextâ ſub veſperam; ubi me ſubſiſtente D. Zeiſtius poſtero die Woerdam, & inde Leidam profectus eſt, è veſtigio de actis relaturus. Error tamen à nobis commiſſus craſſius ſatis in eo, quod tu poſtremum ſcriptum tuum manus tuæ ſubſcriptione non roboraveris, neque nos, ut id faceres, urſerimus; quem errorem demum animadverti ego in ſcripti iſtius relectione, ſub ipſum D. Penſionarii diſceſſum. Putamus natum ex nimiâ feſtinatione & tua & noſtra. Neceſſe igitur erit, ut id nitidè deſcriptum, & manus tuæ ſubſcriptione firmatum, nobis mittas quam fieri poteſt ociſſimè; ut id authen-

Eccleſiaſtes.

Ep. 169. thenticum tradere possimus: id enim quod habemus, authenticum non est. Ego tuam Exomologesin de tribus illis fidei capitibus, omnibus qui hic sunt fratribus, hujus Ecclesiæ, tum Gallicæ, tum Belgicæ pastoribus, communicavi, & super illis illorum judicia exquisivi. Qui id haud gravate exposuerunt, iisque in hunc modum subscripserunt.

Nos infra scripti verbi divini administri sancte testamur, sententiam Catholicam omnium per totum Christianismum quam late patet Ecclesiarum, adeoque etiam Reformatarum, de Sacrosancta Trinitate, Persona Christi, ejusdemque pro peccatis nostris Satisfactione, ita plene, plane, & perspicue superioribus tribus articulis expressam, ut nihil amplius à quoquam in hoc argumento desiderari posse videatur.

Statui & plurium fratrum judicia rogare, eaque quorundam artibus opponere. Fratres quidam, inter quos & D. Fontanus, qui heri vesperi huc appulit, Arnhemium, ut videtur, transiturus, conventum habuerunt Leidæ; quid egerint latet: sunt qui putant de obtinenda Synodo Nationali: sunt qui de tua Reverentia deliberationem instituisse putant. Haga à collegis meis nihil de toto hoc negotio ad me scribitur. Festus Leidæ dicitur publice Deo egisse gratias de detectis hæresium monstris. Schiedamenses duo ministri egregie dicuntur debacchati in novatores, qui tot hæresium & portentorum monstra foveant. Magistratus quidam, & nominatim Delfensis & Roterdamensis, dicuntur jam admodum his Frisiorum litteris permoti, existimantes probationes sufficientes deesse. Rumor de hac re hic proseminari incipit, sed variè. D. Zeistius benè animatus hinc discessit; exspecto quid effecturus sit, de quo quantocius se mihi scripturum pollicitus est. Tu interim bonæ conscientiæ testimonio coram Deo fretus, huic innocentiam tuam commenda. Interea scriptum illud ad nos quantocius mitte. Ego non desinam ad te perscribere, quis Curatoribus & Proceribus in gravi hoc negotio futurus sit animus. Bene Vále, vir Clarissime. Deus te soletur & corroboret in interiore homine. Saluta quæso modestissimam & honestissimam matronam conjugem tuam. Trajecti 19 Augusti Novi Stili 1611.

Tuus in Domino

J. UYTENBOGARDUS.

CLXIX.

CONRADO VORSTIO

ADRIANUS BORRIUS.

Ecclesiastica.

CLarissime D. Doctor, Frater honorande. Ternas à te accepi, quarum duæ posterio-

res mihi soli inscriptæ fuerunt, primæ mihi cum D. D. Uytenbogardo & Bertio communes. Scire desideras quæ sit rerum apud nos constitutio, optasque litteras tibi occurrere Daventriæ, quo vel tunc constare tibi de omnibus possit. Satisfaciam, quoad ejus fieri potest, desiderio tuo. Negocium vocationis tuæ magna animorum contentione agitatum fuit proximis Comitiis, quibusdam hoc non obscure agentibus, ut, præsuppositio eo quod ipse in litteris apologeticis fateris (veluti de Catechesi cum discretione legendâ, commendatâ librorum exoticorum lectione, & aliis consimilibus) ἀπλῶς (*præcise*) damnareris; aliis autem se animose contra opponentibus, & contra omnes leges humanas divinasque fore sustinentibus, hominem absentem, inauditum indefensumque condemnare. Tandem decretum factum est, unanimis pæne omnium (paucis exceptis) suffragiis, te proximis Comitiis (quæ erunt xx. Octobris nostri vel circiter) contra accusatores coram audiendum, & deinde concludendum quod maxime ex æquitate esse comperietur. Hunc in finem ad Frisios nomine illustrium Hollandiæ Ordinum scribendum est, ipsique monendi, ut ad condictum tempus aliquos è medio sui huc ablegent, qui contra te accusationes instituant, &c. Hæc summa decreti. Est igitur quod te pares ad ultimum hunc insultum sustinendum; quod si possis, tum mœror tuus in sacrosanctum gaudium commutabitur, nosque omnes voces εὐχαριστικὰς (*gratiarum actionis plenas*) ad Deum nostrum, & ad Servatorem Jesum tollemus. Cæterum, Trebatium in carcere detineri Leowardiæ proculdubio tibi innotuit; addo & hoc, novas ibidem inquisitiones adversus te institui. Corradentur ergo undique quæcumque poterunt ad te gravandum. Legatus Anglicus in consessu Ordinum Generalium comparuit, ibidemque vehementer contra te paratragediavit. Anne ex mandatis Principis sui, an vero proprio motu, adhuc ignoramus. Molinæi vocatio sine effectu est, quia Ecclesiæ Gallicæ ipsum dimittere gravantur. D. Syndicus te expectat, paratumque tibi erit apud ipsum hospitium. Solare te causæ bonitate; Speramus omnia bene cessura, Deo favente. Non possum plura. Uytenbogartius adhuc Ultrajecti est, ibidemque substiturus ad dies quindecim, postea ad suos rediturus. Non improbamus ut terra iter instituas, quamquam etiam sine periculo mari te committere queas. Non enim quicquam est periculi in vicino emporio. Bene vale clarissime vir. Deus te ad nos incolumem deducat. 23 Sept. nostri. 1611. Excudor tempore.

CLXX.

CLXX.

ISAACUS CASAUBONUS

PETRO BERTIO S.P.

Vide quam bene conjeceris, cum rem gratam te mihi facturum credidisti, si librum tuum ad me mitteres: nam ego frustra conatus eum reperire Londini, in eo eram, ut precibus eum à te extorquerem. Nonus jam mensis agitur, cum in rustica domo magnatis cujusdam Diatribam illam tuam ostendit mihi Richardus Thomson vir doctissimus & mihi amicissimus, ac licet animi causâ festo die eo diverteram, percurri tamen dissertationem tuam ἐκ τοῦ κεφαλαίου. (*à capite ad calcem*) Si quæris quid sentiam, respondeo tibi: Theologum me non esse, & nosse ἐκ τοῦ μέτρου. (*ex mensura*) Pronuncient igitur, quorum est ea cognitio. Non negabo tamen multos annos id agere me, ut τύπον (*formam*) veteris fidei penitius cognoscam. Capior lectione Patrum: admiror eorum pietatem: novitates non sapiunt palato meo. Tua quæstio pendet ab alia, vel aliis, de quibus video nostros contraria docere antiquis Patribus. Ridicule faciunt, qui hoc negant. Multa in eam rem haberem, de quibus tecum agerem, si una essemus: quæ scribere non est è re. Pelagianismum fugiunt qui fugiunt, quum non animadvertant se transire in partes Manichæorum palam & manifesto. Fugiamus illa abrupta. Non solum moralis virtus, sed etiam vera pietas posita in medio. Qui deserunt, incidunt in Scyllam, cupientes vitare Charybdin. Ego ita comparatus sum, ut consensum primævæ Ecclesiæ magni faciam. Illis longe dissimilis, qui scelerate Cyprianum Anabaptistam vocant, & dum petunt hodiernos Pontificios, veterem Ecclesiam feriunt. Inde igitur novæ quotidie sententiæ, donec eo tandem ventum est, ut Deus negaretur esse infinitus, æternus, omnipotens, futuri gnarus. Quid miremur? Postquam reverentia sublata est, quæ debetur primis Ecclesiæ doctoribus, non potest evitari, quin novæ subinde pullulent opiniones τερατώδεις. (*portentosæ*) Non enim hodie creditur Petro, qui negat τὰ τοιαῦτα (*Scripturam*) esse ἰδίας ἐπιλύσεως. (*propriæ explicationis*) Quoties audivi concionatores, qui dicerent: Omnia pervia esse, omnia cuivis aperta, omnibus petentibus aspirare Spiritum Sanctum? Audivi Parisiensem ministrum centies defendentem hanc thesin: Sacram Scripturam nulla cujusquam interpretatione opus habere, quod etiam obiter significat in libro de Eucharistia. Quum objicerem periculum ei insanæ sententiæ conjunctum, nihil egi. At quæ hæresis non admittitur, si hæc doctrina admittitur. Talia multa istorum placita sunt, à quibus animus abhorret meus. Liber Richardi Thomsonis ejusdem argumenti cum tuo mihi lectus est. Eum puto jam editum in Germania & tibi visum. Si meo consilio usus esses, tuum librum ad præsulem illum non misisses, ad quem misisti. Is vir summus est, & δεισιδαιμονέστατος, (*religiosissimus*) sed, ut multi credunt, alterius sententiæ. De me volo tibi notum esse & pertualium, licet sacræ paginæ lectioni qua possum diligentia incumbam, non tamen id mihi tribuere, ut putem, in summa fidei aliquid vel minimum ingenio meo esse mihi indulgendum. Sed de his cum voles plura. Sit modo certa ratio litteras mittendi. De munere tuo gratias ago tibi gratissimas. Vale. Londini propridie Kal. Octobris CIↃ IↃC XI. Ep. 171.

CLXXI.

REX MAGNÆ BRITANNIÆ

Ordinibus Fœderati Belgii.

ILlustres & potentes Domini. Cum ex Responsione vestra ad novissima Legati nostri postulata intelligeremus, vobis propositum esse, proximis Comitiis, quæ in Novembrem indicta sunt, expedire hoc quicquid est negotii de nefando Doctore Vorstio: visum nobis est (etsi hactenus per Legatum declaratâ satis super ea re sententia nostra) per literas in memoriam ea vobis revocare: simul officio erga Deum, & defæcato in vos affectui nostro satisfacere. Inprimis igitur persuasum habemus, non posse vos vel suspicari, ullis rerum mundanarum momentis adduci nos ad molestiam, præsertim in hujusmodi negotio, vobis exhibendam: nisi erga Dei gloriam zelus, & desiderium quo flagramus, materiæ omnis scandali quod Reformatæ Ecclesiæ impendet, maturè prævidendæ & præcidendæ eò nos impelleret. Volumus itaque existimetis, non posse nos satis mirari, quod Vorstium teterrimam hominis pestem non modo appellandum censuistis ad locum adeo conspicuum, sed & libellum apologeticum vobis dicare, & vestris auspiciis in vulgus edere permisistis. Libellum certè, cui nihil inest præter impudens patrocinium putidarum & execrabilium, quas in priore libro evomuerat, blasphemiarum. Atque hæc nunc scientes prudentes affirmamus. Ex quo enim superiores ad Legatum nostrum dedimus, propriis oculis legimus & relegimus (quamvis non sine dolore & stupore) utrumque ejus libellum: alterum Mauritio Hassiæ Lantsgravio nuncupatum; alterum vobis. Profecto vitiata illa sementis, quam inter vos ante aliquot annos disseminavit inimicus Deo Arminius, (cujus discipuli & sectarii nimium adhuc in ditionibus vestris & frequentes sunt & audaces) satis superque vos monuisse poterat, ut in posterum ejusmodi pestes præcaveretis: popularibus vestris horum hominum impulsu in partes & factiones jam- Dictæ Versus.

Ep.171. pridem distractis. Quod ut concordiæ maximè est contrarium (ea secundum Deum unicum est Reip. vestræ robur & firmamentum) ita nisi maturè & providè obviam eatur, non potest non afferre paulatim totius Reip. internecionem. Verum quidem est, nos non ante inaudivisse de Arminio, quàm & defunctus esset, & de eo Ecclesiæ omnes Reformatæ in Germania pleno ore conquererentur. Sed non citius nobis innotuit animorum dissidium, quod in Rep. vestra moriens reliquit; quin statim arrepta occasione, ex Legatorum vestrorum, qui tunc extraordinarii apud nos erant, præsentia, eodem quasi momento declaraverimus, quid nobis maximè videretur ad Reip. vestræ bonum incolumitatemque conducere. Quod & ipsos fideliter retulisse non dubitamus. Quid est enim, quæso, quod ampliùs dubitetis de arrogantia hæreticorum, vel potius Atheo-sectariorum in civitate vestra Leydensi degentium? cum ex eorum numero unus, non solum ausus sit blasphemum noviter librum emittere, *de Apostasia Sanctorum*; nisi eo etiam processisset impudentiæ, ut exemplar unum Archiepiscopo Cantuariensi dono mitteret, una cum epistola: in qua juxtà ac in libello, non erubescit ita crasse mentiri, ut affirmet hæreses libro suo expressas à professione Ecclesiæ nostræ Anglicanæ non dissentire. Nimia igitur nobis supperit occasio obnixè vos obsecrandi, ut hæreses & dissidia inter vos pullulantia tempestive exterminetis: ne si laxiores iis habenas permiseritis, non alium rebus vestris exitum sperare debeatis, quàm à Deo maledictionem, apud Ecclesias omnes Reformatas infamiam, & in Republicæ vestræ corpore perpetuum dissidium & distractionem. Quòd si miser ille Vorstius, quas hactenus publicavit blasphemas hæreses & atheismos inficiabitur, vel in iis emolliendis æquivocatione utetur; hoc illi forsitan prodesse poterit ad vitam producendam, ne concremetur (quo genere supplicii an ullus unquam hæreticus exiterit dignior, in eo Christianam vestram prudentiam appellamus.) Sed ut ulla vel defensione, vel abnegatione tutus, in medio vestrum vivat, & dogmatis suis instillandis quasi ludum aperiat, ita nefarium foret, ut certo nobis persuadeamus, neminem unquam vestrum tale quid cogitaturum. Nam ut hoc detur, eum crimina sibi objecta posse diluere, & innocentiam suam in plerisque probare, (quod tamen ille vix unquam effecerit) scandali tamen ea manebunt vestigia, quæ abunde sufficerint ad hominem finibus vestris extrudendum. Non ignoratis quid de Cæsaris uxore proditum sit, non satis esse quod fuerit innocens, cum vacare debeat etiam omni criminis suspicione: quanto major vobis adhibenda est cautio in hoc tanti momenti negotio? quod ad Dei gloriam spectat, animarum vestrarum totiusque populi salutem, & Reipublicæ vestræ securitatem. Nec ferendum ut incendii tam periculosi vel sola scintilla inter Ep.171. vos delitescat. Credibile enim est, Vorstium actionum conscientia perterritum venenum in corde latens negando dissimulaturum. Ecquid enim non negaverit, qui æternitatem & omnipotentiam Dei negat? Sed sit innocens, non est tamen tanta in Ecclesia Dei virorum eruditorum capessendo ei muneri idoneorum penuria, ut non alii reperiantur, quorum famæ non hoc incumbit scandali, quod Vorstium ita decoloravit, ut longa prius opus sit pœnitentia, & multis probationis annis, quàm maculam hanc possit eluere. Illud autem vobis in primis providendum est, ut venenata hominis doctrinâ juventutem corrumpi non finatis; ne ubi pedem se fixisse & conditionem apud vos firmasse senserit, rursum ad ingenium redeat, & vomitum repetat intermissum. Quod reliquum est, rogamus habeatis persuasum, solo erga Remp. vestram studio adigi nos ad liberè sic vobiscum loquendum: nihil addubitantes, quin, sicut ea, quæ nos scribimus, à puro conscientiæ zelo proficiscuntur: ita Deus vestris, quod in rem vestram erit, mentibus sit insculpturus: adeoque vestra superre tanti momenti consilia, ad nominis sui gloriam, vestram securitatem & honorem, hæreseōn & atheismorum nascentium extirpationem, nostrum denique & omnium Reformatarum Ecclesiarum, quibus offendiculo fuerunt, vota & mentem esse ostura. Contrà vero, si quam de vobis spem concepimus frustrati, (quod Deus avertat) hujusmodi pestes hominum inter vos postmodum toleratis, qui effræni quadam licentiâ hæreses intermortuas & jampridem damnatas audebunt ab inferis revocare; aut novas, doctrinæ Ecclesiæ vere Catholicæ repugnantes, procudere, cogemur vel inviti advertus hasce blasphemias aperte protestari. Et quando Deus nos titulo *Defensoris fidei* voluit ornatos, non nobis solum à falsarum & hæreticarum Ecclesiarum communione facienda est secessio; sed & reliquæ Reformatæ Ecclesiæ, quantum potest, excitandæ, ut in commune consulant de detestandis hæresibus noviter exortis maturè extinguendis, & adusque inferos, unde manarunt, relegandis. Nosmet ipsos verò quod attinet, juventuti nobis subditæ edicere oportebit, ne loca pestilentiâ opinionum infecta, ut est Lugdunensis Academia, in posterum frequentent. Sed meliora speramus, & ominamur. Neque diffidimus misericordiæ Dei, fore, ut quemadmodum tot retro annis ab externis hostibus vos liberavit, & Remp. vestram non ita pridem cœpit constabilire, magno omnium amicorum solatio, (nostro autem inprimis, qui ope & auxilio, quoties opus fuit, nunquam defuimus) ita deinceps non derelinquat in prædam inimicis spiritualibus, nihil magis inhiantibus, quàm Reip. vestræ à fundamentis eversionem. Qua fiducia freti, vos actionum

Ep. 172. numque veſtrarum fælices ſucceſſus ejuſdem Dei tutelæ commendamus, vobis ut hactenus futuri ſemper benevolentes. Dabantur ex Regia noſtra Weſtmonaſterienſi pridie Nonas Octobris anni 1611.

JA. REX.

CLXXII.

REX MAGNÆ BRITANNIÆ

RUDOLPHO WINWOOD,

Legato ſuo.

Detenſa Forſm.

DIlecte & fidelis, &c. Ex Reſponſione DD. Ordinum Generalium ad poſtulata de Vortio noſtro nomine per te expoſita certiores facti, rem totam ad aliquot dies eſſe prorogatam, & multis bonisque argumentis adducti, plures eſſe ac potentiores illi, quàm vellemus, patronos; placuit priorem noſtram ſuper hac re monitionem, per literas ſatis quidem prolixas & ſerias, ac propria manu exaratas, quæ haſce comitantur, Ordinibus denuo commendare. Eas Comitiis proximis, ad hoc negotii procurandum indictis, Ordinibus trades: quàm poteſt vehementer ab iis contendens, ut velint non modo blaſphemum hoc hominis monſtrum, cujus res agitur, extra fines ſuos ejicere; verum etiam rationem inire, qua tam Lugduni, quàm in aliis civitatibus eorum imperio ſubjectis, præcidatur libertas diſputandi de frivolis quæſtionibus, quæ temporis progreſſu infinitas haud dubiè opinionum novitates veræ religionis theorematis ex diametro repugnantes, in Eccleſiam eſt introductura. Ut autem ad ea, quæ noſtro nomine proponenda ſunt, plus accedat authoritatis; ecce tibi unà Epilogum præcipuarum blaſphemiarum, ex eo libro, qui totus in hoc genere eſt, levi manu excerptum. Quod ſi ſpei irriti ſtudio & ſollicitudine noſtra non impetramus ab Ordinibus, ut non nobis, ſed univerſæ Eccleſiæ Dei animum inducant ſatisfacere: hoc caſu volumus te apud D. Ordines Proteſtationem prius factam, atque ultimis literis noſtris expreſſam, repetere: ſimul noſtro nomine denunciare, facturos nos brevi, ut eorum à fide & vera Chriſti Eccleſia apoſtaſia Chriſtiano orbi innoteſcat. Apoſtaſiam dicimus eorum, quibus illi fautores defenſoreſque. Quæ tamen verba, quod duriuſcule ſonare videantur, noſtris ad Ordines literis non ante inſerenda exiſtimavimus, quam aliorum omnium remediorum concideret expectatio. Sed meliora vovemus; & fæliciores propediem exitus nobis pollicemur. Dabantur ex Regia noſtra Theobaldi pridie Nonas Octob. Anno 1611.

CLXXIII.

REGI MAGNÆ BRITANNIÆ

CONRADUS VORSTIUS

Supplicatio ad Regem Mag. Brit.

SEreniſſime ac potentiſſime Rex, Clementiſſime Domine,

Præmiſſa cæleſtis gratiæ & pacis à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto ſancta precatione, nec non humillima ſervitiorum meorum omnium oblatione, ſupplex à Sereniſſ. V. M. veniam mihi dari peto, quod ego, non modo peregrinus & ignotus, ſed & infimæ penè ſortis homo R. M. V. epiſtola hac ſupplicatoria compellare non erubeſcam. Cauſæ enim, quam Ser. M. V. cognoſcendam defero, ſumma gravitas, immo ſanctitas, hanc mihi ſcribendi neceſſitatem impoſuit. Eximia vero R. M. V. clementia, conſentientibus piorum vocibus ubique hactenus prædicata, ut ſcribere auderem, trepidanti aliquandiu mihi tandem perſuaſit: Clementia inquam illa vere regia, qua vel ſola Deum optimum maximum, cujus in terra vicarii eſtis, quotquot boni magnique Reges eſtis, quam illuſtriſſime nobis refertis. Is enim, quamvis altiſſimus ſit, tamen ad humiles & afflictos, ſeque coram Majeſtate ipſius dejicientes, clementiſſime reſpicit; prout ipſe non obſcure per Prophetam teſtatur. Sed ne R. M. V. exordio prolixiore detineam, ad rem ipſam recta ſtatim aggrediar. E Germania ante annum à Nobiliſſimis Academiæ Leidenſis Curatoribus evocatus, in Hollandiam ante pauculos dies appuli; S. Theologiam ex ſacro Dei verbo, juxta harmoniam Confeſſionum Euangelicarum (prout habet obligationis noſtræ formula) Deo clementer adjuvante, publice hic docturus. Vix autem pedem in haſce Provincias intuli, cum non ſine maximo animi dolore ac conſternatione intellexi, Magnificum & Nobiliſſimum Virum Rodolphum Winwood, R. M. V. in hiſce partibus Legatum digniſſimum, ex ſingulari S. M. V. mandato, in conſeſſu Illuſtriſſimorum Fœderatæ Belgicæ Ordinum Generalium, adverſus me miſerum, tanquam non unius hæreſeos & atheiſmi reum, ſaltem jure meritoque ſuſpectum, graviter admodum peroraſſe: & nominatim, ne profeſſioni jam dictæ admoverer, immo ut exemplari caſtigationi ſubjicerer, R. M. V. nomine poſtulaſſe: adeoque hoc fine ſententias quaſdam, velut ex Tractatu meo de Attributis Dei excerptas, & hæreticas impiaſque à Ser. M. V. judicatas, iiſdem Ordinibus exhibuiſſe, &c. Quo nuncio, præter omnem expectationem accepto, graviſſime perculſum me fuiſſe, novit inprimis Deus; norunt etiam aliquatenus amici, qui recenter advenientem ſubinde inviſerunt; ipſe vero in animo pariter & corpore ſatis ſuſperque experior. Equidem laudatiſſimum

Ep.173. R. M. V. zelum, in asserenda Dei Christique gloria, & conservanda orthodoxæ Religionis puritate, ut humillimo, ita gratissimo animo hic agnosco: Deumque omnis boni largitorem toto pectore precor, ut mentem hanc pientissimam, quæ talem tantumque fidei Christianæ Defensorem quam maxime decet, Ser. M. V. perpetuam esse velit. Quo magis etiam cordi meo dolet, ejus Regis iram & indignationem me incurrisse, cui vel soli inter omnes hujus ævi mortales in primis placere cupiebam, quemque non modo ob potentiam & dignitatem Regiam demisse mihi verendum; sed etiam ob insignem sapientiam, & erga Deum pietatem, singulariter amandum, & quasi Numen aliquod terrestre colendum esse, sciebam. Interea spe non dubita fruor, eam esse semperque fore R. M. V. clementiam, ut mihi pro me ipso paucula dicere paranti, & speciatim sententiam meam super articulis illis excerptis plenius exponere cupienti, audientiam benignissimam minime sit denegatura. Itaque ad Ser. M. V. pedes humillime advolutus, ante omnia suppliciter rogo, sinistram illam hæreseos & impietatis suspicionem, de me forte aliquatenus conceptam, clementissime abjicere dignetur. Novit enim Deus exactissime, & post Deum conscientia mea, toto me pectore ab hisce criminibus abhorrere, semperque abhorruisse. Scio quidem, & ultro fateor, erroribus me, ut cæteros mortales, obnoxium esse. Sed neque pertinacem me in istis retinendis hactenus ulla ratione ostendi; neque vel minimum fidei Christianæ fundamentum, in sacris Literis uspiam indicatum, convellere unquam tentavi. Quæ duo tamen, communi sapientissimorum hominum consensu, ad veram hæresin, aut impietatem in negotio Religionis coarguendam, necessario requiruntur. In Tractatu quidem de Deo humanas aliquot opiniones, seu placita Dd. Scholasticorum, paulo curiosius in utramque partem excussi. Nihil tamen adversus sacrum Dei verbum, aut unanimem Ecclesiæ Catholicæ consensum, præsertim in rebus scitu necessariis, ibidem definivi. Quin potius hoc operam dedi, ut quædam satis audacter, cum opinione necessitatis, extra Dei verbum ab aliis definita, non quidem falsa & absurda, sed vel incerta & dubia, vel saltem non ad salutem scitu necessaria esse ostenderem: atque ita rationem quandam minime contemnendam obiter commonstrarem, qua generalis aliqua συγκατάθεσις, (*convenientia*) immo pax & concordia, hactenus à piis omnibus expetita, sed à paucis serio procurata, inter Ecclesias Euangelicas adversus Antichristi regnum paulatim constitui; contraque sectæ & schismata, quibus ubique misere circumfluimus, magis magisque imminui possint. Quem mihi scopum hic vere propositum fuisse R. M. V. facile intelliget, si ad totam tractatus nostri seriem attendere aliquando dignabitur. Interim Ser. M. V. quanta maxima possum animi submissione iterum iterumque rogo, ut de studiis nostris, quippe Deo & Ecclesiæ orthodoxæ jam olim consecratis, clementissime in posterum judicare, adjectamque hanc articulorum excerptorum Exegesin, brevem quidem illam, sed fidelem & sinceram, animo & vultu serenissimo excipere, proque eximia sapientia sua in timore Domini expendere, denique mihi misero, & plus satis ob studium pacis & veritatis afflicto Christi servo, in visceribus ejusdem Servatoris nostri Jesu Christi gratiosissime deinceps favere ne dedignetur. Deum verò pacis & misericordiæ supplex oro, Ep.174

Serenissime ac potentissime Rex, clementissime Domine, ut R. M. V. Spiritu sapientiæ ac prudentiæ magis magisque instruere, nec tantum regnorum suorum, sed & totius Christiani orbis bono, cum universa regia familia diu florentem & incolumem conservare velit. Amen. Lugduni Batavorum 13 Octobris. Anno Christi 1611.

Ser. M. V.

Humillimus ac devotissimus in Christo servus

CONRADUS VORSTIUS D.

CLXXIV.

ARCHIEPISC. CANTUARIENSI

CONRADUS VORSTIUS.

Gratia & pax à Deo Patre & Domino nostro I. Christo.

Regat ut pro ejus apud Regem intercessione.

REverendissime Præsul, & Domine summa cum observantia mihi colende.

Quod Reverendissimam Dominationem tuam literis meis homo peregrinus & hactenus ignotus interpello, causa valde gravis est. Cujus intuitu spero etiam Excell. Tuam huic audaciæ meæ veniam haud gravate daturam. Quanquam vel sola sanctorum communio, præter S. ministerii, licet in disparibus gradibus, à Deo nobis commissi, societatem, abunde hac in parte me purgaverit. Causam vero ipsam in literis ad Ser. R. M. exaratis plenius exposui. Quas quia Dig. Tuæ communicatum iri non dubito (immo quia copiam earum hic ad Excell. Tuam mitto) idcirco summam tantum breviter indicabo. Nempe visum fuit Ser. R. M. per Legatum suum Nobilissimum D. Rodolphum Winwood, Illustrissimos Belgicæ Fœderatæ Ordines Generales de me, tanquam hæresibus & impiis opinionibus addicto, à professione Theologica (ad quam legitime vocatus eram) prorsus excludendo, immo exemplariter castigando, verbis gravissimis aliquoties admonere. Unde ingens animo meo dolor obortus fuit: tum consideratione

Ep. 174. ne periculi, quod hinc mihi meæque familiæ paratum videbam; tum maxime reſpectu inſperatæ offenſionis atque indignationis, ab illo Rege advertim me conceptæ, quem hactenus unum inter omnes hujus ævi mortales maxime ſuſpexi, cuique & ſtudia & obſequia mea inprimis approbare cuperem. Cogitanti autem mihi de ratione Regiæ hujus iræ & indignationis mitigandæ, & ſiniſtræ de me conceptæ opinionis ex animo illius amovendæ, Dominatio Tua potiſſimum in mentem venit: quippe quam & gratia ſingulari apud Ser. R. M. plurimum pollere, & afflictorum Chriſti ſervorum patrocinium haud illibenter ſuſcipere, ab amicis aliquoties audiveram; immo ſine cujus accurato conſilio Ser. Regem nihil in cauſis hiſce Theologicis ſtatuere, plane mihi perſuadebam. Te igitur, ampliſſime Præſul, per Chriſti charitatem enixe rogo, apud Ser. R. M. interceſſione paſtorali tua ſuccurrere mihi ne graveris: ſaltem hactenus, ut legitima & plena cauſæ meæ cognitio ante ſententiæ dictionem, multoque magis exſecutionem, in timore Domini ſuſcipiatur: nec prius hæreſeos aut impietatis nomine condemner, quam pertinacis erroris, & quidem in aliquo veræ fidei fundamento, legitime ex Dei verbo convictus fuero. Sanctè namque coram Deo teſtor, ab hæreſi & impietate omni tam me, animo ſaltem & affectu, alienum eſſe, quam qui alieniſſimus eſt. Errare poſſum, & forte ſoleo (quod omnibus mortalibus commune eſt) ſed hæreſes & impietates omnes interim ex animo deteſtor. Tractatus ille meus de Attributis Dei, (unde ſubinde quædam, velut ἀπλότης, mihi objiciuntur) etſi nimia fortaſſis ἀκριβολογία, (*curioſitate*) ſeu curioſiore inquiſitione, alicubi laborat; nihil tamen adverſus apertum S. Scripturæ ſenſum, nihil adverſus unanimem Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſum, præſertim in rebus ſcitu neceſſariis, uſpiam determinat. Multa illic problematice in utramque partem more ſcholaſtico diſputantur: multa in perſona diſquirentis tantum dicuntur, quæ non continuo mihi pro meis imputanda ſunt. Multa etiam in hypotheſi, reſpectu certi alicujus S. Scripturæ loci, aut peculiaris cujuſdam circumſtantiæ, illic afferuntur, quæ non ſtatim ad generalem theſin extendenda ſunt. Alioqui nullus erit errandi, aut ſiniſtre ſuſpicandi modus aut finis. Exegeſin igitur brevem ad Ser. Regem, ſimulque ad Te, Antiſtes Reverendiſſime, hic mitto, eorum ſcilicet articulorum, quos ſupradictus Regiæ Majeſtatis Legatus, tanquam ex libro meo tranſcriptos, & hæreſeos à R. M. notatos, prædictis Illuſtriſſimis Ordinibus exhibuit. Hanc ut Dominatio Tua pio affectu perlegere, ſerioque apud animum ſuum expendere dignetur, etiam atque etiam oro. Ita quidem futurum ſpero, ut & Dignitas Tua innocentiam meam in hac cauſa clare perſpiciat, & abalienatum à me Ser. Regis animum benigna interpretatione ſua placare & poſſit & Ep. 175. velit. Unde porro ſua ſponte ſequetur, ut & Ser. R. M. & R. Tua Dignitas, apud prædictos Ordines Illuſtriſſimos non minus ſedulo pro cauſæ meæ, nunc prorſus afflictæ, promotione deinceps ſint interceſſuræ, quam hactenus eidem ex ſancto divinæ gloriæ zelo acriter obſtiterunt. Quod cum divina favente gratia ſic obtinuero, tum demum ingente beneficio ab Ampliſſima Tua Dominatione affectum me eſſe agnoſcam, meque viciſſim omnia officia, quæ à tenuitate mea proficiſci poſſunt, eidem debere perpetuo fatebor. Tum denique in Domino lætus illud Salomonis Pro- *Prov. 16.* verbium ad laudem tuam ſemper uſurpabo: *Ira Regis ſunt quaſi nuncius mortis: ſed vir ſapiens placavit eam.* Vale Antiſtes ampliſſime, ac Domine mihi demiſſiſſimè colende. Deus Opt. Max. Pater illæ omnis miſericordiæ, ad veram erga me σωφρόνως, & commiſerationem Chriſtianam, Tuæ Dignitatis animum efficaciter inflectat, idemque ſanctis curis ac laboribus Dignitatis Tuæ quam copioſiſſime ex alto benedicat. Amen. Lugduno Batavorum 13 Octobris, ſtilo novo. Anno 1611.

CLXXV.

ISAACO CASAUBONO

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

Criminationes adverſorum deluuntur.

JAm diu eſt, Clariſſime vir, quod veterem amicitiam, Genevæ jam olim (ſiquidem recordaris) inter nos contractam, per internuncias literas inſtaurare tecum cogitavi. Sed in tanta locorum intercapedine, deſtitutus occaſione commoda, officium hoc invitus hucuſque omiſi. Nunc autem in Bataviam evocatus, & ſede hic apud Leidenſes conſtituta, cum te in Anglia degere cognoviſſem, certaque literas ad te mittendi ratio mihi ab amicis oſtenſa eſſet, ſilentium tot annorum abrumpendum eſſe exiſtimavi: ſaltem hoc fine, ut memoriam tui ſanctam hactenus apud me viguiſſe tibi conſtaret, mihique fructum aliquem veteris notitiæ deinceps percipere, hoc eſt, doctiſſimis tuis alloquiis, aut reſponſis, ſubinde frui liceret. Quanquam & alia peculiaris cauſa eſt à literis tuis, recenter ad communem amicum noſtrum Petrum Bertium exaratis; quas idem Clariſſimus vir, pro ea quæ inter nos eſt amica neceſſitudine, legendas mihi exhibuit. In his jure novitates quaſdam perſtringis, à typo veteris fidei aberrantes. Inter alia huc deventum eſſe conquereris, ut Deum quidam infinitum, æternum, omnipotentem, futuri gnarum eſſe, negent. Suſpicati ſumus, hoc loco me tacite notari: eo quod in Tractatu de Deo, de his abiſque Dei attributis, more ſcholaſtico quædam curioſius in utramque partem ventilaſſem; & nonnulla ſcholarum placita, de ſpecificis horum attributo-

Ep. 175. butorum modis ac rationibus, aliisque circumstantiis, in Dei verbo nusquam definitis, paulo liberius ad normam veritatis examinatiem. Quod si à mente tua hîc aberravimus, non ingratus error est. Sin illam rectè conjecimus, patere quæso vir doctissime, hunc tibi forte ab aliis de vetere amico injectum scrupulum ut eximam. Absit à me, ut ullam ex quatuor illis blasphemiis unquam in animum meum admiserim. Ego Deum vere immensum, æternum, omnipotentem, & futurorum omnium gnarissimum esse, toto pectore credo. Nec ulla in Tractatu meo vel minima sententia occurret, quæ contrarium evincat: modo ne violenter adversus scopum scribentis, & seriem totius disputationis, verba mea torqueantur; sed interpretatio eorum (quod æquitas ipsa postulat) ipsi authori, hoc est, mihi concedatur. Dicte quidem, tuique similibus, hoc est, solide doctis vereque piis, absit ut quidquam hic ambigam. Facile à vobis talibus, spero, æquissimam hanc agendi rationem impetrabo. Becani Jesuitæ, & sociorum ejus, hæc torquendi, aut calumniandi, κακοήθεια (*malignitas*) propria esto: à quorum moribus, & studiis, tanto nos Reformatos intervallo abesse decet, quanto à religione, hoc est, superstitione, idololatria, & tyrannide ipsorum absumus. Fateor, obscurius interdum & intricatius in ipsa σχολικῇ, (*disquisitione*) sub persona præsertim opponentis, à me quædam de istis afferri: sed quæ prudenter à meis assertionibus secerni, & tandem ex decisione finali, juxta canonem candoris ac charitatis, æstimari debebant. Si qua hinc offensio nata est, alia editione sanari poterit. Ubi vero diversus abeo ab opinionibus vulgo receptis, ibi de rebus exigui momenti, saltem non ad salutem scitu necessariis, nec usquam in Verbo Dei, aut œcumenico aliquo Veteris Ecclesiæ Concilio, decisis, agi mox deprehendet, quisquis animum sedulo advertet. Segregandæ igitur hic sunt ipsæ res, ad fidem pertinentes, à specialibus quibusdam ipsorum argumentis; item theses ab hypothesibus; denique divinæ decisiones ab humanis. Et illic quidem assensio stricte semper urgenda: hic vero libertas aliqua inquirendi, aut etiam dissentiendi, doctis omnino concedenda est; ne veritati, magis magisque insinuare se cupienti, ostium occludere velle videamur. Sancta, inquam, atque Christiana moderatio hic, ut in omnibus, servanda est: ne, dum unum præcipitium nimium vitare cupimus, in aliud non minus periculosum incidamus. Equidem negari non potest, multa de his rebus sat temere à Dd. Scholasticis extra Dei verbum definita esse, quæ antiqui Patres vel opinationi liberæ permiserunt, vel ne attingenda quidem esse judicarunt. In hæc talia si quis eo tantum animo modeste inquirat, ut ea saltem incerta & dubia esse, saltem non scitu ad salutem necessaria esse ostendat, eum minime culpandum esse putaverim. Hac enim disquisitionis via compescitur humana audacia, fides soli verbo Dei adstringitur, & huic sua auctoritas asseritur, & denique sectæ ac schismata minuuntur, contraque generali concordiæ aditus in Ecclesiam aperitur. Quæ omnia secus habent, ubi magistralis illa quidvis decidendi, &, quæ hinc necessario fluit, fratres alicubi citraque noxam dissentientes damnandi, potestas sine modo & fine dominatur. Ad hunc autem scopum omnis illa inquisitio mea tendit. Cujus consilii testem appello ipsum Deum, & post hunc conscientiam meam. Intelligunt idipsum quoque amici, qui me penitius norunt, quibusque hactenus ad nonnulla hæsitantibus abunde satisfecit Exegesis Apologetica, nuper in lucem emissa. Quam & tibi, Vir Clarissime, si per ocium totam perlegeris, satisfacturam non immerito spero. Saltem hoc ex ea deprehendes, nullum fidei articulum, de divinis attributis, aut operibus, &c. qui quidem in S. Scriptura patefactus sit, uspiam à me convelli, aut in dubium vocari: tametsi in humana quædam placita, de modis, quibus ut illa & ista se habere dicuntur, interdum liberius inquiro. Sic in exemplis abs te propositis, agnosco planissime, Deum non modo virtute & potentia, sed & essentia sua immensum esse, cœlumque ac terram implere, &c. tametsi specialem hujus immensitatis modum cum Chrysostomo aliisque antiquioribus libentius ignoro, quam cum Dd. Scholasticis audacter definio. Nec sane quolibet modo, aut quovis sensu, Deum infinitum esse tute ipse facile concedes: quum neque numero, neque mole corporea, aut quantitate dimentiva, infinitus sit, nec essentiam prorsus indefinitam, hoc est, incertam, vagam, & aliarum rerum essentiis immixtam, obtineat; sed toto genere ab his omnibus secretam, & suæ naturæ proprietatibus velut inclusam. Similiter Deum omnino ac simpliciter æternum esse, hoc est, omnis plane originis ac finis expertem, firmissime credo: tametsi non quælibet Scripturæ loca, vulgo huc aptari solita, satis apodictice pro hoc attributo citari existimo: & dogma illud Scholarum, de indivisibilitate totius æternitatis, instar momenti, &c. quasi tacite contradictorium, aliquatenus in dubitationem traho. Præterea Deum verissime atque absolute omnipotentem esse, ex animo assentior: nec tamen ad asystata, vel impossibilia, potentiam hanc extendi patior: sed contra potius naturæ divinæ proprietatibus quodammodo circumscriptam esse, una cum Orthodoxis omnibus affero. Postremo Deum omnium futurorum conscium, seu præscium esse, ultro confiteor: nec tamen infallibilem omnium futurorum (inter quæ etiam peccata, & maxima scelera sunt) præscientiam absoluto & efficaci ejusdem decreto, tanquam veræ causæ ac fundamento, inniti concedo: sed ignorantiam hic potius nostram modeste agnoscendam, quam illud paradoxum

Ep. 175.

Vide pag. 231. & seq. supra pag. 165. & 166. Appendix contra Ubiquitarios.

p. 211. & seqq. præfat. 213. & 214. & 216. pag. 21.

p. 213. & seqq. in Notis ad Thesin 2. pag. 30. & seqq.

p. 246. & seqq. in Notis ad Thesin 3. pag. 63. & seqq.

Ep. 175. dorum admittendum esse, cum moderatis ut opinor omnibus Theologis contendo. Sed ista plenius in Exegesi jam dicta exposuimus, una cum aliis ejusdem generis non paucis: quæ sedulum attentumque lectorem, & præjudiciis affectuque pravo vacuum requirunt: qualem te esse plane mihi persuadeo. Nunc etiam aliquam illorum partem in literis ad Serenissimum Regem, & Reverendissimum Cantuariensem Præsulem, amicorum suasu repetivimus. Quæ si legere voles (ut autem velis, amanter oro) ab amplissimo Viro Noële Carronio, apud Regiam Majestatem Fœderatorum Belgii Ordinum Legato, copiam facile impetrabis. Necessitas enim evidens, eaque non una, ad Regem & Archiepiscopum scribere me coëgit. Scripserunt ad eosdem & illi, quorum opera jampridem vocatus huc fui. Scopus omnium noster est, sinistras de me suspiciones, ab aliis primo perperam suggestas, & deinde obscurioribus quibusdam disputationibus meis fortassis auctas, ex utriusque animo amoliri. Quo consilio etiam apologetica quædam scripta mea, simulque testimoniales aliorum de me literas, fide maxima dignas, eidem Legato transmisimus qui tibi videre hæc cupienti, non gravate communicabit omnia. Nunc te iterum enixe rogo, vir eximie, nostra hæc omnia perlegere, serioque tecum expendere ne graveris. Quod si innoxium me esse, ut spero, clare deprehenderis, intercessione tua, quæso, ubicunque poteris, maxime apud Serenissimum Regem vestrum, me juvato. Sin alicubi errare me putaveris, amice quæso moneto, rationibus etiam in eam rem adjectis, quæ errorem ostendent ac revincant; semper, à malitia tamen & pertinacia, Dei beneficio me prorsus alienum esse. Nec te moveant immatura æmulorum illorum προπέτειαι, (*præpropera*) quibus ob horridiorem de prædestinatione, & libero arbitrio, &c. doctrinam assentiri per omnia non possum, quique id pridem totis viribus egerunt, & adhuc agunt, ut de Arianismo suspectum me redderent, adeoque publicæ iræ odiique victimam efficerent. Serva te hac in causa integrum, & vera hujus solius merita, non inania personarum momenta, serio tecum expende. Inprimis vero scopum nostrum præcipuum diligentissime hic specta, qui & fuit, & etiam nunc est (Deus novit) Christianæ pietatis & Ecclesiasticæ pacis solida restitutio. Quid enim præter hujus & illius inanem σκιαμαχίαν (*umbram*) quandam plerique, etiam Reformati, nunc habemus? Et quid δυνάμεως (*vim*) ejusdem utriusque veram aliud enervat, quam inanis & pertinax ista de rebus abstrusioribus contentio? Imo nimis curiosa circa tricas scholasticas satagentia? Utinam vero ad illum antiquæ fidei typum, qualis sub Apostolis & paucis deinde seculis fuit, omnes serio aspiremus! Speculari omnes subtiliter malumus, quam pie sancteque vivere. Interim Ep. 175. charitas magis magisque refrigescit, sine qua nihili ducenda est omnis nostra cognitio, teste Apostolo. Hinc porro ubique scandala, ex sectarum & dissidiorum multitudine, & damnationum inter nos mutuarum frequentia, plurimum augescunt. Hinc inimicis risum, fratribus dolorem & ægritudinem concivamus. Denique Antichristi regnum imprudente zelo nostro, etiam aliud agentes, promovemus; contraque, Evangelii cursum, & promotionem orthodoxæ veritatis, quam maxime impedimus. Sed querelarum plus satis est. Faxit Deus, ut de veris potius horum malorum remediis omnes tempestive cogitemus, quam alii adversus alios ingemiscamus, aut quidquam minus decorum imposterum agamus. Quod postremum non sine gravi causa hic adjicio: quia subobscure intelligo, Antistites vestros aliquid tale adversus Tractatum meum de Deo jam designasse. Quod quia nondum exploratum habeo quale sit, & quo animo ac fine patratum, idcirco prolixius attingere non libet. Deum potius supplex oro, ut S. Spiritu suo nos omnes magis ac magis instruere, inque veritate sua sanctificare, denique veræ pietatis, humilitatis, item pacis ac charitatis studio corda omnium nostrum largiter imbuere dignetur. Huic te, Vir Clarissime, cum omnibus Dominum nostrum Jesum Christum puro corde invocantibus, serio commendo, meque tuis ad ipsum precibus. Responsum à te benevolum primo quoque tempore exspecto. Amicis, si qui illic sunt nobis noti, officiosam salutem adscribo. Vale. Lugd. Bat. 13 Octobris 1611.

Audio quosdam ex hisce partibus ad vestros accusandi mei causa literas & libellos misisse. Quibus alteram tantum aurem, itemque mihi alteram illic patere velim. Res enim privatis affectibus agitur. Quidquid de Arianismo mihi objicitur, falsum & calumniosum esse protestor. Nihil aliud quæro, quam ut moderata vigeat prophetandi libertas; & Christiano Magistratui sua constet in rebus Ecclesiasticis auctoritas; denique totum S. Ministerium ad praxim Christianæ pietatis transferatur; eoque doctrina de prædestinatione, libero arbitrio, &c. paulo sincerius, & huic scopo accommodatius, quam à nonnullis fieri constat, imposterum tradatur. Theses hic adjeci recenter à me publicatas, ut ex iis orthodoxiam meam intelligas. Si gratas fuisse sensero, plura id genus alias mittam.

CLXXVI.

CLXXVI.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Consolatio familiaris.

REverende D. Doctor, frater in Christo observande. Heri D. N. tuo nomine compellavi. Suadet Exegesin tuam ad M. Britanniæ Regem ad incudem revoces, ut si quid addendum, vel detrahendum, vel etiam mutandum videatur, id fiat quantocius; sententiamque tuam de singulis quàm poteris planissimè exponas, scriptumque illud in omnem eventum paratum apud te habeas. Addit, sibi videri necessarium, ut si quid habes in Calvino, Musculo, &c. quod pro te faciat, id non tantum citatione nominum, aut etiam allegatione locorum, ubi ista scripta reperiantur, significes; verùm etiam illorum ipsorum verborum adscriptione clarissime probes. Item, quandoquidem in articulis à præfato Rege damnatis, quidam sint in quibus manifestissima tibi fit injuria, istis, & injuriæ in istis tibi factæ, potissimùm insistas, eamque vel manibus palpandam Ordinibus des. Addo ego; non inutile futurum, si scriptum Ordd. exhibendum in Belgicum sermonem verti cures, ut utraque lingua exhiberi & legi queat. Vult idem N. te bono & erecto esse animo: nec patitur te vel minimam dejecti animi significationem dare: quinimò te, ut decet virum & verum Theologum, in Deum bonaque conscientiæ testimonium respicere debere judicat, eventumque exspectare quem daturus est Dominus. Conatus hi adversariorum extremi sunt; quibus summa fiducia in Deum summaque constantia eundum obviam: si fortè veritatis patrocinio fortiter assumto & adhibito frangi queat, Christo benedicente, adversariorum furor & importunitas. Hæc veluti ex ipsius ore. Existimat etiam tibi attendendum ad allegationes, ex tuo libro partim, partim etiam ex Apologia, ipsius Regis manu descriptas, & postremis suæ Majestatis literis D. Winwode Legato transmissas, quarum tibi hic exemplar mitto, ut si quid in iis quod defensione indigeat, id ne omittas. Memineris istius Salvatoris: Si coram Regibus, &c. nolite metuere, ego dabo &c. Item: Beati qui propter justitiam. Solus erat Paulus; at Christus illi adstitit. Desino plura in hanc sententiam, ne sis Minervam. Vale, & Christum qui ad dexteram Patris sedet intuentem te athletam suum pro veritate pugnantem, adspice, & illi fide.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CLXXVII.

Illustri Viro

D. RODOLPHO WINWOOD

Equiti, Legato Ordinario Regis Magnæ Britanniæ apud Illustrissimos Ordines Unitarum Provinciarum, ibidemque Status Consiliario,

CONRADUS VORSTIUS S.P.D.

NIhil mihi unquam in vita contigit acerbius neque calamitosius, quam quod partim occultis adversariorum artibus ac studiis, partim præfervido & inconsiderato quorundam optimorum virorum zelo, præter meritum in tantam infamiæ atque invidiæ conflagrationem incidi, ut clementissimus Magnæ Britanniæ Rex, quem hodie primarium & acerrimum fidei defensorem Christianus orbis agnoscit, oblitus pristinæ mansuetudinis, & à nativæ bonitatis ingenio deflectens, me Majestatis suæ humillimum clientem, & unicum admiratorem Regiarum ipsius virtutum, hostili animo, atque odio plusquam Vatiniano persequatur, ac veluti piacularem aliquam victimam ultricibus flammis lustrari cupiat. Sane si talis sum qualem me esse malevolæ mentes fingunt, simpliciores credunt, prudentiores timent, nullus hactenus idoneis rationibus probavit: crimen est quod vivo, nec memet ipso judice absolvi possum, quin aut ingenua confessione & fideli pœnitentia veniam deprecer, vel ignominiosa missione pellar in exilium, ut monstra solent in ultimas terras deportari. Non dubito, quin religiosa ratione & pia quadam sollicitudine Rex motus sit ut in scripta mea sæviret. Nam in tam gravi discrimine, ubi periculum animæ metuitur, satius est, esse nimis timidum quam parum prudentem. Sed quod traducor ut scelus hominis, ut publica pestis, ut vivicomburio dignus, in eo pro necessaria capitis & famæ propugnatione cogor implorare non tantum gratiam & authoritatem potentissimorum Ordinum, sub quorum præsidio ac tutela nunc dego; sed inprimis sanctum illud jus naturæ firmatum exemplo ipsius Dei, morem gentium, fas humanitatis, denique viscera Christianæ charitatis & misericordiæ, ne inauditus atque indefensus condemner, utque ad causam dicendam admittar coram judicibus non suspectis ob gratiam aut simultatem, quos innocentiæ fiducia subnixus libens accipiam à voce & optione ipsius Regis, si eo Majestatem suam demittere non dedignetur. Nulla supremo & augusto principe dignior est cognitio, quam examen veritatis, fidei ac religionis. Sed nec Theologiæ Doctor legitima vocatione ad publicam professionem accitus, quum tale nihil

Querela de Rege in ipsum animo hostili & implacabili.

vel

Ep.178. vel opinarer vel concupiſcerem, graviſſimi criminis damnari debeo ſine legitimo accuſatore, ſine diligenti indagine & probationibus luce meridiana clarioribus. Nam quod vulgo dictitatur, ſcripta mea ſatis loqui, ſententiamque adverſus me ferre; quid aliud eſt, quam poſtulare ut ſuſpicionibus & præjudicatis opinionibus credatur? Cujus erit tuta innocentia, ſi criminari ſufficit? ſi objecta pro approbatis accipiuntur? Quum Dei gratia fruar vitali ſpiritu, nemo magis eſt idoneus interpres mentis ſuæ, quam author ipſe. Ego hominem me eſſe fateor, affinem earum rerum quas fert humana fragilitas. Non tantum æquo animo patiar me erroris convinci, ſed gratias habebo ingentes ſi quis me meliora docuerit. Optimum enim & glorioſiſſimum victoriæ genus eſſe ſtatuo, tribuere gloriam Deo, vinci à veritate, ſpoliarique pravis opinionibus. Quocirca ſummis precibus Amplitudinem tuam oro atque obſecro, per commune Religionis vinculum, & quidquid inter homines ſanctum habetur, ut in hac æquiſſima poſtulatione ſuffragatorem benignum te mihi præbeas, & patientes aures commodare digneris, animo immuni ab affectibus & partium ſtudiis, ut decet inculpatum judicem: vel ſi id propter arduas occupationes quibus diſtineris, aut propter dignitatem perſonæ quam geris, aut propter offenſionis metum, non putas concedi oportere; ſaltem annotare velis, quæ judicio tuo in ſcriptis noſtris ſuſpecta falſi videbuntur; efficiam omni ope conſilioque, ne quid reſiduæ dubitationis animo tuo inhæreat; aut ultro ſuffragium meum ad ſententiam tuam adjungam, meque immortali beneficio devinctum eſſe credam, ſi authoritate ſacrarum Scripturarum convictus fuero. Ita mihi propitius ſit Deus cordium inſpector & vindex falſitatis. Vale, &c. 1612.

CLXXVIII.

Nobiliſſimis & ampliſſimis viris

ADRIANO à MATHENES,

& CORNELIO VANDER MILIO,

Curatoribus Academiæ Leidenſis,

Patronis omni obſervantia colendis,

DOMINICUS BAUDIUS S.P.D.

D. Vorſtio. QUod antea feci mea ſponte incitatus ob commune jus humanitatis, & neceſſitudinem publici muneris quo nobiſcum junctus eſt reverendus vir Conradus Vorſtius, quum & authoritate veſtra in hanc Academiam evocatus ſit, & nullo collegarum refragante in noſtrum Ordinem allectus: id nunc impenſiore cura ſtudioque faciendum mihi eſſe arbitror, ut cauſam ejus pro virili parte, quibuſcunque rebus poſſum, tucar ac defendam, poſtquam ſeclusis affectibus & ſola veritatis cognoſcendæ reverentia ductus ſcripta ejus diligentius volutare cœpi, ac prope quotidie cum ipſo familiarius ſermones conferre, quem haud ita pridem refugiebam velut evitandum bidental, & monſtrum in ultimas terras deportandum, ne quid inde noxiæ contagionis hauirem. Fateor enim ingenue ſimpliciterque me fuiſſe abreptum ſtudio partium, quaſi præcipiti quodam torrente, ut ſpecimen fidei & probitatis exiſtimarem nihil de homine niſi inhumana omnia ſentire. Video, magiſtra experientia edoctus, plurima peccari ex defectu mutuæ communicationis, ut homo ſit homini lupus, qui potius ad inſtar Dei eſſe deberet, ſi communis naturæ probe meminiſſet. Nec famam levitatis extimeſco, quod à tali propoſito demoveri me ſim paſſus. Nunquam enim intempeſtivus eſt ad bonam mentem receptus, nec ſum ex hæreſi Stoicorum quibus inflexibilis rigor pro conſtantia placet. Magis me movet flos delibatus populi ſuadæque medulla Tullius noſter, qui teſtatur præſtantibus in Rep. gubernanda viris nunquam laudatam fuiſſe perpetuam in una ſententia permanſionem. Non ſum ego cordium inſpector, nec penetrare poſſum latebras ac receſſus humanarum ſimulationum; ſoli Deo laus ea competit; ſed quantum ex evidentibus indiciis apparet, qui ſic gladiatorio animo feruntur in bonum illum virum, non ſatis callide perſonam gerunt, quin cordatis judicibus ſuboleat fucus. Nam quis, niſi qui ex eodem valetudinario ſit, non perſpicit ſub ſpecioſo pietatis velo, quod eſt everriculum multarum fraudium, privatas ſimultates occultari, & odia pluſquam civilia inter fratres? Quibus flagitiis, quæ ſunt Deo & hominibus inviſa, fortiter & aperto Marte obviam eundum eſt, ne, ſi remiſſius agatur, plus ad perniciem bonorum valeant ſiniſtræ adverſariorum ſuſpiciones, & allata domo præjudicia, quam ad innocentiam protegendam lex naturæ firmata Dei ipſius exemplo, mos majorum, jura gentium, ratio communis, & uſitatus ordo judiciorum. Nullum enim eſt injuſtitiæ genus magis contra bonos mores, contra publicam honeſtatem, contra fas ipſum humanitatis, quam ſine legitimo accuſatore, ſine diligenti indagine meritorum cauſæ, non examinata teſtium fide, non ponderatis utrinque rationibus reum abſentem, inauditum, indefenſum condemnare. Satius eſſet mille noxios impune dimitti, quam infamia notare, nedum afficere capitali ſupplicio quenquam probum & innocentem. Talis autem quiſque præſumitur, tum ex Chriſtianæ charitatis præſcripto, tum ex favorabili hominum opinione, niſi contrarium appareat; non ex cujuſque affectu, qui judicium mentis obnubilat, & veritatis lucem præſtinguit; ſed ex probationibus luce meridiana clarioribus, ex indiciis & teſtimo-

Ep. 178. nis, quibus nulla exceptio rejectiove possit oppoui. Regis optimi servor est omni quidem laude dignus; quum in tali negotio, ubi putatur periclitari salus animarum, nulla possit esse cautio nimis diligens; & si in alterutro peccandum sit, satius est omnia tuta timere quam esse parum prudentem. Tamen clementi via sufflaminari poterit; non enim est indignum principe gravi & sapienti justis precibus inflecti, dare locum rectæ rationi, vinci viribus veri; denique non est inconstantis, mutare sententiam si vicerit alia melior. Minimum decet libere cui nimium licet. Ideo fingitur assidere Jovis solio justitia rerum humanarum divinarumque regina, quod Deus ipse nihil sibi velle permittat, si fas est ita loqui, nisi justitiæ numine quasi adhibito in consilii societatem. Regum Majestas, gratia, vis major, authoritas valere debent ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum; in pernicie vero, & periculis hominum supremæ potestates vim suam infringi non iniquo animo patientur, si norint legibus submissum esse principatum. In tam fœcunda materie dies me citius quam oratio defecerit. Quocirca vos, à quorum favore præsidioque legem mearum fortunarum exspecto, summis precibus oro atque obtestor, ut mihi non invideatis occasionem honorificæ legationis: unde nonnulli multum in posterum prospicientes augurantur nihil præter offensam & repulsam relatum iri. Sed ego fretus recta conscientia, causæ bonitate, legibus, exemplis, rationibus extra omnem dubitationis aleam positis, fretus augurio longe optimo quod secutus est magnanimus Hector apud Homerum, quum contra parentum obnunciationem ad certam mortem proficisceretur, (ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, *unicum illud optimum auspicium pugnare pro patria*) fretus favore & gratia multorum qui ibi plurimum pollent, fretus nativa bonitate & clementia Regis optimi mortalium, non dubito quin omnia ex animi sententia, imo supra spem succedent. Solemus gloriari:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus ætherеis spiritus ille venit.

Id is vere usurpatur in pangendis carminibus, nec quisquam sine sacro furore & afflatu quodam divino Poëticas fores pulsasse unquam perhibetur: multo magis ejus sententiæ fides comprobatur, quum egregiis viris, & nullius gravis culpæ sibi conscius, divinitus inspirantur consilia plena justitiæ, plena magnanimitatis, usu præclara, factu expedita, quorum neminem probum pœnitere queat. Nam mihi sedulo cogitanti, & animum in varias partes versanti, quibus remediis reverendi collegæ (talem enim eum censeo vestram authoritatem, & consensum nostrorum sequutus, ac futurum confido ut bono publico Spartam suam tueatur) quibus, inquam, remediis causa Doctoris Vorstii contra factiones adversariorum sublevari posset, non alia via generosior, nec magis regia occurrit, quam id conceptum & consultum de quo vobiscum jam sæpius egi. Cætera fomenta quæ destituta vivæ vocis oraculo per literas & tabellarios adhibentur, magis exacerbabunt quam emollient exulceratas mentes, nisi sit qui munitus suadela, gratia, commendatione ingenii doctrinæque mederi possit difficultatibus, & repentinis dubitationibus quæ subinde pro re nata oriri solent. Opto meliora; sed omnia me fallunt auguria, nisi eventus, stultorum magister, ostendet me haud vana vaticinari. Verum, ut video, Cassandræ omina surdas aures feriunt, & fastidiuntur ultro oblata, non tam quia consilium displiceat, quam consilii author Baudius, cujus fatum non videtur capax tantæ fœlicitatis, ut ad Regiam Majestatem publico nomine legari mereatur. Nos tamen non vivimus indecores huic Lycæo, & mecum magnis vixisse invita fatebitur olim invidia. Sumus enim ex eo ligno unde exsculpuntur illustres Mercurii, quorum memoriam faustis recordationibus prosequi posteritatem non pigebit. Sed forsitan obstat mihi peccatum originis, quasi hospes, & peregrinitatis reus habendus sim, qui cum ipsis hujus Academiæ cunabulis adolevi, & per annos pene decem in publico docendi munere ita versari conatus sum, ut labor noster nec studiosæ juventuti inutilis, nec sæculo pigendus fuisse videatur. Sane quod sine cujusquam detrimento famæ dictum sit, nulli collegarum cessero generosa voluntate bene de re literaria promerendi. Nequaquam autem adduci possum, ut vos arbitrer minus esse propenso erga me affectu propter indecora quædam de nobis sparsa per malevolos quosdam homines, qui per alienæ existimationis labem viam sibi ad famam & commendationem facere moliuntur. Quanquam indiligentia mea præbitam esse fateor nonnullam materiam invidiæ atque obtrectationi; tamen tutissimus est erranti portus mutatio consilii in melius, & Sanatibus idem quod Forctibus jus esse debet. Mihi in posterum tam emendatis moribus vitam instituere decretum est, ut ipse livor nihil in me deprehensurus sit quod Theonino dente circumrodi queat. Neque tamen ab amoribus, & rebus amœnioribus sic exarui, ut thalami expertem vitam degere velim. Et ut sciatis in quibus studiis nunc versor, si forte id ad vestras cogitationes quidquam attinet; senex revertor ad ludum literarium, & iterum incipio conjugare, amo. Plane ita se res habet, nihil in præsentia tam serio diligenterque facio quam procari, quippe jamdiu pertæsum est cœlibis thori. Nulla facundia efficacior esset ad impellendum animum labantem meæ Veneris, quam si legatio ista, quæ nocte atque die cogitationi meæ, velut amabilis

Ep. 178.

quæ-

Ep. 179. quædam inſania obverſatur, fidei noſtræ committeretur. Sed jam tempus eſt ut finem faciam inepiendi. Video enim me præ ſtudio longius ellc provectum, quam vel dignitatis veſtræ ſplendor, vel obſervantia mea vobis uſu mancipioque conſecrata poſtulare videbatur. Culpam imputabitis genio humanitatis veſtræ, cujus indulgentia captus tantum mihi licere permiſi, ut etiam mea ſomnia, ſed vigilantis & ſobrii, vobiſcum communicare non dubitarim. Valete, ô & præſidium, & dulce decus meum. Datum Lugduni Batavorum 12 Januarii 1612.

CLXXIX.

Reverendo viro, & eximio Evangelii adminiſtro

JOANNI UYTENBOGARDO

DOMINICUS BAUDIUS S. P. D.

QUo magis ipſe mecum reputo conſilium, de quo jam ſæpius tecum egi, tanto certiorem animus ſpem, imo fiduciam concipit rem omnem ex ſententia ceſſuram, ſive quod vitio humani ingenii facile credimus quæ vehementer cupimus, ſive quod recta mens, & juſta cauſa quaſi quoddam ſignum efferunt ad bene ſperandum. Nam ut ait ille magnanimus Hector apud Homerum, *ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης* (*optimum illud augurium, defendere patriam.*) Hæc ſanctiſſima lex eſto, hic optimus mos, præclare de Rep. mereri; quod ſit non profligando perduelles; ſed ſervando vel unum civem. Ut merito judiciis laudatiſſimorum Cæſarum, corona querna præferri debeat omnibus triumphis; ideoque conſenſu Senatus populique Rom. defixa fuit ante veſtibulum Auguſtæ domus. Non eſt ergo quod teque meque pœniteat omnibus ſuadæ gratiæque viribus eniti, ut publico nomine legari poſſimus. Ego tam mitere Spartam iſtam ambiturio, tum boni publici ſpe, tum privati honoris cauſa, ut periculum ſit ne mœrore contabeſcam, ſi me opinio fruſtrata fuerit; quod ne accidat, ſecundum opem Numinis, in tua fide, gratia, authoritate, diligentia ſitum eſt. Quapropter ſi veteris amicitiæ noſtræ neceſſitudo, ſi juſtæ preces te movent, incumbe quæſo communi cauſæ. Satis enim perſpicis, quam tua interſit, tum ex officio conſtantis viri, tum ex vinculo conſcientiæ, tum ob connexionem commodi aut periculi, Vorſtium non deſeri, nec dedi fraterculorum impotentibus ſtudiis fuco pietatis & zeli velatis, quod eſt everriculum multarum malitiarum. Ut diligentius, quod agis, agas, adjunxi epiſtolam ad Reip. noſtræ Atlantem, ut ſoleo dicere, ſeu Periclem mavis, quo prætore Athenienſium *ἐγένετό τε λόγῳ δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.* (*populare regimen verbo, re autem principatus ſub primario viro erat.*) Ep. 180. Eam ut prono favore & illuſtri gratia excipere dignetur, multum adjumenti adferet commendationis tuæ ſuffragium. Proximis Curatorum Comitiis id negotium expediri valde ex uſu fuerit. Nam periculum eſt in mora; nec cunctationi locus eſſe debet in eo conſilio quod nemini bono improbari poteſt. Nullius unquam te facti minus pœnitebit, quam ſi impatienti deſiderio noſtro morem gerendum duxeris; nec Baudius collega tibi dedecori fuerit in muneris honeſtiſſimi ſocietate. Vale, vir eximie, cum lectiſſima conjuge, & nos amare perſevera. Datum Lugduni Batavorum 12 Kal. Febr. 1612.

CLXXX.

CONRADO VORSTIO

CHRISTIANUS STICKE

Comitum Bentheim, apud Ordines Gener. Negotiorum Politicorum Procurator S. P. D.

LIbellos tuos, Vorſti Vir Clariſſime, ab *Religio amica* manu accepi, & in benigna mei *ſitu.* memoria gavisus ſum: ſed multo magis in modeſta detenſione cauſæ tuæ; quam qua publicam fecerunt alii, negligere non potes ſine publico incommodo. Cum non ſolum ad Eccleſiam illa ſpectet, ſed ſtatum quoque rangat, Regibus Ordinibuſque intervenientibus. Quibus utinam ſatis otii atque animi habeas juſta atque plena Apologia ſatisfacere, &, quod a ſumma illa eruditione atque pietate tua ſperamus, innocentiam tuam atque doctrinæ integritatem approbare! Sane de præjudicio Magnæ Britanniæ Regis quod metuis, nihil eſt ſi melius informas; cum optimum atque ſapientiſſimum Principem moderatiſſimi animi omnes eſſe ſciamus, & qui libentius rationes ſequatur quam plerique Theologorum filii, qui non patiuntur diſſentientem. Atque utinam privato affectu non ſæpius, quam pietatis zelo, in conſcientias alienas curiose inquirerent mali diſcipuli illius, qui factus eſt omnia pro omnibus. Quorum infelicibus conatibus lacerum hoc Eccleſiæ corpus magis dilaceratur, farciendum nunquam, & Religio ipſa Chriſtiana, quæ olim in omnem orbem diffuſa fuit, paulatim Europæ angustiis minor fit: cum in iſta Religionum varietate & parum concordi Theologorum concordia per deſperationem in Libertiniſmum imus. Deum vero ſupplex oro, contentionibus iſtis interveniat, & Eccleſiæ ſuæ in diebus noſtris pacem atque tranquillitatem donet; ut ſicut in unum religioſe credimus, ita in unum ſanctæ coaleſcamus, fratres & cohæredes Domini noſtri Jeſu Chriſti. Hagæ 26 Janu. 1612.

Digitized by Google

CLXXXI.

Docto pioque mihique multum dilecto
Fratri ac Domino

JOANNI UYTENBOGARD

HADRIANUS SARAVIA S.P.P.

De summa rum potestatum authoritate in rebus Ecclesiasticis. Item de Confessione Ecclesiarum Belgicarum.

MIhi plurimum in Domino dilecte Frater: tuus ad meas manus de summi imperii in rebus Ecclesiasticis authoritate tractatus pervenit: unde tantam percepi lætitiam, quantum tristitiæ de altercationibus Leydanis. Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publico scripto à tam pernicioso errore vestros homines deterrere ausus es. Vereor enim ne Ecclesiis Christi plus mali sit allaturus, quam illi cogitent, qui obstinate eum defendunt. Propter hanc controversiam, miserorum Papistarum hic in Anglia divexantur conscientiæ. Discrimen tantum est in subjecto summi imperii, quod hic in uno residet Monarcha, apud vos est in multitudine vel Optimatum vel populi. Quæ res auget difficultatem. Quia vestri Ordines de Religione non sunt ejusdem sententiæ, vestrorum ministrorum nonnulli, si non omnes, pro veris Christianis, quibus tuto fidere possint, illos in rebus Ecclesiasticis admittere non audent judices. Hæc specciosa videtur oratio. Sed non vident eadem ratione probaturos, illos, penes quos est summum imperium, potestatem nullam habere judicandi de tela & lanificio, de textoribus & fullonibus, de re navali & aliis artificiis, quorum non tenent scientiam. Ignorare videntur, Magistratus quæ non intelligit discere à peritis, quæ textorum sunt à textoribus, quæ fabrorum à fabris, & nautarum à nautis, ad quos causa quæ controvertitur non pertinet. Quare potestas in rebus Ecclesiasticis ad summum imperium æque pertinet, etiamsi penes quos illud est, sint infideles aut mali Christiani, sicut ad fideles & pios. Personarum in hac re non est spectanda fides & Religio, sed data divinitus potestas. Si justa in negotio Ecclesiastico imperaverit infidelis Magistratus, parendum est; cum fideli, si jubeat iniqua, non sit obediendum. Quos alieno subesse imperio Deus voluit, si pii sunt, præcepti tantum & potestatis à Deo institutæ habebunt rationem. Nos vero & quotquot Ecclesiæ hic in Anglia ministerio funginur, solemni juramento profitemur, nos agnoscere Regem summum habere imperium, non tantum in causis civilibus sed etiam Ecclesiasticis. Sacramentum ego hic subjicio, ut videas quam in summum imperium vestri homines sint iniqui. Forma juramenti hæc est. *Ego N. palam testor, & ex conscientia mea declaro, quod Majestas Regia unicus est supremus gubernator hujus Regni, omniumque aliorum sua Majestatis Dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus spiritua-* Ep. 181.
libus sive Ecclesiasticis rebus aut causis, quam in temporalibus, & quod nullus extraneus Princeps, persona, status, aut potentatus, habet aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem, superioritatem intra hoc Regnum: & proinde renuncio & penitus rejicio omnes extraneas jurisdictiones, potestates, superioritates, authoritates. Et promitto me deinceps fidem & veram obedientiam Regiæ Majestati, ejusque hæredibus & legitimis successoribus præstiturum, & pro virili mea adjuturum ac propugnaturum omnes jurisdictiones, privilegia, præeminentias, & authoritates Regiæ Majestati, hæredibus suis & successoribus concessas vel debitas, sive imperiali hujus Regni coronæ unitas & annexas. Ita me Deus amet! & per hujus libri contenta. Hæc Sacramenti forma, aut similis aliqua esset optanda in usu esse apud vos, ad omnem suspicionem tollendam de Ministris & Ecclesiarum vestrarum Pastoribus, quos, cum isthic essem, memini non detulisse Magistratibus quantum debebant, quando illorum potestatem in causis Ecclesiasticis nullam agnoscunt. Quæ de hac re disputata sunt à probatissimis Theologis, miror vestros homines aut non legisse, aut lecta contemnere. Non enim alio loco habendi sunt quam seditiosorum, qui summi imperii summam authoritatem, in causis etiam Ecclesiasticis, non agnoscunt, & suæ aristocratiæ tribuunt illam authoritatem in rebus Ecclesiasticis, quam Papa tribuit suæ Monarchiæ. Sed judicii improbitatem istorum hominum specta. Oppressi tyrannide Papæ Romani ad Magistratus civilis, qualis qualis erat, authoritatem & defensionem provocavimus, & audiri in causa mere Ecclesiastica postulavimus: & tunc nihil non potestatis civili Magistratui tribuebamus, quisquis ille esset. Hujus rei testis est epistola ad Hispaniarum Regem, & Ordines Belgicarum Provinciarum, quæ olim præfixa fuit fidei Confessioni Ecclesiarum, & tecum reputa cujus Religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus, in fidei negotio. Ego tunc temporis Minister eram Ecclesiæ Gallicanæ Antverpiæ, & exemplaria illius Confessionis Principi Auriaco & Comiti Egmondano offerenda curavi. Frater uxoris meæ erat Comiti Ludovico à cubiculis, qui me ad dominum suum adduxit, ut illi innotescerem, & exemplaria recens editæ Confessionis darem, ulterius principibus distribuenda. Congregavi primum tunc temporis Ecclesiam Bruxellis auxilio Domini de Tolosâ, fratris Domini sanctæ Aldegundæ, ex aulicis & paucis quibusdam civibus Gallici sermonis. In altercationibus Leidanis illam fidei Confessionem & Catechismum allegari, & urgeri video, ac si ipsum esset Dei verbum. Homines improbi Confessionem Augustanam audacter despiciunt, & qui modestiores haberi volunt, in illa esse aliquid, quod mutatum vellent, desiderant: in

sua

Ep. 181. sua vero Confessione, ac si fidei Canon esset, nihil mutari patiuntur. Ego me illius Confessionis ex primis unum fuisse authoribus profiteor: sicut & Hermanus Modetus: nescio an plures sint superstites. Illa primo fuit conscripta Gallico sermone à Christi servo & martyre Guidone de Bres. Sed antequam ederetur, Ministris verbi Dei, quos potuit nanciscì, illam communicavit: & emendandum, si quid displiceret, addendum, detrahendum proposuit: ut unius opus censeri non debeat. Sed nemo eorum qui manum appossuerunt, unquam cogitavit fidei canonem edere: verum ex Canonicis scriptis fidem suam probare. Nihil tamen meo judicio in illa est quod reprehendam aut mutare velim. Quod si sint aliqui, quibus non omnia probentur, audiendos censeo, & ex verbo Dei docendos si quod reprehendunt secundum Dei verbum. Nemo temere inter impios censendus est, qui doceri paratus est. Articulorum non idem omnium est pondus: esse possunt nonnulli, à quibus si dissentiant sunt ferendi, non ab Ecclesia idcirco alienandi. Idem censeo de Catechismis vestris, quos ipse aliquando tam in Gallicis quam Teutonicis Ecclesiis docui: Ab illis tamen dissentio in expositione descensus Christi ad inferos: postquam à vestris ejectus, huc sum reversus mutavi sententiam, melius hic in Anglia edoctus concionibus & scriptis tum doctissimi viri Reverendi Episcopi Vintoniensis, tum aliorum doctorum hominum, qui nulla in parte aut Calvino aut Bezæ cedunt. De qua re ad Ecclesias quæ Reformatæ dicuntur, duos conscripsi libros, qui nondum viderunt lucem. Sunt hic plures de hoc argumento hinc inde scripti libri sermone Anglico. Tibi per vestrum tabellarium brevi mittam descriptum exemplar, interea jubeo te salvare, & pro veritate fortiter stare. Cantuariæ die 13 Aprilis stilo Angliæ 1612.

Mitto tibi hic exemplar epistolæ, quam cum Leydæ habitabam, scripsi D. Helmichio, & opportune, cum schedas alias evolverem, te mihi obtulit: non enim nunc primum vestri hanc movent camarinam: vetus est error, qui ex otio natus est, ut primum pax dari coepit Ecclesiis.

OBservande in Christo frater: reversus Middelburgo domum, XVI die Aprilis stilo novo, inveni dilectionis tuæ literas, XXV Martii stilo veteri datas, quibus studium tuum & animum erga pacem & concordiam intellexi: de quo nunquam dubitavi. Scio enim omnem te movisse lapidem ad tollendum, quod natum est in vestra urbe, scilima. Sed enim non quæritur causa & author, sed finis, & quomodo suspicionem, quam de vobis & ordine Ecclesiastico concepit Magistratus, amovere possitis; jure an injuria, nec hoc quæritur. Suspectam centuram nostrarum Ecclesiarum passim esse video Magistratibus, tanquam sub illa tyrannis aliqua lateat: quæ tandem successu temporis aucta viribus, Magistratus authoritatem sibi subjiciet. Quam sit humanum ingenium imperii illegitimi impatiens, notum est; odit enim omnes, qui potestatem aliquam sibi vendicare volunt. Hæc opinio nisi tollitur, frustra laboratis. Fratrum nostrorum in Scotia recens exemplum nos commovere & commonere debet, ut prudenter nos in hac re geramus: erant enim illic per totum regnum Ecclesiæ constitutæ ea forma regiminis quæ hic est: sed eam edicto publico Rex abrogavit, & aliam sua authoritate constituit: nec video nos aliquid melius posse sperare. Quantum prudentia tua Magistratui Christiano authoritatis in rebus Ecclesiasticis tribuat, nescio. Vereor ne aliqua in re Magistratui negatum sit quod concedendum oportuit; ut dubitem, facit hujus Ecclesiæ exemplum, & aliarum quarum audivi & legi sententiam: temere tamen nihil judico, tantum ajo me id vereri. Sed ut quid ego sentiam, & quid sequendum ac tenendum ab omnibus tuto judicem, paucis exponam. Non minus in Ecclesiasticis rebus authoritatis Magistratus Christianos habere arbitror, quam olim habuere Reges & Duces populi Dei, quorum mandatis Sacerdotes & Levitas, in iis quæ sui muneris erant, parere Deus voluit, quamdiu intra divinæ legis cancellos se continuerunt. Moses Dux populi Dei, & Josua caterique judices mandata dederunt Sacerdotibus & Levitis. David templi structuram & ordinem quem tenerent Sacerdotes & Levitæ in ejus ministerio constituit: nihil opus plura commemorem, cum copiosissime hanc quæstionem disputatam habeamus à nostris Theologis: quos vestros homines legisse non dubito. Nisi quod Magistratui debetur dederimus, ipse plusquam debet ad se rapiet. Si Anglicam aut Scoticam linguam intelligeres, ego ad te mitterem Regis Scotorum Apologiam, in qua rationem reddit abrogatæ, aut verius mutatæ, Ecclesiasticæ politiæ, quam Ministri constituerant, & aliam ipse præscripserit. Vester Magistratus vobis contrarios Ministros, quibus vestros conatus frangant, semper opponent. Quid peccatum sit in hac re à Scotis judicem, nihil attinet scribere: ne idem vobis usu veniat, tempori prospiciendum, & videndum est, quantum & quatenus dissentientes etiam in nonnullis doctrinæ capitibus sint tolerandi. Deinde quæ sit Magistratus civilis authoritas in politia Ecclesiastica; An possit leges præscribere politicas Ministris & Pastoribus Ecclesiarum in rebus Ecclesiasticis, quibus parere debeant, &c.

Quam mihi in hac re consentiam videre potes. Hermanus Modetus erat in alia sententia, & ad eum si scripsissem, laterem lavissem. Mihi insignis facta est injuria, sed Deo sit gratia, nihil mihi illa nocuit. Si quid mali inde secu-

zed by Google

Ep.182. tum eſt, ipſi authores detrimentum acceperunt: fui enim pacis & Magiſtratuum authoritatis ſemper ſtudioſiſſimus, ſi quis Miniſter verbi Dei alius. Iterum vale Frater omni ſtudio & amore colende.

CLXXXII.

CONRADO VORSTIO

STEPHANUS de REYGER,

Comitum Berthem. Aulæ Magiſter
S. P. D.

Conſolatio. REverende & eximie vir, frater in Domino dilectiſſime; redditis mihi nuper & lectis tuis ad me poſtremis litteris, vehementer contriſtatus ſum, & magno animi dolore affectus, quod ex iis intellexi te ab omni ſpe profeſſionis nunc exciſiſſe. Quæ ſane ſignificatio eo animis noſtris accidit acerbius, quod in proxime prioribus tuis nobis confirmaveras Regis & Archiepiſcopi animum erga te, & tuam cauſam, longe aliter eſſe ac initio fuerat, pacatiorem ſcilicet & æquiorem. Quo ſane nuntio eramus hic omnes admodum exhilarati, & cum amicis paſſim iſtam noſtram lætitiam communicaveramus; quam nunc poſtremæ tuæ nobis omnem prorſus eripiunt, & ingenti mœrore ejus loco animos noſtros implent. Generoſo Domino Comiti & tunc, cum iſthæc tuæ primum huc adferrentur, & etiamnum cum tertiana febre conflictanti, quæ eum rheda huc redeuntem triduo ante corripuerat in ipſo itinere, ſecundum eo tempore paroxyſmum experto, uberrimas inter legendum expreſſerunt lacrymas, innumeris & repetitis mixtas ſuſpiriis. Non mihi dubium, ſed certum, imo certiſſimum eſt, eum ſancto iſti Eccleſiæ negotio, quod & hic, & iſtic præcipue à multis ſanctis & piis viris, inter quos cœleſtis ille Rex te, quaſi caput & primarium Ducem, hujus ſeculi initio, haud dubie eſſe voluit, ſuſceptum geritur, ex animo & ſerio favere, & tibi ob varia & dura certamina, quæ ejus cauſa ſuſtines, impenſe addictum eſſe. Quin hunc eundem in te affectum à quam plurimis hic locorum conſtanter conſervari aſſidue deprehendo. Ita ut te ſolicitum eſſe nolim de animorum noſtrorum inclinatione ob has tuas afflictiones. Securo hic fac ſis animo, & iſtam mea fide curam depone ac timorem, quem hactenus fere in ſingulis tuis litteris innuis. Quin aperte ſæpe oſtendis, te id vereri, ne aut voluntates noſtræ abs te alienentur, aut amor langueſcat per tantam vim convitiorum, calumniarum ac perſecutionum, quas ſuſtines. Illud tibi potius de nobis perſuade, non paucos hic eſſe, qui ſic tuis afflictionum iſtarum ærumnis afficiuntur, ut earum participes non ſecus ac ſuo, dolore tuo doleant; certo perſuaſi, quæ tibi eveniunt, quæque hactenus iſtic paſſus es, pro ſalutari veritatis doctrina te pati, & evenire Ep.182. tibi ea omnia. Et quoniam alia ratione opem tibi ferre in his calamitatibus tuis & conflictibus non datur, non intermittimus mutuis cohortationibus ad preces, anxia vota & gemitus, nos per occaſionem frequenter exſtimulare, & ſanctam Chriſti ejuſque Eccleſiæ cauſam Deo Patri & Domino noſtro Jeſu Chriſto commendare. Oramus eum ſupplices, & ardenti pectore optamus, ut veritatis cœleſtis propugnatores ac fautores paſſim multos excitet, & te inprimis, tot tantiſque donis ad illam aſſerendam ornatum, confirmet robore ſpirituali, & mentem voluntatemque ſpiritu prudentiæ gubernet, ut & in omni officio moderationem vitæ ſalutarem quæras, & conſtantiam ſimul, gravitatemque fideli Jeſu Chriſti ſervo dignam in veris ſententiis, & rectis conſiliis tuendam eſſe, etiam in periculis, ſtatuas. Præter has preces, quas quotidie cum lacrymis & gemmibus à quamplurimis hic fundi certum mihi eſt, quod ad inchoata certamina conferamus, nihil equidem habemus. Certo confidamus, Deo curæ fore Eccleſiam ſuam, & hac ſpe dum licet, & res exigit, & poſtulat jacta alea & neceſſitas, teſtes ſimus veræ doctrinæ, Deo committentes eventum. Is tibi gratiam largiatur, ne deficias viribus, nec terrearis ulla in re ab iis, qui ſe opponunt. Revoco in memoriam iterum, quod & *nuper*, illud Joabi ad fratrem Abiſæum, *Præſta te fortem, & pro populo noſtro, proque urbibus Dei noſtri ſtrenue pugnemus, & Jehova faciet, quod ei viſum fuerit.* Erigant animum tuum dulciſſimæ & infallibiles conſolationes, quas proponit vox divina, *Pſalm.* CIX. *Deteſtentur illi, tu faveas, eiſque turpiter confutatis tuus ego gaudeam. Agam Jehovæ gratias ingentes hoc ore, & eum in frequenti corona laudabo, qui aſſiſtit* vel pauperi (id eſt, humanis omnibus præſidiis deſtituto, & à ſolo Dei auxilio pendenti) *dexter aſſiterit, eum ab ejus vitæ condemnatoribus defendens.* Item apud Eſaiam, *Nolite hominum opprobrium timere, aut ignominiis frangi. Etenim quaſi pannum corrodent eos tinea, &c. eum interim mea juſtitia ſemper, mea ſalus perpetuis durabit ſeculis.* Item, *Ego, Ego veſter ſum conſolator: quis tu es qui hominem moriturum, qui homine natum metuas, cujus eadem quæ graminis conditio eſt? obliviſque Jehovæ creatoris tui, qui cœlum intendit, terramque fundavit, perpetuo ſemper formides tyranni furorem, dum ſe componit ad perdendum?* &c. Verum non tibi, Eximie vir, honorande in Domino frater, vel monitis vel monitoribus iſtis eſt opus. Hæc talia, & his ſimilia, longe illuſtriora divinarum promiſſionum teſtimonia tibi, fac ſcio, abunde ſuppetunt, nec opus ullo modo eſt à me meique ſimilibus, quibus in infimis hujus ſcholæ ſubſellis vix locus aliquis competit, ea tibi ſuggeri: ſed ideo commemorare pauca hæc volui, ut declararem meum in te pium affectum,

Ep.182. dum, & conatum duntaxat in præstando amici officio ostenderem. Notavi in omnibus hactenus tuis litteris, tum mihi, tum aliis scriptis, te optimam animo fovere spem de divino auxilio, & felici tandem harum persecutionum eventu, nec animum deponere, sed in spirtu à Domino corroborari, sub cruce istac tua gravissima, & causæ bonitatis conscientia sustentari, ita ut mediocriter adhuc valeas, & par sis mediocriter istis assiduis scribendi laboribus. Quibus sane plenis confidentiæ piæ verbis tuis, mœror nostet, quem calamitatum tuarum significationes, quas litteræ singulæ hucusque perpetuo continent, adferre solent, nonnulla ex parte discutitur. Iterum iterumque voveo, ut Dominus Jesus sui spiritus virtute ac robore adsit tibi, teque impleat gaudio & tranquillitate ex vivi solatii sensu, & sustentet spe non dubia futuræ liberationis, secundum gloriosam suam potentiam, ne curis vel anxietatibus consumaris, nec deficias corporis viribus. Bono ac forti esto animo, & cura sedulo, quantum potes & in his curis licet, valetudinem tuam. Durato, & temet rebus servato secundis. Qui graviter nimis adversa ferunt, negant se Deo curæ esse. Sed hic finio, ne audiam tritum illud, Recte valemus, &c. Si vacat aliquot interdum pagellas percurrere in Epistolis Philippi ad Camerarium, magnam sæpe fati similitudinem deprehendes & hujus nostri & illius temporis, & multa sparsim notatu digna, quæ & usui forte & solatio esse poterunt. Addidi hic aliquot pagellas abjectarum chartarum; quas te perlegere velim, in quem finem, facile conjicies, cum legeris. Dolorem tuum ex incendio librorum in Anglia facto solaberis epigrammate Steniano de simili casu. Non postulo ut remittas. M. Episcopio professionem Theologicam hoc rerum statu istic demandatam esse, non sine admiratione, cum ingenti animi lætitia ex tuis cognovimus. Gratulamur & ipsi, & Academiæ isti ex animo: Deus fortunet ipsius labores. Nonnulli, ut audio, hisce in locis fremunt & indignantur miris modis ob istam vocationem, longe satius fuisse clamitantes Vorstium ad eam fuisse admissum. Inter eos fertur esse Pastor Schuttorfiensis, qui cognovit ex aliis, Episcopium longius ab orthodoxis recedere ipso Vorstio, cui non dubitat extra culpam multa tribui. Quanquam alioqui in suis de te sermonibus amarulentissimus est, ut & Striccius, qui omnes rabie & furore, ut narratur, antecellit. Regii scriptum, felleum prorsus, pro cujus communicatione agimus gratias, jam ante hic sparsum, & nobis vilum & lectum erat, quam id à te missum acciperemus. In his talibus comparandis, & ultro citroque mittendis non segnes se atque socordes præbent quidam collegati, inter quos præcipui sunt crassius noster aulicus, D. Cottichius, Gigas, Zieglerus, nec deest hic suis partibus noster typographus. Tua ab illis ignorantur prorsus. Operæpretium esse existimarem, si tuorum libellorum, cum recentes eduntur, aliquot semper exemplaria, vel triginta aut quadraginta circiter, huc mitterentur æquo pretio divendenda. Facile invenirent suos emtores, præcipueque qui eduntur Latini. Id experti sumus nuper, cum Forkenbecius Daventria rediens viginti circiter exemplaria Christianæ & modestæ tuæ Responsionis ab Affuero huc adferret, quæ alteruter bibliopolarum nostrorum venderet inter studiosos. Sed vix urbem ingressus erat, cum certatim advolarent studiosi ad diripiendum pro se quisque ex illis unum, antequam ad bibliopolam deferri possent. Pro libellis tuis Belgicis, quos à tabellario Gronoviensi recte accepimus, & pro duobus Latinis pariter à D. Goddæo exhibitis, generosus noster Comes habet & agit tibi gratias. Remittit, ut voluisti, centum exemplaria libelli istius, qui hic excusus, in ligneam arcam sedulo compacta, ut spereun te ea accepturum integra & illæsa; reliqua asservabuntur donec visum fuerit. Edita illa de prædestinatione scripta apud vos, miror quid causæ sit, cur lucem ferre recusent, vel quo consilio supprimantur. Quod si jam maturuerunt, fac nos quæso unius illorum exempli participes, uti & orationis illius in Consessu Ordinum abs te habitæ, & omnium illorum quæ à te prodeunt. Quæ hactenus vulgata sunt te autore, eorum puto unum semper exemplum à te missum esse generoso Comiti meo. Idem cura ut & in posterum fiat. Pro me petere te velim à typographis vestris, quæcunque vel à te vel ab aliis in tota hac causa edita sunt, sive Latina, sive Belgica, ab ipso initio ad hunc usque diem, & mittere mihi, addita significatione pretii; quod non gravate solvere, etiam sine mora paratus sum. Nolim enim vel tibi vel cuiquam in hoc genere aliquid gratis accipiendo gravis esse. Fullenius ante dies paucos fasciculum quendam cum litteris suis ad Dn. Comitem Adolphum, per specialem tabellarium misit. Suspicamur fasciculum illum continuisse aliquid novi scripti ipsorum. D. Adolfus de litterarum sententia à meo Comite interrogatus hisce diebus, cum hic adesset una cum fratre D. Arn. Justo, respondebat propter prolixitatem non sibi eas legere libuisse, sed dedisse Johanni Munstero perlegendas. Ad quod meus Comes, Bellissime hoc abs te factum, nemini scilicet potuisset talia committi rectius: Et si liceret, facile, inquiebat meus, divinarem quis talium scriptionum scopus ac finis: Certum hoc mihi, eos moliri te impellere ad inquisitiones, & vocare in auxilium institutæ à se tyrannidis. Respondebat ad hoc serio vultu Dn. Comes Adolfus; Hoc tantum si volunt, jubeo eos à me facescere, nunquam futuros voti sui compotes.

Ep. 182. potes. Tentabo num quid per Weſſelum noſtrum expiſcari poſſim, quid velint ſibi, quid quærant: non enim ſolet Dn. Munſterus illiberalis eſſe in id genus ſcriptis communicandis. In tuis ad Goddæum requiris judicia & conſilia noſtra, & inprimis generoſi Dn. Comitis, ecquid cenſeamus conſultius eſſe, iſto ubi nunc es loco manere, an alio, donec Regis nonnihil deferveat ira, ſecedere. Prius illud & generoſo Dn. Comiti, & nobis cæteris præ altero iſto arridet, ex graviſſima cauſa, quam ipſemet adducis: excepto tamen Domino Cancellario, qui poſterius conſilium præferre videtur, nimirum ut te aliquandiu ſubducas, & alium in locum cum tuis conferas, ſi iſtic tuti eſſe non poteſtis. Hac ſane conditione & nos idem ſuademus, ut ſi iſtic abſque periculo vitam agere non conceditur, quod tamen alibi licere putatis, vos in tutum locum recipiatis. Sed ipſe omnium optime hic tibi conſules, & amici qui iſtic ſunt, quique in arena illa tecum verſantur, ubi ſæpe capiendum conſilium. Epiſtolam hortatoriam ad Dominos Conſules Leidenſes en habes hic adjunctam, quam nullo negotio à Domino noſtro Comite obtinui, utpote qui omnia quæ è re tua eſſe putabis facere paratus ſit. Sincere enim te amat, & bene tibi vult ex animo; nec eſt quod metuas ob afflictiones tuas animum ejus abs te alienari, ſed ſerio miſerabili tuo ſtatu ad commiſerationem commovetur ſubinde, & videtur inde amor nova ſumere incrementa. Ad nuptias à D. Cancellario te invitatum eſſe intelligo. Invitamus ad eaſdem & nos omnes amici tui, & rogamus etiam atque etiam, imo obteſtamur, ſi res tuæ aliquo modo id ferunt, ut venias. O quanto perfundemur gaudio, ſi hic te videre continget! Εἰ, ὑπομὸν φίλων ἀνδρῶν ἰδέσθαι γλυκύ. (*in facies amicorum virorum inſpicere dulce.*) Nihil tamen hic volumus, quod ſit cum inſigni incommodo aut periculo aliquo tuo. Arcam cum his litteris vehiculo curabimus Daventriam deferri ad Dominum Aſſuerum, quem paucis monebo, ut tuto & citra moram prima quæ dabitur occaſione eam ad te curet. Generoſus noſter Comes jam incipit à tertiana convaleſcere, Deo ſit gratia: bis enim jam reliquit eum intactum. Juſſit te una cum uxore plurimum ſalutari à ſe: uxori ſimiliter & ego ſalutem nuntio. Dominus Cancellarius ante triduum hinc abiit in Comitatum Benthemienſem, ubi nunc agitantur deliberationes de tollendo veteri illo odio & diſſidio cum Ketleris. Sed valde vereor ne fruſtra hæc ſit opera. Priuſquam eo iret D. Cancellarius, biduum hic adfuerunt Domini Comites natu maximi, ut cum meo Comite, qui valetudine impeditus in locum iſti negotio deſtinatum venire non potuit, mutua conferrent conſilia. Dominus Sollingus neſcio quo profectus aliquot ſeptimanis hinc abſuit. Eum tamen ante biduum reverſum eſſe audio, & ſalutari Rectorem Duſſeldorpienſem. Quod an verum, ſi- Ep. 183.
ve fabula ſit, nondum mihi pro certo conſtat. Novus Electos Colonienſis hodie ingreditur Epiſcopus urbem Monaſterium, quem Ordines Diœceſeos magnifica pompa excipient in plano camporum æquore proxime ad urbem, quod vocant *den Geeſt*. Eo major hujus oppidi noſtri pars ſpectandi gratia confluxit. Nicolaus Potterus hodie ſponſus eſt, & in uxorem ducit ſpeculatoris quondam noſtri viduam. Quod quis non miretur & rideat? Teſtimonia de Caſtellione Welſingi manu deſcripta, quæ hoc tempore habui, cum his mitto. Quibus addi poſſunt illa operi Biblico Latino præfixa. Sed deſino hic: prolixitatem & loquacitatem hanc meo in te affectui imputabis. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſui Spiritus gratia tibi adſit, & animo ac corpori robur in his pugnis ſubminiſtret, teque & periculis tandem omnibus clementer ereptum & liberatum Eccleſiæ ſuæ quam diutiſſime ſervet incolumem. Erige te τῷ θαρσεῖ. (*Et confide.*) Id enim optimum, inquit bonus ille Philippus Melanchthon. Nam jacentibus ὁ ἀλάστωρ vehementiſſime inſultat. Adverſus quem nos in Chriſto audere, & confidenter reſiſtere decet, non λιποταξιστέον, (*ſtationum noſtrarum deſertores*) ſed tuentes locum noſtrum, tanquam in acie bonos milites. Vide in Epiſtolis ad Camer. pag. 32. & 33. Vale & fortis eſto in Deo. Ex arce Steinfurto, ipſis Kalendis Aprilis, Anno 1612. Generoſus meus Comes iterum te ſalvere jubet. Si quid iterum in lucem dediſti, vel adverſus ſpecimen Friſiorum, vel aliud quippiam, fac nos participes. Deus te ſervet, & totam familiam tuam. Amen.

Da veniam erratis, nam non erat mihi otium relegendi.

CLXXXIII.

CONRADUS VORSTIUS
DAVIDI PARÆO S.P.

Variorum auctoritatem deſiderat.

1. PRiuſquam Epiſtola tua, Vir Reverende & Clariſſime, per communem, ut arbitror, amicum noſtrum, (mihi certè dilectum in Chriſto fratrem) D. Winandum Zoeſium Leidam miſſa, nuper ad me perveniſſet, jam publicè typis deſcripta in multorum manibus verſabatur. Unde non temerè colligo, illius apographum amicis quibuſdam à te miſſum fuiſſe, qui paulò id poſt, ſive inſcio te, ſive conſcio, excudi curaverint. Quod ipſum quo conſilio vel tu fieri volueris, vel ipſi ultro fecerint, nimis anxiè inquirere jam nolim. Tantùm hoc dico, ſi privatim illa mihi, fideque bona (quæ inter bonos ſanè vigere debebat) exhibita fuiſſet, privatim me quoque de nonnullis, ſive ad te, ſive ad me pertinentibus, paulò familiarius reſponſurum fuiſſe. Nunc

Digitized by Google

Ep. 183. Nunc quia publicè, per hanc præſertim non nimis gratam occaſionem, reſcribere tibi cogor, ſtilum pro re nata ſic temperabo, ut neque tu de injuria aliqua tibi facta jure conquerì poſſis: neque ego juſtam interim, ac neceſſariam, mei detentionem ſuſque deque videar habuiſſe. Quo fine tuam ipſius Epiſtolam hic per partes apponam, ſingulisque hiſce reſponſum, quale requirunt, candidè ſubjiciam.

2. Initio igitur ita ſcribis. *Cum Anno nonageſimo ſeptimo Theſes tuas*, Clariſſime D. Vorſti, *de Servatore I. Chriſto, & de Prædeſtinatione, ad me miſiſſes, meminiſti, quam reverenter & candide judicium meum communicaverim: licet illis fundamentum fidei, de morte & merito Chriſti, labefactari intelligerem; iſtis rigidior mihi de cauſa reprobationis poſitiva videreris.* Sane non male memini, te ſi non *reverenter* (quod nec opus erat, quum major ad minorem ſcriberes) at *candidè* ſaltem, judicium tuum de theſibus illis utriſque meis, quas nominas, anno XCVII. mecum per literas communicaſſe. Credo & te viciſſim meminiſſe, quid de judicio tuo, ſaltem maxima ex parte, quamque amice ac fraterne, tibi poſtea reſponderim. De *prædeſtinatione* quidem rigidiorem Calvini ſententiam, licet jam diu ante aliquatenus mihi ſuſpectam, certis de cauſis tunc adhuc retinui: ne leviter, re nondum ſatis excuſſa, opinionem mutaſſe viderer; idque ſub ipſum publicæ meæ profeſſionis initium. Quæ res ſine dubio & ſcandali, & periculi, non parum habitura fuiſſet: præſertim quum Reſpondens meus, Ambroſius Bruno, qui theſes initio conſcripſerat, eidem iſti ſententiæ addictus eſſet, & facilè principem inter auditores meos locum tunc obtineret. Itaque reliqui eam, ut ab ipſo poſita erat, proque virili mea emollire ſtudui. Hæc autem rigidior tum viſa tibi fuit: & merito: ſicut ipſe poſtea, re tota plenius expenſa, ingenuè agnovi. Quare nihil unquam controverſiæ, quod ſciam, de hoc ipſo capite deinceps inter nos agitatum fuit. Quamvis enim per omnia tibi aſſentiri nondum poſſem: immò inter tuam, hoc eſt Bellarminianam, alteramque Calvinianam ſententiam (quod & Mart. Lydium antea judicaſſe, tute ipſe tunc innuebas) verbale potius, quàm reale, diſſidium eſſe crederem: non putavi tamen, hanc cauſam acrius, aut importunius, tunc mihi urgendam eſſe.

De prædeſtinatione.

3. Ex theſibus autem de *Jeſu Chriſto Servatore, &c.* ſcio prolixioris inter nos litis occaſionem poſtmodum ortam fuiſſe. Tu quidem iſtis *fundamentum fidei, de morte & merito Chriſti, labefactari* ſentiebas. Sed D. Piſcator, quo etiam curante theſes ipſæ editæ fuerant, aliique viri docti, fratres ac ſymmystæ honorandi, aliter judicabant. Neque tu vel S. Scripturæ teſtimoniis, vel aliis id genus ſolidis argumentis, fidem dictis tuis ſatis aſtruebas. Itaque mihi in talibus à te diſſentire liberum putavi, & adhuc puto. De reipſa quidem, quam illic tracto (ſi verum fateri voles) nihil à ſententia in Eccleſiis Euangelicis generatim recepta diverſum aut alienum doceo. Ex profeſſo enim contra Socinum iſtic aſſero, I. Chriſtum ideo Servatorem noſtrum eſſe, inque S. Literis ideo ſic vocari, quia ſalutem æternam non modo nobis ex Dei voluntate patefecerit, ac varia ratione confirmaverit, tandemque omnibus in ipſum credentibus eam daturus ſit; ſed etiam obedientia ſua, præcipueque paſſione ac morte ſua, vere nobis eandem promeritus ſit, vereque divino judicio pro nobis ſatisfecerit. An hoc tibi erat fundamentum fidei, de morte ac merito Chriſti, labefactare? Dices fortè, non hoc ipſum fuiſſe, ſed aliud. Quid ergo? An quod abſolutam ſatisfactionis neceſſitatem illic non agnoſco, ſed in hypotheſi divini decreti acquieſco? An quod modum illum ſatisfaciendi, per identitatem omnium pœnarum, nobis ob peccata debitarum, non defendo, ſed æquipollentiam tantum, cum gratioſa Dei acceptatione, in hac parte inſinuo? An denique, quod meritum & ſatisfactionem Chriſti nullis, niſi vere credentibus & reſipiſcentibus, ad ſalutem prodeſſe affirmo? eoque fidem ac pœnitentiam ante juſtificationem in adultis requiro? At nihil horum eſt, quod cum prædicto fidei fundamento, prout in S. Literis expoſitum eſt, vel tantillum pugnet: imo quod eidem non per omnia probe conveniat. An porro tu aliud quidpiam in iiſdem theſibus deſignes, quod iſta tam invidioſa ratione hic obiter traducis, divinare certe nondum poſſum.

De ſatisfactione Chriſti.

4. Sequitur in Epiſtola tua. *Poſt illa cum tacite pergeres διολογεῖν ex Socino (meminiſti terminis tuis) non ceſſavimus nos te fraterne dehortari literis & coram. Tu polliceri omnia. Charitate voluiſti judicari; fecimus. Ego cum primis ejus mihi conſcius ſum: quod vel teſtabuntur illæ, quibus te ad acceptandum Profeſſionem Marpurgenſem hortatus ſui.* Obſcure quædam & involute hic dicis, quæ apertius, in gratiam Lectoris, explicanda mihi & evolvenda puto. Scripſi aliquando privatim ad amicum, uti putabam, ſincerum ac fidum, quique ſuas in talibus ἀπορίας (*dubitationes*) ſat liberè mihi ante aperuerat (Barth. credo Keckermannum, niſi fallit memoria: copiam enim epiſtolæ non ſervavi: jamque anni XVIII. elapſi ſunt) in libris Socini, quos tum primum forte nactus fueram, quædam me reperiſſe minime contemnenda, adeoque ex iiſdem didiciſſe ſeriò διολογεῖν. Quam vocem poſtquam ille (ſi non infide, ſaltem incaute) ad vos detulit, mirum eſt, quantam inde malarum ſuſpicionum ſegetem vos collegeritis: quarum etiam radices ſemper aliquas poſtea retinuiſtis. Scis ipſe, vos quaſi perculſos, ſeu Panico terrore correptos, ſemel iterumque hoc nomine mecum acriter expoſtulaſſe: quod & Epiſtola tua (quam M. Sladus in margine libri ſui deſignat) anno XCVIII. menſe Junio ad me data,

De libris Socini.

Digitized by Google

Ep.183. non obscure indicat. Sed an justam ita mecum agendi causam habueritis, candidis & cordatis omnibus judicandum relinquo. Sane de Socino quod objicis, deque termino illo meo, ex Epistola privata nimis cupide à vobis arrepto, id totum non semel alibi à me dilutum esse, probe meministi. Ex illius enim scriptis saltem aliquid boni me didicisse, occasionemque in ardua multa, de quibus antea parum attente cogitaveram, penitius inquirendi sumsisse, ne nunc quidem nego. Neque aliter illum, quem dicis *terminum meum* (ὅριον) ipse unquam intellexi: quamvis à te, aliisque nonnullis, aliorsum hunc ipsum trahi, satisque odiose mihi exprobrari, subinde animadvertam. Hortationibus etiam vestris, quatenus æquitati, ac veritati, consentaneas esse deprehendi, locum modeste semper dedi: neque ullam hic, vel minimam, erga te, vel collegas & antecessores tuos, aut irreverentiam, aut pertinaciam, unquam ostendi. Absolutam vero in rebus omnibus (nedum brutam, aut cœcam) sive assensionem, sive obedientiam, neque vobis unquam pollicitus sum, neque si pollicitus essem, ex hoc capite justè obligari possem. Turpis enim hæc promissio foret, nec vobis minus, quam meipso indigna: quippe quam sine Christi injuria neque vos exigere, neque ego præstare unquam possem.

5. An porro charitatem veram in me judicando semper adhibueritis, aliis æstimandum ex actis relinquo. De animo quidem vestro, ex lege charitatis, nihil mali unquam suspicatus sum: quem tamen Deus suo tempore clarius revelabit. Agnosco etiam te, quo tempore mihi professio Marpurgensis oblata fuit (quod demum Anno CIↃIↃCV. & CIↃIↃVI. accidit) sic satis amice ad me scripsisse, utque hanc acceptarem non semel mihi suasisse. At in epistolis tuis anterioribus; præsertim anno XCVII. & XCVIII. ad me datis, alius interdum genius elucet. Et meministi, credo, cum anno XCIX. coram mecum de componenda lite, circa satisfactionis I. Christi modum, & necessitatem &c. (petente inprimis Illustr. p. m. Comite Benthemensi, sub cujus imperio tunc vivebam) ex professo ageretis, nulla vos ratione adduci potuisse (quantumvis amanter, imò instanter & obnixe, à me rogatos) ut ad scrupulos mihi omnes facilius eximendum, disputationem hac de re plenam & legitimam inter nos haberi sineretis. Quod an veræ charitatis officium fuerit, æqui rerum arbitri facilè decernent. Immo tu ipse cogita, qualem erga me charitatem hisce proximis aliquot annis ostenderis, cum me toties, tamque acerbè ac contumeliosè, quasi Hæreticum, Pyrrhonium, Vertumnum, &c. publicè traduxisti: tamque iniquis censuris tuis & odium & invidiam aliorum mihi conflare passim studuisti. Ad quæ tamen omnia hactenus ego silere malui, quàm veram erga te, tuosque collegas, charitatem violare.

De charitate.

6. Pergis tu. *Deinceps cœpit Arminianum schisma, cui tu te infeliciter immiscuisti. Legi quædam Arminiana: Legi præfationem tuam Antibellarminianam ad Ordines: Legi tua de Deo, cum Apologia Latina & Belgica. Quid quæso censes animi, aut spei, tandem nobis de vobis restare? Non vultis Ecclesiam Catecheſi Palatina adstrictam esse: libertatem prophetandi vobis postulatis. Si dicamus, imque vos dogmata Catechetica, tot Martyrum sanguine scripta, firmata, convellere; vestras novas prophetias antiquis præferre: charitatem in nobis desideratis: sceptice interim omnia vestra per videtur proponitis: non rotunda phrasi nobiscum loquendum, sed nostris nos verbis circumveniendos esse censetis.* Hic verò nimis apertè ostendis, quid πάθος & προκατάληψις (*affectus & præjudicia*) in iis etiam possint, quorum alioqui doctrina eximia est, & aliæ ingenii dotes minimè vulgares. Multa enim hic in Arminium p. m. (virum, dum viveret, in Theologicis exercitatissimum) multa in me, aliosque viros bonos, vestigiis illius insistentes, parum considerate paucis verbis effundis: quorum si rationem reddere cogereris in cœtu aliquo legitimo, inermem sane te, firmisque probationibus destitutum, continuo videres. Nam & falsa quædam nobis impingis: & quæ fortè per se vera sunt, ea siniſtra interpretatione corrumpis, & scopum iisdem à sensu nostro prorsus alienum affingis.

Ep.183.

7. De Arminiano quidem schismate, quod sic appellas, aut ex affectu siniſtro malè judicas, aut certe non satis recte ab aliis informatus esse videris. Non enim est author schismatis, qui noxios errores, in Ecclesia I. Christi glisscentes, modestè retegit, & pro ratione officii sui ex verbo Dei corrigit. Quod quidem Arminius p. m. pro sua virili fecit: Et nos, Deo juvante, post ipsum facere perseveramus. Illi potius in culpa hic sunt, qui bene monentes superbe rejiciunt, nec correctionem ullam, quantumvis & justam & lenem, audire sustinent. Qua in re vide, ac serio perpende, quid G. Cassander olim in suis Pontificiis jure desideraverit. Porro si mea illa scripta, quæ tangis (de Arminianis prorsus idem sentio) animo recto & simplice legisti, nihil saltem verè impium, vereque hæreticum, in iis extare haud-dubie animadvertisti. Nam errata quædam leviora, quibus & tua, & omnium Doctorum scripta obnoxia sunt, uti præcise in meis negare nolo, ita cum primum mihi perspicue vel à te, vel à quovis alio, ex Dei verbo ostensa fuerint, emendare mea sponte paratus sum. Catechesin quidem Palatinam (uti & alia id genus scripta) nos minimè per se contemnimus; sed pro compendiosa quadam, ac neophytis non inutili, Christianæ doctrinæ Epitome habemus. Ecclesiam tamen illi, ut divino cuidam fidei canoni, aut regulæ veri sensus, seu normæ S. veritatis, astrictam esse non ferimus: quippe quem honorem soli S. Scri-

De schismate.

De Catechesi.

Ep.183. S. Scripturæ, ſeu verbo Dei ἀυτοπίστῳ, (*per ſe fide digno*) convenire novimus. Libertatem quoque prophetandi, idque ſine cujuſquam injuria, nobis poſtulamus: ſed non aliam, quam quæ à Chriſto ipſo, ejuſque Apoſtolis, olim nobis commendata fuit: hoc eſt, quæ limitibus verbi divini ſemper incluſa, & analogiæ fidei ubique conſentanea, denique pietatis, & publicæ in Eccleſia utilitatis, finibus arctata, & quaſi circumſcripta ſit. Dogmata igitur vere Catechetica, tot martyrum ſanguine ſcripta, & firmata, (inter quæ præcipuum fere illud eſt de ἀυτοπιστίᾳ, (*auctoritate*) & ſufficientia S. Scripturæ, in omnibus præſertim ad ſalutem ſcitu neceſſariis) nos minime convellimus: ſed vero ſenſu (juxta Scripturas ſcilicet in margine ibidem citatas) omnia rite
De Prophet. accepta tuemur & defendimus. Neque novas prophetias ipſi ex capite noſtro excogitamus, aut verè antiquis ſuperbe præferimus: ſed & noſtras, & veſtras, ſive lectiones, ſive ſcriptiones, hoc eſt humanas S. Scripturæ explicationes, aut dogmatum deciſiones, &c. ad unicam communis Magiſtri vocem, fideique Chriſtianæ normam, religioſe ſemper exigimus, & ab aliis exigi poſtulamus. Qua in parte nihil à nobis fieri conſtat, quod non & ſententiæ, & praxi, Eccleſiarum noſtrarum contra Papatum (adeoque veritati, ac juſtitiæ Chriſtianæ) per omnia conſentaneum ſit. Neque vero ſceptice, ut ais, omnia noſtra proponimus: ſed quæcunque certa habemus (uti in primis ſunt, omnia ſcitu ad ſalutem neceſſaria) ea clare & rotunde ſemper eloquimur. In aliis autem nonnullis, cum per ſe abſtrufis, tum in verbo Dei nuſquam diſerte definitis, judicium noſtrum jure ſuſpendimus: quippe qui in talibus aut ignorantiam, aut dubitationem noſtram, modeſte potius confitendam, quam temere, ac præfracte, idque in præjudicium veritatis, aliquid definiendum, merito putamus. Neque veſtris vos verbis doloſe circumvenire ſolemus: ſi metſi interdum, occaſione ſic ferente, aſyſtata quædam, in illis forte obvia, fraterne vobis oſtendimus: & quidem eo fine, ut errore facilius animadverſo, citius in viam redeatis.

De ſuppl. & dub.

8. Addis. *Tua Apologia quam mixturam opinionum nobis propinat? Si Scotus, Thomas, Puccius, Socinus (Pelagium antiquum mitto) legerent, nonne ſua recognoſcerent? Scis ita rem eſſe. De Orthodoxa noſtra Theologia, à te jurata, defenſa, vix aliqua verba te retinuiſſe, & quæ retines, bonis omnibus non poſſe non ſuſpecta eſſe.* Aſſurgit affectus tuus, ſemel incitatus, quaſi per ſcalarum gradus. Paulò ante nos ſimul omnes, qui Novatores tibi videmur, plus ſatis inique perſtringebas. Nunc me nominatim multo etiam iniquius & inclementius traducis: ſed ita, ut quum nihil dictorum tuorum probaveris, multa tamen dixiſſe, & magna cum ſpecie dixiſſe, imperitis videaris. De mixtura quidem opinionum,
De Rog. Apolog.

quam in Apologia mea (Exegeſin credo Apologeticam intelligis) propinari dicis, ſi ſpeciatim aliquid afferres, ſpecialius etiam reſponſum à me acciperes. Nunc generatim tantum idipſum nego, quod tu non obſcure aſſerere videris, falſas ſcilicet opiniones, præſertim impias, &c. illic uſpiam propinari. Scotum quidem & Thomam, item Puccium & Socinum (paria profecto male compoſita) uti & Pelagium antiquum, non minus injuſte quam invidioſe hic mihi objicis. Sed nihil interim ad rem appoſite, nihil ad hypotheſin, qua de agitur, apte ac vere dicis. Nego enim illorum propria eſſe, hoc eſt, falſa, vel hæretica, quæ vel illic, vel alibi, aſſertive à me traduntur. Et quomodo ſciam, rem ita eſſe, uti tu dicis? quum contra ſe rem habere, plane perſuaſus ſim? Juravi ſane (idque ſemel duntaxat: ne quis ſæpius id factum putet) in promotione mei in Theologiam Orthodoxam: ſed qualis in verbo Dei traditur, & communiter in Ecclefiis Reformatis ex eodem Dei verbo docetur: non qualis ab his, vel illis, particularibus Doctoribus alicubi forte deformata proponitur. In Catecheſin vero vel hanc, vel illam, nunquam juravi: tametſi interim Confeſſionem Auguſtanam, poſt videlicet & ſecundum verbum Dei, pro ſymbolo non S. Veritatis, ſed in veritate tantum publici conſenſus, habiturum me ſolenniter promiſi. Neque enim tu neſcis, in Academia veſtra, quæ titulum S. Theol. Doctoris anno XCIV. publice mihi tribuit, in nullam aliam Confeſſionem (illo quidem tempore ſic fiebat: quid nunc fiat, neſcio) quam in hanc ipſam Auguſtanam, idque non ſine expreſſa pia cautione, ac limitatione, jurari ſolere. Hoc igitur juramentum, ita prudenter ac pie modificatum, hactenus à me ſincere ſervatum eſſe, non temere credo. Porro ſicut orthodoxam hanc Theologiam hucuſque contra R. Antichriſtum, ejuſque aſſeclas, pro meo modulo ſtudioſe defendi, ita porro, cum bono Deo, eandem defendere vobiſcum paratus ſum: modò per præcipites & inconſideratas fratrum quorundam cenſuras (cujuſmodi & hæc tua eſt, cum vix paucula veræ Theologiæ verba, & ea quidem ſuſpecta, retinere me dicis) ſed inprimis per feroces, & plane hoſtiles, aliorum actiones, quieſcere mihi ab hiſce ſcriptis, ſtiluſque in communes adverſarios una vobiſcum ſtringere concedatur.

De juram. meum.

9. Pergis tu. *Quid faciam? Quia ſalutem tuam amavi, & amo, te rogo & hortor, ne pulchrum tibi ducas eſſe Davum in hac fabula, imo unguem in ulcere Eccleſiæ. Ad hujus ædificationem, non perturbationem, Deus præclaris te dotibus ornavit, quas in te ſemper agnovi. Cogita, brevi graves de his rationes tibi reddendas.* Quæris, quid facere debeas? Nempe, quod cæleſtis Magiſter dudum præcepit. Dilige me, non modo ut proximum, ſed ut fratrem tuum in Chriſto, quippe in quem ſe-
Hortatio.

Digitized by Google

Ep. 184. tentari me ſinat, ſupplex in nomine I. Chriſti ſemper orabo. Te vero, Clariſſime D. Paræe, reverenter oro, ac fraterne moneo, ut memor perſonæ, quam in Eccleſia Chriſti ſuſtines, memor ſanctæ cauſæ, quam uterque agimus, memor Domini, cui ambo ſervimus (memor etiam ſenii tui, quod te brevi, ut ipſe ais, ad Dominum de ſtatione migraturum eſſe admonet) ſine perturbatione deinceps, ac ſine præjudicio, de rebus in controverſiam nunc vocatis piè cogitare velis: neque de me ſpeciatim ſecus exiſtimare, quam de fratre ac conſervo (fortaſſis alicubi errante, ſed errorem nondum vidente, interim Chriſtum, ejuſque Eccleſiam, ſerio diligente, & hujus vulnera una tecum ſanare cupiente) charitas ipſa judicare te jubet. Hoc D. N. I. Chriſtus ante migrationem tuam tibi concedat. Cujus etiam gratiæ, vir Reverende, te ſerio commendo; meque, ſi pateris, tuis ad ipſum precibus, ſed ex animo fraterno profectis. Leydæ Calendis Maji 1612.

Tuus in Domino conſervus & frater

CONR. VORSTIUS D.

CLXXXIV.

JOANNES PISCATOR
CONRADO VORSTIO,

Theologiæ Doctori, diſcipulo quondam ſuo, S. P.

De Exemplo ſuo è Tractatu Vorſii de Deo.

QUod veteris diſcipuli titulo te ſaluto, Doctor Vorſti, ideo facio, ut monitis meis, tanquam veteris præceptoris fidelis, eo facilius locum des. Debui equidem officium hoc tibi præſtare jam pridem: nempe quum primum intellexi, te apud multos in ſuſpicionem veniſſe, quod doceas falſa quædam dogmata, eaque hauſta è libris Socini: ac proinde illos metuere, ne ubi ad profeſſionem in Academia Leidenſi fueris admiſſus, ea in illam introducas. Sed quum poſtea theſes quædam tuæ apologeticæ mihi oſtenderentur, putavi admonitione illa mea non amplius eſſe opus. Verum enim vero quum poſtea ad manus meas pervenirent articuli quidam è tractatu tuo de Deo excerpti (ut ferebatur) à Rege Angliæ: ut de doctrina tua poſſem judicare, tractatum illum ſtudioſe perlegi: eaque in quibus errare mihi videris, notavi. Haſce autem notas Bernhardo Conradi, diſcipulo quondam tuo, deſcribendas dedi: eaſdemque ex meo autographo deſcriptas per illum ad te mitto: moneris ſimul fideliter, ut ubi illas rectas atque juſtas eſſe cognoveris, Deo des gloriam: & quæ male ſcripſiſti, publico ſcripto bene retractes: atque ita & conſcientiæ tuæ & Eccleſiæ, quam ſcripto illo tuo offendiſti, tranquillitatem procures. Hoc ut effectum dare poſſis, Ep. 185. faxit Deus Pater D. N. Jeſu Chriſti per Spiritum ſanctum, Amen. Datæ Herbornæ, 8 Martii, 1612. ſtylo vetere.

Veteris tui præceptor

JOANNES PISCATOR.

CLXXXV.

CONRADUS VORSTIUS
JOANNI PISCATORI S.P.

EPiſtolam tuam, Vir Clariſſime & Frater in Domino honorande, 8 Martii ſcriptam, una cum Notis tuis ad ſententias quaſdam meas, è libro de Deo &c. excerptas, 8 Junii demum accepi. Agnoſco benevolum erga me affectum tuum, dum errores eximere mihi conaris. Sed credere te certo velim, me nondum in conſcientia rationibus tuis convinci poſſe: Sed contra quædam in Notis tuis inveniſſe, ubi graviter errare mihi videris. Statueram ergo, notas tuas una cum Reſponſo meo, quod jam pene paratum habeo, in lucem edere. Sed re plenius expenſa, judicavi te inſcio, aut invito, id faciendum non eſſe. Hæc igitur hujus ſcriptionis meæ præcipua cauſa eſt, ut conſenſum ſuper hac re tuum impetrem. Forte Amica hæc Collatio noſtra (qualem ex parte mea tibi promitto, Deo favente) non tantum utrique noſtrum, ſed & aliis, ad veritatem in multis rebus plenius intelligendam, utilitatis aliquid afferet. Exemplum ſaltem, modeſte & ſine acerbitate de rebus divinis conferendi, aliis præbebimus, quod publice prodeſſe poterit. Scribe igitur, quæſo, primo quoque tempore, quid tibi videatur: atque interim de me, ut vere Chriſtiano & orthodoxo fratre, bonam opinionem retine: nec eorum mores unquam imitare, qui alios, in rebus etiam non neceſſariis diſſentientes, facile damnare, & tanquam hæreticos, aut impios, exagitare ſolent. Vale, vir Reverende, & collegas tuos, alioſque veteres amicos, ſi qui illic ſunt, amanter à me ſaluta, &c. Goudæ 3 Julii Anno 1612.

Tuus in Chriſto Frater

CONR. VORSTIUS D.

Ep. 188. tango, ut videas, vir Clariſſime, quid utrique noſtrum in hac Collatione ſemper ob oculos habendum eſſe putem. Sciens quidem prudens haſce regulas nuſquam ipſe hic violavi. Si alicubi inſciens feci, candide mone, & ultro corrigam. A quo enim non pauca olim didici, ab eodem plura diſcere adhuc paratus ſum: modo ſic me docuerit, ut conſcientiam ex verbo Dei convincat. Spero te quoque ſic affectum eſſe, ſemperque fore, ut etiam à vetere diſcipulo aliquid diſcere ſuſtineas, modo vocem communis Magiſtri, I. Chriſti, ab ipſo proponi audias. Hoc igitur uterque ſemper agamus: ſicque invicem in Domino eruditmus, ad bonum ædificemus, denique ſincerè amemus: neque cœcis in via offendiculum ponamus (quod qui facit, maledictus cenſetur) ſed errantibus comiter viam monſtremus. Hoc enim pium, utile, facile, juſtum denique ac jucundum eſt. Nam, ut Ennius olim præclarè cecinit,

Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit.
Nihilo minus ipſi lucet, quum illi accenderit, &c.

Vale in Domino, Vir Clariſſime, jamque Collationem ipſam perlege.

CLXXXVIII.

JOANNES PISCATOR
CONRADO VORSTIO S.P.

AMicæ tuæ collationi præmiſiſti, Doctor Vorſti, epiſtolas duas: unam ad Chriſtianum lectorem, alteram ad me. Priorem, quia ad me proprie non ſpectat, relinquam intactam: ad poſteriorem paucis reſpondebo. Principio me oras, ut utrumque libellum tuum, (& Paraſceuen ſcilicet, & amicam Collationem) gratum habeam. Ego vero tibi fateor, neutrum mihi gratum fuiſſe: quia uterque non parum mihi moleſtiæ exhibuit in detegendis ſophiſmatibus tuis, quibus lucem veritatis involvis. Et hæc moleſtia eo major fuit, quod mihi laborem legendi & ſcribendi duplicaſti: dum examen notarum mearum in duos libellos diviſiſti: quod poteras uno eodemque ſcripto comprehendere. Sed cur ita faceres, cauſas in Paraſceue attuliſti plauſibiles: præcipuam tamen diſſimulaſti: ſicut in præfatione Reſponſionis meæ oſtendi. Dicis, te ſententias aliquot meas, maxime de Prædeſtinatione, *libere* ſubinde carpere. Illam ego libertatem non ægre fero: ſed reprehenſionum tuarum juſtas rationes requiro. Ais, me de materia hac paſſim *dure* loqui. At de eadem loquitur dure (nempe judicio rationis humanæ) ipſa quoque Scriptura: cum qua ego loqui ſtudeo. Dicis, te arma petere *fere* ex ſolo Dei verbo: at cogitare debebas, nulla in controverſiis de doctrina Chriſtiana arma eſſe valida, niſi quæ ex ſolo Dei verbo Ep. 189. petuntur. Fateris, te interdum urgere me conſequentiis ſatis acribus, & forte ingratis: ſed nullum tamen mihi imputare conſequens, niſi quod ipſe ultro admittam. Hoc vero ego nego. Nam certe paſſim per conſequentias tuas me gravas hoc conſequente, quod Deus ſit author peccati: id quod ego nequaquam admitto. Nectamus, inquis, conſequentias quæ certæ nobis videntur: ſed judicium de iis lectori permittamus. Accipio conditionem: & peto ut hanc tu ipſe ſerves, ac proinde à conſequentiis meis oppugnandis deinceps deſiſtas, nec mihi plus moleſtiæ faceſſas. Querelam quam ſubjungis, quod à partibus ſæpe graviter peccetur in formando ſtatu quæſtionum, ad me nihil pertinere puto. Nam conſcius mihi ſum, me in notis meis nuſquam ſtatum quæſtionis pervertiſſe, ſed verba atque ſententias tuas ſincere reprehendiſſe. Profiteris tandem, te paratum eſſe, à me, à quo non pauca olim didiceris, plura diſcere: modo ſic te doceam, ut conſcientiam ex verbo Dei convincam. Laudo animi affectum. Nam à quolibet, quem aliqua rerum divinarum cognitione præditum eſſe videmus, diſcere parati eſſe debemus. Sed interim te moneo, ut quum conſcientiam tuam à me ex verbo Dei convinci animadverteris, Deo des gloriam, & te convictum eſſe fatearis: non autem præconceptas opiniones tuas ſophiſticis rationibus palliare ſtudeas. Addis, te ſperare, me quoque ſic affectum eſſe, ſemperque fore, ut etiam à vetere diſcipulo aliquid diſcere ſuſtineam: modo vocem communis magiſtri, Jeſu Chriſti, ab ipſo proponi audiam. Recte ſperas. Nam ego vere ſic affectus ſum. Id quod vel ex eo conſtare poteſt, quod ante hoc tempus etiam ab inimicis diſcere ſuſtinui: uſque adeo, ut, quod illi juſte in ſcriptis meis reprehendiſſe videbantur, publicis ſcriptis retractarim. Habes paucis reſponſionem ad epiſtolam tuam. Nunc uno verbo rationem tibi reddam, cur ad Amicam Collationem tuam non reſponderim plene, ſicut ad Paraſceuen: ſed tantum per breves notas. Cauſa eſt, ut & labori & tempori parcerem: præſertim quum multa eadem recurrant, quæ in Paraſceue ſatis copioſe fuerunt diſputata. Nunc te ad notas illas meas cognoſcendas poteris accingere.

CLXXXIX.

CONRADUS VORSTIUS
JOANNI PISCATORI S.P.

Reſponſio ad præfationem Piſcatoris apologeticæ reſponſionis præfixam.

MAllem & ego, Clariſſime D. Piſcator, quod tu in Epiſtola ad Lectorem de te aſſeris, reliquum vitæ meæ tempus, quod divina benignitas in hac lacrymarum valle mihi forte concedet, S. Literarum meditationi,

Ep.189. S. Scripturæ (quod frustra hic facis) illi sententiæ tuæ in speciem favere ostenderes: sed ut absurda illa maxima, necessario hinc manantia, male hinc deduci probares; hoc est, ut rationum nostrarum sylloglstiam, ac fontes fallaciarum, legitime demonstrares: quod non facis.

Ad dicta vero ipsa Scripturæ quod attinet, quibus horridam istam sententiam probare niteris, quantumvis ea passim & in Collatione & in Duplicatione mea, satis exposuerim, nihilque pro sententia hac tua facere probaverim: tamen in gratiam pii Lectoris (imo & tuam: si forte hinc ansam aliquam felicem de opinione tua dubitandi, inque eam amplius inquirendi, apprehendere velles) singula rursum, sed breviter, hic excutiam. Quod priusquam fiat, status quæstionis, in hac sententia tua latentis, accurate formandus est, hoc est, sententiæ illius tuæ sensus genuinus aperiendus: & deinde, nunquid ille idem sensus in locis à te citatis exstet, sedulò inquirendum. Sensus igitur tuus hic est: (quod negare certe nequis: quum sæpius illum alibi totidem pene verbis expresseris) *Ideo incredulos esse, & fuisse, & deinceps fore, quicunque increduli sunt, fuerunt, erunt, quia per absolutum, & simul antecedens, & irresistibile, Dei decretum singulis nominatim huc destinatis sint: adeo ut decretum hoc Dei (sicut ipse alibi loqueris) sit non modo vera, sed & princeps incredulitatis causa: cujus vi homines (prorsus alioquin innoxii) divinitus impediantur, ne credant; quippe praecise ad hanc miseram sortem ordinati, ne credere unquam possint, &c.* Jam videamus, an tale quidquam in locis à te productis exstet.

Status quæstionis.

Examen locorum hic citatorum.

Primus est *Matth.* XI. 25. Ubi Christus patrem suum hoc nomine celebrat, *quod mysteria regni cælestis absconderit à sapientibus & intelligentibus, detexerit autem infantibus, idque pro suo beneplacito, &c.* Per *sapientes* autem illos, ut ipsemet ais, intelligit Scribas & Pharisæos, perque *infantes* ex adverso simplices, & rudes, seu plebejos. Sed addis, Deum illis mysteria hæc abscondisse non externe (quia æque illis Euangelium prædicatum fuerit, atque istis) sed interne; quatenus mentes eorum excæcaverit, ne Euangelio credere possent: idque propterea, quia sic ipsi placuerit. Ex quo liquere putas, incredulitatem istorum à Prædestinatione Dei, ceu principe causa, pependisse. Speciosa quidem videri potest ista hæc collectio, si quis corticem verborum externum solummodo spectet: sed revera fallax est, & inanis, imo respectu tui sensus falsa, si quis ad medullam quæstionis simul & argumenti penetret. Nihil enim hic agitur de beneplacito aliquo Dei absoluto, & simul antecedente, quale tu in axiomate illo tuo intelligis: quo Deus scilicet primo ac præcise statuerit, innoxios quosdam homines excæcare, vel in necessitatem non credendi conjicere: quum nihil vetet, aliquod etiam Dei beneplacitum in hoc genere dari tum conditionatum, tum præscientiam culpæ humanæ consequens. Quare neque de innoxiis hominibus, seu nullius dum veræ culpæ reis, hic sermo est, quales tu illic innuis, & alibi exprimis, qui scilicet ex primo illo & præciso Dei decreto excæcati sint, vel impediti, ne unquam crederent: sed de aliis, jam dudum reipla improbis, & culpæ non unius coram Deo reis: nempe de Scribis & Pharisæis, à te ipso huc nominatis. Qui certè tum aliis permultis vitiis (quæ Dominus ipsis sæpius objecit *Matth.* VI. & XVI. & XXIII.) tum imprimis ambitione perversissime laborabant: Propter quam etiam nec credebant, nec credere poterant: sicut diserte *Joh.* V. 44. & XII. 43. scriptum est. Et sane hæc ipsorum vitia justissimam Deo causam præbebant, cur eos tunc excæcaret, aut saltem non tanta gratiæ suæ luce donaret, quantam aliis, plebeis quidem ac rudibus, sed vere humilibus & modestis, veræque pietatis studiosis impartiebat. Itaque hoc ipsum illud Dei beneplacitum est, quod Christus hic speciatim prædicat: quo nempe Deus statuit, superbis Euangelii contemptoribus, & opinione sapientiæ suæ inflatis (quales Scribæ & Pharisæi erant) gratiam ampliorem non dare, imo ipsis resistere, & lucem denique suam ab ingratis auferre; humilibus autem & veritatem pie quærentibus, uberiorem gratiam dare, &c. Atque hunc verborum Christi genuinum sensum esse, & occasio, & scopus eorum, cum alias tum præcedentibus, tum seqq. peristasibus, satis arguunt: uti & collatio aliorum similium locorum; præsertim ubi de causis excæcationis, vel indurationis divinæ, plenius & apertius agitur. Vide 2 *Cor.* IV. 3. 4. & 2 *Thess.* II. 11. 12.

Secundus est *Johan.* VI. 36. 37. ubi Christus ad Capernaitas ait: *etiam vidistis me, nec creditis. Quidquid dat mihi pater, ad me veniet.* Ergo, inquis tu, Capernaitæ illi ideo non credebant in Christum, quia non erant ipsi à Patre dati, hoc est, quia non erant in numero electorum, sed reproborum. Quasi vero hic genuinus verborum Christi sensus sit, quem tu istic adfers. Et quasi de talibus vel Electis, vel Reprobis, ille quidquam hic agat, aut unquam forte cogitaverit, quales tu intelligis. Quinam autem per *illos Christo datos* intelligendi sint, in Duplicat. satis expolui: præsertim ex collatione loci *Joh.* XVII. 6. & d. *Tui erant, & mihi eos dedisti, &c.* Summa illic dictorum est: aliquos quidem hominum, præsertim singulari muneri destinatos, singulari quadam ratione Christo à Patre donari (de quibus non videtur hic agi) sed communiter eos omnes hoc nomine censeri, qui quum pii sint, & secundum Deum affecti, per Euangelium, & Spiritus S. gratiam, ad Christi fidem vocantur. Quales V. gr. erant, Cornelius, Lydia, &c. Sensus igitur horum Christi verborum verus & simplex est: idcirco Capernaitas istos tunc quidem non credidisse (non enim dicit Dominus, numquam

Ep. 189. modo culpæ reſpectum habuit, ſed tantum ad ſequentem Dei vindictam referri debet. Tantum abeſt, ut præciſa ſimul & antecedens Dei voluntas hic ſignificetur, quæ culpæ ab iisdem commiſſis, hoc eſt, incredulitatis culpoſæ, ſeu mavis culpabilis, vera & propria cauſa fuerit. Hæc enim ſi ſignificaretur, Deus ipſe (quod abſit) verus ac primus culpæ iſthius author fuiſſet. Plura de his ſuo loco habebis.

Sextus eſt *Rom.* IX. 18. *Cujus vult miſeretur, quem autem vult indurat.* Ubi miſereri tibi idem eſt, quod fide aliquem ex miſericordia donare: eoque indurare contra idem tibi eſt, quod ex ſevero judicio mentem alicujus ita obfirmare ut credere non poſſit. Sed quæ ratio aſſertur hujus utriuſque gloſſæ? Nulla. Nihil ergo fidei utraque meretur. Cur tu autem ad certam utriuſque rei ſpeciem adſtringis, quod Apoſtolus de utraque generatim enunciat? An nulla tibi eſt Dei miſericordia extra fidei donationem? Nonne & miſericordia Dei vera eſt, cum credentibus ille peccata condonat? cumque varia Spiritus S. dona & tandem vitam æternam iiſdem largitur? Contra vero quo modo vel ſapiens, vel juſta induratio, hoc eſt, punitio eſſe poteſt, cum mens hominis ad fidem vocati, & prorſus innoxii, ex prima & præciſa Dei voluntate, quam tu innuis, ſic obfirmatur, ut credere non poſſit? An juſta hæc ſeveritas, Deoque digna eſt? Annon ubicunque ſeveri judicii (imo vel minimæ iræ divinæ) mentio fit in S. Literis, ibi culpa ſemper hominum aliqua præſupponitur? Vide *Rom.* I. 18. & d. & II. 5. & d. & XI. 19. &c. Quin & recta ratio clamat, nec pœnam nec iram juſtam dari poſſe, quam non antegreſſa culpa pepererit. Senſus igitur hic tuus (in poſteriori præſertim membro) & falſus, & abſurdus eſt. Verus autem loci ſenſus eſt: Deum liberrime miſereri, quorumcunque miſeretur, & quacunque tandem in re miſereatur: quia nemini (extra liberalem gratiæ promiſſionem) hic obligatus eſt: contraque liberrime indurare quoſcunque indurat; quia neminem, licet ita promeritum, indurare tenetur. Sicut enim de ſuo donat liberrime, quibus, & quantum vult; ita & pœnam condonat, quibus, & quouſque vult. Nam de ſuo ſemper libere facit, quidquid vult: eoque & liberrime punit omnis generis peccatores, quoſcunque punit: quia neminem horum ex abſoluta naturæ neceſſitate punit; ſed parcere poteſt, quibuſcunque vult. Qua de re plenius infra c. 5. Deo dante diſſeremus: ubi hanc ipſam poteſtatem, quam tu iſthic juſto latius extendis, alibi nimium à te contrahi probabo. Interea certum eſto, nihil hic Apoſtolum de induratione tali agere, qualem tu intelligis. Indurat enim quidem Deus libere, juxta illum, quos vult: ſed nullos tamen indurare vult (imo nec velle hoc poteſt) niſi qui pœnam hanc juridice promerentur.

Septimus eſt ibidem *verſ.* 33. *Ecce pono* (inquit Deus) *in Sione lapidem offendiculi &c.* Ep. 189. Ergo Deus, inquis tu, poſuit Chriſtum, ut Judæi per incredulitatem in eum impingerent. Et hoc ipſum putas etiam *Luc.* II. 34. à Simeone ſignificari, cum de Chriſto dicit: *Ecce hic poſitus eſt* (utique à Deo, inquis) *in caſum &c. & in ſignum cui contradicetur.* Sed licet hoc totum, quod S. Textui hic inſeris, tibi concederem (ut quidem ſano ſenſu totum concedo) nihil hinc tamen ſententia tua juvari poſſet. Fateor enim, Chriſtum non minus impiis & incredulis ad ruinam ſeu damnationem, quam piis & fidelibus ad ſalutem; à Deo conſtitutum eſſe: ſic tamen, ut nihil hoc in rem tuam faciat. Addo etiam, nihil neceſſe eſſe, ipſa hæc verba tua, per ſe quidem accepta, de abſoluta & antecedente Prædeſtinatione, ſeu voluntate illa Dei prima & præciſa, quam tu innuis, interpretari: ut quæ de alia ſpecie, longe diverſa, ſatis commode accipi poſſunt. Sed quia de mente tua jam conſtat, nego plane, ſequelas & gloſſas tuas, ſub verbis hiſce latentes, hic recipi debere. Quod enim textus uterque partim de ſolo eventu, vel effectu, & quidem per accidens exiſtente; partim etiam de fine quidem, ſeu ſcopo Dei, ſed ſecundario tantum, & humanæ culpæ intuitum conſequente, eoque pœnam juſtam improbis decernente, haud dubie intelligit (ſicut ex propriis utriuſque loci periſtaſibus, & ſimilium locorum collatione, præſertim 1 *Petr.* II. 6. & d. planum eſt) id tu perperam ad ſcopum, vel intentionem Dei reſtringis; adeoque non ad quamlibet, ſed ad primariam & antecedentem Dei intentionem refers: quæ videlicet nullam hominum culpam (præſcitam ſcilicet) pro cauſa habuerit; ſed homines potius innoxios ad culpam ipſam committendam præciſe deſtinaverit. Quo ipſo & Deum totius culpæ authorem conſtituis, & homines à vero reatu reipſa abſolvis: ſicut alibi pluribus oſtendi. Omitto, quod *Luc.* II. 34. non idem illud *ponendi* verbum eſt, quod *Rom.* IX. 33. quodque proinde non ſatis ſincere utrobique à te poſitum fuit. Præſertim quum illic eventus potius, quàm finis; hic contra finis potius quam eventus ſignificari videatur. Sed de his omnibus plura habes in opere ipſo, ſuis quæque locis.

Unde jam clare patet, nullum ex hiſce dictis, ſi recte inſpiciantur, ſententiæ illi tuæ quidquam patrocinari, quæ eſt: *incredulitatem hominum à Prædeſtinatione Dei pendere, tanquam effectum à ſua cauſa.* Imo hinc patet, eandem ſententiam tuam, ſi tota ſincere proponatur, in ſingulis hiſce dictis reipſa damnari: quum dicta hæc recte quidem accepta, aut de pœna tantum hominum improborum agant, hoc eſt, de pœnali ipſorum incredulitate, vel potius credendi impotentia, quam præcedentibus ſuis peccatis commeriti ſunt: aut talem eorundem culpam deſcribant, quæ antea nunquam *in cor Dei aſcenderat* (ut cum *Concluſio.*

Digitized by Google

Ep. 189. Deo ipſo ſic loquar, de ſimilibus peccatis aperte hanc phraſin de ſeipſo uſurpante, *Jer.* XIX. 5.) hoc eſt, quæ nunquam ab ipſo, præſertim efficaciter, & quidem primo, ac præciſe, decreta fuerat: Tua vero theſis de mera hominum culpa, hoc eſt incredulitate vere culpabili, deque Prædeſtinatione ad illam præciſa, & ſimul antecedente (ac proinde hominum ante innoxiorum) perſpicue loquatur. Quæ quidem theſis quam & abſurda, & reipſa in Deum hominesque injuria ſit, res per ſe loquitur, & ego non ſemel alibi ſatis explicui. Neque hic quidquam te juvat illa cautio, quam addis, *quod Deus in excæcandis reprobis opera Satanæ utatur, eoſque per hunc impediat, ne credant, &c. juxta illud ſcilicet* 2 *Cor.* IV. 4. *Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, &c.* Hoc enim totum uti per ſe verum eſt (de excæcatione ſcilicet vere pœnali, & hominum jam ante impiorum, vel infidelium, ut diſerte textus habet) ita tuo ſenſu acceptum, plane falſum eſt: puta de excæcatione ante culpæ intuitum præciſe decreta, eoque non vere pœnali; ſive de impeditione hominum ante innoxiorum, & tamen ad fidem Chriſti vocatorum, ſimulque præciſe ad culpam hanc committendam deſtinatorum. Talis enim talium hominum excæcatio, taliſque fidei iſtorum impeditio, uti revera nunquam *in cor Dei aſcendit* (quam phraſin bene ruminari à te velim) hoc eſt, nunquam à Deo decreta fuit: ita nullo modo, hoc eſt, neque immediate per ipſum Deum, neque mediate per Satanam, exſecutioni unquam mandatur. Figmentum hoc merum, & pravum, cordis humani eſt, nec quidquam præterea. Ignoſce verum ingenue dicenti. Hæc enim opinio præterquam quod Deum (ſaltem mediate) peccati authorem facit, revera etiam turpem hypocriſin, & apertam tyrannidem, eidem impingit: & præterea ſtudium Religionis evertit, &c. prout infra, ſuis locis, copioſius probatum invenies. Jacet ergo plane gloriatio illa, quam mox ſubjicis, *Axioma illud tuum, de principe incredulitatis cauſa, clariſſime in verbo Dei fundatum eſſe.* Clariſſime, nimirum fidenter dicis: quum ne obſcuriſſime quidem illic fundatum eſſe. jam viderimus; adeoque quum nec fundatum illic eſſe ulla ratione poſſit: quippe cujus contrarium, quod ego contra te defendo, ibidem & paſſim, ■ perſpicue, fundatum eſt: *Deum ſcilicet nullius peccati* (*eoque nec culpabilis incredulitatis*) neque per reprobationem ſuam, aut qualecunque decretum, neque per excæcationem, aut ullam aliam actionem ſuam, neque directe, vel immediate, neque indirecte, vel mediate, cauſam aut eſſe, aut eſſe poſſe. Huic enim axiomati, quod & ipſemet interdum verum eſſe agnoſcis, tuum illud quaſi è diametro repugnat (quippe clare aſſerens, Deum per abſolutam & antecedentem reprobationem ſuam, & hinc ortam eidem analogam hominum excæcationem, vel fidei impeditionem, qualem ante dixi, non modo veram, ſed & principem, incredulitatis cauſam eſſe) ac proinde non magis in Scriptura, rectè intellecta, fundatum aut eſt, aut eſſe poteſt, quam falſitas in veritate, aut tenebræ in luce, fundatæ aut ſint, aut eſſe poſſint.

Contra inanem cautelam.

Jer. 19. 5.

Contra gloriationem.

Ep. 189.

De vera pietate autem quod dicis, agnoſco ſane, illam imprimis dictare, *officii noſtri eſſe, teſtimoniis divinis, remota omni dubitatione, credere: ejuſque judicia ſublimia, de quibus in verbo ſuo teſtatur, humillima animi demiſſione, tanquam ſancta & juſta, adorare.* Sed memiſiſſe interim te velim, eandem pietatem etiam dictare, ne Deo quidquam affingamus, quod vel ſanctæ ipſius naturæ contrarium ſit, vel Religionis ab ipſo præſcriptæ fundamenta convellat. Addo, non continuo *divina teſtimonia*, & *ſublimia Dei judicia eſſe*, quæcunque hominibus talia eſſe videntur, aut pro talibus jactantur. Fit enim interdum, ut ſacrarum Literarum dicta quædam pravo ſenſu accipiantur; & teſtimonia, itemque judicia Dei eſſe, falſo putentur, quæ revera non ſint. Reſtringenda igitur tua verba ſunt ad teſtimonia vere divina, hoc eſt, recte atque ex mente ipſius Dei percepta; item ad judicia vere divina, ſeu vere in verbo Dei patefacta; non à nobis ipſis aliuſve per errorem temere conficta. Pietas enim vera nec cæca, nec bruta eſt: nec proinde jubet, ut quidvis, quantumvis externo Scripturæ pallio tectum, vel ſub ſpecioſo illo verbi divini titulo forte propoſitum, continuo recipiamus, aut quaſi divinum adoremus. Quin potius bene oculata eſt, & ubique in rebus divinis circumſpecta: eoque δοκιμασία (*probationem*) Spirituum, & ἀνάκρισιν (*dijudicationem*) dogmatum, à quocunque tandem afferantur, ſerio nobis commendat: &, ne intelligentia, ſed malitia pueri ſimus, ſenſuſque exercitatos ut habeamus, ſollicite præcipit. Alioqui ſane proclive foret, nos quovis doctrinæ vento circumagi. Nam & Pontificii, & quivis alii errones, verbi Dei literam pro ſuis erroribus forte citantes, facile nos eodem hoc prætextu ſeduxerint: quippe qui pariter tecum dicere poſſent, uti & ſolent (neque id minus ſpecioſe, imo magis interdum, quam tu in hac cauſa) veræ pietatis eſſe, in verbo Dei, quod ipſi pro ſe afferant, humiliter acquieſcere, & rationem in obſequium fidei captivare, &c. etiamſi myſteria ipſorum rationi noſtræ abſurda videantur; quippe quæ homo animalis capere non poſſit, &c. Quod tu iſtis igitur in hoc caſu reſpondere velles, aut reſpondendum mihi putares, idem hoc me tibi jam reſpondiſſe credito.

Pietas qui ſane.

1 *Joh.* 4. 1. 1 *Theſſ.* 5. 21. 1 *Cor.* 14. 29. *Heb.* 5. 14.

1 *Cor.* 10. 1 *Cor.* 14.

Ad exemplum Apoſtoli Pauli (quem jure illuminatiſſimum vocas) ſublimia Dei judicia pie admirantis, & pathetica ἐκφωνήσει (*exclamatione*) celebrantis, quod attinet, nihil id quoque vel ſententiæ vel cauſæ tuæ revera patrocinatur. Etſi enim alioqui verum eſt, illum, poſt-

De mente Apoſtoli Pauli.

Digitized b

Ep. 189. postquam de rejectione atque incredulitate Judæorum multa differuisset, tandem in hæc Rom. 11. 33. verba erupisse: *ô profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei, &c.* falsum tamen est, ipsum his verbis talem vel rejectionis vel incredulitatis Judæorum causam asseruisse, imo vel leviſſime indicasse, qualem tu intelligis: hoc est, propter talem aliquam utriusque rei causam, quam ipse scilicet jam ante tradiderit, exclamatione hac vere pia & pathetica usum fuisse. Nihil enim tale in tribus illis capp. (IX. X. XI.) imo nihil in tota illa Epistola, nihil in reliquis omnibus Epistolis suis, uspiam ille tradidit. Quin potius contrarium ipse passim aperte tradidit, sicut infra suis locis videbimus. Imo, si & vim horum Apostoli verborum, quæ citas, & imprimis seriem totius capitis, & συνοχην (*connexionem*) textus, accuratius inspexeris, ne quidem ipsam rejectionem & incredulitatem Judæorum, quamvis alioquin ex Apostoli mente recte acceptam, vel solam vel præcipuam hujus exclamationis causam illi fuisse videbis. Verba enim ipsa per se plane generalia sunt, & ad quævis sublimia Dei judicia, præsertim ad hoc genus pertinentia, hoc est, æternam vel salutem vel damnationem hominum spectantia, recte aptari possunt: Et magis quidem ad illa, quæ salutem, quam ad ista, quæ damnationem æternam concernunt: quum πολυποικιλος (*multiplex*) Dei sapientia, præsertim cum summa bonitate, ac summa potestate conjuncta, magis in illis, quàm in istis, sese proferat; eoque etiam de illis alibi præcipue celebrata inveniatur. Textus autem evincit, Eph. 3. 10. 11. 2 Pet. 1. 12. Apostolum his verbis ad omnia, vel saltem præcipua, præcedentis dissertationis suæ membra respexisse. Atqui in præcedentibus neque de sola rejectione & incredulitate Judæorum egit; neque hoc præcipuum ipsius εργον (*opus*) fuit: Verum etiam de gratuita gentilium præ Judæis assumptione, & quasi in istorum incredulorum locum substitutione (hoc est, electione ad salutem, per fidem in Christum) deque mirabili eorundem ad fidem vocatione, mediante scilicet Judæorum ruina; imo etiam de futura ipsorum Judæorum restitutione, &c. multa disseruit: adeoque de his rebus & plura, & planiora, quam de illis dixit. Cur igitur hanc ejusdem εκφωνησιν (*exclamationem*) non perinde huc, atque illuc, & quidem huc potius, quam illuc, referamus? Saltem causa nulla est, cur ad hypothesin tuam, licet etiam recte declaratam (nedum aliter acceptam) hæc Apostoli verba restringamus? Denique, ut verbo rem expediam, nihil hoc Apostoli exemplum prodesse tibi potest, nisi prius ostenderis, tuam hac in parte sententiam cum Apostolica prorsus eandem esse. Quod neque hactenus præstitisti, neque rite unquam præstabis.

De rationibus. Restat illud de petitione mea, jam dudum à me tibi proposita, *ut rationibus meis, in Pa-*

rascene ex Dei verbo allatis, humiliter acquiesceres &c. Excipis tu, libenter equidem id te facturum, si videre posses, rationes illas ex Dei verbo allatas esse. Quod propositum ut vere pium, & laude dignum est, ita plane mihi commune hic tecum esse ne dubita. Quare nec amplius quidquam hac in re postulare à me jure poteris, quam quod ipse præstare libenter hic velles. Fides enim non cogenda, sed rationibus persuadenda est. At rationes tum demum vim persuadendi habent, cum veræ, & verbo Dei subnixæ esse intelliguntur. Talibus autem locum semper dare (Deum testor) ex animo paratus sum. Sic enim omnino nos decere credo, quotquot & φιλαληθειαν (*amorem veritatis*) & modestiam Christianam serio profitemur: contraque mores eorum non tam verbis, quam reipsa damnandos puto, qui vel rationibus nondum intellectis serviliter mox acquiescunt (hoc est, authoritate hominum potius, quam Dei, moveri se sinunt) vel præjudiciis semel conceptis pertinacius inhærentes, melioribus argumentis locum dare nolunt. In summa: ego erga & tuas, & cujusvis viri docti, rationes sic affectus sum, ut & libenter, & alacriter omnes amplectar, quas in veritate, ac maxime in Dei verbo, fundatas esse cerno. Sed de meis rationibus hoc nondum videre tu potes: imo ais, *In examine te deprehendisse, illas non ex Dei verbo allatas, sed ex judicio rationis humanæ depromptas, verbum autem Dei ad illas fulciendas atque stabiliendas detortum esse.* Id quod non admodum de te miror: qui verbum Dei totiès torqueri putas, quoties ex tuo sensu fortè non accipitur: quique rationem humanam, quantumvis alioqui planam & apertam, si sensui tuo, quo verbum Dei accipiendum putas, alicubi contraveniat, verbo Dei mox contrariari statuis. At memento interim, sensum tuum non esse regulam veritatis, sed hanc potius illius. Imo memento, neque veram rationem sancto Dei verbo unquam contrariam esse (quum verum vero perinde semper consonet, atque album albo, & pulchrum pulchro) neque continuo veram verbi divini torturam esse, quæ tibi aliisve esse forte videtur. Addo, id etiam ipsum, quod tu de rationibus meis hic dicis, eadem facilitate, sed meliore jure, de rationibus tuis in contrarium allatis, asserere mihi licere: quippe quas verbo Dei, recte intellecto, minime niti per Dei gratiam jam dudum intelligo: quasque non ex recto humanæ rationis judicio, sed ex inani quodam præjudicio jam olim menti tuæ nimis firmiter impresso, depromere tu soles: sicut vel ex pauculis illis, quas paulo ante *pro principio incredulitatis causa*, ex verbo Dei quidem, sed misere detorto, breviter attulisti, non difficulter cognosci potest. Dices haud dubie, me plurimum à veritate hic aberrare: tuasque rationes & firmas, & in verbo Dei probe fundatas esse, acriter adversum me denuo con-

Ep. 189. Ep. & Resp.

Ep.190. tendes. Sed hoc ipſum dicere, & contendere tuum, nihil per ſe probat: ſaltem non magis hic valere poteſt, aut jure debet, quam meum contradicere, & contra tendere. Non magis enim Actor, quam Reus, in propria cauſa teſtis, aut Judex, eſſe poteſt. Nec ullius hominis, quantumvis eximii, authoritas in rebus divinis quidquam valere debet. Permittamus igitur tandem aliis, præſertim fratribus, & quidem extra hanc litem noſtram poſitis, ut de re tota in timore Domini ſincere ac libere judicent: & noſtras utriuſque rationes, & contrariarum rationum ſolutiones, item exceptiones, diſtinctiones, locorum Scripturæ expoſitiones, &c. ad regulam verbi divini, κανόνα (*ſano ſenſu*) ubique accepti, & ad certiſſima clariſſimaque principia ſua revocati (vel, ſi mavis, ad normam S. Scripturæ, & Rectæ rationis, quippe cum verbo Dei ſemper ac neceſſario conſentientis) diu multumque deinceps examinent: & tandem (quod ab ipſis jam petii) publicam ac communem de omnibus hujus controverſiæ partibus, tum quoad earum veritatem, vel falſitatem, tum maximè quoad neceſſitatem, & utilitatem, & contra, ſententiam talem ferant (& modo etiam legitimo ferant) in qua piorum omnium conſcientiæ tuto & ſecure acquieſcere poſſint. Interea nos pacem ac fraternitatem in Domino invicem colamus, & alter alterius ignorantias atque infirmitates juxta Chriſti legem patienter feramus: imo Deum alter pro altero non ſegniter oremus, ut oculos mentis utrique magis ac magis aperiat, & ſaltem in ipſo Chriſto (quum de omnibus veritatis partibus vix ſperandum id ſit) idem ſentire, ac docere, nobis ſemper concedat. Scriptum Goudæ x. Cal. Aprilis. 1617.

Rom. 15. 1. Gal. 6. 2.

CXC.

CONRADUS VORSTIUS
JOANNI PISCATORI S.P.

Reſponſio ad poſtremam Piſcatoris epiſtolam.

DUas equidem Epiſtolas, ut rectè ais, Reverende Vir, Amicæ Collationi meæ antehac præmiſi, unam ad Lectorem, alteram ad te: Sed ita comparatas, ut illa non minus, quam iſta, ſi non proprie, ſaltem communiter, ad te quoque ſpectaret. Optarem igitur, te utrique, ſi non in omnibus, ſaltem in præcipuis membris, aliquid reſpondiſſe: & ſpeciatim ſententiam tuam de iis aperuiſſe, quæ in priore Epiſtola de infirmis, hoc eſt, alicubi errantibus, aut à nobis forte diſſidentibus, amice modeſteque tolerandis, proque Fratribus in Chriſto ſemper habendis, quamdiu in Chriſtum ſincere credunt, ſicque ſalvum fidei fundamentum tenent, &c. ſat prolixè differueram. Nam & res per ſe digna eſt, & (imprimis hoc odiorum atque irarum feraci ſeculo) Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ perquam utilis, Ep.190. quæ à multis paſſim viris doctis accurate tractetur. Atque hæc ipſa ratio mihi tunc perſuaſit, ut plenius hac ipſa de re mentem meam aperirem, teque ad eandem uberius explicandam hoc ipſo agendi modo invitarem. Sed quia viſum tibi fuit, & hoc, & reliqua omnia illius Epiſtolæ capita intacta relinquere, acquieſcere me hic oportet. Tantum igitur videndum reſtat, quid ad alteram reſpondeas. Principio fateris, utrumque librum meum (& Paraſceuen ſcilicet, & Amicam Collationem) contra quam ego petieram, tibi ingratum fuiſſe. Hoc quidem præter votum, & ſpem meam accidit: præſertim quum ante per literas non obſcure mihi ſignificaſſes, inſtitutum meum, de Notis tuis publicè refellendis, tibi non improbari. Sed cur tamen uterque liber ingratus fuit? Cauſam hanc affers, quod non parum moleſtiæ uterque tibi exhibuerit, in ſophiſmatis ſcilicet meis detegendis, quibus lucem veritatis involverim. Si par pari referre, aut ſuſpicionibus tecum indulgere, hic vellem, dicere non injuria, imo nec inſcite poſſem, præcipuam inde moleſtiam tibi fortaſſe creatam, quod doctrinam tuam nimis hic aperte retegi, nimiſque ſolide in utroque libro refelli videres. Cur autem Examen Notarum tuarum in duos libellos diviſerim, cauſas in Paraſceue non modo plauſibiles, ſed & veras juſtaſque attuli. Quam tu vero præcipuam fuiſſe putas, ſed à me diſſimulatam, eam falſo mihi tribui jam in procemio Duplicationis ſatis expoſui. Quod porro liberas ſententiarum aliquot tuarum reprehenſiones meas non ægre fers, rectè facis. Sic enim omnes affectos eſſe decet, quibus veritas cordi eſt. Juſtas autem illas reprehenſionum rationes, quas requirere te dicis, jamdudum in Paraſceue attuliſſe mihi videor: quarum ſimiles etiam in hoc ſcripto complures invenies. Dure de hac materia te loqui, non modo rationis humanæ judicio, ſed & reſpectu veritatis, etiam qui tecum ſentiunt differi non ſolent. Cum Scriptura vero hic te loqui, nil niſi mera opinio, & principii petitio eſt, prout ſuis locis copioſius oſtenſum videbis. Quod dixi, me arma fere ex ſolo Dei verbo contra te petere, &c. non eo trahendum eſt, quo tu trahere videris: quaſi controverſias de doctrina Chriſtiana (quatenus hæc ſcilicet ad ſalutem ſcitu neceſſaria eſt) non ex ſolo Dei verbo decidi velim. Abſit. Tantum enim indicare volui, præter aperta S. Literarum teſtimonia, rationes etiam quaſdam evidentes, ſed cum illis per omnia conſentientes, interdum à me tibi objici. Quod quidem in omni veritatis inquiſitione licere ſcimus: quippe pro qua non ſolam Scripturam, ſed & rectam rationem, facere poſſe, ac ſolere novimus. De conſequentiis, quod dixi, nondum muto. Etſi enim illæ, noſtro diſputantium judicio, firmiſſimæ interdum ſint, ac certiſſimæ: quamdiu tamen adver-

Ep. 190. adverſarius eas non agnoſcit, ſed conſectaria ipſa palam damnat: omnino æquitas ſuadet, ne invito hæc quaſi propria imputentur. Quare licet & ipſe in conſcientia mea perſuaſus ſim, tam certo ex doctrina tua conſequi, *Deum eſſe authorem peccati*, quam ex ortu ſolis dies ſequitur: & proinde doctrinam tuam, ut tu loqueris, hoc ipſo conſequente paſſim gravem: tamen ipſum hoc conſequens, quamdiu à te rejicitur, pro dogmate tuo nuſquam vendito. Quod tamen ipſum, ſi ſummo jure agere tecum vellem, apud multos, etiam non iniquos rerum judices obtinere facile poſſem. Judicium quidem de conſequentiis, utrinque allatis, ut Lectori permittatur, æquiſſimum eſt. Sed ut ego à conſequentiis tuis oppugnandis deinceps deſiſtam, prorſus iniquum eſt. Tu enim actor hactenus fuiſti, ego autem reus. Iniquum vero eſſet, actorem & primo & ultimo loqui: ſicque reo defenſionem ſui neceſſariam denegari. Moleſtia quidem, quam nimium fugere velle videris, deinceps carere poteris, ſi cauſæ totius cognitionem iis permiſeris, ad quos ego ipſam detuli: hoc eſt, majori ac meliori Euangelicorum parti (exceptis ſemper iis, qui publice præjudicis ſe jam ante alligarunt) qui Auguſtanam, aut ſimilem aliquam Confeſſionem amplectuntur. Querela mea, quod in formando quæſtionum ſtatu à partibus ſæpius erretur, &c. etiam alicubi ad te pertinet. Etſi enim forte ſciens ſententias, aut verba mea, nunquam pervertiſti, tamen ab imprudente interdum id factum eſſe, res ipſa loquitur: ſicut abunde ſuis locis oſtendam. Tandem laudas affectum meum, quod paratum eſſe me profitear, à te plura diſcere, à quo non pauca olim didiciſſem. Ego vero viciſſim laudo piam inſignemque [redacted]nomam tuam, quam proætiologia laudationis tuæ ſtatim ſubjicis: *quod à quolibet, quem aliqua rerum divinarum cognitione præditum eſſe videmus, diſcere parati eſſe debeamus.* Quod utinam ſuperbi quidam *ἰδιογνώμονες* (*ſua ſententia addicti*) altius ſecum expendant, qui turpe putant, ab aliis, fortè alicubi diſſentientibus, quidquam diſcere: imo qui ſe, ſuoſque magiſtros, quibus nimium ſerviliter adhærent, ſolos ubique ſapere, reliquos autem omnes velut umbras volitare putant. Cæterum quod me mones, ut, quum conſcientiam ex Dei verbo à te convictam eſſe animadvertero, gloriam Deo dem, meque convictum eſſe fatear, &c. id bona fide facturum me ſpondeo. Sed te viciſſim moneo, ne judicium de conſcientia mea temere tibi arroges: nec proinde me convictum ſtatim in conſcientia putes, quum tu forte, aut alius quiſpiam, convictum me eſſe putaverit. Præconceptas opiniones ſophiſticis rationibus palliare, tantum illorum eſt, qui vel nimia philautia, vel pertinaciæ morbo, laborant. Qualem me, per Dei gratiam, non eſſe, quum aliæ rationes non obſcure demonſtrant, tum vel illud ſat teſtari poteſt, quod amore veritatis impulſus, opiniones quaſdam veteres, à te aliiſque olim Ep. 190. hauſtas, ad limam verbi divini ſtudioſe revoco: imo quaſdam illarum, poſtquam falſas eſſe deprehendi, jamdudum mea ſponte abjeci. Quo nomine quidam etiam cenſores, tibi forte non ignoti, neſcio cujus levitatis (ſi Deo placet) notam inurere mihi ſolent. Pergratum vero eſt, quod te quoque ſic affectum eſſe profiteris, ut etiam à vetere diſcipulo, ſi modo vocem communis magiſtri D. N. I. Chriſti proponat, aliquid diſcere ſuſtineas: quodque antehac etiam ab inimicis diſcere ſuſtinueris; adeo ut quædam, quæ juſte ab his reprehenſa videbantur, etiam publice retractaveris. Hinc enim bonam ſpem concipio, fore ut meis quoque argumentis, ſi diligentius tecum omnia perpenderis, locum aliquem concedas: & craſſiora ſaltem errata tua, quæ nimis aperte in verbum Dei, & rectam rationem impingunt, tandem aliquando abjecturum eſſe. Poſtremo rationem reddis, cur ad Amicam Collationem meam non reſponderis plene, ſicut ad Paraſceuen; ſed tantum per breves Notas: nempe, ut & labori, & tempori parceres: præſertim cum multa eadem illic recurrerent, quæ ſatis copioſe hic diſputata viderentur. Ad quod nihil aliud reſpondere habeo; quam rationem hanc non uſquequaque juſtam eſſe: maxime quum res ipſa doceat, quædam à te mea, & quidem non minimi momenti, nimis leviter præterita, & ſilentio tranſmiſſa fuiſſe. Saltem quia tibi ſic agere placuit, exemplo me tuo ſatis excuſare poſſem, ſi quaſdam etiam notarum tuarum, in Duplicatione mea, inque his Paralipomenis, viciſſim ipſe intactas relinquerem. Quod tamen ſciens nuſquam feci, quantum ad eas quidem attinet, quæ vel tantillum ad rem dicere mihi videbantur. Nam in minutiis hærere, & vocularum apices ſectari, nimis ineptum fore jure cenſui. Nunc ad ipſa Paralipomena cognoſcenda accingere te poteris: ſi tamen ante paucis te monuero, ne quid deinceps indignum tua virtute ac pietate, imo tua hac ætate, in diſputando commitas. Cujuſmodi V. g. eſt nimia illa confidentia, vel audacia, in tuis quibuſdam aſſerendis, tanquam quæ in verbo Dei perſpicue ſcripta ſint, quæ tamen nulla ratione (hoc eſt, nec diſerte, nec implicite) iſtic exſtant; item in contrariis quibuſdam ſimiliter negandis. Qualis etiam eſt præfervida, & nimium præceps illa cenſura, quam etiam non ſine contumelia interdum in me ſtringis (præſertim in notis poſterioribus: ubi patientiam ſæpius perdidiſſe videris) dum non modo *nugas*, *tricas*, *gryphos*, *ſophiſmata*, *inanes cautelas*, *&c.* ſed & *inanem garritum*, *imo impudentiam*, *&c.* ſubinde mihi falſo exprobras. Non enim decent iſta Chriſtianum diſputatorem, nedum Theologum, eumque ſenem, nec ullis id genus injuriis à me prius affectum. Sed exceſſus iſtos, ut & ante dixi, ex animo tibi condono. Tantum

Digitized by Google

Ep.190. ut porro caveas, in Domino te moneo, imò rogo.

De hyperbolis Lutheri.

Cæterum pro hyperbolis, seu potius paradoxis illis, quæ quasi θησαύρια (*thesauros*) ex Lutheri Servo Arbitrio ad libri tui finem adjecisti, veras & pias aliorum Doctorum sententias jam ante tibi reposui, quas merito nos illis præferimus. Et permirum est, paradoxa illa hyperbolica tibi adhuc probari, quæ & Lutherus ipse (in Commentar. super *Gen.* XXVI.) non obscure improbavit, & Lutherani ferme omnes ab illo tandem retractata fuisse asserunt. Saltem quamdiu tu illa probabis, absurda etiam omnia, hucusque à me tibi objecta, recipere cogeris. V.g. inquit ille (te citante, & probante) *omnia necessario fieri, nihil autem contingenter, quoad efficacem Dei voluntatem, qua impediri à nemine queat, &c.* Quis autem non videat, hinc omnino consequi, ergo etiam peccata sic necessario fieri? eoque Deum revera istorum autorem esse? Item, ait ille: *Voluntatem nostram nihil agere, sed tantum pati. Et liberum in nobis arbitrium nihil esse, sed soli Deo competere, &c.* Si ita est, nulla igitur est activa hominis conversio: imo nulla cujusquam vera actio, nec bona, nec mala: eoque nec virtus, nec vitium ullum, denique Religio nulla. Rursum inquit ille: *Deum mala in malis, & per malos, operari; nec tamen male quidquam facere, &c.* Quæ certe non obscura contradictio est: quum mala (hoc est peccata) bene facere nemo possit: imo quum mala facere, revera sit male facere. Denique ait ille: *Deum mera sua voluntate homines deserere, indurare, damnare, &c.* neque *tamen hisce actionibus iniquum, aut crudele, quidquam inesse, &c.* Scilicet: quasi non omnis S. Scriptura, omnisque recta ratio, omnis denique piorum consensus, contra clamet, palpabilem hic & multiplicem iniquitatem inesse. Et hæc paradoxa tu adhuc approbes, nobisque commendas? Quanto rectius ageres, si unanimem totius Orthodoxæ antiquitatis sententiam, etiam plerisque Confessionibus Euangelicis congruam, absurdis hisce (utut colorentur) unius viri hyperbolis anteferres? quique alias, *nec errantium multitudinem, nec erroris vetustatem*, errori quidquam patrocinari posse, recte ais, idem multo minus illorum paucitatem, & hujus novitatem, pro eodem facere posse cogitares? Sed manum de tabula jam tollo, teque ad sequentis legenda cum Deo dimitto.

CXCI.

CYRILLUS

Papa ac Patriarcha Alexandriæ S. P.

Doctissimo ac Humanissimo Viro,

JOANNI UYTENBOGART,

Ministro verbi divini, Fratri in Christo observandissimo salutem & pacem à Domino nostro Jesu Christo.

Ad pacem Christianam & fraternam omnem præparatio.

MErito ab ipso litterarum mearum principio ad humanitatem tuam, illam pacem referri debere arbitror, quæ in Euangelio Jesu Christi, totius boni Christiani fundamentum positum est, cum præciperet Apostolis, *in quamcunque domum intraveritis, primum dicite, pax huic domui*: & post resurrectionem à mortuis, antequam nil aliud instruerentur discipuli, *pax vobis*, est dictum: quod etsi ob alia, & ob hoc factum puto, quasi vellet Dominus eis significare, omne Christianum negocium pace incipi debere, paceque finiri, quia Deus Opt. Max. qui est « & », pax est in principio, pax in fine; & nos, qui ad ejus similitudinem creati sumus, non ab re faceremus, si creatorem nostrum, si magistrum totis viribus imitaremur. En ergo, vir Doctissime, in hujusce ad te meæ epistolæ ædificatione, jacto fundamento pacis, una mecum sperare debes, fore ut amicitia nostra proficiat, fore ut aliquando salutare aliquid inter nos tractetur, semota passione, quæ hominum animos facile occupatque vincitque; cum maxime sciamus, ex iis quæ nobis referuntur, te isthic omnibus esse admirationi, & ob selectum concionandi genus, quod tibi cœlitus est donatum; quod munus nunquam recte adimpleretur, nisi in corde insitum esset, quasique innatum desiderium boni communis totius Ecclesiæ, hoc est, peregrinantem Ecclesiam in fausto statu semperque florentem peropare videre: quod de tanto viro, ita credendum, ita sentiendum esse non dubitamus, præsertim cum toties nobis hoc testatus fuerit virtutum tuarum facundissimus prædicator, Illustrissimus Orator in hac Turcarum Aula, Dominus Cornelius Hagius, quoties nominis tui, in habendis mecum colloquiis, mentionem fecerit: Cujus ante decem annos, peregrinantis in hisce partibus, cum usus essem familiaritate, magis magisque hoc tempore confirmata est amicitia nostra, quando ex inperato ipse Belgio, ego ab Ægypto in hanc urbem proficiscentes, alterutrum incredibili cum lætitia, viderimus, salutaverimus, dextramque dederimus. Quantum ergo isto Domino tua nobis referente putas nos jam gavisos? quidnam putas, quod nos in animo concipiebamus, dum tua referentem audiebamus, ab ore que pendebamus viri, nisi ad te litteras nostras dare? Proposuit hoc nobis Dominus Ora-

Digitized by Google

Ep. 191. Orator, at nos celerius deliberaveramus. Hinc eſt, quod ego tibi minime notus, mihi ſatis noto tibi, præſentes exarare voluerim. Nec mirum: ad miniſtrum enim ſcribit miniſter, & ad Paſtorem Paſtor; uterque enim noſtrum hiſce nominibus fungimur, at tu in tua, ego in mea Eccleſia: & quamvis Paſtores & tu & ego ſimus, conſtat tamen ambos ſub uno Paſtore ſummo eſſe, cui ſimus oves oportet, & à quo, ſi eſſe volumus, conſtituamur Paſtores. Quod ſi à Deo habemus, bonum eſt; at hoc eſt modo malum, quia non conſtat tibi mea vocatio, non conſtat mihi tua. Et quod pejus, vel uterque, vel neuter, Patrum autoritatem antiquam, ne Scripturæ dicam, ſpernens, admittit in Eccleſia humanas opiniones & innovationes, quibus jam immerſa Eccleſia extremè langueſcere videatur: loco fidei, inanis introducitur Philoſophia, verſatilis ille gladius, viam non cuſtodiens, ſed impediens Paradiſi. Cui Philoſophiæ Chriſtum ſubmittimus, cui credimus, qua niſi probentur fidei myſteria, non ſuſcipimus, hanc ſolam fundamentum ſalutis ponimus. Quod ſi iſta ego de te dicam, vel ad te referam, tu ad me retorquebis. Si ambo ad Papam Romanum, ille ambos excommunicabit, & pro hæreticis habebit. En quæ eſt iſta miſeria, quæ veritatis confuſio? nemoque ſit qui tanto poſſit obviare abſurdo, tantamque explodere à Chriſtianitate obſcœnitatem? Videntur aliqui exprobrare Eccleſiæ Orientis τὴν ἀμαθίαν, (*literarum ignorantiam*) quod videlicet inde litterarum ſtudia & Philoſophia in alias partes migraverint. Sed certe ob hoc, quod nunc ἀμαθὴς (*indoctus*) ſit Oriens, valde beatus reputari poteſt: etſi enim ob tyrannidem Turcarum multis ſit oppreſſus miſeriis, neque ſit ei ulla diſcendi commoditas; at inde magnum ſumit emolumentum, quia non novit quænam ſint illæ peſtiferæ quæſtiones, quæ hoc tempore hominum inficiunt aures; nova portenta monſtraque ſunt ei τὰ καινοτόμια (*innovationes*) metuendæ magis quam amplectendæ. Contentus eſt incompta fide Chriſti, quam ab Apoſtolis, majoribuſque ſuis eſt edoctus, in illaque uſque ad ſanguinem perſeverat, nunquam demit, numquam addit, nunquam mutat, ſemper idem manet, ſemper integram τὴν ὀρθὴν δόξαν (*rectam de religione opinionem*) tenet ſervatque: & ſi quis ulterius voluerit ſerio ſtatum Chriſtianum in Eccleſia Orientis obſervare, rem magni momenti miraculumque animadverteret: nam ipſi Chriſtiani, ex quo reducti ſunt in ſervitutem, etſi ut à domeſticis anguibus, ab infidelibus perſequantur, & ſi propriis ſubſtantiis privari ſe videant, & ſi raptos filios à propriis amplexibus, & ſi continuo ſe afflictos tribulatoſque, ut nil amplius, iſta tamen pro fide Chriſti pati non eſt eis grave, promptoque habent, ut multoties eſt probatum, ſi ſeſe obtulerit occaſio, ipſam mortem ſubire. Forſan Dei omnipotentia inde apparente, unde tanta hominibus donatur gratia, ἵνα ἡ τοῦ θεοῦ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται: (*cum illius potentia in infirmitate perficiatur*) an non eſt hoc miraculum? an non ſunt iſta ſtigmata Domini Jeſu quæ geſtabat Paulus? quo cum Chriſtiani Orientales hujus vitæ commoditates pro nihilo ponentes, ut caducaſque reputantes, animum ad unum erigunt finem, qui eſt hæreditas regni cœleſtis in Dei gloriam. Ad quid ergo tibi narramus iſta? Ut videlicet intelligat tua prudentia, in hiſce partibus eſſe difficile aliquid novum admittere in Eccleſia, admittere in fide. Neque unquam iis conſentiemus, qui etſi apparenter ad aliquod beneficium atque utilitatem videantur, at magno cum totius Chriſtianitatis ſcandalo iſta facere, res ipſa docet. Et optarem, ut una nobiſcum, regulam iſtam veſtra ſequeretur Eccleſia: non enim objicerentur ei, quæ paſſim plures hujus temporis ſcriptores objiciunt. Et quoniam non eſt mihi tanta facultas tractandi, ut neque ocium plura ſcribendi, miſſa ea facio, meque ulterius non extendo; quod forſan tunc adimplebo, ubi tuæ charitati non ingratum fore intellexero, indoctas litteras noſtras perlegere, reſque tanti momenti, non pauci facere. Satis vero ſe modo habere arbitror, ut tractatus noſtræ amicitiæ, ex iſta occaſione quæ nos ad tuam humanitatem ſcribere coëgit, ſumat exordium, indeque poſſit proficere; quod Deo optimo maximo complaceat, cum utriuſque noſtri conſolatione ſuo perficere adminiculo, totumque in ſuam redundet laudem. Interim ego te obſervo, abſentemque animi affectu fraterne amplector, & iterum atque iterum te oſculo pacis deoſculor, optimeque valere cupio. Datæ Conſtantinopoli 1612. 30 Maji. Ep. 192.

CXCII.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI NARSIO S.P.

LEgi & relegi, Frater in Chriſto chariſſime, quæ per ancillam tuam communicare libuit. Quid dicam? Ferendum quod corrigi non poteſt. De tua integritate ut vel tantillum dubitem, abſit. Et omnino mihi perſuadeo, per te non ſtetiſſe, quominus omnis calumniæ ſuſpicio ab iſto conventu removeretur quam longiſſime, neque vapularent immerentes. Verum in tua non fuit manu, præjudicia domo allata removere, & clamoribus obſiſtere eorum, qui numero non pondere ſuffragiorum decernere ſueti jamdudum. Liceat ſaltem dolere rem ita agi, non hujus vel illius, nec mea privata, ſed publica Eccleſiæ cauſa. Quod tu jam demum experientia didiciſti, id ego jamdudum ſcivi, de Synodorum nempe agendi ratione. Nec aliam inſtituent vel obſervabunt unquam, ſi pro more agere liceat. *Eccleſiaſtica.*

Digitized by Google

Ep. 192. Hoc tibi ſemel perſuaſum habe. Ad ſubſcriptionem articulorum Vorſtianorum quod attinet, equidem videre nondum queo, quid hic à vobis, vel ab ullo alio peccatum ſit. Duo quæruntur; 1. An articuli illi orthodoxi ſint, nec ne: 2. An non liceat cuilibet miniſtro, id quod pro orthodoxo habet, orthodoxum eſſe manus ſuæ ſubſcriptione declarare. Ego orthodoxos eſſe credo, dum probetur contrarium. Oſtenſumne vobis fuit ἐνεργεῖν laborare? Non puto. Proferatur igitur lex, quæ prohibeat ejuſmodi, qualis veſtra fuit, ſubſcriptionem. Nullibi eam extare ſcio. Ubi igitur tranſgreſſio? At, juvabit cauſam Vorſtii. Quid tum poſtea? Juvet cauſam malefici teſtimonium, quod illi ſecundum veritatem do, me nempe aliquando audiviſſe illum maleficia deteſtantem. Veritati teſtimonium dare, non eſt hujus vel illius cauſam agere, ſed veritatis tantum. Quod autem veritati datur, gratiæ non datur, ſed veritati debitum perſolvitur, citra ullam προσωπολημψίαν (*perſonarum acceptionem.*) Sive utatur, ſive abutatur Vorſtius meo teſtimonio; nihil ad me, ego veritati quod debui teſtimonium dixi. At illud teſtimonium trahitur in præſentis cauſæ Vorſtianæ defenſionem, præter mentem veſtram. Sic habet decretum. At cujus cauſæ? Multarum hæreſeωn reus agitur Vorſtius, non unius, non duarum, non trium. Anne ab omnibus hac trium Articulorum ſubſcriptione purgare ſe poteſt? Non poterit. Neque hoc ipſum Vorſtium exiſtimare putem. At ſaltem à tribus hæreſibus immunis reddetur iſtorum Articulorum approbatione, nempe circa Sacro-Sanctam Trinitatem, Perſonam Θεανθρώπου, (*Dei hominis*) & Satisfactionis negotium. Neque hoc, niſi articuli probi ſint. Si enim improbi fuerint, non juvabit Vorſtium illa veſtra ſubſcriptio. Verum oſtendatur primum, improbos eſſe, voſque falſos eſſe, Vorſtium vobis impoſuiſſe, &c. & hoc ipſum diſerte exponatur; ut & vobis proſit errorem agnoſcere. At, inquies, etiamſi nihil falſi contineant ipſi Articuli, aliunde tamen conſtat, illum male de iſtis Articulis, vel potius rebus Articulis illis contentis, ſentire. Eſto. Contradicit igitur ſibi Vorſtius. Sed ubi teſtati eſtis vos, Vorſtium ſibi non contradicere, mentemque ſuam de iſto negotio alibi non aliter expoſuiſſe? Nullibi, quod ego quidem ſciam. Tantum in genere dicitur, vos in illis tribus Articulis nihil reprehenſione dignum animadvertiſſe. Si alibi aliud quid dixerit, quid ad vos? Additis in decreto; vos non ſubſcripturos fuiſſe, ſi notæ fuiſſent accuſationes poſtea inſtitutæ. Quid ita quæſo, mi Frater, anne veritas propterea deſiit eſſe veritas? Anne Articuli antea probi per novas accuſationes facti improbi? Forte ex ſubrepentibus accuſationibus aliiſque teſtimoniis jam conſtat vobis de æquivocationibus alicubi latentibus, antea à vobis non animadverſis. At hoc ſi ita eſt, id proferri, id dici, id exponi velim diſerte; ut Ep. 192. & alii videant, ubi error vel hypocriſis lateat, & in poſterum ab ejuſmodi impoſturis ſibi caveant, diſcantque vel ab Harderwicena Synodo, quomodo, qua forma, quibus verbis, phraſibus, fides orthodoxa in ejuſmodi rebus exponi debeat, ut orthodoxa appareat. Quod ſi nihil horum eſt, cur non fuiſſetis ſubſcripturi? Liberum vobis fuit, ſcio, ſubſcribere, vel non ſubſcribere: verum ſemel factam iſtam ſubſcriptionem, niſi illis, quas dixi, de cauſis, inducere, veritati contumeliioſum, libertati noxium, Vorſtio damnoſum, vobis minus honorificum non ab re quis dixerit. Dicis Vorſtii cauſam non tanta fiducia ſuſcipere potuiſſe, tum quod multis ibi diſpliceat, tum quod nec ipſe probare in eo poſſis nonnulla. Recte; addo ego, me Vorſtii cauſam non modo non tanta cum fiducia ſuſcipere poſſe, ſed ne ſuſcipere quidem velle ulla ratione; neque enim illa profecto mihi probatur per omnia. At non agitur hic de Vorſtii cauſa; agitur de obliteratione, ſive directa ſive obliqua, ſubſcriptionis Articulorum quorundam orthodoxorum à Vorſtio propoſitorum. Quid ni hanc tuear, etiam non ſuſcepto Vorſtii patrocinio? Illam enim tueri, eſt tueri veritatem, libertatem, famam; niſi vel eorum falſitas, vel latens quædam ſub æquivocatione fallacia, liquido vobis, ita ut eam animadvertere potueritis, probata fuerit. Quod ſi eſt, hanc exponi velim. Ego autem hic video latentem tyrannidem, quæ hæreſeωs reis quacumque de cauſa teſtimonium perhibere vetat. Nemo bonus feret, hæreſi teſtimonium veritatis ferri: at hæretico, vel hæreſeωs reo, nondum convicto, teſtimonium ferre non licere dicenti vera, hoc quidem tyrannidem ſapit Hiſpano-papalem. Neque tamen tuliſtis teſtimonium Vorſtio (ſi recte memini) ſed tantum illis Articulis, nulla Vorſtii mentione facta. Imo (niſi me fallit memoria) ne illius quidem rogatu hoc feciſtis, ſed aliorum, & quidem orthodoxorum, ſcire tantum cupientium, an veſtro judicio aliquid in iſtis Articulis deſideraretur. Metuebas, ne in univerſum à Synodo damnaretur. Cujus rei quæſo, mi Frater? Hæreſeωs, dices. Qui potuit? nondum auditus? nondum convictus? At auditum forte dices in libris, convictum ex ſcriptis. Legi igitur ſcripta illa prius, & quidem accurate, & quidem animo de iis judicium definitivum ferendi, & à Deputatoribus, & à Deputatis ad Synodum oportuit. Hoccine factum? Jam vero etiam omnibus iſtis rite, uti decet, præmiſſis, vix damnari potuit; quippe qui ut plurimum neget ſe ita ſentire, prout habent hæreſes, quæ impinguntur. Adeo ut facti potius quam juris ſit controverſia illa tota. Potuiſſent, fateor, ſententiæ, quæ Vorſtio impinguntur, declarari hæreticæ: at non propterea Vorſtius hæreticus, niſi ita ſentire convictus. Forte igitur non tantus hic metus. Scio tamen, & doleo, etiam in ſa-

Ep. 192. sacro-sanctis cœtibus aliquando obtinere illud Ecclesiastis; *Vidi locum judicii, & ibi iniquitas*: spero tamen eam à nostris abesse; & si adsit, minori cedendum malo non est, ut majori detur obviam; vix enim intromisso minore fera ponetur majori. Hisce aliisque rationibus etiam validioribus te munitum fuisse non dubito, Frater charissime, quo satisfaceres importunitati quorundam: verum, ut video, frustra id fuit, majore parte superante meliorem, ut solet. Sis tamen bono animo, & perita in propugnanda veritate & libertate, adversum diram illam conscientiæ carnificinam & ingruentem tyrannidem: Deus enim id à nobis hoc tempore postulat. Vorstii causam nos suscipere haud est necesse; agat eam ipse. Interea tamen non est deferendus in is, in quibus se nobiscum sentire declaravit. In reliquis autem hoc cavendum, ne præjudicio obruatur in ejus persona, illa, quæ per illius latus petitur, moderata & suis cancellis circumdata prophetandi libertas. Ego sic de viro isto statuo; fieri posse, ut multijuga lectio librorum Socinianorum illi dubitationem aliquam ingenerarit de quibusdam haud infimæ notæ capitibus. Verum non ita penitus illis addictum, quin facile eximi queant, & vir iste in consensu Catholico retineri. Verum non hoc agitur ut retineatur, sed ut ejiciatur & diris devoveatur. Hic est ardens ille & ignitus noster zelus, nil nisi rogos & ignes & vivicomburia spirans. Quid non facerent, paterentur, dissimularent, ferrent Pontificii, si talem aliquem apud se haberent nutantem in Religionis negotio, retinendi illius causa? Nihil horum apud nos: verum quasi abundaremus ejusmodi virorum copia (quum tamen maxima sit illorum inopia) jacturam facere malumus multarum virtutum unius odio vitii, quam unum dissimulare vitium multarum virtutum amore. Sed de his alias. Ad D. Arminium piæ memoriæ quod attinet: optime factum abs te, quod patilis non sis istius viri nomini stigma istud inuri, neque præjudicium fieri expressum causæ communi. Tacitum tamen jam factum est, sive potius implicitum, iisdem illis verbis, quæ notaras. Neque tantum poterit privata illa D. Capelli declaratio tibi & aliis quibusdam facta, ut huic publicæ prævaleat. Optime igitur factum à vobis, quod sententiam ea de re vestram aperueritis, & exponi curetis clarius & dilucidius; ne silentium aliquando fraudi sit. Id quod de Confessione & Catechismo dicitur, omnino declaratione aliqua opus habet. Verum formula illa nova subscriptionis quam est periculosa, veræque libertati Christianæ contraria? Profecto hanc si receperitis, jugum vestris cervicibus imponi permittitis nullo modo ferendum. Hic itaque vigilandum est; ne lex illa velut in rem judicatam abeat. Fortiter igitur agite, neque causam illam sanctam, tot laboribus & molestiis hactenus promotam, & hucusque perductam, vestra pusillanimitate labefactari permittite. Ep. 193. De conveniendis Bielio & Bielemanno sedulo cogitabo. Interea vero te, Frater Charissime, uxoremque tuam fœminam lectissimam, una cum collega D. Paludano, in Domino Jesu salvere jubeo. XV. die Augusti. CIↃ IↃC XII.

Tuus

J. UYTENBOGAERT.

CXCIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO

S. P. *in Christo.*

Ecclesiastica. Theologica.

DOctissime vir, Frater in Domino observande: Heri omnino decreveram ad te venire hodie, crastinum diem integrum tibi dare, die Jovis autem ad meos redire. Ita constitueram ferio. ***. Consolatorias illas tuas Amplissimo Barneveldio tradidi, quas ille grato animo accepit. Rumorem illum de Legatis huc mittendis, qui inquirant de Vryburgio, vanum fuisse hactenus, ipsa comprobavit experientia. D. Winwodus quidem ex Anglia redux Regem ægerrime ferre ejus scripti editionem privatim conquestus est, authoremque publica & exemplari castigatione dignum dixit: at non ursit amplius, quod sciam. Nihil etiam de eo in mandatis datum D. Caronio, qui cum D. Ordinum venia privatorum negotiorum causa huc venisset, & hæsisset aliquamdiu, heri in Angliam rediit. Fuit mihi cum hoc satis prolixum de rebus etiam tuis colloquium. In hoc peccatum dicit (& credo) quod non maturius, nempe ante latam de tuo libro publice sententiam à Rege & Theologis, de tota re instructus fuerit. Jam vero periclitari Regis authoritatem, cujus conservatio quanti facienda sit noverunt omnes prudentes. Se autem tuorum scriptorum nihil legisse præter Orationem Apologeticam, eamque nihil continere dicit quod animo suo non probet: tametsi vereatur de tantis ac talibus rebus ferre judicium. Interea Regem perstare in sententia semel lata: neque videre se ullam qua ab ea dimoveri queat rationem. Se tamen non defuturum officio viri probi & Christiani, & fidi dominorum suorum servi. De nostro negotio bene sentit, putatque Regem nil amplius in eo vel dicturum vel acturum. Nosse se incentores, & artes quibus usi sunt qui Regis animum turbarunt. Tempore opus esse & patientia. D. Wynwodus nihil, quod sciam, publice agit: privatim vero eundem retinet animum, & ne tantillum quidem remittit de fervore. Cum hic nuper essent Ecclesiarum deputati ad obtinendum ab Ordinibus Generalibus Synodum Nationalem, ipse antea compellatus (ut certo refertur) a D. Plancio, accessit D. Advocatum, dicens se ante

Ep.193. aliquot menſes in mandatis habuiſſe à Rege, indicare Ordinibus, non debere tamdiu differri Synodum: ſe itaque nomine Regis inſtare, ne jam ita petentibus Eccleſiarum deputatis diutius differant, &c. Ampliſſimus rem ad Senatum Ordinum Generalium retulit: ea tamen non obſtante interpellatione, tale, quale noſti, reſponſum fratres tulerunt. Hic jam altum de T. H. tuoque negotio ſilentium. Tantum paucis abhinc diebus D. Advocatus ex me quæſivit, quid rerum ageres, & anne reſponſum parares ad ea quæ adverſum te fuerunt edita? Reſpondi, me credere te in eo totum eſſe: ſed rem eſſe majoris momenti, quam quæ brevi temporis ſpatio perfici poſſet: addidi, dubitare te, an confutatio tua primum ſcripto eſſet exhibenda Deputatis Ordinum, non niſi illorum conſenſu prælo mandanda. Ad hæc ille, præſtare ſuo judicio ut jam impreſſa exhibeatur, ita tamen ne publice divendatur citra Ordinum conſenſum. Regeſſi ego, id parum habiturum difficultatis, ſi jam ante conſtaret divenditionem exemplarium ab Ordinibus non prohibendam: alioqui neminem velle imprimere, niſi caveatur de ſumtibus. Ad iſta tacuit. Ego hoc ſignifico, ut videat T. H. perſtare Ordines in ſententia, quoad univerſalem illam confutationem: de qua inſtituenda, ſi inſtituta nondum eſt, ſerio tibi erit cogitandum.

Quo loco res noſtræ ſint, intellexiſſe te puto ex D. Poppio reduce. Fratres adverſarii omnibus modis urgent Synodum: noſtri vero ab ea videntur abhorrere: non quod diffidant cauſæ: ſed quod nihil boni, nihil æqui, nihil quod ad pacem in veritate conſtituendam faciat, ab ea exſpectandum putent. Nec deſunt politici, qui ſubolfaciant quod res eſt, nempe, urgeri Synodum ab adverſariis ſpecie ſpecioſæ pollicitationis, fore nempe ut de quinque articulis motis facile conveniat, ſaltem ut Synodum coire quovis modo liceat; nihil addubitantes, quin Synodo ſemel conceſſa, illisque in regno Synodico conſidentibus, reliqua ſint ceſſura pro voto, poſthabita omni authoritate ſupremi Magiſtratus, ſi ille forte volet ſuo jure uti. Ex colloquio cum D. Thyſio, animoſo & confidente iſtorum patrono, non ita pridem habito, didici hæc quatuor. 1. Fratres Synodum velle antiquo prorſus more, quoad convocationem, deputationem, præſidentiam, judicia, &c. 2. Reviſionem Catecheſeos forte concedendam, ſed ita, ne quid moveatur præter hos quinque articulos, nihilque omnino in Catecheſi & Confeſſione mutetur, decretum enim ne tantillum quidem mutare. 3. Nullo pacto concedendum, ut de iis, quæ antiquitus conſtituta & deciſa in Synodis, quicquam in diſceptationem veniat: quod ſi quis hoc audeat, anathema. 4. Eccleſiæ eſſe, non Magiſtratus, condere Leges Eccleſiaſticas, etiam ſi huic haud difficulter concedenda ſit confirmatio. Puto hunc, ut animoſus eſt, ebuciniaſſe quod reliqui condunt & occulunt. Interim de non condemnandis quinque articulis non modo ſpem facit certam, ſed & vadem ſe interponit. Vix credas quam mihi moleſti ſint fratres, ne operam meam denegem ad Synodi promotionem: petierunt hoc à me primum deputati Synodi Zelandiæ privato nomine, dein Fontanus & Faukelius Middelburgenſis omnium Eccleſiarum nomine, idque peramanter; tertio D. Polyander, qui hac de cauſa Leida ad me venit. Tum ipſe, de quo monui, Thyſius. Denique ipſe Comes Generoſus Gulielmus Naſſovius, qui multis & admodum prolixe, idque bis, hac de re mecum egit. Parum abeſt, quin dicant omnes per me ſolum ſtare quo minus obtineatur Synodus: hoc eſſe omnium Eccleſiarum & magnorum etiam politicorum judicium. Atrox hic mihi fit injuria, quam etiam non diſſimulavi: interea pergrave mihi eſt paſſim invidia me gravari. Oſtendi tamen D. Comiti, Principi ſane æquiſſimo, rem ſecus habere, & tales ipſius Celſitudini aperui hac in re difficultates, quæ primum effecerunt ut mutaret, tandem etiam ut de ſententia decederet, ſaltem quoad ejuſmodi Synodum obtinendam, qualem illi non tam poſtulare, quam moliri videntur. Interea anxius ſum animi quam maxime. Dies & noctes ſine ceſſatione hæc cura me fatigat. Si pro mea etiam virili promovero negotium, forte in diſcrimen adducam aliquatenus jam partam libertatem, & fecero quæ quibuſdam ex noſtris minus probari ſcio. Sin minus, video confuſionem inde orituram ingentem paſſim per omnes Eccleſias, ne quid dicam gravius, fabamque hanc ex parte etiam in meum caput, ſumma tamen injuria, cudendam. Et quis tandem erit exitus ſine Conventu Eccleſiaſtico? In hanc ego propendeo partem, ut habeatur Synodus. Si non forma commodiſſima, ſaltem minus mala, imo peſſima: licebit ſaltem fratribus noſtris agere quod ſuum eſt, conſcientiam liberare, & facere quod ſuum eſt. Interea variæ animum ſubeunt, volvunt, revolvunt cogitationes de commoda ratione atque via obviandi inſtanti (quod meruo) ſchiſmati, & quod inde in Reipublicæ perniciem profluere poſſit, ni Dominus avertat, malo. Hic adeſto, & tuo me conſilio juva. Hæreo enim, & quid eligam ignoro. Quum ſtatum Reipublicæ & Eccleſiarum intuor acrius, deſperatio quædam me invadit ullius profectus, quæ & ipſa ſæpius animum meum avocat à labore, qualiſcumque tandem ille ſit, ſuſcipiendo. Ingruunt ſæpiſſime tentationes validæ, quæ in varias cogitationes me abripiunt, & veluti valido ariete animum quatiunt, modo ut miniſterium deſeram hortantes, modo ut hinc migrem ſuggerentes, modo aliud ſuadentes. Neque argumenta deſunt, quæ ſubdubitare aliquando faciunt, an cauſa quam agimus omni ex parte ſit optima: anne alicubi impegerimus ſive in re, ſive in rei modo. Ep.19:

do.

Ep. 193. do. Hinc actiones in tota hac causa meas, publicas & privatas, examino: in quo examine tamen vix est, imo nihil est, in quo conscientia mea me quoad hanc rem accuset. Alioqui fateor (eheu!) peccata etiam mea hoc meruisse, ne Dominus negotio quod agimus pro voto benedicat. Ignorantiæ tamen & imprudentiæ peccata si quæ sunt, haud ita facile animadvertimus nisi moniti, & quidem demonstratione adhibita tali quæ det illud liquido conspicere: quod hactenus factum esse non video. Hoc me solatur. Non diffiteor tamen, quin aliquando in materia prædestinationis tot tantorumque virorum authoritas & consensus subsistere me aliquantulum jubeat: quod arrogantiæ plenum esse videatur, cogitare, illos non vidisse quæ nos videmus; vidisse autem ista, & tamen in sententia perstitisse quum fatendum sit, pios istos & magnos viros, quis tantam illis impietatem subesse cogitet? Aliquando etiam totam rerum naturam inevitabili quadam necessitate ita rotari videtur, ut mirum sit, nisi Deus decreto aliquo suo huic necessitati causam dederit. Interdum etiam & hæc cogitatio animum meum vellicat: anne quid honorificum magis Deo attribui queat, quàm, si posito ore in pulvere (ut habet Scriptura) tremendam illam potestatem agnoscamus, qua pro mero suo placito cum creaturis suis agere dicitur. Verum quum ad totam sacrarum Literarum seriem animum, ut par est, defiecto, evanescunt quidem istæ cogitationes; aliquem tamen relinquunt scrupulum, quem vix video eximi posse, nisi removeantur obstacula, quæ tamen ipsa removeri nefas puto. Ridebis fortasse, Vir Clarissime, hæc ubi legeris: nolim tamen hoc facere te: dole potius, & medicinam, si potes, fac ægro huic animo. In tuo etiam negotio est nonnihil (hucusque progressus quum tim, dicere pergam) quod me habet sollicitum: judicio nempe multorum bonorum, piorum, tibique amicorum virorum subscribere cogor: qui existimant, te non aperte satis in quamplurimis sententiam tuam declarare, quod omnino faciendum tibi erit in generali ista, de qua supra egimus, confutatione. Nescio quomodo huc delapsus sim. At colloquium orale farcire prolixa & garrula epistola aliqua ex parte volui, cogitationesque meas penitiores aperire, ut me juves si potes: neque in posterum conquoraris de silentio, vel dubites de fide.

Quærebas etiam nuper judicium meum de quodam libro mihi concesso, &c. Legi; at non eo studio quo forte oportuit. Interea in eo reperio multa nova, saltem hactenus mihi inaudita, quibus sane adstipulari mihi religio est, nisi validioribus fulciantur argumentis. Habeo jam & ego quod ex te quæram. Quomodo quæso intelligis locum istum *Matth.* XII. 36. de verbo otioso? Quod est illud ῥῆμα ἀργὸν proprie? Anne verbum vanum & supervacuum? Scio ἀργολογίαν (*scurrilitatem*) damnari *Ephes.* V. 4. at vix mihi persuadeo de ista agi apud Matthæum. Ratio est: quod de isto verbo agatur, quo opus Dei adscriptum Satanæ. Hoc verbum posset-ne vocari otiosum? Fortassis: quatenus verbum est temere & ex animi quadam malignitate, quin & bile, jactum sine ulla soliditate: ut solet fieri in convitiis ejiciendis, etiam ex trivio petitis. At, dices, verbum illud vocatur blasphemia in Spiritum Sanctum. Videtur; at vix scio an isti homines istius blasphemiæ rei peragantur à Christo; anne potius præmonere voluerit Christus, ut caveant sibi, ne ita temere & ex invidia sine ullo judicio impræmeditate opus Dei diabolo adscribendo, in peccatum istud seu blasphemiam in Spiritum Sanctum incidant: hoc enim illi affine est. Sed quid hæc blasphemia & maledicentia commune habet quæso cum verbo otioso, si per otiosum tantum vanum & supervacuum verbum intelligas? Nisi dixeris, Christum argumentari à minori ad majus; Si de omni verbo otioso, id est, vano, reddenda ratio, magis de ejusmodi maledicto & blasphemia. Vel amplificatio est: Imo de omni verbo otioso, id est, vano, reddenda ratio; quanto magis de ejusmodi verbo? quod eodem recidit. Locus mihi tractandus proxima dominica: at vereor ne integrum sit satis mature respondere. Vide an possis, scilicet omissis reliquis dum futurum erit commodum, ad hoc unum respondere.

Vidi nuper scriptum quoddam mihi sub fide silentii communicatum, excerptum ex literis H. Reideri, ministri in Frisia ad N. N. quod quia ad te pertinet, addam: quia juvabit id scire: at cave ne utaris temere. Scriptum ita habet.

„ Vivere eum Lugduni, & accusatori D. Si-
„ brando respondisse dicitur, & credo: neutrum
„ vidi. O si nunquam vocatus ille! & tamen tur-
„ pius ejicitur quam non admittitur hospes. Leo-
„ wardiensium disertum scriptum vidisti, orna-
„ tum multis conjecturis, Vorstium Socinianum
„ esse. Inter quas illud unum est, quod & me
„ tangit, solitum esse illum horum libros studio-
„ sis communicare, quippe cum mihi fecerit.
„ Quod falsum est. Prius me latet. Habui Osto-
„ rodum, sed non à Vorstio: imo credo, ipso
„ ignorante. Mens humana novitatis avida. Cum
„ ministrum agerem, non cum Steinfurti studio-
„ sum, tum ignorans talem librum extare. Com-
„ modato autem habui à ministro Ecclesiæ, vi-
„ ro docto, qui Vorstio à secretis. Falluntur
„ hic, & fallunt isti. Ego id addo, ne quid fal-
„ sum de me ex ista conjectura conjiciat. Nun-
„ quam ille mihi fidit, fidit aliis, non vidit qui-
„ bus. Deum rogo ut illum in viam reducat ubi
„ aberravit. Ille negat. Suspendo judicium apud
„ alios. Explicationes quorundam Scripturæ lo-
„ corum à Leowardiensibus ex meis manuscri-
„ ptis collectorum aliquid innuunt, sed nihil
„ certi probant, nisi velimus orthodoxos multos
„ viros doctos insimulare erroris vel hereseos,

Ep.194. „ qui alii ab aliis in explicationibus Scripturæ lo- „ corum multum diſſident. Hactenus Reide- rus. Tu prudenter utere, quod mihi videris poſſe.

Petieras epiſtolam Patriarchæ Alexandrini. En mitto: Lege & perpende, ſimulque quid videatur, & quid commode illi reſponderi debeat & poſſit expende. Remitte etiam quantocius, ut reſpondendi mihi ſit commoditas. Diſceſſum enim meditatur qui attulit. Si apud te fuiſſem, de pluribus contuliſſem. Jam finem facio, & Deum oro, vir Doctiſſime, Frater in Domino obſervande, nos veritatis ſuæ lumine colluſtret magis ac magis, ut ſine metu illi ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ. Hagæ Comitis 1612. 16. Octobris.

Salveat à me lectiſſima tua uxor, & ab uxore mea. D. Wereſteinius diu male habuit, jam demum amiſſa uxore prodiit. Palatinus Amſteldamum abiit, reverſurus die Jovis. Habet ſecum D. Sculetum, quem ſemel ſalutavi. Reliquum colloquii dilatum in ejus reditum Amſteldamo, unde redibit, credo, plenus Planciis, Feſtis, Thyſiis. Iterum vale, & è veſtigio reſponde an has acceperis, & ſecurum me redde.

Tuus quem noſti.

CXCIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO

Salutem in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Eccleſiaſtica.

QUid illud ſit, Reverende & Clariſſime vir, quod lectione mearum ad te literarum dolorem tibi attulerit, equidem à te (quod polliceris) mihi exponi velim. Si cauſam dedi, præter mentem id feci; ſcio enim afflicto afflictionem addendam non eſſe. Si liberiuſcule quid dixero, ignoſce quæſo libertati, quam mihi ſartam tectam apud te eſſe cupio, modo ne abutar, quod per Dei gratiam cavebo ſedulo. Ad Synodum quod attinet, video nobis exſpectandum eſſe, quid Illuſtriſſimi Ordines ſuper Fratrum poſtulatione decreturi ſint. Spero autem hos intentos habituros oculos in rem omnem: ne videlicet vel Reſpublica vel Eccleſia detrimenti quid patiantur: neve veritati præjudicetur. Prolixe mecum de ea egit generoſus Comes Guilielmus: & auditis rationibus à me propoſitis contra Synodum, in qua ille ſummam rei ponere videbatur, mutavit, aliqua ſaltem ex parte, ſententiam. Etiam cum D. Sculteto varius mihi fuit ſermo eadem de re: at hic palam diſſuadet Synodum, neque etiam hoc clam eſſe voluit fratribus reliquis: ſed aperte Feſto & aliis idem dixit, ut ipſe mihi retulit. Eſſe quod in cauſa communi animum me reddat, haud diffiteor. Scio conſenſui & auctoritati hominum primas partes hic deferri non debere: In hoc tamen litigio, in quo tot probabiles rationes utrinque adferuntur ex Scripturis, ut doctiſſimi & piiſſimi quique hærere videantur, haud injuria quis aliquem ſaltem locum illi tribuat. An tota vetus Eccleſia pro nobis ſtet, neſcio: fateor tamen ante Auguſtini tempora controverſiam illam haud fuiſſe motam, & proinde repugnantia à prioribus propoſita fuiſſe haud pauca. Verumne eſt, quod addit T. R. nempe longe majorem hodiernæ Eccleſiæ partem, etiam Reformatæ, nobis hic apertiſſime favere? Vix credo: nam & in Romana Auguſtini ſententiam præferri alteri à quamplurimis haud ignoras: neque latet T. H. quid Eccleſiæ, quæ Reformatorum nomine ſtricte veniunt, de tota re ſentiant. Sed iſta attigeram obiter, non quod iis inſiſtam, ſed quod animo conflictanti cogitationes ejuſmodi ſubinde obrepant. In reſponſo ad Patriarchæ literas tuarum obſervationum ero memor. Quis ille liber *Maſſan-Jah* ſcire velim, nihil enim de eo unquam. Pro ſententiæ tuæ declaratione in *Matt.* XII. gratias habeo: haud abhorret à mea. Collationem nondum vidi: libenter ſtabo aliorum Fratrum judicio, quos illam legiſſe, & quædam in ea adnotaſſe audio. Hæc obiter ad tuas, dum plenius reſponderis ad meas. Cæterum multus mihi ſermo & varius fuit cum D. Sculteto: qui admodum commodum ſe præbet in noſtra controverſia. Rem per mutuam tolerantiam componi & poſſe & debere autumat. Commode etiam loquitur de authoritate, quam in Eccleſia obtinere debent formulæ unionis. Tantum hæc cantilena identidem nobis occinitur, metum, quem Fratres habent de Socinianiſmo, demendum eſſe: reliqua bene habitura. Delatus ad illum erat D. Epiſcopius, ac qui divinitatem Chriſti publica lectione oppugnaſſet. Hic vero à me evocatus, egregie ſe purgavit. Ex eodem Sculteto audivi, Fratres harum controverſiarum eſſe pertæſos, & proinde ad pacem per mutuam tolerantiam colendam valde eſſe pronos. Ex D. Advocato accepi idem, qui hoc ex Feſti ore, valde etiam ordinem Eccleſiæ Trajectinæ nuper conſtitutum laudantis: quod tamen magnopere miror. Fere idem mihi affirmavit Illuſtris Comes Naſſovius: qui urget inſtitui colloquium privatum inter Feſtum & me, duobus vel tribus ex moderationibus utriuſque partis adhibitis. Idem ſuadet Ampliſſimus D. Advocatus. Forte me cras Leydam conferam, acturus ea de re cum D. Borrio & reliquis. Admodum caute hic nobis agendum erit. Heri veſpere mecum cœnarunt Petrus Cortenius Eccleſiæ Elberveldianæ miniſter, una cum Wernero Teſſenmachero, miniſtro Grevenbroeckano in ditione Juliacenſi: qui ſe T. H. diſcipulum fuiſſe ante quadriennium vel quinquennium dictitabat. Chariſſimum prae-

Digitized by Google

Ep.194. præceptorem T.H. nominabat aliquando; alter etiam propter dotes eximias se te impense amare protestabatur: verum admodum duri in retinendis traditionibus. Socinianissimi autem T.H. plane reum esse parum abfuit quin dicerent, non sine acerbitate, intermixtis etiam gemitibus, T.H. ad illas blasphemias non tantum non coborrescere; verum etiam vario artificio istas tenerae juventuti jam ante multos annos instillare conatum esse. Quicquid fere pro te dicere volui, frustra fuit. Venerunt huc D. Speenhovii instructi literis, ut me viserent. Videbantur decrevisse T.H. Goudam accedere, & de quibusdam conferre. Quod si venerint, quaeso ne subolfaciant te horum sermonum conscium esse. Poterit interea T.H. ita orationem temperare ut decet, ut nempe illis satisfiat, quantum in te erit. Rumor est, tametsi haud ita pervulgatus, T.R. interfuisse conventui cuidam habito in arce Capellensi, ubi & Venator, & quidam alii, qui Libertini habentur. Exspectatus etiam dicitur Johannes Risius, Anabaptistarum Episcopus. De Herboldo etiam vestro & Thinnio Trajectino sermo est. Si scire licet, velim intelligere an ita sit, & quid ibi actum fuerit. Non enim de nihilo esse putant quidam, quod conventus ille institutus fuerit. Literarum istarum è Frisia author est Ridderus: subscriptio enim erat, H.Ridder: anne hic erraveram? vel aliud nomen substitueram? Ignosce igitur aberranti calamo. Cæterum prolixius tuum responsum, Vir Reverende, & ad superiores & ad hasce meas exspecto, ubi fuerit otium. Rogo uteris apud me omni libertate. Effunde animum citra hæsitationem in sinum meum. Quod si forte tuae sententiae adstipulari nequivero aliqua in re, fidum tamen praestabo me in perpetuum; neque, quod celatum voles, evulgabo unquam. Vale vir Clarissime, & precibus me tuis commendatum habe. Salveat etiam uxor tua à me & mea officiosissime. Fratres etiam nostros, qui ibi sunt, officiose salvere jubeo. xxx. die Octobris CIↃ IↃC XII.

Tuus

J. UYTENBOGAERT.

Legatus Regius tandem rescivit, ubi & per quem editus Vryburgius: declitque literas ad Magistratum loci, quibus Regis sui nomine instat, ut inquiratur de Authore: qui prudenter quidem declinare invidiam adlaborat, attamen si urgeatur, cordate decrevit causam sustinere. Malim tamen ego periculum hoc vitari posse.

CXCV.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI NARSIO S.P.

VEnerande in Christo frater ac amice medullitus charissime: vidi quas ad D. Taurinum ante aliquot septimanas dederas, quibus de quorundam in eo tractu tepore, imo & suspicionibus gravissimis advertum nos conceptis, pro zelo erga veritatem, & erga nos egregio affectu tuo, haud fortassis injuria conquereris. Ipse etiam tuas XVIII. hujus ad me datas, cum adjuncta literarum copia, accepi. Ad primum quod attinet: dolemus quidem, & serio; nempe & bonos viros tam faciles pronasque aures dare malevolorum susurris: attamen erecta stat coram Domino conscientia, optimum nobis dans testimonium, nos & ab omni pravitate haeretica immunes esse, & ne cogitando quidem piaculum illud, quod innuis, commisisse. Decretum pene erat ad vos Remonstrantium nomine publicas dare literas, nosque ab atrocibus istis suspicionibus purgare: verum quum hic noster Hollingerus testaretur, se ista de nobis ne fando quidem audisse unquam, quin omnes quos in isto tractu novit fratres hactenus causae communi deditos in eadem persistere sententia, optimeque de nobis sentire: scriptionem differre visum, dum uberius de re tota ad me perscripseris, & ejusmodi literas utiles & necessarias judicaveris. Pro literarum, quas nobis, transmissa copia gratias agimus. D. Hollingerus etiam, quem sincerum, & integrum, nec inceptum causae communis patronum video, integra Classis vestrae acta, & quaedam alia mihi communicavit, quae forte alii erunt suo tempore. Synodum Nationalem ab Ordinibus Generalibus petisse Ecclesiarum omnium (Trajectina excepta) deputatos, dilatoriumque accepisse responsum, te novisse puto. Quanquam vero illi omne praesidium causae in Synodo Nationali collocatae videntur, prudentiores tamen judicant, controversias per Synodum componere fore difficillimum, animis praesertim usque adeo exulceratis: quod cum & alii animadvertant, ad mutuae tolerantiae viam animum adjicere videntur. D. Scultetus, qui Illustrissimo Palatino a sacris quum esset aliquot diebus hic substitit, me alias hac de re compellavit, & hanc viam omnium fore commodissimam judicat: quin & ipse Festus videtur jam in istam pronior, valde etiam collaudasse dicitur hic Leges Ecclesiasticas Trajectinorum; quod mirarer, nisi ex magnorum relatu haberem. Brevi videbimus quorsum res evasura sit. Haec ego raptim significare volui, frater charissime, simulque responsum, quod hisce inclusum tenes, ad alteras illas utriusque manu subscriptas transmit-

Ep. 196. mittere. Si plura, & quidem particularia multa scire desideras, ea pete à D. Hollingero, qui mihi jam per aliquot dies adfuit, pleraque coram audivit, reliqua ex meo ore intellexit. Interea vir doctissime vale & salve cum conjuge lectissima. 30 Octobris 1612. Hagæ.

Tui studiosissimus

J. UYTENBOGARDUS.

CXCVI.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI NARSIO S.P.

Recitsa-tus.

DOctissime Vir, Frater charissime: Aristarchos illos excursiones quas narras suo calculo adprobasse, hactenus mihi inauditum. Anquiram, & ubi certi quid constiterit nuntiabo. Vix credo. Apud nos induciæ sunt, at, metuo, breves. Illustris & generosi Comitis Guilielmi Nassovii, qui jam hic est, intercessione, inter D. Festum & me (quos, etiam instigatore Abrahamo Sculteto, qui nobis in comitatu Illustrissimi Palatini per aliquot dies adfuit, sigillatim compellavit) res eo deducta, ut conventus brevi instituendus sit inter Festum & me, utrimque assumtis duobus sociis & Remonstrantibus & Contraremonstrantibus, in hunc finem, ut periculum fiat de concinnanda aliqua tolerantiæ formula super quinque articulis, simulque de limitibus ponendis & observandis porro, inter servitutem illam, quam nobis & Ecclesiæ imponere tentant quidam, & licentiam illam vagam quam quosdam moliri conqueruntur. Volo tamen hoc ipsum ut tibi clam aliis habeas, neque cuiquam mortalium aperias, nisi fidissimis, ne vulgetur ante coitionem. Nos statuimus non deesse paci, quantum fieri potest per conscientiam, quanquam metuam id frustra fore. Habebuntur jam brevi comitia Ordinum Hollandiæ, in quibus agetur de Synodo. Nos scriptum paratum habemus monitorium ad eosdem de eadem Synodo, id forte tum oblaturi. Et hoc tibi velim habeas, ne dimanet nostrum consilium ad eos, qui fructum impedire vellent, & forte possent. Literas per D. Hollingerum missas te jam habere puto; tardius enim hinc abiit. Raptissime. Salveat collega. 21. Novembris. 1612.

J. UYTENBOGARDUS.

CXCVII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO

Salutem in Christo sempiternam precor.

JAmdudum ad te scripturio, Vir Clarissime, *Recita-tus.* quum causa officii, quod exigit ut tibi vel *Sua.* tandem respondeam, & de quibusdam moneam; tum ut te consulam. Quod priores meæ dolorem tibi attulerint, doleo: afflictionem enim afflicto haud addendam probe scio. Verum quia de omnibus & singulis quæ geruntur ad amussim instrui te velle intellexi sæpius, haud putabam T. H. liberiore ista scriptione offensum iri. 1. Quod ad me attinet, spero benignissimum Patrem mihi sua affuturum gratia, & daturum, ut tandem feliciter emergere ex istis salebris liceat; neque permissurum, ut interea aliquid vel committam, vel omittam, officio & munere meo indignum. 2. Quod sartam tectam dixerim servandam regiam autoritatem (si modo istis usus sum verbis, de quo non certo jam constat) ex illius, ni fallor, mente dixi cujus tum colloquium referebam: alioqui haud excidisse scito illud, usque ad aras. 3. Quod declarationibus à T. H. editis plerisque satisfactum non sit, verum est: at in specie vix recensere possem quid desiderent, nisi hoc in genere, nimis ambigue te & involute loqui; quod suspicionem de T. H. susceptam, ac si aliud in pectore gereret, aliud ore promeret, non minuit. Forte, ubi generalem illam, quam ex DD. Ordinum præscripto haud dubie jam moliris, confutationem, examinare dabitur, specialius quid ista de re dicetur. Interea & multa ignorare nos fateor, & novæ inquisitioni patrocinandum non esse, agnosco lubens. Si tibi mecum tantum esset negotium, non usque adeo difficilem forte experireris: sed quorundam ingenia novisti. Tu ipse omnium optime scis, quid tibi per conscientiam liceat; ultra quam ut molestiam tibi creem ullam, absit à me quam longissime. 4. De Synodo altum jam silentium. Librum supplicem, à Deputatis Ecclesiarum in hisce unitis Provinciis nuper Ordinibus Generalibus exhibitum pro Synodo, D. Advocatus comitiis hisce Hollandicis publice prælegit, ut sententiam DD. Ordinum super habenda vel non habenda Synodo intelligeret: longe tamen maxima (quod audio) pars eo inclinare non videbatur. Alterum vero libellum, à nobis in eventum paratum, quem & T. H. vidisse puto, ego quidem Amplissimo tradidi; verum quia nullam, ut videtur, animadvertere potuit illum exhibendi necessitatem, sibi asservavit. 6. Librum illum *Mattan-Jah* utinam videre liceat! Si alicubi latet, id mihi aperire quod detrectet T. H. non

Digitized by Google

Ep.197. T.H. non est: de his enim & aliis similibus, quæ mihi concredere voles, fidem obstringo sanctissime, fore per Dei gratiam ut nihil tibi unquam mea vel incuria vel opera creetur periculi, etiam si quid contineant, quod à veritate, ex meo sensu, sit alienissimum. 7. D. Scultetus de te nihil, nisi hoc unum, mirari se, te huc vocatum; neque facile fidem facturos Remonstrantes, se nihil tecum habere commune, nisi omnem porro tecum familiaritatem abrumpant. Ad ista vero cum responderem, me ipsius habere ad me literas de tua vocatione gratulatorias: secundo, nos palam fateri, causam quinque articulorum, & revisionis Confessionis & Catechismi nobis tecum esse communem; tertio, de reliquis te nondum esse convictum; siluit; & ne verbum quidem amplius ullum ista de re mecum commutavit; quin rubore perfusus ad id, quod dicerem de litteris, & luculento quod T. R. in illis reddit testimonio, sermonem alio deflexit, hoc tantum addens, se T. R. bene velle, at consultum non esse, ad professionem Theologicam te jam adhiberi. Discedens in Angliam pollicitus erat se prolixe de omnibus scripturum: at ne א quidem litterarum hactenus ab illo vidi. 8. De conventu Capellensi ita respondes, ac si illum T. R. vitio vertere voluissem. Minime id quidem. Tantum quia rumusculos, nescio quos, de eo inaudieram, & nossem quo loco apud multos sint qui ibi fuisse dicerentur, rei veritatem pro mea apud T. H. libertate (qua jam metuo ne nimis usus sim familiariter) indagare volui, quo calumniæ, si forte qua spargeretur, mature possem occurrere. Scio equidem quam lyncei sint Aristarchis quibusdam oculi, quamque cernant acutum, observentque sedulo nostras itiones, reditiones, sermones, actiones, ipsos denique nutus, ut novas inde exstruant calumnias, quibus nos gravent, T. R. imprimis, nosque T. R. causa. Jam vero securam T. R. hic esse jubeo; altissimum enim ea de re silentium. 9. De Vriburgii negotio pacata manere omnia proculdubio intellexisti probe, ut & rationem quam ad id inire visum fuit. Ab eo autem tempore admodum benignum se mihi D. Winwood præbuit, &, quod mireris, duabus cerevisiæ Anglicanæ cupis me donavit. 10. De tui restitutione exigua spes hactenus: atque aut valde ego fallor, aut futura non est (quod recte conjicis) ante sopitam nostram istam controversiam. 11. De libertate prophetandi idem meum votum quod tuum, adhibita tamen cautione hac, ne quid nimis. 12. Distractioni apologiæ Adolphianæ prohibitæ causam dedit (si ignoras) DD. Ordinum decretum, quo cautum antea, ne ederetur: deinde retorsiones centum & quatuor articulorum ad finem adjectæ, quæ multos, etiam causæ communi addictos, offenderunt. Etiam mihi, ut verum fatear, jam ab initio displicuerunt. Sophistam agere in multis videtur D. Venator, adversariorumque suorum dicta omnino contra illorum, haud ignotam sibi, mentem torquere. Scio causam illi datam, at majore modestia refellendam. 13. Ita: Doctor è Gallis Rotæus noster rediit; medicinam nemine reclamante exercet strenue, & rem facit. Supra modum acerbum se præbet adversum nos aliquando in concionibus; æque ut antea à me alienus: non magnum tamen profectum avellendis à me studiosoribus hactenus observare potui. 14. Patriarchæ scripsi; sed Conferentiam non misi, quod Latine versa non sit, & illi ignota lingua Belgica. Disputationes tantum D. Arminii misi, eo quod breve Systema quoddam Theologicum continent, de quo illius viri judicium desidero. Librum T. R. de Deo eo etiam mittere decreveram, at ab amicis dissuasum. 15. De Lodingo negotium nondum est confectum. 16. Quid ex D. Stickio intellexerim D. Herboldo tum exposui, id ut T. R. referret. 17. In præfatione ad Parasceuen nihil desidero, perplacet mihi: verum ipsam Parasceuen vel omnino non fuisse necessariam, vel seorsim sine Collatione prodire non debuisse, sunt apud nos qui existimant. Addidit Amplissimus: videri sibi, nihil abs te edi debere inconsultis primum Ordinibus: de quo cupit ut cogites in posterum: Collationis autem editionem jam promoveri posse concedit, quia promissa, & Parasceue sine illa parum habitura videtur virium. Si præterea aliquid edere (ut illud adversus Leovardienses) decretum, id quæso ne inconsultis, antequam prælo mandetur, superioribus fiat. Si mea res esset, nihil adversum Leovardienses seorsim scriberem: verum generali, quam moliris, confutatione omnibus responderem. Saltem quod illis oppositum vidi, suppressum mallem: nimis enim succinctum & perfunctorium videtur, quam quod vel illis obturet os, vel bonis faciat satis. Ita fert judicium meum: cui tamen aliorum judicia anteferri facile patior. Si hoc ad ipsum, cui opponitur, specimen (quod non factum haud diffiteor) examinare licuisset, secus forte censerem. Editionem igitur Collationis, quam legi jamdudum, & ad fratres Leidenses remisi, ut matures, & interea totus generali confutationi (de qua etiam non ita pridem D. Advocatus monuit) incumbas, suadeo: ita tamen, ne ista (confutatio) edatur, nisi à fratribus visa, & Ordinum consensu. 18. Valetudinem tuam tentari aliquando cum dolore audio: neque tamen miror: majoris enim sunt, quibus te premi video, difficultates, quam ut facile ferri & superari humanitus queant. Interea in Dominum reclina, huic fide, ipse faciet & robur addet integre ambulanti, & strenue opus illius facienti. 19. Hisce Comitiis nihil omnino de rebus Ecclesiasticis actum; sed dilata omnia propter spem (utinam haud inanem!) conceptam de bono collationis inter paucos instituendæ exitu: urgeri autem istam per

Ep.197.

Ep. 197. Deputatos ſuos volunt Ordines; quod & facturos video. Adverſæ etiam partis fratres animadverto in eam conſenturos: an bona fide, docebit dies. Nos interea noſtrorum conventum jam habebimus, quod te ex D. Poppio intellexiſſe non dubito. 20. Clades illa Anglicana major eſt, quam jam forte videri queat. At ita placuit Domino, cujus judicia (ut recte dicis) abyſſus multa. 21. De rebus privatis tuis agere primum occepi cum D. Barneveldio, poſt etiam cum D. Zeiſtio. Ille in Curatores negotium rejecit: hic vero à ſe T. R. perſcriptum dictitabat, Curatores hic T. R. rationem æquam habituros prima occaſione. Paulum igitur exſpectandum puto, nempe ad proxima Curatorum Comitia ad VIII. Febr. habenda: quo exacto tempore ſi nihil fiat, agam quæ agenda ſunt, & indicem interea aſſervabo tuum: imo ante illud tempus abs te moneri velim, ſi nihil effectum antea. 22. Quomodo ſe gerat Brewerus veſter, vix datur cognoſcere propter hoſpitis abſentiam.

Hactenus me ad omnia binis tuis litteris comprehenſa reſpondiſſe, & de quibuſdam monuiſſe ſufficiat. Nunc addo quædam, de quibus T. H. conſulere viſum. Maternus, Theologus Duysburgenſis, nuper ad me ſcripſit, & T. R. per me officioſiſſime ſalutari voluit. In animo ſibi eſſe dicit vertere tractatum meum de Magiſtratus autoritate in idioma Germanicum, & (quod Materni rogatu ſcribit Hollingerus) Latinum, modo ego conſentiam. Hic ex te ſcire velim, an conſultum ſit? In omnem eventum poſſem expungere D. Gomari nomen, præter ſpecialia quædam, perſonales lites concernentia, duriuſculeque dicta emollire, aliqua etiam emendare animus eſt. Quum autem quin aliquid animadverteris, haud dubitem, hic te monitorem cupio. Dordraceni fratres poſtremis Comitiis novum oppoſuerunt ſcriptum reſponſo Adolphiano, ex quo obiter perlecto excerpſi quæ ſequuntur de prædeſtinationis argumento. Argumentatus erat Adolphus hoc pacto. Qui finem & fructum vult, debet etiam velle media & cauſas: Deus finem, id eſt, hominum ſalutem vult, 1 *Tim.* II. Ergo &c. Reſpondent Dordraceni in hanc ſententiam.

Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, „ unde quod non omnes ſalventur? Propria id „ ſit hominum culpa, dices: Nemo negat. Ve„ rum ulterius quæritur, quum Deus ſit omni„ potens, & quicquid vult facit, cur non ſal„ vet omnes, ſi omnes ſalvatos vult? Si dicis: „ bonam Dei voluntatem à mala hominum vo„ luntate impediri; ubi Dei omnipotentia? Si „ reſpondes: voluntatem iſtam de ſalvandis ho„ minibus eſſe conditionalem, nempe, ſi homo „ bonæ Dei voluntati non reſtiterit; quæritur „ unde id fiat, quod aliqui ſaltem non reſiſtant? „ Hoc vero ſi tantum ex Deo; quomodo quæ„ ſo iſta duo conveniunt, Deum omnes & ſin„ gulos ſalvari velle, & tamen quibuſdam tantum hanc facere gratiam, ut bonæ ejus vo- „ Ep. 197.
„ luntati non reſiſtant, ſine qua tamen gratia „ ad ſalutem pertingere poteſt nemo? Quod ſi „ vero hoc; quod homo non reſiſtit, aliqua ſal„ tem ex parte ex libero hominis arbitrio pen„ det, corruit illud Apoſtoli 1 *Corinth.* IV. 7. „ *Quis te diſcernit?* &c. Reſpondere enim poſ„ ſet homo, ego me ipſum diſcerno, eo quod „ Spiritui Domini non reſtiterim. Si dicis, o„ mnes in univerſum homines ſufficientem ha„ buiſſe gratiam, quantumvis exiguam, per „ quam, bene illa utendo, Deum prout debent „ precando, talentum bene collocando, æter„ nam damnationem vitare & ad vitam æter„ nam pervenire potuerunt; id vero ex Dei ver„ bo, & quidem totidem verbis (quod volunt jam „ qui nil niſi verbum Dei crepant) probari cu„ pimus. Oſtendant etiam Deum in S. Literis „ hoc argumento excuſari ab injuſtitia. Paulus „ alio argumento utitur *Rom.* IX. *miſerebor* „ *cujus miſertus fuero.* Hactenus Dordraceni. „

Ego, Vir Clariſſime, exiſtimo, tametſi hæc vulgaria ſint, & inculcata ſæpius etiam ab aliis, totum tamen noſtræ controverſiæ cardinem in his ipſis verſari. Scio quid noſtri reſpondeant. At, ut verum fatear, tametſi plene mihi perſuaſum habeam, hujus rei (quod nempe hic reſiſtat, ille minime) rationem in tali, quale Auguſtinus confinxit, Calvinus expolivit, decreto minime quærendam eſſe; in hoc tamen hæreo, quid ſecundum Scripturas & Eccleſiarum Reformatarum, hac in parte puriorum, ſententiam, omnium commodiſſime reſponderi queat, & ita quidem, ut, quam nos jam profeſſi ſumus, de prædeſtinatione ſententiæ conſentanea dicantur; interea tamen & gratiæ, cui nec nos quicquam derogarum volumus, nulla fiat injuria.

Hic igitur mihi aliquid ſuggeri velim, quod rotunde & clare, etiam palam & publice, reſponderi queat, juxta Scripturam & ſenſum Eccleſiarum, quantum ejus fieri poteſt. Vix credas, vir clariſſime, quam gratam mihi rem factura ſit T. R. quamque ingenti me affecturus beneficio, huic cogitationi ſi ſerio te dederis, hanc controverſiam ſi plane enodaveris, hunc ſcrupulum ſi mihi ademeris. Vale, Vir clariſſime, Deum pro me interpella, uxorem fœminam piiſſimam lectiſſimam officioſiſſime ſaluta, & pro veritate fortiter ſtare & decertare non magis pertimeſce, quam eidem victrici in conſcientia victus cedere. Deus Opt. Max. ineuntem hunc annum ſalutarem nobis reddat, ad nominis ſui gloriam noſtramque ſalutem. Haga. Decembris ultimo, 1612.

Tuus omni officio in Domino
J. UYTENBOGARDUS.

CXCVIII.

Digitized by Google

CXCVIII.

FREDERICO SANDIO,

Curiæ Geldricæ & Comitatus Zutphaniæ Senatori,

JOANNES NARSIUS S.P.

Gratia & pax a Domino.

De causa Vorstii, Arminii, aliisque.

VIr Clarissime, fretus tum prudentia singulari tua in dirigendo laudabili Ecclesiæ ædificandæ studio, tum etiam humanitate ac benevolentia, qua me aliquando dignatus es, ex occasione communis amicitiæ nostræ cum D. N. p. m. non possum non liberius quædam tecum communicare, ab utriusque nostrum munere ac studio non aliena, & quidem de iis potissimum, de quibus nuper inter nos sermo erat, tum privatim in ædibus tuis, tum etiam publice in ampliſſimo D.D. Consiliariorum collegarum tuorum conſeſſu.

Ac primum *de subscriptione trium articulorum Vorstianorum.* Videbam tunc temporis illam D. T. magnopere displicere, ut & Curiæ universæ, seu D.D. Consiliariis omnibus, improbari illam audivimus. Nec dubito quin factum hoc mirum in modum exaggerarint apud vos, qui veriti non sunt (id quod N. nobis narrabat) postulare, ut trium Classium decreta, quibus subscriptio illa, nobis inauditis, damnata erat, etiam ante Synodum Curia sua autoritate confirmaret. Ego vero quod in Synodo dixi, & D. T. privatim, quantum temporis angustia patiebatur, dico etiamnum, non videre me quid tantopere illa subscriptione sit peccatum. Velim D. T. persuasum habeat, quod res est, factam illam subscriptionem à me & aliis è Classe nostra, priusquam prima Leovardiensium monitio nobis fuit visa, forte etiam priusquam in lucem edita; factam nempe paucis diebus postquam deputati D.D. Curatorum Academiæ Leydensis confessionem illam à D. Vorstio impetrarant; factam etiam non Vorstii rogatu, qui mihi numquam visus in hunc usque diem, nec coram, nec in epistola; sed alterius, cujus nomen in Synodo exprimere nolui, quia necesse non fuit; & quidem factam in gratiam D.D. Curatorum, quos ajebat ille exquirere judicium aliquot ministrorum super istis articulis, quo de iis certiores apud sese essent. Audiveram quidem antea siniſtra quædam de Vorstio ex rumore, quædam etiam legeram eorum quæ in lucem ediderat; sed rumorem incertum, hoc præsertim calumnioso sæculo, charitati prævalere, in præjudicium viri doctissimi, & bene de Ecclesia adversus Pontificios meriti, non patiebar; & eorum quæ legeram in scriptis ejus (non legeram omnia) judicabam, & etiamnum judico, quædam docte ac solide scripta, quædam videbam facilius ab aliis damnari, Ep. 198. quam à me posse refutari; ideoque de iis suspendendum mihi judicium. Ac licet malueram nonnulla ab ipso non scripta; non tamen propterea putabam denegandum in causa illius testimonium veritati. Sed quid si accusationes omnes Vorstii, sive præcedaneæ, de quibus rumor tantum apud nos erat, sive postmodum subsequutæ, jam tum ante subscriptionem ad amussim nobis fuissent cognitæ, anne tantum fuerit crimen, etiam in illo casu veritati dedisse testimonium? Veritati; nam articulos illos de sacro-sancto Trinitate, Persona Θεανθρώπου, (*Dei hominis*) & satisfactione illius pro peccatis nostris, veritati S. Scripturæ consentaneos esse adhuc statuo, & fatentur multi ex adversariis Vorstii: nec à quoquam fallacia sub æquivocatione latens nobis commonstrata est. Non refert, quod alibi secus docere dicatur Vorstius. Testimonium nostrum tantum illos articulos spectat. Nusquam testamur Vorstium sibi non contradicere, aut antea non sensisse secus. Nec testimonium ferimus de cordis illius integritate, quam novit ipse Deo inprimis probandam, ut salvus fiat; sed de professione fidei ex phrasibus usitatis juxta Dei verbum judicamus: Adeo ut mihi plane persuasius sim, in ipsis articulis nihil esse quod minus vere de his simus testati. Exagitant alii scopum nostrum, voluisse nos impedire, ajunt, omnem ulteriorem inquisitionem in causam Vorstii; puta, quid sentiat de omnipræsentia essentiæ divinæ, & aliis, de quibus causam dederit Vorstius cur in sententiam illius penitius inquirere oporteat; hoc autem nos impedire velle, ajunt, cum testamur, sententiam Catholicam tribus illis articulis ita *plene* comprehensam, *ut nihil amplius à quoquam in isto argumento desiderari posse videatur.* At profecto hæc probatio scopi nostri longe aberrat à scopo. Nam 1. quum summa rei plene comprehensa dicitur articulo aliquo, an tum tolluntur statim quæstiones omnes circa illam rem incidentes? Sane si hoc ita se haberet, minus esset quæstionum, ac disputationum. 2. Deinde vero, cur non inprimis considerant nos addere, *in isto argumento*? Est-ne idem argumentum disputationis de sacro-sancta Trinitate, de Dei immensitate seu essentiæ divinæ omnipræsentia? Annon posterius hoc sub alio potius titulo, de natura seu attributis Dei comprehenditur? Si quis Zanchium dicat ita plene scripsisse de tribus Elohim, ut nihil in isto argumento desiderari posse videatur, anne is dicit eo, nemini desiderandum tractatum ejus tam prolixe inquirentem in naturam Dei? Hoc si verum est & omnibus placet, væ bibliopolis, qui illius voluminis exemplaribus onustam habent officinam. Inquirant sane quantum lubet in sententiam Vorstii de omni præsentia Dei: nostra subscriptio illis non oberit. Cavillantur alii, illis verbis (*sententiam orthodoxam omnium per Christianissimum quam*

Ep.198. *late patet, Ecclesiarum, atque etiam Reformatarum*) Christianismi titulum variis sectis tribui, forte etiam Socinianis. Vix est cavillus hic dignus responso; nec respondere luberet, nisi bonus quidam vir, mirum in modum ad gravitatem composito vultu, in Synodo hoc ursisset; forte etiam apud vos per socerum, aut ipse coram, nixus singulari benevolentia atque honore, quo alias gloriatur publico scripto se à Proceribus Geldriæ exceptum. De titulo Christianismi aliis etiam tribuendo, quam nobis Reformati, nolim prolixe disputare. Ego fateor me illum pluribus tribuere, non tamen omnes eodem loco habere. Qui in largiendo titulo isto majore utuntur parcimonia, viderint an eo futuri sint ditiores. Sed hoc loco in genere & simpliciter, Christianos voco illos omnes, qui in hisce, de quibus agitur, Articulis, cum Ecclesiis Reformatis sentiunt. At vero Socinianos etiam his verbis designari, quam esset stultum ac ridiculum, cum illi hosce articulos ad unum usque negent, & tam operose impugnent. Aliquid sane rationis & intelligentiæ nobis adscriptum oportuit. Si bonus ille vir longe plus sibi sapit, quam nos, nos tamen Dei beneficio non omnino desipimus, nec desipiunt inprimis eousque viri alii doctissimi, qui nobiscum his ipsis verbis subscripserunt.

Hæc potissima sunt, quæ adversus factum hoc, cum specie aliqua rationis, prolata audivi hactenus; ratione tamen carentia, judicio quidem meo: sed si forte minus videam in causa propria, liceat mihi judicium mutuare à tribunali vestro. Quod si reus maleficiorum multorum ac gravissimorum, testari me velit, quod aliquando audierim illum maleficia ista, quorum reus agitur, detestantem; anne crimen erit, si secundum veritatem illi morem geram? Imo si vel maxime, frustra abusus testimonio meo, aliunde convincatur de patratis sceleribus; an ego propterea vel sceleratorum vel scelerum patronus jure habear? Sane qui ex æquitate judicabunt, dicent potius, me veritati simpliciter & juste persolvisse debitum; abusum autem præstiti officii, non mihi, sed abutenti vitio verti debere. Si tum temporis, cum Articulis illis subscripsi, Judæus aut Turca, professus illam fidem, idem officii à me petiisset, non negassem illi, opinor, postulatum. Cogitassem mecum, Benedictus Dominus, qui hanc fidem ad laudem suam huic homini profiteri dedit: si ex animo profitetur sincere, est quod illi graruler: sin minus, fraus illi cedet in malum, non mihi: & interim ex ore illius Deus sibi laudem perficit; licet corde maledicat, ore tamen benedicit Domino & Ecclesiæ illius, instar Bileami.

Fateor tamen, & in Synodo professus sum ultro, una cum aliis, subscriptionem illam mihi quoque postmodum displicuisse, non quidem per se, sed per accidens; quatenus propter illam, licet præter rationem, causæ præsentis Vorstianæ patrocinium, cum multorum offendiculo, suscepisse dicimur. Quo loco nec esse, nec haberi volo; præsertim cum post subscriptionem nonnulla de Vorstio cognoverim quæ minime mihi probantur, nec probabuntur unquam, nisi solide se purgarit Vorstius. Interea quid opus fuit horum aliquid referri in acta Synodalia? quorsum conventus extraordinarii ob eam rem habiti? quorsum præjudicia illa ac prædamnationes? cur tot clamores, tam graves accusationes, tot tantæque tragœdiæ excitatæ, non aliter ac si in perniciem Ecclesiæ nos conspirassemus, aut crimen lasæ majestatis commisissemus? Alii, qui famam bonorum virorum palam proscindunt, impune ferunt omnia, imo & magno in pretio sunt albæ gallinæ filii: nos miseri pulli nati infelicibus ovis, qui viro afflicto, tam bene de Ecclesia antehac merito, & nondum de hæresi convicto, simplici veritatis testimonio, ne viri quidem mentione facta, vulnus inflictum aliquantulum modo lenire dicimur, miris modis exagitamur, clamoribus obtundimur, & tantum non diris devovemur. Quid hic dicam, nisi tritum illud, Dat veniam corvis, vexat censura columbas. Profecto nisi pacem sectati, magis quam alii, schisma studiose vitassemus, non ita pro arbitratu egissent omnia. Imo vero si non desinent etiam in aliis facilitate nostra abuti & insultare nobis, (quod audio facere illos) non tantum in contumeliam nostram, sed & veritatis ac justæ libertatis præjudicium, alia sane ratione cum illis agendum erit. Vos interim D.D. qui ad gubernacula Reipublicæ & Ecclesiæ sedetis, judicate tempestive, ne sero pœniteat, an non hic lateat res periculosæ admodum consequentiæ? An non tam importuna subscriptionis ejusmodi exagitatio, paulatim hoc efficere queat, ut pro re judicata, & ab Aula, seu Curia approbata habeatur, *Non dicere hæreseos reis quacunque de causa perhibere testimonium?* Quod si obtinuerit semel, annon resorbserimus ultro dirum illud malum, quod tanta cum nausea, dolore, sanguine evomuimus? Non dico tyrannos esse, qui hoc pacto nobiscum egerunt: sed annon vel insci paulatim tyrannorum præcursores esse possint, prudentibus ac cordatis dijudicandum relinquo.

Accedit hisce omnibus, quod tanto fervore nonnulli eo contenderint *ut à Synodo Vorstius in universum damnaretur, ut à tribus Classibus prædamnatus erat.* Cui bono quæso, hæc damnatio Synodi nostræ foret? An ut in Nationali Synodo, aut alio cœtu, ad judicium causæ Vorstianæ forsitan jussu superiorum aliquando convocando, privetur Synodus jure ac potestate ferendi sententiam definitivam? Vix enim est verisimile, Vorstium pro judice legitimo agniturum quemquam ex illis, qui hac ratione illum prædamnarunt. Et quid si D.D. Or-

by Google

Ep.198. D. D. Ordines Vorstio concedant, ne res maneat infecta, ejusmodi judices rejicere, atque alios, qui sine præjudicio veniant, utrimque sinant eligi? Annc etiam licitum, justum, æquum, dignum Christiano homine, ne dicam Ministro, damnare aliquem inauditum? Inauditum dico duobus modis. 1. Coram. Ipsummet Vorstium coram audiri æquum esse judico, quum fieri potest: multa enim certius ex ipsius relatu cognosci possent, quam ex scriptis. 2. Deinde inauditum dico, quoad scripta. Prodierunt quidem in lucem scripta varia, tum ipsius Vorstii, tum adversariorum ejus: sed an omnia ab omnibus lecta, relecta, diligentissime pensitata, & quidem animo ferendi de iis sententiam definitivam? Viderint hic alii. Ad me quod attinet, dixi aperte in Synodo, me nondum legisse, nedum satis examinasse omnia, ideoque non velle in ullius hominis gratiam Vorstium damnare: displicere mihi quædam in illo professis sum, quæ ex adversariorum ejus scriptis, & aliunde de illo perceperam; & scrupulos mihi augeri ex illis, quæ in ipsa Synodo verisimiliter proferebantur, tum ex scriptis editisque libris Vorstii, tum etiam ex literis aliorum. Sed tamen urgere non desisti, plura requiri, priusquam causa Vorstii in universum absolute à me damnari jure possit: in quo etiamnum persisto. Idem dico de aliis. Inter illos qui jam ante Vorstium in amplissima forma præjudicio trium classium gravarunt, scio esse, qui perparum viderunt oculis propriis, ac pene omnia alienis; plus æquo sane fidentes in re tam gravi relatui aliorum. In classe nostra scio esse multos, qui ne decimam quidem partem legerunt eorum, quæ ad causam Vorstii pertinent; imo vero quosdam qui ne verbum quidem unum ad eam rem legerunt. Anne illi statim aliorum exemplo tenebuntur vel ipsi ferre sententiam, vel ab aliis latam approbare? Quæ hæc iniquitas! An non æquum magis esset, mandare singulis ministris, ut intra spatium aliquod statuendum, diligenter inquirant de causa Vorstii, quo in proxima Synodo, aut alio conventu, si opus sit, sententia omnium nomine de illa feratur? Quid periculi in tantilla mora? Imo vero cui bono ista judicii præcipitatio? Putamus-ne fore, ut D. D. Ordines Hollandiæ eo citius coetum aliquem convocent, in quo causa Vorstii dijudicetur, aut alia ratione de Vorstio certi aliquid statuant, quo fratres nostri acquiescant? Annon potius verisimile est, fore, ut offensi præjudiciis ejusmodi intempestivis atque immaturis (eoque injustis, si vel maxime talis sit Vorstius, qualis esse dicitur ab adversariis) suspecta habeant judicia plerorumque Ecclesiasticorum, ac propterea vel totam litem pendere sinant in multos annos, vel ipsi aliquid statuant, quod aliis summopere displiceat? Viderint hic fratres, ne canis festinans, quod dicitur, cæcos pariat catulos: viderint ne à scopo aberrent: imo viderint, an ipse scopus sit, qui esse debebat. Zelum laudo, sed Spiritui Christi conformem. Tepidum me non esse in causa Religionis, puto me probasse in Ecclesia mea: sed ignitum illum quorundam zelum, qui nihil nisi rogos & vivicomburia spiret, probare non possum. Magis probo consilium seu mandatum Curiæ, nuper nobis in expositione decreti Synodalis datum, *nolle se Vorstium quidem à nobis damnari; sed velle nos monitos, ut caveamus nobis ab erroribus quorum reus agitur Vorstius.* Quamquam parum efficiet hoc consilium apud alios, si non ex professo scripserit Curia singulis Classibus, hanc suam mentem esse, & Synodi esse debere; præsertim cum tam parum effecerit ad moderandum fervorem quorundam, quod D. D. Capellius aperte dixerit in Synodo, *nos non convenisse, aut convocatos ad Vorstium damnandum.* Ep.198.

Alterum, de quo cum D. T. colloqui velim in epistola, spectat id quod hodie agitur de D. D. Arminio p. m. Remonstrantibus, quos vocant, & qui illis favent. Arminio, inquam, de quo D. D. Thysium testatum sæpius audio, quod numquam noverit virum pluribus ac majoribus præditum virtutibus, quam ille erat, paucioribus autem ac minoribus obnoxium vitiis. Animam illam tam piam, tam candidam, tam in summa conditione humilem ac mansueram, tam pacis studiosam, atque gravissimarum injuriarum tolerantem, ut calumnias, probra, morbos, mortem denique ipsam sustinere maluerit, quam vulnus Christianismo, & imprimis Ecclesiis nostris Reformatis inflictum, vindicta nimia augere; virum denique illum, cui parem nescio an ætas nostra tulerit, quo ego charissimo præceptore aliquamdiu (utinam diutius licuisset!) gavisus sui, tam exosum vobis reddi sinistra quorundam persuasione, etiam atque etiam doleo, & quidem ea potissimum de causa, quod Socinianus à vobis habeatur: id quod nuper ex privato D. D. N. colloquio animadverti.

An ille Socinianus est, qui Socinum palam in Academia ex professo refutavit tam operose, tam prolixe, tam solide, ut nemo ante illum, forte nec post illum, solidius? Si protestatio viri, quem non nisi probum novimus, fidem meretur, an non argumenta prolata contra Socinum, quæ doctissimi quique judicant irrefutabilia, probare debebant apud bonos & æquos rerum æstimatores innocentiam viri tam bene de Ecclesia meriti?

Ratio, quam D. D. N. proferebat, imprimis visa mihi admiratione digna, (pace tanti viri hoc dixerim) quod nempe id concludat ex sententia illius de prædestinatione, dicens aperte: Arminius sententiam suam de prædestinatione hausit ex Socino; vidi hoc ex libello in Frisia edito, de officio hominis Christiani. Colligo hinc sane non absre, mirabiles conclusiones vobis instillari à quibusdam, &

Ep. 198. perinde esse nonnullis, quid sentiat Curia, aut quibus præmissis nitatur illius conclusio, si modo aliquid contra D. Arminium, & qui ei favent, concludat. Quid enim? An Socinus demum docuit Arminium sic sentire de prædestinatione? An non fuerunt alii ex Theologis nostris orthodoxis, qui sententiam illam palam professi, & publicis scriptis prolixe tutati, priusquam forte Socinus in vivis erat? Ergone etiam Socini discipuli aut sectatores fuerunt Melanchthon, Hemmingius, & alii è primis Reformatoribus? ut taceam de illis omnibus, qui vixerunt ante tempora Augustini. Hic enim judicatur à doctis primus assertor absoluti illius decreti, etsi non tam altum conscendens, quam alii nonnulli nostro & patrum nostrorum sæculo clari. Si propterea quis dixerit D. Arminium Socinianum, quod sentiat idem cum Socino in dogmate isto (quod credo, quatenus à multis affirmatur: ego Socinum nunquam legi) meminerimus & nos omnes in multis sentire cum Turca ac Judæo, nec tamen minus appellari velle ac debere Christianos, adversarios Turcismi ac Judaismi. Valeat sane ista argumentandi ratio, quæ multis hoc sæculo in usu est, ad conflandam injustissime secus sentienti invidiam; & non cum quo, sed quid & cur quis sic sentiat videamus, ut recte de sententia aliqua ac sentientibus judicemus.

Forte libellus ille in Frisia editus, etiam tibi facit displicere magis, quam antehac, D. Arminium. (habeo enim causas cur id suspicer) Sed liceat mihi apud æquitatem tuam intercedere pro piis manibus præceptoris, etsi hominum benevolentia nunc non indiget. Ne illis, quæso, imputetur peccatum plane alienum, & quidem illorum, cum quibus nihil unquam illi fuit commercii. Imo, qui numquam illi (nisi vehementer fallor) visi, sive coram, sive in epistola.

Quod si sint alii, qui sub prætextu nominis D. Arminii, Socinianismum fovent, atque introducere satagunt: iis sane obviam eatur, uti par est. Vidit Curia (& acquiescit, spero, quum non tantum deputati Synodi, ac D. Fontanus inprimis, sed & Synodus ipsa, rationibus victa, licet secus urgente N. Vestro, justificarit Classem nostram) quid fecerimus, quum unus è Classe nostra Socinianismi accusatus esset; & plura à nobis vidisset, si convinci ille potuisset.

Scio multum obesse D. Arminio, etiam apud bonos, ac valde odiose exaggerari in præjudicium illius, quod ex occasione sententiæ illius, turbæ sint motæ in Ecclesia (quod fidis Dei servis plerumque obtingit, tristi quidem illis casu, sed certa tamen ac justa simul & benigna, licet mirabili Dei providentia) atque eo magis impedire velle Curiam audio, ne sententia illa hic ullos habeat sectatores. Quid hic dicam? Unusquisque onus suum portabit. D. Arminius facti sui rationem reddidit scriptis aliquot, quæ si non legisti, & legere tamen Ep. 198. lubet, communicabo. Ediderunt & Remonstrantes, quos vocant, Tractatum novum Apologeticum, quo commonstrent se turbarum non esse auctores. Alii scriptis aliis contrarium disputant. Judicium esto, post Hollandos, apud quos potissimum turbæ sunt, & primum motæ, penes omnes eos, qui rationes utrimque diligenter examinarunt. Ego de utrisque bene sperans, non probans tamen quæ utrimque interdum humanitus aguntur, in Dei providentiam inprimis respicio, illumque rogo, ut quod peccatis nostris provocatus juste permisit malum, misertus nostri ad gloriam nominis sui clementer avertere tandem dignetur: ac laudo interim Magistratus illos, qui malum hoc dissidiorum ac turbarum à limitibus suis arcere sedulo conantur.

Sed qua ratione potissimum pacem Ecclesiarum istarum tartam tectam servari posse putas? An vetando, ne quis ministrorum dogmata controversa moveat? At non agitur jam de movendo. Res jam mota est alibi. Utrum ab hoc, an ab illo, utrum bene an male, viderint illi, quorum id interest magis, quam nostri. Nos hic nec movimus, nec movisse dicimur, primum, quod quidem sciam: saltem res mota est, & factum infectum fieri nequit. Quid igitur? An supprimemus tamen negotium, & dabimus operam, ut plerique in Classibus controversiarum sint ignari? Qui fieri potest? Libri passim cuivis sunt in manibus, etiam vulgo: quo pacto iis excutias? An nihilominus jubebit aula, ut ne quis latum unguem à sententia sive Calvini, sive Contraremonstrantium, recedat? Sed quid si sint, quibus lectio scriptorum variorum, aut alia occasio, scrupulos moverit, vel moveat in posterum, imo qui moti argumentis Arminii aut Remonstrantium, in illorum sententiam de prædestinatione cum annexis (hoc est, articulis quinque Remonstrantium) magis inclinent, quam in partem alteram; parati autem sint pacem Ecclesiarum sectari, fraternam charitatem cum symmystis secus sentientibus colere, pro concione de controversis dogmatibus non disceptare, privatim cum nemine morose contendere, quin & judicium suum suspendere, donec res in Synodo Nationali, aut alio conventu legitimo fuerit decisa? Quid si, inquam, tales sint, & quidem non pauci, & alias fidelem atque utilem Ecclesiæ operam navantes Pastores (an sint, quot & quinam sint, facile erit cognoscere vobis, si mandetis ut singuli Ministri intra temporis aliquod spatium à vobis præscribendum, judicium suum de his controversiis per litteras obsignatas Curiæ aperiant) an vobis videntur illi minime tolerandi, sed à ministerio removendi, ejiciendi & diris devovendi? Ego sane majorem æquitatem, pietatem, prudentiam vobis tribuo, quam ut persuadere plane mihi possim, vos rem tam noxiam Ecclesiæ, tam injustam, tam ab omni huma-

Ep.198. humanitate alienam, addo & periculi plenam, tentaturos. Sunt tamen alii quibus hoc animi eſt, & qui gloriantur, ſe aulam habere ad placita ſua omnia propitiam. Dico eſſe inter illos, qui ad Synodum noſtram pertinent, quibus jam ſtat ſententia, omnibus viribus annixi, ut pro fratribus non agnoſcantur, atque ejiciantur omnes illi, qui cum D. Arminio ac Remonſtrantibus ſentiunt in quinque illis articulis, aut qui plus æquo, illorum judicio, in iſtorum ſententiam inclinant. Non probabo id operoſe per conſequentias ex prædecretis trium Claſſium, in quibus ſane aliquid ſubolfacere poſſunt ii, qui ſaltem aliquatenus ſunt emunctæ naris; non urgebo nimis, quod in Synodo cum applauſu multorum propoſitum ac ventilatum ſit caput, *de arcendis erroribus Arminianis*; quoniam verba illa (Articulo prius pertractato, contra fas omne & ordinem ſequenti ſeſſione à ſcriba addita) nobis urgentibus tandem ſunt expuncta communibus ſuffragiis, & ex actis delcta.

Sed quid de illo dicam, aut ſentiam aliud, qui pro concione Synodali in applicatione textus *Act.* XX. 29. ad præſentes controverſias, non veritus eſt exclamare, *Lupos eſſe illos, qui dicunt Chriſtum pro omnibus ac ſingulis hominibus paſſum*; invidioſe dicens, & crude, more ſuo, *etiam pro ſemine ſerpentis*; quaſi vero hoc quiſquam Remonſtrantium, quos taxabat, ſentiat. Bonus ille vir (non procul à vobis diſſitus,) aura populari nimium inflatus, nihil niſi minas & dira in nos ſpirat, ni continuo aſſentiamur iis, quæ dicit, tanquam è tripode prolatis: quum argumenta illius apodictica hæc fere ſint omnia, ego ſum certus in conſcientia; ego tam certo ſcio, quam Deus eſt in cœlo: quaſi vero illius imaginaria ſcientia, & forſan non ſatis provida conſcientia, ſine ullo alio teſtimonio, nobis ſit regula: Item hoc, rogo te in nomine Dei ac Chriſti ut credas aut facias, &c. Ad poſtremum hoc (liceat aliquid inſerere, quod forte lectionis diuturnæ faſtidium minuat) quum aliquando in menſa jocoſe illi dicebam, Domine N. propino tibi, & rogo te in nomine Dei ac Chriſti, (abuſus, fateor, illius exemplo, nomine Dei ſemel, quod ille facit indies) da mihi mille daleros; innuens illum hoc non facturum ob nomen Dei, eoque minus æquum eſſe, ut morem ei geram in re graviori, nili alia afferat argumenta; dici non poteſt ut homini bilis ebullierit, ut excanduerit, ut cibum potumque omnem relinquens, quaſi exanimis ſederit. Totus abreptus affectibus, (quod illi familiare eſſe audio, & nomine ſancti zeli ab ipſo tegi) illuſorem Religionis, Atheum, aut neſcio quid non, me vocabat; imo vero in phreneſim aut rabiem agendus plane videbatur, ni res privatim compoſita fuiſſet per mediatores, & ego furori illius aliquantulum ceſſiſſem, cogitans mecum Plautinum illud: Bacchae bacchanti ſi velis adverſarier, ex inſana inſaniorem facies. Hunc ipſum bonum virum audio Ep.198. nunc triumphum canere ante victoriam, gloriari mirum in modum, quod in Synodo decretum ait, *removere omnes Arminianos* (ut loquuntur ſchiſmatis ſtudioſi) *decreta etiam eſſe media*, per quæ jam certo agnoſci poterunt, & repulſam pati, ſi in Geldria miniſterium appetant: ex quo putatur ſequuturum, ut & alii miniſterio fungentes agniti ejiciantur: quam quidem conſequentiam illi concedo, (de conſequente aut conſequuturo viderint quorum intereſt) quum eadem ſit ratio, eadem cauſa, idem jus, hac quidem re, non admittendi, & turpius ejiciendi hoſpites. Media autem eſſe, decretum de nova formula ſubſcriptionis Confeſſionis & Catechiſmi: Item de præſentia Deputatorum Synodi in examinibus, & alia haud dubie, ut Paſtores exercitati plerumque felices ſunt in applicationibus.

Hæc quidem perplacere tribus Claſſibus credo, aut ſaltem illarum coryphæis, ſeu antelignanis: nam alios etiam in illis Claſſibus eſſe audio, quibus agendi ille modus diſplicet: ſed quouſque approbata ſint a Claſſium duarum deputatis, qui in Synodo vix auditi ſunt, Curiæ demonſtratum eſt.

Gloriantur tamen & alii, de quibus certus ſum, etſi nominibus illorum parco, ſuo tempore, quum opus erit, ea relaturus, ac verba illa artic. XVIII. *& ſimiles alios*, ſcilicet errores, ſcripto noſtro addita, pro autoritate aut libertate Chriſtiana, ſcilicet, (haud dubie in locum illorum quæ communi conſilio expuncta, videlicet de Arminianis erroribus arcendis) paſſim ita interpretantur: Quin & eadem majuſculis literis, tanquam re bene geſta, deſcripta ſunt in noſtri contumeliam, ad nobis inſultandum, noſique irritandos, (ſed viderint ne irritent crabrones, ac viderit inprimis bonus ille vir, qui tam facile ſuporum, Atheorum, aliiſque titulis fratres ſuos ornat, ac nunc etiam de novo criſtas attollit, ne abuſus patientia noſtra, ac facilitate, duro nodo aliquando duriorem inveniat cuneum) imo quoſdam eo acerbitatis deveniſſe ſcio, ut etiam illis malum fabricent, quibus religio eſt, communi impetu ſtatim ad aliorum damnationem, & ejectionem, facta conſpiratione prorumpere. Quid enim aliud ſibi volunt voces illæ, quæ in Synodo volitarunt, *Qui non eſt pro nobis, eſt contra nos*: quod metuo ne à quibuſdam dictum ſit, non tam ex Spiritu Chriſti, licet ille melius eadem fere loquitur, quam ad imitationem Pompæi Magni, quem hæc quoque ſuperbe dictitaſſe ferunt, quum contra Cæſarem pernicioſum illud & Reipublicæ Romanæ fatale bellum civile moliretur. Quid? An ex profeſſo quilibet partes ſtatim ſectabitur, ad fovendum atque augendum ſchiſma, quoties factioſum aliquod caput in partes divellere conatur Eccleſiam? Annon fatius ſit, dare operam monitionibus, ac rogationibus, ut omnes unitatem ſpiritus ſervent vin-

Ep. 198. vinculo pacis? Quam moderata & ad pacem spectantia hic semper fuerint consilia mea, quam ieriæ obtestationes, testabuntur ex Remonstrantibus atque aliis qui illorum sententiam sequuntur, quotquot familiarius novi, & intra annos aliquot super hisce controversiis consulere per occasionem licuit: nec dubito quin longe plus Ecclesiæ profuerit hic conatus meus, licet tenuis pro modulo meo, quam zelus ille quorundam fratrum, qui, si secundum scientiam est, saltem non est secundum prudentiam.

Et quidem ad hæc omnia exsequenda persuadent sibi paratissimam se habere Curiam; haud dubie confidentiores facti nupera ejus facilitate, qua acta Synodi approbavit ante adventum seu subscriptionem Assessoris D. Lefleri, ac priusquam ille rationes exposuisset, cur non nisi cum restrictione posset iis subscribere: imprimis autem quod, cum tres deputati Synodi, inscio quarto deputato Neomagense, peterent abolitionem mandati de vocandis Curiæ deputatis ad examina, nullo negocio voti compotes eos Curia fecerit, & quidem sub illo titulo, quod mandatum Curiæ in Synodo datum adversari videretur decreto Synodi Nationalis Hagiensis Artic. 1v. ubi dicitur, *examen esse debere penes illos penes quos est vocatio*: quod tamen decretum nos in Synodo frustra citaveramus, quamvis meliori jure, ad impediendam novam atque hactenus numquam usurpatam, addo & periculi plenam, præsentiam Deputatorum Synodi, qui in vocatione Ministrorum, ex ordine recepto in hac provincia, numquam rogantur ex debito; quum interim Aula seu Curia in vocatione Ministrorum, in pagis præsertim, non omnino excludatur.

Hisce & forte aliis jam recens armati, atque animati, terribiles esse volunt iis, qui non ad placitum agunt omnia. Brachio sæculari, quod & antea semper in ore habuerunt, dira nobis minabuntur indies, & forte noxam multis inferent.

Verum dum hæc ita se habent, an pax Ecclesiæ ac Reipublicæ servari poterit? An quod justum, pium, æquum est, præstabitur? An non etiam boni, & alias providi, committere aliquid possint, cujus illos postmodum summopere pœniteat? Sentio ego melius, ut dixi, de Curia, quam ut credere possim, vos omnia vel approbaturos, vel exsequuturos, quæ nonnulli moliuntur: spero vos visuros oculis propriis, &, qua estis industria ac pietate, ipsosmet vos in timore Domini indagaturos dogmata controversa, id quod muneris vestri ratio hoc rerum statu imprimis postulat.

Quod si tamen in pio zelo vestro, humanitus aliquid passi, secus quam mihi polliceor de vobis, statueritis; hoc saltem velim impetrem, ut de mente vestra ac voluntate nobis certo aliquid constare possit. Si stat sententia, nullum tolerare, qui vel dubitet de controversis dogmatibus, vel in sententiam Arminii ac Remonstrantium inclinet, vel etiam plane cum illis sentiat, & interea talem se præstare velit, ac re ipsa præstet, qualem modo dixi; ne id, quæso, ex rumore duntaxat percipiamus, aut ex suspecta merito quorundam gloriatione; sed ex literis ad Classem mittendis, aut aliis indiciis rumore certioribus. Erunt haud dubie qui vos liberabunt omni metu turbarum, ac molestia, ultro cedentes loco, in quo bona conscientia versari se amplius non posse judicabunt: aliis tane liceat deplorare tristem Ecclesiæ casum, & ad ferendam crucem mature se præparare.

Quod si vero moderatius quid & humanius Aula statuit, ut sane sperandum est, omnino judico, id ipsum clarius & certius exponi debere, quam factum in hunc usque diem; atque etiam tres illas Classes serio monendas, ut ad voluntatem Curiæ se componant; ita ut appareat quoque illas mandato Curiæ moveri. Nec enim alia ratione tolli poterit illa, quæ non de nihilo est, inter fratres diffidentia. Qua sane manente Ecclesiæ bono prospici non potest. Quo pacto enim uno corde (uti oportet) certa animi fiducia ac πληροφορία (*plena persuasione*) res Ecclesiæ agi poterit, contra communes adversarios, si sint non pauci, qui se à Symmystis suis ac cooperariis pro lupis, aut luporum fautoribus, haberi statuant; qui indies exspectent, ut cum jactura insigni Ecclesiarum, quibus inserviunt, honoris, addo & rei familiaris (quatenus & illius rationem habere licet) à Sacro munere iniquissime removeantur, ejiciantur, ac diris devoveantur? Si vel maxime quosdam blandius loqui nonnumquam audiant (ut novit quorundam fistula dulce canere) an non tamen metuent, ni tollatur diffidentiæ causa, ne incedant per ignes suppositos cineri doloso?

Non tantum illorum, qui gratis quos lubet de hæresi suspectos habent, sed & aliorum, quos suspectos vocant, vobis ratio aliqua habenda est, si, quod facitis, Ecclesiæ bono & tranquillitati publicæ consultum vultis.

Sunt inter illos (non omnino viles animæ, nec tamen novatores, nec pacis publicæ perturbatores, sed qui hactenus in fide orthodoxa constantissime persistantes, magna patientia injurias varias pacis & publici boni causa tulerunt, atque alios ut idem facerent sedulo hortati sunt) qui deportationem, ut vocant, seu remotionem à ministerio sulque deque habentes, impotterum extrema potius omnia, quatenus fas est, tentabunt ac ferent, quam ut ullo pacto ferant cervicibus nostris imminens, ni providetur, jugum, quod neque nos, neque patres nostri ferre potuerunt; atque etiam ut per falsam & iniquam decretorum Synodalium interpretationem, specie aliqua verisimilitudinis dolote palliatam, passim videantur viros bonos injusto gravasse præjudicio, præsertim illos in quorum sententiam inclinant.

Quid

Ep.198. Quid ſi ſint, qui palam aliquando proteſtentur, ſe actis Synodalibus nequaquam acquieſcere? Quid ſi dicant, quod res eſt, Deputatos Claſſium duarum ſtipulatos in Synodo, ut Claſſes ipſæ duæ, à quibus miſſi erant ad Synodum, decreta Synodi approbent, priuſquam illis adſtringantur? Se tantum recepiſſe in ſe, quod ea relaturi eſſent ad Claſſes? Quod licet quibuſdam novum videbatur in Synodo, & forte etiamnum videtur novum, non tamen eſſe præter rationem, quia in potiſſimis capitibus decreto præcedaneo trium Claſſium ipſis fuerit præjudicatum, & ipſi in quibuſdam damnati fuerint inauditi, atque adeo in ipſa Synodo, in omnibus quæ ad ipſos ſpectabant, clamoribus obruti, & ſuffragiis non tam ponderatis, quam numeratis, præter fas & æquum gravati? Quid ſi addant acta in multis immutata, addendo, minuendo, & alias nimis licentioſam in deſcriptione octiduana poſt dimiſſam Synodum (qua adhuc congregata ſubſcribi actis ſolet) factam metamorphoſin? Teſtimonia non deſunt, quibus hæc probari poſſint. Huic rei periculoſæ ut obviam eatur, conati ſumus ipſi nuper, ut noſti, apud Curiam viam aliquam moderationis invenire; diſſimulatis multis pacis ergo, gravamina aliqua propoſuimus; & reſpondit Curia, humanius quidem, & magis candide ac moderate, quam alii nonnulli futuri eſſent reſponſuri: nihilominus quia ſcriptum impetrare non poteramus, quo alios de voluntate Curiæ certiores faceremus, creſcit indies malum, abuſu facilitatis noſtræ, & ſiniſtra interpretatione illorum quæ acta ſunt in Synodo.

Si aliquando etiam olitor eſt oportuna loquutus, liceat & mihi conſulere vobis conſultiſſimis viris, id quod ex re Eccleſiæ eſſe judico.

Præter illa, quæ cauſam Vorſtii ſpectant, de quibus ſupra, velim certo aliquo judicio declaret Curia:

1. Nolle ſe, ut verbis articuli XVIII. *Et alia ſimilibus* (quæ Scriba inſeruit ſcripto noſtro) condemnetur ſententia D. Armini, aut quinque articuli Remonſtrantium: nec aliam poſſe eſſe mentem Synodi; eo quod præſumendum ſit, candide ac citra fucum dicta eſſe verba iſta, de arcendis erroribus Arminianis, & Synodum Nationalem à noſtra ſincere ac ſine præjudicio expeti, eum in finem, ut de hiſce controverſiis illa judicet.

2. Decretum de formula nova ſubſcriptionis Confeſſionis & Catechiſmi articulo XX. non tam præceptum eſſe Synodi, quam conſilium, datum ad ſervandam unitatem; uti nuper D. D. Capellius in conſeſſu reſpondebat. Sed addi velim, non teneri tamen unumquemque, ſimul atque dubitare de aliquo dogmate incipit, continuo ſcrupulos ſuos ad plenum conſeſſum Claſſis deferre, quo reus agatur (quod nonnullos moliri ſcio iſtius formulæ præſcriptione) ſed licere etiam in tali caſu, privatim cum quibuſdam ſymmyſtis conferre, re non delata ad Claſſem, modo non nimis propagentur ſcrupuli. Ep.198.

3. Examini poſt hac interfuturos non tantum Deputatos Synodi, ſed & Deputatos Aulæ, quum horum præſentia non magis ſit (imo non ſit) contra decretum Synodi Nationalis Hagienſis articulo IV. quam præſentia Deputatorum Synodi; Imo quia hoc rerum ſtatu, præſentia Curiæ omnino eſt neceſſaria, niſi forte ſolito more examini putet Curia inſtituenda.

4. Singulas Claſſes ad pacem hortetur, eoque mandet vitare ſuſpiciones malas, ac inprimis condemnationes fratrum, nec non diſceptationes, tum in ſuggeſtu, tum privatas illas, quæ diſſidiis occaſionem præbere poſſunt: populo commendandum inprimis pietatis ſtudium, non neglecta interim neceſſaria fidei doctrina.

Addebamus nuper privatim in ædibus tuis aliquid de ſenſu Catecheſeos & Confeſſionis, de quo parenthеſin ſcripto noſtro alii nobis diffidentes inſeruerunt. Id ſuadebas ne proponeremus Curiæ, & nos parumus conſilio. Attamen, ſi rem propius conſideraris, an plane non videatur tibi, hic opus eſſe aliqua explicatione illorum, qui parenthеſin illam cuderunt? Scio dextre exponi verba poſſe, & abſit ut velim hic ludere, aut imitari fraudem illam, qua audio Socinianos quoſdam uti. Novit Dominus me fraudem omnem, in Religionis ac fidei præſertim negotio, deteſtari. Sed præterquam quod ſenſus ſæpe incertus ſit, metuo ne, quod ſit, quorundam Theologorum placita particularia, pro ſenſu Eccleſiæ aut re judicata iſto prætextu nobis obtrudantur. Ut videas, non de nihilo eſſe ſcrupulum hunc, dabo exemplum. Novit D. T. ſententiam quorundam eſſe, reprobos, hoc eſt, majorem hominum partem, creatos ad damnationem. Illi quum explicabunt Catecheſeos quæſtionem ſextam, cujus reſponſio habet, Deum creaſſe hominem, hoc eſt, genus humanum, eum in finem, ut æternum cum ipſo viveret: an Catecheſi tribuent ſenſum congruentem cum verbis? An conveniet illorum expoſitio cum aliorum expoſitione, qui ſtatuunt præviſionem lapſus præcedaneam decreto ſive electionis, ſive reprobationis? Quem ſenſum hic ſequar? utrique dicunt ſuum ſenſum eſſe ſenſum Catecheſeos; utrique dicunt, plurimos ſecum illum ſenſum profiteri: quum ſint aliquando tempus, quo ſenſus omnium rigidiſſimus longe pluribus placuit, quam alius aliquanto moderatior, idque potiſſimum, puto, propter nomen & autoritatem illorum, qui duriorem illum ſenſum urgebant. An non ad S. Scripturam recurrendum erit, ut de veritate ſenſus judicetur? Eodem modo ſe res habet in Confeſſione Articulo XVI. de prædeſtinatione. Noſti haud dubie quomodo de

Ep. 198. sensu illius inter ejusdem Confessionis socios disputetur. Verba videntur lapsus prævisionem præmittere decreto prædestinationis; quod illi persuasum habent, qui de isto dogmate sic sentiunt. Alii, ne videantur à sensu Confessionis dissentire, dicunt de exequutione decreti potissimum loqui articulum, non de ipso decreto: ut nihil dicam de iis, qui fidei prævisionem ex hoc articulo colligunt decreto prædestinationis præmittendam. Sic in aliis multis. Non est eadem semper expositio sensus, hisce scriptis comprehensi, apud omnes Theologos & Orthodoxos, quamvis interim in fundamentalibus conveniant. Quid ergo fiet, cum de sensu alicujus Articuli disputatur? aut unde colligam in universum, quisnam sensus è pluribus sit eligendus? Duo hic distincte spectanda puto, 1. veritatem sensus, 2. consensum cum aliis Orthodoxis, seu Ecclesiis. De veritate sensus ex sola S. Scriptura judicandum credo, tanquam perfectissima & unica fidei & veritatis regula, ac non tantum primaria, ut quidam statuunt. De consensu disputari potest, an ille non certius & dilucidius apparere possit ex diligenti consideratione harmoniæ omnium Confessionum, editæ ante annos aliquot, quam ex hujus aut illius, atque adeo centenorum Theologorum, diversa sæpius, expositione? Qui melius rem intelligunt, & parenthesin hanc abundantis cautelæ gratia addiderunt scripto nostro, nos atque adeo Classem totam docere debebant, uti habebat gravamen nostrum.

Quod si tamen adhuc satius esse putes, nihil hujus movere in Curia, acquiesco consilio, & rem omnem, quam maxime possum, serio & obnixe tibi commendo, non mea vel ullius hominis privata, sed veritatis, justæ libertatis, pacis, & omnino salutis publicæ causa.

Scio ferax esse calumniarum hoc seculum, ideoque non possum non coronidis loco aliquid addere de memetipso. Quod ut vere dico, & sincere coram Domino, ita credas velim, & aliis, quorum interest inprimis, persuadeas. Dicam ingenue illa, quæ tam contra me forte apud quosdam, quam pro me facient, quia conscientiam liberare volo; cætera Deo committens, & iis quibus cura hujusce rei divinitus demandata.

Ad me ergo quod attinet, profiteor me amantissimum D.D. Arminii p.m. & discipulum illius me fuisse annis aliquot (utinam pluribus!) atque etiam ipso Amstelodami adhuc commorante, priusquam ad professionem vocaretur Leidam, familiarius benevolentia illius, qua me dignabatur vir humanissimus, magna cum voluptate & bono meo usum: Quin & nunc hoc rerum statu, me consulturum ipsum de controversis omnibus dogmatibus, atque adeo de tota re Theologica, nisi Deus ingrato mundo donum hoc præclarum subtraxisset. Fateor etiam, ægerrime me tulisse in Synodo, quod scriba stigma illud, de arcendis Arminianis erroribus, præter fas omne & ordinem, Ep. 198. nomini illius viri, jam quiescentis in Domino, inurere sit conatus: scriba ille, quem etiam novit T. D. ni fallor, ipsi Arminio, dum in vivis adhuc erat, faventissimum, & inprimis D. Brunoni p. m. affini illius idem sentienti, arctissima amicitia devinctum. Dicerem etiam num scribæ isti, si adessem; præposterum nimis esse, post fata viri, loco amicitiæ, si illam quiescere vult, & sepeliri cum amico, tam indignum suscitare livorem.

Ex Remonstrantibus, quos vocant, nonnullos magni facio, amo, revereor, tum ob præclaras eorum dotes, Ecclesiæ utilissimas; tum etiam ob beneficia mihi præstita: quæ dum gratus agnosco, minus sane pecco, quam illi, qui eorum usque adeo ingrate obliviscuntur (novimus unum inprimis ad Synodum nostram pertinentem) ut ab aliis forte calumnia aut hæreseos adspersione læsi, citra ullam necessitatem, stilo aculeato illos infectentur, qui optime de ipsis meriti, & minime adhuc de criminibus objectis in causa Ecclesiæ convicti: quasi vero prudentis ac pii medici sit, vulnus inflictum non sanare, nisi læsione innocentis, imo & benefactoris. Etsi autem amo illos, ac revereor, non tamen metuo; quod mihi probrose quidam in Synodo objiciebat. Scio illos redamari à me velle, non metui: & absit à me, ut vel illos, vel etiam Contra-Remonstrantes, vel quenquam mortalium præpostere, seu in noxam Ecclesiæ metuam. Si recte me noscet bonus ille vir, qui mihi ista objiciebat, (quem sane ob dotes alias etiam amare ac revereri non desinam, si non nimium sibi ipse sumserit) crederet haud dubie, me cum Romano illo (nescio an Marco Curio) edulio simplici raporum acquiescere malle, quam ut sciens volens, in gratiam ullius hominis, quantumlibet bene officium offerentis, aut præstantis reipsa, operam meam rei male impendam, aut etiam omittam quicquam quod ad arcendam ab Ecclesia perniciem facto opus sit. Novi etiam Dei beneficio non tantum amicitiam colendam, sed & beneficia hominum recolenda usque ad aras; salutem populi supremam esse legem. Sed constet primum illos esse tales, quales invidiose & confidenter nimis exclamantur. Tum videatur quid facturus sim. Pendente lite (non refert cujus culpa tam diu dicatur pendere; de hoc ipso judicis est ferre sententiam, non meum: saltem lis pendet) liceat mihi aliquantulum suspendere judicium. Si aurem non denego accusatoribus, quos minus novi familiariter, etsi pro bonis eos ex charitate habeam; liceat saltem aurem alteram inoffensam tantisper præbere illorum protestationibus, de sincero ac sancto studio, quos non nisi viros bonos novi hactenus familiarius. Ubi judicatum fuerit à judice legitimo, aut alias certo mihi constiterit, esse hoc illorum studium, quod dicitur (quod absit ut credam unquam fore) dolebo quidem viros magnos

Digitized by Google

p. 198. magnos hactenus Ecclesiæ & mihi jure charissimos, eo devenisse: Ecclesiæ tamen etiam cum illorum offensa operam necessariam non negabo, atque ita tamen agam, ut ingratos illos ac minime providos sui defensores non imitari me, Deo favente, appareat.

Ad sententiam meam quod attinet de Articulis illis quinque hodie controversis, profiteor me inclinare magis in sententiam D.D. Arminii ac Remonstrantium, quam in partem alteram; non amore, vel beneficio motum (novit Dominus) sed illorum argumentis, quæ mihi præponderare videntur, salvo aliorum judicio. Scrupulos adhuc quosdam habeo, sed qui tanti non sunt, ut non, si partes necessario eligendæ erunt, in Remonstrantium castra sim transiturus: quamquam mori malim, quam videre ulterius in partes scindi Ecclesiam.

Vis etiam ut dem Ministerii mei rationem aliquam? Ad Gravienses legitime vocatus veni ante septennium, instructus non tantum D. D. Arminii testimonio, quod sufficere potuisset (nam ni fallor, Decanus tum erat facultatis Theologicæ) sed & D. D. Gomari, D. D. Trelcatii, D. Festi Hommii, nomine Ecclesiæ: quin & D. Fontanus, dum iter faciebam per Arnhemiam, inscio mihi dabat literas commendatitias ad Collegam meum, in hunc usque diem asservatas. A Classe Neomagensi examinatus, sic volentibus iis qui Illustrissimo Principi sunt à Consiliis, testimonium justum, ac commendatitias ad Ecclesiam seu Presbyterium nostrum impetravi. Toto illo tempore, quo operam meam hic navavi, Dei benedictione Ecclesiam accrescentem indies in hunc usque diem tranquillam & pacatam servare potui, etiam non docens de Prædestinatione, quod nonnulli sentiri ab unoquoque Christiano volunt, ut nec in suggestu disceptans de dogmatibus controversis, sed cum collega amice nonnumquam per occasionem conferens, cum aliis, & quidem paucis, parcius, præsertim quod paucos nollem rigidæ isti prædestinationi adstipulantes, neminem vero haberem, qui turbas ea de causa moveret, sed moderationis nostræ rationibus auditis acquiescerent omnes: quamvis non defuerint apud vos, qui clanculum viros magnos in me concitare sunt conati; cujus rei forte aliquando ratio ab illis exigetur, si non desinent in os me laudare, & apud alios suspicionibus malis, ne quid dicam gravius, onerare. Principem quoque ipsum ante menses aliquot ex Geldriæ Comitiis ad nos venientem, postquam de statu Ecclesiæ ac publica tranquillitate inquisiverat hic apud alios, non minus benignum expertus sum, quam unquam antea; etsi bonus quidam vir in Geldria paullo ante nigris coloribus me depinxerat, adeo ut indignatus nomen meum manu propria pugillaribus suis Princeps inscripserit, quod ipsum idem ille, insigni artificio aulico usus, in laudem meam ac commendationem se fecisse nuper apud me (nihil moventem sed dissimulantem quicquid ejus audiveram) & apud alios, qui aderant, ultro gloriabatur. Ep. 198.

Ante biennium, quum spes deficeret impetrandi apud D.D. Ordines ac Principem, mandatum de reformando agro Cuyckiensi, atque ita Classem apud nos obtinendi, ad Classem Neomagensem venimus, Collega meus D. Godefridus Paludanus & ego, ne exleges esse velle videremur. Ab eo tempore utrumque nostrum etiam Geldriæ non inutilem fuisse comperietis, si propius de nobis inquirere lubebit: non gloriarer, (ut nec glorior, nisi in Domino) nos annum integrum pagis aliquot Geldriæ nobis vicinis, duplicatis Ministerii nostri laboribus, inserviisse gratis (ut ne adhuc quidem mercedem ullam pecuniariam, aut aliam hujus seculi, expetimus) nisi scirem esse qui me ejectum malint, quam Synodi vestræ membrum. Qualem me in aliis quoque biennio isto, aut etiam antea, ex vicinitate loci noverint fratres Classis Neomagensis, ac inprimis viciniores, patior sane ut diligentissime inquiratur: cujusmodi fuerint consilia mea, atque in universum, quatenus tranquillitati publicæ ac bono Ecclesiæ vel obfuerim vel profuerim, quum placebit vobis, ex aliis certiores fieri poteritis. Testimonium Classis, Gravensium, quin & omnium bonorum, inter quos vixi unquam, scio mihi auxilio futurum adversus falsas quorundam lucifugarum criminationes. Quin & vestrum tribunal non refugio, quatenus citra præjudicium Principis licet eo provocare; etsi non de nihilo suspicer, me vobis de meliore nota non semper commendatum. Paratus sum & apud vos fidei & actionum mearum rationem exponere. Si id non sufficere putatis, & nihilominus vobis oneri sum, vel minimo judicio vestro, etiam per privatam alicujus vestrum schedulam monitoriam, certior factus, de voluntate vestra, aut tantum consilio, domi me continebo, numquam denuo ad Classem aliquam Geldriæ iturus. Si quis plane à Ministerio me remotum mavult, is sciat, non usque adeo volupe mihi esse in Ministerio versari turbulento hoc seculo, ut non potius aliud vitæ genus exoptem, si modo secundum Deum liceat. Efficiant igitur, quibus hoc animi, ut vel inauditus jubear à Principe stationem deserere, & res peracta erit. Non refragabor magnopere. Tantum dabo operam, ut Ecclesiæ bono, & famæ meæ nihil derogetur: quin & honori meo aliquid detrahi patiar, ut bona conscientia quiescere possim.

Prolixius hæc scribo, vir Clarissime, quam existimaveram, quoniam res mihi cordi est. Ex plenitudine cordis loquitur lingua, mihi etiam fluit calamus. Quo pacto hisce utaris, tuæ prudentiæ committo, Deumque rogo, ut vos omnes Spiritu sapientiæ, consilii, veritatis, justitiæ, ac timoris Domini indies cu-

gitized by Google

Ep. 199 mulet, ad laudem nominis sui, Ecclesiæ emolumentum, & vestram salutem. Familiæ etiam tuæ multam salutem à larga Dei benedictione precor. Graviæ, x Septembris stilo novo, qui dies est Lunæ, octiduum ante Classem Neomagensem. 1612.

CXCIX.

FREDERICUS SANDIUS

JOANNI NARSIO S.P.

Ecclesiastica. Responsio ad præcedentem.

SUb finem Octobris è Frisia domum reversus tuas inveni literas, datas x Septembris, quibus ego hactenus ob multiplices occupationes rescribere non potui; nunc vero per Natalitii festi ferias à publicis laboribus respirationem tandem nactus manum calamo admovi. Ante omnia vero rogo, ne meum hoc tam longum silentium negligentiæ imputes. Primum, ut ad literas tuas veniam (quas forte tam longas tibi extorsit diffidentia de meo ac nostri Senatus erga te ac nonnullos alios tecum sentientes affectu) primum inquam, excusas trium articulorum, de sacro-sancta Trinitate, persona Θεανθρώπου, (*Dei hominis*) ac satisfactione illius pro peccatis nostris, subscriptionem. Puto equidem, si ipsa subscriptio per se absque aliis temporis ac negotii circumstantiis spectetur, nihil in eo fuisse peccatum, quod veritati dederitis testimonium: vellem autem non subscripsisse, vel saltem non tam amplis verbis; quia tendere ea subscriptio videbatur in patrocinium causæ suspectæ. Quidquid autem ea in parte erratum fuit, id facile Senatus noster post intentionis vestræ declarationem insuper habuit. Super iis quæ de D. Vorstio addis, mihi quoque videtur optime illum de Ecclesia adversus Jesuitas ac reliquos Pontificios fuisse meritum, atque amplius mereri potuisse, si Hollandiam nunquam vidisset, ac fidem habere potuisset iis quæ quibusdam ipsius meisque apud Daventrienses intimis de Hollandica vocatione satis tempestive prædixeram: adhuc item de Ecclesia nostra mereri posse, si commode sese extricet ex hisce difficultatibus, in quas primum quidem subtilitatum ac singularium intellectuum studio, hinc non satis prudenti suorum amicorum consilio conjectus est. Quomodocumque vero ipse peccaverit, damnari à Synodo nostræ provinciæ, illi minime subjectus, minime potuit; neque damnatoriam in ipsum sententiam Synodus concepit: quod & Collegam nostrum D. Capellium in Synodo aperte dixisse meministi, non convenisse videlicet vel convocatos Fratres ad Vorstium damnandum; idque Senatus probavit, cum adderet, nolle se Vorstium à vobis damnari, sed velle vos monitos, ut caveatis vobis ab omnibus quorum ille reus agitur. Personalis atque hypothetica hæc tota quæstio ad ipsius negotii ac personæ judices competentes remittenda est: sed interim non absurde abs fratribus hujus ditionis factum, qui testari voluerunt se se persistere in fidei unione, atque abhorrere à novis opinionibus, earumve suspicionibus, Ecclesiam alibi inquietam reddentibus. Cumulantur multa in ipsum judicia, quæ singula quidem per se non plene probant, conjuncta vero multum onerant; quibus etiam subinde paulo debiliores opponuntur purgationes. Addis deinde de D. Arminio ac Remonstrantibus, & qui illis favent, perperam Socinianismi reos agi. Ego Arminium pie defunctum meo præjudicio onerari nolo, nec dubito quin in Religionis negotio injuriæ atque iniquæ subinde de ipso sparsæ fuerint suspiciones, neque quicquam adversus ipsum prolatum vidi, quod non ille se sentire tandem fuerit professus. Nescio autem, an non melius Ecclesiæ paci potuerit consuli, si ille tempestiva atque aperta suæ sententiæ professione circa articulos de salutis ac damnationis causis prævenisset sequioribus de se opinionibus, suamque sententiam Ecclesiæ examini submisisset. Hac enim ratione vel aliquid in publico Theologorum Conventu dudum fuisset constitutum, aut saltem Illustrissimis Ordinibus Generalibus, vel Hollandiæ, fuisset occasio data, ferendi alicujus fiduciarii decreti pro concordia Theologorum stabilienda. Non recte autem mihi judicare videntur, qui illius de prædestinatione sententiam Socinianam putant; ego eam puto esse ipsissimam Melanchthonis, Johannis Anastasii, Nicolai Hemmingii, ac Gellii Snecani sententiam, Socinianismo planè adversantem; ea maxime in parte, quod omne bonum superne derivat, ac statuit in salutis negotio nos nihil posse sine gratia illa præveniente ac cooperante, ac salvari solo Christi merito per fidem apprehenso. Ex libelli sequiores opiniones instillantis apud Frisios editione, nunquam credidi Arminium defunctum onerari posse. In actionibus ac controversiis illis Remonstrantium ac Contra-Remonstrantium varie peccatum esse Senatus noster existimat; judicium vero de toto illo negotio sibi non arrogat; sed nihilominus exulare vult à nostris Ecclesiis non modo illa diversarum partium nomina; sed & illas odiosas, ac pastoribus subinde parum convenientes concertationes, ac potius pietatem ac bonos mores populo instillari. Arminii scripta Latine ab ipso publicata pleraque legi; sed ex concertatoriis illis Remonstrantium ac Contra-Remonstrantium libellis nihil legi, præter illa capita, quibus controversiarum status formantur, atque opinionum enuntiata hinc inde constituuntur. Ut reliqua legam laboriosissimæ meæ functiones, totum hominem requirentes, non permittunt; neque ut legamus talia fiet necesse, si malum hoc dissidiorum ac turbarum à nostris limitibus possimus arcere. Sed quæres; quo pacto mala hæc arcebitis, ac pacem Ecclesiæ sartam Ep. 199 tectam

Digitized by Google

Ep. 199. teſtam ſervabitis? Hic multa quæris; multa ex variis rumoribus de Senatus noſtri ſententia conjectaris, quæ Senatui nunquam in mentem venere. Neque enim quicquam abs Senatu noſtro hactenus de Remonſtrantium ac Contra-Remonſtrantium controverſiis in alterutram partem decretum vel conſtitutum fuit: nam cur conſtitueret, dijudicatione ad ipſum nondum delata? Hollandis eam rem relinquimus, quos ſperamus pro ſua prudentia, in aliis Reipublicæ partibus conſtituendis hactenus laudata, hic quoque tandem aliquid conſtituturos, quod nobis in exemplum faciat. Non prohibet Senatus, ne quiſquam controverſiarum libellos legat; non item, ne quis modeſte privatim cum eruditis de iis communicet ac veritatem inquirat; non item jubet ne quis latum unguem à ſententia ſive Calvini ſive Contra-remonſtrantium recedat; quinimo tolerandos cenſet eos, qui quamvis ad Remonſtrantium articulos quinque magis inclinent quam in partem alteram, parati tamen ſunt pacem Eccleſiarum ſectari, fraternam charitatem cum ſymmyſtis ſecus ſentientibus colere, pro concione de controverſis dogmatibus non diſceptare, privatim cum nemine moroſe contendere, quin & judicium ſuum ſuſpendere, donec res in Synodo Nationali aut alio conventu legitimo fuerit deciſa. Quod ad bonum illum zelotem attinet cujus concio Synodalis male vos habet, is jam æquior vobis factus eſt, neque in poſterum hujus negotii cauſa vobis erit moleſtus, quin fraternitatis manus ultro porrecturus eſt. Non incommoda neque abſurda ſunt, quæ de ſubſcriptionis formula in Synodo concepta ſuggeris. Hæc vero paulo commodius in proxima Synodo in diſquiſitionem deduci poterunt, eſtque ſperandum, fratres tandem ſic inter ſeſe conventuros, ut minime fiat neceſſe extra ordinem Senatus noſtri authoritatem interponi. Addis ſub finem literarum nonnulla in tui excuſationem, quæ mihi quidem ſatisfaciunt; ſed de fervore tuo nonnihil remittendum puto. Nimis enim vehementer hanc rem agere, ac plus ſatis ſequioribus ſuſpicionibus ac querelis indulgere videris, quaſi ſub cruce inter Euangelii veritatis profeſſores verſareris; quod item nuper dixi tuis familiaribus D. D. Livio atque Hollingero; quos rogavi ut eo nomine te ſubmonerent, tuumque ac nonnullorum aliorum calorem temperarent. Hæc vero tanti non ſunt, ut non putem magno te cum fructu Eccleſiæ tuæ præeſſe, ac deinceps profuturum, eoque peccaſſe, qui Principis malam gratiam tibi conciliare conati ſunt. Arenaci 1612. menſe Decembri.

Tuus

FRIDERICUS SANDIUS.

C C.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI NARSIO S.P.

Eccleſiaſtica. Judicium de ipſi vel Sandio.

REmitto tibi, Doctiſſime Narſi, literas iſtas Arnhemienſes. Subductas lineas ita lego: *neque quicquam adverſus ipſum prolatum vidi*, &c. *prolatum* dico, non *probatum*, ut habet character. Senſus anceps: Tu dixeras Arminium perperam gravatum fuiſſe Socinianiſmi ſuſpicione: Reſpondet ille, non dubitare ſe, quin inique ſubinde de illo ſparſæ fuerint ſuſpiciones, ſeque nihil prolatum vidiſſe, quod ille ſe ſentire tandem non ſit profeſſus. Quid illud? an Socinianiſmus? ita enim haud inique fuiſſent ſuſpiciones. Hunc igitur ſenſum hominis puto; fieri quidem poſſe, ut Arminius ſuſpicionibus iniquis gravatus ſit: ſe vero iis fidem non habere, tantum ea ſe credere Arminio vere impacta, quæ palam adverſus ipſum prolata ſunt, quæque ipſe Arminius fatetur. Quæ vero illa? Eædem quæ & nos exercent controverſiæ de prædeſtinatione cum appendicibus. Niſi forte aliquid ulterius innuere voluerit, nempe controverſiam de fide; an nempe illa proprie dicatur Abrahamo imputata, an ſecus? quam controverſiam Socinianiſmum redolere, publicis ſcriptis clamat Sibrandus. At, mi Frater, nolim tibi author eſſe multum de Arminio contendere, deque illius ſententia; agamus tantum noſtra, eaque defendamus. Niſi forte Arminium piæ memoriæ manifeſta quis velit impetere injuria: tum ſane charitatis officium exigit fratris, amici, præceptoris, quin & tanti viri, nomen modeſte defendere. At parvi momenti illa. Venio ad ipſas literas, quas omnino politice ſcriptas video; & ita, ut vix putem illis aliquid reponendum, niſi hæc paucula. 1. De Vorſtio; reputet ipſe ſecum, an verbi divini miniſtro, rogato ut in theſi tantum, & citra ullius hypotheſeos hujus vel illius perſonæ conſiderationem, ſententiam ſuam dicat de articulo aliquo Theologico, an videlicet Orthodoxus ſit, nec ne, liceat roganti morem gerere? Licet profecto; imo tenetur aliqua ratione is, qui rogatur, id facere, ſi in conſcientia exiſtimet ejuſmodi articulum Orthodoxum eſſe. Quod tam amplis verbis facta ſit ſubſcriptio, de eo mihi non conſtat; puto ſatis ſimplicem eſſe, adeoque in ea nihil carpi jure poſſe. Quid alius velit vel non velit factum, divinare neminem poſſe. Judicia in ejuſmodi rebus ut varia, ita & libera ſunt. Ille velit non factum, alius factum velit. Sunt qui ſubſcribere recuſarunt, ſunt qui contra; habuerunt ſuas rationes illi, habuerunt & iſti. In re libera & conceſſa (prout hæc eſt) quiſque agit pro arbitratu ſuo. Quod ſi rigide quis omnia examinare velit, forte adduci poſſe rationes & plu-

Ep.200. res & validiores adversum illos, qui subscribere detrectarunt, quam qui subscripserunt, quibus probatur, saltem verisimiliter, ab illis peccatum fuisse, ab hisce minime. Videbatur, inquit, subscriptio ista tendere in patrocinium causæ suspectæ. Videbatur: at non omnia quæ videntur talia, sunt talia. Nulla sane fuit ratio, cur ita videretur. Causa enim tota facti est: hic vero non de facto agebatur, sed de jure, id est, de veritate vel falsitate istorum articulorum: non, an articulorum author in hisce articulis consentanea diceret aliis suis vel dictis vel scriptis. Præterea, quis non læto & grato animo arripiat ejusmodi declarationem, profectam ab homine, qui antea contrariam sententiam fovere dicebatur, &c. Tale vel simile quid reponere si videbitur, si existiment viri isti gratiam hic aliquam vobis esse factam, haud dissuadeo. Reliqua quæ de non damnando à vestra Synodo Vorstio dixerit, satis æqua sunt: ideoque modeste amplectenda. An vero ulla necessitas fuerit fratribus istius Synodi, ita solenniter testari de unione fidei, equidem ignoro. Si fuit, quod vos omnium optime novistis, citra alterius injuriam ea fieri debuit; cui rei, ni fallor, haud bene cautum fuit. Sane publice probare omnia adversus Vorstium acta (quod habere decreta vestra puto) plus est quam simpliciter unionem in fide testari. Si decretum jam ad manum esset, liceret de eo judicare exactius. Nisi valde fallit memoria, decretum istud vestrum magno præjudicio gravat Vorstium, & tali quidem, quod justam illi det occasionem decreti istius fabros omnes in legitima Synodo recusandi, ne in causa sua sedeant judices. Inspice decretum, & vide, an non in eo quid amplius sit, quam simplex unitatis in fide testatio. Non debebat sane ita excipi homo, quem fatetur hic vir optime de Ecclesia adversus Jesuitas, capitalissimos hostes nostros, meritum. Neque sane ejus in Hollandiam adventus post tam solennem vocationem ejusmodi decretum meruit. At vero quid hoc sibi vult, mi Narsi, quod hic vir dicit, etiam amplius illum mereri potuisse de Ecclesia, si Hollandiam nunquam vidisset: An Hollandia illi aliquid adfricavit scabiei, quod antea non habuit? Et si antea lue aliqua infectus fuit, anne tum potuit bene de Ecclesia mereri? An vero forex hic suo se prodit indicio? nempe non tam certas, vel ex quibus certo constaret, hæreses in causa fuisse, quod virum hunc oppresserint, sed adventum tantum ejus in Hollandiam. Sic ego profecto, & multi alii haud oscitanter omnia considerantes, mecum sentiunt. Deliba tu (si respondere decretum) quæ videbuntur; sed caute & circumspecte, ne amplius adhuc patrocinari Vorstio videaris, quod & ipse ego facere nolim. Tantum hoc mihi ægre est, quod virum tam egregium tanta rabie, & præter omnem charitatis Christianæ vel umbram aliquam, adorti sint ac tantum non in vitæ discrimen conjecerint. Alioqui ego illi sua sibi tutanda relinquo. Armi- Ep.200.
nium quod attinet, haud potuit ille aliter facere quam fecit. In Synodo sua proponere voluit; at hanc Synodum antagonistæ ipsius, ea qua Ordines decreverant conditione, haberi noluerunt. Quid ageret igitur bonus vir? A Magistratu igitur audiri petiit, & ad colloquium amicum cum Collega suo D. Gomaro admitti, Ordinibus aliisque ministris arbitris, petiit. Quid hic peccatum? Sed de his plura in Prefatione Declaratione, & Apologetica mea. Vir ille, ut est judiciosus, si rite omnes norit & perpendat circumstantias, melius de hoc processu judicabit. De sententia prædestinationis nostra non male judicat. Quid in actionibus Remonstrantium & Contra-Remonstrantium peccatum esse Senatus ille judicet, quum non edicat dicere, ad id quod respondeam non habeo. Neque improbandum, quod idem Senatus & concertationes illas odiosas, & partium nomina ab illis Ecclesiis exulare velit: modo & hoc serio agat, ne Aristarchi eas moveant, ut faciunt, aliisque eadem via incedendi necessitatem imponant. Reliqua illius epistolæ satis bene habent; nisi quod tenuiter nimis vir ille mihi loqui videtur, quum dicit, Senatum centere tolerandos illos, qui, quamvis ad Remonstrantium quinque articulos magis inclinent, parati tamen sint pacem sectari, &c. Quid hoc, *inclinent magis*? quum non dicit aperte, quamvis sententiam Remonstrantium in quinque Articulis probent, eique conformiter doceant, nihilominus tamen fovere pacem velint, id est, non condemnare secus sentientes, neque refutare illos velle publice, si & illi à refutatione abstineant. Vide an tale quid modeste & amice elicere possis. Si suspendenda judicia sunt ad legitimum conventum usque, utrimque suspendenda; & si suspendenda utrimque, ab infectationibus mutuis abstinendum; neque in examine compellendus quis, ut vel huic vel illi sententiæ adhæreat. Si vero aliis licitum est sua quotidie proferre judicia, quare non & mihi idem liceat? Quis autem erit ille Conventus legitimus, & quo pacto formanda Synodus, ut legitima sit? Hoc vero scisitari luberet ex isto viro, si mihi cum eo negotium esset. Quis vero zelotes ille sit, de quo sub finem, quum non indices, ego non quæram amplius; gaudeo interea moderatiorem factum. Monitioni ad finem adjectæ parere debes; si nempe factis vehementiorem te præbueris, suspicionibusque sequioribus nimis indulseris. Non debes tamen languere, & causam veritatis & modestiæ libertatis pro virili promovere in Domino. Hæc, Charissime Narsi, ad literas istas annotare visum, ut tibi satisfacerem; scio alioqui sapientiæ vobis satis esse domi, nec opus ut foris eam quæras. Boni omnia consule, & hoc inprimis, quod ita projecte scripserim: haud enim est otium accurate penitandi omnia; neque etiam, ut verum fatear, necessarium. Tu enim vales & pru-

Ep.201. prudentia & rerum iſtarum notitia quam maxime. An fœmina iſta hic ſubſiſtat, adhuc ignoro. Illam jamdudum abiiſſe puto: nam ne biduum quidem ſe hic ſubſiſtere poſſe dicebat. Mitto igitur hæc per tabellarium. Quod ad D. Hogerbeeii litteras attinet, habes hic ipſius formalia verba, ex autographo, quod apud me aſſervo, deſumta. Vera eſt hiſtoria, quam nec ipſi Deputati Enckhuſani hic Hagæ rogati negare auſi ſunt; verum excuſare conabantur, aliquam culpam in populi ferociam conjicientes, quam ipſe Magiſtratus in officio vix continere poſſet. De Roterodamenſi negotio ſuaſim ipſe D. Nicolaum compelles per literas, qui haud gravate rem geſtam eſt expoſiturus. Ordines Hollandiæ auditis Roterodamenſium rationibus acquieverunt: at an in acta aliquid ea de re relatum ſit, dubito. Pollicitus D. Feſtus Contra-Remonſtrantes jam hac ſeptimana conventum habituros, & de novo colloquio nobiſcum habendo acturos, & tum nobis reſponſum daturos. Nos exſpectamus: at parum nobis ſpei, quod Amſterdamenſes miniſtri certatim in moderatores declamitent quotidie. Vale Frater amantiſſime. Salveat conjux dilectiſſima, & Collega. Raptim VIII die Februarii CIↃ IↃC XIII.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CCI.

Clariſſimo viro

D. CONRADO VORSTIO

PETRUS CUNÆUS S.D.

De Satyra ſua Menippea.

CLariſſime Doctor, qui antea admirandam eruditionem tuam veneratus fueram, tandem nunc etiam, ex quo tempore nuper te Goudæ ſalutavi, inſignem tuam amare cœpi humanitatem. Itaque vehementer doleo, quadam fortunæ iniquitate in iis te locis vivere, ubi alloquio tuo frui quotidie, ac de maximis Religionis myſteriis libere tecum ſermonem ſerere non poſſum. Nuper ſcriptum quoddam edidi, quod tibi mitto, & uti judicium de illo tuum perſcribere nobis velis, etiam te atque etiam rogo, maxime Vorſti. Omnes eruditorum familias atque ordines perambulavi: & quia Theologi hodie maxima pars ſunt ineptientium, ſane continere me non potui, quin ſæpe illos, & non uno loco, in hanc Satyræ noſtræ ſcenam introducerem. Eluſi Parcarum tabulas, & anile fatum, quod hodie inter ſacrificulos noſtros excitat tragœdias; tum & multa de eorum vernilitate dixi, qui certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti & conſecrati, neminem ferunt à ſe diſſentientem. Etiam de Juliano ſententiam meam, non ſine multorum indignatione, expoſui epiſtola ad ampliſſimum Zeiſtium, quæ eſt in limine poſterioris libelli. Verum tu, Clariſſime Doctor, cujuſmodi hæc ſint, facile per te videbis. Equidem ego gaudebo ſi tibi hæc, acerrimi judicii viro, probari intelligam. Nam ut omnibus placeam, nunquam fore ſpero: neque profecto mea refert. Vale vir maxime. Lugdun. Bat. 29 Decembris 1612. Ep.202.

CCII.

JOANNES UYTENBOGAERT

JOANNI NARSIO

ſuo S. & bene per Chriſtum agere P.

Epiſtola Apologetica, qua ab malignas quorundam irrisiones & calumnias reſpondet.

QUid audio Doctiſſime Narſſi? nefandam illam cramben, quam jampridem emarcuiſſe & ipſi authori fœtuiſſe credideram, non modo recoqui in veſtro tractu, verum & citra naſcam deguſtari? *Præcipuos nempe ex Remonſtrantibus ab hoſte pecunia corruptos, & corrumpere alios: foveri etiam controverſias iſtas à primariis quibuſdam ex Ordinibus viris in hunc finem, ut turbetur Reſp. & Eccleſia.* Age, age Calumniator quiſquis es, ita perge, omnem Numinis metum pone, conſcientiæ vim infer, frontem perfrica, pudorem, honeſtatem omnem, quicquid denique homini humanum eſt exue, finge, refinge quod in mentem venit pro lubitu, mentire, calumniare audacter, hærebit ſaltem aliquid. Ita ſolent majores tui: ſic ſolet parens tuus Diabolus. Hæc praxis eſt eorum, qui, ut veritatem opprimant, nihil prorſus penſi habent: &, quum ſolis in vero lucentis radios lippientes oculi ferre nequeunt, & tamen radiantem illius ſplendorem impedire potis non ſunt, Majeſtatis & perduellionis, nequiter confictis criminibus, in capitis etiam diſcrimen vocare ſinceros & incorruptos illius patronos haud verentur. At utinam vocarent! utinam, inquam, vel unus aliquis, ſive in hoc noſtro, ſive in veſtro tractu, cujuſcunque tandem ille ſit ordinis, prodeat, qui vadimonium promittere audeat! O quam lubens ego, omneſque quos novi Remonſtrantes, ad dictum diem advolaremus illico, nos vel coram ipſa veſtra nobili, ampliſſima & prudentiſſima Aula Gelrica, vel quavis alia, prævia etiam juris, quod nos à veſtra juriſdictione eximit, renunciatione ultronea, purgaturi, perlubenteſque quum fortunarum, tum nominis, ipſius denique vitæ diſcrimen, ſi vel minimum in ullo noſtrum tanti ſceleris indicium deprehendatur, ſubituri. At vero, mi Narſſi, quid ſi & ipſe calumniatorem magis inſtruam adverſum me, ne quid deſit fucandæ calumniæ? dicamque, vivo adhuc p. m. D. Arminio per Friſiam ſparſum, Romanum Pontificem ad illum & me ſub annulo Piſcatoris prolixæ benevolentiæ plenas dediſſe litteras, quibus & gratulatur noſtris ſtudiis,

Ep. 202. ſtudiis, ſummoſque, nempe Cardinalitios, pollicetur honores, gnaviter ſi perrexerimus? Quid! quod ſub inducíarum pangendarum initus prægnantem (quæ fecundis nuptiis gravida nunquam fuit) uxorem meam in meis ædibus (quarum nunquam limina ſalutavit) conſpiciens Neyus Monachus, celebris ille inducíarum faber, pro infante ſponſorem ſe obtulit ad S. Baptiſmi fontem, in amicitiæ ſcilicet arctiſſimæ inter nos ineundæ teſſeram? quam fabulam Enchuſæ jactitatam ex F. H. ore tum audivi ipſe. Addatur & aliud, non ita pridem mercatorum Amſteldamenſium (relatore ut audio P. filio) manicis appenſum, me nempe poſt pactas inducias ad minimum binas per Brabantiæ & Flandriæ celebriores urbes profectiones inſtituiſſe, inque iis ubique ab Epiſcopis, Proceribus, ipſis denique Jeſuitis, publicis ſumtibus magnifice exceptum, opipare habitum, ac non ſine muneribus, quibus hominesque Deoſque placari jam olim creditum fuit, dimiſſum. Hæc & ſimilia, ut & illud de pecuniis ab hoſte Reip. receptis, ſi vera ſunt, quid ni homines iſti nefarii, qui ſinuoſo Religionis habitu ſæculum tegunt, & hujus vel illius controverſiæ obtentu Rempubl. & Eccleſiam turbant, ad carceres, ad equuleos, ad gladios, ad cruces, ad flammas & rogos rapiantur protinus? Sed ut ad calumniam iſtam redeam, itane Narſſi? Iſta-ne gratia refertur à veſtris hominibus primariis ex Ordinibus viris, pro tot exantlatis in Reipubl. quietem & commodum laboribus, ut illi ipſi jam eam turbatam velle, inque hunc finem controverſias inter Miniſtros motas fovere, ſuaque authoritate ſtatuminare dicantur? At cui bono quæſo? Num ut Reipubl. hactenus liberæ principatum ad ſe rapiant, ejuſve habenas, ſuæ ſortis immemores, liberis ſuis tradant? An vero, ut, qui ſummis hactenus in ea funguntur honoribus, majoribus cumulentur, & quodammodo ſeipſis grandiores fiant? num forte deeſt domi, unde dignitatem, qua illos ipſa virtus, propter maxima in patriam merita, decoravit, pro conditionis ſuæ ratione tueantur, & familiæ ſplendorem alant? An illis bello civili opus, quo, ut Catilinarii ſolent, perditæ dilapidationis jacturam farciant? vel à peregrino Principe vitæ ſubſidia petenda ſunt illis, quæ rei familiaris oneri ſuſtinendo ſufficiant? An, qui jam forte alterum in cymba Charontis pedem habent, chariſſimæ patriæ, cui toties labaſcenti ipſi vel inter primos (abſit dicto invidia) humeros ſuppoſuerunt ſuos, proditione vitam, extra omne etiam necis periculum conſtituti, redimere parant? An denique viri, ſapientum calculo, totius Europæ prudentiſſimi habiti, ita penitus occœcat., ut ab illo, quem millies millies, ac ſupra ſortem quodammodo ſuam, offenderunt, ac tanto bolo illi e faucibus eripiendo, vel præcipuam, poſt Illuſtriſſimum noſtrum Heroa, navarunt operam, inque conſervanda lacera hac noſtra nave, ſi non primas, ſaltem ſecundas & tertias obtinuere, an hi, inquam, ullam, ullo ſervitio, proditione ulla, quantumvis hoſti Reipub. proficua & utili, unquam ſperent gratiam? Apage ingratas illas, nefarias illas, væſanas & ſtolidas illas, ne dicam furioſas omnique ratione carentes, diras, inquam, & diris devovendas ſuſpiciones. Verum enimvero, quo quæſo argumento vel veroſimili teterrimæ huic & Phlegetonte dignæ calumniæ fidem faciunt? Nempe hoc unico, *quod controverſias iſtas Eccleſiaſticas foveant*. Quaſi vero hic unicus ſit Reipubl. noſtræ morbus: quaſi haud aliud eſſet Rempubl. propius attingens malum. O utinam! Anne ita rerum ignari, belli iſti homines, ut his vel illis, Religionem aliquatenus ſpectantibus, humanis decretis & formulis ſalvis, omnia ſalva, iiſdem vero vel tantillum nutantibus, tantum non conclamatum & actum eſſe, quum de Religione tum de Republica putent? Valde falluntur, id ſi ſibi perſuaſerint. Non quod Religionem haud ante omnia & prout oportet curanti Reipublicæ, Divini Numinis ira non ſit magnopere extimeſcenda: ſed quia non protinus corruit quod aliquantulum nutat: quodque id ipſum quod nutat, & lapſum mimatur, non ejuſmodi ſemper ſit, quod caſu ſuo ipſius etiam Religionis, &, (quæ inde ſequi ſolet) Reipubl. mutationem poſt ſe trahat. Ne dicam, Eccleſiaſticos aliquando de ejuſmodi rebus & reculis contendere, quæ firmatæ Religionem haud parum quatiunt, ſublatæ vero etiam fortius eandem roborant. Si tamen omnino primarii illi ex Ordinibus tantopere Eccleſiam & Rempubl. turbatam cupiunt, ut propterea hujus diſſenſionis ignem proditorie fodiendo, nil niſi duliſſimæ patriæ conflagrationem (ô impietatem! ô ſcelus ultricibus expiandum flammis!) anhelent: ſi, inquam, illi patriæ peſtem nefarie moliri voluiſſent, an occaſiones aliæ & magis promtæ & magis pronæ ac lubricæ jam olim defuiſſent? A quo vero tempore animos illorum ſubiit hæc mutatio, ut jam everſum eant Rempublicam, quam non ita pridem velut ex mortis faucibus eripuere, & inquietis, tantopere, etiam à veſtris, exoptatæ, portum deducere adlaborarunt? Sed ut propius ad rem accedamus; unde vero norunt ſagaces iſti homines, primarios hos viros has fovere controverſias? An ex eo quod alterutri contendentium ſententiæ faveant? Eaſdem igitur controverſias fovent & ipſi calumniatores, quum huic vel illi ſententiæ adſtipulantur. At dices, ex conſcientiæ ſenſu hoc faciunt iſti. Quid vero illi? num ex pari conſcientiæ ſtimulo? Ita profecto. Niſi forte conſcientia careant ipſi, & proinde ex proprio ſenſu facientes judicium, in eandem ſecum impietatis paritatem congermaneſcere alios exiſtiment. At ſuam illi ſententiam forte veriorem putant, eo quod cum Eccleſia (ut loquuntur) faciat, ad quam qui Ep. 202. fau-

Ep202. fautor & fotor controverſiarum haberi non vult, accedere oporteat, ut ſe penitus à ſuſpicione liberet. Inſulſa profecto oratio, cujus author ſumens quod in quæſtione eſt, & principium petit, & Papiſtis plauſum dat multiplicem, cauſamque Reformatorum incautus prodit. Demus autem inter viros illos primarios eſſe neminem, qui de ſententia Remonſtrantium dicturus ſecundum conſcientiam propriam, non valde illi in animo quidem ſuo adverſus ſit; quid tandem facere illum oportebit, ut ſe jam eſſe ex fautorum & fotorum numero etiam publice probet? Hoc opinor, ut, ſi authoritate præſtat, vel ad palinodiam cogat Remonſtrantes, vel loco moveat. Quid ſi vero quis regerat, illos ipſos qui hoc volunt, turbarum velle Rempublicam, quum id ſine magnis turbis, & ſcandalo majore, fieri forte nequeat? Novit profecto, is qui novit omnia, Deus, annon quo alios involvere ſtudent crimine, teneantur potius illi ipſi, qui rationibus à conſuetis noſtræ Reipubl. agendi modis prorſus alienis, & ad Papalem conſcientiarum, multo ſanguine vix dum profligatam, carnificinam proxime accedentibus, huic, de quo tam acerbe conqueruntur, malo medicinam facere malunt, quam ſuorum majorum prementes veſtigia, à Dei verbo ſanctæque libertatis legibus, æquitate ac moderatione decenti adhibita remedium petere. Interim ego, mi Narſſi, quem hujus myſterii, ſi quæ ſunt, arcana & adyta omnia non latere calumniatores exiſtimant, ſancte tibi coram ipſo veritatis teſte & vindice Deo declaro (niſi forte tam proſtitutæ famæ & pudoris homo habear, ut omnis mihi dicenti fides abroganda ſit) neminem me inter Proceres & primarios illos viros noſſe, qui quum ſermone tum actione, jugi & continua, contentiones & diſſidia Eccleſiaſtica ſummopere ſibi diſplicere non oſtenderit: qui Eccleſiæ pacem etiam multo ære ſe redemtum velle teſtatus non fuerit: qui denique pro vocationis & muneris quod in Republ. obtinet ratione non ſtrenue adlaborarit, magnaque contentione identidem hoc non egerit, omniaque tentarit, ut interpoſita illorum, quorum vel maxime intereſt, authoritate & opera, lites iſtæ ſalutari quapiam ratione componerentur: quanquam hactenus fruſtra, reoitentibus potiſſimum illorum ipſorum patronis, qui ſe hoc diſſidiorum incommodo omnium graviſſime affici videri volunt. Hic vero ſi reponere integrum eſſet, quæ longe majori veri ſpecie in promtu quis habeat adverſum eos, qui per teterrimæ iſtius calumniæ mæandros, non integritati modo & exiſtimationi, ſed & vitæ noſtræ inſidias ponunt, forte ea audires quæ in ſtuporem darent te, & non optimam de quibuſdam opinionem ingenerarent. Sed miſſa facio iſta, dum Deus & dies omnia patefacient.

Interea vero, inquies, miror te non diluere quæ propius ad teipſum pertinent, *de pecuniis nempe ab hoſte receptis, per quas corrupti corruperint alios.* Recte mones. Ego vero veredarium exſpectabam, qui poſt ſolennem illam juris noſtri renunciationem diem diceret, ad quem ſiſtere nos nobili veſtræ Curiæ juberet calumniator, perſonam vel tandem depoſiturus & in apertum proditurus. Riſu, explosione & ſibilo digna ſunt iſta, non juſta confutatione. Scatent nempe nummis Remonſtrantes, qui non ſufficiunt vel aliqua ex parte ferendis ſumtibus neceſſariis, quoties cauſæ veritatis & libertatis, quam agunt, adverſus Antagoniſtas, qui omnibus modis oppreſſum eam cupiunt, ſuſtinendæ gratia convenire opus eſt. Tanti ſcilicet Remonſtrantes facit hoſtis, ut opum magna vi ad ſe pellicere illos ſtudeat, magnæ nempe authoritatis in Repub. magnæ nimirum potentiæ viros. Tanta etiam præcipuorum ex Remonſtrantibus, ſi credere fas eſt, impietas, tamque obſcura illorum in Rempubl. & Eccleſiam merita, ut pecunia corrupti Sinonias artes exercere, Rempubl. prodere, Eccleſiam peſſundare, quam non ſuis affectibus obtemperare malint. Voluptuarii nimirum homines ſunt, & deliciis dediti, ſpumantes vacuare pateras & multo auro ſe proluere ſueti; vel avaritiæ mancipati, undique per fas & nefas opes corradere & gazas condere ſtudent, quibus, poſteaquam (quod abſit) ſub jugum miſſa erit patria, ſub ipſo Hiſpanorum dominatu, ſub cruce nempe & patibulo utantur fruantur, & hilares ducant dies. Nempe hoc ipſum eſt ſcilicet quod ſibi volunt Remonſtrantes, & propterea ſermones, actiones, ſcriptiones, conciones illorum ad concordiam ſpectant, pacem ubique ſpirant, ideo mutuam tolerantiam ſuadent, pro Reipub. majeſtate & Magiſtratuum debita authoritate tam ſtrenue decertant. Horſum etiam facit, quod tribunitiis quorundam concionibus, & ad commovendum populum turbandamque Rempub. potius, quam ad ædificationem quæ ſecundum pietatem eſt, inſtitutis, non occurrunt pari vehementia; verum infinita mendacia & calumnias, quas in ſe ſpargi quotidie audiunt, patienter ferre, tolerare, ſurdaque aure præterire, quam eundem in modum adverſus illos ferocire, populumque in illos incitare malunt. Denique ideo etiam ſcripta publicis Magiſtratui ſuo oblatis, pacem Eccleſiæ, functionum ſuarum abdicatione redimere ſe paratos eſſe, id ſi velint juſſerint Ordines, teſtati ſunt: horſum videlicet hæc omnia ita inſtituuntur à Remonſtrantibus ut hoſti Reipubl. gratificentur, rebus illius promovendis ſtudeant, utilemque illi operam navent. Judicent prudentes, an iſta ad perdendum Rempubl. via ſit; an hæc ſint Catilinianorum ſtudia, hæ artes hominum pretio corruptorum, & in patriæ interitum conjuratorum. Atqui, utinam illis, quibus hæc quotidie inſtillari, imo pene per-

Ep.202. suaderi, (quod sine admiratione non legi) dicis, sive è Magistratu sive ex ipsa Curia Gelrica sunt, Nobilissimis, Doctissimis, Amplissimis, hactenus etiam pietatis, & erga puriorem Religionem scientia & charitate temperati zeli nomine laudatissimis viris, semel & serio adlubescat, hoc, ad quod juxta divinitus impositum munus obstrictos ipsi se norunt, inquirere nempe in harum calumniarum dissieminatores, (qui ista si instillant quotidie, conquisitu difficiles non sunt) ac deprehensos ad causam dicendam sistere! Quod si fiat, ego, posthabitis negotiis omnibus, privatis & publicis, è vestigio accurram ipse coram, sive Arnhemium, sive Neomagum, sive Zutphaniam, aut ad alium, quicunque tandem videbitur locum, accusationem auditurus, &, vel innocentiam nostram sole meridiano clariorem hic ostensurus, vel cervicem lictori oblaturus. Quid ni? Interest enim Reipubl. hanc ab ejusmodi Sinonibus, post Religionis velum latitantibus, purgari. Detrahenda illis semel larva est, & complicato sipario vero vultu tales quales sunt ostendendi palam. Officium profecto non faciunt, meo judicio, qui hoc non faciunt: imo vix integræ & incontaminatæ fidei habendus Magistratus, (quod tamen salva reverentia superioribus debita dictum volo) qui in tanti momenti negotio altum dormit, neque hic evigilare & evaginari vindicem gladium curat.

Ad alia pergo. Dicis esse, *qui Ministros quosdam monuerint, ne se negotio Remonstrantium immiscerent: non quod sententia quinque articulorum displiceat, vel quod velint aliquem ejusdem sententiæ nomine in conscientia gravari, verum, quod modus procedendi Remonstrantium haud arrideat.* Da veniam quæso, mi frater, dent veniam etiam ipsi monitores, si quid monela ista sibi velit me non capere dixero. Fieri ne potest ut quis verbi Minister sententiam Remonstrantium ex animo probet, se tamen illorum negotio, aliqua saltem tenus, non immiscat? Quid si enim sententiam, quam cum Remonstrantibus communem habent Ministri illi, quis hæreseos damnet, ejus judicium tale silentio præteribunt? Qui possunt bona conscientia, si per latus Remonstrantium eandem, quam & illi veritatem profitentur, peti viderint? Si igitur causam illam ad se quoque pertinere judicantes, ejusdem veritatis defensioni deesse non tulerit conscientia, quomodo non se huic negotio immiscebunt? Cæterum nisi penitus mihi persuasum esset, viros illos, qui hoc suggessierunt consilium, (mihi quanquam ignotos) optimo esse erga Rempubl. & Ecclesiam animo, & ingenue vobiscum agere, dicerem ejusdem fere farinæ videri hoc consilium, quale olim à catis & vafris hominibus suggeri solet nostræ Religionis sociis: facile nempe ferri posse si à Catholicis dissentiant, modo se non adjungant rebellibus; nimirum, ut quos unanimes & uno velut agmine conglobatos adoriri non auderent, distractis viribus dissociatos carptim unum post alium opprimerent. Nos vero, mi frater, non magnopere petimus, ut quis se nostris rebus immiscear: nos nostra agimus, & facile patimur, ut quisque suam quam nactus est Spartam ornet, modo Heri sui opus strenue agat & pro virili promoveat. Neminem fatigavimus, nemini molesti fuimus hoc nomine. Ab aliis rogati respondimus, & sententiam nostram diximus, consilia expedivimus, & quidem talia perpetuo, quæ ad pacem & concordiam in domo Domini secundum veritatem conservandam, fratrum infirmitates sublevandas, Magistratui reverentiam & obedientiam secundum Deum debitam conservandam, pietatemque inprimis excolendam, spectabant maxime. Non discipulos post nos trahimus, non novas sectas cudimus, non factiones in plebe, non schismata in Ecclesia, non turbas in Repub. machinamur, excitamus, fovemus: non tribunitiis clamoribus sanctam quatiendo cathedram, Patres conscriptos metu percellimus, ne populus tandem in rabiem actus, aliquando quid audeat brevibus gyaris & carcere dignum. Neminem lædimus, offendimus neminem: defensivum modo bellum gerimus. In jus vocati & hæreseos accusati, non tergiversamur, non moras nectimus; sed præsto sumus illico, causam defendimus. Publicis scriptis lacessiti publica scripta, ipsa coacti necessitate, opponimus; fraternitatem tamen non violamus, Ecclesiæ unitatem non scindimus, separationem non meditamur: verum, si quid in Ecclesia mali, huic intra ejusdem septa & ab eadem medelam adhiberi cupimus, eo modo & ordine quem à supremo harum Provinciarum Magistratu semel sapientissime & religiosissime sancitum observandum contendimus, adversus eos, qui, ut impedirent quod ita decretum, (quanquam id ut fieret, ipsa quoque rerum & temporum suaderet ratio) nihil fecerunt reliqui. Negotium quod agimus, negotium veritatis & pacis est, ipsius denique à Christo Jesu nobis partæ, & in qua perstare nos vult Apostolus, sanctæ libertatis. Negotio huic qui se immiscet, sive apud nos sive apud vos, non nostro, sed Dei se immiscet negotio, quum, id ne intervertatur, ut fidelem servum decet, quantum in se est, cavet. Et væ illi, ni fecerit. Quod si & vos servi, & nos servi unius Christi, qui & vester & noster Imperator est & Dominus: si idem vobis qui & nobis animus, eadem in hisce controversiis, quantum quidem de illa vobis constat, sententia, quæ & nostra; quid ni nobis, pro causa communi laborantibus, manum porrigatis, etiam sponte, non vocati, neque ulla contestesatione singulari præcedanea, (quam nullam esse probe nosti) quæ vos fidei datæ admoneat, obstricti? Idem nos quoque vobis debemus, debitum etiam fideliter, id si postulaverit necessitas, qua hortando, qua monen- Ep.202.

Epaca. nendo, ſolando, conſulendo, communemque cauſam verbo Dei probiſque rationibus defendendo, Dominumque Deum cauſæ ſuæ patronus ut eſſe velit jejuniis & precibus ſatigando, pro virili præſtituri. Alia ſubſidia & plura ut ferre nulli poſſumus, ſic ea à nemine, nedum à vobis, poſtulamus. Hactenus igitur vos immiſcere negotio noſtro ſi turpe, ſi illicitum eſſe videbitur, eja per nos licet, abſtinete: ſin minus, imo ſi decorum & glorioſum, veritatis, pacis, ſanctæque libertatis patrocinium inculpatum non deſerere, annon ſpernenda vobis iſta monela ſit, ut inanis & frigida, etiam atque etiam in conſcientiis veſtris diſpicite.

Age vero: videamus & rationem qua iſtud conſilium nititur. Hac ſola, *quod modus procedendi non placeat.* Nempe igitur propter errorem *modi*, deſerenda veritas *rei*. Egregia vero ratio. Bone Deus, quot errores commiſſi in Germania, quot in Gallia, quot in hoc noſtro Belgio, & quidem in procedendi modo circa hanc noſtram, qua tantopere gaudemus, ſanctam Eccleſiarum Reformationem. Exempla non adducam, odioſa nimis futura. Quin igitur omnes ad Papatum redimus, vel Libertinorum (uti vocantur) ſabbathum ſabbathizantes, ab omni cultu Religionis externo abſtinemus, nulli Eccleſiæ vel ſectæ nomen dantes, nulli partium inter ſe digladiantium adhærentes, nulli denique religioſo negotio nos immiſcentes. Nuſquam enim non aliquid reperias quod in modo procedendi deſideres. Et utinam non gravia & enormia errata ſic notari queant! Hæc mentis humanæ ignorantia, judicii imbecillitas, affectuum humanorum intemperies eſt, ut vix quicquam ſit homini datum aggredi, in quo mox ac manum admovere incepit operi, non alicubi impingat, erret, labatur. Num vero omnis in modo error rem vitiaverit? Hoc ſi verum eſt, dico iterum, Reformationem noſtram ne nauci eſſe faciendam, tot ſunt in ea formanda & edolanda commiſſi errores, lapſus, ſcandala. Ut igitur præfracte diffiteri nolim, in noſtro etiam procedendi modo aliquid à rigido cenſore deſiderari poſſe: hoc tamen, & vere quidem, teſtari poſſum, me nondum videre quid hic tantopere à nobis peccatum ſit. Modum agendi noſtrum cognoſcere qui deſiderat, is ſcriptum cui titulus *Naerder Bericht*, (*Preſſior Declaratio*) legat, eoque expenſo judicet. Summa hæc eſt. Ordines Generales per Synodum Nationalem, ad incudem revocari ſive revideri (quod dicitur) volunt Confeſſionem & Catechiſmum. Opponunt ſe Eccleſiarum deputati quidam: qui ut iſti ſummi Magiſtratus decreto omne præcidant robur, antequam Synodus huic rei conceſſa habeatur, hoc agunt, ut ad novas ſubſcriptiones & ad nova ſacramenta conſervos ſuos adigant; ni fecerint, quibuſdam in locis ſuſpenſionis à S. Miniſterio cenſuram interminantur: reipſa etiam ejus exequutionem in quoſdam moliuntur. Alibi volunt, ut Miniſtrorum ſinguli in Claſſe quiſque ſua, aperte, intra breve admodum temporis ſpacium, exponant, an quid adverſum illa ſcripta habeant? Si habent, quid illud ſit edicant, expoſitis etiam ſuæ ſententiæ rationibus, ut videlicet id à Claſſe ad Synodum particularem, & à particulari ad Nationalem referatur. Hoc vero quia præter morem, præter ſupremi Magiſtratus decretum, præter rationem a multis haberetur: imo, quia ſuperiori DD. Ordinum decreto eludendo inſtitutum hoc manifeſte ſerviebat, metuſque eſſet juſtiſſimus, fore ut libertati ſententiarum in Synodo dicendarum multum hac ratione præjudicaretur, ſuſpiciones augerentur, rixæ & contentiones per ſingulas Claſſes, Presbyteria & Eccleſias ſererentur; fratres nonnulli, jure utentes ſuo, novis hujuſmodi decretis, utpote veritati & paci noxiis (quod vel manibus palpare proclive erat) intercedunt. Hinc in Synodis particularibus non diſſidia modo, ſed & jurgia & convitia, quibus ad ſummum Magiſtratum à Commiſſariis, (qui præſentes coram omnia viderant & audierant) relatis, Ordines Synodis particularibus ad tempus interdicunt, cauſam omnem evocant: & ſi quis in ſcriptis illis correctionis, ſuo judicio, indigum quid deprehendiſſet, id non ut Claſſi aperiat, verum intra certum tempus ſcripto conſignatum, ſub ſigilli arcano quiſque ſui, Ordinum Deputatis exhibeat, ſuo tempore in Synodo Provinciali vel Nationali examinandum, & ad verbi divini trutinam expendendum, iidem Ordines jubent, & interea pacem inter ſe Miniſtri colant, ſerio mandant. Quid fit? Huic mandato qui parent, vel parere paratos eſſe ſe profitentur, in ſuſpicionem affectatæ periculoſæ admodum novitatis adducuntur à reliquis: neque clam amplius habetur res, ſed iidem etiam publice pro ſuggeſtu, & paſſim alibi, traducuntur: imo non deſunt, qui palam, etiam editis ſcriptis, in nomen & exiſtimationem illorum invehunt, tanquam in homines qui totius Religionis immutationem auſu nefario moliantur. Hactenus inauditum adhuc Remonſtrantium nomen: quique ita palam veluti intenſo digito monſtrantur, in cœtibus ipſi ſuis, Presbyteriis & Claſſibus officio funguntur ſuo, nemine prodeunte, qui vel violatæ alicujus ſive divinæ ſive Eccleſiaſticæ Legis nomine, debito loco, modo, & ordine quenquam (quod ego quidem ſciam) accuſet coram; vel ullam impure traditæ ſalutis doctrinæ, aut turpiter & cum aliorum offendiculo actæ vitæ dicam alicui intentet: unico forte excepto, qui tamen nunquam Remonſtrantium albo adſcriptus fuit. Illud autem ſi fuiſſet factum, nemo illorum, qui Remonſtrantium poſtea venerunt nomine, forum declinaſſet, nemo ad cauſam dicendum ſegnis fuiſſet rite vocatus, modo ne accuſatorum & judicum partes ſimul peragerent ii, qui ad di-

Ep.202. cendam sententiam pro tribunali sederent: quod & sæpe dictum & frequenter ingeminatum scio. Hinc tamen non minuuntur animorum alienationes, dictis, factis, vultui, nutui, gestibus, congressibus, consusurrationibus, quoties adessent illi quorum præsentiam sibi gravem testabantur, digressionibus etiam subitaneis, iidem si forte colloquiis ex inopinato supervenirent, ita clare & dilucide inscriptæ & insculptæ, ut cuivis, aliquantulum ea observanti, in quorundam fronte illas legere esset promtissimum. Non maximi facienda ista fateor, neque nimium hic indulgendum suspicionibus scio: quin & ad omnia illa silere & quiescere nobis licuisse lubens dabo, si modo cessassent, & apud Proceres & apud plebem, calumnia: si siluissent in populo clamores; si defuissent qui calumniæ pronas præberent aures, vel saltem horum exiguus fuisset numerus; nisi etiam fuissent qui frigidam suffunderent, digitum in quosdam Dei servos, præter meritum suspicionibus gravibus obnoxios redditos, intenderent, eosdemque tanquam diris devovenda capita abominarentur: & (quod non parum nos affecit) nisi & inter Magnates reperti fuissent, qui de quorundam fide & integritate erga Rempub. dubitare occepissent, providendumque mature existimassent, ne quid illa detrimenti pateretur. Hic si tu, Doctissime Narssi, si illi ipsi actionum nostrarum tam rigidi censores nostro fuissent loco, quid fecissent? Tacuissent? propriam famam neglexissent? in seipsos crudeles (quod præter naturam & jura vetant) fuissent? Hoc vero erat non minuere, sed augere suspiciones. Indies enim hoc, & quidem publice, vociferabantur isti Stentores; nempe turpe admodum & tetrum esse oportere quod animo gestaremus, quum id non auderemus profiteri palam: ita maligne & perverse silentium modestiamque nostram interpretabantur. Non dubito, quin tuis & multorum in vestro tractu bonorum auribus inhæreant etiamnum voces istæ, tum passim jactatæ: *Egregios vero verbi Ministros & Confessores, qui se nolunt declarare, &c.* Plurima etiam tum S. Scripturæ loca pro concione sæpe, & quidem admodum importune, usurpata, adversus nescio quos, sibi plus lucis & scientiæ in rebus Theologicis quam aliis jactabunde adscribentes, qui tamen proloqui quid illud esset, & fidei suæ confessionem edere detrectarent. Quæ omnia in nos contorta spicula horsum tendebant, ut ante tempus vel invitis extorquerent, quod non nisi in Synodo Nationali ex DD. Ordinum decreto proferre, ibidemque in Prophetarum cœtu proponere constitutum erat, ad vitandas turbas; vel reos nos coram Deo & hominibus agerent, quasi aliud in ore, aliud in pectore clausum haberemus, Ecclesiæque invideremus, quod illius interesset maxime. Loquendum igitur nobis vel invitissimis fuit; tametsi jam tum animo prospiceremus, non ita prospere & ex voto cessuram rem neque nobis, neque etiam illis, quibus mox confutata nostra fore si modo detecta essent, vane persuasum fuit. Sed ubi loquendum & apud quos? Presbyteriorum & Classium quarundam, prout jam constitutæ sunt, humeri nimis imbecilles visi, quam ut tantum illis committi potuerit onus; quum authoritate oportuna, quum aliis, ad hanc rem necessariis, quas enumerare supersedeo, deficientibus. Evocatum præterea jam erat hoc negotium à Magistratu, uti relatum supra, totaque hæc actio Classibus, Synodisque particularibus (quibus etiam habendis erat interdictum) erepta. Spes vero obtinendæ Synodi Provincialis vel Nationalis prorsus tum languescebat, & quidem illorum ipsorum potissimum culpa, qui proram & puppim salutis Ecclesiasticæ in Synodis collocare solent. Quum enim talem Synodum, qualem ex suarum formularum usucapione, & quidem paucorum tantum annorum, volebant, obtinere non possent, carere Synodo malle quam supremi Magistratus, (cujus tamen authoritatem ista res attingit maxime) semel edito rescripto obtemperare, hactenus visi sunt. Quid igitur? Alicubi tamen & aliquid saltem opponendum fuit erigenti se, & majores quotidie sibi sumenti spiritus, calumniæ, & tutanda, aliqua saltem ex parte, omniumque minime incommoda ratione, bonorum innocentia. Tandem igitur conveniunt per varias Hollandiæ Classes dispersi fratres & Symmystæ, ejusdem videlicet sententiæ assectæ, æquali impetiti calumnia, ejusdem periculi socii, pari involuti dedecore; & invocato Christi nomine, nullam aliam se aliosque evolvendi, & ex hoc veluti labyrintho expediendi, viam tutiorem, planiorem, & decentiorem inveniunt præter hanc, offerendi videlicet libellum supplicem (quem Remonstrantiam vocant) Illustrissimis Hollandiæ Ordinibus, summo & Christiano cui subsunt Magistratui, eundem scilicet illum, qui postea, Magistratu eodem ita volente, typis prodiit, hodieque omnium teritur manibus. In hac vero Remonstrantia quid agitur, quid dicitur? Neminem lacessentes, modeste se excusant fratres ab iis, quibus tamdiu vexati fuerunt, calumniis: sententiam, quam in quibusdam Religionis capitibus improbant, quamque è converso approbant, dilucide proponunt: Synodum sive Provincialem, sive Nationalem, in qua ista examinentur, obnixe flagitant: Quæ tamen si obtineri nequeat, mutuam tolerantiam & petunt & offerunt: Sin minus, Ordines id si jusserint, cedere loco se malle demisse exponunt, quam vel reclamante conscientia Ministerio fungi, vel fratrum suorum injuriis quotidie objici, iisque impediri ne quiete & pacifice denuo Ministerium suum obire queant. Quid quæso in hoc agendi modo vel ipse carpat Momus? Interea vero dum Patres consultant, quid fit? Ep.202.

Digitized by Google

Ep.202. fit? Hujus Remonſtrantiæ exemplar tandem nacti fratres & Symmyſtæ quidam, etiam non exſpectato Claſſium & Eccleſiarum judicio, quarum tamen nomen & authoritatem ſuis pratexere ſoliti ſtudiis, magnis animis proſiliunt, in curiam ſe conferunt, acerbe de libelli illius exhibitione conqueruntur: denique articulos eo comprehenſos quinque, hæreticæ pravitatis inſimulant, illoſque falſos eſſe & verbo Dei contrarios liquido ſe oſtenſuros animoſe edicunt. Patres inopinata illa & gravi admodum accuſatione perculſi, hinc hæreticam in Eccleſiis ſuis doceri doctrinam pro pietate ſua ferre non valentes; illinc damnari inauditos pro æquitate ſua non ſuſtinentes, diem amicæ de his rebus habendæ collationi dicunt, actoribus probationem, reis defenſionem injungunt, ipſi auditores ſedere volunt, poſtea deliberaturi quid facto opus. Quem in hæreſeos ſuſpicione patientem eſſe non patitur Hieronymus, hic publice impactum hæreſeos crimen negligat? Adſunt igitur ad diem & horam dictam ex reorum, ſive accuſatorum numero qui cauſam ſuſtineant. Collatio inſtituitur. Scripturæ ſacræ, Confeſſionis etiam & Catechiſmi teſtimoniis (his tamen raro) pugnatur: ſumma Patrum æquitate & patientia utraque pars auditur. Tandem re omni ad ſatietatem diſcuſſa & intellecta, Nobiliſſimi & Prudentiſſimi Ordines mutuam tolerantiam & pacem jubent, ſaltem dum deliberetur amplius. Ipſa Collatio ſcriptis comprehenſa Patrum authoritate typis mandatur. Adjecta à nobis & Ordinibus oblata propior informatio (*Naerder bericht*) cum Appendice. Obeditum etiam ex Remonſtrantium parte Patrum juſſioni: diſputationibus de rebus non neceſſariis, & ad ædificationem quæ in fide & pietate eſt non admodum facientibus, ſcrupuloſe & religioſe parcitum, pax ubique quæſita, oblata, culta, quantum per aliorum licuit impotentiam. Ecce vero, mi Narſſi, hic omnis noſter agendi modus: Hæc initia, hi progreſſus, hic proceſſus noſter. Rogo te, quæſo, per Deum immortalem, edicto libere, quid hic eſt reprehenſione dignum, nedum ut tale ſit erratum & tantum, quod ipſam rei ſubſtantiam vitiet, totamque cauſam evertat? Quod ſi vero nil tale proferri poterit, qui ſuperioris conſilii ratio conſtet, equidem haud video.

Ut vero & illi, quibus, quid de Claſſibus, Synodis, Ordinum authoritate & decretis, adeoque tota in hujuſmodi rebus procedendi ratione cenſere & judicare debeant, vix conſtat, æquitatem noſtram in toto hoc negotio ſummatim & velut intuitu unico pervidere queant, ab his hoc unum peto, ſaltem ut quid velimus, quorſum tendamus, diligenter ſecum perpendant. Quid vero iſtud? An hic ſcopus noſter ut ſententiam, quæ nobis veriſſima videtur, alicui obtrudamus? alterius ſententiæ fratres, ſuam ut abjiciant, hanc vero ut amplectantur & doceant, cogamus? Minime id vero; ſed mutuam tantum poſtulamus tolerantiam: ut nempe illi nos, nos viciſſim illos, diverſum quanquam ſentientes, feramus, pacemque nihilominus colamus: neminem, ut Cypriani verbis utar, damnantes, ſi quid diverſum ſentient, aut à communione arcentes. Quo quidem poſtulato quid æquius? in hoc præſertim argumento, de quo quam varie ſenſerint & docuerint, in ipſa etiam non Catholica modo, ſed & Reformata Eccleſia, & olim & nunc multi eruditione & pietate præſtantiſſimi viri, nemo rerum Eccleſiaſticarum vel mediocriter peritorum eſt, qui ignoret. At hic nobis obſtrepunt quidam, & neſcio quam in fratres ſententiæ noſtræ accedere nolentes ſeveritatem, imo ferociam nobis objiciunt, quaſi iſtic loci, ubi ſuffragiis potiores ſumus, neminem ad S. Miniſterium admittere velimus, niſi noſtræ ſententiæ prius ſubſcripſerit. Iſta quidem audacter dicuntur: at vel unum proferant rogamus, cui hoc nomine vel minimam creaverimus moleſtiam, vel quem legitime vocatum ad Miniſterium non lubentes admiſerimus, modo modeſte agere, piis DD. Ordinum decretis parere, ſecus quam ipſe ſentientes in hoc negotio ferre, ſinceramque cum iiſdem pacem colere non detrectaret. Non poterunt. Nos contra, magnum etiam catalogum, quum alumnorum, Mecœnatum & patronorum ſuorum liberalitate per complures annos in ſtudiis Theologicis enutritorum, & quidem inſigniter eruditorum virorum, & tamen hanc controverſiam propter, magno Eccleſiarum noſtrarum diſpendio, à S. Miniſterio prohibitorum, tum aliorum, qui hac eadem de cauſa magnis affecti fuerunt incommodis, edere poſſumus, ſi ita tulerit neceſſitas. Iſlis vero, qui pacem nobiſcum colere recuſantes, nihilominus à nobis ad Miniſterium admitti cupiunt, ut nimirum noſtris etiam ſuffragiis intromiſſi poſtmodum nos ejiciant, vel illorum ſe adjungant ſtudiis, quos nil niſi noſtram noſtræque ſententiæ perniciem, & ſuperbam intolerandamque in conſervos, adeoque ipſum etiam Chriſti gregem, (ne quid dicam gravius) dominationem moliri compertum eſt, obicem ut ponamus, id ubi legitime licet, nemo, niſi admodum iniquus nobis, & ejuſdem prorſus genii homo, reprehenderit. Quam facili autem momento huic difficultati iri poteſt obviam? Declarent modo antagoniſtæ id, quod nos toties & voce & ſcriptis, etiam publicis, teſtatum relinquimus, nempe hac mutuæ tolerantiæ via nobiſcum incedere ſe & pacem colere velle: res omnis confecta eſt illico. Objecit mihi nuper nonnemo, contrarium evinci poſſe, celebris tibi mihique notiſſimæ urbis exemplo, utpote ad cujus in verbi divini Miniſterium admoveatur nemo, præter noſtræ ſententiæ aſſeclas. Atqui, præterquam quod decretum de eo factum ſit nullum, ſed omnia ad ædificationem publicam fiant, idque pro temporum, perſonarum,

Ep.202. ita usque Ecclesiæ & Reipub. illius ratione; quis quæso jure merito reprehendat, Ii, qui rebus in ista, tot, tam gravibus, tam periculosis, etiam recentibus dissidiis jactata urbe præsunt, omni studio & cura huc advigilent, ne quis sententiæ, cui & reliqui Pastores omnes, & longe maxima præstantissimaque illius Ecclesiæ pars jamdudum & ante complures annos favet, penitus adversus, contrariæque tenax patronus, vocetur, qui Patres & fratres postea dissidere faciat, mobile vulgus in diversa rapiat studia, commodumque admodum se præbeat novis in populo serendis factionibus incitabulum. Næ, vecordes illos rerumque divinarum & humanarum parum satagentes dicerem homines, secus si facerent; tantisper saltem, dum, qui alterius sententiæ sunt, mutuæ tolerantiæ planissimam, addo & unice necessariam, à nobis secundum Dei verbum monstratam viam, concordiæ & pacis in Ecclesia retinendæ aptissimam, una cum reliquis se ingredi paratos esse aperte declaraverint illi, qui omnium harum per Ecclesias turbarum si non incentores, haud segnes tamen fautores & patronos se non obscure profitentur. Novi ego, novimus forte ambo, ante annos aliquot vocatum eo fuisse virum, moderationis nomine, in hoc de quo agitur negotio, tum quum vocaretur, laudatissimum, sive talis revera tum fuerit, sive talem se simularit: neque etiam per illum tum stetit, sed per loci ubi degit Magistratum, (nisi aliud subsit mysterium de quo dubitare non est nefas) quominus qui vocarent voto tum suo potiti fuerint. Hic vero vel mutata post sententia, vel persona deposita, talem se præbuit, ut in nostram sententiam admodum acerbus evaserit, eamque, ut audio, ipsissimi Pelagianissimi insimulare (parum sane candide) non vereatur. Vix igitur credo illum ipsum jam velle, negotium, prout tum enixe se optare demonstrabat, successisse, tantam sibi suisque Collegis ista in urbe peperisset molestiam, tantas in illa Ecclesia turbas (nisi locus forte alium colorem indidisset) excitasset. Turpius igitur quum ejiciatur quam non admittitur hospes, anne sapienter factum, si hoc malum quanta possunt sagacitate prævertere studeant? At Alckmarianorum & Roterodamensium acta quædam forte nos convincere dicent, rem secus habere. Nos vero ista non nobis, sed Magistratibus illorum locorum objicienda dicimus: quod si fiat, haud iisdem defuturas putamus, quibus sua tueantur, rationes: ut nec defuerunt tum, quum solemnibus Patrum Comitiis ista res agitaretur. Quo vero jure, qua æquitate quæ Magistratus facit, verbi Ministris? quæ forte unius aut alterius sunt, omnibus? quæ citra ullam Remonstrantium conscientiam acta sunt, Remonstrantibus imputentur? Tacco illum, qui in crimen rerum Roterodamensium vocatur, & cui aliqua ex parte cujusdam istius urbis Ministri ejectio adscribitur, extra omnem ejus esse culpam, ut Ep.201. qui haud progressus sit ulterius, quam ut causam suam adversus importunum in publico declamatorem, ut audio, privato vero congressu pisce magis mutum, defenderet, multorum piorum, ob sparsas calumnias, nutantibus conscientiis consuleret, adeoque Ecclesiæ isti quantum quidem in se erat, pacem conciliaret. Si vero alter spretæ & insuper habitæ Dominationis, jussuumque (meo judicio) non ita iniquorum, & tamen superciliose contemtorum pœnas dedit, quod, quæso, hic nostrum, id est, Remonstrantium peccatum est? Sed & hoc valde odiose aliquando exagitari audio, quod Magistratui nitamur Politico, & per secularе brachium nostra stabilire conemur. Non vere id nobis objicitur. Verbo Dei nitimur, & in Excelsi dextera omne causæ nostræ robur & firmamentum ponimus. Causas vero quur Magistratui facti simus supplices supra exposuimus. An vero hoc non licuit? an non ita fieri oportuit? Fieri-ne potuit isto rerum statu aliter? At, metuunt scilicet, ne hac ratione regiminis Ecclesiastici habenas omnes tradamus Magistratui. Frustra id metuunt; neque enim nostrum est claves Regni cœlorum illi tradere, neque illorum, vel traditas à nobis accipere. Novi me pessimam hic apud vestrates quosdam & alios iniisse gratiam tractatu hac de re edito. At hoc eo non tendit, ut cuivis id citra præjudicium legenti patet. Magistratui Christiano tribuo Architectonicam, & quidem eadem prorsus ratione qua ante me D. Paræus & alii quamplures Theologi. Et tamen audio in nupero isto vestro examine, (nescio an verus omnino rumor) etiam hoc in quæstionem vocatum, à quodam nostri Ordinis viro. Equidem scire pervelim, an ille hoc negare audeat. Video quid sit, non placet à me dictum, ab alio prolatum probatur facile. Aut potius Cusani Cardinalis probamus regulam, qui secundum currentia tempora Scripturas interpretandas putat? Novi enim qui quod jam Magistratui ademtum volunt, largiter concesserunt alias: quia nimirum ita tum ferebat usus. Vis dicam? Ego Deo quod Dei est, Cæsari quod Cæsaris dare ex Christi præscripto didici. Hierarchicum autem istud à quibusdam tantopere affectatum regimen in ordinem redigi aliquem debere puto: ne ex Bonifaciis facti Leones novas fabricemus Extravagantias, quarum tandem pertæsus mundus nos extra vagari jubeat. Habes strictim omnia, Narsi Doctissime, quæ de modo procedendi nostro jam in mentem veniunt, de quibus ut judicium ferant æqui & probi omnes haud abnuo. Quod si peccatum alicubi est, (fit enim in ejusmodi rebus ut Iliacos intra muros peccetur & extra) commonstranti errorem fiet satis, vel excusatione legitima, vel culpæ confessione, veniæ etiam publica, si opus est, deprecatione, & erati præstatione.

Postre-

Digitized by Google

Ep.202. Poſtremum de quo tecum agere conſtitui eſt, *de latentibus hæreſibus: ac inprimis Socinianiſmo rumor, non minus* (uti ſcribis) *noxius, imo magis etiam quam illa de corruptione per pecunias, qui non adeo fidem invenit apud prudentiores:* æque tamen (quod ego jam addo) vanus. Mihi, Doctiſſime Narſſi, ſi de Socinianiſmo reſpondendum ſit; equidem neſcire me dicerem, & vere dicerem, quid Socinianiſmus ſit, ut qui ipſius Socini libros nondum legerim, & proinde quænam vera illius ſit de pleriſque Religionis placitis ſententia, (quam ex authorum ipſorum vel ore, vel ſcriptis, hauriendam plenam & ſecundum veritatem judicare volenti docuit Doctiſſimus Hyperius) haud ſatis teneam. Hoc quum alias regererem cuidam tibi probe noto, maximarumque blaſphemiarum & impietatum Socinum damnanti, ſevere increpuit me, & per conſcientiam teneri me illius legere libros cenſebat: quod ſane mirabar jam à nobis exigi, quum ſcirem quendam olim in Socinianiſmi ſuſpicionem vocatum hac tantum de cauſa, quod viſus eſſet in auctione librorum publica Socini quid coëmere. Cæterum qui labores meos novit, haud profecto mirabitur non multum mihi ſupereſſe temporis, quod exoticis ejuſmodi authoribus evolvendis impendam. Decrevi tamen, ſi vitam & otium mihi conceſſerit Dominus, & major urſerit neceſſitas, haud oſcitanter perquirere, quid dicant iſti homines, & quibus fundamentis nitantur. Sed ad rem. Si illa Socini ſunt quæ Ebionitis, quæ Samoſateno, quæ Arrio, quæ Photino, aliiſque iſtius farinæ hæreticis impingit Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæque ſuis ſcriptis, magno noſtratium (ut ego quidem puto) incommodo, in lucem protulerunt Leovardienſes, rotunde dico iſta me abominari. Neque ego hactenus quidquam de Salvatoris noſtri perſona, officio, & quæ huc pertinent, ſenſi vel docui, quod non de iiſdem capitibus ex verbo Dei docuit ſemper & docet etiamnum Catholica Chriſti Eccleſia. Teſtes mihi futuros ſpero Collegas, in utraque lingua auditores, ipſam denique, cui in ſpiritu inſervio, Chriſti Eccleſiam. Addo, & vere addo, me neminem noſſe Remonſtrantium qui ſecus ſentiat vel doceat. Si eſt, coram Deo dico, me latet. Miror igitur unde prognata ſit iſta calumnia. An ex vocatione D. Vorſtii? Atqui nondum iſtius hæreſeos convictus ille eſt: & ſi eſſet maxime, non ut Socinianus, ſed ut Reformatæ Eccleſiæ Doctor vocatus fuit; quod vel Epiſtola ad eundem mea à Magiſtratu Leidenſi edita abunde docere poteſt. Talem vero, purioris nempe Reformationis Doctorem, tum fuiſſe habitum illum, conſtat omnibus, veſtroque adeo D. Fontano, qui ſane illum me melius noſſe potuit, egregiumque apud D. Zeiſtium illi tum temporis tulit teſtimonium. Ipſius etiam Clariſſimi Sculteti Heidelbergenſis ad me teneo litteras, quibus nobis de vocatione iſta tamquam accepta eſſet gratulatur; *Credereque* ſe dicit, *neminem jam æque atque hunc Academiam noſtram illuſtrare poſſe*; quem tamen virum à Socinianiſmo maxime alienum eſſe quis ambigat? Quid autem de iſtius calumniæ occaſione, cauſa, vel authore tantopere ſollicitus ſum? Non dubito ego, quin ipſe Diabolus eam protruſerit, ut atra iſta & caliginoſa nube veritatis & innocentiæ luminibus obſtrueret. Nihil enim, fateor, confingi potuit cauſæ quam agimus noxium magis, quam ut hoc perſuadeatur rerum ignaris, in animo nempe Remonſtrantibus eſſe, quinque iſtorum articulorum prætextu, exitiales hæreſes, & quidem in Filium Dei uſque adeo injurias, jamdudum damnatas, proſcriptas, exploſas, quin & vivicomburio, quorundam judicio, dignas, introducere. Quod vero, quæſo te, cauſæ ſuæ, adeoque toti Eccleſiæ Reformatæ præſtant officium, hac labe qui nos, fratres & ſymmyſtas ſuos, adſpergunt? Nullum profecto: niſi forte ſuſpicionibus omnia complere, amicitiæ venena fundere, charitatem violare, infirmorum conſcientias labefactare, Miniſterium totum, omneſque adeo Eccleſias noſtras, hoſtium ſannis & inſectationibus exponere, curioſorum hominum ingenia (quorum nempe aures ad hæc & illa pruriunt) ut quid latentes iſtæ hæreſes ſibi velint, quid Socinianiſmus habeat & doceat inquirant, libros conquirant, legant, de rebus hactenus certiſſimis addubitare incipiant, diſputationes denique & concertationes, magno quietis publicæ, majore ſuæ ſalutis, maximo etiam omnium bonorum ſcandalo inter ſe inſtituant, expergefacere, acuere, inſtruere, ipſaſque adeo quas ſepultas volumus hæreſes proeminare, id vero ſit cauſæ ſuæ patrocinari, & ex malo bonum facere. Non ſ vulgo quidam mihi retulit, in celeberrima quadam Hollandiæ urbe, ante dies haud ita multos, concionem habitam, in qua comparatione inſtituta inter Alcoranum Turcicum, & libellum illum Goudæ impreſſum, quem Catechiſmum Goudanum vocant, hic illo longe pronunciabatur deterior. Quem ſermonem cum gemitu pius quidam & prudens auditor excipiens, non potuit quin aſſidenti diceret: Non eſt, inquit, quod Alcoranum tantopere evehamus; novi enim ego in hac urbe, qui in Belgicum ſermonem verſum typis vulgare conſtituerit. Ecce, ita ludibrio exponunt perverſo zelo ſuo, hyperboliciſque mero in fratres odio, ſine ullo delectu, protervia & magna bile effuſis exclamationibus, Chriſtianam Religionem omnem illi ipſi, quos non pudet vel ex Turcicis blaſphemiis cauſæ ſuæ ſubſidia quærere. Juvare tamen & hic fratres pro virili animus eſt, modo ad ſana conſilia velint attendere. Modi duo ſunt; unus ut ſuſpicionibus, ſuſurris & clamoribus omiſſis, miſſiſque ambagibus, ſingulos quos veræ hæreſeos ullius labe contaminatos norunt, rectà ſuis quoſque locis adeant, mo-

Ep.202. moneant, ad causam dicendam, accusatione legitime instituta, compellant, convictos autem & præfractos disciplinæ Ecclesiasticæ gladio spirituali feriant: Sin vero ita in profundum demersæ latent quas suspicantur hæreses, ut de illis cognitio rite institui nequeat; patienter exspectent, dum occulta cordium revelaverit Dominus, & è latebris, quæ hactenus latuit, impietatem produxerit: juxta illud, de occultis non judicat Ecclesia. Alter, quem ego quidem suspicionibus omnibus amoliendis commodissimum judico, hic est, ut jampridem ab Ordinibus Generalibus decreta Confessionis & Catechismi Revisio exequutioni mandetur, in eumque potissimum finem apud Illustr. Ordines hoc agatur serio, Synodus Nationalis ut obtineri queat. Ita enim fiet, ut, potestate cuique facta, libere proferendi si quid in ullo Religionis nostræ articulo displiceat, prodire necesse sit diu multumque occultatas (si quæ fuerunt) hæreses; quæ quo teniores & verbo Dei adversæ magis reperientur, eo facilius & minore negotio, spiritus divini videlicet gladio (servatis tamen ipsis hominibus) concidi & profligari poterunt. Hoc si velint fratres, & horsum Synodum Nationalem liberam & legitimam à summo Magistratu petierint, ego non suffragator modo, sed etiam, ut pia ejusmodi Synodus vel tandem & velut postliminio concedatur, adjutor ero fidelis & strenuus: quod & nuper Deputatis Ecclesiarum ad me missis, lubentissimo animo & ingenuo (istam inire si velint viam) pollicitus sum. Utinam vero hic sapuissent fratres, & decreto ante sexennium, imo si Hollandiam spectas, ante annos quindecim hac de re ab Illustriss. & prudentiss. Ordinibus facto, subscribere voluissent, neque ita ferociter contra calcitrassent! equidem non dubito per Dei gratiam, quin jam tum obviam itum fuisset omnibus illis, quæ jam à multo tempore nos exercuerunt & exagitarunt, turbis & dissensionibus, quas ex hoc vel unico, (non satis nempe animadversæ utilitatis & necessitatis salubernimi istius consilii & decreti) fonte scaturiisse, largiter profluxisse, & longe lateque exundasse, jam, non siccis profecto oculis, videmus proh dolor! & dolemus.

Hic jam non tuum modo, Narssi amantissime, cujus æquanimitas nobis perspecta dudum; non Classis vestræ tantum, quæ pietatem, æquitatem, modestiam singularem, summum denique suum pacis studium satis superque nobis vel hoc probavit nomine, quod sententiam nostram quinque illis articulis comprehensam, censoria virgula damnare hactenus, cum aliis quibusdam non sustinuerit: sed omnium etiam quotquot apud vos sunt, piorum & doctorum virorum, (modo nullis abrepti præjudiciis æqua lance & in timore Domini expendere velint omnia) judicium appello, sententiamque ut dicatis peto: primum: Anne manifesta fiat injuria, quum primariis illis, qui controversias istas, utpote turbandis Ep.202. rebus accommodas, fovere dicuntur Viris, tum etiam ex Remonstrantium numero illis, quos hostium auro corruptos, corrumpere etiam alios stulte admodum & præter omnem similitudinem veri nugantur, elleboro certe digna capita, nisi extrema eosdem occœcasset conscientiamque cauterio resecasset destinata cordis impietas & malitia. Dein, annon etiam præter rationem & æquitatem omnem in nostro agendi modo modus desideretur, aut saltem eo usque processus noster suggilletur, ut propterea qui nobis favent à nostro consortio abstinere, absque amicitia nobiscum Christiana & fraterna colenda temperare sibi debeant? Denique, an vel propter nudam latentium hæresin suspicionem, vel ob aperta falsitate laborantes incertis plerumque authoribus delationes, charitas violari, & innocentes premi debeant, usque adeo, ut communis illa Remonstrantium causa, ipsa Remonstrantia unanimi omnium consensu expressa, solenni coram Ordinibus habita Collatione ex verbo Dei defensa, & innumeris doctis piisque viris, intra & extra Provincias hasce probata, eam propter in discrimen adducatur? quum tamen malo quod metuunt, vel metuere præ se ferunt quidam, iis quos proposui modis, vel etiam aliis (si commodiores, & Ecclesiæ ædificationi convenientiores reperiri, citraque ullius injuriam & existimationis Ministerio publico debitæ diminutionem adhiberi poterunt) occurri, illudque tolli possit penitus, & debeat. De hisce vero omnibus dum tuam & aliorum sententiam cognoscere dabitur propius, & ad illam (si qui forte jam dictis acquiescere nondum possint) responsum à nobis fuerit, non hoc abs te petam, ne malevolorum susurris patulas aures præbeas, id enim à pietate, prudentia, æquanimitate etiam tua alienissimum esse scio: verum hoc meum hac in re votum est, & quidem hoc tempore unicum, ut tu, reliquique fratres, quos non omnino affectibus deditos, & præjudiciis abreptos, sed veritati, æquitati & paci faventes novimus, in conscientiam quisque suam descendere, ac cum animo suo reputare velitis, anne coram Deo liceat fratrum & symmystarum vestrorum, propter causam tam sanctam, piam & justam laborantium, non privato tantum, sed etiam publico, si opus est, deësse patrocinio. Vale: & me, quod facis, amare perge. D. Jesus piis tuis studiis benedicat, annumque ineuntem salutarem præbeat ad nominis sui sempiternam gloriam. Haga, ult. Decembris 1612.

Collegam ex me officiosissime saluta: lectissimæ etiam uxori multam ex me salutem dic.

CCIII.

Digitized by

CCIII.

SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S. P.

De Epistolæ fatis. CUm amicus hic, jam olim tibi notus, & mihi quoque per te conciliatus, ad vos rediret, nolui eum sine literis dimittere; primum, ut scires nos valere, & de tua amicorumque valetudine sollicitos vivere: Deinde, ut crederes, nihil mihi accidere gratius, quam cum meam qualemcunque operam, quando patriæ utilis esse non potest, otiosam hic non finis. Ego semper pro carissimis habebo, quæcunque mihi à te commendantur. Scripsi ad D. Uytenbogardum de operibus Cameronis, tribus tomis: quæ à te legi pervelim; nam exemplaria ad vos pervenisse non dubito. Invenio multa pugnantia. Magna est & viri & horum operum in his locis auctoritas; quo justius danda est opera, ut, si fieri potest, evellatur animis ultima hæc nebula de voluntaris actu necessario sequente scientiam, quam practicam vocant. Res Amstelodami civiles intellexi; sed Ecclesiastica nostra quo sint loco scire percupiam. Vale vir Doctissime atque optime. XIII. Januarii CIↃ IↃC XIII.

Tuus toto corde
H. de GROOT.

CCIV.

CONRADO VORSTIO

HENRICUS SCALKIUS

Juris Utr. Doctor. S. P. in Christo.

Theologica Epistolæ fata. VIr Reverende & Clarissime: Fasciculum hocce, quod Basileæ accepi à D. Lucio Philosophiæ in Academia Basileënse Professore, circa finem Octobris anni elapsi, in patriam meam Embricam Clivorum mecum attuli. Servus (quod doleo) voto meo, & forsan etiam tuo, ad manus tuas pervenit. Id propterea, quod sperabam quotidie fore, ut à me ipso tibi exhiberetur: postea eo non succedente, cum de occasione transmittendi inquiro, intelligo, propter nominis tui inscriptionem non cautum periculo interceptionis: adhuc igitur in commoditatem securam differre malui. Cum me lateret utrum exemplar libelli contra Gittichium fasciculo Lucii contineretur, malui istud adjungere, quam incertus retinere. Dominus Lucius, dum res meas in extrema festinatione ad iter componerem, hoc ipsum exemplar cum fasciculo mensæ meæ imposuit: propter turbulentam meam festinationem parum intellexi quid diceret. Quod si idem libellus insit fasciculo, forte hunc separatum mihi donatum voluit. Erat autem adhuc charta explicata, sed ita ab aliis à me illud commodato habentibus in commodiorem usum complicatus est. Hac scriptionis meæ occasione omittere non potui, (ignoscas autem temeritatem vel curiositatem) quin ad controversiam, quæ tibi in Belgio mota est, calamum porrigam. Huc enim me invitant, si non impellunt potius, vani & dolendi (humanitus loquendo) quos apud exteros intellexi, de tuis in Theologia opinionibus rumores: grata quæ mihi adhuc hæret tui memoria, tum propter curam, in quam meam personam Steinfurti susceperas, tum propter institutionem publicam, sub qua ad calamum ex ore tuo accepi Commentarium tuum in Epistolam Johannis: propior quæ mihi fuit apud Helvetios cum affine tuo p. m. Johanne Brewero familiaritas: denique motus ille qui mihi natus ex lectione actorum aliquot in causa tua. Rumores itaque erant incredibiles. Genevæ cum essem, quidam Galli eo reversi tam horrende opiniones tuas retulerunt, ut vir Academiæ Genevensis non vulgaris, eas mihi indicans, diceret, non eas esse opiniones hæretici, sed athei prorsus & insani; cumque scripta tua, quæ ejusmodi errorum accusabantur, attentius perlegisset, ajebat se nihil tam abominandi reperire, sed existimare se, esse calumnias imperitorum interpretum propter libertatem styli tui. Reliqui porro, quantum intelligere potui, ejus Ecclesiæ & Academiæ Antecessores, propter bonum odorem quem ibi aliquando reliqueras, & famam ac exempla egregia boni, quod Ecclesiæ Scholisque præstiteras hactenus, tales relatores potius imperitos ac calumniæ nimis sequaces judicare maluerunt, quam iis fidem adhibere. Lausannenses & Basileënses cum accusatoribus tuis sentiebant, adeo scriptis tam privatis quam publicis è Belgio venientibus causa tua odiosa reddebatur. Ibi nihil, quod ad mitiorem interpretationem scriptorum tuorum pertineret, intelligere potui: præsertim cum Regiarum literarum exemplaria ad eos pervenissent. Dolebatque Academia Basileënsis, spem ipsorum, quam Ecclesiæ de te non dubiis signis per te apud ipsos editis aliquando promiserant, ita mittere concidisse. Ubique juventus dedicata Ministerio à peregrinatione Belgica prohibebatur. In itinere meo patriam versus currus, navigia, mensæ strepebant nuncio tanti hæretici, & Papistarum linguæ tum magis pruriebant disputandi libidine quam alias. Hæc enim Belgiæ tragœdiæ prima erat ipsorum objectio, prima retponsio. Hæc ideo, si forte nomen tuum hac nota velles liberare apud eos, qui te hactenus amarunt & coluerunt: quanquam quoad hoc spero mea hæc supervacua. Peregre promotionis meæ cura detentus, tantæ accusationis pleniori cognitioni vacare non potui: in patriam itaque mihi reverso prima cura fuit, ut quæ super hoc tuo negocio hinc inde ventilata sunt, quantum per loci opportunitatem licebat, haberem: ubi vivo exemplo didici, quam malum

Ep. 204.

Ep.204. velox & crescens eundo sit fama. A causa ipsa me abstineo, quippe haud nostri fori; sed de processu hoc ex conscientia censeo, contra omnem fere divini & humani juris ordinem procedi. Annon per legitimos tramites huic malo remedium quærendum fuisset? idque intra privatos parietes, & ex regula charitatis? ne ad exteros, cum magno Religionis scandalo, nominis Belgici injuria, & vilipendio eorum, qui optime hactenus de orthodoxa causa erant meriti, (in plurali loquor, quod tuum Dominique Arminii p. m. nomen fere simul audiebatur) evagaretur? Quod si nihil aliud temeritatem illam retinere potuisset, saltem Christianæ Reipubl. bonum ab iis impetrare debuisset, ne fructum pro veritate à te præstitum adhuc nascentem ita conculcarent, & quod inde boni hactenus natum in pectoribus, revellerent. Quæ enim jam ex scriptis tuis, præsertim apud Papicolas, & plebem, non suspecta? ut de Ministris ex auditorio tuo reversis sileam. Non quod injustitiæ causæ tuæ id imputatum velim, sed adversariorum tuorum calori, qui debebant malo, si quod erat, adhuc bene posito alia ratione succurrere. Quid porro hoc est, quod ab executione petitur fieri litis initium, & pars indefensa ac vixdum audita condemnari? Judici sententia à parte præscribitur? Nullas defensiones aut exceptiones admitti velit? Non convictum neminem damnandum: Unumquemque præsumi bonum donec probetur contrarium: Posteriora acta judicanda ex prioribus: In dubiis benigniorem interpretationem sumendam: Unumquemque esse verborum suorum interpretem: Ab omni injuria, præsertim publica & in scriptis judicialibus, abstinendum: Neminem alieno odio gravandum, &c. Hæc & similia divini humanique juris remedia parvi ab iis fiunt, ut quidem ex scriptis ipsorum colligere potui. Quam longe vero absunt ab Apostolica correctione, dum ab ipsis etiam inferis mutuantur injuriarum vocabula. Plus autem quam Apostolicum spiritum sibi arrogare videntur, cum de alterius conscientia, ac si cum Deo ipsam inspexissent, judicant. Nec obscure innuunt, quam pœnam Magistratui (quem videntur velle cœcum ipsorum sententiæ executorem) præscribant: dum iis te conferunt, qui alibi ultore Magistratu in causa Religionis, &c. Iterum dico, parum curant isti in nidis securi, quomodo succedat Ecclesiis apud exteros, præsertim sub cruce gementibus. Annon studeant sententia & exemplo confirmare lanienam Antichristi? Memini quid mihi responsum fuerit à Jesuitarum assecla, dum pro libertate conscientiæ adversus Inquisitionem Papalem dicere conabar, &c. Quoniam tam rigidi sunt accusatores, ubi inscriptio ad legem talionis? At tota, inquiunt, aliqua Ecclesia accusat. Prodeant & nomen edant cum mandato ab Ecclesia. At delictum est notorium ex publico scripto ipsius adversarii. Hoc ipsum erat in Ep.204. quæstione. At verborum ambagibus hostis elabitur. A vobis præscribatur formula, ad hanc respondeat, juret. Multa præterea negat pertinere ad articulos fidei: Vobis contrarium probandum. Annon primum vere definienda fuisset hæresis & blasphemia, & ad hanc definitionem & causa & persona examinanda? non patheticis illis rhetoricismis & injuriarum congerie exordia facienda. Apud Jurisconsultos delictum quoad pœnam sine dolo malo non committitur, saltem ad reparationem damni & interesse tenetur pars lædens. Ecclesiane ignorantiam & errorem animi, etiam quoad intentionem boni, exilio, ferro, flamma persequetur? Porro multa in scriptis tuis, è quibus hæc tragœdia conflata, me legentem non mediocriter recrearunt: ita dubiis quibusdam, in quæ ex colloquio cum Pastoribus Lutheranis conjectus eram, (de Cœna Domini hoc neutiquam intellectum velim) expedire cœperunt. Quæ enim Socinianismi arguuntur, judicare nec ausim nec possim. Errores ejus sive opiniones, quas novi, (novi autem duntaxat tres) detestor. Denique per totius hujus negocii considerationem in hanc cogitationem incidi, quæ in simili fere nostræ Jurisprudentiæ malo Duarenum affecit: videlicet: Præstaretne redire ad fontes, textum scilicet omnibus glossis, commentariis, communibus opinionibus, &c. vel sublatis, vel omni authoritate derogata: Theologorum locos communes, Institutiones, Catechismos, tractatus, &c. intelligo. Et in hoc magis confirmor, cum mihi in mentem revoco ideam Ecclesiæ sanæ Veteris Testamenti, & Apostolicæ Novi Testamenti. Nec adhuc rationes excogitare potui, quare illud absurdum videri debeat. Non enim propterea S. Ministerii aut doctrinæ abolitio, nec incertitudo, ignorantia, aut confusio aliqua timenda erit. Habendos autem etiam putarem articulos fidei Christianæ, prout habet Symbolum Apostolicum, & quales eos S. Scriptura de verbo ad verbum dictat: articulos inquam fidei Christianæ, id est, tales, quibus à non-Christianis distingueremur, non quibus Christiani inter se dividerentur. Interea prædicatione instantissime urgenda pœnitentia, fides, novitas vitæ, fiducia in Deum, charitas, mores Christiani, consideratio vitæ futuræ, &c. Ita verbum Dei quisque audiret & legeret eo spiritu & conceptione, quam Deus tunc in auditoribus aut lectoribus operaretur; non ut remitterentur cogitationes ad conclusionem aliquam Catecheticam, aut alias Theologicam de modo, ordine, materia, &c. Quod si quis axiomata aut conclusiones ex S. Scriptura vellet colligere, sibi ea colligeret, & suæ conscientiæ; non ut conscientiam aliorum ad suos conceptus astringere conaretur, & sectionem facere à communi corpore. Vigeret autem communicatio, consulerentur magis versati, non tamen

Ep. 204. men ut oracula. Ponamus ex Theologicis præter S. Scripturam nihil ſupereſſe: Si qui igitur ex ea pro arbitrio ſtyli Scholaſtici, non ſervata plurali Scripturæ, concluſiones educere vel interpretationes aſſerere vellent, ut eſſent Symbola Chriſtianæ Religionis, & alios iis non ſubſcribentes hæreticos judicare: annon foret illud ſeminarium diviſionis & ſectarum? Nec enim hoc pacto verbum Dei conſtitueretur regula vitæ ac morum, ſed ipſa Catecheſis ſeu Aphoriſmi. At inquient, ipſam Catecheſin niti & probari verbo Dei. Idem mihi reſpondebunt omnes ſectæ de ſuis Catechiſmis. Nec moveor quod ad unitatem ſpectare videatur, extare uniformem S. Scripturæ intellectum, uniformem de ſingulis confeſſionem: hæc enim cura relinquenda Spiritui ſancto, juxta illud, *qui poteſt capere capiat.* Imo vero illud (ſcrutamini quiſque) magis unitatem conſervat: Catechiſmum enim qui oppugnent, plures, etiam Chriſtiani, exiſtere poſſunt; verbum Dei qui in dubium vocet, Chriſtianus nemo. Uno verbo: Dei verbum ſeu Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti: Quæ igitur Catechiſmorum neceſſitas? Hac ratione ad confirmationem fidei & emendationem vitæ magis intenderet mens legentis, vel audientis, verbum Dei, quam ad non neceſſarias ſaluti quæſtiones aut concluſiones inde eliciendas, ad infringendas vel dilatandas aut limitandas regulas Theologicas: Ceſſarent tot conſcientiarum laquei: Latior aperiretur porta non Chriſtianis. Unde quæſo illud, quod plurimi Reformatæ Religionis populi theoria potius quam praxi ab iis, a quibus exiiſſe ſe glorientur, differre videntur? Si cui hoc ſtomachum moveat, conjiciat oculos in mores Chriſtianos utriuſque Belgiæ, Papalis ſcilicet & Reformatæ: Ubi enim apud noſtros in vita lux illa inſtar lampadis in medio nationis perverſæ? Ubi virtutes illæ, quibus olim Chriſtiani velut notis indubitatis, etiam non indicati, prodebantur? Componantur, exempli gratia, utriuſque patientia, charitas, modeſtia, ἐυθύμια, (*animus ſua ſorte contentus*) &c. Judæus aut Turca intelligens fidem Chriſtianam eſſe, quæ totum hominem reformet aut regeneret, (quod ſi non perfecte, ſaltem apparenti principio & progreſſu, &c.) quid præcipuum apud noſtros inveniet? Hic mihi occurrit privata peccatorum illa confeſſio, quæ mihi ſemper viſa eſt utile exercitium emendationis & conſolationis; eo quod privatum illud colloquium & applicatio vehementius animum movent, eique penitius inhærent: ac proinde ſæpe deſideravi ejus conſuetudinem in noſtris Eccleſiis potius repurgatam, quam ſublatam fuiſſe.

Sed quid ego de re militari coram Hannibale? Nimirum ut in publico malo vel bono quiſque ea, quæ animo concipit, exponere gaudet ei, quem ſcit, ea quæ pertinent ad hoc negocium melius noviſſe & perſpicere, & tolerabilius auditurum ſperat. Quoniam optima & jucundiſſima mihi familiaritas interceſſit cum affine tuo p. m. D. Joanne Brewero, Loſannæ dum viveret Philoſophiæ Profeſſore, non poſſum quin ejus mentionem hic faciam, coram illo potiſſimum, quem ſtudiorum ſuorum promotorem ſemper agnoſcebat. Fuit lethalis ejus caſus cum luctu non ſolum Academiæ, ſed omnium pene civium ejus oppidi, aliquotque procerum Bernenſium: tam grata erat omnibus pietas ejus, doctrina & modeſtia. Habeo penes me librum ex ejus lapſu cruentatum, quem in ipſo lapſu ſub axilla gerebat; erat hic liber ex illis, quos ejus mandatu Genevæ pro ipſo meo ære emeram ipſique tranſmiſeram. Dominus Emportæus mihi oſtendebat ſuppellectilem ejus & bibliothecam in Loſannenſi Bibliotheca repoſitam, donec parentes aut cognati D. Breweri p. m. ea repoſcerent. D. Emportæus rationes ita ſubduxerat, ac ſi D. Brewerus adhuc maneret in ære ejus; id alii valde mirabantur, imo fere aſſeverabant, D. Emportæum potius ad reſidua & reſtitutionem teneri: Sane, quamvis intra annum inceptæ profeſſionis obiit, tamen totius anni ſalarium debebatur, (ita ex jure noſtro) atque ita peculium ejus debito majus fuiſſe putarem, &c. Hæc habui, vir Reverende & Clariſſime, quæ mihi ad te ſcribere conanti affectus ex tua perſona tuiſque ſcriptis natus parturiebat, in quo ignoſces audaciæ & imperitiæ velut in agro alieno, attamen eo cujus omnium intereſt. Quod ſupereſt, tibi omnia proſpera voveo, faveo, præſertim ut cauſa tua juſtis remediis & affectibus componatur; ſin minus, noſti oraculum infallibile: Tandem bona cauſa triumphat. Quod ſi in his terræ partibus mea opera tibi uſui eſſe queat, me promptiſſimum ſemper habebis. Te interea, vir Reverende Clariſſime, cum conjuge, liberis, omnibuſque tuis Deo Opt. Max. commendo. Embricæ Clivor. 29 Januarii 1613. Ep. 205.

CCV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO

S. P. in Domino.

POſtremas tuas accepi, vir Clariſſime frater in Domino obſervande, in quibus quia reperio ad quæ fratres qui ibi ſunt è veſtigio reſponderi cupiunt, de iſtis, omiſſis reliquis, agam. Quid D. Borrius ſcripſerit ignoro; tantum mihi ſignificavit ſe Actam quandam noſtram vobis tranſmiſiſſe, ut veſtrum ſuper ea judicium intelligeret. Acta vero illa rudi tantum minerva delineata fuit, nondum perpolita, quod mihi in mandatis datum. Subſtantia tamen ſententiæ noſtræ in ea ſic ſatis ex- Eccleſiaſtica.

Ep.205. preſſa, quæ hæc eſt; receptis Confeſſionis & Catecheſeos formulis acquieſcendum, non quoad verba, ſed quoad res, dum fiat reviſio. Ratio cur ita hoc viſum exprimere, iſta; quod ne per proviſionem quidem, & ad reviſionem uſque, ad verba & phraſes ſingulas alligari velint fratres. In ſententiæ ſumma convenimus, & arridet mihi quod dicis, receptis formulis adhærere nos debere, dum legitime ad verbi divini normam examinatæ fuerint. Quibus verbis haud incommode tum poſſent ſubjici, meo judicio, hæc: Ita tamen, ne interea temporis quis præcise & ſtrictim ad ſingula verba & phraſes adſtringatur. Ego autem omnino puto, pacis cauſa, ejuſmodi declarationem aliquam nobis eſſe faciendam, adeoque formularum iſtarum authoritatem ad Reviſionis uſque tempus eſſe conſervandam, ut nos (ſi quidem id ea ratione fieri poterit) liberemus ab atrocibus illis & ingratis ſuſpicionibus quibus premimur, ſimulque obex ponatur quorundam nimiæ protervitæ & licentiæ, quam multi metuunt. Impenſe autem gaudeo T. R. nobiſcum hic conſentire, prout jam percepi ex poſtremis ad me litteris. Belgica igitur lingua in hunc fere modum acta iſta loqui poterit. *Dat de Remonſtranten in alle leer-punten van de Chriſtelijcke Religie hun begeeren te houden, en ſullen houden, aen de Confeſſie en Catechiſmus deſer Kercke, ter tijde toe deſelve Schriften, volgens Reſolutie der E. Heeren Staten, ſullen weſen gereviideert, ende naerder aen Godts Woordt getoetſt ende ge-examineert: ende dat ſy middeler tijdt in 't uyt-leggen ende verklaren van de H. Schrift niet en ſullen leeven, dat tegen de voorſchreven formulieren ſtrijdt, ſoo veele de ſubſtantie ofte de ſake ſelve aengaet, ſonder hun juyſt in alle woorden ofte manieren van ſpreecken daer inne gebruyckt preciſelijck te verbinden.* Hoc eſt: *Quod Remonſtrantes in omnibus Chriſtiana Religionis articulis, adhærere cupiant, & adhæſuri ſint Confeſſioni & Catechiſmo hujus Eccleſiæ, uſque dum eadem illa ſcripta, juxta decretum DD. Ordinum, fuerint reviſa, & ad verbum Dei explorata & examinata: Et quod interea in explicanda & elucidanda Scriptura S. nihil ſint docturi prædictis formulis repugnans, quoad ſubſtantiam & rem ipſam; ita tamen, ut ſe non præciſe alligent omnibus verbis loquendique phraſibus ibi uſurpatis.* Reliqua quæ in Acta noſtra ſubjuncta ſunt, omittenda puto, ſic omnia clariora erunt & minus periculo obnoxia. In hunc etiam modum ego jam iſta apud me correxeram, nec dubito quin judicia noſtra hic conſentiant. Nolim autem te vel tantillum dubitare, Reverende vir, de meo animo erga ſanctam illam, quam omnibus modis propugnandam puras, libertatem. Ego ſiquidem generale hoc Remonſtrantiæ noſtræ caput pluris facio, quam determinationem aliquam ſingularem de hoc vel illo capite, etiamſi fratres nobis in eo aliquid concedere parati fuerint. Libertate enim iſta Ep.206
in Eccleſia retenta, humanis gloſſis haud parum decedit, & conſtat verbo divino ſua dignitas, quam per divinam gratiam ad extremum uſque ſpiritum aſſerere conſtitutum eſt. Coarctetur modo nimia ingeniorum quorundam periculoſa admodum petulantia, nimiaque de omnibus fere Religionis Chriſtianæ capitibus dubitandi & diſputandi licentia. Ameſius, de quo quæris, Eccleſiæ Anglicanæ hic apud nos minister eſt: Idem nempe qui collationem aliquam cum Nicolao noſtro habuit. Anne hæc vulgata? miror. Ego de eo nihil inaudieram. Hodie D. Nicolao ſcripſi, & de eo quod T. R. officii illius eſſe putat, obiter commonui. Quam D. Bertius de nobis conquerendi cauſam habeat, neſcio. Nuper ad conventum noſtrum una cum aliis quibuſdam fratribus vocatus fuit, & aperte illo præſente actum de omnibus. Sermo etiam fuit aliquis inter D. Epiſcopium & illum de illius diſputatione cum D. Sibrando ſuper Juſtificationis articulo; in qua D. Epiſcopius videbatur animadverſiſſe quædam quæ cum Heidelbergenſi Catechiſmo nullo modo conciliari poſſent, tametſi Bertius hac parma se tegere velle videretur. In arctum redactus Bertius, regeſſit ſe nuncium remittere velle, & quidem publice, Catechiſmo. Excepi ego & quæſtivi, an putaret hoc ſibi licere per juramentum Dominis Curatoribus in inauguratione muneris ex legibus publicis collegii præſtitum? Addiderunt alii, ſic triumphaturum Sibrandum, ſi hoc extorſerit adverſario. Ille vero progreſſus ulterius, quædam de iſto argumento protulit, juſtificationis videlicet, quæ neque ego neque fratres alii probare potuimus: quæque ſilentio omnino prætereunda non duximus, ne aliquando ſilentium interpretaretur approbationis indicium. Monuimus igitur illum, D. Borrius, Epiſcopius & ego ſeorſim, aperteque diximus, nos illa probare non poſſe, dum melius inſtructi fuerimus. Addidimus: tanti videri iſta momenti, ut ad Ariſtarchos delata cauſam communem valde gravare poſſent. Metuere etiam nos, nec vane, ne forte & Feſtus, cum quo tanquam genero aliquando familiarius agere ſolet, ſimilia ex ipſo audiverit, indeque anſam ſumſerit Remonſtrantium cauſam, ut facit, paſſim traducendi. Rogare itaque nos obnixe, ab illis abſtineat, & prudentius agat. Animadverti quidem minus gratum fuiſſe hunc ſermonem; cauſam tamen non video, cur diſpliceret tantopere debuerit. Nobis ſaltem fuit & conſtitit certa & juſtiſſima ita cum illo agendi ratio. Poſtea intellexi illum conqueſtum fuiſſe de colloquutoribus Hagienſibus: jamque animadverti etiam ad te querelam aliquam delatam eſſe; at, quam nullam cauſam habeat, jam ipſe vides. Scio ego quo animo quaque intentione Societas iſta Remonſtrantium coïerit: decretum autem, intra limites tum omnium

Ep. 226. mnium consensu positos, saltem ad Revisionem usque, manere. Quod si qui suo freti cerebro interea vagari extra orbitas velint, & disputationes non necessarias movere, faciant id suo periculo, & suas sibi res habeant, si volent; sed ne communem Remonstrantium causam privatis suis actionibus, & quidem inconsultis sociis susceptis, praetexant, & praetexendo prodant. Litteris Saravianis utere, Reverende vir, prout lubet; hac tantum lege, ut mihi videre liceat scrupulos in hanc rem abs te collectos, fraterna videlicet illa, quam desideras, & ego polliceor, fide. Haec jam festinabundus. De reliquis alias Deo volente, cui te, Reverende vir & frater in Domino amantissime, uxoremque tuam cum tota familia ex animo commendo. Salveant omnes qui ibi sunt fratres officiosissime. Hagae 29 Januarii 1613.

T. R. in Domino addictissimus

J. UYTENBOGARDUS.

CCVI.

ORDINIBUS CONF. BELGII

REX MAGNÆ BRITANNIÆ.

De affectu suo erga Belg. comprobat.

HAults & puissans Seigneurs, noz bons amis & alliez; Nostre affection au bien de vostre Estat, singulierement en ce qui touche la vraye Religion Chrestienne, faict, que sommes tres-marrys d'entendre les differents survenus entre voz Ministres, & peuple, à l'occasion de certaines disputes Theologiques: Nous avons veu les articles & opinions differentes, & trouvons qu'icelles concernent la Divine predestination, & ses dependances; poincts qui souvent ont causé des grandes dissensions en l'Eglise, & jaçoit que nous soyons bien asseurez, que selon vostre prudence & l'autorite, qui vous appartient sur l'Estat, les Eglises, & Ministres, vous sçaves bien assoupir & faire cesser lesdites differents; à fin qu'ils n'esclattent plus fort au prejudice du bien publicq, du repos des Eglises, de l'avancement de la gloire de Dieu, & de la vraye pieté. Neantmoins pour l'apprehension que nous avons, que les dits differents pourront causer plus grand mal, & trouble, nous vous avisons, que l'experience nous a faict cognoistre, qu'à grand peine telles questions se terminent par disputes de Theologiens; ains qu'il est plus convenable les assoupir par authorité publicque, faisant defence à voz Ministres, de ne porter telles disputes en chaire, ou au commun peuple; avec commandement expres, d'entretenir la paix, par une mutuelle tolerance, en la diversité d'opinion ou sentiment, que de part & d'autre ilz ont sur les dites points; au moins jusques à ce, qu'avec pleine cognoissance de la cause par authorité publicque, autrement par vous en soit ordonné. Et à tant plus forte raison nous semble vous y debvoir persuader, qu'ayant veu en un escript, que nous donna le Chevalier Carron, vostre Ambassadeur, assez amplement deduictes les opinions de l'une & de l'autre des parties, & les raisons esquelles ilz se fondent, nous ne trouvons ne l'une ne l'autre si esgarée, qu'elles ne puissent consister, & avecq la verité de la foy Chrestienne, & avecq le salut des ames. Escript à Neumarket le 6 jour de Mars l'an 1613. Ep. 227.

Vostre bien bon amy

JAQUES REX.

CCVII.

JOANNES UYTENBOGARDUS

JOANNI NARSIO

S. P. in Christo.

De colloquio Delfensi.

COmmode oblatus mihi hic nuncius, frater amantissime, per quem tuto istas tuas per D. Taurinum mihi missas remittere queam. Ita sane est, scripsit mihi, & quidem per amice, G. L. at nondum datum illi respondere. Inter cetera narrat de Meilingii mutatione. Quia tamen clam esse vult hanc scriptionem suam, velim te dissimulare quicquam de ea tibi innotuisse. Huc Lefflerus si venerit, ibius de quo ad calcem suarum meminit Hollingerus probe memor ero; fuissem etiam absque monitore. Conventus ille de quo inaudieras, habitus fuit Delphis ante dies aliquot: sed nihil actum. Aperte satis declararunt alterius sententiae fratres, pacem constare Ecclesiae non posse, nisi Remonstrantes ad unum omnes sententiam suam exponant de variis Theologiae capitibus maximi momenti, certis thesibus & antithesibus scripto ab illis comprehensis & nobis traditis; eo quod suspicio sit, imo luculentis documentis probari possit, ut asserunt, vel Remonstrantium aliquos male de illis capitibus sentire; vel saltem familiaritatem colere magnam cum illis qui de iis male sentiunt. Regessimus nos: iniquum admodum esse hoc postulatum: quod nempe omissis capitibus illis, de quibus publice mota controversia necdum composita sit, nova instituatur disquisitio de ejusmodi rebus, quae à Remonstrantibus motae non fuerunt. Quod si tamen putent inter Remonstrantes esse qui male de illis sentiant, vel doceant, per nos licere eos sigillatim adoriantur, moneant, quin & censuram exerceant, si ita videbitur. Male autem impingi toti societati factum particularium. Remonstrantes coüsse tantum ut ea agerent, quae Remonstrantia sua comprehensa sunt; reliqua ad se non pertinere. Sed nihil effectum hisce rationibus. Tandem in-

Ep.208. ſtumus, vellent illi primum aperte edicere, an putarent ſententiam, quinque illis capitibus Remonſtrantiæ noſtræ comprehenſam, ſalva pace Eccleſiæ tolerari poſſe, nec ne. Quod ſi tolerandam cenſerent, nos poſtea ejuſmodi declarationem de reliquis edituros, quam omnibus bonis ſatisfacturam exiſtimaremus. At fruſtra hæc omnia. Tandem diximus, nos rem cum Remonſtrantibus communicaturos. Illi vero interea ſe cum ſuis acturos dixerunt, an tolerantia quam nos deſiderabamus certa aliqua formula limitari poſſet: illimitatam enim tolerantiam in quinque illis articulis concedere nefas eſſe putabant. Jam vides, opinor, quorſum tendant Ariſtarchi: nempe ut vel nos inter nos divellant, ſi hic acceptare articulos illos velit, ille minime: vel ut per noſtrum latus Venatorem, Vorſtium, &c. condemnent, ſi omnes propter Eccleſiarum pacem ſubſcribere illis theſibus & antitheſibus parati fuerimus, ſimulque decretum Ordinum de revidenda Confeſſione & Catechiſmo evertant, & ita omni libertate, pro qua pugnatum hactenus, ſpolient. Vel, ſi omnes recuſaverint, fidem faciant calumniæ ſparſæ de latentibus hæreſibus: quam ſi perſuadere Proceribus & populo ſemel poterunt, facili momento ſe nos & noſtram cauſam oppreſſuros putant. Ictum autem hunc ut declinaremus, neque polliciti ſumus nos ſubſcripturos, neque ſimpliciter recuſavimus ſubſcriptionem; ſed quia voluerunt ipſi rem cum omnibus Remonſtrantibus communicari, id nos facturos diximus. Quod ſi vero jam omnes Remonſtrantes hoc paci Eccleſiæ dederint, hiſceque theſibus novis ſubſcripſerint, anne tum certi erimus, fore ut ſententia noſtra in Eccleſia feratur? Minime. Quinimo incertiores quam dudum. Hinc tu cogita, an pacem velint hi, qui novis diſputationibus & periculoſiſſimis collegas ſuos involvere ſtudent. Hæc actorum ſumma. Nolim tamen hæc abs te ſpargi. Sufficiat te iſta ſcire, ut ſi aliunde quid renuncietur, totius rei tibi conſtet veritas. Quid autem hic facturi ſint Remonſtrantes, hactenus me latet. Certiorem me quæſo facito de turbis illis Arnhemienſibus, & an ſibi conſtet Meilingius, & in ſaniore ſententia perſtet. 9 Martii 1613.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CCVIII.

ADRIANO BORRIO

SIMON EPISCOPIUS S. P.

De turbis ob baptiſmum filii fratris ſui excitatis.

REverende Frater; an literas meas argumentum rerum hic geſtarum continentes acceperis, neque ex tuis neque ex D. Stochii intelligere poſſum. Miror equidem nullam ejus rei mentionem fieri: varios rumores ſpargi Ep.208 apud vos facile credo. Intervalla locorum, & diverſitates ingeniorum judiciorumque incrementum ſimul & detrimentum adferre ſolent. De reſponſo negativo meo plane nihil eſt, quod dicitur. Ego prout vobis perſcripſi in terminis, aliudque nihil publice reſpondi; quia illud tutiſſimum eſſe, & nec interroganti moleſtum, nec mihi aut publico periculoſum eſſe poſſe perſuadebam: & tamen hinc omnes lachrymæ, & propter hoc turbatum Ilium & Roma eſt, acſi Annibal eſſet ante portas: Praeter enim turbas & tumultus concione excitatos, paſſim in ore omnium & vulgi fabula factus ſum, vixque à manibus violentis hominum maleſanorum, & imprimis turba proletaria tutus ſum, aut ſecurus in publicum prodeo. Pronudiustertius ambulans cum Conſule noſtro vander Werf, non minus impudenter quam virulenter in platea impetitus à quibuſdam, coactus ſum rem deferre ad Magiſtratum, qui interpoſita authoritate pollicitus eſt mihi magno cum adfectu, ſe injuriam vindicaturum; quod & ex parte & continuo factum eſt, ita ut jam mihi ſecuriori eſſe liceat: paſſimque intelligam aut moderatores ſententias ferri de negotio hoc, cujus veritatem diſſeminari curavi per varios mihi addictos, aut ſaltem ſilentio præteriri. Turbata fæx ſubſidere hic & fundum petere videtur, ita ut conſilium veſtrum de apologetico aut exegetico aliquo ſcripto edendo ad vindicias nominis mei, hic quidem neceſſarium mihi non videatur; adeoque quia authoritate ſua componere turbas conatur Magiſtratus, & maledicentibus ſilentium injungere, non ita tutum, aut conſultum, niſi forte apud vos, alioſque apud quos fama hæc auditur, hoc ſine diſcrimine aliquo nominis mei omitti non debere intelligatis. Sed ego non dubito, quicquid id eſt, breve omne illud evaniturum & in fumum abiturum. Quod ſi tamen præter opinionem & ſpem meam rumores iſti percrebreſcant, tum vero remedio aliquo occurrendum eſſe non diffiteor. Ego hic varios & magni nominis conſulo, quorum aliud & contrarium plane eſt conſilium; imprimis quia totum hoc componere Magiſtratus noſter laborat authoritate ſua. De uſu formulæ cujus mentionem facis, id habe. Omnes, excepto uno Plancio, etiamſi ille aliquando etiam aliter, uti ſolere formula recta, & antehac nunquam aliter uſum Caſparum; adeo ut à ſe mutationem aliquam factam, conſtanter fuiſſet negaturus, niſi fratres factam unanimes adſeverallent: libellos expreſſe (quod Alerſio notum eſſe debet & poteſt) deſtinatos eſſe quos pro more in ſuggeſtu habent repoſitos concionaturi, qui continent juſtam & à Synodo reformatam formulam, eaque ipſum Triglandum ſequente die toties adhuc uſum, ut mirer ignorare hoc eos, quibus Eccleſiæ Amſtelodamenſis ratio nota eſt & perſpecta à mul-

Digitized by Google

Ep. 209. multis annis. Interea quid sit de mutatione, anne illa in Synodo Nationali facta, decreta, & ab Ecclesiis omnibus recepta sit; vel approbatio & usus illius arbitrio Ecclesiarum relicta, ex te scire velim. Vale, mi Frater, & saluta fratres omnes. Ego hic decrevi, nisi aliter videatur, festo hoc subsistere, & experiri animos & judicia populi. 6 Apr. 1613.

CCIX.

JOANNES UYTENBOGARDUS

ADRIANO BORRIO S. P.

Exhortatio.

QUod tam anxie Domini Hazii negotium mihi commendas, Charissime Frater, ingratum non est: quamquam fortassis alacriore animo illud suscepissem, si spem, quam de ipso conceperamus omnes, fore nempe ut Theologiæ se manciparet totum, non fefellisset: quod tamen ipsum hactenus excuso, modo ne Christi negotio desit, & id pro vocationis ratione promoverit pro virili; quod facturum confido. Faciam igitur quod petis, non Leydæ, sed hic; quandoquidem scribis Dominum Zeistium hic ad dies aliquot hæsurum. Leydam venire decreveram hac septimana: sed mutatum consilium. Fortassis pernoctabo ibi dominica proxima, inde Lunæ subsequente cum bono Deo Trajectum petiturus. Heri decretum Goudam transire: sed quia Dominum Vorstium Leydam venturum intelligo, recta per vos patriam petam. Si interea certi quid habes de Doctoris adventu & adventus tempore, id quæso quamprimum significa. Audio aliquid in illum prodisse à Lutherano quodam: item Sibrandum jam jam aliquid in illum emissurum. O miseram Theologiam & miseros Theologos! quod illa tractari nolit, his eam tractare non liceat, nisi cum extremo existimationis, quin & vitæ periculo. Qui, quæso, unquam eluctabitur hic Vir ex hoc labyrintho? Meministine quid Puccio Filidino acciderit? A Jesuitis, Lutheranis, nostris undiquaque impetitus, tandem (quod fama est) à Saltzburgensi antistite crudeli morte sublatus. Hic eodem fere modo, imo majore longe vehementia impetitur ab omnibus. Spero tamen non eandem fore catastrophen. Ludingus putat illum apud vos futurum insequente dominica. Hoc si certo scirem, vobis adesse studerem: tametsi putem id futurum haud satis commodo tempore. Videbo. Commissarii Alckmaria reversi ante triduum; at nihil mihi de negotio Warmenhusano constat. Inquiram. Perculerunt me, ut verum fatear, nuperæ Domini Episcopii litteræ, de iis, quæ fratri Amsteldami acciderunt post discessum. Hinc colligo Amsteldamensibus decretum, causam illam tueri, ac Genevensem puritatem paulatim moliri; quod quorsum ulterius spectet, docebit dies. Videtur Dominus Episcopius velle ut aliquid edatur. Ego ut quis alius id faciat non improbo: mihi fere decretum calamo supersedere inposterum. Video enim in partes abire homines, & legi ejusmodi scripta partium studio, & cum præjudicio, nulla veritatis cognoscendæ cura. Huic pravo affectui frigidam suffundere ejusmodi scriptiunculis, vix videtur consultum. Incalescit quidem subinde animus, quum adversariorum ferociam & imprudentiam animadverto: at remittit facile iste fervor apud animum quietis cupidissimum: insuper etiam ab adminiculis ad ejusmodi scriptiones necessariis destitutum. Sed de his alias. Vale Charissime Frater, & uxorem ex me saluta. Salveat etiam D. Episcopius. Sed heus: Si professio ista dabitur Hasio, quid fiet Bertio, si forte in Collegio sit futura mutatio illa, quam omnino necessariam aliquando existimavimus? Profecto, si spes esset in melius constituendi collegii per D. Bertii abitum, non esset illi ad hanc professionem via præstruenda. Iterum vale. XVI die Aprilis CIↃ IↃC XIII. Ep. 210.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CCX.

HUGONI GROTIO

JOANNES OVERALLUS S.P.D.

De Prædestinatione.

CLarissime Domine: Certe doleo, quod modo mihi narrat servus tuus, te hic febriculam contraxisse, nunc præsertim de reditu cogitantem: sed spero diariam esse, teque mox abeuntem relicturam; quod opto vovcoque. Remitto ad te conciliationem tuam dissidentium de re prædestinaria & gratia opinionum, quæ mihi quidem valde probatur, sed vereor ut eam antagonistis vestris, rigidioribus præsertim Calvinianæ sententiæ sectatoribus, probaturus sis, si eos bene novi. Ægre cedet Zenonia secta moderatis sententiis, in his præcipue rebus; sed mordicus ad illud fatale prædestinationis dogma, in massa pura, vel certe corrupta, exclusis à Christi redemptione & gratia sufficienti, ex intentione Dei & Christi, suis reprobis, id est, omnibus præter suos absolute electos hominibus, adhærescent. Et certe hæc prima de Prædestinatione quæstio fundamentum est trium consequentium, ut ea quovis modo posita reliquæ consimiliter poni videantur. Nam cum ita inter se compositæ & connexæ sint, ut prior de fine, cæteræ de mediis ex divina constitutione necessariis instituantur, posita absoluta ordinatione ad illum salutis finem, certis hominibus determinate appropriata, media simul ad illum finem instituta eisdem propria, nec aliis non ita ordinatis aut prædestinatis communia, fore necesse erit. Contra, posita communi ad salu-

Digitized by Google

Ep.210. salutem ordinatione ex decreto conditionato, media similiter communia erunt. Atque hoc modo finem esse priorem mediis tuto concedimus, de qua re objectionem proponis p. 11. vel 12. Deumque prius de salute hominis quam mediis salutis decreviisse, si de conditionato decreto intelligatur. Est autem voluntas sive decretum conditionatum vera voluntas & verum decretum, & quidem beneplaciti; quia conditio non cadit super voluntatem aut decretum Dei, sed super rem decretam ex conditione libera, nec aliter Deo ita constituente futuram; ita ut non Dei voluntas aut decretum, sed finis, consecutio aut effectus in decreto divino propositus, & mediorum eo tendentium usus aut efficacia, ex actu libero sive cooperatione libera hominis, sub & cum gratia divina, ex Dei beneplacito, tanquam conditione divinitus ordinata, aut medio divinæ gratiæ subordinato, pendeat. Unde prius medium conditionatum poni & impleri oporteat, quam finis conditionate propositus independens ponatur, aut absolute decerni intelligatur; priusque Deus medium conditionatum ponere aut fieri velle absolute concipiatur, quam finem inde suspensum consequi aut evenire absolute voluerit. Sed horum omnium certitudo ex verbo divinitus revelato petenda est. Alioquin: Si Deus nudus in se & ex se spectetur, quia omnia extra Deum ex ejus illimitata potentia, infinita sapientia, & liberrima voluntate à nullo nisi seipso solo pendente, constitui, fieri, permitti, aut quovis modo procedere ratio docet: potuit Deus pro sua absolutissima libertate, hominem ad salutem ordinare absolute, simpliciter, certo, infallibiliter, aut etiam necessario, per suam omnipotentem voluntatem & decretum, actionemque fortissimam, cui nemo resistere posset, obtinendam: Potuit rursus pro suo liberrimo beneplacito, non nisi conditionaliter & limitate ex conditione homini à Deo proposita, aut medio limitato, Deique operationi subordinato, hominis scilicet libero actu, quamvis sub & cum gratia divina, libere tamen per hominis cooperationem ponendo, ita ut divinæ motioni resistere possit si velit, ordinationem salutis humanæ & finis ultimi consecutionem constituere: Potuit denique utramque hanc rationem & ordinationem certo modo componere & conjungere, primumque homini finem beatum ex conditione per hominem libere implenda proponere ac decernere, omniaque media ad eam faciendam & implendam sufficientia ordinare, dein gratiam ulteriorem & uberiorem, ac potentiam ad eandem, efficacius, certius, infallibilius præstandam, suo decreto dandam addere, deque ejus efficacitate certa sive ex modo gratiæ, sive ex præscientia humanæ cooperationis determinato statuere. Ex his utram rationem secutus Deus sit in sua ordinatione sive prædestinatione ad salutem, neque ex priori à divinis attributis, propter summam ac liberrimam Dei potestatem ac libertatem, neque à posteriori ab eventu & effectu, propter rerum obscuritatem & mentis nostræ caliginem, statuere potiumus. Itaque tota Prædestinationis nostræ cognitio, primum ex verbo divinitus revelato in SS. in quibus Deus suam nobis voluntatem declaravit, tum ex sensu & doctrina antiquorum Patrum sacram doctrinam interpretantium sumenda est, juxta illud Vincentii Lyrinensis: *Prophetica atque Apostolica interpretationis linea secundum Evangelici & Catholici sensus normam dirigatur:* quibus tertio loco rationes sive à natura Dei, sive ab operibus & effectis adjungantur. Ep.210.

Secundum nostrum autem intelligendi modum, ordo aut series Prædestinationis divinæ ita concipienda videtur, ut in divinis actibus & operibus necessaria liberis primum omnium supponantur ac præponantur. Itaque primum, licet omnia in Deo reipsa unum sint, ratione tamen sua divinorum actuum principia concipienda videntur. 1. Potentia activa, qua omnia possibilia quæ non implicant contradictionem, impotentiam, iniquitatem, aliudve quid Deo indignum, facere possit. 2. Scientia, qua omnia quæ per potentiam fieri possunt, sive sigillatim, sive conjunctim considerata, novit; qua etiam quicquid in illis ad ullum finem bonum conveniens & aptum esse possit, suamque sapientiam sive bonitatem deceat, intelligit; qua denique eadem non solum ut per potentiam possibilia, aut ad sapientiæ suæ judicium convenientia, sed etiam ut ex hypothesi voluntatis suæ futura, si ita sibi visum fuerit ac placuerit, contuetur. 3. Voluntas, qua & liberrimus est ad agendum faciendumve quicquid sibi placuerit, & simul optimus ad nihil volendum, statuendum agendumque, nisi quod vere bonum sit, & ad finem ultimum bonum, id est, seipsum rectissime referatur. Adeo nempe bona voluntas Dei, vel ipsa potius bonitas est, ut omnis boni in creaturis, quomodocunque futuri aut possibilis, fons, regula, ratio habeatur. Secundo, quum Deus nihil decernit, constituit aut agit, nisi ex hac sua liberrima optimaque voluntate, etsi voluntas non fertur nisi in præcognitum atque à scientia practica consideratum, & ut facto bonum judicatum atque propositum: tamen ante omnem judicii dirigentis ac voluntatis decernentis actum, intelligitur in Deo ac divina voluntate bonitas ad se communicandum propensa, ut est natura boni sui communicativa. Hæc prima causa & origo ac principium est operum divinorum ad extra. Ideoque merito in tua conciliatione, ut primus articulus decretis divinis supponendus præponitur, præsertim si in se se simpliciter ut bonitas consideretur; sed si referatur ad salutem homini procurandam quatenus justitia permittit, hominem jam lapsum respicit: ideoque lapsus ac creationis primæ atque integræ præscientiam præsupponit, ordinationisque in statu integro factæ de homine

Digitized by Google

Ep.210. mine ex decreto conditionato ad immortalem vitam per liberam præcepti obſervationem, ſub auxilio gratiæ ſufficientis perducendo. Unde videntur ad prædeſtinationis Dominicæ proceſſum concipiendum hæc ordine conſideranda. 1. Præſcientia ſimplicis intelligentiæ, tam poſſibilium & convenientium, quam futurorum, ex hypotheſi, ſi ita Deus voluerit. 2. Propenſio divinæ bonitatis ad ſeſe communicandum ad extra, & ad cætera ſua attributa ita manifeſtanda, ut inde gloria ſua illuſtretur. 3. Decretum Dei liberum de creando (cum cæteris rebus & creaturis) homine in imagine & ſimilitudine ſua, in anima intellectuali libera, immortali, in veritate, juſtitia & ſanctitate, eodemque ad vitam beatam & æternam per conditionem mandatum obſervandi ordinando. 5. Præſcientia viſionis, de hominis lapſu & malis inde conſequentibus. 6. Miſericordia Dei propenſa & φιλανθρωπία (*amor erga homines*) ad hominem ex miſeria ſublevandum, decretumque inde factum de Filio Dei in carne noſtra mittendo, in Mediatorem & Redemptorem generis humani, ad ſalutem hominibus ſuo merito & ſatisfactione acquirendum, & ſua gratia ac efficacia applicandum. 6. Cui conjungitur decretum de conditione ſive promiſſione Euangelica, id eſt, gratuita per fidem juſtificatione credentium, eorundemque in fide ac juſtificatione manentium æterna demum ſalute. 7. Huic ſubnectitur ac ſervit decretum de vocatione hominum, tam per verbum exterius, quam per gratiam & operationem S. Spiritus interius ad fidem in eorum animis ex verbo audito, intellecto, cogitato ac meditato excitandam, ſuadendam ac perſuadendam virtute Spiritus ſancti in & cum verbo operante, & ſanctas inde cogitationes, pia deſideria ac conſilia ſalutaria ſuggerente, ſubjuncta, & ſubſerviente ſub & cum gratia Dei præveniente & comitante, excitante & adjuvante, libera cooperatione humanæ voluntatis, virtute & auxilio gratiæ Dei prædictæ excitatæ & adjutæ; unde ſurgit in humana mente & voluntate lux verbi, pius in Deum affectus, tandemque aſſenſus fidei in verbum Dei & Jeſum Chriſtum, Filium Dei viventis, Redemptorem & Salvatorem mundi: ubi ut pio in Deum affectu ex cogitationibus ſanctis, & piis deſideriis per auditum verbi & Spiritus ſancti gratiam immiſſis opus eſt, ad aſſenſum fidei Chriſtianæ & Catholicæ eliciendum, quia res credendæ ſua natura occultæ ſunt, nec humanæ rationi evidentes, nec certis clariſque homini argumentis aut experimentis demonſtrantur; ſed ſola verbi divini authoritate & Spiritus ſancti interna ſcriptione nituntur: ita qui hoc modo ex Deo eſt per pietatis afflatum & affectum, verba Chriſti audiet per fidei aſſenſum: qui hoc modo verbum & Chriſtum pie ſtuduerit intelligere, cogetur inde (ut dixit Tertullianus) etiam credere. Fide autem hoc modo per verbum Dei, gratiam Chriſti, virtutem Spiritus ſancti, & piam, ſed liberam humanæ voluntatis cooperationem in mente hominis excitata & producta, corque ejus ſanctis ſuis affectionibus imbuente, aſſurgit homo in vivum veræ fidei actum, ut ad Deum à peccatis per veram pœnitentiam convertatur, & in Jeſum Chriſtum, ut Mediatorem & Salvatorem humani generis, ideoque ſuum, pro ſalute recumbat, & certus ex verbo Dei credentem in Chriſtum habere juſtificationem & vitam, certuſque ex conſcientia cordis fidei ſuæ (quia ut Auguſtinus ait, credens ſcit ſe credere, & ille vere credit qui conſcio corde credit) tuto poteſt de ſua juſtificatione ſtatuere. Huic decretum & voluntas perſeverantiæ adjungitur, ſimili ratione & efficiendæ & colligendæ, in quibus etiam particularia illa, decretum de ſingularibus perſonis fide & perſeverantia hoc modo donandis, incluſa intelliguntur. Et hæc videtur ſententia, quam plerique veteris Eccleſiæ Patres de Prædeſtinatione ad ſalutem docuerunt, aut ſaltem intenderunt. Ep.211.

Poſt Auguſtinum alius quidam gradus ulterior de gratia uberiore & potentiore, hominibus certis non ſolum dantis ut poſſint, ſed etiam ut velint credere, idque actu faciant, cum perſeverantia, ſi non perpetua κατ' ἐξοχὴν, (& *ab initio*) ut Irenæus vocat, ſaltem finali κατὰ μετάνοιαν (*reſipiſcentia*) ut idem loquitur. Sed hæc additio ex ſenſu Auguſtini priorem ordinationem non tollit, ſed perficit, ideoque etiam piam aut ſaltem tolerabilem ſententiam continet. Sed aliæ ſententiæ ex utraque parte, ſive ex ſolo abſoluto decreto Dei, ſive ex prævia cooperatione humana, quæ ultra progreditur, ut aut ex una parte ſic faciant homines liberos ut ſimul faciant ſacrilegos, aut ex altera parte ſic adſtruant decretum Dei abſolutum gratiamque efficacem, ut tollant voluntatem ſalutis communis conditionalem, & gratiam ſufficientem, nullo modo in Eccleſia Dei ferendæ ſunt aut tolerandæ: ut quæ pugnent cum bonitate Dei & philanthropia, cum natura hominis aut modo actionis humanæ, cum verbo revelato tum in lege quum Euangelio, Deoque aut ſimulationem & mendacium, aut malitiam & iniquitatem, aut crudelitatem & injuſtitiam affingant, hominibuſque aut ſecuritatem carnalem, aut deſperationem afferant, multaque ſimilia abſurda & inconvenientia ſecum attrahant.

Sed interpellor & vocor, ut me neceſſe ſit manum de tabula tollere: quin & iſta ita ſcripſi, vel effudi potius raptim, & currente penna, ut legi à te vix ac ne vix quidem poſſint. Sed ignoſces præſtantiſſime vir & occupationibus & interpellationibus meis. Et hæc nauci nec digna tuis oculis, conſules boni; quia meliora per occupationes alias & interpellationes aliorum alio avocantium, nunc ſane dare non licuerit. Quod reliquum eſt, opto tibi ſecundos ventos, & felicem reditum, Deumque

Ep.211. que in Christo precor, ut tibi non solum corporis sanitatem ac incolumitatem, sed spiritualia etiam sua bona & cœlestia indies magis magisque & in seculum largiatur.

Mitto cum tuo scripto exemplar diatribes Richardi Thomsonis imperite descriptum, necdum mihi otium fuit cum autographo, quod penes bibliopolam est, conferre. Utcunque sit, accipies in bonam partem. Vale vir Clarissime, & salve ab eo qui te amat & observat L. M.

JOANNE OVERALLO.

Ab ædibus S. Pauli London. Maji 16. 1613.

Ita ego avocor & tu abis, ut non liceat etiam ista qualiacunque relegere. Hoc etiam condonabis.

CCXI.

ISAACUS CASAUBONUS
HUGONI GROTIO S. P.

NOn possum verbis exprimere, quam varie sim affectus lectione tuarum literarum, quas accepi binas eodem tempore. Priores dolorem mihi πονηρὸν ἄπειρον (*vere ingentem*) attulerunt, quod de viro summo, quem scis à me summopere coli, omnia δυσχερῆ & ἀπότομα (*difficilia & rigida*) narrarent. Is vir, τἄλλα (*cætera*) admirandus, quantum possit παρὰ τῷ מלך (*apud Regem*) ne tu quidem nescis. Itaque metui statim, ne moderatissimum consilium, quod non ita pridem vobis datum fuerat, non σοφοῖς μὲν ἀλλὰ πικροῖς δὲ καιροῖς φθείρειν (*sapientioribus sed asperioribus secundis curis*) corrumperetur. Ego autem ingenia turbonum, quibuscum res vobis est, nosse mihi videor: neque dubito, si tanto præsidio suffulciantur, nihil remisturos quo minus isthic omnia perturbent ac subdeque misceant. Hæc cogitanti mihi & serio ingemiscenti Ecclesiæ malis, allata est tua posterior, ne ipsa quidem satis læta: (nam spes mihi adimitur ea epistola tui inveniendi Londini cum illuc rediero) eo tamen gratior, quia spem aliquam saltem superesse nuntiabas. Utinam ita sit, & benedicat bonus Jesus eorum laboribus, qui paci Ecclesiarum cupiunt ire consultum: Tu, vir maxime, in promovendo illo negotio multum potes. Noli animum despondere, quæcunque tandem sese offerant difficultates. Parum est quod aperti Dei hostes, ministri Antichristi, pio proposito sese opponunt, πᾶσι σπουδῇ ὅπλοις χρώμενοι τῇ ἀληθείᾳ. (*omni studio contra veritatem tendentes.*) Illud genus adversariorum molestius est quod domi nascitur, & ipsa penetralia Reformatarum Ecclesiarum invadit. Sed etiam adversus hunc πειρασμὸν (*tentationem*) confirmatos esse oportet eos, qui malis Ecclesiæ pro sua virili cupiunt medicinam facere. Ego reditum cogito Londinum, ubi tuas exspectabo, si forte illæ daturæ mihi sunt aliquam occasionem publicæ utilitati inserviendi. Deum supplex veneror, ut te servet, vir maxime, quem ego, dum vivam, summa observantia semper sum culturus: ita me cæperunt pietas, probitas, & admiranda tua doctrina. Oxoniæ, XVII. Kal. Jun. CIↃ IↃC XIII. Ep.212.

CCXII.

GEORG. MICH. LINGELHEMIUS
HUGONI GROTIO

S. P. Nobilissime Domine.

EGone ut te feriam? Ego vero amorem tuum in me exolculor, & in amplexus tuos ruo: gratiasque habeo de tam amica compellatione. Tu ne etiam memor mei fueris, in altero orbe & apud dilectissima capita, Casaubonum & Savilium, etiam mei amice recordati fueritis? quam opto quartus apud vos fuisse, & coram frui potuisse sermonibus & adipectu eorum, quos ego unice admiror & colo. De theologis Britannicis paria retulit Scultetus noster, qui, uti & Magnus Præfectus noster Comes Solmensis, numquam satis prædicare potest tuas eximias virtutes, & in me amorem. Quod rarius ad te scribo, inde fit, quod nihil reperio, quod tibi jucundum esse possit. Nam nil nisi de affectu meo in te garrire, putidum esset, quum vel persuasum habeas, te sincere à me amari; vel si dubitas, frustra inani verborum tinnitu te obtundam. De Ecclesiæ vestræ statu, nimis heu! notum est omnibus. Hoc placet, quod medicinam malo adhiberi posse speras. Ut ergo plene cognoscere possis, quomodo Ecclesiæ regimen apud nos constitutum sit, cujus beneficio pax apud nos hactenus conservata: mitto tibi constitutionem Senatus nostri Ecclesiastici, qua utimur. Si quid in ea dubii tibi occurrerit, lubentes Scultetus & ego, tibi satisfaciemus. Turbæ quoque inter nostros inoleverant, ob Piscatoris dogma, & ruebant partes in aperta diffidia: quum Princeps meus sanctæ memoriæ prudenti consilio pullulascenti malo obviam ivit, & animos utrimque exacerbatos temperavit salubri mandato, de non turbandis Ecclesiis, per quæstiones non necessarias. Deum precor, ut successum tibi, aliisque piis & prudentibus viris, largiatur, ad mala quæ vos premunt & distrahunt, avertenda. Comes Guilielmus Nassovius, celeberrimus ille militiæ dux, nobis jam adest: quam optabile mihi, coram intueri virum tam insignem, tam bene de patria & religione meritum! Is crastino die inter Susceptores erit filiæ recens natæ Illustrissimi Administratoris, una cum Electore, Electrice, regia prole, & Anhal- Exclusa. Fa miliæ.

Digitized by Google

Ep.213. habino, inde ad suos festinabit rursus. Comes Solmensis, ut ante dixi, nulla de re libentius mecum verba facit, quam de tuis virtutibus, & admirabili doctrina & prudentia: te amantissime salutat, & historiam tuam patriam avidissime exspectat; cujus desiderium & ego vix fero amplius, certus sure, ut inter primos nos fruamur utilissima illa tua lucubratione. Sed de parallelis tuis, quorum partem apud te vidi, nulla-ne spes supereſt, ut lucem videant? quam doleo, non descripsisse mihi, quum fruerer delicis illis longe suavissimis. Sed tibi molestus esse nolim. Deum veneror, ut te, patriæ & Ecclesiæ necessarium virum, incolumem & florentem conservet, & me dignum reddat, quem etiam porro ames. Vale præstantissime virorum. Heidelberg. 14. Julii. 1613.

Tui observantiss.

G. M. LINGELSHEMIUS.

Si tanti est, quæso, considera Sethi Calvisii istam formulam, vel propter Scaligeri magni judicium de illo viro. Optem ego, nostris hominibus probari posse in istis Comitiis hoc institutum, multis molestiis sublevaremur.

CCXIII.

CYRILLUS

Papa ac Patriarcha Alexandriæ

Doctissimo ac Reverendissimo Viro

D. JOANNI UYTENBOGAERT,

Verbi divini in Ecclesia Christi Hagia-Comitana Administratori, in Jesu Christo Fratri observandissimo, salutem & pacem à Domino Jesu Christo Salvatore nostro, &c.

II. Jam Curam Ecclesiæ.

NOn est mirum, neque enim aliter oportebat sperare, si litteris ad tuam humanitatem missis meis, dulcis tua echus, prout vero œconomo, verbi divini Administratori convenit, suaviter resonuerit. Cum mutuo mihi salutem atque pacem Christianam, miro sinceri cordis affectu, remitteret, ac reprecaretur, & quoniam omnino vincere me undequaque voluit, ea addidit in litterarum suarum principio, quæ mihi à se optari significabat, ad late patentis Christianitatis beneficium, quæ nobis satis aperiebant, quanto tua charitas ardeat zelo, Ecclesias Christianas, per orbem diffusas, in veritate unitatis & dilectionis, videre supra lapidem illum Angularem, verum fundamentum, præter quod aliud nemo potest ponere, fundatas, vel optimam sicut agriculturam puro verbo divino irrigatas, crescere per omnia in Christo vero capite, *ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον αὔξει*, (*ex quo totum corpus compactum et compaginatum crescit*) &c. ut tecum Pauli verbis utar, illud mirabile capit incrementum, quod tandem nos regni efficit cohæredes, *εἴ περ συμπάσχομεν ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν τῷ θεῷ, συγκληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ.* (*ut simus revera, hæredes quidem Dei, cohæredes vero Christi.*) Merito crede, vir Doctissime, nos tibi ingentes habere gratias ob tam sanctam intentionem tuam, & ob eam quæ te incitavit probitatem, nobis illud deprecari, quod & per minimum facile Deo esset adimplere, qui de lapidibus potens est semen Abrahæ suscitare, si quod prudenter in litteris tuis annuis, nos ita videret dispositos, omnino velle passiones, quibus animi hominum de Religione controversiantium tenentur, postponere; cordaque nostra ab impiis alterutris odiis mundare, ita ut ad unum finem omnes operam & oleum consumeremus, ad gloriam divinam, videlicet, ad bonumque salutis animarum nostrarum. Quarum serio curam gerere deberemus. *τί γὰρ ὠφελήσει ἄνθρωπον, ἐὰν κερδήσῃ τὸν κόσμον ὅλον, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ;* (*quid enim proderit homini, si lucratus fuerit totum mundum, et animæ suæ nocebitur?*) At quoniam ii, qui per latum orbem jactant profitenturque soli agrum Evangelicum operari, cum sapientes mundo apparere velint, *ἰδιολογοῦσι καὶ ἀγνωμονοῦσι*, (*et stulti et cœlestium rerum periti*,) propriumque doctrinam tanquam de cœlo delapsam ostentare, non si bene tantum vel quid faciunt, vel sentiunt, quod non improbatur, sed si male, si perverse, ita ut & ipsi proprio digito tangant, obstinate defendunt: nunquamque se male vel facere vel sentire, contumeliose affirmant. Et quod pejus, flammis & focis insurgunt in, qui vel Christiane admonuerint, vel modo aliquo errorem eorum palam facere proposuerint. Non licere dicentes, injuriam, quæ totam Christianitatem contaminat, propulsare. Nec saltem proprios fines munire, ad evitandum malum, quod ut *γάγγραινα* (*gangræna*) serpit. Eheu, quæ spes unquam erit, Deum optimum maximum hominibus inconversibiliter elatis, ut unionis & dilectionis ratio insinuetur, beneplacitumque? Non video, nisi difficulter, hoc nostra tempestate perfici posse, quando nec loqui datur, nec dicere verum. At è contrario tecum ego, vestraque cum Ecclesia, video me posse confidenter tractare; animadverto meum posse spiritum in vobis acquiescere, quia Christiane agitis, pacem Christianam diligitis, unionem in veritate Domini non evitatis. Quod si vicissim vos mecum eodem animo gesseritis, jam potest dici, ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Quod si tu modestia motus de te protulisti, quod æquius de me affirmari posset, imparem videlicet te in scribendo futurum, at semper pares uterque erimus, si res ut se habeat, scripserimus atque narraverimus. Si veritatem coluerimus, ipsique obtemperati

Ep. 213. fuerimus. Ille certe impar, quem ista defecerint, nec arbitror referre, si homines qui Dei aguntur spiritu, minus polleant elaborata elegantia, ornamentisque verborum, quæ ad nil aliud, nisi ad demulcendas aures hominum elimatorum, tantum ea exprimant, quæ Euangelicæ veritatis pietatisque Christianæ sint, ita ut dicere possimus, *ἰδιώτας εἶναι τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει, τῷ μὲν λαλεῖσθαι, οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου.* (*idiotas esse in verbis, sed non in cognitione, quæ etiam loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus.*) Audacior vero factus videor, quia ad te scribo, cui fas viscera cordis nostri aperire, & de quacunque re necessaria fructuosas reddere & accipere voces. Quod si erravero, me non combures in olla, neque super prunas extendes, vel conspectu tortoris territabis. Non enim certe fides Christi Catholica hac tyrannide sustentatur, sed miserabiliter debellatur. Admonebis tamen fraterne. Si tibi quid simile acciderit, ego tecum eodem modo procedam, & semper utrisque suspecta, quæ debent esse hominum, vera & infallibilia, Scripturæ & Euangelii erunt verba. Postea quia vinxit me H. T. strictis dilectionis funibus, fieri nequit, quin ego eodem animo tibi suadeam, quam merito tibi sim affectus, de iis ad te scribendo, de quibus per litteras vel ad me, vel ad Illustrissimum Cornelium Hagam Oratorem, datas, petiisti: neque obstabit locorum intercapedo, hoc facere. Nam ut sollicitudo mea, à gravissimis aliis me retraxit impedimentis, ut opportunitatem nactus, ad te istas exarare queam: Sic intercapedinem diligentia semper superabit mea. Quod autem dicis nos esse gradu distinctos, prudenter hoc charitas tua perpendit. At dignitas, vere sinceri hominis mentem nunquam valet alienare. Neque res ulla caduca faciet illum excessum pati. Deinde si gradu distincti sumus, uterque tamen mortales sumus, uterque servi Dei sumus, uterque gloria Dei egemus. Neque prodest in gradu, conditionis oblivisci humanæ. Quod satis eleganter annuit Sinesius Philosophus, cum scripserit, *δεῖ μὲν πῶς τύχαις τὰς γνώμας μὴ συνεξαίρειν, μὴ δὲ τὸ μικρὸν τῶν φίλων ἅπαντας ὑφεῖναι καὶ ἀδιάφορον ἡγήσασθαι.* (*Oportet quidem cum fortuna animos non efferri, sed neque propter præsentem dignitatem amicorum memoriam minoris facere æquum est.*) Quo cum nec illud mittum faciendum puto, quod scribit Dominatio tua, sibi relatum, de donis mihi à divina manu collatis; nam vellem, ex affectu potius referentium totum intelligat, non quod re ipsa talis sim, cui quot desunt, potius possidere desiderarem. At in quibus placuit Deo esse, acquiescendum oportet. Nec amplius esse procrastinandum arbitror, rem aggredi, quæ cordi est Dominationi tuæ. Si vero prolixius & indoctius hoc fecero, meam non condemnet insciitiam. Ansa enim mihi exigua data, in rebus quæ maxime Religionem commendare videntur. Satur scribendi fieri nequeo. Et quamvis Græcum Latina lingua uti, in sua plus, in aliis quibusdam linguis, vel mediocriter, vel prorsus minus versatum, non satis constare appareat; at me non pœnitebit in aliena notari, ut qui possim in mea vernacula elegantius meos conceptus exprimere. Deinde quomodocunque, non mihi persuadeo, negligenda esse officia charitatis, & amicitiæ Christianæ, quæ inter nos fausto incepit principio, quæque ut magno cum emolumento pietatis & veritatis proficiat, Deus bonus, misericors, & omnipotens obsecrandus, utque ad id sua sancta gratia nobis faveat, Spiritum sanctum suum à nobis ne auferat, sed semper in visceribus nostris innovet, &c. Ep. 214.

Petiit ergo H. T. ut scribatur quæ sit fidei professio nostræ, verbaliter enim ita se habet litterarum periodus. Dignetur proximis ad me litteris copiam facere istius, quam profitemini, & pro qua tam dira hactenus passi estis, fidei adjuncta etiam expositione, quum rituum in vestris Ecclesiis observatorum, tum etiam quæ apud vos obtinet ordinis & regiminis Ecclesiastici ratio, &c. Illustrissimus autem Orator Haga, per suas ad nos quædam summatim capitula misit, illaque esse affirmat, de quibus D. T. sibi scribi postulat, quamvis succincte in tuis litteris, magis vero ample in Domini Oratoris continerentur, ad quæ nos compendiose respondere intendimus. Utcumque tamen humanitas tua boni consulat, &c.

Fides Christiana vel est de Divinitate, vel de Incarnatione verbi. Si de Divinitate, vel essentiam respicit, vel distinctionem personarum. De essentia nulla est inter nos controversia, idem enim sentimus, una vobiscum Arianos explodimus, Samosatenosque, & reliquas hæreticorum larvas essentiam oppugnantium, negantiumque Filium & Spiritum sanctum unius ejusdemque cum Deo Patre consubstantialitatis. *De essentia personarum.*

De Personarum distinctione nullam esse aliam differentiam inter nos, compertum est, nisi quod in modo existentiæ personæ Spiritus sancti ab utroque dicitis procedere, quod Ecclesia Græca non ita dicit. Jacobus Arminius, quem ego pluris facio, in libro disputationum, quas nuper ad me Dominatio tua misit, in publicis thesibus, sexta, disputat de Spiritu sancto, & præter alia ad Spiritus sancti personam pertinentia, profitetur se probare velle, Spiritum sanctum ab utroque procedere, quod non perficit. Cum ea quæ dicit omnia, sine dubio intelligantur, secundum assertionem Græcæ Ecclesiæ; ipsa enim Spiritum sanctum à Filio essentialiter, & interne, & quoad esse, procedere negat. Quia vereretur ne dicendo à Filio, ut à Patre, duo asserat in divinis principia existentiæ Spiritus sancti, quod esset impium; maxime cum sciat istam additionem, pri- *De personarum distinctione per respectum Spiritus sancti.*

Digitized by Google

Ep.213. primam Romanam Eccleſiam, innovationum amatricem, in ſymbolo excogitaſſe; quam inaniter conantur expoſitionem, non additionem eſſe, oſtendere controverſiſtæ. Qualemcunque vero, exprobrant Græci, factam eſſe, maleque factam; hoc quidem, quia in Epheſino Concilio, quod fuit tertium, in quo Cyrillus præerat Alexandrinus, decretum eſt, nemini licere proferre aut ſcribere, aut addere, præter ea quæ definita ſunt à Patribus in Niceno Concilio. Nec ideo debebant Romani in Symbolo addere, *Filioque*; illud vero, quia non ita ſe habere veritatem ob multas rationes conſtat, &c. hinc fit quod diræ Græcis obnuncientur, Schiſmatici habeantur, imo impii, quia Romano Epiſcopo, qui (ut ajunt) errare non poteſt, adverſentur. Cum autem Græci inſtent, atque probent, non eſſe, neque ſe velle cognoſcere in Romana Eccleſia plus autoritatis, neque per divinas, neque per humanas leges, quam in propriis Patriarchis, ideoque ut iis, ſic Romano eſſe facile poſſe labi, inſurgit ei ῥαβδος (*turba*) Jeſuitarum, inter quos Ariſtarchus quidam, Sanderus nomine, in ſuo Chronologio, qui profuſe plures recenſet (ſi diis placet) errores Græcorum, at omnes in unum tendunt, nil enim omnes eſſent, ſi tantum Papæ Romano crederent, eumque ſuperiorem vellent, atque proiterentur in terris Chriſti Vicarium, quia vero hoc negant facturi, excommunicantur, & condemnantur. Et ſi Jeſuitis, vel mendaci crederemus Sandero, miſeri eſſent Græci; cum ii qui diſputant, graviterque defendunt, homines de propria ſalute non eſſe certos, Græcos jam condemnatos velint. Neque amplius ſpes illos ſalvari poſſe, niſi Romam proficiſcantur, niſi inde plenariam obtineant indulgentiam. At non prætendunt Græci iſtos corruptores audire, ſed ſtant in iis quæ credunt eſſe primitivæ Eccleſiæ dogmata. Quid autem ſentiant de Spiritus ſancti proceſſione, quomodoque aſſeri debeat, ex hoc unuſquiſque judicet. Eorum quæ ſunt in divinis vel eſſentialia ſunt, vel perſonalia. Eſſentialia eſſe communia propter unitatem ſubſtantiæ, nemo eſt, qui dubitet; neque ſine impietate quod eſt uni perſonæ eſſentiale alteri negabitur; & eſt confeſſum ita hoc ſe habere. Perſonalia vero ita eſſe diſtincta fatemur, ut niſi hæretice & perverſe, confundi nequeant. Si itaque aliquis quæreret, eſt ne proceſſio Spiritus ſancti perſonalis vel eſſentialis? neminem reſponſurum puto eſſentialem eſſe, ſed perſonalem, ut verum eſt, nec aliter dicere oporteret. Nam ſicut generatio tum activa, tum paſſiva perſonalis eſt, ita & proceſſio tum activa, tum paſſiva perſonalis erit. Perſonalia vero diſtingui neceſſario debent. Ergo ſi Spiritus ſanctus procedit à Patre, id eſt, habet eſſe hypoſtaticum à Patre, unum habebit Spiritus ſanctus principium ut terminum à quo. Si autem & à Filio procedet, dum omnino habebit principia, quia perſona Patris & Filii realiter ſunt diſtinctæ, & proceſſio activa Ep.213. erit duarum perſonarum inter ſe diſtinctarum. Ergo à duabus perſonis, Patris videlicet & Filii, ut inter ſe diſtinctis, habebit eſſe Spiritus ſanctus, & ſic duo habebit ſuæ ſubſiſtentiæ principia, &c. Ad quod abſurdum fugiendum ac evitandum Græci à ſolo Patre dicunt habere eſſe Spiritum ſanctum, id eſt, procedere. Quod ſi quis dixerit ab utroque procedere, tanquam ab uno principio, è contra quis non videt, ut perſonas diſtinctas non poſſe (quo ad intra loquendo) eſſe unum principium, ſed duo? Quo enim ad extra, id eſt, quo ad creaturam Trinitas ut Conſubſtantialis unum erit principium, unus enim eſt Deus qui dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quo autem ad intra, ut ſint diſtincta, opus eſt, perſonalia. Quod ſi ut unum ſunt, principium Spiritus ſancti ſunt, vel Spiritum ſanctum active procedunt, & Spiritus ſanctus unum eſt cum utroque, id eſt, cum Patre & Filio, ergo à ſe procedet, ſuique erit principium, quod contra veritatem eſt. Si autem quis diceret Spiritum ſanctum Filii eſſe, à Filio mitti, dari, δίδοσθαι, ἐκχεῖσθαι, ἐκχεῖσθαι, ἐμφυσᾶσθαι, ἐκπέμπεσθαι, (*dari*, *profundi*, *effundi*, *inſpirari*, *mitti*) & multa alia, quæ in Patrum ſcriptis habentur; hæc quidem vera eſſe fatemur, Spiritum enim ſanctum, mitti, dari, & à Filio, & Filii eſſe, ſicut & Patris, quis unquam ibit inficias? Sed aliud eſt procedere hypoſtatice, aliud dari & mitti temporaliter; quam miſſionem, ſi proceſſionem externam quis appellaverit, non errabit, quamque & ad Filium referri non negamus. At internam illam, ſecundum quam Spiritus ſanctus habet eſſe, vel ſuam ſubſiſtentiam, ad ſolum Patrem referri non dubitamus. Et ut miſſos faciam Græcos Theologos, nunquam vidi apud D. Hieronymum, à Patre & Filio, vel ab utroque procedit, ſed ſolum à Patre procedit. D. Auguſtinus quando de proceſſione interna verba facit, à Patre dicit procedere Spiritum ſanctum; quando vero de externa, & à Filio aſſerit. In hoc animadverto Jacobum Arminium, in theſi ubi ſupra, nil prorſus ab hac ſententia differre, cum replicet non ſemel, de Spiritu ſancto verba faciens, à Patre emanat, & à Filio mittitur; emanare enim nil aliud eſt, niſi interne procedere, & à Patre habere eſſe hypoſtaticum; à Filio autem mitti, ut & à Patre, eſt externe, & ad ſanctificandam creaturam, id eſt, temporaliter procedere. Illam ſententiam amplectitur Eccleſia Græca, adverſus quam pertinacia Romanorum inſurgens, multa nobis objicit, & maxime quod perſonas Filii & Spiritus ſancti confundamus, quia ut dicunt, auferimus relationem inter illas, quæ ſola diſtinguit. Nos vero ſcimus, ſatis per modum eſſendi, hoc eſt, τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως, Spiritum ſanctum à Filio diſtingui. Filiatio enim & proceſſio ſufficiunt, diſtincta nobis oſtendere τὰ αἰτιατὰ, (*cauſata ſeu effecta*) ac ideo additionem

Ep. 213. illam superfluum, simpliciter intellectam non suscipimus, adversus additionem istam, id est, κ᾽ ἡ ἀσεβὴς ἐκείνη προσθήκη τῶν ἁγίων Βασιλείου καὶ Γρηγορίου, καὶ ἑτέρων τῶν θεολόγων ἐλεγχθεῖσα καὶ μάλιστα ἀληθείᾳ, ἣ καὶ σύμβολον παλαιόθεν φερόμενον ἐμφανίζουσι, ἀλλ᾽ ἐλεγχόμενον τῇ ἀρχαιότητι τῶν πατρικῶν ἀποδείξεων, καὶ ἄλλοι πολλοί. οὓς οὐκ ἂν ἀκριβείᾳ τῇ παρ᾽ ἡμῶν ἐξελέγχειν εἰκός, ἀλλ᾽ ἡμεῖς τῷ αὐτῷ, τῷ ἁγιωτάτῳ δεσπότῃ Χριστῷ, καὶ τῷ μακαρίῳ Παύλῳ ἀποσκήψαμεν, οἳ τὸ αὐτοῦ Πνεῦμα ἐνδείκνυνται, ὅπερ ἐστὶ καὶ τὸ φῶς καὶ ἡ πίστις, ἡ τῶν βασίων καὶ ἀναπολόγητος καὶ ἀνεξάλειπτος ἀπόδειξις. τοῦτο δὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν ἐστιν, ἐφ᾽ ᾧ ἐσφραγίσθημεν εἰς ἡμέραν λυτρώσεως: τοῦτο τὸ ἀληθοῦς, καὶ ἀνεργοῦν τὸ ἐν θεῷ ἄλλως χαρίσματα, ἑκάστῳ οἷς τὸ συμφέρον κατὰ βούλησιν: τὸ ὁδηγοῦν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, καὶ σοφίζον τοὺς ἀπειρόκακους εἰς γνῶσιν ἀληθῆ, καὶ ὁμολογίαν ὀρθήν, καὶ λατρείαν ἐν πνεύματι, καὶ εὐσεβείαν τελείαν θεοῦ Πατρός, καὶ ἐν φωτισμοῖς ἑαυτὸν, καὶ αὐτὸ δὲ ἐν τελείοις: τοῦτ᾽ ἔστι τὸ Πνεῦμα ἐκπορευόμενον, ὃν πατρὶ καὶ ἐν υἱῷ ἁγίῳ), &c. (*contra additionem istam militant valde Basilius, Gregorius, caterique Theologi; ex vetustioribus autem maxime Athanasius (cujus etiam Symbolum adulteratum circumferunt, sed id redarguit antiquitate primorum, jam olim qua fuerunt exemplarium*) *& complures alii, quos nunc recensere fuerit inconveniens. Sed nos pra his maxime Domino nostro Christo & beato Paulo mentem advertimus in processione Spiritus Sancti, sicut etiam in aliis fidei capitibus ac validis citraque demonstrationem receptis hominum placitis, aut periclitantibus traditionibus. Hic vero Spiritus sanctus est, quo obsignati sumus in diem redemptionis: hic distinguit atque efficit omnia totius Deitatis charismata, unicuique ex commodo suo, prout voluerit: hic ducit in omnem veritatem, & corroborat credentes in vera cognitione, & accurata confessione, & Religione pia, & spirituali adoratione Dei Patris & unigeniti Filii ejus, & ipsius etiam Spiritus. Hic à Patre procedit, ex Patre autem à Filio mittitur, iisque confertur qui digni sunt ut accipiant, id est, iis qui digni sunt, communicatur.*) Sed de hac materia, non intendo in præsentiarum ulterius sermonem protrahere. ἔλαττον ἢ εἰδὼς αὐτὸν, οἱ ἀπὸ διαθέσεως εὖ, μᾶλλον καὶ ἀναγνώσεσιν. (*sed de hac re alias, si non molestum tibi, & plura & accuratiora.*)

De verbi incarnatione. In Articulo, ad verbi incarnationem pertinenti, Ecclesia Orientis Græca, minus differt à vobis. Verbum enim Dei incarnatum, credit & affert, à beata semper Virgine Maria, ἐκ διαπαντὸς παρθένου, ἀπὸ διαπαντὸς παρθένου ἁγίας καὶ ἀχράντου καθαρῶς, ἐξ οὗ αὐτὸ τὸ ἀδιαιρέτως ἑνωθὲν φύσει: τοῦτ᾽ ἔστι, σάρκα ἐμψυχωμένην ἀσυγχύτως, ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, ἀσυγχύτως δὲ καὶ αὐτὸν ἐκ συναμφοῖν μείξεως, θεὸν τελειωθέντα, ἀπὸ ἀδιαιρέτου ἑνώσεως, εἰς ἀνὴρ τελείως τοῖς φύσει, καὶ ἀνεξαλείπτως, ἕως καὶ ἐκ αὐτοῦ καθ᾽ ὑπόστασιν, ἄλλον θεὸν, καὶ ἄλλον ἀδιαιρέτου ἐκ αὐτοῦ. οὐ καὶ μὲν τὸ ἐξ οὐρανοῦ θεὸν, μὲν τὸ ἐξ αὐτοῦ ἀδιαιρέτου. αὐτοῦ ἁγιωτάτου ἀνεπιλήπτου ἀμώμητον ἀληθείᾳ, ἐκ ἀγίας καὶ ἀχράντου τροφῆς ἄλλως, οὐ κατὰ τὸ ἐξ ἐκ θεοῦ ἀληθείας ἀπόνοιαν, ἀλλ᾽ ἐκ αὐτοῦ ἀπόνοιαν ἀδιαιρέτου. αὐτοῦ ἁγιωτάτου ἀνεπιλήπτου ἀμώμητον ἀληθείᾳ, ἐκ ἀγίας καὶ ἀχράντου τροφῆς ἄλλως, οὐ κατὰ τὸ ἐξ ἐκ θεοῦ ἀληθείας ἀπόνοιαν, ἀλλ᾽ ἐκ αὐτοῦ ἀπόνοιαν ἀδιαιρέτου. Ep. 213.

(*non ex feminis, sed ex Spiritus sancti verbum esse conceptum, atque in eo humanam consistere naturam, id est, carnem animatam eum assumsisse, cum anima nempe rationali & intelligenti, prodisse ex ipsa Matre semper Virgine Deum incarnatum, non hominem Deiferum, in duabus perfectis naturis & operationibus, unum eundemque secundum hypostasin, totum Deum & totum hominem eundem; neque Deum secundum corpus, neque secundum Deiferum hominem: sacrosanctam hanc dispensationem peractam fuisse à sancta beataque tota Trinitate, quæ in ipso Dei Filio eam perficit, per eam quæ ante sæcula præordinata est, & quibus placuit temporibus producta, ad vocationem & evectionem naturæ humanæ. Ex Patris enim beneplacito & sanctissimi Spiritus cooperatione Dei verbum homo factum est, omniaque quæ in ipsum ac de ipso scripta erant implevit, obediens quidem Patri factus usque ad mortem, sed & sponte sua ut Deus omnia suscipiens.*) Dicat de incarnatione cui placent ista Latine, mihi pro tanta mysterii majestate, elegantius Græce dici posse videntur. Sed hæc satis brevitatis gratia, &c.

De sacramentis. Quoniam vero Dominus noster Jesus Christus, in Testamento gratiæ, quod est suum Euangelium, perfecte bono salutis nostræ providens, Sacramenta nobis instituit, & de illis aliquid notandum ducimus, de iis maxime, quæ potissima sunt & principalia, de Baptismo videlicet & Eucharistia. Quorum usum ita necessarium arbitramur, ut sine quo neminem de fide posse esse certum credamus; etsi enim sigilla sint Euangelii gratiam conferentia, ac non debent penitus à fide separari, quia ut ipsa sine fide, sic fides sine ipsis, propter institutum, efficax esse non potest. Hinc est quod in Ecclesia perpetuus esse debeat usus eorum, quamvis alterius iterari nequeat, & sine quo Eucharistia gratiam non conferat, imo qui non baptizatus communicaret, Sacramentum non sumeret, quia extra fidem veritatemque usus, ordinis, & instituti sumeret. Eo modo nec profuturum utrumque ad salutem impœnitentibus dicimus. Quia impœnitentem non salvat Baptismus, indigne vero manducantem & bibentem, reum esse corporis & sanguinis docet Paulus, &c. E contra, quantum valeant possintque Sacramenta ista fidelibus, patet ex eo beneficio, quod recipiunt, quibus meritum passionis communicatur; utrumque enim passionis & mortis Domini est significativum, & nuncitivum.

Ep.213. tivum. Cum de uno dictum sit, *Hoc facite in meam commemorationem*; hoc est, *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* De altero vero. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus:* unde per illud consortes nos fieri divinæ naturæ certum est, per illud vero renasci, sine qua renascentia communioneque difficile esset justificari, hinc fit quod semper gratias agere hortemur Patri, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὸν μερίδα τῶ κλήρου τῶ ἁγίων ἐν τῷ φωτί, ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους, καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ ἀγάπης αὐτοῦ, ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν, τὴν τῶν ἁμαρτιῶν, &c. (*qui idoneos nos fecit ad participandam sortem sanctorum in luce. Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum ac transtulit in regnum Filii sui dilecti. In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, id est, remissionem peccatorum.*)

De Baptismo. In Baptismo necessariam arbitramur formam, non inflatam & ἀπλεγγυον, (*fastuosam*) sed ταπεινὴν καὶ, καὶ ἁφελῆ, (*humilem & simplicem*) qualem esse arbitramur, istam, βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, &c. (*baptizatur servus Dei in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.*) Sed ante omnia Ecclesia Græca servat aliquas cæremonias, ut sunt abrenunciatio Sathanæ, susceptorum infantis fidei professio, nominis impositio, trina mersio, aliæque pauci momenti, sed omnes piis orationibus comitatæ, de quibus sine utilitate longum esset disserere, &c.

De Eucharistia. In Sacramento Eucharistiæ istas maxime servari tenet cæremonias; cum enim ob duo hoc tantum mysterium traditum esse nobis constet, in commemorationem mortis Domini, & in corporis & sanguinis sumptionem: ob mortem commemorandam Ecclesia nostra ante panis fermentati consecrationem solet illa verba recitare, ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἄμωμος ἐναντίον τοῦ κείροντος, &c. (*ut ovis ad mactationem ductus est, & ut agnus insons coram suo tonsore.*) deinde, καὶ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ ἔνυξε, καὶ ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ. (*& quidam ex militibus lancea latus ejus fodit, & statim exivit sanguis & aqua.*) Et vix ista finiuntur, & statim in calice vinum & aqua infunditur, &c.

Esset hic inferendum περὶ μερίδων τῶ ἁγίων; (*de partibus sanctorum*) quæ μερίδες (*partes*) novem minimæ particulæ sunt panis, & decima sanctæ Mariæ Matris Domini, quas post aquæ & vini in calice infusionem, ab uno pane oblato sumptas, penes Eucharistiæ panem ponimus; ad significandum jam beatam esse sortem Sanctorum, qui ut membra capiti Christo conjuncti, una in cœlesti gloria triumphant. Sed non multum interest, si Orientis ista pia peculiarisque cæremonia, ad essentiam Sacramenti parum, vel nihil pertinens, late Ep.213. non extendatur, cum de illa aliis constare necesse non sit. Quamvis enim Romani ordinationes humanas, ita ad salutem necessarias prædicent, ac profiteantur, ut nisi ad minimum punctum quis observet, apud illos salvari nequeat. Nos tamen, quo ad me, è contra divinas certas infallibiles credimus, humanas indifferentes, ut fallereque potentes, suscipimus, atque tenemus; judicioque Scripturæ & Euangelii, & Spiritus sancti examini subjicimus; quod si bonæ & utiles, amplectendas esse ducimus, sin aliter, respuendas & rejiciendas, &c. Expedita cæremonia τῶ μερίδων, (*partium*) orationes aliquot recitandas aggredimur, & finitis narrative verbis, quæ vel de Cœna Domini dici, vel ipsum Dominum retulisse memorant Euangelistæ, λαβὼν ἄρτον τὴν εὐλογίαν ἔκλασεν, καὶ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε, λάβετε φάγετε τοῦτο ἐστι τὸ σῶμα μου, &c. καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον τὴν εὐχαριστίαν ἔδωκε δοὺς λέγων, πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, &c. (*cum accepisset panem & benedixisset, fregit eum dedisque discipulis, & ait accipite, comedite hoc est corpus meum. Et cum accepisset poculum & egisset gratias, dedit eis dicens: Bibite ex eo omnes, hoc est enim sanguis meus novi fœderis, qui pro multis effundetur.*) Statim Spiritum sanctum invocantes dicimus, καὶ ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον, τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου, τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ, τίμιον αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου. (*& facito quidem hunc panem pretiosum corpus Christi tui: hoc quod in poculo est, pretiosum sanguinem Christi tui.*) Quorum verborum D. Chrysostomus, in libro qui apud nos dicitur λειτουργία, (*ministerium publicum*) & ante ipsum D. Basilius, ordinator est. Post hæc κλῶμεν τὸν ἄρτον, (*frangimus panem*) & communicamus utramque speciem: & si quis Laicus, id est, eorum aliquis, cui non est datum hoc Sacramentum administrare, communicare voluerit, & ipsi utramque speciem sumendam proponimus, &c. Et hic finem habent de Sacramento Eucharistiæ cæremoniæ nostræ, &c.

De regimine Ecclesiastico. Quod attinet ad Ecclesiasticum regimen nostrum, de quo ei placet intelligere, Monarchicum non est, mixtum est, & temperatum. Monarcha est unusquisque in sua Ecclesia particulari; imo nec ibi Monarcha erit, nisi tyrannus esse velit. At sit Monarcha, ubi contumacia captus fuerit, subdit se judicio Aristocratiæ Episcoporum. Quod maxime amplectimur: comprobatum enim habemus talem ordinem fuisse à Deo institutum in Israëlitarum Ecclesia, cujus quidem princeps Moses, Aristocratia tamen ordinabatur. Iste mihi videtur proprie modus regendi Ecclesias; quod si nos hoc tempore in aliquo deficimus, causa est infidelium tyrannis, ad quam multoties confugit hominum perversitas, confunditque ordinem Ecclesiasticum nostrum, quod

Ep.213. quod non semel hisce temporibus oculi viderunt nostri, &c.

Græca Ecclesia in plures nationes dividitur, in Hyberos, Cholcos, Arabes, Chaldæos, Æthiopes, Ægyptios, Moscovitas, Rutenos, Bulgaros, Servos vel Sclavos, Albanenses, Caramanos, Valachos, Moldavos, & Græcos, &c. Omnes istæ nationes in fide Christi constantes sunt, Græcæ Ecclesiæ suoque ritui, obtemperantes. Neque in illis præter cæremonias aliquas pro regionum consuetudine, innovationem in re fidei observabis: accidit aliquando, ob ruditiem atque imperitiam, alicui nationi superstitio, cui sine fidei detrimento indulgemus, quia occurrere non possumus, ob multas variasque difficultates. In iis autem quæ ad fidei essentiam pertinent perseverantes sunt ac permanentes, sicut eis à principio est traditum, &c.

De quatuor Patriarchis.

Istæ Nationes habent quatuor legitimos Patriarchas, inter quos primum locum tenet Constantinopolitanus, secundum Alexandrinus, tertium Antiochenus, ultimum Hierosolymitanus. Constat ante Imperium Orientis, nunquam Archiepiscopum Constantinopolitanum functum titulo Patriarchatus, semperque Alexandrinum primatem fuisse, ut licet tum ex aliis locis & argumentis, tum ex primo Concilio omnium celeberrimo colligere. At ordo mutatus Constantini Imperatoris opera, qui novam Romam suam expertem alicujus novi magni Antistitis præsentia non patiebatur. Jure tamen nunquam Constantinopolitanus Patriarcha loci obtinuisset primatum, nisi rogatus Alexandrinus sua sponte cessisset; neque cessisset nisi privilegiis donatus majoribus, & titulo supra Constantinopolitanum, quibus ad hoc usque tempus Alexandrinus totius Orientis fruitur admiratione; quæ si iis, qui ultra fines Orientis sunt, aliquis sermone exponeret, fabulam dicerent, & tamen vera sunt. Hæc autem ad tuam Dominationem, non quia de primatu cum Constantinopolitano contendamus; nam hoc quærere in Ecclesia est lacerare Ecclesiam, & stoliditas esset atque ineptia Ecclesiasticis de primatu loci cum detrimento animarum controversari. Primus & magis beatus est, qui ad exemplum Pauli se conformat, qui minimus in Ecclesia esse profitebatur, sed plus omnium ædificabat. At quoniam veritas ita se habet, hoc scribere non neglexi tibi amico meo, isto ordine primatus loci inter illos servatur, in reliquis pari sunt consortio præditi, eoque modo fraternitas integre conservatur, &c.

Neque enim tibi hoc prætereundum, quod omnes Patriarchæ, præter Constantinopolitanum, ordinem optimum (de quo supra) regiminis servant Ecclesiastici; & causa est, quia electio illorum est legitima, statque in iis, quorum nil interest, nisi florentem, bene rectam & ordinatam aspicere Ecclesiam: quod si quid præterirent, Alexandrinus judex est vicinus, & censor, ad limitandum, & corrigendum ea, maxime quæ ad fidem spectant. Constantinopolitanus vero non ita, quia vis Turcica, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, (*ut plurimum*) sine præhabita electione, confirmat illum qui plus dederit, quod vehementer eis exprobrat Alexandrinus. At non valet Turcica competere violentia, quæ sibi quærit juste vel injuste accipere, ideoque magis à quibus datur, favet; deinde distantia locorum, & aliæ difficultates obstant, ut huic absurdo provideri possit, &c. Potentior est Constantinopolitanus propter latus Imperatoris, at omnium infelicior. Antiochenus & Hierosolymitanus, probi ac humiles prælati, vix sibi sufficiunt. Alexandrinus malus est, quia sine vi fratrum infandos debellat aliquando conatus, semperque iis formidolosus & suspectus est: de sua vero autoritate & æstimatione apud omnes, alii dicant. Hinc est, quod nisi Athanasium confirmasset, non esset Antiochiæ Patriarcha; nisi suo voto & opera electus Theophanes, non esset Hierosolymitanus; nisi nuper ejecisset Neophitum Constantinopolitanum, non esset Timotheus: & iste quantum sibi timeat, quia mala via est adeptus Patriarchatum, Illustrissimo Oratori remitto ut scribat. Quod si vult scire Dominatio vestra quare ejectus sit Neophitus: ob multas suas contumacias. Ille à principio tyrannide usus gradum istum ascendit, deinde multo plus tyrannico usus est regimine: ut vero adjutores haberet, suarum voluptatum satellites, aliquos nebulones Romanos in Ecclesia nostra prædicantes, introduxit, multos errores docentes, & simplicem populum seducentes; admonitus fuit non semel à me, nec se moderare voluit: hoc est, quod me coëgit, omni alio superato labore, & privato detrimento spreto, operam dare, ut gradu privaretur, quod perfectum fuit. At vacantem locum sibi Timotheus per numeratam Turcis pecuniam occupavit, ob hoc ei parit formidinem nomen Alexandrini Patriarchæ, & adhuc usque in aliqua commotione Constantinopolis est, &c.

De electione Patriarcharum.

Electio Patriarcharum, prætermisso Constantinopolitano, stat in iis qui sunt ἄριστοι τῆς πολιτείας, (*optimates Reipublicæ*) qui congregati una cum Clero, post habitas orationes solitas eligunt, quem aptiorem judicarint. Ubi fuerint electi, ut habeant possessum, aliquam summam deponunt Turcis, qui Ministri fuerint illius Provinciæ, &c. Alexandrinus solus Turcis non solvit, nunquam cum Turcis rem aliquam gerit Ecclesiasticam, nunquam illos vult consiliarios, & socios. Causa vero est prudentia & industria Patriarcharum præteritorum, qui providentes huic negocio, semper animos subditorum unitos conservarunt; à qua unitate bona malaque pendent, quæ major est per Dei gratiam, nostris temporibus, statque in omnibus pro nobis mirabiliter, neque unquam sinit Ecclesiam titubare Alexandrinam, prom-

Ep.213. prompte adversis occurrens, magis magisque quando vacans est. Quamvis pro aliis calumnus, more Turcico ab infidelitate excogitatis, detrimenta patiatur quotidiana, &c.

Ubi electi fuerint Patriarchæ, consecrantur tribus ad minus Metropolitis vel Archiepiscopis in consecratione intervenientibus. Cæremoniæ principales consecrationis sunt istæ: Stat electus in templi medio, suppositum calcans pannum, in quo aquila picta est, quam ajunt mundanam significare gloriam, quasi ei abrenunciet, fidemque alta voce profitetur, Symbolum recitans, & promittens se fidelem fore Christo & ovili. Quam cæremoniam solitæ sequuntur orationes cum invocatione Spiritus sancti, & manuum impositione, & Episcopatus nominatione: & hic finem habet consecratio. Simili modo & Archiepiscopi & Episcopi consecrantur. At hoc habent plus Patriarchæ, quod finita consecrationis cæremonia, datur eis baculus in manu, cum ampliori commendatione subditarum animarum, & aliquibus caput oleo ungitur, quod dicitur confirmationis, ut Hierosolymitano & Alexandrino, at non aliis: quare vero, præter consuetudinem, non aliam causam animadverto, nisi quam colligo ab iis quæ tunc recitantur, in ipso facto, ut sint videlicet χριστὸ Κυρίου, (*uncti Domini*) ad similitudinem eorum, qui in Testamento veteri: at quia indifferens est cæremonia, non utuntur alii, &c.

Unusquisque Patriarcha suos habet Archiepiscopos & Episcopos, plures habet Constantinopolitanus cæteris, & post ipsum Antiochenus. Alexandrinus per suam Diœcesim habet suos Chorepiscopos, ducentis ab annis: causas vero recensere esset prolixum, quare non habet Archiepiscopos & Episcopos. Chorepiscopi Vicarii sunt, differunt ab Episcopis, quia isti in proprio Episcopatu ordinare, constituere & disponere possunt pro libito; Chorepiscopi sine superioris facultate non possunt, &c.

De Hæreticis in Oriente.

Quia vero aliquid scire proptat de Hæreticis in Oriente, neque de illis quidquid pro tempore fuerit, notare negligemus. Quatuor adhuc usque sunt Sectæ eorum, quibus Ecclesia nostra non communicat, Armenica, Coptica, Maronitica & Jacobitica, quarum deformis est ritus, plusque brutæ cæremoniæ: in fidei ratione hæretici; in moribus & aliis circumstantiis Ecclesiasticis, dices, nil eos à belluis differre, tot tenebris ignorantiæ offusi, ut vix sciant, si credant, vel quid credant: unaquæque tamen obstinata est in propriis superstitionibus, & erroribus.

De secta Armenica.

Armenii, Manichæi doctrinam sequuntur, multa credunt de propria Religione. Eorum Ecclesiastici dii tenentur in terris, quia leguminibus abstinent, jejunii tempore Quadragesimalis; sed dii isti, Deus verus est mihi testis, multoties stomachum mihi fecerunt, & qui percipit eorum obscœna & submorosa ridicula, sine dubio stomachatur. At forsan tibi non displicebit, si mihi particeps fueris in quadam parte; accidit enim mihi quod quondam Basilio, ut Gregorius refert, cum Armeno Athenis disputanti, quem è latere ferit Gregorius, & Basilius ἐπεγκλασεν τὸν ἰσθμὸν τοῦ στόματος, (*vultum in alteram partem inclinare fecit*) hoc modo mihi occurrit quidam Armenus, Barsabas nomine, cum essem Hierosolymis, in Templo sancti sepulchri, ibique nacta opportunitate, quia supercilliosus Armenus erat, seque doctiorem cæteris suis profitebatur, coram populi frequentia, cum minus unquam credidissem in tam ignorantem hominem incidere, pro tempore mihi visum fuit, tentare cujus esset spiritus; tandem congredimur, colloquium nostrum inde habuit principium, quod Dominus noster Jesus Christus, non κατ' φαινόμενον, (*secundum apparentiam*) vel verlatus cum hominibus, vel passus est, quia Armeni credunt passum κατ' φαινόμενον: scisitanti vero mihi, & urgenti impium esse credere, non realiter passum Dominum, quod idem est, ac realiter operatum salutem nostram negare, aliisque rationibus inconcussis & testimoniis Euangelii confutus Barsabas, veritatem quidem fateri erubuit, at elegantius sese mihi opponere excogitavit; cumque animadvertisset aliter se non posse meas rationes annihilare, uno verbo totam quæstionem concluſit, & controversiam decidit: Ego, inquit, scio Religionem Armenicam sanctiorem esse vestra, quia vos jejunio in Quadragesimali fabis reliquisque vescimini leguminibus, ex quibus multi vermes, multaque lues scaturit; at nos mundiciem Christiano debitam servantes, ista ut communia diebus terminatis jejunii arbitrantes, vix tangere audemus, & hoc nobis sufficiat, &c. Nonne tibi stomachum peperi ista narrando? at crede me diu obmutuisse, ambiguum, quid tam crassæ ignorantiæ responderi posset, nec oblitus dicti Euripidis, ὁ μὲν ἀκοὴ ὁ δ' ὑγιὴς ἦν ἀπήλγησε, (*animus dolore afficietur, lingua vero dolore non tangetur*) bonis iterum verbis optimum disputatorem ad aliud barathrum confusionis cogitabam. At unus ex domesticis meis alta voce responderat, merito (dicens) Domine Barsabas sanctus es, quia Pythagoræ animam gestas; at si migravere in camelum, cameluſque Barsabas esset, abstineres amplius fabis? Cui sine mora simplex vir quidam, sed ἀπὸ, (*festivus*) subjunxit; non dicas camelum; si Barsabas asinus esset, posseme in hisce regionibus vivere sine fabis? In hisce risus circumstantium coërceri nequivit; & istum habuit finem nostrum colloquium, abierat enim iratus optimus disputator Armenus. Intelligat hinc tua prudentia, quibus fundata rationibus ista colluvies, si credit in fide Catholica perseverare: super istam arenam eorum Religiosi propriam, & sequacium salutem ædificant, &c.

De Secta Coptica.

Alia Secta est Coptarum, qui doctrinam Dioscori, & Eutychetis sequuntur, spurca na-

Ep. 213. natio & barbara. Coptæ dicuntur, quia ſe circumcidebant; at modo non ſe amplius; ratio quæ illos ab hoc propoſito, ab ipſoque facto ſemovit, eſt, non quod (ut dicunt) irritum ſit, contraque legem, dummodo & ipſe Chriſtus Dominus circumciſus eſt; ſed quia cæteris Chriſtianis, cum non ſe circumcidant, daretur occaſio deridendi illos, &c.

Peſtem iſtam ſuſtineo in mea Ægypto, in Magni Cairi civitate, quæ cum antea Archiepiſcopatus eſſet Patriarchæ Alexandrini, ego quaſi toto tempore mei Patriarchatus reſidentiam meam ibi poſui, ob temperiem aëris, multaſque alias commoditates, raro me Alexandriam conferens: ibi ergo Coptæ iſti tam multi ſunt, ut ſi Græci certatim illis numerarentur, quomodo de Græcis & Trojanis ſcribit Homerus, decies Coptæ numerum ſuperarent Græcorum, & μυριάσι δισσοῖς ἀριθμὸν ἐπιοχέουσι. (*multa decades egerint pincerna.*) Multoties iſtos præceſſores mei Patriarchæ, ille præſertim Meletius ultimus Anteceſſor meus, vir doctiſſimus & exemplariſſimus, tentarunt ad viam eos veritatis trahere; at nunquam potuerunt.

Papa Clemens VIII. Romanus, multa fecit tulitque ſe componere cum illis, & rideret V. D. ſi ſciret quali uſi fuerint Coptæ in hoc negocio ſtratagemate, quantumque Papa ab illis deluſus fuerit, quamvis Baronius novus Hiſtoriographus, antequam bene veritatem percepiſſet, cum forſan pro more Aulæ Romanæ adularetur Clementi, iſtam ei gloriam referre properaverit, quaſi ob ſuam induſtriam, ſuis adeptam temporibus, voluitque ea de Coptarum in Eccleſia Romana converſione ſcribere in ſuis Chronicis, quæ tempus non multum poſtea falſa fuiſſe omnia probavit. Imo Paulus præſens Papa iſtam ob cauſam aliquos Coptas ejecit Roma. Habent iſti ſuperiorem, quem lingua vernacula vocant, Jabuna, quod interpretatur, Dominus. Iſte venit ad me aliquando viſitatu in Ægypto: quoties venit, mutus venit, mutus abit pro ſe, ſuorum aliquis loquitur, ille vero loquentis verba vel ἀνιὸ, (*remiſſione*) vel ἐπιλιὸ (*intentione*) capitis affirmat vel negat. Os vero nunquam aperit, quia dicit non licere multa extra domum ſuam loqui Jabunam, imo peccatum eſſe: at extreme præterque modum legem ſuam cuſtodit, quia non multa, ſed loquitur ἐδὲ χεῦ. (*nihil omnino quidem.*) Ego loquax & garrulus ſum, qui per me, non per alios loqui debere exiſtimo. Quod autem in illo bono Domino mihi magis diſplicet, hoc eſt, quia nunquam mihi faciem, niſi oculos ſolos aperit, totum caput tectum ſindone vel ſurſum, vel deorſum motum, faciem nunquam tibi dabit aſpicere, ſed dices larvam eſſe tragicam. Nolo tibi ulterius eſſe moleſtus, vir prudentiſſime, de tam abſurdis ſcribens; eſt apud illos Coptas quidam Caſis, Petrus vocatus: Caſis interpretatur Presbyter: ille me ſæpius adire ſolet, fatetur ſe Ep. 213. propriæ Religionis errores cognoſcere, & reprehendit ſuos: at ego ei parum credo, quia ſi quod os profert & conſcientia dictaret, non amplius vellet Presbyter eſſe Coptarum, &c.

Maronitica Secta eſt ſemi-Romana, imo incipit eſſe tota Romana; quia multi Maronitæ profecti Romam litteris operam navarunt, indeque in montem Lybanum, Caſtellum, in Provincia Phœniciæ, ubi eſt eorum reſidentia principalis, migrarunt, optime à Romanis inſtructi, & modo tota quaſi gens illa Romanam ſequitur Religionem. Cum maxime eorum primus Epiſcopus ſe Papiſtam profiteatur, & quia Antiocheni Patriarchæ Diœceſis contigua eſt Maronitis, timeo ne incipiant & vicinos inficere, præſertim, cum à parte Patriarchæ, & à nobis admoniti, conveniens tamen non ſit cautio; homo enim Arabs non capax eſt mali quod ſerpit, &c. *De Secta Maronitica.*

Jacobitica eſt viliſſima & ſpurciſſima natio, neque de illa eſt quod aliquid ſcribatur, niſi quod ob hæreſin ſuam Neſtorianam nos latere non debeat, &c. Iſtæ ſunt peſtes in Oriente, quas Deus per commune flagellum infidelium moderatur ne nobis noceant, &c. Hæc omnia magis curioſe quam cum utilitate ſcribimus, tibi morem gerendo; maxime cum ſciamus & curioſitatem aliquando delectare, quando fieri potuit brevius iſta notare voluimus, &c. Eſſent alia magis neceſſaria ad ſcribendum, pertinentia ad illas materias, quæ hoc tempore à doctis agitantur atque cribrantur; ut illa ſunt, quæ de libero arbitrio, prædeſtinatione, & juſtificatione, de quibus quid certe tenendum nondum conſtat mundo. Eccleſia noſtra ſemper idem tenuit, una eademque via iſta docuit, qui habet ſomnium loquatur ſomnium, qui habet ſermonem Dei, loquatur ſermonem Dei vere: quid paleis ad triticum? Debent, quibus hoc creditum eſt, opus facere Euangeliſtæ, implereque Miniſterium cum ſobrietate, ut non ebrius paſſionibus, quibus plena ſunt Jeſuitarum opera, non mentiri, ſed veritatem dicere præſumat. Scribere mihi de hiſce aliquid non permittit anguſtum tempus, imo neque eſſe opus arbitror, quia gravioribus, doctioribuſque convenit, ſine metu laborem iſtum ſubire; ut ſummatim fecit Jacobus Arminius, qui meo judicio doctus vir fuit; quia vero theſes ſcribit, in quibus implicite continentur materiæ, opus non curſim, ut ego feci, ſed ſerio legi librum ſuum oporteret, ut poſſit de illo dari copioſius judicium & non temerarium; quod mihi tunc poſſet pro libito Charitas V. imponere, ſi propriis eſſem in laribus, liber ab hoc moleſto itinere, cito me reverſurum ſpero ſi Deo placuerit, ſcribet ad me confidenter Dominatio veſtra, reſponſa vero grata viciſſim accipiet, meque amicum ei ſincerum eſſe luculentius intelliget, in Chriſtoque fratrem; præterea in meis *De Secta Jacobitica.* *Judicium de Jacobo Arminio.*

Ep.213. meis litteris animadvertet, quod nunquam aliquid exaratur, quod mihi non dictet ratio & veritas, quibus ſemper mea ſubmittenda eſſe volo: abiit à me, à conſcientia, à moribus, ut veritas vel negligatur, vel non aliis omnibus præponatur; ob veritatem ego & cum propriis meis fratribus Eccleſiaſticis Græcis, controverſor: hoſtis ſum ignorantiæ, & ut populum ſimplicem eſſe ἀμαθῆ, (*indoctum*) non moleſte fero, cum ſciam οὐκ ἐν τῇ ἀμαθίᾳ καὶ ἰδιώτῃ, (*& in ignorantia & rerum imperitia*) ſalvari poſſe homines adverſus fidei hoſtes indies quaſi dimicantes, atque non armis, ſed patientia, certantes, ut undequaque ſe Chriſti fideles probent. Ita mihi diſplicet Paſtores & Epiſcopos noſtros, tenebris ignorantiæ obmergi: hoc eſt, quod noſtratibus exprobro, at nil proficio. Nacti iſtam commoditatem Jeſuitæ in Conſtantinopolim fundamenta jecerunt, ad erudiendos pueros, & proficiunt quod vulpes inter gallinas. Obruet tandem Romana doctrina mundum, dum modo huic negotio tantam operam impendunt Curiæ Romanæ ſatellites, niſi Deus propitius fuerit, cujus dextra ſola navem noſtram turpi iſto naufragio ſalvare poteſt etiam; unaque ſpes nobis ſua eſt miſericordia & potentia, alias vires noſtræ tenues eſſent tantæ reſiſtere perſequutioni, quam præter alios, ii qui Religionis ſunt Græcæ in Polonia & Lituania, Ruteni, miſere admodum ſentiunt probantque, ob vim quæ eis infertur ab Eccleſiaſticis Romanis, opera Jeſuitarum, ut Eccleſiæ ſe ſubjiciant Romanæ; quia vero hoc ſe facturos negant, nil intentatum relinquunt Jeſuitæ, ut voti compotes fiant; hinc terrores, fugæ, exilia, cædes, multaque alia, quæ ſolo tempore Antichriſti futura legimus, confugiunt ad Eccleſium Græcam miſeri, cum jam videant everſas illius Regni leges, extinctum fœdus de libertate ſervanda, ablatam omnem rationem tuendæ pacis publicæ, velimus Eccleſiaſtica autoritate noſtra ad Regem, ad proceres, intercedere, rogare, ut liberi dimitterentur. Contigit Alexandrini Patriarchæ patrocinium hoc ſe ſuſcepiſſe, nec neglexit ſcribere ad Regem, ad magnates omnes, hortari illos, quo fieri potuit, proteſtari pro juſtitia, pro jure, pro legum reverentia, & tandem rogare, obſecrare. At omnia vana, adhuc uſque illinc certior factus ſum, pejus ingraveſcere perſequutionem & violentiam, quo plus & Moſcoviam occupare deſperant. Quæ certe in Polonia incepta multis aliis ſubminari videntur dominiis, & quid mirum ſi & ipſam Conſtantinopolim aggredi auſi ſunt? Audio vos cavere vobiſmetipſis, ne hoc fermentum detrimentum aliquod populis veſtris inferat; & valde mihi placuit. Idem, prout poterimus, nos quoque omni tempore faciemus, & tam magis, ſi veſtro ſpirituali conſilio adjuti fuerimus, veſtra charitate proſequuti, qua vos viciſſim à noſtra juſtum erit, ut uno ſpiritu, fidem Chriſti orthodoxam amplectentes, Ep.214. utrique pergamus ad ſupernæ vocationis adimplenda mandata, fideliter certantes, & ſemper veritatem defenſantes, in Eccleſiæ Catholicæ incrementum, in gloriam quoque ſempiternam Dei Patris, & Filii unigeniti, & Spiritus ſancti ſui, cujus benedictio & gratia tecum, mi dilectiſſime, ſemper ſit, faveatque tuis votis atque laboribus quotquot ſuſtines, pro exercendis pietatis officiis, in utilitatem ſpiritus eorum, qui tuis melliſluis fruuntur ſermonibus. Ne autem amplius tædio tibi ſimus, finem litteris imponimus, dextramque dextræ jungimus, fraternoque affectu te ſalutamus. Libros mihi miſſos ab Illuſtriſſimis Ordinibus, ubi primum rediero, Deo dante, videbo, & duplici guſtu legam, quia mihi ab ipſis Dominis miſſi ſunt, quibus quidem per litteras meas quam plurimas egi gratias; quod ſi Dominatio veſtra oretenus adhuc plures adderet, gratam rem mihi præſtaret. Pro libro vero Arminii, me tibi debere fateor; rependere tamen curabo ad propria revertens aliquo manuſcripto, & ſi quid aliud mihi eſt, omnia communia tuæ charitati erunt. Optarem quod mihi faceret luculentum catalogum auctorum electorum recentiorum (exceptis iis quos Illuſtriſſimi Ordines ad me,) qui graviter atque docte ſcripſerunt in utramque Scripturam, maxime in libros Moſis, in majores Prophetas, in Euangelia Paulique Epiſtolas, quibuſque vos ad plus utimini, & alios autores, qui ſcripſerint tum in Theologia, tum in Philoſophia, & aliis in artibus, in Mathematicis, illumque proxima occaſione ad me mitteret. Et mihi adderet nomina Doctorum, qui apud vos ſunt famoſi & nominati, viciſſimque nobis imponeret, quidquid ei ab iſtis partibus cordi poſſet eſſe, ſemper prompte gratificabimus tuæ humanitati, quam optime valere cupimus. Datæ in Valachia 10. Cal. Octobris 1613.

CCXIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Eccleſiaſtica.

ITa eſt, Vir Clariſſime, promiſi me ſcripturum copioſius: promiſſum tamen hactenus præſtare non potui, per occupationes & multas & varias. Detinuit me diu ſatis D. Grotius, ſui tractatus in Belgicum verſione & editionis cura, quin & Gallicæ verſionis inſpectione & correctione, minus tamen prout voluiſſem & decuiſſet accurata. Sæpius ultro citroque miſſitandæ literæ, jam Leidam, tum Roterodamum, cum multis aliis hinc pendentibus minutiis, multum temporis ſuffurantibus. Conciones interea habendæ in utraque lingua multæ fuerunt, abſente etiam altero Collegarum per dies aliquot, cujus vices mihi

Ep. 214. sustinendæ erant. In utroque cœtu administranda Domini nostri Cœna fuit, & instituenda membrorum nostrorum accuratior solito visitatio. Sollicitudinem etiam auxit Synedrii munitio, eo periculosior, quo periculosa magis tempora, quibusdam nullas non tumultuandi occasiones undiquaque captantibus, quorum artibus & cuniculis occurrendum fuit, & turbandi hujus Ecclesiæ pacem ansa præcidenda. Non memini autem à multo tempore me tot habuisse per mensem integrum, & amplius, interpellatores varie operam meam flagitantes: præter alia innumera. Non tamen ista omnia me ita detinuerunt, quin potuerim etiam ad te aliquid litterarum dare: verum nulla cum esset scribendi ita urgens necessitas, aliis magis necessariis priorem concessi locum, tibi etiam tuum concessurum mature satis, uti sperabam. Conquievi enim in nuper dato consilio, idque eo tranquillius, quod silentio ad illud tuo id comprobare visus esses. Jam vero quum omnino decrevissem magna jam superiorum occupationum parte absoluta, horam unam aut alteram T. H. concedere, en Consulem vestrum cum tuis ad me litteris, id quod jam facere decreveram urgentibus. Minutim ista exponere volui, ne quæ alia de silentio meo oboriatur suspicio. Quod igitur ad scripta tua attinet huic Comitiis offerenda, animadverto bonum illum virum, cujus nuper indicavi consilium, in eo esse totum, ut Procerum inter se animos commoda si obtingat ratione conciliet, eosque ad certum quendam Ordinem in Ecclesiis constituendum, salva in articulis motis dissentiendi libertate, flectat, ne hæc quorundam ferocia & animorum tam acerba alienatio tandem in apertum schisma, & quidem Politicum (quod Deus avertat) erumpat. Hoc autem ut efficiat, non videtur ille quicquam moturus præter illa quæ huc proprie spectant: veritus ne si etiam alia, veluti tua & Alcmariana immiscear, occasio inde arripiatur resiliendi & discedendi longius. Haud cavere tamen poterit, quin forte alii de tuo negotio aliquid dicturi sint: Quod si fiat, in promtu erit responsio, significasse te, scripta tua parata esse omnia, tantum hoc restare, ut in unam veluti tabulam objectiones omnes contrahantur, &c. Hic si acquieverint Proceres, factum hac vice erit satis: sin minus, vel evocari poteris ipse tu (quod non putem) vel ut scripta tua qualia sunt mittas imperandum. Forte etiam ipse sponte sua, si id cum fructu aliquo futurum prævideris, animosque ad pacem comparatos videris, vel sub initium, vel sub exitum Comitiorum, monebit te paratum esse scripta tua offerre, si jusserint, &c. Solet ille in ejusmodi rebus, prout omnium mortalium maxime circumspectus & prudens est, pro occasione multa agere, idque perrentatis primum eminus animis. Satis igitur tibi sit tua hactenus esse parata: idque jam indicatum illi, cui id significatum oportuit. Cætera illi curæ erunt, qui mollia novit fandi tempora; & Deo inprimis, qui rogandus summopere, Provinciarum & Ecclesiarum istarum misereri velit, & huic Comitiis ita præesse, quo moderata & tolerabili aliqua libertate concessa pax Ecclesiis restitui queat. Alioqui valde metuo, ne malum tandem fiat incurabile. Quod ad Comitiis litteras attinet, verum est nihil illas cum scriptis istis habere commune: verum si ita Procerum animos comparatos viderit is, cujus est illas exhibere, ut præstare judicaverit hac vice nihil de te movere, non erunt proferendæ litteræ: ex his enim oriretur occasio ingrediendi in ipsum tuorum negotiorum campum. Habeat igitur ille litteras, sed earum exhibitio vel occultatio permittatur quæso illius prudentiæ. Neque etiam putem illas tantum valituras, quantum existimas, ad retundendas novas Sibrandi quas vocas calumnias; quum ab uno tantum fratrum scriptæ sint, & quidem illo, quem constantem tui fautorem omnes agnoscunt; ne dicam, eum hoc nomine etiam suspectum forte esse aliquibus. Valerent profecto, & multum quidem, si omnium jussu & nomine scriptæ essent: quod quum non sit, suspicio erit abs te illas aliquatenus impetratas, ut causæ tuæ, alioqui in isto Comitatu (prout judicia sunt multorum) satis afflictæ, tale quale patrocinium quæreres. Videbo tamen denuo, & experiar quid commode, & in rem tuam fieri poterit. Interea Anti-Sladum tuum jam dudum à me lectum asservo, una cum confessione, nondum tamen meo judicio, nisi major urserit necessitas, exhibenda. Litteras tuas Magistratui Delphensi misi quidem, at tardius; quod factum non incuria mea ulla, sed quod certa de causa mittere inconsultum judicarem, nisi per quendam mihi notum, qui & Consuli cuidam traderet, & simul quid continerent indicaret, ante illarum apertionem. Quod cum faceret bonus ille vir, responsum tulit; jam sententiam in erronem istum latam esse, neque ulteriore disquisitione opus esse. Rediere igitur ad me litteræ, quas etiam nondum referatas asservo, remissurus ubi volueris. Quem autem eventum hujus actionis exspectes amplius, ignoro; quum publice virgis cæsus sit infelix ille, & in exilium ejectus. Exspectas autem forte exemplar, sive copiam actorum, id est responsorum ad interrogata super negotio tuo: quam & mihi pollicitus est Albertus; at nondum misit. Audio interea nebulonem istum perstitisse constanter in iis quæ antea passim de te testatus esse dicitur: & maxime de literis tua ipsius manu ad Ostorodium scriptis, & à se lectis. Infamis interea istius hominis & falsarii adversum te testimonium producere haud tentabit in posterum Sibrandus, si sapiet. Et si forte id alicubi adversum te protulerit, nata tibi materia illum exagitandi egregie. Copiam epistolæ ministri Norcomiensis ad Sibrandum & ego habeo, missam ad me à Consule ipso.

Ep. 214. Quod

Digitized by Google

Ep.214. Quod in ſcholiis ad Sibrandum occuparis, non improbo. At quando iſtarum ſcriptionum ullus erit finis? Piſcatoris ſcripta nondum vidi. Heri coëmeram: at reddidi poſtea bibliopolæ, id petenti in gratiam cujuſdam moræ impatientis, dum nova exemplaria adveherentur Leida, & pollicenti cras daturum aliud. Grauwerum accepi hodie, at nondum inſpexi. Editus etiam eſt à Ludovico Lucio Baſilienſi liber Andreæ Fricii de providentia & prædeſtinatione, jam olim editus, at jam recuſus, & oppoſitus Libavii cujuſdam medici theſibus Coburgi diſputatis: cui libello adjectæ etiam anonymi cujuſdam notæ in orationem tuam apologeticam; quas an videris neſcio. Grotii libellus jam utraque lingua prodiit: &, quod mireris, lectus eſt manuſcriptus à Rege & Epiſcopis Anglicanis ante ſeptimanas aliquot: quod valde artouitum reddidit Grotium, ignarum cujus opera id fieri potuerit: tandem deprehenſus in culpa Bertius, cujus ſolius id factum imprudentia & curioſitate nimia. Bene tamen habet quod Regi non diſplicuerit, alioqui, quod valde metuo, in cunis ſuffocandum. Si quis unquam libellus prodiit, qui noſtros zelotas ſit irritaturus, hic eſt meo judicio. Spero tamen aliquibus profuturum, & judicia multorum præpropera revocaturum: quamquam non omni ex parte quorundam non malorum inſtitutis faveat. De nuptiis, quod ſcribis, nihil me judice difficultatis habet eo ſi veris: niſi forte obſtiterint, præter obſtacula à te allata, eodem illo nuptiarum tempore habenda comitia, quæ tuam forte, ſaltem in vicinia, deſiderabunt præſentiam. De libro iſto Germanico remittendo ſcripſiſti nuper: remittam, at non niſi per omnino fidum nuncium. Duyſtius à me repetiit manuſcripta à ſe dictata Arminii adverſus Judæos, idque in tui gratiam, quod uſui illa tibi fore putares in ſcholiis adverſus Sibrandum: mox reddidi, at hac lege, ut mihi denuo concedat mutuo, tu poſtquam uſus illis fueris: quod mihi ſancte pollicitus eſt. Ne patere igitur ea in alterius venire & oberrare manus: unicum modo exemplar eſt, quod ſtudioſe nobis aſſervandum judico. Audiam aliquando ex te judicium de iis tuum. Ultrajecti quidam Senator conjectus in vincula, ob libellum quendam in Papiſtas & Remonſtrantes (quos à vera Chriſti Eccleſia apoſtataſſe, & Chriſto unico capiti novum ſubordinaſſe dicit, Magiſtratum videlicet) pro veræ, quæ Contra-Remonſtrantium eſt, Eccleſiæ defenſione prælo commiſſum & jam jam edendum: qui neſcio quid monſtrum parturire & præſagire quibuſdam videbatur. Interrogatus perſtat in ſententia, noſque omnes, me imprimis, utpote omnium Remonſtrantium anteſignanum, hæreticos manifeſtos, apoſtatas, hypocritas, proclamat. Homo ſatis notus, & qui ante annos aliquot in phreneſin inciderat: cuique adhuc dum haud firmum ſatis cerebrum eſſe videtur. Dabit tamen ea res turbas, quia Conſulis Drielenburgii ex fratre nepos eſt, & Senator. Dicit ſe mortem oppetere pro illa cauſa decreviſſe: ſcriptum valde ſeditioſum eſt, quanquam inſanum; ita etiam concinnatum, ut quicquid ſeditionem in eo ſapere videtur, in alium ſenſum torquere ſit facile. Ita Diabolus furit, & paci ubique inſidiatur. Apud nos Hagæ omnia adhuc Dei beneficio ſatis pacifica. Sunt quidem qui à concionibus meis abſtinent: at & pauci ſunt illi, & parum noti, neque quidquam publice movent; quanquam haud deſint, quos male habet non alios & plures mihi hic ſuſcitari adverſarios. Noſter antiquum obtinet, & de vehementia animique alienatione nihil remittit: at parum videtur proficere, & ego omnibus modis caveo, ne quæ occaſio rixandi arripi queat. Interea multa mihi ferenda, & pacis cauſa diſſimulanda & devoranda. Leidæ in vicinia eodem in ſtatu Eccleſia eſt quo hactenus: niſi quod auditorum Borrii & Arnoldi, ut & Epiſcopii, augeri aliquantulum dicatur; & miteſcere quorundam Flandrorum ingenia, ſive id per Feſti invaletudinem, ſive, quod quidam autumant, per Winwodi abſentiam ex hiſce provinciis, ſive (quod quidam volunt) arte id fiat. Roterodami vero idem ille zelus ab urbanis ſacris abſtinendi manet. Alcmariæ jam tantum non, & in ipſo quidem oppido, Eccleſia ſeparatim inſtituta, conducto ad hanc rem horreo capaciſſimo. Amſterodami omnia magis magiſque infecta novatoribus, quos vocant, qui omnes jam uno nomine Sociniani audiunt: deficiente magis magiſque moderatorum numero; tum quod nemo ibi ſit, qui pro Remonſtrantibus quid dicere & calumnias refellere audeat; tum quod paulatim illorum animis radices firmas agit hæc opinio, verum Socinianiſmum tegi ſub reliquorum articulorum pallio: quod & ita quibuſdam in Hollandia Magiſtratibus perſuaſum, ut non defuerit nuper in deputatorum ab Ordinibus collegio, qui diceret, facile conſenſum ab urbibus hactenus refractariis impetrari poſſe, niſi jam certo conſtaret aliud agi. Hic quid agimus? Sperant quidem aliqui Proceres, illos in moderatiorem ſententiam reliquarum urbium jam tandem adduci poſſe, ſaltem eouſque, ut ſancita unanimiter quinque articulorum toleratione, leges Eccleſiaſticæ publica authoritate conſtituantur, in iiſque certi ponantur limites, extra quos nemini quicquam movere licebit in poſterum. At non puto ego rem eo adductum iri: & ſi forte id præter opinionem meam fiat, prævideo neque hoc placiturum, majorem ſibi libertatem concedi volentibus quibuſdam fratribus: multo autem minus obtemperaturos iſtis legibus rigidos illos, niſi Synodus coëat primum, Eccleſiarumque ſuper ea re audiantur ſuffragia. Omnino ſtatuo, Northollandicas Eccleſias extrema tentaturas & paſſuras potius, quam ejuſmodi leges admittere. Hic quid agant Ordines, etiam maxi-

Ep.214.

Ep.214. me unanimes? Vim-ne adhibebunt? Non decet; & frustra adhibebitur, nisi Rempublicam in extremum volent discrimen adducere. Synodum convocabunt, ut suffragia audiant? Non facient; ne, quod sui juris esse arbitrantur, aliis concedere jam velle videantur. Et ut maxime modus aliquis inveniatur componendi omnia, salvis quinque articulis & authoritate publica, quid de te, quid de Venatore fiet, quorum causas semper in communi illa separare solent etiam nostri Proceres, saltem quoad ea, quæ peculiariter vobis objiciuntur? Venator etiam minus minusque gratus fieri incipit ipsis etiam politicis, & antea patronis. Ego igitur, omni re ultro citroque perpensa, huc redeo, quo jam dudum novisti tu, noverunt & alii fratres, eundum esse censui: vel omnibus modis urgendam nobis esse Synodum quibuscunque, etiam vel iniquissimis, conditionibus, alia si obtineri non poterit: vel declarationem edendam, sive Confessionem apertam, planam, & fratrum sententiæ conformem, de omnibus articulis, in quibus nos à Reformatis Ecclesiis dissentire suspicio est: vel si id non patitur conscientia, nuncium esse hisce Ecclesiis remittendum, hactenus saltem, ut abdicato ministerio, liceat nobis in hisce provinciis quiete vivere. Dura omnia, scio; verum pax patriæ dulcissimæ publica, & conscientiarum tranquillitas anteferenda reliquis omnibus. Quid molimur? Emendare in quibusdam Ecclesiam? At sanari non vult, & bene habere se dicit: vel igitur credamus hoc affirmanti de se Ecclesiæ, & abstineamus; vel abeamus. Quid si omnibus hoc integrum non sit? Age, faciant hoc quibus id integrum est: hoc enim præstare judico, quam Rempublicam periculo manifesto exponere, in continua inquietudine vivere: vel duram illam servitutem diutius servire. Ad te, mi frater & Reverende Domine, redeo. Crede mihi, omnibus istis scriptitationibus, notis, scholiis, Anti-Sladis, &c. nihil efficies: nunquam extricabis te: alterutrum tibi eligendum erit, vel dandæ manus revocatis quibusdam, vel abeundum, id est, munus publicum deferendum. Vides quotidie tibi novos creari adversarios: nemini nisi Socinianismi suspectis satisfacis, & his ipsis vix quidem; quod videaris multa premere, quæ promere non audes: promisisti tamen jam eousque, ut pedem referre non liceat. Contendit Grauwerus (heri sub noctem, quum has exarare occeperam, quædam in eo legi) salvis hypothesibus tuis præsertim Photinianos confutari posse. Ergo vel hypotheses relinquendæ penitus: vel Photinianismus adserendus aperte. Jugulum causæ iste haud inconcinne mihi petere videtur. Scio illum non adversum te solum sed & alios nostræ Confessionis homines insurgere: at hi facile se tuebuntur: tu vix poteris: tua nempe apertiora sunt, & plura; unde etiam passim tua producit toto illo scripto. Hæ sunt cogitationes meæ, quæ subinde recurrunt, animo etiam admodum sereno, non melancholicis humoribus (quod aliquando mihi objicere solent fratres) obducto. Video laborantes patriæ Patres: & magna quidem anxietate: Animadverto labefactari magis magisque piorum conscientias, quæ quo se vertant nesciunt. Rigidiorum odia magis magisque in nos concitari sentio. Pontificiorum & Lutheranorum sannis & ludibriis has Ecclesias exponi indies contemplor. Multos à Reformata Ecclesia ad Pontificios clanculum deficere, nihil addubito. Atheismum in aliorum animis obrepere firmiter credo. Totam Rempublicam periculo exponi præsentaneo horreo. Haccine nos moveant? Non agitur de tribus capellis, vel de umbra asini: agitur de rei summa. Excutiamus igitur conscientiæ sinum: si erravimus, fateamur errorem, floccique pendamus existimationis, quæ inde oriri poterat, jacturam omnem propter Christum ejusque veritatem. Si putamus errare illos qui nos prosequuntur, & quidem ita graviter, ut si ferre dissentientes nolint, & illi ferri nequeant: dicamus aperte, & societati isti, abdicatis etiam in Ordinum manus muneribus, heroico & cordato animo renunciemus: ut illi res suas secum habeant, nobis autem major constet conscientiæ tranquillitas. Si neutrum volumus, habeatur in nomine Dei Synodus, & eventus Deo committatur. Vides me aperte, candide, & serio agere, & cogitationes meas omnes in sinum tuum effundere. Ulterius ego conspicio, quam ad ea quæ ante pedes sunt: quod sane prudentis est. Nihil propono, nisi quod ipsi æquitati & conscientiæ bonæ sit contentaneum. Est in nostrate proverbio, *Men moet nagelen met hoofden slaen:* hoc velim fieri. Tædet harum confusionum. Apertius agi velim & rotundius: & sic decere judico. Tu ita si placet expendes: licebit etiam fratribus, qui ibi sunt, si ita videbitur, communicare: ita tamen, ne literæ in insidiosas incidant manus. Responsum ad hæc tuum, & quidem accuratum (quanquam minus accurate ego scripserim) exspectabo. Quo citius tamen respondeberis, eo melius. Saltem sciam brevi, si placet, & respondere nondum vacet, an has acceperis. Asservari autem has velim, & reddi, si ita postulavero. Scribito aperte & candide, neque vel tantillum de mea fide addubita. Ego si reliquis fratribus meas cogitationes & consilia mea minus probavero, conscientiæ meæ privatim alia forte ratione consulam; at nunquam quidquam committam, per Dei gratiam, unde mihi non candide satis egisse me exprobrare quispiam possit. Vale Clarissime Vir, & tuis precibus commendatum me habe. Salveat uxor tua charissima, etiam à mea. Hagæ penultima Octobris 1613.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

CCXV.

Digitized by Google

CCXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Maximum ex ipsi materiæ meæ cum sorore uxoris contractum.

HOnorande Frater. Quanto propius apud animum meum casum istum nupere exhibitum perpendo, (perpendi autem non oscitanter, alioqui in talibus non exercitus) tanto magis in eam partem propendeo, quæ illum jure divino & in foro conscientiæ vetitum non esse statuit. Argumenta quibus moveor duo sunt præcipua, quæ paucis accipe, quia vix momentum integrum longioribus literis relinquunt turbæ quædam nocturnæ studiosorum: I. Legis ipsius *Levit.* XVIII. manifesta verba, quicquid ea, sicut alia multa, cruda sua & ad ὑποθεσιν (*materiam*) controversam imo falsam συζυγίαν (*coactam*) interpretatione eludere conetur D. Junius. Vetant illa sororem uxoris ducere; sed cum exceptione, si superstes sit; & cum additione finis, ut ne affligatur: quæ ratio loquendi defunctam manifeste excipere videtur, utpote in qua etiam ipsa ratio prohibitionis cessat, nimirum superstitis afflictio. Si autem uxorem licet ducere sororem defunctæ post copulam, quanto magis ante copulam, aut sine ea defunctæ. II. A minori. Si fratri licuit, imo præceptum fuit, lege divina expressa ducere uxorem fratris defuncti sine prole & semine; ergo multo magis sororem defunctæ uxoris, sine prole, imo ante copulam, maritus ducere potest; ratio est, quia non tantum idem est affinitatis gradus inter sororem uxoris, & uxorem fratris; sed & major ratio turpitudinis in hoc quam in illo casu apparet, uti ratio fœminæ & viri manifeste indicat: & imprimis ipsa etiam copulæ abientia magnum discriminis momentum adfert. Contra hæc quid verisimile opponi possit, ego non video. Si eadem erit mens & sententia Collegæ mei, aut in eam à te adducetur suavi & leni persuasione & flexione, facile calculum nostrum impetrabitis. Quamquam non ignorem, quantam ista res tragœdiam excitatura sit, & quam malam nobis gratiam conciliatura, apud declamatores & convitiatores nobis infensissimos, quorum mihi jamjam tonitrua audire videor. Interea veritati litandum est, etiam cum dispendio famæ & existimationis. Si tamen prudentiæ interesse putabis ut dissimulem, hoc rerum statu, sententiam meam, quæso significa: Malim enim, ut ingenue fatear quod sentio, ita subactis animis Christianos reddi, ut non patiantur se amoribus ejusmodi efferari, quibus frui nequeant, nisi totius mundi odia, convitia, aut contraria judicia concitare velint in caput suum, aut omnibus illis obniti & contraire. Sed ubi morbus jam radices egit ob defectum hujus judicii, remedium quærendum, non irritandam morbi atrocitatem, imprimis ubi circumstantiæ ejusmodi, & tam variæ, illi patrocinari videntur, & ejus innocentiam indicare. Vale decus nostrum, & nos uti facis amare perge, & simul communem causam nostram promovere. Raptim. 29 Octob. 1613. Ep. 216.

CCXVI.

GERARDO VOSSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

MItto tibi, vir Doctissime, libelli mei exemplaria, rogoque ne molestum tibi sit duo mihi præstare beneficia; prius, ut mittas iis quibus inscripta sunt: deinde ut diligenter perlegas, ac libere me moneas ea quæ in secunda editione mutanda videbuntur: sive in Historia Veteris Ecclesiæ lapsus sim alicubi, sive etiam in patrocinio Ordinum legitimos fines alicubi excesserim. Fateor me commotiorem fuisse cum scriberem: ideo quod certo mihi videbar statuere posse, neminem esse alicujus in Republica auctoritatis qui non à Socinianismo abhorreat: & quod in Vorstii negotio, etiamsi quid admissum fuisset incuriæ, malitiam certe abfuisse confiderem. De summa rei, toleranda scilicet Remonstrantium dogmata intra fines ibi indicatos, & judicandum à Magistratu an rectum sit quod publice docetur, ita mihi πεπεισμενος (*persuasus*) videor, ut nihil addubitem. Deus Opt. Max. det nobis aliquando pacem Ecclesiæ, & te diu incolumem servet. 27 Octob. 1613. *De pietate Ordd. Hollandiæ.*

Tuarum dotium fidelis æstimator

H. GROTIUS.

CCXVII.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.D.

ITa me amari à te cupio, Vir Amplissime, quam vere illud nunc ad te scribo, nihil mihi videri scripto tuo, non dico elegantius tersiusque (quomodo tua laudare sit vituperare) sed doctius, nervosius, temporibus nostris accommodatius. Planeque persuasum habeo, juxta mecum sentire quotquot animum habent affectibus minime mancipatum. Sed, hèu! quotusquisque est, quem non epidemicus provinciæ nostræ morbus tanquam pestilenti aliquo sidere afflarit? præsertim ex eo Ordine, qui sub prophetici spiritus prætextu soli sibi omne controversiarum judicium deposcit. Equidem non sine gravi dolore coactus sum audire maligna adeo judicia hosce homines sementes. Non te in atramento, sed felle calamum tinxisse ajunt. Tantopere à te contemni Sibrandum, ut non Doctoris usquam elogio ornes, *Judicium de Grotii Pietate Ordd. Hollandiæ.*

ed by Google

Ep. 217. ornes, nisi cum umbraticum Doctorem appellas: Nec Theologi eum nomine digneris, nisi cum negas cum eo & similibus Theologis sapientiam morituram. At Sibrandum virum esse optime de Ecclesia & meritum & merentem; atque, ut forte alicubi exorbitavit, non tamen malitia peccasse, sed purae religionis zelo; tum autem minime dubitandum, quin totum hoc egerit Magnatum (aliquorum saltem) seu instinctu seu permissu. Nec enim bene adeo Frisios Hollandis unquam voluisse; & nunc recentes accessisse ixarum causas, ab exactionibus aut vectigalibus, nescio quibus, planeque metuendum, ne scriptio haec animos eorum magis exacerbet. Negant quoque magis te potuisse causam agere Remonstrantium, uno hoc excepto, quod non aperte zelotarum opinionem erroneam dicas. Sed longe omnium indignissimum se putare, quod Ecclesiastas dicas expostulare, quod non intersint conventibus publicis; ἐκλογεῖον (*electionem magistratus*) eos multis in locis obliquas per artes in se trahere, & ubi invaluerunt vindicare etiam sibi audere: δημοκρατίαν (*auctoritatem apud populum*) saepe ad civilia negotia extendere: Flandriam turbulentis suis concionibus perdidisse: tempore Licestrii hoc egisse, ut Ordines redderent contemtissimos: Ordines necesse habuisse eos publicitus monere, ut perdenda Hollandia abstinerent: periculosissimo tempore Ordinum detrectasse imperium, invisseque id oblatum externis. Neque quicquam te horum aliquo σὺν φαρμάκῳ (*pigmento*) edulcare: tantum dicere, bonos te minime horum criminum insimulare, ac mox ἐπιφώνημα (*acclamationem*) hujusmodi succinere, talia in Ecclesiastico ordine esse ingenia, ut plus iis, quam necesse sit, haud tuto committas. Subjicere te quidem mox, dolori tibi esse, quod causa haec aliter se tractari passa non sit. Verum haec occinenda iis, qui necdum aere lavantur: viris enim quotquot non omnino naris sunt obesae, luce ipsa clarius esse, longe aliter causam à te tractari potuisse. Multa enim à te mitti potuisse, & si asperiori esse necesse erat, nil tamen opus fuisse te omnia ἀναφανδὸν, καὶ ψιλῶς, καὶ ἐπίπληξιν (*aperte & nude per modum objurgationis*) agere; scriptum tuum esse παράδειγμα οὐκ ἀνακαμπτῆρος, ἀλλὰ φειδοῦς ὀφθαλμοῦ. (*exemplar non inflexibilis sed parcae acerbitatis.*) Si religionis hostis esses infensissimus, non tamen potuisse te tuto in Batavia indignius excipere eum ordinem, quem velle te dicis, ut à populo quam sanctissimus habeatur. Non aliud se persuadere sibi posse, quin cum apud Frisios esses ante biennium aut praeter propter, quoties item apud urbis nostrae Magistratum, & quosdam zelotas Ecclesiastas, de religionis ea negotio locutus, quasi mansuetissimi cujus pectoris neutrarumque partium, totum hoc animo feceris simulato: aut saltem mirandum esse, quod tantum tam cito sis mutatus ab illo, qui fuisti prior. Nominis tui autoritate Jesuitas publice privatimque se- Ep. 217.
se tuturos, ad exprobrandum ordini huic animum malitiosum, rebellem, & quibus non vitiis infectum. Primum te esse, saltem eruditorum, qui hujusmodi posteritati dicas scriptis tuis, quae aeternatura nec ipsi dubitentur. Nec sufficisse, ut haec lingua Latina legerentur ab eruditis; debuisse Ecclesiastas fabulam fieri cerdonibus ac tonsoribus, dum ea vulgarem in linguam transferri curas. Si quid à paucis aliquando fuerit peccatum, non posse caeteros praestare hanc culpam. Deinde non minus peccatum esse tum temporis à Rerumpubl. rectoribus, utut strenue hic Ecclesiastae mutiare cogantur. Denique, cum anni tot ex eo tempore sint elapsi, maligne admodum vulnus hoc toties refricari. Ex his facile intelligere potes, quantopere exacerbatus sit erga te quorundam animus. Sane nec desunt, qui bello sibi schemate videntur librum tuum nuncupare *impiam pietatem*. Interea melle dulcior iis circa cor gliscit iracundia, quando animo tempus illud concipiunt, quo, ut inquiunt, Sibrando & forte aliis (etiam Pontificiis, nisi eos spes fallit) poenas dabis. Quanti autem Sibrandum suum faciant, quo item te loco in Theologica palaestra habeant, hinc aestimare potes; quod quendam audierim apeantem tibi illud poëtae, Infelix puer, atque impar congressus Achilli. Nempe difficillime sibi persuaderi patiuntur, tantam Theologiae notitiam cadere in quemquam, qui minister non sit, ut de controversiis nostri saeculi judicium ferre ausit adversus Theologos suos; quod à te factum credunt. Tum autem, quia in Patrum lectione plane sunt peregrini, ne hac in parte videantur te indoctiores, etiam tibi loca, quae citas, aliunde suggesta apud indoctos calumniantur, nempe ab Utenbogartio, ut suspicantur. Haec ego, uti cum dolore aliquo, ita nec absque risu scribo. Et te quoque risum vix tenere plane habeo persuasum. Sane ex sermonibus tam insulsis facile judicare est, quam haud judicii sint ullius, vel eruditionis, utut unus alterque multijuga sibi placeat lectione. Tales profecto hostes minus tibi metuendi, quam Sibrando Vorstius: quem tantopere contemnit. Si tamen etiam scripto maledicere tibi non dubitabunt (quo de vix levem susurrum hactenus audivi) tuum erit animum firmare iis, quae ipse scripsisti. Regium enim esse ais, cum bene feceris, audire male: neque quenquam debere ad rem tam utilem atque tam odiosam accedere, nisi qui ad ferendas calumnias bene se munierit, ut honesti consilii conscientia possit dicere, Omnia praecepi atque animo mecum ante revolvi. Et de his hactenus.

Pag. 26. vers. ult. in Augustini verbis scribis *Caelestiniani aut Pelagiam*. Etiam apud interpretem tuum est *Caelestinianen*: ac video etiam ab aliis interdum ita nuncupari. Sed plane, duabus literis inductis, scribendum *Caelestiani*. Quippe, uti scis, nomen id à Caelestio Pelagii

Digitized by Google

Ep. 217. lagii discipulo, non à Cælestino, qui Cælestianis adversatus. Id cum fugeret Vallam, scripsit Cælestinum Papam Romanum faviſſe Pelagianis. Nempe Cælestium & Cælestinum confudit: quo nomine merito vapulat ab Annalium scriptore.

Pag. 50. In verbis Ammiani Marcellini, vel universa ejus verba adduci debent, vel vox *gravius* plane tollenda. Sic enim ille extremo libro XXI. *Eratque super his adimere facilis quæ donabat, Christianam Religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, &c.* Sententiam esse vides; non tam graviter componebat dissidia, quam perplexe religionem rusabatur. Omnino igitur τὸ *gravius* pertinet ad *componebat*, non ad *excitavit*.

Aliud quod moneam non habeo, ac fateor ne hæc quidem scriptione ullo modo digna esse. Sed cum opus non possem, operam saltem meam probare tibi volui. Supersunt tamen paucula, de quibus si præsens essem, judicium tuum exquirerem, uti cum pag. 52. ais, Augustanam Confessionem esse mutatam. Nescio enim an id magnopere ad rem faciat, cum privato quidem consilio Melanchthonis mutata sit, at publica, ni fallor, autoritate nunquam. Hoc saltem scio, Melanchthonem à Luthero hoc nomine objurgatum, quod fecisset id omnibus inconsultis. Scio & Germaniæ Principes, qui Confessionem sequuntur Augustanam, non aliam agnoscere, quam eam, quæ Carolo Quinto exhibita anno CIↃ IↃ XXX. Scio denique Lutheranos hoc pacto se purgare, cum à Pontificiis accusantur immutatæ toties Confessionis.

Quod pag. 36. ais, Chrysostomum, ubi necesse est, gratiæ necessitatem non obscure inculcare. Memini me, dum hic esses, tribus verbis de Chrysostomi sententia colloqui. Velim autem, si integrum, adeas τὸν ἠθικὸν (*moralia*) homiliæ XII. ad Hebr. Nihil clarius, quam tolli ab eo gratiam prævenientem. Et quid mirum? Cum idem in prioribus scriptis fecerit Augustinus, quem errorem retractat lib. I. Retract. cap. 23. Quare cogitandum, satisne solidum sit argumentum quod urges pag. 34. ubi ais, aut Remonstrantes Pelagianos vel semipelagianos minime esse, aut & Chrysostomum talem habendum, ne simus προσωπολήπται. (*personarum acceptores*) Nam dispar fortasse ratio temporis ejus, quod ante Pelagium fuit, quo, ut Augustinus alicubi scribit, securius omnino de gratia loquebantur. Interim Remonstrantes minime ejus erroris reos esse agnosco: tantum ambigo, annon jure semipelagianus sit dicendus, qui gratiam neget prævenientem; quamquam Chrysostomus, Augustinus multique alii ante Pelagium, eam minime agnoverint. Quod si est, non parum de vi argumenti tui decesserit: utut res in se vera sit. Possitque argumentum hoc, si sapit, urgere adversus te Sibran- Ep. 218. dus.

Pag. 118. Ratio sequitur, *quia alii aliorum calamitates ferre debemus.* Videndum an non aliovorsum torqueas Sibrandi verba. Nec enim id, puto, voluit Sibrandus, velle se Anglorum ferre infirmitatem; verum potius, ut Archiepiscopus nostrarum, si quæ sunt, Ecclesiarum ferat infirmitates.

Pag. 42. Inquis, *in crepusculo elucescentis veritatis.* Similiter loqui scio Jul. Scaligerum in historiam Theophrasti. Sed discere aveo, an & crepusculum liquido pro diluculo ponatur. Aliud judicare videtur Plin. lib. XVIII. c. 25. ac inprimis Censorinus de die natali cap. ult.

Verum somnolentum me (nam media jam nox est) ad meras nugas delabi sentio. Quare ne molestus tibi ultra sim, manum de tabula tollo. Ignoscas, quod nihil attulerim, quale expectasti. Nec enim id mearum virium est. Et toties integro hoc triduo de die partim à discipulis, partim ab aliis sum interpellatus, ut ipsas historias, quod optassem, diligentius examinare non licuerit; ac ne has quidem literas, nisi sera nocte, potuerim exarare. Sub vesperam responsum tuum accepi, de quo nihil addo, quia demum crastino mane de eo sum cum Corputio acturus. Vale vir Amplissime, Belgicæ Phœnix, cui (cum cætera large sis consecutus) unum hoc tantummodo à Domino exopto, ut valetudinem largiatur in hisce laboribus firmam, animum adversus injurias fortem. Dordrechti CIↃ IↃC XIII. Postr. Kal. Novembris.

Velim, vir Amplissime, apud neminem de literis aut judicio meo facias mentionem. Minus enim, si suspectus esse cæperim, prodero bonæ causæ. Quanquam profecto te hoc monere, nihil necesse fuisse intelligo, qui per te istæc longe melius vides. Iterum vale.

CCXVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S. P.

Defensio Puritatis Ordd.

BEasti me literis tuis, Vossi doctissime: magnasque tibi gratias habeo, non modo cum ea quæ observasti me mones, sed etiam cum nescire me vetas quam acerbos experturus sim censores. Tela prævisa minus feriunt. Sibrandum acrius à me exceptum dolent. Sed qui illum excusant, tam ferociter Politicis insultantem, cur me non excusant vicissim, si mei ordinis existimatio mihi cordi fuit, ut ipsi est sui? An minore periculo putant Magistratus traduci quam Ministros? Sane falluntur: nam Ministris auctoritatem facile restituent Magistratus, ubi opus erit: Magistratuum infamiam sequuntur seditiones & rerum publicarum excidia. An minus ferendum est, me Hollandis

Ep. 219. neis morem gerere, præsertim reis, quam ipsum Frisius suis, quos nunquam nos lacessivimus? Qui ægre ferunt à me tangi peccata quædam sacrati ordinis, ii sane multis historicis irascendum habent: si Annales mei prodierint, dicentur haud leviora. Qui Ecclesiasticam historiam legit, quid legit nisi Episcoporum vitia? Si graviter hanc causam ago: at metuendum mihi fuit, ne si frigide agerem, non ex animo agere viderer. Ago causam Ordinum: ago Fisci Advocatus. Σοφίσματα, (*acrimonia*) ni fallor, si unquam aliquando, hic fuit necessaria. Moderationem, quam olim præstiti, nunc etiam præstabo: sed ista non est moderatio, favere accusatoribus, indementem esse adversum reos. Jesuitæ occationem maledicendi hinc arripient. Credo sane: sed ipsi zelotæ satis caverunt hactenus, ne illis materia deësset; ita ut minime sit necesse eam è meo libello peti. Si alius linguis prodit liber, ego ei rei auctor non fui. Sed fuerunt, qui ita conducere Reipublicæ existimarent. Vetera odiosum est retractare: Sane, nisi nova metuerentur. Impietatis librum meum qui accusant, & mihi & eis quos defendo insignem faciunt injuriam: sed vulgare jam hoc est. Sibrandi iram non deprecor: dicat quæ visum fuerit; si in me, feram; si in Ordines, inveniet qui respondeant, & forte acrius quam feci ego. Theologum ego me non profiteor, nisi quatenus Christiano satis est: minus etiam scio, quam officii mei & temporum necessitas desiderat. Patres hactenus legi, ut constet mihi doctrinam de servo arbitrio & de necessaria credentium perseverantia esse non admodum antiquam. Animi mihi fortitudinem & corporis vires, quod precaris, amice facis. Ego quoque Deum oro, ea ut dona mihi largiatur: & si qua in re lapsus sum, cito me in viam revocet. Vides ut breviter ad ea quæ tu ad me scripsisti respondeam. Prodibit brevi nova editio, ex qua conspicies non perisse apud me observationes tuas. Judicium tuum clam futurum apud me noli dubitare. Scio quid amicitiæ debeatur. Deus Optimus Maximus diu te servet, & Ecclesiis pacem restituat. Postr. Cal. Nov. CIↃ IↃC XIII. Roterodami.

CCXIX.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Ecclesiastica.

TE meas nuperas, una cum literis Delphensibus & epistola Sibrandi glossata accepisse spero, Reverende & Clarissime vir, Frater in Domino dilectissime. Quia vero non dubito, quin magno afficiaris desiderio cognoscendi quid hic agatur; en tibi rerum summam. Ante dies decem exhibitæ fuerunt per Rosæum nostrum D. Advocato Festi literæ, cum scripto quodam obsignato, quod perebat D D. Ordinibus exhiberi. Exhibuit vir Amplissimus: at non visum Ordinibus isthac vice id aperire; veriti ne majores forte turbas daret. Experiri maluerunt quid ipsi per se possent, non adhibitis fervidis ejusmodi consiliariis. Die Martis post, occeperunt de rebus Ecclesiasticis serio agere, per examen decreti Trajectini, quod insertum habes ordini illius Provinciæ Ecclesiastico, de moderamine adhibendo in hisce controversiis. Illi decreto examinando, addendo, demendo, vellicando, transactus ille dies. Postridie habita preces & jejunium publicum. Sequenti die recitum ad opus inceptum. Ibi denuo civitates quædam usque adeo urgere apertionem scripti Festi nostri, ut tandem visum fuerit reliquis, morem gerere tam instanter id petentibus. Aliquot horæ ejus lectione insumtæ. Continet, quantum audio (visum enim id mihi non est) duo. 1. Justificationem actorum Delphensium adversum ea quæ penultimis comitiis ego in consessu Amplissimo dixeram: & repetitionem articulorum in conventu Delphensi nobis propositorum, additis variis suspicionum gravissimarum argumentis. 2. Media colendi pacem, vel incundæ potius concordiæ, hæc: maturum, primo: ut mentem nostram super propositis articulis exponamus: Secundo; considerationes si quas habemus in Confessionem & Catechismum aperiamus: Tertio; hisce scriptis denuo subscribamus: Quarto; de quinque articulis sententiam nostram, si ita lubet, retineamus, eam tamen ne doceamus, vel scripto propugnemus, vel clanculum spargamus; relicta interim Magistris nostris libertate, aut licentia potius, doctrinam sanam (quam vocant) docendi: Quinto; vel habendam Synodum. In prima parte acerbe admodum & virulenter perstringor ego, nominatim etiam tui, Bertii, Venatoris, Borrii, Episcopii, & Arnoldi meminit: neminem autem æque pungit atque me. Hæc ex relatu vario, & satis confuso. Distinctiorem cognitionem non habeo. Ita acerbum fuisse scriptum dicitur, mediaque à pacis rationibus tam aliena, ut & ipsis patronis adversariorum nostrorum magna ex parte displicuerit. Multos tamen Proceres quum moveri illo, durioresque adversum nos effici animadverteret Amplissimus, opposuit mox libellum supplicem nostrum, quo querelas satis graves exponimus adversus varias adversariorum nostrorum actiones & invectivas publicas, nominatim Amsterdamensium & Enchusanorum, rogamusque ut illos vel comprimant Ordines, vel nobis permittant aliis quam hactenus uti mediis, &c. Quo lecto, unanimiter itum in hanc sententiam; omnino componendum esse negotium, & cavendum ne libelli illi vulgentur, & hac de causa utrique parti scribendas esse literas prohibitorias. Posthabito igitur D. Festi scripto, reditum ad examen illius, de quo dixi, decreti; quo utcunque ad gustum Procerum omnium concin-

Ep. 219.

Digitized by Google

Ep. 219. cinnato, ecce novas difficultates objectas à quibusdam, volentibus ut & alterius decreti sanctio fieret, quo nempe statuitur, ne quid de fide, justificatione, satisfactione, peccato originis, perfectione, & salutis certitudine doceatur à quoquam in posterum, nisi quod Reformatarum Ecclesiarum sententiæ conveniat, &c. Aliis dicentibus, se in primum decretum non consentiuros, nisi & hoc adjiceretur: aliis contra omni conatu se opponentibus, ne hoc decretum sanciatur, qui & tandem obtinere visi: non quod hic immutatum quidpiam velint, sed alias de causis. Verum haud dubito, quin denuo movenda illa camarina sit, antequam solvantur comitia. Prævideo etiam tandem obtenturos qui hoc agunt, si pertinaciter urserint. Judicabunt siquidem moderatiores, præstare hoc concedere refractariis, quam eo negato modum non poni periculosissimis hisce dissidiis. Etiam hoc tandem concesso, non acquiescent nostri adversarii, quorum conatum omnem horsum respicere judico, ut nos velimus nolimus ejiciant, vel Rempublicam ipsam in periculosissimum schisma conjiciant. Neque etiam satis animi Proceribus fore, id est, quarundum urbium Magistratibus, puto, ut clamores illos compescant, sive quod populum metuant, sive alia de causa. Dum hæc scribo, aliquid amplius intelligo; D. Festum nempe cum suis satis acriter etiam dixisse in te, mentionemque valde odiosam fecisse visitationis Benthemensis, & Ministrorum quorumdam ex ministerio ejectorum ob Socinianismi suspicionem: cui tamen rei opposita vera relatio à quibusdam ex Proceribus. Ut vero & per Hollandiam ejusmodi instituatur visitatio identidem urgent. At scio hoc non futurum. Fieri autem poterit, ut hac occasione aperiantur Comitis pro T. H. scriptæ literæ, de quo etiamnum heri D. Advocatum monui. Accepi autem heri literas à DD. Ordinibus ad me datas, in hanc, quam in charta seorsim adjecta vides, sententiam: quam velim D. Poppio tradas ex DD. Ordinum sententia, qui, ut vides, collegas in hac causa meos per me moneri volunt: quamquam nihil in hoc sit periculi, quum nunquam nobis fuerit animus vulgandi hunc libellum; tanti etiam non sit ut vulgetur, & nemo præter me ejus exemplar (quod sciam) habeat. Scriptæ autem istæ ad me literæ, quantum judico, propter alias consimiles ad Festum datas literas. Hæc quæ ad te scriberem, vir Clarissime, in præsentiarum habui. Respondebis ubi integrum erit. D. Jesus te ab omni malo tuearur, & benedicat laboribus. Ego hoc unice studeo, ne moderatæ libertati aditus omnis præcludatur. An Deus voto annuere volet; nescio, spero tamen. Hagæ 20. Novembris 1613. Saluta Fratres qui illic sunt omnes, & has illis prælege, sed ne ulterius disseminentur.

Tui in Domino studiosissimus
J. UYTENBOGAERT.

CCXX.

CONRADO VORSTIO
VALENTINUS SMALCIUS

Gratiam & pacem à Deo Patre nostro, & Domino nostro Jesu Christo.

MAgne Vorsti, Magnis enim te Deus, alto consilio suo, rebus gerendis præfecit; si scires, quantum certamen precum sit apud Deum pro te omnium nostri, quibus tua innotuit pietas, plus nos quam temetipsum amares, & nihil non auderes eorum, ad quæ te Deus elegit. Omnes te veneramur: sed nonnulli etiam tibi metuunt, ne dum prudentiæ serpentinæ studes, simplicitatis columbinæ jacturam facias. Hortari te, subpudet nos. Deum autem orare non intermittimus, ut coronam tuam tibimetipsi conservet. De statu nostro cognosces ex literarum latore, fratre mihi chariore. Dominus Jesus te ab omni malo liberet, & ad regnum suum cœleste conservet. Saluta amicos in fide. Vale vir Magne in Deo & Christo quam diutissime. Racoviæ Polonorum 26 Jan. 1614.

CCXXI.

VALENTINO SMALCIO
CONRADUS VORSTIUS

Salutem à Domino nostro Jesu æterno Dei Filio precatur.

Responsio ad superiorem.

SI Paulus Apostolus (ut ajunt) ad Senecæ epistolas, licet Ethnici, respondere non neglexit, si Patres orthodoxi ad Arianos, aut alios in fide errantes, olim amice interdum scripserunt, puto nec mihi vitio vertendum, si tibi non inhumaniter respondeo; alioqui discrepantia Religionis, ex sententia præsertim vulgi, facile id diffuadere posse videbatur. Ad magnas res gerendas, de quibus innuis, ineptum me esse profiteor. Scio tamen quid Mosi olim, simile quiddam causanti, divinitus responsum sit. An Deus autem ad magna agenda me elegerit, conscientia infirmitatis meæ dubitare me cogit. Ago interim quod possum; & puto me bona fide agere quod ago, nec minus bono fine, saltem pro captu & modulo meo. A recepta Catholica doctrina (quæ semper & ubique inter veros Christianos obtinuit) discedere mihi religio est; saltem in capitibus illis primariis. Nam in aliis dissentientes æquo animo ferendos existimo. De statu nostro, deque controversiis hic gliscentibus, ex latore harum per otium sat multa cognosces. Dominus Jesus suppliciter orandus est, ut veritatis ac pacis amorem in animis multorum excitet, eosque qui utrumque

Digitized by Google

Ep.222. non simulate amant, & sincere quærunt, ab omni malo, pro sua divina potentia & misericordia, tueatur. Amen. 25 Mart. 1614. cum pridie epistolam tuam accepissem.

Scriptum ab eo qui tibi ad aras usque amicus est, cuique per laborem harum prior scripsisti.

CCXXII.

CONRADUS VORSTIUS

SIBRANDO LUBBERTI S.P.

Paræneſis. IN Paræneſi mea, jam diu edita, de injuriis pleriſque te monui, quas in Epiſtola & Præfatione tua, totoque adeo libro, non in me tantum, ſed in alios etiam innoxios, & ſpeciatim in illuſtres hujus Provinciæ Ordines, temere effudiſti. Quid illa apud te profecerit, tempus docebit. Vereor autem, ne minus illud lit, quam par erat. Nam ut ingenium tuum video, fortaſſis injurias iſtas non modo non agnoſces, ſed & præclara facinora, ſeu *ψευδομαρτυρίαν*, eſſe jactabis: profecta ſcilicet à pio zelo, & ſtudio defendendæ veritatis, &c. Hanc igitur inanem *σεμνότητα*, (*pratextum*) qua nimium multi ſeipſos fallunt, ſaltem apud alios acerbitatem, imo impotentiam immodeſtiamque ſuam tegunt, paucis hic tibi eripiam: idque eo fine, ne diutius hiſce vitiis tuis indormias, ſed dum licet, & tempus eſt, ad ſaniorem mentem te recipias. Faciam vero id non tam meis verbis, quam Hieronymi Wolffii, viri dum viveret optimi, & doctiſſimi, & inter Noſtros eximii: ſi forte hoc facilius permoveri te ſinas.

Sic igitur ille in Commentariis ad Offic. Cicer. p. 226. *Utinam hoc exemplum*, inquit (diſſenſionis ſcilicet ſine acerbitate, qualis inter P. Africanum & Q. Metellum fuit) *etiam ad Eccleſiaſticas & Scholaſticas diſputationes transferretur: quarum finis eſt declaratio & defenſio veritatis; non oppreſſio adverſariorum, & ex victoria gloriola vanitas. Diſſenſio pertinet ad diverſum judicium; acerbitas ad alienationem animorum. Quæ quidem plerumque* (hominum vitio) *conjunguntur: ſed conjungi neceſſe non eſt, neque adeo debent. Quia de re præclara extat, & plena humanitatis, apud Georgium Gemiſthum diſputatio. Sed nos haud ſcio quo Zelo* (nota communem prætextum) *nos impediri dicimus, quo minus & meliorem mentem adverſariis dari optemus, ac noſtris æque ac illorum vitiis iraſcamur. Cur vero non illos ſuo Judici potius relinquimus, quam exterminatos è rerum natura* (aut aliquo in exilium relegatos) *volumus? Neſne Angeli ſumus, qui zizania Domini juſſu evellamus, & comburamus? An deletis adverſariis etiam Diabolum delebimus, omnium errorum, ſcelerum, turbarum ducem & auctorem? Neque vero is ego ſum* (puta me idem tibi dicere) *quod iniqui diſtinant, qui reprehendi errores nolim. Non ita inſanio. Refutentur errores divina* (non humana) *auctoritate. Preces* (non diræ devotiones) *fiant pro errantibus. Pertinacium intemperia Chriſtiana patientia ferantur: non autem noſtris odiis irritentur, flagitiis inflammentur. Juſtus ſit primum accuſator ſui, & trabem ex oculo ſuo ejiciat, quo acutius perſpiciat feſtucam in alieno. Si quod ſentio libere mihi dicendum eſt: & ut liceat ora: vehementes iſta contentiones, & odiorum acerbitates* (à quibus modeſtæ collationes plurimum differunt) *non mihi videntur è ſtudio veritatis* (ut quidem zelotæ jactant) *& charitate Chriſtiana proficiſci: neque etiam ad Evangelii incrementa magis, quam ad Eccleſiæ & Reipubl. perturbationem ſpectare, &c.*

Mat. 13.

M. Wolffii mentio.

Idem p. 321. *Dum ratio*, inquit, *cum ratione confertur* (ut in legitimis diſputationibus) *mens occupata eſſe, appetitus quieſcere debet. Jurgia vero iſta, & rixæ, & capitalia Doctorum inter ſe diſſidentium odia, vereor ne non tam à ſtudio veritatis, & zelo, ut vocant Theologi* (quæ duplex præcipua ſolet eſſe *αἰτία*) (*pratextus*) *quam ab æmulatione, invidia, pertinacia, privatique commodi reſpectu, aut ignominiæ ſaltem metu* (quia ſuperbis infamia videtur, errorem fateri) *proficiſcantur. φιλοσοφίαν δὲ, καὶ θεολογίαν, ὡς ἔστι τὸ πολὺ, οὐδ' ἐπίπαν. μίκρος ἔ λίγων, ὀλίγος ἔ σκόπελον, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς φιλοχρηματίαν μᾶλλον, ἢ φιλαλήθειαν καὶ φιλοσοφίαν*, &c. (*Philoſophiam enim & Theologiam profitemur, ut plurimum, juxta Epictetum, uſque ad verba, ſine operibus, magis per inanem gloriam & avaritiam, quam amorem veritatis & honeſtam probitatem.*) Hæc ibi.

Sed inprimis p. 176. & ſeqq. rem iſtam copioſe tractat. Ubi poſtquam abuſum illum *orationis* deploraſſet, qui *in diſtrahendis hominum animis, inque diſcordiis ſerendis*, &c. paſſim cernitur, quique maxime in Theologis, *religionem invitam ac reluctantem* (quippe qua nihil æque ac pacem, concordiam, mutuum amorem, beneficentiam, toleratiam injuriarum, poſtulat) *huc pertrahentibus*, vituperatione dignus eſt: tum iſta ſeqq. ſubjicit. *At defendenda eſt veritas.* (Sic inquiunt zelotæ. Sed audi reſponſum.) *Utinam defenderetur illa: non avaritia, non ambitio, non voluptates, non odium, non invidia, non acerbitas naturæ, pertinaciſſime defenderentur. Si conſentimus in præcipuis articulis plerique* (uti nos ego quidem conſentire puto) *ſi atrociſſima pugna ſunt aut de rebus obſcuriſſimis* (unde enim alioqui tot & tam pugnantes ſententiæ?) *aut de cæremoniis, in quibus non eſt ſalus: cur non adoramus Deum in ſpiritu & veritate? Cur non fidem amplectimur, quæ ſit efficax per charitatem? Quæ ſi Dei donum eſt, & non eſt omnium, cur non eorum vicem dolemus, qui id donum nondum acceperunt? Cur non apud Deum pro iis intercedimus? At deplorati ſunt, & hoſtes*

Rom. al. aquil.

Digitized by Google

Ep.222. *hostes Dei* (Solennis hæc factioſorum criminatio eſt.) *Cur non bene precaris devoventibus te, & perſequentibus? Chriſti & doctrinam, & exemplum ſecutus? Deinde qui ſcis, eos eſſe tales?* (Nota bene hæc, & ſeqq.) *Quid ſi errant? Quid ſi aliud ſentire non poſſunt, quam quod verum & rectum eſſe perſuaſum habent? Quid ſi alind docentes, in tot præſertim diſſenſionibus, ſuſpectos habent? Quid ſi tu erras?* (quippe & ipſe homo ἀνθρωπος) (*eidem paſſioni obnoxius*) *Quum enim ſint Sectæ amplius decem* (nolo enim augere numerum) *inter ſe contrariæ, & mutuis edictis ac convitiis inter ſe pugnantes: reſtene omnes Scripturam ſacram pro ſe interpretantur? Id vero fieri qui poteſt? Errant igitur aliqui. Si ex ignorantione veri, miſeri. Si ultro* (quod vix probabile) *longe miſerrimi, & maxime deplorandi. Sed nos cujus ſpiritus ſumus? Odio perfecto* (id enim quidam fervidiores jactant) *proſequimur eos: & in illorum ſanguine manus noſtras lavare cupimus. His zelus noſter eſt. Hac una re maxime* (ſed præpoſtere, ut diſcipuli illi Eliam *Luc.* IX.) *Prophetas imitamur. Cur non potius jejuniis, caſtitate, ſanctimonia, contemtu rerum humanarum, precibus, patientia, charitate, aliiſque Spiritus S. donis, eoſdem imitamur? &c.*

Iumm. Plura in eandem ſententiam p. 178. item p. 534. & 565. & paſſim toto libro, præclare diſſert: illud inprimis ſedulo monens, ne quiſquam noſtri ordinis in defendenda veritate (quam omnes jactant, pauci tenent) æquitatis ac modeſtiæ Chriſtianæ limites excedat: neque φιλαυτίαν, καὶ φιλονεικίαν, ἀντὶ τῆς φιλαληθείας, καὶ σοφίας, (*amorem ſui & fratrum odium, loco amoris veritatis & ſapientiæ divinæ*) obrepere ſibi patiatur, &c. Cujuſmodi monitis hæc miſerrima tempora inprimis indigere videntur.

Prolapſio. Dices fortaſſe, nihil hæc ad te pertinere, qui à culpis iſtis alienus ſis. At liber hic tuus, cui nunc reſpondeo, aliud palam teſtatur: quippe tot, tamque manifeſtis, odii, livoris, acerbitatis, ſuperbi contemtus, denique inhumanitatis, & truculentiæ adverſum me tuæ, indiciis ubique refertus, ut ἀναισχυντίαν ἀκρατῆ (*impudentiæ extremitas*) quædam ſit, iſta negare, aut non agnoſcere. Vix ulla libri tui pagina occurrit, quæ non aut turpe convicium, aut agreſte ſcomma, aut virulentam calumniam, ſimilemve aliquam elegantiam, in me petulanter effundat. Nunc Serveti, aut Socini (quorum errores ipſe damno, etſi illius pene nihil legi) myſtam, aut diſcipulum, me contumelioſe nominas. Nunc generatim *hæreticum* tibi ſum: nunc *hoſtis veritatis*: nunc *perturbator Eccleſiæ*: nunc *ſtupidus, & indoctus, &c.* qui *monſtra, portenta, deliria, ſomnia, blaſphemias, furores, ſordes, ſtercora, craſſas & aſininas ignorantias, &c. contra veritatem, mera rixandi, aut cavillandi, libidine defendam, &c.* Nunc *Eccleſias & Academias omnes proterve tibi contemno.* Nunc Calvinum, Bezam, *ſimileſque Eccleſiæ Doctores, immani odio proſequor, &c.* Denique talem me paſſim penicillo tuo depingis, qui *non tantum Eccleſiæ Reformatæ communione privandus, ſed & Provinciis hiſce merito eiiciendus ſim.* Idque utrumque non diſſimulanter & ſuades, & urges. Annon hæc aperta præpoſteri zeli, certeque impotentiæ & malevolentiæ in me tuæ ſigna ſunt? An hic virtutes illas nobis exprimis, quas Apoſtolus in Epiſcopo, ſeu Doctore Eccleſiæ, *Tit.* 1. 7. 1 *Tim.* 3. 3. 2 *Tim.* 2. 24. &c. ἄμαχον, φιλήσυχον, φιλάγαθον, ἄφιλον, μὴ ἐριζόλοιδορον, μὴ ἀνθάδη, μὴ πλήκτην, &c. (*æquum, hoſpitalem, amantem bonorum, non pugnacem, non iracundum, non præſumtuoſum, non percuſſorem*) item ἔμπειρον πάσης πάθης, ἀνεξίκακον, ἐν πραΰτητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, &c. (*benignum erga omnes, qui malos tolerare poteſt, in manſuetudine docentem adverſantes.*) Ubi enim hic vel umbra illius ſanctæ moderationis; lenitatis, tolerantiæ, manſuetudinis? &c. Immo ubi hic Spiritus ille Chriſti, qui in omnibus Chriſti diſcipulis (quanto magis in iis, qui aliorum exemplaria eſſe debent?) neceſſario requiritur? quique *regiam illam charitatis legem* inprimis urgere ſolet? de quo plura habes in Paræneſi. Jac. 2.

Excipies forte iterum, te vera hic omnia de me ſcripſiſſe: ac proinde adverſus talem *hæreticum, Eccleſiæque turbatorem, &c.* tam fervido zelo tibi neceſſario utendum fuiſſe. At primum memineris, hunc eſſe illum ipſum carnis prætextum, quem tibi per Wolfium jam ſuprà eripui: quemque omnes ubique zelotæ, etiam qui inter Papiſtas in calumniando, & maledicendo, intemperantiſſimi ſunt, vitiis ſuis obtendere ſolent. Deinde non decebat te, actorem ſimul & judicem hic agere: & quidem utrumque tam immodeſte, tamque importune. Debebas potius argumentis ac rationibus ſolis mecum pugnare: & poſtea integrum Lectoribus judicium relinquere: idque pro virili tua curare, ut illi, quod Athenis Judices facere jubebantur, ἀμφοῖν ἐξίσου ἀκροᾶσθαι (*utriſque ſimiliter auſcultare*) & vellent, & ſine impedimento poſſent. Denique niſi mentem & frontem omnem amiſiſti, lectis hiſce Scholiis ipſe palpare cogeris, te multa ſaltem falſo de me ſcripſiſſe, adeoque manifeſta falſi crimina paſſim Commentariis tuis infarſiſſe. Ab *erroribus* quidem immunem me non eſſe, ſat ſcio. Sed neque tu hactenus illos mihi oſtendiſti: neque ſi maxime feciſſes, intemperiem tuam excuſare hinc unquam poſſes. Adde, quod de immunitate illa nemo mortalium ullam gloriandi materiam habet. Interim ad *hæreſibus*, & *blaſphemiis*, quas tu mihi præfidenter affingis, alienum me Dei beneficio eſſe, non dubito: idque in quolibet legitimo Doctorum conventu, vel libero Eccleſiæ ſynedrio, reipſa oſtendere paratus ſum. Non enim hæc judicia contemno, aut defugio (quæ tua ſolemnis calumnia

Ep.222. eſt) ſed ultro potiùs ad ea provoco: tametſi neque Scripturis ipſa æquiparo: neque ordinem, ac modum, ex tua præſcriptione in iiſdem ſervandum, per omnia probo. Unde id ſimul intelligis, quàm iniquè *turbationem Eccleſiæ &c.* mihi exprobres: præſertim quum hæ turbæ diu ante adventum meum excitatæ fuerint: quumque nullum jam in Eccleſia munus neque geram, neque gerere affectem. Quod autem criminationibus veſtris interdum reſpondeo, id ſi *turbationem* vocas, ab omni juris & æquitatis intelligentia te prorſus alienum eſſe oſtendis. Nemini certe injuriam facit (eoque nec Eccleſiæ) qui jure ſuo utitur. Hoc autem utitur, quiſquis adverſariis accuſantibus modeſtè reſpondet, ſuaque dicta, & facta, legitime tuetur. Et quid aliud hactenus à me factum? Denique Calvinum, Bezam, ſimileſque Doctores noſtros, *nullo* prorſus (nedum *immani*) *odio* proſequor: ſed amo potius, & in Domino veneror: licet in verba ipſorum minimè jurem; adeoque ipſos alicubi (quippe Prophetis, & Apoſtolis, longe diſſimiles) in doctrina erraſſe credam. Indicium certe vilis & abjecti animi eſt, non poſſe abſque odio, aut ſalva amicitia, eaque quæ Majoribus debetur reverentia, ab aliis diſſentire. Hominum quidem vulgus hic in alterutro extremo fere peccat: quia affectu potius, quam judicio fertur. Itaque plerique chamæleontes imitantur, qui cuicumque forte parieti inſederint, ejus colorem referunt. Sic illi, quemcumque forte magiſtrum nacti, aut in quacumque Eccleſia nati, vel educati fuerint, ejus placita omnia ſimpliciter approbant. Si quos contra in minimis diſſentire viderint, eos odio proſequuntur. Quæ utraque turpitudo à doctis, & rerum intelligentibus, abeſſe quàm longiſſimè debet. Impurum certe animal eſt, quod non ruminat, nec ungulam findit. Sed impurius eſt, quod ſimul aliis inſultat, & exitium parat. Sed de his jam ſatis.

Matth. Quod ſupereſt, iterum te moneo, iterumque rogo, ut ſi ſalutem tuam amas, meliorem mentem, ac mores magis Chriſtianos induas: ſaltem ut majorem in diſputando æquitatem, fidem, modeſtiam, ac verecundiam, deinceps oſtendas: & triviales illas verborum ſordes, quibus teipſum revera conſpurcas, ſtudioſè fugias. Quid enim aliud hinc ſperes, quàm præter juſtam Dei vindictam (quæ non ſemel hactenus in te apparuit: uti ſuis locis obiter notavi) bonorum omnium, ac moderationis amantium, indignabundam animi alienationem? Num forte tam ſtupidum quemquam, aut væcordem, ex iis omnibus fore putas, qui te pariter atque me norunt, ut ſannas ſaltem, ac contumelias illas, quibus ubique me divexas, ab animo modeſto & ſedato, & qui talem Theologum deceat, profectas eſſe credat? Ipſe certe fidem hic tibi derogas: ut qui alias honorifice de me Ep.222. & ſenſeris, & locutus ſis. Habeo mecum adhuc aliquot epiſtolas tuas, quibus id ipſe perſpicue teſtaris. Ut cæteras omittam, una ex recentioribus eſt, quam anno CIↃ IↃC IX. 18 Novembris ad me ſcripſiſti: ubi hæc verba tua invenio: *Spero te ex Goddæo intellecturum eſſe, quanti te faciam, &c.* Et mox: *Antipiſtorium tuum vidi. Placet ille mihi ſupra modum, &c.* Nec multum ab his diverſa ſunt, quæ anno CIↃ IↃC IV. Calend. Auguſti ſcribebas: ubi alium quendam ex libris meis ſimili συναφείᾳ (*comitate*) commendas: *ut uno verbo omnia*, inquis, *dico eum mihi placere, &c.* Satis iſta hoc loco. Nunc paucis ex te quærere libet, num tu *ſtupidos*, & *indoctos*, item *ſupina*, *craſſa*, & *pinſquam aſinina*, *ignorantiæ laborantes*, *&c.* (de impietate enim, aut hæreſibus, &c. jam non agam) qualis quidem nunc tibi videor, poſtquam errata quædam tua detexi, *magni facere* ſoleas? item, num quidquam ab iſtis proficiſci poſſit, quod tibi, tam emunctæ naris viro, tamque acri ingeniorum cenſori, non dicam ſimpliciter *placere*, ſed *ſupra modum placere* queat? Vide, quantam judicii tui inconſtantiam ipſe hic prodas. Atque hinc æſtima, quid affectus in nobis poſſint, niſi rectæ rationis, imo Spiritus divini, fræno coërceantur.

Similem ἀνομοφωνίαν (*diſſonantiam*) aliis quibuſdam ſymmachis tuis (quorum epiſtolas vel hoc fine deinceps mihi aſſervandas exiſtimo) in faciem objicere poſſem: à quibus ut antea, non dico inter mediocres, ſed inter ſummos, S. Theologiæ myſtas cenſebar, ita nunc inter infimos vix recipior. Quanta hæc metamorphoſis? Et quam ſubito, quamque levi momento, aut in me, aut in vobis facta? Num forte dicetis, quia vobis, veritate co- Lucas 16. gente, in nonnullis contradicere cœpi (aut quia quædam non ad omnium veſtri palatum ſcripſi) ideo non impium tantum, ſed & ſtupidum me, & indoctum, &c. continuo evaſiſſe? Quis cordatus hoc credat? Facilius certe hæc παραδόξου ἀλλοίωσις (*prodigioſa mutatio*) in eos caderet, qui odio, iræ, aliiſque hoc genus affectibus, adverſus fratres indulgent: quam in illos, qui veritatem, ubicumque licet (etiamſi forte curioſius, quam expedire, aut par eſſe videatur) ſedatis animis inquirunt: quique nec receptæ opinioni, nec humanæ auctoritati (ut quæ non niſi levem, ac ſæpe fallacem, perſuaſionem gignant) ſed certis & evidentibus argumentis, ſive in S. Scriptura, ſive in ipſa rerum natura, ſolide fundatis, fidem ſuam gratificantur: qui denique in obſcuris & perplexis controverſiis, nec tamen ad ſalutem ſcitu neceſſariis, prudenter malunt ἐπέχειν καὶ ἀναζητεῖν, (*judicium ſuſpendere & inquirere*) quam temere pronunciare, ac ſemel pronunciata pertinaciter tueri. Sed parum refert, quo me loco vos ſtatuatis. Judicia veſtra nec meliorem, nec deteriorem, nec doctio-

Digitized by Google

Epist. 222. ctiorem, nec indoctiorem, me reddent. Sufficit hic mihi illud.

Sim quocumque loco (inter homines) *sim modo Christe tuus.* Interim vestrum erat, aliorum quoque, qui nec virtute, nec doctrina, vobis cedunt (imo quorum multis ne conferre quidem vos audebitis) saniora de me judicia saltem nonnihil revereri. Vix enim credas (ut ad solum te redeam) quantam hoc procaci & superbo mei contemtu injuriam faciat, non modo inclytis & piis Magistratibus, sub quibus antehac per multos annos cum gratia & laude vixi, quorumque in Ecclesiis & Scholis diu publice docui; sed & præcipuis quibusque Ecclesiæ Reformatæ Doctoribus (specatim ipsi Bezæ, Grynæo, Tossiano, Kimedoncio, Pezelio, Junio, Paræo, &c.) qui partim publicis testimoniis, partim literis privatim ad me datis, eas & pietatis, & doctrinæ, laudes mihi jam dudum tribuerunt, quas neque modestia hic recitare me sinit, nec quisquam vestrum citra jactationis notam arrogare sibi facile ausit. Non eo sane hæc dico, ut vel tibi, tuique similibus, ista contentione ægre faciam; vel mihi gloriolam aliquam inanem apud Lectores comparem: sed ut ipsi levitatem judicii vestri (quippe & à vobis ipsis, & ab aliis, qui jure vobis anteferri possint, jam diu confutati) tandem agnoscatis; ac proinde importunos affectus, unde hæc ipsa levitas originem ducit, in posterum magis magisque compescere discatis. Atque hic præfandi finis esto.

Tantum hoc addam, (ut de affectu in te meo constare tibi amplius possit) me injurias omnes, quibus hactenus immerentem me afficisti, solius amore Christi, quem id præcepisse scio, ex animo tibi condonare: Deumque suppliciter rogare, ut oculos tibi mentis gratiose aperiat, quo errores tuos tum in doctrina, tum maxime in vita, non videre tantum, sed & corrigere mature possis. Certa mecum deinceps non odio, sed charitate, non conviciis, sed rationibus. Fortasse si propius me noveris, non indignum amicitia tua judicabis. Imo fortasse id denuo fiet, quod tu ipse in epistola ad me tua anno CIↃ IↃC IV. accidisse narras: *cum te quidem fraterne monuisse, me vero plusquam fraterne monitionem tuam accepisse, sicque ea, quæ perscripta (ab aliis) ad te erant, dilui se ais, ut ne minimam quidem suspicionem in animo tuo relinquerim, &c.* Quod ergo semel in talibus tibi accidit, quid mirum foret si iterum accideret? Humanum semper est errare, maxime in excessu iræ, & affectuum regno. Hæc serio cogita, & vale in Christo. Goudæ XX. Martii 1614.

CCXXIII.

GERARDUS VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

Familiaris. Ecclesiastica.

ACcepi Lucanum tuum, Amplissime Groti, vere inquam tuum, quem feliciter adeo restitueris integritati. Quo nomine maximas tibi gratias debet orbis eruditus: Hispania tamen imprimis, cujus nobilem adeo civem fœdis tabescentem vulneribus sanasti: sed puto, ut superba est natio, nec Batavorum laudibus satis æqua, aut nulla hoc beneficium agnoscet, aut invita. Nobis satis est, quod Lucanus ipse quantum Batavo debeat, neminem sivit ignorare. Quod si eum ob ingenuam adeo confessionem patria sua minoris facere volet, a Batavis donari poterit civitate, civis futurus nobis acceptissimus. Me quidem (quem Batavia jamdiu meritis suum fecit) mire semper delectavit, maxime sententiarum acumine. Deinceps vero tanto etiam futurus gratior, quanto posthac minus erit, quod in eo legendo remoretur ingenii nostri tenuitatem. Quantumvis vero merito tuo placuerit vates tuus, tamen dissimulare non debeo, maximam eidem gratiam conciliasse donantis affectum; de quo tantopere gratulor mihi, ut eum ponam in parte non exigua felicitatis meæ. Ut vero etiam quomodocumque gratum reapse animum tester, quod unum possum, mitto ad te ἀντίδωρα, (*donum mutuum*) Oratorias nostras: impar quidem donum sapientum judicio atque etiam meo, sed minime futurum impar, si putare libeat rationes, cum facunda gente Meneni. ** At extra omne periculum fuero, si titulum legisse contentus, mox librum in angulum aliquem abdas. Quamquam profecto gravissimæ occupationes tuæ facile metum hunc omnem mihi eximere possint. Et tamen quasi etiam tibi otii quicquam supersit a rebus tuis, qua publicis qua privatis, mittere ad te, judiciique tui facere non dubitavi minutam quandam commentatiunculam nostram, quam ante menses paucos, occasione certâ, subito calore ac soloci stylo effudi. Ea describenda prope triduo a redditis mihi literis tuis amanuensis occupatus fuit: quæ ratio fuit, cur non statim rescripserim, ne forte id incuriâ factum putes. Non est autem, quod chartas hasce remittas; quia servari poterunt in adventum meum. Quamquam enim propter affinium νεόγαμον (*recens nupterum*) adventum & amicorum aliquot exspectationem, his fortasse duabus aut tribus hebdomadibus extra urbem pedem ponere non licebit, omnino tamen ad vos excurrere animus, simulac potero; ut vero possim, plane admirar. Quid enim exoptatius mihi contingat, quam ut cum eo colloqui liceat, quem unum præ omnibus

Digitized by Google

Ep.223. mnibus mortalibus æſtimo, cujus ſingularis prudentia, atque apud illos autoritas, qui plurimum in Rep. poſſunt, eam in me ſpem excitarunt; ut brevi & pacatiorem Remp. & Eccleſiam, nec horum licentia, nec illorum tyrannide æque periclitantem, nos habituros putem? Adjeci quoque exemplar earum literarum, quas ex Anglia ad Eccleſiaſtem quendam tranſmiſſas nuper indicium feci. Tuum erit vel totum hoc de literis iſtis, vel illud ſaltem diſſimulare, ex urbe noſtra exemplar earum ad te tranſmiſſum eſſe; neque id tam mea cauſa peto, quam illius qui id exemplar mecum communicavit. Nec enim alioqui ei ad quem perſcriptæ literæ (cujus nomen coram retuli) difficile fuerit odorari, unde earum ad te ἀπόγραφον (*deſcriptum exemplar*) manarit. In urbe noſtra magis magiſque reſidet animorum fervor; quo nomine non mediocriter gaudeo. Non tamen zelotæ ſic ſeſe comprimere poſſunt, quin interdum excidant quædam, etiam publicitus. Nempe difficulter, ut poëta ait, ignem celaveris,

Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.

Ita in concione heſterna audire erat Valerium Poplicolam, intonantem graviter adverſus eos, qui perſtringunt Eccleſias (ita enim is loquebatur) quaſi ereptum ire velint Magiſtratibus jus ſuum. Duplicem, inquiebat, poteſtatem facimus; unam autoritatis, miniſterii alteram, ſi modo ea quoque poteſtas dicenda eſt. Huic addebat; ſolis Magiſtratibus datam a Deo autoritatis poteſtatem; Miniſtris non aliam convenire quam illam miniſterii. Provocabat idem ſtentorea voce ad omnes doctores noſtros, ex quorum monumentis aliud negabat evinci poſſe, quam penes Miniſtros eſſe illam miniſterii poteſtatem. Qui ſic loquitur, ut fucum faciat imperitioribus, quid tamen aliud quam paratus eſt abſtinere vocabulo autoritativæ, ut loquuntur, poteſtatis, dummodo rem ipſam a Magiſtratibus obtinere poſſit? Nam certum mihi non arbitrarium eſt, haud aliud eum ſentire, quam Chriſtum ſibi autoritatis poteſtatem in Eccleſiaſticis reſervaſſe, Miniſtris vero executionem totam delegaſſe: qui idcirco in talibus ex Magiſtratus voluntate minime pendeant. Scilicet qui ſic animatus eſt, gravem habuit cauſam, reos calumniarum agendi omnes eos, qui cenſent in vocatione Miniſtrorum, ἐσχάτῃ (*ultimo judicio*) actionum Synodalium, atque aliis Eccleſiæ rebus, qua ea publica eſt, penes Magiſtratum ſupremum ſupremam eſſe poteſtatem. Similis monetæ erat, quod idem eapſe concione invehebatur in illos, qui, ut ajebat, non omne Dei verbum Eccleſiæ Dei putent proponi oportere. Quomodo, inquiebat, fundamenta religionis ſufficere ajunt, cum nemo in terrenis tam ſtulte ſapiat, ut fundamentum jeciſſe contentus, non inſuper neceſſarium plane arbitretur ut domum ſuperædificet? Quaſi vero qui fundamentum ſalutaris doctrinæ firmiter jecerit, non ipſe ſit templum Spiritus ſancti ſuperædificatum ſuper fundamento Prophetarum & Apoſtolorum. Nec tamen id ab illuſtribus Ordinibus agi puto, ut, quemadmodum ille videri volebat, ſola doceantur principia religionis noſtræ, etſi ſola faciant Chriſtianum: verum illud potius, ut cum concluſionum (quarum habitus Theologum facit) aliæ aliis clarius certiuſque ex principiis conſequantur, multæ etiam multorum judicio inde eliciantur, quas alii, nec pietate nec eruditione his inferiores, conſequi inde inficientur, imo vero noxias cenſeant homini Chriſtiano; non omnes concluſiones albas ſignentur linea, ſed earum fiat delectus, apud plebem præſertim; quæ minime ea decidere vel etiam capere idonea eſt, de quibus mille & amplius annis ſummus in Chriſtiana Eccleſia diſſenſus fuit. Sed ſi hos audimus, qui de concluſionibus ad uſque ſæculum noſtrum damnatis, aut Græcis ſaltem Eccleſiis plane ignotis, in Latina demum poſt quadringenteſimum annum controvertis, ἐποχὴν (*judicium ſuſpendere*) licere arbitretur, nec eas tanquam certas & cognitu neceſſarias apud plebem urgendas cenſeat, is (quod non ſemel audire me commemini) ex Chriſtiana religione Pyrrhoniam cudere velit ἀκαταληψίαν (*incomprehenſibilitatem*:) quod hactenus ego perſuadere mihi non poſſum: nec tu ſcio tibi, vir ampliſſime, quem cum conjuge ſalvere jubeo. Neque enim ultra morari te viſum. 14. April 1614.

Tui obſervantiſſimus
G. VOSSIUS.

Ep.224.

CCXXIV.

HUGONI GROTIO

ISAACUS CASAUBONUS S. P. D.

De edicto Ordinum Hollandiæ.

DE edicto Illuſtriſſimorum Ordinum, quod nuper miſiſti, egi accurate cum Rege Sereniſſimo, cum D. Archiepiſcopo, cum aliis præſtantis doctrinæ Præſulibus; & Rex, & omnes qui legerunt, conſilium vehementer & probarunt & laudarunt. Intereſt enim Religionis Chriſtianæ, & ad Proteſtantium exiſtimationem vel maxime pertinet, curioſis hominibus fibulam imponi, ut deſinant tandem φρονεῖν παρὰ τὸ δεῖ φρονεῖν (*ſapientes ſupra id quod oportet ſapere*) pacem Eccleſiarum turbare, & ſua illaudabili περιεργασίᾳ (*curioſitate*) infamiam ἀσυμβασίας καὶ καινοτομίας, (*confuſionis & novitatis ſtudii*) apud veritatis hoſtes Reformationem profitentibus inurere. Summa igitur laude Illuſtriſſimorum Ordinum prudentia digna eſt, quæ hujus ſui edicti publicatione, & curioſas hominum mentes, Deo cœptis favente, in officio continebit, & ſui

Impe-

Ep. 224. imperii Eccleſiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus Jeſus ille unicus Eccleſiæ auctor & conſervator, ut quem boni ſperant fructum ex hoc ſaluberrimo conſilio, Illuſtriſſimi Ordines percipiant, & nos pro ſtabilita inter Eccleſias veſtras tranquillitate occaſionem ipſis gratulandi brevi habeamus. Neque vero conſilium duntaxat Rex *Chriſtianiſſimus* (*piiſſimus*) & alii viri graviſſimi probarunt, ſed & formulam quoque ipſam juſſu Ordinum conceptam. Apparet enim id eſſe actum, ut à duobus ſcopulis in hac doctrina æque periculoſis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum, populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur, quæ ſalutis noſtræ proram & puppim, principium, inquam, & progreſſum, & τελείωσιν (*conſummationem*) um Deo adſcribens, contemptum tamen bonorum operum non inducit. Vale vir Clariſſime, & me ama. Lond. 13 Kal. Jun. 1614.

Edictum præcedenti epiſtola probatum & laudatum, viſum eſt ſubjicere.

DECRETUM

Illuſtrium ac Potentum

ORDINUM HOLLANDIÆ & WEST-FRISIÆ

pro pace Eccleſiarum.

QUando multum diſſidii ac contentionis per harum regionum Eccleſias ſuborſum eſt, ex diverſis interpretationibus locorum ſacræ Scripturæ, in quibus de æterna Dei prædeſtinatione, & quæ huic cohærent, agitur; provecto couſque calore certaminis, ut ſint qui male audiant, velut directe aut per obliquum docentes, alii quidem, homines aliquos à Deo immortali ad damnationem creatos: quibuſdam hominibus à Deo peccandi neceſſitatem imponi: tum vero, à Deo quoſdam ad ſalutem invitari, quibus omnino ſalutem non dare decreverit: alii vero, naturales hominum vires aut facta ſalutem ipſorum poſſe operari: quæ ſpectant utrimque ad Dei ignominiam, ad infamandam Chriſtianam Reformationem, & noſtræ piæ ſententiæ adverſantur: quibus obviam iri, viſum eſt nobis ad divini honoris & gloriæ propagationem, ad incolumitatem Reip. & Eccleſiarum, ad tranquillitatem, concordiam, bonamque frugem civium perquam neceſſarium: Idcirco rebus diu multumque perpenſis, religioſeque & circumſpecte examinatis ſingulis quæ in colloquio duodecim Paſtorum anno ↄ ↃↃ ↃↃ xi. noſtro in conventu ore primum peracta, mox etiam cum ipſorum conſiliis perſcripta, nobiſque tradita fuere: uſi ea autoritate, quæ nobis, ut ſummis legitimis poteſtatibus juxta ſanctum Dei verbum, eorumque Regum, Principum, ac civitatum quæ reformationem Religionis amplexæ ſunt, exempla, competit, imperavimus atque etiamnum imperamus, ut in memoratis modo interpretationibus diligenter quiſque attendat ad ſancti Pauli Apoſtoli monitum, docentis, ne quis ſupra modum ſapiat ultra quam oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei: &, id quod paſſim tradunt Sacræ Literæ, ſalutem quidem noſtram ex Deo ſolo eſſe; at nos nobis ipſis perniciem accerſere: Ac proinde in explicandis Sacris Literis, quoties ita feret occaſio, Paſtores infigant populo, ſingulorumque ſub noſtro imperio habitantium animis, principium, progreſſum, ac finem humanæ ſalutis, atque ipſam adeo fidem, non nativis hominum viribus aut factis, ſed ſoli nec promeritæ Dei in Jeſu Chriſto Servatore noſtro gratiæ accepta ferri debere: Nullos à Deo omnipotente homines ad damnationem creatos, nullis à Deo peccandi neceſſitatem imponi, neque à Deo ad ſalutem invitari quenquam, cui ſalutem omnino non dare decreverit. Quanquam vero in Academiis, eruditorumque hominum & verbi divini interpretum conventibus ſolent (uti nos quoque permittimus) de ſenſu eorum ſacræ Scripturæ locorum, in quibus de prædeſtinatione & quæ cohærent, agitur, colloquia inſtitui, unde accidere poteſt, ut diverſi diverſa ſentiant, quod & olim & noſtro hoc ſæculo viris doctis piiſque evenit: nolumus tamen eas diſputationes profundiores, quæ contra ſententiam juſſionemque noſtram extrema illa atque abſurda, quæ imputari quibuſdam ante diximus, poſſe trahunt, publice aut è ſuggeſtu, aut alias apud populum proponi. Qui vero in locorum ante dictorum explicatione ſupra nec docent nec ſentiunt, quam, à Deo omnipotente ad ſalutem perpetuam electos, pro benevolo affectu voluntatis ipſius fundato in Jeſu Chriſto Redemptore ac Servatore noſtro, eos qui per impromeritam gratiam & Spiritus ſancti operationem in Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum credunt, & in fide per ſimilem impromeritam gratiam ad finem uſque perſeverant: contra vero ad damnationem rejectos eos qui in Jeſum Chriſtum non credunt, & in incredulitate ad finem perſeverant; hos nolumus eo nomine moleſtiam pati aut urgeri, ut ſupra doceant aut ſentiant; quum eam ipſam docendi formam judicemus ad ſalutem ſufficere, & ad Chriſtianam inſtructionem eſſe idoneam. Imperamus præterea omnibus Paſtoribus, ut in cæteris Chriſtianæ doctrinæ capitibus ea utantur explicatione, quæ conſentiat cum verbo divino, cumque his quæ per Eccleſias Reformatas paſſim recepta, & quæ his convenienter in Reformatis harum regionum Eccleſiis, quas nos hactenus ſuſtentavimus, defendimus, educavimus, nunc etiam ſuſtentamus, defendimus & educamus, tradita fuere. Utque ſe porro ad Chriſtianam charitatem, concordiam, ac bona exempla com-

Digitized by Google

Ep.225. ponant, juxta priora decreta, quo ulteriora diſſidia evitentur. Quoniam ita faciundum ex re publica & Eccleſiæ, & ex uſu ac tranquillitate populi cenſemus. Menſe Januario anni 1614.

CCXXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S.P.

De Ordinum Edicto.

TAndem advenit ex Anglia melior ſperato nuntius: quod eo magis mirandum eſt, quia res præter meam poſtulationem cum Archiepiſcopo communicata *eſt*. Et inſtitutum Ordinum, *& formulam Edicti tum Rex tum Epiſcopi probant*. Duo tantum aut tria annotant, de quibus me cum tua pietate aliquoties egiſſe memini. Tertium illud inter vetita dogmata: *Quoſdam à Deo ad ſalutem invitari quibus omnino ſalutem non dare decreverit*, ita videntur Anglorum quidam interpretati, quaſi dictum eſſet mutato ordine, *quoſdam à Deo ad ſalutem invitari quibus non omnino decreverit ſalutem dare*. Si ita poſita eſſent verba, poſſet forte hæc ſententia, ut inanis & ſupervacua, non tamen ut falſa, damnari. At noſtra ſententia fuit, damnare abſolutum rejectionis decretum, ſine præſcientia aut conditione peccatorum actualium, infidelitatis, & impœnitentiæ. Hoc autem an ſatis perſpicue expreſſum ſit, dubitari poteſt. Deinde *invitationis* mentionem facimus: cum tamen non omnem invitationem, & omni tempore, intelligamus. Nam poteſt verbum Dei etiam his prædicari, quorum damnationem jam Deus certa de cauſa decreverit: puta eis, qui diu pertinaciter Spiritui ſancto ſint reluctati. Itaque cogitavi ſæpe, an non idem poſſit verbis clarioribus dici. Nam in Ultrajectinis Canonibus addita vox *abſolute* rem preſſius notat. Forte tamen tutius ſit, certe erit apud Anglos Theologos multo gratius, ſi idem effatum alicujus laudati auctoris verbis enuntiemus. Poterunt autem de gratia ſufficiente ſententiæ multæ ſatis perſpicuæ inveniri. De Magiſtratuum imperio in Eccleſiam Caſaubonus, ut jam olim ſcriptis editis teſtatus eſt, ita ſenſit, *διάταξιν & πολίτευμα* (*ordinem & ſtatum*) Eccleſiæ ab ipſis regi ac legibus gubernari debere: de Fidei articulis Eccleſiæ ejuſque paſtoribus *κρίσιν* (*judicium*) deberi, ſummis Magiſtratibus *ἔσχατον* (*ultimum judicium.*) Neque negari poteſt, habere hanc ſententiam aliquid veri: nam ut pro ſe quiſque debet apud conſcientiam ſuam de dogmatum veritate ſtatuere, & judicare antequam credat: ita in commune Eccleſia de communi fide ac doctrina debet ſtatuere ac judicare: quæ autem fides & doctrina publice defendenda ac propaganda ſit, hoc eſt proprie Magiſtratus judicium, qua Magiſtratus eſt, ut ego quidem cenſeo. Mihi videtur invidia nimiæ auctoritatis non parum poſſe declinari, ſi teſtentur Ordines, iis ſe, quæ à veteri Eccleſia juxta Dei verbum perpetuo tradita ac declarata ſunt, ſuum ſuffragium & auctoritatem adjicere. Ita ego illis reſpondere ſoleo, qui Synodum deſiderant; mihi non eſſe minoris vetera Concilia, quæ & Manichaiſmum & Pelagianiſmum damnarunt, quam omnes noſtri ſæculi conventus: præſertim cum ea ipſa Concilia videam niti certis Sacræ Scripturæ teſtimoniis. Scio ego fuiſſe, qui ex noſtro Edicto primitivæ Eccleſiæ nomen ejecerint: Sed eoſdem non puto Eccleſiæ antiquæ, aut Catholicæ nomen reformidaturos: præſertim ſi adjiciantur nominatim ea dogmata, quæ ex conſenſu veteris Eccleſiæ tradi jubentur. Hæc enim reſtrictio ſecuros illos faciet, cum alioqui in generali clauſula poſita primitivæ Eccleſiæ mentio multo plus videretur includere. Sed hoc maxime videndum eſt, an ſit res ſatis integra, ut Edicto aliquid adjici, aut detrahi poſſit. Nam ſi non eſt, fruſtra laboramus. Sin eſt, & Eccleſiæ & Reipublicæ, ni fallor refert, ut aliqua ſit peregre Eccleſia, quæ cum Reformatæ nomine cenſeatur, factum Ordinum probet. Scis quanto major pars hominum auctoritate quam veritate ducatur. Rogo te, quod rogari non debes, cum ſciam hoc te vel maxime agere, ſed tamen te rogo, ut quicquid potes, facias, quo poſthac aut pacatiorem, aut certe minus turbidam habeamus Eccleſiam. Deus non amat *ἀσυμφωνίαν* (*confuſionem.*) Archetypum meum teſtimoniorum quæ ad Edictum pertinent, ſi habes, velim mihi mittas: ſin minus, Bertium ut mittat moneas. Volo enim annotare quædam ad articulos Lambethanos: ad quæ illa mihi uſui erunt. Vale vir Reverende. VI. Junii CIↃIↃCXIV.

Tui ſtudioſiſſimus
H. GROTIUS.

CCXXVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S.P.

De eodem Edicto.

EGo quoque ſingulare Dei beneficium agnoſco, quod Magnæ Britanniæ Rex & Epiſcopi Ordinum labores pro veri tutela & pace Eccleſiarum judicio ſuo approbaverint: multoque magis, quod ipſam formulam totam ferme collaudent, pauca admodum non tam reprehendent ipſi, quam ab aliis reprehendi poſſe ſignificent. In iis ipſis autem rebus poſſe ipſis aliquo modo obſecundari eo magis ſperabam, quia facilis eſt *συγκατάθεσις* (*demiſſio*) ubi neutra pars læditur. Verba noſtri Edicti, in illo capite de invitatione, habere aliquid ambigui, tua pietas agnoſcit: neque

Ep.226. que ignorat, quam ſit periculoſa ambiguitas in concordiæ formulis. Poſſe contingere auditum verbi his quibus Deus ob prætractam contumaciam ſalutem negare decreverit, non negas: ſed quorſum, inquis, hoc doceatur? Eſto ſane: attamen quomodo nos purgabimus, cum objicient hi, quibus diſplicebit Edictum, nos eam ſententiam damnaſſe, ut Dei gloriæ, ædificationi Eccleſiæ, honori Reformationis adverſantem, quam falſam eſſe non audeas dicere? Tum vero notandum eſt; Axioma quod damnamus eſſe particulare: quod ſi recte facimus, neceſſe eſt contraria univerſalis vera ſit: quæ vera eſſe non poteſt, ſi vel una dari poteſt ἴσως. (*inſtantia.*) Jam illud ſimul cogito, quam libenter quidam arrepturi ſint hanc occaſionem, ut Politicos velut rerum Theologicarum ignaros derideant. Accedit, quod hi, qui contra Edictum, ut prius conceptum fuerat, ſcripſere, item qui Edicto ſubſcribere detrectarunt hactenus, in hanc particulam maxime incurrunt: longe alio quidem illi animo; ſed tamen eo magis cavendum eſt, ne quid in illa ipſa particula ſit, quod accuratam ἐξέτασιν (*inquiſitionem*) non ferat. Argumenta à Caſaubono allata, vel potius ab Archiepiſcopo dictata, fateor eſſe οὐδὲν πρὸς τὸ πρᾶγμα. (*nihil ad rem*) Sed aliud eſt quod me movet. Anglicani Theologi diverſi diverſa de Prædeſtinatione ſentiunt: ita ut quidam plane ſtent à Remonſtrantibus, quidam à Contra-Remonſtrantibus. Sunt item tertii, qui in Auguſtini ſententia poſteriore acquieſcunt, eamque hoc modo explicant: Deum voluntate antecedenti & conditionata, & ſeria, velle ſalutem ſingulorum hominum: & redemtionis Chriſti beneficium ad omnes pertinere: nullum etiam eſſe cui non præbeantur auxilia ad ſalutem ſufficientia. Sed huic decreto conditionato ſubnectunt poſtea decretum abſolutum, quoſdam homines ob amorem erga ipſos eximium, per certa & infallibilia media, quæ tamen neceſſitatem non inferant, ad ſalutem perducendi. Hi in hoc quidem uno capite à Remonſtrantibus diſſentiunt: cæterum ſtatuunt mortuum Chriſtum pro ſingulis ex ſua & Patris intentione: gratiam eſſe reſiſtibilem: fidem juſtificam amitti: hominem incertum eſſe de ſua Prædeſtinatione. Hos ego, cum ſciam eſſe magno numero, & in pleriſque Remonſtrantibus conſentiant, offendi nolim. Neque tamen neceſſe eſt ullo modo probari hanc ſententiam: ſed hoc cavendum puto, ne eos qui ita ſentiunt à nobis ſejungamus, quorum nobis patrocinium ad res multas prodeſſe poterit. Sejungentur autem, ſi putarint ſuam ſententiam à nobis, ut gloriæ Dei & Eccleſiarum ædificationi inimicam, traduci. Non dubito quin fuerint in Epiſcoporum conventu, quibus formula Edicti exhibita eſt, qui hunc in modum interpretati ſint verba Edicti, alia quam nos ſenſimus vocum conſtructione: nempe, quaſi negemus inter eos, qui invitantur, eſſe alios quibus Deus omnino ſalutem decreverit dare, eſſe item alios quibus ſalutem decreverit dare aliquo modo, non tamen æque omnino. Hoc autem negare, & ita negare, quaſi Dei gloriæ adverſum, eſt ipſorum ſententiam refellere: quod tamen minime eorum fuit inſtituti, qui ne Contra-Remonſtrantium quidem dogma, certos intra fines manens, damnare voluerunt. Hoc indicare voluiſſe Caſaubonum non dubito, memor ſermonum qui mihi cum ipſo, cumque Elienſi, Overallo, atque aliis fuerunt. Hi omnes ſemper me monuerunt, iſtam ſententiam, quanquam non omnibus, multis tamen placere, nec poſſe ſine magno divulſionis periculo damnari. Solvi poteſt hæc objectio iſta diſtinctione, aliud eſſe, decreviſſe omnino non dare, aliud, non decreviſſe omnino dare: illud à nobis, non item hoc improbari. Sed cum propoſitum nobis fuerit, hoc dogma oppugnare quod gratiam vere ſufficientem evertit, ad hanc autem rem ſuppetant phraſes multæ, perſpicuæ, Patribus uſitatæ; cur non his potius utimur, ſi modo id fieri poteſt, ſimulque novæ locutionis invidiam à nobis amolimur; id tamen conſecuti, quod maxime volebamus? Certus ſum, ſi id ab initio factum eſſet, neminem futurum in Anglia qui palam auderet nobis contradicere. Nunc an fieri poſſit, prudentioribus expendendum relinquo. Certe non video hoc ſi fiat, & ſumantur τὰ ἐνδεικνύμενα καὶ ἀφέντα, (*illorum quæ æquipollentia ſunt manifeſtiora*) quid alterutri parti aut accedat, aut decedat. Ad Magiſtratuum auctoritatem quod attinet, memini & notavi diligenter in tuo doctiſſimo & prudentiſſimo libello, ita Magiſtratibus judicium tribui, ut ſuum quoddam Paſtoribus non auferatur. Nunc quia judicium noſtræ Eccleſiæ audiri tempora non ferunt, putabam ego non inconſultum, ſi ex veteris Eccleſiæ judicio lucis aliquid fœneraremur. Et ſane nulla eſt pars Edicti, quæ non ferme totidem verbis apud priſcos auctores reperiatur. Gratiæ accepto ferendum initium, progreſſum, conſummationem ſalutis, etiam fidem; hanc gratiam non dari propter merita, dari autem in Jeſu Chriſto: item, accepto hæc ferenda gratiæ ſoli: neminem creatum ut pereat: neminem à Deo peccandi neceſſitate conſtringi: electos, qui credunt & perſeverant gratiæ dono: rejectos, qui in incredulitate & impœnitentia perdurant. Omnia hæc κατὰ λέξιν (*ad verbum*) ſæpiſſime invenies. De gratia ſufficiente teſtimonia non minus perſpicua. Quid igitur obſtat, quominus bona fide dicatur, antiquam de his capitibus Eccleſiæ εὐδοκίαν (*traditionem*) Scripturis conſentientem Ordinum ſuffragio comprobari? Quam non magna vis ſit illarum vocum facile intelligo. Sed erit κατάλυσις (*mollimentum*) quoddam rei minus uſitatæ, quod ſcilicet abſque Synodo Magiſtratus alia dogmata probare, alia damnare videatur. Anglis quidem ſcio id fore gratiſſimum,

Ep.227. mum. Quod autem veretur pietas tua, ne non ſatis bona conſcientia id faciant Ordines, quia hæc Edicti verba non contulerint cum veteris Eccleſiæ placitis; neſcio an non vereri eundem in modum liceat, ne quidam Edictum approbaverint, ne ad ipſam quidem Sacram Scripturam, ut oportet, inſtituto prius examine. Si qui tamen hoc ſibi probari cupiunt, probatiſſimos auctores eum in modum & ſenſiſſe & locutos eſſe, ſunt ad manum teſtimonia. Ego magno redemtum velim primitivæ Eccleſiæ factam in Edicto mentionem: ſed id ſcis repudiatum à Dordracenſibus, quia ad tempora Auguſtino antiquiora redigi nolunt. Vos multo juſtius ea, quæ poſt Auguſtinum introducta ſunt, obtrudi vobis non patimini. Interea vero ea, quæ & ante & poſt Auguſtinum ſemper in Eccleſia, tum Orientis, tum Occidentis, indubitata fuere, poſſunt à tot ſæculorum & gentium conſenſu auctoritatis aliquid accipere. Ejus autem ſunt generis, quæ Edicto continentur. Hæc ideo, vir ſumme, fuſius paulo ad te ſcribenda exiſtimavi, ut mearum meditationum & ſumma & ratio tibi conſtaret. Omnino pervelim muniri nos alicujus externæ Eccleſiæ conſenſu: quod ſi impetrari poſſit vocibus quibuſdam ad Edictum adjectis, aut mutatis, parva eſſet & temporis & laboris jactura. Nec forte magna in eo eſt difficultas, cum neutrius partis durior reddatur conditio. Alioqui nihil movendum judicarem. Si tamen omnino moveri hæc res non poteſt, niſi labefactetur quicquid actum eſt, utendum potius qualicunque remedio, quam ut in morbo diutius jaceamus. Si vacaret mihi tranſcurrere, coram hæc omnia prolixius exſequerer. Oro te, ut ſimulac D. Oldebarneveldius teſtimonia noſtra, quantum ſatis ipſi eſt, inſpexerit, tu quoque ea perlegas: & ſi qua ſunt minus ad rem facientia, annotes: ut deinde ego quoque legam, & hiatus quoſdam ſuppleam. Ne qua in nobis mora ſit, quo minus in lucem prodire ſtatim poſſint, ſimulatque ex uſu id eſſe videbitur. Vale vir reverende, & meos conatus boni conſule. 7 Junii CIↃ IↃ XIV.

Tui reverentiſſimus

H. GROTIUS.

CCXXVII.

CONRADO VORSTIO

JOH. UYTENBOGAERT S.P.D.

Rursus dem exhortationis ad pacem Eccleſiaſticam conſervandam.

REverende & Clariſſime Vir; quum ſciam te non tam officii intermiſſi cauſas, quam ipſum ſcribendi officium deſiderare, dicam paucis, Epiſtolam tuam ab Ampliſſimo bene acceptam, ita ut benevolentiam illius erga te vel tantillum diminutam non putem. De cohibendo autem jam authoritate publica Slado, (quem audio animoſe pergere in incepta ſcriptione adverſum te) nulla ſpes. Hunc tamen ſilentio prætereundum à te judicat Ampliſſimus, ut ea ratione multati rixoſi Stentores tandem vel inviti ſilere cogantur. An vero hoc ex uſu ſit, judicare promtius erit poſtquam fœtum, quem parturit, viderimus. Contumelioſe ſane Paræus illud de Vertumno Irenico ſuo inſperſit. Si hoc in Irenico, quid faceret in Erynnico? Bene judicas, iſta ad Chriſtianiſmi pacem vel parum vel nihil facere. Neſcio an videris P. Molinæi ſcriptum, typis non vulgatum, de modo ineundi inter Eccleſias quaſdam, quæ Papatui renunciarunt, Syncretiſmi, admodum profecto generale, & quod fores tantum lambens ipſas ædes non ingreditur. Videtur tamen aliquibus quantivis precii. Magnæ etiam Britanniæ Rex aliquid ad communem Chriſtianiſmi pacem faciens moliri videtur apud Synodum quæ jam peragitur, vel peracta potius eſt, Eccleſiarum Gallicanarum. Forte & alibi idem tentat. Ad me etiam aliquid de pace inter nos conſtituenda perſcribit Molinæus, tali videlicet (proferam ipſiſſima illius verba) *laquelle donne toute la gloire de noſtre ſalut, & des bonnes œuvres, que nous faiſons, à Dieu, en ſorte toutesfois que noſtre volonté ne ſoit rendue immobile, ou tirée par contrainte, & que Dieu ne ſoit rendu auteur de peché, ni deſtinant les hommes à damnation eternelle ſans conſideration de leurs pechés.* Hæc larga manu donat. O ſtupendam liberalitatem! At qui gratis cœlum conſcendere vult, gratis tamen liberalitatem exercere non vult. Addit enim: *Mais, dit-il, je voudrois auſſi, que cela fuſt poſé pour conſtant, que la foy juſtifiante eſt un don de Dieu, laquelle il ne donne qu'à ceux qu'il a eſlus & predeſtinés à ſalut.* Item; *que nul ne peut eſtre ſauvé ſans cognoiſtre Jeſus Chriſt, & ſans croire en luy, en ſorte que s'il y a quelques perſonnes ou quelques peuples, aus quels l'Evangile n'a point eſté annoncé, & qui n'ont point les moyens de cognoiſtre Jeſus Chriſt, que nous ne diſions pas, qu'une grace ſuffiſante leur ſoit offerte.* Pergit in conſcribendis pacis articulis. *Je voudrois auſſi, qu'on ne diſputaſt point,* utrum Deus elegerit ex maſſa corrupta an incorrupta, *car par la on entre en des penſées que noſtre raiſon ne peut digerer, & dont naiſſent des murmures. Je voudrois auſſi, qu'on ne parlaſt point* de Apoſtaſia ſanctorum; *ce mot eſt de dure digeſtion, & esbranſle la certitude du ſalut, & la paix de conſcience, qui eſt ce à quoy nous devons principalement travailler, & qui eſt le principal fruict de toute la Religion.* Addit ad finem; *Entre eſprits equitables il eſt aiſé de ſe pardonner mutuellement quelque choſe, & en ce en quoy on eſt d'accord, cheminer en cela conjointtement, & eviter deux extremités vitieuſes ſe rencontrer au milieu.* Hactenus Molinæus. Quid tibi videtur? ecquid arridet hæc concordiæ formula? Goular-

Digitized by Goo

Ep.228. Iardus Genevenſis etiam ad me dedit hortatorias ad pacem amicas valde & patheticas: at modum nullum præſcribit. Addit idem Goulardus, Molinæum & Tilenum exſpectari Genevæ, ut qui litem ſuam iſtius Eccleſiæ arbitrio permiſerint: ſed ex ore Molinæi refert D. Milius ex Galliis redux, Tilenum profectionem Genevenſem detrectare. Ex Delphinatu ad me perſcribitur, controverſiam iſtam dirimendam in Synodo Nationali Gallica, de qua monui ſupra. De ratione ædium tuarum Ampliſſimum nondum conſului: occaſio enim prona deſuit ejuſmodi de rebus agendi. Quid ſi invaletudinem tuam (de qua D. Taurinus nuper aliquid retulit) cauſatus, non de coëmendis Goudæ ædibus, ſed de transferendo Ultrajectum domicilio conſilium ejus exquiram? Non faciam niſi juſſeris. Ut appendicem contra Sibrandum abſolvas omnino neceſſum puto. Hanc vero antequam excudatur, ad me mittere nihil eſt neceſſe. Neque omittendam confutationem Piſcatorianam putem; alio tamen prorſus quam quem hactenus obſervaſti ordine. Quid ſi, occaſione libelli ipſius de gratia univerſali, totum illum locum de Prædeſtinatione jam ſemel ex fundamento excuſſeris, & ad argumenta Piſcatoriana ſuis collocata locis reſponderis? Bertii ad Piſcatorem reſponſio, ad eam nempe partem quam fratribus Belgis inſcripſit, jam parata eſt. Prodierunt jam annotationes Bogermanni in librum D. Grotii, mihi tamen nondum viſæ, quod exemplaria huc allata omnia à fiſco ſint ſuppreſſa. Sequetur brevi ipſius Sibrandi Apologia. Si bene utriuſque ingenium novi, tu, ego, Remonſtrantes egregie vapulant. Nec parcunt Grotio, ut audio. Ex Anglia nihil admodum habeo ſcriptu dignum, niſi quod Edictum Ordinum noſtrorum, nuper tanto molimine vix confectum ad ſopiendas noſtras controverſias, Regi & Epiſcopis oſtenſum ſatis placeat, exceptis pauculis, prout narrat Caſaubonus. De his vero alias. Nobilis ille à Pappinga, quem vocas, mihi non eſt viſus. Aliunde autem accipio planum eſſe & impoſtorem. Novit T. R. charitatem hic prudentia temperandam. Geſtio te inviſere, at idoneum iſti rei tempus exſpecto. Vale in Domino Vir Reverende & Clariſſime, Deus pedes noſtros dirigat in via veritatis ac pacis. Haga 12 Junii 1614.

CCXXVIII.

REGNERO VITELLIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Libro Grotii, de veritate religionis.

VIr Humaniſſime, Remitto tibi cum gratiarum actione librum tuum præſtituto die: beneficium enim interpretor illius communicationem, non beneficii alicujus præſtiti compenſationem. Sed quid intelligo? obſtupui profecto & cohorrui, cum propoſitum veſtrum de edendo in lucem autore hoc, & vernaculum faciendo, ex literis tuis perſpicerem. Itane mi vir, talem librum, & hoc ſæculo? Quid agitis & ſuſcipitis? Satiſne ſubducta ratione? Librum, inquam, tam variis erroribus & ſpeculationibus, neſcio an magis Metaphyſicis quam Thalmudicis, refertum, tam periculoſum & noxium, & jam ab orbe toto damnatum & reprobatum? & quidem hoc tam exulcerato ſæculo, tam turbido, & commoto? Nondum ſatis turbarum & litium excitatum vidiſtis ex tam levibus & facilibus articulis quibuſdam, ut oleum camino æſtuanti addendum eſſe putetis, & novas tempeſtates, novos fluctus ciere, & tam gravium tam inſulſorum (ita enim multa mihi videntur) lementem hanc horrido conatu libeat tentare? Suſflaminanda profecto, & omnibus viribus reprimenda & refrænanda illa videntur eſſe ingenia, quæ ad conflictum & pugnam prurunt: & vos novis ſtimulis irritanda putabitis? Nolite, quæſo, incerti lucelli & privati commodi ſpe publicam tranquillitatem importuna & inepta ejuſmodi librorum editione perturbare. Si vobis veritas divina ſimpliciſſima & Eccleſiarum pax cordi eſt, deſiſtite ab iſto conſilio, cujus vos alias aliquando pœnitebit ſerio, & fortaſſe ſero. Anima ſaltem mea non veniat in conſilium veſtrum. Datum Leydæ 17 Junii 1614.

Ep.229.

CCXXIX.

MARCO GUALTHERO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

VIr Doctiſſime, Nec Pythagoræ litamus, nec veſtri plane immemores vivimus, etſi inter occupationes ſæpenumero vix reſpirare, aut animum feſſum abducere à ſeriis liceat. Recreas proinde nos narratione rerum earum quæ apud vos geruntur. Quas dum perſpicio, mirari ſatis non poſſum, ex una parte importunam illam & intempeſtivam Goykeri veſtri confidentiam, dicam, an deſultoriam atque verſatilem animi levitatem: Ex altera parte prudentiam eorum, qui malum in herba, quod ajunt, ſupprimere ſatagunt, & ipſis morborum principiis medicam adhibere manum, antequam medullas & oſſa pervadat, ſtrenue adlaborant. Ita profecto agi oportuit, atque ex exemplo noſtro atque fortuna noſtra ſapere. Niſi enim mature & prudenter Davis ejuſmodi ad turbanda omnia idoneis occurratur, brevi futurum eſt, ut morbus ſupra remedium evadat, & mali atrocitas aut curando non ſit, aut exaſperet atque irritet remediorum violentiam. Utinam ſub initium hanc viam inſtitiſſent Epimethei noſtri, non hæreremus in tam alto luto, ex quo non, niſi exantlatis viribus, eluctari nunc licet. Sed Epimethei ſu-

Eccleſiaſtes.

Ep.230. mus omnes fere, pauciſſimi Promethei, qui quæ ſecus facta ſunt ſero agnoſcimus, quæ vero facienda ſunt, ante non videmus. Neque tamen eo loco res ſunt, quin adhuc ſanis conſiliis corrigi poſſit quod incautius antehac geſtum eſt; ſi modo ſinguli operas noſtras in commune bonum conferamus; etſi ægre id fieri poſſe videam. Facilius vulnus infligitur, quam infictum curatur. Sed quid Souterius veſter hic apud nos egit? an parturit etiam & uterum gerit, Lucinamque atque obſtetricem quærit? Utinam autem elucubratum ſit, & quod arroſos aut demorſos ſapiat ungues, dignum hoc erudito ſæculo; aut ſaltem turbandæ paci & concordiæ non deſtinatum! Eo fine veniſſe, & jam tranſegiſſe cum typographo intelligo. Non credo illum in vos aut nos aliquid meditatum eſſe, aut evomere velle quod concoquere non poteſt. Libros quorum facis mentionem fruſtra deſideras; ſi haberi potuiſſent, jam miſiſſem: aliis negotiis diſtrahuntur D. Bertius & Voſſius, quam ut vacare poſſint refutandis iis de quibus ſcribis; ſine dubio tamen acturi aliquid, ubi otium fuerit. Grotii ſcriptum de Magiſtratu in lucem non prodiit; an ſub manu adhuc ſit, an ſub prælo, mihi non conſtat: vix crediderim, ſi quid ſit, lucem viſurum, niſi occaſio gravis ſtimulet & irritet virum prudentiſſimum ad editionem. Cæteroquin hic omnia melius ſe habere incipiunt, & turbatæ fæces ſubſidere, animique concitatiores componi videntur ad quietem magis magiſque. Faxit Deus ut novis & quæſitis ſuſpicionibus non rurſus in eoſdem paroxyſmos præcipitemur, ſed quæ ad pacem & ædificationem noſtram faciunt ſinguli ſpectemus, & pro modulo noſtro curemus. Quod vos agere cum gaudio intellexi, jamque in Synodo veſtra tolerantiam ſancire & ſtabilire in motis hiſce controverſiis velle audivi. Agite, & ſi quid tale in animo habetis viriliter contendite: Deus pacis & concordiæ aderit vobis: ſatis hactenus vitilitigatum eſt, & ſerra contentionis reciprocata: agamus ea quæ neceſſaria nobis ſunt, ut ſalvi aliquando ſiamus. Beatus ſervus ille, quem quum venerit Dominus ejus, invenerit (ita) officium facientem. His vale, mi Frater, & meo nomine cognatum meum D. Epiſcopium cum uxore & familia, fratribuſque omnibus multam ſalutem comprecare. 1614. Leydæ.

CCXXX.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S. P.

De ſententia veterum de prædeſtinatione & gratia Dei.

GRatias tibi, Voſſi doctiſſime, majores habet animus, quam verbis eloqui poſſum, pro ſcripto tuo utroque: quorum altero me pro pace Eccleſiæ & Magiſtratuum auctoritate, cauſis duabus honeſtiſſimis, vexatum crudeliter, ſolaris atque etiam confirmas: altero vero, ea quæ hactenus explicata ſunt à nemine, quæque ad ſedandas controverſias noſtras magnopere pertinent, & clare & veraciter explicaſti: qui tuus labor idem me fruſtra inter tot negotiorum impedimenta tentantem, ea cura liberavit. Locos Veterum, qui probant non aliam ipſis Prædeſtinationem, quam ex præſcientia fuiſſe cognitam, habes ſine dubio in promtu plurimos. Citavi ego quoſdam, & in Pietate, & in teſtimoniis ad decretum, quos habebis propediem. Imprimis illuſtris eſt Juſtini locus Apologia II. Sylburgiana pagina 63, cujus particulam duntaxat citaram in Pietate, cui Bogermannus perquam frigide reſpondet. Adjiciendus eſt alter Juſtini locus, Apologia priore pag. 35. ubi Stoicum fatum iis argumentis oppugnat, quæ abſolute primam Prædeſtinationem non minus evertunt. Accedat, Irenæus lib. IV. cap. XXIX. ſub finem. Clementis locus à Leſſio citatus ſect. II. prob. II. ubi & Hieronymi & Ambroſii & Chryſoſtomi quoſdam invenies. Chryſoſtomum ſi placet etiam vide tomo II. pag. 327. & 744. & tomo III. p. 251. Non omittendum eſt, & Calvinum in Inſtitutionibus fateri hanc fuiſſe Veterum ſententiam. Bezam vero cap. II. ad Rom. verſu 2. negare audiendos hac in re Patres. Quin jam olim Proſper ad Auguſtinum ſcribens fatetur, retractatis priorum opinionibus unam omnium atque parem inveniri ſententiam, qua Dei Prædeſtinationem ex præſcientia receperunt. Ad quæſtionem de præventu gratiæ quod attinet, citatæ ſunt à te Chryſoſtomi & Hieronymi ſententiæ, nimium lane faventes Semipelagianiſmo. Obſervavi ſimiles alias; ut in Hier. lib. I. adv. Pelagianos: *Ex quibus intelligimus, noſtrum quidem eſſe velle & currere: ſed ut voluntas noſtra compleatur & curſus, ad Dei miſericordiam pertinere, atque ita fieri ut & in voluntate noſtra & in curſu liberum ſervetur arbitrium, & in conſummatione voluntatis, Dei cuncta potentia relinquantur.* Ejuſdem: *Ex quo intelligimus, non noſtra eſſe ſolum poteſtatis facere quod velimus, ſed & Dei clementiæ, ſi noſtram adjuvet voluntatem.* Et lib. III. *Ubi miſericordia Dei & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium, quod in eo tantum eſt ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Jam in Domini poteſtate eſt, ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.* Ego ſane magno emam, poſſe hos Patres ab iſthus erroris ſuſpicione purgari; præſertim cum credibile ſit, Eccleſiam Catholicam nunquam ignoraſſe quantum gratiæ deberetur, quæ pietatis non minima pars eſt. Et Hieronymum quidem forte juverimus commoda interpretatione: Chryſoſtomi verba pertinaciora ſunt, quam ut reflecti patiantur. Et tamen memini me alibi obſervare, Chryſoſtomum etiam boni initia referentem ad Deum

Ep.230. Deum. Vide Tom. v. pag. 371. editionis Savilianæ, nam mihi ad manum non eſt; ſed locum annotavi. Forte haud abſurdum ſit dicere, Patres veteres primam illam motionem, vocationis potius & excitationis, quam gratiæ vocabulo appellaſſe; eo quod gratiam ipſi interpretarentur eam, quæ ſuper nos, ſanctoſque & plane Deo gratos conſtituit. Hanc autem non eſſe ante omnem actum voluntatis manifeſtum eſt, quamquam illum quoque antecedentem voluntatis actum alius Dei actus anteceſſerit. Similis me erga Eccleſiam reverentia adigit, ut purgare Lugdunenſem quoque Synodum allaborem: ita ut non incredibile exiſtimem, verbis iiſdem aliud Fauſtum, aliud Epiſcopos cæteros ſignificatum voluiſſe: cui rei ſimile quid in Ariminenſi Concilio acciderat. Aliquos obſervantes legem naturæ ante Moſis tempora veſtibulum ſalutis ingreſſos, commode intelligi poteſt: nempe ne illud quidem tempus electis caruiſſe, qui non ſine obſervatione legis naturalis, ſed antecedente gratia, quæ ſopitas in natura ſcintillas excitaret, accedente etiam fide quadam in Chriſtum confuſiore, ſpem veram ſalutis adipiſcerentur, ſalutem pleniſſimam ac regni poſſeſſionem non niſi poſt Chriſti reſurrectionem adepturi; neque enim neſcis hanc fuiſſe veterum omnium ſententiam, ante Chriſti tempora nemini patuiſſe cœli penetralia. Quod de his qui ante Moſem vixerant in lege naturæ, idem de his qui poſt Moſem vixerunt in lege Moſis, dictum volo. Synodus certe Palæſtina pronuntiavit, non alienum eſſe à fide Eccleſiaſtica, quod Pelagius dixerat, regnum cælorum etiam in Veteri Teſtamento promiſſum. Nam inter ea quæ Pelagio objiciebantur ab Erote & Lazaro, hoc etiam erat. Auguſtinus in commentario ad ejus Synodi geſta diſtinguit inter Vetus Teſtamentum nude conſideratum, & idem Teſtamentum conſideratum, quatenus figura eſt Novi, & promiſſiones quaſdam Euangelicas continet: hoc ſenſu recipit dictum Pelagii: illo reſpuit. Proſperi libri de vocatione gentium hoc vel imprimis agunt, ut probent nullum tempus expers fuiſſe divinæ gratiæ: atque omnes nationes voces Propheticas in Elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe: ex his tamen juſtificatum neminem niſi per ſpiritum fidei, parciorem licet atque occultiorem. Quod vero Synodus Lugdunenſis eos damnat, qui dicunt alios ad mortem deputatos, alios ad vitam prædeſtinatos, videor ex prioribus ita poſſe interpretari, ut agat de adultis & baptizatis, quos neget ad mortem deputatos in ſolo Adami peccato: idque facile illis perſuaſum, qui à baptizatis auferri originis reatum non dubitabant. Cæterum quo evidentior ſit hiſtoria erroris Prædeſtinatorum, vide quæſo Arnobii commentarios ad *Pſalm.* CVIII. ubi hæreſim eſſe ait, quæ dicat alios prædeſtinatos ad benedictionem, alios ad maledictionem, nempe æqualiter, abſolute, contra præſcientiam; & in *Pſalm.* CXVII. ubi Ep.230. Prædeſtinatus dicitur liberum arbitrium infringere: & in *Pſalm.* CXLVII. ubi Prædeſtinato objicitur, quod neget illud Apoſtoli, quod Deus omnes homines vult ſalvos fieri. Adde ejuſdem non antiqui admodum, ſed tamen nunquam damnati, auctoris locos alios: in *Pſalm.* LVIII. LXXVII. XC. CXXVI. CVI. Videtur non injurius in gratiam, à qua præveniri fatetur voluntates: niſi quod eam interdum minus integre explicat. Nam in *Pſalmo* CXLVII. antecedentem hanc gratiam ſtatuit in oſtenſione ſui: nec ſatis aperte fatetur, præter externam prædicationem, illuminationem quoque internam requiri. Quod autem de Vincentio Lerinenſi dixeram nuper, magis magiſque mihi allubeſcit: nempe tangi ab eo oblique eos, qui ſub nomine Auguſtini novam docendi rationem antiquis incognitam ſuper gratia ac libero arbitrio populis obtrudebant. Nam *cap.* XLIII. poſtquam citavit nobilem illam Cæleſtini epiſtolam, hæc ſubjicit. *Hic aliquis fortaſſe addubitat, quinam ſint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem: vetuſtatis prædicatores, an novitatis adinventores? Ipſe dicat, & dubitationem legentium ipſe diſſolvat. Sequitur enim: Deſinat, inquit, ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt ut apud me quidam urbes & Provincias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam novitatibus conſentire noxia diſſimulatione faciatis: deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem: Ergo hæc fuit beati Cæleſtini beata ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem, ſed potius novitas deſineret inceſſere vetuſtatem.* Nonne ex his verbis apparet, hoc agere Vincentium, ut Cæleſtini verba in illos retorqueat, qui Cæleſtini auctoritate ſe tuebantur? Qui autem hi, niſi aut Proſper ac Hilarius, aut progreſſi longius Prædeſtinati? Adde jam, quod Vincentii Monaſterium fuit Lerina, in tractu Maſſilienſi, ubi & Fauſtus poſtea vixit. Adde quod omnes fere laudatos auctores recitat: Auguſtini nuſquam meminit. Ait in præfatione, motum ſe ut ſcriberet, conſideratione etiam temporis, quod *novorum hæreticorum fraudulentia* multum curæ & attentionis indigeat. Recipiendum ait, non quod unus aut alter, ſed quod omnes pariter & maxime antiquiſſimi uno eodemque conſenſu docuere. Quin fieri poſſe dicit, ut auctores alicujus opinionis Catholici, conſectatores vero hæretici judicentur. Mox fraudulentiam illam, cujus in præfatione meminerat, accuratius explicans, ait in eo poſitam, quod ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, & captent veteris cujuſpiam viri ſcripta paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant. Deinde quæſtionem proponit, cur perſæpe divinitus ſinantur *excellentes* quædam perſonæ in Eccleſia conſtitutæ *res novas* Catholicis annuntiare? Quod ita fieri, Ter-

tul-

Ep.230. tulliani & Origenis, virorum eruditiſſimorum, exemplis confirmat. Neque illud de nihilo, quod capite XXIV. alias hæreſes breviter tranſiens, Prilcilliani hæreſim graviſſime perſtringit. Nunc ut alia quoque tui vere aurei libelli obiter percurram, Epheſi damnatum proprie Pelagii dogma non memini legere: exactos tamen quoſdam Pelagianos Nestorii ſuffragatores apparet: quod tamen tumultu magis factum, quam judicio, ex carmine Proſperi colligere videor: qui & Sicilia pulſos Pelagianos non obſcure ſignificat. Recte & veriſſime obſervaſti, omnibus iis Conciliis, quæ contra Pelagianos aut Semipelagianos habita ſunt, Prædeſtinationis quæſtionem magno ſilentio præteriri: idem obſervare potes in tot Epiſcoporum Romanorum epiſtolis, quorum auctoritatem parvi facere non poſſunt, qui Proſperi le veſtigiis jactant inſiſtere. Maxentius annon in Eutychetis errorem inclinaverit, conſideres velim. Miratus ſum, in eo me legere Baſilii locum, qui dicat Deo volenti ſervare humanum arbitrium non reſiſtere. Nihil unquam Auguſtinus tale pro ſe afferre potuit, ex ullo Veterum. Geſta Palæſtina hortor ut legas: mire illuſtrant naſcentis Pelagianiſmi hiſtoriam. Nunc id reſtat, ut dicam quod & mea nonnihil & Reipublicæ plurimum intereſt. Si res tua privata, vitæque tuæ tranquillitas id ferrent, omnino conſultum putarem edi quæ de Veterum ſententia commentatus es. Nihil enim hoc ſæculo tractari potuit utilius. Utinam & quæ in Bogermanno notaſti ſine fraude tua lucem poſſent aſpicere! Nam quamquam Johannes Arnoldus eidem labori gnaviter incumbit, tamen tua moderatio, nihil dantis partibus, ſed vero conſtanter patrocinantis, plus habitura eſſet auctoritatis. Deinde è re eſſet, vel breve aliquid quam celerrime prodire, ne reſponſionis tarditas malevolis audaciam, mediis ſuſpicionem, bonis dolorem augeat. Quod ſi neutrum fieri poteſt, rogo ut mihi permittas, Joh. Arnoldi utrumque ſcriptum pacta ſilentii fide legendum dare, ut validiſſima tela inde ſumat. In quam ſpem (niſi quod malim prius illud ſine tuo incommodo poſſe fieri, aut expreſſo aut ſuppreſſo nomine) libellum utrumque penes me retineo. Neque enim ſæpiſſime repetita lectio ſatiare me poteſt. Vale Voſſi doctiſſime, & me conſtanter ama. XXI. Julii CIↃ IↃC XIV.

Tuus totus animo

H. GROTIUS.

CCXXXI.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S. P.

De Bertii hiſtoria Pelagiana nonnulla libro ſuo adverſus Piſcatorem.

HEri poſtquam ad te ſcripſeram, vir Reverende, venit ad me Cl. Bertii epiſtola cum pagellis aliquot, quo Piſcatoris horridum dogma certiſſimis argumentis exagitat, tanta perſpicuitate, ut mihi quidem videatur ipſi Piſcatori quod vult probaturus. Poposcit judicium meum. Perſcripſi amice & candide: Omnia quæ adverſus Piſcatorem diſputat vehementer mihi probari: ſed interim eſſe quædam, quæ mihi videantur intuta, certe intempeſtiva. Sunt autem ea pauca admodum, & ad propoſitum ipſius minime neceſſaria. Diatribam ei libello de hiſtoria Pelagii inſeruit, in qua ipſius & cauſæ ab ipſo defenſæ hoſtes oblique aut defendi, aut certe excuſari Pelagium clamabunt. Ait eum Synodo Palæſtinæ ſuam probare ſententiam. Atqui manifeſtum eſt, illuſiſſe Pelagium Synodo; damnavit enim, ne ipſe damnaretur, ea quæ mox multo etiam acrius ſparſit in vulgus. Hæc enim duo, gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, niſi gratia conſtituatur in ipſa natura. Item, gratiam ſecundum merita dari: in Synodo non modo pro ſuis non agnovit Pelagius; ſed & anathematizavit. Eadem poſtea docere convictus eſt. Probavit ergo Synodo non ſuam ſententiam, ſed eam quam ex ipſius verbis intelligere Epiſcopi potuerunt. Reprehendit multa in Synodis Africanis. At quorſum? nam quid eſt in illis actum quod ipſi obſtet? Nam de abſoluto decreto ibi ne verbum quidem. De vi irreſiſtibili nihilo magis: de gratiæ juſtificantis inamiſſibilitate multo minus: imo aliqua argumenta in partem contrariam. Sed cum Pelagius gratiam ſtatueret in ſola prædicatione, repudiatum eſt hoc à Synodis. An immerito? Mihi quidem Synodi iſtæ ſatis aperte diſtinxiſſe videntur inter dogmata Auguſtini propria, quæ plane omiſerunt, & vetera ac Catholica, quæ propugnarunt contra Pelagium & Cæleſtium. Conqueritur D. Bertius, male eos audiiſſe qui paci ſtudebant; & nominat Caſſianum & Fauſtinum, minime probatos auctores, & quorum ſententiæ ipſis auctorum verbis damnatæ ſunt à Patribus Arauſicanis. Caſſiani eſt: non ſemper à gratia inſpirari bonæ voluntatis principia: cavendum eſſe ut ita ad Deum referamus ſanctorum merita, ut nihil niſi id quod malum eſt humanæ aſſcribamus naturæ: ortum bonæ voluntatis nullum ex ſe oriri. Fauſti vero: quoſdam ſervari ſolo vigore naturali, quam ipſi vitium eſt ſubdola voce appellare primam gratiam. Hæc quomodo conveniant cum libelli ſupplicis veſtri articulo III. cum iis quæ Arminius & Scripturis, ut ego arbitror, & fidei

Digitized by Google

Ep. 231. fidei antiquæ conſentienter tradidit ad articulos XXXI. art. XV. & XVII. cum nupero quoque Ordinum decreto, fateor me non capere. Et quorſum illos excuſamus, quorum rejectis ſententiis noſtra maneant? Quid juvat inſectari Africanas Synodos, quæ nobis non nocent? Quid inde boni ſperamus? Et hæc quidem pag. 70. & 71. Pagina vero 62. agnoſcenda aliqua in nobis divinæ imaginis lineamenta vere dicitur, ſed neſcio an eo loco & ſenſu quo oportebat. Nam de fide agitur. An vero non poteſt infuſio fidei irreſiſtibilis repudiari, niſi putemus aliquas eſſe in natura vires ad ſalutariter credendum? Pagina 63. ait, non eſſe negandam gratiam primam, gratiam inhærentem, gratiam communem, gratiam cujuſvis poſterioris oblatæ gratiæ prentatricem. Ego quid hæ phraſes velint forte non intelligo. Sed adverſarii palam dicent, cum Fauſto gratiæ nomine ſolam velari naturam. Nam gratia præveniens non poteſt eſſe illa quam prenſatricem vocat. Eſt enim incitatrix & illuminatrix, agens non patiens. Ipſum autem quod prenſat, eſt liberum arbitrium, quod de ſe habet velle, de gratia bene velle. Hæc ergo quin ad obſcurandam gratiæ laudem pertineant, ut ego maxime credam, non credent alii. Statim ut in Britanniam venerit hic liber, noli dubitare, damnabitur. Deinde, qui Ordinibus Hollandiæ male volunt, hæc, inquient, eſt illa magnifica gratiæ prædicatio, cujus voce naturam intelligunt: Pelagium excuſant: Semipelagianos Arauſicano Concilio damnatos etiam laudant. Hoc eſt quod agitur: huc ſpectat illud decretum. Videor mihi audire loquentes Archiepiſcopum & Winwodum. Apud nos vero omnes refractarii dicent, initium à Regente Collegii factum exorbitandi extra decretum: & quibuſdam hoc facile perſuadebunt. Quomodo iſta Amſtelodami, quomodo in Friſia jactabuntur? præſertim apud Comitem Guilielmum, cujus ille Profeſſorem merito accuſat: ſed quid neceſſe erat iſta admiſceri? Magnus poterat ſperari uſus libelli ſi iſtis abſtinuiſſet non neceſſariis. Qui dicunt Deum motu quodam interno omnium hominum corda pulſare, alii excitare ſopitas ſcintillas notitiæ naturalis, aliis etiam verbo exterius prædicato majus lumen accendere, paratum vero à prioribus parcioribuſque menſuris ad alias uberiores & ad ſalutem omnino ſufficientes progredi, niſi homo ipſe viam præcludat; nonne ſatis evitare poterit abſoluti decreti ſcopulos, etiamſi naturæ non tribuat, quod detrahat gratiæ? Et ego quidem D. Bertium benignitate quadam potius in homines olim damnatos, quam alia de cauſa ſcribere iſta credo. Nam alio loco fatetur, omnem bonum actum à gratia præveniri. Sed noſtræ aut benignitatis, aut eruditionis oſtentatio tanti nobis eſſe non debet, ut propterea & nobis ipſis eripiamus facultatem juvandi alios, & patriam atque Eccleſiam oneremus ſupervacuis difficultatibus. Miror virum optimum non meminiſſe, quam male ipſi ceſſerit ſola nuper libri inſcriptio, quam amabat ſine rivali. Scripſi hæc illi libere, & ipſius & publica cauſa. Ego mala multa eventura, ni mutentur iſta, prævideo. Nondum eſt autem impoſitus libro finis. Paucarum chartarum res agitur. Quid hoc, ſi cum quiete publica comparetur? Tu qui iſta optime intelligis, Reverendiſſime Domine, qui & locum & tempora noſti in quibus verſamur, rogo ſi idem mecum ſentis, meo conſilio tuam adjungas auctoritatem: ſin minus, æqui tamen conſulas, quod pacem tot moleſtiis quæſitam & nunc maxime periclitantem, novis offenſionibus diſpelli longius non cupiam. Deum teſtor, ipſius mihi honorem, reipublicæ & Eccleſiæ tranquillitatem, & amolitionem invidiæ à bona cauſa, nec quicquam ultra, hic ſpectari. Idem te, Vir Reverende, diu valentem, florentem, & noſtri amantem conſervet. 3 Auguſti CIↃ IↃC XIV. Roterodami. Ep. 232.

Tuæ pietatis cultor addictiſſimus

H. GROTIUS.

CCXXXII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

De Remonſtrantium Ordinum.

REmitto tibi, Vir Clariſſime, teſtimonia primæ vetuſtatis, & Græciæ inſuper poſterioris, ſuper Prædeſtinatione ex præſcientia, gratia ſufficiente & libero arbitrio, quæ mihi jucundum fuit recognoſcere. Alia quæ à te habeo ſcripta curabo ut ad dominum redeant. Scire interea velim, quo animo decreti editionem acceperint, qui in Contra-Remonſtrantium partibus moderatiores paulo videri volunt. Mihi videntur & imprudenter & ingrate facturi ſi contra quid moverint. Nam ſi hoc agunt, ut gratiæ ſuus conſtet honos, quid eſt omiſſum, præter abſolutum decretum & irreſiſtibilitatem; de quibus definiri nihil poterat, niſi vellemus omnem ſpem unitatis abrumpere? Volunt prævenţum gratiæ aperte poni? poſitus eſt. Volunt tolli à gratia meritum? Sublatum eſt: non modo quia nulla eſt æqualitas inter opera noſtra (ſive quæ ante gratiam fiunt, & ideo mala ſunt, ſive quæ ex gratia fiunt, & ideo ipſi debentur) atque ipſam gratiam operibus poſteriorem; verum etiam quia maxima interdum dona conferuntur non modo nihil boni, ſed & multum mali meritis: quamquam alioqui Deus non ex juſtitia ſed ex bonitate ſtatuerit prioribus donis utenti ulteriora non negare. Nolunt ibi ſubſiſti, ut dicatur poſſibilitas fidei eſſe à Deo; niſi ab eodem ipſam quoque fidem dari fateamur? Obtemperatum eſt, oſtenſumque potiſſimas eſſe gratiæ partes in ipſa pii actus productione. Im-

Ep.232. probant ea qui ſpem ſalutis cuiquam polliceri audent citra notitiam Evangelicæ veritatis? Ne hoc quidem eſt prætermiſſum. Volunt nihil nos nobis arrogare, ſed quod Chriſtianæ humilitatis eſt, Deo totum aſcribere? Habent & hoc. Et hæc quidem planiſſime pro ipſis, ſi hoc agunt quod agere videri volunt. Videamus an quæ ex altera parte decernuntur ipſos gravent. Cum dicitur, *neminem creari ad damnationem*, nihil hoc ad eos pertinet qui ſupra lapſum nolunt aſcendere. Ubi enim frænantur his verbis, qui citra præſcientiam qualemcumque actus omnis qui creatione ſit poſterior, audent rejectionem ſtatuere, & quidem affirmativam ut vocant. *Nullis à Deo peccandi neceſſitatem imponi*, non fruſtra additur, propter illos qui Prædeſtinationem ad peccatum docent; quo nomine Nicaſius Scurius jampridem ab Eccleſiis cenſura notatus eſt. Sed non habent quod hinc ſibi metuant, qui nec citra primum peccatum aliud decretum quam permittens agnoſcunt, nec generalis hominum corruptionis cauſam in divina aliqua actione quærunt. Reſtat illud, quod, ut puto, maxime vexabitur, *nullos à Deo invitari ad ſalutem quibus ſalutem omnino non dare decreverit*, quo in loco multa ſunt dicta de voluntate antecedente & gratia ſufficiente: ſed iis verbis quæ, ut puto, Junius & Tilenus non ſint repudiaturi. In ſumma, hoc tantum dicitur, quod quidam ad ſalutem non perveniunt id non ſoli naturæ, ſed & aſcititiæ malitiæ adſcribendum. Electio ſtatuitur æterna, *ex beneplacito* (*ſecundum beneplacitum*) in Chriſto: Electi dicuntur eſſe iidem qui perſeveranter credentes. Hoc ipſi non negabunt. At in teſtimoniis quibuſdam ſit mentio præſcientiæ, dicet aliquis. Et quid ni, cum Auguſtinus Prædeſtinationem interpretetur, præparationem & gratiæ & gloriæ? præparatio autemo perum Dei præſcientiam includit. Adde quod juxta doctiores Contra-Remonſtrantium, ut maxime electio ad ſalutem ſit prior præſcientia abſoluta dandæ fidei, attamen præſcientiam hypotheticam ſequitur. Præſcientiam vero peccatorum, etiam actualium, ante reprobationem multis in locis ſtatuunt illi, quos ſententiæ ſuæ auctores laudant noſtri Contra-Remonſtrantes; quam tamen ſi ipſi duntaxat hypotheticam volunt, certe nomen totum præſcientiæ repudiare non debent, ſine qua neceſſario Deus auctor peccati ſtatuitur; cum qui vult abſolute finem, abſolute quoque velle & ordinare debeat media ad finem neceſſaria. In poſtrema parte ſunt loci aliquot, qui liberi arbitrii faciunt mentionem: ſed nempe ſub gratia & cum gratia: quam libertatem agnoſcit ipſe Bogermannus, imo & Geſelius. Quod ſi in re nihil eſt quod ipſos premat, forte exemplum diſplicebit conditi à Magiſtratu decreti de re fidei. Sed profecto ſi Ordinibus licet ita credere ut fert decretum, licet etiam hanc fidem publice profiteri. Si vera ſunt quæ decreto continentur, ne putent jubere Ordines, ſed quod Deus jubet de eo ab ipſis moneri ſubditos. Quis hoc negabit licere? An peccet Magiſtratus, ſi jubeat doceri veram & plenam Chriſti ſatisfactionem? hoc ſi fieret, etiam abſque Synodo, neminem puto reclamaturum. Auguſtinus ait, pauciſſimas hæreſes in Synodis damnatas. Ego dum nuper hiſtorias veteres evolvo, invenio Pelagium prius ab Imperatoribus damnatum, quam ab ulla Synodo. Si ergo nec in ratione agendi peccatum eſt, nec in ipſa materia, quid eſt quod conqueri quiſpiam poſſit, niſi hoc dolet, rationem inventam qua imminens ſchiſma anteverteretur? Hæc ego ita ut mihi in mentem veniebant in ſinum tuum volui effundere. Reſcribes ubi vacaveris, aut potius non reſcribes, quo magis illis laboribus vaces, quibus ego maxime faveo. Vale vir doctiſſime. x Auguſti. CIↃ IↃC XIV. Ep.233.

Tui ſtudioſiſſimus
H. GROTIUS.

CCXXXIII.

HUGONI GROTIO
GERARDUS VOSSIUS S.P.D.

De Edicto Ordinum aliiſque.

EDictum Illuſtrium D. D. Ordinum, Ampliſſime magnificeque D. Groti, mire hic vapulat à zelotis, à pleriſque etiam ſcurriliter impetitur. Qui molliſſime loquuntur, mirari ſe ajunt, pro edicto Illuſtrium Ordinum publicari, in quod non conſenſerint civitates. Nec fatentur tale *ψήφισμα* (*juxta ſubſtantiam*) eſſe, quale expoſcebant Dordrechtani: quandoquidem, præter horum ſententiam, haud clare exprimatur, de cæteris doctrinæ capitibus ſtandum eſſe receptæ Eccleſiarum ſententiæ; juxta decretum hac de re ante annum unum alterum ab Ordinibus factum. Sugillant etiam, quod, edictum ſi ſit, non tranſmittatur ad civitatum Proceres: ſed his ipſis à bibliopolis ſit emendum. Æque admiratio eos ſubit, quod nulla in eo pœnæ fiat mentio, manentis eos, qui fuerint tranſgreſſi: unde boni viri colligunt, tuto ſe id tranſilire poſſe. Denique homines illi, quibus mire ſcilicet Ordinum honos curæ eſt, mirari ſe ajunt, Ordines adeo decoquere honorem ſuum, edicendis illis, quæ non ſervatum iri prævideant omnes. Talia non ſolum blaterant recentes de ſchola pueri, miniſtri triduani, ſed etiam quidam de veteranis. Quos inter immodeſtiam ſuam deſiderari minime patitur Lydius, qui etiam cæteros ordinis ſui concitat, ut adverſus hoc Edictum ad Magiſtratum ſuum ſcribere velint, Amſteldamenſium ſcilicet exemplo, qui, uti ſcis, ſcripſere adverſus priorem Edicti formam. Quia vero de oppugnatione Edicti jam inter fratres conſultatur, quidam ejus ordinis, ſed cæteris modeſtior, magnopere

Ep.233. pere à me expoſcit, ut ſcriptum illud Amſtelodamenſium diem unum habere liceat, quo videat ecquid in Edicto hoc relictum ſit, quod reprehenſionem mereatur. Gratum itaque feceris, ſi prima occaſione ad me mittas. Si voles, intra triduum remittam. Hactenus quidem is, quem dico, nihil in Edicto culpat: ſed ex Amſtelodamenſi iſtoc ſcripto diſcere avet, quid in eo alii culpent, idque illo potiſſimum fine, ut ſi nihil videat reprehenſione magnopere dignum, collegas ab inſtituto melius poſſit dehortari. Sunt qui teſtimonia Edicto addita à Vorſtio congeſta dicant. Neſcio quis homulus Gouda eum huc nuncium apportavit. Ego hanc opinionem iis haud evello: neque enim video quorſum id facere debeam, quando Tu, Vir Ampliſſime, non honorem hinc tibi, ſed patriæ ſolum tuæ emolumentum quæris. Superiori hebdomade uſus ſum valetudine haud ſatis proſpera: quæ ratio eſt, cur ex quo domum redii, parum promoverim in ſcribendo. Sed nunc, Dei gratia, melius valeo, totuſque ſum in detexenda tela mea, vel potius noſtra, quando non ſolum te ſuaſore impulſoreque aggreſſus ſum, ſed etiam te Ariſtarchiam emendandi curam ſuſcipiente perfici debet. Sane & ſuperiores literæ, & nuperus ſermo tuus, multorum me monuit, quæ nunquam veniſſent in mentem. Quamquam autem utcunque didicerim indoctorum judicia aſpernari, tamen (fatendum eſt) nonnihil me in ſcribendo moratur moroſa cogitatio, de quorundam, quibuſcum mihi poſt ſcripti editionem negotium erit, ſumma in ſtrenue mentiendo calumniandoque audacia. Quæ ſane res me ſubinde incertum facit, an non latius ſit opuſculum hoc primum edi nomine meo haud expreſſo, atque adeo lingua Belgica, ne ſtylo prodar. Sane nihil videtur obſtare, niſi Patrum teſtimonia, quæ in alienam transfuſa linguam, vinorum inſtar, plurimum de gratia amittunt. Alioqui hoc pacto poſſim melius cognoſcere hominum judicia, nempe qui ſimilis ſim futurus Apellis poſt tabellam latitantis. Tum autem, ſi fortaſſis imparem me videro hominum improbitati, potero Latina editione ſuperſedere, aut alteri hunc laborem reſignare, qui tutiori loco vivat. Nam quod tu, Ampliſſime Domine, credas è modeſtis adeo tractatibus, ac ſolius veritatis & concordiæ cauſa ſcriptis, periculi nihil, ſaltem poſt Ordinum hoc edictum, metui amplius poſſe: equidem verum te opinari magno optem; ſed nemo id dicat, qui mores noſtrorum experiundo didicit. Nudiusquartus locutus ſum cum fido & modeſto ſacri ordinis viro. Niſi, inquiebat is, omnia noſtrorum hominum approbaris, nihil te tantopere purgabit, ut non unus & alter collegarum meorum ſic nomen tuum per urbem differant, ut omnium ſis futurus fabula. Diceris nunc quidem modeſtius voluiſſe agere: ſed Eleuſin ſacra ſua non ſimul pandere: latere in pectore tuo longe alia, quæ tempori ſis prompturus. O mentes viperinas! Ep.233. Sed de his melius coram, ſeriis proximis, ſi Deus volet. Johannem Arnoldi ſtrenue adeo progredi, plurimum gaudeo. Si, uti te facturum ſcribis, reſponſum ejus, antequam edatur, legendum tranſmiſeris, candide judicium perſcribam: quod tamen eum ſcire nihil attinet. Non poſſum quin de Steinfurtenſi vocatione aliquid ſcribam. Ante biduum venere huc duo Eccleſiaſtæ Batavi, Bornii Lugdunenſis frater, & alter cujus nomen excidit. Hi pro zelo ſuo erga domum Dei, muneris ſui eſſe exiſtimarunt, ut de certo nuncio Eccleſiaſtas noſtros facerent certiores. Retulere iis, ut ante dies paucos inciderint in mercatorem quendam, qui ſtudioſe inquireret, ecquem Gerardum Voſſium noſſent, & quomodo audiret? Eum à D. Vorſtio commendatum eſſe Comiti Benthemenſi, ſed matrem Illuſtris Comitis non paſſuram, ut quiſquam ad profeſſionem Theologiæ Steinfurtum vocetur, niſi qui undiquaque ſit orthodoxus, hoc eſt, Contra-Remonſtrantium partibus addictus. Addebant, dixiſſe mercatorem, ſibi id à Comitis matre in mandatis datum eſſe, ut Dordrechtum quoque iret, atque ibi ex Eccleſiaſtis atque aliis de doctrina vitaque mea conquireret. Ubi noſtri illi audiere iſtæc, varia illorum animos ſubiit cogitatio: neſcire enim ſe dixerunt, quid ſibi de me ſentiendum ſit: nihil quidem ſe audiiſſe ex me unquam, quod *κακοδοξίαν* (*pravæ doctrinæ*) ullius argumentum eſſe poſſet: ſed tamen mirari à Vorſtio me commendatum: nec enim ſibi veriſimile fieri, commendaturum eum quemquam, niſi ſuæ farinæ hominem: eoque graviſſimam ſibi cauſam eſſe deponendi tam bonam opinionem, quam de me hactenus habuerunt. Aut enim magnam mihi cum Vorſtio familiaritatem clanculum intercedere, ac Socinianum virus in pectore occulte geſtare: aut vaferrimum Vorſtium hoc agere, ut me apud bonos, ac urbem imprimis noſtram, decoloret. Ego in utroque eos falli longiſſime ſcio. Nam neque Vorſtium vidi unquam, neque vel ipſe ad eum ſcripſi, vel literas ab eo unquam accepi: neque etiam opinionem ejus ſequor, quatenus quidem aut omnipræſentiam aut omniſcientiam Dei convellere putatur. Sed neque Vorſtius, uti audio, aliquam nominis noſtri depreciationem propoſuit ſibi: verum cum ex Remonſtrantium cauſæ aperte addictis neminem commendare liceret per junioris Comitis matrem, proximum putavit, ut eum commendaret, quem concordiæ ac pacis inter eos ſtudioſum audiret, qui ſe à Contra-Remonſtrantium cauſa neutiquam ſeparaſſent. Hebdomade proxima aſſore dicitur is mercator. Si hinc calumniandi cauſam ceperint zelotæ, feram ut Chriſtianum decet. Non potero tamen ſic contemnere, ut non aliquid doloris ſit allaturum, quod monſtroſarum inſimuler opinionum. Sed fortaſſe hæc res melius abibit, quam ſpero: præ-

Ep.234. ſertim quando ſemper paratus ſum, ingenua confeſſione teſtari me alieniſſimum eſſe ab iis opinionibus de Deo, quarum Voſſius (verene an ſecus haut diſputo) à plurimis inſimulatur. Cujus tu rei teſtis mihi eſſe potes: quando aperte ſæpius apud te id factum Voſſii improbavi, quod is tic in libris de Deo aliquando diſputet, ut videri poſſit monſtroſas, & in Eccleſia Dei inauditas, opiniones voluiſſe hominum animis inſerere. Sane ſi aliud ei propoſitum fuit, imprudentiſſime egit, ſequendo de tanti momenti rebus tale diſputandi genus. Et tamen ut imprudentia potius quam malitia peccarit, magnopere opto. Recte omnino facturus eſt, ſi tandem ſic ſententiam ſuam de iſtis capitibus publice perſcribat, ut nullus ſiniſtræ de eo ſuſpicioni poſthac, ſaltem apud bonos, relinquatur locus. Mitto ad te Hamelmanni libellum de jure principis in rebus Eccleſiaſticis. Uteris eo, quam diu lubet. Arnobium tuum & locos Auguſtini cum Synodo Dioſpolitana nondum remitto, quia necdum Lugduno exemplaria recepi: ſed tamen curabo, ut primo tempore reſtituere poſſim. Chartas meas ſi poſt octiduum per tabellarium aut fidum nautam miſeris, haut ſero miſeris. Tantum enim temporis minimum requiro ad perficiendum ea quæ primam conſtituent libelli noſtri partem: qua nempe de peccato originali, ac neceſſitate gratiæ cum prævenientis tum ſubſequentis, item gratiæ ſufficientia & arbitrii libertate, tractandum erit. In Anglicano illo ſcripto deſcribendo ſtrenue progreditur amanuenſis: ſed tamen ob ductus incommodos & plurima vitia orthographica nondum dimidium libri abſolvit. Vale Magnifice Ampliſſimeque Domine Groti. 11 Auguſt. 1614.

Tuus omni officio

G. VOSSIUS.

CCXXXIV.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S.P.

De Bertii. Voſſio, decreto Ordinum.

DE Bertii libello idem tuæ prudentiæ videri, quod mihi viſum fuit, ſane gaudeo: nec minus illud me juvat, quod ipſe D. Bertius ita mihi reſcripſit, ut plane rationes conſilii mei probare videretur. Vapulabit ergo Piſcator: quieſcet Pelagius: & Afrorum Patrum manes notam cenſoriam lucrifacient. De Voſſio gratias tibi. Scripſi ad Mylium, & hac tranſeuntem inſuper rogavi, ut meminiſſet. Nova accedit feſtinandi cauſa, quod Dordraci fama percrebuit, ipſum à Vorſtio commendatum: qua de re hodie ad me literas ſcripſit. Id quin bono viro fraudi illic futurum ſit, minime eſt dubium. Eoque magis eripiendus ex illorum inſultibus, qui non quieſcunt donec ſemel ſuſpectos plane oppreſſerint. Si quid ad- Ep.235. dere ad hoc negotium potes, rogo ne quieſcas. Optime operam collocaveris. De decreto, turbas metuo. Quibus id diſplicet, affirmant compertum ſibi addita teſtimonia Vorſtii opera: legatos Dordracenſium nullum habuiſſe iſti formulæ aſſentiendi mandatum: ipſos decreti auctores ſatis oſtendere quam diffidant eventui, cum nec ad Magiſtratus nec ad Miniſtros publico nomine exempla mittantur: ideoque nec pœnam adjectam, ut impune ſperni poſſit. Miniſtri Dordracenſium quidam, præcipue homo ſatis impatiens, qui tamen patientiæ præfert nomen, exemplo Amſtelodamenſium refutandum decretum putant. Rogat me Voſſius (nam ab ipſo commodato acceperam) ut Amſtelodamenſe ſcriptum ipſi remittam: opus enim ſibi eſſe vel ad paucos dies. Quare velim deſcribi cures, & per partes, ſi placet, quo minus moræ intercedat; ut & ego fidem liberem, & tua reſponſio procedat. Plane enim agendum hoc tibi arbitror. Nec cuiquam alii auſim committere. Magna enim moderatione & prudentia opus eſt, ut & æquioribus Contra-Remonſtrantium aliquatenus ſatisfiat, & tamen ſarta tecta illa maneant, de quibus conſtituendis tantopere laboravimus. Mihi inter legendum occurrebant quædam, quæ non incommode dici poſſe viderentur. Sed eas cogitationes chartæ non mandavi, niſi confuſe admodum, & pauciſſimis notis. Nec dubito, quin ſi quid boni mihi in mentem venerit, idem te non ſit fugiturum. Si quid tamen mihi amplius occurrit, viſo ſcripto tuo libenter indicabo. Arcerius apud me fuit. Sibrandianam bilem fortiter exſpectabimus. Deus hæc fortaſſe benigna reducet in ſedem vice. Idem te, Reverendiſſime Domine, diu Eccleſiæ ſuæ incolumem ſervet. x i Auguſti CIↃ IↃC XIV.

Tuæ pietatis obſervantiſſimus

H. GROTIUS.

CCXXXV.

G. M. LINGELSHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De ſcripto Sibrandi Lubberti contra Grotium.

AMpliſſime Domine: Epſtolam tuam accurate ſcriptam recte accepi, & lubens cognovi rationes ſcripti tui adverſus Lubbertum explicatas. Nemo eſt patriæ & publicæ quietis amans, qui non conſultum ducat, in uno cæterorum proterviam coërcitam, qui impune ſibi eſſe poſtulant, ſpecie pietatis, Magiſtratibus inſultare. Vidi ſcriptum ejus, quod repoſuit, plenum iracundiæ & contumeliarum; & quamvis eorum, quorum reus eſt, nihil fateatur, tamen ſatis conſtat, jure merito ipſius proterviam reprehenſam. Cogitavi anne conſultum eſſet, jure adverſus hanc

Digitized by Google

Ep.236. hanc insolentiam experiri, & Magistratus cognitioni deferre, uter calumniatus sit, & meritus sit, ut in ipsum auctoritate publica animadvertatur. Tu qui formam reipublicæ vestræ optime intelligis, judicabis an id consultum sit, & quis exitus sperari possit. Certe è republica esset, compesci hujusmodi ingenia, & severa castigatione aliis exemplum statui. Ut istorum hominum contumacia te ab editione historiarum tuarum absterreat, minime æquum judico. Posteritas rectissime judicabit, & veritatem amplectetur, immunis ab affectibus istis, quo tenentur factiosi. Neque censura Romana, aut insultatio protervissimi nebulonis, qui se Gallum I. C. dicit, absterrere magnum Thuanum debet à pertexenda historia sua. Est ita ut dicis, non minus iniqua judicia istorum hominum perfert, quam Romani scorti lenonum. Viri tamen boni & veritatis amantes opus illud bono publico editum amplectuntur, & admirantur, quidquid obganniant improbi & factiosi. Abrahamus Scultetus noster jam in sextum mensem hinc abest, à Brandeburgico Electore accersitus ad constituendas illic Ecclesias. Insaniunt ubiquitati devoti, & spuris chartis laudatissimum institutum proscindunt, calumniisque onerant, crudelitatem arguentes adversus pervicaces: sed ita receptum est hodie, in publicum absurdissima mendacia profundere, de judiciis bonorum & posteritatis securos, persuasum sibi habentes, habitura lactucas sua labra. Illustris magnus præfectus noster Comes Solmensis ad vos jam mittitur de fœdere acturus. Is quia te in oculis habet, & doctes tuas eximias summopere miratur, non potui intermittere, quin has ei darem, & studium meum in te testarer. Ex ipso cognosces de rebus nostris, quæ voles. Neque te prolixioribus meis ab ejus colloquio arcebo. Faxit Deus, ut hoc fœdus cedat gloriæ Dei & publicæ saluti. Vale decus ævi nostri. Heidelberga. 9 Octobr. 1614.

Tuus omni studio & cultu

G. M. LINGELSHEMIUS.

CCXXXVI.

FREDERICUS SANDIUS HUGONI GROTIO S.P.

De scriptis adversus Grotii de Latheri.

VIr amplissime: Ubi Sibrandi libellus adversum te publicatus tribus nostris collegiis esset oblatus, post illius materiam varie discussam, tandem mihi abs Senatu injunctum fuit, ut pro jure amicitiæ, quæ mihi cum utroque vestrum intercedit, vobis significarem, probare quidem Senatum, quod neuter vestrum Vorstii de essentiæ divinæ infinitate ac de Salvatoris nostri merito positiones atque æquivocationes probet, vel defendat: atque uterque statuat blasphemas Socini hæreses in nostra Ecclesia non esse tolerandas; item quod inter vos conveniat de quinque illis Remonstrantium articulis, tam hos qui de prædestinatione minus dicunt, quam alios, qui de ea sublimius sentiunt, esse tolerandos, atque inter eos Christianam ac fraternam charitatem esse colendam. Verum injucundam Senatui fuisse hanc vestram discordiam, ac dolere, quod viri eruditissimi atque optimi, quique suis eximiis ingenii dotibus optime de Republ. atque Ecclesia adversus ejusdem hostes ac turbatores mereri, eamque illustrare, & qui, si animis conspirassent, nascenti dissidiorum morbo medicinam facere potuissent, in diversas partes essent distracti, atque hostibus tam delectabile præbeant spectaculum. Non videri item circa reliquos articulos, videlicet de summæ potestatis jure in regimine Ecclesiastico, item de functionum Ecclesiasticarum ordine atque electionibus, tam latam inter vos differentiam, neque tam difficilem quæstionem, ut non pro majore parte componi possit; cum de eo inter vos conveniat, in recte constituta Republ. Christiana non recte formari, vel peti, duas potestates collaterales, vel rempublicam in republica; summum Magistratum, si Christianus fuerit, esse tutorem ac conservatorem boni Ordinis Ecclesiastici; neque Magistratum neque Synodum in religionis fundamento quicquam mutare posse, Magistratum de rebus Ecclesiæ adiaphoris sine Synodali judicio leges sancire posse; penes summam stare potestatem, ut de Synodis an & quando sint indicendæ decernat, has ipse indicat, eis intersit, easque sua auctoritate regat ac gubernet: Item; Synodalia judicia non esse examinis immunia, eaque ut legis publicæ vim obtineant summi Magistratus jussu esse sanciendæ; ad ejusdem quoque Magistratus curam pertinere, ne quis per speciem judicii Ecclesiastici vel Synodalis injuria afficiatur. Esse quidem inter vos controversiam, utrum Ecclesiastica gubernatio in *ἰσότητι* (*æqualitate honorum*) an in functionum diversarum gradibus ac præeminentia potius sit constituenda; item utrum electio summæ potestati vel populo competat: de eo tamen inter vos convenire, neutram intentionem esse juris plane divini atque immutabilis; denique circa patronatum Ecclesiasticarum functionum tam multa videri Sibrandum tibi concedere, ut nihil pene relinquat, quod contra intendi possit; ac superesse quidem nonnullas positiones differentes, quæ tamen quarundam circumstantiarum concessione vel remotione possint in concordiam deduci, vel saltem sic temperari, ut tam vehementis repugnantiæ tollatur materies. Itaque cum de rei substantia tam levis inter vos sit opinionum dissimilitudo, Senatus præoptaret vos utrinque ab odiosis hisce contentionibus desinere, ac potius voluntate, studio atque affectu conspirare ad Ecclesiæ quie-

Ep. 237. tem auctoritate ac consilio stabiliendam, ego vero neque erga te neque erga Sibrandum amicitiæ jura satisfecero, si non idem quoque vehementer optavero, ac pariter dignitati vestræ adstruere, quæque eam obnubilatura viderentur avertere omnibus modis studuero. Quia vero non aliter quam ex officii publici necessitate, uti nuper scribebas, in hasce concertationes devectus es, nunc quæso extra illam officii necessitatem constitutus cum sis, Ecclesiæ causa (cujus Doctores ac Pastores in odium vocantur atque invidiam) eas concertationes relinque. Vale vir amplissime. Dab. Arnhemii XV. Octobr. Anno CIↃ IↃC XIV.

T. A. Studiosissimus.

FREDERICUS SANDIUS.

CCXXXVII.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S. P.

De Bona fide Sib. Lubberti.

MAgnifice Domine. Postquam Sibrandianum responsum in lucem prodiit, tam vane multa pro eo adversus Illustres Ordines, ac dignitatem tuam, à malevolis jactabantur, ut non potuerit quidquam bonæ causæ, sive qua publicum, sive qua privatum te tangit, vel conducibilius vel opportunius accidere hoc tempore, quam Edictum Ordinum, & Bona Sibrandi fides. Itaque me quidem tantopere delectarunt, ut quamquam quo tempore fasciculus mihi reddebatur, ob morosas quasdam scholæ nugas animo essem minus defæcato, tamen literis tuis, cæterisque lectis, sic fuerim recreatus, ut totum exinde diem tam lætum hilaremque duxerim, quam si Hilaria fuissent. Quantum vero ea res gaudii mihi attulit, tantum inde doloris malevoli ceperunt. Cum autem alia eos in Edicto male habuerunt, tum quod aperte in illo dicatur, operam tuam Illustribus Ordinibus gratam fuisse, ac Sibrandum mala tecum fide egisse. Quod quidem non minus eos urit, quam quod venditioni libri Sibrandiani interdicatur. Eoque magis hæc res eos coquit, quod disertim addatur, hoc pleno in conventu constitutum esse. Nempe vident & dolent, minus sic deinceps fidei calumniis suis habitum iri. His vero omnibus aliud nihil opponere possunt, quam quod nec defuere ex civitatibus, quæ Sibrandianam magis causam probarint: quasi unquam fere sic agatur in rebus vel publicis vel privatis, ut idem sentiant omnes. Ecclesiastes quidam nostras retulit mihi atque aliis, ut filius suus Amstelodami viderit Edictum hoc portæ (urbis ac templi) affixum ab Illustrium Ordinum viatore. Hoc quidam non factum credere malunt. Sed qui tantum scilicet scelus credere sustinent, mirari ac ringi, quod hoc perpeti voluerint ejus civitatis proceres, in cujus constantia proram ac puppim causæ suæ constitutam sæpius sunt confessi. Bona fides tua effecit, ut nonnullis tandem scrupulus sit injectus, quibus antea persuaderi non poterat, Sibrandum mala fide agere. Imo aliqui aperte eum jam culpare non verentur. Sane hesterna die, cum rogasset quidam ejus ordinis, quid mihi de Bona fide videretur? atque ego respondissem, metuere me, ne multum Sibrando sudandum sit, priusquam omnibus iis respondeat: confessus est, quod antea nunquam, multa eo in scripto esse, quibus à Sibrando responderi non possit; ac se quoque antequam libellus hic prodiret, quædam ejusmodi observasse: sed libello hoc tuo, (cujus tamen non te, sed Bertium ac Joannem Arnoldi authores suspicantur) & plura & tam clare probari, ut negare sit neminis, nisi qui frontem perdidit. Addebat, se quid multo eruditius ab tanti nominis viro exspectasse: Plurimos esse in Batavia, etiam recentes de schola, qui Sibrando melius illam causam potuerunt tractare. Postea in alios incidi, qui similiter judicarent. Pauciſſimos reperi, qui non fateantur, graviter & Sibrandum peccasse, & omnes eos, qui absque Ordinum infectatione de religionis controversiis agere non possunt. Utinam vero simul emisisses scriptum tuum, de summi Magistratus jure circa Ecclesiastica! Fortasse enim si Edicti tempore prodiisset, hinc tacitæ aliquid authoritatis ei accessisset. Sed quia id factum non est, proximum puto ut quam celerrime subsequatur: Quid enim attinet crabronibus illis toties per intervalla bilem moveri? Recens nunc ira est. Si statim liber edatur, poterunt simul bilem omnem despumare. Quod amice me adeo Roterodamum invitas, gratias habeo maximas. Velim quidem, sed detinet me lectio tertii Georgicon Virgilii, cum aliis rei rusticæ scriptoribus: ex quibus bonum delectum cogar discere. Cras vero à prandio progressus mei periculum faciam. Quam tibi aliisque, Vir Amplissime, grave est Rempubl. gubernare; tam mihi in annum integrum ab Homericorum heroum cibo, quinquaginta capitibus, vel stomachis potius, prospicere. Imo multo quidem hoc difficilius mihi, quia semel jam iterumque persensi, post omnes veteres consultos, ubi ad forum boarium deventum, tantundem me sapere quam prius. Itaque post oleum & operam consumtam, aliena tandem opera uti cogor. Nec eo magis domo abesse licet, quando alieni nihil hac in re audent absque præsentia ac nutu meo. Adde quod juventus scholæ nostræ (cujus bona pars, pro sapientia sua, non minus deliderant boum nostratium conspectus ac mactationem, quam olim in circo populus Romanus gaudebat Lucarum boum spectaculo ac pugna) nunquam magis custode eget, quam hoc tempore; quo & difficillime domi continetur, & periculosissime excurrit. Quod vero, ni fallor, significas, fortasse Dordrechtum

ed by Google

Ep. 238. te venturum, utinam, utinam fiat! imo utinam id amplitudo ac dignitas tua ferat, ut pro diversorio publico subire possis pauperis hoc tugurii nostri, sed non congestum cespite culmen. Nobis quidem ea res non voluptati minus esset quam honori. Amplius adderem, sed metuo ne inani spe mihi blandiens alienam ex verbis tuis sententiam expressierim. Utrum sit brevi spero vel ex epistola tua, vel, quod malo, ex adventu tuo longe exoptatissimo regnoscam. Etiam adventum eum expetit Lydius: ut qui & multis retro mensibus significavit magno se loquendi tecum desiderio teneri, & heiterno vespere dixerit, optare se ut paucis agere tecum liceat de libello eo, cujus gratia ab asello illo (sic enim loquitur) Corvino princeps, inter eos reponitur, qui τὰς ἀεργοὺς βλασφημίας. (*potestates calumniantur.*) Persuadere mihi combatur, scripsisse se libellum eum in laudem Magistratuum, ejusque probandi, verba nescio quæ ex opusculo citabat. Ego cum nec tam faruus essem ut crederem, nec irritare vellem eum quem ad coenam invitaram, consolatus sum illo, quod scriptum hoc Corvini perennaturum non putem: tum maxime, quod pauci sciant, Lydium dialogi illius esse authorem, pauciores item, per βαρυκέφαλον (*gravem capite*) Lydium designari. Gaudebat eo sermone, sed tamen addebat, pati se non posse, ut tu de eo tam atrocem habeas opinionem: eoque prima occasione, vel Roterodami si eo proficisci contingat, vel Dordrechti, si tu prior huc veneris, de libello eo purgare se apud te velle. Vale Amplissime Domine, uxorique lectissimæ tuæ à me salutem dicito. 27 Octob. 1614.

A. T. observantissimus

G. J. VOSSIUS.

CCXXXVIII.

HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

De Pietate Grotii, & bona fide Sibrandi Lubberti.

NOn potui committere, Vir Amplissime, quin secundo beneficio & munere provocatus grati animi testimonium & indicium aliquod exhiberem Amplitudini Tuæ, ut ne jure merito bis ingratus haberer, atque hominis beneficio & favore tuo indigni notam effugerem. Quare sicuti pro nupera Pietate tua, ita nunc pro bona fide Sibrandi ab A. T. edita immortales gratias ago. Vix dixero quam non solum libenter, sed avide etiam utrumque scriptum & acceperim & evolverim. Prius quidem, quo augustius nihil pro majestate eorum, quorum causa agitur, accuratius pro necessitate & merito rerum tractandarum, utilius pro conditione sæculi hujus nostri aut scribi aut dici posse intelligerem. Alterum vero, quod sordido & illiberali umbratici Doctoris scripto aliud aut commodius atque efficacius opponi posse, aut justius & dignius opponi debere non crederem. Neque enim mirari satis poteram dilutam, frivolam, & bilis atque irreverentiæ plenam responsionem ab eo homine profectam, cujus erat & dignitatem ordinis sui, & famam celebritatemque nominis & existimationis suæ si non veritate, quia mortales hallucinari possumus & errare, saltem modestia & superiorum reverentia, sine qua Christianis nobis esse non licet, tueri & defendere. Dolebam aliquoties eum tibi, aut Reip. cujus causam agis, adversarium obtigisse, in quo eruditi omnes judicium, seniores reverentiam, pii vero etiam probitatem animi, tanquam in primipilo & antesignano, merito desiderant. Sed gaudeo nunc ex importuna hominis hujus offensione illud bonum natum esse, quod extiterit aliquis, qui hac occasione integrum peplum retegere, & levato velo tanquam in proscenio offendere sustinuit, quæ consilia agitent demagogi quidam post sparsum & obtentum Ecclesiæ, quoque spiritu agantur & ducantur ii nonnunquam, imo plerumque, qui dictatorum instar legem & crucem aliis figere non verentur. Quod profecto, absit adulationis suspicio, ita ab A. T. factum esse existimo, ut nesciam an, si quibus adhuc præjudicio imbuti, caligant oculi, aliud illis aut præsentius aut efficacius remedium dari possit. Admordere quidem & vellicare visus est Sibrandus; sed Entellus vires in ventum effudit, & ita pugnavit, ut fidem suam in triumphum turpiter abduci, seque ipsum passus sit ὀνειδισμοῖς ἐκτεθῆναι. (*ignominiæ exponi.*) Si quis reliquus fronti pudor est, silentio aut palinodia potius fidem suam redimat necesse est. Tu interim, vir Amplissime, perge vindicare sæculum nostrum à tyrannide & licentia, meque, quem immerentem non ita pridem alloquio, addo etiam auscultatione tua dignatus es, favore & benevolentia tua porro complecti velis. Dominus Jesus cœptis & consiliis tuis faveat propitius. 31 Octob. 1614. Leydæ.

Ep. 239.

CCXXXIX.

JOANNES UYTENBOGARDUS

ADRIANO BORRIO S.P.

Exhibet sua.

DEsideratissimas & gratissimas tuas accepi literas, Vir Doctissime frater integerrime, & quidem ambas; statumque rerum nostrarum præsentem, de quo antea merum apud nos silentium, utcunque ex illis percepi; quo nomine magnas tibi debeo, ago, & referam, Deo volente, coram, gratias. W. institutum adeo mihi non displicet, ut vix putem aliud iniri potuisse. Duo tamen videntur necessaria, ne pecuniam accipiat Synodicam, & Regenti mansionis causas reverenter & modeste exponat; quod jam factum arbitror. Det etiam ope-

Ep. 239. operam, ne falsas causas sed veras adferat, neve quid sit quod probabiliter opponi queat. Novit etiam, se non in Dei tantum oculis versari, sed habere se etiam illos gressuum observatores, quos minime sibi favere novit. Ambulet igitur integre & sincere. Ne tamen persuadeat sibi restitutum iri se, & proinde ab hoc ipso tempore cogitare incipiat, qua ratione in posterum res suas instituere velit. De Hornanis, miror Walesium oculos conjecisse in Broeckerum; quod tamen, ex te, ni fallor, mihi perscribit Taurinus noster. De Mazurellio etiam scripsit Dominus Hogerbetius, sed expecto catastrophen. Recte factum à Nerano, quod narras: pergat modo: at scire velim quo pacto confutationem illam aggressurus sit: causæ enim Vorstianæ patrocinium suscipere illum velle, non puto. Neque consulam. Inhærendum tantum puto Remonstrantium negotio. Reliqua enim ad nos non pertinent. Sic in lucem protrahendi fratres qui latent: At sciant Aristarchi cum pluribus, illisque non contemnendis, adversariis sibi esse negotium. Historiam Grevinckhovianam cum voluptate legi: sed quid sit de Amesio? Nuper illi scripsi, & avide illius responsum desidero: mone per occasionem, ne responsum diutius à me desiderari patiatur. Hic actus serviet confutationi Sladianæ. Miror Ecclesiæ Haganæ constitutionem non aliunde quam ab Eduardo tibi innotuisse. Res tamen ita se habet, prout narras; quam tametsi etiam præsens impedire vel noluissem, vel haud potuissem, varie tamen me affecit. Ego dum ubique esse cogor, nusquam sum, & aliis inserviendo consumor ipse. Remedia quæ adfers bella sunt, neque parum me movent allatæ abs te rationes, ne alia consilia ineam. Hæreo tamen, & vix scio quid mihi faciendum sit. Noli quæso veluti causæ arcem constituere in mansione mea (quod facere videris:) prævideo enim in posterum meam ibidem loci præsentiam plus nocituram quam profuturam; præterquam quod in perpetua inquietudine mihi vivendum sit in posterum eodem in loco. Hoc tamen tibi reliquisque fratribus, tuis imprimis rationibus, quas graves esse fateor, dabo, omnem migrandi cogitationem deponam dum rediero, & hac hyeme experientiam sumsero earum machinationum, quas non citra causam metuo. Interea gratias ago maximas, frater charissime, pro affectu tuo erga me singulari; cui tamen ne nimium indulgeas rogo. Sed quis quæso tam effusæ scriptionis de isto præsertim argumento tibi author fuit? Num mea arasti vitula? Quod de Synodo Transisalana scribis, placet, si mutua tolerantia citra conditiones veritati & libertati Christianæ noxias sanciri queat: quod si obtinebitur, multum profecto obtinebitur. Huic rei vos invigilare velim, mature monitis fratribus de iis omnibus quæ hic occurrere possunt. Cum priores tuæ redderentur, Sibrandi librum non videram: vidi autem postea, & jam in illius lectione sum. Quæ in me dicit, video esse pauca & nullius prorsus momenti. Controversiam ipsam ne attingit quidem: an argumentorum inopia vel invidiæ declinandæ ergo in materia odiosa, nescio. In Vorstium perpetuo irruit, & in Grotium propter Vorstium. Grotio autem injuriam facit maximam, & bacchantum more furit, nulla humanitatis, civilitatis, nedum modestiæ Christianæ habita ratione. Qui Bonam fidem Sibrandi edidit, non debuit omittere quædam de me manifeste falsa & perversa. In reliquis etiam nimis frigide agere videtur. Rudiore dolabra expoliendi sunt ejusmodi homines & pungendi acriter. Velim, si ad incudem revocanda Bona fides Sibrandi, mature moneri; adderem enim paucula ad rem nostram facientia, nempe de collatione Delphensi, de Revisione, & actis in conventu præparatorio: de articulis ibi propositis, & de calumnia Collateralitatis, & titulo per illam promerito. Quæso ne hoc memoria excidat. Ex professo enim adversus ejusmodi hominem scribere consultum non est: & sine omni responso dimittere vix consultum. Censura DD. Ordinum in Sibrandum anne citra contentionem concluſa? De hoc si quid habes, edisſere. Nos hic vere hæremus in luto, figurate nempe & proprie. Magna aliquamdiu spes affulsit liberandi Vesaliam per novam transactionem inter dissentientes Principes cudendam; quem in finem legati Regum & Principum, una cum Deputatis nostrorum Ordinum adhuc dum hærent Xantis. Evanescit tamen paulatim illa spes, hoc tantum laborantibus adversariis, ut hyeme adventante copias reducere cogamur, interea vero moras nectendo Vesaliam magis muniat, castraque quæ circa illam in hybernis relinquere constituit roboret. Neque tamen ulla spes est pacis, nisi illa urbs imprimis libertati restituatur; quod si facere detrectaverit Spinola, res in apertum eruptura bellum videtur æstate proxima, quod mirum ni totam accendat Germaniam. Calamitosus profecto status harum Provinciarum, quæ prædæ videntur expositæ utrisque copiis. Tu cogita in quo statu sint miseri coloni. Horreo cum apud me considero, quid de miseris istis hominibus fiet hac hyeme, ad extremam redactis inopiam. Deus illorum misereatur, & pedes nostros dirigat in viam pacis. De reducendis in hyberna copiis nihil adhuc certi. Putant multi nos intra dies quindecim hinc non abituros. Ego hactenus hic satis commoda usus sum valetudine, per Dei gratiam: jam vero languere incipio, & ita quidem, ut D. Bontio judice, omnino de diæta medicinali mihi domum reverso cogitandum sit: sustineo tamen adhuc & subsisto satis firmiter, & munus consuetum obeo apud illustrissimum & frequentissimum auditorium: & quia copiæ Germanicæ & Frisicæ ministro destitutæ sunt, illis etiam aliquando lingua nostra per Dei gratiam inservio.

Ep. 246. vio. Multa animadverti benevolentiæ ſigna in Illuſtriſſimo Principe Mauritio, reliquiſque omnibus chiliarchis & primoris vitæ hominibus: quod haud parum me recreat, laborem nempe meum, & vere laborem, non inanem eſſe in Domino, cui te, frater chariſſime, una cum uxore tua dilectiſſima & fratribus dilectiſſimis, Epiſcopio, Arnoldo, Bertio, Nerano, imprimis etiam conſultiſſimo D. Zeyſtio amico meo, ex animo commendo. Tibi vero denuo gratias ago maximas pro literis illis conſolatoriis, quæ haud parum me in tædioſa & moleſta hac ſtatione recrearunt; quanquam dare me & illis cedere uſque adeo nondum poſſum, ut aliqua ratione gratior mihi ſit caſtrenſis hæc vita, quam in ſtatione Hagienſi pergere, & jugum trahere cum ejuſmodi quos noſti hominibus. Rogo Dominum Jeſum mihi inſpiret quid factu porro opus ſit, ne quid committam cujus me poſtea merito pæniteat. Si forte aliquid ad me reſcribere velis, quod te facere optem, da operam ut ita curentur litteræ, ne ſi forte ante illarum adventum caſtra mota fuerint intercidant, ſed ad te redeant. Vale iterum. In Caſtris Reeſſenſibus 12 Novembris 1614.

Tuus in Domino

J. UYTENBOGARDUS.

CCXL.

ISAACO CASAUBONO

ANDREAS REUCHLINIUS.

Paræneſis ad Caſaub. cujus occaſionem præbuit, ipſum ad epiſtolam Cardinalis Perronii reſpondiſſe.

NOn miraberis, puto, magne Caſaubone, hanc, ad te directam, paræneſin in lucem prodiiſſe. Virorum enim magnorum in Republica Chriſtiana eſt, non tantum alta ſapere, ſed etiam aliis ſubjectos, & ſubmiſſione animi intus ornatos eſſe, ut ait Apoſtolus. Legi nuper Epiſtolam tuam, nomine Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ, ad Illuſtriſſimum Cardinalem Perronium ſcriptam; gravem illam quidem, & tum te, tum tanto Rege dignam, magna ex parte. Cordate enim & maſcule, quod ſit Regis in religione ingenium, omnibus certe Regibus admirandum & imitandum, quæque in eo conſtantia, diſſeris. Duo autem eſſe videntur, in quibus non immerito aliquid, vel etiam multum in te deſiderari poſſit, ſi ad Euangelicæ veritatis amuſſim examinanda ſit religio. Prius, intempeſtivum, vel, ut D. Jacobus ait, amarum veſtrum, in re certa, zelum concernit: Poſterius normam in religione Chriſtiana ſectandam ſpectat. Ac ut de priori brevibus agam: Quid iſte Archiepiſcopi Cantuarienſis, quid tanti Regis, quid tuus denique zelus, cum vera pietate & charitate, (ſine qua religio Chriſtiana nulla eſt) commune habet? Archiepiſcopus Regem rogavit, ut efficeret apud Ordines Hollandiæ, ne profana, ut tu loqueris, noviJam. 3.14.

tas (inventori, qui eſt Conradus Vorſtius,) libri *de Deo & attributis ejus*, nuper in Belgio editi, maneret impunita: Rex vero tantus, precibus Archiepiſcopi obſecundans, librum ipſum, cum in Metropoli, tum in utraque Academia ſua comburi juſſit: Tu denique, tanquam egregie factum id approbas. Itane Archiepiſcopum decet, fratrem ſuum, erroris nondum convictum, imo nec ab eo monitum, adde, virum tantæ eruditionis, &, quod caput rei eſt, integritatis & pietatis, (quantum tum ex ſcriptis illius, tum ex aliorum relatione cognoſcere mihi de ipſo licuit) ut pares inter Theologos modernos habere videatur paucos, tam ſupercilioſe contemnere, & tam audacter condemnare? Tu quis es, qui ſervum alienum ſpernis aut damnas? Domino ſuo ſtat aut cadit. Tuum vero eſt, ſi plus ſapias, minus ſapientem non contemnere: vel ſi minus ſapias, plus ſapientem non condemnare, ut vere Apoſtolo digna habet oratio. Si liber ille cum fide Chriſtiana pugnabat, ſi doctrinam adeo ἀπόῤῥητον, (*monſtroſam*) ut ais, continebat, refutandus, non notis obeliſque confodiendus, ab Archiepiſcopo fuerat. Notæ enim obelique iſti, quis ſcit, quales fuerint. Hoc certum eſt, tales non fuiſſe, quæ examine non indigerent, & quibus neceſſario ſubſcribere autor libri teneretur. Unus enim eſt Magiſter noſter, nos vero omnes ſumus fratres: &, Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectos eſſe, vult Apoſtolus. Igne autem comburi à tanto Rege liber iſte nullo modo debuit. Hoc enim eſt potentia ſua ad infirmos opprimendos abuti, quam Deus ad promovendam gloriam ſuam conceſſit. Et igne libri quidem tolluntur, ſed non errores. Jam enim in animis hominum inſita ſunt, quæ libris continentur: Vi vero animum hominis expugnare velle, eſt, Religionem ipſam oppugnare & conſpurcare, ut vere ait Lactantius. Adde quod non falſa & ſacris Literis contraria, ea, quæ in libro illo continentur; ſed tantum nova, perverſa & cum antiqua fide Eccleſiæ Catholicæ in nonnullis pugnantia eſſe, tute confiteris. Non omnia vero, quæ nova, falſa ſunt: ut non omnia, quæ vetera, vera. Alioquin potiſſima noſtræ Religionis pars nobis deſerenda eſſet, quæ, nova, reſpectu Eccleſiæ Romanæ, affert plurima. Unde etiam Reformatarum Eccleſiarum nomine gaudemus. Nova etiam interdum ea dicuntur, quæ tantum talia eſſe videntur, revera autem ſunt antiquiſſima, utpote ab Apoſtolis profecta, qui ſoli fidei Chriſtianæ fundatores ſunt. Perverſa porro nonne omnia ea videri poſſunt, quæ noſtris non arridentplacitis? Hoc modo nos Lutherani & alii proſcindunt, nec tamen id nos curamus minimum. Pugnare autem librum cum fide antiqua Eccleſiæ Catholicæ in nonnullis, quænam tam gravis criminatio aut culpa eſt? Nam, ſi per antiquam fidem Eccleſiæ Catholicæ, Romanam intelligas, vel ſaltem

Rom. 14. & 4. 10.

Matt. 23. 8. 1 Cor. 14. 32.

Lib. 5. Div. inſtit.

Ep.240. eam, quæ poſt Apoſtolos extitit, quo ſenſu video te, in hoc eodem ſcripto, Eccleſiam Catholicam accipere; hac ratione omnes Pontificii excuſantur, ſi libros noſtros comburant. Nullus enim fere eſt, in quo nonnulla non ſint, quæ cum fide antiqua Eccleſiæ Catholicæ, quam illi pro tali agnoſcunt, pugnent: Si vero, nomine Catholicæ Eccleſiæ, ipſam Apoſtolicam intelligas, nec hic ulla culpa tam gravis eſt, niſi probetur, iſta nonnulla fundamentum fidei ſpectare; quod, an de libro illo dici poſſit, latrem dubium hactenus apud omnes eſſe debet. Quanto rectius tantus feciſſet Rex, ſi, vel per amicam collationem, vel Synodum aliquam, iſta inter Theologos tractari juſſiſſet, & ita omnia non humana autoritate, ſed rationibus ex ſacris Literis depromtis decita fuiſſent. Tu vero, Caſaubone, qui iſtud Archiepiſcopi & Regis factum, tanquam res bene geſta ſit, commendas, quid agas, quæſo, vide. Nam ſi Tu, qui tantæ es apud Regem autoritatis & dignitatis, ad iſtud conniveas, quis talia caſtigare audebit? Si vero iſta nemo caſtiget, nonne nova jam nata eſt tyrannis inter nos, qui ſanguine eam noſtro hactenus à cervicibus noſtris repulſam voluimus?

Et, ut ut per ſe culpæ obnoxium ſit iſtud tuum factum, tanto tamen magis culpandum videtur, quod de fratre tuo iſta ad hoſtem communem ſcribas. Qua in re videris imitatus eſſe Herodem, quem cum Pilato, per mutuam
Luc.23.12. Chriſti ludificationem, in gratiam rediiſſe, ſacræ teſtantur Literæ. Et quid putas tantum virum, Perronium Cardinalem, cogitaturum, dum iſta leget? Ridebit in ſinum, &, quid Papæ ſuo vobiſcum faciendum ſit, (ſi occaſio detur) tacite doceri, jure colliget. Nec enim minus ſibi juris vendicat Papa in nos, quam vos in iſtum præclarum virum.

Salus, dices, noſtra & aliorum agitur. Itaque ſerio & cito vigilandum fuit. Eſto ſalutem agi: Nihil tamen contra Chriſti præcepta unquam committendum eſt, in damnando fratre: quod hic factum eſſe, juſte videor conqueri. Sed erras, ſi ſalutem agi in iis, quæ in libro illo ſcripta ſunt, credis. Pleraque enim iſtorum, in quibus diverſum ab aliis ſentit liber ille, non paucos tum veteres tum recentiores Theologos, quos vera Chriſti membra eſſe nec tute diffiteris, patronos habent: Salvis autem manentibus iis, quæ eſſentiam (ut ſic loquar) Chriſtianæ Religionis conſtituunt, in aliis, quantumvis multis & magnis, ab aliis diſſentire ſemper licuit, licebitque, ubi, crudeli ſpiritu Antichriſti fugato, mitis Chriſti ſpiritus regnat.

Sed nunc ad alterum tranſeo. Graviter illud & pie de Sereniſſimo Rege narras, quod *hoc ſibi faciendum putet, ut in tanto variarum opinionum diluvio ad montes ſacra Scriptura ſe recipiat*: nec minus egregium eſt, quod ex Chryſoſtomo adducis, *Duo eſſe inſtrumenta judicandi & quæſtiones decidendi. Prius quidem verbum Dei; tum etiam antiquitatem doctrinæ, non ab aliquo recentiore excogitatæ, ſed ab ipſo Eccleſiæ naſcentis principio ſemper cognitæ.* Cui etiam illud annumerari debet, quod in Cardinalis epiſtola veriſſime ſcriptum eſſe Rex arbitratur, *rerum abſolute neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum*; quibus deinde ſubjungis hæc non minimi momenti verba: *Quare exiſtimat eius Majeſtas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quam ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſariis, &, ut de neceſſariis conveniat, omnis opera impenatur: in non neceſſariis libertati Chriſtianæ locus detur.* Hæc enim omnia ita comparata ſunt, ut, ſtantibus illis, de integra Reformatione Eccleſiæ Chriſti, quam corruptam fuiſſe jure conquereris, omnia nobis polliceri poſſimus. Sed vide, vir Doctiſſime, an non quædam ſint in hac tua reſponſione, quæ & per ſe parum vera eſſe videntur, & cum his, quæ modo recenſui, non plane conveniunt? Quorum primum eſt, quod neceſſaria ad ſalutem ſimpliciter, duplicis generis facis, dum ſic ais: *Simpliciter neceſſaria Rex appellat, quæ vel expreſſe verbum Dei præcipit credenda faciendave: vel ex verbo Dei neceſſaria conſequentia veteris Eccleſiæ elicuit.* Prius utraque manu amplectendum eſt: alterum vero, quam ſit incertum, vel hinc conſtare videtur, quod, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem ſimpliciter, ad captum omnium prorſus ſcripta eſſe, neceſſe ſit; idque tanto magis, quanto ſemper plures ſunt rudiores, quam ſapientes ſecundum carnem. At conſequentiam neceſſariam iſtiuſmodi rudes quomodo capere poſſunt, cum neceſſaria conſequentia ea etiam eſſe poſſit, quæ ſit abſtruſa & intellectu difficillima? Itaque multo rectius ſenſiſſe videtur Jacobus Acontius, dum ait: *Perſuaſi ſumus, quæ cognitu ſint neceſſaria, in divinis literis contineri omnia, & ea quidem aperte ac perſpicue expreſſa, ut nemo poſſit, niſi obcæcatus, non intelligere, &c. Quæ cum ita ſe habeant, nihil mihi conſultius videtur, quam ut fidei confeſſio, quæ ſit pro Symbolo uſurpanda, non ſolum nihil complectatur, non neceſſarium cognitu, nihil non veriſſimum ac certiſſimum, nihil non divinarum literarum teſtimonio teſtatiſſimum; ſed etiam ut nihil complectatur, niſi expreſſum eiſdem etiam verbis & loquendi formulis, (quoad ejus fieri poteſt) quibus ipſe Dei Spiritus eſt uſus.* Cujus viri autoritatem jure me tibi opponere poſſe videor, quod & ipſe optime meritus de Eccleſiis noſtris, & libellus iſte Sereniſſimæ Magnæ Britanniæ Reginæ, Elizabethæ, auguſtæ memoriæ, dedicatus ſit. Inter utilia igitur ad ſalutem, pro utiliſſimis ea contenda videntur, quæ neceſſaria conſequentia ex ſacris Literis elici poſſunt.

Ep.240.

Alterum eſt, quod etiamſi fol. 22. rectiſſime dicatur, *Si de verrenda & mundanda domo Dei ſerio cogitetur, ad Apoſtolica tempora, aut Apoſtolicis proxima potiſſimum reſpiciendum*: tamen viciſſim conceditur, tempus veræ Eccleſiæ aliquot

Ep.246. quot ſecula poſt Apoſtolus complecti. Hoc vero quam ſit periculoſum, quis non videt? cum una cum ipſo ſtatim Eccleſiæ exordio, errorum etiam ſemina jacta fuiſſe, &, poſt ipſum Apoſtolorum obitum, graves in Eccleſia diſſenſiones orituras, luculentiſſime teſtatum reliquerit Apoſtolus. Non negari quidem poteſt aut debet, per tria circiter ſecula, veritatis Euangelicæ faciem quandam ſuperſtitem fuiſſe; nec prius eam nitorem ſuum prorſus amiſiſſe, quam ad unius, aut certe paucorum, imperium, res Chriſtiana omnis redacta fuit: ſed incorruptam eam antea fuiſſe, qui affirmare velit, is Spiritum Propheticum, quo Apoſtoli Chriſti præditi erant, erroris tacite inſimulet, neceſſe eſt. Præſtat igitur, ſolum verbum Dei ſequi, & ea, quæ ab ipſo Eccleſiæ naſcentis principio ſemper cognita fuere, quam quæ conſecutis, proxime licet, ſeculis, tradita ſunt diverſa ab illo Dei verbo. Ubi meminiſſe te velim ejus, quod Euſebius ex Egeſippo refert, his verbis: *Igitur ad ea uſque tempora, virgo pura & incorrupta manſit Eccleſia, iis, qui ſanum ſalutaris prædicationis Canonem corrumpere conati ſunt, ſi tamen aliqui fuerunt, in obſcura quadam caligine ad id uſque temporis delitescentibus: Poſtquam autem ſacer Apoſtolorum chorus differentem ſortitus eſt finem, & generatio illa prætiit, quæ divinam ſapientiam ipſis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conſpiratio, per ſeductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium capit, qui etiam, quoniam nemo amplius ſuperſtes erat ex Apoſtolis, jam nudo vertice, contra veritatis prædicationem, falſi nominis ſcientiam ex adverſo prædicare conati ſunt.* Imo hoc ipſum ipſe etiam infra fateris, dum ais fol. 24. *Dogmata fidei, & quicquid ad ſalutem neceſſarium meretur credi, è ſola ſacra Scriptura peti debere: neque à quorumvis mortalium autoritate pendere: ſed è verbo Dei duntaxat, quo ſuam ipſe nobis voluntatem per Spiritum Sanctum declaravit.*

Ep.246. 28.10.19. Lib.3.c.32.

Tertium eſt, quod eleganter quidem doces, ea etiam credi dici poſſe, quorum quis perſpectas omnes rationes non habet, & proinde ſatis eſſe, ſi, exempli cauſa, credatur de Cœna Domini: Hoc eſt corpus meum; etiamſi non credatur, hoc modo hoc eſt corpus meum: Interim vero eos damnas nimis libere, qui eandem ſibi libertatem concedi poſtulant; ut judicium tuum, de libro ſupra nominato ſatis ſuperque docet. Autor enim illius certe nihil non credit eorum, quæ in ſacris habentur Literis, etiamſi in modo, quo credenda ſint, ab aliis diſſentiat: & hac tua regula admiſſa, omnes, quicunque ab idololatria Pontificia liberi ſunt, unam prorſus Eccleſiam conſtituere poſſent, imo deberent. Quod ut tandem omnes agnoſcant, faxit ipſe Dominus Jeſus.

Denique & hic monendus eſſe videris, vir Excellentiſſime, ne, quod facere videris, nimis humano brachio fretus, aliis inſultes. Veritas enim divina homines non veretur: imo à magnis ſperni plerunque amat. Memento, nos olim etiam fuiſſe Regibus ac Principibus deſtitutos, & tamen Deum tunc nos non deſeruiſſe. Regum, quos Deus nobis largitus eſt, potentia, ad propagandam Chriſti gloriam, non ad opprimendos infirmiores utendum nobis, religioſe perpendamus. Equidem pro Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege, qui pares inter Chriſtianos Reges habuit paucos, ingentes Deo gratias ago; & eundem etiam pro incolumitate illius aſſidue & ardenter precor; & tantum Eccleſiarum noſtrarum incrementum, admirandæ imo miraculoſæ providentiæ divinæ argumentum arbitror eſſe maximum: Sed caveamus, ne nos res ſecundæ efferant, & ne nimis Eccleſiis noſtris tribuamus. Eo quidem in ſtatu eas eſſe, ut, ſi veræ pietati & ſanctimoniæ, ſine qua nemo Dominum videbit, ſtudeant, ſervari poſſint, nullus dubito: ſed, ſi reformanda ſit prorſus Eccleſia, & videndum, non quid alii poſt Apoſtolos, qualeſcunque tandem fuerint, ſed quid ipſi Apoſtoli docuerint ab initio; nonnullos adhuc nævos in noſtris Eccleſiis reſtare agnoſcemus, quorum etiam indicia non vulgaria hæc ipſa continet Epiſtola. Nam, ut alia taceam, in Cœna Domini, Chriſti corpus realiter & ſpiritualiter manducari, ſtatuere: genibus flexis ad eam accedere, morientibus eam pro viatico porrigere: Virginem Mariam, & alios ſanctos vel martyres, in cœlis nunc regnare, & pro nobis orare, aſſerere, & alia his ſimilia, ſane non ὑγιαίνοντι καὶ κατ' εὐσέβειαν, (*ſane & qua ſecundum pietatem eſt*) quam profitemur, διδασκαλίαν (*doctrina*) portionem, ſed corruptæ & morbidæ à non paucis ſeculis reliquias eſſe, dies docebit. Sed hæc nunc attigiſſe ſat eſt: alias enim iſta erronea eſſe, demonſtrari, quotieſcunque opus eſt, poterit. Vale in Deo quam rectiſſime, Vir Nobiliſſime, & à fratre in Chriſto, Tui & totium tuarum obſervantiſſimo, profectam hanc admonitionem, fraterno animo legere ne dedignare. 1614.

Ep.241.

CCXLI.

EDUARDUS SIMSON N. N.

Dr Sam. hominis recenſuit, & ſua ſuper ea cenſura.

REverendiſſime & Optime Domine; Concionem habui, ſecundum conſuetudinem, coram Rege Royſtoni, proximo præcedente die Dominico; ac D. Wincheſtrienſis ſermone meo offenſus fuit; quæ concio, ut ſcribit in ſuis ad Magiſtrum noſtrum litteris, Sociniana atque Arminiana fuit. Antea doctrinam eandem publice tractaveram, in S. Mariæ. Si fuiſſet hæretica, dubium non eſt, quin Principales Univerſitatis cenſura ſua notaturi me fuiſſent; quod factum non eſt. Textus erat *Joh.* III. 6. hiſce verbis, *Quod natum eſt ex ſpiritu eſt ſpiritus.* Capita de quibus age-

Ep. 242. bam, hæc erant: Triplicem esse hominis statum: 1. sine lege. 2. sub lege. 3. sub gratia. Hominem in primo & secundo statu esse carnalem, in tertio spiritualem. Regenitos vere dici spirituales à parte prædominante; & quamvis non sint perfecte spirituales, tamen non recte dici carnales, vel in carne esse. Peccatum inexistere & manere in renatis, non regnare aut habitare, id est, dominari. Spiritum Christi & peccatum non οἰκεῖν (*inhabitare*) simul in eodem habitaculo; vel, libertatem à peccato & servitutem sub tyrannide peccati, non concurrere aut convenire in eodem subjecto. Non omnem renisum interiorem contra peccatum esse signum regenerationis. Reluctationem mentis contra peccatum, excitatam à lege, esse in nondum regenitis: eam vero esse à spiritu præparante ad regenerationem. Apostolum in VII. ad Romanos (à versu 14. ad finem capitis) loqui in persona hominis sub lege constituti. Luctam inter mentem, seu conscientiam, & carnem in homine carnali, differre à pugna inter spiritum & carnem, quæ est in homine regenito. Gratiam Spiritus sancti in renatis efficere τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν. (*& velle & perficere.*) Bona opera fidelium differre à mortalibus peccatis. Ex illo autem loco *Esaiæ* LXIV. vers. 6. non recte colligi omnia sanctorum opera esse abominationes. Illud *Proverb.* XXIV. *septies cadit justus*, non intelligendum de lapsu in peccatum. Quamquam regeneratio nostra non habet perfectionem graduum, tamen non hinc sumendam esse licentiam peccandi. Injunctum mihi erat à Wincestriense, ut Regi exemplar sermonis mitterem; quod statui facere proximo die Saturni: & quoniam verisimile est, Regem, ubi Londinum venerit, Dominationis vestræ judicium super hisce capitibus requisiturum, non dubitavi rudi Minerva Dominationi vestræ hæc indicare.

CCXLII.

EDUARDUS SIMSON N. N.

De statu hominis regeniti: de defensa sententiæ.

REverendissime: Cum Dominus Procancellarius, & reliqui doctores nostri, ad quos Rex exemplar concionis meæ examinandum transmisit, conscriptis jam tandem articulis quibusdam, videri volunt aliquatenus dissentire à doctrina, quam ego tradidi; hanc brevem declarationem apologeticam, quam & illis in Synedrio exhibui, ad T. D. nunc mittere visum est. Articuli illi non admodum placuerunt Regi. Ituri sunt ergo doctores, Rege jubente, & ego cum illis. In quæstionem vocata sunt nonnulla, quæ dixi in concione quam nuper habui coram Regia majestate, super illa verba Christi *Joh.* III. 6. *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Primo, quod illum Salomonis locum, *Septies cadit justus*, Ep. 243. *& resurgit*, non de lapsu in peccatum dixi intelligendum, sed de justorum tribulationibus, calamitatibus variis & afflictionibus; cum tamen doctissimi interpretes, Mercerus, Junius, Vatablus, &c. sic exposuerint. Secundo, quod locum Esaiæ, *tanquam pannus inquinatus omnes justitiæ nostræ*, dixi male allegari ad probandum, quod omnia fidelium opera coram Deo putida & fœtida sint; cum tamen hoc ipse dicat Calvinus, commentario ad illum locum, ubi ait, hoc sibi videri alienum à Prophetæ sententia. Imperfecta esse omnia, vel optima, renatorum opera agnosco: quæ tamen placent Deo propter Christum, non displicent, nedum abominabilia sunt tanquam pannus inquinatus, coram Deo. Quod si gradus quidam sunt peccati; nec enim statim quodvis peccatum abominatio est: multo magis inter bona opera & gravia scelera discrimen statuendum est. Tertio, quod dixi esse aliquem renisum sive reluctationem conscientiæ contra peccatum, etiam in nondum regenitis; ac proinde hoc non accipiendum esse ut certum regenerationis argumentum. Hanc autem doctrinæ partem satis, uti spero, probavi testimoniis D. Augustini, J. Calvini, Th. Bezæ, & Petri Martyris, qui aperte distinguunt inter regenerationem, & ejus præcedanea, docentque talem esse pugnam in hominibus nondum sub gratia, sed sub lege constitutis. Quinto, quod dixi hominem vere regenitum, qui jam factus est spiritualis, nunquam in S. Scriptura dici carnalem, quamvis adhuc in omnibus renatis maneat concupiscentia carnis. Quum enim denominatio fiat à parte prævalente seu prædominante; sicut ille spiritualis recte dicitur, in quo spiritus prævalet carni; is autem proprie carnalis, in quo caro menti prævalet: ita carnalis proprie non dicitur, in quo spiritus prædominatur; neque ille dicendus est spiritualis, in quo caro adhuc dominium obtinet. Hoc igitur sensu carnalis homo & spiritualis opponuntur in Sacris Literis. Alioquin, si quis contendat, hominem regenitum aliquo sensu dici etiam posse carnalem, videlicet tum respectu mortalis & corruptibilis corporis, quod nondum est spirituale sicut futurum est post resurrectionem; tum respectu concupiscentiæ adhuc inexistentis & rebellantis adversus spiritum & nonnunquam erumpentis in actualia peccata, non negabo regenitum hoc modo dici posse carnalem ex parte, hoc est, imperfecte vel non totaliter spiritualem. Quamvis enim totus homo, postquam renatus est, vere secundum omnes partes & facultates sit spiritualis, tamen nondum totaliter vel perfecte spiritualis est. Caterum carnalis proprie dictus (sic enim ego in concione intellexi) is est, in quo caro dominium exercet, quem Apostolus vocat ὁ ἐν σαρκὶ ὤν. (*qui in carne est.*) Et profecto juxta hunc sensum homo spiritualis, in quo scilicet Spi-

Ep.242. Spiritus Christi dominatur, non potest dici carnalis, quoniam à parte prædominante fieri debet denominatio: Leo de resurrectione Domini sermone 1. *Quamvis enim spe salvi facti sumus, & corruptibilem adhuc carnem mortalemque gestamus; recte tamen dicimur* in carne *non esse, si carnales nobis non dominentur affectus; & merito ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non sequimur voluntatem.* In illis autem Corinthus, quos sic alloquitur D. Paulus, *Ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo*, gratia tantum fuerat inchoata, inquit Augustinus: ideoque ex hoc loco non possumus firmiter concludere, hominem vere regenitum juxta S. Scripturæ phrasin dici carnalem. Cum enim dico, hominem spiritualem non esse simul carnalem, loquor non de parvulis in Christo, sed de adultis, quos ipse Apostolus alicubi vocat τελείους (*perfectos.*) Porro non video, quomodo regenitus, etiamsi habeat inexistentem concupiscentiam, & sentiat in se illam pugnam inter spiritum & carnem (de qua *Gal.* V. recte dici possit hac de causa *captivus* (αἰχμάλωτον) *sub lege peccati*: quia si ullo modo captivus sit, dicendus erit etiam servus peccati: differt quidem captivitas à voluntaria servitute; interim omnis captivitas est modus quidam servitutis. Qui autem vere, licet imperfecte, regenitus est, liber est per Christi gratiam tum à reatu, tum à dominio peccati: itaque is qui antea peccati servus fuit, jam servus factus est justitiæ, *Rom.* VI. 18. Si quis objiciat, homines regenitos dici posse captivos, quia detinentur adhuc in mortali hac conditione exspectantes redemtionem corporis sui, *Rom.* VIII. 23. Fateor id quidem, nos nondum à corruptione liberatos esse: verum ego locutus sum, non de libertate gloriæ, sed de libertate gratiæ. Quod ad illum Apostoli locum attinet *Rom.* VII. ubi dicit, *lex spiritualis, ego autem carnalis, &c.* non potest simul de actualibus peccatis factis cum consensu, & de renatis, exponi; sed, si de renatis intelligatur, restringendus est cum Augustino ad motus involuntarios, quibus consensus non accedit; aut saltem ad ignorantias, negligentias, obreptiones; non peccata voluntaria aut deliberata. Omnes fere veteres ante Augustinum de non renatis hunc locum ceperunt. Sic enim Chrysostomus, Theodoretus, & Origenes explicantes hanc Pauli epistolam: item Magnus Basilius in regulis brevioribus responsione XVI. & Hieronymus in *Dan.* III. 29. & IX. 5. Ipse etiam Augustinus libro ad Simplicianum, & in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos, hanc sententiam amplexus est; quam tamen postea mutavit, ut patet cum ex aliis locis, tum ex Retractationum lib. I. cap. XXIII. ubi, etsi non negat, hunc Apostoli locum posse probabiliter intelligi de homine sub lege constituto; tamen putat posse probabilius & melius de homine regenito exponi: quia homo etiam regenitus secundum quendam modum dici potest carnalis; tum propter corpus, quod nondum est spirituale; tum quia in renatis adhuc sunt carnis concupiscentiæ seu motiones, quibus tamen hi non consentiunt. Fateor hanc posteriorem Augustini sententiam posse probabiliter defendi; tamen judico priorem illam esse veriorem, & menti Apostoli accommodatiorem: quam ideirco doctissimi quidam non solum Pontificii, sed & nostri interpretes secuti sunt. Denique verbum οἰκεῖν (*habitare*) sæpe in S. Scriptura usurpari dixi pro dominari & regere. Id verum esse ex his locis fiet manifestum. Christi verba sunt. *Matt.* XII. 45. *Tum proficiscitur, & accipit sibi septem alios spiritus pejores quam ipse sit, & ingressi habitant illic*; id est, ibi dominantur. D. Paulus illa vocabula οἰκεῖν, οἴκησις, κατοικεῖν, frequenter hoc sensu usurpavit. *Rom.* VIII. 9. *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu; siquidem spiritus Dei habitat in vobis.* Ibi P. Martyr, *Metaphora habitationis ex eo sequitur, quod qui habitant domum, non tantum eam occupant, sed etiam in ea imperant, & pro arbitrio suo moderantur.* Ibidem Bucerus etiam ait, Paulum hoc verbo *inhabitandi* familiarem ac perpetuam præsentiam, simul & dominium significare. Idem ad illud *Rom.* VII. 17. *Non amplius ego id perpetro, sed inhabitans in me peccatum: Hanc existimat vim dicit in se habitare, hoc est, se penitus occupare & dominari, uti solent, qui sunt domi sua in sede & domicilio proprio.* Apostolus, & omnis Scriptura hac metaphora *inhabitationis* frequenter utitur, & certam fere ac solidam præsentiam ejus, quod inhabitare dicitur, per eam significat, plerumque & dominium. Ad hunc modum *inhabitare peccatum* est, illud nobis penitius & potentius insidere, nostrique dominari: hoc est, virus suum præsentius atque plenius in nobis explicare. Simile esto illud, quod Dominus gratiæ suæ contemptoribus minatur de malo dæmone, qui domum, quam deseruerat, cum septem aliis se nocentioribus repetit, & inhabitat ibi. D. Augustinus eundem versum exponens, libro primo ad Simplicianum: *Cupiditatem* (inquit) *vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum & quasi regnum obtinere. Si autem per gratiam fias in nobis, quod alio loco dicit, ut non regnet peccatum in mortali nostro corpore, ad obediendum desideriis ejus, jam nec habitare proprie dicitur.* Musculus in eundem locum: *Ostendit verbo inhabitandi plenum in se peccata obtinere dominium: peccatum quasi sedem suam in se fixisse. Hoc sensu sæpenumero verbum habitandi in Scripturis usurpatur. Cum itaque vellet Apostolus declarare peccati in se vim & tyrannidem, dixit illud in se habitare velut in proprio domicilio, atque ita plene regnare.* Huc addi possunt alia

Ep. 242. Scripturæ loca; uti illud *Rom.* VIII. 11. ubi Spiritus S. dicitur *inhabitare* in renatis. Item illud 1 *Cor.* III. 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & spiritum Dei habitare in vobis?* Item illud 2 *Cor.* VI. 16. *Vos templum estis Dei viventis, sicut dixit Deus; habitabo in eis & inambulabo.* Musculus ibidem: *Inhabitare dicitur Deus, quando per spiritum suum corda electorum perpetuitate gratiæ suæ dirigit ac moderatur in omnibus.* Item illud *Eph.* III. 17. *ut inhabitet Christus per fidem cordibus vestris.* Ibi Zanchius: *Habitandi verbum in hac propositione*, Christus habitat in cordibus vestris, *metaphoricè positum esse dubium non est, sumpta metaphora ab iis, qui, non ut inquilini & peregrini in hospitio alieno morantur ad tempus; sed ut patres-familias in suis propriis ædibus libere vivunt, operantur, familiam regunt & dominantur.* Denique, ut alia loca omittam, illud *Col.* III. 16. huc pertinet; *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè in omni sapientia.* Musculus in illum locum; *Significat* (inquit) *verbum Christi in Ecclesia Dei sic debere regnare, atque verbum patris-familias in tota domo inter domesticos familiariter sonat, & omnia dirigit ac moderatur.* Non opus est attexere aliquid è profanis scriptoribus Græcis, apud quos verbum οἰκεῖν hac interdum significatione reperitur, scilicet pro regere & administrare. Calvini autem locus non erat omittendus Instit. lib. IV. cap. XVI. sect. XI. *Dicit* (Paulus) *nos in Christo circumcisos circumcisione non manu facta, depositio corpore peccati, quod in carne nostra habitabat. Aperte significat, corpus illud peccati, non habitare, id est, non dominari in renatis.* Zanchii verba quæ habentur libro secundo de natura Dei cap. VI. quæst. III. coronidis loco apponam: *Deus*, inquit, *suo spiritu in electis regnat & dominatur, corda eorum sibi obsequentia reddens. Atque hac de causa non dicitur habitare in impiis, sed in piis. Quid enim est habitare alicubi? est ibi non simpliciter esse, ut hic in hospitiis & profectionibus; sed tanquam in suo domicilio pro arbitrio regnare & dominari. In impiis autem non regnat Deus, sed Satanas, &c. quo etiam fit, ut, licet Deus essentia sua sit in impiis, nunquam tamen dicatur in illis habitare.* Paulo post: *Certe perfectius habitabit Deus in nobis cum erimus in cœlis, quam hic: propterea quod tunc plene & perfecte suum in nos exercebit imperium, sine ulla contradictione & repugnantia, erit enim omnia in omnibus.*

Tuæ dominationi deditissimus

ED. SIMSON.

CCXLIII.

EDUARDUS SIMSON

N. N.

Romæ contenta super modum suo tempore facta fuit.

REverendissime; Coram regiâ Majestate nudius-quartus comparuimus. Ibi Doctores nostri pleniorem suæ sententiæ declarationem (quoniam pressiores, quos prius conscripserunt, articuli à Rege rejecti sunt) primum D. Episcopo Wintonienſi exhibuerunt. Eam perlegit Episcopus & probavit. Eandem tum demum mihi perlegendam dederunt, antequam ad Regis colloquium admitteremur. In ea nihil fere deprehendi, quantum ad ipsam rem & materiam, si juxta ipsorum mentem intelligatur, cui non adsensum facile præbuerim. Non enim tam mea evertere, quam sua quædam, specie tenus à meis diversa, astruere mihi videntur. In aliquibus etiam meam sententiam alio detorserunt, ut esset quo cum possent σκιομαχεῖν, (*in speciem & quasi contra umbram pugnare.*) A prandio ad aulam profecti sumus. In interiori Regis conclavi res peracta est remotis arbitris. Doctores primo una cum Episcopo Regem convenerunt. Post Episcopus me introduxit. Declarationem ego meam Regi obtuli. Accepit. Dein me allocutus est. Acriter quædam in Arminium & in Remonstrantes, & in concionem meam. Quam postquam reprehendisset, maxime quod hæc doctrina homines ad desperationem possit adigere; rogavit, an assentiri velim declarationi Doctorum? Respondi, me raptim pro temporis angustia percurrisse, & mihi videri, esse hanc inter nos potius de terminis & vocabulis, quam de re ipsa disceptationem. Ita etiam judicavit D. Wintonienſis, postquam legisset meam declarationem præsente D. Procancellario. Restat ut accuratius illam ipsorum declarationem perspicem (ita Rex jussit) eique subscribam, si improbare nequeo. Inter alia autem rogavit Rex, an non ex ædibus D. Meyli Finch ejectus fuerim ob perversas, quas teneo, in Theologia opiniones? Negavi. Ibi Episcopus Wintonienſis dixit, se tale quid audivisse ex D. Guilielmo Twisdeno, is gener est Dominæ Finch. Illam conveniendi si T. D. dabitur aliqua opportunitas, poteris eam de hac doctrina certiorem reddere. Vereor ne quis sycophanta me apud eam insimulaverit. Rumor ille falsissimus de ejectione mea miror unde fluxerit. Deus Opt. Max. T. D. diutissime velit esse sospitem nobis & incolumem. Novemb. 26.

Tuæ Dominationi devinctissimus

ED. SIMSON.

CCXLIV.

CCXLIV.

CLEMENS TIMPLERUS
CONRADO VORSTIO

Salutem à Deo per Chriſtum Jeſum.

Feria. DIu hactenus, reverende & clariſſime vir, compater honorande, Molanus apud nos vel invitus hæſit. Nunc tandem impetrata ab Aula noſtra dimiſſione in Hollandiam iterum abire cogitat .... Bellum Juliacenſe hactenus multa ſecum mala traxit, & metuendum ne plura in poſterum ſequantur. Veſalienſes ſub duriſſimo Hiſpaniæ tyrannidis jugo jam merent & lugent, & quam Anabaptiſtis religionis cauſa intentarunt perſecutionem autore Acronio, eandem nunc ipſi ab Ibero experiuntur. In ſuperiore Germania Principes uniti & confœderati conſilia quidem varia ineunt ad impediendum & ſupprimendum ſubdolas & funeſtas Pontificiorum machinationes: ſed quis executionis futurus ſit eventus, nemo certo novit, niſi is qui omnia novit. Sunt tamen multi prudentes viri, qui ominentur, ob pecuniæ penuriam, quæ pleraſque Principum aulas affligit, parum fœlicem fore rerum agendarum ſucceſſum. Deus miſereatur ſuæ Eccleſiæ, impioſque & improbos hoſtium conatus reprimat & confundat. Francofurtenſes autores ſeditionis ab Imperatore proſcriptos in poteſtatem Electoris Moguntini & Landgravii Darmſtadienſis tradiderunt. Quid porro cum iis futurum ſit, dies docebit. Elector Brandenburgicus per Doctorem Maternum, qui nuper Steinfurti me compellavit, & honorificam tui mentionem fecit, curavit animum meum explorari, utrum ſibi in Academia Francofurtenſi ad Oderam operam navare velim, nec ne? Reſpondi: quamdiu erit aliqua ſcholæ Steinfurtenſis facies, & Illuſtres Comites Bentheimenſes opera mea uti voluerint, me Steinfurto diſceſſurum non eſſe. Eundem animum utinam tu quoque ſemper retinuiſſes! Ita Eccleſiæ & ſcholæ noſtræ ſtatus eſſet floridior, & tu ipſe vitam ageres longe pacatiorem & tranquilliorem. Sed aliter ſupremo rerum omnium moderatori Deo viſum eſt, qui te in Hollandiam vocavit, ut in inquirenda & illuſtranda rerum Theologicarum veritate alii te & tu alios eo melius & liberius exercere poſſis. Itaque in ejus divina providentia, quæ ſemper optima eſt & ſapientiſſima, tibi & nobis acquieſcendum eſt; & quicquid adverſitatum interim occurrit, id omne Chriſtiana patientia eſt ſuperandum. Cujus etiam tuæque rei cumulum, Vir præſtantiſſime, etiam atque etiam commendo. Steinfurti raptim ſcribebam 24 Januarii Juliani, anno 1615.

Tuus animo & ſtudio amicus & compater

CLEMENS TIMPLERUS.

CCXLV.

SIMONI EPISCOPIO
MARCUS GUALTERUS S.P.D.

Proponuntur à Miniſtro cujuſdam objectiones, quibus Arminii ſententiam magnis abſurdis gravari poſſe contendit.

QUamvis ſciam, Clariſſime & item chariſſime D. Epiſcopi, innumeris te hinc inde occupationum moleſtiis urgeri quotidie, ut qui una cum principibus cauſæ noſtræ propugnatoribus ad clavum aſſidens navim in his tempeſtatum procellis tuteris: tamen & affectus mutui fiducia, & recens novi cujuſdam Achillis apud me in ſententiam noſtram facta impugnatio, calamum quieſcere non ſinit. Dabis ergo mihi veniam, quod hoc quantulumcunque ad legenda & expendenda hæc otii, vel ſi mavis, negotii mihi abs te vindico, &, ut ad ea judicium ac reſponſum tuum paulo plenius mihi non neges, officioſe peto. Rem ergo ipſam accipe.

Eſt in opido quodam nobis vicino Miniſter quidam, horridiori ſibi de Prædeſtinatione ſententiæ paulo addictior, mihi jam ab adoleſcentia familiariter notus & amicus. Is poſtquam vidit Calvini de iſta re dogma à noſtris gravibus argumentis premi, & ad extrema redigi: conatus eſt non quidem Calvinum ipſum plane excuſare, aut culpæ purgare, (fatetur enim ultro impingere eum in juſtitiam Dei, ſi res coram ratione humana agatur:) ſed adverſum D. Arminii ſententiam longe pluribus abſurdis & conſequentiis gravari poſſe contendit. Præterquam enim quod cum illa in juſtitiam Dei incurrat, etiam omnipotentiam & ſapientiam Dei peccare ait. Ad id ſtabiliendum, nonnulla nuper argumenta apud nos deprompſit, quæ ipſi nec refutari poſſe viſa ſunt, neque explicari, nec ſi Carneades ipſum orcus remitteret. Illa vero ut adnotarem, & cum aliis deinde pro meo arbitrio communicarem, haud ægre paſſus eſt. Hoc ergo nunc apud te facio, colendiſſime Epiſcopi, utque porro cum DD. Vorſtio & Corvino (ſi ita videbitur) de iis agas, amice rogo, & ubi oportunum fuerit, reſponſo ad me miſſo, quid de talibus ſtatuendum, quidve ſolide ſatis reponendum ſit, pro tua prudentia doceas. Fuit quidem mihi & fratribus noſtris cum eodem prolixum ſatis (&, meo judicio, ſufficiens) de iſto argumento colloquium: ſed videtur delicationis ſtomachi, quam ut noſtra velit guſtare & in ſe demittere, quandoquidem nos forte ruſticatim tangimus, qui urbanatim neſcimus: ego quoque non obſcure animadverti, politius illum è Batavia veſtra & limatius aliquid expectare: Non potui quin vobis etiam hanc moleſtiam devorandam offerrem, meo & noſtrorum nomine obſecrans, ut umbonem aliquem chartaceum remittatis, quo ejuſmodi tela à vobis ſolent repelli. Hoc autem imprimis videtur apud illum eſſe certum

Ep.245. tum & immotum, Adamum ante lapſum non habuiſſe liberum arbitrium: Aut, ſi habuerit, Deum à culpa non excuſari, qui prævidens illum abuſurum eo ipſo ad ſui perditionem, eidem tamen dederit. Perinde, ait, ut pater, certo prævidens filium ſuum fauces ſibi inciſurum ſi ei cultrum dederit, nihilominus ei porrigens, plane ſe reum facit necis: ſic quoque Deus. Neuter enim debet miniſtrare, quod infallibiliter ſciat damnoſum fore. Verum rem ipſam in tabula iſta pharmacopolæ & Dei liquido vides, quam una cum aliquot ſyllogiſmis ſeorſim tibi deſcripſi, ut eo minus in epiſtola confunderem. Tu lege, excute, repone, reſcribe.

Quo loco apud vos ſint res, ſcire cupimus. Apud nos cum bono Deo, certior poſthac tranquillitas expectanda videtur, quandoquidem ampliſſimus Senatus noſter, (qui profecto hic ſe virum oſtendit) non ita pridem denuo pro ſua authoritate turbis, ſingulari quodam facto Senatus conſulto (quod in Acta publica miſſum) obicem oppoſuit. Quod ſi duriores illi pauculi, quorum aliquot jam pleruſque populus turbulentos & inquietos novit & faſtidit, denuo virus ſuum miſcebunt, & Davos agent, jam de illis & eorum fama actum fore ego præſcio. Audies forte alias rem nimis indignam, quam nuper ipſorum aliqui cum ſummo ſuo dedecore patrarunt. Ep.245.

Audimus D. Vorſtium ad ipſam Profeſſionem Academicam propediem iturum: ſed an ita ſe habeat, ignoramus. Faxit Deus Optimus Maximus dies illa viro iſti tandem illuceſcat poſt tam multas tenebras, ut de omnibus adverſariis ſuis, & virulentis linguarum ac ſtilorum pugnis, omni poſteritati decantandum triumphum ſibi ferat. Hoc ego & boni mecum hic multi illi ex animo apprecamur: vobis autem omnibus Chriſtianam conſtantiam & animum intrepide modeſtum. De Synodo noſtra nihil adhuc certi: Ordines tamen noſtri jam olim haberi permiſerunt. Quicquid de ea aliquando ſciam, ſcribam. Vale colendiſſime atque dilectiſſime Epiſcopi, meque voti mei, quam primum licebit, compotem facere ne gravare. Dominis Vorſtio, Corvino, Bertio, cæteriſque notis amicis plurimam à me & noſtris ſalutem. Campis 5 Cal. Mart. 1615.

Quicunque ſciens prudenſque, ut cauſa generalis & indifferens concurrit ad actionem legi contrariam, ille vere ac proprie peccat;

Sumit autem vult conſtructive D. Arminius.

Deus (ex ſententia & conſenſu Bellarmini) ſciens prudenſque ut cauſa generalis & indifferens concurrit ad actiones omnes legi contrarias:

Ergo Deus vere & proprie peccat.

Major probatur ex ſubjecta Tabula.

PHARMACOPOLA	DEUS
1. *Porrigit neverca venenum, ſine quo ea privignum non poteſt interimere.*	1. *Porrigit homini influxum ſuum, ſine quo ille nullam actionem malam poteſt producere.*
2. *Porrigit quidem, ſed ut cauſam generalem & aptam tam ad bonum quam ad malum.*	2. *Porrigit quidem, ſed ut cauſam generalem & aptam tam ad bonum quam ad malum.*
3. *Neverca eam ad malum determinat.*	3. *Homo eum ad malum determinat.*
4. *Id futurum eſſe infallibiliter pharmacopola præſcivit.*	4. *Id futurum eſſe infallibiliter Deus præſcivit.*
5. *Non ergo debuit venenum illud ei committere, ſi voluit juſtitiæ & juris amans videri.*	5. *Non ergo debuit influxum illum ei committere, ſi voluit juſtitiæ & juris amans videri.*
6. *Pharmacopola ſibi venenum retinere potuiſſet, & neverca nunquam veneficium illud commiſiſſet.*	6. *Deus, quatenus ad actionem illam particularem influxum ſuum ſuſpendere potuiſſet, ut in Jeroboamo factum, 1 Reg. XIII. & homo nunquam maleficium illud commiſiſſet.*
7. *Non excuſat pharmacopolam, quod neverca illa medium iſtud ad utrumque paratum aliter adhibere potuiſſet: præſcivit enim id nunquam fore.*	7. *Non excuſat Deum, quod homo influxum illum ad utrumque paratum aliter adhibere potuiſſet: præſcivit enim id nunquam fore.*
8. *Si vero dicat pharmacopola, ſe, quamvis ſciverit novercam illam nullo modo veneno illo bene uſuram, perrexiſſe ut bene uterentur, aut inſania aut mendacii arguetur. Et quidem ſi cum venenum traderet, inſanum eum non fuiſſe conſtet, parricidii & reus & cauſa dicetur, vereque peccavit.*	8. *Si vero quis pro Deo dicat, eum quamvis præſciverit homines nullo modo influxu illo bene uſuros, perrexiſſe ut bene uterentur, is idem D. Deum vel imprudentiæ vel falſi accuſabit. Et quidem ſi imprudentem, cum influxum ſuum traderet, ipſum non fuiſſe conſtet, &c.*

NB. Si ſententiam D. Arminii urget, pro influxu illo Bellarmini ponit liberum arbitrium.

Libe-

Ep.245. Liberum arbitrium, ſi ſub examen, ait, rationis vocetur, impingit in Dei omnipotentiam, ſapientiam & juſtitiam.

Probatur de Omnipotentia.

Deus dedit Adamo liberum arbitrium, id eſt, poſſe ſtare, & poſſe velle ſtare, & poſſe labi, & poſſe velle labi, aut quod vellet eum ſtare, aut quod vellet eum labi;

Non autem quod vellet eum labi,

Ergo, quod eum vellet ſtare.

Si Adamus non ſtetit & voluntas Dei fuit ut ſtaret, Deus voluntati ſuæ non potuit ſatisfacere, & per conſequens non fuit Omnipotens.

Atqui verum prius. E. & poſterius.

Poſſet hic excipi ad priorem Syllogiſmum. Quod illud velle Dei ſit ambiguum. Aut enim Deum dediſſe Adamo poſſe ſtare, & poſſe velle ſtare, quod ipſe vellet efficere ut ſtaret, aut quod vellet permittere: ſi ſecundum priorem modum Deus voluiſſet ut Adamus ſtaret, tum in ejus omnipotentiam nos impingere, ſed ſi poſteriori modo non item.

At contra.

Qui conatur aliquid & vult idipſum, neque tamen id conſequitur, ille non eſt omnipotens.

Deus conatus eſt aliquid & voluit, nimirum permittere ut ſtaret Adamus, neque tamen id conſecutus eſt. Ergo, &c.

Per conſequens igitur ſive Deus voluerit efficere ut Adamus ſtaret, ſive voluerit permittere, quia non magis permiſit quam effecit, ſequitur argumentum noſtrum hactenus immotum eſſe.

De Sapientia.

1. *Vere ſapiens, qua ſapiens, omnia ſua ita diſponit ne quid intentioni ſuæ contrarium eveniat.*

Atqui Deus quadam ita diſpoſuit unde intentioni ſuæ contrarium evenit.

Ergo Deus non eſt, &c.

Minor probatur: Quia dedit homini poſſe labi, ut libere ſtaret intendens; & cecidit: & poſſe ſtare ut ſtaret, & libere lapſus eſt.

2. *Vere ſapiens non tradit alteri quicquam quo voluntati ſuæ quid contrarium is committat.*

Atqui Deus commiſit (vel tradidit) quid alteri quo voluntati ſuæ is contrarium quid commiſit. Ergo.

Minor probatur: Conceſſit enim Deus Adamo liberum arbitrium, per quod peccatum voluntati divinæ contrarium commiſit.

3. *Vere ſapiens per inſciviam tantum alicui aliquid committit, quo voluntati ſuæ aliquid contrarium is efficiat.*

Atqui Deus non per inſciviam tantum (ſed ſciens) commiſit alicui aliquid, quo voluntati quid contrarium effecit. Ergo, &c. Ep.246.

Minor probatur: Quia quamvis præſciret Adamum libero arbitrio contra voluntatem ſuam eſſe uſurum, nihilominus ei commiſit.

De Juſtitia.

1. *Vere juſtus non poteſt plus exigere ab alio quam ei dedit.*

Deus plus ab homine exegit quam ei dedit. Ergo, &c.

Minor probatur: Quia Deus non dedit homini niſi poſſe velle, & poſſe ſtare per liberum arbitrium; & tamen exegit non tantum ut poſſet, ſed ut & actu vellet & ſtaret.

2. *Vir juſtus ſi quid habet ſine quo non poteſt peccari, & quo alii tradito ſcit infallibiliter peccatum iri, id nemini concredit.*

Deus aliquid habens ſine quo non potuiſſet peccari, & quo tradito ſciebat infallibiliter peccatum iri, tamen id concredidit alicui.

Ergo, &c.

Minor probatur: Quia liberum arbitrium Deus habebat in ſua poteſtate, ſine quo Adam non potuiſſet peccare, & quo accepto Deus ſciebat infallibiliter eum eſſe peccaturum; dedit tamen illud Adamo.

Neque valet exceptio ad Propoſitionem, quod ajunt: Deum pro ſua omnipotentia ex malo poſſe bonum elicere. Non enim ſunt facienda mala ut eveniant bona.

3. *Quicunque producit peccatum in potentia, ille eſt author ejus peccati, & conſequenter, cum peccante in eodem crimine hæret, ideoque eum punire nequit.*

Atqui Deus, &c. Ergo, &c.

Exceptio: Negat. Propoſitio. Quia peccatum non in mera potentia, ſed in actu conſiſtit. Liberum autem arbitrium continuit peccatum in potentia tantum, non autem in actu.

R. Non eſt quæſtio, qua in re peccatum conſiſtat, ſed unde fiat, ut in actu exſiſtat: annon ad id neceſſario præſupponatur potentia?

CCXLVI.

MARCO GUALTERO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Ad objecti-onis ſuperio-rũ epiſtola reſpondetur.

Dilecte in Chriſto Frater; Serius mihi Amſtelrodamo redeunti domeſticorum noſtrorum incuria redditæ ſunt literæ tuæ, & non multo poſtquam redditæ ſunt, incidi in morbum non tam gravem quam moleſtum, & infauſti ominis, qui me aliquandiu Hippocrati litare & publico abſtinere coëgit, quodque maxime dolebam, rebus ſeriis privatim vacare non permiſit. Simulatque ex eo paululum me recepi, converti quamprimum animum adhuc feſſum fractumque ad literas tuas; partim quod illis reſponderi operæ-pretium

Digitized by Google

Ep.246. judicarem; partim, quod à te reſponſum ſerio & amice efflagitari viderem, cui in ea re morem non gerere, officii mei & amicitiæ noſtræ intereſſe putabam. Non dubitabam quidem, quin à vobis abunde ſatisfactum eſſet amico vestro, ac pro me ſupervacaneus hic meus labor futurus eſſet; nolim tamen δοσυλοῦ (*ut qui quod conferendum eſt non confert*) videri, cum res ipſa ſuffragium merebatur, & amicus poſtulabat. Ne vero longior mora reſpondendi tædium injiceret, aut propoſitum obtunderet, malui ſolus reſpondere, quam communicato cum fratribus conſilio, inprimis cum eos aliis & gravibus curis diſtrahi & detineri certo ſcirem. Literas itaque tuas, & inprimis diagramma inſertum quod attinet, ſicut non poſſum non laudare candorem & ingenuitatem authoris, in eo, quod non Arminii ſolum, ſed & Calvini ſententiam, ſi ad rationis ſolius trutinam expendatur, abſurdis nonnullis gravari, & premi fateatur; ita mirari ſatis nequeo, quomodo pluribus & gravioribus ſententiam Arminii urgeri aſſerat? cum ſi rem juſta lance ponderemus, uno tantum illo gravari videatur, quod ex capite de divina præſcientia petitum eſt; quo uno tanquam cæmento & calce omnia argumenta, quæ author allegat, convertuntur & ferruminantur, nullius alias roboris aut momenti futura; ſicut ex iis, quæ poſtmodum dicenda ſunt, liquere poteſt. Deinde, quomodo in eam delabatur authoris ſententiam, ut hanc unam ob cauſam liberum arbitrium homini à Deo datum eſſe, etiam ante lapſum, neget; cum neceſſe ſit, eo ſublato legislationem omnem protinus convelli, rationem obedientiæ, & peccati, ac pœnæ, pœnarum etiam præmiorumque majeſtatem violari & tolli: Denique Religionem totam in ſcenicum, ludicrum & hiſtrionicum quoddam drama transformari. Quod tam certum & clarum eſſe cuivis non omnino præfracto arbitror, ut ſolis radio ſcriptum videatur, neminique aliter videri poteſt, niſi qui & rationem ipſam & Scripturam ſacram everſum ire, id eſt, humanitatem cum Religione exuere vult. Dices, hac ratione difficultas non exhauritur, quam author movet. Fateor ſane, neque abnuo fuiſſe aliquando hodieque eſſe, qui hac una difficultate penitius perſpecta, maluerunt præſcientiam hanc divinam exiſtentias rerum antecedentem non agnoſcere, quam ea conceſſa in illud præcipitium incidere; interea Deo Opt. Max. ea omnia attribuere non deſinentes, quæ ad perfectam & univerſalem rerum omnium creatarum providentiam facere poſſe videbantur. Et hi quidem, etſi lenius errare mihi videantur, quam ii qui liberum arbitrium ex homine tollunt, tamen nulla neceſſitate compulſi declinare potius pro infirmitate animi ictum hunc videntur, quam certo judicio adducti ejus pondere ſuccumbere. Quicquid enim dicatur, illud ante omnia, Ep.246. vel ipſo authore diagrammatis judice, certum & indubium eſt; Præſcientiam plane nihil aut efficere, aut conficere ad productionem actus illius, qui peccatum dicitur, neque uſum liberi arbitrii ulla ratione aut tollere aut impedire, ſed præſupponere eum & relinquere. Scientia enim actu ipſo qui ſcitur natura poſterior eſt; quia actus objectum eſt circa quod præſcientia verſatur, quæ ſcientis actio tantum mentis interna eſt; ac proinde extra ſe agere nihil poteſt, ſed tantummodo id, quod extra eſt aut fit, & ſic tanquam ſcibile objicitur, ſpeculi inſtar recipere & admittere quaſi cogitur. Et hoc quidem unum etſi diluendis omnibus iis, quæ ab autore dicuntur, ſufficere nonnullis videatur; tamen non diffiteor, unum adhuc ſupereſſe ſcrupulum, qui vehementer urgere videtur. An non cum præciat Deus actum malum ſive peccatum futurum, & proinde eventoram peccandi miſeriam, ſapientiæ divinæ interſit, potius non creare hominem, aut creato non dare legem, ei quem lapſurum videt, quam creare & leges ei ferre? Et ſane hæc illa unica eſt difficultas, quæ non leviter multa antehac non pœnitenda ingenia vexavit & torſit, quæque una paſſim argumentis authoris inſerta & interſperſa, vim & efficaciam quandam iis conciliare videtur. Quod ſi tamen eam propius intueamur, videbimus eam eo tantum tendere, ut evincatur, Deo aliquid indignum & Majeſtati tam auguſtæ non conveniens tribuendum neceſſario eſſe, ſi ei præſcientia iſta concedatur, & aſſignetur. Non vero ut demonſtretur injuriam aliquam homini fieri, factamve eſſe, aut Deum ulla ratione cauſam efficientem fieri ejus rei propter quam homo reus ejus pœnæ ſit, ſi præſciviſſe rem iſtam ſtatuatur. Cum enim ea omnia, quæ ad declinandum peccatum pluſquam abunde ſufficiunt, homini conferantur à Deo, ita ut nihil homo deſiderare aut cupere poſſit, à parte ſua, quod merito requiratur, ad hoc ut peccatum evitet; nulla cauſa eſt cur aut de creatione divina conqueratur homo, aut ſi creet, inſipientiæ inſimuletur Deus. Etſi enim rationes quibus Deus adducitur, ut hominem quem lapſurum prævidet tamen creet, nihil fortaſſe aut ἀνεξιχνίαστοι καὶ ἀνεξιχνίαμοι (*inſcrutabiles & imperveſtigabiles*) ſint, aut certarum quarundam hypotheſeum ſervituti mancipatis hactenus incognitæ; tamen & Deo ſua juſtitiæ & æquitatis ratio conſtat, & nobis ſufficere debet, ſi certo ſciamus, admiſſa etiam præſcientia, hominem liberi ſui arbitrii dominum & uſurpatorem in ſolidum relinqui, & proinde mali ſui ac miſeriæ unicum fabrum eſſe, & manere; quin imo in cauſa eſſe quod Deus iſtam præſcientiam eo ipſo habeat, quod lapſurus ſit. Et juxta hanc generalem regulam ac normam, etſi decidi univerſa controverſia forte poſſet; tamen ut ejus tum veri-

tas

Ep.246. tas tum neceſſitas clarius eluceſcat, aliaque quæ adferuntur, argumenta momenti parvi eſſe, quando hac unica difficultate non imminuitur, liquido appareat, preſſo pede inſiſtemus omnibus iis, quæ in ſcheda adducuntur.

Ad primum quidem & principalem Syllogiſmum quod attinet; Reſpondeo, Majorem ejus propoſitionem veram non eſſe, neque ulla ſolida ratione niti; cum generalis & indifferens cauſa concurrat tantum, veluti requiſita conditio, ſine qua cauſa ſecunda conſtitui non poteſt in actu primo, hoc eſt, potens ad agendum; non vero tanquam determinans eam ad ſpeciem actus. Conditionibus autem, quæ ad complendam cauſæ ſecundæ ſufficientiam ad agendum requiruntur, poſitis, poteſt adhuc cauſa ſecunda agere aut non agere. Unde manifeſtum eſſe poteſt, nullo modo verum eſſe id quod majore hujus Syllogiſmi continetur. Cum enim peccatum actus ſit determinatus & in ſpecie conſtitutus, fieri nequit, ut illius cauſa ſit generalis & indifferens: generalis enim & indifferens cauſa, ſive potius indeterminata, determinati effectus cauſa eſſet: quod adeo abſurdum viſum mihi eſt, ut ſimulatque primum Syllogiſmum hunc legerem, mirari ſat non poſſem, inconcinnam ejus conſequentiam, & imprudentiam authoris, qui ſine ulla neceſſitate verba hæc, *ut cauſa generalis & indifferens*, inſeruiſſet, cum ad principalem cauſam non tantum non adſtruendam, ſed deſtruendam potius faciunt. Neque vero in eo momentum potiſſimum ſitum eſt, quod addat, *ſciens prudenſque*; cum hoc ipſum evertatur per ſubſequentia verba, quod *ut cauſa indifferens ſciens prudenſque* concurrat. Qui autem ut indifferens cauſa concurrit, ſive prudens ſive imprudens concurrat, non tantum non vere ac proprie, ſed ne peccare quidem poteſt; quia concurſus ille non tantum integrum & ſalvum relinquit liberi arbitrii uſum, ſed per ipſum arbitrium determinandus eſt, & ab indifferentia ſua quaſi contrahendus, & coarctandus ad certam actus ſpeciem, ut peccatum fiat. Deinde; quid ſi conceſſa majore ad minorem ex ſententia Durandi, aliorumque reſponderetur? falſam eam eſſe, cum Deus cauſas ſecundas ſufficientia actionum ſuarum principia eſſe voluerit, ut concurſu illo divino opus non ſit, ſed ſola tantum ſufficiat conſervatio, ſive potius naturæ creatæ non deſtructio? Certe reſponſionem hanc tanquam omnium tutiſſimam, utpote nullis ſpinoſis difficultatibus involutam, & uti mihi ſemper fere viſum fuit, multo quam altera verſimiliorem, præferendam putarem; ſed quia ea à ſententia Arminii, quam authori mpugnat, diſcedere nonnihil videtur, perſiſtam in negatione majoris. Eam vero non probat ſubjectum in tabula diagramma, ſive collatio inſtituta inter Deum & pharmacopolam: diſſimilitudo enim in multis manifeſta eſt. Primum in eo; quod pharmacopola dominus non ſit novercæ, qui poteſtatem ha- Ep.246.
beat legem ei pro arbitrio ferendi; ac proinde dandi aliquid quo ipſa libere abuti poſſit ad ſui ipſius perniciem (aut recte uti ad commodum ſuum & emolumentum) nedum quo ipſa abuti poſſit ad perniciem proximi; obſtrictus ſcilicet & obligatus proximo, ut quod ex re ipſius eſſe novit, quantum in ſe eſt, procuret: Deus autem hoc pacto obligatus & obſtrictus non ſit creaturæ ſuæ, cum ſit Dominus & legiſlator, qui obedientiam creaturæ poſſibilem à creatura poſtulare poteſt jure ſuo, dominiumque illud integrum ſemper conſervat, etiamſi inobedientem creaturam prævideat; quia dominium illud prius ipſi competit quam præſcientia ejus, quod inobediens ſit futurus is cujus Dominus eſt. 2. Quod pharmacopola novercæ venenum porrigat, quo ipſa alium incautum interimat; Deus autem homini liberum arbitrium det, quo ipſe ſciens prudenſque malo tantum ſuo, cum contrarium poſſit, abutatur, aut abuti queat. 3. Quod pharmacopola non moneat novercam & privignum venenum eſſe illud quod porrigit, itaque diligenter abuſum ejus utrique cavendum eſſe propter periculum maximum ei conjunctum; Deus autem expreſſe & ſolicite hoc ipſum faciat. 4. Quod pharmacopola non comminetur ſeipſum illaturum mortem & pœnam graviſſimam novercæ ſi venenum præbeat privigno, & è contra, non promittat ſe maximum & incomparabile bonum daturum ſi non porrigat; Deus autem ipſe comminetur ſe mortem tranſgreſſori ſive violatori legis ſuæ inflicturum, & cuſtodienti præmium daturum æternum. Alia quædam omitto quæ differentiam & diſſimilitudinem hanc elucidare amplius poſſent, ſed hæc abunde ſufficiunt ad enervandam vim majoris propoſitionis, quæ hoc diagrammate confirmari videbatur. Illi enim hunc confectum ex iis quæ à me allata ſunt, Syllogiſmum oppono. Qui tanquam Dominus & Legiſlator nulli obligatus hominem liberum, & ſufficientibus viribus ad præſtandum quod exigitur præditum, creat, & ejuſmodi libero homini legem fert promiſſione boni maximi, & contrarii mali comminatione à ſe ipſo exequenda, ſancitam, nihilque aliud ad determinandam liberam hominis voluntatem facit; ille nullo modo peccat, nedum vere ac proprie. Atqui Deus, &c. Ergo. Si dicas: Atqui ſciens prudenſque, id eſt, ſciens hominem tranſgreſſurum, iſta facit. Reſpondeo: Hoc ipſum non facere ad id, ut peccare propterea ille dici poſſit, ſed potius ad contrarium: cum niſi proprie ac vere homo peccaret, Deus hoc ipſum quod peccaturus eſſet non præſciviſſet. Quod ſi peccaturum præſcivit, ergo peccare præſcientiam ipſam præcedit. Si præcedit, quomodo peccat is qui præſcit, inprimis ſi jus & poteſtatem cauſaſque habeat cur nec impedire teneatur, nec impedit id quod futurum

Ep.246. turum præſcit? At dicis, æquitas ipſa hoc poſtulare videtur, aut ſaltem bonitas & φιλανθρωπία (*amor erga homines*) divina? At vero etſi hoc ipſum nobis ita videatur, nulla tamen ratio eſt quæ hoc ipſum neceſſario evincat, prout in ſequentibus apparebit, cum argumentum de ſapientia & juſtitia examinabitur.

Itaque progredimur ad argumenta illa, quibus probare conatur author diagrammatis, liberum arbitrium, ſi ſub examen rationis vocetur, impingere in Dei omnipotentiam, ſapientiam & juſtitiam, id eſt, ut proprie magis enuncietur authoris ſenſus, non poſſe conſiſtere dationem liberi arbitrii cum potentia, ſapientia & juſtitia divina. Faciemus autem hoc, non tam quod alicujus momenti & precii eſſe videantur argumenta allata, nimis enim inſulſum eſt liberum arbitrium homini (etiam ante lapſum) adimere velle, cum eo ſublato omnis præſcientiæ divinæ gloria, omnis providentiæ cura, imo univerſum religionis decus convellatur & ex mundo tollatur protinus. Quæ enim ſapientiæ divinæ aut providentiæ gloria, quæ præſcientiæ excellentia in Deo erit, ſi nullum liberum arbitrium? Nec enim ſcire ea quæ ipſe facis, aut per potentiam irreſiſtibilem curas ut fiant, ſapientiæ laudem meretur, aut præſcientiæ & providentiæ gloriam in ſe habet. Sed tantum eo fine, ut manifeſtum fiat, rancida eſſe omnia & inania ſimul atque glutino & coagulo præſcientiæ deſtituuntur.

Primum enim de Omnipotentia, elumbe eſt ob id ſolum, quod Deus hominem creans & legem ei ferens, neutrum præciſe intenderit efficere, nedum per omnipotentiam efficere, ſed in poteſtate hominis libera utrumque relinquere, id eſt, voluerit permittere ut ſi vellet, ſtaret; ſi vellet, caderet. Qui autem vult non agere per potentiam cum poſſit, ejus potentia non tollitur ſi fiat quod fieri non vult. Attamen dices, voluit Deus ut ſtaret Adamus. Reſpondeo: Voluit, id eſt, præcepit ut ſtaret, id eſt, obediret & pareret; cum præcepto autem actio omnipotentiæ nullo modo conſiſtere poteſt, nedum ut impingat in omnipotentiam. Et hac quidem ratione ſatisfieri poteſt rationi primæ, ſi voluntas ſemper de voluntate legiſlatoria, ſive præceptiva accipiatur, cum qua non tantum conſiſtere poteſt liberum arbitrium, & proinde contrarii eventus poſſibilitas, ſed neceſſario etiam debet. Ei autem diluendæ nullo modo ſervit inſtantia authoris. Cum major illius expreſſe falſa ſit, quæ hæc eſt: Qui conatur aliquid & vult id ipſum, neque tamen id conſequitur, ille non eſt omnipotens: Si enim tantummodo eam propriis verbis enuncies, manifeſte falſitas ejus apparet. Qui conatur aliquid & vult id ipſum, id eſt, qui præſcribit ac præcipit libere aliquid faciendum, aut fieri, ille non eſt omnipotens. Quæ enim terminorum connexio hic dari poteſt? Deinde minor inſulſa eſt & ſeipſam deſtruens; Deus conatus eſt aliquid Ep.246.
& voluit, nimirum permittere ut ſtaret Adamus, neque tamen id conſecutus eſt. Quomodo enim non eſt conſecutus id ipſum, quod permiſerit ut ſtaret Adamus, cum revera permiſerit? An quia cecidit Adamus? At hoc ipſum cum permiſſione ut ſtaret Adamus optime convenit. Qui enim vult permittere ut ſtet Adamus, vult etiam permittere ut labatur. Sive igitur labatur ſive ſtet Adamus, fit id quod Deus vult, id eſt, permittitur fieri quod libere vult facere homo. Neque tamen nego, intendiſſe Deum ut ſtaret Adamus, id eſt, operam dediſſe, ſive intendiſſe ita, affirmo, ut ſalva ſemper maneret tum legiſlationis & præcepti ſui natura, tum hominis libera voluntas: Siquidem enim alterum præciſe intendiſſet, non conſecutus fuiſſet Deus id quod intendebat, aut conabatur & volebat, ut author loquitur; non enim permiſiſſet ut libere ſtaret vel caderet homo. Neque vero exiſtimo, authorem verbum permittendi ut ſtaret Adamus, eo ſenſu accipere, ut ſignificet non impedire, ut, cum ſtare velit Adamus, ſtet; ſed eo quo accipi debet, ut ſignificet, non impedire ut ſi ſtare velit Adamus ſtet. Illud enim cum lapſu nullo modo conſiſtere poteſt, hoc optime. Si vocem permiſſionis extra propriam ſuam ſignificationem ſumat & uſurpet author, uti quidem videtur, nimium graviter hallucinatur, & in ſeria diſputatione vitium committit non faciendum. Ut autem vitium argumenti totius manifeſtius appareat, mutentur, quæſo, termini figurati in proprios, quod ſemper in accurata diſputatione faciendum eſt, & quidem ad hunc modum: Si dedit homini liberum arbitrium Deus, id eſt, poſſe peccare & poſſe non peccare, dedit id, aut quod vellet eum peccare, aut quod vellet eum non peccare ſive obedire. Non autem quod vellet eum peccare. Ergo quod vellet eum non peccare ſive obedire. Jam ſic cum authore progredior. Si Adamus peccavit, & voluntas divina fuit, ut non peccaret, ſive ut obediret, Deus voluntati ſuæ non potuit ſatisfacere, & per conſequens non fuit omnipotens. Atqui verum prius. Ergo & poſterius. Viden' hoc argumentum eo tendere, ut evincatur Deum voluiſſe ut peccaret Adamus, quia ſi aliud voluiſſet Deus, cum illud factum non ſit, omnipotens non foret? Id vero annon manifeſte contrarium ſit ei, quod Deus prohibuiſſe legitur Adamo, id eſt, voluiſſe ut non peccaret, & annon Deum peccati cauſam, aut ſaltem peccatum volentem, imo omnipotentia ſua efficientem ſtatuat, tibi conſiderandum relinquo. Alterum certe dicatur neceſſe eſt. Aut non peccaſſe Adamum, ac proinde actum illum volitum fuiſſe à Deo; aut ſi peccavit Adamus, voluiſſe Deum ut peccaret, quia peccavit, imo per omnipotentiam hoc effeciſſe. Αυτὸ τὸ πρᾶγμα βοᾷ. (*Res ipſa clamat.*)

Secundum argumentum quo probare conatur

Ep.246. natur author liberum arbitrium impingere in ſapientiam Dei, ſimilis eſt farinæ, id eſt, nullius ponderis, præterquam ubi præſcientiæ ferrumine ſolidatur. Nam primo, major propoſitio quæ ita habet: *Vere ſapiens qua ſapiens omnia ſua ita diſponit ne quid intentioni ſuæ contrarium eveniat*: Vera tantum eſt de eo ſapiente, qui præciſe aliquid intendit, aut effectum dare vult, quique effectum dare poteſt, quod, quando & quomodo vult. Non autem de eo qui ſapiens legiſlator eſt, quique nihil aliud intendit aut diſponit, quam quod ſalva libertate ejus cui lex fertur intendi aut diſponi poteſt. Quamdiu enim diſpoſitio illa libertatem non tollit, tamdiu ſapientia in eo conſiſtit, quod omnia libertati illi convenienter diſponantur. Quando autem hoc fit, tum fieri poteſt, ut eveniat contrarium aliquid intentioni diſponentis. Deinde, data ſed non conceſſa majore, minor negari poteſt, imo falſa eſt; videlicet, Deus quædam ita diſpoſuit, ſupple, ſi liberum arbitrium detur, unde intentioni ſuæ contrarium evenit. Ut enim jam non excutiam modum illum loquendi, *unde contrarium evenit*, vere ἀκυρολογῶς (*improprium*) & ineptum; Verum non eſt, diſpoſita quædam ita à Deo eſſe, ut intentioni divinæ contrarium quid evenerit. Divina enim intentio erat, hominem relinquere ſibi, aut arbitrio ſuo, ita ut poſſit contraria diſpoſitioni ſuæ facere. Ergo cum facit homo ea quæ contraria ſunt diſpoſitioni divinæ, non eſt dicendum evenire aliqua contraria intentioni. Nihil enim præciſe intendit Deus ut fieret, ſed tanquam ſapiens legiſlator quid fieri ab homine deberet præſcripſit tantum lege ſua, proinde liberum relinquens illi ut quod vellet faceret, id eſt, ut obediret aut non obediret: Etſi vero præſcriptum hoc intentio divina dici poſſet, tamen intentio tantum moralis eſt, qua præcipitur & ſuadetur id quod æquum eſt fieri; non autem ut id tantum fiat, & non aliud, procuratur & efficitur. Confirmatur hæc reſponſio ex ipſa probatione ab authore allegata. *Quia dedit*, inquit, *Deus homini poſſe labi, ut libere ſtaret intendens.* Nota, *ut libere ſtaret*, inquit; ergo ut ſi vellet non ſtare, liberum hoc illi relinquere intenderit: unde retorqueri per *fines* (*valide*) poſſet argumentum hoc: Siquidem Deus ita diſpoſuiſſet omnia ſua ut unum tantum intenderet præciſe obtinendum, ſapientiæ veræ quæ legiſlatorem liberam obedientiam poſtulantem deceat, tantillum illi competere non poſſe: imo, quod caput rei eſt, nulla ſapienti diſpoſitione admodum opus fuiſſe, ſi intentioni divinæ contrarium evenire non poterat. At non poterat evenire contrarium, niſi liberum ſtatuatur arbitrium, aut admittatur fortuitum aliquem caſum evenire Deo potuiſſe, quem aut prævidere ipſe aut per potentiam impedire non potuerit. Quod cum per ſe abſurdum ſit, obſecro, quæ diſpoſitionis divinæ ſapientia eſſe poteſt juxta authorem hujus ſententiæ?

Secundi Syllogiſmi major etiam falſa eſt, ſi videlicet vox voluntatis recte accipiatur, prout accipi debet, & ab ipſo authore accipitur in probatione minoris, pro voluntate ſcilicet præceptiva quæ lege continetur, ſive pro mandato lege divina comprehenſo & expreſſo. Deinde, ſi tollatur homonymia vel amphibolia potius phraſeos iſthius: *Sapiens non tradit alteri quidquam quo voluntati ſuæ contrarium quid committat*; id enim accipi poteſt vel de fine ſive intentione tradentis, quaſi dicatur: Nemo ſapiens tradit aliquid alicui eo fine ut abutatur eo in ſui perniciem: Vel de eventu ipſo, prout citra intentionem & finem tradentis exiſtente; quaſi dicatur: nullus ſapiens tradit aliquid alteri, quo fit ut abutatur alter. Prius enim verum eſt, at poſterius manifeſte falſum. Hic rurſum niſi præſcientia tanquam tibicen laboranti ſyllogiſmo ſuccurrat, hæreret authori aqua: Simulatque enim ea non adhibetur in auxilium, nutant ac vacillant argumenta omnia. Id vero ſenſiſſe videtur author, itaque ultimum ſyllogiſmum tanquam triarium militem apud quem aquila ſtat, ſubmiſſurus, & veluti extrema tentaturus, præſcientiæ robore munitum objicit. Ille autem ita habet: Ep.246.

Vere ſapiens per inſcitiam tantum aliquid alicui committit, quo voluntati ſuæ aliquid contrarium is efficiat. Atqui Deus non per inſcitiam (ſed ſciens) commiſit alicui aliquid quo voluntati quid contrarium effecit. Ergo, &c. Minor probatur. Quia quamvis præſciret Adamum libero arbitrio contra voluntatem ſuam eſſe uſurum, nihilominus ei committit. Reſpondemus. Falſam eſſe majorem, ſi, quod præcedenti Syllogiſmo obſervavimus, intelligatur non de fine committentis; ſic enim vera eſſet major. Quis enim ſapiens eo fine aliquid alicui committit ſive prudens ſive imprudens, id eſt, ſive ſciens ſive neſciens eum cui traditur abuſurum, ut abutatur re ſibi commiſſa? Sed de eventu commiſſionis (licet præcognito & præſcito) quod appellat author inepte per inſcitiam committere. Si hoc pacto, inquam, intelligatur, uti intelligi debet major, falſa eſt; cum de eo ſapiente agitur, qui ſummus legiſlator eſt, & obedientiam legi ſuæ libere præſtari poſtulat. Hic enim non per inſcitiam, ſed dedita opera illud dat & committit, quod ad obedientiam liberam præſtandam neceſſario requiritur: proinde efficere, id eſt, velle aut facere aliquid homo poteſt, quod voluntati committentis, id eſt, legi & præcepto, quo voluntas expreſſa eſt, contrarium eſt. Nec refert, quod præſciat illum cui rem iſtam committit, id eſt, quem libero arbitrio donat, abuſurum poteſtate illa. Quia ſufficit ut ſapiens ille, qui hoc præſcit, cauſas juſtas habeat cur ita faciat, id eſt, cur tamen permittat illud quo abuſurum hominem videt, utque nihil ipſe aut faciat, aut fieri permittat circa hominem, quo minus recte uti homo poſſit re ſibi commiſſa, imo omnia faciat quæ æquitas fa-

Ep.246. cienda esse dictat ut recte utatur: Proinde ut ipse in causa non sit, quominus abusus sit liberrimus & voluntarius, sed ut per ipsum tantum hominem stet quo minus recte utatur: Quod si vero causas illas justas quas Deus habet, nos modulo rationis nostræ capere nequeamus, an propterea sugillaturi sumus quod justa de causa reprehendere non possimus, aut demonstrare cum injuria alicujus conjunctum esse? Quamquam & ratio aliqua dari forte posset, quæ merito sufficere deberet cuilibet non omnino præfracto', cuique statutum non esset τὴν δίαν ἀφυλάκτον. (*semel conceptam sententiam mordicus retinere.*) Notandum tamen est, inepte & sordide formatas esse propositiones syllogismi hujus, sicut & alias quasdam, non enim satis exprimunt mentem authoris. Rectius ita formandæ fuissent. Vere sapiens non committit alicui aliquid quo scit illum contrarium quid voluntati suæ esse commissurum, (quod appellat author barbare per insciticm committere, &c.) At Deus commisit tale quid Adamo, supple si detur liberum arbitrium. Ergo, vere sapiens non est. Vides in hoc syllogismo recte formato, majorem esse ipsam quæstionem, & proinde principium petere ac male adhiberi ad probationem rei controversæ sive quæstionis ipsius. Et hæc causa est cur majorem etiam negandam putaverim.

Ultima argumenta] quibus liberum arbitrium impingere in justitiam Dei author probare conatur, quantisper præscientiæ termino carent, tam diu veluti dissolutæ scopæ non cohærent, nec connecti solide possiunt. Primum ita habet: *Vere justus non potest plus exigere ab alio quam ei dedit. Atqui Deus* (supple si liberum arbitrium detur) *plus exigit ab homine, quam ei dedit. Ergo Deus vere justus non est.* Minorem probat author. *Quia Deus non dedit homini nisi posse velle & posse stare per liberum arbitrium, & tamen exegit non tantum ut posset, sed ut actu vellet ac staret.* Respondeo ad majorem. Falsam eam esse, si per τὸ plus intelligatur aliud quid, quam datum est, quod tamen dare in potestate hominis est; non autem, si intelligatur vel majus aliquid, vel aliud quid, quod dare in potestate hominis non est. Hoc enim injusti est. Illud tantum abest ut injusti sit, ut is qui exigit & postulat aliquid, semper aliud aut plus quid exigat quam ipse dedit, sive ut nunquam illud ipsum exigat quod dedit. Exempli gratia, potentiam dandi bona sua dedit homini Deus, & nunquam exigit potentiam sed usum potentiæ: dedit Deus homini res tum corporales, divitias, pecudes, aurum, argentum, tum spirituales, cognitionem rerum divinarum, &c. At non exigit res illas, puta pecudes, aurum, argentum, cognitionem, &c. sed usum & liberam earum rerum dationem sive volitionem dandi, quam non dedit. Siquidem enim ipsum dare homini dedisset Deus, quid exigeret? An suam ipsius dationem? Nugæ profecto: uti vel ex eo uno argumento constat, quod exigat ab homine Ep.246. dationem istam, cum commination̄e pœnæ & promissione boni: quid, an exiget Deus dationem suam sub commination̄e pœnæ? &c. Falsa itaque major est, intellecta de ea re, quam dare in potestate hominis est, à Deo accepta, scilicet accedente tantum præcepto dationis, non autem de ea re, quam dare non est in potestate hominis. Injustissimum enim esset, si Deus exigeret ab homine actum creationis, actus miraculosos, &c. quorum faciendorum potentiam non dedit, proinde quos dare non est in hominis potestate: metere enim velle, ubi quis non fecit sementem, injustitiæ est. Deinde manifesto apparet falsitas majoris, ex eo quod Deus comparatur domino, qui servis suis pecuniam ad negotiandum dedit, & ab aliis lucrum exigit, proque uno dato talento plura tibi reddi postulat, eosque qui plurima lucrati sunt, tanquam re bene gesta præmio majori donat. Sed non immorabor in re plana, tantummodo hoc dicam, non videre me quorsum hoc argumentum tendat; anne ut evincatur, Deum non exegisse actum obedientiæ ab homine, quia liberum arbitrium obediendi non dedit? At quid falsius? An ut evincatur Deum actum obedientiæ quem exigit ab homine, ipsi homini dedisse? At quid stultius aut vanius dici potest? Et tamen alterutrum dicendum est, siquidem liberum arbitrium negetur; aut liberum arbitrium concedendum necessario esse mihi videtur.

Alterum argumentum majoris paululum est momenti, quia ex capite de præscientia desumitur in hunc modum. *Vir justus si quid habet sine quo non potest peccari, & quo alii tradito scis infallibiliter peccatum iri, id nemini concredit. Atqui Deus habens aliquid sine quo non potuisset peccari, & quo tradito sciebat infallibiliter peccatum iri, tamen id concredidit alicui. Ergo, &c. Minor probatur. Quia liberum arbitrium Deus habebat in potestate sua, sine quo Adam non potuisset peccare, & quo accepto Deus sciebat infallibiliter Adamum peccaturum esse, dedit tamen illud Adamo.* Respondeo. Major hujus syllogismi non sequitur: justitiæ enim ratio non in eo sita est, ut non detur alicui aliquid, quo quis abusurum aliquem novit; sed in eo tantum, ut suum cuique tribuatur, nihilque fiat, quo minus is qui abutitur, proprio & liberrimo motu suo abutatur, aut abuti dicatur. Scientia autem non tantum non impedit, quominus abusus liber sit, sed ipsum liberum abusum pro objecto habet: adeo ut nisi abusus liber esset, scientia de eo non esset futura, quod abusus esset. Justitiæ vero illius, quæ Deo ut supremo Deo & legislatori competit, ratio nullo modo in eo sita est. Etsi enim fortassis verisimili aliqua ratione aut in speciem contrarium videatur sapientiæ, concredere vel mandare aliquid alicui quo ipse abusurus est,

Ep.246. eſt, quoque abuſurum eum certo novit is, qui concredit; tamen nullo modo contrarium videri debet juſtitiæ. Sufficit enim ad juſtitiam, ut injuria non fiat ei, cui concreditur res utenda, ſive ut illi ſuum tribuatur, id eſt, ut non habeat, quo jure conqueri poſſit, ſi velit. Hoc ſi tantum appareat, nihil reſtat, niſi ut is, qui concredit, cauſas ſuas & rationes habeat, cur concredere velit illud, quo abuturum videt eum, cui concreditur. Hoc enim eum rabunde ab inſipientia vendicare poteſt. Eas autem rationes, ut nos ipſi intelligere & perſpicere volumus, aut quas forte non perſpicimus, propterea Deum aut inſipientiæ aut injuſtitiæ inſimulare, iniquiſſimum eſt. Interea notandum eſt, in minore propoſitione diſerte dici, *liberum arbitrium illud eſſe, ſine quo peccari non potuiſſet*; id enim ſi tanquam verum enunciatur, vide annon peccatum tollat ex mundo, is qui liberum arbitrium ſublatum vult, etiam ante lapſum. Sin vero tantum ex hypotheſi dicitur, tum vide, annon, neceſſarium fuiſſe peccatum, & peccati cauſam tandem Deum ſtatuendum eſſe, affirmare debeat. Utrumque profecto horridum eſt, & evertendæ univerſæ religioni idoneum. Exceptio allegata, neceſſaria non eſt, neque exhaurit difficultatem ipſam, itaque eam non attingo.

Poſtremus ſyllogiſmus plane inſulſus eſt. *Quicunque producit peccatum in potentia, ille eſt author ejus peccati. Atqui Deus, &c. Ergo.* Reſpondeo. Propoſitio major aut ridicula eſt, aut male concepta, authoriſque mentem non plane ſatis exprimens. Ridicula eſt. Quia producere peccatum in potentia, eſt producere actum in potentia, quia peccatum actus eſt. At quid eſt producere actum in potentia? Anne producere potentiam, ex qua naturaliter & neceſſario emanat, aut effluit actus, uti nutritio ex anima vegetativa, & illuminatio ex ſole? &c. At vero hic agitur de potentia libera, id eſt, quæ ad actum ſeipſam determinare aut non determinare, id eſt, agere & non agere poteſt, proinde quæ in potentia hoc ſenſu produci non poteſt. Quid igitur? Anne producere potentiam, ſine qua peccari nequit? At vero tum & male concepta eſt propoſitio, & per ſe falſa, aut manifeſtam continens principii petitionem. Quis enim cui tanum eſt ſinciput, illum authorem faciet volitionis malæ, qui author eſt potentiæ liberæ, aptæ natæ ſeipſam determinare ad volendum; imo quod magis eſt, qui lege expreſſa vetat, & quantum in ſe eſt promittendo, comminando, &c. impedit, ne actus malæ volitionis fiat? Reſponſio ad exceptionem nimium eſt frivola, & vix ex eodem cerebro ex quo reliqua, nata mihi videtur, niſi fortaſſe author alio ſpectet, quod aperte profiteri nondum audet. Id ubi apparebit, ſimulque quibus ad id perſuadendum rationibus utitur, tum an, & quid reſponderi poſſit, diſpiciendum eſſet. Nunc breviter, quod paſſim monui concludens rurſum moneo. Unam tantum eſſe difficultatem, aut abſurditatem veriſimilem, qua gravari in ſpeciem ſententia Arminii videtur, nimirum ea, quæ ex præſcientia divina ſumitur, ac proinde ſimulatque ea ab argumentis exulat, iiſque inſerta non conſpicitur, hiare vaſto ore & rictu argumenta omnia, nihilque continere, quo incruſtare vel veriſimiliter poſſint. Interim abſurditate hac gravari non Arminii tantum ſententiam, ſed omnium ferme Theologorum, cujuſcunque tandem ſint ſententiæ, dummodo liberum tantum arbitrium Adamo datum fateantur, per ſe planum eſt. Eorum vero ſententiam, qui liberum arbitrium negant, tam multis, tam variis abſurditatibus premi & obrui, ut mens humana, nedum Chriſtiana, eas vel cogitare ſine horrore nequeat; Cœlum enim mihi & infernum, Deum & Diabolum tollere, & abſit dicto blaſphemia, miſcere, religionemque omnem convellere videntur, & cum univerſo mundo exercere hiſtrioniam. An tamen hujus ſententiæ ſit diagrammatis author, non facile crediderim. Etſi enim ſtatuat, ſi rationibus agatur, abſurda hæc ex ſententia Arminii & alia ex Calvini deduci poſſe; tamen cum fieri poſſit, ut credat rationem in conſilium adhibendam non eſſe, & ex alio principio veritatem inveſtigandam, & adſtruendam, cui etiam contrà rationem adſentiendum ſit, benignius de ipſo ut ſentiam adducor. Quod ſi tamen hoc ità ſe habeat, ut credat nimirum ſententiam ſuam, quicquid rationi repugnare videatur, Scripturis eſſe conſentaneam, & deinde veram eſſe poſſe ſententiam aliquam, quæ rectæ rationi contraveniat; non dubitabo etiam aſſerere, in utroque ipſum graviter & periculoſe falli, ac decipi; cum fieri non poſſe credam, imo cum fieri nequeat, ut aut Scriptura aliquid contineat, quod rectæ rationi contrarium ſit, aut ut verum ſit, quod cum recta ratione pugnare manifeſtè deprehenditur. Habes breviter, mi Frater, ea quæ ad argumenta ad me tranſmiſſa pro hoc tempore reſpondenda eſſe putavi. Miſiſſem ea quamprimum, & prolixiora, niſi morbus manum injeciſſet, & poſt morbum occupationes, hac anni tempeſtate frequentiſſimæ, brevitati ſtudere, & manum ſubinde de tabula tollere coëgiſſent. Etſi vero dubius aliquamdiu hæſerim, anne cruda hæc & immatura, vel ſaltem minus elaborata & excocta, tranſmitterem ad vos, qui ex Academia non exſpectatis, niſi ea quæ lucernam redolent, & demorſos ungues lapiunt, aut ſaltem ejuſmodi, quæ in ſtomachum ſuum demittere velit amicus veſter; tamen exſtimulatus denuo monitione tua, per Nobiliſſimum virum D. Philibertum facta, nolui ſpem veſtram ulterius fallere; partim quod ſcirem vos ea, ſi neceſſe ſit, condire & edulcorare gratiis veſtris poſſe, ut grata fiant palato & ſtomacho amici veſtri; partim quod ut hoc fieret neceſſarium eſſe non crederem, cum crudis horridiſque delectari potius videa- Ep.246.

tur

Ep.247. tur ſtomachus ejus, quam levibus & *ἀσκώλια*. (*vide autograph.*) Quicquid ſit, hæc ipſa, uti vides, mitto, ut, ſi videbitur, iis utamini; ſin minus, ut quæ deſiderantur adnotare, quæ minus recte dicta ſunt, obelo configere non gravemini.

Cæterum D. Vorſtium quod attinet, non videntur adhuc aut res noſtræ eo loco, aut ea eſſe tempora, aut is Procerum noſtrorum animus, ut de promovendo eo ad actualem, ut ita loquar, profeſſionem quicquam ſtatuere aut poſſint, aut velint. Utinam faxit aliquando Deus, ut cum pace & benevolentia nonnullorum ſine manifeſto turbarum periculo promotio inſtitui poſſit! Nolo interim dubitare, quin nonnullorum vota, conſilia & ſtudia eo ſpectent, imprimis eorum, qui de innocentia hominis, & probitate egregia, rerumque divinarum ſolida ſcientia ſunt perſuaſiſſimi. Vale, mi Frater, & cognatum meum, ac dilectos in Chriſto Fratres & Paſtores officioſe multiſque nominibus à me ſaluta, qui ſum

Tibi addictiſſimus
S. EPISCOPIUS.

CCXLVII.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.

Probata. De vocatione ad profeſſionem Theologiæ Groningæ, &c.

HEſterno die, Magnifice & Ampliſſime Domine, literas accepi Steinfurto, quas juſſu Generoſi Comitis, ſuo & collegarum nomine, ad me ſcripſerat Timplerus. His offertur mihi profeſſio S. Theologiæ in illuſtri ſchola Steinfurtenſi. Significavi ſtatim rem totam Prætori Muſio, & Syndico Berkio, quorum utrumque optime mihi velle non dubitandis indiciis jam multos annos comperio. Dixi iis, nihil mihi in eo, quo fungor, munere diſplicere, quam quod videam optimum ætatis meæ florem abire, nec multum me in ſtudiis promovere. Sæpius me comperiſſe, ſi quando die Dominico à meridie, diſcipulis in templum abeuntibus, ſtudiis domi vacem, plus me pauciſſimis iſtis horis proficere, quam alias integris aliquot diebus. Præterea nonnihil dolere, quod nonnulli Eccleſiaſtæ præter meritum meum nomen meum apud plebem obſtrigillent, haud alio argumento, quam quod ſubinde, conſcientia dictante, modeſte eos muneris commoneam, qui quocunque convitii genere Illuſtres Ordines impetunt. Tum autem, quod aliquando dicam, non controverſiarum naturam, ſed hominum, culpam eſſe, quod hoc Eccleſiæ diſſidium componi non poſſit. Si enim aliquam multos Melanchthones, & totidem Calvinos haberemus, omnino me confidere, adeo eos amice hoc negotium tranſacturos, ut nihil inde Eccleſia capiat detrimenti. Neutiquam me à Contra-Remonſtrantibus ſegregem factum: ſed neque in omnia eorum dicta jurare velle. Tantum ex animo dolere Eccleſiæ ſortem, quæ ita factionibus ſcindatur. Multa quoque alia in hanc ſententiam attuli; qua quoque in re calculum mihi adjecerunt. Tantum viſus ſum iis minus conſtanti animo, quod obtrectatorum ſiniſtros ſermones devorare haud ſatis poſſem. Sæpius enim talia ab æmulatione aliqua, aut animi impotentia proficiſci. At ea quoque non minus in Academiis ipſis habitura locum. Quod vero dicerem, vix quicquam temporis à me ſtudiis dari, id aliquamdiu adhuc concoquendum putabant. Nec enim dubitare ſeſe, quin haud perpetuo ſim iſthoc Siſyphi ſaxum voluturus. Et tamen, inquiebant, habendam mihi vel maxime rationem liberorum meorum, quibus in functione hac, ſi alia ulla, honeſte ſatis proſpicere poſſim. Nec tamen hoc ſic à me accipi debere, quaſi me perpetuo hoc in munere conſenescere velint. Quin vero ſeſe ipſos mei memores eſſe velle, ſi quid fortean poſſint in vocatione aliqua Lugdunenſi. Et hoc eo ſe magis dicere, quia jam aliquid hac de re inaudiſſent. Poſſe etiam huic rei Steinfurtenſem iſtam vocationem inſervire. Interea autores erant, nec acciperem condicionem, nec recuſarem: ſed potius ſcriberem, velle me de re tota cum amicis conſilium capere. Parui conſilio. Ac literarum etiam mearum ad Timplerum exemplum mitto. Hæc ſcire te volui, Ampliſſime Domine, ne ſi forte Hagæ, quo uterque proficiſcetur, ejus rei mentio incidat, tu omnium ſis ignarus. Interea non eſt, quod tantopere de me ſollicitus ſis. Non poſſum quidem non maximas tibi pro affectu erga me tanto gratias agere: ſed quædam interdum ſunt, quæ moram aliquam exigunt. Sane intelligo aliquibus nihil magis in me diſplicere, quam quod etiam Amplitudinis tuæ nitar commendatione. Aliquis etiam neſcio quid objecit de literis quibuſdam, quas ad te ſcripſiſſem. Sane metuo ne D. Bertius (quem ego alioqui ut præceptorem optime meritum & virum ſummæ eruditionis plurimum & veneror & æſtimo) nonnihil rebus meis incommodet. Scio illum literas meas, quas ad A. T. de aliquot Eraſmi locis ſcripſi, & habere & aliis commonſtrare. Inter alios eſt Rutgerſius noſter, cui bonam earum partem legit. Audio etiam ambire profeſſionem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; & quia nonnihil à me prius hac in re metuebat, uti prius à Vorſtio (nam & cum is Lugdunum vocaretur, Theologiæ profeſſionem ambiiſſe dicitur) ἐξ ὀνομασίας (*per agnominationem*) dictat, ſemper ſibi aliquid remeliginis injici vel ab aliquo Vorſtio, vel ab aliquo Voſſio. Sed ab illo ad A. T. redeo, vel potius ad me ipſum. Equidem multa mihi ad arduum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſionem deeſſe video. Accepturi quidem eſſemus vocationem, ſi vocaremur: ſed non tam

quod

Ep. 248. quod non malimus nos pauxillum adhuc in hoc pulvere hærere, quam quia metus esse possit, ne cum maxime molestissimo hoc onere liberari velim, minime possim. Nam & interdum, Vir Amplissime, in animum venit, te quoque mortalem natum. Alioqui, uti dixi, temporis mihi aliquid concedi malim, quo muneri me isti præparare possim. Quod si ubi me propemodum parem isti muneri putabo, non subsequatur aliqua vocatio, ἀ φροντὶς ἵππου κλειτᾶς. (*non cura est Hippoclidæ.*) Sic quoque scribendo saltem prodesse Ecclesiæ Dei poterimus. Sunt alia multa, de quibus colloqui tecum aveo, eo magis, quia me literis tuis, quas ante horam accepi, amice ad te invitas: Sed id nunc fieri non potest, quia metuo ne, absente me, discipuli in glaciem currant, ac fortean pedem aut brachium frangant. Tutius id potero, ubi glacies erit soluta. Quamquam, si & ante se occasio offeret, minime eam negligam. Hæc raptissime, ob festinationem tabellarii. Deus ter Opt. Max. diu te Reip. Ecclesiæ, familiæ ac nobis servet incolumem. 3. Non Martii 1615.

Misit D. Vorstius ad me per amicum varias literas ad se de vocatione Steinfurtensi scriptas, uti & exemplar literarum, quas Ill. Comites de me vocando ad Curatores Academiæ Leidensis scribunt. Ego statim singula describi curavi. Si tanti putabis, percurres, & vel in adventum meum asservabis, vel, ubi voles, transmittes ad me. Ἔρρωσο. (*Vale.*)

CCXLVIII.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.

Vale. De Thomsoni diatriba, &c.

MAgnifice, Ampliſſimeque Domine Groti, Poſteaquam D. Van der Myle & DD. Conſul Syndicuſque Leidenſis domum re confecta abierant, mire cum coram tibi gratias agere, tum de variis tecum colloqui geſtiebam: ſed adhuc ob ſummam tempeſtatem fruſtra fui. Biduum quidem, imo triduum prope jam ex eo tempore exſpiravit: ſed venti validius etiam ſpirant, quam ante: nec ego duntaxat, qui meticuloſior videri poſſim, quam virum decet, ſed, ut audio, plerique etiam nautæ, audax καὶ θερμὸν (*& intrepidum*) hominum genus, oram hinc ſolvere verentur. Ita abiit mihi initium feriarum noſtrarum: quo tempore commodiſſime domo abeſſe poteram. Vereor autem ne adhuc pluſculis hic diebus detinear, partim quia hac hebdomade pro affinis infante in baptiſmo ſpondendum erit; partim quia Rutgerſius noſter impenſe cupit, ut interſim ſollemniori convivio, quo die Jovis proximo ſereniſſimi Suecorum Regis Legatum accipere cogitat: poſt Paſchalem vero diem animus ſit uxorem Bredam ad ſororem deducere: ubi fortaſſe diem unum alterum hærendum erit. Omnino tamen decretum, antequam feriæ noſtræ deſinant, hoc eſt, intra quatuordecim hoſce dies, excurrere ad A. T. niſi interea te in Zelandia potius, quam vel Roterodami, vel Hagæ etiam fore cognoro. Una tunc mecum feram commentationem tuam de Chriſti Satisfactione, cujus deſcriptio ſpiſſe procedit, ob nimis feſtinatos literarum ductus: ſed tamen intra hos ſex ſeptem dies ſcriptionem ejus abſoluturum ſeſe ſperat amanuenſis. Mitto interea Thomſoni librum præſtantiſſimum: una cum Auguſtiniana Confeſſione, Synodi Palæſtinæ geſtis, & Arnobio: quibus diu adeo, fortaſſe cum incommodo aliquo Amplitudinis tuæ, uſus ſum, ſane cum maximo fructu meo. Carere quod nunc iis poſſim, facit, quod tandem ipſe eos Antverpia nactus ſim. De Thomſono non tantum ſuadeo, ſed etiam rogo, quamprimum edatur. Nihil ea diatriba hoc in genere vel doctius exſtat, vel elegantius. Me quidem valde in vera ſententia confirmavit. Nihil tamen hoc judicium noſtrum Bertiadem heroëm, niſi ſecus putabis, ſcire attinet: quippe qui, ut etiam amici mihi narrant, hoc cum magno eloquentiæ Romanæ parente habeat commune, quod ſilere difficulter ea poſſit in quibus tacito opus erat. Quamquam vero liber iſte Thomſoni multis partibus ſit emendatius deſcriptus, quam exemplar ipſum, tamen ſuperſunt in eo non pauca, in Græcis inprimis, quæ corrigi debeant. Ut emendanda putaram, de quibuſdam ante trimeſtre in chartula annotaram; ſed hanc licet quæſitam, nunc invenire non poſſum. Nec multum puto refert, quia nullo negotio corriget iſtæc inter legendum Bertius noſter. Infante (filio an filia?) Amplitudinem tuam auctam gaudeo: eoque nomine tibi gratulor: ac puerperæ fælicia omnia opto. Vale & præſidium & dulce decus meum. 14 April. circa veſperam. 1615.

T. A. obſtrictiſſimus

G. J. VOSSIUS.

Ep. 249.

CCXLIX.

CONRADO VORSTIO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

Conſolatio familiaris,

CLariſſime D. Doctor, memor officii mei & promiſſi exemplar hoc Bogermanni ἐλεγχόμενον (*confutati*) ad te tranſmitto, ut ejus lectione aliquam doloris iſtius, quem adverſariorum tibi infligit pertinax improbitas, partem ſoleris. Eſt enim argumento quoque tuus, quia de te, aut potius adverſus antagoniſtarum tuorum rabiem pro te. Quanquam in ea nos incidiſſe tempora doleam, in quibus etiam, quod verum eſt, dicere ſuſpectum eſt & noxium. Quod an hujus noſtri ſeculi proprium ſit, an vero veritatis & innocentiæ individuum

Ep.250. concomitans, nondum decernere potui. Certe quicquid sit, non est despondendus animus, præsertim iis, quos recti conscientia erigit, quique ad hoc vocatos se norunt, ut imagini Filii Dei conformes reddantur. Sed quid ego hæc apud te, Vir Clarissime, qui nec me monitore opus habes, & illum hactenus animum gessisti, quem nec heroum offensa, gravis alioqui, nec plebeiorum insultus, nec fratrum odia à recto dimoverunt. Quem ut tibi porro infractum præstet Deus consolationum, etiam atque etiam rogo. Hoc tamen scito, minime mihi satisfactum fore, si pro hoc nostro munusculo gratiarum actionem transmiseris. Duo siquidem mihi cum Simonide poëta sunt serinia, unum gratiarum actionum, alterum largitionum & donorum; quorum illud vacuum nobis semper & inane est. Quare verba mihi dari nolo, rem postulo, hoc est donum pro dono, & quidem, ut quam libere apud te agam videas, Antisiadum tuum. Tunc enim lucrum me fecisse rebor, & χρύσεα χαλκείων (*aurum æs*) commutasse, si hoc potitus fuero. Vale vir claritime cum uxore & liberis, & meliora à Domino spera. Prid. Cal. Sept. 1615. Raptim. Festinante & jamjam abitum ad te parante Molano.

CCL.

Nobilissimo ac generoso Domino

D. GEDEONI à BOETSELER

ET ASPEREN

Libero Baroni in Langerack, Domino in Carnis, &c. Illustr. DD. Ordinum Generalium Belgii apud Gallos Legato,

SIMON EPICOPIUS S.P.D.

Privata Ecclesiastica.

AMplissime Vir, Quia ingenui hominis est, ut cui plurimum debeas, ei plurimum etiam velis debere; vereor equidem ne supinæ cujusdam oscitantiæ, vel ingratitudinis insignitæ reum me agat A. V. quod tam benevolam & obviam, nupere cum in Gallis essem, expertus humanitatem tuam, saltem literarum officio beneficium non agnoscam. Sed non dubito, quin A. V. qua est æquitate & benignitate, veniam facile datura mihi sit, si id partim reverentia aliqua factum esse intelligat, qua fit ut magna nomina non nisi rite & gravibus de causis compellare audeam; partim studio, ne A. V. plus satis alioquin & longe gravissimis Reip. curis, hac præsertim Galliæ tempestate, distractam, mea etiam scriptione interpellarem. Ne tamen omnino ingratus audirem, aut beneficii memoriam facile viderer deposuisse, verecundiæ & pudori meo scribendi temeritatem anteferre satius esse duxi. Nec immerito. Vix enim dixerim quantam voluptatem, quantum gaudium ex eo perceperim, quod me in ignota regione versantem, nullis instructum systaticis, nullius commendatione, favore, aut gratia adjutum, Ampl. T. non tantum benevolo vultu excepent, sed alloquio etiam suo, imo mensa, imo curru suo dignata sit; imprimis vero quod me non tantum præsentem favore suo, sed discedentem etiam literis salvi conductus, tanquam benevolentiæ fidissimis comitibus, profecuta sit. Ingratissimus mortalium merito habendus sum, si horum beneficiorum memoriam animo meo excidere unquam patiar, & cum alio redhostimento nequeam, tenui saltem gratiarum actione & promti officii oblatione meritis tantis respondere non satagam. Quocirca, Vir Amplissime, aliud non dicam, quam quod humanitatis illius tuæ quam expertus sum, grata recordatio victura sit in animo meo,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regat artus.

Ep.250.

Cæterum itineris mei successus quis fuerit, non dubito quin Amplit. V. jam dudum resciverit. Ex voto is, & non sine propitio numine in itu & reditu fuit, sine obstaculo, impedimento, aut infortunio. Eadem illa qua destinaveram die Amstelodamum me redeuntem vidit, & Academia audivit docentem, literasque vestras Haga accepit. Sed postquam omnia ex arbitrio & voto mihi fluxerunt, tandem nescio quo fato & qua calamitate calumniæ objicior, & in malevolorum quorundam, qui nihil nisi quod ipsi faciunt rectum putant, linguas incido. Traducor enim hic in vulgo, & ex incerto tantum non proclamor, quod nescio quæ secreta & arcana consilia in perniciem Christianæ & Reformatæ Reip. cum Jesuitis, Jesuitarumque anteignano Patre Cotone, Parisiis agitaverim. Deinde, quod Molinæi colloquium dedita opera declinaverim aut subterfugerim, aut ut alii clamitant, quod meum declinaverit Molinæus, quia mihi rem esse, & familiaritatem intercedere videbat cum hostibus patriæ nostræ, & Religionis Reformatæ professis inimicis. Hisce calumniis & mendaciis tantum non mactor & lapidor quotidie. Nec desunt credulæ aures, & promtæ ad quidlibet credendum mentes, quæ non tantum hæc & similia facile admittunt, sed & avide imbibunt. Eo usque excreverunt mortalium quorundam odia, ut nullam calumniam tam tetram, tam absimilem à vero esse judicent, quam non ex facili Remonstrantibus aut ipsi impingant, aut impingi ab aliis patiantur. Fieri id fere & plerumque tum solet, cum animorum divortia semel ex causa religionis nata sunt, imprimis in proletaria turba & vulgi fæce, quæ instar bruti gregis à pastore suo tota pendet, sequiturque antecedentis vestigia, nec it qua eundum est, sed qua itur. Ego etsi interim conscientia coram Deo meo fruor recta, neque facile vanis istis & fictis rumoribus

Digitized by Google

Ep.250. bus commoveor, doleo tamen Chriſtianorum res eo rediiſſe, & in tantum prolabi, ut quod volunt ſuſpicari non dubitent, & quam ſemel conceperunt ſuſpicionem mordicus retineant, ut nullo ferme ariete concuti, nedum eximi aut erui poſſit. Utinam vero hæc lues fabros tantum & ſutores teneret! ulterius ſerpit, & inſinuat ſeſe in animos eorum etiam, ex quorum ore & nutu magna ſæpe hominum multitudo dependet. Horum enim exemplo ſæpius quam privato & proprio judicio ſuo plerique peccant. Accedit inſuper, quod videam hujuſcemodi calumniis non meum tantum, hominis miſelli, ſed eorum etiam capita peti, quorum auſpiciis & conſiliis hactenus Belgarum res ſalvæ & incolumes ſteterunt, quibuſque hanc libertatem noſtram, qua in Rep. & Eccleſia fruimur, jure meritoque poſt Deum acceptam ferre debemus. Horum ſacris capitibus dum profanas iſtas linguas non parcere video, mirumne mihi videri debet, ſi & ego, non eodem cum illis die nominandus, calumniæ objiciar, & opprobrium ac dicterium fiam malorum hominum? Sufficere mihi interea debet, ſi facta mea æſtiment & probent non plurimi, ſed optimi. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi fere eſſe ſolet turba, inquit Seneca. Colloquium cum Molinæo quod attinet, quod ab eo non abhorruerim teſtari poſſet abunde Amp. V. ſi neceſſitas poſtularet: ſed tanti mihi non erit res iſta, ut propterea facile Heroum nomina ſollicitare velim. Novit hoc plus quam ſatis A. V. miniſter, D. Jaſon Bylandius, aliique complures; imo novit hoc optime ipſiſſimus Molinæus, qui non ſemel ſe quæſitum eſſe domi ſuæ à me ignorare non poteſt.

Cæterum de rebus Eccleſiæ ſi quid ſcire deſideras, Vir Ampliſſime, ex ita ſe habent. Nuperrime circa tempus comitiorum Hagienſium frequentes admodum & magno numero ex diverſis provinciis & locis miniſtri Amſtelodamum convenerant, conſilia inter ſe agitaturi de idoneo & apto remedio, quo laboranti & ingemiſcenti Eccleſiæ in Belgio ſuccurrerent. Longo tempore de ſeceſſione facienda & ſchiſmate inſtituendo deliberatum eſt, prementibus & urgentibus conſilium hoc duodecim primipilis & ante-ſignanis, uti dicitur. Sed convenire non poterant calculi & ſuffragia plurimorum, qui in hanc ſententiam pedibus deſcendere aut omnino nolebant, aut tam præcipites ruere non audebant. Dubitatio enim non temere naſcebatur de fundamento & cauſa propria ſeceſſionis, anne videlicet propter quinque articulos Remonſtrantium, an propter alias occultas, quas ab iis foveri dicebant hæreſes, juſtaſque hæreſium hinc inde ſe prodentium ſuſpiciones, ſeceſſio facienda eſſet? Utramque periculo non carere. Illam; quod directe contraveniret Ill. DD. Ordinum decreto de mutua tolerantia: Hanc, quod non pertineret aut ſpectaret totum Remonſtran- Ep.25[illegible]
tium ordinem, ſed certas tantum perſonas, à quibus Remonſtrantium res & fortunæ non penderent: æquum proinde ac conſultum fore, ut maturiora exſpectarentur tempora, quæ juſtiorem oſtenderent ſeceſſionis cauſam, & alia prius tentanda eſſe, quam ad extremum hoc remedium & cauterium deveniretur. Ituri itaque tandem unanimes in hanc ſententiam videbantur, ut pro Synodo more ſolito habenda Ill. DD. Ordines rogatum irent, peterentque ſupplices concedi ſibi conventum, in quo quod ex re & uſu Eccleſiæ eſſet diſpicere liceret; ſin minus, habituros ſe conſcientiæ, muneris, & vocationis ſuæ rationem, curaturoſque quantum in ſe eſt, ne Eccleſia plus detrimenti capiat, malumque infæliciter natum cum majori pernicie non gliſcat & propagetur. In hanc, inquam, ſententiam ituri omnes videbantur, ſed neſcio qua ex cauſa factum ſit, ut huic conſilio & decreto locus non ſit datus: diſceſſum enim eſt, uti intelligo, re infecta, animiſque non omnino concordibus. Quid futurum ſit impoſterum dies docebit. Amſtelodamenſes miniſtri nihil intentatum relicturi videntur, ut ſeceſſionem hanc, ſi poſſint, diverſis Eccleſiis perſuadeant. In hunc finem librum quendam veluti prodromum in lucem ediderunt, in quo diſertis verbis adſerunt, moderationi & tolerantiæ locum eſſe non poſſe, argumentiſque multis theſin hanc non tantum ſtabiliunt & confirmant, ſed etiam omnia ea quæ in contrarium adferri ſolent oppugnare & convellere omni machina & labore ſtudent. Utinam Deus hanc iis, ſi forte eveniat, lanienam non imputet! Facile & levi brachio infligitur vulnus, ſed inflictum haud æque facile curatur: momento uno fit cinis, diu ſylva. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Habes breviter, generoſe Domine, quis ſit Eccleſiarum noſtrarum ſtatus, in quo diſcrimine verſetur, niſi Θεὸς ἀπ' μηχανῆς, (*Deus ex improviſo*) quod ajunt, proſpiciat, iique qui ad clavum Reip. ſedent venienti tempeſtati mature occurrant, antequam ſupra remedium ſæviat. Et Galliæ veſtræ gravem incubituram calamitatem multi hic præſagiunt, niſi ſequeſtri interveniant, qui partes inter ſe conciliet. Ad inteſtinum bellum omnia ſpectare: Principes in eo totos eſſe, ut exterorum auxilia implorent: in Anglia ducem Longueville apud Regem jam eſſe, & propediem Condæum Hagæ Comitis adfuturum, Ordinibus licet non admodum lubentibus; Principem vero Auriacum ad dirimendas partes, ſi fieri poſſit, in Gallias profecturum eſſe: componendis etiam diſſidentium animis omnem operam navare Dominam de Soiſſon, fœminam uti fertur ſupra ſexum judicio pollentem, & rebus magnis gerendis natam. An hiſce rumoribus fides adhiberi poſſit, nonnihil dubito. Ego Deum Opt. Max. in cujus manu ſunt fata regnorum & Rerump.

Ep.251. ſupplex rogo, ut hanc diſſenſionem Galliæ & Reip. noſtræ ſalutarem eſſe velit, ex eaque firmam ac ſtabilem utrique pacem ac concordiam educere dignetur pro ſapientia ſua, qua ex tenebris lucem novit eruere. Eundem etiam oro, ut Generoſitatem V. cum univerſa familia in mediis hiſce motibus Reip. nobiſque diu incolumem conſervet, omnibuſque iis quæ augendæ & promovendæ Chriſti gloriæ Batavorumque libertati conducere poſſunt, cumulate inſtruat. Quod ex animo precor & precari non deſinam. Ipſis Kalend is Octob. 1615. Leydæ.

CCLI.

JASONI BYLANDIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Pariſios. Eccleſiaſtica.

Dilecte in Chriſto Frater, pro humanitate tua & benevolentia mihi cum Pariſiis eſſem exhibita, non poſſum committere quin tibi gratias in principio habeam: faxo aliquando, ſi Deus velit, ut iſtius beneficii in me collati te non poeniteat; impræſentiarum quod reponam redhoſtimenti loco nihil ſuppetit. Tu qua es æquitate affectum meum & animum gratum boni conſules, eumque tantiſper obligatum tibi accipies, quoadusque reipſa officio aliquo acceptum beneficium compenſandi occaſio dabitur & opportunitas. Ut autem ea de re initium faciam, quam tibi maxime curæ ac cordi eſſe cum à te diſcederem videbam, ſimulatque huc ad fratres fælicibus auſpiciis reverſus eſſem, communicavi cum iis fideliter negotium tuum. *. *. *. Hic omnia fervent Theologorum aut miniſtrorum quorundam factioſis conſiliis & conatibus. De ſeceſſione & ſchiſmate faciendo conſilia agitantur, multiſque locis ii qui ſeceſſionem facere auſi ſunt, ſeorſimque conventus & cœtus facere non deſinunt, foventur, & invitis obſiſtentibuſque Magiſtratibus animantur & confirmantur, imprimis à miniſtris Amſtelodamenſibus, qui ſoli tragœdiæ univerſæ, quæ hic in Belgio agitur, authores ſunt & promotores. Utinam Deus hoc illis non imputet! imprimis chorago ipſorum Plancio, qui eo impudentiæ devenit, ut qua clam qua palam affirmare non dubitaverit, ſecreta me & arcana conſilia agitaſſe cum Patre Jeſuitarum Cotone, in perniciem Reip. & Eccleſiæ noſtræ; cum ego eum non niſi ſemel redeuntem à Rege & currum ſuum adſcendentem, idque obiter & in tranſcurſu, viderim. Neque hoc ſolum, ſed & quod colloquium cum D. Molinæo ſtudio declinaverim, neque unquam de compellando eo cogitaverim: Quam rem falſam & vanam eſſe, tu, ſi ita videbitur, teſtimonio tuo confirmare potes, & quicquid ea in re à te & me factum eſt verbulo ſignificare, etiamſi forte opus non ſit futurum. Manifeſtum enim hujuſmodi mendacium vanitate ſua propria Ep.251. diffluit tandem, & ſponte ſua exſtinguitur atque evaneſcit. In Academia noſtra omnia mihi ex voto fluunt, laus Deo. Utinam fideliore glutino & coagulo jungerentur animi noſtri, meus & Collegæ mei! ſed metuo ut ſint, imo novi quod ſint, qui diſcordiam inter nos volunt; ſed fruſtra hactenus & ſine ſucceſſu, quem ſpero impoſterum magis magiſque averſurus eſt propitius Deus. Quid Amſtelodami actum ſit, ex literis ad Legatum facile intelliges. Dionyſius Spranckhuyſius Harlemum vocatus eſt, rebus Harlemenſium ita poſtulantibus; etſi non ſine ſpe etiam moderationis & concordiæ, quam promiſiſſe liberaliter videtur. D. Goulartius Paſtor Eccleſiæ Gallicæ, quæ Amſtelodami eſt, quod liberius ſententiam ſuam contra eos, qui homines, imo infantes nondum natos, citra conſiderationem peccati rejectos & æternum reprobatos eſſe à Deo, imo ab ipſis matrum uberibus avulſos in æternum ignem præcipitari clamitant, idque quia ita animo ipſius collibitum eſt, ex ſuggeſtu pro concione dixiſſet, idque irritatus à juvenculo quodam Paſtore collega ſuo, recens ad miniſterium promoto, à docendi munere remotus & ſuſpenſus eſt. Quid futurum ſit, dies docebit. Ex uno hoc diſce omnes. Jactent impoſterum boni iſti viri manſuetudinem ſuam, & accuſent inclementiæ, ſævitiæ, & tyrannidis Roterodamenſes, Schoonhovianos, Alcmarianos, alioſque, qui tam longo tempore, tam patienter tolerarunt eos, quos à miniſterio removerunt, urbibuſque ſuis exire juſſerunt, antequam ad remedium hoc devenirent; idque non quia dixiſſent ſententiam ſuam ſine cujuſquam offenſa aut juſta indignatione, ſed quia rebelles & refractarii fuerant, nulliſque monitis, conſiliis, precibus aut minis à propoſito ſuo revocari poterant. Sed deſinent credo poſthac damnare eos, quorum facta exemplo ſuo non probant tantum, ſed illuſtria reddunt. In Friſia alea jacta eſt, deſiderantur tantum linguæ & animi maſculi. Faxit Deus Opt. Max. ut ſeditioſis & factioſis quorundam conatibus prudenter obviam eatur, patriæque noſtræ tranquillitas in diſcrimen non adducatur ab iis, qui poſtquam vaſtitiem fecerunt, tum demum pacem clamitant. Vale mi Frater, & Dominum tuum cum nobiliſſima Domina & ſorore ipſius multis nominibus à me ſaluta, qui pro acceptis beneficiis gratiam quam referre non poſſum, habeo & ago; aliudque non rependo, quam votum & ἀχὴ, ut Deus Opt. Max. in mediis hiſce motibus ipſis propitius benefacere dignetur, diuque & fæliciter Reip. noſtræ incolumes conſervet; teque ſpiritu ſuo ad opus miniſterii fideliter exſequendum inſtruat & locupleter. Salveant etiam domeſtici omnes. Kal. Octob. 1615. Leydæ.

CCLII.

CCLII.

Nobiliſſimo ac generoſo Domino

D. GEDEONI à BOETSELAER ET ASPEREN

Libero Baroni in Langerack, Domino in Carnis, &c. Illuſtr. DD. Ordinum Generalium Belgii apud Gallos Legato,

SIMON EPICOPIUS S.P.D.

QUod reſponſo me dignatus ſis, & affectum meum gratum optime & præter meritum interpretari libuerit, Generoſe Domine, gratias habeo: & quamquam non lubenter ſeria veſtra & grandia patriæ negotia interpello, tamen grati animi ſignificationem intermittere nec potui nec debui; maxime cum curam & ſollicitudinem tuam de me & famæ meæ integritate ſarta tecta ſervanda denuo ex Miniſtri tuique literis ſyſtaticis obſervaverim. Fecit ea res vel maxime, ut qui qua clam, qua palam vellicare & mordere famæ meæ exiſtimationem ex ficto & falſo rumore colloquii cum Jeſuitarum coryphæo non dubitabant, ſilere & tantum non obmuteſcere cœperint, & calumniæ aliquamdiu impune graſſanti frænum injectum autoritate nominis tui & innocentiæ meæ fiducia. Quanquam quid fuiſſet quod in eo jure merito culpari potuiſſet, ſi hominem compellaſſem, & quis qualiſve eſſet propius comperiſſem? Sed rationibus fruſtra agitur apud eos, qui calumniandi & obtrectandi materiam quærunt, & quicquid ſpeciem & colorem aliquem habet arripiunt, & in libidinis ſuæ fomentum & nutrimentum convertunt. Galliam veſtram pacatam & tranquillam rurſum gratulor: eam conſiliis ſtudiiſque tuis priſtinæ quieti reſtitutam gaudeo. Scilicet ea ſunt aliquando regnorum atque Rerump. fata, ut cum maxime laborare, & paroxyſmis internis convelli videntur, derepente virorum prudentium interceſſione atque conſiliis priſtinæ incolumitati ſuæ reſtituantur. Enimvero etſi erat, & adhuc eſt, quod in conjugio iſto Hiſpanico diſplicere merito debeat nobis, quibus fœdera & conjunctiones illæ Hiſpanorum cum iis regnis, quorum ope auxilioque hactenus res & fortunæ noſtræ incolumes conſtiterunt, ſuſpectæ ſunt: tamen cum ex altera parte belli & martis alea dubia, & plerumque incommoda magna & gravia ſecum trahere ſoleat, ubi animos mentesque omnium una eademque non conglutinat religio, eſt quod de tranſactis gaudeamus. Faxit Deus Opt. Max. ut ea impoſterum nobis & Reip. noſtræ ſalutaris ſit; qua de re ſecuri erimus, quamdiu vigilantia & ſtudiis tuis res patriæ noſtræ ſicut hactenus ita porro proſpere & fœliciter curabuntur, & Palladium illud in Galliis erit. Eccleſiæ hujus noſtræ res antiquum obtinent, niſi quod animi longis diſſidiis & contentionibus fracti utrimque beneficio divino coaleſcere paulum videantur, & ſpes non levis eſt, ut magis magiſque in melius proficiant, ſi modo exterorum & peregrinorum ſcriptionibus & inteſtinis denuo non concitentur, & vulneris atrocitas novis motibus irritetur; cui malo tamen obviam iri facile poſſet autoritate publica, niſi A. R. ſufflamen injiceret & bonis conſiliis remoram. Academia noſtra, laus Deo, viget & floret plus quam antehac, licet ſint non pauci qui ſua veluti mole laborantes eam peſſundare conantur. De hiſce pluribus Generoſitatem tuam interpellarem, ſed is qui has ad te perfert, dignus favore & benevolentia veſtra, plenius coram ediſſeret quæ ad hanc rem faciunt; cui quicquid gratum atque volupe fieri potuit lubentes volenteſque in gratiam tuam fecimus, & memores veſtrorum beneficiorum impoſterum eſſe non deſinemus. Leydæ 10 Junii 1616. Ep. 253.

CCLIII.

JOHANNES DRUSIUS ad FRATRES BELGAS.

THESIS IX.

Verbum creo aliquando idem ſignificat quod procreo vel gigno. Hoc ſenſu Chriſtus dici poteſt creatus, hoc eſt, genitus. Sane *Prov.* VIII. in Græca editione legimus, *ab initio via ſua creavit me:* & in Sirachide, qui vulgo Jeſus Sirach dicitur, *ſapientia* legitur *creata.*

Verbum creo aliquando idem ſignificare quod gigno, & eo ſenſu Chriſtum dici creatum à veteribus Ebraeis.

AUdio, viri fratres, nomen meum delatum eſſe ad vos à Theologo non Theologo, imo non Chriſtiano. Voco non Chriſtianum, quia non Chriſtiane mecum egit. Nam Chriſti regulam, quam nobis in talibus præſcripſit, plane neglexit, ne dicam contempſit. Primum enim, ſiquid erat quod ei diſpliceret in ſcriptis meis, debuiſſet me monere privatim, deinde adhibitis teſtibus, poſtremo rem deferre ad Eccleſiam, in qua ambo vivimus. His præteritis, recta adiit ad Amſterodamenſes & Leovardienſes Paſtores, ubi quoſdam plus æquo ſibi addictiores habet. Hoc igitur primum ejus peccatum. Alterum eſt, quod theſes non diſtributas ipſe diſtribuerit ſine venia & in abſentia ejus, ad quem illæ pertinebant, & qui eas excudi curavit. Quamdiu theſes non ſunt diſtributæ, mutari poſſunt. Hoc liberum ei qui eas compoſuit, ſine cujus conſenſu diſtribui non debent. Jam vero ut demus aliquid fuiſſe in iis quod merito repre-

Ep.253. hendi posset, debuisset cogitare sex centas theses ab ipso compositas & sub ipso disputatas fuisse, in quibus falsa quamplurima, ne dicam ἀθεόλογα (*theologia adversa*) contradicentiaque continerentur. Memini in una thesi de purgatorio, quæ tantum sex lineas complebat, octo manifestos errores à me ostensos ei fuisse, quibus contradicere non potuit. Cur in propriis cæcutit, in alienis tam cernit acutum quam aut aquila aut serpens Epidaurius? An putat vos omnes fungos esse, qui affirmanti aliquid sine judicio credatis, ac si cæcam fidem aut obedientiam ei promisissetis? Debuisset etiam meminisse, se librum edidisse de principiis Christianorum dogmatum; in quo tot errores, quot folia, &, quod gravius est, duo falsa principia continentur, quæ nos non itapridem patefecimus & veri amantibus indicavimus. Cur tunc tacuit? cur ad vos ea de re non scripsit, aut questus est? nam cujus religionis principia sunt falsa, ea religio non potest esse vera. Sed: Ergo. Faciat syllogismum qui Philosophus est: ego, ejus judicio & etiam meo, nullus sum: nec Philosophus, nec Theologus, nec Grammaticus. Et tamen qualis ego, aut mei similis, nunquam interfuit disputationibus tanti Theologi & Philosophi, quin semper aliquid audiverit, quod non verum aut verbo Dei contrarium esset. Nec mirum: nam tales Theologi ultra Catechesin vix quicquam sapiunt, in ipso textu plane hospites & linguarum imperiti. Loquor de illa peritia, quæ necessaria ad intelligendum Vetus & Novum Testamentum ex linguis originalibus. Sub quo nomine comprehendo & historiam sacram & antiquitatem Ebraicam. Peccatum quoque fuit ab iis, ad quos theses illæ missæ sunt. Nam cum me probe nossent, quidam etiam ex iis discipuli mei olim fuissent, scirentque merita mea in litteras divinas & in ipsorum liberos, non debuissent eas cœtui cum tanto præjudicio prælegere, & ex ejus ore, quem animum ægrum habere in me non ignorabant, interpretari. Ego hic desidero candorem & Christianam æquitatem. Nam ubi animus odio atque invidia laborat aut præoccupatus est, recte judicare non potest. Quin optima quæque ad pejorem partem trahit, nec quicquam ea ansa, qua prehendi commode potest, prehendit. Nunc ad rem. Scripseram verbum creo interdum idem significare quod procreo aut gigno, & hoc sensu posse dici Christum creatum, hoc est genitum. Quid ad hæc ὁ ἀλαζὼν? (*calumnia*) Drusius dicit, logon esse creatum simpliciter. Hoc spargit, hoc scribit ad omnes, ut me invisum reddat apud omnes. Cur non candide mea verba retulit? Cur non, Christum, id est, τὸν λόγον, esse creatum, id est, genitum. Quod si addidisset, nihil absurdi. Nam Virgilius quoque dixit *Sulmone creatos*, pro genitos. Creare igitur est gignere in Latio. An etiam in sermone mystico? Unicum exemplum nunc succurrit, quod puto sufficere ad hoc probandum. *Ezech.* XXI. 30. Ep.253
in loco ubi creata es, id est, nata vel genita. Sic enim certe Græci LXX. ἐν γενέσει σου; & Tremellius *in quo procreata es*. Sed hic, inquies, agitur tantum de generatione physica. Quæstio est de divina & æterna Christi generatione. Ne longum faciam, usurpat verbum Bara de hac generatione Chaldæus paraphrastes *Prov.* VIII. 21. Nam uti codex Ebræus, *possedit me* aut *acquisivit me*, ipse habet, *creavit me*. Ad sensum non male. Creare enim hic idem est quod acquirere, hoc est gignere. Sane pater acquirit quem gignit, ut mater quem parit. Unde lux illi loco, *acquisivi virum cum Domino*, id est, peperi. Nam sunt verba Hevæ matris. Similiter pater creare dicitur quem procreat aut gignit. Tres enim, ut ajunt Ebræi, concurrunt ad creationem hominis, Deus qui animam infundit, pater & mater. Synonyma igitur sunt, acquisivit, creavit & genuit. Nam etiam LXX. hic ediderunt ἔκτισε, id est, creavit. Nam qui emendant ἔκτησε, illi faciunt primum contra omnium codicum fidem, deinde ostendunt se non magnam peritiam habere linguæ Græcæ. Nam κτίσεως dicimus, non κτήσεως. Itaque Aquila reddidit ἐκτίσατο. Mendum autem esse eo minus credibile mihi videtur, quod idem verbum Kana eodem modo reddunt, *Genes.* XIV. 19. Nam ubi Ebræus, *qui possidet*, illi referunt ὃς ἔκτισε, & Hieronymus, *qui creavit*. Dices, Græcam editionem non esse authenticam. Concedo: tantum eam nunc explico secus quam alii qui hæc ignorarunt. Si scivissent, profecto non celassent nos. Solidius enim respondere potuissent Arrianis. Nam quod ajunt, non haberi in fonte *creavit*; partim verum, partim falsum est. Habetur in sensu, non habetur in verbo. Nam qui dicit, *acquisivit me*, idem dicit, *creavit me*, idem dicit, *genuit me*. Nam duplex interpretatio, una ad verbum, ad sensum alia. Interpretatio ad verbum est, *possedit* sive *acquisivit me*: interpretatio ad sensum, *genuit* aut *creavit me*. Ergo, inquies, Christus creatura. Non hoc dico, sed creatum dici posse quia genitum. Nec ego hoc dico, sed vetus Synagoga sic locuta fuit, cum dixit Messiam ante mundum creatum fuisse. Nihil profecto ante mundum, hoc est cœlum ac terram, creatum fuit proprie loquendo. Debemus ergo creatum ibi accipere pro genitum. Si ergo vetustissimi Ebræi dixerunt Messiam creatum esse, quis mihi vitio vertet, si hoc explico ad orthodoxam sententiam? Quis, inquam, nisi Arrii sectator; cui hac observatione alterum crus fregi, dexterum oculum erui. O si Patres nunc viverent, quantas mihi gratias agerent, quam me amarent & laudarent apud omnes? Nunc aliter fit, & quibus arma suppedito contra hostes, mihi nunc vehementer infesti sunt. Unde mihi suspicio, eos in pectore gestare, quem ore detestantur. Sic multi suspicantur occulte favere Socino,

qui

Ep. 254 qui eum celebrem reddidit, textum ejus edendo & parum ſolide refutando. Nam hac ratione innumeros mortales fecit Socinianos, cum antea Socinus huic orbi plane ignotus eſſet. Sed ego meliora de illo auguror, licet mihi & veritati, vel certe propter veritatem, ſit hoſtis capitalis. Hæc habui, fratres, de quibus vos monerem. Veſtrum eſt hanc meam admonitionem in bonam partem accipere. Nam ſi ipſi licuit me accuſare apud vos, licet & mihi me defendere. Inauditum qui damnat, facit quod lex Dei diſerte vetat.

Additamentum.

UT *Meſſias creatus, ſic forte Jeſus Sirach dixit*, prima omnium creata eſt ſapientia, *Sirach.* I. 4. *de quo tamen aliud mihi videtur. Nam exiſtimo* ſapientiam creatam *ibi dici, quemadmodum alibi ſuperbia dicitur creata, videlicet* X. 17. *& agricultura* VII. 16. *& gloria* XLIV. 2. *Uſus fuit autor illo* creandi *verbo & de errore caligineque* XI. 20. *Ut ut ſit, ſi per* ſapientiam *intellexit Filium Dei, debet ibi* creata *exponi genita: & qui hic mihi reclamat aut adverſatur, ſi non eſt Arrianus, tamen ad Arrii caſtra pertrahit* LXX *interpretes, Chaldæum paraphraſten, veteres Ebræos, & hunc Jeſum Sirachi filium. Quid eſt Arrianis favere, ſi hoc non eſt?*

Titulus præcedentis epiſtolæ hic erat:

I. Druſii ad Fratres Belgas Epiſtola, in qua calumnia diluitur recens ſparſa de logo creato.

Lingua quo vadis? turbatum Friſiam, nunc pacatam. Nam Hollandiam non poſſum, in qua teſſeram fregi & foro ceſſi.

Franekeræ, ex officina Frederici Heinſii Typographi, anno 1615.

CCLIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Eccleſiaſtica. REverende & Clariſſime Vir: Scriptum illud in IX. ad Romanos accepi: nondum tamen legi, quia defuit otium. Editioni libri mei novæ quotidie injiciuntur remoræ, variis de cauſis, quas recenſere ſuperſedeo: adeo ut vix unquam edendum putem: damno meo haud exiguo: Video nemini minus tutum eſſe aliquid pro cauſa communi vel ſcribere, vel dicere, quam mihi. Hoc habet locus in quo ſtationem mihi aſſignavit Dominus. Exemplaria quæ miſeras jam oblata ſunt. De Goulartio prolixa hiſtoria eſt. Remotus à miniſterio & ſacra ſynaxi, dum Eccleſiæ iſti plene ſatisfecerit, eo quem Conſiſtorium præſcripſit modo: quod hactenus recuſavit per conſcientiam. Spinæus in me extrema molitur. Accuſationem atrocem in me aperte inſtituit coram Conſiſtorio, & in eo totus eſt, vel ut ejiciar, vel ut aperto hic Ep. 255. etiam ſciſmate divellatur Eccleſia: cui & ipſe ſuo exemplo nuper dedit initium: à ſacra ſynaxi enim quum ille tum alii complures abſtinuere, hac ſola de cauſa, quod ego intereſſem; alio quamvis adminiſtrante. Accuſatio generalis eſt: & neſcio an Conſiſtorium non potius pro denuntiatione quam accuſatione illam habere volet. Nondum datum intelligere in ſpecie quid velit. Hoc ut ſciam laboro, ut legitima tum defenſione oppoſita vel cauſa cadam & ejiciar, vel ſchiſma quod molitur obtineat. Nullum enim hic video medium. Mihi cedere potius decretum, quam in ſchiſmate, hoc ſaltem in loco, ſacris operari. Tot præterea impetor calumniis, novum robur ex ſpiritu mendacii, qui conventui Amſteldamenſi nuper præfuit, aſſumentibus, iis ut diluendis vix rationem inveniam. Hi labores, hæ curæ, ita me conficiunt, ut ſuccumbere oneri, niſi Deus ſingulari fortitudine animum roboret, neceſſe ſit. Conjuraſſe dicas omnes in meum caput: & adfertur ex Zelandia nuntius, ita Amſteldami decretum. Iſta etiam cauſa, quod hactenus non reſponderim; quodque citius hiſce finem imponere jam cogor. Deum innocentiæ patronum & vindicem obteſtor & rogo, cauſam meam ille diſceptet ad nominis ſui gloriam. Vale 20 Octobris 1615.

Tuus in Domino

J. UYTENBOGARDUS.

CCLV.

GERARDO VOSSIO HUGO GROTIUS S.P.

VIr Clariſſime, Ex quo tuas litteras accepi, nulla mihi dies fuit ad reſpondendum vacua: ita nos diſtinuerunt Eccleſiaſticæ contentiones. Scis, arbitror, ante annos aliquot publicatum hic edictum, ac nuper adeo naſcente inobſequentium ferocia inſtauratum, contra privatos in urbe conventus, addita mulctarum ſanctione. Hoc ab ipſa neceſſitate extortum cum multi odioſiſſime differrent, placuit Magiſtratui ſegreges noſtros ad proponendas rationes reſarciendæ in Eccleſia pacis admittere. Permiſſum quoque, ut eam ad rem eruditi unius aut alterius conſilio uterentur, ita tamen ut monerentur ſimul, ne ſe ad homines minus placidos applicarent. Illi nobis totam cohortem adduxerunt ἀνδρῶν μαχιμωτάτων, (*virorum pugnaciſſimorum*) Feſtum, Dibbetium, Triglandium, Roſæum, & è vicinis noſtris Beyerum ac Gruterum. Quamquam jam tum apparebat, quis eventus eſſet futurus colloquii, in quod adducti eſſent, duo præcipui noſtræ ſciſſuræ auctores: alius qui in ipſo Imperii publici ſolio ſervatam diu pacem it per-

De colloquio Rotterdami habito.

Digitized by Google

Ep.255. perturbatum: alius rursum qui nuper egregium edidit moderationis suæ specimen, quo discrepantes sententias Christum & Belialem vocat: neque multum huic ille dissimilis, qui quotidie Remonstrantium argumenta sub persona Diaboli refutat: atque horum omnium princeps, qui obliquis artibus non minus periculose grassatur, quam alii vi aperta: tamen visum est adhibere aurium patientiam. Ubi ad promenda pacis consilia ventum est, postularunt parem numerum Ministrorum Remonstrantium & Contra-Remonstrantium, hac lege (scilicet ad pacem accommodatissima) ne alter cum altero Eucharistiam sumeret: nimirum ut illa à Servatore nostro instituta pacis tessera belli inter nos perpetuo mansuri signum daret. Nostri pastores responderunt, unum esse suo è numero Remonstrantem; de aliis id affirmari nullo posse argumento: Niellium insuper non ab Ecclesia nostra electum, sed commendatum Ecclesiæ à Gallica Synodo: neque se intercedere quominus, ubi se ita ferret occasio, Contra-Remonstrantium sententiæ aliquis Ministerio admoveretur, sed ita, ut fratribus se fratrem ostenderet, non partium ducem. In seniorum quoque electione placere sibi ut veræ pietatis habeatur ratio, sine ulla dissidentium opinionum discriminatione. Hæc cum rejiceret pars adversa, tanquam ab omni spe pacis alienissima, eo nos res ipsa redegit, ut ad expendendas discessionis causas veniretur: nostris Pastoribus sæpe profitentibus, certos se esse nihil sibi, doctrinam quod attineret, præter Remonstrantium sententiam posse objici, & hanc ne omnibus quidem. In vita quoque ac moribus nihil esse quod legitimam desertioni causam daret. Quæ allata sunt ad defendendum aut potius excusandum schisma (nam defendere directe vix quisquam audebat) quæque ex adverso sunt reposita, hæc fuere. 1. Quod Lansbergius Grevinchovium prædicasset hæresium scatebram. Responsum est, nimis properum fuisse judicium, ante exploratam recte controversiam: & de concione, quæ occasionem Lansbergio dedisset ita existimandi, satisfactum presbyterio: totoque post anno mansisse unitatem Ecclesiæ, & si quem offendisset asperior Lansbergii sententia, eundem eadem in mitius correcta una debuisse mitigari: aut saltem rem deferendam fuisse ad Presbyterii aut Classis cognitionem, neque prævertenda privata Ecclesiæ judicia. 2. Quod doctrina Remonstrantium publice esset proposita, verbo Dei & Confessioni repugnans. Responsum est, nondum ab Ecclesia dijudicatam hanc litem, neque ea pendente abrumpendam fuisse sacram communionem; & paratos Pastores nostros in omnibus se tenere intra fines Confessionis. 3. Quod Arminio in conventu Hollandiæ adstitisset Nicolaus: Ab Arminio autem oppugnatum verum dogma de justificatione. Responsum est; non omnia ab Arminio proposita à Nicolao probata, neque omnes de justificatione quæstiones ejusdem esse momenti. Postremo caulam in conventu Hollandiæ sub imperio summi Magistratus actam, non esse hic retractandam. 4. Quod Vorstium professione non indignum Nicolaus cum aliis Remonstrantibus judicasset. Responsum, id quoque cum in conventu Hollandiæ esset actum jussu atque imperio supremæ potestatis, non esse hujus cognitionis; neque ad Ecclesiam nostram id pertinere. Adjectum obiter, non ad omnia Vorstii scripta respexisse eos qui ita judicassent, sed ad confessionem Vorstii in conventu editam. 5. Quod Slatium Socinianismi suspectum commendasset ad Ministerium Nicolaus. Responsum est, Slatium siquid juventutis temeritate peccasset, non debere id nunc ad meliora verso objici: præsertim cum judicio Geldrici Senatus ab eodem crimine sibi objecto esset absolutus. Neque vero hoc negotium ad Nicolaum magis quam ad Magistratum Rotterodamensem pertinere. 6. Quod Nicolaus per illegitimas consequentias gravasset Contra-Remonstrantium doctrinam. Responsum; nihil à Nicolao Contra-Remonstrantibus per consequentias objectum, sed ipsa verba auctorum, quos sequi se Contra-Remonstrantes profiterentur: Ut, Deum esse peccati auctorem aliquo modo: hominem à Deo ad peccandum ita impelliri non peccare nequeat: creari quosdam ad damnationem: etiam fidelium liberos intra infantiæ ætatem & post Baptismum morientes ad æternos cruciatus abripi: qui semel rectè crediderit posse & adulterum & homicidam fieri, atque eodem tamen momento manere Dei filium. Neque hæc commemorata, nisi post factum divortium, & Remonstrantium sententia per graves calumnias exagitata. 7. Quod Nicolaus acerba quædam præloquia addidisset libro Cupi, Vorstii, & suo contra Amesium. Responsum est; de auctore præfationum libelli Cupiani & Vorstiani parum constare. Librum adversus Amesium editum diu post schisma. 8. Quod Adolphi libellum quendam, multa continentem ἐπιδόξα (*falsa*) probasset Nicolaus. Negatum id simpliciter, & rejecti testes. 9. Quod impellentibus Ministris ejectus esset Gesselius. Responsum; id factum esse Magistratus, & quidem post consultos Ordines: neque odio sententiæ quam tueretur (quippe multo post & Colonium, & mox Niellium ad cathedram admissos) sed ob voces seditiosas. Præter hæc generaliter ad omnia responsum est, ea quæ Nicolao objicerentur non posse aliis Pastoribus objici. Rogati Festus atque alii an ob tales causas, partim non probatas, partim non discussas, pars populi minor sine ulla Presbyterii, Classis aut Synodi sententia, legitimis Pastoribus renuntiare posset communionem, neque tantum earum conciones declinare, sed novum cœtum simul ac Presbyterium instituere, nullo existente qui posset in hac parœcia juxta receptos

Ep.256. ceptos canonem seniores ordinare? nunquam sententiam suam promere voluerunt. Præcipua oratio in eo constitit, cedendum commotæ plebi, Beyero satis simpliciter enuntiante, si ipsi pastoribus nostris exhiberent fraternitatis signa, fore ut & ipsi à plebe non minus quam nostri desererentur. Nos contra non dubitamus, si ab ipsis data fuisset opera docendæ potius quam sequendæ plebi, si ostendere voluissent τὸ πάντας δεῖ τὴν ἀναχώρησιν ἀξιόπιστον ἀπὸ τῶν μήπω κατεγνωσμένων ἀδικεῖν, (*nefas discessionis illius ab illis qui nondum sunt condemnati*) jam nos habituros eam quam tantopere desideramus Ecclesiæ pacem. Die Jovis proximo receperunt se responsuros ad quædam interrogata, à nostro Presbyterio proposita, ad intelligendum rectius ipsorum sententiam in quibusdam capitibus formulæ pacis ab ipsis propositæ. Ita se habent res nostræ. Teilingii litteras consideravi: multumque vereor, ne simplicitati hominis alii illuserint, qui tuam de controversiis sententiam studeant prolicere, atque ita minus utilem patriæ tuam reddere operam. Respondendum tamen sentio, sed prudenter: Satis tibi conspectum, nihil ejusmodi sub his contentionibus latere, quale fert ipsius epistola: neminem eorum qui in Republica versantur usui habere hæc dissidia: multos vehementer laborare ut componantur. Theologica hæc esse certamina eorum, qui nomina sua pridem essent professi: neque constare tibi aliud ab illis spectari, quam apertum faciat controversiæ status utrinque in colloquio Hagiensi formatus. Neque recte dici, à Magistratibus has quæstiones juxta unguium recrementa æstimari, cum iis examinandis atque etiam sopiendis tantum temporis impenderint. Si cui excidisset vox aliqua talis, non pati æquitatem, ut in ejus consortium trahantur alii. Hac moderatione videris mihi recte observaturus partes officii Magistratibus tuis debiti, & tamen haud suppeditaturus calumniæ materiam. De famulo siquid me juveris, erit id pergratum. Vale vir doctissime, & statum Ecclesiæ hujus nostræ, meque privatim, qua consiliis qua precibus juva. v II. Novembris CIↃ IↃC XV.

Tui amantissimus

H. GROTIUS.

CCLVI.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S. P.

Reliquæ Roterodamensis colloquii.

VIr Clarissime: Binas à te literas recte accepi: priores de Bocardo; alteras de Bredano negotio. Bocardi existimatio mihi curæ erit. Satis multos inimicos habet pax Ecclesiæ, ideoque permittendum non est, ut inter se divellantur, quos pacis tenet studium. Quod in scribendo epithalamio gratificatus es Polyandro, mihi non displicet, etsi vereor ne id beneficium perdideris, si ita se mores illius habent. De Catecheseos signatione recte monuisti, rem esse novam. Sed & Confessionis subscriptio, si hoc animo exigatur, ut testimonium præbeat omnimodi consensus, periculosa est: si vero hac mente, ut ne in posterum quidem dissentire liceat, tyrannica. Sin vero in hoc tantum, ne contra formulam istam concordiæ publice aliquid proponatur, nisi prius legitime propositum atque examinatum, est tolerabilis. Honestam forte excusationem præbebit Synodi exspectatio, in qua hæc atque alia ventilabuntur. Cæterum ego Reformatarum Ecclesiarum miseriam in hoc maxime deploro, quod cum Symbola condere Catholicæ sit Ecclesiæ, ipsis inter se nunquam eam in rem convenire sit datum, atque interim libelli apologetici, ex re nata scripti ad Imperatorem, Reges, Principes, aut ut in Concilio Oecumenico exhiberentur, trahi cæperint in usum longe altum. Quid enim magis est alienum ab unitate Catholica, quam quod diversis in regionibus Pastores diversa populo tradere coguntur? Quam mirata fuisset hoc prodigium pia antiquitas! Sed hæc aliaque multa mussitanda sunt nobis ob iniquitatem temporum. Reliqua Roterodamensis colloquii nunc tibi perscribam. Postquam rediere homines satis alieni à pace, ad quam nobis procurandam advocabantur (Festo domi retento ob turbas quas tute rectius nosti) quasi acceptis subsidiis, novæ accusationes institui contra Nicolaum cæpere, sed pleræque facti ambigui & nullis prolatis testibus. 1. Accusabatur contra Catecheseos sententiam docuisse, non exegisse Dei justitiam ut sibi satisfieret: item, Christum satisfecisse ex gratioso fœdere. Respondit, nunquam à se negatum, exegisse justitiam ut sibi satisfieret: sed inter justitiam pœnam rigide exigentem, & misericordiam pronam homini parcere, mediatricem intercessisse sapientiam, id se & docuisse & verum arbitrari. Gratiosum fœdus à se dictum, nostri, non Christi, ratione. 2. Defensam ab illo possibilitatem implendæ legis. Respondit, monstrasse se, auctorem Catecheseos, cum de possibilitate proposuisset quæstionem, responsum dedisse tale, quod actum magis negavit quam possibilitatem. Augustinum quoque hanc quæstionem talem judicasse quæ salva pace inter Catholicos possit agitari: Hieronymum vero eos exsecrari, qui dicant impossibilia esse Dei præcepta. Convenerant tandem inter se, nihil absurdi fore si homo dicatur posse implere legem per Dei gratiam, quia scilicet non sit Deo ἀδύνατον (*impossibile*) tantam gratiam homini dare. Adjecit Nicolaus; si de actu exteriore agatur, quem legis littera præcipit, puta non occides., non furaberis; hoc modo legem & impleri posse, & impleri à quibusdam. Si autem actus internus respi-

Ep.256. ciatur, præcipue charitatis perfectio, eam in hac vita nobis non contingere, habito ſcilicet reſpectu ad eam charitatem quæ erit in vita altera. Agi autem de hac perfectione comparata in Catechiſmo. Eam vero perfectionem quæ peregrinantium ſtatui conveniat, non contingere poſſe in hac vita ſi quis dicat, eum ſibi ipſi contradicturum. 3. Dictum ab ipſo, Reformatam religionem x l. duntaxat annos habere. Reſpondit, plane id à ſe negari, cum Reformatam religionem eandem cum Apoſtolica credat: ſed Reformationem ipſam in his regionibus non eſſe antiquiorem annis x l. ideoque minime nos decere, qui Papiſtarum vetuſtatem repudiemus, à tantilla vetuſtate alteris invidiam facere. 4. De Catechiſmo contemtim locutum. Reſpondit, id quoque à ſe negari: ſed profeſſum ſe, occaſione data, haud placere ſibi morem in noſtra urbe receptum, Catechiſmi eodem plane modo parique reverentia populo prælegendi atque exponendi, quo prælegatur atque exponatur lex divina; cum in aliis urbibus aut Catecheſios lectioni præmittatur lectio aliqua ex Scriptura, aut tecto capite oſtendatur diſcrimen auctoritatis, quod eſt inter divina & humana ſcripta. De providentia divina quoque dicebatur ita locutus, ut multos offenderet. Sed quid dixiſſet nemo afferebat, ita ut reſponderi quoque non poſſet. Rogati paſtores, nunquid haberent præterea adverſus Nicolaum? negarunt. Nunquid adverſus paſtores alios quatuor? bis terve interrogati tacuerunt. Diximus nos ſilentium interpretari pro approbatione ipſorum innocentiæ. Ad quæſtiones quaſdam à Presbyterio noſtro propoſitas ſuper formula nuper ab alterius partis paſtoribus accepta, iidem partis alterius paſtores ita reſponderunt, ut dicerent, fraternitatem quandam eſſe Confeſſionis Belgicæ, à qua qui diſcederent, quo magis diſcederent eo minus fratres eſſent. Cum autem hæc ab illis eo afferrentur, ut plebem ſynaxim noſtrorum paſtorum detrectantem defenderent, interrogavi ipſos, an paſtorem Confeſſionis Anglicæ, aut Tigurinæ, à noſtra alicubi diſcrepantis, ad ſynaxin ſuam eſſent admiſſuri? Negare id non audebant. Facile erat ergo collectu, nihil ad ſynaxin facere iſtam nuper repertam fraternitatem. Interrogavi etiam, cujus fraternitatis teſtandæ cauſa Chriſtus corporis ſui communionem inſtituiſſet? Hic quoque ad Belgicam Confeſſionem confugere non audebant. Tandem nomine Magiſtratuum ſerio illos ad teſtandam inter ſe charitatem certiſſimo charitatis ſymbolo, divina Euchariſtia, ſum hortatus: nulla enim ratione poſſe defendi diſceſſionem ab ea Eccleſia, in qua fatearntur ipſi poſſe manere ſalva conſcientia. Divortia nulla eſſe juſta, niſi plane neceſſaria; ut à cœtu qui religionem idololatria corruperit, aut hæreſi, hoc eſt, doctrina fundamentum evertente, ſit imbutus. Relinqui hic cuique ut vellet ſentiendi libertatem, neque coenam in Ep.256. hoc celebrari, ut ſuper Theologicis quæſtionibus idem nos omnes ſentire teſtemur: ſed ut oſtendamus, fratres nos eſſe in Chriſto fratre noſtro primo-genito, membra corporis cujus ipſe eſt caput. Adjectæ ſunt auctoritates Synodi Gallicanæ, Regis ac Epiſcopi Angliæ, Molinæi, Perkinſi, Piſcatoris, edicta Ordinum, exempla vicinarum urbium. Pendere adhuc quæſtionem, an Remonſtrantes à Confeſſione receſſerint. Non pati vero æquitatem, ut dum ea pendeat abeatur à communione. Antiquitus hæreticos priſtinos nunquam à communione excluſos, niſi poſt ſententiam Eccleſiæ. Nullum præjudicium ferri in obſervatione communionis; in abſtentione magnum. Repetitis deinde aliis adverſus Nicolaum accuſationibus, oſtenſum eſt, pleriſque ab ipſo ſatisfactum. Si quis tamen hæreret ſcrupulus, placere Magiſtratui ut conventui Eccleſiaſtico, ex perſonis minime ſuſpectis conſtituendo, de cunctis ipſi objectis judicium deferatur. Item, ut formula aliqua concipiatur docendi de capitibus controverſis ad pacem & ad ædificationem: obiterque oſtenſum, quam parum ipſi inter ſe diſcreparent, qui tamen tam longe diſtare vellent videri. In cæteris limitem docendi eſſe Confeſſionem & Catecheſin. Si quis exorbitaret, quominus cenſura Eccleſiaſtica in eum diſtringeretur neminem obſtiturum. Seniores electum iri, qui pietate anteirent cæteris, nullo diſcrimine Remonſtrantium, an alteri ſententiæ, an neutri accederent. Eandem æquitatem ſervatum iri in Miniſtro cooptando ubi locus vacaret. Hæc poſtquam Magiſtratus nomine erant propoſita, Paſtores externi, conſultatione prius inter ſe habita, reſponderunt, formulam moderandæ temperandæque doctrinæ hactenus parum feliciter tentatam. Neque ſe rem tantam aggreſſuros inconſultis Eccleſiis. Reducendæ plebis ad ſynaxin paſtorum ſpem nullam. Rogare ſe obnixe, ut privati conventus in urbe permitterentur. Reſponſum à Magiſtratibus, eſſe id ſine exemplo in hac Hollandiæ parte. Si quibus in Weſtfriſiæ oppidis ea impoſita eſſet neceſſitas, miſeriorem eſſe earum ſtatum, quam ut eo exemplo invitari poſſent urbes aliæ. Pugnare id quoque cum Ordinum ſententia: quibus noſtri Magiſtratus propoſuiſſent obſequi tam fideliter, quam ſuis imperiis viciſſim obſequi vellent cives ſuos. Æquum quoque eſſe hac in re legibus publicis morem geri, præſertim cum tranquillitas hoc ipſum exigat. Conſcientias non alligari loco. Bernenſes quondam rectores acto ſimili apud ſe certamine poenis coercuiſſe eos qui ex alieni paſtoris manu coenam Dominicam ſumerent. Hic permiſſum cuivis, ut ubi vellent audirent verbi divini interpretationem, atque etiam ut contra Eccleſiæ canones ſine Eccleſiæ teſtimonio alibi ſacra participarent. Jam tres annos eſſe, cum publicatum eſſet edictum: neque

Digitized by Google

Ep. 257. que caruiſſe conſcientia, qui obediiſſent hactenus. Quod ſi ipſi contra verbi divini præſcriptum novas ſibi conſcientiæ regulas fabricarent, non omiſſuros tamen hujus urbis rectores auctoritatem ſuam atque ordinem, ita ut ſua ipſis conſcientia dictaret, defendere. Moniti ergo cives, ne pacem civitatis turbarent, legiſque obſequium abrumperent, atque ita juſtam Magiſtratuum iram in ſe concitarent. Paſtores utriuſque partis rogati, ut amplius etiam de reſarcienda concordia, ſalva animorum libertate, in his controverſiis cogitarent. Promiſſum idem Magiſtratibus curæ fore, daturoſque operam, tum ſeorſim tum cum Nobilitate & aliis urbibus, ut idonea omnia remedia his malis ſanandis adhiberentur. Orandum Deum ut Magiſtratuum, Paſtorum, plebis animos ad tam pia conſilia flecteret, atque iis proſperum daret exitum. Ita diſceſſum eſt. Vale vir doctiſſime.

Tui obſervantiſſimus

H. GROTIUS.

CCLVII.

GEDEONI à BOETSELAER & ASPEREN,

Baroni in Langerack, &c.

Illuſtrium & Præpotentium Ordinum Fœderati Belgii apud Gallos Legato,

HUGO GROTIUS S.P.D.

De gubernatione ac ritibus priſcæ Eccleſiæ, de conciliatione gratiæ ac liberi arbitrii, de imperio ſummarum poteſtatum in res Eccleſiaſticas.

GEneroſe Domine, Revertor ad ſcriptionis officium aliquamdiu intermiſſum, dum mecum conſulto, ad Viri Clariſſimi Molinæi ſcriptum aliquid mihi commentandum ſit, nec ne. Si tacerem, verebar ne injuriam facerem verioribus ſententiis de ritibus ac gubernatione priſcæ Eccleſiæ, de conciliatione gratiæ & liberi arbitrii, de imperio ſummarum poteſtatum in res Eccleſiaſticas; quæ omnia mihi videntur à D. Molinæo, aut ob properationem in Angliam, aut quia in aliis controverſiis ſumme ſubactus illis expendendis ne antea quidem ſatis vacavit, neutiquam pro reliqua ſua eruditione eſſe tractata. Atque adeo illud ipſum mihi dolet, quod illa pars literarum mearum, quæ Gallicarum Eccleſiarum morbos liberius tangit, ab illo lecta ſit. Pauci enim ſunt qui æquo animo patiantur ſua ulcera tractari. His ille commotus magnam mihi facit injuriam, cum ita reſpondet, quaſi ego diſſuadeam propius inter ſe vinciri Proteſtantium cœtus; cum per multos annos eadem cum ipſo vota volvam, neque deſinam quicquid meæ eſt opis eodem conferre. Sed quod ego ejus ſcripſeram, ex tua, Vir Nobiliſſime, epiſtola erat natum, qua ſignificaveras, Angliæ Legatum parum ſpei facere promovendi negotii. Hinc ego occaſionem ſumſeram conjecturæ quadam indagandi eas cauſas, quæ tam honeſtum propoſitum remorari poſſent. Faxit Deus ut falſus vates fuerim. Summarum poteſtatum an tam reverentes ſint Galli Reformati, quam Angli, hæc ipſa tempora vereor ne grave nimis datura ſint experimentum. Rex Britanniæ jampridem ita judicat, Miniſtrorum æqualitatem nimiam conjunctam eſſe cum quadam obediendi impatientia. Itaque ſæpe ei audita ab ipſius ore hæc ſententia, *Tolle Epiſcopos, Regem ſuſtuleris.* Antiquæ Eccleſiæ plus tribui in Britannia quam in Gallia, miror à quoquam negari. In Canonibus Eccleſiæ Anglicanæ conſcriptis anno CIↃ IↃ LXXI. hunc invenio; *Imprimis vero videbunt (concionatores) ne quid unquam doceant pro concione, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris & Novi Teſtamenti, & quod ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & veteres Epiſcopi collegerint.* Hanc legem an acceperuri ſint Galliæ miniſtri, multum dubito. Ad ritus quod attinet; certum mihi eſt *λειτουργίαν Anglicanam*, item, *morem imponendi manus adoleſcentibus in Baptiſmi memoriam, auteritatem Epiſcoporum, presbyteria ex ſolis Paſtoribus compoſita*, multaque alia ejuſmodi, ſatis congruere inſtitutis vetuſtioris Eccleſiæ, à quibus in Gallia & Belgio receſſum negare non poſſumus. Quod de Epiſcopis, & manuum impoſitione, quam confirmationem vocant, mollius ſentit, ſane gaudeo. Sed ſcit non deeſſe inter ſuos, qui illud Satanæ commentum, hoc notam Antichriſti appellant. Id genus hominum ..... quanta impedimenta objiciat Eccleſiarum concordiæ. Veriſſimum eſt quod dicit D. Molinæus, poſſe ſub differenti diſciplina & ritibus pacem coli. Sed id ut fiat, diligenter cavendum eſt, ne ſua alienis nimium præferantur, præſertim noviter reperta receptis antiquitus. Putat D. Molinæus, me arte quadam voluiſſe ipſum ad controverſias Belgicas pertrahere. Ego vero ſancte teſtari poſſum, me nihil aliud ſpectaſſe, quam ut ipſius conſilio, per te eliciendo, tum ego tum alii adjuvari poſſemus ad pacem procurandam. Nam cum vidiſſem antea ſcriptum aliud ipſius Molinæi, de ſarcienda inter Proteſtantes, Lutheranis quoque incluſis, concordia, in quo exſerte profitetur, diſſimulandas quæſtiones multas ad ſalutem non neceſſarias, ac nominatim eas quæ ab Arminio motæ ſunt ſuper Prædeſtinatione, ſuper Libero arbitrio, ac ſuper Sanctorum perſeverantia, plane futurum putabam, ut formulam doctrinæ ſuper illis capitibus talem proponeret, qua non damnaretur ea ſententia, quæ non jam dicam Arminio, ſed Melanchthoni placuit. Proponit D. Molinæus theſes quaſdam, quas ait congruere cum Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, & Concilii Arauſicani doctrina. Sed qui à D. Molinæo diſſentiunt, quærunt cur major

Ep.257. esse debeat Augustini auctoritas, quam omnium Patrum, qui ævo superiore ac puriore, hoc est, intra quadringentos à nato Christo annos vixerunt, à quibus recepta nunquam se damnaturum, & Rex Britanniæ, & plerique præterea nostrorum profitentur? Illos autem omnes Apostolicis temporibus proximos & eorum successores, plerosque & Episcopos & Martyres, *propositum & prædestinationem Dei recepisse secundum præscientiam, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit*, tum scripta ipsorum testantur, tum Prosper fatetur totidem verbis. Eorundem Patrum constans est sententia, *liberum esse etiam in fide arbitrium, non tamen sine divino adjutorio.* Ad Concilium Arausicanum quod attinet, in eo tota quæstio de prædestinatione, sine ex præscientia, an ex decreto citra præscientiam, ne attingitur quidem: sed *anathema illis* dicitur, *qui aliquos dicunt ad malum divina potestate esse prædestinatos.* Traditur ibidem, *omnibus qui baptizari desiderant gratiam ad fidem conferri: & omnes baptizatos posse implere quæ ad salutem pertinent, Christo auxiliante.* Prosperi hæc clarissima sunt dogmata. *Neminem ad peccatum prædestinari: Etiam à non prædestinatis auferri peccatum originale per baptismi gratiam, & eum qui id neget non esse Catholicum: Eos qui non sunt prædestinati, ideo non esse prædestinatos, quia quales sunt futuri, hoc est, defecturi sine pœnitentia correctione, tales sunt præscisi: Recte dici omnes redemtos, sed non omnes à captivitate erutos: Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire, sed qui veniunt Dei auxilio dirigi, qui non veniunt sua pertinacia reluctari: ideoque illud (omnes) non debere nisi universaliter intelligi: Adhibitam esse semper universis hominibus quandam supremæ mensuram doctrinæ, qua etsi parcioris occultioriſque sit gratiæ, sufficias tamen quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium; sive ut alibi idem explicatur, Gratiam Dei omnibus hominibus adesse multimodo opere diversaque mensura, opitulationem per innumeros modos omnibus adhiberi, omnibus præberi mensuram generalis auxilii; quod ea à multis refutetur ipsorum esse nequitia, quod à multis suscipiatur & gratia divina & humana voluntatis.* Fulgentii hæc est definitio: *Offensurus Deus quid reddendum præsciverit & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium quos à se præscivit voluntatis mala vitio discessuros, & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordia prævenientis auxilio creditures, & in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros.* Ex Augustino multa afferri possent loca, etiam è posterioribus scriptis, in quibus *liberum arbitrium* ostendit *adjuvari & emendari per gratiam, non tolli.* Illud certe nemo diligens veterum lector diffitebitur, ipsum Ep.257. Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & quotquot ante ipsos fuerunt Catholici scriptores, & quotquot postea exstiterunt, hoc sensisse, hoc docuisse, *multos & justificatos & regeneratos non perseverare in fide quæ per dilectionem operatur, quosdam etiam irreparabiliter cadere.* Cum his an satis conveniant ea quæ scribit D. Molinæus, viderint harum rerum periti. Mihi illud compertum est, in vetere Ecclesia hunc fuisse morem, ut in symbolis ea duntaxat ponerentur, de quibus semper convenisset inter Catholicos scriptores, omissis iis de quibus laudati auctores dubitassent. Et hunc modum secuti mihi videntur Arausicani Patres, item Episcopus Romæ Cœlestinus, assentientibus proculdubio doctissimis presbyteris, qui tum Romæ agebant, & ante illos Episcopis qui Diospoli, qui Carthagine, quique Milevi convenerant; Innocentius quoque & Zosimus Romani Episcopi, consulti omnes super his ipsis controversiis. Quorum modestiam imitari (ut cum D. Molinæo loquar) multo est satius, quam præconceptis opinionibus mordicus inhærere, aut ab unitate corporis avellere eos, qui probabiles causas habent aliter atque aliter de subtilibus controversiis judicandi.

Cæterum, ut credam Ignatium, Irenæum, Justinum, Cyprianum, martyres, deinde vero Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, damnatos à nobis, quasi in gratiam Dei injurios, aut quasi evertentes fiduciam & consolationem sanctorum, id vero ego in animum nondum possum inducere. In D. Molinæi scripto multa invenio æqua & sobria, nequo dubito quin si ipsius prudentiam Ministri nostri imitarentur, haberemus Ecclesiam, multo, quam nunc est, pacatiorem.

Cæterum quæ mihi inter legendum & relegendum in mentem veniebant, hæc ferme sunt. Ponit hoc tanquam certissimum, *multa fieri necessario quæ fiant libere:* quod mihi secus videtur. Deus, inquit, est necessario bonus. Fateor. Et tamen libere. Hoc vero non possum agnoscere. Nam liberum est id quod indeterminatum est ad partem utramvis. Deum autem natura sua, hoc est, ipsa Deitas ad bonitatem determinat, ita ut contradictionem involvat dicere, Deum esse, & posse bonum non esse. Non potest Deus mentiri, inquit Apostolus, non est igitur liber in non mentiendo. Verum quidem est, sponte esse Deum veracem: sed non omnia quæ sponte fiunt, libere fiunt, ut recte notant Philosophi. Sed hoc multos fallit, quod qualitatem aut genus actionis à speciebus singulis non discernunt. Libere Deus hominem creavit, libere redemit, atque ita libere hoc & illo modo bonitatem suam exseruit. Sed hoc non est libere bonum esse, sed libere sic aut sic bonitatem demonstrare.

Sic

Ep.257. Sic & Diabolus neceſſario male agit, poſtquam ſe ſemel libero actu in iſtam neceſſitatem conjecit: ſed tamen quod Jobum morbo vexat, quod Chriſto panem objicit, agit libere: poterat enim & malus eſſe, & non iſto modo male agere. Similiter homo ſub peccato venundatus peccat neceſſario, non libere: neque enim poteſt non peccare. Sed mœchatur & furatur libere, libere parricida eſt, libere inceſtuoſus. Neque vero illud conceſſerim, ad ponendam libertatem ſatis eſſe tolli coactionem. Nam natura non minus libertati contraria eſt, quam coactio. Hæc enim extrinſecus, illa intrinſecus determinat, ac proinde efficit ne id quod fit libere fiat. Neque enim liberum eſt apertos oculos habenti non videre; quia natura oculi rerumque ſpectabilium talis eſt, ut non videre non poſſis. Ac fruſtra mihi videntur laborare qui res κατ' εἶδος (*ſecundum eſſentiam*) diſſidentes, qualia ſunt neceſſarium & liberum (eſt enim libertas mater contingentiæ) ſtudent conciliare reſpectibus. Illud vero mihi veriſſimum videtur, præſertim ſi de ordinario providentiæ divinæ modo agamus; *quocunque modo Deus moveat voluntates, manere tamen voluntati ſuam libertatem, & rebus ſuam contingentiam*, ut præclare aſſerit D. Molinæus. Sed id qui ſtatuit, ſimul ſtatuat neceſſe eſt, non moveri à Deo voluntatem prædeterminando. Nam liberum eſſe non poteſt, quod ab ulla cauſarum, multoque magis à prima, à cujus efficacia pendent in agendo omnes cauſæ inferiores, ad alteram partem præfinitur, atque determinatur. Neque poteſt quid eſſe contingens, quod impoſſibile ſit non eſſe. Poſita autem prædeterminatione impoſſibile eſt, ut effectus prædeterminatus non exiſtat. Probo etiam illud, quod ait D. Molinæus, *damnari hominem merito, quod abutatur ſeminibus naturaliter inſitis, neque iis utatur quomodo & quouſque potuiſſet*. Quid ergo, ſi utatur iiſdem ſeminibus quomodo & quatenus poteſt, accedente ſcilicet auxilio divino ejus menſuræ quæ nemini denegatur? An nihilominus damnabitur? Non ergo dicendus eſt aliquis ob hoc damnari quod abuſus ſit, ſi recte uſus damnandus tamen eſt. Quærit D. Molinæus, ſi quis in oris ultimis prima gratia utatur ut par eſt, an Deus prædicatorem ipſi ſit miſſurus aut Angelum? Hoc ſi quis affirmet, neſcio quomodo id D. Molinæus ſit refutaturus. Neque enim curtata eſt manus Domini. At nunquam id fit, inquit. Unde vero hoc ipſi compertum eſt? Non legimus. Quaſi vero iſtarum gentium nos habeamus hiſtorias, aut etiam ea quæ ſingulis contingant, ut eſt miſſio Angelorum, ſoleant in hiſtorias referri, cum ſæpe ne ad proximorum quidem notitiam perveniant. At factum omnino quomodo negetur, non video. An non Abrahamo inter Chaldæos agenti, an non Abimelecho Deus apparuit? Si neges hos recte uſos donis communibus; quæram quæ cauſa nos cogat credere, minus Deum velle potentiam ſuam exſerere in bene utentes, quam in abutentes? Nonne Prophetæ, nonne Apoſtoli ad gentes plurimas verbi prædicationem attulerunt, in quibus gentibus aliqui fuere ſi non bene utentes, ſaltem minus contumaciter abutentes? Ad Cornelium centurionem orantem & eleemoſynas largientem, (quod ex gratia efficere poteſt etiam qui in Chriſtum nondum credidit; ut de Cornelio diſerte loquitur Auguſtinus) & Angelus mittitur & Apoſtolus. Quis nobis aſſeret Deum nunc aut minus velle aut minus poſſe? Erat ſane Cornelius jam donatus Spiritu legis per Moſem traditæ. Sed in confeſſo eſt, legem inſcriptam cordibus & legem Moſis, modo tradendi & claritatis gradu differre, ſubſtantia congruere. Quare & huic legi auxiliator adeſt ſpiritus ad pœnitentiam provocans: atque adeo non video quomodo refelli poſſit, qui confidat Deum hujus quoque doni uſum cumulare velle majoribus donis, juxta illud univerſaliter pronuntiatum: *quiſquis habet*, hoc eſt prioribus datis utitur, *ei dabitur*, id eſt majora concedentur: Neque temere novitatis damnandus eſt, qui de divina bonitate ita ſentit. Proſperi enim eſt effatum: *Fuerunt enim ac ſunt hujuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari, quibus donis autorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus ſpecialis gratia largitas ſuperfuſa eſt.* Auguſtini vero hoc: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras; nec quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Bullingerus ne gentibus quidem defuiſſe ait religionem veram, ſi ea uti voluiſſent. Muſculus cognitionem fuiſſe gentibus, quæ deberet ad verum Dei cultum ducere; duceret enim niſi illam per idololatriam impedirent. Martyr Ethnicos fuiſſe inexcuſabiles, quia quod ab ipſis præſtari potuit non fecerunt. Jam vero ſi quis præterea vellet defendere Apoſtolicam prædicationem ad omnes omnino gentes delatam, neque ejus veſtigia penitus exſtincta, ne apud Indos quidem aut Tartaros, non deeſſent ei magna argumenta: ſed ex Theologica quæſtione in hiſtoricam abiretur.

Ep.257. Lib. 11. de ... cap. 25. de Nat. & Grat. c. 67.

Meritum Congrui, quod à Pontificiis dicitur, jure optimo damnat D. Molinæus: neque tamen arbitror eo nomine ab ipſo includi ſententiam illam, quæ divinæ voluntati congruum putat eſſe, ut homini, immerito quidem, ſed prioribus datis, etiam ante fidem, quatenus poteſt recte utenti, majora conferat. Hæc enim ſententia nihil includit meriti: I. quia ipſe ille uſus non eſt à viribus naturæ, ſed à viribus quas contulit præveniens gratia homini, non modo boni nihil, ſed omne malum merito. II. quia non dignitas humani actus à Deo impetrat majus beneficium, ſed præſtat hoc ipſum incommerita Dei liberalitas ut ſit

Meritum Congrui.

Ep.257. gratia pro gratia. III. quia meriti hæc natura eſt, ut quod ob meritum datur, in merito totam ſuam cauſam habeat, ideoque propter hoc detur, ſine illo non detur. At prædicatio Euangelii, & quæ eam ſequuntur dona, plurimis contingunt, qui prioribus donis turpiter ſunt abuſi: ita ut regula adæquata hujus conceſſionis ex prioris gratiæ uſu deſumi minime poſſit. Et hoc maxime urgent Patres, ut oſtendant, Gratiam Euangelii non dari ex merito. Quod enim nulla præcedente obligatione, nullo diſcriminante ſigno commune eſt recte utenti prioribus datis, & non recte utenti, imo pluribus conceditur abutentibus quam utentibus, id purum ſimplexque donum ſit neceſſe eſt, tum in his, tum in illis. *Liberi arbitrii nullas eſſe à natura vires ad bona ſpiritualia, gratiam quæ ſit efficax* (actu ſcilicet ſecundo) *dare ipſum non reſiſtere atque ipſum velle, ſalutem totam divini eſſe muneris, quod Deum vocantem ſequimur id nos divina gratia debere*, quæque alia in honorem gratiæ à D. Molinæo recte prædicantur, ea omnia cum illo arbitror inter Proteſtantes haberi extra controverſiam. Cæterum quamquam homo nondum regenitus opus ſpirituale nullum poſſit efficere (quod ſcilicet vere ac proprie tale ſit:) quanquam etiam ſine fide nemo poteſt Deo placere, ad juſtificationem ſcilicet; tamen non hinc ſequitur, ab homine à gratia præveniente excitato, etſi nondum regenito, nihil tale vi ejus gratiæ poſſe præſtari, quod divina largitas hucuſque gratum habeat, ut præſtantem velit ad illam gratiam perducere ſine qua juſtificari nequeat. Quare quod ait D. Molinæus, *nefas eſſe ſtatuere ullum gratia ſufficientis gradum ſine fide in Chriſtum*, id profecto veriſſimum eſt, ſi gratiam intelligas ad ſalutem aut remiſſionem peccatorum proxime ſufficientem. Neque tamen incuſandi ſunt Proſper, & qui cum Proſpero generaliorem illam gratiam, quæ fidem antecedit, ad remedium ajunt ſufficere: cum ſufficientiam intelligant remotam: quia ſcilicet illa gratia apta eſt ad ulteriores quaſi manuducere, & divino inſtituto ad hoc ſufficit. Sic & illud negandum non puto, ante ipſam fidem præcedere in nonnullis quaſdam diſpoſitiones, gratiæ tamen prævenientis virtute effectas, quæ non inveniantur in hominibus aliis. Cum enim dicit Chriſtus *Joh.* VII. 17. *Siquis voluerit facere voluntatem Patris, is cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit*, aperte quendam obtemperandi affectum ipſa fide priorem ſtatuit. Sic aliqui dicuntur *non longe eſſe à regno cælorum*, *Marc.* XII. 37. eſſe ἄφρονες (*apti*) *ad regnum Dei. Luc.* IX. 62. *eſſe aliis* εὐφυέστεροι (*generoſiores*) *Actor.* XVII. 11. Hic vero ipſe affectus cum gratiæ operanti debeatur, non deſunt qui huc trahant id, quod dicitur credidiſſe τοὺς τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον, *diſpoſitos ad vitam æternam*, ſive ejus ſerio quodam deſiderio incenſos: Et alterum illud, quod *qui ex Deo eſt*, per illum pietatis affla-

tum, *verba Chriſti audit*, per fidei aſſenſum. Ep.257.
Hoc certe apertius eſt quam ut negare quiſquam audeat, legere ſacras Litteras, diligenter eas examinare, de ſenſu meditari, frequentare ſacras conciones, ad orandum ſe componere, in poteſtate eſſe hominis, ſorte jam renaſcentis ac nondum plane regeniti. Aſſentior etiam D. Molinæo, nemine ut arbitror Reformatorum refragante, electos non reſiſtere vocationi ad finem uſque. Ne poſſe quidem reſiſtere in ſenſu compoſito: ſed de ſenſu diviſo omnis controverſia eſt: idque ideo, quia, fatente D. Molinæo, ita flectit Deus voluntates, ut voluntati non adimat libertatem. Quæritur enim, an ad converſionem hominis prævia ulla Dei actio neceſſario requiratur (prævia inquam, nam de concomitante alia eſt ratio) præter conceſſionem virium ſufficientium. Aut enim, ajunt quidam, aliquid ultra requiritur, & jam negatur quod conceſſum fuerat, vires eſſe ſufficientes: aut vires revera ſufficiunt; & jam ſequitur, aliud non requiri. Viribus autem ſufficientibus poſitis manet voluntas libera, hoc eſt, indeterminata ad agendum vel non agendum. Et hoc quidem ex parte Electorum, aut eorum qui actu convertuntur. In aliis vero qui actu non convertuntur, cauſam cur gratia ſit inefficax, Deo tribuere durum multi putant, cum minime videatur gratia ea dicenda quæ ex intentione conferentis ſit inefficax: neque videatur quiſquam ideo gravius poſſe puniri, quod id non fecerit, quod fieri omnino non poterat, nempe quod gratiam ex ſeipſa, ſaltem cum relatione ad ſubjectum, inefficacem non reddiderit efficacem. Iiſdem non ſatis eſſe videtur illud vitari, ne Deus dicatur auctor infidelitatis, quod D. Molinæus vitari exiſtimat, cauſa in hominis naturam rejecta; ſed una & illud cavendum judicant, ne ſigna divinæ voluntatis cum voluntate ſtatuantur minus convenire, atque ita ſimplicitati ac ſinceritati divinæ fiat injuria. Nam quomodo ſerio vocati dicentur, qui hoc animo vocantur ne veniant, atque etiam ita ut venire nequeant? Hic illa jam occurrunt, *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: Quid me oportuit vineæ meæ facere quod non feci? Volui congregare & noluiſtis*: & ſimilia; quæ tum ex parte Dei voluntatem ſaltem aliquam convertendi hominem, ex parte vero hominis non converſi culpam videntur ſtatuere non naturalem ſimpliciter, ac proinde neceſſariam (ut lapidi neceſſarium eſt non vivere, quod adfert D. Molinæus) ſed per ea quæ conceſſa ſunt, aut parata erant concedi, evitabilem. Nam & his qui vocati ad nuptias venire noluerant, omnia tamen parata fuiſſe ſignificantur. Ac profecto ni ita ſe res habeat, videtur puniri quidem homo poſſe ob malitiam impedientem ne credat, non tamen gravius ob hoc ipſum, quod malitia poſita & inevitabiliter impediente non crediderit. Quod autem præterea dicit D. Molinæus,

Ep.257. linæus, Deum efficere necessario ne electi velint resistere; in eo, si proprietatem vocabulorum exacte scrutamur, aliquanto plus videtur dicere quam dixit Augustinus, cum prædestinationem definit, præparationem beneficiorum qua certissime liberantur quicunque liberantur. Illud enim (certissime) præscientiam quandam præsupponit eventus mediorum, non autem ponit media, ut ita dicam, necessitantia. Itaque alibi idem Augustinus, *Quod autem sequitur* (apud Apostolum) *qua præparavit* Deus, *ut in illis ambulemus*, prædestinatio est quæ sine præscientia esse non potest. Locutio autem illa quam D. Molinæus improbat, penes hominem esse sequi Deum vocantem aut non sequi, etsi sensum potest habere periculosum, non caret tamen magnis autoribus, atque ideo potest benignam interpretationem accipere. *Qui juvantur ut credant*, inquit Prosper, *habent in potestate ut veniant.* Augustinus vero: *Nec illis debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illis qui noluerunt venire, alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut vocati venirent erat in eorum libera potestate.* Et alibi; *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutifera inspirationi, nostræ potestatis est.* Itaque idem Augustinus vocationem secundum propositum explicat per eum vocandi modum, quomodo vocari aptum est alicui ut sequatur: non quomodo vocatus non possit non sequi. Quanquam vero idem Augustinus vocationem sæpissime suasionis voce describat, tamen facile pios omnes Molinæo concessuros arbitror, non agere Deum meris suasionibus, neque tantum in mentem operari, sed & in voluntatem, inspirando scilicet affectus salutares, non autem immutando concreatam voluntati proprietatem. Ad illam quæstionem quod attinet, cur quibusdam non prædicetur Euangelium, aut data prædicatione non aperiatur cor ita ut credant, quam attingit Molinæus, video duplici respectu dupliciter ab antiquis Patribus responderi. Nam si absolute quæratur, cur Bithyniæ & Asiæ quibusdam populis non fit hoc vel illo tempore prædicatum Euangelium? Respondebitur id factum ob peccata ipsorum voluntaria, atque ejus generis, propter quæ se immissurum famem verbi minatur Deus. Similiter, si quæratur cur Deus quosdam, quibus verbum prædicatum est, induret? Parata est responsio, quia jam ante se indurarant; *Nam*, ut Augustinus loquitur, *tunc inchoarunt meritum supplicii, cum vocati neglexerunt venire.* Sin autem comparate quæratur, cur Euangelium his magis prædicatur quam illis? cur huic cor pulsetur virtute majore quam illi? Hic responderi ita non potest, ut causa generalis statuatur utrinque in homine; certum enim est, sæpe majora beneficia etiam pejora meritis con-

De vo. Gent. lib. II. cap. 28.

Lib. LXXXIII. quæst. 68.

De dogm. Eccl. cap. 31.

gere. Recurrendum ergo hic est ad divi-
libertatem, & ad illud liberum decre-
tum, quod prædestinationis nomine describit Augustinus: cujus & hæc sunt in eundem sensum verissime dicta: *Investigabilis est Dei misericordia, qua cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & investigabilis acritas qua quem vult indurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cujus miseretur plerumque communibus.* Hic notanda est vox *plerumque*, neque enim negare vult Augustinus, quosdam misericordiam consequi minus male meritos: sed non propter hoc; quia & magis male merenti eandem sunt consecuti: ita ut appareat huic divinæ miserationi, si Deus velit, mala merita non posse obsistere. Agit autem Augustinus hic de specialiore misericordia, quæ communem & generaliorem non excludit sed præsupponit: quod alibi sic ipse explicat: *De hu, quibus pœnam veritas justa decreverat, secundum ineffabilem dispositionis occulta misericordiam elegit vasa, qua faceret in honorem; & alios à ventura ira dono gratuitæ vocationis absolvit, alios derelinquens ad æqualitatis judicium reservavit; nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem.* Secretum autem hoc divinæ libertatis in illa comparatione æqualiter dispositorum maxime spectari idem doctissimus autor sic alibi docet: *Neminem Deus liberat, nisi gratuita misericordia; & neminem damnat, nisi æquissima veritate. Cur autem illum potius quam illum liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium.* & alibi; *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare.* Et hæc est illa quæstionis profunditas, quam dicit Prosper, per liberi arbitrii velle & nolle non solvi; recte tamen addens, judicium Dei magis inscrutabile esse in electione gratiæ, quam in retributione justitiæ. In his ego capitibus arbitror Augustinum ab antiquioribus Patribus minime dissentire, nisi quod ipse & libertatem divinam clarius adstruxerit, & omnem meriti speciem ante justificationem destruxerit validius. Neque vero dubito, quin super his & aliis quibusdam egregia possit exstrui confessionum consensio, aut etiam nova atque communis Protestantium confessio, in qua conficienda, ego arbitrarer hæc esse vitanda: I. Ne definiatur decretum absolutum dandæ salutis prius esse decreto dandæ fidei. Alioqui enim damnantur omnes illæ Confessiones, quæ prædestinationis quæstionem (in hoc præcipue cardine versantem) statuunt non esse necessariam. Et in Deo cum omnia decreta sint coæterna, quid de prioritate laboramus? nostri ratione, constat fidei dationem præcedere dationem salutis. II. Ne negetur cooperatio voluntatis in boni electione & operatione. Nam ponit hanc manifeste Helvetica Confessio, rejiciens eos qui hominem velut saxum & truncum faciunt, cum Deus adjutor nostet dicatur, adjuvari autem nequeat nisi qui agit aliquid. Hoc ipsum autem etiam ad primum

Ep.257. *De bono perf. cap. 18.*

De prædest. & Grat. cap. 13.

Epist. 105.

Tract. 26. in Joh.

Lib. de vocat. Gen. I. cap. 25.

con-

Ep. 257. *Cath. reform.* converſionis momentum applicat Perkinſus. III. Ne definiatur modus operationis gratiæ talis, qui ſit neceſſitans ſive prædeterminans. Id enim (ni fallor) nulla Confeſſionum facit: & certum eſt diſſentire doctiſſimos etiam eorum qui nuper Arminio reſtiterunt, quos inter eſt Tilenus. His vitatis facilis (ut arbitror) erit de cæteris multo majoribus concordia.

De certitudine ſalutis. Nunc ad *certitudinem ſalutis* venio. In quo mirum in modum probo quod ſtatuit D. Molinæus: 1. gradus aliquos eſſe veræ fidei qui evertantur. 2. quoſdam electos dubitare de ſua ſalute. 3. gradum quendam eſſe peculiarem fidei quæ nunquam excidat. 4 flagitandam eſſe à Deo πληροφοριαν. (*plenam animi perſuaſionem.*) Hinc enim colligo: 1. Fidem eam quæ evertitur, & quæ non evertitur, non tam eſſentia quam gradu differre: quæ & Junii fuit ſententia. 2. Impetratam à Chriſto perſeverantiam, & promiſſam à Deo hac lege ſive conditione, ut eam enixis votis petere ac flagitare debeamus, ac proinde non omnino abſolute. Ne autem vocum ambiguitate fallamur, notandum eſt, Veteres omnes eam fidem quæ evertatur ita ſtatuere veram eſſe poſſe, ut effectum quoque juſtificationis ei non denegent. Palam enim pronuntiant, multos damnari ob poſteriora peccata, quibus remiſſa fuerint priora. Neque minus in eo conſentiunt, gratiam juſtificantem cum peccatis contra conſcientiam, ut homicidio, adulterio, & ſimilibus, non poſſe conſiſtere eodem tempore. Quare cum quidam electi poſt acceptum fidei donum in ejuſmodi peccata prolabantur, ut nimium multis probatur exemplis, ſequitur, & aperte à ſanctis Patribus pronuntiatur, poſſe eſſe tempus aliquod poſt acceptam fidem, quo electus non ſit in ſtatu juſtificationis. Hæc ſi opus eſſet, multis autoritatibus poſſent probari: cum quibus conſentiunt illæ Confeſſiones Proteſtantium, quæ damnant eos qui dicunt, *ſemel juſtificatos non amittere Spiritum Sanctum*: aut contra docent, *poſſe nos poſt receptum Spiritum à gratia recedere: poſſe renatos excutere Spiritum Sanctum, & fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum.* Certitudinis de ſalute tres modos mihi videntur priſci autores agnoſcere; quorum primus eſt extraordinarius per revelationem, quem nonnullis contingere Auguſtinus indicat, cum ſic ait: *Quis hominum ſe in actione profectuque juſtitiæ perſeveraturum uſque ad finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re juſto latentique judicio non omnes inſtruit, ſed neminem fallit.* Modi ordinarii ſunt duo, quorum alter deſumitur ex tempore, alter ex ipſo gradu fidei. Ex tempore certus eſt ſuæ ſalutis homo fidelis, cui mors inſtat & vita deſperata eſt: nam cum homo credens ſciat ſe credere, & ſciat credentem juſtificatum eſſe apud Deum, (quæ duo adverſus Pontificios ex ſacris Litteris, & cum pia antiquitate defendimus) hoc autem tempus fideli ſit ultimum, ſcit proinde ſe in ſtatu gratiæ mori, atque ita ſalutis ſuæ certus eſt. Huc reſpiciens Proſper, cum prædeſtinationem incertam apud nos dixiſſet, addidit, dum in præſentis vitæ periculis verſamur. Alter ordinarius certitudinis modus eſt ex gradu fidei. Conſtanter enim tradunt Veteres, charitatem perfectam (juxta perfectionem vitæ præſentis, nam perfectiſſima, ut inquit Auguſtinus, in hac vita non habetur) nunquam excidere. Notabile eſt illud Hieronymi: *Charitas quæ in Petro ante negationem herba fuit, & in ſingulis naſcitur antequam roboretur, ante ſui perfectionem amittitur & reparatur.* Hæc eſt illa radix, quam dicit Auguſtinus, quamvis ardente ſole, areſcere non poſſe. Nec alio videtur idem reſpexiſſe, cum quærit, quis ex multitudine fidelium in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? multitudinem enim fidelium nuncupans, paucos quoſdam & eximios videtur excludere. Præter hos tres plenos certitudinis modos, ſunt alii gradus inferiores. Nam ut cum omni antiquitate ipſe etiam Bernardus agnoſcit, non abſque teſtimonio conſolationis reliquit electos ſuos in hac vita Deus, hoc autem teſtimonium eo eſt certius, quo plura ac majora ſunt pietatis exercitia; quod clare demonſtrat ſacra Scriptura, cum nos jubet per fidem, virtutem, cognitionem, continentiam, patientiam, pietatem, amorem & charitatem, vocationem atque electionem noſtram firmam ſive certam efficere. Unde Auguſtinus veteribus conſentiens prædicat, quantum creſcit charitas, tantum minui timorem.

Ep. 257. *Ad 1 Ep. Joan.*

Auguſtana. art. 11. Anglica. art. XVI. Saxonica, art. X.

Lib. XI. de Civit. Dei cap. 12.

Ad illam nunc venio partem ſcripti, in qua D. Molinæus ſe ab illis ſegregat, qui contra omnem antiquitatem homines ſtatuunt in hoc creari ut pereant, & reprobationem ponentes lapſu priorem, neceſſitatem ſibi imponunt Deo tribuendi peccatorum omnium, etiam primi, efficacem procurationem; quia ſcilicet is qui finem abſolute ſtatuat, debeat etiam ſtatuere media ſine quibus ad finem perveniri nequeat. Hic vir doctiſſimus ſuſpenſo gradu incedens, ſatis trepide judicium profert, atque ſe loquendi genera iſta non concoquere: nimirum quia magnæ ſunt autoritatis quos iſta vexat ſcabies. At profecto non in loquendi generibus, ſed in ipſo dogmate venenum eſt: incurrit enim iſta ſententia directe in anathemata à Concilio Arauſicano, ab Auguſtino & à Proſpero non trepide, ſed fortiter pronuntiata. Atque hic illud mirari ſubit, cum antiqua Eccleſia omnes eos, qui peccata à fatali neceſſitate deducunt, Manichæis hæreticorum peſſimis & maxime exoſis adſcripſerit, Semipelagianos autem diutiſſime in ſua communione pertulerit; cur contra hodie hi, qui Deum partim injuſtum, partim immiſericordem, partim ſcelerum omnium autorem faciunt, extra cenſuram impune agant; gratia ſiquis ſentiat dilutius, etſiamſi multa maneat citra Semipelagia[illegible] limites, in ea

cum

Ep.257. omnes undique paribus animis conſurgant. Adeone minus delictum eſt, benefactorem contumeliis onerare, quam abnegare beneficium? Recte ſane & congruenter tum Gallicæ, tum Belgicæ Confeſſioni pronuntiat Molinæus, reprobationem non eſſe factam niſi in maſſa corrupta. Hanc autem maſſam corruptam aliqui in ſolo originis peccato conſiderant, arripientes id quod de Eſavo & Jacobo dicitur; cum tamen idipſum tale ſit, quale id quod de Iſaaco & Iſmaële præcedit, quod eſſe Gal. 4. 24. ἀλληγορούμενα (*per allegoriam dictum*) ipſe Apoſtolus alibi expreſſe declarat. Fuit quidem Auguſtini hæc ſententia, quæ Reformatis pleriſque diſplicet, quoſdam parvulos in infantia morientes ob originale peccatum damnari. Sed de Eſauo hoc ſentire Auguſtinus non potuit, cum ex ipſius ſententia circumciſio ſuſtulerit originale peccatum. Alii maſſam corruptam conſiderant in peccatis actualibus: quibus aſſentire videtur Molinæus, cum ait, hominum quoſdam ob peccata quæ volentes, & Deo non inſtigante admiſerunt, pœnis deſtinari. Sunt denique qui maſſam hanc corruptam conſiderant non in peccatis qualibuſcunque, ſed in contemtu vocationis. Pro quibus facere videtur illud Auguſtini de eodem illo Eſauo dictum: *Noluit & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam currere & velle vocando præſtaret, niſi vocatione contemta reprobus fieret.* Ex hac ergo ſententia poſſet addi ad verba D. Molinæi, *Deo non inſtigante*, imo & ad reſipiſcentiam ſerio invitante. Hucuſque me nihil minus cogitantem, (nam cum inchoarem epiſtolam, propoſitum mihi erat pagina una aut altera ſcriptionem abſolvere) perduxit relectio ejus chartæ, qua D. Molinæi ſententia continetur: de qua meum quidem judicium nolui proferre, neque ita velim exiſtimes: ſed quemadmodum mihi dulce eſt veterum auctorum ſcripta, cum hodiernis componere; ita operæpretium me facturum exiſtimavi, Vir Nobiliſſime, ſi te de iis commonefacerem, quæ ſuper his controverſiis Patribus placuiſſe, me, niſi vehementer fallor, lectio non indiligens edocuit. Poteris, quo vales judicio, Veterum ac recentiorum commendationes inter ſe comparare, & quantum negotiorum tuorum feret ratio, quæ diſcrepantium interpretationum ſacro contextui, illuminatæ à Deo rationi, & ædificationi Eccleſiæ ſit congruentior, expendere.

Sequitur in D. Molinæi ſcripto, poſt ſententiæ explicationem, Syllabus quorundam articulorum, de quibus putat facile conſenſuras partes. In his eſſe quædam à me obſervata, ex ſuperioribus poteſt apparere. Anticipavi enim quædam ne materia diſcerperetur. Si quid reſtat nunc addam. Liberum arbitrium lapſu primorum parentum ad pias actiones amiſſum recte dicitur; quatenus ad id genus actiones nullas habet vires: non autem ut ſignificetur, non ineſſe nativam voluntati libertatem, ſine qua voluntas eſſe non poteſt, & qua poſſit velle & nolle poſitis omnibus prærequiſitis, hoc eſt, datis ad volendum viribus. Ep.257. Itaque Auguſtinus, *Quis, inquit, noſtrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Et ne pias actiones omnino hic excludamus, obſtant aliæ ſententiæ, ut illa: *Si non eſt gratia Dei, quomodo ſalvat mundum? ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Item: *Illa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium.* Item: *Fides Catholica neque liberum arbitrium negat, neque in vitam malam, neque in bonam; neque tantum ei tribuit ut ſine gratia valeat aliquid.* Et alibi: *Qui negaverit liberum arbitrium, Catholicus non eſt. Quiſquis autem dixerit, quod ſine Deo bonum opus nec incipere nec perficere poſſit, Catholicus eſt.* Quibus effatis hoc non ſignificatur, per naturam habere nos bene velle (quod eſt Pelagianum:) ſed per naturam habere nos ipſum illud velle, quo à gratia informato bene volumus. Gratia enim eſt principium à quo, voluntas ſive liberum arbitrium principium in quo fit converſio. Auguſtini illud, Deo *volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*, ita explicandum eſt, ut non evertatur alterum ejuſdem dictum modo citatum, ubi imputari multis ait, quod Deum volentem ſanare contemnunt. Eſt ergo voluntas quædam conditionata, quam invitantem vocat Proſper: eſt & abſoluta, quæ præſcientiam quandam, ſaltem conditionatam, ſequitur. Illud D. Molinæi, quos Deus prædeſtinavit ad finem, id eſt, ſalutem, prædeſtinavit etiam ad media; videtur plane definire, Deum priuſquam de fide aliquid ſtatuat, ſtatuere hunc hominem abſolute ſalvum facere. Quæ definitio omnes ante Auguſtinum Patres à nobis ſegregat: an cum Auguſtino ipſo conveniat, diſputatur: niſi forte prædeſtinationis vox ita generaliter ſumitur, ut comprehendat etiam non abſolutam, ſed quæ poſitis poſtea mediis in abſolutam tranſeat. De vocabulo *gratiæ ſufficientis*, deque *neceſſario* & *libero* ſupra egimus. Non poſſe quenquam perire eorum, quos Deus prædeſtinavit ad regnum, nec quenquam poſſe eorum quos non prædeſtinavit ad vitam ulla ratione ſalvari, in ſenſu compoſito omnino verum eſt, quocunque tandem modo prædeſtinatio, dummodo abſoluta, ſumatur. In ſenſu vero diviſo eadem ſententia veritatem ita demum habitura eſſet, ſi conſtaret reprobationem fieri citra præſcientiam actus liberi. Quod negare videtur ipſe Molinæus. Certe Proſper non veritus eſt dicere: *Quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati. Eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri & in ſanctitate manſuri.* Item: *Quia illos ruituros propria ipſorum voluntate præſcivit, ob hoc à filiis perditionis nulla eos prædeſtinatione diſcrevit.* Item: *Ideo prædeſtinati*

Ad Bonif. lib. 1. c. 2.

Epiſt. 46.

De grat. & lib. arb. c. 21.

Ad obj. Vinc. reſp. 12.

Ad Cap. Gall. reſp. 7. Sent. ſup. ch. cap. 7.

Ep. 257. *non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.* Obiter & illud addam, librum de fide ad Petrum, ex quo citatur modo dicta ſententia, à viris eruditiſſimis judicari non eſſe opus Auguſtini, idque gravibus argumentis. Quod dicitur, prædeſtinatos Deus elegiſſe ut credant, recte dicitur, cum omne beneficium, ad quod non omnes perveniunt, merito electionis vocabulo in Scripturis ſignificetur. Neque tamen hinc ſequitur, eoſdem nullo modo dici poſſe eligi, hoc eſt, juſtificari quia credant, ſi vox *quia*, non cauſam promerentem, ſed quovis modo antecedentem denotet. Eodem modo nobis miſericordiam facit ut ſimus fideles: neque tamen negandum eſt, aliquam miſericordiam eſſe quæ ſubſequatur fidem, ac proinde exerceatur in fideles qua tales ſunt. Deus dando fidem efficit ut digne audiamus Euangelium: ſed non ideo negandum eſt, Deum ex immenſa ſua bonitate, qua multos diu contumaces convertit, nolle de induſtria ab eo beneficio excludere minus contumaces, & diligentes lectores atque auditores verbi divini: neque negandum videtur eos, qui attente audiunt verbi divini præcones, minus eſſe indignos dono fidei, quam hos qui aures obturant, quales erant Stephani auditores. Sic in Euangelio venientes Apoſtoli in urbem aut vicum aliquem, jubentur ſciſcitari ecquis in eo loco dignus ſit: cui ut indigni opponuntur hi, qui Apoſtolos non eſſent recepturi, neque audientiam verbo præbituri. *Matth.* X. 11, 12, 13, 14. Et in Actis, Judæi tum demum dicuntur ſe judicaſſe vita æterna indignos (indignitate ſcilicet majore ac ſpecialiore) poſtquam impleti ira contradixerunt verbo, & quidem cum blaſphemia. *cap.* XIII. 45. 46. Cæterum ſi quis non figurate, aut comparate, loquendo exiſtimet eſſe in homine irregenito aliquid poſſe quo dignus ſit ad fidem pervenire, eum periculoſe ſentire nemo, ut arbitror, eſt negaturus. Cum D. Molinæus cauſas, cur hos elegerit, illos non elegerit, ait eſſe penes Deum, nec anxie nobis ſcrutandas; primum innuere videtur, non eſſe hujus diſcriminis cauſam unicam & univerſalem, placitum divinum. Hæc enim cauſa ſatis aperta eſſet, ut alias cauſas qualeſcunque excluderet. Et cum non anxie ſcrutandas ait, concedere videtur aliquatenus ſaltem eas inquiri poſſe; quod non longe recedere videtur ab ea Auguſtini opinione, quam multi ab eo putant retractatam, qua dicit, cauſam cur hic magis quam ille reprobetur venire de occultiſſimis meritis. Homines non prædeſtinari ad vitam ob merita, ſæpe hoc ipſo probat Auguſtinus, quod gratia juſtificans (qui præcipuus juxta ipſum eſt prædeſtinationis effectus) nullis meritis præcedentibus concedatur. Cæterum non prædeſtinari homines ad merita noſtro quidem ſenſu concederet Auguſtinus, non autem eo quo plerumque *meriti* vox piæ antiquitati uſurpata eſt. Quia enim craſſiores Pontificii vocem *meriti* ad tuEp. 257. turam operis & juſtitiam communicativam referunt, optimo jure ab hac voce abſtinemus. At Patres mereri tantum ſumpſerunt, pro eo quod eſt impetrare & conſequi aliquid faciendo, & meritum pro pio opere, cui ex liberali & gratioſa promiſſione merces debeatur. Quare ſicut ad fidem prædeſtinari nos agnoſcit Auguſtinus, ita etiam ad merita ſive ad opera nos prædeſtinatos non negat. Et Proſper ait, *ab ea gratia incipere merita quam accepimus ſine meritis, & voluntatem in hoc divinis præſidiis excitari, ut incipiat exercere ad meritum quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Ita mollita *meriti* voce minus jam mirabimur, ſi apud antiquiores Auguſtino Patres invenimus hominem ex meritis prædeſtinari. Agunt enim de decreto abſoluto dandæ gloriæ per modum præmii: unde Ambroſius: *Quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.*

De vocat. lib. 1. cap. 18. Lib. 11. cap. 16.

Lib. 5. de fide c. 3.

Ad concluſionem hujus partis nunc venio, planeque eum D. Molinæo judico, poſſe concinnari articulum talem de hiſce controverſiis, cui ſubſcripturi ſint Galli, Angli, Belgæ, Helvetii, Germani, puriorem religionem amplectentes: eumque articulum optime poſſe deſumi ex Concilio Arauſicano, & ex Proſperi ſententiis ad capitula Gallorum. Scopum autem hunc debere eſſe exiſtimo, ut in bono ſuus honos gratiæ ſervetur illibatus; in malo autem homo ſemet accuſet, Deum autem in nullam trahat ſui criminis ſocietatem. Præterea ut doceatur homo, neque divinæ opitulationi diffidere, neque alienam à pietatis ſtudio quærere ſecuritatem. Simul eam quoque in definiendis quæſtionibus adhibendam ſobrietatem arbitror, ut non Auguſtini tantum Proſperique, & Fulgentii habeatur, quæ par eſt, ratio; verum etiam abſtineatur à condemnandis illis ſententiis, in quibus vixiſſe & mortuos eſſe paret viros ſanctiſſimos, qui poſt Apoſtolos, & ante Conſtantini imperium conſpicuis omni pietate ſæculis, verbo, ſcriptis, vita & ſanguine Eccleſiam Chriſti ædificaverunt.

Perveni ad partem ultimam, quæ eſt de Magiſtratu. Hic vero facete D. Molinæus ait, ſe à me ſublevari, quod ultro quid ſentiendum ſit doceam; in quo oſtendit minime ſe cepiſſe quid ego haberem propoſitum. Non enim hoc egi, ut aut ipſum (quem à te quidem ſuper nonnullis quaſi tua ſponte monendum, iſta vero nunquam inſpecturum putarem) aut quemquam alium docerem; ſed ut meam ſententiam libere apud te, Vir Nobiliſſime, deponerem: idque ea occaſione, quia ex te acceperam, D. Molinæum eruditis Magiſtratibus aliquid juris largiri, quod minus eruditis non concederet. Id vero mihi non placuiſſe fateor: ideoque diſtinctionem attuli claram, ut mihi quidem videbatur, atque perſpicuam, inter jus ſive poteſtatem, & inter aptitudinem ſive facultatem. Sed

Ep. 257. ſenſum meum adeo hic non cepit D. Molinæus, ut mihi his quæ dixerim contraria aſcribat. Ait, me velle jus ferendi leges competere Magiſtratui erudito. Non dixi, imo contra ſignificavi eruditionem ad ipſum jus nihil facere. Ait mox, Senatorem aut Judicem, ſi Juriſconſultus ſit, id eum eſſe qua judex eſt. Ego vero hoc minime probo. Nam & juriſconſulti multi ſunt non judices, & judices multi non juriſconſulti. Hoc officii eſt, illud ſcientiæ. Adferam exemplum alterum. Paſtores multi ſunt (proh dolor) nimis imperiti ſacrarum Literarum. Horum eſt quidem munus ſacras Literas interpretari, neque jure deſtituuntur, ſed requiſitam aptitudinem non habent. Scientia igitur jus nec dat nec auget: ſed ut jus recte exerceatur efficit. Rex imperitus (ut de Eccleſiaſticis rebus interim taceamus) non minus juris habet de rebus politicis præcipiendi, legeſque ferendi, quam Rex doctiſſimus. Hæc ego à viro ſubtiliſſimo non conſiderata plurimum miror. Quod de ſcientia dixi, idem de animi probitate dictum puta. Vir bonus ſit oportet, qui recte eſt imperaturus. Sed jus ipſum non pendet à virtute, non magis quam dominium rerum privatarum. Neque enim avarus minus eſt dominus rerum ſuarum, quam liberalis: etſi liberalis opibus recte utatur, quibus abutitur avarus. Arbitratur D. Molinæus, velle me ut Magiſtratus, qui ſit recturus Eccleſiam, ſit orthodoxus. Sane velim: ſicut etiam velim omnes divites eſſe liberales. Quærit, quis judicaturus ſit an Magiſtratus ſit orthodoxus? ſi ipſe, periculum ingens: ſi alii, jam Magiſtratus aliorum judicio erit obnoxius. Quæram ergo ſimiliter; quis judicaturus ſit an Magiſtratus ſit rerum civilium ſatis peritus? & ſi iſta argumentatio valet, concludam plebis judicio ſubjacere Magiſtratum. Quæram viciſſim, cum Magiſtratum gerens alicui ſe Eccleſiæ applicare debeat, quis judicaturus ſit hæc ne an illa Eccleſia magis ſit orthodoxa? ipſe an Eccleſia? Si ipſe, & idem periculum. Si Eccleſia, hoc erit principium petere, cum nullus ſit Chriſtianorum cœtus, qui non ſe Eccleſiam, & quidem orthodoxam, dicat. At infidelis, inquit, Magiſtratus hoc exemplo abuſurus eſt ad uſurpandam eandem poteſtatem. Quaſi vero incommodum allegare ſit argumentum ſolvere. Quid eſt in humanis rebus quod incommodo careat? An non ſimiliter dicere mihi licebit, ſi Eccleſiæ tribuatur quod ego Magiſtratui tribuendum puto, & Paſtorum hæreticorum cœtus hoc exemplo abuſurus eſt, & idem jus uſurpaturus, ſicubi prævaluerit, quod ſæpe contingit. Reſpondebo igitur verbis Auguſtini: *Reges cum in errore ſunt, pro ipſo errore leges contra veritatem ferunt: cum in veritate ſunt, ſimiliter contra errorem pro ipſa veritate decernunt: ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali.* Vides quam minime metuerit illud incommodum Auguſtinus. Et eſt profecto nullius ponderis. Non fuit orthodoxus Au- Ep. 257. relianus Imperator: Ergo Samoſatenum hæreticum Epiſcopatu pellere non potuit. Minime viderunt hanc conſequentiam ſancti Patres, qui judicium de Samoſateno Imperatori hactenus detulerunt, ut cauſa cognita ipſum auctoritate imperatoria ſolio depelli poſtularent. Neque Neronem appellaſſet Paulus, ſi nullum illi de re fidei cognoſcendi jus eſſe credidiſſet. Quemadmodum igitur Trajanus civiliter probus, Nero improbus, pares tamen in jure regnandi, ita Conſtantinus Pius, impius Nero, pares jure cognoſcendi, aptitudine impares. Quærit præterea Vir Doctiſſimus, an per gubernare Eccleſiam intelligam judicem eſſe de capitibus fidei; an vero, poteſtatem repurgandi Eccleſiam ſcandalis, jubendi ut ea credantur quæ verbo Dei ſunt contenta? Ego vero miror hæc diſparari, quæ indiſſolubiliter mihi videntur cohærere. Nam ſi Regis eſt præcipere ut ea doceantur quæ vera ſunt, ut vitentur ſcandala in quibus præcipuum locum hæreſes obtinent, quomodo id faciet niſi judicaverit, quid verum ſit, quid hæreſis? Præcipiendi enim actus requirit judicandi poteſtatem. At inquit, ea præcipere credi, quæ Paſtorum orthodoxorum cœtu ſunt ſtabilita. Et hoc qui dicit, nonne oſtendit illud ſaltem requiri, ut judicet, qui ſint Paſtores orthodoxi? Quia vero Eduardi, Ordinum Hollandiæ, Principis Arauſionenſis exempla adferuntur, quæro, cum in Anglia eſſent Paſtores Romanenſes, eſſent & Proteſtantes, in Hollandia præter Reformatos, eſſent non Romanenſes tantum, ſed Anabaptiſtæ quoque & Lutherani, quod Reformata religio publice ſit introducta utrobique, aliis aut vetitis aut poſtpoſitis, id an non ideo evenerit, quod Rex, Ordines, Princeps, iſtam religionem puriſſimam judicaverint? Amplexi ergo ſunt ea quæ à fidelibus Paſtoribus ſuggeſta, & ex Scripturis demonſtrata ſunt; non ob Paſtorum auctoritatem (quippe multæ erant Paſtorum familiæ) ſed quia ipſi judicabant ea Scripturis convenire. Quod ſi Theologiæ modos & effugia non norant, ſatis tamen erat quod idololatriam, & tyrannidem Papiſticam, alioſque errores certo judicio improbabant. Sequitur quæſtio ab hoc loco ſatis aliena, de Rege, qui velit ore blaſphemo capere ſacra myſteria. Reſpondeo; aut hoc ipſum eſt vetitum jure divino, aut non eſt. Si jure divino id eſt vetitum (quod ego arbitror, ſi Rex ponatur nondum agens pœnitentiam) non ſequitur, id quod ait D. Molinæus, legibus Eccleſiaſticis obnoxium fore Regem, ſed divinis; quod nemo negat. Simile eſt in pedaneo judice, qui à Rege jubeatur contra æquitatem judicare. Non tacebit hic judex ſi ſapit. Ergone Rex iſti judici ſubjacet? Minime vero. Sed judex ita Regi ſubjacet, ut ſupra Regem terrenum agnoſcat Regis cœleſtis imperium, qui vetat cuiquam injuriam facere. Quod ſi legem aliquam ponas non divinam, ſed po-

Ep.257. sitivam, ex arbitrio profectum humano; huic ita subjectum Regem, qui dixerit, ut nulla de causa relaxare legis vinculum valeat, is Regem negaverit. Nam Regis, qui vere Rex est (id est, si solus imperat, non si cum Optimatibus regni simul constituat summam potestatem) jus est leges ferre, abrogare, intendere, remittere. Vetant multarum Synodorum Canones Episcopatus in metropoles erigi, aut à metropolibus abalienari; vetant novos Episcopos, aut metropolitas constitui, aut in aliena diœcesi ab Episcopo sacra celebrari: vetant Episcopos suscipere civilia negotia. Imperatorum tamen jussu facta sunt hæc omnia sæpissime. Rationem reddunt Græci interpretes; quia Imperator nec legibus subjaceat nec Canonibus. Papæ magis quam Regis cliens
Ep. 121. erat Ivo Carnotensis Episcopus, qui tamen Gervasium à se ad communionem receptum testatur (credo non ..... sed ante terminum Canonibus constitutum) pro regia honorificentia legem etiam talem citans: si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes fecerit, hos etiam sacerdotum & populorum conventus suscipere in Ecclesiastica communione debebit: ut quod principalis pietas recipit, nec à sacerdotibus Dei alienum habeatur. Interrogat mox D. Molinæus, an consiliarii Regis debeant esse Doctores Theologiæ? an etiam necessarium sit Regi eruditum esse in Theologicis? Ego vero rerum divinarum scientiam requiri arbitror in Rege & præcipuis consiliariis; non ut ille Rex sit, hi consiliarii; sed ut munere suo recte fungantur. Scientiam autem non dico talem, qua certo norit omne verum à falso distinguere (quis enim vel summus Theologiæ Doctor hoc sibi polliceatur) sed qua discrimen norit ponere inter necessaria creditu aut factu, & non necessaria, inter hæretica & non hæretica. Eodemque modo & jurisprudentiam & gubernandi artem in rege desiderari arbitror. At inquit D. Molinæus; Æquum est ut indoctior à doctiori doceatur. Hoc argumentum, si in id valet ut indoctior cujusvis doctioris judicio submittere se debeat, in Synodis quoque Pastores cedere debebant Doctoribus Theologiæ; hos enim ut doctissimos nominat D. Molinæus. Atqui certum est, Pastoribus non minus, sinon etiam amplius, juris esse quam Doctoribus. Et solent nostri uti Panormitani testimonio, idiotæ meliori Scripturæ auctoritate muniti judicium, Patriarchæ judicio præferendum, dicentis. Ut ad rem veniam: est quidem doctiorum docere indoctiores, sed non imperare indoctioribus. Itaque Scabinus rusticus (ut jura nos docent) non obligatur responso jurisprudentium, neque ægrotus medici dicto, nisi quatenus nulla ratio ipsius animo contrarium valide suadet. Sequitur alia percunctatio. An Magistratus se minori Pastorum parti possit adjungere? Mirum vero id interrogari à Pastore Reformato, cum omnes Ep.257.
Magistratus, qui nostro sæculo Ecclesiam repurgarunt, minori Pastorum parti contra majorem recte crediderint. At in Nicena Synodo cessit Constantinus pluribus, non autem se addixit paucioribus. Imo cessit cognitæ & compertæ veritati, quam tum divino beneficio plures sequebantur. Quod non semper accidit; vincit enim sæpe pars major meliorem. Quod si numerandæ sunt, non ponderandæ sententiæ, jam pluris esse debet Ariminensis Synodus, Episcoporum cccc, quam Nicena quæ cccxviii habuit. Quid ergo faciendum erat Imperatori eo tempore, cum, Hieronymo testante, ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est? An tunc quoque sperneuda paucitas, sequenda multitudo? Nemo id sanus dixerit. Culpantur duo Reges, quod non potius uni Michæ, quam quadringentis falsis Prophetis crediderint. Audiendæ ergo partes dissidentes; sed auctoritatem suam accommodare debet Princeps ei causæ, non quæ plura habeat suffragia, sed cujus æquitatem ipsius animo veri diu explorati vis persuaserit. Regula illa, unicuique in sua arte credendum, probabilitatem habet aliquam, non vero perpetuam certitudinem. Et est artificum differentia, ut sæpe paucis potius quam multis credere expediat; adeo ubique illud usu venit ut sint πλείους κακίονες. (*plures pejores.*) Ars quidem propria non est Regis Theologia. Sed ars illi maxime conveniens est illa, quam βασιλικὴν, ἡγεμονικὴν, καὶ ἀρχιτεκτονικὴν (*Regiam, aptam ad imperandum & supremam*) docti vocant, cujus pars longe nobilissima est illa quam dixi cognitio rerum divinarum, non ad omnes scholarum tricas descendens, sed neque consistens intra privati hominis rudes sensus, sed summa quæque complectens ambitu suo, ut si quid desit, id possit aliorum ministerio suppleri. Neque aliam mensuram cæterarum artium in Rege desiderari, jam ante diximus; quanquam ego non dubito, si ulla est scientia cui peculiare studium adjungere Rex debeat, eam esse Theologiam: & graviter peccare, qui illam ita obscuram & difficilem, aut depingunt, aut faciunt, ut eo nomine principes ab ea diligentia deterreant, quam lex divina ipsis tantopere commendat. Quod si eo nomine deneganda est Regi in res Ecclesiasticas summa potestas, quia Theologus summus non est; jam ne in civilibus quidem leges ferendi jus ad ipsum pertinebit, cum multi sint Rege jurisprudentiores? Vereor quoque ne eadem ratio multos Pastores ab omni suffragii jure sit excluſura. De Rege Angliæ, quid dicat D. Molinæus, non satis intelligo. Ait eum supremum esse judicem in omnibus causis tam Ecclesiasticis, quam civilibus; attamen non esse judicem controversiarum, neque eum titulum agnoscere. Ego non video quomodo ab universali causarum appellatione eximantur controversiæ, cum judicari nisi de controversis vix soleat.

Ep.257. ſoleat. At diſtinguere videtur inter res fidei & alia Eccleſiaſtica. Sed judicare quid ſit idolum, quid idololatria, an ad fidem non pertinet? Prætuht Regina Elizabetha, & ante eam Eduardus Reformationem Papiſmo: non cæco impetu, ut opinor, ſed judicio: contenditur autem inter Papiſtas & Reformatos, de articulis fidei. Rex ipſe, cujus verba adferuntur judicium de articulis fidei à ſe amoventis, nonne audivit Hamptoniæ hinc Epiſcopos, inde Puritanos, ut medius, ut judex, cum non tantum de gubernatione Eccleſiæ, ſed & de prædeſtinatione & certitudine ſalutis diſputaretur? nonne quid ſibi videretur pronuntiavit? Quid ergo eſt, quod à ſe amolitur? Eam auctoritatem quam Papa ſibi vendicat, qui ſe judicem conſtituit αὐτόπιστον, (*per ſe fidem facientem*) cui etiam extra Scripturas credi debeat. Itaque conjungit ut affinia, articulos condere, & judicem ſe de articulo fidei conſtituere. Hoc ſane jus nec Regi debetur, nec Synodo. Nam ne Synodo quidem credi debet propter ipſam, ſed propter Scripturæ teſtimonia quibus nititur. Non poteſt enim fides vera de rebus divinis haberi, niſi per auctoritatem mere divinam. Explicat optime hanc Regis ſententiam, ipſe, Rex ne dicam an D. Molinæus, in libro contra Cardinalem Perronium, cum dicit, nunquam Imperatores ſibi attribuiſſe judicium abſolutum & infallibile de doctrina: Cognoviſſe tamen eos de Conciliorum deciſionibus, & non de ſola diſciplina, ibidem & fatetur, & probat. Addit, examinaſſe Imperatores, an nihil in congregatione Epiſcoporum ſtatueretur, quod prioribus Conciliis repugnaret. Hoc ni liceat Regi, jam Regem nihil niſi Eccleſiaſticorum lictorem fore. Satis hinc apparet, Regis judicium verbo divino adſtringi; à congregatione autem ſui temporis Epiſcoporum doceri, inſtrui, ac duci, non ita tamen, quin ſuum quoque ipſi judicium competat. Et ſane exigit hoc ratio. Nulla enim bona eſt actio, niſi quæ ab agentis judicio proficiſcitur: at Regis qua talis officium eſt vera dogmata fovere legibus, contraria opprimere; debet ergo de ipſis quoque dogmatis judicare. Neque hic plus Regi quam privato tribuitur: nam, privati pro ſe de articulis fidei judicant ex Dei verbo: ſed effectus diſtant, quantum plus Rex privato poteſt: ſicut & judicium patrisfamilias, qui magnæ domo præeſt, latius extenditur quam ejus, quem modici lares cohibent. Iſh vero D. Molinæi dicterio, quo *adulatoriam* vocat eorum *operam*, qui in Hollandia hanc moverunt (ut ait) quæſtionem, facile eſſet aliud reponere, ſuſpectos ſcilicet merito haberi novi papatus affectati, qui piorum Magiſtratuum judicia adeo reformidant. Quod ſequitur, facilius poſſe ferri; controverſias de fide dijudicari à Magiſtratu, *ſi patria noſtra certa eſſet, ſimiles ſe ſemper iis quos nunc habet Magiſtratus habituram*, non poſſum omnino probare, gnarus non debere theſes ex temporum ratione mutari: neque aliquid quia Ep.258. expediat ideo magis minuſve verum eſſe. In eo quoque fallitur, cum Magiſtratus paucos magno paſtorum cœtui quaſi ex adverſo opponit. Apud nos enim regimen non eſt penes pauciores quam hi ſunt qui in Synodos ſolent convenire: qui ſi apicum Theologicorum haud æque ſunt periti, atque Paſtores (& ſi id quoque qui ſentit, multos noſtrorum paſtorum, qui qualeſque ſint ignorat) ſed id ut demus, ſunt ſane ad pacem & tranquillitatem tuendam non paulo melius affecti, quam hi qui pacem prædicant. Quantum enim peritia ad judicium confert, tantum ei obſtare ſolent partium ſtudia. Non autem hæc eo dicimus, quod omittenda putemus Synodorum judicia: minime vero, habent enim uſum maximum. Sed Regem iis plane eſſe adſtrictum, ut, aliter teſtante conſcientia, ſequi tamen Synodorum dogmata debeat, mihi perſuadere non poſſum. Et apud nos quidem hæc diſputantur. At in Germania & alibi Principes jus iſtud palam exercent, nemine paſtorum contra diſputante. Sed profecto jam tempus eſt deſinam: nam ſi quicquid hujus in mentem venit in chartam velim conjicere, futurus ſum temporis mei parum parcus, tui autem valde prodigus. Hoc tamen prius teſtabor, me de prædeſtinatione, Gratia, libero arbitrio, aliiſque id genus quæſtionibus audire malle judicia aliorum, quam meum depromere. Cæterum de Magiſtratibus nihil hic à me dictum, quod non ſatis certum compertumque habeam. Memineris autem, Generoſe Domine, &c. Scripta 1615.

CCLVIII.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.D.

Judicium de præcedente Grotii Epiſtola.

LEgi reſponſum tuum, Ampliſſime Domine, in quo non dico permulta, ſed omnia plane ita ſubtiliter, nervoſeque à te dicuntur, ut quamquam ſciam quam plerique omnes docere quam diſcere ſimus paratiores, tamen bona me ſpes habeat, poſſe hic Clariſſimum Molinæum ab anticipata opinione dimoveri. Sed cum omnia mire fuerint ad palatum meum, tum imprimis ea me delectarunt, quæ de ſalutis certitudine ſcripſiſti. Omnino enim in hoc dogmate plus mihi lucis adluxiſti, quam vel alius antehac quiſquam, vel tute antea ipſe; quamquam ſemel iterumque tecum de eo ſim locutus, & communicaris mecum, quæ de conciliatione diſſidentium ſententiarum ſcripſeras nuper. Nec tamen abeunt ab iis, quæ interea temporis jam animo conceperam. Sed gaviſus ſum ea calculo tuo comprobari: &, quod magni duco, diſtinctius ea propoſuiſti, quam ego ea mente eram complexus. Itaque uſus mihi eorundem fuit hodierno die, quo dicendum aliquid fuit de ver-

Ep. 258. bis iſtis Chriſti *cap.* XXIV. *Matth.* ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. (*ut ſeducant, ſi fieri poteſt, etiam electos.*) Nam hucuſque me in eo Euangeliſta ſeries ipſa perduxerat. Nec arbitror nos, plus quam a te factum, largiri cuiquam poſſe, niſi ſimul à clara Scripturarum luce, inque ea ambulantis piæ antiquitatis veſtigiis, viſum ſit deflectere. Quod vero prohibes, ne Nobil. Langeracenſis literas tuas oſtendat viro doctiſſimo, equidem iſtiuſmodi puto, ut nec tu imprudenter illud ſcribas, & Langeracenſem tamen prudenter facturum putem, ſi nullus hac parte morem tibi gerat. Nam & Reipub. & Eccleſiæ plurimum intereſt, ut magni nominis Theologi piæ antiquitatis ſententiam cognoſcant ſuper prædeſtinatione & dogmatibus annexis: tum vero imprimis, ut jus ſummi Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis rectius addiſcant. Quod ſi tamen Legatus ſibi illum theſaurum ſervet; poſtilla ſcribi oportebit, rem omnem te ipſius permittere poteſtati. Nec puto hoc conſilium quemquam ut candidum minus interpretari poſſe, niſi forte qui niger ſit ipſe. Qualis forte etiam in ſcripto tuo minus veriſimile dicet; quod ais pag. 2. verſ. 9. non aliud te ſpectaſſe, quam ut Molinæi conſilio & ipſe & alii adjuvari poſſetis ad pacem promovendam. Obducat enim quod pag. 17. (cujus initium *ad concluſionem*) ais non ſcripſiſſe te in eum finem, quod Molinæum inſpecturum putaras, ſed ut ſententiam tuam apud Nobil. Legatum deponeres. Quæ tamen licet ἐναντιοφανῆ, (*in ſpeciem contraria*) non tamen ἐναντία (*contraria*) eſſe patet, cum, ut ego arbitror, volueris, non ſcriptum Molinæo oſtendi, ſed diſſimulato ſcripto, Molinæo exponi debere, quæ ſcripto eſſes complexus, quæque Legatus ad conſilium ejus de procuranda pace eliciendum, ſignificanda ei arbitraretur. Porro cum ejuſdem pag. 17. verſ. 2. nominas conciliationem, cui ſubſcripturi ſint Angli, Belgæ, Helvetii, Germani, dubitavi certone conſilio an feſtinatione omittantur Galli, præſertim cum in Gallias ſcribas. Quemadmodum nec ſat ſcio, an quod pag. 6. verſ. 7. à fine, ais, ſimplex donum eſſe non poteſt, quod pluribus conceditur priori gratia abutentibus, quam utentibus, an ἁπλῶς (*ſimpliciter*) intelligi poſſit; cum certum ſit, ſi princeps tam iis qui haſtam abjecerint, quam qui bene rem geſſerint, armillas donet, minime horum ratione ſimplex donum dici poſſe. Hæc ſic ego non muſinabar, ſed muginabar. Nam aliquid in chartam conjiciendum erat, non quale tu ſcripſeras, cujuſmodi nihil erat, (ſcio te ſic ingenue ſcribenti fidem habiturum) ſed tamen quod chartæ ſpatium implere poſſet. Bis me legiſſe dicere poſſum, etiam tertiaturum, niſi metuiſſem, ne in remittendo feſtinato opus eſſet. Supereſt, Vir Ampliſſime, & ſupra mortales omnes mei amantiſſime, ut maximas tibi gratias agam, quod priuſquam reſponſum hoc tuum mitteres ad Langeracenſem ejus mihi legendi feceris poteſtatem. Nec enim majori cum voluptate, addo etiam cum fructu, meum in re alia tempus collocare potuiſſem. Planeque rogo ſimili adfectu & honore in poſterum me proſequi velis. Eſt & quiddam aliud de quo ad te ſcribere aveo, quod Bredanam Eccleſiam ſpectet. Sed nunc ſerum eſt: eoque occaſione iſtac potius utar, cum frater ad te Hagam iturus, quod futurum die Jovis, uti intelligo. Salutabis, magnifice Domine, nomine meo lectiſſimam fœminam conjugem tuam, quam Clemangis editor ante unam aut alteram hebdomadam præconio iſtoc ſerio apud me decoravit, quod ſuaviter ſe riſiſſet verſiculis rythmicis, quia rei familiaris aliquo diſpendio curaſſet, ut ſic compellare ſuos poſſet (ſic loqui liceat) confratres, Ecce hic ſtant Auguſtinus, Hieronymus, cæterique Patres. Vale decus meum. Prid. Kal. Decemb. CIↃ IↃC XV.

A. T. Obſervantiſſimus

G. VOSSIUS.

CCLIX.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.D.

Ep. 259. *Dr. agit in Eccleſia Bredana.*

SCripſeram tibi ante aliquot dies, Magnifice & Ampliſſime Domine, male me metuere Eccleſiæ Bredanæ à Muſenholio, qui cum reprobationis abſolutæ, gratiæque irreſiſtibilis & indeficibilis dogma tanquam filiolam ſuam amet atque amplexetur; tamen nec ejus, quam tueri vult, opinionis ſatis eſt intelligens, nec partis adverſæ ſententiam, (quam, ubicunque & quandocunque occaſionem levem videt, lineamentis diſtortiſſimis fœdiſſimiſque coloribus depingit) cognoſcere vel minimum laborat. Jam ab aliquot retro annis novimus hominem per affinitatem qualemcunque. Semper uti aliis, ita mihi quoque viſus eſt nullius vel judicii vel induſtriæ: mire adhæc iracundus & pertinax: cæteroquin imis pariter ac ſummis, quamdiu nullæ irarum aut ſimultatis cauſæ intercedunt, comis ac affabilis; etiam Latine non paulo melius ſciens, quam ſui plerique ordinis ſolent. Is ergo cum antea ſemper neſcio quas non monſtroſas opiniones, quas vel ipſe, per febrim credo, ſomniaſſet, vel à malegeniatis quibuſdam peſſima fide confictas avide arripuiſſet, ſpargere per vulgus ſolebat: tamen ex quo Amſtelodamenſium & famoſi zelotarum ducis perperis praviſque conſiliis dare ſe totum coepit, multo ſeipſo ſævior factus eſt; ſic ut non aliud nunc ſperet aut ſpiret, quam factiones, & triſte Eccleſiæ vixdum floreſcentis, diſſidium. Ad quod facinus tantum utitur, vel abutitur potius, pleriſque hominibus adoleſcentulis. Eorum

Ep.259. rum unus eſt Amſtelodamenſium alumnus, ac, nili me multum fallit conjectura, ὁ πλατύστομος (*Platevoetii*) & complicum emiſſarius, nomine Spiljardus, qui ſubinde Lugduno Bredam, inque urbis ejus pagos ventitat: ac paucas ante hebdomades domum meam venit, multum Muſenholianum pacis ſtudium extollens, ac Buxhornium & affinem, quaſi non recto talo in obortis controverſiis publicitus proponendis incederent, cenſoria graviter virgula notans, etiam obnixe rogans, adfinem primis literis muneris ſui commonefacerem: neque enim per Muſenholium ſtaturum, quo minus ea in Eccleſia ſarta tecta concordia conſervetur. Quæ cum apud me audeat, hominem pene ſibi ignotum, & Diamantio affinitate junctum, quid non apud alios ſpargere auſit, cogitatu haut difficile eſt. Alter congerronum eſt Radæus, Eccleſiaſtæ Veteraquinatis Lydii collegæ filius, diſcipulus ante pauculos annos meus, ſed qui immaturus adhuc diſciplinæ ſe noſtræ ſubduxerit, Dordrechtoque Franekeram, indeque Leidam ablegatus, Sibrandiana prius inſtitutione, hinc Polyandri auditione, mox audiendis homiliis parentis (qui vir nec prima Latini ſermonis elementa ſcit, ſed ἀνθαδίᾳ (*præſumtione*) non multos pares reperit) tantum & ſibi & parenti maximo intra biennium & trimeſtre profeciſſe viſus, ut idoneus crederetur, qui paſtor fieret Eccleſiæ Ooſterhoutenſis: quod & ambitu paterno facile eſt conſecutus, ſegneſcente indies cleri diſciplina, & mutuum mulis ſcabentibus, ridentibus & ringentibus interim veteribus condiſcipulis, qui cum ſe ei ſuppares fuiſſe ſcirent cum à nobis diſcederet, nondum tamen eo jam paſtore ferulæ manus in ſchola noſtra ſubduxerunt. Sed neque ſegnem Muſenholio navavit operam Pollio, qui jam ſic ſeſe iis civitatibus commendabilem facere ſtudebat, ad quas ſeſe ὁ μελλοπόδιος (*futuri ſoceri*) Polyandri opera brevi vocandum non falſo ſperabat. Atque hi illi ipſi ſunt, qui in Bredana claſſe ultima, atque alias in conviviis & circulis abſolutam Catecheſeos ſubſcriptionem importunius cæteris urgebant. Quam ob cauſam literas ad adfinem dedi, quibus ſubſcriptionem iſtiuſmodi, à qua jam ante abhorrebat, penitus diſſuadebam. Oſtendebam Synodis aliquot Confeſſionis exigi ſubſcriptionem, nulla vero Catecheſios: ac Synodicæ fortaſſis, minime vero claſſicalis eſſe autoritatis, novum in Eccleſiam morem inducere; tantoque hoc ferendum minus, quod nuſquam in Hollandia ipſa, non in ipſa Claſſe Dordrechtana, cujus tot annos pars fuiſſet, conſuetudo illa obtineret. Sed & Synodo Gorchomienſi & edicto Illuſtrium Ordinum poteſtatem omnibus factam paſtoribus tam Confeſſionem quam Catecheſin examinandi ad Scripturarum trutinam; quo ſi quid alterutrius autores humanitus paſſi viderentur, ejus indicium & judicium fieret in Synodo conſecutura: dubitandum autem minime eſſe, quin aliqua Ep.259. contineantur Catecheſi, de quibus diſſenſus ſit inter præſtantes Eccleſiæ Reformatæ doctores, ut de deſcenſu ad inferos, de juſtitia activa & paſſiva, & ſimilibus: proindeque non debere quemquam ad abſolutam ejus ſcripti ſubſcriptionem compelli, priuſquam Synodicum judicium factum eſſet. Quanquam vero affinis ſubſcriptionem nunquam ἁπλῶς (*ſimpliciter*) detrectarit, ſed dixerit ſemper, nolle tanquam Scripturis Canonicis ſubſcribere, ſed ut præſtanti Theologiæ compendio, in quo ſi quid fortaſſe Scripturis ac rationi rectæ conſentaneum magis dici potuerit, ſaltem neceſſaria omnia religionis Chriſtianæ capita ſalutariter explicarentur; tamen nec hoc modo aliud profecit, quam ut diceretur, niſi ἁπλῶς ſubſcribere paratus eſſet, redditurum ſeſe novitatis ſuſpectum. Nempe caſſâ hac terricula percelli & à propoſito dimoveri poſſe arbitrabantur. Poſtea per urbem diſperſum, proclinare, uti Buxhornium jamdiu, ita jam nunc Diamantium quoque in Remonſtrantium partes; ut qui Catecheſin ſubſcribere formidaret, quam tamen ipſe ad populum interpretaretur. Suſpicionem auxere, quod duo vel tres Muſenholii familiares, qui libellos nuperos ἐριστικοὺς (*contentioſos*) legiſſent (cæteri enim nihil inſolens in affinis concionibus animadvertebant) dicerent adfinem aliter quædam Scripturæ loca enarrare, quam à Calvino factum eſſet, quem ſuper iis conſuluiſſent; tum autem, quod cum à gratiæ divinæ contemtu neglectuque populum dehortaretur, hoc aliquanto fervidius feciſſet, nec addidiſſet, ut electi haut quaquam vel reſiſtere Spiritui Sancto, vel eum excutere poſſent: quorum utrumque Sacro verbo doceremur. Sed & de concione dixerat adfinis, gentes non omni veri Dei cognitione fuiſſe deſtitutas, ſed eam in mendacio detinuiſſe; planeque videri, niſi id ab iis factum eſſet, divinam bonitatem ac miſericordiam majori eas gratia fuiſſe dignaturam; nunc culpa ſua periſſe, quia citra gratioſum fidei donum nemo Deo placere ad juſtificationem ac ſalutem dandam poſſet. Ob quem ſermonem adfinem in conſiſtorio reum agere non dubitavit Muſenholius; ſed peragere non potuit. Nempe dixiſſe dicebat, poſſe gentes ſalvari ſine fide in Chriſtum: contrarium autem ſeniores, quos vocant, ſe audiſſe profitebantur. Adhæc contigit, ut Lansbergius, Hillerus, alii, Amſtelodamenſibus aperto ſchiſmati ſtudentibus, formulam concordiæ, aut quocunque nomine appellare lubet, ad vicinas Eccleſias miſerint, eaſque inter Bredanam: in qua cum Buxhornius & adfinis nihil niſi pacem Eccleſiæ ſpectari viderent, nec abludere ab nupero Ill. Ordinum edicto judicarent, non gravate manu ſua adſenſum ſunt teſtati. Non factum mallem, haut quidem quia mali hic videam quicquam; ſed quia per quos iſthæc procura-

rea-

Ep.259. rentur minus tacituros putarem. Sane vix ſubſcripſerat uterque, primo, ni fallor, alibi, mox Bredæ res ad Muſenholium, indeque in vulgus dimanavit. Jamque dicterio hoc notatur adfinis, quod qui gravatus ſit ſubſcribere Catechiſmo, hic Illuſtrium Ordinum edicto (ſic formulam nuncupant) ſubſcriptione ſua dignetur: quaſi dicant, divinis humana poſt habere. Dixi ante, qui de Eccleſiaſtarum aut candidatorum etiam grege Muſenholio maxime ſtudeant; ſed & in urbe habet is duos, tres, qui operam ei ſuam commodent: homines tanti typhi, ut cum literaturæ omnis penitus ſint rudes, melius cunctis Eccleſiaſtis ſeſe controverſiarum obortarum gnaros eſſe jactitent. Hos inter quis familiam ducat, me non monente ſcies, ſi ſcias eſſe unum ex iis ægrorum conſolatorem: quo hominum genere jam ab aliquot retro annis nihil reperi naſutius, nihil ad turbandas Eccleſias vel aptius vel proclivius: imprimis ſi factionis ſuæ ducem aliquem Eccleſiaſtarum nanciſcatur. Ita, ut alios mittam, memini Dordrechti, Eccleſiaſtas nullum magis metuere & concionum & vitæ apud vulgus cenſorem, quam ejus ordinis hominem: qui & cum Lydius de reprobationis dogmate mollius ſentiret, & cuidam ſeparatiſtæ Roterodamenſi non in cunctis aſſentire poſſet, eum paſſim traducere cœpit apud ſuos, quaſi in Remonſtrantium caſtra deſciviſſet. Sed Lydius, cum tam atrocem, ut ipſe interpretabatur, calumniam diſſipare vellet, proximis homiliis graviter in Remonſtrantes detonuit, multumque ea arte hominis labefactavit fidem. Verum ad Bredanum illum minime ſanctum παράκλητον (*conſolatorem*) redeamus, qui ſimiliter apud ſuos ut Remonſtrantem paſſim traducit adfinem. Quemadmodum vero olim nihil Chriſtiani ipſo nomine erat inviſius, abundeque illud criminis, imo crimina omnia complecti credebatur: itidem Muſenholius, παράκλητος (*conſolator*) iſte, & pauculi ejus farinæ alii, ſic Remonſtrantis nomen apud non paucos exoſum reddiderunt, ut qui Remonſtrantem dixerit, hæreſium omnium ſentinam, & aliquem qui per ſchiſma ad patriæ proditionem muniat viam dixiſſe videatur. Sane Muſenholius his diebus in menſa amitini noſtri aperte ac ſine circuitione dixit, Remonſtrantium hoc propoſitum eſſe, ut paullatim papatum invehant. Hoc qui apud eos facit, qui ſunt nobis affinitate conjunctiſſimi, nec ob prudentiam facile admodum calumniis iſtiuſmodi fidem habent, quid non effutiat apud imperitum vulgus? Sane jam tantum per ſe ſuoſque effecit, ut dicantur ducenti aut circiter hac una de cauſa à ſacra ſynaxi abſtinere velle. Hæc male adeo adfinem habent, ut jam menſes aliquot, ſed per intervalla, cum morbo graviter conflictetur, quem non aliunde quam animi ægritudine contraxiſſe putamus: planeque metuimus, ne ſi (quod Deus avertat) res in apertum ſchiſma prorumpat, affinis ſit ferendo. Sane mœror multis πένθος (*mortem*) arceſſere ſolet, ut non temere ſit, quod ex etymo hoc mœrorem à dolore diſtinguant grammaticorum filii. Per adfinem non ſtabit, uti neque per Boxhornium, quo minus Eccleſiæ ejus conſervetur concordia; tantum neuter adigatur ad Manichaica illa publicitus vel docenda, vel audienda. Miſeret profecto Eccleſiæ, quæ vixdum papatus jugum excuſſit; ac jam nunc per concionatorem iſtum (Tulliana non vulgari tantum conſuetudine nunc vocem eam uſurpo) ſuſpicionibus ac calumniis à fidis paſtoribus avocatur abſterreturque. Mihi quidem omnimodis laborandum videtur, ut concordia retineatur. Qua autem ratione id confieri poſſit, tu, Ampliſſime Vir, pro aquilina illa ingenii tui perſpicacitate longe citra dubium melius me vides. Dicam tamen quod in mentem venit. Non dubium mihi quin Hagæ noris optime Ampliſſimum D. Martinium, Senatorem curiæ Brabanticæ, & Bredani Senatus aliquando partem, eoque qui indolem atque animos Magiſtratus Bredani optime noſſe poſſit. Quid ſi is quempiam Procerum, cui maxime fidat, literis moneat, ne patiantur civitatem ſuam ſchiſmate diſtrahi miſere, ſed Eccleſiaſtis ſuis præcipiant, ut concordiæ ſtudeant, nec in controverſiis obortis prudentiſſimum Illuſtrium Ordinum edictum tranſgrediantur, ſeu Manichaica ſeu Pelagiana docendo. Imprimis vero, quid ſi Magiſtratus illum ægrorum conſolatorem, & unum alterum illius νοθεύτας (*adulteratæ*) monetæ, ad ſe arceſſiat, graviterque commonefaciat, ne ultra crepidam ſapere velint, multo minus piis & doctis paſtoribus Eccleſiæ ſuæ hæreſios notam inurere, ac vulgus à ſacra ſynaxi abſterrere velint. Equidem magni referre puto, ne ea civitas ſchiſmate turbetur, quæ & Eccleſiam habet novellam, & à principe gubernatur pontificio, & magna ſui parte principis ſequitur religionem, &, quod caput, quæ hoſtili adeo ſolo eſt propinqua. Non dubito, quin ſi quid iſtiuſmodi vel Illuſtres Ordines, vel Ill. Princeps Mauritius reſciſcat, principiis tanti mali ſint obſtituri. Cum ante menſes duos tres adeſſet nobis adfinis, autor ei fui, ut, quod facile poterat, Hagam excurreret ad reverendum & ſummum virum D. Uytenbogartium, eique ſtatum omnem Eccleſiæ ſuæ exponeret. Nec à conſilio eo multum abhorrebat adfinis; tantum metuebat, ne ſi cum eo communicaſſe conſilia ſua innoteſceret, plus Eccleſiæ ſuæ res ea damni daret, ut nunc quidem ſunt tempora. Cogitabat etiam, qui Muſenholii mos eſt, facile, ſi vel levem ſuſpicionem concepiſſet, hoc ſibi exprobraturum: nolle autem hoc committere, quod negare non poſſet. Hæc ego cum ſcirem, putavi non male me facturum, ſi vel ipſe ad clariſſimum Uytenbogartium ſcri-

Ep. 259. ſcriberem, vel, quod poſtea prætuli, tuæ rem omnem prudentiæ committerem, qui, ſi conſultum putabis, cum eo rem communicabis. Feci autem omne hoc nullo iſtius rei gnaro: affine vero tam ignaro quam qui ignariſſimus. Pene hoc ſignificare exciderat, (quamquam exigui videatur momenti) ante hebdomades duas Muſenholium fuiſſe in urbe noſtra, non tam, puto, ob nuptias Pollionis, quibus interfuit, multa cum Feſto (ejus latus dextrum claudebat) muſſans diutiſſime; quam ut cum, quem dixi, viro nova turbandæ civitatis conſilia caperet. Sane ratiocinari poſſim, uti de Clodio in Miloniana Tullius, niſi magnum aliquod fuiſſet, cujus cauſa urbe exiret, non tum potiſſimum ſe ad iter fuiſſe accincturum; ſciebat enim utrumque Collegam ſuum valere male. Sed abſente eo famula (quicum conſilia ſua homo prudens communicare videtur) dixit, non poſſe in urbe durare, in qua videre cogatur tam multa præter animi ſui ſententiam. Intelligo ex quodam, qui Feſto utitur familiariter, eundem cum domum hinc reverſus eſſet Eccleſiæ Ter Heiden (cui ante inſerviverat Pollio) commendaſſe illum qui Roterodami ſub cruce (ſic loquebatur) concionatus hactenus fuit. Nempe exiſtimatur ille ſuæ conſtantis παῤῥησίας (*parrhesiæ*) aliquod dediſſe experimentum in urbe veſtra, eoque dignus putatur, qui jam perpetuus certi loci paſtor fiat. Ego ab iſtiuſmodi hominibus in Bredana diœceſi nihil boni ſpero, qui prius fratribus ſeparationis, ſeu Separatiſtis, ut in Anglia vocantur, ſeu Donatiſtis novellis, ut veteri eos vocabulo inſigniamus, ſeſe factionis præbuerunt duces. Quamobrem hoc quoque ad adfinem primo tempore perſcribere animus eſt, quo cum collega Boxhornio videat, ne ſua puſillanimitate Eccleſiæ aliquid afferat detrimenti. Vale Magnifice Ampliſſimeque Domine: &, ſi occaſio dabitur, ne quæſo gravare ſalutem meo nomine dicere Clariſſimo Uytenbogartio; cujus ego ſalutandi cauſa ſuperioribus feriis Hagam excurreram; ſed cum Principe prandere dicebatur; mihi autem ob neceſſaria quædam negotia diutius Hagæ hærere non licebat: ita factum, ut ex quo tempore una tecum ei aderam præſtantiſſimum virum non viderim. Iterum Vale. 3 Decemb. 1615.

Amplitudini tuæ obſervantiſſimus

G. VOSSIUS.

CCLX.

Clariſſimo Viro

D. JOANNI UYTENBOGARTIO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

De diſſertationcula ſua.

CLariſſime Vir, Apographum iſtius, quod petieram, teſtimonii, ad te redit, una cum oratione mea, quam in vociferatores modernos, & nominis noſtri ſugillatores improbos conſcripſi. Non eſt, quod calumnias iſtas inultas ſinamus, cum nec cauſæ nos innocentia, nec vis dicendi ſcribendique deſtituat. Illud ſcio, omne adverſariis noſtris refugium in iſto ſycophantiarum genere repoſitum eſſe, nimirum, ut quibus hæreſes noſtras probare non poſſunt, eorum animos, peſſimorum ſcelerum ſuſpicione occupatos, in odium noſtrorum convertant. Ii quidem, tunc optimam ſe Eccleſiæ operam navaſſe autumant, cum nos exoſos reddiderint. De modo ſolliciti non ſunt. Quin utiliſſimus ad hanc rem illis creditur mentiendi labor. Niſi verum dico, non deprecor hominis improbi notam. Sed quid nos? Harpocratem agemus? At hoc vel conſcios nos, vel diſſolutos arguet. Loquemur? Hoc vero generoſi eſt, & non degeneris animi, cui ipſa vita charior exiſtimatio ſua eſſe debet, præcipue ſi reipublicæ ac Eccleſiæ interſit integram illam eſſe, & ἀνέγκλητον. (*irreprehenſam.*) Certe, calumniarum iſtarum impatiens, calamum in manus ſumpſi, & quam natura negabat, indignatio juſta orationem fudit. In qua accuſationis iſtius vanitatem, & accuſatorum impudentiam abunde à me demonſtratam puto. Dicunt illi, quæ volunt. Audiant & ea, quæ non volunt. Iniquiſſimum ſemper judicavi, vel intempeſtive ſilendo, vel frigide rem agendo veritatis cauſam prodere. Commiſſi ſumus cum hominibus ferreæ ac perfrictæ frontis, qui aut victoria potiri volunt, aut emori ἢ νικᾶν, ajunt Græci, ἢ θλασπιᾶν, aut florem, aut cucurbitam, adverſus quos nil languida proficias manu, ſed dura bipenni & cuneo, poſt toties tentatos fruſtra mitioribus conſiliis illorum animos. Sæpe, quos nimia & inconſulta facilitas perdidiſſe videbatur, imperterritum in hoſtem pectus ſervavit. Illud ſane A. T. celare non poſſum, maximam me, & quotquot præterea ſunt Remonſtrantium, voluptatem cepiſſe ex lectione Hyperaſpiſtæ tui. In quo præterquam quod verum dicas, eo etiam jam modo loqui cœpiſti, qualem adverſariorum improbitas, & argumenti natura poſtulabat, hoc eſt, vere παῤῥησιαστῶς. (*libere & confidenti.*) Deus Opt. Max. illum A. T. animum adaugeat, & præclaras, quas in tam fœcundum pectus contulit dotes, in Eccleſiæ ac Reipubl. bonum vertat. Si orationem noſtram legere dignaberis, vide-

Digitized by Google

Ep.261. videbis liquido, quo fine teſtimonii illius copiam mihi fieri voluerim. Neque vero eo utar, niſi ex conſilio & conſenſu tuo. Vale vir clariſſime; & publico bono æternum vive. Lugd. Batavorum ſub finem Decemb. 1615.

CCLXI.

HUGONI GROTIO

FREDERICUS SANDIUS S.P.

Varia. AMpliſſime Domine, Literas tuas Kal. Novemb. datas recte accepi, fuitque pergratum quod noſtrum conſilium ſecutus D. Stampelium tuis literis ac libelli munere ad amicitiam ac moderatiora conſilia invitaveris. Inter hujus urbis Paſtores ac populi ductores nullum Stampelii ingenium reperire potui: miram tamen videmus metamorphoſin; ante menſem totus adhuc populus ſola religionis inſpectione de noſtris Ordinibus peſſime ſentiebat, neque ullis rationibus per ſuos Magiſtratus induci poterat, ut crederet, quod nunc, Daniæ Regis ac Brunſvicenſis Ducis hoſtilibus actionibus impulſus, ac Procerum noſtrorum benignitate inductus, facile concedit; noſtram videlicet ſocietatem huic Reip. ac reliquis Hanſeaticis fore utilem, abſque ullo fuæ religionis præjudicio: neque unquam nobis commodius cadere potuit hæc regis ac ducis inſania. Hamburgenſes jam nobiſcum tranſegere ea conditione, ut quot centena noſtræ foederatæ Provinciæ totidem illi quina conferant: mox ſequentur Bremenſes atque alii: ſinguli ſuas habent ſpeciales conſiderationes, quæ cum ſingulis ponderandæ ſunt; mox vero ubi omnibus fuerit ſatisfactum, in unam contractus formulam omnes ſumus redacturi. Indignabar cum ex literis tuis intelligerem, diatribam de ſatisfactione necdum ad manus tuas rediiſſe; ac valde metuebam ne remiſſa in itinere periiſſet: nam vix credere poteram D. Thyſium, virum optimum meique ſtudioſiſſimum, toties meis literis nec non per meam conjugem Hardrovici agentem ejuſque fratrem Conſiliarium Eſſenium interpellatum, necdum ſatisfeciſſe noſtris deſideriis. Itaque ante biduum iterum ad ipſum, ad conjugem ac fratrem eo nomine ſatis vehementer ſcripſi: hodie vero conjugis meæ literis iſto metu liberatus atque in opinione mea confirmatus ſum, quod ille, ut ſolet, tollere non potuerit manum de tabula. Brevi autem ſuum fratrem ad D. Gocchium cum meis ad ipſum literis eſſe remiſſurum. Ne in manus minus amicas hæc tua commentatio ejuſve aliquod exemplum pervenerit, ſatis diligenter cavi cum D. Thyſio traderem, neque ille, cum ſit vir optimus noſtrique ſtudioſiſſimus, fidem fallet, præſertim cum ſciat hoc aliter fieri non poſſe, quam cum noſtræ amicitiæ labefactatione. Ille quamprimum aliquot paginas percurriſſet, ad me reverſus, ex ſtilo ac nonnullis interlinearibus ac marginalibus characteribus tuam hanc eſſe conceptionem judicavit, meque in quibuſdam paribus tibi fuiſſe cooperatum: hæc vero illius opinio libertati in judicando non obſtabit. Recte judicas, imprudenter feciſſe Galliæ Euangelicos, quod tam feſtinanter iverint in partes, ac tenero Regis animo ſequiorem de ſua fide opinionem impreſſerint. Vale vir ampliſſime; D. D. Caſenbrotio, Nicolai, tuæque conjugi officioſam à me ſalutem. In Novemb. CIↃ IↃC XV. Hamburgi. Ep.262.

Tuus

F. SANDIUS.

CCLXII.

GEORGIUS STAMPELIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De meo tolerato. MAgnifice & Clariſſime Vir: Quod præclara illa eruditio tua & virtus eximia, ſcriptis & virorum gravium amicorumque teſtimoniis paſſim commendata, in me deſiderium excitavit: illud ipſum, ſupra pene ſpem meam nunc impleri, id eſt quod ex animo lætor, meritalque gratias tantæ humanitati & liberalitati me debere ingenue fatear, non modo mihi aditum tam prompte patefieri, ſed & egregio ſimul munere liberaliter invitari. Utrumque magnum, & mihi imprimis jucundum: & cum neutri reſpondere poſſim; affectum tamen promptum & animum gratum oſtendere & teſtari ſemper conabor, mihique honorificum putabo apud tantum virum in ære manere, ſi intellexero, debitorem hunc vel in poſtrema tabularum pagina locum invenire poſſe. Quod ad argumentum epiſtolæ, mihi equidem nihil jucundius aut utilius accidere potuit, quam virorum clariſſimorum ſuffragio & judicio informari, ac in ſententia confirmari, de utroque hoc capite. Certamina illa, quæ noſtro ſæculo præter modum & neceſſitatem, à pleriſque ſine ullo fructu, & maximo cum ſcandalo, agitantur, ſæpius optavi ad ſcholas remitti, & non ſecus ac olim monaſteriis & aſceteriis includi. Salutarius multo, plebem de ſinceritate fidei doceri, & ad vitæ honeſtatem excitari, quam diſputationum ſubtilitate, & altercandi futilitate, ad oſtentandum ingenium, ab hominibus ad illam rem ſæpe ineptis ſuſcepta, turbari & non parum offendi. Et, ſi maxime quoddam ſententiarum divortium in quibuſdam religionis capitibus, etiam inter concives, ſeu eundem Magiſtratum agnoſcentes, obortum (ut certe id à cordatis & candidis negari hoc ſæculo non poteſt) præſtaret, utramque partem ſuam tenere ſententiam, ſine acerba alterius infectatione, donec alteri clara lux per Dei gratiam

Ep.262. tiam illuceſcat: vel conari alteram magis evidentia argumentorum & lenitate ac morum amabilitate, quam acerbitate convitiorum, & morum auſteritate, in veriorem pertrahere ſententiam. Sicubi vero Eccleſiæ ſalus & neceſſitas requirit, hoſtiliter impugnantes & ἀντιλογοῦντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν, (*contradicentes redarguere & ad ſilentium adigere*) fiet id commodiſſime exemplo Chriſti & Apoſtolorum, ἐν πραότητι, καὶ εἰς τὸ παιδεύειν τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, (*in manſuetudine, & docendo contradicentes*) ut ad veritatis agnitionem adducantur diſſidentes, nec infirmi offendantur. In quibus & coërcendis, ut & in aliis, Magiſtratui ſua poteſtas & auctoritas non immerito ſalva ſemper eſſe debet. Sicut & laudem merentur Illuſtriſſimi Ordines, quod dogma illud τῆς προορισμοῦ, δυσνοήτου (*prædeſtinationis, difficile captu*) extra Scripturam, publico edicto ad ſcholarum pulpita relegarint. Nec modo in his, ſed & in aliis, quæ διακοσμίαν (*ordinem*) ſpectant, Magiſtratui ſuum jus & poteſtas, cum nec ab ἀνωθεν (*ſuprema*) nec κριτικῆς (*judiciali*) Eccleſiæ poteſtate excludi poſſit, cui & Eccleſiæ non minus ac Reip. cura commiſſa, juxta tamen verbum Dei. Adeoque ſemper Eccleſia & Reſp. connexæ fuere, ut in patriarcharum familiis primogenito jus ſacerdotii & regni ſimul committeretur. Nec diffiteor, ſi ſolis Eccleſiaſticis totum hoc permittendum, Eccleſiæque res horum nutu & non raro affectu verſandæ, non modo Eccleſiam & Remp. contentionibus iſtorum diſrumpi & divelli; ſed & metuendam iterum ſimilem tyrannidem, qualem ſuperius ſeculum magno ſuo malo expertum, dum Eccleſiæ caput aliud quam Chriſtum agnoſceret. Utinam cum Pontificio jugo etiam reliquiæ hujuſmodi penitus fuiſſent excuſſæ! quæ adhuc mordicus ſæpe retentæ, non parum negotii faceſſunt Eccleſiis, & non raro occaſionem præbent, ut & alia, minus incommodi alias habentia, in eandem offenſam ſimul incurrant, & reformationis cenſuram ſubire cogantur. Unde ſubinde nova certaminum ſeges pullulat, quæ merito & Magiſtratus autoritate & prudentia pia ſupprimenda & coërcenda, & curandum, ut omnia in Eccleſia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. (*decenter & ſecundum ordinem.*) Et hanc ſententiam, contra intemperiem quorundam ſciolorum & zelotarum, confœderationem illam nuper renovatam ſugillantium, & palam impietatis damnantium, voce & ſcripto defendere coactus ſum. Sicut pagellas illas, licet incomptas & incultas, DD. Legatis, id expetentibus, legendas exhibere auſus ſui; cui meæ temeritati & τῇ παῤῥησίᾳ (*libertati*) ipſos pro ſingulari humanitate ignoſcere non dubito. Rogandus Dominus, ut conſilia illa confœderatorum, ut hactenus, ita deinceps ſecundare, & ad Eccleſiæ ſuæ & Rerumpub. conſervationem & amplificationem dirigere velit, quo hoſtium ſanguinaria conſilia diſſipentur, & in Ep.263. caput autorum recidant. Eundem etiam oro, ut inclytam veſtram Remp. omneſque Proceres ejus, & M. T. florentem & incolumem diu conſervare velit. Pro eleganti & vere docto libro gratias ago quam maximas, & quia jam nihil quo animum gratum teſtari poſſim, pagellas haſce ſeu παίγνια (*ludicra*) potius remitto, χάλκεα χρυσοῖς, (*area pro aureis*) eaque in meliorem partem accipi, & non tam à te, quam animo offerentis æſtimari, peramanter rogo. Lub. Kal. Febr. CIↃ IↃC XVI.

T. M. obſerv.

G. STAMPELIUS.

CCLXIII.

FREDERICUS SANDIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De epiſtola Stampelii, aliiſque.

MAgnifice Domine, Pro miſſo exemplo epiſtolæ à Stampelio ad te datæ gratias ago, ac gaudeo, me non eſſe deceptum in concepta de ipſo opinione: quamvis enim ille in ſuis concionibus ac Commentario in Catecheſin Lutheri vehementer atque acerbe paſſim in Calvinianos debacchetur, quod equidem primum vix concoquere potui, præ reliquis tamen iſtarum partium Theologis dignuſſimus mihi viſus fuit, quem colerem tuæque familiaritati inſinuarem; Nam egregium pacis ſtudium ex familiari ipſius ſermone deprehendi, eſtque alienus ab illo ubiquiſtico commento, quod tam latam inter Auguſtanas ac noſtras Eccleſias differentiam atque odium pene irreconciliabile produxit, neque male de noſtro ſtatu ſuaque Republ. meritus eſt, dum ſingulari animoſitate ac conſtantia, voce ac ſcriptis, ſummæ poteſtatis jura defenderet, ſeque opponeret peſſimo cuidam blateroni, qui fœdus inter Illuſtriſſimos DD. Ordines ac Remp. Lubecenſem pactum, impietatis damnabat; ut minime mirum ſit ipſum in articulo de ſummi Magiſtratus auctoritate tecum ſentire; illam videlicet auctoritatem, non ad civilia tantum negotia, ſed etiam ad Eccleſiarum tuitionem juxta Dei verbum extendi: in altero vero articulo, vix ab illo expectaſſem tam manifeſtam hodiernorum certaminum deteſtationem; nam cum in familiari ſermone ſubinde ad ea tenderem, quæ nunc palam concedit, ex illo nimirum opinionum diſſidio, non eſſe animorum ac pacis Eccleſiaſticæ divortium faciendum; mox ille ad alia delabebatur, ac noſtrorum Theologorum duritiem taxabat, ac nonnulla ex Parei Eirenico, quæ paci non ſatis convenirent, recenſebat; tibi itaque debemus, quod abs tam eximio Lutheranorum Superintendente tam bene dicta habeamus; hæc videlicet certamina præter modum ac neceſſitatem;

Ep.263. à pleriſque etiam ſine ullo fructu ac maximo cum ſcandalo agitari, eaque ad ſcholas eſſe remittenda, & ſalutarius multo plebem de ſinceritate fidei doceri, & ad vitæ honeſtatem excitari, quam diſputationum ſubtilitate, & altercandi futilitate turbari, ac non parum offendi: Item, præſtare, utramque partem ſuam tenere ſententiam, ſine acerba alterius inſectatione, donec alteri clara lux per Dei gratiam illuceſcat. Quæ ſi ille ſuis, ac nos noſtris pleriſque Theologis perſuadere poſſemus, haberemus Euangelicam Eccleſiam duplo majorem, atque adverſus Pontificium regnum magis ſtabilem. Ad reſcribendum, atque hunc virum cordatum in tam laudabili ſtudio retinendum, tibi materia non deerit, quamvis ille nullam ad replicandum præbeat occaſionem, dum in reſponſione ſua totam tuam concedit intentionem. Sed abſit, ut ego docere coner inſtructiſſimum atque in omni doctrina ſummum, à quo ipſe ſum docendus, & cujus litteris ac conſuetudine multum me profeciſſe gloriari ſoleo. A D. Thiſio ſuper Commentatione veſtra nihil aliud obtinere potui, quam quod judicet doctum atque egregium eſſe ſcriptum, quod tamen in nonnullis partibus ſibi non plene ſatisfaciat, quæ ut chartis commendaret, atque accuratiori explicationi materiem præberet, multis atque inſtantibus flagitationibus obtinere non potui. Adamus Hartwich ſatis honeſto Amſteldamenſium Paſtorum teſtimonio munitus ad nos venit, in novo etiam examine ſic Senatus Commiſſario ac Claſſicis Deputatis ſeſe probavit, ut non indignus judicatus fuerit, cui paganæ Eccleſiæ ipſum poſtulantis cura committeretur. Equidem de nimio illius in hodiernis controverſiis fervore nonnihil inaudieramus; ſed alii illius commendabant innocentiam; alia quoque fuere, quæ iſtiuſmodi de illo rumoribus erant anteferenda; cum præſertim monente Senatu moderatiores mores promitteret. Nuper ex veſtra ac Collegarum ad Amſteldamenſes legatione, magna nobis de pacis Eccleſiaſticæ reſtitutione ejuſque ad noſtras Eccleſias progreſſione ſpes affulgebat, ſed mox dolebamus labores veſtros fuiſſe fruſtraneos. Si nonnulli noſtræ Reformationis Miniſtri tantum pacis ſtudium præſtarent, quantum ſuper majore opinionum differentia præ ſe fert Stampelius, rem dudum haberemus confectam. Dolendum ſane eſt, quod quæcunque recte vel ſequius in veſtra fiunt Repub. mox ad nos quoque tranſeunt, quodque noſtrarum Claſſium Miniſtri olim concordiſſimi, veſtratibus ſeſe implicaverint controverſiis, ac paulatim per ſequiores ſuſpiciones nec non per morum atque ingeniorum duritiem magis invicem diſcedant, ut apertum habituri ſimus ſchiſma, niſi ſummi Magiſtratus interveniat auctoritas. Hac de cauſa Ordines noſtri in poſtremo conventu injunxere Senatui, ut Claſſium Deputatis atque aliis in conſilium vocatis controverſiam componat: qua in parte nonnulli Miniſtri, Ep.264. diverſis quamvis opinionibus addicti, nos de ſe ſuoque pacis ſtudio bene ſperare juſſerunt. Si vero diſſidentes animum vincere atque affectus cohibere nequeant, Senatus ſuam interponet auctoritatem, in fiduciaria aliqua pacis retinendæ formula præſcribenda. Eorum, quæ de controverſiis iſtis capitibus dudum commentatus es, fac me quæſo participem. Vale Vir Magnifice, conjugi à me ac mea officioſam ſalutem. Dabantur Arnhemii xi Junii Anno CIↃ IↃC XVI.

CCLXIV.

N.N. Curatori Academiæ Leydenſis

CONRADUS VORSTIUS

S. P. D.

De Regis Magnæ Britanniæ ſenſum in ſe.

NObiliſſime vir Domine plurimum honorande: Dici vix poteſt, quanto cum animi mei mœrore, ac prope ſtupore, recenter admodum hic intellexerim, ab Illuſtri viro D. Wynwoodo, Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis ſupremo Secretario, nuper illuc ex Anglia perſcriptum fuiſſe, Regiam Majeſtatem non leviter offenſam eſſe poſtremo ſcripto meo adverſus Matth. Sladi Diſceptationes duas edito, ſeque in eo publice traduci exiſtimare, aut certe in iis, quæ de ſua Majeſtate iſtic ſcripſiſſem, modeſtiæ limites egreſſum me fuiſſe prorſus arbitrari, additis ſuper ea re gravibus querelis. Quapropter officii mei eſſe duxi, è veſtigio quam modeſtiſſime ſimul & apertiſſime apud Nobiliſſ. D. Tuam (ex cujus ore amicus quidam hoc triſte nuncium acceperat, ſtatimque ad me perſcripſerat) eademque opera apud reliquos D. Tuæ Collegas, Nobiliſſimos Ampliſſimoſque Academiæ Curatores, per epiſtolam ſolemniter ac ſerio teſtari, nihil animo meo minus in illo ſcripto propoſitum fuiſſe, quam vel minimam Regiæ Majeſtati offenſionis juſtæ cauſam præbere, nedum immodeſte quidquam aut indigne de tanto Monarcha (quem ego non ob potentiam tantum ac Majeſtatem Regiam, ſed in primis ob eximiam rerum divinarum humanarumque ſapientiam, & complures heroïcas virtutes, ac nominatim ob ſingularem φιλαλήθειαν, (*veritatis amorem*) & ſanctum Chriſtianæ fidei zelum, ut ſemper antehac veneratus ſum, ita vere adhuc veneror) in publicum emittere, hacque agendi ratione, tam ſtolida quam irreligioſa, certum mihi meique periculum ultro accerſere. Rogo igitur D. Tuam, & Collegas ejuſdem omnes, quam poſſum demiſſiſſime ac diligentiſſime, ut tum loca omnia ſcripti mei, ubi Regiæ Majeſtatis mentionem facio (idque non tam mea ſponte, quam importuna adverſarii Matt. Sladi inſultatione coactus) inſpi-

Ep.264. ſpicere dignemini, cumque iis Antagoniſtæ mei verbis, quibus reſpondere me oportuit, ſedulo conferre: tum perſpecta rei propoſitæ veritate, quam iſtic aſſero, & ſpeciatim humillima erga Regiam Majeſtatem obſervantia mea, prædictam Sereniſſimi Regis offenſionem, ſi forte opus ſit, interceſſione veſtra & recta verborum meorum expoſitione mollire, adeoque prorſus in contrarium clementiæ affectum convertere velitis. Loca illa potiſſimum extant, parte 1. pag. 1. & ſeqq. ſect. 2, 3, 4, 5, 6. & parte 2. ſect. 6. & 7. ubi nihil etiam nunc invenire poſſum (ita me Deus amet) nihil etiam amici non pauci, quibus utramque partem, antequam ederetur, legendam & examinandam dedi, invenire potuerunt, quod vel tantillum immodeſtiæ, aut irreverentiæ erga Regiam Majeſtatem ſapere videatur: contraque non pauca ibidem inſignis meæ de eadem Majeſtate opinionis, & demiſſiſſimæ erga eandem obſervantiæ, indicia perquam manifeſta extare crediderim. Dico quidem ingenue, quod res eſt, ipſa cauſæ neceſſitate ſic exigente, aliorum quoque libros (etiam Orthodoxorum) eandem fortunam alibi expertos fuiſſe, quam mei in Anglia experti ſint: Itemque Sereniſſimum M. Britanniæ Regem neque omniſcium, neque prorſus ἀναμάρτητον (*infallibilem*) eſſe, neque in decidendis fidei cauſis cum Prophetis & Apoſtolis conferendum; eoque nec abſolutum & infallibile judicium in talibus eidem tribui debere, &c. Quæ omnia haud dubie Majeſtas ipſius veriſſima eſſe ultro agnoſcit; quippe quæ nuper in Declaratione ſua adverſus Cardinalem Perronium (ne alia ejuſdem ſcripta nunc attingam) in effectu ſibi ipſi aliiſque Regibus ſapienter ac pie in eandem ſententiam accommodavit. Neque tamen hæc ipſa, quantumvis inter omnes bonos conſeſſa, dicturus fuiſſem, niſi neceſſitas dicendi ab adverſario impoſita mihi fuiſſet. Interim ex adverſo ibidem fateor, idque ſine fuco & adulatione, Sereniſſimum Regem ea ſapientia, pietate, clementia, cæteriſque id genus vere regiis virtutibus, ac Spiritus S. chariſmatis, à Deo Opt. Max. inſtructum eſſe, ut infinitis aliis, etiam vere piis ac doctis, cœleſtique gratia renatis, jure meritiſſimo longe præferendus ſit. Et nominatim de ſumma Sladi adverſum me injuria proteſtor, quod prædictam Regiam Majeſtatem in vanitatis & mendacii (ſpeciali videlicet illo ſive ethico ſenſu, quem ipſe intendit) ſuſpicionem à me pertrahi calumniatus ſit: contraque nihil tale in mentem mihi veniſſe, ſed voces iſtas (ex *Pſal.* LXII. ex CXVI. antehac citatis) non alio ſenſu de Sereniſſimo Rege, quam de aliis mortalibus, deque me ipſo, imo etiam de optimis ac pientiſſimis quibuſque Regibus, in ſua naturali fragilitate conſideratis (quem ſenſum ibidem generalem ac logicum appello, juxtaque interpretes probatiſſimos de mente Spiritus Sancti in locis citatis eſſe confirmo) acceptas à me fuiſſe, nec aliter à quoquam, niſi calumniatore, accipi hic poſſe, non ſemel diſerte profiteor. Adeo ut modis omnibus ſollicite cavere ſtuduerim, ne quis vel ſagaciſſimus, modo candide ac Chriſtiane mecum agere vellet, uſpiam ſubodorari aliquid poſſet, quod minus honorifice in Sereniſſimum Regem à me dictum fuiſſe videretur. Atque utinam tandem, vel Regia ipſius Majeſtas prædicto Sladio imperet, ne ſimilem mihi neceſſitatem deinceps vel de ſe, vel de ullo ſupremo Magiſtratu, tale quidquam ſcribendi afferat: vel Illuſtriſſimi Ordines utrique litigantium parti legem ferant, ne vel Sereniſſimi Regis, vel aliorum Principum, ſimilis mentio controverſiis noſtris de reliquo unquam admiſceatur. Ego quidem eum me, per Dei gratiam, eſſe profiteor, qui cum Reges ac Principes omnes, tum maxime Chriſtianos, & in his præcipue tales, qualem Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem paulo ante ſinceriſſimo affectu prædicavi, poſt Deum & propter Deum, quippe vivas Dei imagines, inque hac terra ejuſdem Vicarios, ſuppliciter venerari didici; quique hujus obſervantiæ & honorificentiæ erga ipſos meæ non obſcura paſſim in ſcriptis meis argumenta me dediſſe confido; qui denique etiam nunc eundem in eoſdem mihi animum eſſe, ſemperque Deo favente fore, tum verbis, tum factis abunde me teſtari exiſtimo: quamvis interim munus Dei Chriſtique proprium ad ipſos vel directe vel oblique transferri, aut ordinariam ipſorum poteſtatem cum extraordinaria Prophetarum & Apoſtolorum functione confundi, minime tutum, minimeque pium arbitrer; idque freetus cum certiſſimo Dei verbo, tum unanimi optimorum quorumcunque Eccleſiæ & veteris, & recentioris, Doctorum conſenſu. Quæ quum ita ſint, merito confido, non te modo, Vir Nobiliſſime, una cum Collegis, ſed & omnes ubique bonos, & præcipue ipſum Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem (ubi ſummam hujus Apologiæ meæ perceperit, & occaſionem, ſcopum, aliaſque locorum ante citatorum peri-ſtaſes altius ſecum perpenderit) hac in parte me libenter ac perbenigne excuſaturos, idque ſingulos ſuo loco pro viribus operam daturos, ut in poſterum mihi liceat tranquille Deo in vocatione mea ſervire, utque à neceſſitate reſpondendi tam importunis adverſariis (Sladio, inquam, & ſimilibus) ſemel liberatus, utiliora porro, & bonis omnibus gratiora tum meditari, tum ſcriptis mandare poſſim, ad ſempiternam Chriſti gloriam, Eccleſiæque Chriſtianæ pacem, & in veritate ac pietate ædificationem. Vale vir Nobiliſſime, Domine honorande, perque occaſionem Ampliſſimos Collegas ſæpe dictos officioſe, quæſo, meis verbis ſaluta, quibus omnibus & ſingulis ſtudia mea in Domino defero, &

Ep.264.

Ep.265. quem nunc ingredimur novum annum à Deo fauſtum ac felicem ex animo opto. Goudæ 2 Januarii, Anno 1616.

CCLXV.

NOËL DE CARON,

Ordinum Fœderati Belgii ad Angliæ Regem Legatus,

JOAN. UYTENBOGARDO S. P.

Eccleſiaſtica. De diſſidiis Belgicis componendis.

MOnſr. Uytenbogaert. Il y a quelques jours paſſez, que j'ay reçeu voſtre lettre eſcripte à la Haye le huictieſme de Decembre: à la quelle j'euſſe plutoſt reſpondu, ſi le ſujet y contenu ne m'euſt renvoyé au lieu, ou je debvois tirer la certitude requiſe en ung tel affaire; aſſçavoir, s'il eſtoit vray ce que craindiez, ou non; mais aujourdhuy m'ayant abouché avecq Monſieur l'Archeveſque de Canterberri, mon voiſin, il m'a bien clairement aſſeuré, qu'il n'en eſt rien venu de delà la mer ſemblable; aſſçavoir aux Egliſes d'Angleterre directement ou indirectement; car ſi autrement fuſt, il m'aſſeure bien qu'il le ſçauroit; ſi quelqu'un en particulier auroit eſcript à quelque particulier, cela pouvoit eſtre, comme il dict; mais à luy incognu; dict bien avoir parlé à aucuns venus par delà la mer, qui luy ont diſcouru en quel terme le faict de la Religion y eſt en controverſe, ſans eſperance encores d'aucun amendement: ce qu'il regrette, & ne peuſt croire, ſi non, que l'Eſpagnol y fomente le feu de ceſte diviſion, pour parmi ceſte diſcorde veoir naiſtre quelque choſe à ſon advantage: a quoy je ne luy ay ſçeu que dire: ſi non, de luy complaindre auſſi la partialité d'aucuns, les quels par tous moyens poſſibles ne cerchent, que de fortifier leur partie, non par voyes douces & paiſibles, mais pluſtoſt iniques, pour parvenir à leurs deſſeins, tellement que je croiois bien, que l'Eſpagnol parmy tel eſtriff ne cerchoit rien autre choſe, que de nous veoir mettre en entiere combuſtion, pour s'en prevaloir aprés des ungs & des autres: je luy dis en avoir veu de mon temps des triſtes exemples, & que j'eſtois en continuelle frayeur d'en veoir encores d'autres, ſi Dieu par ſa grace n'y mettoit remede. Voila les diſcours que j'avois ce jourd'huy avecq mondict ſeigneur l'Archeveſque, qui ne s'eſt pas porté fort bien depuis naguerres, autrement je vous euſſe plutoſt reſolu ſur ceſt affaire; mais quoy qu'il en eſt, je vous puis bien aſſeurer, qu'il m'a dict pour vray, de bien ſçavoir, ores qu'il fuſt eſcript ou requis aux Egliſes d'Angleterre pour quelque lumiere ou ſentence condempnatoire, ou pour les ungs ou pour les autres, qu'ils ne s'en voudront meſler aucunement, qu'ils ne le ſçauroient faire auſſi, ſans l'adveu ou congé de la Majeſté, Ep.265. la qu'elle au commenchement, comme il dict, quant le faict de Vorſtius & Herminius eſtoit ſur pied, avoit voulu eſcrire contre eux & en effect s'en meſler; mais qu'il avoit veu & entendu, qu'on en avoit faict des conſtructions au contraire de ſa ſincere intention, tellement qu'il eſtoit reſolu, & qu'il avoit dict auſſy au dict Archeveſque, de ne s'en plus meſler, ne permettre que ſes Egliſes s'en meſleroient. Voylà la repònce de l'Archeveſque, que je croi auſſi certainement eſtre ainſi: car il me ſouvient, de l'avoir plus d'une fois ouy dire à ſa dicte Majeſté meſmes. Or Monſ. Uytenbogart, s'il y avoit aucun moyen de compoſer ou moderer telles aigres & odieuſes procedures, & dont tout le monde en eſt tellement offenſé, voires ſcandaliſé, je vous voudrois bien prier; voires conjurer au nom de Dieu, de vous y vouloir employer au nom de Dieu: car il eſt certain (comme dit bien mon dict Seigneur l'Archeveſque) rien de bon n'en peuſt enſuivre, fors toute ruyne & deſolation en l'Egliſe de Dieu, à la mocquerie enfin de nos adverſaires, qui triompheront de nous veoir accablés. C'eſt bien ung grand malheur, que ces controverſes ſont arrivez en noſtre temps; nous avons eu des exemples en Flandres, qui nous debvroient apprendre, les quels me ſont encores en horreur & tremeur; & pleuſt à Dieu, que la charité fuſt parmy nous telle; comme eſt bien requis, nous laiſſerions racourchier chacun quelque peu, pour vivre en paix & concorde par enſemble. Je m'addreſſe à vous Monſ. Uytenbogard, pour vous congnoiſtre mieux; car les autres ſe n'en cognois point; ſi je faiſois, je leur ferois la meſme requeſte, & pour l'honneur de Dieu, qu'ils voudroient penſer, quel ſciſme & reproche cecy cauſe à nous tous, qui font profeſſion d'une meſme religion reformée. Il me ſouvient, d'avoir ouy dire au Roy, (comme il en avoit auſſi eſcript à Meſſieurs lès Eſtats d'Hollande) qu'il ne trouvoit pas la difference ſi grande parmy nous, que les ungs & les autres ne pourroient eſtre ſauvez. Que reſte il doncques? fors noſtre reconciliation enſemble, a quoy je vous prie & ſupplie de vouloir tenir ſincerement la bonne main. Et comme ceſte ne ſert à autre fin, je prieray Dieu tourpuiſſant, qu'il vous veuille Monſr. Uytenbogart, preſerver en ſanté & toute proſperité. A Suydtlambeth le 12. jour de Janvier. 1616. ſtile vieux.

Entierement le voſtre pour vous faire ſervice

NOËL DE CARON.

CCLXVI.

CCLXVI.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De jure Magistratus in rebus Ecclesiasticis.

QUoties cum animo meo reputo prima reformationis tempora, eaque cum proximis, & illa item cum noſtris compono; toties, Magnifice Ampliſſimeque Domine, ſe maximum mihi offert argumentum infirmitatis humanæ: neque dubito, quin idem tibi uſu veniat ſæpiſſime. Quid enim magis Luthero, aliiſque piis doctoribus primitus objici ſolet, quam Papæ, & Eccleſiarum multarum diſſentientium autoritas? Sed Doctores noſtri ab Eccleſiis ad Scripturæ indicium, à Papa ad Magiſtratus judicium provocabant. Bona cauſa multis locis triumphavit. Sed cum Lutherus homo quoque eſſet, à quo iccirco humani nihil alienum putari debet, factum, ut cum bono ſemine zizania alicubi ſeminaret. Videre hoc alii, fortaſſe nec pietate nec eruditione inferiores: qui idcirco ſedulo ſibi adlaborandum judicarunt, ut à bono ſemine zizania diſtinguerentur. Hic qui in Lutheri ſententiam juraſſent, quaſi quæ de Scripturarum unico ac perfectiſſimo canone dicta eſſent, adverſus Pontificios ſolum valerent, ecce iiſdem, vel geminis plane armis aggredi eos auti ſunt, qui zizania in Eccleſiis ſuis recens orta eruncare vellent. Nam ut Pontificii Pontificem, ita hi Lutheri ſectatores Lutherum; ut illi Eccleſiam Romanam, ita hi Eccleſias Saxonicas, & alias; ut illi mediæ fere, aut infimæ antiquitatis concilia aliquot, ita hi, tanquam quod conciliorum ſibi multorum inſtar eſſet, Confeſſionem Auguſtanam urgere adverſus diſſentientes cœperunt. Habuit hoc alios peſſime: inprimis eos, qui in re Sacramentaria ab iis diſſentientes, hac parte Zuinglium, & Calvinum ſequi ſe profiterentur. Aurem igitur iſtis vellere, memoriamque priorum temporum refricare, quibus armis iſtiuſmodi pugnandum fuiſſet, cauſa fuiſſent longe inferiores. Sed ſurdo canebatur fabula. Nam qui quaſi rerum dominarentur, hi, ut Pontificii olim, ita jam ipſi quoque in omnes à ſe diſſentientes de umbone, tanquam de plauſtro omnis generis convicia jactare cœperunt: communitari etiam omni in poſterum renuntiarunt. Atque in his tuebantur ſe Lutheri ipſius (quanti alioquin viri!) exemplo: qui ut multa iſtius farinæ omittam, (commemorare enim tædet) paullo ante exceſſum ſuum, ad Jacobum Probſt, paſtorem Bremenſem, virum, quod nec qui Lutherum tantopere ſectabantur diffiteri poterant, eximiæ pietatis, ſcribere hunc in modum non dubitavit: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio Sacramentariorum, & in via Zuinglianorum non ſtetit, & in cathedra Tigurinorum non ſedit.* Quod cum illis aureolum, & bracteatum quoddam dictum videretur, omnes, qui animum non habent affectibus impeditum, vident eſſe, non dico bullatas nugas, aut ineptam ac puerilem alluſionem, ſed impiam & horribilem Pſalmi perverſionem. Nec intra convicia aut anathemata reſtetit: ad carceres, ad exilia deventum: uti vel ſola indicium faciet Peuceriana carcerum hiſtoria, quam optimus & doctiſſimus Pezelius ſcripſit. Tantum non quidem religio, ſed perpetus affectus potuit ſuadere malorum. Tandem divina miſericordia, in Britannia, in Germania, in Gallis, in Belgica efflorescere etiam Eccleſiæ cœperunt, quæ Papæ ſic jugum excuterent, ut à Luthero ſimul in *ομοουσιον*, (*conſubſtantiationis*) dogmate diſſentirent. Ac aliquantiſper quidem hæ memores priſtinæ conflictationis & cum Papiſtis & cum Lutheranis, nihil aliud urſere, quam Prophetica & Apoſtolica ſcripta, ſummumque in Eccleſiaſticis judicium Magiſtratibus ſponte detulerunt. Sed poſtquam plerique earum Doctores rem omnem in vado eſſe viderunt, inque veterum multorum locum jam ſucceſſerant oratores novi, adoleſcentuli, quam in Papiſtis prius, ac mox Lutheranis tantopere damnarant, hanc ipſi, cum alibi, tum inprimis in Belgica hac, calcare viam cœperunt. Si quod enim dogmatum ſuorum in dubium vocaretur, non jam ad Scripturas ſolas, imo nec ad primævam antiquitatem provocari ſe patiebantur: ſed ut Lutherani illi Lutherum, ita hi Calvinum, aut Bezam: ut illi Auguſtanam Confeſſionem, ita hi Confeſſionem Belgicam, vel Catecheſin Palatinam: ut illi Saxonicarum, ita hi Reformatarum in Provinciis hiſce jactabant conſenſum. Et quod dolendum inprimis erat, non minus quam priores, omnes à ſe ſententiis diſcrepantes, tanquam hæreticos differebant, & quos poſſent ſedibus ſuis deturbabant. Quæ quoties cogito, prope animum meum ſubit, ne & illi, qui nunc, ob aliquem in Prædeſtinationis dogmate diſſenſum, tanquam *σφάγεσι* (*pergamena*) traducuntur, ſi ſuperiores aliquando fiant, (libere cur non apud te loquar?) ſimiliter exceptori ſint eos, qui diſſentire ab ipſis audebunt. Quippe & illi homines ſunt non minus quam priores: & ſemper ſic, ut alios mittam, cum ipſo eruditorum vulgo ita comparatum fuit, ut, contemptis iis qui moderata ſuggererent conſilia, iis qui extrema ſequerentur ſe potius applicarent. Sed huic ſpero malo providebunt tempori viri aliquot præſtantes, qui inter ipſos plurimum poſſunt: ac inprimis Magiſtratus ſummus, quem hæc antecedentium exempla poſſunt reddere cautiorem. Quod autem nunc illi qui receptiorem ſententiam tuentur impenſe negant, vel tranſverſum ſe unguem deflectere ab illa diſſerendi ratione quam ſequebantur qui primi Eccleſias Belgicas, vel domi, vel in exilio, docuerunt,

Ep. 266.

Ep.266. runt, hoc iſtiuſmodi eſt, ut merito dubites, utrum magis imprudentiæ, an impudentiæ tribui debeat. Hoc cur dicam, cum alia multa, etiam in vulgus notiſſima, teſtatiſſimum faciunt, tum inprimis hiſtoria iſthæc, quam nomine nobiliſſimi Johannis à Laſco, Belgicæ Eccleſiæ in Angiia Epiſcopi; item Martini Micronii, eruditiſſimi & fideliſſimi paſtoris, & omnium Belgarum, aliorumque peregrinorum Londino profugorum, ſcripſit, divulgavitque nobilis & inſignis vir Johannes Utenhovius, Eccleſiæ Belgicæ ſenior. Quanto profecto aliter, quam hodie hic fit, diſputabant illi, cum Lutheranis Coldingæ, Wiſmariæ, Hamburgi, atque alibi. Non viſum hic univerſam iſtorum temporum hiſtoriam percurrere; ſed contentus ero, ex multis aliqua delibaſſe, è quibus de cæteris non obſcura fiat conjectatio. Coldingenſes quidam paſtores erant, nomine Paullus Noviomagus, & Henricus Sylvæducenſis. Cum his noſtri pium aliquod colloquium poſcebant. Negabant contra illi, eo quicquam opus eſſe, cum nec Rex, nec ipſi minimum de Regni Danici doctrina dubitarent. Nempe ſimiliter ac (lubet enim iſthæc cum noſtris temporibus conferre) dicentes audivimus quoſdam, poſſe Pyrrhonios iſtos, ut vocabant, inter ſeſe Catecheſin examinare ad Scripturarum ſtateram: ſibi hoc factu nihil opus eſſe, qui nec de particula ejus minima dubitarent. Sed quid hic A Laſco, Micronius, Utenhovius? Nempe tales præjudicio peccare arbitrabantur, planeque ſtatuebant, non tantum cum zizania ſponte aut fortuito oculis ſeſe offerunt, de evellendis iis conſilium capi oportere, ſed ſollicite etiam inquirendum, nihilne zizaniorum uſpiam reperiamus, cum inimicus homo ea ſoleat ſpargere, dormientibus iis quibus cura agri Dominici incumbit. Sed pergamus. Dicebant Lutherani, negari à noſtris clara Scripturæ verba, Hoc eſt corpus meum. Nempe ſimili ratione, ac Eccleſiaſtæ illi, qui cum de Electionis & Reprobationis abſolutæ dogmate diſputant, clara eſſe ajunt verba Apoſtoli *Rom.* IX. ac Reprobationem aliquam conditionatam inducentibus, priuſquam quod volunt perſuadeant, totum illud caput è ſacris Literis furcillandum eſſe. Sed quid in ſimili controverſia A Laſco, & alii, quos diximus? *Ipſum Noviomagum ſuperiori concione docuiſſe, & quidem recte: veritatem cujuſque doctrina probandam non eſſe unius alicujus loci in Scripturis teſtimonio, ſed unanimi totius Scripturæ conſenſu.* Objiciebant deinde noſtris, quod omnia carnis judicio metirentur. Quis neſcit hodie oggeri illis, qui abſolutam Reprobationem negant? Sed audiamus A Laſco, & alios. *Multa ſunt alia in religione noſtra capita, magis multo rationis noſtræ judicio repugnantia, quæ tamen nos omnia per Dei gratiam indubitata fide amplectimur, abnegato omni rationis noſtræ judicio, eo quod illa certis divini verbi teſtimoniis nititur-*

que inſiſtere videamus: idem & hic multo li- Ep.266.
bentiſſime facturi, ſi idem videamus. Objiciebant item, quod per Daniæ Regnum jam alia de Cœna ſententia obineret: nempe ut nunc quidam in Prædeſtinationis dogmate Eccleſiarum (quam vere non diſputo) autoritate ſe tuentur. Reſponderunt noſtri Lutheranis iſtis; *Doctrina ſana veritatem petendam nobis eſſe, non ſane è regnorum, ſed ex verbi divini certa ac ſolida autoritate.* Criminabantur item noſtros, quod diſſentirent à Luthero, ac Saxonicis Eccleſiis; quod Auguſtana Confeſſione damnarentur. Nempe haut aliter, ac nunc quidam ſemper crepant Calvinum, Eccleſias Belgicas, Confeſſionem, aut Catecheſin: quæ fortaſſe tamen non uſque adeo illis patrocinantur. Sed quid hic iidem illi laudatiſſimi viri? Dicimus, inquiebant, *Lutherum ac Saxonicas Eccleſias, denique & Auguſtanam Confeſſionem non eſſe Catholicam Eccleſiam: nos Lutherum pro inſigni Dei organo habere, ſed illi nihilominus Spiritum Sanctum juxta menſuram datum fuiſſe: hunc honorem ſolis nos Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis deferre, ut nihil contineant quod non certa fide ſit amplectendum: cæterum, in ſcriptis Lutheri* (de Calvino idem dicere poſſumus) *luculenta extare teſtimonia, illum ſibi non perpetuo, neque per omnia conſtare. Quare & Lutheri ſcripta, & ipſam adeo Auguſtanam Confeſſionem, ad Scripturæ regulam & legitima Eccleſiarum judicia revocanda eſſe: neque ex Lutheri dogmatis, aut etiam ex Auguſtanæ Confeſſionis autoritate, ita præjudicandum eſſe, ut ſcindantur Eccleſiæ, utve ſanctorum communio in Catholica Dei Eccleſia (contra fidei noſtræ confeſſionem) violetur.* Verba profecto aurea. Porro quia Paullus Noviomagus hæreſios accuſarat noſtros publice in concione; reſpondere ad illud in hunc modum: *Contra doctrinam Euan-* p. 70.
gelii factum dicimus; quandoquidem nemo de alterius condemnatione pronunciare aut poteſt aut debet in Eccleſia, quem non conſtet publice à fundamento Apoſtolicæ confeſſionis, Petri ore prodita, excidiſſe. Et aliquanto poſt addunt: p. 71.
Nos hujus controverſiæ nomine neminem unquam averſati ſumus, ſed in fraterna charitate tulimus; & ferendos eſſe putavimus omnes, qui modo nos viciſſim ferre volent, donec Dominus controverſiam hanc per gratiam ſuam componat, eo quod omnes fundamentum confeſſionis Apoſtolicæ pariter retineamus. Quod ipſum in Prædeſtinationis controverſiam multo etiam juſtius dici poſſit. Alia quoque hujus generis in iſtoc Coldingenſi colloquio legi poſſunt. Sed nihil noſtros ulla juvit defenſio ſui: verum extrema in afflictione, mediæ hyemis tempeſtatibus, ſexaginta circiter familiæ, (quos inter decrepiti, pueri, matronæ gravidæ) ſummo cum vitæ periculo regno ejecti ſunt. Sed operæ etiam fuerit delibare diſſertationem quam Hamburgi Micronius habuit cum Joachimo Weſtphalo, eo adverſus quem & Calvini exſtant

Ep.266. ſtant quædam. Is tanquam Achilleum argu-
p. 195. mentum objiciebat Micronio: *De veritate doctrina noſtræ Sacramentariæ nihil eſt ambigendum, cum ea in omnibus Saxonicis & Orientalibus Eccleſiis, ut à ſanctiſſimis viris & præceptoribus ſuis eam acceperunt, unanimi conſenſu tradatur. Falſa igitur & repudianda eſt contraria Zuinglii ſententia, quæ in prædictis*
p. 196. *Eccleſiis eſt damnata.* Præclare reſpondet Micronius: *De controverſa aliqua doctrina non ex unanimi multarum Eccleſiarum conſenſu, ſed tantum ex concentu Prophetico & Apoſtolico ſtatui debet. Alioqui triumpharet Papa.* Tum Weſtfalus: *Eccleſia noſtra Saxonica ſunt Eccleſiæ Dei.* Hic Micronius: *Eccleſia Dei ex loco æſtimari non debet. Utique Londinum non facit Eccleſiam Dei, ita nec Hamburgum, aut Lubecam. Nulla præterea eſt Eccleſia præter Propheticam & Apoſtolicam, quæ non in quibuſdam hallucinari quandoque poſſit, quod ipſum quoque Lutherus docuit.* Addimus, *Et Calvinus.* Sed quid Weſtfalus hic? *Quod Lutherus Eccleſiam ſcribit errare poſſe, de Papiſtica non de Chriſto ſenſit Eccleſia.* Reſpondet Micronius: *Imo de vera Chriſti Eccleſia loquitur Lutherus, quæ ex humana quadam imbecillitate in quibuſdam nonnunquam impingit. Ex parte enim prophetamus. Et fit aliquando, ut eximius aliquis doctor alicubi turpiter hallucinetur, quem mox deinde alii, præpoſtero quodam zelo incitati, temere & pertinaciter imitantur. Hinc etiam ſæpe errores in Eccleſia oboriuntur.* Veriſſime, veriſſime. Quare optime ibidem ſic colligit Micronius: *Proinde approbanda venit doctrina Eccleſia omnis, non ex Eccleſiarum aliquot conſenſu, ſed verbi divini autoritate.* Objiciebat Weſtphalo Micronius: quod in libello ſuo, cui titulum feciſſet, *de recta fide*, doctrinam ſuam ſacramentariam Eccleſiæ judicio ſubjeciſſet, eoque examen ejus ſubterfugere non deberet. Reſpondet Weſtfalus: *Ego*
p. 201. *doctrinam meam ſacramentariam non Londinenſi, ſed Eccleſiæ Dei Hamburgenſi judicandam propoſui.* Similiter hodie multi in Prædeſtinationis dogmate nullis ſe Eccleſiis ſubjicere volunt, niſi quas idem ſecum ſentire habeant
p. 206. perſuaſum. Ait idem Weſtfalus: *Si dubia adhuc eſſet noſtra doctrina, graviter peccaſſet Senatus noſter, & Sereniſſimus Daniæ Rex, qui adverſum vos decreta tulerunt.* Optime reſpondet Micronius: *ſimilibus argumentis facile omnes vicerit Papa.*
p. 214. Ait Weſtphalus: *Contra veſtram doctrinam Comitiis Auguſtanis pronunciatum eſt.* Micronium hic audiamus: *Non video vos juſtam habere cauſam tantopere gloriandi de Auguſtanis Comitiis, cum ea in eum finem inſtituta non ſint, ut ibi audita prius utraque parte verti aliquid de re ſacramentaria ſtatueretur: ſed fuit tantum nuda fidei confeſſio, quæ nullo modo Concilii legitime congregati autoritatem obtinere poteſt.* Quod ipſum de Belgica Confeſſione dicere poſſumus. Quemadmodum & quod continuo ſubdit: *Siquidem Concilia omnia adhuc ſubjacent Scripturarum autoritati, quanto magis Confeſſio Auguſtana?* Ep.266.

Alibi quoque recenſetur in eadem hiſtoria colloquium à Micronio habitum Wiſmariæ cum Doct. Smetenitedio. Hic, cum Micronius dixiſſet, *Magiſtratus poſſit colloquii teſtis eſſe ac judex*: reſpondet Doctor ille, *Magiſtra-* p. 146. *tus? quid ille de religione intelligit? Petamus Roſtochium, & ad Doctores aut Superintendentem proficiſcamur, qui de colloquio judicare poterunt.* Nempe non alios judices admittit, niſi à quibus certam ſibi victoriam videt. Quid Micronius autem ad hæc? *Siccine*, inquit, *Magiſtratum contemnit Doctor? Quo judice precor Papam principio vicit Lutherus, ab omnibus tunc Doctoribus ſcholaſticis paſſim damnatus?* Sed exſcribillandi modus tandem eſto. Abunde ſane ea, quæ adduximus, oſtendunt quod ſuperius dicebam, illos qui primi Eccleſias Belgicas collegerunt repurgaruntque, ſemper à Doctorum quorumdam ſenſu, Eccleſiarumque quarumdam conſenſu ad Scripturarum judicium, & Magiſtratus judicium provocaſſe contra eos, quibuſcum illis Doctoribus noſtris negotium fuit; haud ſecus ac hodie quidam occipiunt è noſtris. Nam ovum, ovo ſimilius non eſt, quam illa quæ vidimus Lutheranorum argumenta, & ita noſtrorum, qui abſolutam tuentur prædeſtinationem, nec Magiſtratus judicium in Eccleſiæ rebus admittunt. Nec tamen par omnium hic immodeſtia: ſed quo imperitior quiſque, hoc minus rationi locum præbet. Ἀεὶ γὰρ ἀνδρῶν νέων ἀφρὼν ἀθύμητος, ἀδὲ θάλαμον γὰρ ἀφραδέων πείθει: (*Semper enim virorum imperitorum animus difficulter expugnari poteſt; non enim volunt intrepidis credere*) ut optime olim Oppianus. Atque ut ingenioſiſſimus Poëta alicubi ait, *Non plus his cordis ſed minus oris adeſt.* Plus modeſtiæ (quemadmodum & eruditione pleroſque ordinis ſui vincit) retinuit Anton. Wallæus, cujus ſcriptum de jure Magiſtratus in Eccleſiaſticis dicere poſſum Ἀλλὰ ἐ
ἀίσχιστ᾽ οὐκ ἴγνων, τὸ πρίγνων ἀπλῶς (*legi, intellexi, illud damnavi ſimpliciter*) addere non poſſum, ne merito audiam illud quod defertori Juliano reſpondebat Baſilius, ἀνίγνως, ἀλλ᾽ οὐκ ἴγνως, οἱ γὰρ ἴγνως, οὐκ ἂν πατίγνως. (*legiſti, ſed non intellexiſti, ſi enim intellexiſſes, non damnaviſſes.*) Ita multa in eo ſcripto reperi, quæ meliorem mentem, majoremque modeſtiam ſpirent. Sane ſiquis ea ex opere excerpta in unum congerat, ſimulque oculis ſubjiciat, vix amplius aliquid requiſiturus videatur. Sed tamen duobus nominibus peccat graviſſime. Nam adverſarii ſui mentem, quam non capit, carpit; eumque ſe oppugnare credi vult, cum ſuum oppugnat ſomnium. Adhæc quæ ſcribit minime videntur ἀκόλουθα καὶ ὁμόφωνα. (*conſequentia & conſona.*) Nam cum ſummum in Eccleſiaſticis imperium neget eſſe penes ἐκκλησίαρχας, (*ſummum Magiſtratum*) ea tamen paſſim dicit, ex

Ep.266. quibus colligere hoc potuiſſet, ſi mens non læva fuiſſet. Omnis erroris fons & caput, quod confuſe indiſtincteque ſingula conſideret & tractet, cum hic vel maxime habeat locum illud Stagiritæ Philoſophi, Οὐκ ἐυπόλευτον ἐν ἀκροᾷ. (*non oportet negligentem eſſe in diſtinguendo.*) Id quo pareat, prius quidem univerſe ac generatim oſtendam Magiſtratui ſummo etiam in Eccleſiaſticis competere jus ſummum: deinde vero aliquammulta, imo præcipua fere, Walbeani operis ad trutinam Scripturæ, & rectæ rationis expendam. Nec ignoro quam tu hæc longe melius me intelligas, ſed nec ingratum me facturum ſpero, ſi meum quoque hac de re judicium perſcribam.

Ac penes principem quidem ſeu Magiſtratum ſummum eſſe imperium ſupremum rerum Eccleſiaſticarum, quatenus quidem penes mortalium quemquam poteſtas earum eſſe poteſt, ſolide comprobatur, partim Dei ipſius mandato, annexaque promiſſione, & commination̄e: partim exemplis piorum Principum, quæ nobis in S. Scriptura proponuntur, & commendantur: partim rationibus, quibus Magiſtratus circa Religionem tum indirectim, tum directim habere imperium oſtenditur: partim exemplis Chriſtianorum Principum, quæ ſcriptoribus Eccleſiaſticis continentur: partim auctoritate veterum, recentiorumque Patrum, qui poteſtatem hanc tribuunt Magiſtratui ſummo: partim judicio, ac confeſſione ſcriptorum externorum, qui & ipſi, velut rationis quodam ductu, imperium circa impiam religionem ſuam tribuunt Principi ſuo: ac principum ipſorum, qui in impia religione ſua jus illud uſurparunt. Hæc omnia quidem cum cura tractare velle, ſcio res fuerit ingentis commentarii. Verum nos ex immenſa ſylva tantummodo paululam ſtruem congeremus. Ut igitur inde ordiamur, jubet Chriſtus *Matt.* VI. 33. ut primum quæramus regnum Dei, ac fore ſpondet, ut cætera omnia adjiciantur nobis. Quod mandatum, cum privatum quemque tangat, tum eos inprimis, quibus non ſui tantum, ſed publici etiam cura incumbit: quibus regnum Dei in Remp. inducendum, promovendum, curandum, conſervandum. Itaque & *Pſal.* II. 10, 11, 12. ſic eos per Davidem compellat: *Nunc ergo, Reges, animadvertite, erudimini percipite, ô Judices terræ. Colite Jehovam cum reverentia, & exultate cum tremore. Oſculamini Filium ut non iraſcatur, & pereatis in via, cum exarſerit vel minimum ira ejus. Beati omnes, qui recipiunt ad eum.* Ubi Reges compellat Deus, non velut aliquos ex ſocietate humana, ſed tanquam Reges; quos non ſibi tantum colere pietatem velit, ſed curare, ut eandem ſubditi exerceant: quemadmodum optime ea verba declarat Auguſtinus, ut infra videbimus. Huc quoque pertineat, ſi recta interpretatio, locus ille *Pſ.* XXIV. 7. *Attollite portas, principes, veſtras, & elevamini porta infernales, & introibit rex gloriæ. Pſ.* LXXV. 4. ait David, *ſolutas columnas terræ aptabo.* Ubi Ep.266 Spiritus S. (ut quidam apte ſatis eum locum expoſuit) columnas terræ vocat ſtatum ſecularem, & eccleſiaſticum, ſive imperium in rebus civilibus, & eccleſiaſticis: quæ duo imperii ſtatumina & firmamenta, per diuturnas Saulis clades attrita ac pene confracta, inſtaurare & velle ait David. Huc pertinent quoque illuſtria Magiſtratus elogia, ut quod *Eſ.* XLIX. 23. dicuntur *nutritii Eccleſiæ*: quodque *Pſalm.* LXXXII. audiunt *Dii eſtis, & filii Altiſſimi.* Nam ideo Deus hoc eos titulo dignatur, quia munus gerant divinum, præcipuaque imperii pars verſetur circa ea, quæ ad Dei gloriam, & animarum ſalutem pertineant. Quod ſi exempla petuntur, ſuppetunt ea, in Davide, Salomone, Aſa, Joſophata, Ezechia, Joſia, Jehu, aliis. Non inhærebo iis commemorandis, partim quia omnia inculcantur libris, partim quia ſelectiſſima illa teſtimonia ſufficiunt, quæ ad edictum Illuſtrium Ordinum adſcripta ſunt, ex 2 *Chron.* VIII. 2. XVII. 6, 7. XXIV. 4. XXIX. 4. XXX. 1. XXXIV. 3. XXXV. 2. Nec pœnarum exempla, quibus Deus punivit ejus mandati neglectum, quiſquam arbitror requirat, qui vel hoc ſolum cogitet; propter Salomonis idololatriam regnum ejus fuiſſe diviſum: multoſque Samariæ Reges ob Religionis neglectum periiſſe, ipſaſque tandem decem tribus hac propter funditus prope fuiſſe deletas.

Scripturarum auctoritati ſuccedat pondus rationis. Nam ſi vel temporalia ſolum curare Reges ſerio velint, ne ſic quidem Religionis cultum negligere debeant, cum cultus divini contemtus ac negligentia fons ſit infelicitatis ac multorum malorum: uti contra ſincerus Dei cultus in temporalibus quoque magnam adfert felicitatem. Qua de re vide integrum Deuteronomii *cap.* XXVIII. quo nihil illuſtrius. Similiaque legas 2 *Chron.* XVII. 3, 4, 5. &c. XXVI. 5, 6, 7, 8. XXVII. 3, 4, 5, 6, 7. XXVIII. 6, 7, 8, 9, 10. XXIX. 6, 7, 8. XXXI. 21. XXXII. 27, 28, 29, 30. &c. Itaque Conſtantinus Magnus (uti Nicephorus ſcribit lib. VII. cap. XLVI.) *publicitus omnes cohortatus eſt, ut imprimis divinum numen pie colerent: ita enim fore, ut omnia eis abunde prorſus ſuppetant: omniaque capta cum ſpe optima feliciter cedant: ſin à pietate tali, & veri Dei religione aberrarent, nihil eos & pace & bello, quam res adverſas exſpectare debere confirmans.* Etiam Theodoſius moriens (uti idem Nicephorus ſcribit lib. XIII. Eccl. Hiſt. cap. 1.) nihil aliud filiis mandavit, quam ut veram pietatem ſervarent illibatam, eoque eos argumento quoque inflammabat, *quod per hanc habituri eſſent pacem, bellum ſapituri, trophæa excitaturi, & victoriam à Deo conſecuturi.* Cui geminum illud Cyrilli pene initio libri de recta fide ad Theodoſium: *Impii reges plerumque miſeri ac mali male perierunt: contra vero pietatis cultores ſine labore vincebant inimicos, & adverſariis prævalebant.* Fuſe deinde è Scripturis idem probat. Addamus & illud Leo-

nis

Ep.266. nis Magni ad Martianum Imp. epiſt. XLII. *Magnam materiam gratulationis accepi, quia ſtudioſiſſimos vos Eccleſiaſtica pacis agnovi: cui ſancto deſiderio, digna aquitate conferetur, ut quem ſtatum cupitis eſſe religionis, eundem habeatis & regni. Nam inter principes Chriſtianos ſpiritu Dei confirmant concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur: quia perfectus charitatis & fidei, utrorumque armorum potentiam inſuperabilem facit, ut propitiato per unam confeſſionem Deo, ſimul & hæretica falſitas, & barbara deſtruatur hoſtilitas, glorioſiſſime imperator.* Pertinet huc quoque illud Tullii de Aruſpicum reſponſis p. 248. *Nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo ejus gentis ac terra domeſtico nativoque ſenſu Italos ipſos ac Latinos; ſed pietate ac religione, atque hac ſapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perſpeximus, omnes gentes nationeſque ſuperavimus.*

Jam vero non tantum indirecte & propter temporalem felicitatem, curam religionis rex debet: ſed etiam directe & propter ſe, ut qua pars principalis ac quaſi anima ſit imperii. Quippe ut Ammianus lib. XXIX. ait, *Nihil aliud eſt imperium, ut ſapientes definiunt, niſi cura ſalutis aliena.* Atque ut idem ait lib. XXX. *Finis juſti imperii, ut ſapientes docent, utilitas obedientium æſtimatur, & ſalus.* Atqui, qui illud Satyrici novit, *optandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano*, is ſciat ſalutem non ſolius eſſe corporis, ſed etiam animæ: ac quanto anima præſtantior corpore, tanto hujus ſalutem potiorem cenſendam corporis ſanitate. Si igitur ſapientes, ut Ammianus ait, ſalutem alienam finem eſſe ſtatuunt Imperii; potiſſimum animæ ſalutem curare debet Princeps: præcipua autem, imo vera animæ ſalus eſt æterna animæ ſalus: quam iccirco optime finem Principis facit Thomas Aquinas, ſive alius, libro de regimine Principis, cum alibi, ut infra videbimus, tum cap. ult. ubi ait, *divino cultui rex toto conatu incumbere debet, tanquam debito fini, non ſolum quia homo eſt, verum etiam quia dominus & rex eſt.*

Idem quoque eo evincitur, quod Magiſtratus Homero dicuntur ποιμένες λαῶν. (*paſtores populorum.*) Cui conſentit Xenophon, cum lib. VIII. de inſtit. Cyri, *ſimilia eſſe* ait *opera boni paſtoris & regis: nam & paſtorem præſtare, ut pecora habeant feliciter, & iis uti, ſi pecudum nulla felicitas eſſe poſſit: & regem itidem urbes homineſque facere beatos, atque iiſdem uti.* p. 114. edition. H. St. a. 1572. Τὸν μὲν δὴ ποιμένα χρῆναι, ἔφη, ἀδαίμονα τὰ πρόβατα μὴ ποιεῖν, χρῆναι δοκεῖς (ἐὰν δὲ εὐδαίμονα ἀδαιμονία) τὸν δὲ βασιλέα ἀνάγκαι ἀδαίμονας πόλεις καὶ ἀνθρώπους ποιεῖν, χρῆναι δοκεῖς. Quantum igitur ἀδαιμονίας (*felicitatem*) pecudum (ſic loqui licet) curat paſtor: tantum rex procurabit hominum ἀδαιμονίας: (*felicitatem:*) atqui hæc non corpus ſolum reſpicit, ſed animam quoque, atque id imprimis: ut etiam in Nicomachiis Ariſtoteles ſentit. Sed fortius etiam idem probat, quod Princeps & dicitur & eſt patriæ parens: Ep.266. ut Auguſtinus ait lib. XIX. de Civitate Dei, cap. XIV. *Imperant qui conſulunt, ſicut vir uxori, parentes filiis, domini ſervis.* Quod igitur jus competit patrifamilias in domo ſua, idem aut majus etiam (nam paternum jus à principali determinari poteſt) convenit Principi in Republ. Atqui patris boni officium eſt curam gerere non corporis ſolum, aut bonorum terrenorum; ſed etiam & cumprimis quidem eorum quæ animam tangunt: hæc vero inter quin Religio familiam ducat, quis ſanus dubitat?

Quod ſi exemplis etiam Chriſtianorum Principum movemur; inde quoque clariſſimum evadet, Principis munus eſſe publicitus Religionem inſtituere, inſtitutam conſervare & defendere. Conſtantinus Magnus in literis ad Eccleſias apud Euſebium lib. III. cap. XVI. Τοῦτο οὖν πάντων ἔμοιγε δοκεῖ μοι θεοφιλέστατον, ὅπως ἂν τῆς καθολικῆς τοῦ πολλοῦ συνελεύσεως πλῆθος μία, καὶ σύμφωνος ἀγάπη, ἐμφυόμενον ἔχοι τὸ σπουδαῖον ἦθος ἀνεύθυνον τηρεῖται. (*Hunc ante omnia judicavi me decere ſcopum, ut à beatiſſima Eccleſia Catholica multitudine una fides, & ſincera charitas, & conſentiens circà Deum omnipotentem pietas ſerveretur.*)

Idem Conſtantinus legem tulit, ut baſilicæ Catholicorum, quas Donatiſtæ occupaſſent, Catholicis redderent, nec quas ipſi fabricaſſent retinere permitterentur: cujus rei meminit Auguſtinus epiſt. CLXVIII. ad Januarium, & contra Parmenianum lib. I. cap. ult. & contra Petil. lib. II. cap. XCII. Etiam edictum contra Arrium tulit, in quo hæc inter alia: *Si quid compoſitum ab Arrio reperiatur, ut igni id tradatur volumus. Illud etiam mandatum, ut ſi quis librum ab Arrio compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte multetur.* Vide Socrat. lib. I. cap. VI. Sozom. lib. I. cap. XX. & Niceph. lib. IIX. cap. XXV. Etiam apud Euſebium de vita Conſtant. lib. III. cap. LXII. & LXIII. Lex ejuſdem exſtat adverſus hæreſes omnes. In cujus fine hæc legere eſt: *Noſtra enim proſpera ac beata vita ratione, qua Dei beneficio fruimur, eſt admodum conſentaneum, ut qui ætatem bona ſpe ſuſtentatam degant, ab omni vago & cæco errore, ad rectam viam, à tenebris ad lucem, ab inſcitia ad veritatem, à morte denique ad ſalutem traducantur. Ac quo proviſio hac in curandis erroribus robur & firmitatem ſibi neceſſariam aſſequatur, mandavimus, ut ſupra dictum eſt, ut omnia ſuperſtitionis veſtræ loca, in quibus convenire ſoletis, omnia dico hæreticorum templa, (ſi modo templa appellare convenit) ſine recuſatione, aut controverſia diruantur, & diruta abſque mora catholicæ tradantur Eccleſiæ, reliqua loca publico Reip. uſui addicantur, ne ulla vobis in poſterum conventus celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum ſtatutumque, ut poſt hunc diem in nullo loco, vel publico, vel privato, nefarii veſtri conventus in unum coire audeant.* Hujus legis occaſione hæreticos & ſchiſmaticos paullatim ad Eccleſiam rediiſſe, præter

Digitized by Google

Ep.266. Euſebium eopſe & ſeq. capite, auctores ſunt Sozom. lib. II. cap. XXX. & Nicephorus lib. VIII. cap. LII. Etiam filius hujus Conſtantius, priuſquam Arrianus fieret, epiſtola ad Tyri epiſcopum hæc inter alia ſcripſit: *Certi ſitis, me omni ope adniſurum, ut ea quæ ſunt legis Dei, quam maxime inoffenſa, illabefactaque, ſerventur, profligatis ſcilicet, & contritis ſemel inimicis legis, qui ſub ſpecie ſancti nominis, multiplices & diverſas blaſphemias inferunt.* Vide Athanaſ. apol. II. Idem adverſus Donatiſtas Macarium præfectum ſuum miſit: qua de re Optatus lib. III. adverſus Parmenianum. Conſtantio ſucceſſit Julianus deſertor: huic Jovinianus, de quo ſic Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. quæ eſt in laudem Athanaſii, * *ὃς ἵνα ἀρίστῳ ἐπιστῇ κράτει τὸ βασιλείας κεφάλαιον*, &c. *Qui Jovinianus, ut pulcherrimum imperii ſui fundamentum jaceret, rectamque legum ſanctionem, unde conveniebat, auſpicaretur, cum omnes alios Epiſcopos, tum eum ante omnes, qui omnibus virtute præſtabat, ac citra dubitationem ullam pietatis cauſa oppugnatus fuerat, ab exilio revocat. Quin etiam fidei noſtræ veritatem à multis laceratam & perturbatam, atque in ſexcentas opiniones parteſque diſtractam, ſibi tradi poſtulavit: ut maxime quidem univerſus orbis, ſi fieri poſſet, in fidei negotio conſentiret, Spirituſque auxilio in unum coiret: ſin minus, ipſe certe optimæ parti ſeſe adjungeret, ſimulque & ei robur afferret, & ab ea viciſſim acciperet, excelſe ſimul & magnifice de rebus maximis cogitans.* Valentinianum etiam contra Donatiſtas legem tuliſſe ſcribit Auguſtinus epiſt. CLXVI. Gratiani, Valentiniani junioris, & Theodoſii ſenioris lex eſt apud Theodoretum Eccleſ. Hiſtor. lib. V. cap. II. & Sozom. lib. VII. cap. IV. *Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione manere, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio hucuſque ab ipſo inſinuata declarat, quamque pontificem Damaſum ſequi claret*, &c. Item iſta: *Epiſcopis tradi omnes Eccleſias mox jubemus, quos conſtabit communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eſſe ſociatos*, &c. Aliam quoque vide Cod. de ſumma Trinit. lib. 2. De Donatiſtis etiam quædam à Gratiano & Theodoſio conſtituta eſſe docet Auguſtinus epiſtol. CLXVI. Idem Gratianus edictum emiſit, quo univerſi hæretici, non Eccleſiis tantum, aut urbibus excedere juberentur, ſed etiam extra terras omnes propellerentur: qua de re vide Sulpitium Severum Hiſt. ſacræ lib. II. num. LXIX. Idem Theodoſius Magnus Demophilum Arrianorum Epiſcopum Eccleſiis Conſtantinopolitanæ urbis juſſit excedere: eaque ratione factum, ut reliquas etiam Eccleſias recuperarent Catholici, quas ſexaginta jam annis Arriani occuparant. Vide Sozom. lib. VII. cap. V. & Niceph. lib. X. cap. IIX. Idem Sozom. lib. VII. cap. XII. & Niceph. cap. X. lib. XV. teſtantur ab Theodoſio Magno legem Ep.266 latam, ut ſectarii neque conventus agerent, neque doctrinam fidei profiterentur, neque Epiſcopos, aut alios ordinarent. Quæ lex exſtat in cod. Theod. uti & aliæ multæ ad Religionem pertinentes: unde Hieronymus Epiſt. ad Paulinum, panegyrici pro Theodoſio mentionem faciens his verbis: *Et utilitatem legum futuris ſeculis conſeceraſti.* Illuſtre etiam eſt, quod Socrates de eo narrat lib. V. Hiſtor. Eccleſ. cap. X. *Determinata*, inquit, *die cujuſque religionis Epiſcopi ad aulam vocati conveniunt. Aderant igitur Neſtorius & Agelius Homuſianæ fidei antiſtites: Arrianæ vero Demophilus: Eunomianæ ipſe Eunomius: Macedonianæ Eleuſius Cyzicenus. Ubi conveniſſent excipit eos Imperator, & accepto cujuſque dogmatis ſcripto, ſeorſim Deum impenſe orat, ut ſe ad eligendam veritatem adjuvet. Deinde lecto cujuſque dogmatis ſcripto; reliqua omnia, tanquam ſeparationem ſanctæ Triadis inducentia reprehendit, ac carpit, ſolum vero, quod homuſianam fidem continebat, laudat & complectitur.* Hic vero videmus, ut etiam ſolus Imperator Religionis controverſiam decidit. Finem de Theodoſio faciam, ubi adjecero hæc verba Ambroſii, de ejus obitu: *Theodoſium Imperatorem dilexi: virum, qui cum jam corpore ſolveretur, magis de ſtatu Eccleſiarum, quam de ſuis periculis angebatur.*

Ejus vero zelum hac parte imitati quoque filii ejus Arcadius & Honorius, quorum hic etiam inter duos Epiſcopos judicans, falſo epiſcopo depoſito, verum reſtituit, ut ait Turrecremata lib. IV. Summæ, part. I. cap. 9. Ac quemadmodum Theodoſium Arcadius & Honorius, ita Arcadium quoque ſuus ſecutus filius Theodoſius Junior, hunc item Marcianus: quorum de Religione leges, & plures ſunt, quam ut huc congeri poſſint, & obviæ magis, quam ut nunc referri debeant. Non poſſum tamen præterire hæc Theodoſii & Valentiniani verba, ad Hormiſdam Papam: *Decere arbitramur noſtrum imperium, ſubditos noſtros de religione commonefacere*, &c. Et illa imprimis: *Inquiſitio vera religionis præcipua eſt ſollicitudo majeſtatis imperialis.* Item hæc eorundem Epiſt. XVII. earum quæ vel Cyrilli, vel inter Cyrillianas leguntur: *A pietate, qua in Deum eſt, Reip. noſtræ conſtitutio pendet*, &c. Sed nihil illuſtrius verbis eorundem, quæ ad III. Ordinum edicta citantur ex lib. II. Novellarum Theodoſii tit. 2. De Martiano vero tantum dicam, Evagrium Eccl. hiſt. lib. II. cap. I. & Niceph. XV. cap. I. teſtari, inprimis hoc eum ſtuduiſſe, ut ſublatis hæreſibus vera Religio, & rectus Dei cultus doceretur. Ejus quoque ſucceſſor Leo, conſtitutiones priorum Cæſarum pro orthodoxa Religione confirmavit: ut ſcribunt Epiſcopi Ægyptii Epiſt. lib. I. ad Leonem Imp. Eadem mens Juſtini Senioris: cujus legum pro Religione meminit Niceph. lib. XVII. c. 2.

Juſti-

* p. 394. Ed. Morell.

Ep.266. Juſtinianus quoque Epiphanio Archiepiſcopo ſcribens: *Nos*, inquit, *maximam habemus ſollicitudinem, circa vera Dei dogmata, & circa ſacerdotum honeſtatem.* Et conſtitutione Novella XLII. de Epiſcopis, & Clericis, reſtituta ab Antonio Auguſtino: *Sed nos omni providentia curam Eccleſiarum gerimus: per quas & imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas res per clementiam Dei ac gratiam muniri credimus.* Extat etiam, ut cætera mittam, Juſtiniani edictum, *de ſumma Trinitate, & fide Catholica:* quo, ut in argumento ejus merito ſcribit Ant. Contius, *vix quiſquam Patrum, aut Epiſcoporum, pleniorem ac luculentiorem fidei expoſitionem emiſit.* Procopius vero minime audiri debet, cum Imperatorem ſummum eo nomine ſugillat, quod intra Palatii ſecreta de myſteriis fidei cum Sacerdotibus, quam de re bellica cum Senatoribus colloqui mallet. Mitto Juſtini Junioris, Conſtantini Pogonatæ, aliorumque Conſtitutiones, de quibus ex Novellis, Nicephoro, & cæteris conſtat. Nempe Socrates lib. v. ſcribit in proœm. Ἀφ' ἧ οἱ βασιλεῖς χριστίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτηται ἐξ ἀνάγκης ἐκ τούτων, καὶ οἱ μίγνυσθαι τοῖσδε, τῷ λαῷ γάμῳ γεγόνασι τὰ τῆς γνώμης. (*ex quo tempore Imperatores Chriſtiani eſſe cæperunt, negotia Eccleſiæ ex illis pependerunt, & maxima Concilia eorum arbitrio tum facta ſunt antea, tum hodieque fiunt.*) Similiterque poſtea animati fuerunt Theodoricus Italiæ Rex, qui ſecundum Symmachum judicans ſchiſma ſuſtulit: ut agnoſcit Turrecremata loco ante citato. Item Karolus, Ludovicus, Lotharius, uti Eccleſiaſticæ leges oſtendunt, ab Auſegiſo collectæ. Nec putandum, vel eos quos diximus hactenus, vel Principes Chriſtianos, (quos omnes recenſere ſit longum) hoc ſibi juris vindicaſſe Epiſcopis invitis. Imo vero illud ſuſcepiſſe volentibus epiſcopis, oſtendunt ea SS. Patrum loca, quibus Cæſares ad illud capeſſendum adhortantur, & gnaviter eo fungentes, ſummis laudibus extollunt. Hujuſmodi jam adduximus aliqua multa: Addam vero & alia, quo res fiat, manifeſtior. Juſtinus ſane Martyr apologia ad Antoninum Imperatorem, * cum paratum ſe dixiſſet denuo de Chriſtiana Religione cum Imperatore colloqui, addit hujuſmodi κοινωνίας δὲ λόγων βασιλικὸν εἶναι ἔργον. (*communicationes ſermonum regium eſſe opus.*) Clarius etiam Gregorius Nazianzenus. † Cum conſummatiſſet Jeſus hos ſermones, &c. Ταῦτα τοῖς λαϊκοῖς νομοθετῶ· ταῦτα τοῖς πρεσβυτέροις διατάσσομαι, ταῦτα τοῖς ἄρχειν πεπαιδεύσεις βοηθάσθαι τῷ λόγῳ πάντας, ὅσοις τὸ δυνατὸν βοηθεῖν ἐκ θεοῦ. εἰ πονοῦντι ὁ ἡμῖν λόγῳ δυνάσεται πολεμεῖν ἀνὴρ ἢ ἀγῶνι πιθόμενος, ὅσον τὸ σθένειν. (*Hæc & laicis tanquam leges præſcribo: hæc & ſenioribus præcipio, & hæc iis quibus imperium eſt concreditum. Omnes ſermoni, ſive verbo, auxilium præſtate, quantum quidem præſtare ex Deo poteſtis. Non tantum poterit ſermo meus pugnans pro Sancta Trinitate, quantum veſtrum mandatum.*) Auguſtinus contra literas Petiliani cap. XCII. *Habent ergo Reges, excepta generis humani ſocietate, eo ipſo quo Reges ſunt, unde ſic Domino ſerviant, quomodo non poſſunt, qui Reges non ſunt.* Et lib. II. contra Creſconium Grammaticum, cap. LI. *Reges cum in errore ſunt, pro ipſo lege contra veritatem ferunt; cum in veritate ſunt, ſimiliter contra errorem pro ipſa veritate decernunt: ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonoſor perverſas legem ſævam dedit ut ſimulachrum adorarentur: idem correctus, veram, ne Deus verus blaſphemaretur. In hoc enim Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad divinam religionem.* Quibus gemina habet de correctione Donatiſtarum, ad Bonifacium cap. VI. Idem copiſe, hoc eſt, de Donatiſtarum correctione libro, cap. XIII. *Nondum autem agebatur quod paulo poſt in eodem Pſalmo dicitur; Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino ſervunt in timore, niſi ea quæ contra juſſa Domini ſunt, religioſa ſeveritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſervit quia homo eſt, aliter quia etiam & Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſervit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex eſt, ſervit leges juſta præcipientes & contraria prohibentes, convenienti vigore ſanciendo. Sicut ſervivit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa deſtruendo: ſicut ſervivit Joſias talia & ipſe faciendo: ſicut ſervivit Rex Ninivitarum, univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo: ſicut ſervivit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danielo dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo: ſicut ſervivit Nabuchodonoſor, de quo jam diximus, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſerviunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, quum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges. Quum itaque nondum Reges Domino ſervirent temporibus Apoſtolorum, ſed adhuc meditarentur inania, adverſum eum & adverſus Chriſtum ejus, ut Prophetarum prædicta omnia complerentur, non utique tunc poſſent impietates legibus prohiberi, ſed potius exerceri; hic enim ordo temporum volvebatur, ut & Judæi occiderent prædicatores Chriſti, putantes ſe officium Deo facere, ſicut prædixerat Chriſtus, & gentes fremerent adverſus Chriſtianos, ut omnis patientia Martyrum vinceret. Poſtea vero quam cœpit impleri quod ſcriptum eſt, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient illi: quis mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit eſſe religioſus;*

* p. 37. ed. Com.

† p. 509. ed. Morell.

Ep.266. *ſus, ſive ſacrilegus? Quibus dici non poteſt, Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus?*

Hæc Auguſtinus apud quem & alia ejus generis non pauca legas. Leo Magnus ad Theodoſium Auguſtum Ep. XI. *Pro integritate fidei Chriſtianiſſimum principem convenit eſſe ſollicitum.* Vide & Epiſt. XXV. ad eundem. Idem Epiſt. LXXV. ad Leonem Auguſtum: *Cum enim Clementiam tuam Dominus tanta ſacramenti ſui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen; ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*, &c. Gregorius Magnus quoque Mauritium Auguſtum laudat, *quod conſervanda ſacerdotali charitati, & cuſtodiæ fidei, rectitudine ſtudii ſpiritalis, precipua ſollicitudine invigilet.* Vide lib. IV. Epiſt. LXXVI. & CLXIII. quarum utraque ad Mauritium ſcripta. Iſidorus Hiſpalenſis
* p. 686. lib. III. Sentent. cap. LI. * *Cognoſcant principes ſeculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ, per fideles principes ſive ſalvatur; ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.* Bernardus ſerm.
† Col. 704. ed. Antwer. XLVI. ſuper Cantica. † *Quomodo namque ſtabunt Ordines clericorum, & adminiſtrationes eorum, ſi non principum, tanquam tignorum beneficio & munificentia ſuſtententur, & potentia protegantur.* Arnulphus Epiſcopus Lexo-
* fol. 75. b. ed. Pariſ. an. 1585. vienſis, ſermone in Synodo habito. * *Juſtitia regia majeſtatis, per diſcretionem ſcientiæ dirigit, & informat. Informat ad virtutem, dirigit ad ſalutem.* Et quid multis opus? cum Chriſtiani Epiſcopi etiam ad gentilem Cæſarem provocarint? Nam, uti Euſebius ſcribit lib. VII. 24. & Niceph. lib. VI. 17. *& ſeqq.* cum Paulus Samoſatenſis, à Synodo Antiochena damnatus, Epiſcopi ædes relinquere ſucceſſori nollet, non dubitarunt Chriſtiani Epiſcopi provocare ad Imperatorem Aurelianum, qui decrevit, ut illis Eccleſiæ domus tribueretur, quibus eam Urbis & cæteri Italiæ Epiſcopi adjudicaſſent.

Nec recentiores Eccleſiæ Reformatæ doctores hac parte à veteribus diſſentiunt. Oſtendunt hoc ea loca Muſculi, Martyris, Buceri, Joëlli, Whitakeri, Bilſoni, & Epiſcopi Ciceſtrienſis. Item Confeſſiones Belgicæ, Helveticæ, Baſileënſis, quæ citantur ad Illuſtr. Ordinum edicta. Addam locum M. Buceri ex defenſione Chriſtianæ reformationis Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis.
† p. 432. † *Ad unumquemque Magiſtratum præcipue pertinet, ante omnia providere, diligentiſſimeque & efficaciſſime conſtituere, ut populo Chriſti, quoad curam animarum, recte conſulatur.* Eadem mens eſt
* p. 277. ed. Neoſtad. an. 1608. H. Zanchii Miſcell. T. 2. * *Primum*, inquit, *Magiſtratus munus, ordinare tam illa, quæ ad religinem, & cultum Dei attinent, quam quæ ad publicam pacem, honeſtatem, & juſtitiam.* Sexcenta hujuſmodi ſunt, in Germanorum, & Helvetiorum Locis communibus, uti Polani, & aliorum, cap. de Magiſtratu. Nec ἀναγνώσεις (*ſectiones*) aliquot, ſed libros integros deſcribere oporteret, ſi adferre vellem, quæ hac de re, Burtrillus, Tookerus, aliique Angli Theologi ſcribunt adverſus Jeſuitas. Unius tantum ex multis paucula ponam. Ep.266.

L. Ciceſtrienſis ad M. Torti librum reſponſione, pag. 364. *In Iſraele autem, nondum os reperi tam durum, quod negare etiam auderet, precipuas in religione partes penes Regem extitiſſe: vel uno hoc argumento, quod per ſacra hiſtoria ſeriem totam, mutato novi Regis animo, mutata ſemper eſt facies Religionis. Eaque in Religione mutatio Regi ſemper aſcribitur, quaſi factum ejus. Nec Pontifices unquam vel præſtare poterant, ut fieret mutatio in melius, vel ne fieret in pejus, impedire. Penes eos autem, ſi Religionis tutum ſumma fuiſſet, aliquis aliquando Pontifex, etiam Rege ſecus affecto, præſtitiſſet hoc tamen, ut cultum Dei illibatum, pars aliqua populi ſaltem, retineret.* Et pag. ſequ. *Regi id ſemper, Eccleſia nunquam, vitio datum legimus quod Excelſa ſteterint. Regi ergo, ſive declaret hoc, ſive non declaret, etiam ante Eccleſiæ declarationem, id ex officio munus incumbit, deque eo neglecto, Deo rationem redditurus eſt.* Et pag. 373. *Conveniunt illa Regi, dare Judices in cauſſis Eccleſiæ; dare Judicum Præſidentes; abuſus in Religione & corrupteias tollere; Arcam reportare, & præire reportanda; Templa dedicare, & ad eam rem cœtus indicere; libro Legis recitato præcipere Pontifici de repurgando Dei cultu; fœdus renovare de Religione reformanda; Templum ingredi, & æneum ſerpentem confringere; Miſſiones Sacerdotum facere; Pontificem ipſum ejicere, atque exanthorare, ne ſit Pontifex: Hæc ſi Regi omnia ſic conveniant, convenit & Regimen Eccleſiaſticum.* Et pag. 380. *Religionis cura, res Regia eſt, non modo Pontificia, & in Regiis prima; quamque ille non ſolum foris ab externa vi, ſed & domi ab incuria hominum aſſerere teneatur. Vos quidem ipſi, ſi vis inſtet nulla, rem Regiam clamatis: Ille verò, ſi collapſa ſit diſciplina, non minus Regiam.*

Quod & etiam τοὺς ἔξωθεν (*qui extra ſunt*) audire lubet. Hi quoque Religionis curam potiſſimam faciunt imperii curam. Ita Plato II. de Rep. ait, præcipue eum qui publico præſidet, Religionis curam ſuſcipere debere: & eandem IV. de Rep. propugnaculum vocat Magiſtratus: & lib. VII. de LL. nominat vinculum legum, & honeſtæ diſciplinæ. Cic. II. de Natura Deorum appellat eam, humanæ ſocietatis fundamentum. Quæ omnia, ut de religione falſa falſo, ita de vera veriſſime dicuntur. Quemadmodum & oraculis ſacris, una Deorum voce excepta, plane conſentaneum eſt illud Venuſini poëtæ, lib. III. od. 6. *Dii multa neglecti dederunt, Heſperiæ mala luctuoſæ.* Quod ſi quis exempla deſiderat, quibus Principes gentiles præcipuam religionis

curam

Ep.266. curam habuiſſe demonſtretur, adeat Greg. Tholozanum lib. XII. de Rep. cap. IV. Danæum lib. I. Polit. & alios.

Atque hæc ſatis oſtendunt, Principem præ aliis tam perſonis, quam rebus, de Religione, & Eccleſia, qua publica utraque eſt, ſollicitum eſſe debere.

Eſtque ejus doctrinæ cognitio neceſſaria plane his temporibus, partim ob Magiſtratus ipſos, ne ſe putent ἀπολελησμονῆι, (*alienarum rerum curam ſuſcipere*,) ſi Eccleſiaſtica curent; quin vero graviſſimam ſibi neglecti muneris rationem Deo reddendam ſciant, ſi non curent: partim ob Eccleſiaſtas, ne hujus rei ignorantia ſe Magiſtratus imperio in Eccleſiaſticis eximentes tranſiliant mandatum Chriſti, jubentis ut Cæſari demus, quæ ſunt Cæſaris, *Matth.* XXII. 21. & Apoſtoli Petri, monentis, ut ſubjecti ſimus cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, 1 *Epiſt.* II. 13. item illud Pauli dictum, docentis omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus eſſe ſubjectam, *Rom.* XIII. 1. quem locum interpretans Chryſoſtomus, diſertim ſcribit: *Poteſtatibus ex debito obedire jubet; oſtendens, quod iſta imperentur omnibus, & ſacerdotibus, & monachis, non ſolum ſecularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat; cum dicit, omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta ſit; etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Evangeliſta, ſi Prophetа, ſive quiſquis tandem fueris. Neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Quæ verba etiam bonam partem exſcripſit Theophylactus. Idem ibidem: *Deus ita exigit, ut creatus à ſe princeps vires ſuas habeat. Neque extenuatio ex eo eſt, quod principi honorem ſuum reddis, ſed magis ex eo, quod eum negligendo contemnis.* Eodemque reſpiciens Bernardus Epiſt. XLII. quæ ad Archiepiſcopum Senonienſem; *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta ſit. Si omnis, & veſtra. Quis vos excepit ab univerſitate? Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.* Scio ad ſecularia tantummodo referre hæc Pontificios: ſed plane iis refelluntur, quæ antea de Jure Magiſtratus in Eccleſiaſticis diximus. Dolendum vero, hodie iſtoc Papale καταφύγιον, (*effugium*,) etiam ab aliquibus ſtudioſe arripi, quos alioqui amore ſinceræ Religionis ac pietatis erga Deum ſerio duci judicamus. Sed ſic ferè omnes ſumus; ut, quaſi veritas Leſbia quædam regula eſſet, plurimum feramus ſententiam, prout quiſque putamus rebus noſtris maxime expedire. Itaque qui alias judicium in Eccleſiaſticis utraque manu Magiſtratui deferimus, & ipſam ſeveritatem principalem erga adverſarios noſtros zelum ſolemus appellare: hi, ſi nobis delinquentibus, non omnia Magiſtratus ex animi noſtri agat ſententia, judicium retractamus: & quod non minus quam antea zelus dici debuerat, nec conſcientia bona, ac citra magnum Eccleſiæ diſpendium poterat omitti; hoc, quia nunc ſic nobis affectis videtur, partim ἀπολελησμονῆι, (*rerum alia-*

rarum curam) partim etiam ſæviciam appellemus. Quam bene aptari nobis poſſit, quod Greg. Nazianzenus ſcribit Orat. XVII. quæ ad cives Nazianzenos: * *Nos, fratres, dum officium ipſi deſerentes, Magiſtratus poteſtatem iniquo animo ferimus, perinde utique facimus, ac ſi quis certaminis præſidem ut improbum accuſet, cum ipſe in palæſtra leges peccet, aut medicum ut indoctum & audacem, quod ſe ſectionibus & cauteriis utatur, cum ipſe gravi morbo laboret, aſperioribuſque remediis indigeat.* Sed Græce quin potius ipſum audimus: Ἡμεῖς τοίνυν τι πάσχομεν, ἀδελφοί, μὴ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἐπιτροπὴν, ἀπὸ τοῦ ἐξουσίαν θεοῦ χαριζομένου, διαπτύσαντες ἢ τὴν ἀκριβῆ καὶ ἀκωλύτως ἐκ μακρῆς, ἀνεπιτηδείως, ἢ τὴν ἐπὶ ἀμφω τῆς θεραπείας τοῖς πρώτοις καὶ τοῖς νόσον ἐπιχειροῦσιν, ἀνεπιτηδείως πεπαιδευμένοι, καὶ τὸ εὐαγγέλιον διώκοντες φαρμάκου. Tandem vero ſapere diſcamus, & (ut hortatione Nazianzeni ex eadem oratione hanc partem claudam:) *Submittamus nos, tum Deo, tum alii alios; tum iis, qui imperium in terra gerunt: Deo quidem, omnibus de cauſſis: alii autem alii, propter charitatis fœdus: principibus denique, propter ordinem, publicaque diſciplinæ rationem: idque tanto etiam magis, quanto facilioribus illis ac benignioribus utimur.*

Atque hæc generatim de Jure ſummi Magiſtratus in Eccleſiaſticis præmittere viſum fuit. Porro nec abhorreat animus à ſpeciali ejuſdem juris conſideratione: nempe qua illud circa Synodos, vel Paſtorum vocationem, vel Legum lationem, vel Juriſdictionem occupatur. Sed cum accurate adeo hoc omne perſequaris gemino ſcripto tuo, ut nihil, (niſi forte quis mole ac numero infaniens exemplorum teſtimoniorumque ſtruices ampliores requirat) deſiderare ultra poſſit: atque ad hæc quæ ſuperius diximus, pro inſtituto quidem noſtro, ſufficere nunc temporis poſſint: ſpeciali illa conſideratione vel omiſſa, vel in aliud tempus rejecta, accedam deinceps ad ipſum ſcriptum Walæi, ac ſi qua ejus hoc mereri nobis videbuntur, & recenſebo, & cenſebo paucis.

In ipſo operis ingreſſu multus eſt in probando, reipſa diſtingui Magiſtratus munus à munere Eccleſiaſtico: idque ut oſtendat (quemadmodum paſſim indicat) Miniſtros verbi non eſſe ſui Magiſtratus ſed Dei legatos, ac ἀμέσως (*immediate*) à Deo vocari, non ut Magiſtratuum obeant vicem, ſed ut tam Magiſtratus quam cæteros, imo Magiſtratus præ cæteris, Dei verbo paſcant. Atqui hæc vera falſane dicam incertus hæreo, an potius utrumque horum. Quam in ſententiam magis animus inclinat, qua pro diſcrimine poteſtatis ac judicii diverſimode hæc ſe habent. Poteſtas enim eorum qui publica ſunt vocatione inſtructi, vel Civilis eſt vel Eccleſiaſtica. Civilis procurat humanum bonum, uti εὐδαιμονίαν πολιτικὴν. (*felicitatem civilem.*) Atque hoc reſpectu ſocietas hominum non Eccleſia ſed Reſp. voca-

* p. 270. ed. Morell.

Ep.266.

p. 269.

Ep.266. tur. Poteſtas vero Eccleſiaſtica procurat ſpirituale bonum, uti beatitudinem cœleſtem. Atque eo reſpectu hæc ipſa ſocietas non jam Reip. ſed Eccleſiæ nomen obtinet. Poteſtas vero Eccleſiaſtica eſt duplex: una interior; altera exterior. Interior verſatur in his quatuor, verbi prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ordinatione paſtorum per impoſitionem manuum, & uſu clavium. Exterior poteſtas in externa gubernatione conſiſtit, qua Religio publice ſancitur, omniaque procurantur quæ ad bonum religionis, qua publica eſt, pertinent. Prior illa poteſtas propria eſt Eccleſiaſtarum: poſterior primo & per ſe competit Magiſtratui. Quod optime intellexit Conſtantinus Magnus. Is enim in ſermonibus ſuper menſam, cui accumbebant plurimi Epiſcopi, & in his Euſebius Pamphili, dixiſſe fertur, ὑμεῖς μὲν τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ κατασταθεὶς ἐπίσκοπος ἂν εἴην. (*vos quidem interiorum Eccleſiæ, ego vero à Deo conſtitutus ſum epiſcopus exteriorum.*) Ubi τὰ ἔσω, ſive res interiores ab Conſtantino vocantur, verbi divini annunciatio, baptiſmi & euchariſtiæ exhibitio, impoſitio manuum; ſive miniſtrorum ordinatio, & uſus clavium: uti antea dicebam. Τὰ ἔξω vero, ſive res exteriores, vocat Conſtantinus (ut optime ejus verba interpretatur vir Cæſarei juris intelligentiſſimus, Melchior Goldaſtus) defenſionem Eccleſiæ, cuſtodiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ recte atque ordine gerendæ, Conciliorum ſeu Synodorum indictionem, legum Eccleſiaſticarum ſanctionem, emendationem cultus divini, abrogationem ſuperſtitionum & idololatriæ, obſervationem ceremoniarum Eccleſiaſticarum, notationem vitæ & honeſtatis clericorum, punitionem impie & flagitioſe viventium, miniſtrorum bonorum procurationem, & malorum depoſitionem: & ſi qua id genus alia. Hanc Conſtantiniani dicti interpretationem confirmat illud, quod ipſe ſe dixerit ἐπὶ τῶν κοινῶν ἐκτὸς ἐπίσκοπον ὑπὸ θεοῦ κατασταθέντα. (*tanquam communem quendam Epiſcopum à Deo conſtitutum.* Quo clare indicabat, ſe Epiſcopis etiam in Eccleſiaſticis præeſſe, nempe non interioris (directe quidem) ſed exterioris juriſdictionis ratione. Cujus etiam ratione (non tantum ratione civilium legum) ſe miniſtrum eſſe Dei dicebat, ſeque habere poteſtatem Epiſcopos improbos coërcendi, ut eſt apud Theodoretum etiam lib. 1. cap. XIX. Quomodo etiam capiendum calcatum illud, *Rex eſt perſona mixta cum Sacerdote.* Neque aliud volunt illi, qui dicunt Magiſtratum, etſi primo cura ei competat rerum Eccleſiaſticarum, non ſemper tamen per ſe exercere, ſed fere hanc aliis committere. Quod de ſola exteriori juriſdictione intelligunt. Ut omnino immerito hos ſugillet Wallæus.

Hoc ut ita eſſe pareat, adferam aliquot recentiorum loca ſuperius à nobis omiſſa: quibus interiorem juriſdictionem Chriſto, ejus miniſterium ac functionem Paſtoribus, exteriorem vero in Eccleſiaſticis juriſdictionem & principalem miniſterii curam ſupremo Magiſtratui committunt. Hier. Zanchius Tom. 2. Miſcellan. *Illud, quo regnum hoc Chriſti inſtauratur, conſervatur, propagatur, eſt ſacrum, ſeu, ut vocant, Eccleſiaſticum miniſterium, cujus Miniſterii quidem totius, non functio, ſed cura penes principes eſſe debet, ut in exemplis piorum Regum Juda, imo ante hos, in ipſo Moſe, videre eſt. Is, ut princeps & dux totius populi, curam imprimis, ex mandato Dei, ſuſcepit religionis, & totius ſacri miniſterii: ipſam vero miniſterii ſacri functionem à politica ſeparavit, & unam ſibi retinuit, alteram Aaroni Pontifici, ejuſque liberis Levitis, injunxit.* Ep.266. p. 218. ed. Noſt.

Muſcul. Loc. Comm. de Magiſtratu: *Quid igitur miniſtris Eccleſiarum, epiſcopis, ac preſbyteris relinquitur, inquiunt, ſi Magiſtratui competit, ut curam gerat Eccleſiarum, miniſtrorum, doctrinæ, ſacramentorum, rituum ac caremoniarum, conſiſtorii, ſcholarum, ac bonorum Eccleſiaſticorum? Reſpondeo: relinquuntur illa miniſteria, ad quæ obeunda eliguntur ac conſtituuntur. Neque docet Magiſtratus, neque adminiſtrat ſacramenta, ſed faciunt hæc miniſtri. In ſchola non docet Magiſtratus, ſed docet ludimagiſter. In conſiſtorio non judicat Magiſtratus, ſed qui ad id officii ab illo ſunt conſtituti. Et tamen ſuperior horum omnium autoritas & poteſtas ad patremfamilias, laberes vero & miniſteria ad œconomum & familiam pertinent. Hac diſtinctione ſatis multum relinquitur Eccleſiarum miniſtris. Utinam officia ſua fideliter, utiliter, & prudenter obeant!* p. 1378. p. 432.

L. Ciceſtrienſis reſponſione ad Matthæum Tortum, pag. 370. *In gubernando primatum ponimus, non docendo, & Regem non doctorem ſummum, ſed gubernatorem dicimus: ut jam dirimi poſſit lis in docendi munere, quod proprie pertinet ad primatum ſuum: in gubernandi Rex, quod ille ſibi ſolum vendicat, ut Rex: nec illum alterum pontificatum docendi invadet unquam.* Idem eopſe libro, (quem locum & Walæus citat.) * *Docendi munus, vel dubia legis explicandi Rex non aſſumit, vel conciones habendi, vel rei ſacræ præeundi, vel ſacramenta adminiſtrandi, non vel perſonas ſacrandi, vel res, non vel clavium jus, vel cenſura: quæ ad ſacerdotale munus ſpectant, ſeu poteſtatem ordinis conſequuntur. At in iis quæ exterioris politiæ ſunt, ut præcipiat, ſuo ſibi jure vendicat, noſque adeo illi libenter merito deferimus. Religionis enim curam rem regiam eſſe, non modo pontificiam, & in regia primam, quamque ille non ſolum foris ab externa vi, ſed & domi ab incuria hominum aſſerere teneatur. Nam cum lege ipſa Dei, cuſtos ſit, ac vindex, non ſecundæ modo tabulæ, ſed & primæ, primæ quoque curam ad ſe pertinere putat, & primam primæ.* Clare etiam Guilielmus Theolog. Prof. & Decanus Lichtfeldenſis, duello contra Becanum Jeſuitum pro Primatu Regis. * *Tota controverſia, & lis noſtra* p. 113. p. 19

Ep.266. pag. 13. *ſtra verſatur de ea poteſtate, quæ fori exterioris eſt.* Quod idem ſic explicat. † *Rex non eſt ſupra ſacramenta, & verbum: nec ſuper Eccleſia ſpiritualia chariſmata, & tamen eſt ſupremus Eccleſia gubernator: quia primaria Regis cura agenda eſt pro rebus, ac cauſſis Eccleſiaſticis, primatuſque Regis in eo munere perfungendo potiſſimum conſiſtit.* Et pag. 15, 16. *Regia ſublimitas conſtituenda eſt ſuper omnes perſonas, licet ſint Apoſtoli, ſint Prophetæ, ſint Doctores, Euangeliſtæ, ſint denique Paſtores, non quidem ſupra res ipſas, utpote verbum Dei, ſacramenta, fidem, pœnitentiam, quæ ſunt ſpiritualia: per hæc enim ſpirituale regimen animarum Chriſti eſt proprium, etſi exerceatur per ſacerdotale miniſterium. Itaque miniſtrorum functio, & diſpenſatio, qua concredita eſt illis, Regum ac principum minori antecellit perfectione, & ſolatio: non tamen poteſtatis eminentia, quæ omnia bona & ſalutaria jubet pro Chriſto, & Eccleſia, & prohibet contraria.*

Atque ex his teſtimoniis conſtare arbitror, quid judicii ferri debeat de iis, quæ de diſcrimine Civilis, & Eccleſiaſticæ poteſtatis diſputat Wallæus uſque ad pag. XII. Imo ex iiſdem facile etiam diluuntur, quæ deinceps uſque ad pag. XVIII. diſſerit, ut oſtendat judicium de rebus Eccleſiaſticis competere Eccleſiaſticis. Nam confundit judicium quod ſimplex ſententiæ dictio eſt, & illud quod cum imperio eſt conjunctum. Optime idem Guilielmus Tooker adverſus Becanum Jeſuitam pag. 50. & 51. *Eſt quiddam quaſi perpetuo Regis corona adnexum, quod directivam cum aliis, coactivam ſolus habeat poteſtatem.* Atque addit, hoc eſſe quod dicit, *tum primatum Chriſtianum Chriſtiani principis in Eccleſia Chriſti ſub Chriſto habere.* Quare quod objicit Wallæus, Sacerdotum fuiſſe judicare de lepra tam interna quam externa, de priori illo judicio, quod directivum ſeu ſuaſivum optime vocatur, veriſſimum eſt: ſed hoc non prohibet, quo minus ſolis Magiſtratibus primo & per ſe competat judicium imperativum ſeu coactivum; quandoquidem eorum eſt Sacerdotes, ſi vel munus ſuum non intelligant, vel negligant, officii commonefacere, in locum immorigerorum vel non idoneorum alios ſurrogare, leges pro Religione ferre. Quæ omnia cum non cæco impetu ad nutum alienum, ſed poſt diſquiſitionem certam fieri debeant, omnino prævium judicium requirunt.

Reſpondent aliqui, judicium quidem Magiſtratibus competere, cum quævis actio conſequatur judicium intellectus: nec quod judicium privatis conceditur, Magiſtratibus eripi poſſit: verum Magiſtratus hoc judicium, recte ſentientium Paſtorum judicio conforme eſſe debere. Sed non cogitant hi, illud ipſum eſſe, de quo judicare oportet Magiſtratum, qui illi ſint recte ſentientes paſtores. Nec enim ideo ὀρθοδόξοι (*recte ſentientes*) ſunt, quia tales ſe eſſe profitentur; cum idem faciant ἑτερόδοξοι (*perverſe ſentientes.*) Nec ideo tales habendi, quia numero vincunt; cum ſæpe hæreticorum numerus ſit major: ut olim cum ingemiſceret mundus, ſeque Arrianum factum eſſe miraretur, ut Hieronymus ſcripſit. Initio item Reformationis, & omni eo tempore, quo Waldenſes ſe, totis nempe trecentis annis & quinquaginta, ante Lutherum Synagogæ Pontificiæ oppoſuerunt. Nihil igitur manifeſtius, quam Magiſtratum ponderare, non numerare ſententias debere. Unde colligere eſt, quoties Paſtorum ſuorum potius, quam aliorum, aut plurium, quam pauciorum judicium ſequitur Magiſtratus, non ideo ſequi, quia paſtores illud dicunt, ſed quia perſuadent, quod dicunt. Ep.266.

Pag. XXVI. quadrifariam probare occipit duo diſtincta collegia ordinari *Deuter.* XVII. unum Eccleſiaſticum, alterum Civile. Verum ut duo diſtincta collegia fuiſſe concedamus, (ſane utramque in partem non adſpernanda video argumenta) non tamen rite evincat, quod vult. Nec enim hoc impediret, quo minus, & prius Judices, & poſt hos Reges, utrique præfuerint collegio, nec res duntaxat civiles, ſed etiam Eccleſiaſticas gubernarint, cultum divinum fovendo, collapſum inſtaurando. Quam piorum fuiſſe Principum curam, argumentum illud validiſſimum eſt, quod pro Judicum, ac Regum, vel pietate, vel impietate, ſemper Religio, aut floruit, aut jacuit, ut & ante dictum eſt.

Inter alia vero ait, niſi fateamur, fatendum eſſe, quod apud Euangeliſtam dicuntur, non minus Sacerdotes, quam populi Seniores, convenîſſe ad judicandum Chriſtum; conſecuturum etiam Sacerdotes, ac Levitas habuiſſe jus necis. Verum duplici ratione id abſurdum non eſt. Uno nomine; quia *erant quædam* (verbis utar Burchilli è cap. XXVIII. pag. 294.) *privilegia Sacerdotum veteris Teſtamenti, quorum erat & in rebus civilibus de jure reſpondere: etiam Deum conſulebant in dubiis, tam civilibus quam Eccleſiaſticis.* Altero vero nomine, quia dici poteſt, non habuiſſe jus necis, qua Sacerdotes, (nec enim omnes jus hoc habuere) ſed qua pars erant ſummi Synedrii, cujus ſolius erat *judicare, tribum, ſceptrum, pſeudo-prophetam, & ſacerdotem magnum*: ut ex Thalmudiſtis refert Petrus Galatinus. Joſephus etiam adverſus Appionem lib. II. diſertim ſcribit, Sacerdotes inſpectores omnium, judices controverſiarum, punitores damnatorum fuiſſe à Moſe conſtitutos.

Pag. XXV. argumentum inde pro ſententia ſua dicit, quod Eccleſiaſtis ſolis jus clavium committatur. Sed diſtinctione hic opus, ad quam nobis præit Marſilius Patavinus, ſecundæ partis, cap. VI. uno tamen hoc labens, quod ſatisfactionem Eccleſiaſticam, errorem ſui ſeculi ſecutus, convertit in ſatisfactionem pro pœnis purgatorii. Ipſum audiamus. *In peccatore*, inquit, *vere pœnitente aliqua ſolus Deus*

Ep.266. *operatur etiam abſque Sacerdotis aliquo proveniente miniſterio, mentis videlicet illuminationem, culpæ ſeu maculæ peccati purgationem, & æternæ damnationis remiſſionem. Alia vero ſunt quæ Deus in eodem peccatore non ſecundum ſe ſolum operatur, ſed per miniſterium ſacerdotis: ſicut oſtendere in Eccleſia facie, quis ſolutus vel ligatus à peccatis habeatur in hoc ſeculo, ligandus aut ſolvendus in alio, id eſt, cujus peccata Deus retinuerit aut dimiſerit. Amplius, eſt & aliud quod Deus operatur circa peccatorem per miniſterium ſacerdotis*, &c. Alterum hoc eſt ſatisfactio, ſeu quorundam pietatis operum à Sacerdote impoſitorum præſtatio, quibus ſe pœnitentia peccatorum vere duci declararent. Tertium, ut ibidem Marſilius ait, eſt, quod *à ſacramentorum communione per ſacerdotem excludantur contumaces, & reſipiſcentes admittuntur.* De tribus quæ à Deo ἀμέσως (*immediate*) præſtantur, nulla eſt controverſia: ſed tantum de illis tribus poſterioribus. Quod ad primum, qua Sacerdos peccata non quidem remittit aut retinet, ſed, ut optime Marſilius dicit, remiſſa aut retenta eſſe oſtendit, ſive annunciat. De hoc litem non movemus. Nam jam antea hoc reſpectu faſſi ſumus, adminiſtrationem clavium eſſe jurisdictionis interioris, non exterioris, quam ſolam Paſtoribus tribuimus. Quid mirum? cum prædicatio Euangelii his ſolis conveniat: adminiſtratio vero clavium, reſpectu hujus primæ partis, nihil aliud ſit, quam ſingularis Euangelicæ prædicationis applicatio, qua alii intromittuntur in Eccleſiam, alii ex ea ejiciuntur: intromittuntur pœnitentes & fideles: ejiciuntur impœnitentes & apoſtatæ. Unde & idem Marſilius Patavinus ſecundæ partis cap. VI. hanc clavium auctoritatem vocat judiciariam poteſtatem: eamque eſſe, ex Hieronymo & Auguſtino definit, *diſcernendi ſcientiam & potentiam, qua (Sacerdos) dignos recipere, & indignos excludere debet à regno.* Nempe ex pronunciato generali Scripturis contento, quod in ſyllogiſmo majus eſt pronunciatum, & ex cujuſque perſonæ qualitate, qua vel fidelis, vel infidelis eſt (hæc res minus conſtituit pronunciatum) concludit, qua quiſque condicione ſit apud Deum, num regni particeps, an exſors; ſive, num damnatione peccato ſolutus, an conſtrictus. Unde miniſterii uſus ſive jus hoc ſingularis applicationis, non modo clavibus, quibus claudimus & aperimus, ſed etiam vinculo comparatur, quod vel ſtringitur, vel ſolvitur. Ad priorem tralationem pertinet, quod Chriſtus ait: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Ad alteram referendum, quod dicit: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cælis: & quodcunque ſolveris in terris, erit ſolutum in cælis.* Utrumque igitur ſingulari Euangelicæ prædicationis applicatione fit, ut tum aperiamus, vel claudamus: tum ligemus, vel ſolvamus: ſed aperimus, & claudimus ratione perſonarum: ligamus, & ſolvimus ratione rerum, hoc eſt, peccatorum. Quomodo optime, judicio meo, Chriſti verba explicat Junius in analyſi ad hunc locum: ubi ſic ſcribit: *Miniſterio ſervorum Dei, tum perſonæ in Eccleſiam intromittuntur, aut ejiciuntur: tum res ligantur, ſolvunturque, id eſt, peccata tenentur, aut condonantur.* Secundum erat ſatisfactio, qua pœnitentiæ quædam ſigna, in delictis gravioribus præſcribebantur: de cujuſmodi ſatisfactione agit Cyprianus Ep. XII. & LIV. & alibi. Hæc ſigna iuadere ſacerdos poteſt, κυρίως (*proprie*) vero loquendo imperare non poteſt: cum penes eum ſolum, qui imperium habet, ſit vis coactiva. Tertium eſt abſtentio à cœna, ſive non exhibitio ſigni ſacramentalis: qua miniſter non de aliena actione judicat, ſed de ſua: peccet enim contra charitatem, ſi ei præbeat ſigna, ad quem ſcit non pertinere. Eoque nec ullum hic imperium, ſed tantummodo miniſterium eſt. Atque hinc liquet, quatenus clavium uſus ſolis conveniat paſtoribus: & tamen horum quoque ratione ad Magiſtratus indirecte pertinet, hoc eſt, non quo ad uſum ipſum, ſed quo ad curam circa eum, qua publicus eſt. Nam veræ religionis cura *cum primis* pertinet ad curam, & poteſtatem Magiſtratus, ut Muſculus ait. * Quomodo & idem antea dixerat: † *Cura religionis publica ad Magiſtratum non ſimpliciter, & utcunque, ſed cumprimis pertinet.* Quo loco non hæc Muſculi mens eſt, magis Magiſtratum religionem, quam res civiles curare debere: ſed vero curam Religionis, qua publica, ad Magiſtratum magis, quam miniſtros pertinere. Unde idem ait, * penes Magiſtratum eſſe, *ſuperiorem religionis poteſtatem, & curam.* Atque ex his quoque liquet, nihil efficere Walæum, ſeu vulgarem, ſeu illam Bilſono, & aliis aliquot eruditis viris probatam ſequamur interpretationem loci iſtius *Matt.* XVIII. de qua Walæus agit pag. XXV. uſque ad pag. XXIX.

Ep.266

* Loc. com. p. 1363 † pag. 1364

* pag. 1374

Illud vero invidioſe, & prope dixeram maligne, quod pag. XXVIII. ait, eos qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitium Magiſtratui primo dicunt convenire, novum cudere Chriſtianiſmum, novamque plane Eccleſiæ faciem inducere; qualis nec apud ipſos obtineat hæreticos. Nam diſciplina Eccleſiaſtica, & qualis in primitiva obtinuit Eccleſia, & qualis nunc nonnullis locis eſt, partim divinæ eſt inſtitutionis, partim humanæ. Divinæ eſt, quod paſtor impœnitenti & incredulo cœlum regnorum claudit, hoc eſt, quod tanquam legatus Chriſti regnum cœlorum ei clauſum eſſe denunciat. Item quod palam hæretico aut facinoroſo non exhibet ſigna ſacramentalia. At humanæ inſtitutionis eſt, quod qui peccarit, licet pœnitentia facti ducatur, præfinito tempore ſeorſim à cæteris inter pœnitentes jubeatur conſiſtere: atque alia id genus omnia habentia pœnam poſitivam. Poſteriora hæc non conveniunt Eccleſiaſtis qua tales, ſed ubi Magiſtratus eſt Chriſtianus jus omne circa ea habent à Magiſtratibus, qui-

Ep.266. quibus ſolis convenit juriſdictio proprie dicta. At priora competunt quidem Eccleſiaſtis, ut tales ſunt: ſed hoc non impedit, quo minus Magiſtratus ſit procurare, ne paſtores in munere ſuo ſint negligentes, vel etiam ſeu odio ſeu alio affectu, conſolatione debita, vel ſacramentalis ſigni exhibitione fraudent, quos non oportebat. Nam (ut verbis utar Gregorii Magni in Johan. cap. xx. homil. xxvi. *Sæpe agitur ut indignus epiſcopus vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat. Sæpe in ſolvendis ac ligandis ſubditis ſua voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſa hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubjectorum moribus exercet.*

Peccat igitur Wallæus cum diſciplinam Eccleſiaſticam poſteriori tantum modo conſiderat; cum jus ejus Magiſtratui priorum ratione imprimis tribuatur: nempe quia hæc proprie imperii ſunt, ſolus autem Magiſtratus vim habet cogendi. Interim illud bene eſt, quamquam ſatis non eſt, quod paullo poſt, pag. nempe xxx. agnoſcit ipſe, ſatis parere è verbo Dei, Magiſtratus officium eſſe curam gerere, ut recte exerceatur univerſum miniſterium Eccleſiaſticum, ac proinde etiam diſciplina Eccleſiaſtica. Quamquam fallitur, cum exiſtimat ſic Magiſtratus eſſe curare, nequid hic peccent Presbyteri, quomodo presbyterorum videre eſt nequid delinquant Magiſtratus. Nam Magiſtratus cura eſt principalis, quia imperii eſt, directi quidem circa priora illa, quæ humani ſunt inſtituti: indirecti vero circa poſteriora, quatenus procurat, ut fiant quæ inſtituti ſunt divini. Quod ait, non conſequi ex iis quæ confeſſus erat, ſi jure ſuo abutantur presbyteri, poſſe ad Magiſtratum, *κυρίως* (*proprie*) loquendo, appellari: in eo illi minime adſtipulamur. Nam omnino Magiſtratus cura ſuperior eſt, ut bene Muſculum dicentem vidimus. Quid vero appellare aliud eſt, quam ab inferiori Judice ad ſuperiorem provocare, ſeu voce illud fieret, ſeu libello? ut eſt l. 14. C. de Appellationibus. Quomodo & in veteri Gloſſario legere eſt: *Appellatio eſt proclamatio ab inferiori ad ſuperius tribunal, vel gravaminis relevatio per clamationem ex minori ad majorem Judicem factam, prætextu iniqui gravaminis, vel injuſtæ ſententiæ.* Et quid infirmius iſtac argumentatione cum ſic colligit: Ad Magiſtratum ſummum non appellari nili in iis quæ per ſe ſubire poſſit Magiſtratus: non poſſe autem Magiſtratum prædicare Euangelium, aut ſacramenta adminiſtrare: eoque in his ad eum appellari minime poſſe. Nam & multa ſunt miniſteria civilia quæ per ſe obire Magiſtratus ſummus minime debeat; in quibus tamen ad eum licet appellare: cujuſmodi ſunt ea quæ ſui vilitate offuſcarent vel etiam ludibrio proſtituerent ſummi imperii Majeſtatem. Verum eſto ſane, ut appellationis vox apta ſatis non ſit: ſaltem concedat, ſi presbyteri diſciplinam injuſte exerceant, poſſe unumquemque de injuria conqueri apud Magiſtratum: ac quamquam hujus non ſit facile querimoniis illis habere fidem, tamen nec facile debere illis aurem obſtruere: imo nec magis perpeti debere injuſtum clavium uſum in Conſiſtorio, quam hæreticam inſtitutionem in templo. Quæ diffiteri non poteſt: ut qui ipſe pag. xxx. ſcribat, ſi tempora incidant, quibus diſciplina corrigi debeat, Magiſtratus eſſe facti rationem exigere à presbyterio, excommunicationem innocentium ſui autoritate imperii impedire: quomodo Athanaſio à Synodo condemnato, Conſtantinus (ut Socrates teſtatur lib. ii.) alios inſtituit conventus, quorum opera, uti & virorum aliquot doctorum, res denuo cognoſceretur: quomodo item Magiſtratus pii noſtro ſeculo Eccleſias Reformatas adverſus excommunicationem Pontificis & Concilii Tridentini defenderunt: hodieque per Dei gratiam tuentur. Atque hoc etiam (pag. xxxiii.) Th. Bezam agnoviſſe ait, ubi hæc ejus citat verba adverſus Eraſtum: *Cum etiam à recte conſtituto conſiſtorio, poſſit reis delatis injuria fieri, in auguſtioribus territoriis citra ullam ordinis Eccleſiaſtici violationem Chriſtianus Magiſtratus, ut tabula utriuſque & Eccleſiaſtica δικάστης (ordinis) cuſtos & vindex, proſpicere poteſt conquerentibus.* Mox etiam (pag. eapſe, & ſeq. xxxiv.) ait Magiſtratum tantumdem juris in Synodos ac Concilia quæcumque obtinere, cum uſu non raro venerit, ut his quoque decernerentur, quæ verbo Dei repugnarent. Eoque id ſi fiat, talibus conſtitutionibus obviam ire & poſſe, & debere. Quæ omnia præclare ab eo dicuntur, ac iſtiuſmodi ſunt, ut principalem Eccleſiæ curam penes Magiſtratum ſummum eſſe evincant. Præſertim cum (verſ. 10. & 11. pag. hujus xxxiv.) dicat ſe ſemper loqui de iis quæ ad *εἶναι* (*eſſentiam*) religionis pertinent, quæque verbo Dei diſertim præcipiuntur. Nam ſi circa hæc Magiſtratui tribuit imperium indirectum, quo jubeat quæ Deus jubet, eo quod Deus jubet: non dubitandum videtur, quin directum etiam imperium Magiſtratui conceſſurus ſit in iis, quæ ad ædificationem quidem Eccleſiæ pertinent, ſed ſpeciatim verbo Dei non præcipiuntur. Et ſane propter hæc & alia iſtiuſmodi factum credo, ut vir quidam præſtans, (quemadmodum præſente D. Heinſio mihi retulit Colonius) judicium hoc tulerit de ſcripto Wallæi; tam multa eum adverſariis largiri, ut prope non videat quid in controverſia relinquatur. Ac etiam Clariſſimus P. Bertius præſente collega meo dixit mihi, ſe ex iis quæ hactenus eo in ſcripto legiſſet, judicare aliud non poſſe, quam cum Utenbogartio in re ipſa conſentire. Quod pag. eapſe ait Muſculum, & aliquot alios ejus populares ab unanimi Chriſtiani orbis ſententia pauxillum deflexiſſe, idque odio Anabaptiſticæ diſciplinæ factum videri: mihi quidem veriſimile non fit,

Ep.266. ſed potius cenſeo impugnatam ab iis eam diſciplinæ rationem quæ Genevæ obtinet, quam & alii alibi inductum ire voluerunt. Ac ſic ut ſentiam magis faciunt verba cap. XVIII. Confeſſionis Helveticæ, quæ ipſe citat pag. XXXV. Sunt vero iſtiuſmodi: *Cumque omnino oporteat in Eccleſia eſſe diſciplinam, & apud veteres quondam uſitata fuerit excommunicatio, fuerintque judicia Eccleſiaſtica in populo Dei, in quibus per viros prudentes & pios exercebatur hac diſciplina, miniſtrorum quoque fuerit ad ædificationem diſciplinam hanc moderari pro conditione temporum ſtatus publici ac neceſſitate, ubi ſemper tenenda eſt regula, omnia fieri debere ad ædificationem, decenter, honeſte, ſine tyrannide & ſeditione.* Et ſane nihil Muſculus dicit, quod non aliis quoque Reformatæ Eccleſiæ doctoribus videatur; ut omnino non φιλαυτίαν, (*novitatis amans*) qualem Wallæus videri vult (nempe hanc mercedem reportant qui diligentius veritati indagandæ incumbunt;) ſed φιλαληθείας (*veritatis ſtudioſus*) dici debeat. Quod vero pag. XLII. ait, maligne Utenbogartium adverſariis ſuis impingere ſtudium collateralis imperii: utinam verum eſſet! Nec enim diu fœdo hoc ſchiſmate inconſutilis Chriſti toga apud nos ſcinderetur. Sed quis, niſi partium ſtudio penitus occæcatus, non videt, quid rerum agatur? nec enim muſſant, ſed aperte dicunt, nec dicunt tantum, ſed palam ſic omnia ſua componunt, ut quamquam dicis gratia nonnihil Magiſtratibus in rebus Eccleſiaſticis tribuere videantur, tamen ſummum ſibi in Eccleſiaſticis imperium arrogent. Nempe unicuique in arte ſua credendum ajunt: Theologorum vero artem eſſe Theologiam: eoque Magiſtratus, quos rerum Theologicarum neſcientes fingunt, adverſus ſuam adverſari ſententiam nefas putant. Illum demum Magiſtratum omne punctum tuliſſe videri volunt, qui judicio ſuo diffidens omnia de Paſtorum judicio exequatur. Quod quid aliud eſt, quam Magiſtratus in Eccleſiaſticis ſubjicere Eccleſiaſtis, &, quod ſe facere negant, duo non ſubordinata, ſed collateralia ſumma imperia inducere in Rempublicam? Interea placet quod Wallæus ibidem & pag. XLIII. agnoſcit, collaterale imperium civilis & Eccleſiaſticæ poteſtatis noxium eſſe Reip. planeque doctiſſimorum virorum judicio repugnare. Recte item quod ex *Eſdræ* VII. 25. probat, Magiſtratum tabulæ utriuſque eſſe cuſtodem & vindicem: ac quamquam circa ſpiritualia ſpiritualem non habeat poteſtatem, circa tamen ea, ut Eccleſiaſtica ſint, poteſtatem Eccleſiaſticam obtinere. Quod & Bezæ autoritate ipſe (pag. XLIII.) confirmat, ut qui in fine libri adverſus Eraſtum agnoſcat, Magiſtratus officium eſſe Paſtores negligentes ſui muneris admonere, pertinacibus pœnam infligere, ac ut meliores ſurrogentur in pejorum locum procurare. Pag. XLIV. rurſum αυτοσχεδὶ, (*contra umbram ſuam pugnat,*) cum tanquam aliquid magnum, probat Eccleſiaſtas non eſſe Ep.266
vicarios Magiſtratus, ſed Chriſti ſervos: nec Magiſtratus circa ſpiritualia poteſtatem habere internam ac ſpiritualem, ſed externam & corporalem. Nec enim aliud pii Magiſtratus petunt, eoque nihil ſupereſt, quam ut omnes ſic hoc agnoſcere & ſermone & vita teſtentur.

Sed veniamus ad ſtatum quæſtionis, quem pag. eadem aſſignat. Ait in hoc controverſiam omnem poſitam eſſe, num ſoli Magiſtratus, an vero etiam Paſtores ἀμέσως (*immediate*) ſub Deo collocentur. Negat mox ſic miniſtros verbi eſſe ſub Magiſtratu, quomodo Urbis præfectus fuberat Trajano. Quod Magiſtratus ſummi poteſtatem ἀμέσως (*immediate*) à Deo eſſe concedit, in hoc recte à Pontificiis diſſentit. Similiterque Theophilus lib. 1. ad Autolycum in Orthodoxogr. pag. 291. ὁ βασιλεὺς ὑπὸ Θεοῦ τέτακται. (*Imperator à Deo eſt.*) Et mox eum vocat ἄνθρωπον ὑπὸ Θεοῦ πεποιημένον. (*hominem à Deo conſtitutum.*) Rationem quoque ſubjungit, πάντως γὰρ καὶ αὐτοῖς Θεοῦ ἐπιτροπὴν πεπίστευται. (*certo enim modo ipſi adminiſtratio à Deo eſt concredita.*) Et Epiphanius imprimis hæreſi XL. quæ adverſus Archonticos, pag. 131. ἀρχὴ γὰρ (ἡ ἐξουσία) ἐστὶν εἰς μὲν τοῦτο ὑπὸ Θεοῦ πεποιημένον καὶ τὸ πρὸς κόλασιν. εἰ γὰρ οὐκ ἦν ἡ ἐξουσία ἄνωθεν πεποιημένη ὑπὸ Θεοῦ τίνα ἂν, καὶ κατὰ τίνων ἦλθε τὸν ἔξουσιον; οὐκ ἀναχθήσῃ ἡ πρᾶξις, ἀλλ' ἢ ὑπὸ Θεοῦ. (*Miniſter enim (Poteſtas) eſt, in hoc ipſum à Deo conſtitutus illi qui malum operatur. Et vides, quomodo hæc mundana poteſtas à Deo ſit ordinata, & poteſtatem acceperis gladii? Non aliunde, ſed à Deo.*) Aperte indicat, ut ut applicatio poteſtatis ad perſonam, quam ordinationem dicimus, ab hominibus ſit, ipſam tamen hominibus imperandi poteſtatem *non aliunde* Regibus obtingere, quam à ſummo illo Rege, cujus vicem obeunt in terris. Et ratio idem evincit. Nam homo homini poteſtatem dare poteſt, ut ſuo ſubjective loco imperet: at ut loco regat ejus, qui ſibi non ſubjicitur, minime dare poteſt. Atqui Deus homini non eſt ſubjectus, ſed homo Deo. Non igitur hominis, ſed ſolius Dei eſt dare, ut imperet loco Dei. Ac quod Wallæus cenſet ſimilem penitus eſſe Eccleſiaſtarum rationem, non ſatis hac parte à Pontificiis recedit. Diſtinguere enim debuit inter ea quæ interna, quæque externa ſunt: prioris generis diximus eſſe prædicationem Euangelii & jus adminiſtrandi ſacramenta: poſterioris vero actiones omnes ad politiam Eccleſiæ ſpectantes, quarum περιστάσεις, (*circumſtantiæ*) uti locus, tempus, numerus, modus, verbo Dei non definiuntur, eoque ab hominibus determinantur, prout ad cujuſque Eccleſiæ ædificationem maxime conducit. In poſterioribus his Magiſtratus directum imperium à Deo habet, nec Deo ſed Magiſtratui ἀμέσως (*immediate*) ſubjecti ſunt Eccleſiaſtæ. In prioribus altera diſtinctione opus: quia vel poteſtas in ſeſe conſideratur,

vel

Ep.266. vel communicatio poteſtatis, vel principalis circa eam communicationem cura. Poteſtas ipſa ἀμέσως (*immediate*) eſt à Chriſto, cujus Eccleſiaſtæ ſunt Legati. In hoc igitur conveniunt Eccleſiaſtæ & ſummi Magiſtratus, quod non minus jus Eccleſiam docendi, quam Remp. gubernandi à ſolo eſt Deo. Imo conveniunt quoque quod ad poteſtatis communicationem. Nam ut poteſtas quidem ſummo cum imperio gubernandi ἀμέσως (*immediate*) eſt à Deo, at nihilominus applicatio ad perſonam, quam electionem dicimus, ab hominibus: ex: gr: in Cæſare ab Electoribus: ita etſi jus docendi & adminiſtrandi ſacramenta, & imponendi manus, clavibuſque utendi ἀμέσως (*immediate*) ſit à Deo; tamen Paſtoribus (Prophetas & Apoſtolos ἀμέσως (*immediate*) hoc quoque reſpectu vocatos excipio) per hominum conſenſum applicatur.

At ratione tertii diſconveniunt, nimirum ratione curæ principalis procurandi ea, quæ ad publicum veræ religionis exercitium pertinent. Cum enim publica omnia, qua publica, ei ſubſint, qui publicis ſummo cum imperio præeſt; etiam univerſam Religionis curam, qua publica eſt, ſummo Magiſtratui ſubjectam eſſe neceſſe eſt. Eoque reſpectu fatendum, Eccleſiaſtas ſecundum interiora illa, nempe prædicationem Euangelii, adminiſtrationem ſacramentorum, impoſitionem manuum, & jus clavium, à Magiſtratu ſummo dependere. Quod cum dico, non tantum Eccleſiaſtas Magiſtratui ſubjicio, quatenus in horum arbitrio eſt, quæ religio publice debeat obtinere; ſed etiam quatenus eorundem eſt procurare, quæ ad Religionis puræ primitus inſtitutæ conſervationem, aut collapſæ inſtaurationem pertinent. Atque hunc planiſſimum ſit, non in eo tantum diſcrimen eſſe, inter Magiſtratus, & Eccleſiaſtas; quod illorum munus in imperio, horum in ſola directione, ac miniſterio ſitum ſit: ſed etiam quod Eccleſiaſtæ, in Eccleſiaſticis immediate, non Deo, ſed Magiſtratibus ſubſint; nempe qua Religio publica eſt: directe quidem ratione exteriorum, in quibus proprie dictum imperium habent: indirecte vero in cæteris, in quibus improprium habent imperium, ut quod ſolum conſiſtat in procurando ea, quæ Deus imperavit. Illuſtremus hæc exemplo de Cœna Dominica: in qua tum eſſentialia ſpectantur, tum quæ extrinſecus accedunt. In prioribus jus Eccleſia non habet, aliquid omittendi, vel mutandi: eoque nec Magiſtratus, qui ſupremus eſt Eccleſiæ gubernator, poteſtatem habet hic aliam, quam procurandi, ut à Presbyteris obſervetur Dominicum inſtitutum. Si igitur Presbyteri vel ſolum calicem populo præbere velint, quod nuſquam fieri arbitror, vel ſolum panem, uti in Pontificia Eccleſia obtinet conſuetudo: eſt pii Magiſtratus, (quidquid contra diſputent Presbyteri, quamcumque etiam in rebus Eccleſiaſticis & ſcientiam & poteſtatem ſibi arrogent, Magiſtratibus derogent) Ep.266. iſtiuſmodi dimidiati ſacramenti abuſum omnimodis impedire. Sed de externis & accelloriis, habet Eccleſia, eoque & qui Eccleſiam moderatur Magiſtratus, poteſtatem inſtituendi, quæ vel ad locum, vel tempus, vel numerum, vel modum pertinent. Ratione loci, ut in quibus ea templis debeat celebrari. Ratione temporis, uti, quod licet Chriſtus Cœnam Dominicam veſperi celebrarit, tamen cum jubeat Scriptura omnia facere πρὸς οἰκοδομὴν: (*ad ædificationem:*) ſatius ſit adminiſtrari eam, quo tempore homines etiamnum jejuni eſſe ſolent: ut quod ad religionem piamque devotionem longe ſit accommodatius. Ratione numeri, ut quoties in anno ea debeat celebrari: num Dominicis diebus, an etiam aliis, (in quo vetus Eccleſia variavit) & ſi Dominicis tantum, num ſingulis, an quibuſdam, & quibuſnam. Ratione denique modi; ut cujuſmodi adhibendæ ſint preces, gratiarum actiones, hymni, ceremoniæ: quæ quia in poteſtate ſunt Eccleſiæ, noſtro quoque ſeculo, in ipſis quoque Eccleſiis Reformatis, non parum varietatis cernere eſt. In hujuſmodi igitur omnibus Eccleſiæ jus concedunt definiendi, ac canones conſtituendi: Magiſtratui directum, ac proprie dictum imperium conceditur. Atque hac eſſentialium, atque accidentalium, directi, & indirecti imperii diſtinctione, in ſumos abit, quod Utenbogartio ejuſdem pag. verſ. antep. objicit Walæus, tantam veritatis vim eſſe, ut ei ſubinde veritas excidat invito; ut qui interdum agnoſcat Paſtores ἀμέσως (*immediate*) muneris ſui mandatum habere à Deo; & tamen alias contendat, eos, ab & ſub Magiſtratibus conſequi exercendi muneris ſui poteſtatem.

Pag. xlv. agnoſcit non poſſe Magiſtratum ſummum renuntiare ſummo in civilibus imperio, niſi ſimul ſummus definat eſſe Magiſtratus. Optime. Sed idem in Eccleſiaſticis locum habet. Imo in his tanto magis, quanto temporalibus præſtant æterna. Nec enim civilis tantummodo beatitudo, ſed etiam cœleſtis, ac hæc quidem imprimis, finis eſt regiæ poteſtatis: ut antea oſtendimus, ac recte agnoſcit Iſidorus Peluſiota lib. III. Ep 249. quæ ad Iſidorum Diaconum: *Εἰ ἱερωσύνη καὶ βασιλεία τὰ κεφάλαια τυγχάνουσι· καὶ ἡ μὲν τῆς ψυχῆς ἄλλου λόγου ἀξιοῦται, (ἡ μὲν γὰρ ἐκ τῆς ψυχῆς ἄλλο, ἡ δὲ ἐκ σώματος) ἀλλ' οὐκ ἐν ἑαυτῇ πλέον, οὐδὲ ἡ ἑτέρα σύγκειται πόθεν. Ex ſacerdotio & regno rerum adminiſtratio conflata eſt: quamvis enim permagna utriuſque differentia ſit (illud enim curat animæ eſt, hoc curat corpus) ad unum tamen finem tendunt, ſubditorum nimirum ſalutem.*) Cui conſona ſcribit Thomas Aquinas lib. I. cap. XIV. & cap. III. lib. III. de Regimine Principum. Quanquam is liber, etſi in Romana quoque editione legatur, Thomæ tamen falſo tribuatur, ut in quo Rodolpho Adolphus, Adolpho Albertus ſucceſſiſſe dicatur, quorum hoc con-

Ep.266. tigit annis poſt Thomæ obitum xxv. Sed iſtoc ut ut eſt, optime eo quo dixi libro legere eſt: *Finis ad quem principaliter rex intendere debet in ſeipſo, & in ſubditis, eſt æterna beatitudo, quæ in viſione Dei conſiſtit: & quia iſta viſio, eſt perfectiſſimum bonum, maxime movere debet regem, & quemcumque dominum, ut hunc finem ſubditi conſequantur.* Quod ſi beatitudo ſupernaturalis ſit principalis Regis ac regni finis, ſane cum regnum non ſit ob Regem, ſed Rex propter regnum, (quomodo non oves ob paſtorem, ſed paſtor eſt propter oves) liquet Regis eſſe omnes ſubditos ſuos regere, tam in Eccleſiaſticis, quam civilibus; nec poſſe hoc imperium ſummum in Eccleſiaſticis in alterum transferre, quin alienet principalem imperii ſui partem, ac proinde Magiſtratus ſummus eſſe deſinat, ut qui ſe abdicet eo, quod, non dico imperii ſummi quarto modo proprium ſit, ſed quod de eſſentia eſt imperii, & quidem, ut dicebamus, principalis imperii ſummi pars.

Quod hoc loco, & alibi Walæus ait, poſſe Magiſtratum in civilibus per ſe exequi ea munera, quæ alteri mandat: ſed non poſſe per ſe obire prædicationem Euangelii, & ſacramentorum adminiſtrationem: eoque neutiquam Magiſtratui id juris competere in Eccleſiaſticis, quod obtinet in civilibus. Hoc quanquam imperitum aliquem movere poſſit, revera tamen nihil officit iis, quæ hactenus diximus. Nam jam antea confeſſi ſumus, miniſtros jus docendi, aliaque ei neceſſario connexa agendi, non minus ἀμέσως (*immediate*) à Deo obtinere, quam Magiſtratus ſummum imperium immediate habet à Deo. Sed non de eſſentialibus miniſterii, verum de imperio diſceptatio eſt, hoc eſt, quæritur, an non Eccleſiaſtæ directo Magiſtratus imperio ſubſint in rebus exterioribus, ſive in actionibus, ordinem, ac πολιτικῶς (*regimen*) Eccleſiæ ſpectantibus: indirecte vero in interioribus, quatenus ejus eſt procurare, ut à Paſtoribus fiant, quæ Deus juſſit: atque ad hoc habet vim coactivam. Nec quidquam ad rem facit, quod Magiſtratus per ſe non poteſt exſequi munus presbyterorum: quia nec Magiſtratus multa munia ob vilitatem ſui obire per ſe poſſit: nec tamen id impedit, quo minus ſupremum circa ea habeat imperium. Hinc Burtrillus c. xxi. pro Tortura Torti: *Supremi*, inquit, *in quovis genere gubernatoris non eſt, exequi ſingulorum officia, ſed curare, ut ſuum quiſque officium exequatur. Utque in ſupremo gubernatore, in rebus conjugalibus non requiritur, ut poteſtatem habeat conjugalem: ita nec in ſupremo gubernatore, in rebus ſacerdotalibus requiritur, ut habeat poteſtatem ſacerdotalem.*

Pag. xlvi. ait, ſi Magiſtratus jure ſuo abutens, ſeu falſis Paſtoribus, ſeu aliter Eccleſiam Dei perditum ire velit, Eccleſiam hoc juris habere, ut vel invito Magiſtratu, novos, ac ſanos ſibi eligat Paſtores. Sed confundit Eccleſiam qua talis, & qua publica. Nam jus hoc Ep.266. quidem Eccleſiæ concedimus; ut ſi Imperator hæreticus lupum Chriſtiano ovili præficere velit, ſibi cavere à lupo, deque vero animarum Paſtore proſpicere poſſit. Sed miniſter iſte, Eccleſiæ quidem miniſter erit, publicæ vero Eccleſiæ miniſter non erit. Ut efficeret, quod vellet, probare debuit, miniſtros Eccleſiæ, qua publica eſt, non à Magiſtratu ſolo jus conſequi publice docendi, aliaque exercitia Religionis publice obeundi.

Quod in fine ejuſdem pag. ait, ſic novum invehi Papatum, imo tot Papas novos ſtatui, quot ſint ſupremi Magiſtratus: id à Jeſuitis quoque objici ſcimus Theologis Anglis: à quibus id ſemper negatum fuit. Audiamus Guilielmum Tookerum, S. Theologiæ Profeſſorem & Decanum Eccleſiæ Lichfeldenſis, in duello ſuo cum Becano Jeſuita, pag. 13. *Cum*, inquit, *Regem Eccleſiæ præponimus, primatumve & regimen in Eccleſia ſupponimus; nec Pontificatum veterem, nec Papatum novum invehimus in Eccleſiam.* Quod plenius declarant verba Sereniſſimi Jacobi Magnæ Britanniæ Regis à Tookero pag. 5. adducta: *Regibus*, inquit, *Chriſtianis Eccleſiam intra fines ſuos, non minus quam reliquum populum eſſe gubernandum, ut qui cuſtodes ſint utriuſque tabulæ; non quidem novos articulos fidei condendo, (id enim Papa munus eſt) ſed efficiendo, ut Dei verbo publice obtemperetur, religionem repurgando, juxta divinam voluntatem in ſacris patefactam, & temporalem gladium in beneficium ſpiritualis poteſtatis diſtringendo, abolendo corruptelas, Eccleſiaſticam autoritatem ſanciendo, quæſtiones frivolas & ſchiſmatum licentiam, vel componendo, vel coercendo tollendeque, quod Conſtantinus facilitavit, denique decorum quoddam tuendo, & leges, ac jura præſcribendo, de adiaphoris rebus omnibus, ordinis gratia: ad quem ſolum ſcopum collimat hoc juramentum primatus.* Hactenus Rex, qui & paullo ante dixerat: *Reges Veteris Teſtamenti cuncta moderatos eſſe, quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoque modo pertinerent.* Atque uti nec plus, nec minus, quam Sereniſſimo Regi, debetur ſupremo noſtro Magiſtratui: ita neque minus, vel amplius ei tribuimus, nec ipſe plus ſibi vindicat.

Nec enim ſibi infallibile tribuit judicium in rebus Religionis, quod facit Papa: nec poteſtatem condendi capita fidei, quæ conſcientias obligent: ſed tantum jus ſanciendi quæ Religio publice debeat obtinere, procurandique ea quæ ad ὀρθοδοξίαν (*veram ſententiam*) & ædificationem Eccleſiæ judicat pertinere. Non ſe facit ſpirituale Eccleſiæ caput, quod ſcit ſolius eſſe Chriſti: non ipſe obire vult miniſterium Eccleſiaſticum; quia ſcit ſe ad hoc non vocatum à Deo: verum quia ſcit officium ſummi Magiſtratus præcipue verſari circa Religionem & cultum divinum, (ut qui imprimis debeat procurare, ut ſubditi conſequantur

Digitized by Google

Ep.266. tur beatitudinem æternam) eo conſcientiam ſuam ſic arbitrio eorum, quos falli ſcit poſſe & ſolere, alligare non vult, ut ad nutum alienum omnia in Eccleſiæ rebus exſequatur. Scit ſibi à Deo commiſſum eſſe officium dirigendi regimen ſuum in finem verum, qui eſt beatitudo cœleſtis: ſcit hoc principale officium ſuum eſſe: hoc igitur ſe munere abdicare non vult, nec aliis reſignare ſalva conſcientia poteſt, qui ad iſtud vocati non ſunt, plurimum etiam ut ad illud vocentur idonei non ſunt. Non novum Papatum invehunt, qui hoc Magiſtratui tribuunt, ſed qui adimunt. Nam inter elogia, quibus Antichriſtum inſignit Scriptura, illud eſt, quod ſe efferat ſupra omne id quod dicitur Deus. Magiſtratus autem in Scripturis dicitur Deus. Ac eundem hæc jubent eſſe cuſtodem & vindicem tabulæ utriuſque. Hoc igitur qui vel ſermone, vel facto eripit Magiſtratui, is mores induit Antichriſti. Facit vero illud, qui potiorem imperii ſummi partem ſibi vindicat. Summa autem imperii pars eſt quæ circa Eccleſiaſtica verſatur. Hanc igitur qui Magiſtratui aufert, Antichriſto ac Papæ hac ſaltem parte quin ſimilis ſit dubitandum non eſt.

Pag. XLVIII. ἀνόητον (*quod conſiſtere non poteſt*) eſſe ait, velle alicui, quem fatearis poſſe errare, tribuere ſummam in Religione poteſtatem: Atque hoc cum probe aſſequerentur Pontificii, eorum pleroſque, quia Papam errare poſſe faterentur, Concilio eum ſubjeciſſe: Sed horum longe deteriorem eſſe opinionem, qui inſimul & Magiſtratui tribuant judicium fallibile, & ei tribuant ſupremum jus in negotio Religionis. Mira ſane argumentatio, cum negare non poſſit, etiam Synodos ſæpenumero falli: eoque ſiquid ponderis huic inſit argumento, fateri ipſe cogatur nec penes Synodum ſupremum illud jus fore. Sane ſi Synodi falli poſſint, quis non videt Magiſtratum non debere credere propter ſe, ſed quia conſentiant cum Scripturis & canonibus antiquis? In quaſcumque igitur nos partes verſemus, effugere illud non poſſumus, quin de Synodis ἐσχάτον (*ultimum judicium*) competat Magiſtratui. Si enim unicuique etiam privato, ex Theologorum ſententia, judicium convenit in cauſa Religionis, quomodo hoc Magiſtratui non competet? Ac ſi nec privatus quiſquam adſtringitur judicio Synodico, quomodo non diſſentire ab eo licebit ſummo Magiſtratui? Paterfamilias non tantum poteſt, ſed etiam debet examinare Synodica decreta ad lydium lapidem Scripturarum; nec humanis decretis facile nimis fidem habens, & ſe errori involvat, & in eundem famuliam compellat: Et Magiſtratui, parenti patriæ, non idem faciendum erit, ne ejus ſegnitie, nimiave credulitate, errores noxii in Eccleſiam ſpargantur univerſam? Utrumque igitur verum eſt, & penes Synodum κρίσιν, (*judicium*) & penes Magiſtratum ſummum ἔσχατον (*ultimum judicium, ſeu, approbationem*) eſſe; item & hunc & illam errori eſſe obnoxiam: ſed hoc non impedit, quo minus tum Synodi officium ſit dirigere intellectum in cognitione veri, tum Magiſtratus ſit imperare quod rectum eſt & ſalutare. Quod ſi illa diriget male, non ideo hic imperabit malum: & ſi hic imperet malum, non ideo ſubditi parere debent in malo: ſed & Magiſtratus & ſubditus unuſquiſque aget, quod ſui eſſe officii & Scriptura, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſus, & recta ratio perſuaſerint. Ep.266.

Eapſe pag. XLVIII. adverſus illud quod dixerat, non bene convenire, nec in una ſede morari, ἀναμάρτητον (*infallibilem*) non eſſe in judicando, & tamen ſupremam habere judicandi poteſtatem: objicit ſibi ipſi quod ſolvere poſtea non poteſt. Fatetur enim & in civilibus poſſe Magiſtratum decipi, nec impedire hoc quo minus ſummum in his habeat imperium. Reſpondet autem diſparem hic rationem eſſe, quia utut ſubditi in his damnum faciant Magiſtratus ſui errore, muſſare tamen hoc & concoquere cogantur: verum ſi Magiſtratus hæreſes introductum defenſumque eat, fideles Paſtores ſilentium tenere minime debere: quia hic agatur de re omnium prectoſiſſima, animarum nempe ſalute. Diſcrimen hoc & ipſi agnoſcimus, ſed οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. (*nihil ad rem.*) Nec enim ſi Deus imperium habeat ſupra Reges, eo Reges in Eccleſiaſticis imperium non habere conſequitur; ſed illud tantum evincitur, non ἁπλῶς (*ſimpliciter*) ſummum imperium habere: quod à nemine in controverſiam vocatur. Fatemur igitur, ſi aliud Rex jubeat terrenus quam cœleſtis, hunc, non illum audiendum eſſe: poſſeque tum nos dicere cum B. Polycarpo, διὰ τοῦτο ἐγκαλῶ ἐμαυτῷ καὶ ὑμῖν, ἵνα θεὸν παραιτήσωμαι περὶ ἐμοῦ τὸν μὴ βλαβῆναι ἡμᾶς ἀπὸ θεοῦ. (*dolli ſumus imperiis eſt poteſtatibus à Deo ordinatis tribuere honorem debitum, qui nobis ipſis nihil noceat.*) Sed hoc non impedit, quo minus nullum in Eccleſiaſticis imperium ſit penes mortalem quemquam quam ſolum Regem, vel eum quem Rex (ſummo ſibi ſemper imperio reſervato, cui renunciare non poteſt, niſi rex ſimul eſſe deſinat) ſub ſeſe juſſerit imperare. Quamobrem hic & imperare illud debet quod in verbo juſſit Deus, ac pœnarum etiam comminatione obſtringere ad illud ſubditos poteſt: & imperandi etiam ea jus habet, quibus repugnans nihil in verbo jubet Deus. Nec vel in his vel in illis imperium detrectare cuiquam licet. Ollas lippit, qui hinc conſequi non videt, tam in Eccleſiaſticis quam civilibus omne imperium eſſe penes ſolum Regem, hoc eſt, ſummum quemque Magiſtratum.

Cum negat pro Synodis haberi quæ non congregantur juſſu aut conſenſu Magiſtratus: addere debuerat, cujuſmodi de Magiſtratu loquatur, num de eo qui Chriſtianam Religionem probet aut toleret: an qui eam perſequatur. Nec enim quiſquam in dubium unquam voca-

Ep.266. vocavit, an Concilia ante Conſtantini tempora, (uti Hieroſolymitanum primum, cujus *Act.* XV. mentio fit, Carthaginenſe de rebaptizandis, de quo Euſeb. VII. 2. quod tamen ab Eccleſia improbatum; Eliberitanum item atque alia) Conciliorum nomen mereantur: verum duo hæc interim dicimus. Unum eſt, quæ hujuſmodi Conciliis ſunt decreta, canonum κυρίως (*proprie*) loquendo, non legum vim habere, quia penes ſolum Magiſtratum ſit vis νομοθετικὴ καὶ ἀναγκαστική. (*leges ferendi, & cogendi.*) Alterum eſt, Chriſtianum Magiſtratum permittere non debere, ut citra mandatum vel conſenſum ſuum Synodi celebrentur: quæ autem ſine hujuſmodi Magiſtratus conſenſu concilia fiant, hæc illegitima eſſe ſuſtinuerunt Proteſtantes de nullitate Concilii Tridentini: ſed & cum Magiſtratus in Concilium conſenſit, ejuſdem eſt Synodos dirigere per ſe, vel legatos ſuos: nec debet decretis Synodicis vim legis addere, niſi de quorum veritate ſit perſuaſus in animo ſuo. Quæ quidem quam utiliter moneantur, multis ex hiſtoria Eccleſiaſtica exemplis oſtendi poſſit, niſi unius Athanaſii temporibus hæc liquido comprobarentur.

Deinceps rurſum paginis aliquot probat, Eccleſiaſtas non eſſe ſervos aut legatos Angelorum, nedum hominum, ſed ipſius Dei. Rectius operæ & oleo pepercisſet, nec enim ejus inſtitutum juvant quicquam. Sane ipſi quoque agnoſcimus hæc veriſſima eſſe, tum ratione mandati, quod à Deo, non creaturis habent; tum legationis, quam Chriſti, non Magiſtratuum nomine ſuſtinent. Sed hinc minime conſequitur, Magiſtratum ſummum, qui vicem Dei obit in terris, non imperare iis debere, ut tum mandatum Dei fideliter exequantur, tum legationem, nomine Chriſti, bona fide agant: adhæc negligentes, & immorigeros pœnis poſſe afficere: poſſe item eos legibus adſtringere de rebus ad politiam Eccleſiæ pertinentibus, quarum περιστάσεις (*circumſtantiæ*) non definiuntur in verbo. Quæ omnia oſtendunt, Eccleſiaſtas etiam in Eccleſiæ rebus ſubeſſe imperio Magiſtratus, partim directo, partim indirecto, ut aliquoties jam declaravimus.

Quod pag. LVII. ait, Conſtantinum Magnum non voluiſſe ſapere ſupra Concilium Nicænum: ſed & poſt alios ſententiam dixiſſe, & Patrum Nicænorum ſententiæ ſubſcripſiſſe: id eam minime vim habet, ut iccirco Magiſtratus ſequi ſemper debeant judicium ſynodicum. Nec enim Synodi ſententiam approbavit Conſtantinus, quia Synodus eam diceret; ſed quia rationum pondere ſententiæ ſuæ veritatem ei perſuaſiſſet. Alioqui enim quot Synodi pro errore ſententiam tulerunt! Etiam his calculum ſuum addere debeat Magiſtratus? Quis ſanus hoc dixerit? Quamquam igitur non facile Paſtorum ſuorum judicium improbare debeat Magiſtratus: nec tamen eis temere ac leviter aſſentire debet, eoque omnino opus ut poſt Ep.266. κρίσιν συνοδικὴν (*judicium ſynodicum*) conſequatur ἔγκρισις (*approbatio*) Magiſtratus.

Quod pag. LVIII. & alibi Conſtantium pro Arriano habet (quo argumento & alii negant recte Conſtantii facto Magiſtratus in convocandis Synodis autoritatem comprobari) id ut aliquid eſt, non tamen tanti, quam plerique putant, ponderis putari debet. Nec enim ex Orthodoxis Patribus defuere, qui exiſtimarent non tam Arrianum fuiſſe Conſtantium, quam cum videret ſe Arrianos ſine Reip. exitio delere non poſſe, conſilia iniſſe de pace cum iis ineunda. Sane Gregorius Nazianzenus poſt obitum luculente eum non ſemel tanquam optimum ac Chriſtianum Principem laudavit, nec malitia, ſed ſimplicitate & unionis Eccleſiaſticæ ſtudio Eccleſiæ ſtatum aliquanto perturbatiorem feciſſe arbitratur. Inter alia vero ſic ſcribit invectiva prima adverſus Julianum pag. 21. edit. Savilianæ, ſive pag. 64. edit. Morell. εἰ γὲ καὶ ἦν τι πικρότερον ἡμᾶς, ἀ ἀδελφοῦ, ἐδείξατο, ἀλλ' οὐκ ἐμέλησεν αὐτοῦ τῶν ἡμῶν χαλεπώτερον, ἀλλ' ὅτι πάντας ἐν εἶναι, καὶ συμφρονεῖν, πικρότατον, καὶ μὴ διαιρεῖσθαι, μηδὲ διχάζειν τῆς ὀρθοδοξίας. (*qui etſi nobis aliquatenus infeſtus fuit, non tamen id fecit nos contemnens, neque contumelia afficiens, neque aliis præ nobis gratificans; ſed ut omnes unum ſimus, & idem ſentiamus, & non divellamur neque ſchiſmatibus ſeparemur.*) Quem locum & Nicephorus citat lib. 9. Hiſt. Eccl. cap. L. pag. 463. At minime loci mentem perſpexit Morellius, cum ad oram interpretationis ſuæ adnotat, cauſam à Nazianzeno reddi, cur Deus Orthodoxos nonnihil afflixerit. Nam nihil clarius locum inſpicienti, quam de Conſtantio ſermonem eſſe, quem partim ſimplicitate quadam, partim concordiæ ſtudio exorbitaſſe cenſet: non item, quod Arrianum dogma magis quam Orthodoxum approbaret. Itaque idem nec dubitat Conſtantium vocare θεοσεβέστατον, καὶ φιλοχριστότατον, (*divinisſimum regem, Chriſtique amantisſimum,*) pag. 19. edit. Savil. ſive pag. 63. edit Morell.

In iis quæ pag. LXV. & deinceps de excommunicatione diſſerit, confundit abſtentionem à Cœna, ſive non dationem ſigni ſacramentalis cum inflictione pœnæ poſitivæ. Poſterius hoc humani eſt inſtituti, eoque ad directum Magiſtratus imperium pertinet. Prius vero non negamus canone præcipi divino: eoque nonniſi indirecte ſubjacere Magiſtratus imperio. Quamobrem ſi quiſpiam, vel Imperator ipſe eſto, impœnitens, ſignum petat ſacramentale, non Imperatorem hic Epiſcopus audiet, ſed Deum, qui ſupra eſt Imperatorem. Nec enim is ab Epiſcopis ſymbola fœderis divini cuiquam porrigi vult, quem ex confeſſione & vita conſtet ad fœdus minime pertinere. Scit præterea Epiſcopus, adverſus charitatem eſſe vel maxime, ut ſymbola hæc iis exhibeamus, qui eorum participatione judicium ſibi Domini arceſſunt, condemnationemque ſibi edunt ac bibunt.

Ep.267. biburit. Sed de pœnâ positivâ similiter judicari non debet. Ut si Imperator, vel alius etiam, peccati pœnitens certum tempus extra reliquorum fidelium cœtum in Ecclesia consistere jubeatur, quâ de re nullum præceptum exstat in Scripturis: eoque & hoc & hujusmodi alia vim legis habere nequeunt, nisi sanciente summo Magistratu, qui & legem istiusmodi antiquare potest cum visum.

Improbat postea quod Wtenbogartius dixerit, Ambrosianum exemplum viam muniisse ad tyrannidem Papalem. Ac putat se illud abunde refutasse, si tergeminum aperiat discrimen inter Ambrosii factum, & Papæ excommunicationem. Sed fallitur. Nec enim vitia intra prima consistunt initia; verum, ut scriptor Romanus ait, ubi semel à virtute descitum, non gradu sed præcipiti cursu ad vitia transcurritur, vetus disciplina deseritur, nova inducitur. Et sanè quisquis Romanæ sedis typhum habet perspectum; ignorare non potest, ut Episcopi ejus loci, postquam tantum facinus Ambrosium videre ausum, & feliciter quidem ausum, majores conceperint spiritus ad efferendum magis & magis se supra omne id quod dicitur Deus. Nec ideirco ἁπλῶς, (*simpliciter*) Ambrosii factum damnamus. Tantum dicimus id nec penitus approbatum: neque id ulli imitandum Episcopo, saltem non alii nisi qui & spiritum habeat Ambrosianum, & cui negotium sit cum eo Principe qui spiritum habeat Theodosianum. Sanè si vel à schismate, vel persecutione, vel etiam à scandalo metus sit; omnino in personâ Regis indulgentiâ opus est: quâ de re vide quæ Burhillus scribit adversus Becanum cap. XIII. pag. 127, 128, 129.

Pag. LXVII & LXVIII, repetit quod antea etiam dixerat, non Pastores minus quam Reges ἀμέσως, (*immediate*) à Deo vocari. Sed ex iis quæ antea diximus, cognoscere fuit, quatenus hoc admitti possit. Interim expendamus duo argumenta, quæ obiter firmandæ sententiæ insercit. Unum est, quod Prophetæ ac Sacerdotes itidem ac Reges soleant inungi in V. T. alterum quod æquè illi ac hi typi fuerint Servatoris nostri. Sed præstantiam muneris pastoralis non malè hinc adstruas, quam quivis bonus agnoscit. immediatam verò vocationem non item. Nec enim inunctio aliud signabat vel obsignabat, quàm quod uti oleum externum reficit corporis membra, atque ad exsequendas res multas vegeta reddit atque idonea: identidem is qui Rex, Propheta, aut Sacerdos ordinaretur, licet naturâ tanto muneri neutiquam par esset, tamen à Spiritu sancto vires consequeretur ad administrationem muneris sibi divinitus commissi. Nihil magis ἄμεσον (*immediatam*) vocationem inde evincas, quod typi fuerint Christi. Nam & Isaac puer typus fuit Christi, quo tempore nec rex, nec propheta, nec sacerdos fuit: & aries quoque serpens in deserto aliaque gesserunt typum Christi. Imo contrà, si horruncce munerum naturam consideremus, clarè conspiciemus, summum in Ecclesiasticis imperium Episcopis, ac Presbyteris tribui non posse. Nam Sacerdotum tum docere erat, quod cum Prophetis eis fuit commune, tum sacrificare, tum intercedere pro populo apud Deum. At Regum erat gubernare Ecclesiam, summoque cum imperio versari circa ea, quæ ad animalem, aut spiritualem vitam pertineant. Atqui Presbyteri, & Episcopi, non Regibus Veteris T. succedere, sed Sacerdotibus: ut qui & ipsi docerent, & ἀναμνήσεως (*recordationis*) sacrificii Christi signa administrent, & pro Ecclesiâ, singulisque ejus membris, in precibus, & gratiarum actionibus, intercedant apud Deum: unde & ἱερεῖς, ac sacerdotes, ab omni antiquitate appellantur. Gubernatio igitur principalis, non his, sed Magistratu competit. Neque obstat, quod à Paulo, inter Ecclesiasticas functiones κυβερνήσεις (*Gubernatorum*) mentio fiat. Nam est Episcoporum, & Presbyterorum quidem regere, verum ministerio, non imperio, quod solius est Magistratus: Unde illud Poëtæ: *Tu regere imperio populos Romane memento.* Aut si quod etiam imperium habeat, id sub hostili Magistratu est, ubi eorum qui Ecclesiæ præsident, est ea præstare quantum licet, quæ alioquin erant Magistratus. Sub Christiano autem Magistratu, si quod imperium, vel jus in rebus externis habet, à Magistratu habet, quod ideirco non summum erit, sed subordinatum. Quam rem his verbis expressit Guilielmus Tooker duello cum Becano Jesuita, pag. 63. & 64. *Mixtum jus & resultans ex utroque jure, & regio, & episcopali, est legum sanctio, & synodorum indictio, & præsidendi in iis prærogativa, & controversiarum decisio, & beneficiorum collatio, & Clericorum investitura, & Episcoporum constitutio & depositio, aliorumque actuum, qui his finitimi sunt, exercitium, quæ ferè ab origine primatus regii descendunt, & communicantur sacerdotibus, & ex favorabilium legum indulgentia, bona cum venia, Principum maximè derivantur.*

Hactenus vidimus primam & potiorem Wallæani scripti partem. Accedit deinde ἀναπόδειξις (*refutationem*) libri Wtenbogartii. Sed non video quid multum attineat illi immorari, cum ex iis quæ hactenus diximus nullo negotio pleraque omnia solvantur.

Ad exemplum Mosis respondet, fuisse non tantum summum Magistratum, sed & Prophetam Aarone majorem; quod probat ex *Num.* XII. 6, 7, 8. Sed οὐδὲν πρὸς τὸν λόγον (*nihil ad rem.*) Nam quâ Propheta major, judicium habuit directivum: quâ Magistratus, imperativum. Qua Propheta scientiam habuit: quâ Princeps, potestatem. Audiamus quod Becano, cum similiter occurrisset Episcopo Elienſi, respondeatur à Burrhillo

Ep.266. cap. 27. pro Tortura Torti, pag. 278. *Prophetam ut Moſem probes fuiſſe, recitas locum longiſculum ex* Num. XII. 6. *Quaſi vero nobis horum aliquid aut negaretur, aut neſciretur. Summum quoque Sacerdotem fuiſſe probas. Sed hic oblitus es turpiter, in exemplo Moſis ad primatum regium non tam quæri utrum ſummus ſacerdos fuerit, quam utrum poſt conſecratum Aaronem fuerit. Scimus enim Moſi in Eccleſiaſticis, poſt conſecratum Aaronem, obeditum ut ſupremo gubernatori: nec ut legiſlatori, aut Prophetæ credo dixeris. Reſtat ergo ut obeditum dicas Moſi in hoc negotiorum genere vel tanquam Principi ſeculari, vel tanquam ſummo ſacerdoti. Nec tamen poſt conſecratum Aaronem facile perſuaſeris Moſem permanſiſſe ſummum ſacerdotem; ne duos ſummos, quaſi Antipapas, faciens, bicipitem facias Eccleſiam ſub Moſe.*

Ad Joſuæ exemplum reſpondet Wallæus, Moſem *Num.* XXVII. 18. voluiſſe ut Joſua omnia faceret ad verbum Eleazari; quem iccirco, ſiquid agendum, conſulere deberet. Quo etiam argumento pugnat Becanus adverſus Epiſcopum Elienſem. Sed cum ibidem addatur Eleazarum debuiſſe conſulere Deum, liquet Joſuam à Deo accepiſſe reſponſum per Sacerdotem geſtantem Urim ac Thummim. Quare hoc quoque indicat certitudinem directivi judicii in Eleazaro: imperium non item. Egregie vero hoc loco adverſus Becanum ſcripſit Robertus Burrhillus cap. XXVII. pag. 280. & 281. ubi hæc inter alia, quæ Wallæanum reſponſum plane infringunt: *Si (ut videris velle) ex eo quod dicitur Num* XXVII. 18. *ad verbum ejus (id eſt, ut exponis, Eleazari) egredietur, & ingredietur Joſua: id modo effici cupis, non quidem ut in gubernatione civili, ſed tantum ut in Eccleſiaſticarum rerum gubernatione ſubſit Joſua Eleazaro: reclamabunt verba contextus: quæ non modo de Eccleſiaſticis negotiis loquuntur: ſed etiam de omnibus, de quibus Deus conſulendus per Sacerdotem fuerat. Nec tamen ita de his omnibus, ut in iis omnibus Joſuam imperio Eleazari ſubjiciant: ſed oraculo divino: cujus tum certus interpres Eleazarus: & poſt eum diu ſucceſſores ejus fuerant. Si Papa* (idem de Paſtoribus Eccleſiarum dici poteſt) *iisdem certus interpres eſſet voluntatis divinæ, fateremur & ad verbum Papæ, Principibus egrediendum & ingrediendum. Nec tamen ideo diceremus Principibus omnia facienda ex conſilio Papæ: nec enim de omnibus Deum conſulebant per Sacerdotem: nec cum per os Sacerdotis divinum reſponſum acciperent, Sacerdotis imperio paruiſſe dicuntur. Ut nec fecialis, ſed Regis imperio paret, qui feciali, Regis mandatum deferenti, paret. Nec tamen damus, quod tuo more, ſine probatione ſumis, illud* ad verbum ejus, *exponendum potius ad verbum Eleazari, quam ad verbum Domini. Certe enim in Hebræo hoc antecedens propius, & interpretes etiam veſtri ſtant ab hac interpretatione*, &c. Et poſt aliqua: Ep.266. *Aut non omnino jubetur ad verbum Sacerdotis egredi & ingredi, ſed ad verbum Dei; quod probabilius videtur: aut ſaltem non abſolute, ſed ad verbum ejus pendens à conſultatione Domini, id eſt, quatenus interpretis eſt voluntatis divinæ.*

Deinceps reſpondet quoque, ad exempla Davidis, Salomonis, Joſaphati, Ezechiæ, Joſiæ: quibus non Utenbogardus tantum, ſed etiam Rex Sereniſſimus Jacobus, & Theologi Angli, ſupremam in Eccleſiaſticis curam Regi competere, variis ſcriptis adverſus Pontificios oſtenderunt. Itaque qui ſciat, ut Theologi illi, exempla ea, à Pontificiorum reſponſis vindicarint; is ſimul norit, quid ad exceptiones illas Wallæanas debeat reſponderi. Quare non viſum huic argumento ultra inſiſtere: ſed remittere malo ad Guil. Tookerum, qui in duello ſuo, cum Becano Jeſuita, non tantum Regium in Eccleſiaſticis regimen ac primatum exemplis his fuſe probat, ſed etiam ad ea omnia, quæ oggeſſerat Jeſuita, ſolide reſpondet. Vide eum à pag. 113. uſque ad pag. 175. Aceo lubentius hanc partem prætereo, quia idem video à Burhillo factum, libro pro Tortura Torti, ut qui & ipſe cap. XXVIII. pag. 292. nos remittere malit ad reſponſionem Doctiſſimi Decani Lichfeldenſis, qui non alius eſt, ac Guilielmus Tookerus. Adde, quod etiamſi Wallæus evinceret, ſingula exempla per ſe non ſatis valide probare, quod Utembogartius volebat; tamen alia attulerat, quæ nec argumentorum ſubtilitate eludat, nec robore elidat. De cæteris cogitandum illud Poëtæ veteris, *Et quæ non proſunt ſingula, multa juvant.* Quod vero ad illam teſtimoniorum ſylvam, quam Utembogartii teſtimoniis obducit, mihi quidem magnam partem videntur ea ſententiam noſtram confirmare. Itaque quamquam jam ſcribendo laſſus ſtrigare malim, quam protelo ducere: tamen adferre viſum aliquot iſtorum teſtimoniorum, ut pareat quam is non cum adverſa ſententia, ſed quemadmodum Romani tyrones, Vegetio teſte, ſolent, adverſus palum plurimum pugnet.

Pag. CXV. agnoſcit Helveticam Confeſſionem Magiſtratui imprimis Religionis curam demandare. Reſpondet, hanc mentem Confeſſionis eſſe, non quidem Magiſtratui modo excellentiori hanc curam demandari quam Paſtoribus, ſed potiorem Magiſtratui Eccleſiaſticorum quam civilium curam habendam eſſe. Sed quem meliorem Confeſſionis Helveticæ interpretem habere poſſumus quam Wolfangum Muſculum, qui ſuperiorem Magiſtratus, ſubordinatam Paſtorum in Eccleſiaſticis curam facit? ut antea vidimus. Nec alia Bullingeri, aliorumque Helvetiorum ſententia eſt.

Pag. CXV. & CXVII. agnoſcit Regem ab Angli-

Ep.266. Anglicana Eccleſia habitum pro capite Eccleſiæ. Verum his verbis ſupremam Eccleſiæ gubernationem ei tribuiſſe. At neque nos Magiſtratum ſpirituale Eccleſiæ caput facimus: ſed hoc ipſum quod Anglicana voluit Eccleſia, quodque à L. Ciceſtrienſi tribui Regi docet ipſe pag. CXVIII. Item ex Burhillo pag. CXXI. ubi hæc verba inter alia citat. *Regem poſtquam ab Eccleſiaſticis Conſiliis aut (ſi hæc non ſatisfecerint) ab auctoribus ob fidem & harum rerum peritiam idoneis, quorum ei conſulere tenetur, ſatis edoctus fuerit, præcipuum eſſe Dei ſervum, & exequenda voluntatis divinæ ſupremum gubernatorem.* Et ex eodem aliquanto poſt cum plurima enumeraſſet: *Hæc fere omnia, certe maxima, in primatu Regio quod ad ſpiritualia agnoſcimus.* Item pag. CXXII, CXXIII. & CXXIV. quibus locis exteriorem Eccleſiæ curam Regi tribuit, licet verbo limitatam: item ait & Paſtores & Regem habere ſpiritualium curam, ſed hujus curam, etſi ſpiritualium ſit, non eſſe ſpiritualem. Optime item pag. CXXV. Burhillum inducit declarantem verba Auguſtini in quæſtionibus Veteris & Novi Teſtamenti. *Rex habet imaginem Dei*, regnantis in cœlis: *Epiſcopus Chriſti*, ſed miniſtrantis in terris. Nempe quia ſacerdos legatione fungens nomine Chriſti, precibus & hortatibus agit, non imperio regit: ut Paulus oſtendit 2 *Cor.* V. 20. Dicendum & aliquid de teſtimoniis Veterum quæ à Wallæo adducuntur.

Pag. CLIV. verſ. antepen. Cypriani locum citat, ad probandum plebem ab Epiſcopis conſuli ſolere, antequam aliquem ordinarent. Sed ipſe locus hic indicat, non fuiſſe id perpetuum, cum dicat hac in cauſa ſe facere id noluiſſe. Pag. CLVII. & CLVIII. inſignia duo loca adducit è Concilio Nicæno & Conſtantinopolitano, quibus decernitur ne ulli conſtituantur Epiſcopi, niſi de voluntate Epiſcoporum Provinciæ. At nihilominus Nectarium à Theodoſio Juniore electum conſtat ex Sozomeno lib. VII. cap. VIII. pluraque iſtiuſmodi adducis, Magnifice Domine, in pietate tua, à pag. 89. uſque ad 97. Quæ exempla oſtendunt, hoc tantum voluiſſe Patres præſcribere, quid maxime expediret, non item quod liceret. Sane cum canones Eccleſiaſtici nonniſi à ſummo Magiſtratu vim legis accipiant, obſtringere eum, niſi volentem, minime poſſunt. Et ſi canon iſte obſervandus fuiſſet in Eccleſiarum noſtrarum reformatione, quales nunc Epiſcopos & Presbyteros haberemus? Quin igitur extra ordinem aliter poſſit Magiſtratus, minime dubium videtur. Pag. CLXV. & CLXVI. illuſtria duo Magni Leonis loca adfert, Calvino quoque probata, quibus oſtendit, in Paſtorum electione nec honoratorum ac imprimis Magiſtratus judicium negligendum eſſe. Sed diſtincte de quatuor his ſententiam ſuam promere debuit. 1. Quid ſummo Magiſtratui conveniat ut membro Ec- Ep.266.
cleſiæ: in quo nihil à fideli cerdone differat: 2. Quid ei tribui poſſit, ut membro honorato; quod ei commune eſſe poſſit cum viro antiquæ nobilitatis, aut claræ eruditionis, aut eximiæ virtutis, aliove nomine præter cæteros conſpicuo, non tamen Remp. capeſſenti. 3. Quid præterea ei competat, ut membro habenti imperium, hoc eſt, ut Magiſtratui ejus loci, ubi Paſtor eligendus: ſed tamen iſtiuſmodi Magiſtratui, qui ſuperiorem agnoſcat. 4. Denique quid illi debeatur ut Magiſtratui ſummum imperium habenti. Adhæc diſtinguere debuit, quid illi competat ordinarie, quid item extra ordinem. Nam plus ei ſchiſmatis tempore tanquam pacis & concordiæ cuſtodi tribui debere, agnoſcit ipſe pag. CLXXI. ſub finem.

Non ſatis autem intelligo quid ſibi velit, cum pag. CLXXXIII. ait, etiam magno loco habenda eſſe judicia non Paſtorum, ſeu politicorum, ſeu aliorum, qui donum habeant Prophetiæ; eo quod Paſtorum judicio plurimum ab his roboris accedat. Nam video poſſit hoc velle, tantum ſententiam eos rogari debere, cum non obſcuris indiciis conſtet in Paſtorum ſententiam ituros. Verum quid ſi Prophetæ illi Paſtorum ſententiam probare non poſſint? jam futurum ut potius deterant aliquid de auctoritate judicii Paſtoralis. Ait Prophetas Prophetis ſubjectos eſſe debere. Sed quæritur, an Propheta quiſque Prophetas ſuæ ditionis præferre debeat alienæ Provinciæ Paſtoribus ac Prophetis? Item an noſtri ſeculi Prophetæ præferendi ſint Prophetis Eccleſiæ antiquæ? Hæc quidem conſideratio ad electionem Paſtorum, de qua nunc ſermo, non pertinet primo & per ſe: ſed tamen valde cum ea eſt conjuncta. Nec ſolum in miniſtrorum vocatione, ſed etiam controverſiarum dijudicatione ad Paullinum illum locum provocari ſolet. Merito igitur quærimus, an negari debeat eum Prophetarum judicio ſe ſubjicere, qui cum Prophetis conſentit Eccleſiarum non ignobiliorum noſtra: imo quicum faciunt Prophetæ omnes Eccleſiæ antiquæ? Atque ut ad exteros aut veteres non abeatur, quæritur an Prophetarum judicio ſe non ſubjiciat, qui facere ſecum videt minorem quidem numerum ex iis qui vel nullius, vel exiguæ ſint eruditionis: ſed majorem ex eruditorum flore, eorumque qui animum habent in Scripturis ſubactum; idque non judicio ſolum tuo, ſed etiam adverſariorum ipſorum, qui iccirco calcatum illud in eos vibrent, quo doctrina quiſque inſtructior, hoc eſſe impuriorem perverſioremque in dogmatis fidei? Sed perpetuus eſt hic & ſcriptoris hujus & aliorum innumerorum error, ut ſuæ tantum ſententiæ homines æſtiment, cæteros loco habeant nullo aut parvo. Atque inde eſt, quod ſiquis diſſentiat in re ulla à majore Paſtorum parte ejus, in quo ipſe vivat, loci: hunc, licet & ſuæ provinciæ doctio-

Ep.266. res,& exterorum plures,& veterum omnes ſibi habeat conſentientes, nihilominus ab Eccleſia dicant diſſentire: in quo Donatiſtarum eos ſimiles eſſe, quis non videt?

Sed redeo ad Veterum teſtimonia, à quibus me occaſione ejus quod de ſubjiciendo ſe Prophetis dixerat, paullum video deflexiſſe. Citat pro ſe Concilium Nicænum 11. pag. CLXXVII. Sane qui ab Conſtantii exemplo argumentum peti nolunt, non debent provocare ad Pſeudo-Nicænam, quæ idolorum cultum ſtabilivit. Pag. CXC. commemorat obiter Synodos quinque, Nicænam adverſus Arrium, Conſtantinopolitanam adverſus Macedonium, Epheſinam adverſus Neſtorium, Carthaginenſem adverſus Pelagium, Chalcedonenſem adverſus Eutychem. Sed præterquam, quod Epheſinæ male poſtponit Carthaginenſem, cum hæc antiquior ſit, cauſæ nihil video quid inter quatuor illas œcumenicas, quas tamquam quatuor Euangelia venerari ſe dicebat Gregorius Magnus & ex eo Iſidorus, mediam interierat Carthaginenſem, quam adverſus Pelagium celebratam recte dicit. Num quia apud imperitos antiquitatis Eccleſiaſticæ, ſi qui Remonſtrantes nunc dicuntur, male audiunt tanquam intermortuam Pelagii aut Semipelagianorum ſententiam in Eccleſiis Reformatis ab orco revocantes, eo credemus tacite inſinuare voluiſſe, eoſdem fere qui nunc ſupremam Magiſtratus auctoritatem in Eccleſiaſticis agnoſcunt, ac quibuſcum ſibi nunc negotium eſt, olim jam SS. Patrum Conciliis fuiſſe condemnatos? Sed ego divinus aut verator non ſum: ariolentur illi, qui *μαντικὴν* (*divinandi artem*) didicerunt.

Atque hic tandem pauſam faciamus, ego ſcribendi, tu legendi. Occurrebant quidem & alia multa: eaque duum generum: alia momenti nullius, uti illud: (ex pluſculis exemplis unicum adferam) quod pag. CIII. uti Oecolampadium, ita Bucerum inter Helvetios numerat; cum hic fuerit Seleſtadienſis: Seleſtadium vero quis neſcit civitatem fuiſſe Alſatiæ, unde & nomen ei quaſi Elſiſtede, ut docuit ipſe Seleſtadienſis Beatus Rhenanus. Verum hujuſcemodi ſi conſector, nec cauſam juvero multum, nec rationem habeam occupationum utriuſque noſtri. Alia etiam quædam erant momenti majoris: ſed præterquam, quod ex iis, quæ dixi, eorum parere invalentiam arbitrabar, ſciebam ea omnia & erudite & nervoſe te refutaſſe, aureo hac de controverſia libello tuo, quem lucem quam primum adſpicere, & Eccleſiæ, & Reip. intereſt. Non deerunt fortaſſe, qui auſint Anticatonem aliquem ſcribere: nam quid intentatum relinquit humana ambitio? Sed ſpondeo me velle defenſionem ejus quovis tempore ſuſcipere, & ore, & calamo: modo tu, Vir Ampliſſime, me idoneum huic rei, nec Collegio hoc, aut Eccleſiæ damnoſum judicabis. Vale. x Febr. CIↃ IↃC XVI.

CCLXVII.

JOANNI URBANO

MARCUS GUALTHERUS S.P.

REmitto tibi, amiciſſime Urbane, Calvinum tuum, quem jam olim commodatum mihi volui, ut ipſemet ex ipſo intelligerem, quomodo Nebulonem ſuum tractaret. Legi ſane, & prout ingenii tenuitas patiebatur, verba verbis contuli, res rebus compoſui, & poſt alia hactenus lecta, totum illud negotium expendi. Non eſt quidem meum (ultro hoc tibi aliiſque largior) de viri iſtius, cætera magni, & ſat boni, dictis aut factis cenſorie judicare aut definire: hanc tamen veniam, ſpero, nec tu nec quiſquam æquus aut prudens mihi negabit, ut libere quid de iſto ſcripto exiſtimem, liceat proloqui. Dicam ergo, & quidem tibi, mi Urbane: Nondum potuiſſe me hactenus vel leviter intelligere, illum, in quem Calvinus invehitur verius, quam ſane dicit, vel canem eſſe, vel nebulonem, vel calumniatorem, barbarum, phreneticum, amentem, ſævum, protervum, improbum, larvatum, ſacrilegum, bardum, ſtupidum, impurum, rabioſum, mendacem, ſpurcum, ſcurrilem, petulantem, furioſum, maledicum, garrulum, vel porcum, vel denique Sarranam; his enim & hujuſmodi aliis floſculis large caput ejus inſpergit: multo minus, qui ex inferis Diaboli inſtinctu prodierit, & Chriſtum irriſerit. Fidem mihi feciſſet ſcriptor tuus, illum præpoſtere ſentire & ſcribere, ſi tot argumentis tamque ſolidis rationibus adverſarium ſuum confeciſſet, quot illum convitiorum epithetis, parum Chriſtiane, conſpuit & dehoneſtavit. In quo genere diſputandi tam fælix vir ille mihi (hic) fuiſſe videtur, ut facile palmam præ maledico aliquo bajulo aut rupicone laturus fuerit, ſi in conviciorum arenam cum eo deſcendiſſet. Si bacchari, & non tantum dicteria ſed & maledicta in adverſarium evomere, eſt legitime diſſerere & vincere, jam nemo præ Hecuba vicerit, quam ob importunos in quoſvis latratus canem dictam veteribus noſti. Itaque ſuſpectam mihi cauſam ſuam famoſus ille Theologus reddidit, quam primum animadvertere cæpi, bilem argumenta ipſi dictare, & ſtomachum ejus ſubinde ſtultorum theſaurum, id eſt, maledicentiam ipſi ſuggerere. In altero autem illo, quem & ſuſtinuit & tandem gremio recepit Rauraca tellus, cum animum notarem non adfectum motibus, ſed veritati atque vivæ pietati propiorem, non potui illi non æquior eſſe, & intrepide pluries affirmare, in hoc Spiritum Chriſti, in illo Phariſaicam arrogantiam, & tumultus incompoſitos prædominari. Scio enim non furoris, ſed lenitatis, magiſtrum eſſe Domini ſpiritum. Atque in hac ſententia me ſubinde adhuc confirmat

De Vrbani dialogo, notis, Tu. principio ſpec.

Ep.267. mat utriuſque iſtius Theologi librorum lectio: quorum alter mihi (ingenue fateor) Martios nonnunquam ſpiritus in prælium excitat, & faces admovet pectori ad congreſſum: alter criſtas dejicit, & humilitatem veramque modeſtiam inſtillat. Utriuſque ſtimulos non raro ſenſi, ideoque vere id poſſum & audeo teſtari: ſed ab illo tamen polemico doctore magis abhorreo.

Cæterum hæc dum ego ad te meditor, ſuccurrit Calviniana tua Tapeinophroſyna, quam dum reſumo, relego, rumino, (hoc puto fine abs te mihi oblatam) viſum eſt una opera hic defungi, deque eadem judicium meum, qualecunque id fuerit, apud te deponere. Quinque igitur ſunt, quæ hoc tempore breviter notanda putavi. Primum eſt, ſcopus ille ſcripti tui, quem fixiſſe tibi videris. Si enim quicquam videre duo oculi & una mens mea poſſunt, aſſerere auſim te omnem operam huc collatam voluiſſe, ut delicioli tui, & aliquot aliorum, lucubrationes, quantumvis etiam ſæpe abſurdæ & præcipites, (cujus genii etiam eſt, de quo agis, dogma Prædeſtinationis, & lapſus Adamitici) ſartæ tectæ contra quoſdam vobis inviſos, conſervarentur, neve palmas plures adeptas videretis inhoneſtari. Clientem ergo hujus patroni te profeſſus, in forum prodis, & fama ejus hoc modeſtæ humilitatis, ſic enim ſonat titulus tuus, ſcutum præfigis. In qua fictione quam ambitioſe & inepte te habeas, vel inde cuilibet ſano & oculato conſpicuum eſt, quod illum diſcipulum & delicium Tapeinophroſynes nobis producis in ſcenam, qui nil minus fuerit, quam talis. Quis enim, quæſo te, altius volavit iſto Icaro in hac Prædeſtinationis regione? Quis tam aquilinis oculis coram inſpicere ſublimia illa Dei tentavit, ut ille? Imo etiam, quæ nuſpiam fortaſſis apparent aut latent? Itaque quam multi, etiam ſui alioquin, præcipitia ejus horreant, ipſe noſti, qui aut à vero abeunt, ſi rem recta acu ipſe tangit, aut in eaſdem abſurdorum voragines incidunt, in quæ ille, ſi convenire inter ſe dicant. Debuit ergo, me judice, divæ iſtius tuæ diſcipulus in humilibus iſtis & planis ſacri verbi ſemitis incedere, ſiquidem verus veræ humilitatis diſcipulus audire cupiſſet. Si feciſſe illud dices, continuo contrarium audies ab iis, qui ex Deo revelato loquuntur & judicant de negotio Prædeſtinationis, non ex veſtro illo abſcondito, quem nec vos ipſos ſcire vel intelligere ajunt, utpote abſconditum: perſuaſi ſic (ex ſolo Euangelio) omnino judicandum & loquendum, nec ultra fingendum aut quærendum quicquam curioſius. Sed hæc forte alias fuſius.

Alterum eſt, quod in ſchedis tuis lectum non mediocriter me momordit, quod frivole dejicis & quaſi ludibrii quodam pede proculcas, quos adverſus horribile dogma clientis fictitiæ tuæ Tapeinophroſynes ire, illudque non uno nec imbelli ariete labefactare cernis. Quid enim aliud vis, dum odioſiſſimo hodieque in ſacris nomine illos notas, *Clientes rationis*? Nam humanam, corruptam, ſtultam aliquam indubie rationem innuis, quæ inutilis ſit ad judicandum de crypticis illis veſtris nugis, aut de quovis etiam dogmate ſalutari. An tu ergo in abſcondito illo Deo, & arcanis decretis ejus ſine ratione verſaris? Apparet ſane: & hoc etiam multos alios tecum agere ſcimus, qui hinc omnem rationem excludentes, ſolam credulitatem in præſidium vocatam volunt. Quod non capit ratio, capiat fides, ait quidam. Quod ſi ictum illum mitigaſſes ſaltem adjectiuncula hac aliave, ratio ſana, integra, reſtituta, illuminata, &c. potuiſſes ferri. Non enim citra hanc, per Spiritum nempe Chriſti æque ac vobis reſtauratam, verſari nos putare debes in re tam gravi. Non illa, inquam, ratione hic ducimur, quam ſorte ethnicis & non renatis adſcribat veſtrum aliquis. Nimis profecto iniquus mihi hic videris, dum brutos omnes, tam multos viros & pios & nulli ſemonum veſtrorum eruditione Philoſophica & Theologica cedentes, facis, & publice contemptui exponis. Tibine protinus cum ratione ſua (quam hic vis fatuam) inſanire aut delirare putantur, qui inſanis contradicunt ratiocinationibus? qui tradentes aut ingerentes, quæ in verbo Dei nuſpiam extant, non audiunt? Tam bello ſcilicet titulo (Clientes rationis, id eſt, ſtultitiæ) ornandi erant, quibus inviſum illud Prædeſtinationis veſtræ monſtrum, in ſomni olim domo, non Spiritus ſancti officina, natum. Sic omnino, mi Urbane, ex animi ſententia loquor. Et quid opus erat Dialogo iſta tua in lucem producere, ſi quem tangere velles? quem quæſo feris? quis litem iſtam ſuam faciat? Perſuadeo mihi, non una cauſa, id eo etiam factum, ut novo nomine quoſdam inſignires. Debebunt ergo acumini tuo aram, quod deinceps præter alia ſcommata, affatim aliunde ingeſta, etiam rationales dicentur, id eſt, terreſtres pecudes, nil niſi aurum, argentum, & reliqua metalla ſcrutantes, aut circa ſuperiora vano & erratico animo vagantes, uti illos tuæ humilitati depingere libuit. Ep.257.

Tertio miratus ſum, quorſum tam otioſe in aliorum ſententia non tam refellenda quam commaculanda occupatus eſſe volueris, in propria defendenda negligens. Jure hactenus exiſtimant ſapientes, abunde eum contraria confutaſſe dogmata, qui legitimis & ſat validis rationibus munivit & defendit ſuum. Sed jucundius forte viſum eſt, ſcabiem quoque affricare aliquam illius ſententiæ corpori, quæ tutior, gratior & verior hactenus à pluribus docetur & creditur, ut neſcio cujus putoris fieret ſuſpecta. Annon hoc eſt amicam luto ſuem imitari, quæ volutabro egreſſa, cænum ſuum alienis corporibus affricare gaudet? Quod ſi alterius dedecus non quæſiſſes magis, quam tuæ opinionis aſſertam veritatem, omnino credo te alia via iturum fuiſſe. Et tamen non du-

Ep.268. definet, quamdiu erit qui eam conciliis & concionibus ambidextris, auribus & naſo ducere non pertimeſcet: cujus tamen clancularias machinationes non ignorantur, ſed obſervantur ab iis quorum eſt curare ne quid detrimenti capiat Reſpubl. Flandrorum ea natura atque indoles eſt, ut facile concitentur contra rectores ſuos, & ad res novas moliendas proni ſint atque prompti, fæminarumque inſtar aut ament aut oderint, imprimis ſi ducem nacti ſint ingenio ſuo accommodum & idoneum. Neque tamen multos hujuſcemodi ingenii eſſe hic crediderim, ſed paucos anteignanos, quos promiſcua turba pecudum inſtar ſequitur, ſine ſcientia, ſine affectu aut ſtudio partium; quia fere mercenarii ſunt plerique, qui ſine gratia & favore aliorum vitam ſuam atque familiam ſuſtentare nequeunt. Qui partes nondum faciunt valde multi ſunt. Sed horum omnium ſollicitudo nos tantopere non tenet, atque eorum qui in Academia vivunt; ex qua ſi partium ſtudium & ſchiſmatum faciendorum libido exterminari queat, actum erit. Harlemenſes certis quibuſdam legibus & conditionibus pacem inter ſe fecerunt; an conſtans futura ſit, dies docebit. De Remonſtrantium levitate in abnegata ſua ſententia, rumor plane falſus eſt: nulla ibi de doctrina aut ſententia quæſtio unquam agitata eſt: ſola ordinis, uti quibuſdam videtur, mutatio in vocandis Paſtoribus juxta formulam Synodi Anno CIↃ IↃ XCI. diſſidiis anſam præbuit: quibus obviam tandem itum eſt hiſce conditionibus. Primum: ut qui Magiſtratus nomine deputantur ad vocandum, aut nominandum Paſtorem aliquem, membra ſint Eccleſiæ. 2. ut tanquam membra Eccleſiæ, non tanquam Deputati, conſilia ſua conferant, & cum reliquis deliberent de Paſtore vocando. 3. ut octo Deputati Paſtoris nominati nomen prius ſenatui Eccleſiaſtico vel Presbyterio, quam Magiſtratui repræſentent. 4. ut non niſi ſemel atque iterum Magiſtratui liceat rejicere eum, qui offeretur atque exhibebitur. Hiſce legibus pax & concordia emta eſt; an non caro ſatis pretio, vobis judicandum relinquo. Videtur aliquando tempeſtati obſequendum eſſe, & funis obliquandus, ubi recta inſtituere & dirigere curſum non licet. Urbanum ego non metuo, imprimis in materia tali in qua deridendus toti mundo propinari poſſet: ſed nolim cum quolibet quamlibet ob cauſam facile hoc rerum ſtatu committi. Vale 1616. menſe April. Leydæ.

CCLXIX.

PHILIPPUS MORNÆUS

JOANNI POLYANDRO.

MOnſieur. Je vous prie de me tenir pour excuſé. J'ai receu les voſtres du 9 d'Octobre, a l'entrée de ceſte année, par Monſieur de Matenes, auquel j'ai offert toutes ſortes d'offices & de ſervices; mais differé de vous reſpondre és diviſions politiques ou nouveſtions, attendant touſiours que Dieu nous fiſt la grace d'en ſortir, pour eſtre plus capables de contribuer a la pacification de vos diſſenſions Eccleſiaſtiques. Maintenant donc que Dieu nous a donné la paix, & par icelle retiré nos Egliſes d'un evident & imminent precipice, je prens vos lettres en main, pour taſcher d'y ſatisfaire. Je plains du fond de mon ame vos contentions, infiniment plus que les noſtres civiles; parce que celles la enflamment les eſprits, au lieu que celles cy n'eſchauffent que le ſang: & voudroi les pouvoir rachepter de quelque parte de mes années: Mais je ne ſuis point de l'advis de ceux, qui propoſent une ſeparation & abſciſion ouverte des contendans; par ce que, quelque ſolution de continuité qu'il y ait, il y a quelque moyen de la reprendre tandis que ſes parties s'entretiennent: Depuis que le retranchement eſt faiét, il n'y a plus de baume ni naturel ni artificiel, qui les puiſſe rejoindre. Mon advis donc ſeroit, que ſur les points controvers les parties fuſſent obligées à ſe tenir aux termes de l'Eſcriture ſaincte, lors qu'elles en parleroient; & qu'à ceſte fin on convient des phraſes deſquelles le S. Eſprit a uſé pour les exprimer, ſans s'eſchapper au dela, ou aux exaggerations, ni en invectives, en attendant que par un Synode de voſtre Nation il y euſt eſté pourveu: qu'auſſi en attendant iceluy, s'abſtient de part & d'autre d'eſcrire en cette matiere, pour eviter aux aigreurs & animoſités, qui croiſſent pluſtoſt en eſcrivant, qu'elles ne diminuent; & parce que leſdites parties ne ſont desja que trop allumées, & ſemblent avoir paſſé comme en parti formé. Que des Egliſes & pays circonvoiſins de meſme confeſſion fuſſent appellés, & conviés quelques grands perſonnages, non moins prudens & moderés, que doctes & zelés, pour temperer l'ardeur de la contention, reprimer les queſtions curieuſes & non neceſſaires, & retenir un chacun dedans les bornes de ce qu'il doibt croire & enſeigner à ſalut. Quelques choſes depuis vos lettres ſe peuvent eſtre paſſées, deſquelles il ſeroit beſoing que je fuſſe inſtruict, pour vous donner plus ſolide advis, je vous ſupplie de m'en faire part, meſme par la communication des pieces, ſi aucunes y en a. Mais ſur tout evités en tant que vous pou-

vés

Ep.270. eſtrange imagination, de penſer, que ſi quelqu'un au continent Auſtral, ou au fonds de Tartarie, venoit a ce ſervir dignement de ceſte premiere grace ſuffiſante, qu'incontinent Dieu luy reveleroit extraordinairement & ſans moyens humains (car la ces moyens defaillent) la doctrine d'Euangile. Au moins, ſi au defaut la parole de Dieu, on nous produiſoit quelques exemples. Mais cela n'eſt non plus fondé en l'experience, qu'en la parole de Dieu. C'eſt choſe admirable, juſques ou l'eſprit humain s'eſgare, depuis qu'une fois il s'eſt permis de parler ſans eſcriture ſaincte.

Quant a ceux, auquels l'Evangile eſt annoncé; je tiens, que ceux la ſeuls croient & recoivent l'Evangile avec vraye foy, qui ſont preordonnés a vie eternelle, *Act.* XIII. 48. auſquels ſeuls Dieu donne ceſte foy, que S. Paul appelle la foy des eſleus, *Tit.* I. verſ. 1. Telle eſtoit Lydie marchande de pourpre, *Act.* XVI. 14. Tels les diſciples du Seigneur, *Matt.* XIII. *verſ.* 11. Deſquels eſleus Jeſus Chriſt dit, quels ne peuvent eſtre ſeduits, *Marc.* XIII. *verſ.* 18. le Pere les tire à Jeſu Chriſt, *Jean.* VI. *verſ.* 44. non en contraignant leurs volontés, mais en les flechiſſant par une neceſſité volontaire, tellement, qu'ils ſuivent de leur plein gré, & lors meſme que Dieu leur donne le vouloir & le parfaire, ils ne laiſſent de s'employer a leur ſalut avec crainte & tremblement, *Philip.* II. *verſ.* 12. 13.

Or Dieu propoſe ſon Evangile a quelques uns, & le cache a d'autres. Il donne la foy & les graces de ſon S. Eſprit, a ceux ci, & non a ceux la, non pas que les uns ſoyent de leur nature meilleurs que les autres, ou mieux diſpoſés d'eux meſmes a croire en Jeſu-Chriſt: veu que de noſtre nature nous ſommes tous morts en peché, & incapables de penſer de nous meſme aucun bien, *Epheſ.* II. *verſ.* 2. 2 *Cor.* III. *verſ.* 5. Mais cela ſe faict ſelon le ſecret de l'election de Dieu, qui eſt gratuite, 2 *Tim.* I. *verſ.* 9. *Rom.* IX. *verſ.* 11. *non du voulant, ne du courrant, mais de Dieu qui faict miſericorde*, *Rom.* IX. *verſ.* 16. Jeſus Chriſt au *chap.* XX. *de S. Matth. verſ.* 16. diſant que pluſieurs ſont appellés, mais peu ſont eſleus, nous enſeigne deux choſes: L'une, que tous ne ſont appellés, mais pluſieurs; l'autre, que de ceux qui ſont appelés, les uns viennent à ſalut, les autres n'y viennent pas; pour ce que ceux la ſont eſleus, les autres ne le ſont pas.

Ce qui ne deroge point a la juſtice de Dieu, lequel ne faict rien que juſtement, & ne damne perſonne, que pour les pechés qu'ils ont commis librement & volontairement. La reprobation de quelques uns ne les incite point a pecher. Seulement je di, que la corruption de l'homme, & ſon incapacité de croire, vient de la faute de l'homme, & non de Dieu, lequel n'eſt pas obligé de pardonner a tous, ni d'annoncer l'Evangile à tous, ni donner la foi a tous ceux, qui oyent l'Evangile. Mais il choiſit ceux qu'il veult, par ſa pure grace & ſelon ſon election gratuite: Leſquels ayant eſleus de toute eternité pour les adopter en ſon fils, & leur donner la vie, il leur donne auſſi les moyens pour y parvenir. Ep.270.

Je croy auſſi, que Dieu ne meut pas ſes eſleus ſeulement moralement (car on parle ainſi depuis peu) c'eſt a dire, ſollicitant leurs volontés par perſuaſions, & leur propoſant des objects qui les attirent. Mais avec S. Paul *Philip.* II. *verſ.* 13. Que *Dieu produit en eux avec efficace le vouloir, & le parfaire, ſelon ſon bon plaiſir.* Il n'inſtruit pas ſeulement les entendemens, mais eſchauffe les cœurs de l'ardeur de ſon S. Eſprit, donnant efficace a ſa parole: *Luc.* XXIV. *verſ.* 32. Et de faict il y en a dont les volontés demeurent retives, apres que les entendemens ont receu beaucoup d'inſtruction; & y en a d'autres qui avec peu d'inſtruction ſont vivement touchés de l'amour de Dieu. Que ſi Dieu contre toutte apparence flechiſt les cœurs, & deſtourne les volontés des perſonnes non regenerées; comme quand il inclina le cœur des Egyptiens a donner volontairement leurs vaiſſeaux d'or & d'argent aux Iſraëlites, & quand il changea le cœur d'Eſau envers Jacob tellement, qu'il pleura ſur ſon col, au lieu de luy malfaire, *Geneſ.* XXXIII. *verſ.* 4. Tenant en ſa main les cœurs des Roys, & les enclinant ou il veut, *Proverb.* XXI. *verſ.* 1. Qui peut trouver eſtrange, ſi Dieu touche de repentance les cœurs de ſes eſleus, & leur imprime la foy par la vertu ſecrette de ſon S. Eſprit, laquelle operation du S. Eſprit n'oſte point la liberté aux volontés, ains leur faict la grace petit a petit, de ſe mouvoir franchement & volontairement au ſervice de Dieu. Mouvoir moralement les hommes a croire, & ſe repentir, n'eſt pas donner la foy & la repentance, leſquelles ſont dons de Dieu.

Je croy avec S. Auguſtin, que nul de ceux que Dieu a predeſtinés a ſalut, ne peut perir, & que nul de ceux qu'il n'a point predeſtinés ne peut eſtre ſauvé. *De fide ad Petrum Diaconum cap.* 35.

Je croy que Dieu n'a pas predeſtiné a ſalut l'un plus que l'autre, pource qu'il a preveu, qu'il ſe repentira, ou croira a l'Euangile. Ains je tiens, que Dieu l'a predeſtiné a avoir la foy & la repentance. *Epheſ.* I. *verſ.* 4. & *chap.* II. *verſ.* 10. *Jean.* XV. *verſ.* 16. Car ceux que Dieu a predeſtinés a la fin, il les a auſſi predeſtinés a moyens pour parvenir a la fin. Ceux qu'il a preordonnés a vivre long temps, il les a auſſi preordonnés a manger & a s'exercer. Auſſi ceux, qu'il a predeſtinés a ſalut, il a auſſi predeſtinés a tenir le chemin de ſalut, qui eſt la foy & la repentance.

J'eſtime que la demande, qu'on faict, ſi ceux que Dieu a eſleus peuvent reſiſter a la vocation de Dieu, eſt une queſtion abſurde. Car nul ne ſuit la vocation de Dieu, qu'il n'y ait quelque reſiſtance de la part de nos convoi-

Ep.270. tiſés. Mais ceci eſt du conſeil de Dieu, de faire qu'ils ne veillent reſiſter juſques a la fin. Que ſert de demander, ſi les eſleus peuvent reſiſter s'ils veulent, veu que l'election de Dieu emporte, que Dieu fera qu'ils ne voudront point reſiſter, ains qu'en fin ils ſe rengeront a la vocation de Dieu. Ils peuvent donc reſiſter s'ils veulent; mais Dieu fera qu'ils ne voudront pas touſiours. Autrement la predeſtination ſeroit un decret variable, & ſeroit en la puiſſance de l'homme de changer le conſeil de Dieu. Ainſi l'eſcriture nous enſeigne, que Dieu a par devers ſoy le nombre de nos jours, & qu'il a limité noſtre vie en ſon decret. Poſons doncq, que Dieu ait decreté en ſon conſeil, qu'un tel vive juſques a quatre vingts ans. La deſſu ou demande, s'il a peu eſtant a l'aage de trente ou quarante ans ſe tuer ſoy meſme,. ou ſe precipiter. On reſpond, qu'il l'euſt peu faire, s'il euſt voulu; mais que Dieu en ſon conſeil a decreté, de ne permettre point, que jamais il ait ceſte volonté, ains luy donner la volonté de ſe conſerver ſoy meſme.

Quant a ce qu'on demande, ſi tous hommes ſont obligés de croire que Jeſus Chriſt les a rachetés par ſa mort, & que Jeſus Chriſt eſt mort pour eux: je dis, que ceux, auſquels Jeſus Chriſt n'a jamais eſté annoncé, & qui n'ont aucun moyen de s'y inſtruire; ne ſont pas obligés a le croire. Car la croyance en Jeſus Chriſt n'eſt une debte naturelle, mais un remede apporté d'enhaut, pour ſoubvenir a la corruption de noſtre nature. Ce neantmoins ils ne ſont pas exempts de condemnation. Car ceux que l'Evangile ne ſauve point, demeurent ſous la loy, & ſeront jugés par la loy, laquelle ils ont volontairement violée. Quant a ceux, auſquels l'Evangile a eſté annoncé, ils ſont tous voirement obligés a croire, que Jeſus Chriſt eſt mort pour eux, & qu'il les a rachetés par ſa mort moyennant, & a condition, qu'ils ſe convertiſſent a Dieu, & ayent recours a Jeſus Chriſt. Et s'ils perſeverent en impenitence & incredulité, ils ſont obligés de croire, que Jeſus Chriſt n'eſt point mort pour eux, & qu'ils n'ont nulle part a ceſte redemption, encores que la mort du fils de Dieu ſoit de ſa nature un prix ſuffiſant pour tout le monde. Il eſt mort pour tout le monde, quant a la ſuffiſance mais non quant a l'efficace. Pourtant donnant la couppe en
Mat.26.28. la S. Cene, il dit, que *ſon ſang eſt reſpandu pour pluſieurs*. Note, qu'il dit *pour pluſieurs*, & non, *pour tous*. Jeſus Chriſt prie & intercede pour tous ceux, pour leſquelles il eſt
Jean.17.9. mort. Or il dit luy meſme en *chap.* XVII. *de S. Jean: Je ne prie point pour le monde*; entendant les reprouvés: Mais il dit, qu'il prie pour ceux, que le Pere luy a donnés.

Touchant la certitude du ſalut, laquelle preſuppoſe certitude de perſeverance: Il ne ſe peut nier, que quelques uns s'endormans ſur une fauſſe confiance, ne ſoient rendus Ep.270.
par la negligens a bonnes œuvres, prennans une lethargie & aſſopiſſement charnel pour la vraye foy. Faut auſſi confeſſer, qu'il y a certains degrés & certaine meſure de foy, qui ſe peut perdre, & dont on peut dechoir. Mais auſſi on ne peut nier, qu'il n'y ait une certaine ſorte, ou meſure de foy, qui eſt propre aux eſleus: dont auſſi l'Apoſtre au commencement de l'Epiſtre a Titum, appelle ceſte foy, la foy des eſleus, leſquels Jeſus Chriſt dit ne pouvoir eſtre ſeduits, *Marc.* XIII. leſquelles Pierre dit eſtre gardés en la vertu de Dieu par la foy, pour avoir le ſalut, 1 *Pier. chap.* I. *verſ.* 5. Pluſieurs enfans de Dieu, & qui le craignent ſans feintiſe, ne ſont encores parvenus a ceſte meſure de foy, & ſentent leur foy aſſaillie de doubtes; & y en a auſquels Dieu ne donne la certitude de leur ſalut, qu'en l'article de la mort. Cependant Dieu nous commande, que nous ayons ceſte certitude. *Heb.* III. *verſ.* 6. & *chap.* IV. *verſ.* 16. & *chap.* X. *verſ.* 22. & en avons un exemple en S. Paul, *Rom.* VIII. *verſ.* 37. & 2 *Tim.* IV. *verſ.* 8. & en Simeon *Luc*, II. *verſ.* 29. & en S. Eſtienne, *Act.* VII. *verſ.* 56. Pourtant ceux, qui par livres expres fourniſſent aux conſciences matiere de deffiance, & eſcrivent de l'Apoſtaſie des Saincts, ſous ombre d'induire les hommes a bonnes oevres par la frayeur, plantent es coeurs la deffiance, & reſiſtent a toute la doctrine de l'Evangile, qui par la certitude de foy & fiance en la promeſſe de Dieu, tache a nous exhorter a bonnes œuvres. Nous ſommes enclins aſſez a nous deffier, ſans qu'il faille cercher des aides de deffiance, pour troubler le repos de la conſcience.

Telle eſt la creance de nos Egliſes, laquelle vouloir pervertir, j'eſtime que c'eſt ſapper les fondemens de la foy, & errer en choſes qui ſont de grande importance en la religion. Ce neantmoins je ne puis vous diſſimuler, que quelques uns des noſtres, en defendant la verité, ne ſe ſervent de termes durs & odieux, & qui font tort a une bonne cauſe. Car il eſt eſchappé a quelques uns de dire, que Dieu, *Creavit aliquos ad interitum. Deus damnationem quorundam vult ex propoſito. Peccatum non eſt cauſa impulſiva decreti divini, quo damnationem quorundam decrevit. Decretum de infligenda pœna non pendet ex præſcientia culpæ. Peccatum fit Deo procurante.* Comme ſi Dieu avoit obmis, ou laiſſé, ou reprouvé quelques hommes ſans avoir eſgard a leur peché, mais ſeulement, pource que tel eſt ſon plaiſir. Telles propoſitions me ſemblent temeraires, pour ne dire pis, & que nos Egliſes n'ont jamais receus, ni nos meilleurs Docteurs. Vos contentions ayans mis le feu a la teſte de quelques uns, que je m'abſtiens de nommer, pour ce qu'ils vivent, les ont pouſſés a ces termes, par leſquels ils font tort a une bonne cauſe, defendans mal la verité. Au reſte, ce ſont perſon-

Ep.270. ſonnes, dont je fais cas, & que je ſcay eſtre pouſſés du Zele de la maiſon de Dieu. Il eſt bien vray, que Dieu cognoiſt toutes choſes, & que ſes decrets ſont eternels : mais rien n'empeſche qu'entre les decrets de Dieu, que ſont eternels, l'un ne marche devant l'autre, non en temps, mais en ordre; & qu'il n'ayt conſideré premierement l'homme comme pecheur, avant que de le conſiderer comme ſuject a la peine : en meſme facon que le decret de Dieu de creer l'homme, marche en ordre, avant le decret de le nourrir, ou de l'inſtruire en ſa cognoiſſance. Certainement ceſte propoſition, que Dieu a voulu ne point elire, ou laiſſer ou reprouver quelques uns, ſans avoir eſgard a leurs pechés, m'a touſiours ſemblé fort dangereuſe. Car on ne peuſt nier, que ceſte omiſſion, ou reprobation, ne ſoit la plus grande punition qui puiſſe arriver a la creature raiſonnable, veu que de la s'enſuit neceſſairement la damnation, & le tourment eternel. Or qu'une ſi horrible punition ſoit impoſée par le createur, qui eſt ſouverainement bon, a une creature innocente, & ſans avoir eſgard a aucun peché qu'elle ait commis, mais ſeulement pource que tel eſt ſon plaiſir, c'eſt choſe mal convenable a la bonté & juſtice de noſtre Dieu. Un Pere, qui ſcauroit que de ſon ſecours & ſupport depend tout le bonheur de ſon fils, ſeroit fort denaturé & cruel, s'il abandonnoit ſon fils, non pour aucune faute qu'il ait commiſe, mais ſeulement pour ſon plaiſir : & encores plus, s'il ſcavoit, que de ceſt abandonnement s'en ſuivroit la ruine de ſon fils, & une perdition eternelle. Or Dieu ſurpaſſe infiniment en bonté tous les peres du monde, & ſcait bien que l'homme ne peut avoir aucun bien, que par luy, & que ceux qu'il abandonne ſont perdus eternellement. Si on dit la deſſus, que les peres ſont ſujects a la loy, qui commande d'aimer leurs enfans & procurer leur bien ; mais que Dieu n'eſt ſuject a aucune loy. Je reſpondray, que la nature de Dieu eſt plus puiſſante, & un lien plus fort qu'aucune loy : & que la meſme neceſſité qui l'empeſche de pouvoir mentir ou commettre aucune injuſtice, l'empeſche de pouvoir punir de punitions ſouveraines ſa creature, non pour aucune faulte qu'elle ait commiſe, & de creër une creature tant excellente pour l'abandonner d'une dereliction, qui la rende meſchante & miſerable. Car ſi ceſte raiſon eſtoit valable, il s'enſuivroit de meſme, que Dieu peut mentir, pource qu'il n'eſt pas ſuject a la loy, qui defend de rendre faux teſmoignage. Et quand meſme cela ſeroit veritable, que Dieu auroit delaiſſé ou reprouvé quelques hommes, non a cauſe de leurs pechés, mais pour ſon plaiſir; ſi eſt ce que la modeſtie Chreſtienne, & l'ignorance des cauſes, & la crainte d'offenſer les infirmes nous obligeroit a nous faire Ep.270. la deſſus, & n'affermer point choſes, que Dieu ne nous a point revelées en ſa parole. Et ne voy point, a quoy cela peut ſervir, ou aux bonnes mœurs, ou a la conſolation du Chreſtien.

C'eſt ſur ceſte matiere qu'on diſpute: Si l'Apoſtre S. Paul au IX. *chap.* aux Romains *verſ.* 21. parle de la maſſe du genre humain conſiderée comme non corrompue, ou comme corrompue. Qui eſt une queſtion, qui ne ſert qu'a mouvoir des ſcrupules, & a exercer la curioſité. Et ne ſe peut dire a qu'elle partie de la pieté il eſt profitable de s'enqueſter, ſi Dieu en eliſant quelques uns de la maſſe du genre humain, a conſideré ceſte maſſe comme corrompue, ou comme non corrompue? Que ſi neantmoins on conſidere exactement le but de l'Apoſtre, & le fil du texte, on ſortira ayſement de ceſte difficulté. Car S. Paul au *verſ.* 6. commence a parler de la rejection de la plus part des Juifs, & pourſuit a ce propos juſqu'a la fin du chapitre : d'entre lequel peuple ainſi rejetté & deſcheu de la grace de Dieu, il enſeigne, que Dieu en a choiſi quelques uns, ſelon l'election de grace. Or ne peut on nier, que ceſte election du Juifs, qu'il s'eſt reſervé, n'ait eſté faicte d'une maſſe corrompue, & parmi une nation rebelle. D'ont appert, que tout le diſcours de l'Apoſtre ſeroit hors de propos, & ſa preuve mal fondée, ſi pour monſtrer en quelle facon Dieu a retenu pour ſoy & eſleu quelques Juifs, & reprouvé les autres, il amenoit un exemple de la maſſe non corrompue ; veu que la maſſe de ces Juifs, dont s'eſt faicte l'election, dont il s'agiſt, eſtoit trescorrompue. l'Exemple d'Eſau & de Jacob, qu'il produit, dont Dieu en a hay l'un & aimé l'autre, avant qu'ils euſſent faict ni bien ni mal, conferme cela meſme. Car Jacob & Eſau, n'ont peu eſtre conſiderez autrement au ventre de leur mere, que tels, qu'ils eſtoyent, a ſcavoir, corrompus, & conceus en pechés. Deſquels avant qu'ils euſſent fait ni bien ni mal, Dieu a dit, j'ay aimé Jacob & hay Eſau: pource qu'eſtans egalement corrompus, perſonne ne peut dire, que Jacob aiſt eſté preferé a Eſau, pource qu'il fut meilleur qu'Eſau, veu qu'ils eſtoient tous deux egalement corrompus. Joignés a cela, que ce que nous appellons elire, l'Apoſtre appelle *faire miſericorde*, (ἐλεέω) & avoir *merci* & compaſſion. (οἰκτίρω.) Or miſericorde & merci preſuppoſent miſere ; l'Apoſtre donc parle de l'election qui ſe faict d'une maſſe conſiderée comme déja plongée en miſere, & corruption. Notés auſſi, que l'Apoſtre parlant des reprouvés, dit, ce ſont vaiſſeaux d'ire, appareillés a perdition, (κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν.) *verſ.* 22. Il dit, ce ſont vaiſſeaux appareillés a perdition, mais ne dit pas, que Dieu les a ap-

Digitized by Google

Ep.271. pareillé ; car il preſuppoſe, qu'ils ſont tels de leur nature : mais en verſet ſuivant, parlant des eſleus a ſalut, il change de ſtile, & dit, que Dieu les a preparés a gloire, (προητοίμασεν εἰς δόξαν.) pourquoi changeroit il de langage, s'il n'y recognoiſſoit de la difference, a ſcavoir, que les eſleus ſont preparés de Dieu a grace, & ſalut, mais que les reprouvés ſont de leur nature corrompus, Dieu les laiſſant en la corruption en la quelle ils naiſſent, pour laquelle ils ſont deſtinés a perdition. Bref, tout homme, qui ayme l'honneur de Dieu, & craint de troubler les conciences, ſe doibt ſoigneuſement abſtenir de dire, que Dieu perde, ou abandonne ſes creatures, non pource qu'elles l'ayent merité, mais pource que tel eſt ſon bon playſir.

Voila, Monſieur, mon ſentiment ſur ces matieres, leſquelles pour eſplucher il faudroit un livre entier. Vous vous en ſervirés ſelon que requerra le bien de l'Egliſe, auquel vous aurés plus d'eſgard, qu'a ma reputation. Que ſi vous jugés, qu'en faiſant voir ces lettres, il en puiſſe arriver du mal, vous m'obligerés de les retenir ches vous, ou bien de les mettre en lumiere, c'eſt a dire, bruſler. Pourveu ſeulement, qu'on ſache que mon eſprit eſt du tout eſloigné de ces nouveautés, eſquelles nous pechons, par vouloir trop ſcavoir, & pource que nul ne veut eſtre vaincu. Nous nous taillons de la beſogne, pour ce que le Diable ne nous en taille pas aſſez, & abuſons des graces de Dieu, & de la proſperité. La longeur de ces lettres vous doibt ſervir de preuve, combien vous avés de puiſſance ſur moy, & combien en un meilleur ſujet & plus aggreable je m'eſtimerois heureux, de vous pouvoir rendre ſervice. Dieu vous veille combler de ſes graces, honnorés moy des voſtres, & me tenés, Monſieur, pour

Voſtre treshumble & treseffectioné Serviteur

De Paris, ce 1. de Juing. 1616. DU MOULIN.

CCLXXI.

JOANNI UYTENBOGARDO EDUARDUS POPPIUS S.D.

De conciunculis ſuis.

VIr Reverende, & Frater in Chriſto multum obſervande, Conciones meas pietati promovendæ idoneas tibi videri cum gaudio ex literis tuis intellexi: etenim ille unicus mihi in iſta ſcriptione fuit ſcopus. Sed & cenſuras tuas in beneficii loco pono: ad quas tamen paucis reſpondere viſum, ut ſcrupulum unum atque alterum animo tuo eximam, & tu mentem meam in quibuſdam propius cognoſcas. Quædam à T. R. videntur dici in perſona Ariſtarchorum, imo iiſdem diſerte adſcribuntur. 1. *Clamabunt, Theologiam penitus moralem hominum animis nos inſtillare velle.* Credo; ſed hanc dum reprehendunt, quam Theologiam commendabunt? Theoreticam? Paulus ſane præter eam, quæ ſecundum pietatem eſt, nullam novit, *Tit.* I. 1. & hanc vult ſedulo hominibus inculcari, *Tit.* III. 8. Ego iſtam criminationem lubenti animo feram, certus, D. Jeſum illam inſigni beneficio compenſaturum, & rerum intelligentibus nunquam probatum iri. Addo, ſi qua forte Theologiæ pars eſt theoretica, qua ſpecie mihi vitio vertent, illam à me præteriri, dum iſtam de pietate materiam mihi tractandam ſumo, & quidem apud populum? Nullus dubito, quin plane in eadem mecum hic ſis ſententia; nimirum, id officii Chriſto & animabus, fidei noſtræ concreditis, nos debere, ut ſpeculativam iſtam Theologiam omni conatu everſum eamus. 2. Diſplicebit illis, *quod nullus mihi ſermo ſit de fiducia in Chriſti ſatisfactionem, & de pace conſcientiarum in illa acquieſcentium.* At ego paſſim fiduciam in Chriſtum prædico: & hæc an non eſt in ſatisfactionem & meritum Chriſti? Sed fiduciam, qua homines in illa acquieſcere conſueverunt citra mandatorum Chriſti obedientiam, ex animis auditorum radicitus evellendam, tu mecum procul dubio judicabis: utpote Scripturis adverſam & hominibus detrimentoſam. 3. *σύμβολον (formulam) eſſe dicent nova Theologia, Socinianiſmum undiquaque redolentis.* Hunc etiam mihi eventum polliceor: ſed mens mihi conſcia recti illam calumniam non extimeſcit. At quibus argumentis mihi Socinianiſmum impingent? In fidei deſcriptione à Socinianis diſcedo: illi ipſam eſſe obedientiam aſſerunt: Ego, etſi alicubi ita accipi concedo, diſtinguendam tamen hanc ab illa cenſeo, & ex Scripturis doceo. De Filio Dei & Spiritu ſancto orthodoxam ſententiam adverſum illos diſerte pono, pag. 299, 300. de ſacrificii Chriſti effecto illorum doctrinam duobus Scripturæ teſtimoniis obiter confuto, pag. 314. ſed hæc tibi lecta nondum ſunt. Et tamen zelotis non omnia dixiſſe videbor, ſcient, me non ſcribere commentarium, ſed textus aliquot Scripturæ explicare. Ubi ergo Socinianiſmus? Fortaſſis in ſedula & prolixa mandatorum, nec non promiſſorum, Chriſti explicatione. Sed quid ſi hic regeram, iſtum Socinianiſmum verum eſſe Chriſtianiſmum? Pergo ad alia, quæ T. R. judicat non carere difficultate. 1. *Ab Eccleſiarum noſtrarum doctrina recedere videor, contra quam nos facturos proteſtati ſumus, dum fidem ſecus, atque noſtri ſolent, explico.* Verum nihil ego hic novum deprehendo, etſi forte quædam expreſſius dico, quam ſolent alii. Confeſſio noſtra vix quidquam habet ſolidi de fide. Catechetica definitio (ut ut multi contra ſtatuunt) eſt fidei hominis juſtificati, (non fidei juſtificantis) quæ proinde fidem à me deſcriptam præſupponit, & quiddam amplius, nempe ipſam actualem obe-

Ep.271. bedientiam: nam non nisi credenti promissio peccatorum, & soli obedienti vita æterna, promittitur. Quomodo ergo citra illius considerationem homo certo statuit (quod habet ista definitio) sibi donatam esse vitam æternam? Et, ut propius ad descriptionem meam accedam; primum membrum illos offendere non potest: nam omnes uno ore docent, fidem esse notitiam, qua assentimur omnibus in verbo Dei patefactis. De secundo membro, fiducia scilicet, nulla etiam est quæstio. Reliquum est tertium, institutum sive propositum firmum ex Christi præscripto vivendi. An istud novum? an non ipsi docent, fidem esse vivam & vivificantem; & fidem sine operibus esse mortuam? Illud vero quomodo asseri potest, si negamus, fidem in se continere dispositionem animi ad bene operandum? Calvinus Institut. lib. 3. cap. 2. s. 8. expresse ait, *fidem à pio affectu nullo modo esse distrahendam*; quinimo, *assensum pia affectione constare*. Quæ hæc affectio pia, nisi firmum Christo obediendi propositum? 2. *De perfectione* est. Sed de hac plurimus ago in concionibus de nova creatura, quæ nunc excuduntur. Etsi autem in illis non pauca dico, quæ zelotis parum grata futura sunt, non tamen video, qua in re Ecclesiarum doctrinæ contradicam. Probe novi, in Catechesi quæst. 114. doceri, eos, qui ad Deum conversi sunt, præcepta legis perfecte servare minime posse: à me autem urgeri, obedientiam, quam à nobis Deus in Christo postulat, perfecte (hoc est plene secundum illum modum, sine cujus præstatione nos ad sui communionem Deus admittere non vult, nimirum ut nullum in nobis regnet peccatum, & infirmitates conemur superare) præstari à Christianis renatis non solum posse, sed & debere. Sed hæc mihi pugnare non videntur: quum negem postulatum Dei in Christo esse istiusmodi, ut nullum omnino peccatum à nobis perpetretur; nimirum ita, ut, si contra fiat, mors æterna nos maneat, & extra gratiam simus: quod illi voce perfectionis denotare solent. Ac proinde non videtur magnam habere difficultatem, si quis doceat, possibile esse, vincere infirmitates & lapsus, qui deprehenduntur in renatis, dum ex præscripto Christi gratioso, non legis rigore, vitam instituunt: inprimis, si addatur, plenam illam contra infirmitates actualem victoriam non esse simpliciter ad salutem necessariam. Ingenue profiteor, sanctissimos gratia Dei & remissione peccatorum semper opus habere. Quod in Catechesi de exiguis obedientiæ initiis in sanctissimis quibuslibet dicitur, puto vel ipsos zelotas judicaturos commoda interpretatione esse emolliendum. Ursini verba sunt in Catechesin pag. 827. *Renatis lex fit possibilis, quoad imputationem justitiæ Christi, seu beneficio justificationis & regenerationis, quod utrumque beneficium fide consequimur.* Calvinus Institut. lib. 4. cap. 1. s. 20. *Fatear quidem in urgenda perfectione non lente, vel frigide, laborandum, ac multo minus cessandum esse, &c.* Verum istud quomodo fiet, si impossibilitas illa inculcanda est? Notum est Augustini superhac re dictum. Illud semper notandum, me de gratioso Dei in Christo postulato, illiusque præstatione passim loqui. Refuto etiam in sequentibus sententiam illorum, qui perfectistæ dicuntur. 3. *In expositione loci* Hebr. X. *videor T. R. Novatianis accedere.* pag. 147. Verum, mi frater, ibidem aliquot integris paginis sententiam, quæ dicitur fuisse Novatianorum, oppugno: Et ex isto loco doceo, quæ habent ipsa verba, esse aliquod (non quodvis) peccatum eorum, qui sanctificati sunt, cui Deus veniam negat: atque hoc ipsum nemo, quod sciam, nostrorum auctorum diffitetur; qui etiam docent, Apostolum, dum tam grave supplicium desertoribus, sive apostatis, denunciat, Novatianis minime favere. 4. *De morte æterna videor T. R. dilute loqui*, &c. Contrarium docent pag. 15. sub finem, & 16. passim appello mortem æternam, & condemnationem, cum Scriptura; etiam alicubi infernale supplicium, ignem inextinctum, &c. Fateor, non ita multis me de ea agere, quemadmodum de vita æterna: sed id factum à me pro ratione textuum, quos explico. Ex animo confiteor, me non assentiri iis, qui per mortem æternam hominis abolitionem intelligunt. 4. *Filium Dei esse, & vitæ æternæ participem esse, censet T. R. mihi æquipollere.* pag. 239. Sed videtur oculos tuos fugisse vocula, quæ nodum istum solvere poterat; nempe, *adhuc*: quæ vox relativa est ad proxime præcedentia Scripturæ loca, *Joh.* I. 12. *Rom.* VIII. 19. 23. *Luc.* XX. 35, 36. in quibus omnino ista videntur æquipollere. Verum in antecedentibus alium etiam υἱοθεσίας (*adoptionis in filios*) modum exprimo, qui nobis in hac vita contingit. Velim plura à T. R. annotata fuisse, quia probe novi, quam sit mihi curta supellex, & quam parum in Scripturis videam: unde mihi minime novum futurum, si in non paucis hallucinatus fuerim. Confido tamen, preces meas à Domino Jesu exauditas esse, ut me à tramite veritatis, quod ad rei ipsius potiorem substantiam attinet, non passus sit aberrare. Quod non ante fratrum judicia exquisiverim, culpam deprecor. Id factum, quia videbam, fratres nonnullos in eo totos esse, ut mihi refutationem Dammanni injungerent: quem laborem etsi non defugio, judicavi tamen mecum, hasce qualescunque de pietate meditationes præmittendas esse: accedit, quod illas omnes nunquam in chartis accurate simul descriptas habui; subinde multa mutavi: imo necdum omnia, quæ restant, descripta habeo. Sed & audivi D. D. Vorstii & Collegæ utriusque judicia. Hujus meæ ad tuas responsionis istum exspecto fructum, ut T. R. judicet, libri mei editionem, si non cum emolumento, saltem sine detrimento causæ nostræ futuram. Et, quum zelotæ nostri nobis impudenter affricare conentur maculam

Ep.271.

Ep.271. neſcio cujus impietatis, & neglecti ſive inſuper habiti cultus divini, an non e re noſtra fuerit, illam veræ pietatis aſſertione abſtergere: atque ita effectum dare, ut DD. Ordines inpoſterum non audiant Libertinorum fautores, quum cauſæ noſtræ patrocinantur? Prodeſſe volui, non obeſſe, bonæ cauſæ. Non ſcripſi quidem ad libitum Ariſtarchorum; attamen non videor mihi quippiam dixiſſe, aut ſcripſiſſe, quod non ante ab aliis noſtri ordinis dictum ſcriptumve ſit. *Cap.* VII. ad *Rom.* explico de homine ſub Lege: ſed puto jam pleriſque conſtare, illam à nobis defendi ſententiam. De ſacrificio Chriſti agens, in voluntate Dei ſubſiſto: ſed neque illud noſtris novum. De perfectione ſcripſit etiam D. Arminius in reſponſo ad articulos. Et non pauca, quæ huc pertinent, dixit auctor Epiſtolæ dedicatoriæ præfixæ commentario D. Arminii in VII. ad *Rom.* Verba etiam quinti noſtri articuli, *eos qui vera fide Chriſto inſiti & vivificantis ſpiritus participes facti ſunt, abunde viribus inſtructos eſſe ad certandum cum Satana, peccato, mundo & carne, nec non victoriam de illis reportandum*, an non eandem continent ſententiam, quam ego inculco, nimirum, renatos poſſe obedientiam à Deo præſcriptam præſtare, adeo ut nullum peccatum in illis dominetur, utque infirmitates etiam ſuperent? Hæc eadem etiam D. Epiſcopius auditoribus ſuis viva voce ſubinde proponere non veretur, ut mihi certo conſtat. Quædam Scripturæ teſtimonia fortaſſis non ad nutum aliorum expono: ſed hanc prophetiæ libertatem quis ſibi non vendicat? Itaque Domine frater, hanc T. R. de meo qualicunque ſcripto velim ingenerari opinionem, non eſſe quod metuamus, cauſam noſtram illo apud æquos judices (malevoli quid non admordent?) gravatum iri. Si hac in re fidem abs te impetro, obnixe rogo, ut eo uſque manum adjutricem mihi præbeas, ut liber iſte ſub præſidio Deputatorum DD. Ordinum exeat, quo Magiſtratibus, nec non reliquis patriæ noſtræ incolis, ſit gratior. Magiſtratus noſtri nomen, probe noſti, quam ſit pluribus, etiam non malis, ſuſpectum. Non ego hic mei, aut lucri alicujus rationem habeo; ſed Chriſti ipſius & veræ pietatis, quam multi magno impetu proditum ac perditum eunt. His pro viribus obviam eo: materia libri mei huc pertinet, etſi haudquaquam digne, quod lubentiſſime fateor, à me tractata. Feci tamen quod potui. Si ita T. R. videbitur, audiatur conſilium viri ampliſſimi. Si illud tuto fieri non poſſe arbitraberis, quæſo (libertati da veniam) audiam judicium tuum, puteſne à Deputatis Ordinum nigro Θῖ~ notatum & rejectum iri, ſi forte illis à me offeratur, nomini illorum inſcriptus. Nolim tamen quidquam incommodi T. R. aut ulli hominum ex meo labore accedere: in meum caput illud omne redundet: confido, Dominum Jeſum, cui ſervio, ita mihi affuturum, ut omnes difficultates aut ſuperem, aut patienter feram. Denique etiam atque etiam Ep.272. te rogo, & meo & collegarum nomine, ut tuas conciones ne ſupprimas. Ratio mutati inſtituti nulla eſt. Sæpius miratus ſum, te, quem Deus tam præclaris dotibus ornavit & ſupra alios eminere voluit, humiliter adeo de te ipſo ſentire, & *nis mauvais ouvrages*. Laudem meretur iſtiuſmodi animus, ſed fraudi tamen Eccleſiæ Chriſti eſſe non debet. Omnes Dei dona in te exoſculamur. Si ego rudioribus nonnullis prodeſſe potero, tu face tua nobis omnibus prælucebis. Viva voce te docentem audire, etſi ſummopere jampridem expetivi, necdum mihi licuit; quod doleo: nunc mihi & multis aliis nihil tam eſt in votis, quam ut iſtiuſmodi à T. R. ſcripta, & ſtylo noſtro formando & cognitioni veritatis augendæ quam maxime futura idonea, videamus. Ignorare non potes, quam gratis amplexibus reliqui tui libri ab omnibus bonis excepti ſint, & quanto cum fructu legantur. Impetret hoc à te Chriſtus, ut hoc ſtadium magno zelo decurras, & omnibus prodeſſe gnaviter & fortiter pergas. Nihil me auribus tuis dare, mi frater, exiſtima; ſincere & coram Domino loquor.

Vir Reverende & Frater in Chriſto multum colende, Dominus Jeſus tibi gratioſe adſit, te adverſus omnes difficultates confirmet, & quam diutiſſime nobis, totique Eccleſiæ, incolumem præſtet. Salvebit tua uxor; & T. R. à D. D. Vorſtio, cujus ad te literas hiſce incluſas vides, & à Collegis meis. 13. Junii 1616. Goudæ.

T. R. addictiſſimus

EDUARDUS POPPIUS.

CCLXXII.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.

De ſua diſſertatione, de jure Magiſtratuum circa ſacra.

MAgnifice ampliſſimeque Domine: Hodierno mane nunciavit mihi ornatiſſimus collega meus, adveniſſe in urbem D. Utenbogartium, ac quod antea factum nunquam, velle me inviſere: collaturum autem de jure ſummi Magiſtratus in Eccleſiaſticis. Statim in mentem venit, non id colloquii aut diſſertatiunculæ ergo fieri, cum ignorare non poſſit, quam mihi curta ſit ſupellex; ſed potius quia poſtulare ſtatuiſſet, quæ hac de re nuper ad A. T. ſcripſiſſem. Nec ea me ſuſpicio fefellit. Nam vix de valetudine mea & ſtatu collegii noſtri exquiſierat, cum ſermonem injecit iſtiuſmodi, ecquid ſub manibus haberem, quod brevi lucem adſpicere poſſet. Et cum negarem me ob difficultatem muneris in hiſce quaſi primordiis aliquid edecumatum & ſæculo dignum elucubrare poſſe: porro inſtitit, nihilne de principali jure in Eccleſiaſticis etiam com-

Ep. 273. commentatus. Sciebam quo tenderet, & mentiri non erat meum. Reſpondi igitur, ante trimeſtre aut amplius ſententiam me meam ad aliquem chartæ illevitile, ſed ſtatuiſſe, ſimul ac paullum otii nactus ero, quatuor aut quinque diſputationibus eam rem in Collegio accuratius pertractare. Non improbavit conſilium: ſed tamen optare ſe interim dixit, ut ſibi inſpiciendi eorum quæ ſcripſiſſem, qualiacumque ea eſſent, facerem poteſtatem. Addebat, jam à tribus retro menſibus vel amplius ſciſſe ſe me aliquid tentaſſe. Dicebam mirari me unde hoc haberet, cum præter eum ad quem ſcripſiſſem nemini mortalium rem communicarim, uno excepto Collega, qui fidem dediſſet ſe cum nemine hac de re verba facturum. Reſpondit ſe ex A. T. rem cognoſſe. Idem dicebat D. Epiſcopius, qui aderat. Non tam naris obeſæ eram, ut non odorarer, cur hoc mihi perſuaſum vellent, ſed tamen diſſimulabam. Optarim interim magis Collegam hac parte litaſſe ſigationi. Imo me ipſum. Quando inique ab altero ſilentium exigit qui ipſe illud præſtare non potuit. Addebat D. Uytenbogartius, ſi bona mea venia fieret, velle ſe ab A. T. ſcriptum iſtoc expoſcere. Dixi non diſplicere, ut prius videam, quid ſcripſerim: putare enim alia etiam familiaria eis literis eſſe admiſta. Velle itaque quam primum ad te ſcribere. Rogavit igitur, ut hoc quamprimum facere vellem. Rem me ſibi gratiſſimam facturum. Nunc oratum te velim, ut ſi otium horulæ detur, oculo volanti percurras, & ad oram epiſtolæ lineam tranſverſam ducas ubi quid à me prætereundum arbitreris. Si tamen id per occupationes non potes, ipſe agam, priuſquam alteri chartas iſtas exſcribendas dedero quo Utenbogartio mittam. Illud quoque candide ſcribere illi ſtatui, ſi quid hic boni ſit, Tuæ hoc A. tribui debere, cujus hac de re ſententiam non ita pridem antea legiſſem. Quod ſi illud ipſum exemplar quod A. T. habet, mitti poſſet, opus foret ſimul addere, ne cui illud alteri innoteſceret, quando ad te familiariter ſcriptum eſſet more Romano, non ſeculi noſtri, quo inferiores non ſic ad tui ordinis ac dignitatis viros ſcribere ſolent. Vale Magnifice Ampliſſimeque Domine, & uxorem ſaluta *vbi dies poscet*. XXIII. Jun. CIↃ IↃC XVI.

T. A. devinctiſſimus

G. VOSSIUS.

CCLXXIII.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS S. P.

Eccleſiaſtes.

REverende Domine, & Collega honorande. Adfuit mihi ante paucos dies Richterus quidam, Vir Nobilis, &, uti videtur, apprime doctus. * * Nuper D. Uytenbogardus hic nobis adfuit, ex quo obiter intellexi, ſtatutum & decretum jam eſſe, ut judicium noſtrum de libro tuo poſtuletur & exquiratur. Non ita pridem id non ſucceſſurum credebat, ſed nunc denuo aliud referebat, eo tantum mutato, quod ſingulorum judicium ſeorſim poſtulandum ſit. Quid futurum ſit, dies docebit. Ego nullus dubito, quin duorum judicia pro te habiturus ſis. De Polyandro nihil certi polliceri audeo. Si ex aliorum, uti ſolet, judiciis pendebit, acrius paulum metuo: ſin ex ſuopte ipſius ingenio, mitius. Non deſinam expiſcari antea, ſi qua potero ratione, quid in animo habeat. Theſes meas de Pœnitentia miſiſſem tibi, ſi ad manum fuiſſent. Priores de convenientia & diſcrimine Veteris & N. T. (quæ tamen reſpondentis ſunt, non meæ) non parum mihi moleſtiæ & laboris denuo creant: idque apud ſtolidum Flandrorum vulgus, cui perſuaſum eſt à Feſto, affirmari illis, quod patribus in V. T. promiſſiones vitæ æternæ factæ non ſint, aliaque quæ tamen modum audire licuit: ſatisfeceram nuperrime, cum Feſto commiſſus, DD. Curatoribus, &, uti ipſe non ſemel affirmabat, Feſto, nec dubitabam, quin jam omnia compoſita eſſent: ſed de novo iterum, neſcio qua occaſione, retintegratur criminatio, & jam tantopere invaleſcit, ut retundi omnino alia ratione eam opus ſit. Heri diſputabat D. Polyander de peccato Originali, eheu quam miſere! Vix dixerim quam multa ἀνοήτα, & abſurda reſponſa ſint. Erant qui dicerent, Theologiam animam agere, & peccato Originali exequias factas. Sed mirum non eſt, cum hæc plerumque in diſputationibus ejus accidant. Unum tantum admiratione dignum eſt; quod cum tam manifeſte ſæpe teneatur, mirifice tamen ſibi placeat, neque magis ſentiat, quam ſi elephanti corio tectus eſſet. Collatiunculam veſtram de mediis componendi haſce lites, & de rebus ad ſalutem neceſſariis rite ſtatuendis, libenter audiviſſem; ſæpenumero occaſionem illis diſſertatiunculis quærerem, ſi ab iis non deprehenderem eum alieniorem, & ſub quolibet ſaxo ſcorpium metuentem. In Academia & Eccleſia omnia ſeſe eodem modo habent. Vale mi Domine & collega Reverende: Dominus Jeſus Spiritu ſuo ſancto largiter benedicat tibi & laboribus tuis. Amen. Salveat àme conjunxtua dilecta, cum fratribus omnibus qui apud vos ſunt, à

Raptim 11. Julii 1616.

Tuo

EPISCOPIO.

CCLXXIV.

Digitized by Google

CCLXXIV.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.D.

De ſuo exilio Gallico.

VIr clariſſime, Aliquem eſſe Amſtelodamenſis noſtræ legationis fructum apud bonos, ſerio patriæ gratulor: eſſe autem qui Ordinum facta omnia in partem deteriorem rapiant, id vero mihi ex animo dolet. Paſtoribus enim ad dogmatum licentiam aut ad ſchiſma propendentibus ecquod erit remedium, publica auctoritate per calumnias peſſumdata? Ego de omnibus quos interius novi optima mihi polliceor, de me vero certus ſum nihil mihi privatarum publicarumve rerum tam cordi eſſe, quam ut pro virili ſuccurram laboranti Eccleſiæ. Scit Deus id me agere, ut modica quædam in Theologicis controverſiis obtineatur libertas; qua ſublata, neceſſe eſt novas ex receſſionibus receſſiones fieri. Cæterum ab iis dogmatis, quæ vetus Eccleſia damnavit, neminem magis abhorrere. Hoc meum ſtudium ſi hominibus probare non poſſum, at aliquid eſt, ſecum ferre conſcientiæ teſtimonium. Eventus non eſt in noſtra manu: attamen ut cuncta adverſa accidant, certum eſt à tam honeſto propoſito non diſcedere. Tibi adverſus imminentia odia, aut certe amicorum friguſcula, fortem animum precor. Affinis tuus, amicus olim meus, quod vult, ut video, valde vult, & illud petitum ex parentis auctoritate telum æquo vehementius torquet. Utinam aliquando tecum, cumque Diamantio, itemque uno & altero, quibus pax Eccleſiæ cordi eſt, colloqui liceat, & expendere, quæ tam perturbatis rebus conſilia ſint potiſſima! Multum enim angor animi, metuoque, ne medendi tempora elabantur. Cogita quæſo. Cauſam quam apud Mylium egi, tecum mihi eſſe communem non dubito. Non amo Pelagii patronos, neque extra ſacras Literas temere quicquam aſſeverantes. Ad typographum, &c. XVII. Julii CIↃ IↃC XVI.

Tuus totus

H. GROTIUS.

CCLXXV.

JOANNES OVERALLUS

Epiſcopus Coventrenſis & Lichtfeldenſis,

HUGONI GROTIO

Salutem in Chriſto.

De controverſiis de Prædeſtinatione.

CLariſſime Domine & amiciſſime: Accepi literas tuas ſane gratiſſimas, quas per diſcipulum D. Druſii Ἀνεψιὸν (*felicis memoriæ*) eo mihi nomine gratiorem, miſeras. Ex quibus poſtremas meas, tuis cum edicto, dum ab urbe aberam, miſſis reſpondentes, intercidiſſe intelligo, nequicquam aliud fere, quam obitum amiciſſimi & præſtantiſſimi Caſauboni condolentes, cujus vis doloris aliis tum quidem omnibus ſuperſedere coëgit. Nunc quod ſcribis ſubvereri te, ne moleſta eſſet mihi interpellatio tua, neve commercia hæc amicitiæ his infeſtis temporibus in calumniam paterent; crede mihi ſancte affirmanti, optime Groti, nec jucundius mihi quicquam tuis literis poſſe accidere, nec in hac veſtra cauſa de prædeſtinatione & gratia divina, tam juſta, tam pia & orthodoxa, me cujuſquam mortalis calumniam metuere; mihi enim in his pro minimo eſt, ut à quoquam judicer aut ab humano die. Itaque gaudeo, quod ſcribis, apud vos Eccleſiæ ſtatum paulatim ad quietem redire, & molliores (imo meliores & veriores) de prædeſtinatione ſententias, plures indies in aſſenſum trahere. Faxit Deus, ut hoc magis magiſque fiat! Sed prodeunt quotidie ejuſmodi libri ab iis, qui ſpretis Patrum ſententiis, ſuum purum privatumque ſpiritum in rebus fidei ſequuntur, ut vix hujus furoris finis tam cito ſperari poſſe videatur. Pontificii quidam docti, etſi Auguſtini ſententiam ex profeſſo teneant, oſtendunt tamen ſe valde in veſtram inclinare. Lege Cardinalis Toleti annotationes in Epiſtolam ad Romanos; 31ma. in *Cap.* VIII. *verſ.* 28. in fine: tum & quartam ac quintam in *cap.* XI. *verſ.* 5. & 6. & vigeſimam in *cap.* III. 24. Judicabis bene ſcribere in hanc rem & ſententiam. Ut ita videri poſſit pæne ἀδιάφορον, (*indifferens*,) ſive poſteriorem Auguſtini ſententiam ad mentem Proſperi & Fulgentii explicatam, ſive priorem, adverſus Pelagium & Semipelagianos ex poſteriore emendatam ſequamur. Sentio certè Toletum veſtram valde probaſſe. De Thomſoni noſtri libello typis dato, ut ſcribis, vereor ne exemplar illud, quod habetis, à notario multa peccet; habeo nunc aliud ejus exemplar, paulo melius, ut opinor, deſcriptum, quod vel collationis gratia tranſmiſiſſem ad te, ſi habuiſſem, cui commode poſſem dare. Bene comparatum eſt, & quidem divinitus, quod in tam lato contemptu antiquitatis, ſummas poteſtates habetis tam recte affectas: tam ſedulo pro bono Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ vigilantes, ut nec abripi ſe ſinant inſcito zelotarum ac turbonum zelo; nec vereantur obviam ire novitatibus, illis præſertim, quæ officiant pietati & concordiæ. Det vobis nobiſque ſimul Chriſtus Dominus noſter ſuam illam, quam moriens Apoſtolis reliquit, pacem, ut, ſecundum Apoſtolum, τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, καὶ μὴ ἦ ἐν ὑμῖν σχίσματα, ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ. (*idem loquamini omnes, & non ſint inter vos ſchiſmata, ſitis vero apte cohærentes in eadem mente, &*

1 Cor. 1. 10.

Ep.276. *in eadem ſententia.*) ſaltem, *εἰς ἃ ἐφθάκαμεν τῷ αὐτῷ κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν.* (*ad id quod aſſecuti ſumus eadem procedamus regula, idem ſentiamus.*) Vale. Londino ex clauſtro quorundam fratrum Auguſtin. Jul. 27. 1616.

Tuus in Chriſto
J. OVERALLUS,
Covent. Lichtfeld.

CCLXXVI.

Eruditiſſimo Clariſſimoque Viro

D. GERARDO VOSSIO

Collegii Theologici Moderatori,

HUGO GROTIUS S.P.

Libri de diſſidiis Eccleſiæ componendis ſcripti.

IMpediunt adhuc ſtudia mea, ſive morbi reliquiæ, ſive attenuati corporis imbecillitas, ſua quoque vitia animo transfundens. Interim Deo gratias ago, quod tantum mihi temporis à negotiis liberum mihimet excutiendo atque explorando conceſſerit. Ego cum multa in me deprehendam, quæ per Dei gratiam emendatum iri confido, in eo propoſito, cujus ergo tantas offenſas calumniaſque ſuſtineo, nihil invenio, cujus me aut pudere aut pœnitere debeat. Neque tamen honeſti conſilii conſcientia certum aliquid de eventu ſpondet. Veteris forte legis ea fuit promiſſio. At nunc ſæpiſſime laudabiles conatus adverſis obrui & Scriptura nos docet & experientia. Qui primi Euangelicam reformationem aggreſſi ſunt Principes, in carcere magnam vitæ partem egerunt: eorumque alter Electorali dignitate ab homine ſibi conjunctiſſimo ſpoliatum ſe vidit. Itaque homines ſæpe optimi laboris acerbos ferunt fructus: neque tamen dubitandum eſt, quin illis ipſis conatibus bona cauſa, ſi non in præſens, at in ſequens ævum proficiat. Magnarum rerum tarda ſunt ſemina. Neque exiguum eſt id, in quo laboramus, ut in tanto diſſidentium opinionum conflictu oſtendamus nos credere Eccleſiam Catholicam, idque ipſum factis teſtemur; cum jampridem tota Religio Chriſtiana in partium ſtudiis conſtare ſit credita. Mihi *δέδοκται* (*decretum eſt*) pergere in hoc curſu, eventum autem divinæ providentiæ relinquere. Novit ille ſpectator omnium oculus, nihil à me in hac cauſa privatum quæri. De Chriſti ſatisfactione vidi nuper Smiglecii libellum, qui proximo mercatu prodit. Agnoſco multas *συμπτώσεις*, (*coincidentia*) etiam in iis quæ à prioribus Socini adverſariis obſervata non ſunt. Metuo ne ei quædam ſublegiſſe videamur. Et tamen ſatis multa reſtant noſtri laboris propria. Prodiit & de Politia Anglicana libellus puritaniſſimus, Amſtelodami cuſus: ſed mutata eſt epigrapha, credo ne urbs illa in Britannia infamaretur. Video idem illorum & eorum qui nos exercent eſſe ingenium, contemnere vetuſtatem, & ſanctimoniam ponere in Eccleſiæ dilaceratione. Quid nobis poſſent hoſtes crudelius imprecari? Devorandus mihi erit, quantumvis magnus liber, antequam noſtra commentatio de jure Imperii edatur. Academiæ incendium male me habet in ejus ſinu nutricatum. Sed ſævior ille eſt ignis, quem tot manus in Eccleſiam jaculantur: quorum furorem (plane enim furentium eſt in ſui corporis membra graſſari) reprimat Magnus Eccleſiæ Paſtor: cujus benignitati te tuamque familiam, Vir optime atque unice dilecte, commendo. Rotterodami. 17 Novemb. 1616. Ep.277.

Tuus ἀνυπόκριτος (*ſincere*)
H. GROTIUS.

CCLXXVII.

G. M. LINGELSHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

Varii. De diſſidiis Belgicis componendis.

VIr ampliſſime. Literas tuas x. Dec. datas rectè accepi, & eodem tempore alteras tuas; XIV Aprilis CIↃ IↃC XIV. datas, cum Lucani tui munere longe gratiſſimo, itemque altero tuo munere tuorum Poëmatum. Grutero ſtatim exemplaria ipſi deſtinata tradidi, qui gratias tibi habet maximas. Quam gaudeo, ad me pervenire ſic tandem & literas adfectus plenas & munera longe gratiſſima. Epiſtolam tuam hanc recentiorem bonæ frugis plenam oſtendi noſtris, itemque Sculteto, qui vehementer approbat ſtudium tuum pacis conciliandæ, & quod ſpem facis, fore ut publico etiam nomine huc ſcribatur; ac tum omnem operam nos adhibituros, quo aqua ad reſtinguendum incendium iſtud aggeratur. Quam gaudeo, utiliſſimum & maxime tempeſtivum laborem te ſuſcepiſſe, ſummarum poteſtatum jus in re ſacra explicandi. Non eſt autem ut cenſuram meam exſpectes; tanto enim judicio & induſtria proponis tua, ut aſſenſum & applauſum tibi unice debeam. Obſecro ne preme ulterius opus, ſed fac bono publico quam primum publicetur. Quod autem epiſtola mea ex Sweertii noſtri faſciculo exempta ſit, cum libello illo inepto, quem Lucius Baſileæ publicavit, neſcio qui factum ſit; niſi forte factioſus aliquis intercepit, qui in iis ſe reperturum confidit, quod calumnietur. Scripſeram tibi; Pareum detrectaſſe officium illud, de conſilio conſcribendo, ut tolerentur diſſentientes in talibus capitibus: & quod judicaret, nimis tarde hoc peti, rebus eo deductis; & quod vereretur, ut factioſi id trahant, ad opprimendos alteros. Præterea totus eſt jam in refutandis calumniis nebulonis illius Scioppii, qui fictis ſub nominibus impudentiſſime calumnias & convicia in noſtros jacit. Spero autem, hoc

Ep.278. conventu vestro rationes vos reperturos, quibus diffidia illa sopiantur, quæ nimis augentur scriptis utriusque partis contrariis, & acerbitatum plenis: qui ardor reprimi debebat auctoritate Magistratus: quod feliciter olim cessit Electori nostro, beatæ memoriæ: unde factum, ut jam vix memoria superstit ejus scissuræ. Certe Elector noster nihil intermittet, quod ad pacem Ecclesiæ Vestræ reddendam conferre poterit. Deus conatus vestros juvet, & exitum optatum largiatur. Gallia jam ad nutum Hispani se composuit: sed ea tamen est corum qui jam dominantur, protervia, ut patientiam erepturi sint illis, qui salvum Regnum cupiunt, ac jam sub improbo dominatu gemunt. Elector noster Anspachium profectus est, ut cum Marchione illo & Anhaltino deliberet de remediis publicis malis. Constat enim nobis, quam nefanda moliatur grex sacer in vicinia nostra. De libris quibus me beasti gratias habeo maximas, quorum lectio & jucunda & fructuosa mihi futura est; sed non video, quomodo gratiam tibi referre possim, tot abs te officiis ornatus. Deus te servet reipubl. & Ecclesiæ virum necessarium, & tu mihi amorem tuum serva ac vale felicissime. Heidelberga. 21 Decemb. 1616.

Tibi addictissimus

G. M. LINGELSHEMIUS.

CCLXXVIII.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.D.

Varia. De tractata Grotii, de Satisfactione Christi.

MAgnifice Ampliſſimeque Domine; quamquam, ut apud Varronem est, honus est honos qui sustinet Remp. tamen te novo hoc seu onere honoratum, seu honore oneratum, multis profecto nominibus est quod gaudeam. Nam verum si dicere licet, quamquam tu externos honores non magni estimas; tamen nefas fuerit in hac præstantium virorum inopia, inclytum virtutis tuæ splendorem in patrio solo intra unius, honestissimum licet, Syndici titulum constringi. Et lectissima uxor tua, animæ dimidium tuæ, habet tota quod mente petivit, domicilium nacta in medio consanguineorum & familiarium, quod illi melius, quam omnis Baraviæ & Zelandiæ capparis lienem deducet. Nec minus consilio auxilioque hic poteris prodesse tuis, quos inter me etiam merito repono, cum maxima mihi abs te ornamenta proficiscantur; nec patiaris ullum mihi in te commodum claudere. Denique, quod palmarium credi debet, talem Senatorem hæc Reip. tempora postulant. Te quidem destina ei destinato frustra omnes fore auguror, qui eam labefactare consiliis suis conantur: atque ne vanus unquam augur comperiar, Deum Opt. Max. votis supplicibus oro. Libello Lucii (pene Lucidi dixeram, prope adeo ut nominibus, ita doctrina conveniunt) horas sex septem impendi. Quid dicam? Doleo populari meo (uterque enim Palatini sumus) non plus inesse salis. Non de publico tantum, sed ipso etiam bene mereatur, qui tam insulsum sale candido defricare volet, ne putiscat totus. Verissime Lingelshemius ad te, quos ille reos agit Semipelagianismi, justius arguere ipsum posse Sesquialtinismi. Sed tamen cogitato opus, num si pedem cum eo struere lubeat, cominus semper congrediendum ejusque vestigiis insistendum semper putes: quod si fiat, necesse habemus respondere ad quinque illa Haganæ Collationis capita, & ea quibus adversum te pugnat S. Scripturæ loca. An vero satis putes, si quæ Pelagii, Semipelagianorum, Catholicorum communiter, Augustini singulariter, & Prædestinatianorum fuerit sententia, distincte proponam, & non uno tibicine solide ex vetustate fulciam: simul sicubi opus, argumentis alienis occurram. Quidquid præscripseris, parebitur. Nam seu hanc, seu alteram insistere viam lubeat, facilem mihi victoriam hinc spondeam: nec meum est ferre, Palatinatum produxisse, qui nomen cum tuum, tum Illustrissimorum Ordinum decolorare cogitet, nec produxisse, cui illud curæ sit vindicare. Quocirca, simul ac præfuero disputationi de creatione, quam his diebus scripsi (exemplar thesium ad te mitto) bonis avibus ordiar recoquere historiam de Semipelagianismo, & vicinis contrariisque erroribus. Futurum hoc intra triduum spero. Hoc magis autem cogitandum erit, ut aliquid novi afferam post Corvinum, quando ille meliorem laborum nostrorum partem nobis non invitis in Antibogermanno suo exscripsit. Nam præter ea quæ Dordrechto illi per te miseram, Lugdum hic utendum dedi, quidquid testimoniorum ex antiquitate de singulis Hagensibus controversiis non sine labore longo congesseram. Quod cum sciret ipse, ante semestre & amplius in familiari sermone subvereri se dixit, ne dum magnam partem laboris nostri in suas cumeras convehit, non tantum honoris qualemcunque fructum interceperit nobis, qui tanti non est mihi, sed etiam reliquum quod fecit, depreciaverit plane, cum eadem à me reponi minime sit ex honore utriusque nostri. Ego securum esse jussi, quandoquidem restarent alia multa, quibus locum eorum quæ exscripsisset, supplere abunde possem. Quod verissimum est, sola temporis angustia premor, quo minus ea cura hæc tractare possim, qua optem. Augustini adversus Julianum libros hactenus ineditos jam mensis circiter est quod vidi, sed otium legendi non fuit. Aliquam multa tamen folia delibavi, nec dubito quin genuinus sit fœtus. Statim igitur codicem tuum remittere debuisse dices. Ego vero cum tam multas præclaras emendationes ad oram codicis tui adscriptas viderem, gaudio prope exsilui,

ed by Goog

Ep.278. lui, nec committendum putavi, ut me fraudarem ejus libri uſu, priuſquam omnia ad codicem meum adſcripſiſſem. Quod bona me cum venia tua facere ſpero. Ne tamen diutius quam par eſt te libro tuo defraudem, promitto non plus quam bidui hanc moram fore. In illis ad Auguſtinum notis Menardi, ſolam culpem brevitatem. Tamen ſpero nunc aliquam quoque utilitatem nobis adferre poſſe. At quæ de Pelagio & Semipelagianis narrat, jam ante obſervata nobis. Nec quantum meminiſſe poſſum, aliud quam Baronianam epitomen continent. Quod cum nec ipſe diſſimulet, candorem ſane laudamus. Meurſius, cum ſecundo ad me ſcriberes, Hagæ fuit, ac reverſus demum die Mercurii circa veſperum. Die Jovis mittere Balſamonem neglexit. Fecit id die Veneris. Quem quin eo ipſo die, quo tertio ſcripſiſti ad me, hoc eſt, die Sabbathi, acceperis, nullus dubito. Mirari ſatis non poſſum quod nihil ab Utenbogartio reſponſi accipio. Nam niſi memoria fallor, jam ſextus eſt dies quod ad eum ſcripſi. Rogaram autem, ut quamprimum epiſtolarem diſſertatiunculam meam remitteret: ſi tanti putaret, curaturum me, ut intra paucos dies reciperet. In mentem venit fortaſſe rectà ad te mittere malle. Niſi forte aut domo jam abeſt, aut aliquem deſcribendi cura interim fatigat. Herpenius ſuper quæſtionibus à te conſultus, indiculum earum Amſtelodamum præmiſit ad præceptorem ſuum, Judæorum quotquot hodie vivunt eruditiſſimum. Ac ſe diem unum alterum hic ſubſtiturum dixit, ſimulque de iis cogitaturum: inde cum ſua etiam cauſa Amſtelodamum ire cogatur, rectà eo profecturum, ut cum magiſtro ſuo de iis conferre poſſit. Velim apographa illa duo, in quibus tam fædum hiatum eſſe ſignificas, ſimulac poteris, remittas. Curabo ut quam ociſſime, quidquid omiſſum eſt, ſuppleatur: ſimul ut alia quæ voles vel adjiciantur, vel corrigantur. Epiſcopio ante dies paucos adfui. Dixit ſe magna cum voluptate diatribam tuam περὶ ἀπολυτρώσεως (*de redemtione*) legiſſe: & judicare, nihil ingenioſius, eruditius, ſolidius, ea in controverſia à quoquam ſcriptum eſſe. Cum idem mihi videri dixiſſem, ſed tamen hominem neminem eſſe, qui non aliquid interdum humanitus patiatur, eoque impenſe rogare me, ut ſicubi deſideraret quicquam, libere apud te ſententiam ſuam exponere vellet: ille in priori judicio perſtitit, nec habere dixit quod requirat: niſi forte, inquiebat, quod paſſionem Chriſti conſideres ut pœnam proprie dictam: Nam diſpiciendum eſſe, an non ſatius multo ſit, cum Scripturis vocare ſacrificium, idque imperatum à Patre, & voluntarie à Chriſto ſuſceptum. Nempe ut dicatur, Deum, quo facilitatem peccati & ſui erga nos amoris magnitudinem commonſtraret, decentius omnium judicaſſe, neutiquam peccata remittere, niſi interveniente cariſſimi Filii ſui ſacrificio, quod tantæ δωρεᾶς (*gratiæ odoris*) fuerit apud Deum, ut ejus cauſa omnibus Ep.278. in Filium credentibus peccata remittere velit. Memini etiam ante trimeſtre & amplius, Samuelem Næranum, Eccleſiaſtem Amersfurtenſem, hanc ipſam ſententiam apud me defendiſſe, tanquam qua magis effugiamus incommoda, quæ Socinus objectat, & quæ tamen minime infringat ἀπολύτρωσιν (*redemtionis*) veritatem vel dignitatem. Petii ab Epiſcopio, ut de hoc ipſo, & ſi qua alia eſſent, per literas ſententiam ſuam communicare tecum vellet. Reſpondit, minime gravaturum ſe hoc facere, cum omnia tua cauſa velit & debeat; ſed non uſque adeo magnam ſibi familiaritatem vel notitiam tecum intercedere; eoque malle ut ipſe judicium ſuum perſcriberem: præterea, ſi quid talium literis committat, minime ſatis videri ut ſententiam ſuam tanquam de tabella pronunciet, verum enimvero rationibus ſolidis eam firmandam fore: quod quo minus facere nunc poſſit, obſtare occupationes, quibus diſtineretur. De ſollicitudine tua pro affine Junio, & illi gratulor & mihi gaudeo, & tibi gratias maximas utriuſque noſtri nomine ago. Sane conſilium impenſe placet. Quare & cum ipſo & cum Diamantio quamprimum rem omnem communicare decretum: mox, quid cum mihi tum ipſis videatur, te faciam certiorem. De Walachriano ſcripto eſt, quod ſcire tua interſit. Vix octiduum erat, quod apographum nacti eramus, jam ſubolueràt Zelandis. Scire te arbitror, Utenbogartium deſcribi curaſſe, exemplar hoc ſuum ad Epiſcopium miſiſſe, hinc & Corvinum & Barlæum habuiſſe, illum ut brevibus ad oram notis caſtigaret, hunc ut oratione fuſa refelleret: ſed & per aliorum manus volitavit: nihil igitur mirum, ſi ad plures, atque ipſos etiam Contra-Remonſtrantes, res emanarit, præſertim Barlæo, & ex hoc œconomo noſtro, rei totius gnaris: de quibus hoc amiciſſimorum ipſis judicium eſt, nihil vel ſub ſilentii fide committi illis debere, niſi quod utile exiſtimemus omnibus innoteſcere, vel ſaltem non damnoſum. Cæterum vix Walachriani literas ex Hollandia acceperant, quibus de apographo, quod hic jam haberemus, facti erant certiores: ſtatim ad ſe amanuenſem unus cæterorum nomine vocavit. Miſer amanuenſis, inter ſacrum & ſaxum hærens, & magis de fortuna ſua (quam à Zelandis Eccleſiaſtis, Burſio imprimis, pendere videbat) quam de gloria Dei ſollicitus, negavit ſe cum ullo exemplar quoppiam communicaſſe: atque hoc eo fidentius faciebat, quod perſuadere ſibi non poſſet, adfinem meum ſecum exemplar ſuum in Hollandiam portaſſe, & hoc ut feciſſet, Remonſtrantibus fuiſſe communicatum. Perſtabat Burſius apud eum ut verum diceret: ſed ille item in mendacio perſtabat: unum tantummodo hoc fateri voluit, adfuiſſe ſibi adfinem exemplaria deſcribenti, & legendo partem bonam percurriſſe. Quod ſimulac audiit

Ep.278. Burſius, ille impenſe adventum adfinis ex Hollandia deſiderare: vix cognorat rediiſſe, quærit an cuiquam in Batavia de Claſſis Wallachriæ conſilio aperuiſſet quicquam. Bene ſecum affinis agi putavit, quod non aliud rogaretur: confeſſus eſt, & putare dixit, nihil in eo peccatum eſſe. Burſius vero dicere, graviter peccaſſe, multumque in Remonſtrantes debacchari, & culpare adfinem, quod tam bonum Claſſis conſilium ſua lingua diſturbaſſet. Porro arbitratur adfinis, quantum ex Burſii ſermone colligere potuit, dubitare nunc Eccleſiaſtas Walachrianos, utrum ex re ſit, judicia exterorum à ſe exquiri, poſteaquam ad Remonſtrantium hoc aures pervenit: facile enim, alios de ſe metientes, cogitare poſſunt, minime eos hic ceſſaturos. Omnino utile ſit certo conſtare, quid conſilii cæperint Walachriani. Nam Barlæana oratio & Corvini breves caſtigationes jam vel confectæ ſunt, vel adfectæ. Et ſi ad exteros mitti debeant, jam prælo tradi tempus ſit. Locutus hac de re ſum cum Epiſcopio: ille recepit ſe acturum de eo cum Utenbogartio.

Hactenus in ſcribendo perveneram, cum ecce adeſt Epiſcopius: narrat ut Hagam poſt horas aliquot ſit iturus: veniſſe ad me, ut diaribam tuam reſtitueret. Iterum in priorem ſermonem incidimus: paulloque nunc fuſius de ſatisfactione differtabat. Hoc unum inter nos & Socinum in controverſia relinqui putabat, num Chriſtus patiendo ſolum apud homines aliquid egerit, an item apud Deum: poſterius negare Socinum, ſed mire & miſere Scripturas torquere, atque id ſolide à te demonſtrari. Verum porro quæri, quid illud ſit quod apud Deum egerit. Vulgariam eſſe opinionem, pœnas, quæ nobis debebantur, pertuliſſe. Unde & eo ſit devehtum, ut deſperaſſe, & tartarios ſenſiſſe cruciatus putaretur: quæ ſententia ut impia, recte refellatur à Loënſi Anglo in ſua Sabbathi effigiatione. Verum ut non eouſque cum vulgo procedamus, ſi tamen Chriſtum pro nobis pœnas ſubiiſſe dicamus, ne hoc ipſum quidem ſatis convenire cum eo, quod peccata nobis remitterentur. Nec enim gratuitam eſſe remiſſionem, ſi alius ſolvat. Dicere quidem te, hoc ipſum gratiæ eſſe ingentis, quod peccata noſtra impoſuerit Filio: ſed tamen non ſatis hoc eſſe, vel ſaltem non videri ſatis, ut ſit vera & proprie dicta remiſſio. Quare nec videri ſatisfactionem eſſe iſtiuſmodi, qualem vulgo opinentur: ſed quemadmodum in Vet. Teſt. ſacrificio oblato peccata remittebantur nemine pœnas ſubeunte: ſic in N. Teſt. remitti peccata intervenente ſacrificio Chriſti; quæ melior victima ita accepta fuerit Deo, ut propter eam peccatis cunctis ignoſcat. Quocirca in eo proprie Socini errorem conſiſtere, quod negarit ſacrificium Chriſti eſſe proprie propitiatorium; quod multis Scripturæ locis adverſus eum recte à te demonſtretur: ſeque aliis, qui in Socini ſententiam proniores videbantur, ſubinde idem dixiſſe & demonſtraſſe. Dicebat præterea, duo tria eſſe, in quibus neſciret an tuam ſententiam ſis probaturus Theologorum vulgo. Unum eſt, pag. 1v. ubi de materia ſatisfactionis tractans, eam eſſe dicis, tum cruciatus mortem antecedentes, tum præcipue mortem ipſam. Adſcribere quidem ad oram, non ſolum corporales a te cruciatus intelligi, ſed vel imprimis illas animæ perpeſſiones; quas voce λυπεῖσθαι, (*contriſtari*) & ſimilibus ſignificet Scriptura. Verum nihil dicere te, quo cognoſcamus alios te animæ dolores intelligere quam è corporis cruciatibus provenientes. Alterum eſt pag. x.b. ubi qualitates primitus creati ac deinde reſuſcitati corporis inter ſe ab Apoſtolo conferri vis; quorum illud habuerit cum naturali moriendi poſſibilitate conjunctam ex divino beneficio vivendi quoque poſſibilitatem: hoc vero vitam ita in ſe habiturum ſit, ut *nulla ei adſit moriendi poſſibilitas*. Eandem dicebat Socini eſſe ſententiam, ut qui corpora nos etiam κατ' εἶδος (*ſecundum eſſentiam*) ſpiritualia habituros putaret. Cæterum Juniores omnes, atque ſuo judicio Veteres item ad unum omnes, moriendi poſſibilitatem concedere, ſolum actualem mortem negare. Tertium eſt, pag. 11. ubi ais, poſteris Davidis peccata eſſe remiſſa, non tantum ob promiſſiones Davidi factas, verum etiam quia Davidis actiones Deo placuerant. Hoc quoque inſolens viſum iri putabat. Nihil tamen horum non probari ſibi dicebat: imprimis tertium iſtoc. Nempe quæcunque iſtic dicis, ut oſtendas ſolere etiam ſæpe actionem gratam admitti velut in pœnæ compenſationem, hoc ipſum pro ea ſententia facere dicebat, qua Chriſtus placaſſe Patrem creditur, non pœnarum pro nobis perſolutione, ſed oblatione victimæ ſummæ εὐωδίας. (*gratiæ odoris.*) Denique monſtrabat manifeſtum animi minus præſentis σφάλμα, (*erratum,*) pag. 11v. ubi ais, dicere Socinum, nuſquam ſcriptum eſſe Deum nobis, ſed ſemper nos Deo conciliatos eſſe. Mox ſubjicis verum non eſſe, quod dicat nuſquam eſſe ſcriptum nos Deo eſſe reconciliatos. Affers deinde locum *Eph.* II. 16. ubi Apoſtolus ait hominem ἀποκαταλλάσσεσθαι θεῷ. (*reconciliari Deo.*) Atqui receperas, te probaturum Deum nobis reconciliatum: nunc te adverſus Socinum probare ais, nos Deo reconciliatos (neque aliud evincunt verba Apoſtoli) quaſi non hoc ipſum ſit quod agnoſcit Socinus. Alia quorum moneret, non erant. Tamen abitum parans, verbo indicabat, putare etiam alia à ſe adferri potuiſſe, niſi tantopere negotiis fuiſſet diſtrictus, ut lectioni lectiſſimi libri tui non eam potuerit curam impendere, quam oportebat. Hoc vix eo fine ab illo dictum arbitrer, ut ad te perſcriberem. Tamen nihil te celandum putavi. Atque eo fidentius id addidi, quia ſcire te ſcio, nihil vel à te vel mortalium quoquam tam bene ſcribi poſſe, ut non alicubi ſit, quod melius dici poſſit. Sic nempe

cum

Ep.279. cum humana infirmitate comparatum eſt. Sed hoc ab editione deterrere non debet. Si enim nihil ſcribi debet, quod non undique perfectionis contigerit metam, nihil profecto ſcribi debet. Et peccarunt omnes Catholici doctores, quorum tot aurea monumenta ad nos pervenerunt. Noſque, hæreticis in hac vita noxios errores ſpargentibus, ſic ſtudia ſcilicet noſtra componemus, quaſi poſt hanc vitam cum iis diſputare cogitemus. Quocirca te, Ampliſſime Vir, rogo, ut neutiquam iccirco tua premere diutius velis; ſed brevi nobis aut Corvino diatribam hanc tuam remittas, quo lucem quamprimum adſpicere poſſit. In Juniano negotio voto noſtro Delegati DD. Ordinum annuerunt. Maximas tibi meo & adfinis nomine gratias ago pro commendatione apud Nob. Barneveltium. Vale vir omnibus omnium elogiis major, præſidium decuſque noſtrum. IX. Jan. CIↃ IↃC XVII. quem annum viciſſim tibi, conjugi, liberis, totique Grotianæ familiæ fauſtum & felicem ex animo opto,

Emendationes tuas jam exſcripſi. Itaque Auguſtinum tuum una mitto, & pro uſu gratias ago.

Tuus totus

G. VOSSIUS.

CCLXXIX.

GERARDUS VOSSIUS

CONRADO VORSTIO S.P.

Familiaris. CLariſſime & eximie vir, Literæ tuæ multum me recrearunt, propter ſummum erga me affectum quem ſpirant. Nec potui non multum gaudere, quod eo dignatus ſis honore, ut ad me quoque partem Antipiſcatoris tui mittendam putaris. Necdum tamen totum per occupationes legere licuit: ſed quæ legi (legi autem plurima) non minori cum voluptate legi quam fructu. Adeo multa utiliter à te obſervata. Quæ quamquam ita ſint, ſpero tamen te ἐριστικὸς (*contentioſis*) iſtis, licet haut ἐριστικῶς (*contentioſe*) à te tractentur, defungi propediem poſſe, extremamque tandem manum admovere velle notationibus in N. T. quas ab non uno prædicari tantopere audio. De Camerario non eſt quod feſtines. Simul ac carere eo ultra non licebit, monebo ipſe. Quod ſi quid aliud etiam in bibliotheca meâ uſui eſſe tibi poſſit, tantum ſignifica. Ego hoc ſic interpretabor, quaſi beneficium à te accipiam. Molanum & Cunerdingium, adoleſcentes longe optimos (quorum utinam omnes ſimiles eſſent) multum amo, partim merito ſuo, partim propter commendationem tuam. ** Pelagianam & Semipelagianam hiſtoriam orſus ſum: certiſque eam diſputationibus complectar. Primam deſtinavi Molano, quæ jam abſoluta: ſed antequam prælo traderetur, conſilium tecum capere voluit, utrum diutius apud nos ſibi vivere expediat, ubi multorum adeo diſpliceant mores, & perpaucos habeat ſui amantes. Ego in Molano nihil niſi animi firmitudinem requiro. Vale vir maxime, & te donaque tua æſtimantem porro amare perge. XXVII. Febr. CIↃ IↃC XVII. Ep.280.

T. R. addictiſſimus

G. VOSSIUS.

CCLXXX.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

REverende Domine & Frater in Chriſto, Fraternæ domus calamitas major eſt, quam ut otium mihi aut animus ſit ejus tragicam hiſtoriam pertexere. Horret animus, cum immanis atque efferæ illius crudelitatis claro die, conſciis illis, quorum erat providere, ne quis civium opprimeretur ab inſana plebe, perpetratæ recordor. Et utinam hic finis eſſet! Sed metuo, ut de fortunis reliquis, aut ſaltem de fama atque exiſtimatione ipſius propediem comitia habeantur! Ex literis enim quas Senatus ad Deputatos DD. Ordinum miſit, intelligo non obſcure, indicari decretum jam eſſe, ut non tantum in violentos illos effractores, ſed in authores turbatæ tranquillitatis publicæ, (quorum ſine dubio anteſignanus habetur frater meus) ſevere inquiratur & animadvertatur. Sed jacta alea eſt; Animus, laus ſit Deo, fratri conſtat in calamitate hac fortis ſatis & erectus, quin etiam, ſi opus ſit, ad plura ferenda pro cauſa juſtiſſima exaggeratus. Dominus Jeſus augeat in illo dona ſua; ſi enim unquam alias, jam maxime iis indiget, quia factus eſt non tantum περίψημα καὶ ὄμμα (*rejectamentum & execratio*) Amſtelodamenſium, ſed & publici odii atque invidiæ victima, quæ diris, execrationibus, minis & calumniis, tantum non ſæpiſſime mactatur, uſque adeo ut jam de diſceſſione facienda cogitare ſerio incipiat. Quæ res non tam mihi ingrata, quam cauſæ toti noxia futura eſt; quamquam ea ad illas redacta eſt anguſtias, ut jam omnino, proh dolor! conclamatum ſit, uſque dum Deus meliora. Ad conventum Hagienſem an profecturus ſim, per valetudinem neſcio. Si tamen eo me contulerim, faciam quicquid in me erit, ut voto ac deſiderio tuo ſatisfaciam; quamquam ea jam eſſe tempora video, ut cedendum potius de jure noſtro ſit, quam fumis rigide trahendus. Nimium præciſi adverſarii conſilia nos capere cogunt, alia quam cuperemus ipſi, ſi liceret. Quominus tamen aliquid quod tibi obeſſe poſſit decernatur, omni cura, quantum potero, providebo; quamquam eam eſſe omnium fratrum mentem ſciam, ut te eidem circo includant, paremque tecum fortunam experiantur. De ſtudioſis nihil mihi etiamnum innotuit. Recte feciſti, quod, ut *De fraternæ domus direptione aliiſque.*

Ep.281. prudenter & caute agerent conſulueris. Ea nunc ſunt tempora, ut grande ſibi nobiſque periculum creare poſſint, fructum vero atque emolumentum adferre aut nullum, aut valde exiguum. In Geldria receptui fere canunt contra-Remonſtrantes, aulicis quibuſdam præpoſtero ſive zelo, ſive conſilio, nimis alteri parti faventibus. Quæ ibi acta ſunt nuper, ex edita charta ſcire potes. Dum hæc ſcribo, adfertur ad me neſcio unde miſſa narratio hiſtorica earum rerum, quæ Amſtelodami nuper geſtæ ſunt. Niſi apud vos eam exſtare perſuaſus eſſem, miſiſſem per hunc ſervum tuum. Pro Antipiſcatore tuo, gratias immortales habeo. Otium nactus cum cura perlegam, & judicium meum perſcribam. Interea te Deo ex animo commendo, cum dilecta uxore & familia tota. Dominus Jeſus confirmet te Spiritu ſuo ſancto, & ſervet nobis diu incolumem. Raptim 27 Feb. 1617.

CCLXXXI.

PHILIPPUS MORNÆUS

N. N.

QUant à l'affaire ſur lequel deſirés mon advis: pour l'hypotheſe, je voudrois eſtre mieux informé, & du fonds, & des circonſtances, par ce que peu de choſe en peut changer la nature: mais pour la theſe; je tiens, que là où les fondemens de noſtre ſalut demeurent, & le culte exterieur eſt ſans idolatrie & ſuperſtition, il n'y a point lieu de ſeceſſion, encores que les parties ſoyent en different ſur points d'importance: tant plus, quant on a eſperance d'en communiquer, & conveniren un Synode legitime & libre, auquel l'une des parties ſe feroit trop de tort de faire prejugé par ſeceſſion anticipée. Par ainſi je croy, que la charité nous oblige en ce cas à patienter, & les exemples funeſtes, que nous voyons de ſemblables contentions en Allemagne, à tolerer les uns & les autres, pour pouvoir ſubir un meſme Synode, auquel les remedes neceſſaires ſoyent recherchés: ce que ſe rendroit trop plus difficile, ſi une fois ceſte ſolution de continuité s'eſtoit faicte. Les adverſaires nous font la deſſus une belle leçon, entre leſquels nous voyons depuis pluſieurs années les Jeſuites & les Jacobins, fort diſcordans ſur les meſmes points, & neantmoins ſans faire rupture. Mais apres tout, la choſe eſt de telle importance pour toute la Chreſtienté, que j'eſtime trop de la pieté, charité, & prudence des Paſteurs en vos Egliſes, pour pouvoir croire qu'ils veuillent penſer ou paſſer à une telle reſolution, ſans conſulter là deſſus les Egliſes de meſme confeſſion: & pour celles de ce Royaume, il ſe preſente un moyen commode par le Synode National d'icelles, qui doibt commencer le xvi. de May à Vitri en Bretagne. Du reſte; Ep.283 je ne doubte point auſſi, que vous ne faites tout ce que vous pourrés pour couper la racine de ces maux, & par les voyes les plus legitimes; que ſelon vos prudences ne pourrés ignorer, que les parties en la Religion partagent ſouvent les Eſtats, entant que les opinions y degenerent facilement en factions, & que vous avez ſur tout à prevenir au voſtre, que tout puiſſant qu'il eſt, eſt neantmoins encores tendre, & peut eſtre ſe trouveroit plus penetrable à ces accidens interieurs, qu'aux aſſauts exterieurs. 2 de Mars 1617.

CCLXXXII.

Viro Clariſſimo

D.D. CONRADO VORSTIO

THOMAS ERPENIUS S.P.D.

QUod nihil haƈtenus ad te literarum dederim, Vir Clariſſime, id diuturna ſpe mea factum eſt, qua credidi fore, ut cum affini meo Hieronymo Bacherio, tui juxta mecum ſtudioſiſſimo, iſtuc excurrerem. Sed nova indies nata tum illi, tum mihi, negotia & impedimenta, inſtitutum haƈtenus noſtrum retardant. Speramus tamen etiamnum id æſtate hac eſſe futurum. Interim ut tui, & ſummæ humanitatis tuæ memorem me eſſe videas, accipe exemplar Novi Teſtamenti Arabici, nuper à me in lucem editi, mei erga te affectus qualecunque teſtimonium. Mittam συν Θεῷ (*cum Deo*) idem aliquando Latine, ex Arabico verſum, & illuſtratum, aliaque nonnulla, quæ haud ingrata tibi futura ſpero. Interim, oro te, librum hunc locum aliquem, vel infimum, in bibliotheca tua habere ſinas, me vero in eorum numero, quos raræ eruditionis tuæ ac pietatis admiratores, nominiſque tui ſtudioſiſſimos eſſe perſuaſum habes. Vale. Leidæ poſtrid. Cal. April. 1617.

Addo & Alphabetum Arabicum cum folio uno Hiſtoriæ Joſephi ex Alcorano. Reliqua cum excuſa erunt, operam quoque dabo ut habeas. Iterum Vale.

CCLXXXIII.

JOANNI SCHOTLERO

SIMON EPISCOPIUS.

REƈte mones, Frater Dilecte, in ea nos incidiſſe tempora, quæ ſuſpicionum feraciſſima ſunt. Neque enim ea amplius intra plebem & pullatam turbam ſtant, ſed principes etiam ac primarios viros tenent, ipſoſque adeo flamines & ſacrorum antiſtites, quos regia præceptoris ſui lex ab iis alieniſſimos reddere debebat.

Ep.283. bebat. Qua ex re tanto majus periculum imminet Christianæ Reip. quanto graviora sunt illa mala quæ caput, quam quæ corpus infestant. Sed gratulor mihi, quod videam non deesse, quibus hæc sæculi nostri mala displicent, quique iis quantum possunt obicem ponere adlaborant. Inter quos te esse etiam, mi Frater, gaudeo; idque maxime ob eam causam, quia exemplo tuo optime docere potes, ex una parte, quam facile innocentiæ labem ac maculam affricare improbitas, & ne prodatur, sese intra suspicionis latibulum abdere soleat: ex altera vero parte, quam difficile sit ejus cursum sistere, ubi credulitatis popularis pabulum semel nacta est. Quæ res facit ut æquiore animo feram meam, quæcunque est, calamitatem; & Socinianismi scilicet crimen, mihi jam dudum impactum, haud gravate sustineam; non ego tamen solus, sed mecum fere omnes quotquot moderationibus partibus favent, & secessiones factionesque quorundam fanaticorum hominum procul habent: Scilicet abunde factum putant nonnulli, si quolibet probri ac contumeliæ genere conspuantur ac conspurcentur ii, quos invisos sæculo reddere cupiunt: fidenter quidvis iis improperari posse, quia raro fit quin aliquid adhæreat quod eluere deinde non nisi, imo vix diuturna mora potest, expertus scis. Quanquam quo jure & merito id fiat, nunquam videre potuerim. Defendi nuper theses quasdam de discrimine V. & N. Fœderis, rudes profecto illas, & uti in exercitiis publicis quandoque solet, opera atque industria discipuli elaboratas: ecce suspicax animus protinus in iis litis materiam odoratus est, lineamenta erroris Sarmatici in iis apparere, etsi eas orthodoxe satis à me defensas & propugnatas idem diceret. Hinc illæ lachrymæ, hinc Socinianus audior. Quasi vero & contrarium non satis appareat ex thesibus, & si non appareret, anne ideo Socinianismum alicui impingere sufficeret? Certe non defuerunt omni ævo, etiam in antiquiore illo ad Augustinum usque, hodieque, qui ea de re varie arbitrati sunt: Et si in ejusmodi argumento libera non sunt Academiarum judicia, quis tandem servitutis & tyrannidis modus erit? Nihil eo de argumento definitum est in formulis consensus nostri, & nec præcise ad singula etiam minutissima, quæ in iis continentur, Professores in Academia obstringi æquum est. Ea est quorundam indoles, ut quicquid à propria & peculiari quorundam quos impensius amant opinione abhorret, protinus nescio cujus hæreleos macula infament & dehonestent, velutique Ecclesiarum sententiæ evertendæ idoneum respuant. Sed quid ego hac de re multis apud te ago, cum jam pridem testimonium DD. Curatorum ipsorum de hoc negotio exhibitum observo, quod Ravenspergero missum esse à te gaudeo & lætor. Alia quædam ejusdem commatis sunt quæ objiciuntur: videlicet quod D. Vorstii causam probaverim una cum reliquis collocutoribus nostris: Sed ut de hoc judicio nihil dicam, quod revera longe aliud fuit, eodem nomine accusent necesse est DD. Ordines ipsos, qui post latum illud judicium ad Professionem Theologiæ nihilominus me vocarunt. Deinde, quod phrasibus aliis, quam quas Ecclesia recepit, uti soleam, iisque non abhorrentibus à phrasibus Socini. Quasi vero hæresin faciant phrases, & non res; tyrannidemque Hispana saviorem non sapiat mancipare & alligare Academias non sensibus tantum, sed & formulis loquendi usitatis. Ego certe genio meo lito, & quod ille suppeditat sine arte profari soleo, nulli mortalium mancipatus ac serviliter adstrictus; utpote cui propositum semel stat clare & aperte omnia dicere, & vel jacturæ phrasium receptarum periculitatem orationis redimere. Denique quod de divinitate Filii Dei, de satisfactione, aliisque capitibus non agam in lectionibus meis. Sed aliud ego ad hoc argumentum non respondebo, quam quod Servator noster Pontifici Maximo dicebat, *Joan.* XVIII. 21. qui me audiunt, quid, & quomodo de iis controversiis dicam & docceam, testari de me optime possunt. Certe si me illi, qui ita de me loquuntur, docentem aliquoties audivissent cum in ista materia versarer, aliter sentirent. Fateor quidem me non curiose quærere & aucupari materiam differendi de controversiis illis; sed ubi ea offertur, ita me in ea versari audiunt, ut facile sententiam mutent si qui secus de me senciunt. Cæterum quod ex epistola Ravenspergeri citas, syncretismum pacis iniri posse cum Remonstrantibus illis, qui intra quinque articulos stant; id vero mihi admodum placet: dolendum est, quod isthæc ipsius sententia intra musæi septa contineatur justu Superiorum. Sed hæc sæculi fata sunt. Moderata omnia consilia displicent, & vastitiem aliarum omnium sententiarum volumus, inde pacem vocaturi. Pro carmine tuo gratias tibi habeo; pietatem illud & affectum Christianum spirat, quem si non ipsi tantum induceremus, sed aliis etiam sine odio aut gratia inculcaremus, melius res Christianorum se haberent. Nunc vero Christianismi gloria intra disceptationum & altercationum spatia stare cœpit, optimusque is habetur, qui disertissime de quinque quos vocant articulis in medium aliquid adferre potest: perinde ac si momenti aliquid habitura esset ejusmodi eruditio in illo die, cum judex supremus facta omnia nostra ad examen vocabit, & cuique secundum opera sua rependet. Vale dilecte Frater, &, quod facis, Ecclesiam Christi spiritu fortitudinis juvare perge cum collegis tuis, quos una tecum Deo & verbo gratiæ ipsius commendo. 11 Aprilis 1617. Leydæ.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

ORDINIBUS CONF. BELGII

REX MAGNÆ BRITANNIÆ.

HAuts & puiſſants Seigneurs, nos bons amis & alliez; Lors que premierement nous recogneuſmes le malheurs des ſchiſmes & hereſies, qui ſe gliſſoyent parmi vous, nous fuſmes tellement touchez du zele, que nous avons à l'Egliſe de Dieu, & de l'affection particuliere, que nous portons au bien de voſtre Eſtat, qu'incontinent nous tendiſmes la main, pour arreſter le cours de ce mal, & par nos lettres officieuſes vous feiſmes ſerieuſement entendre, quel eſtoit noſtre ſentiment, & apprehenſion d'iceluy, vous prians & exhortans d'adviſer ſoigneuſement, de ne laiſſer gaigner plus avant ceſte gangreine en voſtre corps, mais pluſtoſt d'eſtouffer la ſemence, avant qu'elle vint à pulluler; & depuis ayans ſceu, qu'aucuns de vos Miniſtres s'adonnoyent par curioſité, à preſcher le point de la predeſtination en leurs chairs, nous vous eſcriviſmes des ſecondes lettres ſur ce ſubject, vous remonſtrans le peu de fruict, qui provenoit de telles predications, leſquelles au lieu de l'edification ſolide, qu'elles debvoient adminiſtrer à voſtre peuple, ne ſervoyent qu'à chatouiller & alterer leurs eſprits, par les puntilles de ceſt argument, trop hault & obſcur pour la capacité du commun peuple. Mais depuis nagueres ayans eſté advertis, qu'au lieu du fruit, que nous attendions de nos bons offices & remonſtrances, l'erreur & le mal a faict de plus impreſſion parmi les voſtres, & que meſmes on veut faire ſervir nos lettres à l'authoriſer, les tirans en ſens & conſequence toute contraire à noſtre intention; nous nous ſommes tenus obligez, tant pour la gloire de Dieu, que pour la declaration & deſcharge de noſtre conſcience, de vous repreſenter derechef vivement par nos lettres le mal & danger imminent, dont voſtre Eſtat eſt menacé par les malheureuſes diviſions, leſquelles nous voyons preſtes à eſclorre en ſchiſme & faction formée parmi vous; qui ſont peſtes, d'autant plus dangereuſes & pernicieuſes à voſtre Eſtat, que ſon eſtabliſſement n'eſt encore qu'en ſon enfance, & que le fondement de ſa ſubſiſtence ne conſiſte qu'en voſtre union, premierement envers Dieu, puis auſſi entre vous meſmes; ceſt pourquoy Meſſieurs nous vous prions & conjurons au nom de ce Dieu, qui vous a juſqu'icy ſi heureuſement maintenuz, d'eſtouffer les erreurs & partialitez, que le Diable, par l'artifice de vos ennemis, à introduites, & desja tellement autoriſées parmi vous, que la ruine de voſtre Eſtat en eſt apparente & toute prochaine, ſi promptement vous n'y remediez, en vous attachant entierement, & tenant ferme la vraye & ancienne doctrine que vous avez touſiours profeſſée, & qui eſt aggreée & receuë par le conſentiment univerſel de toutes les Egliſes reformées, & dont la profeſſion commune a eſté comme le premier & principal fondement pour eſtablir, auſſi l'unique & ſolide ciment, qui a entretenu l'eſtroite amitié & intelligence, qui a regné depuis ſi long temps entre nos Couronnes & vos Provinces. Que ſi desja le mal ſe trouvoit ſi fort & ſi enraciné parmi voſtre peuple, qu'il ne peut eſtre ſi promptement & facilement arraché, nous vous prions au moins, d'en arreſter le danger, & de tenir par voſtre autorité les choſes en paix, ſans permettre, que ceux de la vraye & ancienne profeſſion ſoyent inquietez, juſques à ce que vous puiſſiez d'un commun advis convoquer un Synode National, pour decider & mettre fin à ces malheureux differens, qui eſt, à noſtre jugement, le meilleur conſeil & reſolution que vous puiſſiez prendre en ce cas la, comme eſtant le remede ordinaire, & le moyen le plus legitime & efficacieux, auquel de tout temps on a eu recours en la Chreſtienté, ſur l'occurrence de tels accidents; & nous ne doubtons pas, qu'apportans en cela l'affection & diſpoſition requiſe entre vous, Dieu n'en beniſſe le ſuccez à l'advancement de ſa gloire, & à la manutention & affermiſſement de voſtre Eſtat; ainſi nous prions Dieu, Hauts & Puiſſants Seigneurs, nos bons amis & alliez, de vous tenir en ſa ſaincte & digne garde. De noſtre Cour à Himzingbrooke le 20 jour de Mars 1616.

Recepta 22 Apl. 1617.

Voſtre bon amy & allié

JAQUES REX.

CCLXXXV.

MARCO ANTONIO DE DOMINIS

Archiepiſcopo Spalatenſi

JACOBUS REX.

REverendiſſime Domine Archiepiſcope: Accepimus non ita pridem ab Amplitudine veſtra binas ſimul epiſtolas, quarum una dedicatoria, altera vero declaratoria erat, utraque pietatis & officii erga nos pleniſſima: quas gratiores nobis fuiſſe ut intelligas, reſpondimus in hoc tempore, in quo negotiorum numero & pondere opprimimur pene & obruimur. Liceat nobis ibi exordiri, ubi deſinit Amplitudo veſtra, & in initio noſtrarum tibi concedere, quod tu in fine tuarum obnixe poſtulaſti. Petiiſti nempe autorem ut amplecteremur, opus ipſum ut in tutelam ſuſciperemus: de ratione dedicationis ut ſententiam diceremus. Autorem nos obviis ulnis amplectimur, & certe dignus eſt qui à nobis colatur. Qui patriam, qui amicos, qui cuncta quæ car-

si

Ep. 285. ni chara esse solent pro Christo Domino reliquit, nonne merito ille dignissimus habeatur ut à Christo Domino unice adametur? In te vero hoc inter nos & illum, qui pro Christi vicario se in terris gerit, discriminis cerni cupimus: ille quo magis Euangelii luci, conscientiæ stimulo, spiritus impulsui obsecundare conaris, eo insulsius & insolentius in te insurgit: Nos vero, quo ardentius, quo industrius illos sequeris duces, eo majori gratia & favore te prosequendum putamus; & quo ille densius in te fulminabit, eo mollius & melius te à nobis tractari convenit. Nec est quod hujus in te animi nos pœniteat; cum acerrimi tui hostes nihil hactenus in tuis moribus invenire potuerint, unde vel te de vita tua anteacta, vel nos de præsenti aut futura gratia pudefiat. Operis patrocinium in nos lubentissime suscipimus; nec majorem tibi honorem ex tanti operis patrocinio, quam nobis gloriam ex tali dedicatione succrescere posse putamus: victurum enim illud opus, multis adhuc in tenebris ambulantibus scimus lucem non obscuram præbiturum, quibus multo facilius erit lumina sua de lumine tuo accendere, quam tibi fuit talem splendorem è tantis tenebris educere. Cum enim viderint adversarii, quibus fundamentis opus illud nitatur, quali nube testium firmetur, discessum tuum ab eorum cœtu temere susceptum non dixerint: nec consilium tuum de loci mutatione facile improbaverint, qui veritatem ipsam facilius non respuunt. Sed ut S. Petri simulatio multos ad eandem simulationem pene attraxerat; sic confidimus futurum, ut sincerum hoc veritatis in te studium multo plures tuo exemplo ad eandem sinceritatem alliciat. Consilium tuum de ratione dedicationis apprime probamus; nempe ut exemplaria illa, quæ in nostris ditionibus sunt mansura, nomen nostrum (si placeat) in fronte gerant; secus vero exemplaria illa quæ transmarinas partes sunt invisura. Rationem ipse tetigisti; plus enim odii apud veritatis osores ex nominis nostri specie, quam ex rei ipsius veritate tibi cumulabis: Ita enim beavit nos Servator noster, ut qui veritatem non amant, pariter & nos oderint. Nec est, opinor, in terris (absit invidia verbo) non modo non Rex, sed ne infimæ conditionis homunculus, qui talem sustinuit pro Christo contradictionem. Incipimus denique jam tandem, ut exoptas, reditum nostrum ad vos maturare; quem eo feliciorem futurum spondemus, quo ardentiores pro nobis preces effuderis; & sicuti tibi placuit celeriorem nobis reditum ex itinere exoptare; sic vicissim tardiorem tibi exitum ex vitæ curriculo comprecamur, ut ingens hoc & egregium opus tuum pari facilitate perfectum videant oculi tui, qua inceptum cernunt alieni. Vale dignissime Archiepiscope: Deus Opt. Max. te diutissime servet incolumem. Sterlino. 3 Julii 1617.

CCLXXXVI.

ABR. VAN DER MIL.

Viro Amplissimo

HUGONI GROTIO S.P.

De compescendis religionis dissidiis.

DExter minus, Vir Amplissime, nobis fuit Mercurius viarum index. Ego hac via, tu alia, ad nos invicem, eodem prorsus momento tetendimus: tu ad ædes meas, ego ad diversorium tuum, ambo frustra accessimus. Imposuit mihi, quod primo adventu hospita tua putaret, non discessurum te intra horam. Cui confisus, dum me intra semi horam rursus ad te recipio, frustrato eventu, Amplitudinis tuæ conventu colloquioque ægre spoliatus sum. Succensui scævo casui. Jamdudum enim animus mihi tui conveniendi colloquique tecum commutandi avet: cujus commoda occasio hucusque mihi invito non contigit. Quam voluissem audire ex te aliquid bonæ spei, de finiendis tristibus hisce & indignis Hollandiæ nostræ Ecclesiarumque dissidiis! Quam sani aliquid fidique consilii eo serviens! Adferat sapientissimus atque Opt. Max. Deus auxiliares manus! adferant patriæ Patres, adferant gregis Christi Pastores! prout utrisque hæc cura, suo cuique modo, est imposita; & ratio ejus adhibitæ à Deo est postulanda. Colloca & tu, Vir Amplissime, huc opulentum tuum talentum. Oremus omnes & meditemur illud Petri, in hac Hollandiæ nostræ tempestate; Κύριε σῶσον ἡμᾶς ἀπολλύμεθα. (*Domine servanos, perimus.*) Unum aut alterum puto adhuc consilium reliquum, quo res propemodum deplorata, possit restitui. Sed non audiendum solum, aut cognoscendum, sed serio adhibendum esset. De quo optarem paulo tecum conferre prolixius & familiarius. Ac si scirem, quando te Roterodami possem reperire, non facerem, quin hac de causa ad te properarem. Si etiam ejus aliquid forte Amplitudo tua habet, quod mecum communicare voluit, aut etiamnum volet, quam libentissime fieri id vellem. Statui quidem hac æstate Hagam semel adhuc excurrere, sed nescio id integrum quando fiet. Tum non committam, quin, Deo dante, te compellem & videam. Vale vir Amplissime, Deoque commendatissimus vive. Dordr. CIↃ IↃC XVII. IV. Jul.

Digitized by Google

CCLXXXVII.

G. M. LINGELSHEMIUS
HUGONI GROTIO S.P.

De libro Grotii de Imp. summarum potest. circa sacra.

AMpliſſime vir: Literas tuas una cum opere tuo de jure ſummarum poteſtatum circa Sacra, rectè accepi, ac avide perlegi, Domino Brederodio, qui faſciculum tuum tradiderat, legendum dedi, inde ad Pareum detuli, qui ſcripto ſententiam ſuam explicavit, quod hic habes ſua manu ſignatum: eidem tradidi quoque reſponſum ad Epiſtolam Walachrenſium, quam mihi faſſus eſt, ad ſe miſſam fuiſſe; habes ad eam quoque quid reponat. Vides præoccupatos animos, atque utinam malis veſtris remedium adferri poſſet, antequàm ad publicam perniciem ruant! Mihi longe gratiſſimum fuit cognoſcere ex ſcripto tuo, multa acerrimo judicio excogitata; liber eſt refertus exacta doctrina, ac multa noviter explicata magno judicio. Sic perge bene mereri de re publica. Jam librum tuum habet ſub manibus Scultetus noſter, à quo obtinebo quoque cenſuram ſuam, quam etiam ad te mittam. Intereſt ut horum judicia habeas, tu deinde tuo uteris, & facies ut quamprimum lucem videat. Utinam & animus tibi eſſet, hiſtoriam tuam publico non invidere! tolle moras. Nulla ne ſpes eſt, ut etiam fruamur Parallelis tuis? quæ ſumma cum voluptate olim apud vos in parte legi. Nihil optatius mihi contingere poſſet. Senator Montonæus orator Sabaudi apud nos auxilia urget, & obtinebit aliquid; quamvis confœderati noſtri lente nimis agant. Det Deus Eccleſiis veſtris pacem, & tibi vires ad avertenda mala quæ imminent. Vale vir & amice præſtantiſſime. Heidelbergæ. 1x Aug. 1617.

Tuus omni ſtudio & cultu

G. M. LINGELSHEMIUS.

CCLXXXVIII.

JOANNES OVERALLUS
HUGONI GROTIO S.P.

De diſſidio Belgico.

CLariſſime Domine: Redditæ mihi ſunt literæ tuæ, cum libro de Imperio ſummarum poteſtatum in ſacra, & exemplari libri Thomſoniani; de quibus ſingulis tibi gratias ago; de libro tuo potiſſimum, quem ſtatim raptim percurri, non minore delectatione quam aviditate. Sed quantum gaudii ex libro tuo, tantum doloris ex literis percepi, quibus controverſias veſtras de prædeſtinatione recruduiſſe, perque inſanas calidorum hominum molitiones in ſchiſma paſſim erupiſſe intellexi, quaſi ſcilicet in illis ſcitis Theologicæ diſquiſitionis ſita eſſet ipſa ſalus fidei Catholicæ. Narrabo tibi hac de re, quid initio hujus anni dicere mihi & audire contigerit. Aderam forte Sereniſſimo Regi noſtro in poſtremis Feſtis Natalitiis Chriſti Servatoris, cum quæreret ex me de Archiepiſcopo Spalatino, qui paulo ante ad nos venerat, num quos cum illo de rebus Theologicis ſermones habuiſſem? ubi cum reſpondiſſem habuiſſe me aliquos, & in his me quandam ejus ſententiam valde probare, quam ille de veſtris controverſiis de prædeſtinatione, dum per vos tranſiret, interrogatus reſponderat; non illas ſibi videri res fidei Catholicæ, ſed diſputationis Theologicæ; ideoque non eſſe permittendum, ut concionatores hiſce de rebus, publicis & adverſis concionibus ad diſtractionem plebis inter ſe contenderent; ſed potius privatis colloquiis doctorum, ex liquidis S. Scripturæ & antiquitatis teſtimoniis, eaſdem componerent. Subjecit Sereniſſimus Rex; ſe ejuſdem eſſe ſententiæ, viderique ſibi temerarium, de hujuſcemodi quæſtionibus divinæ prædeſtinationis tam ſcrupuloſe homines contendere, tamque confidenter aſſerere, quaſi cœlis delapſi divinis conſiliis interfuiſſent; quam graviſſimam Sereniſſimi Regis ſententiam Epiſcopi qui aderant comprobarunt. Atque obiter hæc hactenus. Quam brevi remitti tibi librum velis cupio cognoſcere. Epiſcopus Elienſis in Scotia eſt cum Sereniſſimo Rege, reverſurus ad Michaëlis, ſive menſe Septembri. Deum precor ut turbas veſtras ſedet, & laboribus tuis benedicat. Londini Junii 20. 1617.

Tui ſtudioſiſſimus

J. OVERALLUS.
Coventrenſis & Lichtfeldenſis.

Ep. 289.

CCLXXXIX.

JOANNI OVERALLO
Epiſcopo Coventrenſi & Lichfeldenſi,

HUGO GROTIUS S.P.

De diſſidio Belgico.

REverendiſſime Domine ac Pater: Exoſculatus ſum aliquoties literas, ex quibus & te vivere, & mei memorem eſſe intelligo. Tomſonianum librum pervelim edi emendatius, ita enim meretur & argumentum, & in argumento authoris induſtria. Meam de Imperio ſummarum Poteſtatum diatribam velim & legas diligenter, & iis, quorum judicio aliquid tribuis, tradas legendum, ſerveſque donec redibit Elienſis ..... ac deinde collecta omnium judicia, ſi impetrari id poteſt, cum libro ad me redeant. Controverſias de Prædeſtinatione magis magiſque in ſchiſma erumpere, eſt ſane, ut ſcribis, & dolendum & iniquum. Atque Sereniſſimi Regis, id vel maxi-

Digitized by Google

Ep. 290. maxime, ut scio, tuque nuntias, improbantis autoritas obtenditur. Quasi postremis ad Ordines Epistolis pullulare hæreses cum dicit, eo animo complectatur sententias à Calvino dissidentium. Mitto pietati tuæ librum, qui Epistolas duas complectitur; alterum Walachrorum, qui Calvinum ferme sequuntur; alteram Remonstrantium, qui ad Melanchthonem accedunt propius. Ex eo libro promtissimum erit omnem controversiæ statum intelligere. Rogo advertas animum, si res tuæ permittunt; & qua potes, veritati pacique ne desis. Ego Deum precabor, ut te, tuique similes, bono sanctæ suæ Ecclesiæ diu servet. Vale mi Pater. IX. Julii 1617. juxta Calendarium novum. Roterodami.

Tuæ pietatis Reverentissimus

H. GROTIUS.

CCXC.

JOANNES OVERALLUS HUGONI GROTIO.

Salutem in Christo.

Epistolas. ACcepi literas tuas, Clarissime Domine, cum responso Remonstrantium ad epistolam Walachrorum, legique libenter; & miror doleoque esse tam multos, qui sententiam tam moderatam, tam piam & doctam, ferre non possint; ita Parcarum tabulæ valuerunt. Ego hodie diœcesim meam peto, in occursum Serenissimi Regis, per eam è Scotio redeuntis; qui abiens in mandatis mihi dedit, ut illi reduci ad Coventriam adessem, zelotarum quorundam causa, qui in illa urbe morem Ecclesiæ nostræ, sacramentum corporis & sanguinis Christi de geniculis accipiendi, oppugnant, aut eum saltem colere & custodire recusant. Ubi, si Eliensis in comitatu regio fuerit, tradam illi librum tuum de Imperio summarum potestatum circa sacra, uti rogas; sin prius à Regis comitatu in suam diœcesim diverterit, remittam Londinum ad ædes ejus, quam primum illuc redierit. Tu recte feceris, si literas ad eum eo nomine perscripseris; interea dum ad urbem rediero, quod ineunte Octobri, Deo volente, facturus sum, & te, præstantissime Groti, & causam vestram Deo Opt. Max. commendabo precibus meis, nec alias verbis factisque defuturus sum, si eam quocunque modo promovere potuero. Vale. Idibus Augusti 1617.

Tui studiosissimus

J. OVERALLUS,

Coventrensis & Lichfeldensis.

CCXCI.

Ordinibus Provinciarum Confœderatarum

MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS

Archiepiscopus Spalatensis. S. P.

Obtenta libertas, & dissidentes Belgicos componendi. ILlustrissimi Domini, Domini colendissimi: Eximia vestra pietas ardensque zelus perpurgandæ Religionis, quemadmodum Deo grata sunt & acceptissima, cujus admirabilis dextera semper vobiscum fuerit, vosque non absque ingenti miraculo ab oppressionibus & corporum & animarum liberaverit; ita animum meum jam diu, etiam dum in Babylone essem, erga vos effecerunt propensissimum. Hujus meæ erga vos omnes propensionis, hujus sinceri affectus testandi nulla se mihi unquam obtulit occasio, nulla data est opportunitas. Nunc tandem, ubi prima laborum meorum pars, quos à multis annis in eadem sanctæ Ecclesiæ libertate ingenio tantum & calamo asserenda perfero, prodit in lucem, hanc ego avide arripui occasionem vos omnes ex animo salutandi, oblationeque libri mei obsequia simul mea omnia vobis exhibendi. Rogo itaque ac obsecro vos, Dominos meos illustrissimos, dignemini in libro animum meum, consilinque saltem ex parte mea agnoscere, & simul cum libro me quoque amplecti, vestraque gratia dignum efficere. Istæ in vestris provinciis fœdæ dissensiones in causa religionis summo me afficiunt dolore; angor hinc plurimum, quod ex levi causa tantum schisma invalescat. Vere inimicus homo superseminavit zizania. Doleo me in hoc primo volumine ea, quæ ad vestras istas dissensiones spectant, nondum pertractare, in altero proximo volumine, ut spero, tractabuntur: Interim summis à Deo precibus contendam, ut ille imperet ventis & mari, & faciat tranquillitatem; sed & meam, si quid prodesse potiet, opellam non negabo. Si huc dissensionum & controversiarum capita pervenerint (æquum enim esset omnium Ecclesiarum Reformatarum consilia exquirere) pro mea virili ipse quoque meum minutum in publicum conferre gazophylacium non renuam. Omnia vobis fælicia ex animo precor. Valete.

Lond. die 17 Aug. Stylo vet. 1617.

Illustr. DD. meorum ad obsequia paratus

MARC. ANT. de DOM,

Archiepiscopus Spalatensis.

Digitized by Google

CCXCII.

JOANNES OVERALLUS
HUGONI GROTIO S.P.

De libro Grotii de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra.

CLariſſime Domine: Tradidi librum tuum, de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, legendum D. Epiſcopo Elienſi, calendis hujus menſis Septembris, Coventriæ, ubi, Rege eo veniente, convenimus. Reſpondit ille, ſe non poſſe pro eo, quo apud Regem eſt, loco, librum hujuſce argumenti legere, quin eundem Sereniſſimo Regi oſtendat; id an tu probare velis aut permittere, cupere ſe prius, quam lectionem aggrediatur, à te certiorem fieri: cum dixiſſem, me non noſſe quidem, ſed tamen probabiliter putare, te iſthoc, ſi ita ſibi viſum fuerit, non improbaturum; ſubjunxit ſe literas tuas hac de re velle exſpectare; ne ſi forte Rex, quod in quodam Joannis Wtenbogarti libro fecerat, editionem non probaret, ſibi hoc vitio verteretur: cum adderem, me non dubitare, quin facile Sereniſſimo Regi probaretur, quod pro imperio ſummarum poteſtatum tam docte præſertim ſcriptum eſſet; ſubjecit, Sereniſſimum Regem, nec ſibi ſumere, nec in aliis poteſtatibus laïcis probare, ut ipſi per ſe de rebus ſacris aut divinis, præcipue Catholicæ fidei, judicium ferant; id eos potius delectis ad hoc certis eruditis Theologis aliiſque doctis in his rebus viris debere committere, quorum ſententiam exploratam probatamque ſola ſua demum autoritate confirment. Adjeci denique, librum tuum hac de re non multo ſecus diſputare: aut ſi quid diſcriminis eſſet, gratum tibi fore id ab eo intelligere, quod ipſi aut Sereniſſimo Regi minus probaretur: hoc enim ſine tuum te librum illi legendum miſiſſe. Hæc ſumma eſt illius ſermonis qui cum Elienſi tum mihi interceſſit: nec plus licuit Rege abitum accelerante, Elienſi Regem comitante, me ad viſitandam dioeceſim meam divertente; quod nunc quamprimum Londinum reverſus ſum tibi ſignificandum putavi, ut hac in re mentem tuam eidem literis ſcriptis aperias, ne forte ejuſdem ignoratio lectionem prædictam longius moretur. Mentio ſupra facta per Elienſem ſcripti Wtenbogarti me monet te rogare, quia nihil illius niſi commune ſcriptum Remonſtrantium videre contigit, ut ſi quid aliud ipſe Latine ſcripſerit, certiorem me velis facere. Credo pauca eſſe in libro tuo, quæ Elienſi aliiſque ex doctioribus noſtrum non probentur, niſi forte in illis hæreant, quæ judicium de rebus fidei definitivum laïcis poteſtatibus tribuere, & poteſtatem ac juriſdictionem veram paſtorum Eccleſiæ negare, & Epiſcopatum in non neceſſariis ponere videntur. Tenent enim noſtri, judicium de rebus fidei definiendi, Synodis Epiſcoporum aliorumque doctorum miniſtrorum Eccleſiæ, ad Epiſcoporum hoc delectorum & convocatorum, deferendum eſſe ſecundum conſuetudinem veteris Eccleſiæ, ex Sacris Literis, per conſenſum veteris Eccleſiæ, non privatum ſpiritum Neotericorum explicatis, terminandum. Tenent, Presbyteros Eccleſiæ veram habere poteſtatem, etſi miniſterialem, ſolvendi & retinendi peccata, (clave non errante) non tantum declarandi ſoluta aut retenta eſſe; ut & veteres ex majore parte judicarunt, & poteſtatem Eccleſiaſticam excommunicandi veram juriſdictionem eſſe, licet ſolo verbo non poena corporali exercitam: tenent Epiſcopatum eſſe juris divini, ſicut presbyteratum & diaconatum, nec poſſe miniſteria Eccleſiaſtica ſine πρωτοκαθεδρία (*præeminentia*) & certo regiminis ordine, quod res eſt Epiſcopalis officii, unitatem Eccleſiaſticam conſervare; de re enim Epiſcopatus antiqui, non modo Epiſcopatus moderni loquuntur, ubi Epiſcopus per ſe aut ſuos officiales, ſine conſenſu aut conſilio Presbyterii ſui, omnes partes Eccleſiaſticæ juriſdictionis exercet expeditque. Notum eſt enim antiquitus, nihil majoris momenti aut Epiſcopum ſine conſilio ſui Presbyterii, aut Presbyteros ſine Epiſcopo feciſſe; donec multitudo canonum & legum minorem locum reliquit conſilio ſacerdotum, & ad rem facti magis explorandi, quam juris conſulendi dicendique noſtram juriſdictionem redegit. Sed habent etiam Presbyteria recentia ſuos quoque προεστῶτας (*præſides ſeu præfectos*) aut ſuperintendentes, id eſt, aliquam, etſi temporariam, veteris Eccleſiæ imaginem. Cum certa deſino. Te tuoſque & veſtra divinæ benedictioni in Chriſto Jeſu precibus commendo. Vale.

Londini, prope Eccleſiam Belgarum (fratrum quorundam Auguſtaniorum) Septemb. 29. 1617.

Tuus totus

J. OVERALLUS

Coventrenſis & Lichfeldenſis.

CCXCIII.

JOANNI OVERALLO
Epiſcopo Coventrenſi & Lichfeldenſi

HUGO GROTIUS S.P.

Reſponſio ad præcedentem epiſtolam.

REverendiſſime Domine: Ex literis quas XXV. Septembris ad me dare R. T. D. placuit, video nondum in manus tuas id temporis veniſſe quæ contra Socinum diſputavimus. Quare proximis literis judicium ſuper iis tuum exſpectabimus, emendaturi editione quæ nunc paratur, quicquid ex te non ſatis recte poſitum didicero. Ad Reverendum *Lanceloti Andrewi, poſtea Wintoniſi Epiſcopi.* Epiſcopum Elienſem ſcribo: rogo ut librum de jure imperii legat & emendet, conſcio etiam Rege.

Ep.293. Rege. Sane multæ ſunt cauſæ cur id argumentum tractari debeat, tum ne ſententia mea ſequaris quam ſe habet accipiatur, tum ut ſeditioſis hominibus occurratur, quorum magna apud nos eſt ſeges, qui tumultui ac violentiæ religionis nomen imponunt. Commendavi & Spalatenſi & Elienſi ſtatum Eccleſiæ & reipublicæ noſtræ, cui ad cætera mala acceſſit, quod oratione nuper habita à Regio Legato, atque ita ipſius etiam Regis auctoritate, premitur hic melior de gratia ac arbitrio ſententia, ſimulque promovetur ſchiſma exempli peſſimi. Obſecro vos omnes, quantum fieri poteſt, veritati tuendæ & unitati ſarciendæ detis operam: quam ad rem uſui vobis eſſe poterit qui has fert literas, vir clariſſimus Petrus Hoofdius, optimo natus genere, literis ſupra modum excultus, teſtis oculatus eorum quæ apud nos ſub pietatis titulo prave atque pernicioſe geruntur. Quod de Utenbogardo quæris, nihil ille Latine unquam edidit: Belgice nonnulla, in quibus eſt liber haud magnus ejuſdem, quod à me tractatum eſt, argumenti. Ejus libri interpretationem Latinam Rev. Epiſcopo Elienſi tranſmiſſam memini: cæterum Remonſtrantium ſententiæ ſi quis argumenta ac rationes propius noſſe deſideret, ei legenda ſunt examen Perkinſianum Arminii, ejuſdem collatio cum Franciſco Junio: Johannis Arnoldi Corvini reſponſio ad libellum Tileni: item ad notata Bogermanni: deinde Nicolai Grevinchovii diſſertatio adverſus Ameſium. Si qua horum ad manus tuas non pervenerunt, ut habeas curabo. Ad eas partes libri noſtri de ſummarum poteſtatum jure quod attinet, in quibus hæſitaturum exiſtimas Rev. Elienſem, alioſque in Anglia viros eruditos, paratus ſum audire eorum ſententias, & meliora docentibus cedere. Cæterum judicia Synodica, aut etiam quæ extra Synodos à viris piis atque eruditis petuntur, in libro noſtro oſtenduntur maximi facienda. Neque certiorem eſſe viam ullam diſcendi dogmatum veritatem. Sed ſicut poſt judicium Eccleſiæ ſinguli de fide ſua judicant (ut enim Rex ait, unuſquiſque ſuper propria ſcientia fidei fundamentum debet collocare) ita & Reges ad ea agenda quæ non poſſunt agere niſi Reges. Hoc judicium ἐσχατον (*ultimum judicium*) non incommode in ſcripto quodam vocavit ὁ μακαρίτης (*beatæ memoriæ*) Caſaubonus. Optime Epiſcopus Elienſis, non debere Regem ita ab alieno ore pendere, ut ipſe à ſe nihil dijudicet. Et Biſſonus non minus recte requirit, ut judicium præcedat uſum gladii. Similia apud Paræum alioſque leguntur plurima. Et apud nos, qui maxime jactant nomen Eccleſiæ, conſenſum ferociſſime repudiant. Presbyteros remittere peccata, id eſt, remiſſa declarare, cum Magiſtro ſententiarum expoſui, cum quo conſentire video Proteſtantium pleroſque. Neque tamen nego, alio etiam modo miniſterialiter remittere, quatenus actione ſacerdotali ac paſtorali aut Deum movent ad remittendum, Ep.294 aut hominem ad accipiendam remiſſionem diſponunt. Recte etiam à Lombardo adjectum, remitti inſuper à paſtore peccata, quoad pœnas ſatisfactorias, & quoad excommunicationem. Si quid his ſuperaddendum ſit in honorem Presbyteralis muneris, de eo monitus libenter ſupplebo quod deërit: ita tamen, ut, ſi fieri poteſt, libenter manſurus ſim intra ea de quibus Proteſtantes conſentiunt. Juriſdictionis vocem uſurpavi ex juris civilis conſuetudine, ita ut includat τὸ ἀναγκαστικὸν: (*poteſtatem cogendi*:) quam ob rationem etiam eam notionem, quæ Epiſcopis jure poſitivo attributa eſt, maluerunt Imperatores audientiam quam juriſdictionem appellare. Neque tamen inficias eo, in poteſtate excommunicandi eſſe aliquid juriſdictioni ἀνάλογον, (*proportione reſpondens*) quod eadem etiam voce, latius paulo & extra uſum veteris Romani ſermonis ſumta, recte indicetur. Epiſcopatus vocem ſumſi eo ſignificatu, ut προστασίαν (*præfecturam*) indicet, non temporariam, ſed perpetuam: hanc defendo, juris eſſe divini approbantis & ſuadentis, non tamen univerſaliter imperantis: cæterum προστασίαν (*præfecturam*) ſumtam abſtracte, citra conſiderationem durationis, eſſe juris divini, etiam imperantis, oſtendi ab ipſo Beza agnoſci. Hæc ſi recte expendantur, ſpero haud multum fore controverſi: & ſi quid eſt tale, parebo meliora monſtrantibus. Domino Jeſu ſummo paſtori R. T. D. unice commendo. Idem noſtris tempeſtatibus ſerenet. Hagæ Comitatenſi. 1617.

T. R. D. addictiſſimus

H. GROTIUS.

CCXCIV.

MARCO ANTONIO DE DOMINIS,

Archiepiſcopo Spalatenſi,

HUGO GROTIUS S.P.

De diſſidiis Belgicis compoſitis.

REverendiſſime Domine: Quanquam non ea mihi felicitas contigit, ut propius noſci à Reverendiſſima tua Dominatione meruerim, ut cui poſt communem Roterodami cænulam & breve colloquium præſentia tui vultus haud ultra frui ſit datum; relictumque duntaxat amplecti eam quam penitus animo impreſſam habes humaniſſimæ tuæ gravitatis imaginem, certioremque tui effigiem, libros quos Eccleſiæ impendiſti; urget me tamen patriæ ſtatus, ut ſepoſita verecundiæ lege tempora tua audacius interpellem. Rogo igitur, perſuaſiſſimum tibi habeas, & libros eos, quibus verum Eccleſiæ regimen ex ſacrarum Literarum fonte per ſanctæ vetuſtatis rivulos deducis, optimo cuique gratiſſimos eſſe, & ſingulariter placuiſſe epiſtolam, quam ad Proceres

Ep.294. ceres noſtros dignatus es ſcribere. Cujus quidem cum omnes partes certa pietatis immotæ indicia præferant, tum illa præſertim, qua ſcſſuram Eccleſiæ ob calentes de Prædeſtinatione controverſias Epiſcopali libertate improbas, & fraterna charitate remedium monſtras, operamque offers. Quis non doleat, in tot partes lacerata Chriſtianitate, quæ manſerint vincula adhuc abrumpi, idque non ob res fidei, ſed ob Theologicas quæſtiones, & ab his quidem, qui ſententias mordicus tuentur antiquæ Eccleſiæ inauditas, decreta pœnalia abſoluta ante præſcientiam culpæ, operationes gratiæ tales quæ liberi arbitrii naturam evertant, ſtatum juſtificationis conſiſtentem cum peccatis capitalibus? Nimirum hæc qui probare non poteſt, anathema debet pronuntiari, eo nomine deferendi cœtus priſtini, novi conventus inchoandi, & occupatis ſuffragiis feſtinanda Synodus talis, in qua diſcrepans ſententia non poſſit non triumphare. Acceſſit his malis hoc inſuper, quod vir illuſtris Carletonus, Regius apud nos legatus, virtutum tuarum, quod gaudeo, æquus æſtimator, oratione in hoc ipſum compoſita in eos qui Remonſtrantes hic dicuntur, hoc eſt, qui molliorem ſequuntur ſententiam, ita inclementer invectus eſt, ut vix quicquam dici poſſet hoſtilius. Ita præter domeſticæ auctoritatis pondera ſatis gravia, etiam Regio nomine præmitur pars illa, quæ haud dubiè cum veteri Eccleſia ſentit. Atqui ſcimus Majeſtatem ſapientiſſimi Regis editis libris profeſſam, pauca eſſe fidei capita ad ſalutem neceſſaria, quibus rectè poſitis ob diſſenſum in cæteris non dividendam Eccleſiæ unitatem: ut jam taceam, rigidiora quæ hic propugnantur dogmata eruditiſſimo cuique in ipſa Anglia non probari. Quam triſte igitur eſt, hac de cauſa dulciſſimam Eccleſiæ concordiam divelli, ipſam quoque rempublicam, illam quam tantis conatibus tantus hoſtis opprimere non potuit, inteſtinis diſſidiis in maximum diſcrimen adduci. Utinam is, cujus in manu ſunt corda Regum, ſereniſſimi Regis animum inflecteret, ut miſſis viris idoneis ad diſceptandas hujus generis controverſias, rerum noſtrarum ſtatum certius exploraret! cognito malo facile aptiſſima remedia inventurus. Nunc enim

Pellitur è medio ſapientia; vi geritur res.

Interea cum iret in Angliam Petrus Hoofdius, digniſſimus qui à R. T. D. aliiſque veræ virtutis amantibus noſcatur, quique has fert literas, monendam D. T. cenſui, virum eſſe claro ortu, cujus propinqui partim antehac de patria optime ſint meriti, partim nunc quoque in urbe Amſtelodamenſi Magiſtratum gerant, omnes veræ pietatis & pacis Eccleſiaſticæ publicæque amantiſſimi; ipſe vero avito honori atque opulentiæ magnum decus addidit literas omnis generis, etiam per varia itinera multo rerum uſu imbutus. Hic R.T.D. aliiſque ſcire cupientibus, ex vero referet morbi noſtri originem atque progreſſum, hoc præ- Ep.295.
pue nomine in Angliam profectus, ut ſi qua poteſt ſuccurrat patriæ laboranti. Non noſtra tantum, ſed & Regiæ Majeſtatis intereſſet, certiſſimam rerum hiſtoriam ex ipſo coram intelligere. Scripſi de eo etiam Epiſcopis Elienſi & Coventrenſi. Dominus Jeſus reverendiſſimæ tuæ Dominationi vitam longævam, proſperam valetudinem, & fructuoſos labores largiatur. Hagæ Comitatenſi. 1617.

Tuæ Rev. Dominationis devotiſſimus cultor

H. GROTIUS.

CCXCV.

JOANNES OVERALLUS
HUGONI GROTIO S.P.

CLariſſime Domine, mihique multis nomi- *Exhibet hic*
nibus chariſſime; Redeunte jam ad vos viro Clariſſimo D. Petro Hoofdio, & doleo amiſſurus ſuaviſſimam viri optimi & doctiſſimi & humaniſſimi præſentis conſuetudinem, & ſimul gaudeo ex parte, certior ex ejus relatione factus, affulgentis jam apud vos majoris concordiæ & tolerantiæ Chriſtianæ. Apud nos vero eſſe qui veſtræ parti adeo infenſi ſint, non poſſum ſatis mirari, cum adverſus Pontificios jam olim confeſſum ſit, ut ex apologia Juelli publice apud nos probata ſatis liquet, iſtas Proteſtantium diſſenſiones non de principiis, fundamentis, aut capitibus religionis noſtræ eſſe, ſed de rebus ac quæſtionibus levioribus. Audio tractatum quendam Epiſcopi nunc Sarisburienſis, Fratris Archiepiſcopi Cantuarienſis, modo ſub prælo eſſe, contra Arminianos & diatribam Thomſoni; nec multum miror, cum Perkinſium cum ſuo reformato Catholico prius defenderit. Utinam res theologicas & quæſtiones de fide Chriſtiana, non ex ſtudiis partium & privatis opinionibus aut affectibus, ſed ex certo verbo Dei & conſenſu veteris Eccleſiæ tractaremus & definiremus! majorem ſpem concordiæ ſimul & veritatis Euangelicæ teneremus. Cæterum quod ad tuos libros attinet, Clariſſime Domine, magnum certe & Juriſperitum, & Theologum & Politicum te præſtitiſti. Defenſionem tuam fidei Catholicæ de Chriſti pro nobis ſatisfactione adverſus Socinum, non poſſum non plurimum probare & laudare. Quæſivit à me Dominus Hoofdius aliquid de hujuſmodi ſatisfactionis & redemptionis noſtræ neceſſitate, de quo nos in ſententia Auguſtini acquieſcimus, non defuiſſe Deo pro ſua omnipotentia & ſapientia alios modos poſſibiles, ſed hunc convenientiſſimum eſſe viſum. Si quæ alia occurrant in libro tuo doctiſſimo monenda, quid mihi videatur, aliis literis explicabo. Nondum recipere aut recuperare doctiſſimam tuam diſſertationem, de jure ſummarum poteſtatum

in

Ep.296. in ſacra, à Reverendo Elienſi potui, non ſatis otii ad hoc, ut videtur, ad ſingula perlegenda & æſtimanda nacto. Significavit tantum, ſe putare, te nimium politicæ poteſtati, in ſacris & Eccleſiaſticis rebus, deferre, quæ per Eccleſiaſticas perſonas, Epiſcopos & Presbyteros, tranſigi ſolent & debent. Sed forte latius ſe poſthac explicabit. Ego appellabo, ut occaſio dabitur; atque interea te tuaque ac veſtrorum ſtudia Deo optimo maximo & in Chriſto Patri pro Eccleſiis commendabo. Vale.

Tuus totus in Chriſto

J. OVERALLUS

Coventrenſis & Lichfeldenſis.

CCXCVI.

G. M. LINGELSHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De libro Grotii de Satisfactione Chriſti.

TErmas tuas pr. Kal. III. & VIII. Sept. datas recte accepi, cum longe gratiſſimo munere Apologiæ tuæ de Satisfactione Chriſti, ad quas ideo tardius reſpondeo, ut deſiderio tuo ſatisfacere poſſem. Summa cum voluptate & fructu legi tractatum tuum, in quo admirabilem induſtriam in tuenda cœleſti veritate adhibuiſti, & rectam rationem propugnandæ veritatis oſtenditi. Omnia ex fundamentis Sacræ Scripturæ, & rationibus ita demonſtraſti, ut dubii nullus amplius locus relictus ſit. Non tu hic pro more aliorum adverſarium exagitaſti, ut invidiam conciliares, aut in improbitatem adverſarii invectus es. Rem ipſam clare & perſpicue exhibuiſti, & demonſtrationibus ita firmaſti, ut veritas nuda pateat & fallaciæ omnes profligentur. Idem judicium eſt omnium, qui laudatiſſimam hanc tuam lucubrationem legerunt. Cumque hactenus doctrinam tuam in bonis literis ac ſcientiis admiratus ſim, jam etiam exactam peritiam tuam in ſacris ſuſpicio & exoſculor. Det tibi Dominus vitam & vires, ut porro de Eccleſia & Rep. optime mereri poſſis.

CCXCVII.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

Varia.

MAgnifice Clariſſimeque Domine: Abbotius in Apocalypſin nec in officinarum pergulis, nec in amicorum bibliothecis comparet. Si ſcripſit, Anglice ſcripſerit credo, de quo certiora dicere poſſet affinis Junius. Habeo Abbotium de Antichriſto: quem an volueris non fat ſcio: ſed tamen mittere volui. De reformatione Colonienſis Archiepiſcopi ſæpius à me Bertius eſt compellatus: ſed habere negat, ac vel ad Hogerbetium vel Utenbogartium remittit. Quorum illum, ſimulac Haga redierit, compellabo. Reſponſum Junii ad quæſtionem, num arma ad religionis defenſionem à ſubditis ſuſcipi poſſint, inter ea fuit, quæ ex ore ex tempore dictantis domi ſunt excepta. Habui ea prope univerſa, ſed una cum pulviſculo omnia in Friſiam abſtulit affinis Caſimirus, hoc fine, uti ajebat, ut cum ſuis conferret, & ſi non incontultum Juniani nominis amantibus videretur, ederet in lucem. Sed antequam tu, Ampliſſime Vir, ejus reſponſi apud me mentionem feciſſes, cognoveram ex Coddæo, hoc reſponſum in ſchedis ſuis habere. Ergo quamprimum conveni: cui, ut poſtulatum tuum expoſui, lubentiſſime ſe communicaturum reſpondit. Sed poſt horas duas rediens, invenire poſſe negat, & cum inter chartas deeſſe aliquas cognoſcat, metuere ne jam diu ſit quod alteri dederit legendas, atque in iis etiam ſit hoc reſponſum. Corvinus non arbitratur exſtare apud ſuorum quemquam. Ita vides, ut non defuerit animus morem gerendi tibi, ſed nihil effecerim, quo nomine doleo. Quod in Anglicanis tarde adeo procedatur partim Bertius in cauſa fuit, qui heſterna demum die triplicis Ordinum decreti tranſlationem ad me tulit, partim amanuenſis, induſtrius quidem adoleſcens, ſed qui ab excipiendis & cum ſchedis commilitonum conferendis Epiſcopii Lectionibus, quas auro contra caras non putat, ægre avellatur. Jam tamen exemplar unum habemus. Et his feriis natalitiis totum ſe his deſcribendis dabit; nihil oriturus priuſquam telam iſtam pertexerit. Corvini librum, quia occaſio erat, mitto. Scio tamen carere eo potuiſſe, uſque dum Anglicana ſint deſcripta. Id intra triduum aut quatriduum fore ſpero. Simul tum mittam hiſtoriæ noſtræ Pelagianæ librum quinctum, qui eſt de Prædeſtinatione. Nam pene jam deſcriptus eſt. Sextus erit de Reprobatione: cujus appendicula eſt de cauſa Godeſcalci. Eam, licet necdum relectam, ad te mitto. Spero non ingratum fore, quando hactenus recte tractata eſt à nemine. Si non diſplicet tibi liber primus operis, qui eſt εἰσαγωγικὸς, (*quaſi introductio*) ſtatim à kal. Januariis poterit prælo committi. Scis lentas eſſe operas. Ego quia jam opus omne abſolvi, minus temporis in exſcribendo requiram, quam illi in excudendo. Vale Ampliſſime Domine. Uxori ſalutem maximam. XXII. Decemb. CIↃ IↃC XVII.

Tuus totus

G. VOSSIUS.

CCXCVIII.

Digitized by Google

CCXCVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

VIr Clariſſime, ſumme Amicorum, nihil unquam libentius legi tua ſcriptione de Hiſtoria Godſcalci, & quæ huic connexa ſunt. Mire enim video & morbos & adhibita remedia noſtrorum temporum malis, & tentatæ medicinæ congruere. Det Deus ſucceſſum parem. Unum obſervo, abſolutæ Prædeſtinationis patronos eo tempore valde abhorruiſſe ab ea ſententia, quæ ſtatuit omnes juſtificatos, ſive omnes præditos fide quæ per charitatem operatur, eſſe prædeſtinatos: quod nunc aliter accidit. Remitto commentationem tuam longe doctiſſimam, & quantum poſſum oro atque obſecro, ut quamprimum & iſta & ejus argumenti alia lucem videant. Si Synodum habebimus, exſtet exemplum quod imitentur. Si non habebimus, piis doctiſque tuus labor erit vice Synodi. Soceri tui illud utinam, &c. Rotterodami XXVIII. Dec. CIↃ IↃC XVII.

Tuus totus

H. GROTIUS.

CCXCIX.

Ordinibus Provinciarum confœderatarum

MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS

Archiepiſcopus Spalatenſis S.P.

Gratiarum actio: & votum pro pace Eccleſiæ.

ILluſtriſſimi Domini mihi ſemper colendiſſimi: Præclare ſatis mecum apud vos agi putaſſem, ſi meum duntaxat librum lubenti, ut feciſtis, animo excepiſſetis, & ut vel ſic mei memoria qualiſcunque apud vos conſervaretur: ſed & literis publicis ad me datis humanitate pleniſſimis ſpem meam ſuperaſtis. Quin & donum ſplendidiſſimum addidiſtis. Quibus certe inſignibus erga eum, qui de vobis, veſtraque Republica (niſi per vere ſincerum cordis affectum) nihil eſt promeritus, benignitatis indiciis, ſtimulos mihi ad vos ſumma alacritate obſervandos admoviſtis, Deumque obnixe rogandum, ut pacatiſſimam fæliciſſimamque velit eſſe veſtram Rempublicam. Merito itaque inſignia illa veſtra penitius certe huic pectori, quam ſcyphis illis argenteis, ſculpta, erunt mihi perpetuum veſtri amoris monumentum, & ad eos ex animo colendos juge incitamentum.

Diſſenſionum apud vos Eccleſiaſticarum ut incommoda gravia ſemper ex animo dolui, ita finem cum divina gloria, veſtræque Eccleſiæ, ſimul & Reipublicæ ingenti emolumento conjunctum, ardentiſſime exopto. Utinam partes diſſidentes, omiſſis omnibus pure humanis conſiliis, à ſola charitate, quam Spiritus Sanctus in corda noſtra infundit, dirigi inſtruique paterentur! Procul dubio ipſi ex ſe ſtatim, abſque exterorum labore & turbatione, omnia diſſidia componerent, & alter alterius onera portaret. Eſt tamen etiam apud exteros, qui vos plurimum amant, parata charitas, quæ pacis veſtræ ac tranquillitatis ſtudia cordibus diſſidentium injicere cupiat. Malum profecto eſt, inveteratam jam egregieque ſtabilitam novis opinionibus abrumpere concordiam: ſed dummodo concordiæ vinculum integrum perſeveret, ſi quis aliter aliquid ſentiat, Deus, ut ait Apoſtolus, illud quoque revelabit. Interim curandum eſt, ut diſſidentes non odiis certent, ſed doctrina, pietate, religione & charitate; & utrique parti ea ſit in animo præfixa victoria, ut pax & concordia, non alterius oppreſſio, imo forte utriuſque conſequatur. Jam vero Deus, qui omnis pacis amator eſt & auctor, ſuo nobis omnibus ſpiritu adſit, qui conterat Sathanam ſub pedibus noſtris, efficiatque ut omnes unum ſentiamus, unum dicamus, eique plene ſerviamus, & non demus adverſario occaſionem maledicti. Proſpera & felicia omnia vobis ex animo precor. Londini ipſo primo die naſcentis anni 1618. Ep. 300.

Ad omnia erga vos obſequia paratiſſimus

M. ANT. DE DOMINIS,

Archiepiſcopus Spalatenſis.

CCC.

G. M. LINGELSHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

AMpliſſime Domine: Ut tuas XIV. Dec. datas accepi, ſtatim opus tuum de jure ſummarum poteſtatum in ſacris, denuo accurate perlegi. Mirifice mihi omnia probantur, præſertim poſtquam audiſſem, quæ alii requirerent. Omnia tam exacte, plane, perſpicue, caute explicata & diſtincta, ut judicium tuum rectum & exactum ſatis mirari nequeam. Obteſtor itaque te, ne publico id invideas, & publice fruendum typis excudi facias. Nam quod dicunt, minus opportunum hoc tempore hæc doceri, ego ſentio, ſemper quod verum & rectum eſt, ſequendum eſſe. Irritabis magis iſtos, qui non veriti ſunt publice contumelioſi eſſe in ſummates; ſed id tanti non eſt, quin veritatis patrocinium ſuſcipiatur. Brederodius ad te curandum in ſe recepit curam, idque per noſtratem præfectum tormentorum, Noldium, qui Hagam jam proficiſcitur.

Noſtros pleroſque animatos video in Armini-

Ep.301. nos; sed ii non satis considerare mihi videntur, quid factione utrimque firmis subnixa subsidiis, obtineri possit. Ego censeo, in istis libertatem quidlibet sentiendi permittendam; ita tamen, ne pax turbetur, & in concionibus hæ non necessariæ subtilitates agitentur. Deus vos respiciat, & reddat pacem Ecclesiæ vestræ. Nos hic in gaudiis publicis, ob agnatum Principi alterum filium, ipsis Kalendis novi anni, juxta calculum quo vos utimini, salva matre. Regina avia, ejusque filius per legatum invitantur, ut è sacro fonte Principem suscipiant, cum Dano, ejusque reliquis tribus sororibus, viduis. Id institutum in secundum Martii Deus bene fortunet, ac det tibi quæ optas, Vir Amplissime. Heidelberga. 4 Jan. 1618.

Tuus omni studio & observantia

G. M. LINGELSHEMIUS.

CCCI.

CONRADO VORSTIO

SIMON EPISCOPIUS S. P. D.

De Synodo dissuas.

REverende Vir & Collega honorande: Non stabit per me, quominus id quod nuper decretum est à fratribus nostris in causa tua, sedulo commendetur. Æquissimum enim esse arbitror, ut si qui Professores vocandi sint ad Synodum, tui etiam ratio habeatur: quamquam quid boni præsentia nostra in tali, quam moliuntur Ordines Generales Synodo, adferre possit, ego non videam. Me quod attinet, ego non tantum abesse ex Synodo tali malim, sed etiam, vel si vocer, non interesse apud animum decrevi, quin imo, protinus abdicare Professionem malim, quam inter conjuratos illos fratres conspici, bonamque causam in cœtu malignantium ludibrio proponare: Odi, fateor, Synodos omnes quæ alio fine quam ad excutiendum, ventilandum, &, si fieri possit, persuadendum aliis, controversiæ quæstionis veritatem conveniunt. Et tamen cum longas has & prolixas Ordinum deliberationes considero, video tandem rem eo deventuram, ut ad Synodum tanquam ad extremam & sacram anchoram confugiatur. Quamdiu aliis animis res nostra non agetur, tamdiu necesse est ut credam, quosdam, à quibus id expectari non debebat, ad eum scopum consilia omnia sua dirigere. Dum enim deliberant Romani, perit Sagunthus, languescunt Procerum animi, & fatigatis lassisque quis alius dabitur exitus? De Ravenspergeri judicio, futili sane & vano, non idem omnes sentiunt; plerique tamen censuram paulo acriusculam ei reponi posse existimant; etiamsi alii indignissimum judicent, cui vel levissime respondeatur. Non dubito quin aliquid saltem in gratiam D. Grotii in lucem proditurum sit: Quare velim ut notas & animadversiones tuas quamprimum huc ad nos mittas, & si fieri poterit cras vel perendie per fidum aliquem tabellarium mihi tradi cures, gratissimum facturus mihi aliisque. Cum DD. Curatoribus sermones aliquos miscui, ex quibus intellexi Regem pessime adhuc contra te animatum esse, & nescio quid cupere. Deus meliora. Vale Reverende Vir, & Deo filii Christoque ipsius, amemus nos invicem. 12 Feb. 1618. Ep.302.

CCCII.

GERARDO VANDER LAEN,

Consuli Harlemensi,

GUIL. VERSTEVEREN CÆSARINUS S. P. D.

De dissidiis Belgicis tum Ecclesiasticis, tum Politicis.

NObilissime atque Amplissime Domine Cognate plurimum mihi observande, Quatuordecim circiter dies sunt, quod consignatæ mihi tuæ literæ. Quibus quod non è vestigio responderim, natum ex itinere quod officii mihi tunc temporis causa subeundum fuit. Nunc redux, si responsionem differrem, justam indignationem accenderem. Nam tanti viri authoritati non obsequi, superbi: affectui non respondere, ingrati foret. Quod classicum apud vos canant qui pacis humilitatisque paludamento sunt personati, jampridem inaudivi. Idque dolore duplici. Quum, quod illud nos ævum infælicitet, quo in sacrarium Dei irrepserit ambitio, tum quod ea (ni tempestive obviam eatur) humana divinaque juxta sit perturbatura. Sed non novum illud in illo hominum genere, sed ex vetustissimis eorum moribus. Nam quum ex mortalium obscurissimis quibusque in existimationis lucem protrahantur, originalium sordium suarum, quam percepti beneficii magis memores, turbare serena, & quieta dissensionum tempestatibus involvere, inter incrementi sui artes habent. Idque nobis tam justo Dei judicio, quam provocato lacessitoque per nos supplicio evenit. Nam sacrorum Antistites, non ex vulgi purgamentis, sed ex mortalium præcipuis sunt deligendi: quum hi ob generis præstantiam, dignationem sacris: ubi è converso illi, natalium obscuritate, vilipendium iisdem inducant. Neque alia de causa prisco illo ævo, ipsi Reges Pontificatus Sacerdotiorumque dignitatibus succingebantur, quam ut tectatum facerent, regali nobilitate atque potentia sacrorum munia obeunda, atque protegenda esse. Manentque adhuc laudati istius moris vestigia apud Indos & Ægyptios, qui Brachmanes flamineſque suos è primatium liberis deligentes, tanto illos operandis divinis aptiores, quanto diis immortalibus terrenæ Majestatis præeminentia propiores sunt, dijudicantes. At nos, quibus hoc

Ep.302. vitii, ut externorum incurioſi, noſtra tantum admiremur, quique in divinis, pietatis corticem potius quam nucleum requirimus, dum pro Religione ſuperſtitionem, pro humilitate vilitatem agnoſcimus, jurare, in ignorantiæ noſtræ pœnam, in Papæ aut Bezæ alicujus verba, à procaci Miniſtrorum noſtrorum manu adigimur: aut ſi in his non dixerim refractarii, ſed non ad nutum ipſorum morigeri exiſtamus, ad dicendum apud Synodale ipſorum tribunal cautam, ſub pœna atheiſmi infamiæ compellimur. Sed ſicuti peſſimis ex moribus naſci nonnunquam ſolent leges optimæ, ita credendum eſt Deo authore oblatam nobis occaſionem reſpiciendi cum nativam, tum acquiſititiam conſcientiarum libertatem: habitoque ejus maturo exactoque examine, amplectendi illa media, quibus aut attentatam Miniſtrorum violentiam in ordinem redigamus; aut ſi in tantum invaluerit contumacia, ut ſanioribus remediis flecti nequeat, noxiam eorum authoritatem plane antiquemus. Nam ſicuti Ordini ſæculari minime jus, minime fas, Eccleſiaſtico, in iis quæ animarum ſalutem de neceſſitate abſoluta concernunt, non morigerari: ita Magiſtratui Politico incumbit provincia ſeveriſſima Senatus-conſulta cavere, ne, ſpecie Religionis, ſacrorum Antiſtites in ambitionem prolabantur. Nam ſi ſal evanuerit, in quo ſaliemur? Sed quoniam, ut Comicus ait, licentia omnes ſumus deteriores, ſpes me habet, non tam elaborata Eccleſiaſticorum malignitate, quam Magiſtratuum incuria, & adgenita vulgo mobilitate, prædictam arrogantiam quoidam eorum invaſiſſe. Natura enim ita comparatum eſt, ut quantum quis doctrina magis ſit conſpicuus, tantum ſe authoritatis præeminentia excellere ſupra cæteros debere exiſtimet. Cum prudentibus (ut ille ait) honoris cupido noviſſime exuitur. Si itaque diſſenſionis veſtræ malum (ut ſperare me juvat) ſupremum malignitatis ſuæ gradum nondum attigit, cauto opus eſt, ut omnia prius pia manu medica curare tentetis, quam vel ad membra cruda illa chirurgica ſeveritate ſecanda tranſcendatis. Illud enim Chriſtiana charitas, patriæ amor, & ſalus publica efflagitant: illud in rationis, in civilitatis, in obſequii viam reductis, poſt agnitum errorem, tam gratum quam reducentibus magnificum erit: Denique illud bonorum omnium animos, quorum oculi nunc in tragico hoc prologo pio madore intumeſcunt, ſi nefariæ hujus contentionis cataſtrophen comicam conſpexerint, non ſuprema modo lætitia perfundet, ſed & eorum linguas in grates laudeſque Deo Optimo Maximo agendas & referendas accendet. Diſſenſionis veſtræ ſubjecta, mea opinione, duo ſunt. Alterum Eccleſiaſticum, alterum Politicum. Hæc in actus ſui executione natura ipſa differunt. Nam illud ad rationem ſui objecti, quoad ſubſtantialia fidei, eſt immutabile. Hoc pro Politiæ genere, variabile, &, ex uſu occaſionum, in diverſa flexibile. Nunc exa- Ep.303.
minandum in quo vertatur cardo litis veſtræ Eccleſiaſticæ. Si in ſubſtantialibus, materia gravis eſt, & non niſi œcumenica Synodo terminanda. Si vero poſitivi juris placita non excedit, illius arbitrio permittenda, cujus diſquiſitioni civilium controverſiarum cognitio immediate ſubjacet. Nam alia juris Canonici Romana in Eccleſia arrogantiam, non tam antiquaſſet Reformata Religio, quam Miniſtrorum noſtrorum inſolentiæ, ad tranſcendendam eandem ſub exemplo, indulſiſſet materiam. At quum controverſiæ veſtræ caput ſit Prædeſtinatio, eaque ob materiæ ſuæ ſublimitatem ſubſtantialia fidei excedat, neque (ut peculiare divinæ ſcientiæ effatum) ulli Canonicorum placitorum prætenſioni ſubjacet, conſequens eſt, eam neque ad Synodale Eccleſiaſticum, neque cenſurale tribunal Politicum, niſi ſummo cum impietatis nævo arceſſi: ſed illius fructum, juſtiſſimo Dei judicio; ſpem, proſtratis ad demerendam Dei gratiam mortalium eſſe permittenda. Quod ipſum ſatis ſuperque confirmat præparca Prædeſtinationis mentio, quæ veteris Eccleſiæ Patribus in uſu. Judicabant enim viri ſanctiſſimi, ſalutem mortalium non in curioſis ſubtilium quæſtionum indagationibus, ſed in ſalutarium præceptorum prompta exequutione conſiſtere. Atque hoc fine Auguſtinus, ut ſcilicet luxuriantibus ambitione ingeniis ad tam inacceſſibilia perſcrutanda viam præſcinderet, docuit, illos à Deo ad vitam æternam prædeſtinatos, quos conformes fieri imagini Filii ſui præſcivit. Tanquam diceret, ô Icari veſani, quorſum affigitis ingeniis veſtris illicitæ contemplationis alas, an ut iis deteſtanda temeritate in abyſſum divinitatis evecti, ſortem miſerorum mortalium perſcrutemini? Stulte facitis. Nam planior vobis ad id penetrandum cognoſcendumque via, ſi in illos oculos defigatis, qui ex mandato Chriſti Chriſtum æmulantur. Nam factores Legis apud Deum juſtificantur, non auditores verbi. Ego Domine Cognate, ſubſequenti climace, non ſecus ac filo Ariadnes Theſeus Creticos evaſit Mæandros, ita inextricabilem illum Prædeſtinationis labyrinthum penetrari à me poſſe reor, ſi primo credam Deum eſſe, & eum, ut eſt, potentiæ eſſe indefinitæ, & talis (dico infinitæ) tantæque bonitatis & juſtitiæ. Hæc mea fides frequenti Paſſionis Dominicæ ruminatione comitata, pariet in me timorem, timor reverentiam, reverentia amorem, amor peccati odium, & hoc contritionem, contritio pœnitentiam, pœnitentia peccati remiſſionem, qua qui ditatus, nonne prædeſtinatus? Nam Prædeſtinationis mihi teſſera nulla certior, nulla manifeſtior à diis immortalibus dari poteſt, quam conſcientiæ quies, & recta & erecta in Dei miſericordiam fiducia; quarum neutra quùm diſputationum acumine acquiratur, ſed indefeſſo charitativæ operationis moli-

mine

Ep.302. mine gratioſe à Deo conferatur, quorſum tanta in civilibus, tanta in Eccleſiaſticis turbarum moles? quorſum ad tanti epiphonematis tribunal (ad Synodalem inquam conventum) tanquam ſacræ Scripturæ perduelles poſtulamur? Diſputare de re incomprehenſibili? tanta cum docentium invidia quam erudiendorum nauſea? Sanius olim gentiles, qui adſtruebant ſanctius ac reverentius videri de Actis Deorum credere, quam ſcire. Sententia Chriſtianæ ſaluti tam vernacula, quam deteſtanda Theologorum quorundam ambitio, qua ſublimitatum ſuarum ideis, & ſophiſmatum mæandris fidei ſimplicitatem polluunt, exotica. Sed ſi eo pervicaciæ Contraremonſtrantium violentia invaluerit, ut ſententia animo concepta decedendum minime ſibi judicent, tali in caſu, ut in maximis malis, minimum eſt deligendum, & confugiendum ad Oecumenicam, Oecumenicam dico earum Eccleſiarum, quæ à Romanæ Eccleſiæ placitis receſſerunt: Idque tribus de cauſis. Prima, ob materiæ diſcutiendæ molem. Secunda, ne partium potius contentio, quam legitima univerſalis Eccleſiæ cenſura videatur. Tertia, ut hujuſcemodi honoris, Religionis & ſcientiæ honorifica delatione demulceatur Proteſtantium alienatio, cum tantæ cenſuræ prærogativa dignati, luce meridiana clarius perſpicient, non ſe (ut Papiſtæ improbe diſſeminant) à toto Reformatæ Eccleſiæ corpore vilipendi, ſed è converſo ea pietate & integritate ab ipſo reputari, ut vel graviſſimas ſuas controverſias, cenſuræ ſuæ permittere minime reformidet. Nihil enim vel ad infringendam Romani Pontificis violentiam aptius, vel ad decorandam conſenſu & charitate Religionem orthodoxam ſpecioſius, quam redito in gratiam, & diſſentiunculorum (vel potius) æmulatiunculorum inter Proteſtantes & Reformatos vigentium, antiquatio & abrogatio. Quod quidem ipſum quum jam olim præviſum fuiſſet non ſolum ſalutare gliſcenti Eccleſiæ, ſed & maxime neceſſarium, cauſam præbuit, ut Theologi, unionis Eccleſiaſticæ amantiſſimi, Marpurgum conventum indicerent, ut in eo ſtratis inter Proteſtantes & Reformatos diſſenſionibus, in unam conſenſus animam religioſe coaleſcentes, conſociatis veritatis Euangelicæ viribus, acrius in Romanæ Religionis ſuperſtitionem ſtilum ſtringerent. Et licet prædictus Conventus ſanctiſſimo bonorum voto omni ex parte non reſponderit, ſpem tamen poſteritati non obſcuram fecit, ſperatam ejus meſſem temporis proceſſu (cujus opinionum propria enervare mos eſt) non modo, ſed horreo, recompenſaturum. Qua ſpe ductus æternæ illæ memoriæ heros, Guilielmus Aurantiæ Princeps, non ſemel Confœderatarum Provinciarum Ordinibus author fuit, ſi ſolido potius rationis fundamento, quam evanida ſpe ad libertatem adſpirarent, ut Auguſtanæ ſeſe Confeſſionis participes efficere, nullo non labore impendioque adhiterentur. Ep.303. Prævidebat enim ille Pater Patriæ, ut humanarum divinarumque rerum peritiſſimus, quod deſciſcentes ab Eccleſiæ Romanæ placitis, & inſurgentes apertis adverſus Hiſpanorum tyrannidem armis, nunquam ſatis virium animique adverſus utrumque eſſent habituri, ni collatis in commune voluntatibus, facultatibuſque. Neque huic collationi viam tutiorem expeditioremque aliam reperiri, quam ut Auguſtanæ in Confeſſionis commilitium tranſcenderent. Illa enim Religio, quod ab impudentia, avaritiaque Romanæ Eccleſiæ potius, quam ab inveteratis mortalium animis tolerabiliſſimarum ceremoniarum ritibus deflecteret, Calvinianæ præferenda videbatur, quod hæc non tam in ſuperſtitionis ſuperficiem æquandam, quam in dogmata veteri in Eccleſia piiſſimis Chriſtianorum probata extirpanda, eruptura dijudicabatur. Quorum medela caliginoſis illis adhuc in initiis, & obduratis liberrimarum Nationum animis importuniſſima habebatur. Quod ſi ea tempeſtate, qua ab immortalis memoriæ Domino Principe prædictum conſilium adferebatur, ex uſu Provinciarum Confœderatarum fuerit judicandum, an non in præſenti, qua deploratior earum conditio? Nam ut tunc Hiſpanorum in conſcientias tyrannis, in ſanguinem & facultatem licentia, exterarum gentium animos in noſtri commiſerationem: ita ex adverſo nunc, dum florentes res noſtræ ſuperbiam, ſuperbia graviorem quorundam in concives ſuos violentiam invexit, acerbiſſimum odium accenderunt. Nam ne te defraudem illis, quæ hic tum Romani, tum Proteſtantes aperte proferunt, teſtantur Deos, citius ſe ad Mahometis ſacra, quam ad articulos de Prædeſtinatione tam atroces deſcenſuros. Si igitur ſupremæ patriæ calamitati obviam eſt eundum, his tam atrocibus malis tempeſtive applicanda ſunt remedia. At nulla tanto talique morbo curando ſunt ſufficientia, niſi quæ in doctrina moderationem, in moderatione authoritatem, in authoritate vires, & in viribus legitimam potentiam includunt. Quæ ubinam gentium, extra quam apud Auguſtanæ Confeſſionis ephoriam ſint invenienda, non video. Nam primo hujus doctrina perpluribus in comitiis Imperii auguſta Cæſarum poteſtate eſt recepta & confirmata. Secundo, hujus doctrina, quemadmodum & mores, non ut Genevenſium vel Heidelbergenſium, aperte, intempeſtive bellum Catholicis Romanis indicunt, ſed Chriſtiana quadam modeſtia tolerant atque ferunt. Tertio, cum hujus Religionis Confeſſioniſtæ medios ſe inter Papiſtas & Calviniſtas gerunt, reconciliandi munia, ex ipſa controverſiæ natura, deferenda illis omnino videntur. Si itaque Reipublicæ, ſi perſonarum veſtrarum intereſt, ne Papa, ne Hiſpanus veteribus innixi juribus, ne verſipellis aliquis vicinus, in occaſionem

Ep.302. intentus libertatis veſtræ incunabula evertat, aut Prædeſtinationis intolerando vos jugo premat, maturate (ni per Provincialem Conventum tolli contentio queat) ut Oecumenicum totius Germaniæ (vel poſita ex parte modeſtia) indicetis. Nam in hujuſmodi atrocibus Religionis contentionibus major ſalutis quam modeſtiæ habenda ratio: quamvis licet armata manu hujuſmodi Conventum univerſalem expoſcentes, immodeſtiæ convinci minime poteſtis, dum eos in Religionis veſtræ Syndicos depoſcitis, quos doctrinæ & pietatis cenſura, Romanorum Imperatores commendatos authenticatoſque, tali judicio pares jampridem protulere. Accedit, quod cauſæ veſtræ ad hos delatio, non illius infamis (quo vos adverſarii veſtri criminis incuſant) reos patietur; ſed illoſmet ipſos, ut turbarum ſeditionumque architectos, & nullius non ſanguinarii ſtratagematis in Germania inchoandi archidædalos eſſe, palam faciet.

Dixi de diſſenſione veſtra, qua Eccleſiaſtica eſt. Reliquum eſt, ut & de ea ſententiam meam aperiam, qua Politiam includit. Et ratione hujus nullis non difficultatibus eſt involuta, quum ex ſtatus immutatione ſui præſentis unicam medelam videatur ſortitura. At quam non ſolum periculoſa, ſed noxia rebus in Politicis ſtatuum variatio, Cleon apud Thucydidem prudentiſſime docet, dum teſtatur longe præſtantiorem eſſe urbis quantumvis minimæ conditionem, quæ iis quibus nata eſt artibus regiminis ſui munia exerat, quam maximæ, quæ mutationi dedita, legum novitate, & priſcorum Magiſtratuum antiquatione, in diverſa quotidie agitur. Sed ut in viris privatis, quantumvis egregiis perſæpe artibus inſtructis, rara eſt conſtantiæ virtus, eo quod pauci rerum ab ſe deſideratarum naturas parum maturo delectu examinent, ſed in illas impatienti perſcrutationis ala tranſvolant; an admirandum, quod Regimina Ariſtocratica, atque Democratica, irrequieto motuum atque agitationum euripo rapi ſolita, pulla contractionis vitæ ſtamina ſortiantur? Neque alia de cauſa Philoſophorum principes, Plato atque Ariſtoteles, feliciſſimam parendi conditionem ſubditis ſub Monarchia voluere, quam quod hæc, ſicuti unum Reipub. corpus complectitur, ita & unius anima regat. Et quamvis inficias ire non poſſum, quin ejus excellentiæ ſit libertas, ut rerum omnium ſublunarium dignitatem facile excedat, ſecundum illud Philoſophi, quod binæ ſunt à Diis immortalibus cœleſtis potius, quam terrenæ conditionis gratiæ mortalibus conceſſæ, naſci nimirum hominem, naſci liberum: & per conſequens, illos qui hujuſmodi theſaurum non cognoſcunt, infelices, qui non æſtimant, humano nomine indignos eſſe. Sed ex adverſo, ut pretioſiſſima eſt, ita & rariſſimam eſſe, & quæ precibus à Divina Majeſtate magis eſt impetranda, quam ulla ſolertis ingenii induſtria adſequenda; quum tales in Adminiſtratoribus ſuis virtutes requirat, quales ævi morumque noſtrorum malignitas enaſci quam rariſſime patitur. Quotuſquiſque enim mortalium reperiri dabitur, qui fortunæ laxitate intumeſcens, morem ſit geſturus alta nonnunquam pauperie preſſo? Qui juventa & natalium ſplendore conſpicuus, obſcuriori debiliorique cedit? Quotuſquiſque patriæ charitatem ejuſque ſalutem fortunis, liberis, vitæ anteponet? publica privatis, rationem & juſtitiam propriis affectibus? Denique, quotuſquiſque vi legum Principem in Republica agens, iiſdem ſe legibus civem ſubjiciet? adeo in rationis ſe gyrum redigens, ut non quod poſſit velit; ſed id ſolum velit, quod Reipublicæ quam maxime ſucceſſurum eſt utile atque ſalutare? Hæc itaque, quum præter conſtantiæ & taciturnitatis dotes, omnia in Republica ſummopere requirantur, neque ulla vix in parte reperiantur, expeditius nobis erit Rempublicam vere liberam in abſtracto mente concipere, quam in concreto reipſa poſſidere. Nam nulla in Europa exiſtit natio, quæ perinde ac noſtra in quæſtum, inſatiabilemque auri cupiditatem appetitus ſui enormis fræna laxavit, cui quum non alia quam negotiationis arte ſatisfacere valeat, hinc nulla non longiſſimi tractus ſulcat maria, nulla non alieni cœli portentoſa audacia petit regiones, tam longa temporis aliis in elementis aliiſque ſub climatibus exigens ſpatia, ut ad penates ſuos redux, inquilini potius quam indigenæ nomen tueatur. Atque hinc alta illa moris patrii ignorantia, hinc tepidior in patriam amor, atque ex utroque diſſenſionis noſtræ ſcaturigo, privilegiorum nimirum depravatum æſtimium, & dubium adverſus legitimum Magiſtratum obſequium. Quos morbos Lacedæmonii ut maxime lethales Reipublicæ ſuæ exiſtimantes, eos graviſſimorum decretorum antidoto arcendos judicavere, ſancientes, ne juventuti ſuæ externarum peregrinationum deliciæ indulgerentur, ne externis infecti vitiis ſeveriorem diſciplinam patriam primo exoſam habentes, mox in ludibrium verterent. Nam ea eſt naturæ humanæ fragilitas, ut in vitia facillime inclinet, inclinata capiatur, capta eorum medelam exhorreſcat atque averſetur. Hanc igitur Reipublicæ noſtræ naturam, hoc popularium noſtrorum ingenium, has poſſidendi infinita potius quam mediocria cupiditates, libertatis noſtræ hoſtes animadvertentes, toti in eo ſunt, ut præſentem regiminis ſtatum evertant, & Hiſpanicæ tyrannidis jugum cervicibus veſtris denuo imponant. Sed quum id ratione præſentis veſtræ potentiæ, & naturali ſitus munitione facto illis ſit impoſſibile, ad diſſeminandas inter vos diſſenſiones civiles nullum non movent lapidem, ſperantes (ut res eſt) ſi animis opibuſque ſemel vos diſtraxerint, haud difficilem ſe ex vobis victoriam conſequuturos. Nam, ut concordia res veſtræ vel minimæ olim

Ep.302. olim in ſpecioſam hanc (atque adeo invidendam vicinis vobis Regibus) amplitudinem excrevere; ita diſcordia vel maxime nunc, præcipiti lapſu corruent, ni natis diſſenſionibus medelam tempeſtive adhibeatis. Sed hoc opus, hic labor, inquies. Verum: ſed nequaquam pro exactæ veſtræ prudentiæ exiſtimatione, & pro perpetratarum rerum gloria ex vobis deſperandus. Nam poſtquam in ſuperando illo Hiſpanicæ dominationis promontorio, longe pluribus colluctantium ventorum, incertarumque undarum tempeſtatibus jactati, quam ſecundis zephyrorum flatibus æſtuumque impulſibus provecti ſitis, & nihilominus libertatis portum felici auſu incolumes occupaveritis, an expalleſcendum nunc in ſeditione domeſtica? Non inficior bella civilia externis longe eſſe periculoſiora, ſi in cædium immanitatem excrudeſcant; ſed apud vos, ultra voces, ultra minas necdum proceſſum, quas tuto & rite molliri poſſe exiſtimo, ſi præſentem regiminis ſtatum, non plebi ſolum, ſed quamplurimis etiam dignioris notæ viris exoſum, tolerabilem in Principatum Potentiſſimi Domini Ordines commutaverint. Nam quæ de Religione prætenduntur, ea in ſpeciem magis, quam quod ea talia ſint, inducuntur: quum nunquam Contraremonſtrantes tam exigui judicii ſint exiſtimandi, ut ſerio eam de Prædeſtinatione ſententiam invecturos ſe ſperent, reluctantibus ipſis non modo Papiſtis, Proteſtantibus & Anabaptiſtis, ſed & Reformatorum pleriſque, neque his è vulgo hominibus, ſed nobilioris, atque adeo Illuſtris Ordinis perſonis. Præcipuus igitur Contraremonſtrantium ſcopus eſt, Prædeſtinationis materia vulgum, à pacis & induciarum ſtudiis averſiſſimum, ad Democraticum regimen invehendum impellere. Quæ quidem hypocriſis quamvis per ſe deteſtabilis eſt, hoc tamen ævo, hiſce hominum moribus, quibus divina humanaque rationi ſtatus cedere omnino conſueverе, excuſationis patrocinium fæliciter adſequitur. Quum Contraremonſtrantium Miniſtri aperte ex doctrina Bezæ doceant, verum veræ Religionis finem eſſe, ut Confeſſionis ſuæ hoſtes armis perſequantur, quum ut Religionis veræ pomeria proferant, tum ut gloria & opibus ex hoſtibus gliſcant: quibus Religionis ſtimulis novitatum avida plebecula per Miniſtros (ſi Diis placet verbi Divini) inſtigata, mirum nos ſi pacem ferre non velit, ſed ad pugnæ ſignum intenta, in prædas & cædes accingatur? Et licet minime me prætereat, quin Patriæ Libertatiſque propugnatorum numerus, abalienatorum haud minor, & cauſæ bonitate ſuperior ſit, ita ut ſperare non immerito liceat victoriam à melioribus ſtaturam: Nihilominus tamen, quum hujuſcemodi victoria, ſine ſupremæ crudelitatis & calamitatis facinoribus attingi non poterit, plane ab ea affectanda Chriſtiani hominis mentem abhorrere debere cenſeo. Nam præterquam quod civili ſanguine, nullus non angulus Confœderatæ Belgicæ miſere inundaret, exoptatiſſimum etiam Papiſtis mutuarum noſtrarum cædium ſpectaculum, oportuniſſimum inducendæ denuo tyrannidis Hiſpanis medium eſſet ſubminiſtratura. Quum itaque periculoſiſſima ſit PP. DD. Ordinum adverſus abalienatos ſeveritas, neque minus flagitioſa Democratici Regiminis (in quod flagrantiſſimis ſtudiis abalienati depereunt) indulgentia, medium inter utrumque extremorum iter judico ingrediendum, & ſumma atque legitima Potentiſſ. DD. Ordinum potentia Principis nomine conſtituendam Rempublicam. Qui Princeps cuncta civilibus diſſidiis feſſa, limitato Principatus imperio recreet atque refocillet. Dixi *limitato*, ut in quo remaneant eadem Magiſtratuum vocabula, & eadem veteris Reipublicæ veſtigia; hoc uno excepto, quod delatione & ſuffragiis Potentiſſ. DD. Ordinum penes Principem ſumma eluceat Principatus dignitas, penes Senatum Dominorum Ordinum adſentiendi vel diſſentiendi non inanis autoritas. Nam hæc adminiſtrationis ratio non modo tollendis præſentibus diſſenſionibus cumprimis eſt apta, verum etiam popularium noſtrorum ingeniis quam maxime proportionata, quæ nec integram ſervitutem pati poſſunt, nec integram libertatem. Neque diu inquirendum, in quem Principatus ſublimitas præ cæteris ſit transferenda, quum minore diſcrimine ſumatur Princeps, quam quæratur. Excellentiſſimum enim Principem Mauritium, non paternorum, non familiæ modo, ſed & propriorum meritorum prærogativa, facile primum, cunctis competitorum ambitum facile præcludere conſtat, quum ætate maturus, bello ſpectatus, eaque exactæ vitæ integritate ſit commendatus, ut nihil præteritum habeat excuſandum. Accedit, quod continuata tot per annos in eo ſummi Imperii militaris dignitas, nec continuata ſolum, ſed tot tantiſque præclariſſimis per eum illuſtrata victoriis, eam in exiſtimationem virtutes ſuas civiles militareſque extulerit, ut non ſolum noſtra, ſed & exteræ, & hoſtiles nationes ampliſſimæ cujuſvis fortunæ capaciſſimum eum prædicent, dignumque Imperio vel ante Imperium. Quæ quidem omnia exactius trutinata, non tam ſuadere quam urgere videntur, ut prædicta Regiminis translatio maturetur, utpote quæ diſſidentes noſtras Provincias, non impendenti ſolum interitu ſit liberatura, ſed & Germaniam, Galliam, atque Magnam Britanniam (libertati noſtræ non obſcure infenſas) purioris affectus nexu Provinciis noſtris ſit aſſociatura. Cauſas utriuſque de Gallia atque Britannia hic ſupprimo: ſed de Germania hoc promo, quod fortuna propediem in ea novos ludos ſit editura, in quibus Excellentiæ ſuæ ad Principatum Reipublicæ noſtræ evectæ, certa fatorum lege non poſtremæ amplitudinis partes deferentur. Nam ut primæ dominandi ſpes in arduo, Ep.303.

Ep.303. ita ubi fuerit Principatus amplitudine potentiæ regiam ingreſſa, non deerunt ipſi ad auguſtiores titulos nec ſtudia, nec miniſtri. Nam inopinatum Electoris Palatini ad Bavariæ Ducem iter, ac frequens ſemotis arbitris inter ipſos colloquium, mox reciproca in utroque propenſiſſimi affectus indicia, gravibus Auſtriacæ domus Principes curis excruciant, quæ eo graviores indies evadunt, quo colloquii ejus arcana nullis exploratorum artibus penetrari queunt. Accedit, quod hæc Excellentiæ ſuæ ad Principatum ſublimatio, animos addet Confœderatis noſtris, demet hoſtibus: quum utrique ſubſidii aut nocumenti vires ex ..... quam Republica. Qui cujus motus eſt tardior & deliberatio irreſolutior, promptiores ſint ſperaturi, aut reformidaturi. Denique commutata in bellum cum Hiſpano pace, Patria noſtra, cujus potiſſimam ſemper curam Viri boni habuerunt, plebejorum hominum fæce, tanta ſua cum ſecuritate quanta hoſtium cum clade exonerabitur: qua exonerata, Miniſtri noſtri, cæterique Contraremonſtrantium coryphæi, (quorum improbitas atque audacia, uni hujus vulgi temeritati innititur) mitius agent, aut ſceleris ſui, pervicaces, dignas temporis progreſſu flagitiis (quantumvis tardas) pœnas ſubibunt. Hæc in diſſenſionis veſtræ materiis, de quibus ſententiam meam Dominus Cognatus videtur velle intelligere, ſcribenda duxi, quæ tum demum mihi probabuntur, ſi à te viro optimo atque probiſſimo non improbari intelligam. Vale cognate chariſſime, tecumque una dilectiſſima tua conjunx, omneſque qui ex veſtro cœtu. Lintzii Auſtriæ 16 Febr. 1618.

CCCIII.

HUGONI GROTIO

N. N.

De diſſidiis Belgicis componendis.

AMpliſſime atque Conſultiſſime Vir, Menſe Januario tibi ac D. Van der Mylen prolixe ſcripſi, verum ab utroque hactenus mihi nullum reſponſum. Certe libenter ſcirem, quomodo D. Bernfeldt, & vobis, placeat conſilium meum. Atque ex animi veſtri ſententia formarem omnia, quæ mihi & apud principes ac civitates hac in re proferenda. Non ſum ex illa nota hominum, qui quidvis perpeti malunt, quam videri alieno conſilio egere, ac ut Tacitus inquit, qui ne alienæ ſententiæ indigentes videantur, in diverſa ac deteriora tranſeunt. Deinde ſcio vos rem me melius intelligere, vobiſque cordi eſſe communem confœderatorum ſalutem, pro qua indeſinenter excubias agitis, ac quaſi in ſpecula collocati, providentia veſtra vigilatis. Triſtia nobis ab Aquilone imminere videntur, quæque vos latere non poſſunt; quod ſi orientem hunc ignem in tempore non oppreſſeritis, ingenti deinde Ep.305. incendio, cum jam nullam opem ferre poſſimus, omnes ardebimus. Quod in litteris D. Van der Mylen plenius attigi, unde illa hauries. Atque hic multa occurrunt, quæ calamo neque credi neque expediri poſſunt, quæque ſibi præſentiam noſtram depoſcunt. Quod ſi ſcirem me vobis rem gratam præſtare, idque in rem veſtram eſſe, excurrerem ad vos, ut liquido vobis conſtaret de omnibus illis, quæ ſtudio indefeſſo moliuntur illi, qui ſolvere tentant nodum illum, quo non ita diu arcte junctì Hanſeatici cum unitis Provinciis. Deinde & Contraremonſtrantibus una eademque opera monſtrarem amice & clare, illo ipſo, quod Remonſtrantes Rep. ejicere ſatagunt, ipſos non ſolum Auguſtanæ Confeſſionis homines omnino à ſe alienare, verum etiam omnem ſpem conciliandi inpoſterum Lutheranos cum Calviniſtis præcidere; in quo omnes boni adeo pie laborioſeque tot annos ſudarunt, atque adhuc ſudant, qui ipſorum veſtigiis laudabiliter inſiſtunt. Et certe Pontificiis ſic eſſent longe crudeliores, qui in Germania & Gallia ſummos honores reformatæ religionis hominibus concedunt. Quæ cum cogito, admodum ſollicitus ſum de veſtra ſalute, quam periclitari omnes putant: atque ſic nuper Sibrandus Lubbertus ad quendam magni nominis virum in Germania ſcripſit.

Quod ad ſtatum Eccleſiarum Belgicæ foederatæ attinet, quinque Provinciæ, videlicet, » Geldria, Zelandia, Friſia, Omlandia, & Tranſ- » iſulana, ſequuntur ſententiam orthodoxam. » Hollandia diviſa eſt in partes duas. Major tamen » pars conjungit ſe cum his quinque Provinciis. » Trajectum ſequitur ſententiam contrariam, ſed » ſperamus non fore diuturnum. Synodus Natio- » nalis convocabitur proximo Junio. Princeps » Mauricius tam ſincere, tam fortiter & pruden- » ter agit negocium Eccleſiæ, ut dubitare poſſis, » an major in armis fuerit, quam nunc eſt in » politicis Eccleſiaſticiſque: Deus tueatur eum » & cuſtodiat eum ab omni malo. Anno 1618. » menſe Febr. »

Hæc epiſtolæ pars à quodam magno viro ac amico ſingulari mihi concredita eſt, ideoque has litteras, poſtquam à D. Bernfeldt, te, & D. Van der Mylen perlectæ erunt, comburas velim, mihique prolixe reſpondeas ad binas meas. Jam te bene valere jubeo tibique vivo

Di Caſa 19 Martii 1618. *ad omnia iuſſa obſequentiſſimus.*

Generoſo D. à Bernfeldt, parenti tuo, Viro Cl. ac reverendo D. Joanni Arnoldo Corvino precor multam ſalutem.

CCCIV.

CCCIV.

Sereniſſimo Principi,

Electori Sacri Imperii, Duci Bavariæ,

COMITI PALATINO AD RHENUM, ORDINES HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ S.P.D.

De Synodo Nationali habenda.

SEreniſſime Princeps Elector, Ab initio repurgatæ apud nos religionis, duæ nos præcipue difficultates exercuerunt, prior de eo imperio quod circa Eccleſiaſtica Chriſtianis Magiſtratibus competit; in quo itidem ut omnes Reformati Reges, Principes ac Magiſtratus, & Reipublicæ & Eccleſiæ incolumitatem imprimis ſitam ſemper exiſtimavimus, contra Miniſtrorum quorundam ſententiam, qui Eccleſiaſticum regimen externum ſummo in republica imperio non ſubjectum aperte moliebantur: Altera vero de diverſis Theologorum ſententiis ſuper divina Prædeſtinatione annexiſque capitibus: ſua placita non ſine aliorum condemnatione aut ignominia Miniſtris quibuſdam rigide urgentibus: contra exiſtimantibus nobis, ſatius eſſe tales controverſias plebis captum ſuperantes à ſuggeſtis amoveri, nihilque obſtante ſententiarum diverſitate ſuper quæſtionibus inter veteres Reformatoſque doctores adeo decertatis, pacem Eccleſiæ ſervari; eo magis, quod Reformatæ Eccleſiæ, præſertim vero tuæ Electoralis Sereni-tatis parentes, ipſa tua Electoris Serenitas ejuſque præſtantiſſimi Theologi, longius diſſidentibus Confeſſionis Auguſtanæ Eccleſiis eandem pacem fraternamque communionem ſæpius obtuliſſent. Et ſpes quidem fuerat, poſitis armis, quæ olim omnem ferme curam ac ſollicitudinem noſtram in ſe verterant, conſilio piorum virorum & publica auctoritate Eccleſiam legibus ſtabilitam, & moderata æquitate compactam, in ſolido à nobis poſſe conſtitui: quo fine plurimi à nobis labores optimo propoſito ſuſcepti ſunt; ut ex earum literarum, quas ad ſereniſſimum ac potentiſſimum Regem Britanniæ mittimus, exemplo, aliiſque eodem pertinentibus chartis promtum erit Electorali tuæ Serenitati cognoſcere. Sed Miniſtri quidam, & officii ſui & noſtri in ipſos juris beneficiorumque immemores, haud ante quieverunt, quam Eccleſia miſerabiliter diſciſſa, plebi, ſed præſertim externis apud nos commorantibus, inobſequentius ſe gerendi exemplum aut occaſionem præberent: qui ſicut ante hac Synodis, quas nationales ipſi vocant, aggreſſi ſunt fratres in controverſiis difficilibus, ut diverſus eſt humani ingenii captus, haud pariter ſecum ſentientes, acerbioribus cenſuris premere, & ab electione paſtorum & reliqua Eccleſiæ inſpectione amovere Magiſtratum: ita nunc quoque exiſtimant id ſibi reſtare, ut quod contra leges moliti ſunt hactenus, nunc Synodicis decretis vim accipiat atque auctoritatem. Quanquam vero Provinciæ quædam noſtri fœderis, illis quas diximus controverſiis minus obnoxiæ, eo perductæ ſunt, ut in Synodi talis indictionem conſentirent, literaſque eam in rem ſcriberent, uſurpato Ordinum Generalium nomine: nos tamen gnari, & aliam eſſe apud nos Eccleſiæ conſtitutionem, & eo quod cum vicinis inivimus fœdere jus rempublicam, & in republica Eccleſiam gubernandi ſolidum atque illibatum penes nos manſiſſe, neque ea in re nos aliorum teneri imperiis, non magis, quam alii noſtris teneantur, alia remedia monitravimus, quæ ſalvo jure noſtro ac publicis legibus ad reſarciendam Eccleſiæ pacem rectius ducerent: quæ itidem videre erit in chartis quas tranſmittimus. Plane autem confidimus, Electoralem tuam Serenitatem, hiſce cognitis, non modo nulli adjutricem fore ad eas res quæ juri noſtro adverſantur, ſed contra omni occaſione daturam operam, ut & auctoritas noſtra in Miniſtros noſtros ſalva maneat, & Eccleſiarum Evangelicarum unitati, quæ ex difficilium controverſiarum definitionibus periclitari ſolet, leniore quadam via, Chriſtiana ſcilicet moderatione ac tolerantia, conſulatur. Id nos beneficium gratiſſimis animis amplectemur, parati referre gratiam quotieſcunque ſe ulla ejus præbebit occaſio. Interea Deum precabimur,

Sereniſſime Princeps Elector,

ut Deus tuam Electoralem Serenitatem din incolumem florentemque ſervet. Dabantur in Palatio noſtro Hagæ Comitatenſi. 1618.

Ep. 305.

CCCV.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi

JACOBO, MAGNÆ BRITANNIÆ REGI, ORDINES HOLLANDIÆ.

De diſſidio Eccleſiaſticis in fœderato Belgio ſerenitatem componendo.

SEreniſſime ac Potentiſſime Rex. Cum manifeſtum ſit nobis, de controverſiis, quæ Eccleſias noſtras agitant, varios ſpargi rumores, qui vera miſceant falſis; exigere viſa eſt tum tuæ Majeſtatis erga noſtram Rempublicam benevolentia, tum noſtra erga Majeſtatem tuam reverentia, ut aperiremus eidem morborum ſtatum cauſaſque, cum certa fiducia futurum, ut cognita ipſa mali origine atque natura, nihil amplius obſtet, quominus & ſapientia tuæ Majeſtatis optima remedia ſuggerat, & nos monſtrata quam cupidiſſime amplectamur.

Con-

Digitized by Google

Ep.305. Controverſiæ igitur his in partibus ortæ, cum partim ad gubernationem rerum Eccleſiaſticarum, partim ad Theologicas quæſtiones pertineant; ab illis, ut tempore prioribus, facto initio, deinde ad alteras veniemus. Quo primum tempore hiſce in regionibus Eraſmi Lutheriquè ſcriptis accenſa lux eſt, qua colluſtrati homines haud pauci tyrannidem Paparum, idololatricos, ſuperſtitioſoſque cultus, & alios, paulatim in Eccleſiam invectos, errores agnoſcere cœperunt; Paſtores, qui paſſim pios cœtus collegerant, cum leges publicas ſibi adverſas haberent, atque ideo earum præſidio uti non poſſent, neceſſitate compulſi, ad Galliæ exemplum, regimen quoddam conſtituerunt Eccleſiaſticum, quod ex Paſtoribus, & delectis è fidelium multitudine ſenioribus, conſtans, è conſeſſibus minoribus in majores, quaſi per gradus quoſdam, aſſurgeret. Poſtquam vero nos primi omnium, cum Zelandiæ Ordinibus, ductu laudatiſſimi Herois, Guilielmi Arauſionenſium Principis, armis ſumtis ad vindicandam ab illegitimis imperiis avitam libertatem, ſimul, quod pias poteſtates decebat, ad ſublevandam Eccleſiam animum adjecimus, templa, imaginibus purgata, emendatioris doctrinæ magiſtris tradidimus, eoſdem liberalibus è publico ærario ſtipendiis ſuſtentavimus; ſtatim inter Paſtores quoſdam & Magiſtratuum pleroſque ortæ contentiones: cum illi quidem id, quod perſecutionum neceſſitate invaluerat, regimen ſine ulla mutatione retentum vellent, ſibique ac ſenioribus poteſtatem omnem ferendarum legum Eccleſiaſticarum, conferendique munera Eccleſiaſtica vendicarent: hi contra, mutatis temporibus, manente functionum diſcrimine, mutandam nonnihil cenſerent formam gubernationis: quippe cum, ut ex verbo divino docet Belgica Confeſſio, non id modo munus ſit Magiſtratuum, ut de civili politia conſervanda ſint ſolliciti; ſed & ut operam dent tollendis adulterinis cultibus, prædicando Euangelio, propagando Chriſti regno: quod cum officium faciunt, Magiſtratus eoſdem eſſe ſupremos & civilium & Eccleſiaſticarum rerum gubernatores: ac proinde nullum eſſe regimen externum, quod non ſupremo in Republica imperio ſubordinetur: quia, ut fert inſignis Optati Mileviſni ſententia, non Reſpublica in Eccleſia, ſed Eccleſia ſit in Republica. Hujus ſententiæ cum eſſet fortiſſimus ac potentiſſimus Arauſionenſium Princeps, leges concepit, eaſdem ab Eccleſiaſticorum quorundam objectionibus vindicavit. Auctor præterea nobis & Zelandiæ Ordinibus fuit, ut eandem in curam toto animo incumberemus, vaticinatus, ſi hanc muneris noſtri partem negligeremus, exitiale id Reipublicæ atque Eccleſiæ fore. In mandatis, quæ à nobis idem Princeps Arauſionenſium de exercitio collatæ ſibi poteſtatis accepit, fuit illud quoque, ut quæ ad religionem pertinent, ordinaret: item, ne Conſiſtoria ulla eſſe pateretur, niſi à nobis aut Magiſtratibus inſtituta. Poſt hujus obitum, moderante res Comite Liceſtrio, Nationalis Synodus ea fecit decreta, contra quæ nos id temporis decernendum cenſuimus, nos collationem Paſtoralium munerum nobis, nobilibus, & civitatum Magiſtratibus ſalvam velle. Quod & Comes Liceſtrius ſcripto ſervaturum ſe promiſit. Haud immerito ſane, cum ſub graviſſimo, & Papalis, & Hiſpanicæ dominationis jugo, publicationi actorum Synodi Tridentinæ interceſſerint majores noſtri & Provinciarum Senatus, quia recepta hic antiquitus jura patronatus, non directe quidem, ſed per obliquum ledebantur. De rebus Eccleſiaſticis in aliis Provinciis aut ab Ordinibus latæ ſunt leges, aut Canones ab iiſdem partim probati, partim correcti vim legum accepere. In Hollandia Weſtfriſiaque noſtra ſudatum in eo ſæpius: ſed fruſtra. Viginti ſex ſunt anni, cum poſtremo legum quædam formula concepta eſt à delegatis, partim Politici, partim Eccleſiaſtici Ordinis; ſed perrogari non potuit, quia civitates nonnullæ in quibuſdam capitibus, & in eo præſertim, quo ad electiones Paſtorum & ſeniorum conficiendas Magiſtratuum delegati cum presbyterii delegatis æquali numero conjunguntur, imminutum jus ſuum querebantur. Itaque, quod dolendum eſt maxime, quæque haud dubie magnorum malorum origo eſt, ſine ullis publicis legibus manſit per Hollandiam Weſtfriſiamque ſtatus Eccleſiæ: niſi quod decreto, non ita pridem facto, cujus exemplum his literis adjunximus, permiſſum eſt his, qui vellent, in electionibus eum modum obſervare, qui ante viginti ſex, ut diximus, annos conſcriptus, & tam ab Illuſtriſſimo Principe Mauritio, quam ab utroque juridico ſenatu probatus fuerat; permiſſum quoque Magiſtratibus, ſi vellent, intereſſe Eccleſiaſticis conventibus. Medio tempore, ſed præſertim annis duobus aut tribus proximis, mirum eſt, quo non ſe protulerit quorundam pro Eccleſiaſtica autoritate calidius nitentium licentia. Extant libelli, patria plerique lingua in plebem ſparſi, qui jura Patronatus, non ut Tridentini Canones imminuunt, ſed funditus ſublatum volunt, ut commentum papale juri divino plane adverſum. Sunt qui à ferendis legibus, quæ ad ordinem aut decorum Eccleſiæ pertinent, ab ultima cognitione rerum Eccleſiaſticarum, ab electione Paſtorum ac ſeniorum, Magiſtratus omnes, ipſaſque ſummas poteſtates aperte excludunt, nihilque ipſis relinquunt præter executionem eorum, quæ Eccleſiaſticis placuere, Verbis facta congruunt. Habentur Eccleſiaſtici conventus ab Ordinibus non indicti, imo interdicti: honor Magiſtratuum libellis, & jactis in vulgus vocibus, lancinatur: pluribus in locis, ubi dogmatum controverſiæ ſunt nullæ, vinculum Eccleſiaſticæ unitatis ob id abrumpitur, quod Magiſtratus, more veteris Eccle- Ep.306.

Ep.305. Ecclesiæ nostræ animo, assident Ecclesiasticis conventibus, & ad electionem Pastorum ac seniorum juxta ipsos Pastores ac seniores delegantur. Hac de causa conquisitis signationibus ad deferendos cœtus veteres plebs concitatur. Si obsistant Magistratus, & pessimi exempli secessionem probare nolint; sunt qui vim aperte minantur. Fuere & qui intentarent. Nos interim, gnari quanto ampliora jura in ordinandis Ecclesiæ rebus & designandis Pastoribus exerceant, non Reges tantum & Electores Euangelicam veritatem professi, sed Comites quoque Germaniæ, & tum ejusdem Germaniæ, tum Helveticarum civitatum rectores: quomodo Genevæ seniores Ecclesiæ non nisi ex Magistratuum numero eligantur ab ipsis Magistratibus; indignum arbitramur, nobis, qui pro tuenda vera religione, quantum vix quisquam, fecerimus pertulerimusque, pro multiplici beneficiorum genere has gratias rependi. Et quanquam prudentiam tuæ Majestatis semper sumus venerati; nunquam tamen antehac satis animo concipere potuimus, tantum publicæ authoritati periculum imminere à Presbyteriali ista summo imperio non subordinata gubernatione, quantum jam pridem Majestas tua & voce, in Hamptonensi præsertim conventu, & libris editis prædixerat, tamque secuti præstantes Angliæ Theologi multis argumentis demonstraverant. Quanquam & hic olim nascentis tum primum licentiæ argumenta Princeps Arausionensis præviderat. Nunc vero, exæquante tot oracula tristi experimento, nihil habemus quod prius accusemus quam diutinam nostram patientiam ac lenitatem. Interea tamen confidimus, Deum Opt. Max. institutorem legitimarum potestatum, qui Hebræis Regibus supremam sacrorum non functionem, sed gubernationem diserte imperavit, ejusque muneris negligentiam gravi adscripsit culpæ, haud passurum eripi, quod ipse concessit, ac sine quo neque Ecclesia florentem statum retinere, neque reipublicæ securitas in tuto esse potest. Speramus quoque tuam Majestatem non immemorem eorum, quæ anno CIↃ IↃ XCVII Edimburgi simili obtentu, à simili hominum genere, perpessa est, omnibus modis ostenturam, quantopere sibi displiceant schismaticæ ac seditiosæ molitiones.

Alteram partem malorum, quæ Ecclesias nostras exagitant, natam diximus è Theologicis quæstionibus. Ita enim se res habet. Ab initio repurgatæ apud nos Religionis, cum inter Pastores, tum in fidelium plebe de prædestinationis negotio, & quæ huic cohærent, variatum est sententiis. Aliis enim ea probata sunt dogmata, quæ à Calvini, Bezæ, aliorumque authoritate non parum sibi dignitatis conciliarunt, eadem nimirum quæ in Anglia defenderant viri docti Withakerus & Perkinsius: alii ab his dissidentes sententiæ suæ laudabant non spernendos autores, Erasmum, Melanchthonem, Bullingerum atque alios. Quanquam vero in Gelria quoque & Frisia non defuisse Pastores, qui posteriorem hanc sententiam tuerentur, editis libris apparet; tamen in Hollandia Westfrisiaque, & in Provincia Trajectina major semper fuit ita sentientium numerus: partimque vivunt adhuc, partim obierunt Professiores & Pastores, qui ante annos triginta & quadraginta hanc docendi rationem publice sunt secuti, nemine ipsis eam ob rem movente litem. Quod si quando in conventibus Ecclesiasticis, ubi priorem illam sententiam plures tuebantur, quidam Ecclesiastica eo nomine censuras fratribus intenderent, nos ante annos viginti & amplius autoritate nostra talibus censuris intercessimus, & ad concordiam fleximus Pastorum animos. Eandem viam secuti sumus, cum ex Academia, cui includi subtiliores istas disputationes æquum rectumque fuerat, in Ecclesias latius serpsisset contentio, priorisque sententiæ defensores posteriorem, ut sacris Literis, Confessioni Belgicæ, & Catechesi Heidelbergensi, apud nos receptæ, adversam accusarent. Contra se ac sua tuentibus aliis. Unde nata est collatio, quæ Hagæ coram nostro consessu anno CIↃ IↃC XI est instituta. Cujus is fuit exitus, ut sine ullo sententiarum præjudicio pacem & charitatem dissidentibus commendaremus iis decretis, quorum itidem exempla transmittimus. Confirmati sumus plurimum Majestatis tuæ literis, quas ipsi visum est ad nos mittere Martio mense anni CIↃ IↃC XIII. Iis enim literis Majestas tua, expensis iis quæ in controversiam vocabantur, pro summa sua prudentia monebat, experiundo sibi cognitum, disputationibus Theologicis id genus quæstionum vix posse terminari: magis è re fore ut publica autoritate sopirentur: vetitis ministris eas disputationes in suggestum, aut ad plebem perferre, jussisque pacem colere, & in ista opinionum ac sententiarum discrepantia invicem se tolerare, saltem, donec, mature cognito negotio, autoritate publica aliter statueretur. Addebat Majestas tua, compertum sibi, neutram sententiam ita deviam, ut non posset cum fidei Christianæ veritate, & cum animarum salute consistere. Similia super hoc argumento ex augusto Majestatis tuæ ore se intellexisse jam ante retulerant Legati Ordinum Fœderatorum, qui in Britannia fuerant anno CIↃ IↃCX. Neque incognitum erat, cum pridem in Cantabrigiensi Academia eædem quæstiones incaluissent, conceptas quidem Lambethæ assertiones quasdam, sed nunquam iis accessisse publicam autoritatem. Et cum anno CIↃ IↃCIII à Renoldo ejusque sociis Majestas tua oraretur, ut corpori Anglicanæ Confessionis pateretur adjungi easdem assertiones; Majestati tuæ minime ex re visum Ecclesiæ, librum Confessionis farciri Theologicis conclusionibus. Legebatur in alio libello, Majestati

Ep.305. tuæ juſſu conſcripto atque edito, rerum abſolute neceſſariarum ad ſalutem non magnum eſſe numerum: Quare exiſtimare tuam Majeſtatem, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quam ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſſariis, & ut de neceſſariis conveniat, omnis opera infumatur: in non neceſſariis libertati Chriſtianæ locus detur. Cum vero in decretis noſtris prioribus nonnulli requirerent certos tolerantiæ fines, neiſtarum diſputationum obtentu irreperent dogmata, aut quæ Deum facerent peccati autorem, aut quæ gratiæ vere gratuitæ honorem delibarent; concepta eſt formula, quæ, rejectis illis erroribus, quas Eccleſiæ Veteres & Reformatæ damnaverant, tolerantiam diſputationibus, in Collatione tractatis, tanquam limitibus quibuſdam, circumſcriberet, cum præcepto, ne quis in reliquis doctrinæ partibus quicquam doceret, quod à receptis per Eccleſias Reformatas ſententiis diſſideret. Hæc quoque formula ad Majeſtatem tuam miſſa eſt, lectaque tum ipſi, tum inſignibus Angliæ Theologis. Reſcriptum à Viro clariſſimo, non conſilium tantum Majeſtati tuæ, aliiſque viris graviſſimis probari; ſed formulam quoque ipſam. Apparere enim id actum, ut à duobus ſcopulis, in hac doctrina æque periculoſis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum, populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur, quæ ſalutis noſtræ proram ac puppim, principium ſcilicet, progreſſum, & conſummationem, uni Deo adſcribens, contemtum tamen bonorum operum non inducat. Ea igitur formula ad civitates Hollandiæ ac Weſtfriſiæ miſſa multis probata, tum illius, tum hujus ſententiæ Paſtoribus, majori parti Conventus placuit, factumque ea de re decretum eſt, quod ipſum quoque Majeſtati tuæ exhibemus. Acceſſerunt poſtea interpretamenta quædam, quibus teſtati ſumus, neutram nos partem prælatam alteri velle: imperata hæc donec plenius res cognoſcatur; atque interim Confeſſioni ac Catecheſi ſalvam manere, quam obtinuerat hactenus, autoritatem: ne quid iis adverſum docere cuipiam liceat. In Trajectina Provincia jam ante iſtud noſtrum decretum tolerantia ſuper prædeſtinationis controverſia, & quæ huic adhærent, Synodi Provincialis conſenſu, & Ordinum imperio ſancita fuerat: ut ex Canonibus, hic itidem exhibitis, videre eſt. Nuper etiam Tranſiſulaniæ Provinciæ Ordines pro tolerantia edictum fecere, quod ipſum quoque tranſmittitur. Confidimus plane à nobis vicinarumque Provinciarum Ordinibus in hoc negotio nihil factum, quod alienum ſit à piorum Magiſtratuum officio, & certiſſima ſententia Eccleſiarum Reformatarum, ut cujus clariſſimi doctores, convenienter exactiſſimo Majeſtatis tuæ judicio, controverſias iſtas, quæ verſantur in explicando ordine decretorum Dei, quibus gratia & gloria præparantur, aut culpæ præcognitæ præparatur ſupplicium: in conciliandis gra- Ep.305.
tiæ internis actionibus, ad omne bonum ſpirituale neceſſariis, cum libero humanæ voluntatis aſſenſu: in componenda fiducia divini contra tentationes auxilii, quæ pios unice conſolatur, cum timore & tremore, in quo ſalutem noſtram jubemur operari; retulerint non ad fundamentum, ſed ad id quod ſuperſtruitur, partim aurum & argentum, partim fœnum & ſtipulas, eoque convicerint, ejuſmodi diſſenſiones non obſtare, quo minus retineatur unitas Eccleſiæ, & Catholica communio, quam etiam his, qui tum circa iſta, tum in pluribus aliis diſſident, Auguſtanæ Confeſſionis Paſtoribus gregibuſque Eccleſiarum Reformatarum Paſtores & greges ſæpiſſime obtulerunt. Quare dolemus acerbis orationibus & libris, perque coitiones rem ad apertum ſchiſma productam illis in locis, ubi nullæ oſtendi poſſunt controverſiæ, præter eas, quæ in Hagienſi collatione tractatæ ſunt.

Sunt qui exiſtimarint, haſce controverſias Nationalis Synodi deciſione terminandas. Nos vero Majeſtatem tuam, pro ſumma ſua, tum in rebus omnibus, tum in iis præſertim quæ ad ordinandum Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſapientia expendere oramus, prius, an utilis ſit futura illarum controverſiarum deciſio: deinde, an recte per Nationalem Synodum id poſſit expediri. Ad prius quod attinet, rogatur Majeſtas tua examinare, an credibile ſit in iis controverſiis, de quibus manifeſta eſt veterum Patrum diſſentio, de quibus inter religionis inſtauratores convenire non potuit, ac ne inter Pontificios quidem convenit; præſtari poſſe à noſtri ſæculi ingeniis, quod hactenus nulla ſæcula præſtiterunt, ut in tantæ difficultatis argumento certum aliquid definiatur, in quo aut omnium, aut partis maximæ animi acquieſcant: an vero potius contenti eſſe debeamus illis Canonibus, quos contra Pelagium, Semipelagianos, & eos qui ex adverſo errabant, condiderunt Africæ Epiſcopi in tribus Carthaginenſibus, unoque Milevitano Concilio, & Galli in Synodo Arauſicana: quibus addi poſſunt ſententiæ quindecim, ſive Auguſtini, ſive Proſperi, ad capitula Gallorum; & illæ, quas Cæleſtinus, Romæ Epiſcopus, Galliæ Epiſcopis tranſmiſit. Et an de cætero dicere non liceat, quod in eodem argumento dixit idem Cæleſtinus: Profundiores difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum ſicut non audemus contemnere; ita non neceſſe habemus adſtruere. Videntur enim ſi quæ aliæ, hæ certe quæſtiones ejus eſſe generis, quibus optimo jure applicetur illud Auguſtini: *ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalva fidei compage non conſonant.* Et illud Vincentii Lirinenſis: *Antiqua ſanctorum Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis; ſed ſolum, certe præcipue, in fidei regula magno ni-*

bil

Ep.305. *bis ſtudio inveſtiganda eſt & ſequenda.* Hæc autem eo juſtius ad noſtras controverſias videntur poſſe aptari, ſi recte conſiderentur ea quæ diſſentientium pars altera alteri conceſſit, quorum indicem Majeſtati tuæ mittimus, ut inde appareat, quam multa in confeſſo poſita diſputationes anguſto limite coërceant. Accedit, quod per Hollandiam & Weſtfriſiam, aliaſque nonnullas Provincias, ea eſt multitudo aliter atque aliter de his quæſtionibus ſentientium, tum Paſtorum, tum aliorum, qui aut in plebe ſunt, aut etiam in dignitatibus conſtituti, ut utramvis in partem definitio ceciderit, laboratura ſit aut Eccleſiæ autoritas, aut tranquillitas publica. Alterum quod ad Majeſtatis tuæ perſpicax judicium deferimus, hoc eſt, an tutum ſatis ſit, & concordiæ omnium Eccleſiarum conveniens, controverſias, quæ omnes ferme Eccleſias ſunt pervagatæ, unius noſtræ nationis Synodo determinari. Scit Majeſtas tua, cui omnis Eccleſiæ hiſtoria eſt cognitiſſima, de unitate divinæ eſſentiæ & perſonarum Trinitate; de unica Chriſti perſona & duabus naturis; loquendi formulas, quibus detegerentur hæretici, & agnoſcerentur recte ſentientes, non Nationalibus, ſed Univerſalibus Conciliis conſtitutas: & ſi quando Nationis unius conventibus facti ſunt dogmatici Canones, ut contra Pelagium, ejuſque reliquias; eos non ante ratos eſſe habitos, quam ad omnes Eccleſias miſſi, communis judicii approbationem accepiſſent. Quoties aliter actum eſt, ferme videmus, non abiiſſe id ſine diſpendio Catholicæ unitatis. Orta olim quæſtione, an hæreticorum baptiſmus vere baptiſmus eſſet, Nationalis Africæ Synodus LXXXVII Epiſcoporum pronunciavit, non eſſe: aliis per orbem Eccleſiis aliter viſum eſt, & cum earum prævaluiſſet ſententia, Donatiſtæ tamen illius Synodi autoritate ſchiſma fecerunt inſanabile. Ita & cum poſt Oecumenicas Synodos Occidentis Eccleſia in Symbolo poſuiſſet, Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere; Orientalis Eccleſia, indignata adjectum aliquid formulæ citra communem conſenſum, abrupit unitatis vinculum, quod nunquam ex eo bona fide reſtitutum eſt. Habemus & recens in Germania exemplum, ubi cum Saxones Theologi & Paſtores librum confeciſſent, quem Concordiæ vocabant, in quo multa de effectibus hypoſtaticæ unionis naturarum in Chriſto; de modo præſentiæ Dominici corporis in Cœna; item de his ipſis noſtris controverſiis, quæ ad prædeſtinationem & liberum arbitrium, & amiſſibilitatem ſtatus juſtitiæ pertinent, definierant; placuit Reginæ Eliſabethæ, & piis Germaniæ Principibus, Francofurti Conventum inſtituere, in quo Legati ipſius Reginæ, item Eccleſiarum Galliæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Helvetiorum, & Belgicæ noſtræ, communi conſilio Epiſtolam ad Germaniæ Principes ſcripſerunt, in qua oſtenderunt recte ipſos facturos fuiſſe, ſi conſilia ſua contuliſſent cum aliis gentibus, quæ eundem, quem ipſi, Deum invocant. Extat Roberti Beli, Legati Reginæ Angliæ, pia atque erudita ad Principes Auguſtanæ Confeſſionis oratio, in qua docet, ex peculiaribus definitionibus ſequi Eccleſiarum diſtractiones: quod omnes tangit, ab omnibus tractari debere: ſi quid definiendum ſit, indicendum conventum, ad quem convocentur omnes, qui Reformatam religionem profitentur: cum credamus Eccleſiam Chriſti eſſe Univerſalem, & negotia eandem concernentia univerſalia & non particularia eſſe oportere: & propter communionem, quæ inter membra Eccleſiæ eſſe debet, non poſſe aliquod judicium ferri in Eccleſiis Germaniæ, quod non ad alios ſpectet & pertineat. Eadem ferme, eodem tempore, monuerunt Eccleſiæ noſtræ Belgicæ, edito eam in rem præclaro libello. Tam pii, moderatiſque conſiliis cum non auſcultarent doctores Saxonici, ſed paucarum Provinciarum conſenſum ſubſcriptionibus firmarent, ſecuta inde eſt illa luctuoſa nobis, lucroſa hoſtibus, Euangelicarum Eccleſiarum diviſio. Quod ipſum ſatis grave nobis exemplum eſſe debet, ne tale quid iterum committamus. Eo autem magis ad communem Euangelicarum Eccleſiarum ſtatum pertinebit quicquid de prædeſtinatione & adhærentibus quæſtionibus ſtatuetur, quod Auguſtanæ Confeſſionis Theologi in his controverſiis nunc maxime pedem figant. Quare cavendum imprimis videtur, ne quos Majeſtas tua, Electores Palatini, apud nos quoque Princeps Arauſionenſis, totæque Synodi ad communionem revocandos cenſuerunt; eos nova controverſiorum dogmatum definitione longius à nobis alienemus. Neque illud ſilentio prætereundum, tamdiu apud nos decertatis hiſce controverſiis, pauciſſimos eſſe Paſtores, quos non ſuſpectos habeat partium altera: quippe cum & ſingulorum, & integrorum conventuum præjudicia extent, quæ futuri judicii autoritatem non leviter infringant. Non eſt dubitandum, quin Majeſtati tuæ inter aſſiduas pro ſalute Eccleſiæ curas ſæpe inciderit cogitatio convocandæ Synodi generalis Eccleſiarum Reformatarum. Neque ſane cuiquam magis convenit in eo laborare, quam ei, cui inter emendationis religionis Principes principem locum aſſignavit Deus. Utinam vero ſicut aliis virtutibus, ita hoc quoque negotio feliciter peragendo illum ex eadem tua Britannia divinitus conceſſum Eccleſiæ Magnum Conſtantinum tua Majeſtas exæquet! Sane non ad hæc noſtra tantum, ſed etiam ad alia plura Eccleſiæ mala ſananda, præſentius nullum eſſe remedium, monent eruditiſſimi Paſtores, monuit & nos ipſos, annis jam ſunt decem, Fredericus Elector Palatinus. Ac ſicut tum idem Elector exiſtimavit, medio tempore inter eos, qui in Germania ſuper his aliiſque capitibus diſſentiunt, conſen- Ep.305.

Ep.305. ſum talem, talemque conjunctionem ſtatui ac ſervari debere, qualis Sendomiriæ ſancita fuerat, quoniam omnes (verba ſunt ipſius Electoris) unum fundamentum fidei & ſalutis habeant, ac ſolius Chriſti gratia ſalvari ſe credant, atque ita unius corporis membra ſint, cujus caput eſt Chriſtus, defectus vero imperfectionemque mutuo tolerandam eſſe; certo conſilio, id Deo gratius & utrique parti utilius fore, quam pertinacem in ſchiſmate perſeverantiam: ita cogitandum Majeſtati tuæ relinquitur, an non idem apud nos ſequendum ſit. Interea cum non tam opinionum diſcrepantia, quam contentioſus docendi modus, animos & Paſtorum & plebis exaſperet; utile credimus, ſine ſententiarum præjudicio, ex his quæ confeſſa ſunt inter partes, aut alioqui tuto certa, formulam aliquam ſobriam atque moderatam conſtitui, quæ paci & ædificationi, pro temporum ratione, optime conveniret, ad quam homilias ſuas Paſtores conformarent. In qua conſtituenda obſervandum imprimis videtur illud Moſis: *Quæ occulta ſunt, penes Dominum Deum noſtrum ſunto: at quæ revelata nobis & filiis noſtris uſque in ſæculum, revelata ſunt, ut faciamus omnia verba hujus legis.* Et affine Pauli Apoſtoli illud: *Ne quis ſapiat ſupra modum, ultra quam oportet, ſed ſapiat ad ſobrietatem.* Memorabilis eſt & Angliæ tuæ Canon: *Imprimis videbunt concionatores ne quid unquam doceant pro concione, quod à populo religioſe teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ V. & N. T. quodque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres, & veteres Epiſcopi collegerint.* Proprie vero ad Eccleſiarum noſtrarum ſtatum id pertinet, quod Vir eruditiſſimus Hieronymus Zanchius ſcriptum reliquit: cum utraque pars diſſidentium cum ſcandalo Eccleſiæ imprudenter & intempeſtive invehitur, debere mandare Principem, ut utraque pars contenta ſit locutione Sacræ Scripturæ: item, ne pars altera alteram publice damnet, dum in libera Synodo legitime ea de re diſceptetur & definiatur. Hoc enim eſſe conſilium Apoſtoli, repetitum millies ab Auguſtino ad hoc propoſitum: *Quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, (Chriſtum ſcilicet fundamentum:) *quod ſi quid aliter ſentitis, Deus id quoque revelabit, modo in eo, ad quod pervenimus, permaneamus.* Nihil autem verius arbitramur dici potuiſſe eo, quod Majeſtatis tuæ poſtremis ad Ordines Fœderatos literis continetur: nimis curioſarum eſſe mentium de prædeſtinatione ex ſuggeſtu diſſerere. Neque tantum infructuoſas eſſe ejuſmodi diſſertationes; ſed loco ſolidæ ædificationis commoveri prurientes animos apicibus argumenti & ſublimioris & obſcurioris, quam ut in multitudinis captum cadat. Quanquam autem decreta noſtra antehac audito Paſtorum judicio facta ad hos fines reſpiciant; tamen non deſperamus, quin obſervatis cautionibus iſtis de propiore atque preſſiore aliqua regula poſſit conveniri. In qua conſtituenda multum nos juvare poſſet, & Majeſtatis tuæ & Britannicæ Theologorum prudens conſilium. Et hoc quidem modo arbitramur non Hollandiæ tantum & Weſtfriſiæ, ſed & aliarum quarundam Provinciarum Ordines obtinere id poſſe, quo omnes omni ope conniti tua Majeſtas hortatur, ut nimirum ſopiantur triſtes illæ, proculque dubio tum in Eccleſiam, tum in Rempublicam exitioſæ diſtractiones, quas controverſiæ de prædeſtinatione & ei affines attulerunt: ſaltem donec, ut dictum jam eſt, commune aliquod extet ſuper iiſdem Reformatarum Eccleſiarum judicium. Ea vero dogmata, quæ univerſali Eccleſiarum aut Veterum aut Reformatarum conſenſui repugnare ex Synodis antiquis, aut ex Evangelicarum Confeſſionum, quas inter & noſtra eſt, edita in hunc finem Harmonia apparet; judicamus nullo modo eſſe ferenda aut diſſimulanda, quod & plurimis decretis teſtatum fecimus, multumque dolet nobis, dum illa tolerabilia, de quibus ante egimus, non tolerantur, ex ſchiſmatum licentia naſci Eccleſiaſtici ordinis everſionem, quæ deinde efficit, ut multa minus tolerabilia irrepant. His autem evellendis, ut, quantum fieri poteſt, operam demus, ſatis intelligimus nos ratione ejus, quod gerimus muneris, Regum Regi & Domino dominantium obligatos. Quare & hoc omni conatu agimus, ut diſruptæ Eccleſiæ & conventus Eccleſiaſtici redintegrentur, & ita quæ oportet ſeveritate judicia dogmatica exerceant. Neque vero id ſatis habentes, in manifeſtarios quoſdam civili inſuper animadverſione uſi ſumus: in eodem hoc pio ſortique propoſito, per Dei gratiam, perſeveraturi, ut tuæ Majeſtati, cui & fidei unitate & amicitiæ fœdere conjungi ſummam felicitatis noſtræ partem arbitramur, & toti orbi Chriſtiano appareat, nos id facere, quod ut faciamus tua Majeſtas monet, retinere nempe veram veteremque doctrinam, quam hactenus profeſſi ſumus, quæque univerſali Eccleſiarum Reformatarum conſenſu probata ac recepta eſt, cujus communem profeſſionem quaſi cæmentum eſſe, quo tuæ Majeſtatis regnum harumque Provinciarum amicitia conglutinatur, grato animo agnoſcimus. Ep.306.

Synodum communem Fœderatarum Provinciarum, quam Nationalem vocant, quod attinet, ab ea jam olim complures Provinciæ animo fuerunt alieniore. Primum, quia Provincia unaquæque ante aliquot ſæcula proprias leges, propriaque inſtituta, ac proinde perfectam intra ſe Rempublicam habuit. Cumque plures armorum ſocietate & arcto fœdere inter ſe conjunctæ ſunt; vetera tamen illa imperii jura minime permiſcuerunt. De religione autem cautum voluerunt nominatim, ut Provinciæ cuique ejus ordinandæ ſalva maneret libertas, aliarum Provinciarum imperiis non obnoxia. Itaque & poſt fœdus Trajectinum,

Ep. 305. num, quod ſocietatis iſtius vinculum eſt, & poſtquam divino beneficio omnes Provinciæ, damnato Papatu, Euangelicam ſunt amplexæ veritatem; leges Eccleſiaſticæ non communi Fœderatorum Ordinum auctoritate, ſed Ordinum Provincialium nomine atque imperio ſanctæ fuere. Huic pro jure tutando ſollicitudini acceſſit experimentum grave à duabus Synodis Nationalibus, quarum altera anno CIↃ IↃ LXXXI habita Middelburgi, decretis ſuis ita offenderat præclaras civitates, ut editis publice libris Synodo ſit contradictum: poſterior anni CIↃ IↃ LXXXVI ſub Comitis Liceſtri præfectura, nobis aliarumque Provinciarum Ordinibus neceſſitatem impoſuerit contraria Synodo decreta facienda. Quo ipſo tempore Trajecti cum Eccleſiæ perturbatione facies quoque Reipublicæ mutata eſt, externis hominibus per vim ac ſeditionem ad honores dignitatesque evectis. Spes tamen, quam, temporibus minus turbidis, & multo quam nunc ſedatioribus animis, viri boni conceperant, in Nationali Synodo poſſe quædam Confeſſionis Belgicæ verba, quæ, durius explicata & rigidius preſſa, multorum angebant conſcientias, unde novæ ſemper cenſuræ, & contra cenſuras querelæ oriebantur, aut mutatione levi, aut ſaltem interpretatione benigniore ita molliri, ut omnium conſenſum facile impetrarent, atque ita pacem firmarent Eccleſiæ; effecit, ut nos, anni jam ſunt viginti, paratos nos convocandæ Synodo Nationali oſtenderemus, hac lege ac cautione, ut in ea Confeſſio Belgica, ad verbi divini normam, exigeretur. Per annos decem laboratum eſt, antequam aliarum Provinciarum in idem conſenſio impetraretur. Tam difficile id negotium erat, ob eas quas ante commemoravimus cauſas. Tandem factum eſt anno CIↃ IↃC VI decretum de indicenda Nationali Synodo, clare iterum hac addita lege, ut in ea & Confeſſionis Belgicæ, & Heidelbergenſis Catecheſeos inſtitueretur examen. Sed cum hæc cautio Paſtoribus quibuſdam minus placeret; ea res moram indicendæ Synodo attulit; cui acceſſit impedimentum alterum, quod Paſtorum haud pauci in convocanda, moderandaque Synodo, ejuſque actis examinandis, id jus Ordinibus denegarent, quod Chriſtianos Imperatores, Reges, aliaſque Poteſtates, & earum delegatos habuiſſe antiquitus conſtat, & quo nunc quoque utuntur Principes atque rectores Euangelicam veritatem profeſſi. Quod cum viderent Provinciarum quarundam Ordines, ſimulque animadverterent, Paſtorum pleroſque ad præcipitia magis quam ad moderata ferri, & hoc libris, coitionibuſque arcanis agere, ut quicquid in gravibus illis de prædeſtinatione controverſiis ipſis minus probaretur, id in aliis damnarent; unde nihil expectari poterat præter Eccleſiæ, conſtantis ex diverſa ſentientibus, detrimentum ingens, & perpetuus in republica factiones; conſenſum, quem in Synodum Nationalem præbuerant, amiſſo, quem ſperaverant, fine, rebuſque in pejus mutatis, revocarunt. Et quanquam hoc anno Provinciæ quædam iterum Nationalem Synodum urgere cœperunt, atque eam indicere ſunt aggreſſæ; illæ tamen Provinciæ, quæ veteribus illis controverſiis magis implicatæ præcipites condemnationes perhorreſcunt, aſſenſum ſuum negant: neque arbitrantur id juris conceſſum eſſe aliis Provinciis, ut vel una invita, nedum pluribus, communi fœderatorum nomine aliquid imperii circa Eccleſiaſtica uſurpent; cum id imperium, minime ambigua ſtipulatione, Provinciæ ſingulæ integrum illibatumque ſibi ſervaverint, connexæ quidem religionis vinculo cum vicinis Provinciis itidem, ut cum Majeſtatis tuæ regnis, aliiſque per Europam eandem veritatem ſequentibus, ſed ſine ulla mutua ſubjectione: ſicut Germaniæ Electores, Principes, Comites & civitates Euangelicæ profeſſionis inter ſe devincti fœderibus, res tamen Eccleſiarum ſeorſim ordinant; ut ex peculiaribus ipſorum Confeſſionibus, editiſque legibus Eccleſiaſticis apparet: quod ipſum in fœderatis etiam Helvetiorum Civitatibus religionis Euangelicæ obſervare eſt. Ita ut dubitandum non ſit, quin ſi pronæ ad Nationalem Synodum Provinciæ in propoſito pergant; aliæ leges, fœdera, imperii jura violari, ſummamque ſibi injuriam fieri ſint creditуræ: & jam apud acta ea de re teſtationes confectæ ſunt. Quare aut alia incunda eſt via, quæ parti utrique ſatisfiat; aut ex contrariis decretis perpetuum Eccleſiæ ſchiſma, & ex illa juris publici diſputatione concordiæ ejus, qua ſtetimus hactenus, diſtractio imminet. Quorum utrumque Deus avertat. His, quæ ſincere, prout ipſa ſe res habet, Majeſtati tuæ ſignificamus, rogatur Majeſtas tua animum advertere, ſummiſque ſuis in hanc Rempublicam beneficiis hoc adjungere, ut legitimos ejus rectores in tuendo imperii jure adjuvet: tum vero auctoritate ſua, quæ merito pollet maxima, doctorumque Theologorum conſiliis, ſeceſſionis propoſitum ob controverſias ad ſalutem non neceſſarias, difficiles præterea & vix explicabiles; ante communem Eccleſiæ vocem, etiam legitimis Euangelicarum monitionum gradibus non obſervatis, quantum fieri poteſt, avertat. De nobis viciſſim certo ſibi ſpondeat, nos in noſtro officio ſegnes non fore, ac præſertim diligentiam adhibituros, ut adverſantia receptæ veritati dogmata judiciis Eccleſiaſticis, & publica, ſi eam opus ſit accedere, animadverſione ex Eccleſia exterminentur, omniaque fiant, quæ aut ſalutaris veritas, aut Chriſtiana charitas expoſcunt. Faveat Deus. Cujus divinæ protectioni, Sereniſſime atque idem religioſiſſime & ſapientiſſime Principum, vitam tuam, ſanitatem, regnique felicitatem in tuorum ſubditorum & totius orbis Chriſtiani bonum, ac Dominici nominis

Ep.306. minis gloriam, votis quam possumus ardentissimis commendamus. 1618.

CCCVI.

SYNODO DELPHENSI

REMONTRANTES QUIDAM S.P.

Refelluntur adversariorum quorundam criminationes, ac genuina Remonstrantium sententia proponitur.

REverendi, Eruditissimi, Prudentissimi Domini, &, si vultis, Fratres: Nos infra scripti divini verbi administri, noluimus ab hac Synodo abesse, aut in ea præsentiam nostram desiderari. Partim; quo testatum faceremus, animum atque adfectum, qui est & semper nobis fuit, communionem atque unitatem Christiane colendi cum Ecclesiis Reformatis harum Regionum, in quibus jam annos aliquot Deo & Christo operam nostram, pro modulo donorum nostrorum, impendimus; partim, ut debitam obedientiam præstaremus Illustrissimis & Potentissimis Ordinibus Hollandiæ, quorum jussu hæc Synodus à Classe Dordracena convocata erat. Ad quas causas & hæc accessit, quod nobis occasionem oblatum iri speramus, depellendi à nobis coram consessu Vestro, diversa crimina quibus nos à quibusdam gravari, quamquam nullo nostro merito, nobis constat, & de quibus nunquam antehac aut in Classibus, aut in Presbyteriis legitime actum fuit. Quamquam autem tam Christiano animo ad hanc Synodum venerimus, non defuerunt tamen qui statim in ipso limine publica declaratione testati sint, cum suo, tum eorum à quibus ad hanc Synodum missi erant, nomine, *non posse nos agnosci abs se, ut Fratres in Christo*, nec posse se salva conscientia, nisi istiusmodi declaratione præmissa, una nobiscum in hoc publico conventu locum capere, quin etiam *nos abs se ut Ethnicos & publicanos haberi*. Et quamquam magna ratio suberat, quamobrem ipsi nosmet à talibus, tam indebita declaratione sive protestatione utentibus, segregaremus, maluimus tamen injuriam istam ferre, quam ut institutæ actiones Synodi hujus turbarentur. Passi nobis pro tempore satisfieri, eo quod Synodus testaretur, prædictam declarationem intempestivam atque ineptam sive illegitimam videri. Cum autem postea, præbente nobis occasionem octavo gravamine, super quo Classium suffragia postulata, & nunc Synodo huic repræsentanda erant, cum nostro, tum partim eorum qui nos ad hanc Synodum deputarant, nomine, syncere testati essemus, præeuntibus nobis & aliis, qui huc venerant, plane acquiescere nos in doctrina salutari, prout illa in Ecclesiis Reformatis, ex præscripto divini verbi, nec non formularum concordiæ, Confessionis & Catecheseos, hactenus in his regionibus promulgata fuit; nunquam etiam nos in animum induxisse, nec nunc etiam statuisse, quidquam in medium proferre, quod prædictæ doctrinæ adversetur; quin & omnes contrarios errores Ep.306. rejicere, nec deprecari ullas legitimas Ecclesiasticas censuras, si aut contravenisse hujuscemodi nostræ declarationi, aut in posterum contraventuri comperiamur; declarantes insuper nos de quinque articulis disputatis in Consessu Ordinum Hollandiæ, ita semper & sensisse & locutos fuisse, ut à fundamentis in Confessione & Catechesi jactis, nostro quidem judicio, non discreparemus: Evenit tamen ut justam occasionem præberi nobis existimaverimus, suspicandi prædictam nostram declarationem in illam partem à vobis acceptam non fuisse, in quam accipiendam, & spes & votum nostrum fuerat. Nec enim illa declaratione Synodo satisfactum fuit, cui etiam post hanc, aliam atque aliam postulare visum fuit; quamquam ipsi Domini Delegati, qui huic Synodo nomine Ordinum Hollandiæ interfunt, videri sibi dicerent, ultra quærendum non esse. Quæ res cogitandi occasionem nobis dedit, quosdam Vestrum non satis fraterno animo erga nos affectos, ita de nobis statuisse, ut existiment nos indignos, quibus fides haberi debeat: aut quos novo examini sisti velint, ut inde occasionem aliquam nos circumveniendi captent: fortasse in hac sua de nobis opinione confirmati, non solum quod hic palam quidam præ se tulerunt, nos abs se loco Ethnicorum & publicanorum haberi; quidam etiam nos suspectos habuerint, ut quibus bona conscientia tribui non possit: sed & ob alia delicta, quorum fortasse, nullo quod quidem sciamus merito, à nonnullis insimulamur. Cum præsertim etiam inventus sit, qui dicere palam, & stilo publice testari non dubitaverit, esse nos, (idque solummodo ob sententiam nostram quinque articulis, olim DD. Ordinibus Hollandiæ exhibitis, comprehensam) totius Christianæ Religionis irrisores, quin & abnegatores & horribiles spurciones Dei & Servatoris nostri Jesu Christi. Quæ quidem calumnia, si fidem à quoquam vestrum impetraverit, aut à nobis refutata non fuerit, tum profecto nemini videbitur esse mirum, quicquid à nobis aut fiet, aut dicetur, id omnibus continuo suspectum esse. Cui malo uti obviam eamus, animisque vestris siniistras id genus de nobis, quas forte nonnullus concepit, opiniones, quantum potest evellamus, quo nimirum securius deinceps una loquamur & agamus, visum nobis qui subscripsimus, ita fuit; à vobis obnixe petere, ut priusquam cum hac Synodo alias actiones auspicemur, nos iis objectis expurgare nobis liceat, quæ quis vel ipse, vel per alium ad hunc coetum deferre voluerit. Quod nisi nobis permittitur, rationem nos quidem videmus nullam, qua cum fructu vobis adesse hic possimus. Porro cum & hoc scripto, & ore coram aliquoties in hoc coetu declaratum sit à nobis, nos de divina prædestinatione ejusque appendicibus, aliter nec sentire nec loqui solitos, quam

ut

Ep.306. ut iis fundamentis conſentaneum eſt, quæ poſuit continetque Confeſſio Belgica, & Heidelbergenſis Catecheſis, viſum eſt faciendum, uti noſtram ſuper iis ſententiam hic plenius expreſſam adjungamus. Ut ſi quid abire à vero judicabitis, id annotare ne gravemini: quibus nimirum oppoſitis controverſiæ ſtatus inter nos formari poſſit. Nam eum quidem ut extra haſce controverſias formemus, non omnibus à ſuis mandatum eſt. Docemus igitur & ſentimus:

Deum ab æterno apud ſemetipſum ſtatuiſſe, condere in tempore genus humanum, ad ſimilitudinem atque imaginem ſuam, ut Deum Creatorem ſuum recte cognoſceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret, idque ad eum laudandum & celebrandum.

Deum prævidentem & præſcientem totum humanum genus ex illa felicitate, in qua à ſe conſtituendum erat, prolapſurum per inobedientiam in extremam miſeriam & corruptionem, ſtatuiſſe nihilominus illius miſereri, & ita mundum dilexiſſe, ut decreverit in mundum mittere Filium ſuum unigenitum, hoſtiam piacularem pro peccato, qui onus divinæ iræ adverſus peccatum univerſi generis humani ſuſtineret, media acquireret, quibus homo à Deo rurſus in gratiam recipi, abſque læſione juſtitiæ divinæ, poſſet, ac Chriſtum conſtitutum fundamentum electionis noſtræ.

Deum pro beneplacito voluntatis ſuæ, ab æterno elegiſſe, & hæredes conſtituiſſe æternæ vitæ, quotquot D. Jeſum in tempore vera fide amplectuntur, tali videlicet fide, quæ à regeneratione & renovatione hominis ſeparari non debet, efficax eſt per charitatem, & viva per bona opera, ac tales virtutes quæ hominem Chriſtianum decent; & qui in ejuſmodi ad finem uſque perſeverant.

Deum ab æterno decreviſſe omnes incredulos & impœnitentes, in infidelitate ſua ac impœnitentia perſeverantes, ab æterna ſalute arcere, tanquam alienos à Chriſto, & communione gratiæ ipſius; ita ut peccatum & infidelitas meritoriæ ſint cauſæ reprobationis.

Debere nos ex vi utriuſque præcedentis decreti divini de ſalute & damnatione hominum, omnes homines & ſingulos adhortari ad fidem in Chriſtum, ut ſalutem conſequantur; deterrere ab infidelitate, ut damnationem effugiant.

Dominum Jeſum pro omnibus & ſingulis hominibus mortuum eſſe; ita tamen, ut nemo, qui quidem eam ætatem attigerit, in qua Chriſtum fide amplecti poteſt, ſolidam utilitatem à morte & merito Chriſti percipiat, præter vere fideles.

Fidem, meritum gratiam & purum putum Dei donum eſſe, tam reſpectu initiorum fidei, quam progreſſus ac finalis perſeverantiæ in eadem fide. Ita ut nemo credere poſſit, niſi ad id per prævenientem Dei gratiam, viribus Ep.306. ac potentia donatus atque inſtructus ſit, nemo in fide eadem perſeverare, cui non eadem gratia Dei ad finem uſque adſit.

Deum quod ad ſe attinet, paratum eſſe, omnes infantes in Eccleſia ſua baptiſatos, ubi ad juſtam ætatem pervenerint, mediis inſtruere, quibus ſalutem conſequi poſſint, & ſeſe ad id gratioſe altringere per baptiſmum, ut quo teſtetur atque obſignet ſe recipere baptiſatos in numerum liberorum ſuorum, lavare eos in ſanguine ſuo, in tempore velle eoſdem renovare ac regenerare; ac proinde unumquemque certa atque indubitata animi perſuaſione credere debere, omnes infantes quotquot in Eccleſia baptiſantur, Dei eſſe, participes gratiæ ipſius, nec ullos in eo ſtatu reprobos.

Multos liberos fidelium & Chriſtianorum, quibus Deus ſpiritum ſuum & gratiam renovationis in baptiſmo promiſerat, paratus duplici illos beneficio impertire, remiſſione videlicet peccatorum, ſive juſtificatione ac ſanctificatione: item & alios multos, quibus in eundem finem Deus gratiam ſuam ſyncere ac ſerio offert, ita aliquando vitam inſtituere, ut promiſſa Dei beneficia ad illos non pertingant, nec illis proſint, quæ illi ſua infidelitate atque ingratitudine irrita reddunt, atque obliterant, ut tandem pereant, non defectu divinæ gratiæ, ſed ſua culpa, eo quod Dei gratia indigne abuſi ſint.

Omnes vere fideles poſſe ac debere certos eſſe de gratioſo Dei erga ſe affectu, & de remiſſione peccatorum ſuorum: non debere tamen illa certitudine abuti ad carnalem ſecuritatem; ſed ita ſemper apud ſe ſtatuere, ut ſe morituros, ſi ſecundum carnem vixerint, arbitrentur, ac proinde rejiciendum eſſe (ita cenſuit Synodus Geldriaca) ſi quis dicat; eum qui ſemel in Chriſtum credidit non poſſe fidem totaliter nec finaliter amittere, nec à gratia excidere per negligentiam, quin nec per peccata graviſſima, letalia, utpote, adulterium, homicidium, &c. prolapſum in horribilia peccata, ante mortem neceſſario convertendum eſſe, vi cujuſdam abſoluti & inevitabilis decreti.

Hominem voluntate prædium eſſe, quæ quidem pars eſt, ſive innata facultas ac potentia animæ: voluntatem natura ſua liberam eſſe, nec aliter voluntatem eſſe. Homines cum prævaricantur ac perperam agunt, id libere agere; ſimiliter, ſi virtuti ac bonis operibus ſtudeant, imprimis autem Chriſtianæ pietati, & id libere agere; ita tamen, ut ad hoc viribus ac potentia inſtructi ſint, non à ſe aut à corrupta ſua natura, ſed à Deo & gratia ipſius in Chriſto.

De divina prædeſtinatione, ejuſque appendicibus, nos quidem his verbis atque ſenſis, quæ jam commemoravimus, loqui ſolemus: eam ſcilicet ſic propoſitam, & ſalutarem, & ad captum

Ep.307. captum auditorum noſtrorum accommodatam eſſe rati; qui fere ſimplices rudioreſque ſunt, nec ſubtilioribus diſputationibus inquietandi. Quod ſi Fratres, quam diximus ſententiam probant, nec nos altius urgere volunt, hactenus quidem ſentimus idem. At ſi non probant, antitheſes igitur opponere ne graventur, ut hinc ſtatus quæſtionis inter nos oriatur; de quo Synodi Nationalis ſententiam exſpectemus.

Subſcripſerant

Chriſtopherus Hellerus,
Theophilus Rijckewaert,
Jacobus de Carpentier,
Theodorus Herberts,
Daniel Wittius,
Adrianus Simonis.

CCCVII.

MARTINO GREGORII

Senatori Gelriæ Ducatus, &c.

HENRICUS ARNOLDI

Eccleſiaſtes Delphenſis S.P.D.

Decapitidatæ Barnevaldii, Hogerbeetii & Grotii.

HOdie Principem conveni, quem ſollicitum offendi. Civitates enim Hollandiæ urgent captivos hoſce tres ſuo tribunali eſſe ſiſtendos: ſin minus, ſuis privilegiis vim afferri. Interim certum eſt, ſi Princeps hac in parte ipſis morem gerit, captivos omnia diſcrimina evaſiſſe, & Rempublicam ad exitium. Fortaſſe in nonnullis civitatibus membra Senatus ad examen revocabuntur. Delectus quoque habebitur, quod ſi fiat, omnia fauſta ſperamus. Si remoris objectis impeditur, miſere fluctuabimus. Synodus Nationalis jam Ordinibus Hollandiæ minus diſplicet: Provinciales ſeu particulares duæ intra tres hebdomadas cogentur. Loci adhuc incerti à Claſſibus Synodalibus brevi deſignabuntur. Speramus ex Gelricis Eccleſiis Deputatos affuturos. Acta Synodi cum Synodica ad Bleiſwicenſes Epiſtola, magno deſiderio expectamus, ut facis inſtar actionibus noſtris prælucere poſſint. Populus miro gaudio ex captivitate horum trium perfuſus metuit, ne qua arte immunitatem impetrent; quod ſi fiat, crebras & funeſtas animus mihi, & aliis ſeditiones præſagit: unicum remedium Deo ardentibus precibus Rempublicam & Eccleſiam committere. Cujuſque tutelæ te, vir ampliſſime, commendo. Raptim Hagæ Comitis 4 Sept. 1618. ſtilo novo.

CCCVIII.

ORDINES HOLLANDIÆ

& Weſt-Friſiæ

SIMONI EPISCOPIO.

Vocatio ad Synodum.

DOctiſſime plurimum dilecte: Quoniam præpotentibus Dominis Ordinibus Generalibus fœderati Belgii placuit, ad exſtinctionem triſtium harum de religione controverſiarum, ex omnibus fœderati Belgii provintiis indicere Synodum Nationalem, Dordraci celebrandam, in diem primum inſtantis menſis Novembris, præſentibus aliquot piis, pacis amantibus, doctis ac moderatis viris, è vicinis regnis, ditionibus & Rebuſpubl. hunc in finem à Præpotentibus Ordinibus evocatis, ſicut non dubitamus, quin R.T. id jam antehac intellexerit: per haſce præſentes idem R.T. etiamnum ſignificamus, ſimulque monemus, mandamus & jubemus, ut te ad hanc rem debitè præpares, teque in primum dicti Novembris diem intra civitatem Dordracum ſiſtas, ut in prædicta Synodo Nationali etiam compareas, illi aſſiſtas, & conſilio ſententiaque tua adſis, abſque ulla tergiverſatione ac morâ, quoniam id à te exſpectamus, & R.T. Dei Omnipotentis tutelæ committimus. Scriptæ Hagæ 20 Septembris 1618.

Ad mandatum Ordinum

Verſa è Belgico. A. DUYCK.

CCCIX.

SIMONI EPISCOPIO

JOANNES UYTENBOGARDUS

S. P. D.

Leidæ. Di ſua l. paruiſque

HAud eſt opus, Vir Clariſſime & innumeris mihi nominibus venerande, tam accurata & ſolicita excuſatione ſilentii tui apud me; novi ſiquidem probe affectum erga me tuum, & occupationes quæ te detinent, hoc præſertim tempore, graviſſimas. Interea rem acu tangis, quum dicis te non ignorare quam ſit volupe & ſuave abſentes amicos ſaltem in charta loquentes audire, & quaſi præſentes intueri. Iſta ex cauſis una eſt quæ per Nicolaum noſtrum aures vobis vellicari voluit de dandis ad me litteris. Acceſſit altera: ſolicitudo frequens, imo continua, de animo veſtro & affectu erga communem cauſam, tantum non omnino oppreſſam ſubita hac, &, rapidi torrentis ad inſtar, ſtupendo impetu omnia ſecum deorſum ſurſum volvente, mutatione: ſiquidem vel fortiſſimum quemque, ejuſmodi rerum, pluribus inexſpectatæ converſiones, penitus percellere & de ſtatu dejicere

Digitized by Google

p.309. cere & deturbare ſolent. Non quod de conſtantia veſtra vel tantillum dubitem; ſed quod nihil mihi triſti hac tempeſtate accidere poſſit gratius, quam vos ipſos de ea me alloquentes audire. Factum id modo à te, à Nicolao, Arnoldo, & Dwinglono: velim idem & ab aliis fieri, Borreo præſertim & Poppio fidiſſimis Chriſti ſervis, fratribus & commilitonibus chariſſimis. Hoc tamen, quod conſulto partim, deſtinatoque in principio litteras ad me non dederis, quid ſibi velit, curioſule mihi inquirere liberet ſi liceret. Res eſt ſolliciti plena timoris amor. Quod locum meum aliquando Hagæ non obtinueris modo, ſed & ornaveris, tam impenſe gaudeo, eoque nomine tanto majore cum affectu gratias ago, quanto majore cum triſtitia audio & intimis animi viſceribus doleo, novo hoc ſenatus mandato, viam tibi impoſterum ad ſuggeſtum illud noſtrum præſtructam eſſe. Horſum ſiquidem illud ſpectare imprimis puto, ut me abſente, te tacente, Taurino ſolo laboribus non ſufficiente, in caſſum eant omnes in iſta Eccleſia acti mei labores; vel ſi utrinque ſuffecerit ille, tandem etiam illi ipſi, velut citra conſcientiam ſenatus vocato, & aliunde etiam per Synodum exagitando, os occludatur, quo etiam templum majus auditoribus vacuum, quin & imbecilliorum, quales ſunt ut plurimi, animos, occupent Rerum Domini, ac ita plene de nobis triumphent. Ferendum quod vitari non poteſt. Cæterum, ut tibi, adſerenti aſſiduum mei deſiderium, & curam ne quid mihi ſiniſtri accidat, fidem habeo pleniſſimam: ſic velim, qui noctes dieſque me cruciat & fatigat, ſcrupulum ſeu aculeum eximas, hunc, an bene & ſecundum Deum fecerim, quod nemine perſequente fugerim, ac in exilium ſponte mea, non coactus, abierim. Dicis quidem tu, Deum me eripuiſſe ex ore inimicorum, quos mihi peſſime velle certo certius tu ſcire affirmas, providentiæque Divinæ, quod me in tuto locaverit, & extra periculi aleam poſuerit tribuendum putas, quin & in divini nominis laudes hac occaſione erumpis: verum enimvero rationes nullas addis propter quas voluntarium hoc exilium, multorum judicio cauſæ & mihi admodum probroſum, imo ſuſpicionibus pravis valde obnoxium, certæ quidem, (quod firmiter credo) ſed tamen honeſtæ, captivitati, quin & morti, ſi ſupremum Numen ita voluerit, præferendum mihi fuiſſe putes. Hoc ſi validis argumentis & rationibus, ex S. Literarum & voluntatis divinæ, nobis in ea revelatæ, penu depromptis, probari mihi poterit, næ tum demum divinis & egregiis illis conſolationibus tuis, quibus, ne moleſtia exilii defatigari velim, hortaris, locus erit. Cauſa bona quidem eſt, ſi propter illam in exilium ejectus & abactus fuiſſem. Conſcientia quidem facit nulla culpa quæ vel vincula vel exilium mereatur palleſcam, verum non plane & plene abſolvit à crimine, quod ita abierim, nec potius vobiſcum in arena perſtiterim, vinciri, quin & mori pro nomine Domini Jeſu paratus cum Apoſtolo potius quam audire κλαίοντες ἐξ τὴν καρδίαν μου (hoc enim mihi accidit) συνθρύπτοντες (*flentes & emollientes cor meum*) ac porro argumentis humanis quam divinis potius me vel invitum ac reluctantem in exilium tantum non protrudentes. Hic ſuppetias mihi à vobis ferri peto; valde enim hæreo & animi angor, prout ad amicum intimum & vere Chriſtianum virum D. Curionem noſtrum, perſcripſi, qui, nil dubito, rogatu meo vobiſcum hac de re acturus eſt, & declaraturus quid ego apud me tantum non conſtituerim, nisi conſcientiæ meæ, hac videlicet in parte, aliis quam hactenus argumentis plene ſatisfiat. Concludam cum Jobo, Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Valete. 1618. Menſe Octobri. Ep.316.

CCCX.

Literæ Citatoriæ

DEPUTATORUM

Ordinum Generalium.

REverendi atque Eruditiſſimi viri. Quandoquidem, quod neminem latere poteſt, Illuſtres ac Præpotentes harum unitarum Provinciarum Belgii Generales Ordines, in primum hujus menſis Nationalem indixerunt Synodum, ad quam celeberrimos quoſque è magna Britannia, Gallia, Palatinatu, Brandenburgo, Haſſia, Helvetia, Geneva, Brema, Emda, & aliis quæ Reformatam profitentur Religionem Eccleſiis, jam pridem advocarunt Theologos, quo triſtiſſimæ hæ ac cum publice tum privatim noxiæ in negotio religionis examinentur controverſiæ, atque hac ratione ſua Reipub. ſalus, Eccleſiæ reddatur tranquillitas, exulcerati utrimque atque exacerbati leniantur animi, omniaque in poſterum ad unius Dei immortalis gloriam & communis patriæ dirigantur incolumitatem: cumque in eo conventu ad decimum & tertium hujus menſis rite atque ordine, præſentibus Illuſt. ac præpotentum DD. Ordinum Generalium Delegatis, celebrato primum, ac bonis auſpiciis inchoato, reliqui etiam externi nulla aut moleſtiarum aut itinerum difficultatis ratione habita, ſeſe ſtiterint Theologi, ſoli autem Ultrajectinorum huic actioni interfuerint, ut nunc loquuntur, Remonſtrantes; nos Illuſt. ac Præpotentum DD. Generalium Ordinum Delegati, ut omnia ordine, decenter, ac quemadmodum in domo Domini oportet, tranſigantur, eoſdem citari juſſimus (quemadmodum hoc ipſo R. V. citamus ac vocamus) ac ſignificari, non tantum omnibus, verum etiam

Digitized by Google

Ep. 311. singulis ex præcipuis atque eruditissimis, quos stare ex ea parte novimus, & ad quinque quos vocant articulos, de quibus proxime agendum erit, aliquid movere possunt, ut intra diem decimum ab hac insinuatione & quartum in conventu hoc legitime ac cum plena ab Illustribus ac Præpotentibus DD. Ordinibus potestate indicto sese sistant, ut in timore Domini sententiam suam de dictis articulis libere proponant, explicent, ac quantum esse necessarium existimabunt, defendant, & si quæ ulterius habent super doctrina, quæ in Catechesi & Confessione Ecclesiarum harum comprehenditur, de quibus dubitent, ea, eorumque rationes scripto comprehendant, ut maturius atque accuratius examinari queant; ne quid sit quod actionem hanc sanctissimam moretur, animos in posterum distrahat, aut Reip. tranquillitatem turbet. Quod ut reliquis ita peculiariter R. V. significare placuit, ne quis ignorantiam in posterum prætexat, aut à nobis quidquam, quod ad pacem & ædificationem spectat, prætermissum queratur: qui autem huic citationi nostræ, intra dies decem & quatuor postquam has acceperit, morem non gesserit, desertionis atque contumaciæ reus habeatur. In posterum autem disputandi, dubitandi aut aliquid apud alios cum vulnere ac ruina Ecclesiæ in dubium vocandi, controversias movendi, aut postremo quidquam, quod SS. Dei verbo nititur per lubidinem impugnandi, postquam aliquid legitime constitutum fuerit, ipse sibi ansam præcidat. Valete Reverendi atque eruditissimi viri: datum Dordrechti anno 1618. Novemb. XVI. stilo novo.

Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium Deputati, & eorum nomine,

DANIEL HEINSIUS.

ricum Leonem, Bernerum Wezekium, & Ep. 312. Henricum Holdingerum ex ditione Gravensi; ex Hollandia Australi Magistrum Simonem Episcopium, Bernardum Duinglonem, Joannem Arnoldi, Eduardum Poppium, & Theophilum Rijckewaert; ex Hollandia Boreali Philippum Pynackerum & Dominicum Sapma; ex Provincia Transisulana Thomam Goswinium, Assuerum Matthisium; & ex Ecclesiis Gallo-Belgicis Carolum Niellium, ut maxime in hac causa exercitatos, ad hanc Synodum vocare & citare, ut in eadem dictos articulos libere proponant, explicent, & defendant, quantum possunt, & necessarium judicabunt. Ac simul etiam huic Synodo scripto exhibeant omnes, si quas habent, considerationes suas super doctrina in Confessione & Catechesi harum Ecclesiarum comprehensa, earumdemque considerationum rationes, ut dicta Synodus omnibus auditis & expensis maturius de singulis in timore Domini judicare queat. Quapropter dicta Synodus, accedente Illustrium & Nobilissimorum DD. Delegatorum auctoritate & consensu, Te D. Bernarde Dwingloni per præsentes vocat ac citat, ut ad finem prædictum in Synodo te præsentem, una cum reliquis ad eundem finem citatis & vocatis, sistas intra quatuordecim dies post acceptionem harum præsentium literarum, sine ulla tergiversatione aut exceptione, ne negligentiæ aut contumaciæ culpa in te inveniatur, aut causæ vestræ defuisse videaris. Datæ in Synodo Nationali Dordrechti, XVI. Novemb. Anno CIↃ IↃC XVIII. Stylo novo.

Nomine dicta Synodi

S. Bogermannus Synodi Præses.
Jacobus Rolandus Assessor.
Hermannus Faukelius Assessor.
Festus Hommius Synodi Scriba.
Sebastianus Damman Scriba.

CCCXI.

Literæ Citatoriæ

SYNODI DORDRACENÆ.

REverende & doctissime vir, Synodus Nationalis Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum in nomine Domini, auctoritate & mandato Illustrium ac Præpotentum DD. Ordinum Generalium fœderati Belgii in civitate Dordrechtana legitime congregata, ad controversias in dictis Ecclesiis exortas, examinandas & tollendas, intelligens hanc esse dictorum Illustrium Dominorum voluntatem, ut primo loco examinentur ac dijudicentur quinque articuli Remonstrantium, quandoquidem ex illis hæ controversiæ potissimum sunt exortæ; æquum & necessarium judicavit ex Remonstrantium numero, præter eos qui huic Synodo interfunt, ex Geldria Hen-

CCCXII.

JOHANNES HALESIUS DUDLEIO CARLETONO,

Magnæ Britanniæ Regis ad Fœderati Belgii Ordines Legato, S. P.

EXcellentissime, benignissime Domine: Die Jovis, hujus mensis $\frac{17}{27}$. congregata Synodo, D. Decanus Wigornienſis in conventu Synodali accuratam & patheticam habuit Latinam concionem. Scripturæ particula quam pro textu elegerat, versus erat 17. *cap.* VI. *Ecclesiastis*, *Noli esse justus nimium, neque esto sapiens nimis.* Post scitam introductionem ad textum, qui fieri posset, ut justitia & sapientia, tantopere nobis usque quaque commendata, hic videretur cautioni sive reprehensioni subjecta esse; ostendit, qua ratione

De eorum Decano Wigorniensi in Synodo habita.

312. tione quidam videri poſſent nimis eſſe juſti: primum politici, ſi quando juſtitiam adminiſtraturi ſtricte nimis urgent aut obſervant legis literam; ut & tum, quum ſeveras & graves nimis pœnas infligunt, quando ſecundum æquitatem leviores ſufficerent. Deinde ad poſteriorem ſententiam, *Sapiens nimis*, taxabat Theologos, qui ulterius quam par eſt judicia Dei rimari fatagunt; atque adeo aggreſſus eſt reprehendere curioſas iſtas diſputationes, quæ circa Prædeſtinationem hoc ſeculo extiterant; diſputationem illam aſſerens, propter infinitam ſuam extenſionem, ſimilem eſſe Mathematicorum lineæ, diviſibili in ſemper diviſibilia, & in Theologicis idem fere eſſe, quod eſt regula Cos apud Arithmeticos. Ad terminandas haſce diſputationes hoc ſuum erat, quod dedit Synodo, conſilium, ut utraque contendentium pars diſſertationem S. Pauli *cap.* IX. *ad Romanos* rite conſideraret, atque ad finalem earum deciſionem plenam, perſpiciam, ac familiarem ejus capitis paraphraſin Synodo exhiberet. Nam ſi ſenſus ejus diſſertationis modo plane erutus eſſet, finita foret illa quæſtio. Hinc porro eos cæpit adhortari, ut prioribus determinationibus inſiſterent, quæ hactenus ſuper hoſce articulos in Reformatis Eccleſiis factæ erant: dixitque ſingularem Regii mandati partem eſſe, eos exhortari, ut inconcuſſas veteres Confeſſiones ſervarent. Quam conveniens fuerit tantam eorum quæ in mandatis habebat partem revelare, atque ita ſemet indicare adverſarium Remonſtrantium, Excell. Tua optime ipſa judicare poterit. Poſthæc patheticam ſane concluſionem produxit, cujus ſumma erat, vehemens exhortatio ad pacem & unionem, qua finiit. Præſes ipſi pro exhibita bona opera gratias egit, dixitque, quamvis animus fuerat Synodo proponere libellos quoſdam ſupplices (quorum in proximis meis literis apud Excell. V. memini) id tamen jam fieri non poſſe, propter rationes quas tum celabat. Quare Synodum ſine ulteriore aliqua actione dimiſit. Quidnam hi libelli ſupplices contineant, non potui cognoſcere. Suſpicantur aliqui, eos eſſe à parte Remonſtrantium; alii magis probabiliter opinantur, argumentum eorum eſſe gravamina quædam Miniſtrorum Provincialium.

In bonam partem vero D. Decani concio accepta fuit, namque hactenus contrarium quicquam nihil percepi; ſciat autem velim Excell. V. dubium aliquod circa has Latinas conciones motum fuiſſe. D. Præſes, quando literæ ad partes Arminianorum directæ erant, oraverat extraneos, ut per vices ipſis placeat habere Latinas aliquot conciones, detinendi Synodum gratia, donec Arminiani comparerent; Anglis autem hoc primum mandavit. Recuſaverat id D. Epiſcopus, propter ſubitam atque inopinatam admonitionem. D. autem Decanus id omnino in ſe receperat. Verum quidam ex exteris ad Epiſcopum venerunt, eique monſtrarunt, quam periculoſæ Ep. 313.
id plenum opus aleæ eſſe poſſet. Namque, ut illis quidem videbatur, difficile admodum erat, ſe ita intra cancellos continere, ut nunquam ſtringerentur articuli controverſi, quod tamen abſque alterutrius partis offenſione vix fieri poterat. D. Epiſcopus & cæteri duo propter has rationes hoſce motus haud bene convenire cenſebant; at D. Decanus nullatenus hoc ita conſiderare, ſed ut negotium apprime commodum, ut fieret, urgere. Videtur hoc fuiſſe generale extraneorum conſilium, quæ cauſa fuit cur hactenus nihil hujus generis orationum peractum fuerit, quamvis jampridem ante adventum meum Dordrechtum ea de re conſultatio habita erat. Verum enimvero an recte hoc exemplum ceſſerit, apparebit ſi alii ex exteris id ſequuntur. Rumor hic ſpargitur, de Jeſuitico quodam libro nuper edito in Synodi noſtræ probrum ac dedecus. Nondum eum vidi, ſed in Præſidis manu eſſe audio, ad quem jam me contuliſſem, ut ſaltem inſpicerem, ſi non cogitaſſem illum innumeris obrui negotiis. Simulac aliquid ejus rei indagarim, illico Excell. V. id impertiri cupio. Multus hic nobis ſermo de cometa inuſitatæ longitudinis hoc mane viſo: Ego eum non vidi, & forte Excellentiæ veſtræ haut novum eſt, ſi apparuit ſuper horizontem Hagæ. D. Epiſcopus, & ejus Collegæ amorem & ſervitium Excell. V. offerunt, aguntque gratias pro literis & novellis Anglicis, quas jam remittunt. Uti petierat, mihi Excell. V. ſex Catalogos Synodi, hic apud nos Latine impreſſos. Atque hactenus manum de tabula,

Excell. Veſtra Sacellanus, & ad quævis officia devinctus

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXIII.

JOHANNES HALESIUS

DUDLEIO CARLETONO,

M. Britanniæ Regis Legato, S. P.

De Epiſcopi oratione habita in Synodo.

EXcellentiſſime, clementiſſime Domine, Septimo Decembris, ſtylo novo, die Veneris, ante meridiem convenit Synodus. Primum, quod in ea exhibebatur, erat pronuntiatio decreti Ordinum contra Grevinchovium & Goulartium, in hunc ſenſum; quamvis Remonſtrantes ab Ordinibus petiiſſent, ut Grevinchovius & Goulartius in Synodo admitterentur ad defendendam ibi cauſam Remonſtrantium, Ordines propter juſtas rationes illi poſtulato neque debere, neque poſſe conſentum præbere; hoc tamen illis benigne permittere, ut privatim libere adverenirent, ac Remonſtrantes quantum poſſent juvarent; & ſi judicarent, ſe alicubi cauſam penitius

Ep. 313. quam collegas ſuos introſpicere, liberum illis eſſe ut cogitata ſua ſcripto Synodo exhiberent: hac tamen lege; primo, ſi à Synodo ipſis in eam rem poteſtas aut venia conceſſa ſit: ſecundo, ſi nullas quærant frivolas procraſtinationes; tertio, ſi promittant ſe ſubjecturos decreto Synodi; denique, abſque præjudicio cenſurarum Eccleſiaſticarum, tum contra Grevinchovium, tum contra Goulartium ſtrictarum; utpote quæ in pleno permanerent vigore & vi priſtina. Hoc decretum à tota Synodo approbatum eſt. Deinde Præſes Ultrajectinos monuit, circumſpicerent ac deliberarent, quid ipſis opus facto eſſet, an ſe profiteri vellent Remonſtrantibus addictos, vel ſtationem ſuam tueri, & ſicut judices rem agere; ſi ſeſe gererent ut adverſarios, cenſeri amplius non poſſe partem Synodi, verum æſtimari velut Epiſcopius, & inter citatorum numerum referri. Rogarunt, ut illis tempus ad deliberandum concederetur. At Præſes acriter inſtabat, ut abſque mora cordate reſponſum darent. Regerebant autem majus eſſe negotium, quam quod tam cito confici poſſet, ac eo uſque proceſſum eſt, ut tandem in verba fervida ſatis prorumperent: nam, quum duo ex Deputatis Remonſtrantibus ſimul loquerentur, corripuit illos Præſes, loquerentur modeſtius & decentius; ſingulos enim illic loqui, non binos. Deputati vero ſeculares hæc moderabantur, & cenſebant æquum eſſe, ut in craſtinum uſque deliberandi tempus haberent, ita tamen ut nihilo ſecius interea Synodus procederet. Tandem Remonſtrantes intromiſſi ſunt, & decretum Ordinum contra Grevinchovium & Goulartium illis prælectum. Surgens Epiſcopius, exiguum ipſi temporis ut concederetur, rogavit, ad dicendum; & confeſtim orationem habuit, aurem ſane & animoſam, ex qua, ob ſingularia quædam illa contenta, turbæ proculdubio orientur. Argumentum orationis hoc erat.

» Religionem præcipuam propriamque hominis notam eſſe: atque ea nos magis à cæteris creaturis ſecerni, quam ratione. Ideo ſe coram Synodo comparere, ut illam etiam Spartam ornarent, ut diligenter atque adeo accurate providerent, ut illibata ſervaretur pura atque immaculata Religio. Religionem nihil aliud eſſe quam rectum de Deo ſenſum, ejuſque genuinum cultum atque obſequium. Senſus vero de Deo duplicis eſſe generis: quoſdam abſolute neceſſarios, & fundamenta totius legitimi cultus: in illis errare, cuivis periculoſum eſſe; quoſdam haut abſolute neceſſarios; & in illis aliquando abſque magno periculo quempiam errare poſſe. Se detexiſſe placita quædam in Eccleſiis hiſce aſſerta, quæ cum gloria bonitatis ac juſtitiæ divinæ, ſacramentorum uſu, denique cum officio Chriſtiani hominis conſiſtere non poterant; quæ adverſariis noſtris ad unum quaquaverſum omnibus materiam luculentam præbuerant Eccleſias noſtras ſugillandi atque obtrectandi. E.313.
Quare enixiſſime pro ſe quemque conatum fuiſſe, injuriam iſtam amoliri, neque permittere, ut quæ peculiaria tantum quorundam placita erant, ea toti atque univerſæ Eccleſiæ impingerentur. Verum male admodum ceſſiſſe ipſis hoc ſuum inſtitutum; atque ex parte ſe medicinam applicuiſſe, qua, veluti in affecto corpore fieri ſolet, humores omnes hactenus ſopiti funditus nimium quam vehementer exacerbati erant, ut toti inde corpori tantum non lethalis paroxyſmus incubuerit: ita quoque propoſitum ſuum ſanandæ Eccleſiæ majores excitaſſe turbas; verum id ipſis non debere vitio verti, aut crimini dari, quoniam in nullum alium finem pro virili adnitebantur, quam, ne Eccleſia tota ob paucorum quorundam peculiaria placita male audiret. Propter hoc ſuum inſtitutum cunctorum in ſe odium incenſum ac concitatum eſſe: ſed æſtimare ſe invidiam iſtam gloriam & palmarium ſuum: neque propterea ipſis animum eſſe cauſam ſuam deſerendi: & ut ut ſuccumberent, ſe tamen gloriari velle, & abunde ſatis honoris id deputare, magnis excidiſſe auſis. Litem iſtam à ſe motam non eſſe de lana caprina, de rebus frivolis, minutiis, de nihilo, & unguium retrimentis aut ſegmentis, veluti hactenus vulgo perſuaſum erat; ſe nullam aliam ob cauſam incidiſſe in tam duram ſortem, ut affirmare poſſent, non aliter in ſe tanquam in Eccleſiæ novatores temerarios ſævitum eſſe. Primum ſe clancularie & veluti cuniculis impetitos eſſe, tandem adverſarios in apertas erupiſſe criminationes, licet vanas & falſas: dein in odia iraſque exarſiſſe, in convitia, ſcommata, opprobria efferbuiſſe; donec tandem effractis omnibus moderationis repagulis, quiſque id omne, quod animo ſuo collibitum eſſet, in ipſos veluti in publici odii victimas effutiret & evomeret. Sequebatur hic gravis & ſeria invocatio Chriſti in teſtimonium veritatis eorum quæ dicebat. Verum eſſe fatebatur, in ſuorum libris quædam reperiri dicta ſcriptave perperam: ſed & noſſe ſe quam ſit difficile in tantis animorum motibus & tempeſtatibus clavum ſemper recta tenere. Ad has ſedandas tria tantum occurrere remedia; vel Synodum Nationalem, vel mutuam Tolerantiam, vel ceſſionem à functionibus ſuis, locisque publicis. Ut miniſteriis ſuis publicis abirent ac fugerent, deſertionis mercenariæ crimen habuiſſe: ut Synodus indiceretur, quam maxime deſiderabant, remorabantur qui minime debebant, & obtendebatur ſeculi mores eam non ferre. Quid reſtabat amplius, quam Tolerantiæ mutuæ conſilium? eamque poſſe inſtitui unica ipſis ſpes erat; atque in eum finem ſummopere ſeſe approbaſſe reſcriptum DD. Ordinum Hollandiæ & Weſt-Friſiæ, confirmatum, ut cenſebant, exemplo Bezæ, & in ſuimet ipſorum tractatione cum Lutheranis, denique Sereniſſimi Regis

Magnæ

E.313. „ Magnæ Britanniæ conſilio. Sed & hic labor
„ irritus fuerat: Sparſum quippe in vulgus erat,
„ Tolerantiam σκέπασμα (*prætextum*) tantum &
„ larvam eſſe, ſub qua laterent multo periculo-
„ ſiora dogmata, & poſt eam tanquam poſt ſi-
„ parium intentionem eſſe viam muniendi ad
„ profeſſionem quarumvis hæreſium: Remon-
„ ſtrantes pro tempore conſcientiæ ſuæ impe-
„ rare poſſe quod volunt: hinc animos plero-
„ rumque abalienatos eſſe, ut tandem res in
„ nervum eruperit, id eſt, publicum & aper-
„ tum ſchiſma. Hinc protinus in formulas lo-
„ quendi & phraſes cujuſque inquiſitum, de ſyl-
„ labis & apicibus tantum non comitia habita,
„ & in conſilium itum eſſe, ut notarentur hære-
„ ſeos rei. Teſtem ſeſe dare, nuperum illud Spe-
„ cimen controverſiarum, cujus autoris fides
„ & ſincera narratio partim modo manifeſta e-
„ rat, & dies ipſa aliquando eam clarius docebit.
„ Inconcuſſos & immotos hactenus ipſis ſtetiſſe
„ fundamentales omnes Theologiæ articulos,
„ neque ſe eos levi digito attigiſſe. Norant ete-
„ nim, multa eſſe de quibus haud licitum eſt
„ diſputare: & alienos ſe profitebantur ab eo-
„ rum opinione, qui nihil volunt credere, præ-
„ terquam ea, quorum poſſunt reddere ratio-
„ nem. Si quæ alia aliquando ab ipſis mota ſunt,
„ ea talia fuerunt, de quibus varie ſemper & ſi-
„ ne periculo jampridem arbitrati ſunt eruditio-
„ res: ſufficere debere, ſi capita ipſa religionis
„ integra atque illæſa ſerventur. Nullum un-
„ quam fuiſſe ſæculum, in quo judiciorum ſenten-
„ tiarumque diſcrepantia locum non habuerit;
„ quin & inter ipſos Patres, qui tamen non eru-
„ perant in animorum ſeparationem, vel divor-
„ tium charitatis. Fieri non poſſe, ut in tanta
„ judiciorum diverſitate omnia ingenia in unam
„ eandemque ſententiam congruerent. Senten-
„ tiam eſſe Clariſſimi Theologi Paræi, majo-
„ rem diſſidiorum partem in Eccleſia hinc præ-
„ cipue natam fuiſſe, quod Doctores Eccleſiæ
„ quævis Scholarum dogmata & cathedrarum
„ placita pro oraculis & articulis Fidei Catholi-
„ cæ venditarunt. Immerito ſe hactenus grava-
„ tos fuiſſe injuſtis ſuſpicionibus, quaſi Scepti-
„ cam Theologiam revocarent. Se vero nihil
„ ſpectare, nihil quærere aliud quam auream il-
„ lam, & quæ inter ſervitutem ac licentiam me-
„ dia intercſt, libertatem. Impræſentiarum ſe
„ coram Synodo comparere, citatos an ſecus,
„ non morari. Præſentes ſe fuiſſe, quoties id per
„ leges licitum fuerat. Obſecrare ſe extraneos,
„ ne ipſos judicent ex iis, quæ foris audierant,
„ ſed ſicut nunc eos experturi eſſent. Non diffi-
„ teri; primo, ſe ex profeſſo opponere conatos
„ fuiſſe, illis, qui horrida, ut ipſi loquuntur,
„ doctorum quorundam placita circa Prædeſti-
„ nationem adferebant. Deinde, illis, qui pro-
„ pter quinque, quos vocant, articulos, ante
„ ullam Synodi latam vel expectatam ſenten-
„ tiam propria autoritate ſchiſma & receſſionem
„ fecerunt; denique illis, qui ſocietate ſua in-
„ dignos putant, qui vel hilum à ſuis placitis
diſcrepant. Et ut magis excreſceret contro- „ E.313.
verſia, acceſſit cæteris enata quæſtio, de ju- „
re & autoritate Magiſtratus circa ſacra; ipſis „
ſummam Magiſtratui adſignantibus; aliis cæ- „
cam neſcio quam approbationem decretorum „
Eccleſiaſticorum, abſque ulteriori diſquiſitio- „
ne, Magiſtratui tribuentibus. Hæc ea fuere, „
pro quibus velis remiſque contendimus. Date „
nobis aliud nihil, quam quod vobis ipſis plena „
manu dari cuperetis, ſi loco noſtro eſſetis: „
non ambivimus gratiam favoremque veſtrum. „
Dei noſtri unius favorem quærimus. Nolite, „
quæſumus vos, reſpicere ad exiguum hunc, „
quem videtis, numerum. Unus patronus bo- „
næ cauſæ ſatis eſt. Non ex minori diſſentien- „
tium numero ſchiſma dijudicandum eſt; ſi „
major pars nota eſt recte ſentientium, quid „
vobis animi eſt de Provincia Ultrajectina, ubi „
numerum maximum faciunt Remonſtrantes? „
A vobis ſchiſma ortum eſt: primum, hic ipſa „
in Synodo, dum tam inæqualem feciſtis De- „
putatorum partem cum tam exiguo Remon- „
ſtrantium numero; deinde, dum infeſtis con- „
tra nos armis proceditis, nullo exſpectato Sy- „
nodi decreto, exauthoritatis & cenſuris ſub- „
jectis, antefignanis & primipilis ordinis no- „
ſtri ductoribus, apud quos ſunt aquilæ noſtræ: „
& fortaſſe hac ipſa hora exauthorantur, ſu- „
ſpenduntur, excluduntur, ejiciuntur fidiſſi- „
mi quique ex Eccleſiis ſuis. Neque vero ha- „
ſtam abjicimus. Sola Scriptura & recta ratio, „
inſtar multorum nobis erit, & pro nobis agmen „
ductura eſt. Non acquieſcit conſcientia ſuf- „
fragiorum numero, ſed rerum ponderibus ac „
momentis. Tam parati ſumus vinci, quam „
vincere. Magnam ille victoriam conſequitur, „
qui pro damno erroneæ ſententiæ veritatis lu- „
crum invenit. Amicus Socrates, amicus Pla- „
to, amica Synodus, ſed magis amica veritas. „

Hæc orationis Epiſcopii fragmenta erant, quantum mea mihi memoria & conciſæ annotationes ſuppeditare potuerunt; Reor, quos commiſi errores, omittens, loco non ſuo collocans, vel perperam quædam referens, eos M. Ameſium, cum ad Excell. Veſtram venerit, emendaturum. Hæc, & quod excedit, unius horæ ſpatio diſſeruit magna oris gratia & geſtibus oratoriis. Significavit ipſi Præſes, quoniam in oratione ſua varia erant, quæ conſiderationem ſingularem requirebant, ut apographum ejus traderet. Reſpondit Epiſcopius, non habere ſe ſatis nitidum exemplar, ſi aliquantum Synodus exſpectare vellet, ſe curaturum ut ipſi nitidum apographum exhiberetur. At hæc neutiquam admiſſa eſt excuſatio. Neceſſe erat, ut traderet, ſeu nitidum ſeu maculatum, & morem geſſit. Deputati Politici adjecerunt, quandoquidem in ea oratione quædam erant, quæ tam ſeculares quam Eccleſiaſticos concernerent, ut traderent illam ſubſcriptam manibus cunctorum: confeſtim obſecundati ſunt. Tum illis memorare Præſes, quantum Synodo obſtricti eſſent;

Ep.314. quod tam facile & patienter eos audierat, quantumvis nullam impetrarant ad dicendum veniam, & æquum fuiſſe, ut exſpectaſſent Synodi mandatum. Reſpondit Epiſcopius, antequam fari inciperet, ſe veniam petiiſſe. Ita eſt, regeſſit Præſes, at non exſpectaſti donec venia eſſet conceſſa; tum hoc ſcias velim, ait, nemini hic licitum eſſe, ne quidem ex ipſis Synodi membris, recitare declamationes ſuas, priuſquam veniam impetrarit, & oſtenderit argumentum ac filum ſuæ orationis. Poſthæc ſecuta eſt formula juramenti ab Ordinibus præſcripta, in quam cuncta Synodi membra juraturi erant, cujus hi duo erant articuli, ſolum Dei verbum pro regula ad terminandas ſuas quæſtiones adhibitum iri, & nullam ſe aliam habere intentionem quam Eccleſiæ pacem. Primus hoc modo juravit Præſes, ſurgens in loco ſuo, dixit, *promitto coram Deo*, (hæc illa) *ita propitius mihi ſit Servator Chriſtus.* Tum Provinciales quique ex ordine ſurgentes in locis ſuis, hæc verba pronunciarunt, *idem promitto coram Deo & ſancto Servatore*: ſolummodo deputati Ultrajectini Remonſtrantes non jurabant, quia nondum conſtituerant an ut pars adverſa, vel ut judices agere vellent. Poſt Provinciales extranei eadem jurabant, quiſque ſuo ordine & loco; atque ita ſeſſio finita eſt. Et jam tempus eſt me finem facere, & Excell. Veſtram divinæ providentiæ commendare. Dordraci. die 7. Decemb. ſtylo novo. 1618.

Excellentiæ Veſtræ Sacellanus & ad quævis officia obſtrictus.

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXIV.

JŌANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

De exilio ſuo.

GRatiſſimæ, ſi unquam, poſtremæ tuæ literæ, Vir Reverende & in Domino Jeſu Chariſſime. Sæpiſſime enim triſti hoc exilio tui memoria animo meo obverſata eſt. De animo erga me tuo nunquam dubitavi, & ſilentium tuum eidem quam adfers cauſæ tranſſcripſi, quæ niſi obſtitiſſet jam dudum tuas antevertere ſtuduiſſem. Per me non ſtetit, quominus fratribus hoc rerum ſtatu præſens ſim, nihilque jam magis animum excruciat meum quam hoc ipſum. Non quod in me ſit vel tantillum, quod uſui illis eſſe poſſit; ſed ut voluntatem meam erga cauſam communem declarem. Si voto meo obſequi licuiſſet, jamdudum ad meos reverſus fuiſſem: verum quum omnes, quum amicos tum fratres, id omnino diſſuadere viderem, imo & obnixe contendere ne fieret, ſubſtiti, omni in patriam redeundi ſpe abjecta penitus. Crucem hanc quidem patienter fero, perſuaſus me pati juſtitiæ cauſa: affligor tamen graviter, & niſi Dominus ſuccurrat, perii. Nihil magis jam mihi in voto eſt quam tuo tuique ſimilium aſpectu, colloquio, conſolationibus frui: quod etiamſi nunc non datur, utinam aliquando concedatur! Non quod ædibus & patria, ſed quod dulci fratrum ſociorum alloquio carere cogor, hoc vero urit maxime. Non deſino tamen ſperare, Dei benignitatem hoc mihi aliquando largituram. Quod à me T.R. petit, feci ſedulo, fratres hortando & monendo, ut cauſam Chriſti agant fortiter, neque retractent judicium ante de tua cauſa latum, niſi bonis & probis rationibus in conſcientia convicti, rem aliter ſe habere compererint. Quæ porro mihi expendenda proponis ad T. R. ſigillatim ſpectantia, talia ſunt, quæ multa inter plures diſcuſſione opus habent, antequam quis judicium ſuum proferat, vel conſilium aliquod ſanum expediat. Ad vocationem Academicam quod attinet, nullam video reſtitutionis ſpem: quin proximis comitiis eam omnem T.R. in poſterum amputandam exiſtimo. Ad Synodum quæ concernunt, non ſine periculo, meo judicio, ibi comparebis: Et ſi comparueris, nihil vel dicturus ibi, vel ſcripturus es quod Confeſſui ſatisfaciat. Præjudicata omnia, neque declarationibus tuis ulla habebitur fides: quod ex in te editis ſcriptis facile dijudicatum eſt tibi. Ut tantiſper maneas, dum videas ſucceſſum actionis Synodicæ cum Remonſtrantibus, non improbo. Interea tamen tibi conſule, neque fidem adhibe ullis ab ea parte, moderationis ſpem facientibus. Non dubito quin de diſceſſu in aliam aliquam regionem cogites: quod & ego facio; quia tamen de loco tuto certi nihil hactenus conſtituere potui apud me, optem hic tuum audire conſilium. Si tutum eſſet perfugium apud Comitem illum Benthemenſem tuum, recta eo contenderem. Si quid hic habes quod in medium conſulas, id quæſo mihi afflictiſſimo aperire ne graveris. Literas quas ad me dare voles tuto per D. Nicolaum curabis. Vale Reverende Vir & frater obſervande, meique in precibus tuis perpetuo memor eſto, meque ſanctam, quam in Domino coluimus, amicitiam & verbis & factis continuare, firmiter tibi perſuaſum habe. Salveat etiam lectiſſima conjunx ab

Tui ſtudioſiſſimo

15 Decemb. 1618. Antverpiæ. J. UYTENBOGARDUS.

Prodiitne ultimus tuus in Piſcatorem labor? Utinam videre liceat!

CCCXV.

JOANNI MACCOVIO

CONRADUS VORSTIUS

Gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto viciſſim ex animo tibi precor,

Eccleſiaſtica. VIr Clariſſime, inque Domino honorande. Quas ante triduum D. T. ad me miſit, admodum mihi gratas fuiſſe ne dubita: tum quia moderatum D. Martinii de me judicium, ut jure mihi perſuadeo, fideliter in iis exponere voluiſti: tum maxime, quia tuam quoque ſententiam, etiam coram hic domi meæ expoſuiram, & quidem cum amico (ut apparet) affectu erga me conjunctam, familiariter iterum his nunciis inſinuare mihi dignatus es. Plane autem perſuadeas tibi velim, nihil mihi gratius futurum, quam ſi vere Chriſtianæ rationes à Synodo, & ſpeciatim ab exteris Theologis ineantur, quibus pia animorum reconciliatio inter eos, qui ſe ſcriptis meis offenſos putant, & me aliosque plures, Eccleſiæ Reformatæ (ut ſperamus) non inutiles hucuſque curas, procurari ac ſanciri poſſit. Paratus ſum omnia facere, quæ virum bonum decent, quæque ſalva conſcientia, & illæſa veritate, fieri à me poterunt. Si quæ mihi dotes à Deo datæ ſunt, (quas meum non eſt prædicare) perlibenter eas ad communem Eccleſiæ ædificationem, & regni Antichriſtiani demolitionem, una vobiſcum conferam. Tantum in eo D. T. cum aliis, in Synodo jam coactis Theologis, laborare unice optarem, ut vera & plena libertas mihi meique ſimilibus detur, modeſte ac placide cum iis, qui litium noſtrarum periti ſunt, in Dei timore de cauſa tota conferendi. Hinc enim appariturum confido, in multis ſaltem immento me traduci: in aliis autem difficilis, (quippe mere Scholaſticis) libertatem aliquam moderatam utrique parti indulgendam eſſe. Ita via ſtrata erit ad pacem: quam D. Jeſus & nobis, & toti Eccleſiæ ſuæ, clementer tandem concedat, Amen. Salveane à me officioſe D. Martinius, & alii veteres amici, quibus jam amplius D. T. innotuiſſe credo; & quorum de me judicia (imo & aliorum, qui forte adhuc ſequius de me ſentiunt) ſi proxima occaſione ad me perſcribere dignaberis, pergratum officium præſtiteris. Vale in Domino, Vir Clariſſime, meque precibus tuis commendatum habe. Goudæ 3 Calendas Januarii anno 1619. quem D. T. boniſque omnibus, ut Deus fauſtum eſſe velit, ex animo precor.

Ignoſce τῇ σφοδρότητι, (*malæ ſcriptioni,*) quam infirmior valetudo peperit.

CCCXVI.

EPISTOLICA NARRATIO

eorum quæ in

SYNODO DORDRACENA

Geſta ſunt à XIII. Novemb. anni 1618. uſque ad Cal. Martii anni 1619. præcipue inter Remonſtrantes & Synodum.

CLariſſime Vir, Petis ut ad te perſcribam, quid rerum agatur in Synodo Nationali, quæ hic Dordraci celebratur. Varios ſpargi apud vos rumores, eoſque contrarios ſæpe, mirum non eſt; quiſque enim, uti affectus eſt, loquitur, & quam ſententiam amplexus eſt quilibet, ejus defenſoribus linguam vindicem ſeque advocatum commodat. Ego brevem tibi mitto hiſtoriolam eorum, quæ ipſe coram audivi & vidi, quam ex meis ſchediaſmatis & ephemeridibus contexui. Quæ annotavi, bona fide annotavi, licet omnia dicta annotare non potuerim. Sæpe enim propter loci incommoditatem & circumſtantium, qua premebar, turbam, accidit, ut calami mei compos non eſſem. Præcipua tamen habes capita rerum geſtarum.

Decimo tertio Novembris, anno CIↃ IↃC XVIII. facta eſt exterorum Theologorum introductio. Primi ſederunt Angli, ſecundi Palatini, tertii Heſſi, quarti Helvetii, quinti Genevenſes, ſexti Bremenſes, ſeptimi Embdani. Galli & Naſſovii non venerant. Poſt introductionem dictæ ſunt preces. His abſolutis totam Synodum nomine Ordinum Generalium allocutus eſt Martinus Gregorii. Lectæ ſunt litteræ fidei Ordinum Generalium. *Anno 1618. 13 Novemb.*

Ante meridiem præmiſſis precibus propoſuit Vosbergius, an non ſatius eſſet eligi præſidem ex iſtis Provinciis, in quibus non fuiſſent agitatæ hæ controverſiæ, & ut inter aſſeſſores & ſcribas aliquis Remonſtrans eligeretur. Fuit hoc conſilium bonum, ſed D. Martinus Politicus dixit, unicuique fore liberam electionem. Recitata ſunt nomina abſentium. Electus eſt in Præſidem Joannes Bogermannus, Paſtor Leoverdiæ. In aſſeſſores, Hermannus Faukelius, & Jacobus Roelandi. In ſcribas, Feſtus Hommius, & Sebaſtianus Dammannus. Creduntur hi omnes eſſe capitales hoſtes Remonſtrantium. Multis hæc auſpicia diſplicuerunt. Poſt hanc electionem exhibitæ ſunt litteræ fiduciariæ. Poſt meridiem lectæ ſunt. Et in litteris Remonſtrantium Ultrajectinorum multa ſunt reprehenſa: Quod poteſtatem ſolummodo haberent accommodandi non definiendi: Quod tantam mentio fieret quinque articulorum, &c. 14.

Pro litteris ſuis fiduciariis reſponderunt Ultrajectini. Actum de vocandis Remonſtrantibus. 15.

Ep.316. bus. Gomarus dicebat illos primum rogandos esse, an agnoscerent authoritatem Ordinum Generalium esse legitimam? Præses Politicus dixit. D. Gomare, non est hic quæstio movenda de authoritate Ordinum. Gomarus excusavit se, dicens, spargi rumores, quod Remonstrantes non agnoscerent Ordines pro suo Magistratu. Decretum fuit, ut ad totum corpus Remonstrantium scriberetur, ut aliquos è suis mitterent, ad minimum tres ex singulis Provinciis. Cumque quæreret Præses, an omnes essent intromittendi? respondit Præses Politicus, se Præsidi Ecclesiastico & scribis de numero propius mentem suam expositurum. Hoc tamen decretum observatum non fuit. Nam citati sunt certi Remonstrantes, tredecim numero, quos ipsi Synodici delignaverant. Itaque deputatio non fuit permissa Remonstrantibus, ut eligerent, quos vellent, sed per litteras singuli citati sunt, ut post quatuordecim dies se Dordraci sisterent.

16. Decretum, ut gravamina exhiberentur, & examinarentur. Decretum quoque, ut D. Sibrandus advocaretur, & denuo ad illum scriberetur. Item, ut Remonstrantes nominatim citarentur, etiam Episcopius Professor. Ultrajectini dicebant illum adfuturum, ut membrum Synodi; esse enim à D. Ordinibus vocatum, nec debere citari ut partem adversam. Sed respondit Præses, statutum esse à DD. delegatis, ut citaretur, & monuit Ultrajectinos, ne ita contradicendi studio tenerentur.

17. Petiit D. Episcopius una cum aliis Remonstrantibus libello supplice, ut liceret ipsis eligere sententiæ suæ vindices, quos vellent, & nominatim, ut adesse possent omnes collocutores collationis Hagiensis, utpote maxime exercitati in controversiis istis. Sed negatum fuit.

19. Lecta sunt Acta præcedentis septimanæ, sed istius libelli supplicis Remonstrantium nulla facta fuit mentio, quod mirum mihi videbatur. Nolunt (arbitror) constare, Remonstrantibus non esse permissum, ut deputarent ipsi quos vellent. Ex gravaminibus propositum fuit de versione Bibliorum in linguam vernaculam. Judicatum fuit hanc esse necessariam, & quibusdam viris doctis hoc demandandum negotium.

20. Judicatum fuit non esse corrigendam hic & illic versionem, sed novam adornandam, & pluribus personis hoc esse imponendum. Post meridiem actum fuit, An libri Apocryphi etiam essent vertendi: Et an adjungendi essent Canonicis. D. Gomarus putabat non esse adjungendos, alias progressu temporis pro Canonicis haberi. Ultrajectinus quidam dicebat: Quid fiet de Catechesi, an illa non abibit in canonem successu temporis, cum etiam subjungatur novo Testamento? Et cum quidam reprehenderentur, quod ex Apocryphis textus concionales sumsissent, rogavit idem Ultrajectinus, An non æque graviter peccaretur, cum Catechesis publice docetur? & se non videre, cur major authoritas Catechesi, quam libris Apocryphis debeatur. D. Gomarus dicebat, idololatriam committi, cum Apocryphis tantus honor tribuitur: esse separandos & separatim edendos. Ep.316.

21. Lecta sunt varia judicia de versione Bibliorum, de legibus versionis, de libris Apocryphis. Ad illud quod D. Gomarus diceret, idololatriam committi, si Apocryphi conjungantur, dixit Præses: si hoc esset idololatria, ergo etiam illa committitur, cum expositiones textui Biblico inseruntur, quod tamen aliquando ab Ecclesia probatum fuit. Item tunc eadem difficultas posset moveri contra Catechesin.

22. Rursum actum de libris Apocryhis, & decretum pluralitate suffragiorum, esse ad calcem novi Testamenti adjiciendos. Actum etiam de personis ad versionem deputandis; decretum sex esse designandos, tres qui V. T. tres qui N. T. versioni incumberent. Deliberatum de revisoribus.

23. Venit D. Sibrandus & exhibuit litteras fidei. Quæsitum an certum tempus præfigendum esset Translatoribus. Potiora suffragia fuerunt, non esse præfigendum. Præterea actum fuit de vocibus *du* & *ghy*. An esset Deus compellandus per *du*, an per *ghy*. *Du Godt*, an *ghy Godt*. Alii dicebant, *ghy* esse numeri pluralis. Alii contra, *du* non esse in lingua nostra in usu. Et *ghy* non esse pluralis numeri, sed singularis, & quoties propterea pluraliter loquimur, nos addere vocem *lieden*, *ghy lieden*. 2. Tues, vertendum fore *du biſt*, non *du zijt*. At *biſt*, exoleviſſe. Ergo loquendum esse *ghy zijt*. 3. *ghy*, esse singularis & pluralis numeri. Sibrandus vult vocem *du* retineri. Polyander vult, *ghy*, dici. Gomarus vult *ghy* retineri, & esse utriusque numeri; sicut vox, *ſy*: *ſy doet dat*, & *ſy doen dat*. Thysius *ghy* servat; Walæus *ghy*. Frisii volunt retinere *du*. Hollandi, Zelandi, Ultrajectini, *ghy*. Unus ex Hollandis volebat *du* dicere. Geldri, *ghy*. Decretum fuit *ghy* esse dicendum. Fuit hæc jucunda nugatio. Multi inter auditores mecum ridebant, quod tanta cum gravitate & reverentia loquerentur de vocibus *du* & *ghy*.

24. Actum de voce Jehovæ, an hæc sit retinenda. Præses putat vertendum *Heere*, cum Spiritus S. vertat κύριος. Martinius putat *Exod.* III. ita vertendum esse, sed *Exod.* VI. *Ose.* XII. *Jerem.* XXIII. retineri debere, aut obscurari alias sensum. Quæsitum an propria nomina mutanda. Interpretibus hoc committendum judicarunt. An chorographiæ inserendæ. Decretum utiles chorographias posse inseri. An capita sint retinenda. Sententia fuit esse distinctionem retinendam.

26. Electi sunt ad translationem Vet. Testam. Joannes Bogermannus, Wilhelmus Baudartius, Gerson Bucerus. Ad Novi Test. translationem Jacobus Roelandi, Petrus Cornelii,

1316. lii, Miniſter Enchuſanus, Hermannus Faukelius. Ad reviſionem V. Teſt. electi; Ant. Thyſius, Polyander, Plancius, Jodocus Larenus, Sibrandus Lubberti, Revius, F. Gomarus. Ad reviſionem N. Teſtamenti, Sebaſt. Damman, F. Hommius, Geldorpius, Walæus, Langius, Fullenius, Ubbo Emmius, Joannes Caperoos.

27. Prælecta ſunt acta præcedentium ſeſſionum. De Catecheſi actum. Ubique eſſe catechiſandum in urbibus & pagis. Embdanus quidam dicebat, major eſt neceſſitas ut Catecheſis doceatur, quam ut textus ipſe doceatur. Angli explicuerunt, quæ ratio catechiſandi obtineat in Anglia, & omnes iſtic mulcta pecuniarum ad audiendum conſtringi narrabant. Palatini dixerunt, omnibus in locis in Palatinatu eam doceri, & ſi qui negligant, eos primum blande moneri, deinde gravius reprehendi: poſtea cenſura Eccleſiæ notari, & interdum, quod tamen raro contingebat, in carcerem detrudi.

28. Præſes. Lacte opus eſt pueris & adultis. Pontificii & Anabaptiſtæ ſi velint juventutem ſuam ad ſcholas noſtras mittere, debent Catecheſin noſtram diſcere. Thyſius dixit, triplici Catecheſi opus eſſe, una pro pueris, una pro adoleſcentibus, & una pro adultis. Geldrorum quidam dixit; omnes ludimagiſtros politica auctoritate eſſe arcendos, qui Catecheſin docere nollent. Parentes etiam politica auctoritate eſſe conſtringendos, ut filios ad catechiſationem mitterent. Tranſiſulani. Omnes ludimagiſtri ſubſcribant Catecheſi. Idem dixit Præſes.

29. Habita fuit concio à Doctore Hallo: Duas dicebat eſſe cauſas harum turbarum: Acumen Remonſtrantium, & licentiam. Diſtinguebat inter Theologiam Scholaſticam & popularem. Scholaſticam parvi faciebat. Illam Scholis eſſe relinquendam. Non opus eſſe tam ſubtiliter inquirere in multa, ut de prædeſtinatione, ordine & numero decretorum, operatione Dei morali & phyſica, de habitibus infuſis, &c. Popularem valde commendabat, & ad ſimplicitatem dirigendam eſſe Theologiam noſtram.

30. Prælectæ ſunt ſententiæ quorundam de catechiſatione. Haſſiaci judicabant, ſub mulcta pecuniaria omnibus eſſe injungendum, ut filios & filias ſuas ad Catecheſin diſcendam mittant. Sponſos non eſſe copulandos, niſi primum ſpecimen ediderint ſe ex Catecheſi rationem fidei ſuæ dare poſſe. Genevenſes, Caveantur in catechiſatione quæſtiones perplexæ, & curioſæ. Profeſſores. Adulti monendi ſunt fraterne, non autem mulctis pecuniariis conſtringendi, ut catechiſationi ſe ſubjiciant. Prælecta formula catechiſationis. Ultrajectini dicebant ſe in multis hoc probare, ſed petere copiam, ut diligentius ſingula perpendere poſſent. Reprehenſum fuit in ſcripto Ultrajectinorum, quod ſacræ Scripturæ verbis Catecheſin concipiendam eſſe dixerint. Deputati ſunt ad concipiendam formulam minoris Catecheſios, Gomarus, Polyander, Thyſius, Faukelius, Lydius, Udemannus. Ep. 316.

Propoſita fuit quæſtio: An pueri ex parentibus ethnicis nati, & à Chriſtianis aſciti in familiam ſuam, ſint baptizandi, ſi qui eos offerunt baptizandos fidejubeant, ſe eos in Religione Chriſtiana educaturos. Quomodo Eccleſiæ proſpici poſſit de Proponentibus. Sepultus eſt hoc die quidam Verſellius, Conſul Zutphanienſis; ad Synodum deputatus. 1 Decemb.

Prælecta ſunt judicia de ethnicorum pueris baptizandis, concluſio dilata in diem Martis. Etiam prælecta judicia de Proponentibus. 3.

Walæus probabat poſſe divelli verbi prædicationem à baptiſmi adminiſtratione, & licere adminiſtrare unum ſine alio: quia 1. conſuetudo in variis Eccleſiis obtinet. 2. tempore Apoſtolorum in Eccleſia Judaica. *Act.* XIII. Concluſum, libertati Eccleſiarum hoc relinquendum: ſed leges aliquas à Synodo præſcribendas: non tamen eſſe permittendum, ut Proponentes baptizent. Quæſitum, an permittendum ut Presbyteriis interſint Proponentes. Decretum, hoc eſſe permittendum prudentiæ ſingularum Eccleſiarum. 4.

De ethnicis baptizandis actum. Communis ſententia fuit, adultos non eſſe baptizandos, niſi bene inſtitutos in Religione Chriſtiana. Liberos nullo modo baptizandos eſſe. Actum de typographia. Angli dixerunt, nullos libros eſſe imprimendos, qui non eſſent à deputatis cenſoribus approbati. Palatini addiderunt, certum numerum typographorum debere conſtitui. Non niſi juratos eſſe admittendos. Magiſtratum non debere permittere ut ulli haereticorum libri imprimantur. Genevenſes; Conſtituatur collegium per ſingulas Provincias ex Politicis & Eccleſiaſticis, quod cenſuris librorum præſit. Bremani, ſit certus numerus typographorum, ſint membra Eccleſiæ. Hollandi, ne libri alibi impreſſi hic vendantur, ſine conſenſu Magiſtratus, ut Sebaſtiani Franck. Geldri, prohibendum ne importentur libri Davidis Georgii, Arrianorum & Samoſateniorum, Cornhertii, Caſtalionis. 5.

Intellexi Remonſtrantes citatos Dordracum appuliſſe, circa ſeram veſperam. 6.

Comparuerunt omnes in Synodo numero tredecim. Agmen ducebat Profeſſor Epiſcopius, ſequebantur ipſum reliqui. Præſes Synodi his fere verbis ipſos affatus eſt: Meminiſtis vos citatos eſſe, ut intra decimum quartum diem vos hic ſiſteretis: Itaque heri vos adeſſe oportuerat. Hodie mane circa octavam miſiſtis quatuor veſtrum, qui de adventu veſtro nos certiores facerent; qui quoque mihi ſignificarunt nondum vobis de hoſpitiis proſpectum eſſe: nondum explicatas eſſe veſtras chartas, ideoque petere ſe ut diem unum aut alterum ipſis concedere velimus, priuſquam ad Synodum vocentur. Viſum fuit venerandæ 7. Decemb.

Ep.316. huic Synodo, ut ipſi in hac Synodo petitionem veſtram proponatis, & reſponſum ab illa expectetis. Profeſſor Epiſcopius primum Ordinum Delegatos, inde exteros Theologos & Provinciales blanda & Chriſtiana oratione ſalutavit, iiſque omnibus gratiam & pacem à Domino comprecatus fuit. Subjunxit ſe cum ſociis Remonſtrantibus præſtituto tempore veniſſe; ſed cum pridie ejus diei ſero appuliſſent, & quærendis commodis hoſpitiis occupati eſſent, nec non aperiendis ciſtis, explicandis chartis aliiſque ad negotium iſtiuſmodi neceſſariis, ſe non quidem dilationem actionum Synodicarum efflagitare, ſed hoc Synodo perpendendum dare, an æquum non ſit, ut dies unus ſaltem aut alter ipſis concedatur, priuſquam ad principale negotium deveniatur; quod tamen omne arbitrio DD. Delegatorum committerent; alias paratos ſe eſſe, ſi ita videatur, ſtatim ad Collationem accedere.

Deinde exire juſſi ſunt Remonſtrantes, & mox cum ſuper hac re deliberatum eſſet in Synodo, revocati ſunt, iiſque ſignificavit Præſes, ut poſtridie ad horam nonam in Synodo adeſſent. Cumque Polyander, primus Profeſſorum Provincialium, abſentibus Remonſtrantibus dixiſſet, monendum eſſe D. Epiſcopium ſuper voce illa Collationis, nempe hic non eſſe diſputandum, aut Collationes inſtituendas: ſignificatum quoque hoc ipſum fuit per Præſidem Remonſtrantibus.

Præterea petierunt Remonſtrantes, ut cœtui ipſorum adjungerentur Nic. Grevinchovius & Simon Goulartius, in primis Nic. Grevinchovius, qui pridie ejus diei, quo citati eſſent alii Remonſtrantes, miniſterio ſuo publico exutus fuit; dicebant illum eſſe ex præcipuis ſententiæ ſuæ aſſertoribus & patronis, ideoque operam ipſius non eſſe ipſis denegandam. Ad hoc rurſum exire juſſi ſunt Remonſtrantes, & in eorum abſentia quidam Henricus Arnoldi acriter & acerbe multa de illo Grevinchovio dixit. Quæſivi ex quodam, qui mihi aſſidebat, quis iſte Grevinchovius eſſet, & quis ille qui ita in illum invehebatur. Dicebat, vocari Henr. Arnoldi, & eſſe Delphis Paſtorem, eum hoc nomine male audire quod eſſet magnus fœnerator. Grevinchovium vero eſſe Paſtorem Roterodamenſem, & edidiſſe librum in quo Henr. Arnoldi mendacii conviciſſet. Præſes Synodi dixit Remonſtrantibus, rem illam de Grevinchovio & Goulartio differri in poſterum diem.

7. Comparuerunt iterum Remonſtrantes, & prælectum ipſis fuit decretum DD. Delegatorum ab Heinſio, quo decreto petitioni Remonſtrantium abnuebatur, cum Paſtorum munus non amplius ſuſtinerent Grevinchovius & Goulartius: hoc tamen gratioſe ipſis concedebatur, ut privatim opera illorum uti poſſent, non autem ut publice in Synodo verba facerent.

Hac ipſa ſeſſione orationem recitavit Epiſcopius, magna cum παῤῥησίᾳ, (*loquendi libertate*,) voce ſatis clara & diſtincta. Durabat meo judicio ſeſqui horam. Magna erat ipſius Synodi & auditorum attentio. Ita me afficiebat ejus recitatio, ut ſcribere eam negligerem. Nec tamen omnia aſſequi potuiſſem. Multa dicebat de ſchiſmate Eccleſiarum, cujus cauſa eſſent Contra-remonſtrantes: Et hos ipſos fovere in ſinu, & etiam ſpargere multa horrenda & periculoſa dogmata, ad quæ per conſcientiam ſilere non potuerint Remonſtrantes, & propterea ſe eſſe exoſos, & plebem à Contra-remonſtrantibus in ipſos eſſe concitatam. Se velle ut ab iſtis erroribus liberetur Eccleſia: aut ſi Synodus demonſtrare poſſit ipſos in errore eſſe, libenter ſe errorem depreçaturos. Gaudere ſe quod jam occaſio ſubminiſtrata ſit, ſuper hoc argumento diſputandi, & rationes cum rationibus conferendi. Non formidare ipſos centum viralia judicia aut ciſtas nongentorum, ſed cauſæ ſuæ æquitati & bonitati fidere. Finis orationis erat, amicus Socrates, amicus Plato, amica Synodus, ſed amica magis veritas. Erat oratio nervoſa, pathetica, referta ſententiis, & Latiniſſima. Studioſe inquiſivi, ut exemplar mihi comparare poſſem, ſed non potui.

Finita oratione petiit Præſes orationem illam ſibi dari, ut conſtet quo genio & ſpiritu illa pronunciata ſit. Dixit Epiſcopius, ſe non habere aliud exemplar ſatis nitidè deſcriptum. Inſtabat Præſes, dicens, da illud quod habes. Secretarius Politicorum dixit: omnes ſubſcribite orationi, & ſubſignatam exhibete. Factum hoc fuit, & ſic exhibita eſt oratio Præſidi; qui ſubjunxit hanc fere orationem: Videtis quanta patientia & æquanimitate vos perorantes audiverit Synodus, & quidem peroraſtis non petita à me venia, de quo monendi eſtis. Habita fuit iſta oratio ad præoccupandos animos multorum. Non eſt fas hic orationes habere priuſquam de argumento prius nobis conſtet, &c. Reſpondit Epiſcopius, ipſam orationem in procemio habere veniæ petitionem. Regeſſit Præſes. Verum eſt, ſed non expectaſtis vobis dari veniam. Epiſcopius reſpondit, nobis de iſta lege non conſtat.

Poſtea prælecta fuit quædam juramenti formula, in quam dicebat Præſes jurandum eſſe omnibus Synodi membris. Factum hoc fuit, & ex ordine omnes jurarunt. Intellexi poſtea in meo diverſorio eſſe aliquem in Synodo ſeniorem Eccleſiæ Gallicanæ, qui iſti juramento etiam annuiſſet, nec tamen Latinam linguam intelligeret, vocatur Petrus Pontanus.

Propoſuit Præſes, quandoquidem inter Synodi membra eſſent duo Eccleſiaſtæ Ultrajectini Remonſtrantes, an non æquum foret, ut illi ſe citatis Remonſtrantibus adjungerent, & tamdiu loco ſuo cederent, quamdiu de cauſa Remonſtrantium ageretur. Ultrajectini petierunt ſpatium deliberandi, quod ægre tandem

1316. dem ipſis conceſſum fuit. Pomeridiana ſeſſione reſponderunt, nihil cauſæ eſſe cur loco ſuo ſurgerent, cum à ſuis Principalibus eſſent legitime miſſi, & jam admiſſi, ſe paratos quoque eſſe juramentum ab aliis præſtitum præſtare. Verum cum quædam conditiones ipſis proponerentur ſpeciales, ad illas reſponderunt, dicentes iniquum eſſe, ut aliis illi legibus adſtringerentur, quam reliqua Synodi membra. Dicebat Polyander, Remonſtrantes non poſſunt judicare de cauſa Remonſtrantium, ſed hoc eſt Contra-remonſtrantium. Prudentiores quidam ſuſpicabantur, cauſam cur tantopere urgerent Provinciales, ut Ultrajectini citatis ſe jungerent, eſſe, ne ad Remonſtrantes citatos deferretur, ſi qua ſecreta conſilia agirarentur in Synodo ſeſſionibus privatis, & ne Remonſtrantibus patrocinium ſuum commodarent Ultrajectini. His enim Ultrajectinis duobus remotis, tota Synodus ex Contra-remonſtrantibus conſtabat.

10. Comparuerunt una cum citatis Remonſtrantibus, duo Eccleſiaſtæ Ultrajectini ſupradicti. Præſes de Oratione Epiſcopii rurſum loqui cœpit, dicens; D. Epiſcopi, tu dixiſti te non habere aliud exemplar orationis tuæ, at poſtea compertum eſt, te adhuc aliud exemplar habuiſſe; quare moneo te, ut poſthac ſincerius cum Synodo agas, & circumſpectius loquaris. Reſpondit Epiſcopius: Gratulor mihi jam oblatam eſſe occaſionem diluendæ iſtius calumniæ, quæ jam per totam urbem ſparſa eſt, nempe me aliam orationem recitaſſe, & aliam ſcripto exhibuiſſe. Teſtor mihi hac in parte inſignem fieri injuriam. Non fuit mihi animus aut mens fallendi hunc conſeſſum: nec dixi me non habere aliud exemplar, ſed non habere aliud ſatis nitide deſcriptum. Et cur negaſſem me habere aliud exemplar, eſt enim utriuſque idem argumentum, & eadem utrobique continentur, quin ipſe rogatus à Secretario, an aliud exemplar haberem, dixi me habere aliud, & hoc ipſum illi libens dedi. Quæ hic fraus eſſe poteſt, &c. Sed Præſes Politicus hanc litem autoritate ſua diremit, & ſufficere dixit.

Petierunt Remonſtrantes, ut ſibi liceret quædam è ſcripto prælegere, quæ præmittenda eſſe putarent: ſed recuſante Præſide Eccleſiaſtico, Præſes Politicus dixit: Legite. Legit ſcriptum quidam vocatus Bernardus Dwinglo, Eccleſiaſtes Leydenſis. Hoc ſcripto duo continebantur: primo declarabant ſe illam Synodum non poſſe agnoſcere pro ſuo legitimo judice, quia maxima pars Synodi, exteros excipiebant, pars eſſent adverſa. Quod probabant ex eo, quia Provinciales eſſent ſchiſmatis rei, & jam ab ipſis receſſerant, nec ulla Religionis ſacra cum ipſis communia habere vellent: non poſſe ſe ullo jure illos agnoſcere judices ſententiæ ſuæ, à quibus jam ante eſſent condemnati, à quibus eſſent tanquam homines athei & profani excepti, à quibus eſſent Eccleſiis ejecti, à quibus eſſent factis ſyncretiſmis declarati tales, cum quibus ulla conciliatio iniri non poſſit; ideoque ſe non haberi à Contra-remonſtrantibus pro membris iſtius corporis, aut Reformatæ Eccleſiæ: addebant ſe paratos eſſe hæc omnia vel ſcripto, vel viva voce in ipſa Synodo probare. Secundo eodem ſcripto ſtipulabantur quaſdam conditiones, & quidem XII, quibus conceſſis dicebant cum fructu Synodum poſſe celebrari: addentes illas conditiones etiam à Pontificiis petiiſſe Reformatos, & à Lutheranis Calviniſtas. Probant multis rationibus & teſtimoniis, ipſius Parei in Eirenico, Gentileti cujuſdam, & aliorum, illas conditiones eſſe æquas & legitimas. Durabat lectio iſtius ſcripti ad duas & amplius horas. Ep. 316.

Lecto hoc ſcripto ad petitionem utriuſque Præſidis Eccleſiaſtici & Politici, exhibitum fuit Præſidi Eccleſiaſtico, poſtquam juſſi eſſent illi ſubſcribere Remonſtrantes.

Præſes Eccleſiaſticus poſtea oſtendere cœpit, Remonſtrantes debere ſe judicio Synodi ſubjicere; Contra-remonſtrantes non amiſiſſe jus ſuffragii, etiamſi receſſiſſent à Remonſtrantibus. Ita actum fuiſſe in veteri Eccleſia, & etiam in cauſa Coolhaſii, Herberts, Wiggeri. Replicabat ad hanc Præſidis orationem quidam Niellius, Paſtor Eccleſiæ Gallicanæ Ultrajecti; ſuſtinens eandem eſſe rationem Remonſtrantium ad Contra-remonſtrantes, quæ fuit in Germania Flaccianorum, & Peuceri aliorumque à Flaccianis diſcrepantium, qui tantum abeſt ut ſe Synodo Flaccianorum ſubjicere voluerint, ut in ea comparere detrectaverint, quoniam pars eſſent adverſa. Reſpondebat Præſes, illi erant ſub diverſis Magiſtratibus, vos & nos ſub uno. Dicebat Niellius, non erant ſub diverſis Magiſtratibus, ſed ſub uno Duce Saxoniæ. Epiſcopius dicebat, R. D. Præſes, ſi vos eſſetis noſtro loco, & nos veſtro, anne vos ſubjiceretis vos noſtro judicio? Reſpondit Præſes, patienter nobis hoc eſſet ferendum. Regeſſit Epiſcopius: Aliud eſt agnoſcere judicem, aliud patienter ferre. Nos etiam feremus judicem hunc. Sed ab animo noſtro impetrare non poſſumus, ut vos judices legitimos agnoſcamus ſententiæ noſtræ, cum ſitis pars adverſa, & diverſas plane & ſeparatas à nobis habeatis Eccleſias. Quod ad Magiſtratus authoritatem attinet, nos illam libenter agnoſcimus: at ut nobis judices ponantur qui ſunt adverſarii, illud pugnare cum æquitate naturali.

A meridie quæſitum fuit judicium Synodi de ſcripto illo Remonſtrantium, & decretum fuit illos eſſe ſerio reprehendendos, quod auſi fuerint maximam partem Synodi ſchiſmaticam vocare, quod in Magiſtratus etiam devolvatur hæc criminatio, ideoque acri cenſura eſſe notandos. Ingreſſos itaque Remonſtrantes Præſes acri oratione perſtrinxit, & cum inter alia dixiſſet, neſcio an hæc ſit juveni-

Ep.316. venilis quædam protervia, an imprudentia? Respondit Niellius, si juventus nostra nobis exprobrari debet, cur me vocastis ad hanc Synodum? & sane sunt inter nos, qui ætate non cedunt multis Synodi membris. Ego viginti tres annos functus sum ministerio Ecclesiastico, & iniquum puto mihi juventutem aut proterviam esse objiciendam.

Lectum fuit à Secretario aliquod decretum Delegatorum contra petitionem conditionum, quas sibi concedi petierant Remonstrantes. Postea ad censuram Præsidis respondere cœpit Episcopius, dicens, scripto isto prælecto nihil contineri quod Magistratus concernat, se solos Ecclesiasticos accusasse schismatis; & hoc ipsum prælegit ex scripti istius apographo. Hic plura dicere volentem interturbavit Præses, & quærivit, quos ergo velletis judices? An Anabaptistas, aut Papistas, aut Neutralistas? Respondit Episcopius: Nobis jam sufficit rationibus evicisse, hanc saltem Synodum non posse esse legitimum controversiarum judicem. Sub finem petiit sibi dari apographum istius decreti Delegatorum.

11. Ante meridiem, cum ingressi essent Remonstrantes, rogavit Præses, an parati essent ad sententiam suam de quinque articulis scripto exhibendum, & simul considerationes ad Confessionem & Catechesin? Episcopius petiit, ut scriptum aliquod liceret prælegere. Rogavit Præses, an esset tertia peroratio. Responsum, non esse orationem. Itaque permissum ut legeretur. Legit idem qui supra Bernardus Dwinglo, initium ita habebat. Prudenter monet Doctissimus Paræus, se nemini esse authorem, ut in tali Synodo compareat, in qua iidem sunt pars adversa & judices. Hujus dicti veritatem præsens comprobat Synodus, &c. Ostendebant hoc scripto, Præsidem non bona fide & conscientia agere: illum primo studuisse adducere D. Episcopium in suspicionem malæ fidei, accusando illum mendacii; deinde illum falso illos insimulare, quod Magistratus & Ordines vocassent schismaticos, cum de Ecclesiasticis hoc dixissent, non de Ordinibus. Hoc non esse ex charitate agere, sed in eo totum esse Præsidem, ut in ipsos concitaret odium & iram Ordinum & Magistratuum. In fine scripti erat solennis protestatio contra Synodum, qua declarabant coram toto orbe Christiano, se illam Synodum, quoad maximam sui partem, non habere pro legitimo judice, cum essent pars adversa & schismatis rea, ideoque judicium Synodi nullum apud ipsos & Ecclesias ipsorum habiturum pondus: Velle tamen se salva ista protestatione ad rem venire. Hanc protestationem petebant actis Synodi inseri. Ego cum audirem, mirabar istorum hominum animositatem, plane erant intrepidi, & in Synodo loquebantur tanquam pares cum paribus, fronte exporrecta & serena, ad extrema, uti præ se ferebant, parati.

Dimissis Remonstrantibus, dixit Præses ista Ep 316
protestatione contineri quædam quæ ipsum concernant. Rogavit suffragia Synodi, an non etiam intellexissent Episcopium negasse, se aliud exemplar orationis habere. Et paucis exceptis, qui dicebant se non ita observasse verba omnia, respondebant omnes, se non aliter potuisse intelligere, quam Episcopium negasse se habere aliud exemplar. Sed ego, qui etiam interfui tunc cum hoc diceret Episcopius, audivi & notavi in meo enchiridio, ipsum dixisse: non habeo aliud exemplar nitide satis descriptum. Judicatum quoque fuit, Remonstrantes indirecte taxasse Magistratum.

Post meridiem rursum actum fuit de protestatione Remonstrantium, sed non comparuerunt tunc. Singuli in Synodo sententiam dixerunt de facto Remonstrantium.

Cum in Synodo mensæ suæ assedissent Re- 12.
monstrantes, lecta est à Festo, scriba Synodi altero, censura Synodi, adversus protestationem Remonstrantium. Prælecta etiam fuerunt suffragia exterorum de eadem protestatione. Judicabant Protestationem non esse fundatam, sed authoritate Magistratus adigendos esse, ut à sua protestatione recederent. Genevenses dicebant, si detrectarent recedere, duo superesse: Primo potestatem politicam manu & gladio armatam: Secundo excommunicationem & separationem à corpore. Tertio recitatum fuit à Secretario Heynsio decretum Delegatorum contra eandem protestationem, quo eam judicabant esse irritam, sed ea omissa ad rem deveniendum esse, & Remonstrantes teneri judicio Synodi se submittere.

Post meridiem rursus rogavit Præses Remonstrantes, an haberent paratam sententiæ suæ declarationem. Episcopius petiit ut liceret ipsi prælegere scriptum aliquod breve apologeticum contra illud quod Synodus judicasset, illum negasse se aliud habere exemplar orationis. Dicebat sibi immerenti atrocem fieri injuriam. Nihil sibi carius esse nominis sui existimatione, ideoque petere, ut scriptum istud legere ipsi concedatur. Præses politicus respondit, velle Delegatos, ut decreto ipsorum pareretur. Non permitti amplius ut scripta legantur. Tandem post indefessam instantiam Episcopii, recepit scriptum Præses Ecclesiasticus, qui cum legisset, obtulit Præsidi politico, à quo una cum vicinis Delegatis lectum fuit, & postea publice illud prælegit scriba Dammannus. Hoc scripto excusabat se à crimine mendacii, dicebat verba sua male intellecta fuisse, & si omnes circumstantiæ spectentur, nec mendacium, nec fraudem ullam locum habere potuisse, ideoque se recti conscientia seipsum solari, & Deo judici hoc omne committere, &c. Mox petiit Episcopius, ut audirentur testimonia eorum, qui ipsi proxime assedissent, Remonstrantium nempe omnium; habere se scripto consignata: sed licet

Ep.316. cet aliquoties hoc urgeret, noluit ea recipere, aut eorum lectionem permittere Præses.

Imperatum Remonstrantibus est, ut protestationi suæ renunciarent. Obtulerunt Remonstrantes libellum supplicem, quo primo petebant copiam censuræ istius synodalis super facta protestatione. 2. Copiam suffragiorum, quæ scripto exhibuerant exteri Theologi de eadem protestatione. 3. Copiam decreti Delegatorum contra eandem protestationem. Sed denegatum hoc omne ipsis fuit. Instituit Præses politicus, & quæsivit an vellent mox parere decreto, & ad rem venire nec ne? Remonstrantes petierunt spatium deliberandi. Denegatum aliquoties, tandem concessum. Itaque receperunt se aliquandiu in vicinum cubiculum, & mox reversi: his verbis responderunt. Salva conscientia & judicio nostro de hac ipsa Synodo, sententiam nostram de quinque articulis libere proponemus, explicabimus, & quantum necessarium judicabimus, defendemus. Quæ posteriora verba ex litteris quibus citati erant ad Synodum, prælegerunt. Quidam ex Politicis dixit, scripto esse exhibendam sententiam. Respondit Episcopius; de scripto non fit mentio in litteris citatoriis, sed vocati sumus ut sententiam nostram de quinque articulis libere proponamus, explicemus, defendamus; hæc sunt expressa verba litterarum citatoriarum. Præses Ecclesiasticus dixit, permittatur vobis judicium vestrum privatum de hac Synodo, sed non publicum, ut Synodum habeatis pro schismatica. Respondit Episcopus his verbis: Nos uti loquimur, ita sentimus, & ut sentimus, ita loquimur. Præses illos monuit, ut scripto in diem crastinum exhiberent sententiam suam de primo articulo, perspicue & clare, non tamen per theses & antitheses. Respondit Episcopus, nobis non fuit alia mens, quam ut justa hic institueretur collatio inter nos & Synodum, & sic inquireretur in veritatem. Aliter agendum fuisse non venit nobis in mentem. Tandem promiserunt Remonstrantes, se in crastinum diem paratos fore ad sententiam scripto exhibendam. Multi, cum quibus mihi inter eundum sermo erat, mirabantur Synodum Collationem viva voce recusare: dicebant se non alia spe venisse Dordracum, quam ut audirent disputantes Remonstrantes cum Synodo. Nunc vero quia disputandum non esset, abitum parare.

13. Cum ingressi essent Remonstrantes, rogavit Præses, an sententiam suam super primo articulo scripto consignatam haberent? Respondit Professor: parati sumus secundum ea, quæ hesterno die dicta fuerunt, sententiam nostram de primo articulo prælegere. Prælegit itaque aliquot theses de Prædestinatione. Et eas subsignatas ab omnibus exhibuit. Præses tamen voluit, ut capitatim quisque pro se responderet, an hæc esset ipsorum sententia. Responderunt omnes, esse.

Significatum fuit in Synodo Remonstrantibus, ut in diem sequentem sententiam suam circa reliquos quatuor articulos scripto exhiberent. Præterea reprehendit Præses Remonstrantes, quod non solum suam sententiam proponerent, sed & contrariam, dicens, vos proponite vestram, nos de nostra sententia dispiciemus. In confessionibus proponuntur simpliciter ea quæ credimus, non autem rejiciuntur quæ non credimus. Deinde & hoc attendendum est, agendum esse de materia Electionis, quæ suavis est, non autem de odiosa materia Reprobationis. Vos vero quavis occasione ad materiam de Reprobatione deflectitis. Episcopius petit pusculum temporis. Et concessum est in diem lunæ. Eadem tamen Sessione quidam exterorum judicabant illos bene proposuisse sententiam, & permittendum esse ut contrariam quoque refutent. Ep.316. 14.

Factum est scriptum, in quo aliquot positionibus sententiam suam de quatuor reliquis articulis complexi sunt Remonstrantes, & in fine additæ erant multæ rationes, quibus probabant licere sibi, imo & necessarium esse, ut sententiam suam partim negative, partim affirmative declarent, & non tantum de Electione, sed & Reprobatione esse agendum. Has ipsas autem theses Remonstrantium mihi comparavi studio cujusdam studiosi, qui se eas accepisse dicebat ab amanuensi cujusdam exteri Doctoris, earum quoque exemplar A. T. mitto. Eadem sessione petiit Præses, ut exhiberent scripto considerationes suas ad Confessionem & Catechesin. Respondit Episcopius; litteras citatorias expresse habere, ut primum agatur de quinque articulis, & de iisdem esse transigendum, priusquam ad considerationes deveniatur. Idem habere decretum Ordinum Generalium de modo Synodi. Cumque aliquoties eas urgeret Præses, & ab alia parte dicerent Remonstrantes se nondum paratas habere illas considerationes, nec aliud ipsis in mentem venisse, quam ut prius quinque articulorum pertractationem absolverent, & his peractis ad considerationes illas deveniretur, petierunt Remonstrantes tempus illas concinnandi. Quidam tamen eorum rogati, dicebant se nullas habere considerationes ad illa scripta; quidam paucas, quidam ad Catechesin tantum. Unus dicebat se vix unam habere. Longa hinc inter politicum Præsidem & Episcopium fuit de considerationibus istis contentio. Episcopius dicebat considerationes illas non esse decisiones. Politicus dicebat, considerationes habebuntur pro sententia. Episcopius dicebat; ergo nullas habemus. Ecclesiasticus Præses interfatus dicebat, habebimus eo loco quo oportebit. Concessum postremo fuit Remonstrantibus quatrideum. 17.

Rogavit Præses, an haberent paratas considerationes ad Catechesin & Confessionem. Responderunt se habere paratas ad Confessionem, petebant, ut liceret publice prælegere. 21.

Ep. 316. Sed abnuit Præſes. Urgebant, ut præfationem ſolummodo legere liceret. Reſpondit Præſes: expectate ſuper hac re Synodi judicium. Itaque exhibuerunt ſcriptum ſuum Remonſtrantes, quo facto, exire juſſi ſunt.

Abſentibus Remonſtrantibus, prælecta eſt à Dammanno præfatio præfixa iſtis conſiderationibus, qua exponebant Remonſtrantes, ſe iſtas conſiderationes annotaſſe ante multos annos, idque juſſu particularium Synodorum, & poſtea eas juſſu Ordinum Hollandiæ miſiſſe ad eoſdem Ordines. Nec iis conſiderationibus ſe quidquam decidere, ſed ſolummodo proponere quædam problematice, ut de iis in Synodo, ſi ipſi utile videatur, diſpiciatur. Conſiderationes ad Catecheſin ſe primo tempore exhibituros eſſe. Quæſivit Præſes Synodi judicium de facto Remonſtrantium. Primo, quod non exhibuerint una & ſimul conſiderationes ad Catecheſin. Secundo, quod non ſinguli ſuas exhibuerint, ſeorſim, ſed quod conjunctim eas exhibuerint. Tertio, quod etiam illi conſiderationes exhibuerint, qui ante dixiſſent, ſe non habere. Primum rogati ſunt Politici: ſed illi judicium ſuum ſuſpenderunt. Rogati poſtea Angli, & ita deinceps. Omnes aliquid in facto Remonſtrantium taxabant, quidam parum, quidam graviter peccatum eſſe judicabant contra authoritatem Politicorum, quidam dicebant plus temporis illis concedendum eſſe ad conſtituendas conſiderationes ad Catecheſin, & perinde hoc eſſe ſive ſimul ſive ſeorſim conſiderationes ſuas exhibeant. Feſtus ſcriba nonnulla hiſtorica referebat de origine iſtarum conſiderationum, idque contra præfationem.

Vocati ſunt poſtea Remonſtrantes. Dixit Præſes, valde mirari ſe, quod illi jam conſiderationes exhiberent, qui antea dixiſſent ſe non habuiſſe; nominabat quendam Theophilum, Leonem, & Veſekium. Reſpondit Leo, ego antea non habui, nec adhuc habeo. Et conſiderationes exhibitæ non ſunt à me formatæ. Ego cum quadam ſpeciali formula ſubſcripſi, nempe me lectis iſtis conſiderationibus judicare illas eſſe animadverſione dignas, & ad quas Synodus propius attendat. An vult D. Præſes me obbrutescere, & omnem ſenſum communem exuere, ut lecto aliquo ſcripto non liceat pronunciare, an dignum ſit animadverſione nec ne? Idem dixerunt alii. Quæſivit Præſes, cur non exhibuiſſent conſiderationes ad Catecheſin? Reſpondit Epiſcopius, temporis anguſtiæ hoc imputandum, non noſtræ negligentiæ aut incuriæ. Quæſivit Præſes, cur non capitatim exhibuiſſent eas? Reſpondit Epiſcopius, mirari ſe cur ſigillatim eæ exigantur, cum non ſint ſententiæ, aſſertiones, & decreta, ſed ſolummodo quædam conſideratione digna. Quæſivit Præſes, an eſſent eædem, quas ante aliquot annos exhibuiſſent? Reſpondit Profeſſor, ſe non exhibuiſſe antea conſiderationes, tum temporis ſe nondum ad Eccleſiaſticum miniſterium vocatum fuiſſe. Ep. 316.
Alii dixerunt eſſe eaſdem, nec aliud ſibi conſtare, additas tamen eſſe multas alias.

Lectum fuit decretum Delegatorum de iſto facto Remonſtrantium. Epiſcopius petiit apographum. Politicorum quidam rogavit, quem in finem peteret, an ut obloqueretur? Epiſcopius reſpondit, non ſolemus obloqui decretis Magiſtratuum noſtrorum; ſed petimus apographum, quia ex unica prælectione mentem & ſententiam ſatis non percipimus, velle ſe propius illud examinare. Reſpondit idem Politicus, nolumus examinari noſtra decreta. Veſtrum eſt parere, non examinare decreta. Reſpondit Profeſſor: Parebimus quantum per conſcientiam licet. Politicus: an ergo putas nos decreta facere quæ ſunt contra conſcientiam? Profeſſor. Nos hoc non dicimus, ſed eo fine examinandum eſt decretum, ut ſciamus, an liceat per conſcientiam parere. Politicus. Dabitur ut pareatis, non ut examinetis. Ex vicino meo intelligebam Politicum illum eſſe conſiliarium Curiæ Gelriæ, & Effenio illi nomen eſſe. Mirabar illum dicere: nolumus decreta noſtra examinari. Denique injunctum ipſis fuit, ut in diem Jovis proximum conſiderationes ſuas ad Catecheſin exhiberent.

Ante meridiem exhibuerunt Remonſtrantes conſiderationes ſuas ad Catecheſin Palatinam, erant autem valde multæ, uti ex ſcripti facie judicare erat. Scultetus dicebat: quandoquidem hæ conſiderationes tangunt Catecheſin Palatinam, & nos in mandatis habemus à clementiſſimo noſtro Principe, ut ſi quid hujus rei in Synodo occurrere poſſit, diligenter attenderemus, ne quidquam in præjudicium Eccleſiarum Palatinarum ſtatueretur, petimus & rogamus ut nobis conſiderationes iſtæ exhibeantur, quo eas examinemus, nos ad eas reſpondebimus, & hujus Synodi judicio hoc omne ſubjiciemus. Reſpondit Præſes, iſtam rem differemus in aliud tempus, nec quidquam hac in parte ſtatuet Synodus abſque Theologis Palatinis. 27.

Præſes ad Remonſtrantes directa oratione dixit: Vox aliquoties repetiiſtis, liberum vobis eſſe debere, ut ſententiam veſtram proponatis, explicetis, defendatis quantum poteſtis, & neceſſarium judicatis. Idque ita explicuiſtis, quaſi proponere quoque & explicare libere poſſitis veſtram ſententiam, quantum poteſtis, & neceſſarium judicatis. Synodus vero hæc & DD. Delegati judicarunt, illam libertatem tantum ad defenſionem, non autem ad propoſitionem & explicationem eſſe referendam, neque eſſe veſtro arbitratui permittendum iſtam libertatem proponendi & explicandi, ſed hoc pertinere ad hanc Synodum. Reſpondit Profeſſor Epiſcopius, nunquam dubitavimus, quin in hac Synodo nobis concederetur libertas ſententiam noſtram proponendi, explicandi & defendendi, ac con-

Ep.316. contrariam refutandi. In hunc etiam finem jam nuper ſcripto exhibuimus rationes quindecim, quibus demonſtravimus, illud æquiſſimum eſſe. Quamdiu vero ſuper illis nobis non eſt ſatisfactum, non poſſumus impetrare ab animis noſtris, ut aliam agendi viam ingrediamur. Rogavit Præſes, an non haberent alias conſiderationes: reſponderunt ſinguli, non habere. Rurſum propoſuit Præſes Remonſtrantibus, non licere contrariam ſententiam refutare, ſed tantum ſuam proponere. Non permiſſuram illud Synodum. Epiſcopius dixit: nobis non eſt propoſitum aliter agere cum Synodo. Intereſt cauſæ noſtræ ne aliter agamus. Et conſcientiarum noſtrarum intereſt, ut contrariam ſententiam refutemus. Non haberemus adeo de Electione, ſed potiſſimum nos calceus urget circa Reprobationis doctrinam, quod nempe dicitur: Deum maximam hominum partem abſoluto & inconditionato decreto ad æternum exitium reprobaſſe, ad gloriam ſeveritatis & libertatis ſuæ. Hoc nos male habet. Hoc ergo refutandum nobis. Præſes. Fideles libentius agunt de conſolatione quam ſuppeditat Electionis doctrina. Reſpondit quidam Corvinus: gloriæ Dei, & ædificationis Eccleſiarum intereſt, ut de Reprobatione agamus. Præſes. An ad gloriam Dei facietis, patebit ſuo tempore, an vero ut in odium adducatis illam doctrinam. Iſaacus Ultrajectinus reſpondit; Si nobis diſputandum eſſet cum Lutheranis, an pateremur nobis leges ab illis præſcribi? ſi tamen Synodo ita videatur, opponam ſolum ſilentium. Præſes. Videte ne detis occaſionem credendi vos ſubterfugere. Iſaacus; nullo modo ſubterfugimus, parati enim ſumus ad diſputandum. An nemo hic eſt ex Profeſſoribus, qui nobiſcum diſputare velit? Si putatis nos in errore eſſe, liberate nos. Rogavit Præſes ſingulos, an perſtarent in ſententia? Reſponderunt ſe perſtare. Dixit Præſes. Martyres coram judicibus ſententiam ſuam propoſuerunt. Reſpondit Remonſtrantium aliquis, at Martyres etiam ſe oppoſuerunt contrariæ ſententiæ. Præſes, ſed coacti reſpondere de ſua, non oppoſuerunt ſeſe. Reſpondit idem Remonſtrans, imo quia ſeſe oppoſuerunt, occiſi ſunt, & nos ſumus parati quidvis pro veritate pati. Præſes. Si ſummus Magiſtratus velit, eſt obtemperandum. Reſpondit idem. Eſt libera Synodus, ſententiam libere proponere, explicare, & defendere debemus. Non poſſunt ſanari ſcandala Eccleſiarum noſtrarum, niſi tollatur illa ſententia de abſoluta Reprobatione. De ea ergo agendum. Præſes, putatis ergo vobis concedendum eſſe ut examinetis dogma de Reprobatione? Reſpondit quidam, imo, quia inde malum in Eccleſiis natum eſt. Imo primo loco de eo agendum eſt. Cumque Præſes judicaret hoc fore præpoſterum, dixit idem, volo dicere *in primis* & *præcipue* de ea materia eſſe agendum. Alii dixerunt: liceat nobis utramque ſententiam examinare, & nobis erit ſatisfactum. Prælectum fuit Remonſtrantibus decretum, quo ſtatuebatur etiam de Reprobatione agendum, ſed quantum Synodus judicaret eſſe neceſſarium. Et juſſi ſunt Remonſtrantes parere, interminatione pœnæ Eccleſiaſticæ & Politicæ. Ep.316.

Eadem quæſtio inter Remonſtrantes & Præſidem agitata fuit. Hic urgebat de Reprobatione eſſe agendum, quantum Synodus judicaret conducere. Illi petebant libertatem ſuam ſententiam proponendi, explicandi, & contrariam refutandi, prout ipſi cauſæ ſuæ expedire judicarent. Non eſſe hoc negandum citatis, neque ipſis præſcribendum quomodo ſententiam ſuam proponerent. Plene audiendos eſſe, &c. Præſes dicebat. Reſpondete ad interrogata quædam. Quæro an articulos Hagæ-Comitis exhibitos etiamnum habeatis pro veſtris, & quidem ſpeciatim articulum primum? Reſpondit Epiſcopius. Non poſſum recedere à ſententia hodierno ſcripto comprehenſa. Hoc tamen ſcriptum cujus hic mentionem facit Epiſcopius, & ad quod aliquoties poſtea provocarunt, publice lectum non fuit. Dicebant ſubinde illo ſcripto contineri varias rationes, quibus probabant plenariam ipſis eſſe concedendam libertatem, ut ipſi explicent & defendant ſententiam ſuam, & contrariam refutent. Partem adverſam, quam dicebant eſſe Synodum, non poſſe alteri parti leges præſcribere, quomodo ſententiam ſuam defendere debeat. Nullam cauſam tam eſſe iniquam, quæ illa ratione non poſſet triumphare; nullam tam æquam, quæ ſic non ſuccumberet, quando diſſentiens alteri præſcriberet, quouſque ſuam ſententiam oppugnari vellet. Cumque ſemel diceret Epiſcopius: æquum eſt ut nobis concedatur libertas plenaria proponendi, explicandi & defendendi ſententiam, non quæ Synodo, ſed quæ nobis videatur eſſe ſufficiens, omnes fere in Synodo effuſe riſerunt. Rogati ſunt ſinguli, an vellent reſpondere ad quæſtionem? Reſponderunt, ſe non poſſe per conſcientiam, velle primum ſententiam ſuam explicare, diſerte hoc habere litteras citatorias. Poppius quidam, vir ſane venerabilis, & ut videbatur, pius & modeſtus, petebat ut ſcriptum eodem die exhibitum Præſidi legeretur; eo ſcripto mentem ſuam expoluiſſe, nec conſcientiæ ſuæ per ſolam authoritatem ſatisfieri, ſe malle quidvis ferre, quam iſtam rationem agendi inire. Reſpondit Præſes, voluntas Delegatorum eſt, ne legatur ſcriptum iſtud. Decretum eſt, ut ad quæſtiones reſpondeatis. 28.

Aſſidebat mihi tunc quidam Eccleſiaſtes, qui dicebat: vellem ſcriptum iſtud legi, ad quod toties provocant. Non debebant hoc ipſis negare. Ego permitterem illis libertatem quam petunt. Sunt citati, dicant quod lubet. Aliter judicare non poteram & ego, quam Præſidem hic viriliter agere. Quidam Theophilus dicebat, video hic vix quidquam à nobis dici, quod

Ep.316. quod non in deteriorem partem excipiatur, & multorum ludibrio nos hic exponi. Ad quæſtiones reſpondebo. Vocatus ſum, ut de communi conſilio cauſam dicam. Cum Præſes mentionem faceret decreti, regeſſit Niellius, decretis omnibus non eſt ſtatim obtemperandum. Tertullianus inquit: *nulla lex ſibi ſoli juſtitia ſua conſcientiam debet, ſed iis etiam, à quibus obſequium exſpectat.* Addebat & alia, ſed aſſequi non poteram. Erat enim illi volubilis lingua & dictio præceps. Dicebat Præſes: dabitur vobis quoque libertas de Reprobatione agendi. Reſpondit quidam eorum, cujus nomen ignotum mihi: verum eſt, ſed quantum Synodus, hoc eſt, pars adverſa, neceſſarium judicabit. At Contra-remonſtrantes in Collatione Hagienſi dixerunt, ad Eccleſiæ ædificationem non facere ut de Reprobatione agatur. Facile autem eſt cauſam præſumere, cur circa Reprobationem limitare voluerit Remonſtrantes Præſes, quia hanc valde odioſe proponunt, præcipue cum ex ſententia Calvini & Bezæ proponunt, ita ut multos offendat, quia horrida eſt & populo ingrata.

Pergebat Præſes urgere ſuas quæſtiones. Illi contra urgebant lectionem ſcripti exhibiti. Dicebat Poppius: D. Martinus dixit non eſſe inſtituendum examen pædagogicum. At hoc revera tale foret. Exire juſſi ſunt Remonſtrantes. Mox iterum vocati. Rogati an perſiſterent? Dicebant ſe perſiſtere. Dixit Politicus Præſes: quia perſiſtitis in veſtra contumacia, prohibent Delegati, ne quis veſtrum diſcedat ex hac urbe abſque ſpeciali venia.

29. Intererant tunc Synodo ſex fœminæ. Cum intraſſent Remonſtrantes, prælectum illis eſt à ſcriba Feſto ſcriptum aliquod, quo putabat Præſes ipſis abunde ſatisfactum eſſe. Remonſtrantes petierunt apographum & ſpatium deliberandi. Receperunt ſe in vicinum conclave: Reverſi dixerunt non concedi illis libertatem debitam, ſed additam eſſe reſtrictionem, de Reprobatione agendum eſſe, quantum ad Synodi informationem eſſet neceſſarium. Præſes dixit, ut verum fatear, puto abuſum eſſe. Antea enim ſcriptum erat: ad Dei gloriam, informationem, & ædificationem Eccleſiarum. Dicebat Præſes: vos contenditis de ordine, & primo vultis de Reprobatione agere. Profeſſor reſpondit. Non contendimus de ordine. Præſes. At aliquis veſtrum dixit, primo eſſe agendum de Reprobatione. Reſpondit quidam, ego hoc dixi, ſed explicui ſtatim meam mentem, nempe me hoc voluiſſe, præcipue eſſe agendum de ea.

Lecta ſunt judicia exterorum, quæ omnia hoc fere habebant, de Reprobatione ſobrie eſſe agendum, & primo loco de electione eſſe agendum. Lectis ſuffragiis dixit Præſes. Audiviſtis judicia de facto veſtro; vos putatis non recte perceptam eſſe mentem veſtram, & non eſſe mentem, ut primo loco agatur de Reprobatione, ſed ut de illa quoque agatur ſuo loco. Hoc jam haberi poteſt pro confeſſo. Supereſt ut non poſtuletis amplius plenariam libertatem. Sed ut Synodus judicet de veſtra libertate. Si libertas limitetur, jam res confecta eſt. Epiſcopius negavit de ordine eſſe contentionem, modo concedatur libertas, de ordine, dicebat, non laborabitur. Præſes: Si illa concedatur vobis, vos protrahetis tempus. Epiſcopius: non protrahemus. Rogamus ut ſcripto nobis liceat reſpondere, & ſententiam noſtram plenius proponere, quia videmus alioquin multa male intelligi. Intereſt exiſtimationis noſtræ ut hoc fiat. Cum vero urgeret Præſes, an vellent limitatam libertatem, an qualis ipſorum conſcientiis placeat. Remonſtrantes petierunt exiguum tempus ad deliberandum, & quidem quatuor horarum. Hoc vero illis à Præſide politico conceſſum eſt. Præſes Eccleſiaſticus videbatur hoc ægre ferre, dicens, quoniam DD. Delegatis ita viſum eſt, ego me componam ad patientiam & manſuetudinem, ſed vereor ne VV. DD. proſtituant ſuam auctoritatem. Durabat hæc ſeſſio uſque ad horam pomeridianam tertiam.

Seſſione veſpertina hora ſexta ingreſſi Remonſtrantes, rogarunt ut reſponſum prælegere liceret. Negavit Præſes, voluitque ſibi tradi. Traditum eſt. Ille legit cum aſſeſſoribus. Inde delatum eſt ad Delegatos. Hi etiam legerunt. Actum fuit ſilentium ad dimidiam horam. Deſiderabam valde audire quid reſpondiſſent. Tandem lectum fuit. Ego qua potui celeritate annotavi. Ita habebat. Si nobis non niſi categorice datur reſpondere, perſiſtimus in ſcripto noſtro heſterno. Si vero mentem noſtram plenius nobis explicare datur, reſpondemus nos ſententiam noſtram explicaturos & defenſuros, primum de Electione, deinde de Reprobatione, & contrariam Contra-remonſtrantium, & eorum quos illi pro Orthodoxis habent, in ſingulis articulis refutaturos. Et ſi quid tunc deſiderabitur, reſpondebimus ad quæſtiones omnes D. Præſidis, ſcripto, vel ſi res patiatur viva voce, per eos, quos maxime idoneos judicabimus; & ne in longius tempus actionem protrahamus, DD. Delegatorum erit de tempore diſpicere, qui tamen pro ſua æquitate juſtum tempus ad ſcriptorum concinnationem nobis non denegabunt.

Præſes dixit, primum membrum ſatis clarum eſt. Cum perveniſſet ad illa verba, de Orthodoxis, dixit, cupimus ſcire, quos intelligatis per illos Orthodoxos. Epiſcopius, Præmaturum & intempeſtivum de eo agere. Poſtea ubi ad rem ventum erit, illos Doctores allegabimus. Præſes; vos ſæpius illos notaſtis in ſcriptis veſtris, in Appendice, Nic. Grevinchovius contra Ameſium, Campenſes in ſuo ſcripto, & in famoſa tabella, quæ à Curia Geldriæ notata fuit. Vos reponetis (ni fallor) nobis eos omnes Doctores, dicite. Epiſcopius, Nomi-

Ep.316. Nominabimus tunc cum eo perventum erit. Præſes. Si vos non vultis eos nominare, nos faciemus. Nominaſtis venerandos illos viros, & clariſſima Eccleſiæ lumina, quorum memoria in benedictione eſt, D. Zwinglium, D. Bucerum, D. Calvinum, D. Bezam, D. Zanchium, D. Piſcatorem, D. Perkinſium.

Juſſi ſunt exire Remonſtrantes. Et reverſis dixit Præſes, reſpondete categorice, an velitis parere? Epiſcopius, non poſſumus parere, niſi eo ſenſu, quem in ſcripto iſto noſtro expreſſimus. Niellius rogatus dicebat, Non poſſe ad omnes quæſtiones, præſertim quæ multis ſunt circumſtantiis involutæ, categorice reſponderi. Si hic adeſſet (erat enim tunc abſens) Clariſſimus præceptor meus D. Goclenius, poſſet teſtari, quibus anguſtiis ſe D. Andreas implicuerit aliquando, quando dixiſſet, ſe ad omnes quæſtiones poſſe categorice reſpondere. Reliqui dicebant ſe in ſcripto perſiſtere. Præſes Politicus dixit. DD. Delegati mentionem facient veſtræ contumaciæ apud Illuſtr. Ordines Generales, ut videant, quid de tota hac veſtra cauſa & de vobis velint ſtatuere. Interea tertio vobis prohibetur, ne quis veſtrum extra urbem diſcedat, præſertim ad concionandum in locis vicinis.

Duravit hæc ſeſſio ad horam decimam veſpertinam. In eadem tamen ſeſſione dum abeſſent Remonſtrantes, exterorum ſuffragia audita ſunt, ſuper reſponſo Remonſtrantium exhibito. Angli dicebant, Remonſtrantium præſentiam non eſſe admodum utilem in Synodo, poſſe ex libris ipſorum judicari. Scotus dicebat, ſe aliquid in reſponſo Remonſtrantium probare, aliquid improbare, in tertio autem pendere. Quod probo, hoc eſt, quod prompte offerant, ſe reſponſuros ad quæſtiones Præſidis. Improbo vero, quod propoſitum ſibi habeant vellicandi & refutandi ſententiam Contra-remonſtrantium, & eorum quos illi pro Orthodoxis habent. In illo autem pendeo, quod modeſtiæ leges, imo temporis, ab Ordinibus Delegatis accipere non detrectent. Scultetus invehebatur magna cum vehementia in Remonſtrantium contumaciam, proterviam, impudentiam. Dicebat ſe in vocibus, factis, & geſtibus Remonſtrantium nihil pietatis obſervare potuiſſe, agere eos non bona, ſed mala, imo perdita conſcientia. Permittendos illos eſſe divino judicio, & humanarum poteſtatum arbitrio, ut illi ſtatuant in illos, quod tam invicta contumacia meriti ſunt. Helvetii ſuadebant, ut ad Bernenſium exemplum cum Remonſtrantibus agerent, ſicuti illi egerunt, cum Samuele Hubero ante annos triginta. Ejiciendos eſſe è Synodo potius, quam rogandos ut manerent. Naſſovii dicebant, monendos eſſe Remonſtrantes, ut categorice reſpondeant. Theodatus dicebat eſſe dimittendos. Mirari ſe, quod, cum numero & qualitatibus modici ſint, ita ſe Synodo opponerent; non tamen eſſe dimittendos primo quoque die, ne relapſi ad ſuas, Synodum calumniis gravent, omnia in pejus interpretantes. Martinius Bremenſis reſponſum Remonſtrantium approbare videbatur, dicens, non obſtante hac Remonſtrantium reſponſione plurimis moleſta, ad rem nihilominus perveniri poſſe, ſi modo ea obſerventur, quæ ipſi Remonſtrantes in reſponſionis ſuæ altera parte ſatis conceſſerunt. Quidam Menius dixit: Remonſtrantes nec Deum, nec ſummas poteſtates, nec Eccleſias ſuſpiciunt. Bovillerus. Illi homines antea impediverunt convocationem Synodi, nunc illam vellent in nihilum redigere. Jacobus Verheyden Rector Neomagenſis, inter alia dicebat: illi audaciam habent pro muro, & impudentiam pro ſcuto. Ep.316.

Ante meridiem (dies erat Dominicus,) 31.
D. Polyander orationem ex *Pſal.* LII. habuit, *Quam ſpecioſi ſunt pedes euangelizantium pacem.* Oratio erat valde trivialis & languida. Finita oratione, Præſes illi maximas egit gratias, pro tam docta paræneſi. Ita muli, &c.

Præſes repetiit acta ſuperiora, dixit deputatos quoſdam eſſe è Synodo ad Ordines Generales, ut ipſorum mentem intelligerent ſuper facto Remonſtrantium. Monuit fratres Synodi, ut ex Remonſtrantium libris excerperent, quæ extra quinque articulos vagarentur, imprimis ut examinarent theſes Profeſſoris Epiſcopii. Monuit fratres Zuythollandicos, ut hiſtoriam contexerent de cauſis & occaſione ſchiſmatis; denique hortatus eſt omnes, ut deliberarent de modo conſtituendarum Academiarum, & Collegiorum in Belgio. Prælegit ſcriptum aliquod quo formula erat concepta. Summa erat: 1. Profeſſores omnes ſint membra Eccleſiæ Reformatæ. 2. Curatores mutentur in ſingulos tres annos. 3. Interſit iis aliqua perſona Eccleſiaſtica. 4. Ne vocentur ſine ſuffragiis Synodi. 5. Linguæ ſanctæ atque Philoſophiæ Profeſſores ſint ingenio atque eruditione celebres, moribus ſancti atque inculpati. 6. Subſcribant Catechiſmo & Confeſſioni. 7. Theologica lectionibus & diſputationibus ſuis non immiſceant, niſi impetrata venia. 8. Quæſtionibus Theologicis & novis non diſtrahant animos. 9. Judicio ſe ſiſtant Synodi, ſaltem in externis. 10. Alumni DD. Ordinum ſæpius examinentur, & quandocumque hoc viſum erit Synodo. Præſes indixit conventum ad horam tertiam, quem privatum fore dixit, ad dictandum conſiderationes Remonſtrantium ad Catecheſin. 2 Jun. 1619.

Prælectum eſt decretum Ordinum Generalium contra Remonſtrantes, quo probabantur acta Synodi, & Remonſtrantibus injungebatur ut Synodo parerent, aut contra illos Eccleſiaſtica & Politica porra procedendum eſſe, tanquam contra conculcatores publicæ auctoritatis, & porro ex eorum ſcriptis eſſe judicandum. Hoc lecto cœpit præſes Eccleſiaſticus iterum rogare, an quinque articulos, qualiter in collatione Hagienſi eſſent ventilati, 3.

Ep.316. haberent pro ſuis? Epiſcopius reſpondere cœpit. Sed Politicus præſes dicebat, reſponſiones eſſe dictandas. Itaque Profeſſor hoc dictavit. Omnibus in timore Domini expenſis, & adjunctis etiam ſeriis ad Deum precibus, non poſſum impetrare ab animo meo, ut aliam agendi rationem ſequar, quam eam quæ ultimo noſtro reſponſo expreſſa eſt. Aliquot ſequentes idem dicebant. Hollingerus paſtor Gravienſis hæc dictabat: Reſpondeo, me non poſſe recedere à reſponſo quod exhibuimus die Sabbathi, nec poſſe eam recipere legem, eamque ingredi viam, quam prævideo certo certius tendere ad melioris cauſæ, & ipſius quam profitemur veritatis ſubverſionem atque ſuppreſſionem, quin graviter ſauciem conſcientiam, offendam Deum, & Eccleſiæ ac innumeris piis Chriſti cultoribus dem ſcandalum irreparabile, eoque gravem Dei iram in me concitem. Imitabor exemplum Chriſti, ſilebo, & omnem eventum commendabo illi, qui venturus eſt judicandum vivos & mortuos. Dixi. Præſes Politicus rogavit, an illa verba procederent, ex quadam perturbatione & animi calore? Reſpondit Hollingerus, jam ante præmeditatus ſum, non quidem ipſa verba, ſed rem verbis iſtis expreſſam.

Aliqui provocarunt ad ſcriptum eodem die DD. Delegatis exhibitum. Illud tandem publice lectum eſt. Probabant hoc ſcripto, præſentem caſum eſſe caſum conſcientiæ, & oſtendebant primo ex jure naturali, ſecundo ex multis Scripturæ locis, iniquum eſſe, ut Synodus, pars adverſa, ipſis præſcriberet limites defendendi veritatem, & oppugnandi contrarios Contra-remonſtrantium errores. Sic enim facile victores fore Contra-remonſtrantes, ſi ipſis præſcriberent, quouſque oppugnanda eſſet ipſorum ſententia: dicebant pugnare cum munere boni paſtoris, tales leges in præjudicium veritatis accipere. Non feciſſe hoc Prophetas, Chriſtum, Apoſtolos, quoties errores refutarent, ut tantum dicerent, quantum adverſarii neceſſarium judicarent. Suſtinebant, Ordines non habere potentiam tales leges ipſis præſcribendi, quæ conſcientias ipſorum gravent. Malle ſe quidvis pati, quam ut iſta agendi ratione cauſam ſuam perderent. Erat hoc ſcriptum grave & Theologicum. Priuſquam audiviſſem hoc legi, dubius hæſi, an merito conſcientiam obtenderent Remonſtrantes. Dicebat enim Præſes, quæſtionem eſſe tantum de modo. Sed illi perſpicue oſtendebant, illum modum, quem præſcribebat Præſes, facere ad ſubverſionem veritatis, quam putabant à ſuis partibus ſtare.

Præſes rurſum quæſtionem proponere cœpit. Illi perſtiterunt in priori reſponſo, petentes ut ad rationes hujus ſui facti è Scriptura deſumtas reſpondere vellent, ut aliquam haberent rationem conſcientiarum fratrum ſuorum. Poppius reſpondit: Nihil eſſe imponendum illi, qui conſcientiam allegat, niſi rectius inſtituatur. Auctoritate non ſatisfit conſcientiæ. Miſeret me hujus Synodi, & doleo vicem illius, quod hunc in modum nobiſcum agat. Præſes: reſponde ad interrogata. Reſpondit idem: reſpondimus & rationes exhibuimus, judicabunt ſummæ poteſtates, judicabit totus orbis, judicabit Deus ipſe, de petitionis noſtræ æquitate. Petimus libertatem ſententiam noſtram explicandi, cui limites non præſcribant adverſarii. Præſes, hæc ſapiunt ſupercilium. Reſpondit alter, non, ſed animum humilem. Præſes, an conſervi non habent poteſtatem in conſervos? vis tollere omnem diſciplinam Eccleſiaſticam? Reſpondit, non ea mea mens: ſed talem poteſtatem conſervis in conſervos competere, ut in conſcientias imperium ſumant, nuſquam legi. Coram Deo loquimur, Miſeret nos iſtius Synodi. Præſes. Synodus judicat vos non attendere ad rationes conſcientiæ, ſed quærere ſubterfugia. Næranus, non quærimus, nihil malumus quam venire ad rem præſentem, & monſtroſa, & portentoſa, & gloriæ Dei injuria dogmata Contra-remonſtrantium in lucem producere. Profeſſor Epiſcopius, ut appareat nos non quærere ſubterfugia, inſpiciatur ſaltem reſponſum noſtrum die Sabbathi exhibitum. Promittimus nos ſententiam noſtram plene ac plane expoſituros, contrariam Contra-remonſtrantium & eorum quos illi pro Orthodoxis habent refutaturos. Si quid in explicatione & defenſione deſiderabitur, reſpondebimus tunc ad omnes quæſtiones, vel viva voce, vel ſcripto, tempus præfigant DD. Delegati. Velimus hoc breve ſcriptum toti orbi Chriſtiano innoteſcere. Præſes. Vos toties nobis objectaſtis horrenda dogmata, quomodo ergo antehac nobis obtuliſtis tolerantiam? Niellius, tunc Contra-remonſtrantes negabant ſe ea probare: ſi dixiſſent ſe probare, uti nunc in ſcriptis faciunt, non obtuliſſemus ipſis tolerantiam. Epiſcopius: libertas detur de illis conferendi. Sed ſi dicitis vos probare Piſcatoriana dogmata, dicturus ſum: anima mea non ſit in cœtu veſtro.

Juſſi ſunt exire Remonſtrantes. Profeſſor Epiſcopius petiit apographum decreti DD. Ordinum Generalium. Negavit Præſes Politicus, dicens, prælegetur vobis ter, quater, quoties vultis. Epiſcopius: ſufficit nobis, quod hoc impetrare non liceat. Poſt hos dies habitæ ſuerunt aliquot ſeſſiones privatæ.

Præſes dixit, veniſſe ad ſe duos Paſtores Hornanos, exauctoratos: quorum unus ipſi dixiſſet, ſe eſſe Melanchthonianum: alter ſe in quibuſdam conſentire cum Remonſtrantibus, in quibuſdam cum Contra-remonſtrantibus. Hos provocare ad Synodum. Sed quia hæc perſonalia erant, dilatum eſt in aliud tempus. Præſes addebat, unum eorum Welſingium habere litteras à Principe. 7.

Veſpertina ſeſſione lecta ſunt acta Synodi. Synodales viri dicebant, ſe non habere ad ma-

Ep.316. manum ſua ſchediaſmata & adverſaria, expectaſſe ut dictarentur interrogatoria ſuper articulo de reprobatione.

11. Prælectum eſt Leoni & Iſaaco Frederici, qui antè abſentes fuerant, decretum Ordinum Generalium, ſupradictum. Præſes præſentibus Remonſtrantibus breviter repetiit, quæ ſuperioribus diebus inter Synodum & ipſos eſſent tranſacta. Cæpit rurſum proponere ſua interrogatoria. Epiſcopius reſpondit ſcripto, quo ſummatim dicebat, ſe cum ſuis unice optaſſe ut aliqua conſcientiarum ſuarum ratio habita fuiſſet; utque ad rationes illas, quibus probaſſent negotium conſcientiæ agi, reſponſum fuiſſet; repetiit, Remonſtrantes hoc non poſſe bona conſcientia admittere, ut Synodus, cujus ſententiam oppugnare debebant, præſcriberet modum & limites eam oppugnandi. Permiſſa ipſis libertate ſententiam explicandi, prout ipſi neceſſarium arbitrarentur, reſponſuros ipſos ad ſexcentas & millenas quæſtiones, quæ proponi poſſent. Ipſos non quærere ſubterfugia, ſed propterea petere illam libertatem, ut libere, rotunde ac plane ſententias proferre & explicare poſſent.

Præſes poſtea dixit; dabitur vobis libertas, quæ citatis debetur, modo ne ea abutamini; reſpondete tantum ad interrogatoria. Epiſcopius regeſſit: daturne ergo nobis libertas explicandi & defendendi ſententiam noſtram, primum de electione, inde de reprobatione, & contrariam Contra-remonſtrantium, & eorum quos illi pro orthodoxis habent, in ſingulis articulis refutandi? Si hoc conceditur, parati ſumus ad rem accedere. Expectabam hic, ut annueret Præſes: ſed dixit: Toties hæc crambe eſt recocta. Reſponſum veſtrum jam nuper eſt examinatum: dixi toties vos petere libertatem illimitatam, non tantum veſtram ſententiam proponendi, ſed & aliorum exagitandi. Sed dabitur vobis etiam libertas contrariam ſententiam confutandi. Profeſſor Epiſcopius, ſi hæc promittuntur nobis, ad quid iſta interrogatoria? Præſes. Quia vos dum non vultis reſpondere, manetis in veſtra proteſtatione, & Synodum non agnoſcitis, niſi pro parte adverſa. Epiſcopius. Non licet quidem nobis iſtud proferre in Synodo, ſed tamen in conſcientiis noſtris ita ſentimus & judicamus.

Interfatus eſt hic conſiliarius, Honerdus dictus; dicens, ſæpius hæc res eſt pertractata, tergiverſationis ſit finis, eandem ferram reciprocare, & ſemper tergiverſari, fugientium eſt, non inquirentium veritatem. Promittimus libertatem quam petitis. Petimus itaque, Domini Remonſtrantes, ut ad rem veniatis. Prætor Dordracenus, qui aſſidebat, dicebat, *wat* petimus, dic mandamus. Præſes Eccleſiaſticus in eandem ſententiam locutus, dixit, dabitur vobis plenaria libertas, tantum ad quæſtiones reſpondere. Dixerunt Remonſtrantes: nos reſpondebimus, liceat nobis ſententiam noſtram explicare, uti ſæpe jam reſpondimus. D. Præſes vult noſtram explicationem adſtringere ad ſuas quæſtiones. Præſes. Tota quæſtio eo redit, quid primo loco ſit faciendum, vos vultis primo explicare ſententiam veſtram. Synodus putat primo eſſe reſpondendum ad interrogatoria. Næranus. Cur non inhæretur ordini præſcripto in litteris citatoriis, ut explicemus ſententiam noſtram, prout jam nuper propoſuimus. Forte iſta explicatione prævertemus interrogatoria. Profeſſor Epiſcopius: de ordine nolumus contendere, ſi concedatur libertas, quam petimus; dentur nobis interrogatoria, nos reſpondebimus. Ep.316.

Hoc cum diceret, exeruit ſuam manum verſus Præſidem. Et ſi tunc Præſes dediſſet interrogatoria, finis impoſitus fuiſſet tædioſæ iſti contentioni. Non dubitaveram quin Præſes daturus fuiſſet. Sed reſpondit Præſes. An moris eſt ut citatis dentur interrogatoria? Epiſcopius. An moris ſit neſcio, ſaltem æquiſſimum eſt. Alii qui aſſidebant ipſi, dicebant moris eſſe. Politicus quidam dixit: vos in immenſum protrahetis tempus. Epiſcopius, præfigatur nobis tempus. Præſes. Charitatis eſt omnia ſperare, & nihil mali ſuſpicari. Si forte anguſtius antea loquuti fuiſſent DD. Delegati & Synodus, jam loquimur clarius. Epiſcopius. Idem quod charitas jubet nos facere, etiam imperat Reverentiæ tuæ, ut etiam de nobis nihil mali ſuſpicetur, ſed boni aliquid ſperet. Pinackerus. Si quæſtio tota eſt de ſolo ordine, dentur interrogatoria, nos reſpondebimus, modo libertas nobis concedatur, quam petimus. Idem reſpondit & alius. Non dedit Præſes interrogatoria. Et hæc res totam actionem turbavit, & occaſionem præbuit, quod abruptæ ſint actiones cum Remonſtrantibus. His ergo dimiſſis, collecta ſunt ſuffragia exterorum, & maxima pars judicabat, danda fuiſſe Remonſtrantibus interrogatoria, nec eſſe abrumpendas actiones.

Seſſione pomeridiana, lectum eſt decretum Delegatorum, quo ſtatuunt, ex ſcriptis Remonſtrantium eſſe dijudicandum de ipſorum ſententia, & ſimul mandant, ut ſi quæ habeant ſcripta præterea, ut illa exhibeant in diem lunæ, & ſimul reſpondeant an Synodicis decretis parere velint. Epiſcopius petiit apographum; ſed negatum. Bis tamen prælectum fuit. Præſes Politicus. Quia Remonſtrantes dixerunt ſe ſcriptum habere paratum, quo continetur explicatio ſententiæ ipſorum, cenſemus illud eſſe Synodo exhibendum, etiam die craſtino. Epiſcopius. Scriptum non habemus paratum, ſed dixi nos propediem paratos fore; hæc fuit mea mens. Præſes Eccleſiaſticus dicebat, illud dictum eſſe, quod haberet paratum, imo tum habuiſſe in manibus. Epiſcopius, quomodo potuiſſem hoc dicere, cum non habeamus paratum.

Ep. 316. tum. Poterimus brevi habere. Nondum enim deſcriptum eſt. Duravit haec ſeſſio ad horam decimam. Intererant ſeſſioni complures foeminae & matronae nobiles.

14. Praeſes in Synodo dixit, DD. Delegatos egiſſe cum Remonſtrantibus privatim; & ab ipſis petiiſſe ut ſubſcriberent certae formulae, quam conceperant; nempe an vellent ſimul exhibere ſententiae ſuae explicationem, & reſponſionem ad interrogatoria. Haec acta praelegit Secretarius Heyntius. Verba haec erant. Ut appareat nos de ordine contendere nolle, ſimul exhibebimus reſponſionem ad interrogatoria, & explicationem ſententiae, modo ſalvae maneant aliae conditiones ſcripto noſtro XXIX. Decembris exhibitae. Ego cum hoc audirem, laetabar. Putabam enim jam ſatisfactum eſſe utrique parti. Nam Remonſtrantibus promittebantur interrogatoria ſcripto, & hi promittebant ſe reſponſuros, modo aliae conditiones XXIX Decembris exhibitae manerent: Hoc eſt, ut liberum ipſis ſit in ſententiae ſuae pertractatione, & contrariae refutatione ita verſari, ut ipſi judicabunt expedire; quod jam aliquoties ipſis permiſſum erat. Habebam enim in meis ephemeridibus id reſponſum XXIX Decembris exhibitum. Verum Praeſes rem alio detorſit, qua conſcientia ego videre non poſſum. Faciunt hic, inquit, Remonſtrantes mentionem conditionum exhibitarum ſcripto XXIX Decembris quas volunt manere ſalvas. Praecipua autem iſtarum conditio eſt, quod Synodum velint haberi pro parte adverſa. Hic videbam injuriam fieri Remonſtrantibus; nam ne verbum hujus rei extat in ſcripto XXIX Decembris exhibito. Et illas conditiones, quarum illic fit mentio, jam ante illis conceſſerat Praeſes, nempe libertatem ſuam ſententiam proponendi, & contrariam refutandi. Ita ut videre non potuerim, cur hic praevaricaretur, & nodum in ſcirpo quaereret.

Exteri audita hac Praſidis interpretatione, quae vera fuit detorſio, putabant ſe ludi à Remonſtrantibus & decipi. Judicabant illos eſſe dimittendos è Synodo, & ex ſcriptis judicandum. Scultetus acerbe in illos dixit; nec eſt in tota Synodo vehementior Theologus. Quidam dicebat, Remonſtrantes à mendaciis incepiſſe, & in mendacia deſinere. Vocari ſunt Remonſtrantes, & rogati, an vellent decreto Synodico parere ſimpliciter, & ſine conditione? Epiſcopius. Habemus hic reſponſum ſcripto comprehenſum. Praeſes urſit, ut categorice reſponderet. Epiſcopius. Scripto continetur reſponſio categorica. Praeſes urgebat categoricum ſine ſcripto. Epiſcopius. Profecto in libera Synodo hoc non licere. Tandem Politicus juſſit ſibi exhiberi ſcriptum. Epiſcopius. Liceat nobis legere. Politici. Non licet, tradatur nobis. Epiſcopius. Addita eſt explicatio primi articuli. Praeſes Eccleſiaſticus: Eo melius. Exire juſſi ſunt Remonſtrantes. In abſentia horum lecta eſt ipſorum reſponſio, quae hoc continebat. Non poſſe ſe per conſcientiam Synodi decreto parere, utpote quod pugnaret cum aequitate naturali. Non voluiſſe aut velle ipſos de ordine contendere, hoc ſe ſignificaſſe DD. Delegatis, velle ſolum ut aliae conditiones XXIX Decemb. contentae, ſalvae maneant. Poenas Eccleſiaſticas & Politicas malle ſe pati, quam contra conſcientiam agere. Judicare tamen eſſe alienum à praxi Eccleſiae, ut in foro Eccleſiaſtico citatis intententur poenae politicae. Denique ſe offerre explicationem ſententiae ſuae circa primum articulum, ut appareat, non quaeri ab ipſis ſubterfugia. Se porro paratos eſſe ita progredi ad reliqua. Ep. 316

Revocati cum eſſent Remonſtrantes, rogavit Praeſes, an omnes perſiſterent in iſto reſponſo; dixerunt, ſe perſiſtere. Praeſes Eccleſiaſticus. Accedite ergo ſinguli ad meam menſam, & ſubſignate hoc reſponſum propriis manibus. Epiſcopius, Signatum eſt ab omnibus. Praeſes. Signatis in fine totius ſcripti. Sed volumus reſponſum ſcripto praemiſſum ſubſignari. Epiſcopius, Detur nobis ut ſubſignemus. Praeſes. Accedite ad menſam meam. Epiſcopius ſurgens dixit; Quae haec eſt ſervitus? Et accedens ad menſam Praeſidis ſubſignavit. Mox juſſit alios manere ſuo loco, & iſtic ſubſcribere. Quod factum. Erant, qui hunc agendi modum in Praeſide valde improbabant; videbatur enim hoc arroganiae & ambitionis ſpeciem habere, quod ſingulos juberet ad ſuam menſam accedere. Poſtea Praeſes repetit ea quae geſta eſſent, & multa in Remonſtrantibus reprehendit, & creſcente oratione, incaleſcebat magis animus. Vos, dicebat, Synodi manſuetudini oppoſuiſtis artes, fraudes & mendacia. Mendacio incepiſtis & mendacio deſinitis. Hoc elogio judicarunt quidam vos eſſe dimittendos. Actiones veſtrae ſunt plenae fraudum, artium, illuſionum; non eſtis digni, cum quibus Synodus ulterius agat. Synodus patefaciet orbi Chriſtiano multiplicem veſtram pertinaciam. Non deerunt nobis arma ſpiritualia, quibus compeſcamus veſtram, &c. Itaque dimittimini. Exite. Interim quando Synodus voluerit vos vocare, praeſto eritis. Haec cum diceret, valde erat commotus Praeſes, & intellexi poſtea, ipſum excuſaſſe ſe privatim, quod paulo fuiſſet commotior.

Epiſcopius ſurgens, dixit: Nos ad ea omnia cum Servatore noſtro ſilebimus. Deus judicabit fraudes, artes & mendacia noſtra. Niellius dicebat; Provoco ab iniquitate hujus Synodi ad tribunal Jeſu Chriſti. Naeranus. Provocamus ad tribunal Chriſti, ubi ſtabunt judicandi, qui hic ſedent judices. Inter eundum dicebat quidam eorum, ſi bene percepi, Exite è coetu malignantium. Cum exirent, prohibuit Praeſes Politicus, ne quis ipſorum extra urbem exiret ſine venia. Atque hic fuit

finis

Ep.317. finis actionum inter Synodum & Remonſtrantes.

Paucis poſt diebus in Synodo refutari cœpta eſt collatio Hagienſis. Sed deſii hæc notare. Primum articulum refutarunt Profeſſores Provinciales, Sibrandus, Thyſius, Gomarus, Polyander, & Walæus omnium acerbiſſimus. De reprobatione dixit Altingius. Scotus de ſecundo articulo. Heſſius quidam de tertio & quarto, nec non alius; ſed non interfui. Tronchinus & Meyerus de quinto. Hujus oratio fuit plane adulatoria, directa ad Politicos, ad Synodum, ad abſentes Remonſtrantes: dicebat patriam hanc proſtratam jacere ad pedes Remonſtrantium, & cum lachrymis rogare ut vicem ſuam doleant, & ſimilia plura, præter omne decorum.

Interea intellexi Remonſtrantes ſcripta offerre Politicis, & primo, exhibuiſſe intra quatuordecim dies defenſionem primi articuli, cum refutatione contrariæ ſententiæ, & explicatione ſecundi articuli. Scriptum hoc dicunt habere centum & quatuor biniones. Secundo, exhibuiſſe poſt octo dies explicationem tertii, quarti & quinti articuli. Tertio, poſt alios octo dies defenſionem ſecundi articuli. Nunc vero occupari in defenſione aliorum articulorum. Dicitur quoque, Remonſtrantes ſcripſiſſe ad Principem Mauritium & Ordines Generales, & conqueſtos fuiſſe de Synodo & inſtitutis ſecum proceſſibus.

Hæc tibi ſignificare habui. Tu iis utere, & Synodi hujus eventum expecta, qui, uti prudentes augurant, erit Remonſtrantium condemnatio, populi major exacerbatio, Eccleſiarum hic illic diſſipatio, nova, quæ in procinctu eſt, perſecutio: Et quæ hanc ſequi ſolet, regionum harum & Reip. totalis (quod Deus avertat) ruina.

Dordraci, menſe Februarii, Anno 1619.

Tuus humillimus ſervus

N. N.

CCCXVII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De Remonſtrantium à Synodo dimiſſione.

EXcellentiſſime & optime Domine, Gratiſſimæ Excell. tuæ litteræ adeo me devinciunt, ut non poſtremam felicitatis meæ partem eſſe credam, ſi qua ratione excogitare poſſim, qua reverentia, quo officio debitam animi gratitudinem me exprimere oporteat; at hoc cum fieri nequeat, ingenua tenuitatis meæ confeſſio & me ſolvendo non eſſe, pro debiti ſolutione & ſatisfactione admittatur neceſſe eſt. In epiſtola quam ad Ampliſſimum D. Buckingamum ſcripſeram (ubi ſimul Excell. tuæ ſingularis in me affectus ſeceram mentionem) Ampliſſimum Virum obſecraveram, perſuaderet regiæ Majeſtati, ut litteris vel ab Epiſcopo Cantuarienſi, vel à D. Secretario datis, nobis poteſtas concederetur, me cum Anglis conjungendo, collegium Magnæ Britanniæ Theologorum inſtituendi: præcedente vero ſeptimana reſpondit, ſe tradidiſſe litteras meas Regi, eumque; ubi eas perlegiſſet, conſilium approbaſſe, & ad id exequendum mandata dediſſe: præterea mihi ſignificavit, Regem habere Epiſcopii, quas miſeram, theſes, & ob eas valde excanduiſſe. Ita ut hac in re mihi abunde ſatisfactum ſit; jam enim partiti ſumus inter nos negotium ac laborem, ut ſinguli ſuum habeant quod agant; Doctori Wardo incumbit, *impugnatio decreti de ſalvandis fidelibus, ex unico decreto prædeſtinationis:* Epiſcopi Landavenſis partes ſunt, *reſponſio ad argumenta Remonſtrantium, quibus prius illud decretum conantur ſtabilire*: D. Goado aſſignata eſt, *impugnatio electionis peremptoria ex fide præviſa, & demonſtratio hujus propoſitionis, quod fides fructus ſit electionis*, quod cum priori coincidit. Doctoris Davenantii munus eſt, *orthodoxæ ſententiæ aſſertio, & vindicatio rationum Contra-remonſtrantium ab objectionibus Remonſtrantium in utroque membro.* Meæ vero partes ſunt, *ſolutio omnium argumentorum, quæ afferunt Remonſtrantes contra orthodoxam ſententiam.* Cæterum maxima hic eſt in tractandis negotiis confuſio; neſciunt rem, quæ tractanda eſt, quibuſdam paucis ad id ſelectis adornandam dare, ut juſta conſenſio formetur, & quod conſtituerint mox toti Synodo vel approbandum vel improbandum proponatur: quæ agendi conſuetudo in omnibus Conciliis obtinuit: at nihil hic innoteſcit, niſi quum in Synodo proponitur, & tum plerumque tot ſunt ſententiæ quot capita. Si viſum eſſet tuæ Excell. hac in parte conſilium aliquod quibuſdam ex Ordinibus ſuggerere, forte illud apprehenderent, & nos negotium ad finem aliquem perduceremus. Theologi Palatini & nos jam ter convenimus, collatiſque ſententiis in iiſdem propoſitionibus conſenſimus, decrevimuſque ex ſingulis exterorum Theologorum Collegiis unum aliquem nobis eligere, quibus ea communicemus, ut, ſi fieri poſſit, omnes nos exteri conſonas ſtatuamus & conſcribamus concluſiones. Nam Provinciales Theologos quod attinet, ii, ſi quid video, uſque adeo in Remonſtrantes animati ſunt, (utinam non tam in perſonas quam eorum opiniones!) ut verear ne moderatio noſtra illis ſit diſplicitura. Quod ad Remonſtrantium dimiſſionem, quandoquidem Excell. tua eam jam animadvertit, ſpero me ſine offenſione tua dicturum, eam ejus fuiſſe notæ, ut inde multa ſine dubio in Synodum redundaverit contumelia. Die Veneris, quum remittere viderentur, exteri Theologi non poterant audiri, contendentes, ut in

Ep. 317. Synodo retinerentur. Nec negari poteſt technam & dolum, qui in eos ſtructus erat, nimis fuiſſe manifeſtum ac palpabilem; *nam Delegati decretum de dimittendis Remonſtrantibus, jam penes ſe ſcriptum habebant, antequam in Synodum ingrederentur*; & nihilominus ſententiam noſtram rogabant, ſperantes fore, ut ea conſentiret cum ſuo decreto: at cum hoc ſecus eveniret, ſine ulla vel hæſitatione vel ulteriori deliberatione, ita ut ne vix quidem ſolummodo capita committerent conſulendi gratia, promulgabant *decretum, quod jam ante ſcriptum ſecum in Synodum attulerant.* Die lunæ ultimis Actis Synodi de Remonſtrantium incredibili pertinacia prælectis, exteri Theologi ſuffragia de eorum dimiſſione dederunt; nemo niſi unicus Steinius acerbam ferebat ſententiam. Ubi illorum ſolum ſuffragia, qui ne tertiam quidem Synodi partem faciebant, eſſent rogata, intromiſſi ſunt, ac dimiſſi oratione adeo furibunda, ut nullus dubitem quin Excell. tua eam non mediocri animi cum dolore intellexerit: me quod attinet, palam fateor, me ſummopere affligi, quoties eam ad animum revoco. Nam ſi Remonſtrantes ſcriptis ſuis evulgarent, ſententiam, quam Præſes pronuntiavit, non fuiſſe Synodi, non mentirentur. Juriſconſulti & Canoniſtæ Galliæ, qui multum circa formalia in Concilio Tridentino prætermiſſa ſcripſerunt, minoris momenti exceptiones urgent, quam hæc fuit; præterea *nec tertia ſuffragiorum pars fuit interrogata, ex quibus ſententia ferri nequit*: nec ſententia ſcripto erat comprehenſa & à Synodo approbata, & amarulentæ locutiones in ſententia expreſſæ nullius ſuffragantium verba fuerunt, ſi paucula quædam excipias ab unico ſolum homine prolata. Excell. tuæ cenſura in illam ſententiam eſt juſta & laude digna. D. Decanus Wigornienſis hinc abiens ſuum Excell. tuæ commendavit obſequium, meque rogavit, tibi ſignificarem, ſe Deodatum nullo modo convenire potuiſſe. Remonſtrantes, ut modo mihi narravit Heinſius, ſcriptum admodum virulentum & aculeatum ad D. Bogermannum miſerunt; forte jam ſumus de eo audituri in Synodo, quo jam mox nos recipimus. Excell. tua ac digniſſima uxor commendatum habeant obſequium meum atque inter veros ſui cultores numerare dignetur

Dordraci $\frac{11}{21}$ Jan. $\frac{1618}{1619}$. *Officioſiſſimum ſuum ac fidiſſimum*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUM.

CCCXVIII.

DUDLEIUS CARLETONUS

Regis Magnæ Britanniæ Legatus,

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

De iis quæ in Republ. & Synodo geruntur.

REverendiſſime Domine, Doctor Goadus, cujus adventum G. T. viſum fuit mihi præ-nunciare litteris datis XII Kal. Jan. CIↃ IↃC XVIII. huc ad nos venit, aliaſque à G. T. recentiores, ſcriptas IV Kal. mihi tradidit hujus menſis die quarto. Poſtero die produxi eum pro Confeſſu Ordinum Generalium, quos, licet minime meditatus, ſalutavit egregia oratione, & quæ auditorum animos plurimum affecit. Ejus potiſſimum argumentum erat, Eccleſiam ac Rempublicam tanquam geminas ſorores inſeparabili nexu ligatas eſſe, proin uno fato florere, atque interire: noſtrum vero Regem utramque hactenus, & nunc quoque eodem affectu eademque cura proſequi. Eodem die deduxi eum ad Illuſtriſſimum Principem Auraicum, & Comitem Guilielmum (quo & ante duxeram Theologos reliquos) iiſque prælegi ex literis G. T. judicium Regis, tuumque, de Remonſtrantibus eorumque dogmatis: quæ quum admodum clare ac perſpicue eſſent conſcripta, affirmavit Princeps, nihil rotundius dici potuiſſe. Imo, aut ego fallor, aut quod G. T. optat, poſtquam Synodus ſtatuerit de dogmatis Remonſtrantium, ipſos quod attinet, qui eorum ſunt antefignani, Uytenbogardus, Epiſcopius, Grevinchovius, Vorſtius, & quidam alii, inuſti aliqua infamiæ nota ab Eccleſia & Republica ejicientur. Quibuſdam non infimi generis ſtipendium, quod ante, præbebitur, ſed remotis ab ordine, & indicto ſilentio. Reliqui, quia deſunt idonei ſupplendis eorum provinciis, retinebuntur, quos, ut veriſimile eſt, aliorum exempla in officio continebunt. Hunc curſum videntur inituri, rebus ſic ſtantibus. At ſi Legatus Galliæ obtinere poſſit ſolutionem captivorum noſtrorum, quam bis nunc publice in conſeſſu Ordinum petiit, aut, quod ſecreto molitur, gratiam aliquam impetrare Remonſtrantium factioni, res paulo aliter cadent. Interim bene ſe habent omnia, cum in Eccleſia, tum in Republica. Nam & hoc ipſo die Scoonhovia, quod oppidum maxime fervet pro cauſa Remonſtrantium, nuncius venit, intra hoſce tres dies (dum illic ſunt quidam Deputati à Provinciali Synodo, ad iſtam Claſſem inſpiciendam) tres concionatores Remonſtrantes ex pagis ſuburbanis doctrinæ iſti renunciaſſe, eamque falſam eſſe, doctrinæque Veteris ac Novi Teſtamenti contrariam, manus ſuæ ſubſcriptione fuiſſe confeſſos; at doctrinam Contra-remonſtrantium eſſe orthodoxam, à qua impoſterum nunquam velint abſcedere. Novit,

Ep.318. vit, opinor, G.T. D. Aerſſens ex lite, quæ ei fuit cum D.van der Myle: is nuper obnoxius perſecutioni Barneveldii, eorumque qui eum ſequebantur, adſcitus eſt in ordinem Nobilium Hollandiæ: pariter & D. Marquettus Legatus equeſtris: uterque vocationi par, & bene erga Religionem affectus. Ambo heſterna die admiſſi in conſeſſum Ordinum Hollandiæ. Ex Nobilibus unus ſuffectus in locum D.van der Myle in conſilio Ordinum, alius in locum Mateneſſii in cætu Ordinum Generalium. Qui duo poſteriores nuper cum eſſent Curatores Univerſitatis Lugdunenſis (à quo ordine nunc pariter ſunt remoti) ſua auctoritate illic effecerunt, ut Vorſtius ad Profeſſionem Theologiæ vocaretur: cujus cauſa quantum detrimenti acceperit ex eo æſtimari poteſt, quod ipſi ejus protectores patrono nunc egeant. Non eſt neceſſe, ut G. T. perſcribam, quid agatur in Synodo. Intelliges, Remonſtrantes ob eorum contumaciam ab omni diſputatione rejectos, & eorum dogmata ex libris editis colligi. Rem ipſam probarunt Ordines: at modum, quo eos dimiſit Præſes Bogermannus, crudum atque inhumanum, quanquam hactenus conſecutus fuerat famam modeſtiæ ac moderationis, omnes improbant. Quanquam illi digni hac contumelia, locus tamen & cauſa conventus alium agendi modum requirebant, qui eundem effectum poterat habere, & eſſe minus obnoxius reprehenſioni. At non eſt ea res nunc in integro, nec ſine maximo incommodo reſtitui poteſt. Pergendum ipſis porro eſt, & quam optime poterit, adornanda cauſa: eventus Deo commendandus. Molinæus miniſter Pariſienſis ſcripſerat ad Regem de univerſali aliqua confeſſione componenda per hanc Synodum, & præſcribenda omnibus Eccleſiis Reformatis. Ejus aliquod ſpecimen juſſu Regis privatim à quibuſdam ſelectis viris in Synodo concipitur. Quod ubi perfectum erit, protinus mittetur ad Regem, ut quod ſibi videbitur qua eſt ſapientia, de eo conſtituat; ſive id noluerit ſpargi, ſive à ſe probatum, aut ubi videbitur, immutatum, Synodo publice commendari velit, atque ita porro Eccleſiis, quarum Theologi huc ad Synodum Deputati ſunt. Molinæus itidem commendat formam quandam mutuæ tolerantiæ inter Calviniſtas & Lutheranos; quæ tamen admodum aliena eſt à præſente negotio, ſuppreſſione inquam Arminianorum. Adeoque opinor non opportunum fore ejus aliquam facere mentionem in Synodo. Theologi noſtri Angli, mox cum huc appulit Doctor Balcanquallus, eum ad conſultationes ſuas admiſere, quicum & nunc ſuffragiis & diſtribuendis negotii partibus conveniunt, ut qui unum faciant collegium. Neque ex iis, quæ mihi Dordraco adferuntur, nec quæ ipſe hic obſervare potui, comperio D. Balcanquallum ullam juſtam cauſam dare famæ, quæ de indecoro ejus amictu ſpargitur; ſed contra, eum omnibus modis officio reſpondere. Doctor Goadus optime exceptus Ep.319. eſt à Synodo, quippe qui felicius tractabit laborioſum hoc opus, quam Decanus Wigornienſis potuit ob languentem valetudinem. Abiit ille Dordraco in Angliam octavo die hujus menſis, at nondum puto appuliſſe, ſiquidem venti adverſi ſunt. Ut finem faciam, hoc unum addo, quanquam G. T. non omnino novum, me annum elapſum finiiſſe acerbiſſimo nuncio; hunc vero novum inchoaſſe lætiſſimo, quod unquam huic Reipublicæ attuli. Atque uti prius illud ab iis, qui Provincias haſce optime norunt, habitum fuit præſentium calamitatum longe maxima: ita hoc poſterius animum illis ac vitam reſtituit. Ego vero, uti illi res ſuas proſequi poſſunt abſque omni ſuſpicione, freti opportuno ac conſtanti Regis auxilio; ita ſpero Regem aliquando fructus ſuos habiturum ab hac mutatione, ſiquidem patienter exſpectet, donec matureſcant. Ita deprecor humillime veniam. Haga, 24 Jan. 1618.

G.T. humillime obſequioſus

Verſa ex Anglico. D. CARLETON.

Poſt ſcripta.

Modo audio Remonſtrantes acerbum libellum Synodo obtuliſſe, quo reſpondent crudæ dimiſſioni à Præſide factæ, & cujus extrema periodo optant Synodo mentem meliorem.

CCCXIX.

DUDLEIO CARLETONO

Regis Magnæ Britanniæ Legato,

JOANNES HALESIUS S.P.

Cenſura de præſidis in dimiſſione Remonſtr. acerbitate.

EXcellentiſſime, Clementiſſime Domine, Poſt dimiſſionem Remonſtrantium nulla fuit publica Seſſio, &, uti conjicio, nulla per tempus aliquod erit. Deliberant omnes de modo & ordine quo proceſſuri ſint, & de colligenda materia ex libris Remonſtrantium, unde deducant ſuas theſes ac propoſitiones, quæ futuræ ſint ſubjecta ſuarum diſputationum. Animus illis eſt, uti ſuſpicor, eo modo procedendi per omnes quinque articulos, antequam accedant ad publicam alicujus articuli diſcuſſionem; jam enim pertranſierunt primum, & ſe ad articulum ſecundum contulerunt; ita ut, donec hæc deliberatio ad finem perducta ſit, nulla magna occaſio ad nova ſit futura.

Contra Præſidis duram adeo Remonſtrantium tractationem in eorum dimiſſione à Deputatis ipſis exceptiones quædam motæ ſunt. Extranei cenſent, ſecum plane, ſaltem indirecte, iniquius eſſe actum: quoniam cum toti Synodo propoſitum fuiſſet ut judicium ſuum de geſtis & moribus Remonſtrantium interponeret, Provinciales ne ſemel quidem rogati

erant

Ep. 320. erant ſententiam; qua ratione tota illius negotii invidia in Extraneos devolvebatur. Cum tamen è contra quando ſimilis quæſtio antea propoſita fuerat, & Extranei ſummopere in favorem Remonſtrantium cenſuerant, Provinciales acriter in ipſos eſſent invecti, rigidamque, contra quam Exteri ſentiebant, ſententiam conſtituiſſent; ita ut non multum curentur Extraneorum judicia, niſi quando ita ſentiunt, ut viſum eſt Provincialibus. Fuit iterum Seſſio die Martis ante meridiem, & repetitio facta, more ſolito, proximorum actuum Synodalium. Quando ventum ad actum dimiſſionis Remonſtrantium, indicabat Lud. Crocius Bremenſis, ſe percepiſſe D. Præſidem in eo negotio fuiſſe paulo commotiorem, & excidiſſe ipſi verba quædam acerba, quibus præſtitiſſet abſtinuiſſe: & in tanta re, quanta illa fuerat, paulo majore conſilio & circumſpectione opus fuiſſe. Oportuiſſe Synodum primum ea de re conſultaſſe, & dimiſſionis formulam ab omnibus approbatam concepiſſe, nomine totius Synodi pronunciandam, atque inter acta referendam & inſerendam: cum nunc Synodus rem habeatur omnis ejuſmodi non neceſſariæ acrimoniæ tum temporis adhibitæ. Multo melius cum decore Synodi conveniſſet, ſi pacatiore multo & ab omni affectu remotiore via proceſſum fuiſſet. Reſpondit Præſes; quod ad dimiſſionem Remonſtrantium abſque Synodali formula, mandatum id eſſe Dominorum Politicorum; utpote qui juſſerant, ut abſque mora procederetur. Quænam ejus apologia fuerit pro aſperis & biliosis ſuis dictis, neſcio. Privata fuit Seſſio, & nihil habeo, niſi ex aliorum relatione. Nihil à D. Præſide audio de Gallorum delineatione. Simulac aliquid inaudiero, non prætermittam referre Excellentiæ Veſtræ, à qua cum debita animi demiſſione veniam peto

Dordraci $\frac{1}{11}$ Jan. 1619.

Excell. V. Sacellanus & ad quævis obſequia devinctus

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

Qui has literas perfert eſt filius D. Joh. Berk.

CCCXX.

CONRADO VORSTIO

JOANNES GREVIUS S.P.D.

REverende & Clariſſime Vir, Fratrum citatorum nomine & juſſu cum nuper ad Nobiliſſ. Matheneſium literas Hagam deferrem, apud eum T.R.D. facta mentio, hac occaſione, quod lectioni tuæ Duplicationis aliquot diebus ſe intentum diceret, eaque magnopere ſe affici, plurimumque ſe hoc nomine diſcruciari, quod tuæ pietati atque eruditioni hæc tempora tam indignam mercedem rependant. Cum autem ad hæc ego pro more meo, tuoque merito, ampliſſimo præconio in laudes tuas irem; reſpondebat ille, numquam committam, incomparabili iſti viro, ut me adſtipulante, ab Ordinibus ſubtrahatur ſtipendium: monuique ſerio Curatores, ne quid hic darent malevolorum conſiliis aut ſuſurris, qui Tuæ R. non hæc emolumenta ſolum, ſed & vitam invident. Accuſari quidem D. D. Vorſtium Socinianiſmi, nondum tamen convictum; & quamdiu reclamaverit ille, pro tali eum haberi non poſſe: indignum itaque, virum hunc necdum convictæ hæreſeos pœnam luere. Placebant illa mihi admodum, ideoque obnixe rogabam, hoc affectu & cura rem T. R. impoſterum apud Curatores hoſce, quos valde metuo in T. R. iniquiores, agere dignaretur. Annuit ille, & liberaliſſime operam ſuam pollicitus, tenerique ſe & obligari profeſſus ad hanc curam, quia R. T. ſe auctore in procelloſum hoc & turbidum mare, relictis pacatiſſimis ſedibus, devenerit. Hæc quamquam jam pridem D. Poppio enarrarim, qui R. T. certiorem fecerit, placuit tamen illi meis pariter ut R. T. literis de eo edocerem. Utinam complures alii ex Patriæ Proceribus, ſic in R. T. & melioris cauſæ patronos affecti eſſent ac iſte Heros, de cujus fide atque ingenuitate non eſt quod quiſquam dubitet. Cæterum, Clariſſime Vir honorande Præceptor, monelæ tuæ atque inſtitutionis memor operam dabo Dei beneficio, ea animi conſtantia & fortitudine hanc immeritæ exauthorationis injuriam atque ignominiam feram, ne quid indignum priſtina profeſſione, vel ſpe vel metu in tranſverſum raptus, committam. Deum rogabo, ut optimo animi mei propoſito gratiæ ſuæ auxiliis aſpirare, R. T. multis modis afflictam, atque in hoc hominum furore oppreſſam pene, ſolari, erigere, & ſalvam atque incolumem Eccleſiæ tuæ diutiſſime conſervare benigne velit. Admodum properanter. Dordrechti 21 Jan. Anno 1619.

CCCXXI.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

JOANNES HALESIUS S.P.

EXcellentiſſime & Clementiſſime Domine, Errores publicorum actuum (ſi modum omnem non excedunt) minori cum incommodo ferri quam emendari poſſunt. Periculum enim mutationis, vel autoritati malam gratiam conciliandi, eamque peſſundandi, facit ut hujuſmodi actuum ſors nullum admittat regreſſum, ſed cum ſemel ſeu bene ſeu male proceſſum eſt, oportet ut in poſterum ſemper illa protegantur. Unuſquiſque, quamvis maxime partibus addictus, Synodalium noſtrorum actuum ſpectator cogitur confiteri, ut

Digitized by Google

Ep. 321. in proxima Remonſtrantium dimiſſione, tanta cum bile & fervore facta, magnum eſſe errorem commiſſum, ſive ſpectes communem noſtram Chriſtianæ doctrinæ profeſſionem, quæ nil niſi juſtum ſuadet & lene; ſive populi hujus indolem, aptam natam ad ſeditionem propter diutinam libertatem, & qui nunquam aſſuetus eſt imperioſe tractari, in quo argumentorum genere Clerum præſertim jam rude donatum eſſe oportet. Quapropter Synodus, cui jam integrum non eſt reſpicere, vel revocare gradum, & errata abſque damno corrigere, cogitur nunc perſequi tranſacta, eventum Deo committere, & quod optimum fieri poteſt ad conſervandum decus actionum ſuarum adferre. Quare nuper per Deputatos in eum finem electos, declarationem omnium ſuorum actuum Ordinibus Generalibus propoſuerunt, à quibus procurarunt decretum confirmationis eorundem actuum, quod decretum die Lunæ ⅓ Januarii, publice, primum Belgice deinde Latine Synodo veſperi prælectum eſt. Non opus erit argumentum ejus decreti referre, utpote Excell. V. ſatis ſuperque cognitum. Poſtquam decretum pronunciatum erat, dixit Heinſius, idem primum Remonſtrantibus privatim indicatum eſſe; dein nomine Deputatorum omnes ad Synodum miſſos monuit, ut quam maturrime & celerrime de iſtis controverſiis ſtatuant, ut poſſent tandem afflictis Eccleſiis Belgicis ſubvenire. Gaudebam ſane, audita illa admonitione, nam ſpem mihi facit, Synodum finem habituram haut diu poſt Paſcha, etiamſi longiſſime extendatur. Poſthæc D. Thyſius Profeſſorum unus diſcuſſit tria alia Remonſtrantium argumenta, ſumta ex Collatione Hagienſi, eodem modo quo Sibrandus & Gomarus antehac egerant. His peractis rogavit Præſes J. Polyandrum & Walæum, curarent ut ſimiliter facerent die Jovis proximo veſperi (non enim maturius publica erat Seſſio) & rogato Collegio ut proximo die Byſterfeldii funus ad ſepulchrum proſequerentur (quod tempore conſtituto dubio procul peractum eſt) conventum dimiſit. Quare ante diem Jovis, ut videtur, nihil novi de Synodo nobis cognoſcere dabitur.

Die Martis collocutus ſum cum D. Præſide de Molinæi delineatione. Reſponſum autem hoc mihi dedit; ſe communicaſſe iſtam rem cum quibuſdam in Synodo moderatioribus, & rogaſſe D. Epiſcopum & Scultetum, ut conciperent formulam publicæ Confeſſionis. Quæ ſimulac concepta eſſet, & approbata ab illis, quorum conſilio præcipue hoc negotium perficietur, animus illi erat ejus exemplum ad Excellentiam Veſtram mittere, ut ad Regem noſtrum mitteretur, à quo revideri & mutari poſſet, ut viſum ipſi fuerit, atque ita ab ipſo publice Synodo commendari. Quæ, ut ipſi videtur, procedendi via ſecundo ſucceſſu haut carebit. Quod ad articulos qui ad Lutheranos pertinent, non conſultum ipſi videtur verbum de illis fieri. Injeci apud D. Præſidem mentionem exempli orationis valedictoriæ ad Synodum à Decano habitæ: reſpondit ſe eam ſcribæ Dammanno tradidiſſe ut tranſcriberetur, ſimul ac id perfectum erit me habiturum ad tranſcribendum: quam primum itaque apographum mihi comparare potuero, non prætermittam id curare ad Excell. V. D. Decanus in diſceſſu ſuo honorarium ab Ordinibus obtinuit. Venit Heinſius ad illum ubi diverterat, & habita ad eum oratiuncula, obtulit ipſi nomine Ordinum munuſculum, uti quidem ille appellabat. Quid aut quale fuerit nemo ſcit. Tandem commendans Excell. V. divinæ protectioni, omni animi veneratione veniam peto. Ep. 322.

Dordraci ⅓ Jan. 1619. *Excell. V. Sacellanus & ad quævis officia devinctus*

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXXII.

DUDLEIO CARLETONO

Regis Magnæ Britanniæ Legato, S.P.

JOANNES HALESIUS.

De quadam inter Gomarum & Martinium diſſenſione.

ILluſtriſſime & benigniſſime Vir: Duodecimo hujus menſis, die Martis circa veſperam, Synodus clanculum ad ventilandas quaſdam de primo articulo controverſias convenit. Diſquiſitum nuper fuerat quo pacto Chriſtus fundamentum electionis dici poſſet. Communis in hoc dogmate Contra-remonſtrantium opinio eſt, Deum ante omnia de ſalute ſingularium decreviſſe, mediumque deinde decreti illius exequendi Chriſtum ſtatuiſſe. Ita ſecundum illos Deus Pater ſolum cauſa electionis, Chriſtus illius executor tantum eſt. Alii contra, Chriſtum electionis fundamentum eo ſenſu eſſe docent, ut illius executor non tantum, ſed etiam auctor & procurator ſit habendus. Huic probando verba Apoſtoli è primo capite ad Epheſios citant, *Deum nos in Chriſto ante jacta mundi fundamenta elegiſſe*. In diſcuſſione hujus loci Synodus in hoc conventu deſudavit. Docebant quidam Chriſtum fundamentum electionis dici, eo quod primus electorum, ſeu quod fundamentum electorum, non electionis, eſſet: vel fundamentum beneficiorum, quæ in nos redundant. Sunt, qui nulli harum explicationum calculum apponunt. Primam ſententiam D. Gomarus amplectitur, illique aſſerendæ multa die Veneris in medium protulit. Rogatus hac nocte Martinius Bremenſis, ut ſententiam diceret; indicavit Synodo, ſcrupulum reſtare ſibi circa explicationem modi quo Chriſtus fundamentum electionis eſſet, ſuoque judicio Chriſtum electionis noſtræ non ſolum exe-

Ep. 322. cutorem, ſed & cauſam & procuratorem ſtatuendum. Vixdum Martinius finem dicendi fecerat, quin Gomarus, (qui jam pridem animo coquebat iram, eamque, ut mox verebar, erat evomiturus, protinus exſiliit, & ego, inquit, hanc rem in me recipio. Hæc locutus, chirothecam projicit, & Martinium vulgari adagio, ecce Rhodum, ecce ſaltum, ad certamen provocat; ſimul orat Synodum, ut ſibi cum Martinio certamen ſingulare concedat, addito, ſe exploratum habere, nihil prorſus Martinium contra hanc doctrinam proferre poſſe. Martinius, qui eruditione Gomaro nequicquam cedit, ſtudioque pacis multis ipſum parasangis antecellit, facile hanc contumeliam concoxit. Paucis deinde verbis ultro citroque habitis, hæc controverſia prudentia Præſidis diremta, & conventui more ſolito per preces impoſitus eſt finis. Cæterum religio Gomari excandeſcentiam adeo non minuit, quin precibus vix dictis provocationem ſuam renovavit, & Martinium iterum ad certamen poposcit. Uterque tamen hac nocte nullo accepto vulnere diſceſſit. Videtur Martinius ſententiæ Remonſtrantium aliquatenus addictus, de Reprobatione, extenſione meriti Chriſti, ſalute infantium, &c. Itaque ad ipſum reconciliandum die Mercurii ante meridiem ſingularis exterorum Theologorum in ædibus Epiſcopi noſtri habitus conventus fuit, quo etſi ad mutandam ſententiam haud adduci potuerit, tamen effectum eſt, ut fidem dederit, ſe talem in proponenda opinione ſua æquitatem & prudentiam oſtenſurum, ut Synodo nulla de ipſo conquerendi anſa ſupereſſet. Die Jovis, hujus menſis quarto decimo, Synodus ſub veſperam convenit. Johannes Polyander & Walæus locorum aliquot S. Scripturæ defenſionem ſuſceperant, contra exceptiones Remonſtrantium. Erant loci *Luc.* X. 20. *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* *Apoc.* XXI. 27. *Inſcripti in libro vitæ.* Rom. IX. 11. *ut propoſitum Dei ſecundum electionem maneret.* Et XI. 5. *Reſervatio ſecundum electionem:* ac *Rom.* VIII. 30. *quos prædeſtinavit ut conformes fiant imagini Filii ſui, eos etiam vocavit.* *Act.* XIII. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* His in locis excutiendis tres horæ ſunt conſumptæ. Quemadmodum reliqui Profeſſores publicam orationem habuerant, ita idem à Doctore Davenantio expectabatur. Rumor eſt, id ipſum in privata ſeſſione his diebus facturum, quandoquidem publica ante diem Lunæ non habetur. Quis ſcopus ſit, aut quid hi cœtus clandeſtini ſibi velint, penitus ignoro. Plura forſan de hac re ſcribendi dabitur in literis proximis occaſio. Deus porro amplitudinem tuam ſervet incolumem. Id voveo Dordrechti VIII. Kalend. Febr. CIↃ DC XVIII.

Amplitudini tuæ à ſacris domeſticis, & ad omnia officia devinctus,

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXXIII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

JOANNES HALESIUS S.P.

De his quæ in Synodo circa primum articulum tractata ſunt.

VIr Illuſtriſſime: Die Veneris, qui fuit A. D. VIII. Kal. Feb. fuit Synodi congregatio, partim publica, partim privata. Poſtquam Profeſſores provinciales eſſent perfuncti, D. Davenantius, qui primus eſt exterorum, juſſu Præſidis, ſermonem habuit. Hoc autem iſthoc ſermone eo tempore agebat, ut deſtrueret diſtinctiones Remonſtrantium, quas illi excogitaverant, quo ſuas poſitiones defenderent, atque argumenta Contra-remonſtrantium eluderent. Diſtinguunt fere Remonſtrantes in negotio electionis, eamque dividunt in limitatam & non limitatam, revocabilem & non revocabilem, peremptoriam & non peremptoriam, mutabilem & non mutabilem, & ita porro. Ut haſce diſtinctiones refelleret, primum ipſam electionem deſcribebat, prout eam Contra-remonſtrantes accipiunt, & multis adſtruebat: ſecundum, eam electionis deſcriptionem proponebat, quæ Remonſtrantibus placet, quam argumentis refellebat: tertium, ſe directe dictis diſtinctionibus opponebat. Atque hæc omnia faciebat docte ac copioſe. Poſtquam D. Davenantius loquendi finem fecerat, juſſi ſunt auditores exire. Nam cum ſtatuiſſent aliis quoque loquendi poteſtatem facere, ac vererentur ne qua eſſet opinionum diverſitas, indeque diſſidii origo, decretum fuit ut omnia, quam maxime fieri poſſet, occulte tranſigerentur. Varii eadem veſpera ſuas ſententias declaraverunt, ac inter cæteros Martinius Bremenſis Synodo propoſuit dubia ſua de ſententia, qua Chriſtus ſtatuitur fundamentum electionis, atque petiit ut ea ſolverentur. Sed Gomarus melius ſibi hoc tempore conſulens, quam alias fecerat, verbum ſibi nullum eſſe proferendum ſtatuit. Hodie privata congregatio habebitur, in qua ſingula collegia in ſcriptis tradent ſuum judicium ſuper primo articulo, & cras ad ſecundum, ut audio, accedent, eodem modo in illo examinando acturi, quo in primo uſi ſunt. Non pronunciabunt ſententiam deciſoriam, priuſquam ita omnes quinque articulos percurrerint. Atque hoc quidem, meo judicio, admodum prudenter: nam quoniam articuli inter ſe ſunt connexi, maxime decet ut eos omnes prius percurrant; quando cæterorum determinatio efficere poteſt ne in ultimo apte omnia conveniant, cum nullus eſt regreſſus, nec refingendi occaſio. Ut huic incommodo obviam eatur, decreverunt ut ſimul & ſemel determinatio fiat. Præter hæc nihil no-

vi

Ep.324. vi habeo: quare desino, divinæ providentiæ te commendans. Dordraci A. D. v. Kal. Feb. CIↃ IↃC XIX.

A. T. à sacris domesticis, & ad omnia officia devinctus,

Versa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXIV.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

JOANNES HALESIUS S.P.

Synodi decretum de scriptis aliquot commendatis.

EXcellentissime & benignissime Domine, Cum Synodo nostra veluti cum horologio sese res habet, cujus præcipuæ rotæ, in quibus cardo rerum vertitur, minime palam aut oculis expositæ sunt. Præcipui etenim momenti res in privatis aguntur Sessionibus, quæ publice oblentantur dicis solum causa fiunt, & ne videantur nihil agere. Proximo die Lunæ, quarto Februarii stylo novo, vesperi Deputati privatim convenerunt. Primum quod tum deliberationi subjiciebatur erat vetus illud importunum negotium de Campensibus, quando Scotlerus Minister Remonstrans, qui antehac citatus erat, ut coram Synodo compareret, quoniam constituto tempore non comparuerat, morbum obtendit, atque propterea obsecravit, ut Synodus æqui bonique faceret. Dein deliberari cæptum de quibusdam libris & scriptis concipiendis, partim ad declarationem sententiæ Synodi super doctrina de quinque articulis, partim ad ejus apologiam. Ac primo propositum fuit de scripto didactico plano ac facili, in quo doctrina quinque articulorum secundum intentionem & sententiam Synodi perspicue exprimeretur ad captum populi, tum belgice, tum latine. Scripta apologetica duplicis erant generis. Scriptum, primo Elenchticum, in quo refutandi erant ejusmodi errores, cujusmodi nuper prodierant in præjudicium receptæ doctrinæ: deinde, scriptum Historicum, duabus constitens partibus, tum narratione actuum Synodalium cum Remonstrantibus, ex eo quo primum comparuerunt usque ad eorum ejectionem; ad refutationem plurimarum acrium invectivarum, quæ eam ob rem nuper contra Synodum scriptæ erant; tum narratione de causis turbarum, quinam autores fuerint nuperorum motuum tempore separationis; ad respondendum orationi Episcopii, aliisque Remonstrantium scriptis, in quibus omnis culpa Contra-remonstrantibus impingitur. Quod ad scriptum didacticum, Angli omnes contra sentiebant: ut & Vosbergius. Rationem dabant; quia incongruum ipsis videbatur, ut scriptum aliquod de doctrina articulorum ederetur, priusquam Synodus sententiam pronuntiasset. Et ut verum fatear, non video quomodo conveniat tale institutum, dum adhuc sub judice lis est. Suspenso pede agunt judices, & pro utraque parte indifferenter sese habent, & ut ut sentiant, indicium ejus rei nunquam faciunt, antequam tempus est sententiam dicendi. Tota hæc scena citandi, inquirendi, examinandi, necessario videbitur pro forma & dicis solum causa adhibita, si Synodus intempestive ante diem sententiam dicat. Verum non consideratis vel ponderatis rationibus quæ contra allegari poterant, concluſum est: & Wallæus, Udemannus ac Triglandius deputati sunt ad scribendam dissertationem super hoc argumento, inspecturis & revisuris D. Episcopo, Sculteto, Brittingero, & Deodato. Quod ad scriptum historicum prioris partis, de actis Synodi cum Remonstrantibus, requisita est opera Sculteti & Triglandii; posteriori parti de causis turbarum, Latius suum impendet laborem, adjutus ope Festi Hommii, & Hollandorum tum Australis, tum Borealis plagæ, quibus optime cognita fuerit tota hujus rei series. Ad componendum scriptum Elenchticum deputati sunt quatuor Professores Provinciales, J. Polyander, Lubbertus, Gomarus, & Thysius; quibus adjuncti sunt ut adjutores & revisores, D. Davenantius, Altingius, & Martinius. Verum negotium hujuscemodi scripti non sine quadam oppositione est confectum. Deodato plane displicuit. Polyander petiit, ut suo parceretur labori: novi, inquit, quam sit mihi curta supellex. At supra cæteros D. Gomarus maxime hac propositione offensus erat, *Bella mihi video, bella parantur, ait.* Quare constanter recusavit consensum ullum polemicis præbere scriptis, ac sensit, scriptum didacticum debere carere non necessariis & privatis, & solummodo necessarios continere articulos communi consensu approbatos. Exspectarent donec Remonstrantes scripta quædam adversaria ederent, & tum commodius fore tempus cogitandi de ejusmodi scriptis. Non culpo D. Gomarum, quod hic tergiversaretur. Quoniam enim est ex Supralapsariis, uti vocant illos, qui decretum electionis referunt ultra lapsum, & cernebat Synodum non libenter hac processuram via, verum in inferiorem subsidere sphæram, excusandus est, si manum se commodaturum negat ejusmodi scripto, quod ipse judicat tam circumspecte dirigi non posse, quin ipse constringeretur abstinere quibusdam, quæ sibi placebant. Respondit Præses, non eam esse sibi mentem, ut cogeret Synodum contra animi sententiam ejusmodi librum adornare; verum captare in præsenti occasionem, dum aderant Theologi extranei, ut paratum haberent ejusmodi librum in posteros usus, quamvis nondum ederetur. Porro retulit, eos, qui id in se susciperent, oculos intentos debere habere ad inclinationem ac sententiam Synodi, & quantum fieri posset, cavere, ne qua

Ep. 324. tangerent, in quibus ulcus eſſet. Quicquid prætexatur, mentio talium librorum, antequam determinatio Synodi plene edita eſſet, neceſſario admodum intempeſtiva erat. Materiam dabit toti orbi putandi, ipſos veniſſe paratos & præmeditatos quid facturi eſſent: quod quamvis ita fecerint, tamen id præ ſe ferre minime eſt ſapientum. Deliberatum poſtea de exceptionibus contra Confeſſionem & Catechiſmum, deque iis, qui ad eas reſpondituri eſſent. De Catechiſmo: id negotium Palatini Theologi in ſe receperunt; de Confeſſione: ad hoc quidam ex Provincialibus deſtinati ſunt, quorum nomina non novi. Deinde Præſes ex conſilio Delegatorum Politicorum ſignificavit Synodo, ut cogitaret de colligenda brevi ſynopſi omnium Synodalium actuum, mittenda Regi Angliæ, aliiſque Statibus ac Principibus exteris, qui Deputatos ablegarant ad Synodum, ut intelligerent quid rerum actum eſſet. Ad hanc rem nominati ſunt, Altingius, Steinius, Aſſeſſores & Scribæ: & ut reviſores, D. Davenantius & Præſes. Hæc illius ſeſſionis ſumma eſt.

Die Martis veſperi iterum privatim convenerunt, ubi quiſque per vices locutus eſt, quicquid præterea ad Articulum ſecundum dicere habuit. Data quadam occaſione, qua vero, incertus ſum, Præſes mentionem fecit negotii Vorſtiani, Bertiani, & Venatoriani: quod annoto, quoniam tunc primum cauſa Vorſtii Synodo innotuit. Hactenus nulla inter extraneos Theologos remora fuit præterquam in hoc ſecundo Articulo, ex quo ſi ſe recte & rite extricare norunt, commodior & planior via erit in cæteris. Nuper Excell. V. dixeram, Martinium Bremenſem inter cæteros movere quædam dubia circa Univerſalem gratiam. At non ſolum Martinius, verum etiam doctor Wardus ſuper hunc Articulum. Ad dubia hæc utriuſque componenda, ne in publicum aliquod detrimentum erumperent, nuper aliquot privati fuere conventus in D. Epiſcopi hoſpitio: ubi die Mercurii mane compoſitæ erant Theſes quædam, ſuſpenſis admodum & captioſis terminis: qua fini, an ut quibuſvis partibus ſatisfiat, an, ut Synodo exhibeantur, an propter aliud quid, neſcio: forte fortuna eas vidi, at non ſuppetebat otium, ut tranſcriberem.

Die Mercurii veſperi 6. Februarii, publica fuit Seſſio, quando Steinius Haſſienſis ſermonem habuit de quarto Articulo, circa reſiſtibilem gratiam, eodem quo ante ipſum alii egerant modo. Dixit ultra ſeſquihoram, & cum finiiſſet, admonuit Præſes futuram publicam Seſſionem ſequente die Lunæ veſperi; atque ita auditorium dimiſſum eſt, verum nondum Synodus, quæ poſthæc juſtum temporis ſpatium in privatis conſultationibus permanſit.

7 Febr. 1619. *Excell. V. Sacellanus, & ad quævis officia & obſequia devinctus*

Verſa ex Anglico. J. HALESIUS.

CCCXXV.

LUDOVICÆ COLINIÆ,

Viduæ Principis Auriaci,

JOANNES UYTENBOGARDUS.

Judicium de Synodo Dordrecena.

MAdame, Mon indiſpoſition a eſté cauſe que je n'ay pas ſi toſt reſpondu à V. Ex. que j'en avois envie, & que mon debvoir le requeroit. J'ay trouvé le corps combattu du meſme mal, qui me fit garder la chambre, il y a un an, accompagné bien ſouvent des grandes palpitations de cœur: l'eſprit accablé d'ennuy & de triſteſſe, pource que je voy plongé l'eſtat & l'Egliſe en des extremitez bien dangereuſes. Ce qui me refait, eſt le beau verger de ma bonne conſcience, où me promenant, je me mets a l'abry de tant de tempeſtes, que la reverberation des deſordres, que je voy agiter la nef de l'Egliſe & de la Patrie, eſleve en mon ame. *La dedans* (di-je avec le Pſalmiſte, parlant à Dieu) *à toy je ſouſpire, à toy je tends mes mains ô Sire, & mon ame, en ſa grand' clameur, a ſoif de toy & te deſire, comme terre ſeiché d'humeur.* Et croyez, Madame, qu'apres avoir recommandé à Dieu l'Eſtat, l'Egliſe & mes affaires particulieres (ſi griefves & peſantes qu'un chacun peut penſer) V. Ex. eſt la premiere perſonne qui ſe preſente au S. Sacrifice des prieres, que je fay à Dieu continuellement, ſans que voſtre plus proche y ſoit oublié. Que ſi la deſſus j'ay ce bon heur de participer reciproquement aux voſtres (comme V. Ex. m'en aſſeure, & je croy) j'oſe, à ceſte ſaincte rencontre, comme à un moyen, que Dieu declare luy eſtre ſingulierement agreable, attribuer que je reſpire, & reſte encor en vie. Je confeſſe cependant, que je deſire extremement de deſloger & eſtre avec Chriſt. Car, me trouvant fleſtry d'un ignominieux deportement de mon Miniſtere, je ne ſuis plus homme qui puiſſe en tel eſtat beaucoup proufiter à ſon Egliſe. C'eſt ce qui me fait tant ſouhaitter de ſentir deffaire ce tabernacle terreſtre, en eſperance ferme d'eſtre reveſtu d'un autre domicile qui eſt du Ciel. Vray eſt que ce m'eut eſté, ſelon l'homme, choſe bien plus agreable, de veoir mon œuvre couronné d'une fin plus honnorable au jugement du monde: mais, quand je conſidere, que meſme mon Sauveur ſe plaind, par ſon Prophete, *d'avoir travaillé en vain, & uſé de ſa force pour neant*, ſe conſolant cependant en ce *que ſon droit eſtoit par devers l'Eternel, & ſon œuvre par devers ſon Dieu*: voire, quand je me repreſente que ceux meſmes, auſquels il avoit fait tant de bien, l'ont en fin couronné d'eſpines, & cloüé à la croix, je m'y conſole, m'eſtimant indigne de porter le nom de Diſciple de Chriſt,

& je

Ep.325. ſi je prenois à honte de participer à une partie de ſes ſouffrances, puis que je ſçay que communiquant à ſa mort, je communiqueray auſſi a ſa reſurrection.

Quant à ce que *V. Ex. me mande du Synode*: Je croy que ſi on m'y euſt deſiré, on m'y euſt appellé avec les autres Miniſtres Remonſtrans: ce que non ſeulement on n'a pas fait, mais m'en a-on tout expres voulu fermer la porte, veu que ſans attendre ce Synode National, quoy que tout preſt d'eſtre commencé, & que les Deputez eſtrangers eſtoient preſques tous arrivez, on a ſi fort haſté, & precipité mon affaire au Synode particulier de Delf, à fin que desja degradé de mon Miniſtere, je fuſſe rendu incapable de comparoiſtre au National. Et voyez, je vous ſupplie, Madame, l'iniquité palpable des procedures que ceux de Delf y ont tenües en mon endroit. L'aſſemblée ayant eſté commencée des le 8. d'Octobre, & durée desja ſeize jours, on ne m'y a appellé que le 29. lors qu'elle s'alloit finir, pour donner commencement à ce beau Synode National. Encores vouloient que j'y fuſſe le 4. de Novembre, ſçachans tresbien qu'il m'eſtoit impoſſible de m'y preſenter au terme prefix, voire quand je n'euſſe eſté eſloigné de Delf que d'une ſeule journée. La deſſus, & ſans iterer l'adjournement une ſeule fois, ils paſſerent outre, & me depoſerent de mon Miniſtere, voyre m'excommunierent de l'excommunication mineure (qu'on appelle) en me privant de la communion de la S. Cene du Seigneur: fondans ceſt arreſt inique ſur ma non comparition, quoy que je n'avois eſté adjourné (comme dit eſt) qu'une ſeule fois, & que la ſentence avoit eſté desja conclue devant que ceſt inique & unique adjournement eſtoit venu à ma cognoiſſance. Ne voyla pas de belles procedures? Je croy que le Conſiſtoire de Rome y euſt obſervé une formalité plus equitable. Qui doutera que cela n'ayt eſté ainſi practiqué tout expres, pour me forclorre de bonne heure du Synode National, puis qu'on eſtoit reſolu de n'y appeller perſonne de ceux qu'on auroit desja privé de leurs charges, & par conſequent rendu incapables d'y avoir ſeance. Auſſi ay-je entendu depuis aſſez clairement, qu'on eſtoit pour me refuſer la ſeureté requiſe, ſi je me fuſſe preſenté d'y comparoiſtre à ceſte condition. Ce monde Synodal donc me tenant mort a ſoy, je le tiens ſemblablement mort à moy.

Touchant *l'opinion que j'ay de l'iſſue de ce Synode*, puis que V. Ex. la demande, je diray franchement, que, voyant le train qu'on y prend, je n'en attens rien de bon. V. Ex. ſçait, que, paſſé long temps, je n'ay peu me perſuader, que ceux, qui ont tant preſſé ce Synode, ſoyt politicques, ſoyt Eccleſiaſtiques, ayent eu pour but d'accommoder les differens, à fin de conſerver les deux parties, & les reduire à union, pour empeſcher le ſchiſme, & pacifier ces troubles. En ceſte opinion perſiſte-je encores, & croy aſſeurement, que tout ce ſanfare Synodal ne ſert que pour condemner les Remonſtrans avec plus d'apparence & de luſtre, & rendre leur cauſe tant plus odieuſe & puante, non ſeulement par ces Provinces unies, mais par tout l'Europe, ſi avant que s'eſtend le nom de Reformation, enſemble l'autorité & le pouvoir des Royaumes, Eſtats & Republiques, qui y ont envoyé leur Deputéz. Et ſont les Maiſtres de ce jeu leur conte (ſans conſiderer, que la providence divine ſe mocque & rit bien ſouvent des conſeils & de la prudence humaine, qu'elle ſçait renverſer en un inſtant) que, apres que les Remonſtrans ſeront condemnez en ce Synode, perſonne n'oſera plus ouvrir la bouche, pour juſtifier la cauſe de ceux, qui auront eſté frappez de la foudre d'une congregation tant pieuſe & venerable comme ceſte cy en porte le nom. Auſſi n'y manqueront point des faux politicques & ſages-mondains, qui diront, que, par raiſon d'Eſtat, le parti dominant à preſent doit eſtre juſtifié à quel pris que ce ſoit par ce Synode, qui ſera comme l'Oracle & la bouche de Sainte Mere Egliſe Reformée, à ce que le parti ſuccombant (qu'on eſt reſolu d'exterminer entierement) accablé d'un ſi grand prejugé, n'ayt plus nulle reſource, ſe voyant ſi furieuſement aſſailli, tant des Canons Eccleſiaſtiques qu'on bracquera contre les Remonſtrans, que des nouvelles loix, Placats & ordonnances Politiques, qu'on fera tonner de tous coſtez contre tous ceux qui y ont adheré, & leur voudroyent encores tendre la main. Ep.325.

V. Ex. croyt, *qu'il n'y a en ce Synode manquement de gens de bien, & que de tels on ne doive preſumer, qu'à leur eſcient ils voudroient conſentir à des choſes, qu'ils cognoiſtroient contrarier à la verité, raiſon & equité.* Je ne debatray pas cela, Madame. Mais la queſtion eſt, ſi un homme de bien, voire pluſieurs, qu'on eſtime tels, ne ſe peuvent laiſſer tranſporter par prejugé, ou erreur, ou trop de reſpect à l'autorité humaine, ou autre paſſion & imbecillité de jugement, ſi avant, que mes cognoiſſans, ou bien diſſimulans, la verité, ils viennent à aider par leurs ſuffrages ceux qui ont le cœur de travers pour oppreſſer une cauſe juſte? Je dis qu'ouy, & que ceux, qui ont pour but & viſée ce que je vien de dire, croians qu'il y va trop de leur intereſt, s'ils faillent à toucher ce blancq, trouveront bien (ayans desja les advantages qu'ils ont) le moyen de n'y failler pas: Et quant aux gens de bien: qui dira, que ceux, deſquels noſtre Sauveur à predit qu'ils perſecuteroient ſes diſciples, cuidans faire ſacrifice à Dieu, ne ſont en quelque maniere gens de bien? Qui niera encores, que parmy ceux, qui aſſiſterent au Concile de Trente, il n'y ait eu quelques uns qui eſtoient gens de bien? Je maintiendray devant le Tribunal de Chriſt, que la ſentence donnée con-

Ep.325. tre moy au Synode de Delf eſt injuſte & inique: ce non obſtant ne nieray-je point, qu'il n'y ait eu parmy eux quelques gens de bien. En un mot, tout autant qu'il y a des Docteurs reformez, y comprins Meſſ. Calvin & D. Beſſe, comme les principaux, accordent en ce theme general, *Que tous Conciles & Synodes, pour Saincts & Venerables qu'ils ſoient, peuvent errer en ce qui touche la foy:* & le prouvent des raiſons & exemples valables, ſi avant, que de Beſſe a oſé eſcrire, *que Sathan avoit preſidé en aucuns d'eux.* Ce qu'il dit, non des Synodes Papiſticques, comme celuy de Trente, mais d'autres, & bien anciens, ou le Pape n'a jamais preſidé. Quant au *Synode des Apoſtres tenu en Jeruſalem*, je m'eſtonne de ceux qui le mettent en avant ſur ceſte queſtion. Le voudroit on parangonner à celuy de Dordrecht & autres ſemblables, pour dire que ceux cy ſont conduits par l'eſprit d'infallibilité, & ne peuvent errer non plus que ceſtuy la, qui eſtoit Apoſtolicque, pour dire avec les Apoſtres: *Il a ſemblé bon au S. Eſprit & à nous?* S'ils le font, je diray qu'ils blaſphement. Ce qu'on dit du *nombre des gens doctes*, qu'il y a, & que les *ſeſſions y commencent par invocation du nom de Dieu*: Item: qu'il y en a qui portent *tiltre d'Eveſque, Doyen, Docteurs, Paſteurs, Profeſſeurs*, & ſemblables, ne m'eſmeut pas pour croire, que pour cela ils ſoient exempts d'erreur, non plus que les grandes loüanges, que leur donnent les lettres de creance de ceux qui les envoyent, quand ils les nomment *Tres-reverends, Reverends, Treſdoctes, Venerables, Graves, Pieux, Craignans Dieu, &c.* ne les en exemptent. Si on s'arreſte à cela, on donne cauſe gagnée au Concile de Trente, & autres, eſquels on a veu ſans comparaiſon beaucoup plus de pompe, de luſtre & de ſplendeur, eſquels neantmoins la verité de Dieu s'eſt trouvée condemnée, & le menſonge juſtifié, comme les Reformez meſmes confeſſent. Quel tort fait on donc, ſoit au Synode, ſoit à ſon Ex. & Meſſ. les Eſtats qui l'ont convoqué, ſi on ne s'arreſte pas à ces parades & apparences exterieures, & ſi on ſe tient ferme à la verité meſme, & aux Maximes indubitables de noſtre ſaincte Reformation, leſquelles m'ont tellement deſniaiſé en ceſte matiere, que je n'ay pas peur que jamais on me pipe & prenne par la.

V. Ex. preſume *que je ſcache aucunement ſe qui ſe paſſe au dit Synode.* Il eſt ainſi, Madame, & ſi les advis qu'on m'en donne ne me trompent, je n'en attens rien qui ſerve à la vraye union & paix de l'Egliſe de Dieu. Et à qui tient il? On dit que *ceux de mon opinion* (comme parle V. Ex.) *ſe monſtrent trop reveſchez; & ne ſe veulent ſoubmettre en façon quelconque.* Mais on leur fait tort, veu qu'ils ſont reſolus de ſe tenir fermes aux premiers fondements de la vraye Reformation qui a tant couſté de ſang, & porte, qu'on ne peut & ne Ep.325. ſe doit ſoubmettre n'y ſouſcrire à aucun Synode qu'avec ceſte condition, *Si, apres avoir bien examiné ſes Decrets à la touche de la parolle de Dieu* (la quelle ſeule nous ſert de loy en matiere de foy) *on les trouve conformes à icelle parolle.* Or ſçay-je, tresbien & aſſeurement, que les Remonſtrans ne font difficulté quelconque de ſe ſoubmettre en ceſte façon; partant on ne peut dire avec verité, qu'ils ne ſe veulent ſoubmettre en aucune façon. De ſe ſoubmettre autrement, ſeroit ſe ſoubmettre abſoluement & ſans exception, à ce que des hommes, ſubjets à erreurs, decideroient en choſe qui concerne la Religion: ce qui ſeroit en effect, ramener les fondements du Papiſme, qui eſt un point de ſi grande conſequence, que pour ne ſe point ainſi aſtreindre aux jugemens humains en matiere ſi importante à la conſcience d'un chacun, Monſeigneur voſtre Pere de loüable memoire, & tant de ſaints Martyrs, ont pluſtoſt aymé perdre la vie, que de ſubir un joug tant intolerable. On demande la deſſus, *Comment donc ſe vuideront les controverſes de la Religion, qui bien ſouvent naiſſent en l'Egliſe?* Je reſpons, que c'eſt la demande que les Papiſtes font ordinairement à ceux de la Reformation, lors qu'ils refuſent de ſe ſoubmettre abſoluement à leurs Conciles, & que c'eſt pourtant aux Synodiſtes d'y reſpondre. Pour nous, s'ils ſont reſolus de ſe tenir aux fondamens ſuſdits de la Reformation, en ce cas la reſponſe leur ſera bien aiſée. Mais s'ils changent de Maxime, & veulent, qu'on ſe ſoubmette à leurs Synodes abſoluement, ils ne ſçauroient reſpondre aux Papiſtes rien qui vaille, lors qu'ils refuſent ſe ſoubmettre aux Conciles Papiſtiques; mais faudra qu'ils leur donnent cauſe gagnée: ce que les vrais Reformez (tels que ſont les Remonſtrans) ne feront jamais, mais perſiſtans és vraies Maximes de la Reformation, ils fermeront aiſément la bouche aux Papiſtes, par des voyes qui ſeroient trop longues à eſtre deduites en ceſte lettre. C'eſt merveille que nos Synodiſtes ne conſiderent pas, que ce leur eſt impoſſible de refuter un erreur Papiſtique, tant qu'ils ſuivent chez eux un meſme erreur, & rejettent ou renverſent les vrays fondamens par leſquels on le doive refuter.

Chacun ſçait, Madame, que meſmes perſonnes ne doivent eſtre juges & parties en meſme cauſe. *On ſe ſcandaliſe* neantmoins merveilleuſement, voire le prend on pour crime d'Eſtat, lors que *les Remonſtrans*, ſe fondans ſur ceſte reigle tant notoire, *refuſent de recevoir & recognoiſtre une grande partie des Synodiſtes pour juges en ceſte cauſe*, eux eſtans leur parties formelles. La derniere clauſe ne ſe peut nier. Car tous les deputez des Egliſes de ces pais ont eſté triez expreſſement du nombre de ceux, par leſquels les Remonſtrans ont eſté accuſez & condemnez au paravant: De

ce

Ep.325. ce triage a-on encores choiſi le Preſident, les aſſeſſeurs & les ſcribes, ou ſecretaires, Officiers Principaux de Synode, qui y donnent la premiere voix, & en ont toute la conduite. Quant aux eſtrangers, je n'en diray rien pour le preſent, mais voudrois bien que la vehemence extreme de quelques uns d'entre eux ne fuſt ſi palpable, & que ceux de Geneve n'euſſent, paſſé an & jour, monſtré ſi evidemment leur grande partialité comme ils ont faict, és lettres alors eſcrites au Conſiſtoire de Leuwarden, du quel Bogerman Preſident en ce Synode eſt membre principal. Encores voudroy-je qu'on n'euſt pas, tout expres, & de conſeil deliberé, refuſé d'appeller à ce Synode des Theologiens eſtrangers non partiaux, comme entre autres, les Anhaltins: non ſans grand myſtere. Serout auſſi à ſouhaitter, qu'es lettres de creance, ou d'envoy, que quelques eſtrangers ont apporté, on n'eut veu tant de prejuges, & marques treſviſibles de grande partialité, non ſans ſcandaliſer pluſieurs gens de bien, qui les ont ouy lire. Et où a on jamais veu des procedures ſi partiales qu'en ce Synode? Ne diſoit on pas tout haut aux Remonſtrans qu'on y avoit citez, & qui penſoient qu'on deuſt entrer en conference amiable de la doctrine, qu'on n'eſtoit pas venu la pour diſputer, mais ſeulement pour juger? N'y traitte-on pas les pauvres Remonſtrans en guiſe des criminels? Ne les menace on pas de les faire chaſtier par le bras ſeculier, comme s'ils avoient commis quelque grand crime punitiable ſelon les loix, s'ils refuſent de recevoir un tel Synode pour juge? Ne les fait on pas ſortir hors de l'aſſemblee, & ne leur ferme-on pas la porte aux nez, pour ne point ouyr les harangues, argumens & advis que ces Peres Synodaux donnent ſur les controverſes? Et voyez, Madame, je vous ſupplie, la paſſion. Auſſi toſt n'auront les Remonſtrans propoſé quelque grief contre telles & autres procedures induës, qu'on ne voye un Heinſius, Secretaire des Politiques, frapper du poinct ſur la table, & qu'on ne l'oye crier, *Ainſi le voulons, ainſi l'ordonnons, ainſi le commandons nous.* Si les Remonſtrans parlent d'examiner auſſi bien l'article de la Reprobation (principale ſource de ces controverſes) que celuy de l'Election, & qu'on leur doive permettre liberté d'aſſaillir & refuter auſſi bien la doctrine contraire, que de defendre la leur: on crie comme au meurtre, & le refuſe-on tout à plat, ſans alleguer autre raiſon, ſi non, que cela ne ſerviroit qu'à blaſmer la doctrine de l'Egliſe. Comment, Madame, enſeigne-on donc és Egliſes Reformées doctrine blaſmable, & qui ne ſouffre la touche? On tient les Remonſtrans autant que priſonniers, ou confinez dans la ville de Dordrecht, par des defenſes bien ſeveres & rigoureuſes qu'on leur fait de n'en bouger, ſur peine d'eſtre chaſtiez comme deſobeiſſans & rebelles à leurs ſuperieurs: & permet on cependant à leur parties de faire Ep.325.
des courvées, & courir en poſte vers la Haye ſi ſouvent qu'ils veulent, y former des plainctes contre les Remonſtrans a leur plaiſir, pour en apporter des reſolutions telles qu'ils deſirent, & contraindre leſdits Remonſtrans de ſuivre tel ordre, qu'il plaiſt auſdites leur parties de leur preſcrire, ſans qu'il leur ſoit permis d'y rien contredire. Encor refuſe-on d'accepter de la main des Remonſtrans aucun eſcrit ſervant à leur juſtification, ſans congé des Seigneurs politiques: & ceux cy ne l'accordent point, s'ils ne ſont auparavant bien informez de l'intention des Synodiſtes. Telles procedures, Madame, tres-rudes, à la verité, & preſque violentes, eſtans veritables (comme portent les advis qu'on m'en donne) on ne doibt trouver eſtrange, que les Remonſtrans, ſe croyans appellez à un Synode libre (ainſi que diſent les lettres de leur citation) monſtrent qu'ils ne ſont pas gens pour laiſſer paſſer tout cela & ſoubs un honteux & prejudiciable ſilence; prejudiciable, di-je, à la gloire de Dieu, & à ſa ſaincte verité.

V. Ex. croit, que, *ſi j'eſtois au Synode, j'y apporterois toute moderation poſſible.* De cela, Madame, je vous puis bien aſſeurer, & que je ne ſuis nullement changé au regard de ce que V. Ex. m'a autresfois ouy declarer ſur ce ſubject de moderation. Auſſi ne faudray-je d'obeïr à V. Ex. en ce qui eſt *d'exhorter mes freres à ſe ployer & ſoubmettre à tout ce qui leur ſera poſſible ſelon raiſon & conſcience*; jaçoit que je ſçache qu'ils y ſont tous portez d'eux meſmes, & ſans y eſtre pouſſez d'ailleurs. Cela ſe verra par effect, auſſi toſt qu'on appercevra qu'on veut accommoder les controverſes amiablement, au lieu de les decider magiſtralement au prejudice de verité & de paix: moyennant auſſi que ceux, deſquels V. Ex. parle, ne manquent d'y ayder & travailler de leur coſté: Mais le procedé du Synode eſtant tel qu'on me le depeint, il eſt à craindre grandement, que la Raiſon & Moderation y auront peu de credit, & que les effects ſe trouveront bien eloignez des belles parolles qu'on donne à V. Ex. Je croy que le perſonnage, que V. Ex. ſouhaitte tant avoir communiqué avec moy, eſt le Sieur Diodati, le pere du quel j'ay eu l'honneur d'avoir cogneu à Geneve y eſtant eſcolier, & me trouver à diverſes occaſions en ſa compagnie. Or je le remercie de ſa bonne volonté, & dis, que ſi mon affaire eſtoit en ſon entier, hors les termes de ceſt inique deportement, je tacherois de luy complaire autant qu'il me ſeroit poſſible: mais la reparation de ceſt inſigne tort qu'on me fait eſtant hors d'apparence, je ne luy veux donner aucun empeſchement, au regard de mon affaire particulier. Cependant, s'il eſt tel que voſtre Ex. penſe, il a beau-champ pour ſe faire cognoiſtre, & paroiſtre, tel qu'il eſt. Sur quoy je ne veux, & ne puis diſſimu-

ler

Ep.325. ler à V. Ex. qu'on m'advertit, que c'eſt luy qui eſtoit d'advis à l'entrée du Synode, qu'on n'ouyt pas les Remonſtrans, mais qu'on jugeaſt & donnaſt ſentence, ſimplement & ſans autre cerimonie, ſur la doctrine contenue dans leur livres. Se pouvoit il imaginer choſe plus eſloignée du deſir d'accommoder les affaires? Neantmoins, ſçachant que c'eſt luy, qui, avéc ſes autres confreres, a ſigné la ſuſdite lettre de Geneve au Conſiſtoire de Leuwarden, pleine des prejugés bien ameres contre les Remonſtrans, je ne m'esbahi pas trop d'un tel advis.

La charité de *V. Ex. eſt en peine, qu'on ne diſe que les Remonſtrans ſeront cauſe de diviſion, s'ils ne ſe ſoubmettent à la raiſon.* C'eſt tres-bien dit, Madame, *s'ils ne ſoubmettent à la raiſon.* Mais que dira-on, ſi on monſtre qu'ils ſe ſont ſoubmis non à la raiſon ſeulement, mais aucunement, meſmes à des choſes deſraiſonnables? Ceci eſt treſvray: a-on obmis pour cela de crier par tout qu'ils ſont la ſeule cauſe de nos diviſions? Que veult on donc? Qu'ils ſe ſoubmettent abſoluement & ſans exception à tout ce que le Synode ordonnera? C'eſt ce que porte le dernier arreſt de la Cour. Certes, ſi telles ſubmiſſions ſe peuvent & doibvent faire en matiere de conſcience & de Religion, ſans contrevenir à la volonté de Dieu, il faut bien que la raiſon s'y conforme: mais je croy fermement que V. Ex. eſt d'autre opinion. Parlons des *diviſions.* Seroit il veritable, Madame, que les Synodiſtes abhorrent tant la diviſion qu'ils en font le ſemblant? Quand on examinera bien leurs actions paſſées & preſentes, on y trouvera toute autre choſe; & de vray, il n'a tenu qu'à eux, que toutes nos Egliſes ne ſoient demeurées bien unies & en paix, moyennant la tolerance mutuelle tant demandée & preſentée par les Remonſtrans, reſolue par les Eſtats. Si encores on veult, qu'on abhorre & fuie les diviſions en toutes manieres, comme deſplaiſantes à Dieu: à qui eſt ce que les Romaniſtes attribuent la diviſion qu'on voit en Alemagne, ſi non aux Proteſtans, Lutheriens & Calviniſtes, qui ne ſe ſont voulu ſubmettre au Concile de Trente? ce que neantmoins ledit Concile eſtimoit du tout raiſonnable. N'a-on pas veu, & ne void on pas encores à ce jourd'huy, des diviſions bien ſanglantes au Royaume de France? Elles ſe pouvoient, ce-pendant, eviter (dira-on) ſi de Beſze & autres, qui ſe trouverent au Colloque de Poiſſi, ſe fuſſent ſoubmis à ce, que leurs adverſaires diſoyent eſtre de la raiſon: ce que toutes-fois, ſans craindre ni la diviſion qui en pouvoit en ſuivre, ni le ſchiſme de l'Egliſe, ils refuſerent de faire, pour ce qu'ils le trouverent du tout deſraiſonnable. Mais encores: ſi ainſi eſt que les Synodaux deteſtent tant la diviſion & le ſchiſme, & que pour l'eviter ils veulent qu'on vienne à quelque ſoubmiſſion, pourquoy ne veulent ils pas, que les Remonſtrans ſoient mis en pareil degré avec les Contra-remonſtrans, pour, comme parties, faire debattre leur cauſe devant les Eſtrangers & autres juges non partiaux? Si on vouloit accorder cela, & que la deſſus on parloit de ſe ſoubmettre à ce que ceux la en diroient, j'oſe m'aſſeurer, que, ſi les Contra-remonſtrans s'y ſoubmettent, que les Remonſtrans ſeront de meſme, autant que les fondemens invariables de la Reformation le pourront permettre. Que ſi les Contra-remonſtrans refuſent telle ſubmiſſion, je ne voy point de remede au ſchiſme & aux diviſions, ſi on n'y employe le feu & le fer, c'eſt à dire la violence, quoy qu'elle ſera de peu ou de nul effect, lors que Dieu voudra parachever ſon œuvre: Quoy que ce ſoit, il eſt aiſé à voir, qu'en fin on en viendra là, comme il me ſouvient avoir autres fois prognoſtiqué & predit à V. Ex. la quelle alors me diſoit que non, alleguant que Monſeigneur le Prince auroit declaré ſainctement à V. Ex. que ſon intention eſtoit de maintenir les uns & les autres: propos, que Son Ex. a tenu auſſi à moy & à d'autres, ſouvent, & à diverſes occaſions. Et pleuſt à Dieu que ce grand Prince euſt voulu tenir ceſte voye! ô qu'il euſt gaigné des cœurs! ô qu'il euſt attiré ſur ſoy des benedictions de Dieu & des hommes! mais on voit (helas) tout le contraire par l'Edit desja publié ſoubs le nom & authorité de Son Ex. contre les pauvres Remonſtrans de la Haye, l'execution duquel on à encores, contre tout ordre, commis aux gens de guerre, aus quels on fait faire la patrouille par les rues à telle fin. Perſonne, cependant, ne conſidere que telles violences, en matiere de Religion, deplaiſent à Dieu extremement, & au lieu d'eſteindre le feu des diviſions, ne fait on que l'attiſer & allumer d'avantage, ainſi que l'experience nous a monſtré par toute l'Europe. Encores eſt ce choſe fort deplorable, que les Theologiens eſtrangers, n'eſtans engagez en ces factions, comme ſont les naturels, ne taſchent de prevenir telles extremitez, exhortans la partie dominante à plus grande moderation. Mais quoy? Ils ſuivent l'air de leur païs, ſans cognoiſtre le naturel des habitans de ces Provinces, & n'apprenans rien de nos affaires que de la bouche des plus partiaux, ils en ſont du tout ignorans: ce qu'il fera que, ne peſans point les forces de la verité, qui briſe les portes d'airain, & les barres de fer, ils ſe contenteront de dire *Placet*, ou *Amen*, à tout ce qu'ils verront eſtre agreable aux conducteurs & Chorages de ce jeu; lequel achevé ils diront *plaudite*, frappez des mains, chantez de joye; & apres avoir eſté bien careſſez, feſtoyez, honorez des beaux preſens & congedies, ils retourneront bien joyeux chez eux, pour nous laiſſer demeſler nos fuſées & devider nos pelotons entre nous, ainſi que nous l'entendrons, & du mieux que nous pourrons. He Dieu, n'euſt il pas beaucoup mieux valu, que, mettans ſoubs pied & oublians toutes offenſes paſſées, nous euſſions par des conferences fraternelles & Chre-

Ep.325. Chreſtiennes, ſouvent reiterées en la crainte de Dieu, taſché de rencontres les uns les autres en meſme ſens & intelligence ſur les articles controverſes? Et quand nous n'euſſions y ſceu parvenir par telle voye, n'euſſions nous pas mieux fait de travailler à une ſaincte accommodation des uns avec les autres par tolerance mutuelle & Chreſtienne, ſçavoir eſt, telle, qui euſt peu ſervir à edification des Egliſes en pieté, & à la conſervation de la dilection & de la paix, pluſtoſt que devenir à des decitions magiſtrales d'un Synode compoſé des Theologiens paſſionnez, evoquez & envoyez tout expres pour maintenir les opinions receües en leurs Egliſes & Eſcoles, telles qu'on les trouve expoſées és formulaires des Confeſſions & Catechiſmes (eſcrits humains, dreſſez bien ſouvent en haſte, ſelon les occaſions du temps, & par peu de gens, & depuis introduits és Egliſes avec peu de conſideration, comme pour y ſervir de Loy & de Reigle perpetuelle de la Doctrine qu'on deuſt enſeigner) & puis contraindre ceux, qui ſont ſerviteurs de Dieu, auſſi bien qu'eux, par voyes violentes à recevoir & ſuivre les Canons des telles deciſions humaines, ſoubs peine d'eſtre depoſez de leur miniſtere, ou autres peines, peut eſtre, plus griefves? Je ne dy pas cecy ſans cauſe: car auſſi toſt que le ſeau de l'authorité politicque & l'approbation publicque de ces Canons Synodaux, qu'on va dreſſer de nouveau, y ſera appoſé, je m'en attens (ſelon que je voy les humeurs compoſez & les deſſeins qu'on a pourjetté de longue main) autre iſſue que telle, nommément quand je conſidere encores la practique bien cogneue de pluſieurs Egliſes & Republicques eſtrangeres qui y ont envoyé leurs deputez. C'eſt pourquoy, Madame, que je loue Dieu quant à moy, & de bien bon cœur, de ce qu'il m'a fait la grace (apres que j'avois en vain eſſaïé & fait tout ce qui m'a eſté poſſible pour conſerver l'union des Egliſes par quelque accommodation tolerable) de me pouvoir retirer coyement, voyant les affaires deſeſperées, avec le congé de mon trouppeau, pour evader les griffes de mes ennemis qui me haiſſent tant ſans cauſe. Vray eſt que j'en ſouffre des grandes incommoditez: mais elles ne ſont pas telles, graces à Dieu, que je ne trouve beaucoup plus de conſolation en cette vie ſolitaire, pour prier Dieu que tout aille bien, & qu'il conſerve les ſiens, que de demeurer, ou me trouver, en lieu ou on m'euſt tenu pour autheur des troubles que ces procedures eſclorront, & eſtre embaraſſé plus long temps en des affaires ſi diſcouſues, & qui ne peuvent produire qu'une ſanglante cataſtrophe, & des grandes alterations, jaçoit que je ſçache fort bien, que je ne ſuis pas encores à l'abry des plus furieuſes tempeſtes qui me menacent. Quoy qu'il advienne, comme d'un coſté je ne voudrois jamais conſeiller perſonne de rien faire contre ſa conſcience, auſſi ne ſeray-je jamais celuy (Dieu aydant) qui voudrois inciter perſonne à deſobeiſſance contre ſes Superieurs, Ep.325. pour rudes & facheux qu'il ſoyent, ains exhorteray tousjours un chacun, autant qu'en moy eſt, de ſuivre la volonté de Dieu, qui eſt, qu'en bien faiſant on ferme la bouche à l'ignorance des hommes fols, veu que c'eſt choſe treſagreable à Dieu, ſi quelqu'un, à cauſe de la conſcience envers Dieu, endure faſcherie, ſouffrant injuſtement, comme parle S. Pierre.

Au reſte, Madame, tant que je reſpireray, je me ſouviendray toujours des conſolations de V. Ex. pour les revenger par toutes ſortes d'humbles ſervices, la où l'occaſion le preſentera. Et à fin que V. Ex. ſoit aſſeurée de moy de temps en temps, je ne faudra de la rendre certaine continuellement du lieu de ma reſidence, pour y recevoir ſes commandemens, preſt de rendre tous-jours à V. Ex. bon compte de toutes mes actions. Sur quoy baiſant bien humblement les mains de V. Ex. & me recommendant bien affectueuſement à ſes bonnes prieres (comme je l'aſſeure qu'elle n'eſt jamais oubliée és miennes) je la recommanderay à Dieu, la ſuppliant de prendre ceſte mienne lettre de bonne part, & en uſer ſelon ſa diſcretion. Ce 14. de Febvrier 1619.

De Voſtre Ex.

Le treshumble, treſaffectionné & treſobeiſſant, quoy que triſte & affligé, Serviteur en Chriſt

I. W.

Madame: Le temps nous fera voir beau- Poſt data.
coup des choſes. J'entreray cependant au Sainctuaire, & prieray Dieu que mon pied ne gliſſe és rudes combats que Satan me livre. Excuſez moy de ce que j'ay oſé entretenir V. Ex. ſi long temps, par une ſi prolixe & tedieuſe lettre, qui reſſent mes douleurs, & la debilité de mon eſprit. Je me penſois pres de V. Ex. en ſon cabinet deviſant des occurrences Eccleſiaſticques à l'accouſtumée, avec la permiſſion d'ycelle. Si j'ay parlé trop franchement, pardonnez le moy, & interpretez le tout à bien, ſelon voſtre bonté couſtoumiere. V. Ex. me cognoit. Mon ame eſt ſans fiel. Je ſuis le meſme que V. Ex. me laiſſa, lors qu'elle me viſt la derniere fois: J'ay encores à dire une infinité des choſes, que le papier ne porte pas, & crains de vous ennuyer ſi je le chargeois d'avantage. Je diray ſeulement encor un mot avec voſtre permiſſion. On me mande tout à l'heure, que le Sieur Diodati paroiſt au Synode parmy les immoderés le plus aſpre. Sa vehemence eſt telle, qu'il a oſé dire, qu'il n'avoit peu remarquer aucune pieté en pas un des Remonſtrans, ni en leur propos ni en leurs actions. Voyla certes un jugement bien temeraire & precipité. Et me rapporte-on d'ailleurs, qu'il a fait tout ce qu'il a peu pour rendre noſtre cauſe treſodieuſe vers Meſſieurs les Ambaſſadeurs, parlant de nous avec fort grand meſpris. Je ne m'eſtonne pas donc qu'il a tenu à V. Ex. les propos que j'ay re-

Ep.326. remarqué en voſtre lettre, ne s'adviſant pas, qu'il s'eſtoit addreſſé à une Princeſſe accouſtumée de tenir tousjours une aureille ouverte pour les accuſés, & leur donner audience à leur tour, contre des accuſations ſi outrecuidez, temeraires & fauſſes. Pardonnez moy, Madame, ce mot.

CCCXXVI.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De diſſenſu Anglorum ſuper articulo ſecundo.

CLementiſſime Domine; Poſt D. Haleſii diſceſſum, nihil in Synodo hic notatu dignum actum eſt; ſeptimo hoc die Februarii habita fuit ſeptuageſima ſexta ſeſſio, in qua nihil occurrit, niſi quod illi, qui nondum ſuper articulum ſecundum ſententiam ſuam dixerant, eam elocuti ſunt: nihil autem præ cæteris ſingulare addiderunt, præterquam quod Tranſiſulanorum unus, ægre id tulit, quod ſententiam & opiniones Remonſtrantium adduxeramus ex locis, in quibus illi optime & ſaniſſime loquuntur: voluit autem ille, ut eorum ſententia colligeretur ex omnibus illis locis in eorum libris in quibus quam maxime abſurda loquuntur; quod nobis viſum fuit procul ab omni charitatis eſſe regula; illa itaque ſeſſione Synodalis diſquiſitio articuli ſecundi abſoluta eſt. Præterea Præſes nobis dixit, Delegatos ad Remonſtrantes miſiſſe mandatum, ſi quid in ſcriptis haberent, quod ſervire poſſet explicationi ſententiæ ſuæ ſuper quinque articulos, id omne ut traderent: eoſque Delegatis tradidiſſe confirmationem ſententiæ ſuæ ſuper articulum primum, ut & confutationem heterodoxæ, uti cenſent, opinionis: item initium explicationis ſuæ ſuper articulum ſecundum; monſtravitque nobis librum, cujus, ita me Deus amat, me puduit, ſimulac cogitavi, viros judicio præditos imaginari poſſe, ſuppetere ad perlegendum Synodo tantum temporis; eſt enim tam craſſus, quam parva hiſtoria martyrum, & excedit bis centum folia in folio; dixit quoque mandaſſe ipſis Delegatos, ut intra octiduum proferrent, quicquid poſſent & vellent neceſſario dicere ad cognitionem ſententiæ ſuæ ſuper omnes quinque articulos.

Octavo Februarii Stylo Novo habita fuit ſeptuageſima ſeptima ſeſſio, in qua nihil quicquam actum, quam quod Præſes nobis dictavit theſes productas ex Remonſtrantium ſcriptis ſuper articulos, tertium & quartum; quas ut Excell. Veſtr. mittam haut expedire cenſeo, ſin vero intellexero Excell. Veſtr. eas deſiderare, facile illas mittere potero. Conſtitutum erat hoc mane miſſuros nos amanuenſes noſtros, ad tranſcribenda ex Remonſtrantium magno volumine ea quæ articulum ſecundum concernunt, quos etiam miſimus; & die Lunæ iterum deliberaturos, quid de ipſo grandi volumine ſtatuendum ſit. Hodie Præſes miſit ad peculiare noſtrum Collegium particularia quædam abſurda loca, quæ collegerat ex eorum poſtrema explicatione articuli ſecundi, & patheticis admodum verbis in literis ſuis nos adhortatus eſt, ut procuraremus condemnationem Remonſtrantium in ſententia noſtra ſuper eundem articulum. Quod ſecundum hunc articulum attinet, obteſtor Excell. Veſtr. ut ſinat mihi exprimere dolorem meum: ſicuti ſuper illum in Synodo differentia eſt, ita ſuper eundem multo major differentia eſt in proprio noſtro Collegio. Placeat Excell. V. dare mihi veniam, ut aliquid ea de re dicam; Expedit ut Excell. V. hæc cognoſcat, ſed non aliunde quam ex me. Quæſtio inter nos eſt, utrum verba Scripturæ, quæ & ipſa ſunt verba Confeſſionis noſtræ, *Chriſtus oblatus eſt* aut *mortuus pro toto humano genere*, ſeu *pro peccatis totius mundi*, intelligenda ſint de quibuſvis & ſingulis hominibus, an ſolum de electis qui ex omnium hominum genere exiſtunt. D. Davenantius & D. Wardus ſunt ejuſdem cum Martinio Bremenſi ſententiæ, ea de cunctis & ſingulis hominibus intelligenda eſſe; tres cæteri amplectebantur alteram expoſitionem, quæ eſt ſcriptorum in Eccleſiis Reformatis, & nominatim defuncti noſtri D. Sarisburienſis. Utraque pars ſe genuinum ac verum tueri ſenſum judicat; quapropter altera alteri ſalva conſcientia cedere non poteſt. Res eſt, mi Domine, magnæ ſequelæ, ſi interponimus ſententiam noſtram ſuper expoſitionem articuli, qui eſt Eccleſiæ noſtræ Confeſſio. Quamobrem Excell. V. rogo, ut placeat hæc tibi propoſitio. Quoniam ſententia noſtra ſuper ullum quinque articulorum cognita eſſe non debet, antequam omnes ad umbilicum perduximus, petere nos, ut Præſes eam nolit inquirere, ſed permittere velit, ut pergamus ad reliquos articulos: interea temporis miſſuros nos in Angliam verum controverſiæ noſtræ ſtatum, & petituros conſilium à præcipuis illic Eccleſiæ noſtræ, qualem velint dari expoſitionem ſuper iſtum articulum Confeſſionis ſuæ, quam ſecure poſſimus amplecti; nam ſalutis ratio hic non agitur in re, in qua diſſentimus. Antequam reliquos abſolvimus articulos, facile ex Anglia reſponſum habere poſſumus. Si placet Excellentiæ Veſtræ hæc vel alia quævis propoſitio, gratum nobis fecerit, ſi literis ſuis indicet quid ipſi arrideat, vel ſecus. Obſecro, condonet Excell. Veſtr. mihi, ſi quid hic perperam ago; ſolummodo hoc ex metu oritur, ne inter nos ipſos divortium fiat; atque ſingulari obedientia mandati Majeſtatis ſuæ, quæ mihi injunxit, ut in omnibus ſimilibus eventis me ad conſilium Excell. V. reciperem. Quare poſt intimas ad Deum pre-

Ep.326.

ces

Ep. 327. ces pro Excell. V. valetudine & incolumitate, cum oblatione promptiſſimorum meorum officiorum, tum Excell. V. tum Excell. uxori, finem ſcriptioni impono,

Dordraci 9. Febr. Stylo novo. *Excell. V. omni veneratione & obſequio addictus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXXVII.

CONRADO VORSTIO

MATTHIAS MARTINIUS S.P.D.

Eccleſiaſtica. De iis quæ in Synodo agitabantur.

SÆpe perplexus ſum his perturbatis temporibus, Vir Clariſſime, & in conſilii inopia hæreo. Sed Deus novit מוצאות המות *Pſal.* LXVIII. *verſ.* 1. Si ea inter noſtros homines eſſet communicatio, ſi ea διάνοια (*diſcretio*) & charitas, quæ debebat; tantopere res Chriſtianæ non laborarent: & hi proximi menſes meas curas & ἄτας (*triſtitias*) ſatis exercuerunt. Sed confido in Deo: cui id exiguum quoque, quod habeo, velim cum fide redditum. Cum Cl. D. I. Biſterfeldio, quando vivebat, tua cauſa multus mihi ſermo fuit: cujus ſcopus erat, allaborare, & tentare, an εἰς ἴσην ἀνάπαυσιν ἔλθῃν (*in unam quietem venire*) liceret: etenim eos quoque, quos alicubi licet graviter errare vel ſcimus vel putamus, non tamen velle debemus perditos. Væ enim nobis omnibus ſi remota Dei miſericordia judicemur. Sed hic præmature nobis eſt ereptus. Quos voluiſti, ſalutavi, quorum in te charitatem cognovi. Utinam Deus placatus nos reſpiciat, ut & in communioribus tuis & privatis rebus veſtris id videamus & agamus, de quo ſibi poſteritas poſſit gratulari. Nolim conſcientiam Deo juratam ulla re ledere. Pro parva menſura notitiæ, quæ ex divinarum Literarum meditatione mihi obtigit, in cauſam conſulo, ubi neceſſe habeo aliquando ἀντιλέγειν ἀλλήλοις. (*utriſque contradicere.*) Illam, quam Sarisburienſis Epiſcopus vocat truculentam opinionem περὶ τῆς ἀποδοκιμασίας, (*de reprobatione,*) complures depoſuimus jam ante. Nulla quippe pœna locum habet, niſi antegreſſo peccato. Sed electionem tamen ſingularem ex mera gratia, tum ad fidem, tum ad gloriam iiſdem dandam, neceſſe eſt agnoſcamus, in Chriſto fundatam. Verum de eo nunc non ſcribam plura. Spero, Deum daturum eſſe, ut privatis nonnullis opinionibus omiſſis, purior obtineat confeſſio, quam alicubi introduci cœpit. Quæ me doctrina ad conſolationem & pietatem non inſtituit, eam non duco Theologiam: ſed neque eam, quæ Dei gloriæ vel minimum detrahit, & hominem inflat, ut in ſeipſo glorietur. Hactenus de te nulli admodum in publico auditi ſunt ſermones, niſi qui obiter inciderunt; privatim ſæpius tui fit mentio, partim cum indignatione ob ea, quæ tibi vitio dantur in doctrina, partim cum deſiderio tui in gratiam Eccleſiæ reſtituendi. Quæ miſſa ſunt, de iis gratias ago. Puto pluribus te rem gratam facturum eſſe, ſi mittas, id quod & de meis Collegis intelligo. Erit aliquando, quod rependam. Quæ ex mea encyclopædia citantur, neſcio an omnia probare poſſim ipſe hoc tempore. Theologia naturalis eſt reſpondentis, ſi explicatio ſpectetur: in qua forte nimium ſequutus eſt Nicol. T. Sed nihil tamen definio, quia non examinavi ſerio, proximis quidem temporibus, aut potius, unquam. Multum me exercuit doctrina de gubernatione Dei: de qua mallem aliquando verum. De literis tuis D. Alſtedium monui: curabitur quod voles: nondum tamen ſunt inquiſitæ inter reculas relictas concluſas. Habebitur earum diligens ratio. Intelligo nunc feſtinari, ut forte poſt menſem ſint exteri dimittendi, rebus principalioribus perfectis. Oremus omnes Deum, ut afflictarum Eccleſiarum miſereatur, quo omnes in puram fidei unitatem coaleſcamus. Quæ in iſtis legi, talia ſunt, ut merito in multis probem. Sed vix eſt ocii ſatis ad ea fere nunc agenda, quæ ſub manum quotidie veniunt. Tamen, ſi ad illa quoque deveniatur, id dicam & ſtatuam, quod jubet conſcientia, ἀπροσωπολήπτως. (*ſine perſonarum acceptione.*)

Intelligis, Vir Clariſſime, quid facto opus ſit, ut mature literas mittas, & ne tibi non neceſſarium laborem creës, eodem contextu ad collegia ſingula. Si ad quoſdam privatim aliquid addere voles, id liberum eſto: ad eos qui tibi ſint notiores, & de quibus pluſculum ἐπιεικίας (*æquitatis*) ſperes. Salva ſemper veritate ego non deſinam, etſi ſatis male ſæpe tractatus, id facere apud amicos, & alios, ubi opus erit, quod ad cauſam Dei pertinere intelligo, in qua nos utrimque pariter oraculis ejus cum ſimplicitate obedientiæ cedere velim. Quod ſcribis Remonſtrantes, quod ad ſummam rei attinet, veritatem tueri: ſi ſummam intelligis, doctrinam illorum de libero arbitrio, non poſſum aſſentiri. Extrema utrobique ſtudeo declinare: & Deum oro, ne me ſinat ad dextram vel ſiniſtram aberrare. Excluſionis culpam non poſſumus non in ipſos fratres Remonſtrantes rejicere: an autem ſoli eam ſuſtineant, Deus καρδιογνώστης (*cordium ſcrutator*) novit optime. Interim tamen pergunt ſua ſcripta exhibere noſtris politicis moderatoribus, de quo aliorum litteræ te erudient. R. Goclenius reſalutat tuam reverendam dignitatem: Deo te & familiam commendo interceſſione jugi, ut exaudiamur, & in veritate ſanctificemur, & ex omnibus malis liberemur. 15 Febr. 1619.

Digitized by Google

CCCXXVIII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De Anglorum diſſenſu ſuper ſecundo articulo, &c.

CLementiſſime Domine, Quamvis literæ Excell. V. cauſabantur aliquem dolorem, per nuncium, qui illarum ignarus eſt; crede tamen mihi, Excell. V. fecit opus Excell. V. dignum, & id tale, quale, ſi id factum non fuiſſet, cum remedio nullus fuiſſet locus, animitus omnes optaſſemus, ut factum fuiſſet: literæ enim Excell. V. eum ipſum fortitæ ſunt effectum, quem Excell. V. in conſilio veſtro intendit. Conſentimus omnes, conſilium Excell. V. non modo eſſe utile ſed & neceſſarium: quantumvis nobis diſplicuit Excell. V. debuiſſe certiorem reddi de noſtra diſſenſione: ſed alioqui privati fuiſſemus ſana hac & neceſſaria Excell. V. directione. Verum eſt, poſt nuperas meas ad Excell. V. literas, conſentire nos in quibuſdam propoſitionibus, quæ extra omne dubium veræ ſunt; & illæ erant ejuſmodi, ut nullatenus decideret quæſtionem in Synodo controverſam. Retinuimus verba Scripturæ & propriæ noſtræ Confeſſionis; verum omnis differentia ſita eſt in eorum verborum interpretatione. Quando Canones Articuli ſecundi condentur, determinandum erit, *utrum Chriſtus revera perſolverit pretium redemptionis pro omnibus ac ſingulis hominibus, an pro ſolis electis.* In Synodo itaque diſſentiremus in ſuffragiis. Quia autem novi Excell. V. velle ſcribere ad Gratiam Suam, rogo Excell. V. petat maturum reſponſum. In literis noſtris ad Gr. S. paucula libavimus de differentia quæ videtur oboritura. Hiſce chartis ** miſi ad Excell. V. verum differentiæ ſtatum, quæ ſuper hac propoſitione erit; Chriſtus obtulit ſe pro peccatis totius mundi. Audeo fidem meam apud Excell. V. appellare, eum ſincere eſſe propoſitum, & multo plenius quam in literis noſtris ad Gr. S. Excell. V. inde petet quantum ipſi viſum fuerit convenire, communicabitque Gr. S. ac ſcribet ipſi, hanc videri fore differentiam, non (ut Excell. V. indicatum eſt) in noſtro Collegio, ſed in Synodo, circa Articulum ſecundum; & propterea rogabit Gr. S. ut tranſmittat nobis conſilium aliquod, quomodo nos hac in re gerere oporteat; certiſſimum enim eſt, vota Synodi amplexura receptam expoſitionem Doctorum Reformatorum, maxime confirmatam per defunctum D. Sarisburienſem, fratrem Gr. S. quem vulgo opinati ſunt, tam recte quam quemvis alium ſententiam Confeſſionis noſtræ percepiſſe. Nullus dubito, quin Excell. V. opus hoc ſuum, id ipſum perficiendo, coronabit. Quando Excell. V. comperiet fructus pa- Ep. 328.
cis in Synodo inter nos per ſe procuratæ, magnam gaudendi materiam inveniet, ortam ex conſcientia Chriſtiani hujus conſilii. Controverſia inter nos ipſos, ita loqui cogor, fuit charitatis & amicitiæ plena, quoniam nemo cupiebat, ut àliquid inter articulos noſtros cuderetur, cui non omnes applauderemus: verum hoc modo nunquam quæſtio fuiſſet decila. Condonet mihi, oro, Excell. V. hanc [illegible] (*libertatem*) pacis amor, & cultus quo Excell. V. proſequor, eo me provehit.

Poſt nuperas ad Excell. V. tres fuere Seſſiones: Septuageſima octava Seſſio erat ſecundo Februarii novo ſtylo, in qua D. Beckius ex Helvetiis Theologis, ſecundum Præſidis poſtulatum publice diſcuſſit ſeptimum argumentum Remonſtrantium in Collatione Hagienſi, quo probant gratiam regenerationis eſſe reſiſtibilem. Hoc peracto omnes auditores dimiſſi ſunt, & deliberatum, qua via Synodo videretur convenientiſſime procedendum cum Remonſtrantium vaſto volumine, cujus apographa fieri non poterant. Præſes nobis dixit, le generatim totum argumentum percurriſſe, atque comperiſſe, exiguam partem primorum foliorum continere confirmationem ipſorum opinionis de primo articulo; cætera nihil aliud continere quam refutationem opinionis Contra-remonſtrantium, & exagitationem perſonarum: deſiderabamus ut pars legeretur. *Cogor autem dicere, Remonſtrantes nullum obtinere favorem; nam coram Excell. V. aſſero, Præſidem excerpſiſſe partem deteriorem; vix quinque folia lecta ſunt, quæ nihil aliud continebant, præterquam acrem ſatyram contra Calvinum, Bezam, Paræum, Piſcatorem, Whittakerum, Bogermannum, Feſtum, & ſexcentos alios*; ſed, ut verum fatear, quamtumnis imprudenter, ſcite tamen ſcriptam: ſtylus mihi videbatur eſſe Epiſcopii. De hujus libri examine ſuffragia Synodi maxime variabant; plurimorum autem vota erant, mandandum quibuſdam Synodi Deputatis, uti eum cum cura perlegerent, Synodoque referrent, ſi novi quid in eo reperirent, quod in præcedentibus ipſorum ſcriptis contentum non erat; ita tamen, ut unicuique membro, cui id ita viſum foret, liberum eſſet adeſſet perlectoribus. Delegati hanc dabant mediatoriam ſententiam, quia animadverterant utramque libri partem à pleriſque deſiderari: nempe, quod voluerunt, ut antemeridiana una aut altera ſeſſio haberetur, in quibus exigua illa libri pars, quæ confirmationem opinionis ipſorum continebat, legeretur, & quiſque ſtylo ſuo notaret, quicquid ipſi commodum videretur; cætera autem à perlectoribus obſervarentur, qui relaturi eſſent Synodo, ea quæ vel nova vel alicujus momenti comperiſſent: quapropter DD. Aſſeſſores & D. Dammannus ſcriba rogati ſunt, uti evolverent librum, & eligerent ea, quæ viderentur ipſis coram Synodo lectu

Ep.328. lectu digna; quæ poſtquam perfecta erunt plura ea de re audiemus.

Præſes nobis retulit, Campenſes Remonſtrantes, qui nuper peremptorie citati erant, ut coram Synodo comparerent, non veniſſe, ſed pro ſe tres alios miſiſſe ut cauſam ſuam agerent: item ſe accepiſſe libellos ſupplices ad Synodum à Campenſibus Contra-remonſtrantibus. Synodus totam cauſam commiſit ſingulis Deputatis ex ſingulis Collegiis.

Seſſ. LXXIX. 11 Februar. Cœpit Synodica diſquiſitio tertii & quarti articuli; varii Theologi varia adferebant; tandem diſquiſitio pervenit ad D. Crocium Bremenſem, atque ita miſſa eſt Synodus.

Seſſ. LXXX. 12 Februar. Proceſſimus in Synodica diſquiſitione tertii & quarti articuli, ubi plurimi ſententiam libere dixerunt: quando ad Sibrandum ventum eſt, dixit ad minimum per horam: in hoc ſermone captabat exceptiones quaſdam ad ea quæ Martinius Bremenſis pridie dixerat; ſpeciatim, quod dixerat, Deum eſſe cauſam phyſicam converſionis: dabat contra eam ſententiam aliquot rationes, & petebat, ut Martinius ipſi ſatisfaceret, & doceret eum quæ hactenus neſcierat. Martinius pro ſe reſpondit; at inter utrumque plura erant verba quam ſenſus: nam controverſiam illam faciebant meram ſpeculationem, non aliter ac ſi ſcenam oſtentarent Philoſophicam, contra gravitatem ſane quæſtionum in Synodo tractandarum. Pro veritate aſſertionis ſuæ Martinius appellabat Goclenium, qui tum aderat, ut principem Philoſophorum, ad quem mos non erat appellare in Synodicis quæſtionibus: Goclenius autem moderatoris perſonam egregie ſuſtentabat: namque aſſeruit, Themiſtium, Averroëm, Alexandrum Aphrodiſæum, pluresque alios, ſtare à partibus Martinii, & veram eſſe illorum opinionem in Philoſophia; ſed nolle ſe eam cuiquam præſcribere in Theologia. Sibrandus quoque in Goclenium invehi, ita ut poſt multa verba irrita Præſes ea abruperit: quo finiit ille actus, & diſquiſitio quoque finem cepit. Heri ſeſſionem non habuimus: hodie eſt, cujus in proximis meis, favente Deo, Excell. V. certior fiet. Quare poſt oblationem promptiſſimi mei officii & Excell. V. & piæ uxori tuæ, manum de tabula,

Dordraci die 15 Febr. *Excell. V. ad quævis obſequia fidiſſimus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

* * *Oblatio Chriſti facta in cruce perfecta eſt redemptio, propitiatio & ſatisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam originalibus quam actualibus. Contravertitur an per totum mundum intelligatur mundus electorum, an mundus omnium particularium hominum: ubi de his tribus ambigitur.*

Primo. An retinenda ſit illa diſtinctio quæ receptiſſima eſt apud Reformatos Doctores, quamque Epiſcopus Sarisburienſis aſſruit pag. 35. *& ſequentibus, mortuus eſt pro omnibus ſecundum ſufficientiam ſeu magnitudinem pretii, non ſecundum proprietatem redemptionis. Quidam putant non retinendam eſſe, quia putant ſic ſufficienter dici poſſe mortuum pro Diabolis.* Ep.329.

Secundo. Contravertitur de hac propoſitione. Chriſtus obtulit ſe pro omnibus, ſeu perſolvit pretium redemptionis pro omnibus: quidam putant ſenſum eſſe, perſolvit pretium quod ſufficit pro omnibus, non autem actu ſolvit pretium illud niſi pro redimendis electis: alii putant hanc expoſitionem incommodam, quia putant commentarium hunc verba ipſa deſtruere. Ea etenim putant ſequi, Chriſtum quidem habuiſſe pretium in numerato, quod perſolutum ſuffeciſſet omnibus redimendis; verum Chriſtum non perſolviſſe actu pretium illud, aut factum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi.

Tertio. Contravertitur de ſenſu horum verborum, totius mundi: quidam putant intelligi de ſingulis hominibus: alii de ſolis electis, (hic eſt ſanguis Novi Teſtamenti qui funditur pro multis in remiſſionem peccatorum) exponuntque hæc vocabula (totius mundi) ſicut Auguſtinus exponit, epiſt. 48. *Totus mundus eſt in maligno poſitus, propter zizania quæ ſunt per totum mundum: & Chriſtus propitiator eſt peccatorum totius mundi, propter triticum quod eſt per totum mundum.*

Quæritur ergo, an per totum mundum debeamus intelligere ſingulos homines, an ſolos electos; an vero nulla ſit danda explicatio; ſed retinenda ſint verba confeſſionis abſque ullo commentario.

CCCXXIX.

GEORGIUS

Epiſcopus Landavenſis

DUDLEIO CARLETONO

Legato Regis Magnæ Britanniæ S. P.

De diſſenſu inter Anglos, de extenſione gratiæ redemptionis.

ILluſtriſſime Domine, Ex diuturno ſilentio de argumento iſto, de quo D. T. ad nos univerſos nuper ſcribebat, colligere potuiſti, quam invitus de eo ſcribam. Nondum hactenus D. T. quicquam reſcripſi, mirantibus plurimum quibuſdam ex collegis meis, & aliud forte ſuſpicantibus; qui tamen jam, vix dubito, quin ſerio mihi habeant fidem. Ne nunc quidem de eo ſcripſiſſem, niſi ſciviſſem me harum rerum rationem D. T. debere, non modo ex affectu, quo D. T. complector, verum etiam ex vocatione atque ordine quem tueris.

Tradituri judicium noſtrum de Articulo ſecundo, conſtitutis ante aliquot Theſibus, diviſimus laborem, ſingulique partem Theſium dedimus confirmandam. At collatis omni-

Ep. 330. credentiales, quibus Tacitus ab Aitſma, ut Synodi membrum, adſciſcebatur collegio Friſiorum, ſuccedens Meinardo, ſenion Eccleſiæ Leovardienſis nuper hic defuncto. In Synodo jusjurandum præſtitit, atque ita fuit admiſſus. Alſtedius, qui ſolus reſtat ex Theologis Naſſovienſibus, cum omnibus, juſſu Præſidis, facta eſſet audiendi copia, defendit decem argumenta, quibus Contra-remonſtrantes in Collatione Hagienſi utuntur, ad ſtabiliendam gratiæ irreſiſtibilitatem, adverſus omnes objectiones, exceptiones, ac illationes, Remonſtrantium. Præſes nobis indicavit, die Lunæ hora nona fore ſeſſionem, in qua initium fieret legendi prolixum librum Remonſtrantium, quem nuper tradiderant; atque addidit porro, tradidiſſe quoque illos ſuam declarationem ſuper Articulo tertio, quarto, & quinto, ſed ſine ullis probationibus ac vindiciis: denique dixit, Deputatos imperaſſe illis, ut quicquid vel poſſent vel vellent dicere ſuper quinque articulis, id omne intra octiduum in medium proferrent. Quia duo Remonſtrantes Campenſes, quibus expreſſe injunctum fuerat ut adeſſent, non comparebant, Præſes petiit ut Synodus cogitaret de pœna ad hanc contumaciam puniendam. Primum lecta fuit Voskulii, unius ex duobus illis Remonſtrantibus, epiſtola, qua ſuam abſentiam excuſabat, tribus de cauſis: tum quod Eccleſia ut venirent non ſinebat, quoniam, ſi ambo Synodo adeſſent, nullus eſſet qui concionaretur: tum quod, cum jam eſſet in itineris procinctu, retentus eſſet lacrymis ac precibus cujuſcumque ſexus, ætatis, & generis hominum, puerorum, puellarum, herorum, famulorum, matronarum, ancillarum, juvenum & ſenum; denique miſiſſe ſe duos ad Synodum, qui pro ſe verba facerent, ac proinde ſe petere, ut liceret horum verbis ſeſe defendere. Dein lecta fuit epiſtola Latina, à ſenioribus ejuſdem Eccleſiæ miſſa, mire longa, ſed inepta & rerum inanis, ita ut facile appareret ſcriptam eſſe à putido quodam eruditionis oſtentatore, qui magno conatu magnas nugas agens percurſitaverat omnia argumenta trivialis Rhetorices. Hæc epiſtola eaſdem rationes continebat abſentiæ miniſtrorum, quas altera; & teſtabatur porro paratos jam fuiſſe miniſtros ad iter, ſed retentos per ejulatum & lacrymas largiter effuſas: petebat porro ſtylo plane furenti ut ipſa Synodus miſerandum hocce ſpectaculum ſibi ob oculos poneret, quo pacto ſcilicet tota civitas Campenſis, viri, feminæ, ſenes juveneſque ad pedes miniſtrorum provoluti jacerent, capillos evellentes, & pectora tundentes, dum planctus cœlo tollitur, dum oculi præ lacrymis turgent, & cor dolore liqueſcit. Atque ſic quidem muliercularum more, & verbis à viro non referendis rationem reddebat abſentiæ paſtorum, de quorum doctrina, etiamſi ipſi abeſſent, ſatis judicari poterat, quoniam eadem eſſet, quam Remonſtrantes in Collatione Hagienſi defenderant. Animadvertendum autem eſt, Magiſtratus Campenſes, qui antea in gratiam citatorum ſcripſerant, jam nihil ſcripſiſſe. Tertio lecta fuit reſponſio Contra-remonſtrantium Campenſium, qui aderant, ut citatos acciularent, & rationes refellerent, quas epiſtola citatorum complectebatur. Primæ, quod Eccleſia ipſorum abſentiam non ferret, reſpondebant, Claſſem Campenſem proviſuram, uti cæteræ Claſſes providebant vicibus omnium, qui præſentes erant in Synodo: addebant porro, nullius proprium munus ipſum excuſare poſſe, quo minus citatus judici ſe præſentem ſiſtat. Secundæ, quod, dum ſtabant in itineris procinctu, retenti eſſent à populo, reſpondebant tumultuantem plebem non debere quemquam remorari, quo minus ad judicem veniat; maxime cum ſatis conſtet, ipſos citatos fuiſſe turbarum iſtarum auctores atque incentores, uti ſatis patet ex confeſſione multorum (quorum nomina erant expreſſa) qui cum vocati eſſent ut iſti tumultui intereſſent, id recuſaverant. Hi autem teſtabantur, citatos emendicaſſe ſubſcriptionem epiſtolæ, ad Synodum miſſæ. Tertiæ, quod miſiſſent, qui pro ſe verba facerent, reponebant rem eſſe inauditam alios rationem reddere earum rerum, quas ipſi docuerunt. His lectis Synodus rogabatur ſententiam. Deputati ita ſentiebant, nihil effici per iſta καταφύγια, (*effugia*) quo minus citati, ut pertinaces, condemnarentur, & ad tempus ſuis muneribus moverentur; ita tamen, uti, ſi intra quatuordecim dies à recepta Synodi epiſtola ipſi adeſſent, hoc decretum ratum ne eſſet; ſin minus, uti jam, & tunc, & omni tempore ratum firmumque maneret. Cæteri rogabantur, ut in diem Lunæ hocce negotium diligenter perpenderent, & eo die ſuas ſententias dicerent. Ep. 330.

Seſſio LXXXII. 18 Februarii. Lectæ ſunt XLIV. paginæ libri Remonſtrantium, quibus nihil continebatur præter reſponſum ad quatuor loca, quæ Contra-remonſtrantes in Collatione Hagenſi citaverant, ut probarent voluntatem Dei ad ſolos credentes ſalvandos, & incredulos ſub ira relinquendos, non eſſe totum decretum electionis aut prædeſtinationis. Numquam auditum eſt de ſcripto quopiam, æque tædioſo. Sacram Scripturam miſerandum in modum torquet, eamque in partes varias ſecat, ac nihil continet, quod non adimat potius cuiquam favorem, quam pariat.

Seſſio LXXXIII. Eodem die poſt meridiem. Synodus rogabatur ſententiam ſuper Remonſtrantibus Campenſibus, omneſque aſſentiebantur ſententiæ Deputatorum, quam ii dixerant in fine ſeſſionis LXXXI. exceptis ſolummodo Theologis Bremenſibus, qui ſuam ſententiam prolixe in ſcriptis tradebant, qua ut mitius ageretur ſuadebant, variis quidem & bene deductis rationibus. Cum ad Collegium

Pro-

Ep. 331. Professorum ventum esset, quamquam D. Polyander collegii nomine jam sententiam dixerat, Gomarus, qui palam inimicum Martinii agebat, petebat loquendi veniam, statimque progrediebatur ad ea refellenda, quæ Bremenses tradiderant; adeo ut ipse ac Martinius turpiter se darent, quod sane est contra dignitatem istiusmodi conventus. Adigor ut vere dicam, multos ex Provincialibus inhumaniter agere cum Martinio; quod omnes Theologi exteri ægre ferre incipiunt. Ipse est vir valde doctus & honestus, ac æque orthodoxus, quam quisquam totius Synodi, in omnibus articulis, excepto secundo, in quo, quando Canones condentur, plures, ut videbis, habebit sibi assentientes. Nihilominus, quoniam duros quosdam loquendi modos improbat, quos nemini cordato placituros existimo, adeo inhumaniter ipsum tractant, ut affirmare tibi possim, parum abfuisse, quin Synodo abiret, ac una ipsius Collegæ. Quantum dedecoris hoc allaturum fuisset auctoritati totius Synodi, facile quisque intelligit. Iniquius agunt Provinciales. Quamvis quis in fundamento aut substantia omnium quinque articulorum cum ipsis contra Remonstrantes sentiat; tamen cum pro orthodoxo non habent, si in loquendi modo dissentit. Interim si tu velles de hisce Præsidem monere, posset hoc afferre multum boni. Quid porro agatur in Synodo, Deo volente, alias audies.

Dordraci 18 Febr. 1619. [1] *Excell. V. dicatissimus*

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXXXI.

Clarissimo Doctissimoque Viro

D. SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

CLarissime D. Professor, collega conjunctissime, simul ac Dordracum reliqui, mihi redditus sum. Nam & illa, quæ me corripuerat febricula, evanuit, & simul nocturnum illud malum, quod toties vobis ridendi materiam præbuit, Ephialten vocant. Litteras tuas quod attinet, eæ humanitatis tuæ & affectus in me propensissimi testes sunt uberrimæ: sed uti hunc exosculor, ita illud tuum ὑπερβολὴν (*modum excedens*) de meritis meis, & præstitis vobis officiis judicium verecunde amolior. Opellam meam libens vobis commodavi, & dolet, quod diutius vobis adesse non licuerit: quanquam & sine me illa geri possunt, & singuli ad istius generis opera sufficiatis. Nulla mihi gratitudinis officia debetis, præter illud quod jam misistis, nempe honestam de collatis à me in commune bonum consiliis & operis testificationem. Aliud nec peto nec expecto. Calamum mercenarium non habeo, & sunt inter vos, quibus angustior domi res est, quam mihi, quibus decedere quidpiam nolim ut ad res meas accessio aliqua fiat. Scribis de inserta schedula, quam D. Coddæo tradam. Sed illam in litteris non offendi, forte in mensa tua reliquisti, aut exciderit necesse est. Eam mitte. Festinato opus est, nam rationes istæ propediem exhibendæ sunt DD. Curatoribus. De D. Bertio, quod scribis, factum omne est. DD. Curatores indies hic expectantur, quid acturi ignoratur. D. Vossius collega meus vos omnes bono animo esse jubet, & concors vobis omnibus ac imperterritum pectus ad finem usque esse optat. Unum hoc inquit adversariis terrori est & admirationi, quod concordes videant Remonstrantes, nec impendentium aut quæ intentantur malorum metu affici. Ego hic vestram causam, non minus quam si vobis adessem, ago; sed ignorare vos hæc satius est. Fratribus omnibus salutem meis verbis officiose dicito, nec non hospiti & hospitæ. Vale, & Atlantem porro age, qui axem illum quinquarticularem humeris tuis fulcis, & jam aliquoties Hectoreo animo ignes injecisti Græcorum classibus, & iis,

Quæ nunc cuncta malis habitantur mœnia Grajis.

20 Febr. 1619.

CCCXXXII.

STEPHANO DE REYGER

CONRADUS VORSTIUS S.P.

NObilissime Vir: Spero postremas meas Doct. Huberto inscriptas (quibus & aliæ quædam insertæ erant) recte ad vos pervenisse; quia tres jam septimanæ sunt, ex quo misi. Responsum vero interea nullum vidi, quod tamen enixe petieram, maxime de Principe illo, qui receptionem illic mei dissuaserat; quisnam sit, & an, & quidnam ei responderitis. Nostræ res eodem loco sunt, quo nuper: nisi quod indies è Remonstrantibus Ecclesiastis plures passim loco moventur. Quæ iniquitas, ut & alia id genus complura, zelum nostrorum non minuit, sed auget. Synodus suo more pergit, & nostrorum doctrinam ex scriptis ipsorum examinat, sed frigide, atque ut plurimum inepte. Putant quidam, exteros ante Pascha dimittendos, alii contra ad trimestre adhuc retinendos. Ego in horas dimissionem mei exspecto, sed qualem, nescio. Martinio Bremensi scripseram, qui & respondit, sed non ex voto meo & bonorum. Video prorsus ab hac secta nobis secedendum esse: quod nihil æquum ac moderatum ab ea sperari possit. Forte post sub cruce major & pietas nostra erit, & prophetiæ libertas, modo ne in exilium pellamur. Sed sic quoque Deo confidemus, & causam veritatis non deseremus. Ecclesiastæ Trajectini nostræ partis ante triduum omnes

by Google

Ep. 333. omnes loco moti sunt, nulla rei causa reddita. Sic agitur nobiscum. Sed Deus vivit, qui hæc videt, & judicabit. De filiis meis scire cupio, an meo sumtu illic alendi mihi sint: & quid affinis Cancellarius hac in re præstare velit, &c. Non enim potero, stipendio privatus, sumtum in illos facere, nisi perexiguum. Vale in Domino, nostri semper memor in precibus tuis. Illustri hero tuo officia nostra, & amicis omnibus salutem adscribimus, etiam filiis nostris, quos moneri peto, ut per occasionem nobis scribant. Exspecto responsum tuum ad has & nuperas nostras litteras à Doct. Huberto: rogoque vos amanter, ne mutatio fortunæ nostræ animum erga nos vestrum immutet. Goudæ 21 Febr. 1619.

CCCXXXIII.

DUDLEIO CARLETONO

Regis Magnæ Britanniæ Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De Silvande, Scultetı & Gomari conflictu cum Brem. Synodo.

BEnignissime Domine, Post nuperas ad te datas, nihil ferme in Synodo peractum, quod scriptu dignum est, excepto quod lis videatur magis magisque exardescere, ut in flammam videatur cruptura; nisi oportuna remedia adhibeantur. Quod circa negotium Bremensium statuit Synodus in illorum contumeliam, in eo apud eos meo judicio parvam gratiam inibit.

Sessio LXXXIV. 19 Febr. stylo novo. Lecta fuit illa pars libri Remonstrantium, quæ tertium & quartum articulum concernit, siquidem hi tunc temporis sub examen vocarentur. Lectæ sunt paginæ quinquaginta septem, quæ nihil fere præter duros loquendi modos continebant, ex Calvino, Beza, Zanchio, Piscatore aliisque Contra-remonstrantibus collectos.

Sessio LXXXIV. die 19 Febr. post meridiem. Acronius & alter quispiam ab Ecclesia Campensi ad impugnandum causam Remonstrantium illic degentium delegati, intro vocati sunt. Decretum Synodi adversus eorum adversarios iis prælectum fuit, cujus summam in literis postremis Nobilitati Tuæ indicavi. Præses deinde D. Gomarum rogavit, ut suam de tertio & quarto articulo sententiam diceret, quod ipsi in sessione præcedenti angustia temporis impeditum fuerat. Prius vero Sybrandus à Præside veniam oravit paucula illis, quæ pridie differuerat, adjiciendi. Quæ addebat, haud alio inserviebant, quam ad certamen illud, quod ipsi in ultima sessione cum Martinio inciderat, renovandum. Narrabat se hospitium Goclenii adiisse, variosque cum ipso sermones miscuisse de propositione illa, an Deus causa physica humanarum actionum dici posset. Proferebat in medium theses aliquot Goclenii, quæ sententiam negativam tuebantur. Cætera ne fides ipsius vocaretur in dubium, ad Goclenium illic præsentem provocavit, qui suo testimonio dictis ipsius pondus addidit. Porro cum Martinius locum ex Paræo pro sententia affirmativa in opere conversionis citavisset, Sybrandus ex eodem Paræo plurima loca pro sententia contraria prælegere, & (quanquam nulla ante hoc tempus ejus quæstionis facta mentio fuerat) collegas Paræi, Theologos Palatinos (appellans nomen singulorum) rogare cæpit, ut mentem Paræi de hac propositione aperirent. Ad hoc Scultetus præmeditata oratione, quam etiam in scriptis habebat, respondit, adeo virulenta, ut meas juxta ac omnium, ut opinor, exterorum aures vehementissime offenderet, viroque tanti nominis indigna videretur. Argumentum orationis erat, se probe nosse, Paræo sententiam menti ipsius plane contrariam in Synodo affingi; ægre se animo audire, carissimi sui Collegæ opinionem tantopere à nonnullis detorqueri; præterea te gravissimum dolorem suum dissimulare non posse, ex eo conceptum, quod puram Theologiam tricis scholasticis fœdari à quibusdam animadverteret: hoc eos agere, qui Deum (id Martinium tangebat) caulam physicam conversionis statuerent, illisque vocabulorum portentis uterentur, determinare & non determinare voluntatem: nonnullos eo audaciæ progressos esse, ut affirmare non verentur, dubia quædam in quarto articulo supereſſe, quæ nec Calvinus ipse, nec alii inter Reformatos magnæ eruditionis doctores plane solvissent; metuendum nunc, ne tales Theologiam Jesuiticam in Ecclesiam Reformatam invehere, juventamque ipsorum fidei commissam perversa Theologia corrumpere vellent. Verba hæc postrema D. Crocium spectabant. Scultetus sane mentem suam maxime virulentis & odiosis verbis aperuit, ita quidem, ut sententias, quæ maxime acerbæ erant, bis repetierit. Postquam ille sermoni finem imposuit, Martinius summa cum modestia respondit, primo, se ipsa Paræi verba legere velle; quod fecit: deinde quod ad Sybrandum, se summopere mirari, quod controversiam hanc in medium proferret, cum eodem ipso die, studio pacis ductus, collegam suum Crocium ad ipsum misisset, cum longa explicatione sensus quo propositionem illam tradiderat: qua explicatione Sybrandus ipse se plane & plene contentum professus erat: speraſſe se, nullam hac de re litem amplius futuram. Nullum sub hoc tempus Crocius verbum protulit. Gomarus accingebat se ad dicendum sententiam. Verum ejusmodi proferebat orationem contra Bremenses, quam à nemine niti ab insano proficisci posse putem. Quoniam autem solutionem illius dubii postulasset Martinius, qui Deus ab homine, cujus potentia finita est, fidem, quæ opus omnipotentiæ est, exigere

Ep. 333. poſſit, hunc que nodum nec à Calvino nec quopiam noſtrorum Theologorum plane ſolutum fuiſſe dixiſſet: primo reſpondit, talia dicentem haud dignum eſſe qui Calvino corrigiam ſolveret: deinde quod nodum ipſum attinet, adeo parvi momenti illum eſſe, ut ipſi pueri in trivio illius ſolutionem decantare poſſent. Ad hæc verba unuſquiſque ſubriſit. Præterea quia Martinius reſpondens Sculteto ne verbum quidem contra ipſum dixiſſet, niſi hoc unicum, quod doleret, ſe, qui jam per annos viginti quinque Theologiam profeſſus erat, ob phralem Scholaſticam tam indigne excipi; ſatis prompte ad hoc Gomarus retulit, (ſi annorum numero certandum eſſet) ſe jam per annos viginti quinque non ſolum, ſed per annos triginta quinque Profeſſorem egiſſe. Poſtea in Crocium invectus orabat Synodum ut ſibi à talibus caveret, qui hæc monſtra & portenta vocabulorum ac ſcholaſticos barbariſmos inveherent, Deum determinare & non determinare voluntatem. Hæc & ſimilia oculis adeo flammantibus & pronuntiatione adeo ſuperba, evomuit, ut quiſque miraretur, quod Præſes ipſum non abrumperet. Sponte tandem abrupit, ſpiritus, ut opinor, defectu. Præſes autem celeberrimo Doctori Gomaro ſummas pro erudita, gravi, comptaque oratione gratias egit. Summam id exteros in admirationem rapuit; tandem vero Epiſcopus Landavenſis gravi, ſuccincta, dulcique oratione (qua æternam apud noſtros omneſque exteros laudem meruit) Præſidem affatus eſt, dicens, hanc Synodi diſquiſitionem ædificationis gratia, non vero ad oſtendendum contentionis ſtudium inſtitutam eſſe; ſe vinculum concordiæ haud libenter ruptum videre velle. In hac oratione ſua Reverendus Epiſcopus neminem nominatim perſtrinxit. Attamen vix finem dicendi fecit, quin furibundus Gomarus criminis conſcium ſe agnoſcens, in hæc verba erupit: Reverendiſſime D. Præſul, agendum eſt hic in Synodo non autoritate, ſed ratione: licitum ſibi fuiſſe, dicebat, ſuo loco ſententiam ſuam dicere, ſeque ab hoc propoſito nullius autoritate abſterreri ſe paſſurum. Ad hoc Reverendus Vir ſubtucuit, dicente Præſide, celeberrimum D. Gomarum nihil contra perſonas ſed contra eorum opiniones dixiſſe, nullaque adeo eo nomine cenſura dignum eſſe. Juſtam id cuilibet anſam ſuſpicandi præbuit, Præſidem in eodem negotio cum Gomaro conſpirare. Martinius contra Gomari orationem nihil dixit: queſtus eſt ſolummodo, quod hoc longi itineris ſui præmium referret. Thyſius (ubi ad eum ordo diſquirendi pervenit) animo, quo erat, moderato animi ſui dolorem teſtatus eſt, eo quod Martinium tam indigne exceptum vidiſſet ob modum loquendi, qui juxta explicationem ipſius Martinii veritati prorſus conſentaneus foret. Hæc dicenti Thyſio Gomarus & Sybrandus, qui proximi ipſi aſſidebant, pallium vellicarunt, iratoque vultu in conſpectu totius Synodi ipſum ob hæc dicta increparunt. Inde Thyſius magna cum modeſtia Martinium oravit, ut ſibi circa dubios quoſdam loquendi modos, quas protulerat, ſatisfaceret; quod Martinius, actis ipſi pro humanitate gratiis, abunde fecit. Præſidem hoc in certamine adverſarium Martinii fuiſſe certum eſt, indeque colligi poteſt, quod eodem illo tempore cenſuram omnium durarum phraſium, quibus uſus fuerat Martinius, ex charta publicè prælegerit. Admiratione digna per id tempus omnibus patientia Crocii videbatur, qui etſi multis modis dehoneſtatus & laceſſitus eſſet, ſuis affectibus tamen illud frænum injecit, ut ſiluerit. Quorſum hoc negotium videatur evaſurum, poſtea ubi ſeſſionum narrationem fecero, expediam. Ep. 335.

Seſſio LXXXVI. 20 Febr. Lectæ ſunt ex libro Remonſtrantium ſexaginta tres paginæ, quæ quintum articulum ſpectabant, & nihil aliud fere niſi refutationem Doctorum continebant, quorum ante mentionem feci.

Seſſio LXXXVII. Eodem die poſt meridiem. Doctor Mayerus, unus ex Helvetiis, in conventu publico auditorum qui in Synodum admiſſi erant, quintum articulum de perſeverantia diſcuſſit, & oratorem potius quam Theologum Scholaſticum ſe geſſit.

Seſſio LXXXVIII. 21 Febr. Lectæ ſunt publice ex libro Remonſtrantium ſexaginta paginæ quintum articulum ſpectantes, & nihil aliud quoque præter refutationem eorundem virorum continentes.

Seſſio LXXXIX. 22 Febr. Lectæ ſunt quinquaginta ſeptem paginæ libri Remonſtrantium, in quibus ſuam de reprobatione ſententiam explicant, & duriſſimas multorum ex noſtris de ea opiniones proponunt; quas ſi Synodus pari modo ac opiniones Remonſtrantium non condemnet, non video quo pacto æquitatem ſuam mundo probaverit. Inter ea quæ lecta ſunt, hoc quoque eminet, quod Nobilitatem tuam ſine dubio maxime offendet: *Inſtant Contra-remonſtrantes, nos ſumus patroni reproborum. Reſpond. juſtitiæ divinæ patroni ſumus, non reproborum; ſicut dicendum eſt, D. Sibrandum in ſcripto ſuo adverſus Verſtium non ſuſcepiſſe defenſionem latrinarum, dum defendit Deum eſſe in fœtidiſſimis latrinis; ſed tantum ſuſcepiſſe defenſionem omnipræſentiæ divinæ, quemadmodum nos juſtitiæ.* Hoc inter lecta maxime notatu dignum eſt.

Seſſio XC. Eodem die poſt merid. Deodatus ad habendum de quinto articulo ſermonem deſignatus erat, ſed ipſo decumbente Profeſſores Belgici provinciam eam ſuſcepere.

Seſſio XCI. 23 Febr. Triginta quinque paginæ ex libro Remonſtrantium de reprobatione lectæ ſunt, & ſic ad finem totius libri perventum eſt.

Jam vero, mi Domine, quod negotium Bremenſium attinet, ita læſos ſe exiſtimarunt, ut jam in animum induxiſſent domum proficiſci,

Ep. 333. ciſci, & jam parati eſſent apologiam pro ſe ſuisque actionibus, facta que ſibi à Synodo injuriæ narrationem in lucem edere, niſi exteri quidam Theologi ſe ad Anglos conferentes, opem illorum ad tollendam hanc controverſiam imploraſſent. Exteri omnes hæc duo ægre ferebant: primo, quod peregrinos tantis contumeliis affectos viderent ob duos modos loquendi, qui ambo in ſcholis perquam uſitati eſſent: deinde, quod Gomarus publice in Synodo auſus fuiſſet tam irreverenter reſpondere Epiſcopo Landavenſi. Quod ſi hac de injuria exteris omnibus (excipio Palatinos) non ſatisfiat, metuo ne in Synodo turpis tumultus oriatur. Orabant Anglos ut omnem operam navarent ad Bremenſes cum Sculteto reconciliandos. In hoc opere ſunt hac veſpera occupati. Quid profecturi ſint, Nobilitas Tua brevi audiet. Mihi certe parum ſpei de ſucceſſu hujus operis reſtat, ſiquidem Bremenſes non niſi publice ſatisfieri ſibi cupiant, quoniam profeſſio & ſchola ipſorum publice corruptæ juventutis inſimulatæ eſſent. Scultetum autem ad publicam ſatisfactionem tardum fore credo. Attamen Epiſcopus Landavenſis, Doctor Goadus & egomet ipſe Scultetum allocuti ſumus, ipſumque facilem invenimus. Doctores Davenantius ac Wardus Bremenſes convenerunt, eoſque valde offenſos iratoſque invenere. Martinius ab illo tempore, quo tam inhumane exceptus fuit, nunquam in Synodum venit, ſed ſimul cum Collegis ſuis querelam ſuam coram Delegatis inſtituit, quos Gomarum in ordinem redacturos puto. Nos Angli ſtatuimus (an in propoſito perſtituri ſimus, neſcio) orare Delegatos, ut inflictam à Gomaro Epiſcopo Landavenſi contumeliam cognoſcant. Duo ſcilicet in Synodo viri ſunt, mi Domine, Sibrandus, & Gomarus inprimis, ad omnia in Synodo turbanda diſſidiiſque replenda nati, ni tempeſtivis remediis coërceantur. Quin Gomarus ſummam Bremenſibus injuriam fecerit, & Epiſcopum Landavenſem in eoque totum Collegium Anglorum ſummopere læſerit, nullus opinor inficias iverit. Multum proculdubio ad extinguendum incendium hoc adferet Tua Nobilitas, ſi conſilio ſuo Præſidem adjuverit. Parvus hic in Synodo libellus væno expoſitus eſt, Jambi de concordia & pace, à Petro Bertio, auctore libri de Apoſtaſia Sanctorum, conſcripti. Cum libellus hic jam diu prodiiſſe dicatur, miror Ordines, ſi illum viderint, in autorem non ſevere animadverſiſſe. Satyram ſeditioni excitandæ adverſus ſtatum hujus reipublicæ magis aptam nunquam legi. Hæc ſumma eorum quæ ſcribenda mihi erant, quanquam tam multa ſcribendi materiem mihi datam fuiſſe doleam. Finem itaque facio, oblatoque Nobilitati Tuæ, cariſſimæque conjugi tuæ, humillimo ſervitio, maneo

Dordr. die 23 Febr. ſtylo novo. *Tuæ Nobilitati fidelis & ad omnia officia promptus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXXXIV.

GEORGIUS

Epiſcopus Landavenſis

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

De confuſa & diſſenſu Anglorum ſuper articulo ſecundo.

REverendiſſime atque optime Domine, Quæ hactenus geſta ſunt in Synodo, ad Gr. T. perſcripſimus. Nuperrime orta eſt contentio iniquiſſima inter Bremenſes, & quoſdam è Provincialibus Theologis; in qua Provinciales Scultetum ad ſuas partes pertraxerunt. Neutri carebant culpa, ſed major à parte Provincialium. Nos non inutilem operam dedimus, ut litem componeremus. Quod attinet res iſtas, de quibus nuper ad Gr. T. ſcripſimus, cupimus eas inter nos componere, ſi modo poſſumus. Feciſſemus ante, ſi quidam ex collegis meis perſuaderi potuiſſent, ut eorum, quæ exhibuimus, mutaremus nonnulla: licet enim omnibus mutare, quicquid videtur. Urgebam ego Collegas, ut mutarent ſaltem ea, quæ offendiſſent Præſidem; ſed ex iis unus mihi reſpondit, ſe ſibi dextram malle præcidi, quam mutare quicquam. Controvertia hæc nos vexat; utrum admittere liceat, gratiam redemptionis generalem obtigiſſe omnibus hominibus ſine exceptione? De quo argumento ex Collegis quidam multa ſcripſere, progreſſique ſunt ulterius, quam nobis ſequi licuit. Ego reſcidi omnem illum locum, qui probat gratiam generalem; antequam ſcripta noſtra exhiberentur. Id conſciis quidem illis, nec invitis, feci; verumtamen vereor, quum de hoc argumento in Synodo diſputabitur, ut perſuaderi poſſint, ut de eo ſileant. Quod ſi Gr. T. eos privatim moneat, facile ſe continebunt. Ego interim diligenter curabo, quicquid ad pacem facit, & conſenſum. Vivimus in ſumma conjunctione, & ſocietate, licet opinionibus diſſentiamus. D. O. M. Gr. T. in ſalutem Eccleſiæ diu ſervet incolumem.

Dordraci $\frac{1}{11}$ Jan. ††††. *Gr. T. ad omnia officia devotus*

Verſa ex Anglico. G. LANDAVENSIS.

CCCXXXV.

Theologi Britanni

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI S.P.

Confuſio eorum ſuper articulo ſecundo.

REverendiſſime Domine, Nuper quidem ex ſuggeſtu quorundam, quos merito veneramur, auſi ſumus Gr. T. judicium conſiliumque per communem epiſtolam petere de doctrina, quam Eccleſia noſtra tuetur de generali pretio mortis Chriſti. Nunc vero vi-

ed by Google

Ep.336. sum fuit nobis magis esse ex officio nostro, ut Gr. T. super ea re non interturbemus, nec ei super hoc articulo scrupulum moveamus aut difficultatem; siquidem in id convenimus, quod Ecclesiam nostram minime offensurum putamus, maxime vero conducere persuasi sumus paci harum Ecclesiarum. Itaque ne porro displiceat Gr. T. nos relinquere nobis ipsis, ut nostro marte Theses nostras explicemus ac defendamus, nec sibi fumat Gr. T. quicquam negotii, nisi si quid sapientiæ tuæ videbitur privatim consulere: quod lubentissime sequemur quantum feret occasio, cum ea reverentia quam debemus Gr. T. judicio mandatisque. Processum & particularia quædam acta rei nostræ Synodicæ, post postremam nostram narrationem, nunc misimus, data opera abstinentes à quibusdam rebus, quas fidei & prudentiæ commisimus hujus internuncii, quum nobis significaret sibi in animo esse propterea salutare ædem Lambethanam. Etenim, quia putavimus, relationes nostras de actis Synodicis, quas ad Gr. T. curamus deferendas, deferri quoque ad Regem, nec tutum putavimus, ut is singula resciscere, quæ hic geruntur; visum nobis fuit quædam ex illis reticere ac dissimulare: quod ut hactenus circumspecte observavimus, ita imposterum quoque cum delectu sumus scripturi, nisi aliud Gr. T. videatur nobis præscribere. D. O. M. Ecclesiæ nostræ & hisce largiatur pacem: Tuæ Gratiæ prosperitatem, cui obsequia nostra humillime commendamus

28 Febr. 1618. Stylo novo. Dordr. Batav.

Georgius Landavensis.
Johannes Davenantius.
Samuel Wardus.
Thomas Goadus.

Versa ex Anglico. *Gualterus Balcanquallus.*

CCCXXXVI.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato.

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

Remedo contentio inter Gomarum, &c. & Brunsfir compositio fit.

BEnignissime Domine, Cum maximas tibi pro postremis, quas ad me dedisti, literis, obviisque in iis comprehensis, gratias habeam, tum imprimis ego cum omnibus, qui paci student & optatum hujus Synodi exitum desiderant, devinctum tibi me profiteor, ob literas ad Præsidem scriptas, consilio moderato, fideli & perquam necessario refertas, unde desiderabilem, quoad hic manemus, ad nos fructum redundaturum spero, sicut ejus gustum haud spernendum jam percepimus. Enimvero literas tuas Præses vix acceperat, quin proximæ sessionis initio verbis admodum mollibus & humanis singula Synodi membra oravit, ut dum ad articulum quintum discutiendum se accingerent, ab omni verborum Ep.336. acrimonia & censura personarum sibi caverent, legesque fraternæ caritatis & mansuetudinis observarent. Diligenter ad monitionem illam duo Professores Belgæ attenderunt. Adeo enim in inquirendis controversiis stylum suum ac dicendi modum mutarunt & temperarunt, ut facile esset colligere, ipsos salutare tuarum literarum consilium probe cognitum habuisse ac secutos. Certe quod pacis hujus auctor fueris & procurator, ingenti absque lætitia meminisse non potes. Ego vero publicæ salutis inimicus sim, si quicquam eorum quæ hic fiunt, tibi occultem, qui tam feliciter eos qui à recto tramite aberrant, in viam reducere noris. Ratio quod tamdiu non scripserim est, quod nova scribendi materia defuerit. Nihil jam in Synodo contingit memoratu dignum, nec continget nisi sub finem sequentis septimanæ: cum omnium collegiorum de quinque articulis judicia prælegentur. Exigui momenti sunt, quæ jam ventilantur, & rerum quarundam disquisitionem tantum, non vero actiones & negotia spectant. Ne tamen officio meo scribendi deesse videar, ecce, quæ de sessionibus post ultimas meas habitis annotavi.

Sessio XCII. 25 Febr. In Synodali disquisitione tertii & quarti articuli perreximus, eaque in sessione finis ejus factus est. Amplas deinde Præses theses dictavit, nosque illas descripsimus ex libro Remonstrantium de quinque articulis collectas.

Sessio XCIII. 26 Febr. Postquam Remonstrantes jussu Delegatorum defensionem suæ sententiæ de secundo articulo tradiderant, lectæ novi ejus voluminis LVI paginæ sunt, in quibus illam distinctionem sufficientiæ & efficaciæ mortis Christi evertere conantur, & probare locos illos Scripturæ sacræ, qui Christum pro peccatis totius mundi mortem obiisse dicunt, ad mundum electorum restringi non posse.

Sessio XCIV. 27 Febr. Lectæ porro publice sunt LIII paginæ ejusdem super secundum articulum libri Remonstrantium, in quibus argumenta sua in collatione Hagiensi proposita ab instantiis & exceptionibus Contra-remonstrantium vindicare student.

Sessio XCV. Eodem die post merid. Durante morbo Deodati qui ad discutiendum hac sessione primum articulum erat designatus, collega ipsius Tronchinus vices ejus supplevit, & omnibus auditoribus in Synodum admissis magna cum laude publice sanctorum perseverantiam stabilivit.

Sessio XCVI. 28 Febr. Lectioni libri Remonstrantium super secundum articulum coronis imposita est, lectis circiter LIV paginis, quas reliquis suis argumentis, ab exceptionibus Contra-remonstrantium in collatione Hagiensi, vindicandis impendunt.

Sessio XCVII. Eodem die post merid. In Syno-

Ep.336. Synodali inquisitione ad tertium articulum progressi sumus, qua occasione quilibet ex nostro collegio copiose disseruit, præcipue vero Episcopus Landavensis, qui oratione sua eximia & limata summam sibi in hac sessione gloriam pepetit. Quin exemplar illius missurus tibi sit, nequaquam dubito. Cum primum illam legeris, videbis eam encomio meo non egere. Nunquam illum (mihi crede) tam egregie loquentem audivi. Stylus ejus (judicio totius Synodi) doctus, pius, masculus erat. Quicquid dixero, minus erit. Ordo disquirendi ad Helvetios pervenit.

Sessio XCVIII. 1 Martii. Pervenimus in Synodali disquisitione ad quintum articulum. Duo aut tres Theologi hac in sessione orationis illius quam Episcopus Landavensis heri habuit, honorificam mentionem fecere. Ordo disquirendi ad Gelros pervenit.

Hæc summa eorum quæ hic peracta sunt, mi Domine: si quid porro memoratu dignum eveniat, illud uti cognoscas faciam. Cæterum si stilus rudis, & ipsa Scriptura sit incompta, quæso id angustiæ temporis & magnæ aliorum negotiorum moli imputes, quæ etiam negligi haud possunt. Sopiendæ controversiæ, quas Bremenses cum Sculteto & aliis duobus Professoribus habuere, Præses & Delegati tandem vacarunt. Bremenses se pacis amantes & privata satisfactione contentos fore declararunt. Reliqui tresaperte dixerunt, se minime pravam de illis opinionem fovere, imo se illos pro eruditis, religiosis & orthodoxis Theologis habere, se criminis contra ipsos commissi pœnitentia duci, nec quicquam simile illi posthac commissuros. Bremenses, ut ex nostris aliquis satisfactioni illi præsens esset, optarunt. Altera vero pars neutiquam in id consentire voluit. Monitus fuit Gomarus, ut injuriam Episcopo Landavensi illatam repararet, suumque dolorem testaretur, quod verba quædam sibi contra ipsum in Synodo imprudenter excidissent. Attamen delirus senex ad Reverendum Virum nondum venit. Spes jam affulget, nos porro in pace victuros, quam nos magna ex parte tibi debere libenter confitemur. Etsi Generales Ordines decreto publico sanxerint, nequis, durante Synodo, libellos famosos excudat, nuper tamen libellus seditiosus in lucem prodiit, belgico idiomate conscriptus, nomine scriptoris & typographi latente. Continet is varias actiones, quas Synodus, inprimis Delegati ejus, contra Remonstrantes instituerunt, & scriptus est solummodo ad plebem perversa de Synodo opinione imbuendam. Exemplaria publice non venduntur, sed iis tantum, qui parti Remonstrantium favent, mittuntur. Totum hunc diem consumsi ut exemplar aliquod mihi comparare tibique mittere possim. Hactenus nullum inveni: est tamen aliquis qui exemplar promisit, sed forsan his diebus jam vidisti. Si fidem mereantur literæ quas ex Anglia accepi ab eo qui proba meo judicio ejus rei notitia instructus est, vereor ne pars illa, cujus in fine epistolæ tuæ meministi, succumbat. Quo digniorem in regno locum obtinet, eo majori studio ab adversariis ambietur. Quod de Magistro Pakkero narratur, mera conjectura est. Nomen tuum ea occasione sæpius per ora aulicorum volitat. Utinam id æque verum sit ac voto ardenti à me expetatur. Finem scribendi facio Ep.337.

Dordr. 1 Martii 1619. *Nobilissimo tuo nomini devotissimus & ad omnia officia promptus*

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXXXVII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De lectione judiciorum Synodalium.

QUamvis utique nostra Synodus justam scribendi causam non habeat, omnis enim audiendo occupata, tamen quod mei est officii negligere nequeo, quominus scias quomodo tempus transigatur.

Sessio nonagesima nona 17 Martii. Præses totam Synodum invitavit ad prosequendum funus Nobilis Tigurini Staffurii, qui Tigurinis Theologis in itinere comes fuerat, in horam crastini undecimam. Hilaris porro admodum Præses dicebat Synodo, se novi quid per Magistratum Campensem resciviſſe, quo indicabant se acquiescere ultimo Synodi decreto, quod erat de suspensione suorum citatorum ministrorum, ejusque continuatione, si post novam commonefactionem spatio quatuordecim dierum abessent: se omnem operam adhibere velle quo magis compareant: quod si negando persisterent, se commorandi locum illis non daturos, nec eos defensuros amplius, uti antea feciſſent. Præterea se debita reverentia exspectare Synodi decreta, de dogmatibus religionis nunc temporis controversis, quibus se totos submittere cupiebant, suoque obedientiæ exemplo adhortari & movere, quantum in se esset, divisum suum populum. Interim cura cœtuum non esset in causa, quominus eorum citati Ministri comparere possent; quia, quamdiu abessent, curam gererent ut eorum munera, & in lectione, & in prædicatione verbi, alii obirent. Dicere coactus sum, hasce literas longe abfuisse ab illis, quas antea in favorem Remonstrantium dare assueverant. Præterea dicebat Præses, D. Altingium Theologum Palatinum Heidelberga attulisse feriis Paræi literas ad Synodum, una cum libro scripto, qui continebat sententiam ipsius super quinque controversis articulis, quas post Synodales disquisitiones confestim lectum iri dictitabat. Aggredieba-

Ep. 337. mur diſquiſitionem Synodalis judicii ſuper articulo quinto; in quo Provincialium aliqui quid obſervaverant, quidam non: & ſic hæc ſeſſio noſtræ diſquiſitioni ſuper articulo quinto facile finem impoſuit.

Poſthæc Epiſtola Paræi ad Synodum legebatur: hæc ejus ſumma eſt: & quia linguæ Anglicæ adeo non ſum peritus, qui eam vertere auſim, eam tibi Latinam mittere malo.

» Quantum doloris & lacrymarum ſentiebamus hic omnes jam per aliquot annos, ex fiendo illo ſchiſmate & diſſidio quod Eccleſiam veſtram florentiſſimam laceravit, tantum etiam & nunc gaudii & gratulationum experimur, ex coactione celeberrimæ hujus Synodi, cujus ope & ſaluberrimis conſiliis ſperamus altiſſimum hoc vulnus ſanatum iri. Quantam gloriandi materiam dederit Pontificiis veſtrum ſchiſma, palam eſt omnibus: illis ut Synodus os obſtruat, poſſitque hoc Eccleſia veſtra incendium reſtinguere, pacemque veſtram nimis collapſam reſtituere, illud eſt quod ſicut à vobis exſpectant boni omnes, ita & à Deo Opt. Max. omnibus precibus expetunt. O utinam daretur mihi in ultima jam ſenectute venerandam hanc Synodum conſpicari! Verum cum illud ætas mea mihi deneget, tametſi Doctiſſimi mei Collegæ meas vices ſupplebunt, viſum tamen fuit mihi meam quoque de ſupramotis illis quinque articulis ad Reverentias veſtras ſententiam perſcribere, & una cum Eccleſia Reformata meam quoque ὁμοψηφίαν (*conſenſum in opinione*) teſtatam facere. Videbitis me hic conditionatam electionem rejicere, reprobationem una cum D. Calvino paſſim, præſertim Inſtitutionum libro tertio, ad vitioſitatem referre. Si minus fortaſſis quam par eſt Prædeſtinationis myſteria pertractavero, illud putate conſulto factum eſſe: Sunt enim illa adoranda magis quam diſcutienda. Solitam & receptam, de merito mortis Chriſti, diſtinctionem, puta ſufficientiæ & efficientiæ, videbitis me retinere: diſtinctionem illam de reſiſtibilitate & irreſiſtibilitate gratiæ divinæ, velim ad auctores ſuos, puta Jeſuitas, relegari. Heterodoxa illa de Apoſtaſia ſanctorum ſententia ſeipſam jugulat. Det Deus, ut in omnibus orthodoxam doctrinam retineatis, & pacem unice ſectemini. Subſcriptio fuit: Reverentiarum veſtrarum obſervantiſſimus David Paræus ſeptuagenarius ſcribebam manu propria. Hæc fuit ſumma Epiſtolæ, & iſtius ſeſſionis finis.

Seſſio centeſima: 5 Martii. Palam lectum Paræi judicium ſuper primo & ſecundo articulo; ubi accurate de utroque diſputabat contra ſententiam Remonſtrantium, aliquot paginis perpendens & approbans ſolitam diſtinctionem ſufficientiæ & efficientiæ, mortis Chriſti.

Seſſio centeſima prima eadem die poſt meridiem. D. Martinius Bremenſis à Præſide palam rogatus, omnibus auditoribus admiſſis, ianam & concinnam, de vera Chriſti divinitate, habuit orationem, in qua ejus omnipræſentiam præſertim probare annitebatur: ſe opponens Vorſtio, reſpondenſque ad omnia illa loca, quibus, in libro ſuo de Deo, Chriſti omnipræſentiam in dubium vocat. Ep. 337.

Seſſio centeſima ſecunda 6 Martii. Publice legimus D. Paræi judicium ſuper tertio quarto & quinto articulo: de quibus teſtari cogor, ipſum accurate, ſanè, bonaque methodo rem propoſuiſſe, magna ſubtilitate diverſiſque rationibus convellens opiniones Remonſtrantium de reſiſtibilitate gratiæ & apoſtaſia Sanctorum. Incredibile fere, iſtam cognitionem vegetumque adeo judicium potuiſſe inveniri in tam provecta ſenectute. Dicebat nobis Præſes, neceſſe eſſe, ut poſt lecta Synodi judicia, Synodus communi epiſtola ipſi gratias ageret ſummas, pro illo magno ſuo utilique labore, uti nec dubitabat Ordines Generales itidem acturos. Dum alter Scribarum juſſu Præſidis, ſententiam noſtri Collegii legere incipiebat, dicebat Præſidi Davenantius, non oportere Collegiorum judicia adeo clam legi, ſed videri ſibi maximopere intereſſe gloriæ Synodi, ut illa, quantum fieri poterat, publice prælegerentur, omnibuſque auditoribus admiſſis: quia contingere poſſet, ut Remonſtrantes, vi argumentorum ipſorum preſſi, & ſuas quaſdam opiniones rejicerent; & omnes itidem auditores in veritate corroborarentur, quoniam tot eruditorum viderent conſenſum; qui alias, à perverſis hominibus judicari poſſent, in id conſpiraſſe, ut nulla inter ſententias ſuas diſcrepantia eſſet. Non parum hæc inexſpectata propoſitio turbavit Præſidem, quia jam ſe totum iſti agendi rationi oppoſuerat. Omnes, præſertim exteri, ſatis mirari nequibant, ipſum rem aggredi tanti momenti, antequam Synodum rogaſſet, quomodo ſua judicia legi vellet. Cauſa cur hoc à noſtro Collegio prætexeretur hæc fuit: uti in formandis noſtris ſententiis in id incubuimus, ut condemnarentur Remonſtrantes in omnibus, quæ jure rejici poterant; ita etiam curam habuimus, ne plura condemnarentur, quam par & æquum eſſet: ſimulque etiam rejecimus duras quaſdam Contra-remonſtrantium phraſes, præcipue circa materiam reprobationis. Sed hi ſolum loquendi modi erant. Scimus quoque in condendis canonibus, ne verbum quidem, illis ſimile, à noſtratibus expreſſum iri; quia Provinciales in ſtatuendis canonibus ſuffragiis nos ſuperabunt: ideoque deſiderabamus, ut ex lectione noſtrarum ſententiarum auditores ſaltem noſtram ſinceritatem noſſe poſſent. Ad hoc reſpondit Præſes: ſe quidem ante dies aliquot ejuſdem fuiſſe opinionis: ſed ſe jam accuratius rem ponderaſſe, & poſt rogatam Aſſeſſorum ſententiam, judicaſſe ut ſententiæ legerentur nullis admiſſis auditoribus, præterquam paucis quibuſdam orthodoxis miniſtris, qui hic loci,

Ep.337. loci, dum coacta eſſet Synodus, commorabantur. Rationes quæ ipſum movebant hæ erant. Prima, quia hic agendi modus propius quam ille accedere videbatur ad intentionem mandati Ordinum Generalium, quo ipſis jubebatur, in ſententias Synodi, clam, remotis arbitris, inquirere, niſi, ſi Synodo viſum eſſet auditores admittere. Secunda, quia hactenus mos iſte in omnibus Synodis & Comitiis obtinuerat, ut ſententiæ darentur omnibus auditoribus excluſis. Tertia, quia tametſi omnes collegiorum ſententiæ convenirent in re ipſa, uti in lectione ipſarum deprehenderat; quia tamen quædam eſſet diſcrepantia in modis loquendi, metui poterat, Remonſtrantes, alioſque hujus ævi Jeſuitas, & Dominicanos, magni facturos hanc verborum diſcrepantiam, eoſque longè lateque in vulgus ſparſuros rumores, de diſcrepantia Synodi: aut alias, ut nuper evenerat, Remonſtrantes ſine dubio prælo commiſſuros ſententiam Synodi ſuper articulis, antequam Synodi canones eſſent ſtatuti, iſtiſque in libellis indubie ſententias ſententiis oppoſituros, ubicunque demum vel minimam diſcrepantiæ ſuſpicionem animadverterent. Quarta & præcipua, quia per hunc agendi modum Synodi ſententia ſuper quinque articulis in vulgus ſpargeretur, antequam vel ipſa Synodus, quæ ſua eſſet ſententia, affirmaſſet; aut notificata Ordinibus Generalibus eſſent collegiorum Synodalium judicia: quos tamen juxta Synodum jure merito ſcire oportebat, quis omnium ejus actuum finis eſſet futurus. Addidit Præſes, quoniam hæc res ſolam methodum ſpectabat, ſe ſperare, Synodum ipſi & ſuis aſſeſſoribus hujus rei directionem commiſſuram. At videns magnæ Synodi parti ſic non ſatisfieri, promtus erat rem ſuffragiis ſubjicere. Rogati ſuas ſententias Deputati, volebant rem differri in poſt meridiem; & ſic diſcedebat Synodus.

Interea Præſes ad nos miſit ſcribarum alterum Dammannum, qui à nobis petiit, ut conſilio Præſidis obtemperaremus. Procul dubio alia Collegia in ſuas partes pertrahere ſtudent, perinde uti nos. Verum ad omnes ſupra dictas rationes Præſidis facile reſponderi poterat. Quod ad me, illum agendi modum tutiorem, noſtrum honeſtiorem, eſſe putem.

Seſſio centeſima tertia eodem die poſt meridiem. Rogatæ ſententiæ de modo legendi collegiorum judicia. Sententia Deputatorum, quam pronunciabat Heinſius, fuit: ut omnes auditores, tam Contra-remonſtrantes quam Remonſtrantes, ab lectione ſententiarum eſſent excluſi: præterea rogabant omnia Synodi membra, ut, quantum fieri poterat, ea quæ in Synodo fierent, occultarentur. Omnia Synodi membra, nemine exemto, huic Deputatorum judicio conſentiebant. Quocirca, quod felix fauſtumque, legi cæpta collegiorum judicia, ſuper articulo primo. In hac ſeſſione lecta noſtri & Palatini collegii judicia, quæ quidem prolixiora, in omnibus conveniebant; præterquam quod Palatini, fini ſuæ ſententiæ annexuerant probum & neceſſarium conſilium, de ſalutari prudentique modo docendi populum electionem & reprobationem: ſtat propoſitum, poſt noſtrum de quinto articulo judicium, ſimile de omnibus articulis conſilium dare, quo modo prudenter populum doceri poſſint. Ep.337.

Seſſio centeſima quarta 7 Martii. Palam lectum judicium collegii Heſſorum, ſupra modum prolixum: Tigurinorum breve & egregium: Alſtedii, qui ſolus ex Naſſovicis ſupererat, admodum breve. Nec illorum quæ antea lecta fuerant, nec horum ſententiæ diſcrepabant.

Seſſio centeſima quinta. Palam primum lectum Genevenſium judicium, qui prolixiores, regulam ab aliis diverſam ſequebantur. Confirmantibus enim aliis collegiis ſuas poſitiones, rationibus, locis Scripturæ, & teſtimoniis Patrum; horum aſſertiones aliæ non erant, præter loca Scripturæ, magno numero bonaque methodo nude propoſita. Circa finem hac peroratione brevi utebantur: quod ex Scriptura ſolum aſſeruerant, quod ad primum articulum attinebat; quia ſciebant hoc convenire cum Genevenſi, totiuſque Galliæ Eccleſiis, quæ Gallicæ Confeſſioni eſſent addictæ. Poſt hæc lectum Bremenſium judicium: juſtæ prolixitatis, ſed ſanum & accuratum, aliis ſententiis in omnibus conſentaneum: hoc ſolum intererat diſcriminis: ubi aliæ ſententiæ, aut nihil prorſus dixerant de electione & ſalute infantium, ex fidelibus parentibus prognatorum, & in infantia mortuorum, aut quid attigerant, ſtatuerent, fideles parentes cauſſam non habere, eam in dubium vocandi, immo, ſi quidquam alias, hoc ſperare & ſibi certo perſuadere poſſe; hoc modo hoc dogma definivere Bremenſes: omnes baptizatos & in infantia morientes certo ſalvos eſſe; affirmantes hoc non tantum ex judicio charitatis, ut alii, ſed & ex judicio certitudinis. Poſtea legi cæptum Theologorum Embdenſium judicium, quod, uti etiam ſcit D. Haleſius, tædioſum & ſupra modum prolixum fore, exſpectabamus. Poſtquam in ejus lectione dimidium horæ eſſet conſumtum, dicebat nobis Præſes, reliquum, quia hora eſſet elapſa, in craſtinum ſervari debere.

Seſſio centeſima ſexta. Legi rurſus cæptum Emdenſium judicium, in quo hæc ſeſſio duas ad hæc integras horas conſumebat, tanta aëris inclementia, quantam nondum experti eramus. Lecta jam erant omnium exterorum Theologorum judicia, ſuper articulo primo, in quibus plenus ſanæ doctrinæ conſenſus apparuit. Quare Deo gratias agi debere Præſes contendebat, prorſuſque ab ipſo peti, ut ſimilis inter Provinciales concordia vigeret. Obſervatu dignum hic fuit, mi Domine, nullum hactenus fuiſſe collegium, quod Gomari ſen-

Ep. 337. ſententiam de ſubjecto Prædeſtinationis non rejecerit. Quamvis enim nullum illorum ex profeſſo contra id diſputaverit, omnia tamen pro conceſſo habebant, non hominem creabilem, ſed jam lapſum, electionis ſimul & reprobationis ſubjectum eſſe; quod non parum, uti credo, Gomarum perturbat. Poſt Emdenſium judicium, legi cæptum Collegii Belgicorum Profeſſorum judicium, ubi in primo limine, magno noſtro dolori, Profeſſores Belgicos, pro ſuo more & genio, ab invicem diſſentire experiebamur. Quinque enim, ut & noſtri, erant illius collegii membra, & tamen in tres partes erant diviſa, & tres etiam diverſas ſententias tradiderant. Uni eidemque ſententiæ ſubſcripſerant Polyander, Thyſius, & Walæus. Aliam ſolus dederat Sibrandus, uti & aliam itidem tertiam ſolus Gomarus. In fine hujus ſeſſionis legi cæpit trium priorum judicium. Sed duabus paginis lectis cum lapſa eſſet hora, reliquum in commodius tempus dilatum eſt: hoc tantum dicendum mihi, mi Domine, id quod legimus nullam fere inter ipſos conſenſus ſpem teſtari. Ubi enim alia collegia pro conceſſo ſolum poſuere, hominem lapſum ſubjectum eſſe Prædeſtinationis, hi duabus illis paginis, variiſque rationibus, Gomari ſententiam refutarunt; operoſe probantes, quod alii ſolum ſuppoſuerant. Video Gomarum illorum argumenta annotare. Quis porro inter ipſos diſſenſus ſit futurus, ſequentibus meis tibi innoteſcet.

Seſſio centeſima ſeptima eadem die poſt meridiem. Publice habita fuit hæc ſeſſio, omneſque auditores admiſſi. Hic prolixe Deodatus haſce duas quæſtiones tractavit. 1. Quantum fides temporaneorum differat à vera & juſtificante regenitorum fide. 2. Quouſque concedatur diabolo progredi in oppugnanda juſtificatorum fide. Eleganter admodum, & quaſi pro concione id egit, non prout in ſcholis doctores aſſueverant.

Hoc omne eſt quod hac ſeptimana peregimus. Jam enim, quia dies Saturni eſt, non habetur ſeſſio. Ultima die ſolis (qua literas à te ad me datas remiſi) notum feci quicquid proxima ſeptimana actum eſſet: quod tibi innotuiſſe ſpero. Vulgaria hactenus in Synodo acta eſſe facile videas: ſi quidquam obſervatione dignum eſſet, omni diligentia id indicaſſem. Interim tibi multas pro omnibus officiis gratias agens, ſalutanſque digniſſimam tuam uxorem, à te haberi deſidero, qui ſum, Vir Illuſtris,

Dordraci 9 Martii. 1619. *Tua Excellentia de vo-*
tiſſimus cultor

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

Non dubito quin hunc libellum videris, ſi non, hic habes.

CCCXXXVIII.

NICOLAO GREVINCHOVIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Reſponſa ad quædam quæſita Prædeſtinatiana explicata.

REverende in Chriſto Frater, Ululas Athenas mitti vis, & in ſcabroſo argumento conſilium ab occupatiſſimo. Miſiſſem tamen, ſi ſuffurari tantum otii mihi licuiſſet hoc tempore, quo extrema manus ſcriptis noſtris, prolixis ſatis, imponenda eſt, &, quod maxime obſtitit, fidum tabellarium nanciſci potuiſſem. Neque enim ad quæſita reſponſum mittere per incertæ fidei tabellarium auſus fui. Nunc quia nihilominus urges, en, ne tuæ voluntati & deſiderio refragari videar, paucis quid reſponderi poſſit ad ſingula quæſita exiſtimo.

Primum quæſitum eſt. *An Catholici Romanenſes in fide ſua morientes ſalvari poſſint?* Reſp. Qui idololatriam & tyrannidem Pontificiam aut ipſi exercent, aut cum ab iis, quibus fidem ſuam adjungunt, exerceri vident, vel ipſi approbant, vel ſaltem ſerio non improbant, ſalvari nequeunt; quia utrumque vitium directe adverſatur tum cultui divino, tum caritati Chriſtianæ.

Secundum quæſitum. *Anne in duabus diverſis Religionibus, qua ſibi invicem in quibuſdam capitalibus articulis contraveniunt, morientes, in utraque ſalvari poſſint?* Reſp. Si per capitales articulos intelligantur ii, ſine quorum cognitione & fide ſalvari non poteſt homo, tum ridicula eſt quæſtio: neque enim ſalvari poteſt, qui in uno præciſe neceſſario ad ſalutem articulo errat. Si vero per capitales articulos intelligantur ii, qui maximi ſiunt, & pro præcipuis ſectæ alicujus articulis habentur, vel ab iis qui ab ea ſecta diſſentiunt, vel ab ipſis ſectæ patronis, & tamen præciſe neceſſarii cognitu non ſunt: reſpondemus, quod ſic.

Tertium quæſitum. *An aliquid ſit neceſſarium creditu, quod in S. Scriptura expreſſum non eſt?* Reſp. Iis qui Scripturam pro Dei verbo agnoſcunt, nihil. Sed ſi quis in dubium vocare vult an ipſa Scriptura verbum Dei ſit, ille per ſenſus illos ipſos, qui Scriptura continentur, de eorum divinitate eſt convincendus; non autem ex eo, quod Scriptura illos divinos eſſe dicat, quia alias principium peteretur. De ipſa vero ſenſuum ſcriptione, quod Deo autore facta ſit, & à divinis illis viris profecta, hoc ſolo argumento convincendus eſt, quod id credere teneatur, quamdiu nullam cauſam habet, cur in dubium id vocare velit aut poſſit. Alioquin velle demonſtrare Scripturam eſſe Dei verbum, quia ipſa dicit ſe eſſe Dei verbum, nugari eſt apud eum, qui dubitat, utrum Scriptura, quæ hoc ipſum dicit, divina ſit.

Quartum quæſitum. *Cur libri Machabæo-*

rum

Ep.339. *rum non æque inter libros Scriptura ſunt numerandi, quam Euangelium ſancti Lucæ: quandoquidem Auguſtinus dicit, non quidem pravos Judæos, ſed ſanctam Eccleſiam ipſos pro Canonicis agnoſcere?* Reſp. 1. Quia fuerunt omni tempore qui de eorum librorum autoritate dubitarunt. 2. Quia juſtæ cauſæ dubitandi, imo credendi, ex ipſis libris haberi poſſunt, quæ indicio ſunt, ſenſus qui illis continentur, divinos non eſſe. De eo quod Auguſtinus dicit, quæratur ex ipſis Judæis, qui eos in canone non habent.

Quintum quæſitum. *Si nulla habetur ratio declarationis ſanctæ Eccleſiæ, qua ergo certitudo haberi poteſt de reliquis libris, quod S. Scripturæ ſint?* Reſp. Quæſtio hæc nova quæſtione eludenda eſt: Si nulla habetur ratio S. Scripturæ, quæ dicit eſſe quandam ſanctam Eccleſiam; unde certi erimus Eccleſiam, quando de illis libris (in quibus etiam continetur, eſſe quandam ſanctam Eccleſiam, & conſequenter de ipſa illa Eccleſia teſtimonium perhibent) judicat, quod conſcripti ſint ab illis viris quorum nomina in titulo præferunt, recte judicare, idque judicium Eccleſiæ veræ judicium eſſe? Hic hæreant Pontificii neceſſe eſt, quia principium ipſorum in dubium vocatur, quod eſt eadem ratione eos ad incitas redigere. Dordraci 1619 menſe Martio.

CCCXXXIX.

STEPHANO DE REYGER

CONRADUS VORSTIUS S.P.

Reſpoſſa. VIr nobiliſſime, inque Domino colende fautor & frater: Inter alia quæ nunc multa nobis accidunt acerba non minimum ſane eſt, quod etiam amiciſſimi ab officio ſcribendi abſtinent. Sed tamen Dominationem tuam excuſant apud me facile, quæ tum de morbo, tum de aliis curis & occupationibus tuis intellexi. Scias interim gratum fore, ſi vel paucas ſubinde lineas ad me dederis, præſertim quum tuta eſt occaſio: qualis nunc ſeſe offert per hanc ancillam noſtram, brevi huc cum Deo redituram. Mirari ſatis non poſſum, tantam illic eſſe veſtram μικροψυχίαν (*puſillanimitatem*) (ignoſce piæ libertati) ut ne Remonſtrantium quidem cauſæ, quam & Lutherani omnes approbant, & moderatiores Pontificii, patrocinari auſitis. Hæc autem præcipua etiam meæ crucis cauſa eſt: & quidquid extra eam prætexitur, aut calumnioſum eſt, aut mere Philoſophicum, nec ad Religionem per ſe proprie facit. A politicis vero turbis alieniſſimus ſemper fui. Nihil igitur cauſæ video, cur mei aut Remonſtrantium pudere quemquam debeat, qui modo veritatem, hactenus à nobis defenſam, ſerio amat, & recte intelligit. Certe pretioſior nobis Dei veritas eſſe debet, quam ut ſilentio eam noſtro Ep.339. quaſi prodamus, aut in perſonis innocentium opprimi ab aliis ſinamus. Sed de his prolixius D. Huberto ſcripſi, qui omnia tibi referet, ſpero, nec temere (quod iterum peto) noſtra hæc aliis aperiet. Mitto Illuſtri hero tuo Examen contra Piſcatorem, cum Idea; item reſponſum contra Feſtum, &c. & geminum quoque librum Scholæ veſtræ offero: denique defectuoſum Dominationis Tuæ exemplum jam ſuppleo, cui ſiquid adhuc deeſt, ubi ſcivero, mox ſupplebo. De propoſito Remonſtrantium proteſtandi contra Synodum, & à Contra-remonſtrantibus palam recedendi (quod adhuc ἄῤῥητον (*ineffabile*) eſſe debet) D. Huberto itidem ſcripti. Satis erit, ſi pauci fidique amici hæc norint. Eventus eſt in manu Dei, cujus beneficio Remonſtrantes hactenus ſat fortiter agunt. Dici vix poteſt, quam inique nunc cum iſtis paſſim agatur, qui mera vi, & partim calumniis obruuntur. Quo magis ſperandum eſt, Deum adverſæ parti non adfuturum, ſed iis potius quos illa tam injuſte affligit: inter quos & me jure cenſeri poſſe, vel hi libri, quos jam mitto, ſatis evincent. Excitemus tantum animos jacentes, & manus remiſſas erigamus, fidemque noſtram Domino Jeſu in omnibus integram approbemus. Hoc ſi fiat, perrumpet veritas etiam ſub duriſſima cruce. Si nos hic ceſſabimus, Deus alios excitabit, neque nos ſocordiam hanc impune feremus. Hæc mihi ipſi, & iis quos maxime amo & colo, ſubinde hoc fine ſuggero, ut officium Deo proximiſque debitum tanto jam libentius & alacrius omnes præſtemus, quanto major ejus neceſſitas & uſus ubique nunc apparet. Unum illud addam, ſi filii mei cum bona omnium gratia illic in ſchola deinceps manere non poterunt, id candide mihi ſignificari velim, ut per occaſionem eos huc reduci curem; ſin poterunt, vellem & tertium, natu maximum, duobus illis addere, ne ſumtus hic ſeorſim in illum, jam ſenſim convaleſcentem, facere cogar. Quæſo de his, aliiſque talibus, aperte mentem mihi tuam proxime aperias, noſque in Domino conſtanter amare pergas. Officium noſtrum D. Comiti, & ſalutem plurimam amicis omnibus adſcribo. Goudæ 14 Martii 1619.

Addidi & duo exempla ſupplicationis pro Barneveldio, ut videatis, quid in proceſſu juris hic deſideretur. Quid de captivis futurum ſit, nondum ſcitur. Sequiora tamen metuunt, qui judices ipſis infeſtos eſſe ſciunt, ſalutem pleroſque.

CCCXL.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

Lectio judiciorum Synodalium.

CLementissime Domine: Quæ gesta sunt in Synodo, post ultimas ad Excell. Vestr. à me datas literas, nunc quam potium paucis Excell. Vestræ mitto. Jam tandem spero nos circa finem proxime sequentis hebdomadæ accessuros ad compositionem canonum.

Sessio centesima octava; die XI Martii. Georgius Fabricius, Theologus Nassovien-sis, D. Bysterveldio hic vita defuncto suffectus, solita solennitate ad Synodum admittebatur. Aggrediebamur lectionem judicii trium Professorum Belgicorum, solidi valde modicæque longitudinis: subscripta illud habebat tria ipsorum nomina: ea sunt, Johannes Polyander, Antonius Thysius, Anthonius Walæus: & paulo inferius, ego Sibrandus Lubbertus hoc collegarum meorum judicium perlegi, & per omnia probo. Gomari nomen non erat adscriptum. Statim vero ille surgebat, ac viva testabatur voce, à se illud lectum esse, seque Fratrum suorum judicio consentire in omnibus, ea solum parte excepta, quæ pro certo statuebat hominem lapsum objectum esse prædestinationis, quod nunquam, nisi jam, decisum esse, nec in Belgicis, nec Gallicis, nec Anglicis aliisque Ecclesiis quam plurimis, ajebat. Posten D. Sibrandi super eundem articulum legebatur judicium, quod ab illo priore collegarum ipsius nihil differebat, nisi in eo, quod foret prolixius; proprio ipsius nomine illud subscriptum erat; & paulo inferius testabantur supradicti Professores suis subscriptionibus, se illud legisse, illique assentiri. Gomarus surgebat, & idem testimonium viva voce de hoc judicio, quod de priore dabat, eandemque adhibebat exceptionem. Deinde Gomari judicium super eundem articulum legebatur: nihil movebat de illa quæstione, de objecto prædestinationis, utrum esset homo lapsus, nec ne; hocque excepto, quod eam rem silentio involveret, illius judicium congruebat in omnibus cum supradictis illis judiciis collegarum illius: signatum erat solummodo ipsius nomine: sed D. Polyander testabatur viva voce suo collegarumque nomine, se omnia in Gomari judicio probare, dempta tantum sententia de objecto, cujus contrarium se sentire profitebantur. Præses de singularibus quibusdam circa negotium Campense nos instruebat, volebatque ut in horam tertiam pomeridianam de eo consilium caperemus: cujus rei particularia proxima sessione videbis.

Sessio centesima nona; eodem die, post meridiem. Præses primo nobis dixit, tempus quatuordecim dierum duobus ministris Campensibus, interea temporis exauctoratis, concilium, ut præsto adessent, jam elapsum esse, eosque contemnere favorabilem illam dilationem à Synodo constitutam, atque in sua perseverare pertinacia: deinde aliis duobus Ministris Campensibus, qui hic erant intercitatos Remonstrantes à Synodo mandatum esse; ut intra quatuordecim dies responsum traderent ad accusationes à Deputatis Reformatæ Campensis Ecclesiæ ipsis objectas: istarumque accusationum apographum tertio ipsorum postulatu ipsis traditum ab uno ex Synodi famulis; sed nunc loco responsi, quod exspectatum fuerat, ad se epistolam misisse, quæ coram Synodo legebatur: duobus illa laborabat grandibus vitiis, quod foret ultra modum prolixa, valdeque inconcinna: hoc, vel potius nullo sensu; ostendebant illi non posse se præstituto tempore responsum exhibere ad accusationes: & quare non possent amplius tractare cum Synodo, utpote adversus se inchoata: variis de causis, his nempe, 1. Quia omnino occupati erant, parando nimirum scripta quædam Synodo tradenda de quinque articulis, ipsis Deputatorum jussu imposita. 2. Quia apographum accusationum ab uno ex Synodi famulis ipsis allatum, nec à Præside, nec ab aliquo ex Synodi scribis subscriptum erat: propterea quæ putabant non esse apographum genuinum & nulla fide dignum. 3. Quia crimina nullo discrimine ipsis duobus objiciebantur, & duobus impingebat quod ab uno tantum commissum erat: ideoque non conveniebat accusatio perfecte cum modo procedendi. 4. Quia ibi multa ipsis objiciebantur, nullis confirmata testimoniis, nisi forte speciminibus quibusdam ex collegæ sui Voskulii ultimo libro depromptis, quem nomine *stulti* atque *tenebricosi* scripti indigitabant: 5. Quia plenum erat prava literarum collectione, & Scriptura deformi, ideoque quod crederent oscitanter atque negligenter transcriptum esse. His, pluribusque ejusmodi vanis sermonibus (quibus consultum non duco Nobilitatem vestram occupatam tenere) putabant evadere se posse Synodi judicium, eo magis, quandoquidem contra morem in Ecclesia Belgica receptum, præteritis proprio suo Synedrio, Classe ac Synodo Provinciali, immediate coram Synodo accusati essent: nihilominus tamen, postquam ea peregerint, quæ dicenda haberent super quinque articulos, promittebant se responsum daturos adversus accusationes scripto traditas: sed his (quas à Nobilitate vestra adverti velim) conditionibus, quod prius Synodus declararet, illos puros esse à falsis illis atque malitiosis calumniis, quibus tum ipsi, tum alii ipsorum fratres Remonstrantes ad Synodum citati, turpiter ac subdole valde onerati erant illa sessione Synodi,

Ep. 340.

Ep. 340. nodi, qua ipſis per Præſidem mandatum fuerat è conſeſſu exire, cum hoc elogio, quod cum Synodo tractare recuſaverant: quod ſe indignos gerſerant, quibuſcum Synodus amplius quid ageret, quodque, ſicut hoc opus aggreſſi ac perſequuti fuerant mentiendo fallendoque, eodem modo nunc illud finirent: tamen his omnibus non obſtantibus, ſe paratos eſſe tractationem aggredi coram collegio Deputatorum Ordinum Generalium, non vero coram Synodo. Poſtquam prolixa hæc epiſtola lecta eſſet, proxime legebatur reſponſum ad eam, à Deputatis Eccleſiæ Campenſis Reformatæ compoſitum, quibus Præſes hanc epiſtolam ut ei reſponderent, dederat: particulatim refellebant ſingula quæ in altera epiſtola allata erant, quod neceſſe non fuerat, ac ideo ipſorum omnia reſponſa omitto, hoc uno ſolum excepto, quod reſponſum requirere videbatur, nempe, quod contra uſum ſuæ Eccleſiæ immediate pertracti eſſent ad Synodum. Ad hoc reſpondebatur: utrumque, tum Synedrium tum claſſem Campenſem, unanimiter Remonſtrantibus addicta eſſe, ac propterea ejus conditionis ut ab utroque potius recedendum eſſet, quam ad ea provocandum: verum quoad Synodum Provincialem, mirabantur qua fronte dicere auderent, ſe ad eam citatos non fuiſſe, quandoquidem plus ſemel illa Synodus illiſcum egerat, licet abſque fructu. Poſt hæc legebatur libellus ſupplex ſcriptus atque ſignatus ab Acronio, nomine Eccleſiæ Reformatæ Campenſis, quo narrabatur, qui Voskulius, alter ex interea temporis exauctoratis Campenſibus, cum coram concione ſententiam ſuæ exauctorationis referret, populum ad turpem concitaverat ſeditionem: deinde ſuppliciter petebatur à Synodo, uti nunc, quod ad illos duos interea exauctoratos, ſententia exauctorationis à Synodo, rata haberetur: & quod ad duos illos attinet hic Dordraci præſentes, Matthiſium nempe & Goſuinium, quoniam recuſaverant reſponſum præfixo tempore tradere, ut Synodus eandem exauctorationis ſententiam adverſus hos pronunciaret. Præſes Synodo propoſuit, an videretur ſententiam jam adverſus duos priores latam eſſe confirmandam, atque ut alii duo citarentur ad tradendum reſponſum contra criminationes ſcripto contentas intra dies quatuordecim; quod ſi illud intra hoc tempus non præſtarent, an tum eadem exauctorationis ſententia atque contra ipſorum collegas pronunciata fuerat, adverſus ipſos quoque pronunciaretur. Tota Synodus annuebat, & ſic concluſum fuit.

Aggreſſi fuiſſemus lectionem judiciorum collegiorum: verum Dominus Epiſcopus Landavenſis (juxta id quod domi inter nos conſtitueramus) dicendi veniam petebat, quæ concedebatur, atque hunc in modum locutus eſt. D. Gomarus dixit ante meridiem, quæſtionem hanc, an homo lapſus ſubjectum eſſet prædeſtinationis, non deciſam eſſe in Confeſſione Eccleſiæ Gallicæ: idemque (quemadmodum ego & Collegæ mei id capiebamus) de Confeſſione Eccleſiæ Anglicæ dixit; propterea D. Gomarum meo Collegarumque nomine rogo, ut coram Synodo declaret, illane ſua fuerit mens, nec ne. D. Gomarus debita modeſtia reſpondebat, revera ſe ſic dixiſſe; ſed proteſtabatur non hoc factum eſſe animo malo, verum tantum ut oſtenderet, quemadmodum aliæ Eccleſiæ, ſic etiam Eccleſiam Anglicam hoc indeciſum reliquiſſe, quandoquidem Confeſſionis verba non ulterius de ſubjecto determinant, quam quoſdam *ex genere humano*. Dominus Epiſcopus Landavenſis reſpondebat, neque ſe, neque Collegas ſuos poſſe, quin cogitent, quod iis verbis ipſis exprobraretur vel arrogantia vel inſcitia: quoniam enim in ſuo judicio tradiderant contrariam ſententiam pro homine lapſo, tantundem dictum erat, quaſi in Synodo tradiderant ea quæ non congruerent cum judicio Eccleſiæ Anglicæ: ut ergo ſciret Synodus, nihil ſe in ſuo judicio dixiſſe, quod judicium Eccleſiæ non eſſet, rogabant ne Synodus gravaretur Confeſſionis ſuæ verba audire: tunc D. Goadus palam legebat XVII Articulum Confeſſionis, ubi verba ſic ſe habent, *quoſdam ex genere humano in exitio & maledicto*. Quæ ultima verba D. Gomarus omiſerat. Reſpondebat Gomarus, velle ſeſe ſubjicere Synodi judicio, num Confeſſionis verba male intellexiſſet. Præſes ſatis rotunde Gomaro dicebat, cuivis Synodi membro liberum eſſe proprium judicium de articulo quodam ſive quæſtione tradere: ſed bene cavendum eſſe, ne nos nimis præcipitanter immiſceamus aliarum Eccleſiarum judiciis. Dominus Epiſcopus Landavenſis præterea veniam petebat hæc adjiciendi: quoniam omnes extranei Theologi, nemine excepto, cumque iis omnes quoque Profeſſores Belgici, exemto Gomaro, jam ſua contulerant judicia pro homine lapſo, atque ille nullus dubitaret quin Provinciales ſic quoque determinarent, decere, ut Synodus hoc ita decideret: nec ullam eſſe cauſam, quare propter unius Profeſſoris ſingularem ſententiam, qui hac in parte diſſentiret à judicio omnium Eccleſiarum Reformatarum, Synodus ab hujus quæſtionis deciſione abſtineret. Gomarus regerebat, Academiam Leidenſem nunquam deciſiſſe pro homine lapſo; quodque D. Witthakerus & M. Perkinſius contrarium definiverant, quos pro ejus indolis hominibus habebat, qui à Confeſſione Eccleſiæ Anglicæ diſſentire minime vellent: rem prius accurate eſſe examinandam allatis ab utraque parte argumentis, antequam quicquam pro hac aut illa parte determinaretur. Ad hæc reſpondebat Præſes; Synodum poſt lecta collegiorum judicia, de illa quæſtione, quod ſanius crederet, definituram: quando, inquiebat, Canon fuerit delineatus recitabitur; ſi tum oſtendere poteris,

Ep.340. aliquid inibi contentum verbo divino adverſum eſſe, Synodus æqua longanimitate audiet, quid illi poſſis opponere.

Legebantur judicia Gelrorum, Hollandorum Auſtralium (qui optabant in ſuo judicio uti quæſtio de homine lapſo indeciſa relinqueretur) Hollandorum Septentrionalium atque Zelandorum, omnia non valde prolixa; atque in omnibus congruentia cum judiciis antea traditis: & ſic diutina hæc ſeſſio finiebatur.

Seſſio centeſima decima, die XII Martii. Legebantur judicia collegialia Ultrajectinorum, Friſiorum, Tranſiſulanorum, Groeninganorum & Omlandorum, quæ quatuor aliquatenus prolixa erant, atque in omnibus convenientia cum prioribus.

Seſſio centeſima undecima; eodem die, poſt meridiem. Legebantur judicia collegialia Drentanorum ac Gallo-Belgicorum, brevia, & congruentia cum præcedentibus. Atque ſic finis imponebatur lectioni judiciorum collegiorum: in quibus (Deo propterea laus ſit) ne minima quidem ſuſpicio diſſenſus ullibi dabatur: eſtque hoc notatu dignum, quod omnes definirent, hominem lapſum prædeſtinationis ſubjectum eſſe, Gomarum eximo, quem omnes huic ſententiæ refragari norant, & Hollandos Auſtrales, qui ſolummodo dicebant, ſe ea de re nihil velle definire.

Legebatur judicium Theologorum Magnæ Britanniæ ſuper articulum ſecundum: breviores hic erant, quam ſuper primum: atque communem diſtinctionem de ſufficientia & efficacia mortis Chriſti intactam relinquebant: ſimiliter præteribant uſitatam limitationem eorum locorum, qui Chriſti paſſionem toti mundo communem ſtatuunt, ad mundum electorum. Legebantur judicia eorum qui ex Palatinatu erant, ex Haſſia, atque Helvetia, qui omnes communem diſcriminationem retinebant, nempe *Chriſti mortem ſolummodo ſufficientem eſſe pro omnibus hominibus*, non *vere efficacem aut impetrativam*; limitantes univerſales propoſitiones quæ ea de re in S. Scriptura habentur, tantummodo ad mundum electorum, itaque ſic concludentes, *Chriſtum nullo modo propitiationem eſſe pro peccatis ſingulorum.*

Seſſio centeſima duodecima, die XIII Martii. Legebatur palam judicium Naſſovienſium, deinde judicium Genevenſium, utrique defendebant communem diſtinctionem & limitationem. Legebatur judicium Bremenſium, qui quot homines, tot conſtituebant ſententias tres diverſas. Martini judicium primo legebatur, qui in fundamento ſtabat à parte Remonſtrantium ſuper eundem articulum: communem diſtinctionem & limitationem ſtrenue ſubvertebat, definiebatque Chriſtum revera pro omnibus ac ſingulis hominibus mortuum atque propitiationem eſſe factum tum pro probis tum improbis, ac per ſuam mortem obtinuiſſe reconciliationem cum Deo pro omnibus: in fine multa condemnabat tam in ſententia Remonſtrantium, quam Contra-remonſtrantium, plura tamen Contra-remonſtrantium. Deinde D. Yſſelburgii ex Bremenſibus ſecundi judicium legebatur, qui è diametro contra Martinium defendebat communem utramque diſtinctionem ac limitationem. Tertio D. Crocii Bremenſium tertii judicium legebatur; viam ille intermediam proponebat inter collegas ambos. Concedebat (quod & nos in noſtro collegio faciebamus) Chriſtum ſua morte ſupernaturalia quædam obtinuiſſe ac meruiſſe pro impiis: uti verbi prædicationem, omnemque iſthuſmodi bonam gratiam, quæ utriſque tum piis tum impiis communis eſt: nihil vero quod ad remiſſionem peccatorum, aut reconciliationem cum Deo: & ſic revera colligebam, ejus judicium ab hac parte prorſus contrarium eſſe judicio Martinii, atque in fundamento omnimode convenire cum Yſſelburgii judicio. Poſt hæc legebatur judicium Embdanorum, qui ultra modum prolixi erant, inque omnibus cum Contra-remonſtrantibus concinebant, uti ſeſe declararunt in Collatione Hagienſi. Ep.340.

Seſſio centeſima decima tertia; eodem die poſt meridiem. D. Yſſelburgius, Bremenſium unus, probabat palam juſſu Præſidis, dum omnes admiſſi eſſent auditores, ample & prolixe valde, juſtitiam Dei vindicativam ei eſſe naturalem & neceſſariam, atque propterea eam ſatisfactionem quam Chriſtus præſtabat pro peccatis mundi ſingulariter fuiſſe neceſſariam; variiſque argumentis prorſus probabat perfectionem ac ſufficientiam ſatisfactionis Chriſti; cum reſponſione ad rationes Socini & Vorſtii contra ambas priores concluſiones.

Seſſio centeſima decima quarta; die XIV Martii. Legebatur judicium quatuor Profeſſorum Belgicorum, ſubſcriptum à Polyandro, Gomaro, Thyſio, Wallæo, paulumque inferius habebatur, *ego Sibrandus Lubbertus aſſentior huic collegarum meorum judicio in omnibus.* Deinde Sibrandi judicium legebatur, quod nihil diſſentiebat à collegarum judicio, niſi in eo quod eſſet brevius; ipſe hoc prius ſignaverat, deinde approbatum ſignatione aliorum ipſius Collegarum. Hi quinque acriter depugnabant pro ſupradicta diſtinctione & limitatione. Poſt hæc legebatur Gelrorum judicium, qui duri nimis in multis erant: tum Hollandorum Auſtralium: tum Hollandorum Septentrionalium judicium, qui proferebant multa quæ nobis non tantum dura, ſed & falſa videbantur: tria hæc collegia large diſputabant pro communi illa diſtinctione ac limitatione.

Seſſio centeſima decima quinta; eodem die poſt meridiem. Primo legebantur judicia Zelandorum, deinde Ultrajectinorum, tum Friſiorum, tum Tranſiſulanorum, tum Groeninganorum & Omlandorum: hi omnes pro eadem illa diſtinctione & limitatione dimicabant.

Seſſio

Ep. 340. Seſſio centeſima decima ſexta, die xv Martii. Legebantur judicia Drentanorum primo, qui plurimas faltas & enormes propoſitiones tradebant: deinde Gallo-Belgicorum, qui placidi fatis ſive moderati erant: utrique ſtabant pro prædicta diſtinctione & limitatione. Et ſic quidem abſoluta fuit omnium judiciorum collegialium lectio ſuper articulum ſecundum: in quo non ea uſquequaque fuit unanimis convenientia tam ſtyli, quam modorum loquendi, ut & reſpectu quarundam propoſitionum, atque in articulo primo: ſed tamen revera magnus fuit conſenſus, major quidem quam exſpectari potuiſſet à tanto doctorum virorum numero, in tam arduo atque diſcrepanti articulo.

Legebatur noſtri collegii judicium ſuper tertium ac quartum articulum, quod maxima parte æquale ac planum erat, rejiciebatque duritiem ſententiæ quorundam Contra-remonſtrantium, ſed recto nomine, ut & errores Pelagianorum, Semi-Pelagianorum, atque Remonſtrantium.

Legebatur judicium eorum qui ex Palatinatu erant, qui in omnibus cum Contra-remonſtrantium judicio concinebant, prout in Collatione Hagienſi propoſitum eſt.

Seſſio centeſima decima ſeptima, eodem die, poſt meridiem. Legebantur judicia Heſſorum, Helvetiorum & Naſſovienſium, qui in omni parte cum Contra-remonſtrantibus conſentiebant: Genevenſium, qui huic articulo manum adhibuerant perquam politam; poſitiones eorum, ut antea, Scripturæ ſolum teſtimoniis confirmatæ erant, ſed ſcite in ordinem redactis: Bremenſium, qui caput de gratia & libero arbitrio generaliter tractabant; atque in particulari reſiſtibilitatem gratiæ evertebant: Embdanorum, quorum judicium poſt horam lectioni impenſam necdum ad dimidium productum erat; gaudebamus itaque, quod decerneretur, ut ab illorum diſſertatione de gratia interquieſceremus in craſtinum.

Seſſio centeſima decima octava, die xvi Martii. Aggrediebamur lectionem judicii Embdanorum, quod præterea ultra ſeſquihoram nos occupatos tenebat: enucleabant quæſtiones triginta quatuor; & ut verum fatear, adeo erant prolixi, ut omnem ſuperarent patientiam. Legebatur judicium quatuor Profeſſorum Belgicorum ab ipſis ſubſcriptum, atque inferius Sibrandi ſignatura approbatum: deinde Sibrandi judicium à ſeipſo ſignatum, atque ſubſcriptione collegarum in illud conſenſum teſtantium munitum: poſtea Gelrorum judicium lectum fuit.

Et ſic quidem, Clementiſſime Domine, habes quicquid hic tota hac actum eſt hebdomada: ſpero Nobilitati veſtræ eas traditas eſſe literas, quas duabus abhinc ſeptimanis miſi: non negligam de ſequentibus Nobilitatem veſtram certiorem reddere. His, cum adjuncta oblatione fideliſſimi mei ſervitii erga Nobi- Ep. 341.
litatem veſtram Dominamque uxorem tuam, finio, atque maneo

Dordr. 16 Martii 1619. *Nobilitati veſtræ omni ſeria reverentia ac ſervitio addictus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXLI.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De diverſis ſententiis ſuper articulo ſecundo.

ILluſtriſſime Vir, ... Pro tua directione rerum, quæ ad Synodum pertinent, grates dignas perſolvere non eſt noſtræ opis. Potes non ſine cauſa cælitus remunerationem exſpectare. Deum rogo, ut bene nos extricet ex ſecundo articulo; nam in cæteris omnibus nos ſatis conventuros plane mihi perſuadeo. Quippe Provincialium nonnulli, Geldri maxime & Hollandi Boreales, quibus, ut ſibi addictis, Præſes favet præ reliquis, qui adſunt in Synodo, ea propoſuerunt ſuper illo articulo, quæ nullus Theologus, ita dicere audeo, umquam ſomniavit. Malim mihi manum amputari, quam iis ſubſcribere. Quæ tu ſcribis de Rege noſtro in Palatinos, ſumme ſunt neceſſaria; ſunt enim illi Doctores maxime magiſtrales in tota Synodo, poſt Gomarum, & omnia, quæ dicunt, haberi volunt pro textu Sacræ Scripturæ. Revera acriter in ſententia ſua ſuper ſecundo articulo invecti fuerunt contra quædam, à Doctore Wardo ſuper eodem articulo tradita, quod is ægre admodum tulit. Noſtra ſententia de ſecundo articulo jam lecta eſt in Synodo, ita uti obſervare debuimus mandatum ex Anglia ad nos miſſum de canonibus condendis. Epiſtola Gr. S. eo tendit, ut unanimiter retineamus communem diſtinctionem ac limitationem, quod uti Gr. S. Regi notum fecit, ita à Rege omnino eſt approbatum. Sed dicendum eſt, Vir Illuſtris, directionem, quam à Nantono Secretario miſiſti, videri nobis maxime utilem in propoſitionibus generalibus, ut Lutheranos, quam fieri poteſt, minime offendamus. Atque hoc quidem conſilium, meo judicio, in noſtris propoſitionibus jam ſumus ſecuti. Nihil quidem ad pacem retinendam in Synodo, omneſque tumultus inde amoliendos, eſt efficacius illis admonitionibus & adhortationibus de prudentia & diligenti proviſione, à te vel per te ad Præſidem miſſis. Quas uti porro te miſſurum non dubito, ita pergam te de omnibus certiorem facere, ac Deum rogare, ut tu in pace Synodo noſtræ procuranda conſtanter perſeveres.

Die Dominica mane A.D. xvi Cal. Apr. *Exc. T. dicatiſſimus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

Digitized by Google

CCCXLII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De scriptis Remonstrantium; & Vorstio.

ILlustrissime Vir, Post ultimas meas ad te datas tres sessiones fuerunt. Nihil alicujus momenti in iis actum est, ac proinde meam de illis relationem differendam censui in literas proxime scribendas. Hoc solum te in præsenti scire volui, me heri post sessionem antemeridianam vocatum à Præside fuisse in ipsius diversorium; dicebat enim velle se mihi ostendere magnum miraculum, quod etiam præstitit. Quippe ostendit mihi librum eodem die mane à Remonstrantibus Delegatis traditum super articulo tertio, quarto & quinto. Obstupescebam, fatcor, cum viderem; nam tantæ erat magnitudinis, ut una manu non possem è mensa tollere. Altero tanto est prolixior quam reliqua, quæ hucusque tradiderunt. Opinor revera ita esse magnum, ut sunt Biblia nostra magna, quibus in Ecclesia utimur. Velim autem, Vir Illustris, me loqui existimes sine ὑπερβολῇ (*exaggeratione*) aut ulla figura Rhetorices. Dicebam Præsidi, fieri non posse ut Synodus toto semestri spatio ea cognosceret, quæ adeo prolixo volumine continerentur. Respondebat is, se mihi ostensurum duas lineas ex præfatione, quo me omni metu solveret; & sane ostendit. Ibi profitebantur, se non offerre hunc librum Synodo; nihil enim sibi cum ea esse negotii, nec velle se ut in posterum sit aliquid, postquam illa decreverat, ipsos non esse audiendos, sed sententiam ferendam ex scriptis. Ea de causa solis Delegatis librum offerebant, nec volebant aliquem putare, eum esse Synodo oblatum. Hesterno die Heinsius nobiscum prandebat, eumque rogabam, quando illum librum tradidissent. Respondebat, mane ejusdem diei, & tanta cum impudentia, ut satis mirari eam nemo possit. Nam cum unus ex Delegatis diceret, mirari sese, quod tam grande volumen traderent, quod Synodus non posset pervolvere: Episcopius regerebat, sibi & suis nihil rei esse cum Synodo, proindeque solis Delegatis eum librum offerri. Præses Delegatorum ajebat, non Delegatis, sed Synodo datam esse potestatem judicandi; ac illis in literis citatoriis mandatum fuisse, ut venirent ac rationem redderent eorum, quæ in Scholis & Ecclesiis docuerant. Ad hæc Episcopius breviter ac impudenter sic respondit: Vobis Delegatis, & quidem solis, hunc librum tradimus. Si placet eum recipere, apud vos relinquemus; sin minus, rogamus ut velitis reddere, quo ipsi possimus reservare. Aliquis Delegatorum Heinsio mandabat, ut durum hoc & asperum responsum notaret. Episcopius satis superbe Heinsio respondebat; se velle eum hoc labore levare; eadem enim verba in præfatione esse scripta; & ostendebat locum, quo illa invenirentur. Certe Remonstrantes numquam à Synodi initio tam animosi visi sunt, ac nunc, adeo ut dubitari non possit, quin habeant; cui secreto innitantur. Oblitus fui tibi dicere, Præsidem mihi indicasse, percurrisse se librum, ac invenisse maximam partem esse occupatum in refutandis sermonibus, qui palam habiti fuerunt in Synodo de quinque articulis. Spargitur hic rumor de Vorstio citando, & Festus Hommius hesterna vespera mihi dixit, se ea de re tecum fuisse loquutum. Si citatur, tua apud Principem Arausionensem & Comitem Guilielmum gratia nobis in ejus causa opus erit; alioqui non minus diu, quam Remonstrantes, Synodum detineret. Spero te, Vir Illustris, illis hoc consilium daturum; si Vorstius tempus petat tradendi apologiam ac elucidationem de duris loquendi modis in ipsius libro de Deo, ac velit rationibus convinci suorumque argumentorum confutatione, quod brevi fieri non poterit, ne Synodus de iis rebus cum illo loquatur: sed ut plane dicat, omnes, qui sunt in Synodo, legisse ipsius librum, ac multa in eo invenisse, quæ proxime ad blasphemiam accedunt, & sine dubio Ecclesiam Reformatam valde offendunt: explicationem rerum, quas nemo in quæstionem vocat, non esse satisfactionem: itaque se omnino cupere, ut illas retractet & palinodiam canat, Deumque veniam roget, & Ecclesiam Dei ibi congregatam, cui eo libro scandalum dederat. Si hoc facit, eum nostrum fecimus; sin minus, Synodus hominem pro libitu castiget. Velim eum aliis in exemplum palam à Synodo excommunicari. Harum aliarumque rerum curam tibi potissimum committimus, ut rite dirigantur. Deum veneror, ut pergas facere, quod adhuc fecisti, ad commodum Ecclesiæ Dei, ac tuam immortalem gloriam.

Ep. 342.

Dordraci A. D. XII. Cal. Apr.

Excell. T. dicatissimus

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXLIII.

Digitized by Google

CCCXLIII.

Theologi Britanni

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI S.P.

Rationes, extendendi gratiam ultra electionem.

QUæ G. T. summa cum cura, & exactissimo judicio, ad nos perscripsit, ad explanandas quasdam difficultates circa articulum secundum, gratissimo animo, ut debuimus, accepimus, & ubi locus erit, lubentissime cum omni reverentia observabimus. Interea non dubitamus, quin Gr. T. probaturus sit circumspectiorem agendi rationem, qua hactenus cavimus, non modo ne illis Gr. T. institutionibus nisi privatim inter nos uteremur; verum etiam ne illas rigidiores Theses quæ contrarias damnent, in doctrina de pretio oblationis Servatoris nostri Christi, publice edendas suffragiis nostris manuumque subscriptione comprobaremus. Auxit hanc nostram cautelam nuperrimis literis D. Legatus, quibus admonuit nos, quam serio Rex & diligenter observari voluerit, ut antequam Synodus quicquam constitueret de morte Christi, quod nos sequeremur, omni opera annitteremur, ne aliæ conclusiones formarentur, aliisve formulis aut modis præscriberentur, quam quæ proxime, quantum fieri posset, convenirent iis, quibus in primitiva Ecclesia usi sunt Patres contra Pelagianos & Semi-pelagianos, minime autem aliqua phrasi nova recentioris ævi: utque quamminime recederent à Confessionibus Ecclesiæ Anglicanæ, aliarumque Reformatarum Ecclesiarum; denique, quantum fieri posset, cum minimo offendiculo Ecclesiarum Lutheranarum. Quid hactenus de hoc articulo constituerimus, apparet, ex Thesibus nostris, quas diu jam est quod singuli subscripsimus, & quæ cum aliorum judiciis prælectæ sunt Synodo. Earum apographum nunc mittimus, humillime & illas, & reliqua nostra omnia submittentes judicio & auctoritati Gr. T. Singulis harum Thesium, quod & in reliquis articulis fecimus, brevis nostra explicatio subjuncta est, quam, ne Gr. T. molesti essemus, non descripsimus, post reditum nostrum exhibituri Regi & Gr. T. integrum apographum eorum omnium, quæ de quinque articulis notanda nobis, & quibus verbis Synodo exhibenda putavimus, nisi Gr. T. nos jubeat etiam ante ea transmittere. In hoc & aliis articulis quoties concedimus & interpretamur fructus quosdam mortis Christi non contentos in decreto electionis, sed generalius oblatos, restrictos tamen ad visibilem Ecclesiam (cujusmodi sunt vera quædam & spiritualia dona gratiæ divinæ prædicationem Euangelii comitantia, & collata in quosdam non electos) multum proficimus adversus Remonstrantes: duo enim potissima eorum argumenta, quorum alterum ab apostasia petunt, alterum à generali propositione promissionum Euangelicarum, quas odiose objiciunt illusorias reddi, facillime repellimus, ut nobis in promtu est demonstrare. Nec tamen cum Remonstrantibus nimium extendimus beneficium mortis Domini, quasi expositum ex æquo omnibus, & quod non aliter applicari opus habeat, quam solo arbitrio humano; sed expresse statuimus, in usum electorum, specialem scopum cum Christi in oblatione, tum Patris in acceptatione, & manantem ex isto scopo particularem applicationem illius sacrificii, per collationem fidei, aliorumque donorum, infallibiliter perducentium electos ad salutem. Quin ut tanto magis studium nostrum in promovenda hac doctrina observari posset, in fronte Thesium posuimus positiones nostras de speciali Dei intentione. Processus Synodi nostræ (cujus jam mittimus ad Gr. T. brevem enarrationem continuatam priori) collectis jam omnium collegiorum judiciis de quinque articulis, ostendit magis nos in re ipsa & argumento convenire, quam conspirare in singulis conlectariis. Quod speramus probaturum etiam apud ipsos adversarios sinceritatem nostram, eosque conviecturum, quod veritatem Dei magis quærimus quam triumphum de hominibus, D.O.M. Ecclesiæ suæ largiatur pacem, piissimo Regi prosperitatem, incolumitatem Gr. T. quas quotidianis precibus flagitamus,

Gr. T. humillime obsequiosi

Dordr. 21 Martii 1619. Stylo novo.

Georgius Landavensis.
Johannes Davenantius.
Samuel Wardus.
Thomas Goadus.

Versa ex Anglico. *Gualterus Balcanquallus.*

Ep. 343.

DOCTORIS DAVENANTII

Judicium de articulo secundo, discusso in collatione Hagiensi, de extensione redemtionis.

I. Duas hasce sequentes propositiones ut indubias tuemur, quæ duæ primæ sunt, quas exhibuimus, & in quibus nobiscum sentiebant Theologi exteri. 1. Ex speciali amore & intentione tum Dei Patris, tum ipsius Christi, mortuus est Christus pro electis, ut illis remissionem peccatorum & salutem æternam reipsa obtineret, & infallibiliter conferret. 2. Ex hoc eodem amore per & propter meritum & intercessionem Christi dantur iisdem electis fides, perseverantia, cæteraque omnia per quæ conditio fœderis impletur, & beneficium promissum, id est, vita æterna infallibiliter obtinetur.

II. Pariter & has sequentes duas propositiones tuemur, itidem à nobis exhibitas, probatasque exteris.

1. Deus lapsi humani generis miseratus misit Filium suum, qui seipsum dedit pretium re-

Digitized by Google

Ep. 343. redemtionis pro peccatis totius mundi. Quæ propositio æquipollet expresso articulo Ecclesiæ Anglicanæ publica auctoritate constituto anno CIↃ IↃ LXII. *Oblati Christi semel facta, perfecta est redemtio, propitiatio, & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam originalibus quam actualibus*, articul. XXXI. quod ipsum continetur totidem verbis in supplicatione consecratoria præmissa S. Eucharistiæ in libro precum nostrarum.

2. Hoc merito mortis Christi nititur universale promissum Euangelicum, juxta quod omnes in Christum credentes remissionem peccatorum, & vitam æternam reipsa consequantur.

Juxta duas has posteriores propositiones credimus Servatorem nostrum secundum Dei intentionem obtulisse scipsum SS. Trinitati ad redemtionem generis humani; & hac oblatione semel facta fundasse, confirmasse, & ratihabuisse fœdus Euangelicum, quod serio potuit debuitque annunciari omnibus hominibus sine exceptione. Quicunque credit, salvabitur; si tu credes, salvaberis. Quin & hanc ultimam propositionem tuemur, non minus quam priores exhibitam probatamque.

3. In Ecclesia, uti juxta hoc promissum Euangelii salus omnibus offertur, ea est administratio gratiæ divinæ, quæ sufficit ad convincendos omnes impœnitentes & incredulos, quod sua culpa voluntaria, & vel neglectu vel contemtu Euangelii perierint, & beneficia oblata respuerint. Scilicet juxta hanc propositionem existimamus, varias esse præparationes & quasi initia, quæ tendant ad conversionem, impetrata per Christum, atque administrata in prædicatione Euangelii, quin producta per operationem Spiritus S. in cordibus multorum; qui tamen nunquam perveniunt ad veram regenerationem, seu justificationem: cujusmodi sunt illuminatio, & notitia dogmatum fidei, fides dogmatica, sensus peccati, timor pœnæ, cogitatio de liberatione, spes veniæ, &c. Cujus rei evidens exemplum videre est in illis, qui peccant contra Spiritum S. *Hebr.* VI. & X. Denique quod ex hisce conficitur, credimus universum meritum Christi non restringi duntaxat ad electos, ut quidam hic defendunt, & defendebant in colloquio Hagiensi Contra-remonstrantes.

Rationes, quæ nos movent ut tres hasce posteriores assertiones amplectamur, hæ sunt:

1. Minime dubitamus, quin hæc doctrina tantum extendens redemtionem Christi, sit verissima doctrina S. Scripturæ, in quam omnis antiquitas, Patres, & Concilia conspirant: quod imprimis observari ab omnibus Ministris Ecclesia nostra voluit in dogmatis fidei. Lib. quorund. Canon. Discipl. Ecclesiæ Anglicanæ Edit. CIↃ IↃ LXXI. cap. de concionatoribus.

I. Primum ex istis articulis, qui est de redemtionis universalitate, Ecclesia Anglicana, non modo locis citatis, sed & alibi amplectitur, ut in Confessione nostra edita anno CIↃ IↃ LXII. Art. II. VII. XV. & sparsim in libro communionis, & in homiliis. Ep. 343.

II. Quod promissa Euangelii universalia sint, seu ad omnes pertineant, qui secundus est ex illis articulis, Ecclesia Anglicana docet Artic. Relig. VII. de prædestinatione, puta quod oporteat promissa Dei excipere quemadmodum generaliter nobis exhibentur in S. Scriptura: quibus verbis Ecclesia evidenter significat, promissa Dei in Euangelio in genere ad omnes pertinere, quibus annunciantur: itaque quod promissa Euangelii non in omnibus quibus annuntiantur, producant justos effectus, putamus non provenire ex defectu aliquo in morte Christi, perinde ac si minus vere fundasset confirmasseve per mortem suam Euangelicum fœdus, promissumque omnibus factum; aut promissum ad omnes non pertinuerit, aut Deus minus serio omnes invitet, quibus promissum hoc Euangelicum annunciari per ministerium verbi sui curavit, ad conversionem, fidem, & consequenter participationem salutis suæ: verum ex defectu, qui inest in homine respuente gratiam, quam Deus vere & serio offert. Nisi hanc doctrinam amplectamur, quo jure aut fundamento ministri Dei serio hortantur & invitant omnes ad pœnitentiam & fidem in Christum, juxta mandatum promissumque Euangelii?

III. Quod attinet gratiam, quæ viam sternat ad conversionem, quod & hæc communis sit omnibus, variisque modis ac gradibus conferatur in omnes, quibus prædicatur Euangelium, minime dubium est, quin sit doctrina Ecclesiæ nostræ.

IV. Nulla deinde confessio extat ullius Ecclesiæ Reformatæ, quæ Christi mortem restringat ad solos electos. Atqui in mandatis habemus à Rege, ut Belgas moneamus, ne à publicis Confessionibus Ecclesiæ Anglicanæ, & vicinarum Reformatarum recedant.

V. Quin observamus in Collatione Hagiensi, Remonstrantes & Contra-remonstrantes utrinque in hoc secundo articulo adactos argumentis demum convenire in eam, quam diximus, veritatem. Nam in Collat. Bertiana pag. 154. hæc verba sunt Contra-remonstrantium lin. antepenult. *Sed infideles, etsi promeriti quidem illi sint condemnationem, tamen est adhuc via aliqua & ratio*, (sive, ut est in Collat. Brandii pag. 163. *habent tamen medium*) *per quam meritam condemnationem illam possint evadere, nimirum si credant; neque enim resecta est omnis salutis spes, quamdiu per in hac vita est, &c.* At verba Remonstrantium hæc sunt pag. 186. Collat. Bertianæ, post medium; *Experientiam hoc posse docere, non omnes & singulos reipsa à servitute liberari: sed non docet, liberationem, aut salutem jus & modum*

Ep. 343. *modum* (aut *medium*, ut habet Brandius p. 197.) *eo pertringendi omnibus non esse impetratum.* Priore loco Contra-remonstrantes grande discrimen statuunt inter conditionem seu statum malum Dæmonum, & hominum non electorem: homines enim non electos habere viam & rationem evadendi condemnationem, puta fidem. Verum si promissum Euangelicum, fundatum merito Christi, Quisquis crediderit, salvus erit, ad solos pertineat electos, consequitur ut non electi, licet credant, nullam habeant viam aut medium evadendi condemnationem. Etenim fides non prodest per se ad salutem, sed ex voluntate Dei, qui promissum dedit. Dedisse autem Contra-remonstrantes statuunt solis electis: quare nec magis ad non electos ab illis extendi potest, quam ad malos spiritus, qui si possent converti & credere (liceat mihi hanc conditionem ponere, quanquam impleri nequit) tamen servari non possent; quia promissum nunquam factum est ipsis, sed generi humano, ut Scriptura loquitur. Posteriore loco Remonstrantes declarant se, quod Christus morte sua obtinuerit rationem & viam redimendi omnes. Utrique agnoscunt viam & rationem redemtionis impetratam esse per Christum, non modo credentibus, sed & infidelibus seu non credentibus, etiamsi nihil inde obtineant.

V. Non obstante hac thesi de extensione mortis Christi ad omnes, & universalitate promissi, constanter tuemur præcipua capita controversa, non modo in reliquis quatuor articulis, sed & in ipso hoc articulo secundo, in duabus primis nostris propositionibus de speciali intentione Dei ac Christi ad redimendos effective electos, iisque solis gratiam Dei effective promerendam: atque ita in omnibus quinque articulis definiemus sufficienter contra Remonstrantes, & per hanc nostram distinctionem obtundimus præcipua eorum argumenta in omnibus quinque articulis, quæ alioqui non videmus qua ratione sufficienter solvi possint.

VI. Consideramus, quod per hanc nostram assertionem de præmissis articulis, effugiemus omnes istas absurditates, in quas inevitabili consequentia incident, qui tuentur rigidam opinionem Piscatoris, & quorundam in his Provinciis, de doctrina reprobationis, quæ sunt allegatæ à Remonstrantibus in largo volumine, quod conscripserunt in articulum primum, perlecto in Synodo. Quas assertiones, opinor, nullus poterit probare.

VII. Scimus nonnullos, ex doctissimis Episcopis, aliisque in Anglia, idem tueri; nec dubitamus, quin & hi, si dogmata quorundam Contra-remonstrantium ipsis innotescerent, ea essent rejecturi.

VIII. Quin omnino existimamus, rigorem Contra-remonstrantium in hoc secundo articulo, unam esse ex præcipuis rationibus, quæ impediunt Lutheranos, ne in unam so- Ep. 344. cietatem nobiscum coalescant. Adeoque opinamur, si facilitas aliqua adhibeatur à Synodo hac in re, fore, ut imposterum facilius recipiant doctrinam prædestinationis ex mente Augustini, & Ecclesiæ Anglicanæ.

IX. Hæc est doctrina variorum celeberrimorum, doctissimorumque scriptorum in Ecclesia Reformata, ut Melanchthonis, Calvini in multis locis, Musculi, Bullingeri, Gualteri, Aretii, Ursini, Sohnii, Pezelii, Molleri, Paræi, aliorumque.

X. Habuimus collationem nonnullis Theologis hic loci; sed ne minimum quidem respondent, quod nobis satisfaciat.

XI. In instructionibus nostris habuimus speciale mandatum, ut operam daremus, quo positiones moderate constituerentur; quod tendere posset ad mitigandum fervorem utrarumque partium; quod quidem maxime necessarium putamus in hoc articulo secundo.

Versum ex Anglico.

CCCXLIV.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

ILlustrissime Vir, Hac hebdomade parum novi nobis oblatum est, fuimus enim tantum audiendo occupati. En tamen earum sessionum, quas habuimus, commentarium.

Sessio cxix. 18 Martii Stylo Greg. Lecta fuit epistola Marchionis Brandenburgici, quæ, ut Præses referebat, (Belgice enim erat scripta) continebat excusationem de nemine ad Synodum misso. Præses dicebat eam in Latinum translatum, & tunc denuo toti Synodo prælectum iri. Sententiæ Hollandorum tam Australium quam Borealium lectæ sunt, uti quoque Zelandorum, ac Ultrajectinorum, super articulo tertio & quarto.

Sessio cxx. Eodem die post meridiem. Lectæ etiam sunt sententiæ Frisiorum, Transisulanorum, Groninganorum ac Omlandorum, Ecclesiarum Gallo-Belgicarum, & denique Drentanorum: atque ita tandem finis est impositus lectioni sententiarum collegiorum super tertio & quarto articulo. Mirus in illis fuit consensus, non tantum quod ad res ipsas, sed etiam quod ad modos loquendi.

Sessio cxxi. 19 Martii. Lectum est collegii nostri judicium super quinto articulo, quod multo fuit prolixius iis, quæ antea tradideramus. Fini annexa erat una adhortatio ad Deputatos, uti in suis Provinciis defenderent doctrinam, à Reformatis Ecclesiis receptam; & altera ad omnia Synodi membra, uti omni duritate & asperitate rejecta, in condendis canonibus æquanimitate uterentur, maxime quod ad articulum secundum. Tertia adhor-

Ep. 344. tatio accedebat ad Provinciales, uti cum magna cautione ac prudentia populo proponerent doctrinam de prædestinatione, in primis autem de reprobatione. Dicebamus Regem nostrum velle, ut hisce rebus magnam curam impenderemus; atque ita, additis precibus, finiebamus. Lectum quoque fuit Palatinorum judicium, cujus fini annexus erat epilogus, in eundem cum nostro fere scopum collineans. Animadvertendum est, omnium Collegiorum de hoc articulo judicia in eumdem modum finivisse epilogo & precibus.

Sessio CXXII. Eodem die post meridiem. Lectæ sunt sententiæ Hessorum, Helvetiorum, Nassoviensium, Genevatum (qui, uti in præcedentibus sententiis fecerant, nullis utebantur probationibus, sed solis citationibus locorum S. Scripturæ) & Bremensium.

Sessio CXXIII. 20 Martii. Lectum fuit judicium Embdanorum, qui admodum erant prolixi; & quatuor Professorum Belgicorum, cui ipsi propria manu subscripserant, quod etiam fecerat Sibrandus, sed paulo inferius. Sequebatur judicium ipsius Sibrandi, à quatuor reliquis Professoribus eodem modo subscriptum. Lectum etiam fuit judicium Geldrorum, & Hollandorum Australium. Omnia hæc judicia, præterquam Embdanorum, valde erant brevia & contracta.

Sessio CXXIV. Eodem die post meridiem. D. Crocius, unus Bremensium, in id à Præside electus, palam & prolixe, admissis omnibus auditoribus, disceptavit de hisce quæstionibus. 1. An fides justificans per Dei acceptilationem reputetur à Deo pro omni illa legis justitia, quam nos præstare tenebamur. 2. An ipsa fides, sive τὸ credere, id est, actus credendi, homini à Deo imputetur ad justitiam. Assentiebatur parti neganti, contra Socinum, Remonstrantes, & nominatim contra Bertium.

Sessio CXXV. 21 Martii. Lecta sunt judicia Hollandorum Borealium, Zelandorum, Ultrajectinorum, & Frisiorum.

Sessio CXXVI. Eodem die post meridiem. Lecta sunt judicia Transisulanorum, Groninganorum & Omlandorum, Drentanorum, & Ecclesiarum Gallo-Belgicarum. Atque ita coronis imposita fuit lectioni sententiarum omnium Collegiorum super quinque articulis, majori certe (Deo sit laus & gloria) cum consensu, quam in tam numerosa doctorum virorum congregatione quisquam sperare fuerat ausus. Præses dicebat, Ordines Generales exspectare, ut medio inter Paschatis festum tempore canones conficiantur, ac proinde se cupere, ut singula collegia die crastino hora decima aliquem ex suis mittant, qui operam det formandis canonibus, ac dein ad ipsa collegia referat in quibus articulis consentirent, & una deliberet, ut sciri posset quid addi, aut emendari, aut mutari vellent; ut, simulac cum Deputatis convenissent, canones & legi calam possent & approbari. Hoc tantum est, Ep. 345. nisi quod opinor Præsidem nostrum tuo consilio indigere ad canones condendos. Intelligo omnes jam mussitare, ipsum solum velle eos ponficere, ac aliis tantum dictare.

Dordraci A. D. x. Cal. Apr. *Excell. V. dicatissimus*

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS

CCCXLV.

LUDOVICO CROCIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

VIr Clarissime, Intelligo Reverentiam Tuam hesterna sessione publica, in Synodo de Justificatione hominis peccatoris per Fidem in Jesum Christum perorasse, & inter cetera in me absentem & propositi illius vestri ignarum, acrius atque inclementius nonnulla dixisse, & nominatim quidem de Thesi septima mea disput. XXII. quæ in Collegio disputationum privatarum mearum mala fide nuper edito exstat, pronunciasse, *In ea tot fere errata esse quod verba.* Mirabar equidem cum primum audirem inclemens adeo & immite judicium, & gestiebam avidissime intelligere, quibus rationibus adducta Reverentia Tua ita statuisset & judicasset: sed dum eas ex iis scisciter, qui panegyri isti interfuerunt, & à quibus non pauca fideli satis memoria & charta adnotata erant, percipere tamen eas non potui; sive id factum sit quod ad rationes ipsas animum non satis advertennt; sive quod eas, præ quam alias incuriosius effluere sibi passi sint; sive quod R. T. rationes adferre vel operæ pretium, vel consultum non duxerit: Quia tamen nullus dubito, quin R. T. rationes aliquas habere sibi videatur, cur ita de Thesi mea sentiat, & in publico isto confessu pronunciare voluerit, interesse mea putavi, ut eas, si fieri posset, ex R. T. resciscerem. Quare necessarium duxi R. T. per præsentes literas compellare, & ab ea obnixe atque amice petere, ut mihi vel apographum orationis suæ, vel saltem rationes illas, quæ Thesin meam septimam, vel disputationem etiam totam illam XXII concernunt, legendas dare non gravetur; ut si forte eas pondus & momentum habere videro, ab erroribus illis meis revocari queam; sin minus, Reverentiam Tuam melioribus rationibus edoceam errorem suum: quorum alterum futurum nullus dubito, si modo animum utrimque adferamus placidum & Christianum, qui meliora docentibus cedere paratus sit. Æquissimum postulatum meum rationibus munire non satago, ne humanitati tuæ diffidere videar, sed tantummodo illud itero, & à R. T. vel id quod peto, vel responsum saltem expectabo. Vale commendatus Deo & verbo gratiæ ipsius. 21 Martii 1619.

CCCXLVI.

CCCXLVI.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

Grævii de Præſide, Gomaro, Sibrando, querela.

ILluſtriſſime Vir, Quantum moleſtiarum turbarumque in condendis canonibus nobis exantlandum fuerit, ex epiſtola totius collegii noſtri nomine ad te ſcripta intelliges. Si non ſcripſiſſemus communem epiſtolam, ac tu ex meis ſolius literis aliquid protuliſſes, collegæ mei neceſſario fuiſſent ſuſpicati id à me fuiſſe indicatum. Proinde ſtatim Dominum Epiſcopum, ac cæteros noſtri collegii conveni, ut communem epiſtolam ad te ſcriberent de turbido iſthoc negotio. Hæc tria poſſum libere dicere. 1. Præſidem plus ſibi, quam ullus ante eum Præſes, arrogaſſe in conficiendis canonibus, quos à reliquis volebat approbari per nudum placet, vel rejici per ſolum non placet. Tam multos autem ex Provincialibus ſibi addictos habet, ut pro libitu omnia conſtituat. Fateri equidem cogor, me videre non poſſe, quo pacto dignitati cujuſquam convenire queat, quod certe membro Synodali minus, minime autem Epiſcopo convenit, Præſidem ſolum dictare, cæteroſque eum ſequi; ipſum ſolum condere Canones, ac Synodum convocari, non ad conſilium, ſed tantum conſenſum. 2. Videtur mihi multo minus turbarum in Synodo futurum fuiſſe, ſi duo viri abfuiſſent, quibus præſentibus numquam turbæ Synodo deërunt: Sibrandum & Gomarum intelligo, qui alternas habent vices furendi ac tumultuandi. Proxima ante hodiernam procella à parte Gomari detonuit: hodie Sibrandus invectus eſt in noſtrum collegium tanta cum iracundia & impotentia, tantaque cum acerbitate verborum, ut nulla re magis de ipſo ultio ſumatur, quam nuda relatione verborum, quæ protulit. Atque ea quidem uterque Præſes, tam Politicus quam Eccleſiaſticus, dum pergere conabatur, abrupit. D. Davenantius, Vir ingenii ſedati ac placidi, me invito, reſpondiſſet: quod ſane nemo ægre ferre potuiſſet, (nam verba Sibrandi, ſiquidem à ſano homine fuiſſent prolata, nemo ferre potuiſſet) niſi Præſes loquendi facultatem ei eripuiſſet, quod factum gaudebam: quamquam Davenantii reſponſum, ſat ſcio, fuiſſet valde moderatum. Quod ad Sibrandum & Gomarum attinet, non magis eos ob furorem accuſare poſſum, quam lapidem quod deorſum cadat: ita enim ſunt facti à natura. 3. Niſi tu, Vir Illuſtris, magna diligentia provideas, ut bonum conſilium huc afferatur, prout comparatum eſſe video, Synodus erit res omnibus ſeculis deridenda. Præſes & Provinciales nullo modo conſulunt dignitati aut honori Exterorum, neque flocci faciunt rationem, quam reverſi tenebimur reddere omnibus eam petentibus. Volunt canones ſuos ita turgere ſpeculationibus ex Catechiſmo petitis, ut præ iis crepare ac diſrumpi videantur; ſatiſque video nullum eſſe in Synodo miniſtrum Contra-remonſtrantem, quin velit eam doctrinam, quam ipſe propoſuit, & contra quam Remonſtrantes exceperunt, totam canonibus infarciri, ut oſtentare poſſit à ſe dicta. Spero Dei bonitatem, tuamque, quam huc uſque adhibuiſti, pervigilem conſtantiam effecturam, ut omnes moleſtias ſuperemus. Ep. 347.

In poſtremis meis ad te literis, ut opinor, ſcripſi Palatinos invectos fuiſſe adverſus quædam, quæ Doctor Wardus protulerat de tertio ac quarto articulo. Erravi, ſi ita ſcripſi: ſcribendum enim fuerat de articulo ſecundo. Nullas amplius ſeſſiones habebimus, priuſquam in privatis collegiis conſentiamus.

Dordraci A. D. VIII. Cal. Apr. *Excell. V. dicatiſſimus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXLVII.

GUALTERUS BALCANQUALLUS

Secretario

NANTON.

Quæ ratio ne Canones ſint concepti. & de Sibrandi Labberti furore.

VIr Illuſtriſſime: Quod nuper ad te literas non dederim, in cauſa fuit Seſſionum Synodalium interrupta ſeries. Ab eo autem tempore, quo poſtremo tibi ſcripſi, hoc fere pacto tempus tranſegimus. Judicia collegiorum de quinque articulis publice prælegendi finis tandem factus eſt. Major in iſtis (Deo ſit gratia) harmonia & conſenſus fuit, quam ſperari poſſe videbatur in tanto virorum doctorum numero, quorum alter alterius opinionem non noverat. Diſſentiebant ſolummodo in ſecundo articulo. Præſes, qui Synodum ſententiam rogare non ſolet, pro autoritate Canones concipere, coſque nobis dictare voluit. Viſum id nobis, à Rege delegatis, quam maxime pugnare cum Synodi dignitate; ideoque quibuidam, qui conſilium noſtrum probabant, conſultis, ex re fore duximus, quoſdam à Synodo deputatos Præſidi adjungi, ut quicquid actum eſſet, publica autoritate ageretur. Non parum hæc concitarunt Præſidem, à cujus partibus ſtabant Provinciales omnes, ex Theologis exteris quidam, & præſertim Palatini. Convocata tamen hanc ob cauſam publica Synodus eſt: ubi Præſes Delegatorum, habita oratione rogavit, ut quidam à Synodo Deputati Præſidi & aſſeſſoribus adderentur, qui pari labore Canones conflarent. Collectis ſuffragiis plerique ſibi hunc agendi modum diſplicere profitebantur, multumque ſe deferre au-

Ep. 347. ctoritati Præſidis. Sculterus autem multis rationibus Præſidis acta probans rejiciebat novum hoc conſilium à quibuſdam ſuggeſtum, at neminem nomine taxabat. Sibrandus vero ſententiam dicturus furioſi inſtar in eos invehebatur, qui inventi hujus exſtiterant autores: monebatque, exterorum non eſſe ſibi judicium de iis arrogare, quæ conducerent ſaluti hujus Eccleſiæ; eoſque qui ſe iſtis adjunxerant, dignos eſſe qui cenſura Eccleſiaſtica notarentur. Notabat nempe Hollandos Auſtrales, quibus quoque actiones Præſidis valde diſpliciebant. Eo tandem provexit Sibrandum furor, ut ab utroque Præſide, Politico & Eccleſiaſtico moneretur, ut vel taceret, vel ea diceret quæ pacem Synodi non poſſent diſturbare.

Quoniam tamen ita placebat Delegatis, univerſa Synodus Præſidi & Aſſeſſoribus adjunxit ex exteris Theologis tres, Epiſcopum Landavenſem, Sculterum & Deodatum; tres itidem ex Provincialibus, Poliandrum, Walæum & Triglandium: qui canonibus cujuſcumque articuli concinnandis incumberent, quos concinnatos ad ſingula collegia mitti curarent; ut ſi quid additum, demtum, vel mutatum cupiant, mutent, donec tandem miſſis & remiſſis ultima manus imponatur, canoneſque publice ſtabiliti à Synodo probentur. Diligenter admodum expoliendis canonibus, quos nobis Deputati mittunt, incumbimus. Laboramus ſolum de ſecundo articulo. Maxima Synodi pars ſuffragiorum numero nos eo adigere conatur, ut univerſales propoſitiones, quæ in S. Scripturæ & Reformatarum Eccleſiarum Confeſſionibus de morte Chriſti occurrunt, ad ſolos electos reſtringamus. Nos contra tuemur, iſtas nec explicandas, nec reſtringendas eſſe, multumque gaudemus, mandata quæ D. Legatus nomine Regis nobis dedit tam exacte cum ſententia noſtra de ſecundo articulo, quam ſubſcriptam Synodo dedimus, convenire. Cenſemus enim ita demum ſolidum ſufficienſque fundamentum ſubſterni prædicationi Euangelii omnibus hominibus annunciandi. Dein evitamus maximam partem ſcandali, aliter neceſſario Lutheranis Eccleſiis dandi. Tertio retinemus eaſdem phraſes & formulas quibus Patres uſi ſunt, qui cum Pelagianis de eodem dogmate diſputarunt. Siquidem hic conſentimus de cæteris ſatis moderate actum iri ſpero. Si tamen moderatio exterorum Theologorum non obſtaret, ſane canones conderentur, quorum ſimiles conſpicere non eſſet datum. Neque enim ullum ferme Provincialem Miniſtrum reperias, qui ob rigidum aliquod effatum à Remonſtrantibus reprehenſus illud huic illive canoni immiſcere non conetur, ut hac ratione ſententiam ſuam tueri poſſit. Quamprimum de canonibus ſtatutum fuerit, eos tibi mittam.

Subſequitur iſtum laborem cauſa Vorſtii. Volunt quidam librum ipſius cenſura notare, nec tamen ipſum citare. Præſes per literas Col- Ep. 348.
legium noſtrum, Delegatorum nomine, rogavit, utrum conducere nobis videretur, ipſum præſentem Synodo ſiſti; & quænam Regis noſtri foret mens? Reſpondimus, D. Legatum de iſto conſulendum. Nos vero exiſtimare, ægre latum iri aliquem non auditum damnari. Ad id quod ajunt, Vorſtium æque ac Remonſtrantes tracturum Synodum: reſpondimus, non permittendum Vorſtio, ut vel defendat, vel explicet blaſphemas ſuas ſententias, ſed reſpondendum ipſi per ita vel non; rogandumque eſſe, an paratus ſit heterodoxias abjurare. Hac ratione, abſque temporis diſpendio de cauſa ejus ſtatui poteſt. Ipſum itaque citandum puto. Pauca hæc tibi perſcribenda duxi, nam per duodecim dies Synodus non convenit. Neque video, qui ea ante Pentecoſtes feſtum ad finem perduci poſſit. Vale Vir Illuſtriſſime.

Dordr. 26 Martii 1619. *Tui obſervantiſſimus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXLVIII.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

ILluſtrime Vir, Parum novi in præſenti hic contingit; ſed nullus dubito quin proximis literis plus tibi ſim perſcripturus. Neceſſe eſt ut fatear, Synodi Deputatos omnia egiſſe ut noſtro collegio ſatisfacerent. Aliqui ex noſtro Collegio non ſine calore urſerunt, ut præter ſecundum articulum hæc quoque poſitio deleretur, *infideles damnabuntur, non ſolum ob infidelitatem, ſed etiam ob omnia alia peccata ſua, tam originalia quam actualia*: quoniam ex ea inferri poſſet, peccatum originis non eſſe remiſſum omnibus, qui ſunt baptizati; quæ ſententia eſt à non uno concilio condemnata. Deleverunt autem ipſorum rogatu. Nihil in præſenti eſt dictu dignum, in quo, quantum ego quidem ſcio, nos ab invicem diſſentimus. Craſtino die erit ſeſſio, quando aliqua via ſtatuemus de canonibus. Proxima occaſione intelliges, Vir Illuſtris, quid ſimus acturi. Mitto tibi orationem, quam in Synodo habui. Tu pro tua prudentia ignoſces vitiis orationis, intra biduum meditatæ. *De eadem hac re.*

Dordraci A. D. XVIII. Cal. Maj. *Excell. V. dicatiſſimus*

Verſa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCXLIX.

CCCXLIX.

DUDLEIO CARLETONO

Magnæ Britanniæ Regis Legato

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

De Synodalium inquisitione contra Remonstrantes.

ILlustrissime Vir, Quoniam Doctor Davenantius ad te venit, is me liberat onere ad te scribendi nova; omnia enim plane narrabit. Satagimus rerum, quæ nullo modo sunt necessariæ. Tanto fervore ad Remonstrantes opprimendos feruntur, ut omni opera id agant, quo verbis ipsorum eam affingant sententiam, quam iis inesse nullus Grammaticus opinabitur. Die Martis post meridiem fuit sessio, in qua lecti sunt canones primi & secundi articuli, omnesque approbati, excepto ultimo secundi articuli. Qui qualesque hi canones fuerint, ex Doctore Davenantio intelliges. Ultimus ejusmodi erat, ut nemo sanæ mentis, meo quidem judicio, umquam sit eum approbaturus. Die Jovis ante meridiem aliam sessionem habuimus, in qua nihil actum est, præterquam quod deliberatum fuit, an ultimus Canon de falsa doctrina retineretur. Nostrum collegium, durante ista sessione, contra totam Synodum disputavit. Condemnabant rem ipsam, ut nimis curiosam & nimis anxie quæsitam, & tamen retineri volebant, ut Remonstrantes odiosos redderent; quamvis verba ipsorum contrarium ejus, quod ris affingebant, præ se ferrent. Eodem die post meridiem porro sessio fuit, in qua prælecti canones tertii, quarti, & quinti articuli, & omnes approbati. Quid scitu præ cæteris dignum ea sessione actum sit, proxima occasione per me scies. Nihil quidem magni momenti contigit: sed quando commentarium proximarum sessionum mittam, & hujus quoque ad te dabo. Heiterno die nulla fuit sessio: Deputati tantum conveniebant ut de procemio & epilogo canonum deliberarent, & de iis in ipsis canonibus mutandis, quæ visa fuerant mutanda. Quo in statu simus, ac quo consilio egeamus, R. Doctor Davenantius tibi significabit. Habui, Vir Illustris, cum M. Douglasio multum sermonem de controversiis hujus Ecclesiæ, atque video eum esse orthodoxum: adeo ut nullus sit metus de ipsius opinionibus, modo cætera sit aptus & sufficiens. Rumor in Synodo spargitur, Sculteto autore, de Regis nostri morbo mortifero; sed spero nihil esse præter podagram. Desino & maneo

Dordr. A.D. XIII. Cal. Majas 1619. *Exc. T. dicatissimus*

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

CCCL.

DUDLEIO CARLETONO

Regis Magnæ Britanniæ Legato,

GUALTERUS BALCANQUALLUS.

Querela de Præsidis processu circa censuram personalem.

ILlustrissime Vir, Tandem operi nostro de quinque articulis coronidem imposuimus. Quantum laboris in ultimis sessionibus exantlaverimus, nemini, nisi experto, constare potest: quamque mirum in modum segesserint, in primis Præses, vel cæcus satis viderit. Multum sane spem omnium de se fefellit. Quod ad censuram personalem, quæ res est magni momenti, nihil nobis de ea innotuerat, nisi eopse momento, quo prælegebatur; ac quoniam Deputati, qui Hagam cogitabant, diutius retineri non debebant, tota Synodus illi assentiri necesse habuit. Medio tempore intra sessionem antemeridianam & pomeridianam valde apud Exteros adlaborabant, quo isti censuræ suffragarentur; sed nos quidem huic negotio non immiscuimus. Quod solum possum dicere, hoc est: Nimis mihi durum videtur, quemque, qui singulis canonibus non vult subscribere, munere suo moveri. Numquam vetus Ecclesia, numquam ulla Reformata adeo multos articulos servandos proposuit, sub pœna excommunicationis. Nonne itaque crudele fuisset, si omnia pro canonibus habita fuissent, quæ illi volebant? Exempli gratia, illud de absoluta necessitate æqualitatis naturæ ad nostram redemptionem conficiendam. Nemo nostrum canones habet, vel habiturus est, priusquam Ordines eos approbaverint. Mitto tibi commentarium omnium sessionum habitarum post proximum ad te missum commentarium. Sessiones tam longæ ac in multam vesperam productæ fuerunt, ut eas accurate scribere non potuerim. Eas itaque, quod pace fiat tua, ita tibi mitto, ut meus amanuensis ex annotatis, quæ in Synodo feceram, descripsit. Spero te, Vir Illustris, ignoscturum nostris occupationibus.

Dordr. A.D. VII. Cal. Majas 1619. *Excell. V. dicatissimus*

Versa ex Anglico. G. BALCANQUALLUS.

Sessio CXXVII. 26 *Martii Stylo novo.* Præses D. Delegatorum oratione brevi monet Synodicos, D. Delegatis omnino videri futurum è re & dignitate Synodi, si domino Præsidi, & D. assessoribus pauci aliquot à Synodo, tum ex exteris tum ex provincialibus, adjungantur, in quos, authoritate publica, cura concipiendi & concinnandi canones devolvatur; publicis ita gratiis ab ipso nomine Delegatorum D. Præsidi Ecclesiastico actis, ob gratissimum laborem hactenus in canonibus concipiendis susceptum, eorundem nomine rogat,

Digitized by Google

Ep.350. ut quam viam ingreſſus eſſet in primo, eandem quoque in reliquis articulis viam inſiſteret: rogat porro, ut ſtatim aliquot nominet Synodus, qui cum D. Præſide in idem negotium incumbant; utque velint totum hoc negotium quam fieri poſſit citiſſime maturare, cum id præſertim ab ipſis D. Ordines Generales vehementer contendant. Rogantur de deputatis hiſce Synodicorum ſententiæ, in quibus ferendis fuit magna admodum varietas; multi volebant Prælidem eodem quo cæperat pede pergere in canonibus dictandis: inter Exteros iſthoc conſilium vehementius urgebat D. Scultetus, inter provinciales D. Sibrandus, ſed immodeſte & imprudenter ſatis; adverſus enim illos qui hoc conſilii ſuggeſſerant fervide admodum declamabat, ſeu potius exclamabat; dicebat enim, quoſdam eſſe qui huc illuc curſitaverant ut alios in ſuas partes pertraherent; quos putabat omnino cenſura eccleſiaſtica notandos: neque hic debere Exteros nimium laborare, ut pote quibus non tam conſtaret de ratione Eccleſiarum Belgicarum, quam provincialibus: eo demum ferebatur, ut D. Præſes politicus, itidem & D. Præſes Eccleſiaſticus, eum graviter monerent, ſuaderentque ipſi majorem modeſtiam. D. Davenantius, cum ſe & collegas ſuos hic ſugillari putaret, petiit à D. Præſide, ut liceret ſibi à ſe & ſuis calumnias iſtas depellere; verum rogatu D. Præſidis à reſponſo abſtinuit. Cum vero depoſceretur South Hollandorum ſuffragium, D. Latius (is eſt qui hiſtoriam Pelagianorum ſcripſit) eo quod putaret ſe & collegas ſuos nomine curſitantium à Sibrando impetitos fuiſſe, modeſte certe in ſuffragio ſuo D. Sibrandum perſtringebat; ajebat enim, omnino ſibi videri è dignitate, Synodi, ut Canones authoritate publica non privata conciperentur; poſſeque ſe facillime illi reſpondere, qui hoc ſuum & collegarum conſilium perſtrinxerat, niſi charitati aliquid dandum eſſet; neque hic, ſicut dicebatur, conſilium conſilio opponi; inconſulte admodum hoc dictum eſſe, eumque non minus Eccleſiaſticam cenſuram mereri qui tam inconſulte loquutus ſit, quam illos qui authores fuerant conſilii iſtius de nominandis deputatis. Tandem poſt lata omnium ſuffragia, potioribus ſententiis nominati ſunt inter Exteros, D. Epiſcopus Landavenſis, D. Scultetus, D. Deodatus; inter provinciales, D. Polyander, D. Wallæus, D. Triglandius, qui una cum D. præſide & aſſeſſoribus & canonibus concinnandis incumberent, quos concinnatos ad ſingula collegia mitti curarent, ſi quid forte additum, demptum, mutatum cupiant, deinde à collegiis remiſſos limarent manu ultima, ut ſic tandem toti Synodo propoſiti ab eadem approbentur.

Seſſio CXXVIII. 16 *Aprilis ſtylo novo poſt meridiem. D. Præſes* narrat, jam tandem poſt aliquot ſeptimanarum laborem aſſiduum, indulſiſſe Synodo Deum conſenſum illum ſuaviſſimum, quem omnes tanto opere exoptaverant: moram monebat nemini debere eſſe gravem, ſed gratam potius; quia ut ut in fundamentalibus optime inter omnes & ſingulos (ſicut patebat in judiciis) convenerat: ſperari tamen non poterat ſingulos in ipſis loquendi formulis conſpiraturos: monebat porro dictam fuiſſe hanc ſeſſionem, ut D. Delegati omnium & ſingulorum conſenſum obſervarent: Rogantur ſinguli Synodici, ut diligenter attendant lectioni articulorum, & moneant, ſi quid forte mutatum velint; nec ægre ferant, ſi mutetur fortaſſis verbulum aliquod aliter quam ſe habeat in exemplaribus quibus heri ſinguli ſubſcripſerant; cum in reipſa nihil plane ſit mutatum. Ep.350.

Leguntur itaque articuli Synodici, ſeu canones de primo articulo contraverſo. Singuli Synodici poſt ipſorum lectionem viritim rogati de conſenſu, ſinguli ſolenniter profitebantur, ſe articulos Orthodoxiam complectentes probare, ut pote conſentientes cum ſacra Scriptura & Confeſſionibus Reformatarum Eccleſiarum; articulos vero Heterodoxiam complectentes improbare ut ab iiſdem diſſentientes. Deo agebant ſinguli gratias de tam ſuavi conſenſu, votoque Deum rogabant, ut vellet parem ſemper harmoniam Eccleſiis ſuis Reformatis largiri. Obſervandum autem eſt, hic ſingulos ſignificaſſe, quod heri illis articulis ſubſcripſerant; exceptis ſolis Theologis Britannis, qui ſubſcriptiones ſuas differebant, donec poſſet exemplar aliquod nitide deſcribi.

Leguntur articuli Synodici ſeu canones de ſecundo articulo contraverſo: in iis autem articulis prælectis, fuerant quædam verba mutata & aliter diſpoſitia, quam fuerant in articulis quibus heri Synodici omnes, exceptis Britannis, ſubſcripſerant: Britanni eandem ſententiam quoad conſenſum de hiſce articulis quam de prioribus ferebant, niſi quod ſecundam Heterodoxam putarent magis clare & perſpicue proponi poſſe, & ultimam Heterodoxam, quæ eſt de potentia Dei, an potuerit alium reconciliationis modum quam per Chriſtum acceptaſſe, dicerent jam primum ipſos obſervaſſe, & videri ſibi eſſe eam magis ſcholaſticæ ſpeculationis, quam diſquiſitionis Synodicæ; itaque petebant deliberandi tempus: petebant porro, ut quæ in illis articulis damnarentur pro Socinianiſmo, poſſent ipſis oſtendi ex Socino deprompta; rem ipſam damnabant, ſed an à Socino profectum eſſet iſthoc dogma neſciebant, cum ſcriptorum Socinianorum non dum facta eſſet ipſis copia: Haſſiaci eundem teſtati ſunt conſenſum quem in priori articulo, niſi quod in articulo octavo orthodoxo vox illa (*Singulari*) non addita eſſet ad iſthæc verba (*liberrimo conſilio*) prout in obſervationibus ſuis ad canones de ſecundo articulo annotaverant; verum cum perſuaſum ſit illis, omiſſionem iſtius vocabuli facere ad pacem

Ep.350. pacem Ecclesiarum Belgicarum, se acquiescere, & semper exposituros canonem illum secundum suum sensum, id est, quem possit habere verbo illo addito: verum ne fratres putarent, ipsos in suis observationibus aliquid posuisse, quod in rei ipsius substantia aut fundamento à canone jam prælecto discreparet, paratos se esse, qui cum fratribus, si modo id cupiant, observationes suas communicent. Helvetii testabantur consensum suum cum illis articulis quibus heri subscripserant; verum cum nunc videant aliqua verba immutata esse, rogant ut articulos relegant, ut sic ad conscientiæ consensum possit quoque oris consensus accedere. Bremenses consensum quoque suum testabantur; sed addita eadem illa ad eundem articulum cautione quam adhibuerant fratres Hassiaci. Reliqui omnes Synodici plenum suum consensum sicut in primo articulo testati sunt. Annotarunt solum Goclenius, Sibrandus, Gomarus, & fortassis unus adhuc aut alter, quædam, sed quæ plane Grammatica erant. Aberant ex Synodicis pauci aliquot, sed quos Præses narrabat singulos articulos suis syngraphis comprobasse. Propter publicum quod die crastino celebrandum est jejunium, monet Præses non habendam esse Sessionem ante diem Jovis.

Sessio CXXIX. 18 *Aprilis stylo novo.* Quæsitum fuit fusius de ultimo Heterodoxo canone in articulo secundo, qui rejicit eorum opinionem, qui statuunt ad sufficientiam Pretii Redemptionis nostræ, non fuisse necessariam naturæ nostræ similitudinem in Christo: Quærebatur an deberet hic retineri tanquam error Remonstrantium, an vero hic omitti, & numerari postea inter errores Vorstianos? Theologi Britanni pluribus rem disceptabant; contendebant enim, si canon intelligendus esset de absoluta necessitate, id est tali, quæ removeret à Deo omnem potentiam aliter natuendi, ante suppositionem omnis decreti & voluntatis certæ, temere nihil definiendum esse de absoluta Dei potentia; esse hanc speculationem magis Scholasticam; Ideoque Canones Synodicos non debere ingredi: præsertim cum quidam Patres, & nonnulli Doctores Reformati, putent illam naturæ similitudinem hoc sensu non fuisse simpliciter & absolute necessariam: si vero Canon sit intelligendus, de necessitate hypothetica, id est, ex suppositione decreti & voluntatis certo nobis in Scriptura revelatæ, (quo sensu putant vocabulum necessitatis in hoc negotio in sacra Scriptura accipi) canonem verum esse putant; sed nullo modo ferire Remonstrantes, qui absolutam tantum necessitatem rejiciunt; ut patet ex ipsorum verbis in nupera declaratione exhibita. Ideoque putant, consultius hunc canonem posse omitti. A pluribus multa de hac quæstione dicta sunt; quibus omnibus Britanni responderunt. Potiora tamen suffragia voluerunt, canonem illum retineri. Præses monuit sic concipiendum esse, ut possit omnibus Ep.351. satisfieri.

Sessio CXXX. *eodem die post meridiem.* Leguntur Canones Synodici de tertio & quarto articulis; ubi omnes ac singuli Synodici post ipsorum prælectionem viritim consensum suum solennibus verbis testabantur. Varii Theologi tamen varia annotabant: sed quæ tantum perspicuitatem in verbis spectabant; in re ipsa nihil desiderantes.

Leguntur Canones Synodici de quinto articulo. Post ipsorum lectionem singuli porro (ut in prioribus) ipsos solenni consensu comprobabant. D. Goadus recitavit catalogum duriorum phrasium, quas Theologi Brittanni cupiebant à Synodo rejici, eo quod ex ipsis, tum Remonstrantes tum Pontificii, doctrinam Reformatam calumniandi magnam ansam sumerent. D. Scultetus etiam suadebat, ut unus aliquis à Synodo deligeretur, qui ultimam manum canonibus imponeret, daretque operam ut stylus canonum ubique par esset, & limatus satis & perspicuus. Aliqui nec dictionem nec stylum mutari voluerunt. Quidam quoque putabant non fore è re Synodi, ut duriores illæ phrases rejicerentur à Synodo; quia sic læderetur fama excellentissimorum virorum quorundam. Præses monet die crastino mane deputatos Synodicos conventuros esse, capturoque consilium de mutandis illis aut delendis quæ observata sunt à quibusdam fratribus, atque etiam de rejiciendis phrasibus durioribus, idque ea ratione, qua possit magis commode omnibus satisfieri; porroque de præfatione, & Epilogo canonum prospecturos; Rogatque ut singula collegia unum aliquem ad horam quartam pomeridianam mittant, qui describant ea quæ conceperunt deputati, & ad collegia sua referant, ut sic de omnium consensu constare possit ante proximam Sessionem.

Sessio CXXXI. 20 *Aprilis stylo novo.* Legitur Epilogus post Canones conceptus à deputatis, in quo etiam continebatur absersio calumniarum quarundam, quibus doctrinam Ecclesiarum Belgicarum Remonstrantes gravare conantur: Quæritur an omnes Synodici in forma prælecta acquiescant? Britanni voluerunt quædam alia rejectanea addita, qualia erant illa duo præcipue [*Deum movere hominum linguas ad blasphemandum*] & [*Hominem non posse plus boni facere quam facit.*] Hassiaci legerunt scriptum prolixum & bene concinnatum, in quo pluribus rationibus ostendebant, necessarium esse ut plures duriores locutiones, quæ apud privatos scriptores reperiuntur, rejicerentur à Synodo; ut sic Ecclesiæ reformatæ à gravissimis calumniis circa Reprobationis doctrinam liberari possint Bremenses itidem scripto bene prolixo idem contendebant: Reliqui Theologi Exteri formam jam prelectam probabant. D. Præses monebat, non reganda esse Provincialium suffragia

Digitized by Google

Ep.350. gia ante Seſſionem pomeridianam; quia videbat Theologos Exteros hic non idem ſentire: & monet profeſſores Belgicos, ut in horam quartam ponitent rationes quæ utrinque fuerunt allatæ.

Seſſio CXXXII. *eodem die poſt meridiem.* D. Præſes antequam pergat in rogandis ſuffragiis de quæſito antemeridiano, rogat Synodum, ut velit audire quæ ipſe una cum D. aſſeſſoribus tempore intermedio de rejectione duriorum locutionum conceperant: & rogat Synodum, ut velit hæc duo perpendere; primo, neminem ex Theologis Belgis iſtiuſmodi unquam ſcripſiſſe aut docuiſſe; ac proinde non ſpectare illa ad hanc Synodum, quæ tantum Belgica eſſet: Secundo, doctores illos, apud quos iſthæc duriora dicta comperiuntur, fuiſſe & eſſe vel Theologos Anglos, vel Gallos, vel Germanos; qui cum à ſuis principibus & Eccleſiis ob illas duriores loquendi formas non eſſent notati, veriſimile ajebat eſſe, principes illos & Eccleſias exteras ægre laturas, ſi Synodus hæc Nationalis ipſos ob iſthæc dicta aliqua cenſura notaret.

Legitur forma Epilogi jam de novo concepta, in qua plures aliquot incommodæ locutiones rejiciebantur quam in priori; ſed nullæ ex iis quos Theologi Exteri addi cupiebant: Quæritur Synodicorum de hoc Epilogo ſententia: Britanni ſerio urgent, additionem plurium, præſertim eorum quæ Seſſione antemeridiana memoraverant: ad duas rationes à D. Præſide allatas reſpondebant: ad primam; Remonſtrantes in declarationibus ſuis ad Synodum exhibitis, multa loca Contra-Remonſtrantium, ipſos libros & paginas citare, in quibus iſtiuſmodi ſcripſerint; niſi itaque Synodus iſtiuſmodi dicta improbet, non poſſe Belgas ab iſtiuſmodi calumniis liberari. Ad ſecundam: Theologos Exteros non debere quidem in Synodo notari; verum ſi quid dixerint aut ſcripſerint, quod cedat Reformatæ Eccleſiæ in contumeliam, illud poſſe Synodum, cujuſcunque demum ſit, rejicere: neque hoc debere Synodum morari, quod fortaſſis non ſint Belgæ; hac enim ratione Synodo nihil permitti in Socinum, cujus tamen dogmata ſæpius quam ſemel in canonibus damnat; neque debuiſſe Regem Magnæ Britanniæ aliquid adverſus Vorſtium ſtatuere, qui ipſius ſubditus non erat: optare ſe ut fiat ſummus delectus eorum quæ rejiciuntur, nec poſſe aliquam Reformatam Eccleſiam hoc ægre ferre; cum nihil cupiant rejici quod à conſenſu alicujus Reformatæ Eccleſiæ comprobatum ſit: cupere ſe præſertim ut illa ſententia rejiciatur, [*Neminem poſſe plus boni facere quam facit*] cum exinde nulli Reformato doctori defuncto aliqua contumelia inferatur; cum ſit ſententia heri tantum nata, quæ vix ſeptimum ætatis ſuæ numeraret annum. Reliqui omnes Theologi exteri, quia cupiebant (ut ajebant ipſi) multum paci dare, in forma prælecta acquieſcebant; optabant tamen illi, qui antemeridiem rationes ſuas attuliſſent, ut poſſint plura rejici. Provinciales omnes formam prælectam probabant: & Profeſſores Belgæ multis rationibus contendebant, non debere Synodum dicta virorum, alioqui optime de Eccleſia Reformata meritorum, aliqua cenſura notare. D. Sibrandus tamen ajebat, negari non potuiſſe, quin aliqui in Belgio duriora quædam docuerint, quam eſſent illa quæ Theologi Britanni in catalogo ſuorum rejectaneorum recitaverant. Sub finem Præſes monet, cum hæc ſit res ordinis, non doctrinæ ſolius, conſulendos eſſe de hoc negotio Dominos Delegatos: qui rogati, deliberaturos ſe de re præſenti in Seſſionem craſtinam matutinam pollicentur. Ep.350.

Seſſio CXXXIII. 22 *Aprilis ſtylo novo.* D. Præſes rogat D. Delegatos, ut velint Synodo exponere quid ipſi de Epilogo proxima Seſſione relecto ſtatuant. D. Delegati cupiunt ipſum denuo relegi. Relegitur. D. Delegati illum probant, & rogant Synodicos, ut, ſi id fieri poſſit, velint in ipſo acquieſcere. Orant porro, ut jam tandem quam fieri poſſit maturrime negotium hoc quinque articulorum ſemel abſolvant; quippe quod ipſi jam denuo iteratis juſſionibus urgeantur à D. Suis Ordinibus Generalibus ad hoc ſerio flagitandum: Rogantur Synodici de hac formula prælecta; Britanni omnibus modis urgebant ut aliqua rejectanea porro adderentur hoc præcipue, [*Hominem non plus boni facere quam facit:*] verum ſi hoc obtineri nequiret; ut darent multum paci non nemo ex ipſis monebat, ampliandam eſſe illam ſententiam [*Et qua alia ſunt hujus generis plurima*] ut ſi quando exprobaretur ipſis aliqua horribilis ſententia quam non rejecerant, poſſent ſe excuſare per illam parentheſin, & aſſerere omnia iſtiuſmodi in illa ſententia rejecta fuiſſe à Synodo: Itaque ut paci & tempori conſulant, acquieſcunt; monentes tamen, illud omnino mutandum eſſe quod habetur in Epilogo; doctrinam Reformatarum Eccleſiarum cenſendam eſſe eam quæ hiſce canonibus continetur; ſe enim profitebantur deputatos à ſereniſſima Regia majeſtate, non ab Eccleſiis ſuis: nullam ſibi commiſſam authoritatem, qua poſſent Eccleſiarum ſuarum confeſſiones explicare; tuliſſe ſe tantum privata ſua judicia quæ ipſi putarent vera eſſe; multa ſe in canonibus tanquam vera concluſiſſe, de quibus ne verbum quidem habetur in Eccleſiarum ſuarum confeſſionibus; verum quod ſciant nihil in illis contineri quod iſtis confeſſionibus repugnaret. Reliqui Synodo prælectum Epilogum probabant; & complurimi cenſebant, reliquas duriores loquendi formulas debere in ſcripto Elenchtico quod adornatur diſcuti; atque illic calumnias, quibus ob ipſas gravatur Reformata Eccleſia, debere depelli. D. Præſes itaque monet Deputatos Synodi à meridie conventuros, ut quam

fieri

Ep.350. fieri poſſit, canones illos duos heterodoxos in ſecundo articulo, de quibus tantopere in Synodo non ita pridem diſceptabatur, ita componant ut ſinguli facile in conſenſum adduci poſſent. Interea monet jam deſcribi nitidum omnium Canonum exemplar, quibus publice in Synodo à ſingulis ſeſſione craſtina antemeridiana ſubſcribendum eſſet, ut ſic Canones abſoluti eodem die poſſent Hagam ad D. Ord. Generales tranſmitti; ſub initium enim hujus Seſſionis, narrabat D. Gregor: Martinii, D. Delegatos quoldam ex ipſorum numero delegiſſe, qui die craſtino Canones ad D. Ordines eſſent delaturi; hoc enim ajebat D. Ordines, & cum Eccleſiæ, tum Reipublicæ Belgicæ ſtatum, depoſcere.

Seſſio CXXXIV. 33 *Aprilis ſtylo novo.* Leguntur articuli de primo articulo contraverſo, quibus omnes & ſinguli ſolenniter ſubſcribunt, in tribus exemplaribus. Præſes monet, à ſingulis collegiis unum exemplar deſcribendum eſſe, cui etiam ſinguli Synodici ſubſcripturi eſſent: loca Scripturæ narrat poſtea deſcribenda eſſe, & addenda ſuſius, quæ jam per temporis anguſtias deſcribi non potuerunt. Narrat jam inter deputatos conveniſſe de mutatione ſecundi articuli Heterodoxi in ſecundo articulo in tres articulos, & deletione ultimi Heterodoxi in eodem articulo, qui erat de abſoluta neceſſitate ſimilitudinis naturæ in Mediatore noſtro. Quæ mutata erant in ſecundo Heterodoxo leguntur; & rogat D. Præſes ſingulos, ut in ſeſſionem pomeridianam deliberent, num poſſint in mutatis acquieſcere.

Seſſio CXXXV. *eodem die poſt meridiem.* Rogantur Synodicorum ſuffragia, num placeat ipſis ut ultimus ille Heterodoxus Canon in ſecundo articulo deleatur, & ſecundus ille in tres prælectos Canones mutetur. Placuit omnibus & ſingulis. Leguntur itaque Canones de ſecundo, tertio, quarto, quinto, articulis, quibus etiam ſinguli ſolemniter ſubſcribunt. Duravit hæc ſeſſio in horam X. veſpertinam.

Seſſio CXXXVI. 24 *Aprilis ſtylo novo.* D. Præſes monet, D. Deputatos à Synodo mandaſſe uni, ut conciperet formam perſonalis cenſuræ, quam Synodus exerceret adverſus citatos, & quoſcunque alios qui recuſarent doctrinam Synodicam: varios quoque Synodicos Deputatis formulas obtuliſſe, eos tandem in unam conveniſſe, quæ nunc prælegenda eſſet Synodo, ut eam probet, vel corrigat. Legitur; fuit autem in hanc ſententiam; Synodum cenſere Remonſtrantes eſſe novatores & perturbatores patriæ. Reipub. præſertim Eccleſiæ Belgicæ; ejuſmodi docuiſſe dogmata, quæ à verbo Dei, & Confeſſionibus Reformatarum Eccleſiarum diſſentirent, præterea citatos ad hanc Synodum teneri reos contumaciæ adverſum cum ſupremum Magiſtratum, cujus decreta ſpreverint, tum ipſam Synodum, quam pro legitimo judice nunquam voluerunt agnoſcere; ideoque Synodum omnes ad præ- Ep.351.
ſentem Synodum abdicare ab omnibus ſuis muneribus, tum Eccleſiaſticis tum Academicis, eo uſque, dum pœnitentiam agant de falſis dogmatibus à ſe ſcriptis, prælectis, & doctis, & poſſint hanc ſuam pœnitentiam indubitatis ſtudiis & ſignis Eccleſiis Belgicis teſtatam facere: reliquos vero Remonſtrantes in Belgio ad Synodos Provinciales remittit, quibus mandat, ut doctores & pertinaces continuo omnibus ſuis muneribus abdicent; reliquos vero vitio temporis lapſos, & à ſeductoribus abreptos, omni lenitate & patientia conentur in viam reducere; quos ſi lucrifacere poſſint, omni conatu id agant; ſin minus, pariter & cum ipſis agant. Porro Synodus, Illuſtriſſimos Ord. Generales obnixe rogat, ut hanc ſuam ſententiam de quinque articulis, atque etiam de Remonſtrantibus abdicandis, firmam & ratam eſſe velint & jubeant, gratiaſque ipſorum Dominationibus cum omni debito obſequio defert, propter ipſorum de reformandis Eccleſiis ſuis ſtudium ſingulare. Quæritur Synodicorum judicium de cenſura hac perſonali. Theologi Britanni omnes ac ſinguli reſpondebant, doctrinam Eccleſiarum Belgicarum hic in Synodo aſſertam ſuam fuiſſe, ac proinde ipſos vocatos ſententiam ſuam de illo expoſuiſſe; perſonas vero qui contrariam ſententiam docuerint eſſe cives Belgas; ideoque de aliorum ſubditis nolle ſe ullo modo perſonalem ſententiam ferre, ideoque ſe cenſuram omnino Provincialibus relinquere, quibus integrum eſſet de ſuis miniſtris ſtatuere. Idem ſentiebant omnes Theologi exteri, exceptis Genevenſibus & Embdanis, qui ſententiam prælectam probabant; & Bremenſibus, qui tempus deliberandi poſcebant. Provinciales quædam in forma prælecta obſervabant: Cujuſmodi fuit illud, non eſſe fori Eccleſiaſtici, eos damnare tanquam perturbatores patriæ & pacis Reip. hoc ſpectare ad civilem Magiſtratum. Magna fuit diſceptatio inter Provinciales, an tollerandi eſſent illi, qui utcunque nollent ſubſcribere articulis Synodicis, tamen reciperent ſe nihil unquam, vel publice vel privatim, adverſus ipſos dicturos aut docturos. Quidam ex Provincialibus petebant, ut Theologi Exteri de hac re ſuam ſententiam aperirent. Sed D. Præſes reſpondebat, iſta particularia omnino oportere relinqui Synodorum provincialium prudentiæ; & neſcire ſe adhuc, quam tollerantiam permiſſuri eſſent D. Ord. Generales. Itaque forma prælecta, ſi paucula quædam mutarentur, ab omnibus provincialibus probata eſt, exceptis Zelandis & Gallobelgicis, qui ſpatium deliberandi de re graviſſima petiverunt.

Seſſio CXXXVII. Relegitur cenſura perſonalis emendata, in qua illud de perturbatione patriæ & Reip. omittebatur: Quæritur Synodicorum ſententia de ipſa jam correcta: Britanni & Haſciaci eam nec probabant nec

Ep.350. improbabant; noluerunt enim ſe perſonalibus immiſcere. Reliqui omnes Exteri, ut ajebant, re ipſa melius perpenſa quam ante meridiem, eam probabant; exceptis Bremenſibus, quorum duo priores mitius quoddam conſilium ſuggerebant; tertius vero D. Crocius rem putabat eſſe maximi momenti, ideoque nihil poſſe ſe de ea ſtatuere, niſi apographum formulæ prælectæ & tempus deliberandi concedatur. Provinciales omnes eam probabant. Gomarus autem & alii petebant, ut Synodus apud Ord. Generales intercederet, pro largiendo Remonſtrantibus minus pertinacibus trimeſtri ſtipendio; fortaſſis enim poſſent cupere illo tempore cum viris doctis conferre, ſuiſque conſcientiis de canonibus Synodicis ſatisfacere; ſed voluit ipſos primo quoque tempore à miniſterii ſui exercitio ſuſpendi. D. Præſes reſpondebat, non eſſe è dignitate Synodi tam auguſtæ, ut intercedat apud D. Ordines pro re ſtipendiaria; verum non dubitare ſe, quin D. Ordines benigne ſatis & clementer cum ipſis acturi eſſent. Rogatur D. Delegatorum de hac prælecta cenſura judicium: qui reſpondebant, ſe nolle tantum ſibi aſſumere ut ipſam probent, ſed delaturos ſe ipſam D. Ord. Generalibus, à quibus ſolis comprobatio expectanda eſſet. Theologi Britanni monebant, in hac cenſura dici, Synodicos articulos concluſos eſſe ſecundum ſententiam omnium Reformatarum Eccleſiarum; quo dicto innuebatur, Eccleſias Lutheranas, quæ aliter ſentirent, non habendas eſſe pro Reformatis; quod ipſis durum admodum videbatur. D. Scultetus & Polyander reponebant, ipſos Lutheranos nomen hoc deprecari, & noſtris Eccleſiis ex hoc nomine (*Reformatarum*) ſolere invidiam conflare; & D. Præſes addebat, hic in Belgio ſolere noſtras Eccleſias per illud nomen (*Reformatas*) non ſolum à Pontificiis, verum etiam à Lutheranis diſtingui. Britanni reſpondebant, in ſuis Eccleſiis Lutheranos haberi pro Reformatis, utpote à quibus Religionis Reformatio primum tentata eſt; habereque ſe porro in mandatis à ſereniſſimo D. Rege, ut, quantum fieri poſſet, diſpicerent, ne offenderentur Eccleſiæ Lutheranæ: itaque addita eſt iſthæc vox *Noſtrarum.*

Leguntur blaſphemæ opiniones duorum fratrum, Thomæ, & Petri Geſteranorum, qui Remonſtrantes erant, & ab Ordinibus Hollandiæ & Weſt-Friſiæ ſuſpenſi à miniſteriis, dum Synodus poſſit de ipſorum opinionibus cognoſcere.

Seſſio CXXXVIII. *25 Aprilis ſtylo novo.* Legitur ſupplex libellus Johannis Macovii, Theologiæ Profeſſoris in Academia Franekerana; quo graviſſime queritur, ſe apud Ordines Friſiæ inſimulatum fuiſſe hæreſeos à D. Sibrando Lubberto; petit itaque ſuppliciter, ut, Synodus velit de tota cauſa cognoſcere, ut, audito Sibrando, ipſe poſſit dicere pro ſe ſaltem, ut Sibrandus & ipſe ex Synodicis arbitros deli- Ep.350
gant, qui totum hoc negotium diligenter examinent & ad Synodum referant. Præſes rogat D. Sibrandum, ut exponat coram Synodo ſententiam ſuam de tota hac lite. Sibrandus negat ſe unquam fuiſſe Macovii accuſatorem; verum teſtimonio duorum fratrum Friſiorum probat, ipſum à Claſſe Franekerana fuiſſe accuſatum; ſe autem juſſu D. Ordinum Friſiæ, & rogatu prædictæ Claſſis, ſolum Claſſis os pro illo tempore fuiſſe; itaque ſicut antehac in hac lite pars non fuerat, ſic & nunc nullo modo ſe velle haberi pro parte proteſtatur. D. Præſes narrat, conveniens eſſe ut Synodus de hac cauſa cognoſcat, quia id ſerio petunt D. Ordines Friſiæ per literas ſuas ad D. Delegatos, atque etiam huc ad Synodum omnia acta in lite hac apud ipſos conteſtata tranſmiſerint. Quæritur itaque à Synodo, cum Sibrandus non ſit pars, an debeat ipſe Macovius primum audiri; an vero ipſo ſemoto, ex actis Ordinum Friſiæ de cauſa cognoſci? Placuit Synodo, ut primum acta prælegerentur; deinde ſi opus eſſet, ut audiretur coram Macovius.

Legitur proœmium bene longum, quod præfigendum eſſet canonibus Synodicis: quæritur de illo judicium Synodi, quod ſic ſe habebat: eſſe putabat iſthoc proœmium nimis longum, porroque ſtyli ſublimis admodum, adeoque à ſtylo canonum admodum diſparis; ideoque omnino brevius conficiendum eſſe putat, ſuccinctum & nervoſum, exponens occaſionem & finem convocatæ Synodi, quod præmittendum eſſet Canonibus, ſi fortaſſis ab actis Synodicis ſeorſim excudantur: Præſes itaque monet deputatos Synodicos, ut ante meridiem conveniant, ut ex pluribus brevioribus formulis, quæ ſibi à variis Synodicis eſſent oblatæ, unum aliquod ſuccinctum proœmium poſſent conficere.

Seſſio CXXXIX. *eodem die poſt meridiem.* Legitur aliud novum brevius proœmium, à deputatis Synodicis ex variis formulis ſibi oblatis confectum: quod totum Synodo placuit, ſi paucula quædam mutarentur: Britanni putabant, pro [*Anti-Chriſti tyrannide*] magis commode dici poſſe [*Anti-Chriſtiana tyrannide*] quia ut ut fortaſſis verum putarent, Pontificem Romanum eſſe magnum illum Antichriſtum; tamen ſine juſto examine præmiſſo vix putarent debere hoc à Synodo determinari, quod à nulla Reformata Eccleſia adhuc, excepta Gallicana, quæ & jam articulum illum ex Confeſſione ſua retraxit, factum eſſet. Quidam ex Synodicis ægre ferebant hoc vocari in quæſtionem: quibus reponebant Britanni, non vocari nunc rem ipſam, nimirum an pontifex Romanus eſſet ille antichriſtus, in quæſtionem; ſed hoc, an debeat hoc à Synodo determinari nulla deliberatione præmiſſa.

Seſſio CXL. *26 Aprilis ſtylo novo.* Legitur alter

350. alter ſupplex libellus Macovii, quo petit, ut arbitri deligantur, & ut reſponſum ſuum ad errores ſibi objectos ipſiuſque explicatio legi poſſit. D. Scribæ & porro D. Thyſius & D. Lydius publica fide teſtantur, ſequædam exemplaria canonum Synodicorum cum originali fideliter contuliſſe, eaque cum ipſo per omnia convenire, quibus ſinguli Synodici ſubſcribunt.

Leguntur acta in lite Macovii ad Synodum ab Ordinibus Friſiæ tranſmiſſa; & primum legebantur quinquaginta errores objecti D. Macovio in Claſſe Franekerana, quos videre poteris in altero meo libro Synodico: qui revera primo quoque auditu videbantur, exceptis uno aut altero, non fuiſſe tanti momenti, ut homo doctus de illis coram Synodo accuſaretur: complurimi ipſorum erant ex iſta receptiſſima diſtinctione agentis phyſice & moraliter, ab accuſatore male intellecta.

Seſſio CXLI. *eodem die poſt meridiem.* Legitur una D. Macovii reſponſio ad errores ſibi objectos; deinde alia brevior. In utraque ſatisfaciebat criminibus ſibi objectis abunde ſatis, alios negando, alios explicando.

Legitur Epiſtola facultatis Theologicæ Heidelbergenſis ad Ordines Friſiæ, in qua facultas Theologica monet Dominos Ordines Friſiæ, ne patiantur Theſes tam otioſas, metaphyſicas, obſcuras, falſas, in ſuis ſcholis diſputari, quales fuerant nuper in Academia Franekerana Theſes de traductione ſub Macovio diſputatæ.

D. Præſes quærit à Synodo, an uberior Macovii explicatio, quam hic offert Synodo, deberet etiam in Synodo legi, & qua ratione pergendum ſit in hac cauſa? Quidam ex Exteris Theologis dicebant, potuiſſe illos quinquaginta errores, ad quinque vel etiam quatuor reduci; nec ullum crimen hæreſeos, ſicut objectum fuerat, in illis deprehendi. Omnes exteri per deputatos rem putant agendam, & cupiunt duos exteros nominari & totidem Profeſſores Belgicos, quibus adjungi poſſent duo paſtores qui de tota cauſa cognoſcant, & referant ad Synodum: plerique ipſorum explicationem prolixam Macovii putant non audiendam in Synodo, ſed referendam etiam ad deputatos: Genevenſes ſoli hoc conſilium non probabant: Deodatus rem ad ſolos Provinciales voluit deferri poſt exterorum diſceſſum: Tronchinus vero oratione vehementiſſime contendebat, nullo modo Macovium audiendum eſſe coram; ſed debere agi cum illo tanquam cum Remonſtrantibus & Epiſcopio: Illum judicandum ex ſcriptis. Quod judicium in hominem nullo modo heterodoxias ſuſpectum mirabantur omnes. Dum ſuffragium dandum eſſet à D. Sibrando, immodeſte ſatis invehebatur in Feſtum, exprobrans ei ſummam in ſe ingratitudinem: recitabatque porro novum catalogum opinionum D. Macovii, quæ ejuſdem erant farinæ cum prioribus: Feſtus venia fandi à Præſide impetrata, modeſte ſatis D. Sibrandum excipiebat: narrabat theſes illas compoſitas fuiſſe non à D. Macovio, ſed à quodam Parkero, juvene doctiſſimo, & ab omnis heterodoxiæ ſuſpitione longe remotiſſimo; & licet nunc Sibrandus ſuſtinere partem accuſatoris recuſet, tamen ſe à quibuſdam fide dignis accepiſſe, omnes illos errores Macovio objectos, D. Sibrandum ex Theſibus illis & aliis ipſius prælectionibus compilaſſe. Quod ut audiebat D. Sibrandus, vehementiſſime commotus, bis Deum vindicem in animam ſuam precabatur ſi iſthæc vera eſſent; adeo ut D. Præſes cum ſæpius modeſtiæ ſanctæ, & reverentiæ Synodo debitæ juſſerit meminiſſe. Ep. 350

Seſſio CXLII. 27 *Aprilis ſtylo novo.* Pergitur in rogandis ſuffragiis de cauſa Macovii. Plures mirabantur, cum ob illas Theſes poſſe hæreteos inſimulari; præſertim cum unus ex South-Hollandis teſtatus ſit, D. Ameſium illas theſes primum vidiſſe & approbaſſe, & jam paratum eſſe qui ipſas defendat: tandem potioribus ſuffragiis ſtatutum eſt, tertium ſcriptum Macovii legendum eſſe publice in Synodo; & tres ex Theologis Exteris, totidem ex Provincialibus deputandos eſſe, qui rem totam cognoſcant & referant ad Synodum. Verum quia D. Præſes dicebat, illud ſcriptum continere multa perſonalia, præſertim in D. Sibrandum compilata, quidam ex Exteris, ob pacem conſervandam, petierunt, ut rogarentur de iſthoc denuo Synodicorum ſuffragia, quod factum eſt: & plura ſuffragia tum voluerunt legi tantum privatim apud deputatos. Nominati itaque ſunt potioribus ſuffragiis deputati ad cauſam hanc audiendam, ex exteris, Scultetus, Schenius, Brittingerus: Ex Provincialibus, Gomarus, Thyſius, Menius. Certe Exteri mirabantur D. Scultetum nominatum fuiſſe à Provincialibus; & multo magis, D. Scultetum id munus velle ſubire, cum facultas Theologica Heidelbergenſis, cujus ipſe pars eſſet, theſes illas, quæ examinandæ ſunt, jam hactenus tanquam otioſas, metaphyſicas, & falſas damnaverit.

Seſſio CXLIII. 29 *Aprilis ſtylo novo.* Leguntur literæ Belgicæ à Magiſtratu & presbyterio Campenſi ad Synodum, quibus rogat Synodum, ut velit ſcribere ad Magiſtratum & presbyterium Armemienſe, ut velit dimittere D. D. Stephani, quem poſcunt ipſis paſtorem dari: Item ut velit ad Magiſtratum & presbyterium ..... quoque ſcribere, pro dimiſſione D. Plancii. Synodus noluit ſe iſtiuſmodi negotiis immiſcere, ne fortaſſis cederet in præjudicium Claſſium & presbyteriorum. Leguntur aliæ literæ à Magiſtratu Campenſi, quibus petunt, ut per Synodum liceat Eccleſiæ Remonſtranticæ Campenſi in templis ſuis habere lectionem ſacræ Scripturæ per lectores ſuos, eo uſque dum poſſet ipſi proſpici de paſtoribus. D. Præſes monet, perſcriptum

Digitized by Google

Ep.350. esse Campis, lectores illos solere attexere capitibus præfectis longas enarrationes, submissatas sibi à duobus ministris suis jam à Synodo suspensis, quibus doctrinam Remonstrantium asserebant, & in Orthodoxam invehebantur: porro duos ipsorum ministros, qui sunt ex numero citatorum hic ad Synodum, misisse hinc literas ad Ecclesiam Remonstrantium quæ est Campis; quibus plebem animabant ad constantiam in Remonstrantium doctrina, jubebantque brevi certissimam liberationem ab hac persecutione expectare; quæ literæ ante dies non ita multos à lectoribus publice in templo pro tota plebe recitabantur.

Leguntur aliæ literæ Belgicæ à Domino Battenberg, quibus Belgio Synodum gratulatur; promittique se conaturum, ut in ditione sua obtineat illa doctrina, quæ hic à Synodo stabilita esset.

Legitur proœmium præfigendum Canonibus jam emendatum, ubi pro [*Antichristi*] ponebatur [*Romani Antichristi*] quo vocabulo addito satisfiebat illis, qui noluerunt sine deliberatione à Synodo statui pontificem Romanum esse insignem illum Antichristum sed Antichristum tamen: atque ita proœmium sic emendatum omnibus placuit.

Legitur confessio Petri Molinæi, pastoris Ecclesiæ Reformatæ Parisiensis, super quinque articulis in Belgio controversis, quam huc ad Synodum transmisit.

Sessio CXLIV. *eodem die post meridiem.* Pergitur in prælectione confessionis Petri Molinæi. D. Præses monet jam rediisse Haga D. Delegatos, qui Canones Synodicos illuc ad Illustriss. Ord. Generales detulerant: oratque ipsorum Dominationes, ut velint coram Synodo exponere, quid D. Ord. Generales de ipsis sentiant. D. Greg. Martini oratione brevissima refert, Ord. Generales summopere gavisos esse de Synodico consensu, in canonibus; probare ipsorum Dominationes eos universos & singulos, agereque de labore exantlato Theologis, tum Exteris tum Provincialibus, gratias maximas: rogare porro, ut jam Synodus velit proximo in loco Confessionem Belgicam perlustrare, in qua nihil mutatum cupiunt sine gravi & necessaria causa.

Dies Lunæ proximus publicandis Canonibus omnium Synodicorum consensu indicitur.

Præses rogat singulos, ut velint diligenter attendere lectioni Confessionis Belgicæ. Incidit quæstio, quænam editio Confessionis Belgicæ habenda esset pro authentica, cum ipsius editiones multum discreparent: eam statuit Synodus legendam, & perlustrandam, quæ inseritur Syntagmati Confessionum Ecclesiarum Reformatarum. Illa itaque publice prælegitur. D. Præses rogat singula collegia, ut in horam nonam crastini diei velint exhibere collegialia judicia de Confessione prælecta tota, exceptis tribus articulis, videlicet xxx. xxxi. xxxii. qui ordinem & Regimen Ecclesiæ spectant. Rogat singulos, ut non velint insistere in latinitate, aut phraseologia; sed simpliciter ferre judicium, num quicquid illa contineatur, quod non sit verbo divino consentaneum. Ep.350

Sessio CXLV. 30 *Aprilis stylo novo.* Quæritur judicium Synodicum de Confessione Belgica. Britanni probant omnia dogmata ipsius; putant nihil in ea quoad substantiam contineri, quod sacræ paginæ repugnet: quædam minutiora in ea observabant, sed quæ facillime ex collatis exemplaribus in correcta & nova, quam parant, editione emendari possent: monent de tribus capitibus, quæ ordinem Ecclesiasticum spectant, se nullam ferre sententiam, sed interim putare se, regimen Ecclesiarum suarum esse institutionis Apostolicæ: Episcopus autem Landavensis oratione brevissima contra illa tria prædicta capita perorabat; contendebatque, in Ecclesia neque Apostolorum temporibus, neque postea, unquam fuisse ministrorum æqualitatem: Itaque communi Britannorum consensu declaratum est, nihil in Confessione Belgica contineri, quod pugnaret cum sacra pagina, aut analogia fidei. Eximus omnes ad finus D. Canteri, Senioris Ultrajectini, unius ex deputatis Synodicis. Redimus. Legitur judicium deputatorum à Synodo in causa Macoviana; cujus summa hæc erat; D. Macovium nullius gentilismi, Judaismi, Pelagianismi, Socinianismi, aut alterius cujuscunque hæreseos reum teneri, immeritoque illum fuisse accusatum: peccasse eum, quod quibusdam ambiguis, & obscuris phrasibus scholasticis usus sit; quod scholasticum docendi modum conetur in Belgicis Academiis introducere; quod eas selegerit quæstiones disceptandas, quibus gravantur Ecclesiæ Belgicæ: Monendum esse eum, ut cum Spiritu Sancto loquatur, non cum Bellarmino aut Suarezio: hoc vitio vertendum ipsi, quod distinctionem sufficientiæ & efficientiæ mortis Christi asseruerit esse futilem; quod negaverit humanum genus lapsum esse objectum prædestinationis; quod dixerit Deum velle, & decernere peccata; quod dixerit Deum nullo modo velle omnium hominum salutem; quod dixerit duas esse electiones: Judicant denique, liticulam hanc inter D. Sibrandum, & D. Macovium componendam esse, & deinceps neminem debere eum talium criminum insimulare.

Sessio CXLVI. *eodem die post meridiem.* Pergitur in rogandis suffragiis de Confessione Belgica; an in eadem sint sententia cum Britannis? Propter editionum varietatem petunt, ut exaretur exemplar aliquod unum exactum, Ord. Generalium authoritate confirmandum.

Sessio CXLVII. *calend. Maji stylo novo.* D. Gregorius Martinii exponit, mentem Illustriss. Ord. Generalium eandem esse de Catecheli, quæ fuerat de Confessione. Rogat itaque

Ep.350. que Synodum, ut de Catecheſi quoque Palatino-Belgica velit ſententiam dicere, nec tam methodum, aut phraſeologiam ſpectare, quam dogmata doctrinalia: Legitur totus Catechiſmus: Rogantur Synodici, ut ad horam quartam pomeridianam parent ſe ad ferendum collegialia de Catecheſi prælecta judicia.

Seſſio CXLVIII. *eodem die poſt meridiem.* Omnium judiciis approbantur dogmata in eo Catechiſmo comprehenſa, ut verbo Dei conſentanea, ac pie prudenterque conſcripta. Britanni de interpretatione articuli, de deſcenſu Chriſti ad inferos, ſuam ab aliis Eccleſiam vindicant aliter explicandi poteſtatem: Ac demum, propter gravem ab urbe Dordrechtana datam neglecti diei dominici offenſionem, rogant, ac monent Synodum, ut apud Magiſtratum intercedat, ne forenſes emptiones, apertis mercium officinis eo die exerceri permittant. Ea occaſione à quodam ex Provincialibus mota quæſtio de obſervatione Sabbathi, ſed non diſcuſſa penitus, quia rejecta inter gravamina provincialia, poſt abitum noſtrum tractanda.

Seſſio CXLIX. 2 *Maji ſtylo novo.* Gregorius Martini unus ex politicis Delegatis, Synodi & Ordinum mentem exponit de Vorſtio, eos nempe mandare, ut de Theologia ejus fiat ſummaria ex ſcriptis cognitio, ac ut eo reſpiciant judicia Synodica, utrum doctrina Vorſtiana ad Eccleſiæ ædificationem faciat, adeoque talis doctor dignus videatur, qui Cathedram teneat Theologicam: Scripſit jam tum Vorſtius eodem exemplo literas ad ſingula exterorum collegia, ſimulque ad Synodum publicas; æque prælleguntur, in quibus Synodi æquanimitatem, & Chriſtianam charitatem implorat, ſuum coram Synodo comparendi deſiderium inſinuat; rogat, ut ſi quid ab ipſo liberius fuit diſputatum, veritatis eruendæ ſtudio imputetur; ut rationibus ex verbo Dei petitis convincatur; ſe paratum eſſe teſtatur ad collationem cum Exteris Theologis incundam; item ad hæreſin Socinianam refutandum, ſi ipſi ea mandetur provincia: Nec poſſe ſibi perſuadere, comburendos ipſius libros, cum quædam Piſcatoris ſcripta longe horridiora, & bonis moribus infenſiora, non ſint rogo addicta.

Lecta hac, epiſtolæ antiquæ nonnullæ Vorſtii ſimulatoriæ, & vulpinæ, præſertim circa ſui explicationem, ac palinodiam Heidelbergæ præſtitam, fraudes in medium proferuntur: deinde errorum, & blaſphemiarum Vorſtii catalogus à Belgicis Profeſſoribus collectus Synodo prælegitur, ad capita reductus de Dei attributis, Chriſtique Deitate, ab illo partim aperte, partim clanculum imminutis.

Seſſio CL. *Maji ſtylo novo.* Collegia ſingula tam exterorum, quam provincialium, ſuum proferunt de Vorſtio judicium ſcripto exaratum. Britanni lecta à ſe collecta præciparum Vorſtianarum contra divinam naturam blaſphemiarum ſynopſi, monent, Vorſtium dato hoc ſcandalo, nunquam tamen in ſubſequentibus ſuis ſeu explicationibus, ſive defenſionibus, ullum in ſuo de Dei attributis libro, propoſitum errorem agnoſcere; ſed abſurdiſſimis diſtinctiunculis, & inanibus interfugiis obvelare, imo etiam præcipua orthodoxæ doctrinæ fundamenta callide pro viribus ſuffodere. Se itaque non modo ipſum Vorſtium orthodoxi Profeſſoris munere ac nomine indignum judicare, ſed etiam perſuadere, ne hujuſmodi ejus libri in bibliopoliis proſtare permittantur: Denique rogare, ut in exemplum, & in ſancti, Dei cauſa, zeli teſtimonium, Vorſtii de Deo tractatus ſummi Magiſtratus juſſu, aut Synodi decreto eadem munito, palam ſolenniterque flammis abſumatur: ſimulque hujuſmodi infamis holocauſti ſpecimen, à Britannis coram Synodo legitur authenticum, procancellarii Cantabrigienſis ſigillo munitum, decretum XXI. Septembris CIↃ IↃ XI. Cujus vi, etiam Sereniſſimi Regis noſtri judicio præeunte, publice flammis ultricibus expurgatus eſt liber prædictus: ejuſdemque decreti Cantabrigienſis exemplar inter Synodi acta relatum. Sereniſſimi Regis, & Cantabrigienſis intentio ſe examini ſubſcribere teſtantur Palatini Theologi, ac Vorſtii palinodiam multis abhinc annis Heidelbergæ præſtitam, quam fuerat fraudulenta narrant.

Haſſiaci etiam commemorant, quam fuerat poſt modum non modo parum grata, ſed etiam inviſa Illuſtriſſimo ſuo Domino Landtgravio dedicatio ſui de Deo libri, eidem pio Principi nuncupata: quamque prudenter ipſum Vorſtium Princeps ille ad ſe commendatum ad cathedram profeſſoriam admittere recuſaverat. De Vorſtio, ut cathedra indigno, exautorando reliqui tum exteri tum provinciales omnes conſentiant. Quod autem ſe obtulerit jam pugilem evocandum contra Socinianos, reſponſum eſt,

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis,
Tempus egit.

Ut pote cum ipſe Vorſtius ad errorum & hæreſeon curriculum, etiam Socinianiſmi ſit ſuſpectiſſimus, nec ex animo rem geſturus putetur: ac in eo negotio ſibi dudum commiſſo, nihil prorſus præſtiterit.

Seſſio CLI. 4 *Maji ſtylo novo.* Decretum quoddam Synodicum de Vorſtii cauſa conceptum legitur, & approbandum proponitur: inde nonnulla interpellanda, alia omittenda, alia explicanda, moventur, præſertim à Britannis, qui hic urgent quædam attribui Vorſtio, de capite juſtificationis, de quibus nec dum ſatis conſtat, quid aſſerat Vorſtius; illinc autem omitti alia, aut non ſatis aperte damnari, quæ maxime blaſphema ſunt, & Eccleſiæ quaſi univerſæ Chriſtianæ graviſſimum commoverunt offendiculum, ibidem multis agita-

Digitized by Google

Ep.350. tum, cum Vorſtius corporis ejuſdem reſurrectionem neget, aut Chriſti ſatisfactionem cum Socino penitus tollat. Et rei probandæ leguntur privatæ Vorſtii ad Dominum Toſſanum literæ, pluribus abhinc annis ſcriptæ, in quibus aperte Socinianiſmum profitetur. Sed à Britannis reſponſum, judicandum reum ex libris à ſe agnitis & publicatis, non ex epiſtola privata, de qua etiam non conſtat num ab ipſo conſcripta fuerit, conſtet autem ſcriptam fuiſſe ante palinodiam ejus Heidelbergenſem. De libro Vorſtii comburendo Synodus non vult ſtatuere, ſed ad ſummum refert Magiſtratum.

Seſſio CLII. *eodem die poſt meridiem.* Decretum contra Vorſtium denuo proponitur paulo mutatum. In eo deſiderant Britanni, plura Dei attributa à Vorſtio impetita recenſeri, ac Vorſtii de Chriſti ſatisfactione & hominis juſtificatione ſententiam, vel in cenſura omitti, vel Synodo, ut de eo melius conſtet, explicari. De his aliiſque Vorſtianis dogmatibus diu multumque diſceptatur. Tandem conſenſum eſt in eam, quæ ſancita eſt, formam, (quam vide in altero meo libro Synodico,) qua Vorſtius ob ſuam in ſuffodiendis præcipuis fidei fundamentis audaciam & impietatem indignus cathedra Theologica judicatur: Optaturque, ne ipſius libri de Deo paſſim volitare permittantur: & nonnulla ſpeciatim alia, quæ in eodem decreto continentur. Antequam dimitteretur hic conſeſſus, qui in multam noctem duravit, legitur, & per plura Synodi ſuffragia approbatur, ſententia deputatorum in cauſa Macoviana, qui eum ab omni hæreſi abſolvendum cenſuerunt; ſed monendum, ut Theologiam docendi modum commodiorem ſequatur, verborumque formis ex ſacra Scriptura petitis utatur; etiam juſtam eum reprehenſionem incurrere ob quaſdam propoſitiones ab ipſo crudius & rigidius aſſertas. His itaque clam compoſitis, interpellat Friſius quidam ſenex, nomine Donia, ſe quod ad ipſum attinet, Macovium (qui ſuum paſſus eſt tacite obvolvi negotium) nihil velle commovere: ſe ipſum autem, alioſque nonnullos hac in cauſa læſos, ideoque comuni collegarum nomine coram Synodo proteſtari, ſalvo jure ut agant contra accuſatores; partes autem accuſatorias domino Sibrando eſſe demandatas, conſtare ex literis quibuſdam publicis, quasè ſinu deprompſit, ac coram Synodo legi poſtulavit: increbeſcenti hac in expoſtulatione plurium fervori, ac multiloquio, modum imponunt Delegati politici malleo ſuo, quo mos eſt ſilentium obſtrepentibus imperare. Denique Præſes ad Synodum refert, diem lunæ proximum Canonibus in majore urbis Templo publicandis deſtinatum eſſe: & ſic conventus dimittitur.

Seſſio CLIII. *Maji ſtylo novo.* Convenimus primum in loco Synodali, ubi erat ſpectatorum nobilium & aliorum, utriuſque ſexus Ep.350; maximus confluxus. Præſes ſolennem precationem concipit, qua hodierno negotio fauſtum ſucceſſum vovet. Auditorium dimittitur. Paulo poſt, ſinguli Synodici non ſine decora pompa à loco Synodali ad magnum Templum per plateas Dordrechtanas pergunt; undique cincti numeroſis ſpectatoribus: incedebant autem Synodici bini, hoc ordine: primo incedebant Illuſtriſſimi Ordines Generales Delegati, quos ſequebatur ipſorum Secretarius D. Heinſius: poſtea ſequuti ſunt D. Epiſcopus Landavenſis; & D. Præſes Synodi ipſi à ſiniſtra; dein reliqui omnes Theologi Exteri, ſecundum loca ipſis in Synodo delignata: Exteros ſequebantur D. aſſeſſores & ſcribæ; poſt illos D. Profeſſores Belgici; & poſt ipſos reliqui Provinciales Theologi, ſecundum illum quo in Synodo ſedebant ordinem. In templum devenimus capaciſſimum & ſplendidum, quod tamen ingenti auditorum numero fuit repletiſſimum, inter quos fuerunt complurimi nobiles & Generoſi, in utroque ſexu cum ex Belgico, tum etiam ex aliis nationibus. Occuparunt Synodici loca ſua in choro templi, ubi tota hæc ſolennitas peragebatur: à parte dextra conſidebant, primum D. Præſes Eccleſiaſticus, poſt eum D. Aſſeſſores & ſcribæ, poſt illos D. Epiſcopus, reliquique deinceps ſecundum ordinem Synodicum, Theologi Exteri in loco editiori & ſatis commodo: in ſcamnis inferioribus conſidebant Illuſtriſſ. Ord. Gener. Delegati, poſt illos D. Profeſſores Belgici. D. Præſes ſingulis ſuo ordine jam collatis, ex pulpito ibi extructo commodiſſimè ſito ad partem chori occidentalem, adeoque in ipſa Templi medietate, ubi poſſit commodiſſime à confertiſſima corona exaudiri, ſolennitatem auſpicatus eſt precatione valde prolixa, ſed pientiſſima & appoſitiſſima, cujus prior pars & multo longior fuit ex ſolis Scripturarum ſententiis, cum ſumma elegantia, & judicio contexta, planeque concinnata ad venerandum antiquitatis ſtylum; legebat eam ex ſchedulis deſcriptis, duravitque per horæ dimidium: poſtea ſine ullo præfamine narrat quam breviſſime auditorio, indictum fuiſſe hunc ſolennem conventum, ut omnes jam tandem fructum laborum Synodicorum perciperent, audirentque prælectos illos canones, quos tot tantiſque laboribus exantlatis, immenſo Dei beneficio, & ſuaviſſima omnium ac ſingulorum conſpiratione, veneranda Synodus conceperat, ac efformaverat.

Itaque D. Dammannus unus ex ſcribis Synodicis, in idem pulpitum aſcendit; ac primum prælegit proœmium quod canonibus præfigitur: quo prælecto, D. Præſes monet omnes auditores, ut ex more recepto, ſinguli velint hodiernam lætitiam, & ſuam divinæ majeſtati gratitudinem teſtari, erogando eleemoſynam pauperibus: quam

Ep.350. quam diaconi quidam Eccleſiæ Dordrechtanæ ad id muneris deſignati colligebant, procul dubio ſatis amplam: neminem enim obſervavimus, qui manum ſuam fronte hilari non porrigebat. Redit ad pulpitum D. Dammannus, & aggreditur ipſorum canonum prælectionem. Lectis articulis primi capitis contraverſi, propter templi magnitudinem, & ſpiritus frequentiſſimi auditorii animas, deficere incipiebat ipſum vox; itaque D. Feſtus Hommius, alter ſcriba Synodicus, pulpitum conſcendit, legitque canones de ſecundo tertio & quarto articulis; & voce ipſum quoque ob prædictas cauſas deficiente, rediit D. Dammannus, legitque canones de quinto articulo, & Epilogum Synodicum; quibus finitis, legit quoque ſingulorum ſubſcriptiones. Singuli ad nomina ſua audita fidem canonum apertione capitis teſtabantur. Poſtea legit quoque idem ſcriba Synodi cenſuram perſonalem de Remonſtrantibus, cui non additæ erant ſingulorum ſyngraphæ, eo quod quidam ex Exteris noluerint de hominum perſonis, ſed tantum de ipſorum doctrina aliquid ſtatuere.

Poſt omnia lecta, legebatur quoque teſtimonium D. Delegatorum, quo teſtantur, ſe interfuiſſe dum iſthæc agerentur, omniaque quæ jam prælecta fuerant optima fide relata fuiſſe; quod ſinguli una cum D. Heinſio, ipſorum ſecretario, ſuis ſyngraphis comprobant. Monet porro D. Præſes, Confeſſionem & Catecheſin Belgicam eſſe quoque à Synodo comprobatas; & ſic concludit cum precatione & gratiarum actione, ejuſdem plane ſtyli cum priori, & fere paris prolixitatis. Poſt abſolutam totam ſolennitatem pultantur Organa: & ſic omnes Synodici domum redeunt ad locum Synodicum, eodem plane ordine quo venerant. Ibi dominus Præſes monet, jam omnia negotia Synodica, quæ poſcerent opem Exterorum Theologorum, abſoluta eſſe; Ideoque monet, ut ſingula collegia duos mittant, qui ad horam quartam pomeridianam incipiant deſcribere canones, quibus poſtea ſubſcribant ipſe cum Aſſeſſoribus & ſcribis; ut ſic ſingula collegia habeant exemplar authenticum aſſervandum in perpetuam rei memoriam: brevi precatione Synodum dimittit.

Seſſio CLIV. *& ultima* 9 *Maji ſtylo novo.* D. Præſes monet, hunc ultimum Synodi conventum celebrari ad agendum Deo gratias pro exoptatiſſimo Synodi exitu, porroque ad agendas gratias Theologis Exteris pro graviſſimis laboribus ſuſceptis. Gregorius Martinii, unus ex Delegatis, primo precationem habet ſuaviſſimam & juſtæ prolixitatis, qua Deo gratias agit pro aſſerenda religionis puritate in Eccleſiis Belgicis, opera & conſiliis hujus Synodi; precaturque iiſdem Eccleſiis in veritate hic aſſerta invictam conſtantiam. Precatione finita, oratione eleganti Theologos Exteros compellat, nomine Illuſtriſſ. Ord. Gen. ſingulis gratias rependit pro ſaluberrimis ipſorum conſiliis, & graviſſimis laboribus quibus hoc tempore Eccleſias Belgicas ſublevaſſent, itidem & ingentibus illis Principibus, Rebuſpublicis, Magiſtratibus, qui ipſos delegaſſent, nominatim ipſos cum ſumma obſervantia recenſendo; rogatque ut Eccleſias Belgicas ipſorum Celſitudinibus curarent fore commendatiſſimas: rogat ut ſinguli præſentes perſuadeant ſibi de prolixiſſimo Ord. Gen. erga ipſos animo, utque ante diſceſſum Hagam Comitis petant, referantque ab Illuſtriſſ. Ord. Gen. gratias, & porro ad Principes & Reſpublicas ſuas literas dimiſſorias. Ep.350.

D. Præſes Eccleſiaſticus oratione pia commemorat Dei beneficia in Eccleſiam ſuam ſæpius lapſantem; applicatione facta ad Eccleſias Belgicas prædicat mediata illa inſtrumenta quibus Deus ad hanc rem uſus fuerat, cum primis Regem magnæ Britanniæ, deinde reliquos Principes & Magiſtratus nominatim, qui huc Theologos ſuos miſiſſent: deinde omnes & ſingulos Theologos Exteros hic præſentes, quibus omnia fauſta & cæleſtes benedictiones comprecatur; Jubetque ipſos eſſe perſuaſiſſimos, eorum memoriam fore hic in æternum ſuaviſſimam. Primum Theologi Britanni ſinguli, orationibus brevibus & ſuccinctis, Deo agunt gratias de Synodi tam fælici ſucceſſu, D. Delegatis & fratribus Belgis ob ſingularem humanitatem; Deum rogant ut velit Eccleſias Belgicas ſemper fælices eſſe & pacatas: Idem præſtiterunt Palatini per Dominum Scultetum; Idem Haſſiaci per D. Crucigerum; Idem Helvetii per D. Brittingerum: Idem Naſſovici per D. Alſtedium: Idem Genevenſes ſinguli; Idem Bremenſes, per D. Martinium. Idem Embdani ſinguli, ſed uterque prolixiſſime. Itaque cum omnes Exteri vota ſua nuncupaſſent, Præſes Synodo piiſſima & gratulatoria precatione finem impoſuit. Tum, primum D. Delegati, dein D. Præſes, dein. D. Aſſeſſores & Scribæ, dein ſinguli Synodici Belgæ, loca ſua relinquentes, ſingulos Theologos Exteros ordine, datis dextris & adjunctis votis, humaniſſime ſalutant; atque ſic Seſſio hæc, auditoribus frequentiſſima, adeoque ipſa Synodus Dordrechtana, cum ſummis gratulationibus, & maxima animorum lætitia ob ſperatum finem, & mœrore ob corporum divulſionem, Q.F.F.Q. ſit, dimiſſa eſt.

Digitized by Google

CCCLI.

Reverendiſſimi, Clariſſimi, Doctiſſimi Viri,

S. Theologiæ Doctores, Profeſſores, & Eccleſiarum Jeſu Chriſti Paſtores, ac Seniores,

in Synodo Nationali Dordraci jam congregati, Fratres in Chriſto honorandi,

Gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, vobis omnibus & ſingulis precor,

CONRADUS VORSTIUS.

Petit à Synodo credidi, ſiquis ab hæreſibus immunita profeſſatur.

QUod S. Apoſtolus omnibus Chriſti fidelibus ex ſacro Dei ſpiritu ſuggerit, ut ſi quis in aliqua offenſa præoccupatus fuerit, ii, qui ſpirituales ſunt, ejuſmodi hominem reſtaurent cum ſpiritu manſuetudinis; utque ſe ipſum unuſquiſque conſideret, ne & ipſe tentetur; imo ut alii aliorum onera portent, atque ita Chriſti legem impleant: id ſpeciatim iis, quos aliorum fidelium Patres ac duces, gregiſque Dominici exemplaria eſſe oportet, haud dubie præ cæteris commendatum eſſe voluit. Hos enim inprimis boni illius Paſtoris imaginem referre decet, qui oviculam à reliquis aberrantem per deſerta ſollicite quærit, & tandem inventam, inque humeros ſuos repoſitam, lætus ad ovile ſuum reportat. Cujus etiam tanta bonitas, inque ſuos charitas alibi prædicatur, ut nec calamum quaſſatum frangere, nec linum fumigans extinguere, imo nec acerbe litigare, nec clamoſe adverſus alios contendere, ſed omnes potius ad ſe placide invitare, omniumque converſionem ac ſalutem amanter ac ſedulo procurare, non minus vere quam crebro in ſacris Literis aſſeratur. Hunc igitur unicum Magiſtrum noſtrum, & vere magnum ovium Paſtorem, qui non venit, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe nobis miniſtraret, animamque ſuam pro nobis poneret, vos etiam, Fratres honorandi, qui ſervos illius indignos una nobiſcum vos eſſe haud dubie agnoſcitis, perpetuo vobis imitandum proponere, hujus exemplum ſimul & mandatum in omnibus conſiliis & actionibus veſtris, præſertim iſtis Synodalibus, in conſpectu habere, quam maxime & decet & neceſſe eſt. Quod quidem tametſi ſpeciali juramento Synodico, jamdudum ſolemniter à vobis omnibus illic præſtito, facturos vos eſſe receperitis: quia tamen animis rebuſque noſtris nonnihil turbatis (quod dudum in Eccleſiis harum regionum accidiſſe nimis notum eſt) mutuæ in Chriſto admonitiones uſum non vulgarem habere ſolent, imo quia ex iis, quæ antehac à nonnullis etiam communionis veſtræ adverſum me dicta, ſcripta, facta ſunt, haud exigua mihi diverſum de quibuſdam ſuſpicandi, aut metuendi occaſio jampridem data videtur: plane officii mei eſſe putavi, quod coram facere huc uſque non licuit, per epiſtolam vos omnes & ſingulos non minus amanter quam reverenter orare, perque communem in Chriſto ſpem fidemque noſtram hortari, & obteſtari, ut in cauſa mea, quam nunc à vobis tractari, aut propediem tractatum iri audio, tum cognoſcenda, tum dijudicanda, eum candorem, eamque æquitatem ac ſinceritatem, imo charitatem animique lenitatem adhibere velitis, quam & ab omnibus Chriſtianis, præſertim vere Reformatis, in verbo Dei exigi ſcitis; & ſpeciatim unuſquiſque veſtrum in tractanda cauſa ſua præſtari ſibi ab aliis haud dubie optaret. Si quid uſpiam in ſcriptis meis, & nominatim in libro de Deo, vel liberius à me diſputatum, vel à regula divinæ veritatis aberratum eſſe putabitis, id ne quæſo malitiæ aut improbitati (à qua longe ſemper abeſſe ſtudui) ſed ignorantiæ tantum, aut judicii infirmitati, aut nimio fortaſſe veritatis eruendæ ſtudio imputare velitis: idemque ut mihi quoque erroneum eſſe innoteſcat, atque ita ſponte à me corrigatur, rationibus ex verbo Dei petitis efficere ſtudeatis. Mementote hic, quæſo, inprimis communis illius humanæ ſortis, cui omnes obnoxii ſumus, quæque & Patres olim etiam optimos alioquin & doctiſſimos, & noſtri ſeculi ſcriptores quam plurimos, non modo labi & errare, ſed & graviter interdum impingere tantum non adegit: deinde toties jam iteratæ orthodoxæ confeſſionis meæ de præcipuis fidei noſtræ Capp. ac ſpeciatim de SS. Trinitate, deque perſona & officio Domini noſtri Jeſu Chriſti; juxta quam omnia mea ſcripta, omneſque diſputationes antehac editas, intelligi ac declarari ſemper volui, & conſtanter adhuc volo: cuique ſi quid uſpiam in ſcriptis meis vere adverſatur, id ipſemet ultro delere ac ſpongia dignum judicare paratus ſum. Tantum hoc iterum iterumque vos oro, & per Chriſtum obſecro, ne conſcientiæ meæ vim facere ullam unquam velitis, neque adverſus hanc vel minima in re, mentiri me, aut prave ſimulare cogatis, hoc eſt, errorem illic verbis fateri (nedum hæreſin aut blaſphemiam) ubi animus erroren eſſe nondum videre poteſt. Excerpantur illa integre ac fideliter, quæ præter veritatem vel affirmaſſe, vel negaſſe, vel in dubium vocaſſe me creditis, eoque corrigenda eſſe putatis. Addantur argumenta ex Dei verbo, cur ſic fieri debere judicetis; eaque talia, quæ conſcientiæ ſatisfaciant, & ſecuram coram Deo reddant. Quod ſi fiet, faxo cum Deo, ut nullam in me pertinaciam, aut præfractam contendendi libidinem, ſed animum docilem ac modeſtum, & promptum ve-

Ep. 351.

Ep.351. veritatis amplectendæ ſtudium, humilemque erroris ſolide probati agnitionem, ſponteaneamque correctionem re ipſa ſitis animadverſuri. Si tot in lucem editis declarationibus, & verborum alicubi in libris meis ſequiori interpretationi obnoxiorum (à qua ne ipſa quidem S. Scriptura immunis eſt) elucidationibus, nondum ὀρθοδοξίαν (*rectam ſententiam*) meam ſatis omnibus probavi, qua tandem ratione eam ipſis probavero? Inprimis ſuſpicione Socinianiſmi gravor, quanquam per ſummam injuriam, uti declarationes illæ meæ, ut alia jam taceam, clariſſime docent. Si ea non ſatisfaciunt, demandetur mihi provincia Socinianos refutandi, faxo, Deo dante, omnes æqui rerum æſtimatores & à præjudiciis liberi intelligant, Socinianum me, & quidem nominatim in graviſſimis iſtis de S. Trinitate, Deitate Chriſti, ejuſdemque ſatisfactione, &c. capitibus, non eſſe, ſed ſerio à Socinianis diſſentire. Quam quidem provinciam ſuſcipere jam pridem ſponte mea non neglexiſſem, niſi tot undique in me vibrata tela magis defendendi mei, quam aliorum oppugnandorum, curam aliquot jam annis mihi impoſuiſſent. In iſta autem refutatione ita verſaturus ſum, ut priuſquam in publicum edatur, eam, ſi ita Synodo videbitur, examinandam, ventilandam & approbandam præcipuis aliquot fratribus, præſertim Theologis Academicis tranſmiſſurus ſim, ne quis hic colluſionem aliquam verius quam colliſionem ſuſpicetur à me inſtitutum iri. Hac ratione luculenta occaſio dabitur tollendi ſcandali, quod infirmos quoſdam ex iis, quæ alicubi vel paulo liberius, vel incautius diſputaſſe videor, accepiſſe ſerio doleo. De quo ſcandalo tollendo ea à VV. RR. agitari conſilia, quæ vulgo jactantur, de exurendis ſcilicet libris meis, perſuadere mihi non poſſum; quum palam impia & blaſphema quædam D. Piſcatoris, aliorumque Doctorum noſtrorum de Prædeſtinatione, & ei annexis dogmata, à VV. RR. rogo adjudicata non ſint; quæ tamen veræ Religioni & pietati ſumme noxia ipſi ſua eſſe aperte fatentur, cum ego eorum, quæ mihi impinguntur, convictus legitime non ſim. Hoc quoque ſi diſplicet, & animo moras nectendi dictum quis calumnietur, quod ſincere à me animo præſtandi, quod offero, dicitur, is ſciat paratum me eſſe ad amicam ἀνάκρισιν (*diſquiſitionem*) & collationem, ſive cum exteris Theologis, ſive cum aliis vere piis ac doctis, neque in hac cauſa jure mihi ſuſpectis, ex S. Dei verbo legitime primo quoque tempore ſuſcipiendam, & ad rationem fidei meæ, quam publice huc uſque profeſſus ſum, ſive viva voce, ſive ſcripto, aperte ingenueque reddendam; denique ad divinam veritatem, vel à minimo congregationis veſtræ membro mihi forte clarius oſtenſam, grato humilique animo amplectendam; & contrarium errorem, ſi quis item legitime ab aliquo veſtrum mihi demonſtrabitur, continuo damnandum. Neque puto quidquam amplius à me jure hic poſtulari poſſe. Ut enim in cauſa fidei, omnium certe ſanctiſſima, hominum judicio ſive paucorum, ſive multorum, abſolute me ſubmittam, idque priuſquam animus de iis, quæ vel admittenda vel rejicienda ſunt, ex Dei verbo firmiter perſuaſus ſit, à conſcientia mea, quam uni Deo juratam eſſe decet, impetrare non poſſum; quippe ſciens ex Apoſtolo, peccatum eſſe coram Deo, quicquid vel hæſitante (quanto magis reclamante?) conſcientia ſuſcipitur. Agite igitur, honorandi fratres in Domino, oſtendite re ipſa vos germanos Jeſu Chriſti ſervos eſſe, quos Apoſtolus alibi placidos eſſe jubet erga omnes, malorum tolerantes, ad docendum aptos, erudientes cum manſuetudine eos, qui contrario animo ſunt affecti, &c. Has verorum Chriſti ſervorum dotes ac virtutes nunc maxime in cauſa mea exſerite, laptum me, opinione veſtra, fraterno animo erigite, erranti rectam viam placide commonſtrate, hæſitantem alicubi tolerate: imo, vos & vos etiam homines eſſe mementote, qui & ipſi errare ac labi poſſitis; eoque veſtros etiam Propheticos ſpiritus (quod ego facere nunquam renui, nunquam renuam) aliorum Prophetarum ſpiritibus, imo etiam unius modeſte ſubjicite; ſicque veritatem ſimul & pacem Chriſti in vera charitate & humilitate una nobiſcum ſerio quærite. Ita Deus ille pacis & veritatis utrimque nobis aderit, & ſanctis ſtudiis conatibuſque noſtris abunde benedicet, quod ita pie quæremus, invenire nobis abſque dubio dabit. Ipſe vota hæc tandem clementer exaudiat: ipſe corda veſtra per Spiritum Sanctum ſuum magis magiſque illuſtret, & greſſus veſtros in viam veræ pacis & charitatis deducat, ad gloriam ſui nominis, ad propagationem ſuæ veritatis (ejus maxime, quæ ſecundum pietatem eſt) ad veram univerſæ Eccleſiæ concordiam, ad ſalutarem animorum tranquillitatem, ad totius Reip. quietem, ad veſtram denique ipſorum veram laudem & honorem; cujus tunc vere participes eritis, cum ἀρχιποίμην (*Paſtorum Princeps*) ille maximus in gloria ſua olim apparebit, redditurus unicuique ſecundum opera ipſius. Hujus divinæ gratiæ vos omnes & ſingulos iterum commendo, meque veſtro etiam fraterno favori, & piis ad communem Servatorem noſtrum precibus, quas & ipſe viciſſim pro vobis ad eundem fundere nunquam deſinam. Goudæ 27 Aprilis 1619. Ep.351.

Digitized by Google

CCCLII.

Reverendiſſime Domine Præſul, cæterique exterarum Nationum Theologi Reverendi, Clariſſimi, Doctiſſimique, ad Synodum Nationalem Belgicam miſſi, Patres & Fratres in Chriſto plurimum venerandi,

Gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto precor,

CONRADUS VORSTIUS.

Ne inaudituſ damnetur reus.

QUum nihil hactenus à veneranda Synodo reſponſi acceperim ad Epiſtolam meam, ante octiduum hinc ei miſſam, & paucis ante diebus, ut audio, in eadem publice prælectam, cujus etiam apographum veſtris omnium Collegiis exhiberi curavi: & interea non obſcure intelligam, quædam doctrinæ meæ capita, neſcio quænam in ſpecie, ex ſcriptis aliquot meis collecta, publico plerorumque Synodalium judicio propediem forte damnatum iri: viſum mihi fuit operæpretium, VV. RR. hoc nomine demiſſe interpellare, ut hac ipſa in parte officium veræ charitatis, Deo proximiſque debitum, non gravatim mihi præſtare, interque Theologos Provinciales (quorum non pauci jam pridem mihi admodum infeſti, eoque in tractanda hac cauſa jure ſuſpecti ſunt) & me, plus ſatis alioqui gravatum, velut honorarios arbitros agere velitis. Sciunt RR. VV. me placidam & fraternam Synodo ἐξέτασιν (*diſquiſitionem*) obtuliſſe, ſive viva voce, ſive per ſcripta habendam. Si neutrum obtinebo, ſed inauditus damnabor, quid orbis Chriſtianus, quid poſteritas judicabit? Neque enim ſatis eſt, ex libris aliquem in rebus litigioſis, & maxime Theologicis, juxta plurium ſuffragia judicare: quippe quum illi & ſurdi & muti ſint, neque extra diſertam litteram amplius ſe declarare, nedum ad objecta reſpondere poſſint: præſertim ſi author *ipſe* ſui copiam faciat, tamque ad meliora diſcendum, quam ad veriora docendum, ſeſe paratum offerat. Quod ſi tamen vocum pluralitas hic prævalebit, ut judicium ex ſolis libris formandum ſit: ſaltem hoc à RR. VV. obtinere me æquum fuerit, ut intercеſſione veſtra vehementiorem aliorum zelum ita mitigetis, ac ſufflaminetis, ne durior in me ſententia ſtringatur, quam in D. Piſcatorem, alioſque nonnullos cauſæ meæ hucuſque adverſarios, ſtricta unquam fuit: qui partim de prædeſtinatione Dei, partim de juſtificatione, & ſimilibus fidei noſtræ capp. ejuſmodi quædam δύσφημα (*infauſta*) jamdudum tradiderunt, ut mea cum illis collata, quantumvis alioqui palam erronea (quod mihi tamen hactenus à Synodo veſtra oſtenſum nunquam fuit) quippe mere theoretica, nec ad praxin pietatis per Ep.35 ſe quidquam attinentia, exiguæ quædam verrucæ, aut leviculi nævi, cum lethalibus plagis, aut peſtiferis ulceribus comparati, eſſe videantur. Ubi & illud à RR. VV. ſerio perpendi velim, nihil in iis, quæ potiſſimum mihi objiciuntur, reperiri poſſe, quod ab antiqua & puriore Chriſti Eccleſia, quaſi hæreticum, publice unquam damnatum ſit: imo nihil, quod non ab eadem aut ſimiliter olim traditum, aut ſaltem velut indifferens toleratum ſit: ſicut vel ex Apologetica reſponſione mea ad ſpecimen D. Feſti Hommii, quam à RR. VV. jam & viſam & lectam eſſe crediderim, abunde perſpicuum evadit: ne de aliis id genus ſcriptis, in eandem ſententiam à me dudum editis, quidquam nunc repetam, ex quibus alia quædam, forte vel obſcurius, vel incautius, alibi à me ſcripta, benigne ac candide in meliorem ſenſum explicanda erunt. Itaque RR. VV. per ſanctum illud Servatoris noſtri nomen, quod ſuper nos omnes invocatum eſt, perque communis in Chriſto fraternitatis religioſa jura, non minus obnixe quam reverenter oratas velim, ut quam accuratiſſimam veritatis ſimul & charitatis rationem hac in parte habere, & non modo veſtræ unuſquiſque, ſed & meæ tum conſcientiæ, tum famæ, in Domino quam rectiſſime conſulere velitis; nec ullo modo permittere, ut vel minimum immoderati zeli, aut parum manſuetæ, parumve meditatæ, adverſus Fratrem ſive actionis, ſive affectionis veſtræ, indicium hic dediſſe videamini. Deum vero ſuppliex rogo, ut recta & vere Chriſtiana conſilia tum alibi, tum in hac ſpeciali cauſa, ubertim nobis inſpiret, omneſque actiones veſtras ad gloriam ſuam, Eccleſiæ pacem, veſtramque ſimul & noſtram omnium ſalutem æternam dirigat. Goudæ 5 Maji 1619.

CCCLIII.

CONRADUS VORSTIUS

RODOLPHO GOCLENIO S.P.

Orat ne eximium ſuum ſenem Deus liberet.

VIr Clariſſime mihique in Domino colende ſenex: Speraveram equidem Synodum Veſtram mecum in cauſa fidei aliter acturam fuiſſe, quam agere nunc audio. Spero tamen adhuc, vobis ſaltem exteris hunc agendi modum adeo non in probatum, ut etiam contra publice ſitis proteſtaturi. Iniquum enim eſt, abſentem & inauditum damnare, qui fraternam ἐξέτασιν (*diſquiſitionem*) ex Dei verbo palam obtulit, & meliora tum diſcere, tum docere paratus eſt. Si res adhuc aliquo modo integra eſt, rogo D. T. ut pro vetere amicitia noſtra, tum conſcientiæ tum famæ noſtræ illic conſulat; ſique nihil aliud poteris, ſaltem & Collegas tuos, & alios exteros huc incites animoſe, ut pro inno-

cen-

Digitized by Google

Ep.354 centia & veritate intercedant, nec duriorem in me ſententiam ferri ſinant, quam vel in Piſcatorem, & in alios, gravius haud dubie in multis errantes, hactenus ab Eccleſiis noſtris lata ſit. Speciatim etiam eos ex vobis, qui penitius in lites noſtras inquiſiviſtis, rogatos in Domino velim, ut animos veſtros coram Deo liberetis, publicum veritati, per ignorantiam à multis hucuſque oppreſſæ, teſtimonium præbendo. Non enim puto vos bona conſcientia his ſequentibus aſſentiri poſſe: 1. Perſonas divinas non eſſe res, ſed modos exiſtendi. 2. Decretum Dei eſſe ipſum Deum. 3. Atomicam eſſentiæ divinæ omnipræſentiam eſſe creditu neceſſariam ad ſalutem. 4. Deum abſolute non poſſe peccata citra ſatisfactionem condonare. 5. Chriſtum identice pœnas omnes nobis debitas, eoque mortem æternam proprie dictam, ſenſiſſe. Quæ fere præcipua ſunt ex iis, quæ præter communem Remonſtrantium cauſam mihi hactenus objiciuntur. Saltem ſi nihil aliud poteſtis, hoc efficite, ut citra contumeliam & criminoſam hæreſeos, blaſphemiæ, &c. additionem, mea quædam, quæ minus probantur, à Synodo rejiciantur: utque ſpes interim maneat aut concordiæ reſarciendæ, aut tolerantiæ ſaltem faciendæ. Plura dicet harum lator, quem rogo benigne audire velis. Deus vobis omnibus adſit, & Spiritu Sancto ſuo ad omnem ſalutarem actionem præluceat. Salveant à me Collegæ tui, & D. Martinius, aliique, veteres amici. Goudæ 5 Maji 1619.

D. T. in Chriſto addictiſſimus

C. VORSTIUS D.

Si D. T. videbitur, poterit epiſtolam hanc aliis Exteris (ſaltem quibuſdam) pro ſua prudentia oſtendere, ut à pluribus quod æquum piumque erit urgeri ac promoveri poſſit. Otto Cornelii Trajectinus falſo illic de me ſparſit, quod monuerim ut ſibi à Contra-remonſtrantibus caveat: tantum mirari me dixi, parentes ipſius (prout ipſe ſubdole fingebat) illorum templa jam adire, cum Remonſtrantibus addicti eſſent.

CCCLIV.

LUDOVICÆ COLINIÆ

Viduæ Principis Auriaci

JOANNES UYTENBOGARDUS.

Diſcuſſi contra voluntatem Colinie.

MAdame: Si je dis qu'aprés Dieu je vous doibs en quelque maniere ce qui me reſte de vie, je ne mentiray pas, tant ſont grandes les conſolations que la charité de V. Ex. a voulu departir à moy & à ma chere compagne durant ces rudes eſpreuves, outre le ſoin aſſidu que V. Ex. a eue de moy, avec telle eſmotion d'entrailles, que je ne ſçay ſi une bonne mere la ſçauroit avoir plus cuiſante à l'endroit du fruict de ſon ventre, quand elle le verroit aux aboïs de la mort. Non ſeulement le rapport que m'en a fait par ſes lettres celle qui par conjunction de mariage & l'affection, vraiement conjugale, qu'elle me porte, participe le plus à mes afflictions, me fait dire cecy: mais j'en ay en mon ame un ſentiment tout vif, & une perſuaſion ſi ferme, qu'il m'eſt advis qu'il eſt preſques impoſſible que je ne demeure debout par la divine grace, tant que V. Ex. ne changera de bonne volonté en mon endroict. Or croy-je fermement qu'elle ne variera point, tant qu'elle croira & verra mon innocence oppreſſée & ma droiture foulée aux pieds. Quand je parle ainſi je ne derogue rien ni à l'aſſiſtence tant favorable de mon Dieu, ni à la foy vive que j'ay en luy par ſa grace, la vertu de la quelle j'ay eſprouvé comme miraculeuſement en mon infirmité au milieu des angoiſſes qui m'environnent, mais, donnant à icelle la premiere, voire, comme il appartient, l'unique place, conſiderant ce qui me vient du Ciel: je ſeroisbien ingrat & meſcognoiſſant, ſi, parlant des moiens humains, je permettois qu'un autre vous devançaſt. Que reſte-il donc de faire de mon coſté Madame? je ne ſçay. Je ne ſuis qu'un pauvre ver de terre, je n'ay rien que des ſouſpirs & des prieres. Que ſi celles cy peuvent quelque choſe envers ce grand Dieu & Sauveur, qui nous eſt allé preparer lieu en la maiſon de ſon Pere par la voye recente qu'il nous a dediée par ſon ſang, pour y recuillir tant ceux qui ſouffrent par Juſtice, que ceux qui vrayement compatiſſent a leurs afflictions: Croyez, Madame, qu'elles ne ſeront eſpargnées tant que l'ame me battera au corps, laiſſant au reſte de faire l'entiere remuneration à celuy qui le vous rendra en la reſurrection des juſtes.

Il differe la beatitude.

Grande Princeſſe, quels changemens? quelles procedures? quelles perſecutions? Je les ay preveu & predit. Ceux qui m'ouirent, penſoient que je reſvois, diſant que ce n'eſtoit que le ſonge d'une teſte melancholique. Mais je laiſſe cela, pour retourner à mes affaires. J'ay receu la lettre d'addreſſe du perſonnage que V. Ex. cognoiſt. Je luy en ſeray redevable toute ma vie, quoy que je ſçache fort bien que cela vient d'une autre ſource. Mais voyant mon Procés (ſi Procés ſe doibt appeller) ſur le point d'eſtre vuidé, je n'ay trouvé bon de bouger encore, mais ſuis reſolu d'attendre de pied coy, pour la fleſtriſſure receüe, adviſer au moyen de l'effacer, & me rendre en lieu plus ſeur à ceſte fin. V. Ex. m'aſſigne la France. C'eſt bien mon deſir, ſi ma chere moitié ſe peuſt reſoudre de m'y ſuivre, & que j'euſſe moyen de l'y attirer par quelque advis aſſeuré, que nous pauvres exilés y pourrions vivoter, avec quelque commodité en repos principalement en ceſte noſtre vieilleſſe, appro-

Ep.354. chans tous deux peu à peu des bords du foſſé. Je ſerois bien deliberé d'y faire une courſe pour voir, &, comme on dit, prendre langue: mais, comme l'addreſſe que j'ay ne parle que de Dieppe, je ne ſçay, eſtant là, où me rendre plus avant, Dieppe n'eſtant propre pour ma reſidence, ainſi que l'on me dit. Le voiager couſte, & faudra, aprés que les trois Fiſcaux m'auront mis en chemiſe, que je meſnage ce que ma treſdolente femme me fournira pour mes neceſſitez, ſans dependre beaucoup à tracaſſer ça & là en incertitude. On me parle fort de Roüen, & j'y ay quelque inclination: mais outre ce que mon ennemy capital, qui eſt le catharre, y domine, (à ce que j'entens) par les brouillars continuels que cauſe la montagne voiſine qui preſques l'environne toute, au moins juſques à la riviere, on me dit que je n'y ſeray pas bien ſeur. Orleans ou quelque lieu voiſin m'aggréeroit plus, ſi j'y avois de la cognoiſſance. Je diray à voſtre Ex. ce que j'ay fait. Ayant entendu que ſon Ex. auroit monſtré à Monſ. de Boiſliſe la depoſition de ce faux Berck contre moy, & ayant trouvé un bon amy à point, pour addreſſer ma lettre à ſa Seig^rie. perſonnellement, j'ay prins la hardieſſe de luy eſcrire pour ma juſtification, & luy ay parlé à ceſte occaſion d'une Sauvegarde de ſa Maj. pour en entendre ſon advis, & ſçavoir s'il y auroit eſperance de l'obtenir, & par quels moyens. La reſponſe de ſa Seig^rie. me fera voir plus clair. Je penſe que devant qu'elle arrive j'auray mon arreſt ſi desja on ne l'a prononcé. Car on en parle fort, comme auſſi de celuy qui ſera pour les S^rs. priſonniers, qu'on dit debvoir eſtre ſanglant, principalement au regard de ce grand perſonnage, qui a tant merité du païs, & de celuy meſmes que je croy principalement pourchaſſer ſa mort. Dieu veuille deſtourner ce deſaſtre tant de ſa teſte que du païs. Si V. Ex. cependant daignera me faire quelque ouverture plus particuliere je la receyray à gré, & la ſuivray autant que je pourray. Car la France me plaiſt, & y voudrois finir mes jours, ſi j'y trouvois la ſeureté requiſe. Voſtre Ex. a veu ce que j'ay eſcrit à Meſſ^rs. les Eſtats & au Magiſtrat d'Utrecht. On me dit que Berck s'en eſt fort alteré, & que maintenant il ſe deſdit entierement, quant à l'argent pretendu que je luy aurois offert de la part de l'ennemy. Voſtre Ex. verra ce que j'eſcris & envoye preſentement à S. Ex. Non en eſperance que ce cœur, plus dur qu'acier, s'amollira, mais pour ma deſcharge, pour le rendre inexcuſable, & pour preparer le tout à une autre Apologie plus ample, que je medite, & laquelle Dieu aydant, ſuivra mon arreſt bientoſt, quand je ſçauray les cauſes, ſur leſquelles il ſera fondé. Mais quoy? Vivray-je? hier me vint un advertiſſement de la Haye de bien bonne part, que j'euſſe de prendre bien gardé à ma perſonne, veu qu'on eſtoit reſolu de m'avoir vif ou mort, quand bien on m'iroit prendre ou aſſaſſiner dans une Ville bien murée & cloſe. Pauvres ſots: penſent-ils que ma vie ou mort depende d'eux? Non, Madame, ma vie eſt en la main de Dieu, lequel la garantira des leurs, s'il luy plaiſt. Si non: Sa ſaincte volonté en ſoit faite. A ceci n'adjouſteray-je rien pour le preſent. Seulement aprés mes prieres à Dieu pour vous, Madame, je ſupplieray V. Ex. qu'elle continue de me conſerver en vie, en octroiant ſes faveurs & conſolations accouſtumées à ma tres-loyale & tres-dolente compagne: Proteſtant, que tant que je reſpireray Ep.355.

Madame, V. Ex. enſemble Monſeig^r. le Prince voſtre plus proche (duquel en toute humilité je baiſe les mains) aurons tous-jours en moy un

Tres-humble, tres devot & tres affectionné Serviteur

De mon hermitage le 25 d'Avril. 1619. I. W.

Gt il Mr Groot, ou Mr Arminius?

CCCLV.

Chariſſima

CONJUNX, LIBERI, GENERI

& Nepotes dilectiſſimi,

SAluto vos omnes peramanter. Hac ipſa hora ad me defertur nuncius duriſſimus ac triſtiſſimus, nempe ut ego ſenex pro omnibus officiis, tot annis, bona ſemper, & optima fide Patriæ præſtitis, poſtquam excellentiſſimum Principem ſincero affectu (tot annis, & quibus potui ſervitiis, quantum per munera publica & vocationes licuerit) humilibus obſequiis coluerim, multis ex omni hominum genere benevolentiam exhibuerim, nemine mortalium, quod ſciam, injuria affecto, ad mortem craſtino die ſufferendam præparare me debeam. Conſolor me in Domino Deo, qui & omnium corda novit, & omnes quotquot ſunt homines eſt judicaturus: obſecro, ut & vos omnes idem facere velitis. Dominis meis Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus [nempe] Dominis Nobilibus & Civitatibus, animo ſincero, probo, & fideli inſervii, nec non Dominis Ordinibus Ultrajectenſis Provinciæ, utpote Patriæ meæ ſupremo Magiſtratui, ipſis petentibus ſincerum conſilium dedi & fidele, ut à ſeditione populari, & ſanguinis effuſione, à qua jamdudum ipſis periculum imminuit, liberarentur. Eædem erga civitates Hollandiæ intentiones meæ, nempe ut nemine læſo omnes protegerentur. Vivite inter vos in charitate & pace. Rogate pro me Dominum Deum omnipotentem, qui nobis omnibus ſancto ſuo præſidio aderit. Ex triſtitiæ cubiculo 12 Maji 1619.

Triſtitiæ innocentiæ ſuam adverſus iniquam Judicum Delegatorum ſententiam.

Hæc epiſtola è Belgico facta eſt Latina.

Veſtri amantiſſimus Conjunx, Parens, Socer & Avus,

JOANNES ab OLDENBARNEVELT.

CCCLVI.

CCCLVI.

SIMONI EPISCOPIO,

JOANNES UYTENBOGAERT

S. P. D.

VIr Clariſſime, Litteris tuis, conſolatione & animi fortitudine pleniſſimis, jam non ſum reſponſurus, nec hanc ſchedulam lamentationibus repleturus; urget tabellarius, feſtinandum igitur, & coarctanda ſcriptio, ne faſciculus ſua magnitudine (continet enim plures litteras) me prodat; inutiles quoque forent lamentationes; conclamatum nunc eſt. Multa ante proſpexiſſe, & remedia quæ ad manum oportune applicuiſſe opus erat. Optimus ille ſenex, patriæ Neſtor, cunctatione nimia evertit ſe & Remp. quum tamen non deeſſent monitores, ut ea facerent, quæ ſine ſanguinis effuſione & debuerunt & potuerunt fieri. Venio ad te Frater chariſſime, ut tibi dicam quod ſentio. Hoc ratum eſto, non comparere, ſi vocaverint, nec ſolum nec cum reliquis; ſecus ſi feceris, pœnitebit. Conſtat quanti te faciant adverſarii; nec dubium quin imprimis te & Grevinchovium vel carceri, vel exilio, devoverint. Si nil niſi exilium metuerem brevi decernendum, ſuaſerim te ſiſtas: ſed ut D. Advocatus perſonam egit Crellii, ſic vos Peuceri, Pierii, &c. (noſti hiſtoriam non ita veterem) ut vos inutiles reddant Patriæ & Eccleſiæ, quæ talibus viris jam indiget. Eant igitur reliqui fratres in nomine Domini, inter quos ſunt qui minore cum periculo, & tamen magno cum fructu, cauſam agent libere, animoſe, & prudenter. Habes Niellios, Poppios, Leones, &c. Denique omnes quorum fidem & induſtriam expertus es; qui procul dubio officio fungentur ſtrenue. Citatione igitur facta velim te mox ut ſubducas, & ne quid tum impedimenti ſit, jam omnia parata habeas, & ſcripto cauſas non comparitionis excuſes apud Ordines per eoſdem fratres tradendo: cauſa juſta ſatis, præmonitiones frequentes ut tibi caveas, & quæ in Synodo acta & dicta in te ob orationem habitam, &c. Verum quid conſilii ſi adverſus vos agant non evocando aut citando Hagam, ſed iſtic in iſta civitate comprehendendo: ſi hoc poſterius metuendum vobis videatur, (quod ego non crediderim) me mox abderem, & profeſſioni ſcripto ad Curatores & Conſules Leidenſes, additis rationibus, quæ non deerunt, renunciarem, eoque peracto mox huc iter inſtituerem. Vis me ſervem melioribus temporibus: Sed ego penſum abſolvi; meum jam effluxit tempus. Nonnunquam quidem Hagam adeundi deſiderio teneor (ut Servator noſter cum obfirmato vultu & animo aſcenderet Hieroſolymam, ibi moriturus) ut prius unum quendam compellem, eique dicam cum Bian-

te: *non metuo ut impietas tua impunita maneat, ſed totus metuo me non viſurum.* Sed quod ad te, Nicolaum, & veſtrum ſimiles, vos imprimis ſervandi omnino eſtis melioribus temporibus, ſi ſervatam volumus Eccleſiam, quam vobis imprimis remotis perditam volunt ..... & Eccleſiæ uſurpatores. Hæc tibi ſoli ad tuas heri veſperi ad me perlatas reſpondere libuit. Trado jam lampada Niellio, Poppio, Dwingloni, Pynakero, Arnoldo, &c. Sit Leo Leo, ſcribebat aliquando Helmichius p. m. ad hujus parentem, eratque verſiculi initium, *Eſto Leo Leo*; cætera exciderunt. Iſte vir multum poteſt, ſi Leo eſt, & vires explicet: Revoco nonnunquam in memoriam juvenem iſtum, qui cum eſſet dives abiit triſtis. Is ſi epiſt. ad Timoth. legiſſet, & ad praxin revocaſſet, non receſſiſſet: at illa epiſtola tunc nondum erat conſcripta: at nunc ſcripta eſt, & nos eam legimus. Hæc autem poſtrema tibi, & quidem ſoli. Si oſtendere hæc mea lubet, deleri has lineas prius volo. Nihil addo præterea, ſed Deum precatus exſpecto, quis futurus ſit exitus cæteris DD. captivis, veſtroque choro ſanctiſſimorum virorum & fratrum qui ibi degunt, quos omnes & ſingulos in Domino Jeſu valere, & fortiter agere precor. 19 Maji 1619. Ep. 357. 1 Tim. 6.

Etiam veni Domine Jeſu, & Eccleſiæ tuæ miſerere, ac ſervis tuis robur adde. Exſpecto nunc videre ſententiam in me ſtatuendam, quæ ſatis prolixe & acriter intendetur. Velim eos ſemel & ſimul omnia, quæ animo concepta tenent, profundere, ut aut culpam agnoſcam, aut potius omnia objectata juſta apologia diluam.

CCCLVII.

JOANNES UYTENBOGARDUS SIMONI EPISCOPIO S. P.

UTinam de hujus boni viri, amiciſſimi hominis & tibi notiſſimi, itinere ad vos conſtitiſſet heri! ſcripſiſſem largius. Heri ad te literulas dedi, quibus conſilium meum aperui, & monui ne ires vocatus, ſed excutatione miſſa illinc te actutum proriperes potius huc ad me. In hoc conſilio adhuc perſtito. Perculit me admodum vehementer nuncius de D. Nicolai citatione Hagam. Mi Deus, parce iſti viro. Ne quæſo eat, ſed eadem ratione qua tu rationes ſuas inſtituat. Spero non iviſſe. Hoc tantum volebam; plura jam non poſſum excluſus tempore. Valete, valete omnes in Domino fratres chariſſimi, & ſpiritu fortitudinis & prudentiæ, quæ in vobis abundat, inſtructi, fortiter & prudenter agite. A vobis pendet ſalus Eccleſiæ & patriæ ſecundum Deum; omnium oculi in vos converſi: Deus vos conſtituit in theatro illuſtriſſimo. Itaque agite ut vos, tantos nempe viros, decet, Chriſto Jeſu dile-

Ep.358. dilectiſſimi heroës. Valete. Scripſi animo mæſtiſſimo, læto tamen in Domino.

Antverpiæ 20 Maji 1619. *Humillimus ſervus veſter*

J. UYTENBOGARDUS.

CCCLVIII.

LUDOVICÆ COLINIÆ

Viduæ Principis Auriaci

JOANNES UYTENBOGARDUS.

Querela de iniuſta ſententia contra ipſum lata.

MAdame: Ne diſois je pas que ce cœur d'acier demeureroit inflexible? Qu'ont effectué tant de prieres & ſupplications equitables? & meſmes l'interceſſion de V. Ex. pour moy ſon treshumble Serviteur? Rien. On n'a laiſſé de proceder contre moy à toute rigueur, juſques à confiſquer mon bien & me bannir à perpetuité hors de ma patrie (à laquelle j'ay tant fidellement ſervy) ſur peine de la vie, ſi j'y reviens jamais. On me mande qu'on euſt moderé la rigueur, ſi au lieu de me juſtifier j'euſſe voulu recognoiſtre faute en aucune maniere: mais, le pouvois je? le debvois je faire? ſans en eſtre convaincu par ma conſcience propre? L'Edict d'adjournement ne m'en donnoit ouverture quelconque: voire au propre lieu où on en devoit dire quelque choſe, on n'y met qu'un *&c cætera*. Je m'attendois qu'enfin, mon Arreſt de banniſſement en euſt dit quelque choſe: mais pas un ſeul mot. La legende, du feu Neſtor de noſtre païs, Monſ. de Barnevelt, de bonne memoire (avec lequel on penſoit me tirer en Societé de crime) ne dit auſſi rien qui me touche, horsmis qu'il y eſt parlé d'une *Deliberation*, en laquelle on ſeroit entré quelque jour en ma maiſon. Je ſuis bien aiſé que ce qu'on qualifioit auparavant *Reſolution*, eſt nommé maintenant *Deliberation*, ce qui ſeroit diminuer la faute de beaucoup, s'il y en avoit aucune: mais il n'y a eu, à la verité, (là où j'aye eſté preſent) ni Deliberation ni Reſolution. On avoit dit à V. Ex. *qu'à la vuidange de mon Proces on orroit des choſes horribles*. Maintenant elles ne comparoiſſent nulle part, ſi non és horribles peines auſquelles on condemne un Innocent. Eſt ce pour m'oſter le moyen d'une juſtification punctuelle? Je le croy. Me voyla donc reduit aux termes, ou de me taire du tout, (auquel cas mon ſilence ſera tenu pour confeſſion de Crime) ou, que voulant parler je devine, & que, reſpondant à l'adventure & par conjectures, je donne quelque part à mes haineux le baſton en main pour me frapper, à la façon de l'Inquiſition d'Eſpagne, la quelle ne declare pas aux pretendus Criminels leur Crimes, ains ſans les charger ſpecialement de cecy ou de cela on veult qu'ils y penſent, & s'accuſent eux meſmes. Le plus grief eſt qu'en me banniſſant ſi cruellement ſans dire pourquoy, & diſſimulant les meſchancetez que j'aurois commiſes, & par leſquelles les Juges auroyent eſté meus de me chaſtier ſi rigoureuſement, on me ferme en effect les portes de toute l'Europe, ſi les Magiſtrats des lieux, eſquels je voudrois, peut-eſtre, me retirer, ne voudroient adjouſter foy aux Proteſtations que je leur pourray faire en gros de mon innocence. Pleuſt à Dieu donc qu'on y euſt exprimé mon Crime, & nommement celuy d'avoir voulu innover ou changer la Religion, quand bien l'extenſion euſt deu emplir la moitié d'avantage des fueilles qu'on a employé contre feu Monſ. l'Advocat. Car encores que telle accuſation euſt eſté fauſſe, ſans fondament, & pleine d'iniquité, elle euſt au moins effacée d'autres opinions & imaginations ſiniſtres que les Eſtrangers, mal inſtruicts de nos affaires, pourroient avoir conceus à mon deſavantage, oyans parler d'un ſi cruel arreſt donné contre moy. Pourquoy ne l'a-on pas fait? Eſt ce, que, ſçachans combien il eſt odieux de perſecuter quelqu'un ſimplement pour le faict de la Religion, on s'eſt contenté de dire, *qu'ayant eſté adjourné je ne ſuis comparu*, pour donner ſoupçon, que ſentant ma conſcience chargée des crimes bien atroces, je n'ay oſé comparoiſtre, & ainſi me nuire d'avantage? J'en ay quelque opinion: & y a des arguments qui me le perſuadent. Quoy qu'il en ſoyt, voicy banni & exilé de ſa Patrie pour jamais, & reduit comme à la beſace celuy, qui tant d'années l'a ſervi, & ſemé à V. Ex. & à tant d'autres la ſemence ſpirituelle. L'ay je merité? J'en appelle les conſciences meſmes de mes perſecuteurs & juges, ou ſi elles ſe trouvent cauteriſées & ſans ſentiment, je provoque au jugement de Dieu, qui eſt la Juſtice meſme. Madame, que feray je maintenant? Où iray je? Voy-cy ma Reſolution. Ne trouvant conſeillable de m'arreſter plus long temps en ces quartiers, où je m'eſtois retiré, tant ſeulement pour adviſer plus commodement à mes affaires, à cauſe du voiſinage du lieu, mon inclination tend d'aller à Paris, pour y entendre s'il me ſera permis de vivre en France ſoubs la Sauvegarde de ſa M. Tres-Chreſtienne. Pour à quoy parvenir ſçachant que l'addreſſe de V. Ex. & de Monſ. du Maurier ſon Ambaſſadeur, m'y pourroient beaucoup ſervir: Je ſupplieray V. Ex. par ceſte, que ſon plaiſir ſoit d'adjouſter à tant de Charitez precedentes encores celle de ſon bon plaiſir de me favoriſer d'un mot de recommendation à quelque Seig. du Conſeil de ſa Ma^té. ou autre Seig. de marque, pour m'y addreſſer, & acheminer ce qui ſeroit requis pour obtenir ce ſauf-conduit. Sa Ma^té. Tres-chreſtienne eſtant desja aucunement imbu des affaires de par-de-ça, n'y ſera peut eſtre la difficulté que pourroit y trouver quelque

Ep. 359. que autre Prince ou Eſtat. Je ſuis aſſeuré qu'un mot de recommandation du dit Seigr. Ambaſſadeur me feroit grand bien : mais n'oſant eſcrire à ſa Seigrie. pour la charge publicque qu'elle a, je remets à la diſcretion & prudence ſingulier de V. Ex. ce qu'elle voudra, ou pourra effecter pour l'y eſmouvoir. Je ſupplie iterativement V. Ex. comme à mains joinctes, ne me deffaillir à ceſte fois. Je ſouhaitterois auſſi que l'Ex. de Monſ. le Prince d'Oranges voudroit pour le moins tant faire pour moy innocent, qu'elle fit pour ce meurtrier Jean de Paris (qui en ſa Cour avoit aſſaſiné le pauvre Weli) quand par ſon interceſſion (qu'elle m'octroya, lors que je luy en portay la parolle à la priere du dit de Paris allant à la mort) elle empeſcha l'execution de l'Arreſt donné contre luy, au regard de la confiſcation de ſon bien : à fin que la confiſcation du peu que j'ay ceſſant, j'aye du pain. Madame je n'en puis plus. Dieu vous benie. Je demeure à jamais

Voſtre treshumble & tres-affectionné Serviteur

29. de May 1619. I. W.

CCCLIX.

Clariſſimo Viro

D. SIMEONI EPISCOPIO

S. P. D.

THOMAS ERPENIUS.

CUm nudiuſtertius, Vir Clariſſime, Chriſtianiſſimi Regis Legato D. Mauriero adeſſem, is vehementer me etiam atque etiam rogavit, ut, ſi qua ratione poſſem, Canones Synodicos ei curarem tranſmittendos; id quod haud gravatè ei promiſi operam me daturum eſſe. Eaque de cauſa nunc te obnixe oro, ut, ſi fieri poſſit, exemplar eorum ad nos tranſmittas, vel quod ei tradamus, vel ex quo aliud ei tradendum deſcribamus. Id ſi feceris, utrique noſtrum rem feceris multo gratiſſimam. Ego quoque ſpondeo fore, ut ea res non divulgetur, & mihil inde vobis incommodi aut moleſtiæ creetur. Statui die Mercurii proximo Hagam iterum excurrere, eumque ſalutare. Utinam ante id tempus exemplar à te aut reſponſum habeam! Vale Vir Clariſſime, & fratres omnes plurimum meis verbis ſalutа. Leydæ 8 Junii 1619.

CCCLX.

LUDOVICÆ COLINIÆ

Viduæ Principis Auriaci

JOANNES UYTENBOGARDUS.

MAdame: Celle qui delivre la preſente à V. Ex. baiſera en toute humilité les mains de ma part, avec offre de mon treshumble ſervice. Elle vous declarera mon eſtat, chetif ſelon l'homme exterieur, qui ſe corrompt & deſchet, mais aſſez tolerable (loüé ſoit Dieu) ſelon l'interieur; qui ſe renouvelle & fortifie de jour en jour. Les conſolations ſpirituelles qui ſurpaſſent tout entendement ne me manquent point, faiſant le bon Dieu que ces tribulations, pour grandes, voire extremes, qu'elles ſoient, cooperent enſemble à mon bien. Je ſuis fort aiſe d'eſtre promeu de l'eſcole de la Theorie à celle de la Practique de pieté, & que j'experimente d'un coſté, combien eſt eſtroit le chemin qui meine au ciel : & de l'autre, en combien de manieres Dieu aſſiſte les plus foibles, & ſçait parfaire ſa vertu en leur infirmité. Il m'a mis en ceſte fournaiſe d'affliction : mais, comme il eſt fidelle, il ne me tentera pas outre mon pouvoir, ains m'en fera ſortir plus net, comme l'or eſpuré par le feu, qui eſt l'un des ſouhaits de V. Ex. pour moy. J'eſpere qu'il m'augmentera encores ſes graces, à fin que je puiſſe mettre en evidence les admonitions & conſolations que V. Ex. teſmoigne avoir ouie de moy autrefois, & qu'il ne permettra jamais qu'ayant preſché l'Evangile à d'autres, je ſois moy meſmes trouvé reprouvable. Je ne plains pas ma condition, mais bien celle de ceux qui me font ce tort, ſçachant qu'il leur en faudra rendre conte à celuy qui juge juſtement & guerdonnera un chacun ſelon ſes œuvres. Je me porte aſſez bien, loüé ſoit Dieu, & medite les moyens les plus commodes, pour faire voir au monde mon innocence. Voſtre Ex. voudroit bien *que je m'accommodaſſe, &c., croiant qu'il y a pluſieurs choſes où je le pourrois faire ſans bleſſer ma conſcience, me prie d'y penſer, & conſiderer que c'eſt une choſe bien cruelle, d'eſtre toute ſa vie banni de ſa patrie.* Les prieres de V. Ex. me ſont autant de commendemens. Je le veux Madame, ne ſentant deſja que trop les incommoditez d'un ſi cruel banniſſement, & cognoiſſant tresbien que ce n'eſt encores que le commencement. Mais je ſupplie V. Ex. que ſon plaiſir ſoit de m'inſtruire en quoy je me deive & puiſſe accommoder, vous proteſtant devant Dieu, que je ne le ſçay point. On m'a ignominieuſement depoſé de mon miniſtere, pour des choſes, partie du tout fauſſes, partie calomnieuſement recerchées. Confeſſeray je qu'on a eu raiſon de ce faire? On m'a banni, & confiſqué mon

Declaratio innocentiæ ſuæ.

Ep.360. mon bien, ſans dire pourquoy, ſi non, pource, qu'eſtant ajourné (apres qu'on avoit desja arreſté le ſaiſiſſement de ceſte furieuſe & barbare invaſion de mon logis à main armée) je ne ſuis comparu en perſonne, pour me laiſſer garotter & enfermer en une hideuſe priſon. Iray je maintenant charger ma conſcience innocente, des crimes qui me ſont incognus, pour juſtifier leurs cruelles procedures demandant pardon? Et que gaignerois je, en ce faiſant, que des huées & mocqueries, ſans en rapporter autre bien, qu'un honteux retour en ma patrie terreſtre, pour y vivre en ſervitude, couvert d'opprobre, peut eſtre quelques années, ou des moys ſeulement, car mes jours s'en vont. Mais, ſi encores m'accommodant à la terre, je me mettois en danger de perdre le Ciel: ne voy-la pas un bel etchange, meſmes apres avoir tant ſouffert pour une cauſe ſi ſaincte & juſte? Cela ne ſeroit pas practiquer les admonitions & conſolations, que, ſelon le teſmoignage de V. Ex. meſmes, j'ay autrefois departi à d'autres. Ja n'advienne, que pour choſe du monde, ayant commencé par l'eſprit j'acheve par la chair. V. Ex. l'entend comme moy, quand elle exempte *la conſcience*, & veut que ce ſoit *ſans la bleſſer*. Si on me vouluſt faire la grace de me laiſſer achever mes pouvres jours en ma patrie, en vraye liberté de conſcience avecq mes freres, il n'y a ſorte de ſubmiſſion que je refuſaſſe de faire, ni d'accommodation à la quelle je ne ſerois content de me ploier, pourveu qu'on ne me chargeaſt de recognoiſtre faute devant que de la faire cognoiſtre. Je ne feroy jamais difficulté de confeſſer que je me puis avoir meſpris quelque part, penſant bien faire. Mais comment pourrois je appliquer ceſte confeſſion generale à telle ou telle action ou parolle particuliere, ſans que je ſçache en quoy j'aye failly, & par ou j'aye merité un ſi cruel traittement, apres tant d'années de tres fidelles ſervices? Je ſupplie donc V. Ex. qu'il luy plaiſe m'eſclaircir un peu d'avantage ſur ce ſubjet. J'entends qu'on a le ſejour, ou lieu où je ſuis, fort odieux. Mais où iray je? Ceux que j'ay tant importuné pour obtenir quelque addreſſe en France, me la deſconſeillent. V. Ex. ſemblablement n'en parle plus. Autant qu'il y a des Principautés ou Eſtats en Allemaigne, Angleterre, Suiſſe, & ailleurs, autant des portes formées à moy & aux Remonſtrans: Si je parle de Hambourg ou de quelque autre ville An-zéeatique, on m'objecte leur alliance avec ceux qui me perſecutent. A Coulogne y a ſi peu de liberté pour ceux de la Religion qu'icy, joinct, que ceux qui m'advertiſſent, qu'on continue tous-jours de me pourſuivre, me diſſuadent ceſte ville la pour des conſiderations. l'Eſpagnol eſt maiſtre de Weſel, auſſi bien que de ces quartiers icy, & ceux de la Religion n'y verront volontiers celuy que leur conducteurs ont perſuadé (peut eſtre) d'avoir trahi leur Ville. (Voſtre Ex. ſçait le bruit meſchamment controuvé & ſemé, paſſé quelque temps, par quelques miniſtres, & meſme des leurs ſur ce ſubject.) Croiez Madame, que ce ſejour preſent m'eſt autant à contrecoeur, & plus que à ceux qui font tant de mine de le trouver mauvais. Il ne tient qu'à eux meſmes que je n'y ſois plus. Qu'ils octroient ſeulement à un de leurs meilleurs citoyens & conbourgeois entrée libre en ſon pais, ou bien habitation aſſeurée en quelque lieu voiſin, comme à Culenborch, ou autre lieu ſemblable. Je ne faudray m'y tranſporter tout auſſi toſt. Craignent ils que demeurant icy je ne devienne Papiſte? Je les remercie du ſoin qu'ils ont de ma conſcience, puis qu'ils ont bleſſé la leur propre en tant de manieres. Encores ne ſçay je, ſi la nouvelle d'un tel changement ne leur ſeroit pas fort aggreable, pour enplaſtrer une bonne partie de leurs calomnies. Ont ils peur que je ne practique contre leur repos? Je ne penſe pas que ceux, qui ne ſe foucient de l'elephant, ajent peur d'une mouſche. La pure verité eſt, Madame, que je ne ſubſiſte icy que pour un temps, comme en lieu voiſin & propre à recevoir & donner des advis neceſſaires pour l'ordre requis à mes affaires domeſtiques, ſans quoy il m'eſt impoſſible de reſoudre du lieu, où je doibve d'oreſenavant ficher mon domicile. C'eſt auſſi l'advis de Monſ. le P. v. F. (comme ma femme me rapporte) que je ne m'eſloigne pas encores d'icy. Que s'il plaiſoit à ces Meſſieurs me rendre le pain qu'ils m'ont oſté, & que Dieu m'avoit donné à la ſueur de mon viſage, employée pour leur ſervice, je pourrois aller à mon aiſe recognoiſtre & chercher giſte ailleurs: maintenant que je me voy reduit comme à la beſace par leur courtoiſie, je me trouve forcé d'attendre icy pied coy, juſques à ce que ma fidelle compagne, ayant vuidé ſes affaires, ſçache les moiens qui luy reſteront pour donner ordre à ma retraitte & nourriture. Je remercie cependant V. Ex. treshumblement de l'offre de ſa faveur, & de celle de ſon plus proche, qu'il vous a pleu me reitirer par voſtre derniere: la ſuppliant de croire, que tant que je reſteray en vie, je ne manqueray tant ſoit peu au ſervice, que, paſſé long temps j'ay au Seigneur voüé à Voſtre Ex. de laquelle je demeure ſans varier

Ep.360.

Tres-humble &c. Serviteur.

25 Junii 1619.

CCCLXI.

CCCLXI.

Piiſſimis, Doctiſſimis, ac veræ Religionis aſſertoribus invictis, citatis ac proſcriptis Remonſtrantibus, Fratribus meis in Domino obſervandis,

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

Conſolatio. Dilecti in Domino Fratres, quos corpore propediem, nunc animo & affectu toto ſequor, & afflictionis veſtræ partem non levem, jam inde à veſtro diſceſſu, apud me tacitus ſuſtineo. Statueram die Sabbathi jam elapſo Hagæ-comitis vos invitare, ſed inopina illa & præceps veſtrum proſcriptio, & abitio, me optatiſſimo illius conſilii fructu privavit. Nunc, quod unum poſſum, doloris mei nuncias litteras ad vos mitto, ſi modo juſti doloris materies ſit, Religionis & veritatis ergo exulare. Diſceſſiſtis è Belgii Confœderati finibus, ſed in animis multorum altius infixi hæretis, & qui laborum veſtrorum hactenus conſors fui, nunc exilii conſors eſſe deſidero. Nec vero meliora me fata manent, ſi non pejora. Expectatur hodie DD. Curatorum adventus, ad capeſſendam Academiæ & Collegii reformationem. Faxit Dominus, ut idem mihi ſit animus, qui vobis fuit. Arridet prima fronte ſpeciosa illa lucelli promiſſio: ſed non tanti emam pœnitere, aut dicendi ſcribendique libertatem vendam ſordido luto. Ut inopiæ veſtræ & domeſticis neceſſitatibus ſuccurratur, jam ſerio cogitatur, & propediem ſuam erga vos benevolentiam teſtabuntur illi, qui vos pectoribus ſuis reconditos gerunt. Si tamen cauſæ communi conſultum vultis, de reditu cogitandum vobis erit. Aliorum concionatorum, qui in prima jam acie dimicant, oculi in vos conjecti. Res plena periculi eſt, fateor: ſed nullum periculum illi eſt, qui vitam æternam lucrum ſuum eſſe putat. Glorioſius in patria, quam hoſtili ſolo morimur. Concionum libertate ad conſcientiarum libertatem graſſandum erit. Et bone Deus quantum hoc bonum! Noſti quo precio illa ſteterit majoribus ac parentibus noſtris. Interim litteris veſtris Eccleſias afflictas erigite, & de promovenda ſanctis mediis Chriſti cauſa ocyus cogitate. Ut ad conſtantiam & patientiam vos horter neceſſum non arbitror, abunde enim inſtructi eſtis iis ſolatiis, quibus Chriſtiano in iſta arena opus eſt. Dominus Deus vos firmet, roboret ac ſtabiliat in omni opere bono, ad nominis ſui gloriam. Valete Chariſſimi Fratres, & tu imprimis cordis dimidium mei Theophile Rijckwaert; Tecum vivere amem, tecum obeam libens. Raptim è Muſeo 7 Julii 1619.

CCCLXII.

CONRADUS VORSTIUS

Cognatis ſuis aliiſque Amicis S. P.

De Judicio Synodali adverſus ipſum hactenus edito.

Niſi vererer, chariſſimi cognati, aliique amici in Domino dilecti, quoſdam inter vos adeo eſſe aut fide infirmos, aut rerum hiice locis jam aliquandiu geſtarum ignaros, ut periculum ſit, ne de controverſiis Theologicis, jamdudum hic mihi motis, ſecus quam par ſit, judicent: & ſpeciatim ne externa Synodi noſtræ Nationalis ſpecie, ac ſplendidis Theologorum, in ea coactorum, titulis ſeducti, judicio illius, adverſum me nuper Auguſto menſe demum in lucem edito (quamvis diu ante, videlicet IV Maji Dordrechti pronunciato, & poſtea XXVII Junii ab Illuſtribus Hollandiæ Ordinibus exſecutioni mandato) plus æquo tribuendum putent, atque ita ſimul in Dei veritatem, & proximi dilectionem, graviter peccent; poteram hoc ad vos ſcribendi labore plane ſuperſedere. Qui enim in fide ſat firmi ſunt, & nominatim in controverſiis ante dictis mediocriter verſati, ſimulque rerum in Synodo Dordracena geſtarum bene gnari, aliena cautione aut admonitione non admodum hic opus habent: ut qui probe norint, non huic tantum Synodo, ſed & omnibus aliis ejuſdem commatis, caute admodum credendum eſſe: tantumque dumtaxat fidei adjungendum, quantum ipſæ ex Dei verbo demonſtrare pro ſe poſſunt ac ſolent: quippe quas non, ut olim, ex Prophetis & Apoſtolis, nedum ex Angelis; ſed ex ejuſmodi hominibus conſtare ſciunt, à quibus nihil humani alienum eſſe plus ſatis experimur: puta, neque ignorantiam & errorem, neque pravam cupiditatem, ſeu ſpem metumve minime ſanctum; neque item iram & odium adverſus fratres, aliqua forte in re ab ipſis diſſentientes; neque alios id genus animorum morbos, qui oculos mentis obſcurare, immo excæcare facile poſſunt; quique id tandem efficere ſolent, quod ex Chriſti præcepto maxime hic cavendum eſt, ut temere alios *Matth. 7.1.* non modo judicemus, ſed & damnemus, & feſtucam quidem ex oculo fratris eruere ſtudeamus, trabem vero in oculo noſtro non animadvertamus, &c. Itaque mirum videri non debet, ſi ab ejuſmodi Synodis judicium juſtum *Joh. 7. 24.* (quale Servator alibi requirit) non ſemper feratur; ſed interdum juxta ſpeciem, vel externum aſpectum judicetur, & ſententia condemnationis, ſive ex affectu ſiniſtro, ſive ex præjudiciis undecumque hauſtis, adverſus innoxios pronuncietur. Saltem magna hic prudentia & circumſpectione opus eſſe, nemo vere pius, opinor, unquam negabit. Ut ut enim Synodales noſtri cætera optimi, & prorſus inculpati fuerint (quod tamen ne ipſi quidem ſibi arrogaverint) errori certe atque ignorantiæ, non

d by Google

Ep.362. minus quam cæteri mortales, obnoxii fuerunt.
1 Cor.13.9. *Omnes enim ex parte cognoſcimus ex parte prophetamus*, ſemperque in obſcuro ſpeculo cernimus quamdiu hic vivimus. Qui autem tales ſunt, quomodo in eorum judicio, non ante ad Dei verbum accurate examinato, acquieſcere tuto poſſumus? Adde, quod pluſquam probabile ſit, aliquos ſaltem inter Synodales fuiſſe, ac ſpeciatim ex Provincialibus eos, à quibus cæteri fere pendebant, qui me alioſque fratres nonnullos, ob diverſas de rebus quibuſdam Theologicis opiniones, jam pridem non obſcure oderunt. Id enim ex compluribus ipſorum in nos acerbe ac contumelioſe dictis, ſcriptis, factis, univerſo prope orbi Chriſtiano dudum innotuit. At quiſquis *fratrem odit, in tenebris ambulat, neque ſcit quo vadat, ſed tenebræ oculos ejus exæcarunt.* Et ſane judicium hoc Synodicum, de quo nunc agitur, non tantum ab aliquo mentis errore, eoque vario ac multiplici, ſed ab odio quoque mei, ſimilibuſque carnis affectibus, magna ex parte profectum eſſe, multa ſunt quæ evidenter arguunt: puta, non modo verborum, quibus conceptum eſt, perpetua virulentia, & exquiſita ſtili acerbitas; ſed & ipſa totius actionis forma, quatenus ex ſcripto apparere poteſt, cum præcipuis aliquot cauſis & circumſtantiis. De quibus, antequam ad ſpeciale judicii examen deſcendam, breviter hic aliquid dicendum videtur: ut ii ſaltem, qui paulo rudiores ſunt, aut nimium creduli (quippe nimia, neſcio cujus, eximiæ Synodalium ſanctitatis, ac doctrinæ opinione forte imbuti) velut in ſynopſi quadam cauſas ac rationes aliquot cernant, cur judicio antedicto fides minime habenda ſit, nec tanta Synodo authoritas tribuenda, quantam ipſa ſibi arrogat. Ex iis enim vel rudiſſimus quiſque (modo vere probus ac candidus ſit) facile deprehendet, nullum pene juris ordinem in hoc judicio ſervatum fuiſſe: nedum ut omnibus Chriſtianæ æquitatis, manſuetudinis, candoris & charitatis præceptis, quarum hic ratio habenda eſt accuratiſſima, juxta Chriſti & Apoſtolorum præſcriptum, & primitivæ Eccleſiæ praxin legitime ſatisfactum ſit. Nam 1. judex hic fuit plane incompetens, quippe pars adverſa; ſiquidem pleroſque Synodales Theologos ſpectemus, inprimis Provinciales, & in his maxime Præſidem cum ſuis paredris & ſcribis, à quorum ſententia diſcedere reliquis pedaneis vix tutum fuit. 2. Ego reus (quamquam etiam actor futurus, ſi libera agendi facultas data mihi fuiſſet) ad judicium nunquam citatus fui, nedum ſufficienter in eo auditus, aut ad legitimam cauſæ meæ defenſionem admiſſus. 3. Immo quum per geminam epiſtolam, unam Synodo, alteram poſt exteris Theologis inſcriptam, ultro me ipſe ad Chriſtianam ζήτησιν (*diſquiſitionem*) offerrem, paratus doctrinam meam ex Dei verbo vel modeſte defendere, vel (ſi erroris rite convictus fuiſſem) corrigere ac retractare, indigne ſpretus fui ac rejectus. 4. Teſtes etiam Ep.363. nulli pro me admiſſi, niſi muti, & quaſi mortui, hoc eſt, libri quidam mei, qui ad objectas criminationes, præter diſertam litteram, nil regerebant, quorumque dicta nonnulla pro libitu adverſariorum facile torqueri poterant. 5. Capita accuſationis, adverſum me inſtitutæ, nulla unquam mihi tranſmiſſa, ut plenior ſaltem ac finalis eorum declaratio ante damnationem ex me ipſo audiretur. 6. Damnatio nimis generaliter & indefinite concepta eſt, adeoque vaga & incerta, nuſquam indicatis ſpecialibus verbis ac ſententiis meis, quæ errorem, vel hæreſim contineant. 7. Correctio ex Dei verbo nulla uſpiam allata, nec ſententia rationibus ullis firmata, quæ piam conſcientiam vel tantillum inſtruere poſſunt. 8. Nihil etiam ad contrarias probationes & argumenta mea reſponſum, quæ paſſim in apologiis meis pro doctrinæ meæ defenſione afferuntur. 9. Sola Synodi autoritate contra me frigide pugnatum eſt.

Reliqua deſunt.

1 Joh.2.11. *in tenebris ambulat, neque ſcit quo vadat, ſed tenebræ oculos ejus exæcarunt.*

CCCLXIII.

CONRADUS VORSTIUS N. N.

Refutatio ſententiæ à Synodo contra ſe latæ.

UT ſcite, ſic vere dictum eſt, Doctiſſime N. eum qui judicat inaudita altera parte, licet æquum ſtatuerit, tamen haud æquum fore. Cæcum enim judicium eſt, ubi calculi juſtam cognitionem antevertunt. Neque vero juſta cognitio eſſe poteſt, ſi tantum accuſatori, non item reo, aures pateant: ſique ad ſolam damnationem (à quocunque tandem judice profectam) non item ad rationes ejus attendatur. Quod cum in omnibus controverſiis, tum maxime in ſacris ſeu Theologicis accurate ad animum revocari debet. Non enim hæ perinde ut illæ, quæ ad aulam vel curiam, ſeu forum politicum pertinent, ſupremum abſolutumque in terris tribunal ullum agnoſcunt. Unicus harum in cœlis & magiſter & judex eſt, qui ſervare poteſt & perdere, cujus oraculis & legibus nihil addendum, nihil detrahendum eſt; quique ſolus de ſe ipſo, rebuſque omnibus divinis idoneus teſtis eſt: ac proinde in cujus ſolius verba nobis iſtic jurandum eſt. Quoties hæc authoritas atque hic honos ad homines transfertur, ſive multos ſive paucos (quocunque etiam titulo cenſeantur) toties in Deum, ejuſque ſanctum verbum ſacrilege peccatur. Nihil autem hic novum aut inſolens affero, ſed quod S. Literis teſtatiſſimum eſt, quodque omnes Orthodoxi, & veteres & neoterici, unanimi conſenſu hactenus approbarunt. Synodorum quidem, fateor, in his etiam rebus tractandis non omnino nullus eſt uſus, nec authoritas plane contemnenda: nempe, ſi non nomine tantum, ſed & reipſa vere Chriſtia-

Matt.23.8. Jac.4.12. Deut.4.2. & 12.32.

Ep.363. ſtianæ ſint: eoque nihil ex ſe ipſis, ſed omnia ex S. Dei verbo depromſerint, quæcunque ad negotium Religionis vel conſtituendum vel moderandum pertinere putaverint: ſique nihil à pietate, juſtitia, prudentia, & charitate Chriſtiana uſpiam deflexerint: ſed intra veritatis ac juſtitiæ limites, à Chriſto & Apoſtolis hic præſcriptos, religioſe ac modeſte ſeſe continuerint. At ſi contra egerint; puta ſi ſummum & infallibile judicium hic ſibi arrogaverint: ſi de rebus ſacris, præſertim quæ ad ſalutem ſcitu factuve neceſſariæ creduntur, extra clarum Dei verbum quidquam in ullam partem definiverint; ſi collationem mutuam ex Dei verbo detrectaverint, ſi liberam veritatis inquiſitionem impediverint aut alioqui neglexerint: maxime ſi abſentes inauditos; indefenſos (etiam ultro ſe offerentes, & juſta omnia facere paratos) temere ac ſuperbe damnaverint, aut alia quavis ratione ab officio diſceſſerint, judicia eorum nihili facienda ſunt, quippe iniqua & ipſo jure nulla. Neque vero hic vulgares illæ jactationes quidquam curari debent, quas nulla non Synodus (etiamſi palam leſtrica, aut alioqui peſſima fuerit) apud ſuos venditare ſolet; quibuſque imperiti facile in errorem impelli poſſunt: puta de ſingulari Synodalium doctrina & eximia pietate, de legitima Synodi forma, & principali authorizatione, de ſuffragiorum multitudine, ac conſenſione, &c. Hæc enim omnia, ut ut vere ſic ſeſe habeant (quamquam ſæpius hic etiam illud Simonidis uſu venire ſolet, τὸ δοκεῖν βιάζεται τὴν ἀλήθειαν (*opinio vim infert veritati*) quia tamen per ſe mere humana ſunt, nullam in divinis quidquam probandi, aut conſcientias coram Deo obligandi, vim habere poſſunt. Itaque ad ſolum Dei verbum, ſi ſapimus, quippe unicam & immotam fidei regulam, unice hic ſemper reſpiciendum eſt. Illa vero externa & humana, quæ jam dixi, quantumvis alioqui ſpecioſa, quia fallere poſſunt, & ſolent, ex oculis animi ſeponenda ſunt. Hic enim maxime; ſi uſpiam, locum habere debet illud Domini præceptum, *ne ſecundum ſpeciem judicemus, ſed juſtum judicium feramus*, &c. Species autem (ſive δόξα, & vana φαντασία) hic eſt, quidquid ad pompam magis facit, quam ad divinam veritatem. Juſtum porro judicium eſſe nequit, ubi non juſtum, ſed doloſum fidei κριτήριον (*judicandi medium*) adhibetur: hoc eſt, ubi opinio plus valet, quam ratio, & ubi humana authoritas divinæ vel præfertur, vel ſaltem æquatur: ubi denique non ad ſolum Dei verbum, ſed ad antiquitatem, multitudinem, conſenſum hominum, aliaque talia, in controverſiis ſacris attenditur.

Deut. 1. 17. Jud. 7. 24. Luc. 17. 20.

Scio, hæc fruſtra illis inculcari, qui nimio partium ſtudio ducuntur, quique affectuum potius, & præjudiciorum, quam æquitatis, certæque ſcientiæ, in his controverſiis tractandis rationem habere ſolent. At ut, Doctiſſime N. aliter hic agendum eſſe memento, ſi quidem recta via, uti par eſt, incedere velis, Ep.363. neque vel in ſalutarem Dei veritatem, vel in veram proximi dilectionem, uſpiam impingere. Scito, inquam, non licitum tibi modo, ſed & juſtum ac neceſſarium eſſe, ut poſtquam Synodi Dordracenæ ſententiam, de doctrina mea nuper latam, cognoveris, meam quoque ſive purgationem, ſive defenſionem, placide audias: nec ante quidquam in alterutram partem decernas, quam rationes utrimque allatas, aut porro afferendas, in timore Dei ſatis expenderis, cautamque univerſam ad S. Dei verbum æqua lance trutinaveris. Non agam nunc tecum prolixe, nec ſcrupuloſe in ſingulas controverſias inquiram. Factum enim id antea & alibi eſt abunde: quæ etiam loca nunc per occaſionem tibi obiter indicabo. Et forte iterum fiet alias, poſtquam Acta Synodi omnia, & ſpeciatim orationes in ea habitæ, in lucem prodierint. Nunc ſummariam tantum doctrinæ & innocentiæ meæ defenſionem, qualem vides, ſummariæ Synodalium damnationi opponam. Quam ſi æquo animo (uti ſpero, & precor) citraque proſopolepſiam omnem perlegeris; iis etiam locis, ad quæ brevitatis ſtudio te ſubinde remittam, diligenter inſpectis; facile deprehendes, neque ulli me hæreſi, aut impio errori favere; neque pertinaciter aut præfracte, neque fraudulenter aut doloſe, quidquam in hac cauſa hactenus egiſſe. Quæ quidem aut omnia, aut præcipua certe crimina ſunt, de quibus me Synodales noſtri (quamquam non de perſona, ſed de doctrina tantum mea, ſententiam dicere ab Illuſtriſſimis Ordinibus juſſi) plus ſatis audacter accuſant. Sed jam propius ad rem ipſam accedendum eſt.

Ajunt illi initio, me Remonſtrantium de quinque articulis errores à ſe rejectos in Synodo, propugnare ac tueri, &c. Quinam vero iſti errores ſint, non ex nuda horum accuſatione, quam decretis ipſi ſuis inſeruerunt, ſed ex ipſis Remonſtrantium ſcriptis, tum aliis, tum præſertim in ipſa Synodo exhibitis, tibi cognoſcendum eſt: maxime vero ex meis ipſius diſputationibus cum D. Sibrando Lubberto & aliis; ſed imprimis cum D. Piſcatore de prædeſtinatione, &c. habitis; de quibus in *Paraſceve*, *Collatione*, *Duplicatione*, *Examine*, item in utraque *Appendice*, tum ad *Scholia Commentar. Sibrandi Lubberti*, tum *Duplicationis* jam dictæ, copioſe videre licet. Summa omnium, quæ cum Remonſtrantibus ego circa hæc capita hactenus impugnavi, huc redit. 1. Deum ab æterno maximam mundi partem, etiam innumeros fidelium infantes, abſoluto & cauſas omnes antecedente decreto, ad æternas inferorum pœnas prædeſtinaſſe. 2. Contra vero paucos alios, ante citraque ullum fidei ac pietatis ipſorum, item Chriſti Mediatoris, reſpectum ad ſalutem æternam præciſe elegiſſe. 3. Nec tantum ad alterutrum finem (ita ut dictum eſt) ſed etiam ad ipſum peccatum ac peccandi neceſſitatem, tanquam ad medium

Ep.363. ſcilicet utrique fini neceſſario ſubſtratum, omnes in univerſum homines præordinaſſe. 4. Eundem omnia eventa, etiam maxime impia, efficaciter & abſolute ab æterno ſic præfiniiſſe, ut quæcunque in mundo fiunt, vi hujus decreti non fieri non poſſint. 5. Eundem homines, ad peccandum quidem omnes, ad pereundum autem pleroſque, etiam nunc creare, ac neceſſitare: item peccata omnium & ſingulorum in tempore efficaciter procurare, ſive homines ad ea impellere, inſtigare, adigere, determinare, &c. 6. Chriſtum pro ſolis electis ex Dei voluntate mortuum eſſe: pro aliis vero, quamvis ad fidem & ſalutem vocatis, nullo modo (nec ſufficienter, nec efficaciter) mori, aut voluiſſe, aut debuiſſe. 7. Nolle Deum omnes adultos, licet vocationis capaces, ne quidem ſub novo Teſt. ad fidem & pœnitentiam vocari. 8. Nolle omnibus, quos per verbum vocat, ſufficiens & neceſſarium credendi & reſipiſcendi auxilium largiri. 9. Jubere multa, etiam ſub pœna mortis æternæ, quæ fieri omnino nolit, multaque ſimiliter contra vetare, quæ fieri præciſe velit. 10. Quicunque ad Deum convertuntur, eos per irreſiſtibilem Dei virtutem converti, idque in momento, & quidem invitos & reluctantes, ſine ullo ipſorum conatu & libera cooperatione. 11. Semel converſos ac renatos, ut ut graviſſime, & quidem perdiu, poſt converſionem peccent, nec fidem ac pietatem amittere, nec gratia Dei excidere unquam poſſe. 12. Denique omnia & ſingula in toto Religionis, ſeu ſalutis & damnationis negotio, mere fatalia eſſe: nec proinde plus minuſve boni, aut mali, à quoquam fieri unquam poſſe, quam reipſa fiat, &c. Hæc omnium eorum, inquam, ſumma eſt, quæ nos hactenus ex Dei verbo iſtic oppugnavimus, quæque non modo falſa & abſurda, ſed & pietati bonisque moribus admodum noxia, imo partim impia & blaſphema eſſe, perſpicue ſæpius oſtendimus. Eorum vero contraria ex eodem Dei verbo, ut vera ſimul & ſalutaria, contra Synodales non pauceos aſſeruimus: unde facile judicare jam poteris, verene an falſò hæc Synodus errores mihi hac in parte exprobret. Sed plenius, ut dixi, ex ſcriptis ante nominatis cognoſcere hæc tibi licebit.

„ Addunt, me non tantum de uno atque al-
„ tero Religionis Reformatæ articulo, ſed de
„ pleriſque ejuſdem capitibus primariis, qualia
„ ſunt de Trinitate, &c. deque eſſentiæ divi-
„ næ ſimplicitate, infinitate, &c. item de crea-
„ tione, providentia, juſtificatione, &c. in ſcri-
„ ptis meis partim multa in dubium vocare, quo-
„ rum certam & determinatam veritatem omnes
„ Eccleſiæ Reformatæ ex Dei verbo jam du-
„ dum obtinuerint & profeſſæ ſint; partim etiam
„ plurima diſerte aſſerere, quæ veritati divinæ
„ in S. Literis revelatæ, & Confeſſionibus o-
„ mnium Eccleſiarum Reformatarum, plane
„ ſunt contraria, imo gloriæ Dei inimica, pie-
tati & ſaluti hominum noxia, & infauſti illius Socini blaſphemiis aut plane conſona aut admodum affinia. Sed dicunt hæc tantum, non item probant. Contrarium vero tum alia ſcripta mea palam demonſtrant, tum ſpeciatim *brevis iſta confeſſio*, quæ ante plures annos edita jam fuit, & quidem edita non ſemel, ſi rei ſubſtantiam ſpectes. Nam & *ſecundæ partis Antiſmadi* mei ante quinquennium præfixa fuit, & ante octennium (etſi non iiſdem plane verbis, eademque methodo) ſub titulo *Exomologeſeos* in *Prodromo* meo tradita; & *Reſponſioni* præterea ad *Anglicos Articulos*; item *Pleniori Reſponſo*, *Orationi Apologeticæ*, aliſque id genus ſcriptis, per partes ſæpius inſerta. Cui ſi addas theſes meas, bis terque jam editas, de *S. Trinitate*, deque *perſona & officio D. N. I. Chriſti*, &c. nihil credo amplius hac in parte deſideraris: ſaltem ad hoc, ut orthodoxam meam de his capitibus confeſſionem plane intelligas. Si vero quid uſpiam aut in dubium vocavi, aut liberiori diſquiſitioni ſubjeci, quod ad iſta capita quoquomodo pertineat, id neque uſpiam in Dei verbo clare traditum, neque communi Eccleſiarum conſenſu receptum eſſe, facile animadvertes, modo candide ac dextre de omnibus judicare velis. Imo id omne ſua natura ſic comparatum eſſe deprehendes, ut philoſophicum potius, quam theologicum jure vocari poſſit: ſaltem ut nihil admodum ad verum Dei cultum, & Chriſtianam pietatem per ſe faciat, ſicne, vel aliter, de eo quis opinetur: verbi gratia, cum quæritur. 1. An divinæ perſonæ ſint totidem eſſentiæ, non quidem abſolutæ, ſed relativæ. 2. An ſimplicitas Dei poſtulet, ut decreta Dei, aliæque liberæ ipſius actiones, ſint ipſa ejus eſſentia. 3. An Deus ſic infinitus & immenſus ſit, ut ejus eſſentia in quolibet atomo neceſſario præſens ſit, idque totaliter, illocaliter, &c. 4. An voluntas Dei eodem plane modo & gradu immutabilis ſit, quo eſſentia eſt. 5. An omnis Dei præſcientia fundetur in abſoluto & efficaci ejuſdem decreto de rebus futuris. 6. Poſſitne Deus virtutem creandi (ex præparata ſcilicet materia) cum creatura aliqua communicare. 7. Quæ ſit propria forma unionis hypoſtaticæ in perſona Chriſti, &c. De his igitur aliiſque id genus abſtruſis quæſtionibus, quarum innumerus à ſcholaſticis acervus affertur, ſi quid alicubi aut liberius aut curioſius diſputavi, nihil in eo quidem à ſcholarum conſuetudine alienum feci: neque ſcopum hic alium mihi propoſitum habui, quam ut veritatem Dei amplius illuſtrarem, & ſimul generalem Eccleſiæ pacem, quæ per audaces hominum de rebus incertis deciſiones maxime impeditur, aliquo modo promoverem. Certe nihil de his uſpiam ſciens definivi, quod vel S. Literis, vel publicis Eccleſiarum noſtrarum confeſſionibus directe adverſetur. Tantum abeſt, ut aliquid de his præceperim, quod gloriæ Dei inimicum, pietati & ſaluti homi-

Ep.363. hominum noxium, ullis denique vel Socini, vel cujuſquam alterius blaſphemiis ullatenus affine ſit.

Quin potius (ſi par pari hic referre licet; imo ſi verum ingenue dicendum eſt) in aliquos ſaltem Synodalium hæc ipſa criminatio, non minima quidem ex parte, retorqueri jure poterit: puta in eos, qui tum ſequentia *Νοήματα* (*horrida*) tum plura id genus alia, jure à me paſſim impugnata, ſcriptis ſuis ſæpius interſerunt. 1. Deum non eſſe Ens aut ſubſtantiam. 2. Perſonas divinas eſſe tantum modos ſubſiſtendi. 3. Decreta Dei eſſe ipſum Deum. 4. Deum poſſe nihil præſcire, niſi quod efficaciter procurare decrevit. 5. Eundem ſic atomice immenſum eſſe, ut etiam Spiritus S. neceſſario in impiis, & dæmonibus, & beſtiis inſit, &c. 6. Non poſſe Deum, abſolute loquendo, quidquam de jure ſuo remittere, nec peccata gratis condonare. 7. Chriſtum eaſdem omnino pœnas ſuſtinuiſſe, quæ nobis ob peccata deberentur, eoque etiam mortem æternam. 8. Pœnitentiam eſſe poſteriorem juſtificatione, ejuſque non cauſam, ſed effectum. 9. Nec poſſe, nec debere nos eadem ſanctitatis via incedere, qua Chriſtus olim inceſſit, &c. De quibus omnibus, ſi placet, plura videre poteris, tum in *pleniore Reſponſo* meo, tum in *Catalogo Errorum Sibrandi Lubberti*, item in *Scholiis ad ejus commentarios*, denique in utroque *Antiſlado*, & ſpeciatim in *Reſponſione* ad *ſpecimen Feſti Hommii*, &c. Ubi non hæc tantum, ſed & hujus generis alia permulta, vere abſurda, & partim divinæ gloriæ, hominumque ſaluti noxia, partim etiam impia & blaſphema, modo brevius, modo prolixius à me notata, & ex Dei verbo refutata invenies: quæ adverſarii nunquam legitime quidem tueri poterunt ex Dei verbo.

„ Pergunt illi, & præcipua etiam argumenta, „ tam à veneranda antiquitate, quam à recen„ tioribus Doctoribus Reformatis pro Ortho„ doxa doctrina, atque imprimis pro æterna „ D. N. I. Chriſti Deitate, ex Dei verbo recte „ producta atque uſurpata, paſſim me pericu„ loſiſſime enervare ajunt: nullis aliis, quibus „ veritatis doctrina fortius aſſeratur, repoſitis, &c. Quæ criminatio quum nihil in ſe candoris & æquitatis, imo nihil veritatis habeat, vel ex eo iterum patet, quod nulla ejuſmodi loca producunt, quæ recte ab aliis pro aliquo S. doctrinæ capite hactenus allata, ipſe uſpiam enervaverim. Si ad veram *ἀζήτησιν* (*diſquiſitionem*) ventum fuiſſet, clarius hoc totum patuiſſet. Quin theſes ante dictæ de S. Trinitate, deque perſona & officio D. N. I. Chriſti, integritatem meam in his ipſis capitibus abunde docere poſſunt: quippe in quibus ſupra ſexaginta non minus firma, quam clara S. Scripturæ teſtimonia dudum collegi, quibus æternam D. N. I. Chriſti Deitatem efficaciſſime aſſerui, quibuſque illa potiſſimum probari & poteſt & vulgo ſolet. Quanquam non numero, ſed pondere argumentorum hac in cauſa (ut in omni alia, præſertim ſacra) perpetuo nitendum eſt. Et certe delectum locorum S. Scripturæ vel inprimis hic adhibendum eſſe, res ipſa ſatis admonet: idque jam dudum ante me plures Reformati Doctores & ipſi fecerunt, & aliis faciendum ſuaſerunt; inter quos vel primo loco Joh. Calvinus ſtatui jure poteſt. Cui quum idem hoc crimen jam dudum ab aliis impactum fuiſſet, non defuerunt ex noſtris, qui operoſe illum defenderent. Mirum igitur videri debet, imo prorſus iniquum, Synodales idem plane factum tam acerbe iſtic in me culpare, quod in Calvino alias tum ab ipſis, tum ab aliis, ipſorum judicio orthodoxis, benigne ſatis excuſatur. Sed tamen ut propius hic pedem conferamus, hac defenſione per exempla nihil mihi opus eſſe crediderim. Oſtendant modo Synodales, verum eſſe quod dicunt, & vicerint. Probent, inquam, præcipua Deitatis Chriſti argumenta, ex Dei verbo recte hactenus producta, non dicam periculoſiſſime, ſed ullo modo, à me uſpiam enervari, & culpam hic ſtatim agnoſcam. Neque vero poſtulo, ut de omnibus id probent, quæ forte innuunt, ſed de pauculis aliquot, puta ſex vel ſeptem. Non dubium mihi eſt, ſi ad rem ſerio ventum fuerit, aquam hic ipſis hæſuram. Sed de hac etiam criminatione, ejuſque vanitate, jam dudum aliis accuſatoribus abunde reſponſum à me puto, præſertim M. Slado in Appendice, inque tota ſecunda diſceptationis parte.

Vide contraria de his ſcripta D. Hommii & D. Parei.

Unde porro per ſe corruunt, quæcunque deinceps à Synodalibus mihi per hanc occaſionem inique prorſus objiciuntur: Quod ſcilicet, „ ſophiſmata, quibus veritas implicatur, ſtu„ dioſe proponam & operoſe urgeam, eorum„ que ſolutionem ne quidem aggrediar, ſed ea „ integra relinquam, ut lectorum animis inhæ„ reant, &c. Item, quod callide viam ſternere vo„ luerim ad impias Socini aliorumque hæreſes „ clanculum inſtillandas. Item, quod fruſtra „ conatus fuerim hæc omnia ineptis diſtinctio„ nibus, frivolis excuſationibus, fraudulentis „ diſſimulationibus tegere, atque incruſtare, &c. „ Hic enim verborum tantum ſtrepitum audimus, rationum autem pondera nulla ſentimus. Et ſane niſi præjudicia, aliunde jam hauſta, imo (reſpectu aliquorum) etiam odium, invidia, ſimileſque affectus, in animis horum hominum jam ante viguiſſent, nunquam profecto de alieno animo & conſcientia tam temere judicaſſent. Si facta tantum ipſa nude ac ſimpliciter reprehenderent, quæ periculoſum eventum habere & poſſent, & ſolerent; imo quæ per ſe ſuaque natura neceſſario hunc fructum parerent: ferri utcumque & excuſari id poſſet. At quia de animo etiam, internoque conſilio meo, quaſi ad fraudem & aliorum perniciem comparato, non dubitanter aſſeverant, exceſſus ipſorum profecto nimis evidens eſt, & injuria in me palam manifeſta,

Ep.363. nullo colore tegenda. Viderint ipſi potius, quomodo *ſua corda coram Deo ſecura olim redditurſint*, qui tam levibus cauſis adducti, tam graviter in fraternam charitatem peccant: imo qui de alieno animo tam audacter judicantes, non modo Chriſti præceptum violant, ſed & ſolium ipſius Dei occupant. Mihi quidem pro minimo eſt, à talibus, tam imprudenter atque impotenter agentibus, in hac cauſa dijudicari. Quin neque me ipſum, licet ipſi mihi quam aliis notiorem, ulterius hic dijudico, quam quod bona fide, pioque ac ſimplici ſtudio, in tractandis iis, quæ Eccleſiam Chriſti paſſim exercent, controverſiis hucuſque verſatum me eſſe & ſcio & in Domino glorior. Seducere quidem neminem unquam ſciens prudens ſtudui; ſed omnes potius, quantum in me fuit, ad Chriſtum adducere: utque in hoc tandem vere unum ſiamus omnes, quotquot ſacrum ejus nomen invocamus, unice ſemper & optavi, & laboravi. Id vero quia nunquam reipſa futurum, imo nec fieri unquam poſſe, dudum credidi (quod ipſum adhuc credo) quamdiu curioſa ſcholarum placita divinis oraculis æquiparantur; nec inter principia & concluſionis fidei, ſive inter fundamentalia & acceſſoria Religionis dogmata, denique inter capita neceſſaria & non neceſſaria, ſatis accurate diſcernitur: idcirco paſſim, occaſione ſic ferente, ſerio id operam dedi, ut pro re nata diſcrimen iſtud jam dictum in variis exempli indicarem: atque ita viam non hæreſibus, nedum blaſphemis (à quibus animo toto abhorrere me Deus novit) ſed ei veritati quæ ſecundum pietatem eſt, & porro generali Eccleſiæ paci ac concordiæ (ſaltem inter omnes Euangelicos) pro virili mea ſternerem. Si hanc agendi rationem Synodalibus vocare libet *diſſolutam de præcipuis fidei capitibus ſceptice diſputandi licentiam, & lubricam, ambiguam, tortuoſam docendi rationem, Eccleſiæ Dei perniciosam*, &c. ferendum id quidem erit, quando jam factum ipſorum infectum fieri nequit. Non tamen ideo exiſtimandum eſt, rem ita ſe habere, quia ipſis ſic judicare libuit. Certe non omnis ἀνάκρισις (*diſquiſitio*) in vitio ponenda eſt. Quomodo enim alioqui *omnia probare*, *deque prophetiis aliorum rite judicare* poſſemus? Quorum utrumque Apoſtolus diſerte præcepit. Neque vero quiſquis in humana fidei noſtræ aſſumenta ſeu curioſa Scholarum dogmata liberius inquirit, continuo de ipſis fidei capitibus ſceptice, lubrice, tortuoſe diſputare, imo alios ſeducere velle, putandus eſt. Multum enim ſcoria differt ab auro, hoc eſt, Scholaſticæ concluſiones à divinis fidei principiis. Et aliud libera hic inquiſitio eſt, aliud lubrica ſeductio. Quæ dum Synodales iſti confundunt, & alia pro aliis ſubſtituunt, non ex amore ac certa ſcientia, ſed ex ſiniſtro affectu, & præjudicio, ſe loqui ſatis oſtendunt.

Id quod multo adhuc clarius in ſequentibus indicant, cum doctrinam meam de quamplurimis maximi momenti dogmatibus (quorum nullum interim exprimunt) ut verbo Dei & Confeſſionibus Eccleſiarum contrariam, imo ut impiam, blaſphemam, & in Dei majeſtatem ac veritatem multis modis contumeliosam, in Eccleſiis & ſcholis Reformatis nequaquam tolerandam, ſed cum deteſtatione penitus eliminandam atque extirpandam eſſe clamant. Quid enim hic præter nuda opprobria, maledicta, exſecrationes, anathemata, ſeu navis præter nudam hominis inaudiți accuſationem & damnationem, nulla vel minima probatione ſuffultam, afferunt? Cur dogmata illa quæ innuunt, ſi maximi momenti ſunt, non nominant? Cur loca ex ſcriptis meis, ubi doctrina hæc impia, blaſphema, &c. tradatur, non allegant? Cur ad lineas & congreſſum non veniunt? Si hic agendi modus vere papalis non eſt, neſcio certe quid papale in hoc rerum genere dici debeat. Quamquam ipſi Pontificii haud paulo æquius interdum cum adverſariis ſuis egerunt, puta non cum Eraſmo tantum (quem multi ipſorum non minus olim exagitarunt, quam illi nunc me) ſed cum ipſo etiam Luthero, Philippo, Zwinglio, Calvino, aliisque pluribus. Quorum doctrinam, de multis etiam maximi momenti capitibus, perinde impiam, blaſphemam, &c. illi judicabant, atque iſti nunc meam: ſed ita tamen judicabant, ut verba ipſorum ut plurimum bona fide citarent: ſuaeque ſententiæ rationes ex Scripturis, Conciliis, Patribus, non dico ſolidas afferrent, ſed afferre tamen aliquas niterentur. Hi vero nihil tale vel in ſpeciem hic præſtant: ſed nuda ſententiæ dictione contenti, fidem haberi ſibi poſtulant. Qua quidem agendi ratione quid aliud aſſequuntur, quam quod fidem & authoritatem apud cordatos ipſi ſibi detrahunt? ut qui Pythagoricum illud αὐτὸς ἔφα (*ipſe dixit*) in Eccleſiam reipſa reducant? aut ſi mavis, Pontificium illud κατὰ βάσιν (*decantatum*). Eccleſia non errat? Et tamen inter Eccleſiam & Synodum, præſertim talem, multum intereſſe novimus: ut minus etiam huic quam illi, merito hac in parte deferendum ſit. Sed reliqua videamus.

Non contenti de doctrina mea ſic judicaſſe, ut audivimus, etiam de perſona (de qua tamen, ut dixi, ſententiam ferre rogati non fuerant) ſimili cum æquitate ac candore, ſcilicet, pronunciant: quod nihil hactenus de erroribus meis remiſerim; omnes admonitiones & judicia Reformatorum Principum, Doctorum, Academiarum, & Eccleſiarum præfracte contemſerim, nec ſcandalum, quod ſcriptis meis concitaverim, debite reparare curaverim: eoque profeſſoris ac doctoris Orthodoxi & munere & nomine prorſus indignus ſim, &c. Audis iterum indigna probra, & horrenda tonitrua. Sed ubi criminum probatio? ubi ſententiæ juſta ratio? Si acculaſſe, ac

1 Joh. 3. 19. Matt. 7. 1. 2 Cor. 4. 7. 2 Cor. 5. 10.

1 Theſſ. 5. 21. 1 Cor. 14. 29.

Ep.363. ac damnaſſe ſufficit, quis tandem innocens erit? Teſtor ego Deum & homines, omnia vana & falſa eſſe, quæ iſtic in me congeruntur crimina. De errore quidem aliquo in conſcientia convictus (aliter enim id facere, ſalva pietate non licebat) mox eum ultro remiſi. Exemplum non unum habes vel in iis, quæ D. Piſcatori oppoſui, ſcriptis. Admonitiones etiam Doctorum quorundam, vix trium credo, aut quatuor, & quidem plus ſatis in me acerborum, item Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis (Principum enim aliorum nullas vidi, uti nec Academiarum, nec Eccleſiarum: niſi forte ſinguli Doctores illi, quos dixi, pro Eccleſiis & Academiis habendi ſunt) non modo non præfracte contemſi, ſed & grato humilique animo ſuſcepi, & quatenus juſtæ ac rationabiles erant, locum iis dedi. Provoco ad litteras & ſcripta mea, tum ad prædictum Sereniſſimum Regem, tum ad Archiepiſcopum Cantuarienſem (cujus tamen nulla ad me admonitio unquam præceſſerat) item ad D. Paræum, D. Piſcatorem, & D. Sibrandum Lubbertum, &c. jam dudum emiſſa. Ex quibus etiam, uti & aliis dictis, ſcriptis, factis meis abunde liquet, quam ſollicite ſcandalum hoc (licet ab aliis magis acceptum quam à me datum) tollere hucuſque ſtuduerim. Quæ tandem enim conditio juſta in tali caſu proponi unquam poterit, quam non ultro adverſariis ipſe obtulerim? Quid faciendum ultra hic fuit, quod non prompte fecerim? Quin vel ſolæ literæ meæ, quas ad ipſam Synodum, & Synodales quoſdam, præſertim exteros, tum omnes ſimul, tum aliquos ſeorſim, diverſis temporibus miſi, æternum innocentiæ meæ teſtimonium hic dicent. In his enim ſæpius obnixe rogavi, ut vel coram in Synodo placide audirer, vel ſaltem per ſcripta ipſorum firmis rationibus innixa, de rebus controverſis plenius erudirer: ſancteque promiſi me vel doctrinæ meæ rationem ex Dei verbo modeſte redditurum; vel ipſis meliora docentibus, ultro ceſſurum: & tum errores, de quibus legitime convincere me poſſent, ingenue agniturum, & palam damnaturum; tum ſi quæ forte obſcure, ambigue, incommode, uſpiam ſcripſiſſem, ea clarius, certius, melius expoſiturum, imo, ut omni hæreſeos ſuſpicione penitus me liberarem, ſpeciatim contra eos, qui vel S. Trinitatem, vel æternam Jeſu Chriſti Deitatem, vel veram plenamque ejus pro nobis ſatisfactionem, &c. negarent, publice ſcripturum me recepi, ſi facere id rite juberer. Quæſo te pie lector, quid amplius hic, juſte quidem, facere aut potui aut debui? Nihil tamen à Synodo unquam obtinere potui: ne reſponſum quidem ad literas meas, licet iteratas: fruſtra etiam quibuſdam Exterorum (quod à fide dignis accepi) in Synodo reclamantibus, qui me omnino vocandum coramque audiendum eſſe cenſebant. Itaque tandem abſens, inauditus, indefenſus, (quamvis ad omnia faciendum, quæ virum bonum, & Theologum vere Chriſtianum, in tali cauſa facere decet, ultro crebroque me offerens) ex libris ſcilicet & ſcriptis meis, quæ ne quidem ab omnibus illis lecta eſſe crediderim, quæque ab adverſariis (quorum præcipuæ illic partes fuerunt) varie torqueri poſſunt, ac ſolent, non de errore tantum aliquo, ſed de hæreſi, pertinacia, fraude, dolo, &c. uti ſupra vidimus, ab iiſdem damnatus fui, à quibus accuſatus. Et tamen poſt hæc omnia, ſic utrimque acta, uti dictum eſt, negant iidem actores ſcilicet & judices mei, me *ſcandalum, ſcriptis meis concitatum, debite reparare* curaſſe, &c. forte quia Synodi judicio, nondum etiam cognito (non enim ante autumn im videre id mihi licuit: quamvis diu ante & pronunciatum & deinde mox exſecutioni mandatum fuiſſet) abſolute me, citraque juſtam cautionem, ſubmittere nolui. Aut quia errores falſo dictos, quos ipſi mihi non obſcure objectabant, præſertim in duabus exterorum orationibus (quas ſuo tempore, una cum Notis meis, ſpero videbis) nondum à quoquam vel coram vel per ſcripta de iiſdem in conſcientia convictus, necdum ex Dei verbo meliora edoctus, agnoſcere ac retractare me poſſe negavi. Quorum illud quidem ſi feciſſem, nonne authoritatem Dei propriam, in homines (non dicam nunc quales) impie tranſtuliſſem? Sin iſtud, nonne contra conſcientiam in rebus divinis turpiter ac doloſe ſimulaſſem? aliudque ore manuve teſtatus fuiſſem, quam quod animus intus dictabat? ſicque in illud ipſum crimen revera incidiſſem, cujus ipſi ſupra me falſo accuſarunt? Hæ igitur veræ cauſæ ſunt, propter quas illi & *munere*, & *nomine* orthodoxi doctoris indignum me eſſe cenſent. Quam injuriam, cum aliis non paucis ejuſdem generis, quæ mihi propter conſcientiam Dei hactenus acciderunt, æquo ſatis animo fero. Vivit tamen Deus, qui hæc & videt, & ſuo tempore judicabit.

Ep.363.

Ad Epilogum quod attinet, ubi Synodus Illuſtriſſimos Ordines obnixe rogat, ut ſcandalum hoc autoritate ſua mature tollere dignentur; ac ſimul etiam procurare, ne Eccleſiæ Belgicæ diutius hac labe, hiſque hæreſibus & blaſphemis dogmatibus inficiantur: utque in hunc finem ſcripta mea, & mei ſimilium, quanta fieri poterit cautione, ſupprimantur, &c. Certe in eo videntur & ſui, & alieni officii parum meminiſſe. Ipſorum enim erat, fratrem, etiam graviter peccantem, multoque magis ſimpliciter errantem, aut offenſa aliqua forte præoccupatum, in Domino pie monere, amanter corrigere, leniter reſtaurare; armiſque ſpiritualibus, hoc eſt, rationibus & argumentis è S. Scriptura petitis, id ipſum effectui dare, quod per externam *Brachii Secularis* (ut vocant) poteſtatem efficere hic perperam conantur, proceſſum ſcilicet ab exſecutione præpoſtere inchoantes. Certe ſcripta adver-

2 Tim. 2. 24. *Matth.* 18. 15. *Gal.* 6. 1. &c. 2 *Cor.* 10. 4.

Ep.363. adversarii violenter supprimere, ipsumque munere ac stipendio privare, item exilio mulctare, &c. (quæ illi ab Illustrissimis Ordinibus in causa mea heri hic postulant) quocunque tandem nomine totum hoc censeatur, saltem non est vera & legitima ratio lites sacras tollendi, aut hæreses & falsa dogmata extirpandi; quod & res ipsa per se clamat, & hactenus experientia tot seculorum abunde comprobavit. Sed quisquis in Ecclesia primatum quærit, aut
3 Joh. 9. 10. fratribus dominari cupit, ut olim Diotrephes, ista nunquam curare solet.

„ Tandem etiam Deum precantur, ut Ecclesias Reformatas adversus hujusmodi profanas „ hæreses, ex istisque ortas contentiones, & confusiones, in pace atque Orthodoxæ doctrinæ „ professione conservet & stabiliat: utque me, „ omnesque mecum errantes, clementer illuminet, ac in viam veritatis pacisque revocet: „ ut Ecclesia de nostra conversione potius, quam „ confusione lætari possit, &c. In qua quidem parte nihil admodum per se culpandum foret, si superiora omnia, ut ab illis posita sunt, recte se haberent: sique officium ipsi suum, de quo jam dixi, tum omnibus Christianis, tum maxime Ecclesiarum pastoribus hac in parte à Deo præscriptum, jam ante strenue observassent. Nunc quia contrarium evidenter ostensum est, cogitandum omnibus vere piis ac cordatis relinquo, quam parum ista precatio cum legibus veræ æquitatis ac prudentiæ, & speciatim cum regulis veræ pietatis, consentiat. Nempe precatio tum demum pia, justa, prudens censeri debet, cum ad Dei voluntatem tota conformatur. At Dei voluntas in casu nostro ita se habet, uti paulo ante vidimus: cujus proinde, in isto quidem judicio ferendo, haud magna ratio ab illis habita fuit. De *profanis* autem *hæresibus*, *atque inde ortis contentionibus*, &c. quod obiter hic repetunt, id nihil ad me: qui nec hæreses ullas amplector; sed ii potius, qui supra dicta illa paradoxa, præsertim de rigida prædestinatione, &c. Ecclesiis obtrudunt: nec contentiones ullas, nisi provocatus & lacessitus, adeoque summa vi coactus, cum quoquam hactenus suscepi, meque semper intra limites inculpatæ defensionis continui. Et satis alioqui notum est, hasce turbas & confusiones Ecclesiasticas (aliæ enim nihil ad forum nostrum attinent) ante meum in has regiones adventum plus satis hic viguisse: hasque potissimum ex eorum tum doctrina, tum moribus, & ortas initio, & hucusque altas auctasque fuisse, qui fatalem ac rigidam quam dixi prædestinationem suam, cum annexis capitibus ejusdem indolis, in Ecclesiis & scholis nimium urgere, & Catechesin suam, aliaque humana quædam scripta, prope canonizare, contraque piam ex Dei verbo prophetandi libertatem ab ipso Christo nobis commendatam, modis omnibus impedire, atque opprimere, non desinebant. Hinc illæ nostræ lachrymæ: quibus & dudum antehac ora piorum sæpius hic rigata fuerunt, & nunc multo etiam magis rigantur: postquam videlicet ab adversa parte omnis eorum opera superbe spreta fuit, imo ipsi per Synodum violenter tandem oppressi atque ejecti, qui & abstergere illas, & deinceps earum cursum causasque sistere, per Dei gratiam & poterant & pro virili sua parati erant. Sed de his forte alias amplius. Ego nunc hic finio, Deum supplicater rogans, ut veros harum litium ac turbarum fontes piis omnibus clarius sensim ostendere, proque sua bonitate obstruere velit: tandemque omnes, nomen D. N. I. Christi ubivis invocantes, in viam salvificæ veritatis & sanctæ pacis deducere, ac perpetuo in eadem retinere dignetur. Ep.363.

Dicta quædam Patrum, & aliorum Ecclesiæ Reformatæ doctorum, item publicarum Confessionum, &c. de Synodis, earumque usu & authoritate.

Cum brevi applicatione ad Synodum nostram Dordracenam. Autore

CONRADO VORSTIO.

NAzianzenus in epistola ad Procopium XLII. *Ego sic animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam; quia nullius Concilii finem lætum faustumque vidi, nec ullum quod depulsionem potius, quam incrementum malorum habuerit*, &c. Causas autem ipse affert, Episcoporum φιλονικίαν, & φιλαρχίαν, hoc est, contentionem, & ambitionem, &c. An hæc vitia etiam in nostra Synodo regnaverint, res gestæ docebunt.

Hilarius in Epist. ad Constantinum Cæsarem: *Post Niceni conventus Synodum nihil aliud quam fides scribitur. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de authoribus querela est*, &c. *dum alter alteri anathema esse capit, prope jam nemo Christi sit.* An similes eventus futuri sint nostræ Synodi, dies aperiet. Saltem valde metuendi sunt.

Hieronymus in Epist. ad Galat. *Spiritus S. doctrina est, qua Canonicis literis tradita est: contra quam si quid statuunt Concilia, nefas duce.* Ostendat ergo Synodus, se nihil in iis, quæ Ecclesiis ingerit, contra Scripturam statuisse. Secus nemo pius illa recipere tenetur.

Augustinus lib. III. contra Maximin. Epist. cap. XIV. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium: nec ego hujus, nec tu illius authoritate detineris. Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* At hoc Synodus nostra neglexit, imo à fratribus oblatum recusavit, & sic certare cupientes probrose ejecit.

Idem

Digitized by Google

Ep.363. Idem Auguſtinus lib. 11. contra Creſconium cap. XXI. *Quia Paulus dicit, Eccleſiam (quæ per Concilium repræſentatur) eſſe ſubditam Chriſto, non igitur debet ſe Chriſto præponere: quum ille ſemper veraciter judicet: Eccleſiaſtici autem judices, ut homines, plerumque fallantur.* Si plerumque, nunquam igitur fidem merentur, niſi ex Scripturis ſua probent.

Epheſ. 5.

Idem lib. 11. contra Fauſtum cap. 111. *Cedamus authoritati Scripturæ ſanctæ, quæ nec ſcit falli, nec fallere: At hominum eſt labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere*, &c. Hæc parum expendunt, qui Synodum hanc nimis ſuſpiciunt.

Idem lib. 11. de Baptiſ. contra Donatiſtas, cap. 11. *Epiſcoporum literas dicimus per Concilia poſſe reprehendi, ſiquidem à veritate deviatum eſt: & ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones habentur, plenariorum authoritati debere cedere, quæ ex univerſo orbe Chriſtiano fiunt: ipſaque plenaria ſæpe priora à poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine ullo typho ſacrilegæ ſuperbiæ.* At talis etiam typhus eſt, nolle fratres ad collationem ex Scripturis admittere, ſed ſolis ſibi credi velle.

Gerſon part. 1. de examinat. Doctrinarum. *Si ſimplex aliquis non authoriſatus tam excellenter in S. Literis eruditus eſſet, plus aſſertioni ejus credendum eſſet, quam declarationi Papæ*, &c. Et mox. *Talis eruditus etiam in caſu, dum celebratur Concilium generale, cui & ipſe præſens eſſet, deberet ſe illi opponere, ſi ſentiret majorem partem ad oppoſitum Evangelii, vel malitia, vel ignorantia declinare.* Quanto magis igitur hæc locum habere debebant in Synodo noſtra, ubi plures meliora docere parati erant, idque ſæpius ei offerebant?

Panormitanus in C. Significaſti Ext. de Elect. *In concernentibus fidem etiam dictum unius privati præferendum eſſet dicto Papæ* (& Synodi) *ſi ille melioribus authoritatibus Veteris & Novi Teſtamenti moveretur, quam Papa*, &c. Cur igitur ſuperbe rejecti ſunt à Synodo nonnulli, qui meliores authoritates afferebant, quam Synodus pro ſe attulit?

Confeſſ. Belgica. art. VII. *Cum divinis Scripturis nulla hominum, quantavis ſanctitate præditorum, ſcripta, nulla conſuetudo, nec multitudo ulla, nec antiquitas, nec temporum præſcriptio, nec perſonarum ſucceſſio, neque Concilia ulla*, &c. *comparanda ſunt: eo quod veritas Dei rebus omnibus antecellat. Omnes enim homines natura ſua mendaces ſunt, & ipſa vanitate vaniores*, &c. Ergo & Synodus noſtra per ſe talis eſt: eoque nil fidei meretur, niſi ex Scripturis omnia ſua decreta probet.

Pſal. 116. & 62.

Confeſſ. Gall. artic. v. *Hinc efficitur, neque antiquitatem, neque conſuetudinem, neque multitudinem, neque humanam ſapientiam, neque Judicia, neque Edicta, vel decreta ulla, neque Concilia, neque viſiones, neque miracula, Scripturæ ſacræ opponere licere: ſed omnia potius ad ejus regulam & præſcriptum examinari oportere.* Examinemus igitur & nos Synodum noſtram ad eandem regulam, tumque errata ejus mox patebunt. Ep.363.

Confeſſ. Helvet. cap. 11. *Non patimur nos in cauſa fidei urgeri nudis Patrum ſententiis, aut Conciliorum determinationibus, multo minus receptis conſuetudinibus*, &c. Et mox: *Non alium ſuſtinemus judicem in cauſa fidei, quam ipſum Deum per S. Scripturas pronuntiantem quid verum ſit, quid falſum, quid ſequendum, quidve fugiendum, &c.* Ergo neque nos Synodum hanc pro judice agnoſcemus: imo nec pro veritatis indice, niſi hoc ex S. Literis oſtenderit.

Confeſſ. Wirtenberg. cap. XIII. *Quod in politicis, idem & in Eccleſiaſticis cœtibus fieri ſolet, ut plerumque major pars vincat meliorem. Huc accedit, quod Spiritus S. non facit populum ſuum in hac vita ἀναμάρτητον* (infallibilem) &c. Hæc altius ſecum expendant, qui ad Synodi nomen quaſi obſtupeſcunt.

Item: *Teſtantur exempla, non Pontifices tantum, ſed etiam Concilia erraſſe. Quare poſtquam prophetica & Apoſtolica doctrina divinitus confirmata eſt, nullius hominis, vel hominum cœtus, ſententia ſimpliciter pro oraculo Spiritus S. recipienda eſt, ſed exigenda ſunt omnia ad normam Scripturæ, &c.* Fiat hoc quam diligentiſſime, & Synodum à vero & bono ſæpius aberraſſe, eoque per ſe nil fidei mereri, mox conſtabit.

Principes Proteſtantes (teſte Sleidano lib. XI. hiſtoriæ) ſcriptum publicum de recuſato Papiſtico concilio ediderant, anno CIↃ IↃ XXXVII. ubi inter alia multis exemplis oſtendunt, ab optimis etiam Epiſcopis olim ſæpe recuſata fuiſſe Concilia, quoties (ſcilicet) non veritatis propagandæ, ſed vel impiæ doctrinæ, vel aliquorum potentiæ conſtituendæ cauſa, viderent illa convocari, &c. An ſimiles nunc cauſæ ſint recuſandi Synodum noſtram, ex rebus in ea geſtis facile conſtabit.

Iidem, judicandi in Conciliis poteſtatem non ad ſolos Epiſcopos, ſed etiam ad Reges, & cæteros ordines, adeoque ad totam Eccleſiam pertinere dicunt. Denique omnia in conciliis ex ſolis Scripturis tractanda & definienda eſſe contendunt. Quid igitur peccant, qui nunc eadem in Synodo noſtra exigunt? & quia facta non ſunt, non magni illam pendunt?

In eandem ſententiam etiam Regem Angliæ Henricum VIII. eodem anno ſcriptam proteſtationem de Concilio edidiſſe, idem Sleidanus eodem libro narrat. Adde his Gravamina contra Synodum, à pluribus tunc edita: quæ & nos pro repetitis haberi cupimus.

Lutherus Tom. 11. Lat. in aſſert. art. XXVIII.

Ep.363. *Sive Papa, sive Concilium sic, aut sic sentiat, nemini debet esse præjudicium, sed abundet quisque in sensu suo, in iis rebus, quæ necessaria non sunt ad salutem. In libertatem enim vocati sumus, ut non sit nobis necesse credere verum, quod alius homo sentit, vel dicit, contenti iis credere, quæ in Scripturis docti sumus.* Synodus ergo huic libertati præjudicare non potest, etsi contra fulminet.

Rom. 14. Gal. 5.

Idem ibidem articulo XXIX. *Scripturam volo judicem esse Conciliorum*, &c. Et mox probat dictum *Panormitani*, supra citatum, quod etiam privato fideli plus credendum sit, quam toti Concilio, si meliorem habeat authoritatem, & rationem, &c. Libere igitur de Synodi decretis ex Scriptura judicemus, quæ in multis falsa esse mox videbimus.

Item: *Nec ipsi Apostoli*, inquit, *in suo Concilio quidquam statuerunt de sola præsumtione Spiritus, sed per Scripturas sua probaverunt. At nos incomparabiliter minores, statim ut nobis quidquam rectum visum fuerit, Conciliis titulo in articulum fidei vertimus.* Hæc Synodalium superbia vix tunc satis traduci potest, cum necessaria faciunt, quæ necdum vera esse ostenderunt.

Act. 15.

Vide etiam integrum *Lutheri* tractatum de Conciliis, ubi etiam antiquissima illa œcumenica Concilia, *Nicenum*, *Ephesinum*, *Chalcedonense*, &c. erraße non semel affirmat, & exemplis probat. Jure igitur idem de Synodo nostra verendum; eoque ipsa ad Scripturam exigenda.

Philip. Melanth. in Consiliis Theol. part. I. p. 175. *In summo Ecclesiæ judicio, quod est Synodus, sententias dicent, & voces decisivas habebunt, non tantum Episcopi & sacerdotes, sed etiam Principes, & alii laici eruditi & pii. Ita & Constantinus subscripsit in Synodo Nicena: & Marcianus Imperator ait, census fidei communes esse*, &c. Similia habet pag. 527. & passim. An hoc Synodus nostra servaverit, quæ fratres suos ejecit, acta tandem ostendent.

Idem part. II. pag. 1. *Cum Concilia sint ordinaria Ecclesiæ judicia, ad ea utraque pars convocari, & audiri utraque debet. Nec à quoquam exigi debet obligatio ad approbationem eorum, quæ fuerint pronunciata, ante cognitionem*, &c. At neutrum servavit Synodus nostra: quia nec utramque partem audivit; & obligationem ante cognitionem exegit.

Et pag. 121. *Multum dissimilis est Ecclesia imperiis: valent (in illa) sententiæ judicum non regia, aut prætoria authoritate, sed quia congruunt cum doctrina à Deo tradita.* Et mox: *Sed objiciunt viri politici. Quid opus est judiciis, si postea contradicere licet, nec finiunt controversias Synodi? Respondeo: Judiciis tamen opus esse, quia vera Ecclesia recte sentientes confirmat suo testimonio, & monstratis sententiæ causis, aliquos saltem errantes in viam revocat*, &c. Hoc nostra Synodus non curavit, quia sententiæ suæ causas parti petenti non monstravit, sed hanc potius indigne rejecit. Ep.363.

Item pag. 201. *Synodus alligata est Evangelio, ut non possit addere nova dogmata; nec valet interpretatio ejus propter ordinis authoritatem, nec vi corporali sententiam tuetur.* An nostri Synodales hæc servaverint, & porro servaturi sint, acta dicent.

Et pag. 202. *Synodus non ut politicus judex definit ambiguitatem regia seu prætoria authoritate; sed singuli suæ fidei confessionem ostendunt è S. Literis*, &c. Hoc Synodus nostra curæ non habuit, quia parti petenti nihil ostendit.

Et mox: *Pii credunt non propter Synodi decretum, sed propter testimonia prophetica & Apostolica.* Item: *Nititur fides non Synodorum congressibus, sed voce divina.* Nihil igitur Synodus per securanda, si contra Dei vocem quidpiam decernat, ut nostra fecit.

Et pag. 203. *Non Synodi authoritas, sed vox divina, sit retrix fidei. At*, inquunt, *multa incidunt controversia dei intr, & λόγου, (de dictione & sensu.) Oportet ergo esse interpretes. Et nisi valeat authoritate regia, non erit finis dissidiorum. Hæc oratio plausibilis est, & sumta à politicis judiciis: sed dissidia in Ecclesiis alio modo tolluntur*, &c. Nempe ostensione per Scripturas, ut supra dixit. Sed hic modus Synodo nostræ non arrisit.

Calvinus lib. IV. Instit. cap. IX. sect. 6. 7. 8. &c. multis exemplis & rationibus docet, etiam Concilia legitime coacta errare posse, & sæpius erraße. Quod etiam de nostra verendum, ut ut legitima fuisset.

Inter alia autem sect. 7. sic sibi objicit. *At non est periculum, ne quid tale nobis eveniat, nobis* scilicet Ecclesiasticis, maxime Reformatis. Tum respondet: *Quis nobis fidem faciet? Nam in re tanta nimis securos esse socordia culpa non caret.* Audiant hæc socordes illi, quibus hæc Synodus sacrosancta videtur.

Et sect. 8. optat eum hic modum servari, quem Augustinus lib. III. contra Maxim. præscribit his verbis: *Nec ego Nicenum*, &c. ut supra citavimus. Idem & nos optamus, sed frustra, ab hac Synodo.

Et sect. 9. ait, *Non aliter discernere inter contrarias & dissentientes Synodos, quæ multæ fuerunt, poterimus, nisi omnes illa, quam dixi, omnium hominum & Angelorum stateræ, hoc est, verbo Dei eas examinemus*, &c. Ad hanc igitur stateram recurramus, & multa Synodi errata mox deprehendemus. Gal. 1.

Beza in Confess. cap. V. de Ecclesia sect. 17. *Affirmamus, nullam unquam Synodum Christianam vel fuisse indictam, vel indici posse, ad novum aliquem fidei articulum condendum, idque duplici de causa*, &c. At Synodus nostra novos fidei articulos condidit; quia necessaria facit, quæ Spiritus S. talia esse nusquam docuit.

Et post: *Ex his efficitur, Ecclesia fundamen-*

Ep.363. *mentum ab iis everti, qui fas esse existimant cuiquam, etiam Angelo, nedum homini, licere, ut vel tantillum verbo Dei scripto vel detrahat, vel adjiciat*, &c. Utrumque fecit Synodus, quia & vera quædam rejecit, & falsa statuit, & dubia pro certis, & vix scitu utilia, pro necessariis definivit.

Gal. 1.

Idem Beza in præfat. Nov. Test. anno CIↃ IↃ LXV. *Si quid sine verbo Dei affirmatur, frustra Ecclesia, Patrum, Synodorum, inania nomina prætexuntur; ubi ne Angeli quidem audiendi sunt. Stat enim illud Pauli: Si vel Angelus de cœlo aliud Euangelium prædicaverit, anathema esto.* Ergo nec Synodus audienda, si vel damnet, quæ Deus in verbo suo non damnavit, vel contra definiat quæ illic definita non sunt.

Gal. 1.

Pet. Martyr. lib. IV. loc. com. cap. IV. p. 773. *Quanti facienda Concilii authoritas, Augustinus ostendit* lib. III. *contra Maximin. cum ait; Sed nec ego Nicenum*, &c. ut supra. tum addit: *A Conciliis & Patribus appellandum ad Scripturas.* Item: *Nihil ad salutem necessarium supereſt, quod ab hominibus constituatur.* Igitur nec Synodi est, quidquam tale definire: quod tamen nostra fecit, & quidem duplici modo, prout ante dictum est.

Et p. 774. *Si vel à Concilio, vel à Papistica Ecclesia, contra S. Scripturas judicemur, audacter cum Paulo dicamus, nobis pro minimo est, ut à vobis judicemur*, &c. Igitur & nobis contra hanc Synodum excipere sic licet, quam scimus contra Scripturam judicasse. Plura id genus habet eodem lib. cap. VI. sect. IX. & XVII.

1 Cor. 4.

Musculus in locis comm. titulo de verbi Ministris pag. 207. *Pugna hujus* (de frivolis quæstionibus) *palæstræ solent esse Synodi Episcoporum: quas imperiti homines putant unicum esse dissidiorum remedium.* Atque hic approbat Gregorii Nazianzeni dictum supra citatum, tanquam valde memorabile: Quo scilicet testatur, se omnia Episcoporum Concilia fugere, eo quod nullius exitum felicem vidisset, &c. Notetur illud maxime, quod de imperitis hic dicitur.

Bullingerus lib. I. de Conciliis cap. VI. *Tantum Conciliis credendum est, quantum ex Scripturis probare possunt.* Hic canon arcte tenendus est, ad eumque Synodus exigenda.

Item, *Sine Scripturarum authoritate, nulla est Conciliorum authoritas. Nec est, quod quisquam fulmina & anathematismos Conciliorum metuat. Abolet enim ac dissipat omnes tales anathematismos anathematismus Apostolicus Gal.* I. *Si nos aut Angelus de cœlo aliud Euangelium prædicaverit, anathema esto.* Et hæc notatu dignissima sunt.

Et mox: *Tametsi coëat totus mundus, non potest tamen creatura quidquam contra verbum creatoris statuere, neque decreta æterni Dei abrogare. Nec valet hic eruditio, aut multitudo, aut sanctitas, aut ulla denique authoritas. Nam loquente Domino Deo universorum, merito conticescit omnis caro.* Ergo nec prætextus illi Synodum nostram juvabunt, nisi ex Scripturis omnia sua demonstret: quod non fecit. Ep.363. Esa. 1.

Atque hic ille approbat dictum Panormitani jam supra citatum, quod etiam laico, Scripturas afferenti, plus credendum sit, quam universali Concilio, contra Scripturas aliquid statuenti.

Postea multis exemplis ostendit, etiam legitima Concilia sæpius errasse, nec Spiritum S. ns alligatum esse: eoque ad Scripturas semper hæc exigi debere, siquidem iis fides adhibenda sit. Miseri ergo sunt, qui secus hic agunt, aut sibi os obliti sinunt.

Idem eodem lib. cap. VII. docet, etiam laicos in Synodis audiendos esse, & ad suffragia admittendos, adeoque cum Mose optandum, ut totus populus prophetet, &c. At nostra Synodus ne fratres quidem & symmystas suos juxta se prophetantes ferre voluit. Num. 11.

Et cap. VIII. *Nulla Synodus*, inquit, *novos instituit fidei articulos, sed ex verbo Dei traditos custodit. Fides enim est ex auditu verbi*, &c. Hoc ergo verbum afferat Synodus, si credi sibi velit.

Idem lib. II. cap. XI. & XII. causas aliquot exponit, cur pleraque Concilia infaustum exitum habuerint; nempe quod ab exemplo & doctrina Apostolorum recesserint, quodque damnandi libidine flagraverint, quod denique Pontifici nimis serviliter addicta fuerint, &c. An aliqua horum etiam Synodo nostræ competant, acta loquentur.

Et cap. XII. docet, pios viros sæpe justissimas ob causas Concilia Papistica recusasse; contraque liberum & vere Christianum Concilium merito postulasse. Et tale nos adhuc petimus; quale nostrum illud non fuit.

Hujus autem legitimi Concilii conditiones præcipuas has affert. 1. Ut unicus ejus scopus sit, gloria Dei, & hominum salus; item sancta & moderata veritatis inquisitio. 2. Norma sit solum Dei verbum, S. Literis comprehensum. 3. Omnibus in eo libera detur facultas loquendi, non Ecclesiasticis tantum, sed & laicis doctis ac piis, &c. Sin tale non detur, tum ad salutem sufficere Dei verbum, omnibus pie id scrutari volentibus, &c. Has conditiones in nostra Synodo neglectas esse, res gestæ docebunt.

Withakerus de Conciliis quæst. 1. cap. III. *Concilia non sunt simpliciter & absolute necessaria: nam sine his fides & Ecclesia incolumis esse potest, & diu fuit: attamen multum conferunt, & utilia sunt, videlicet propter consensum Doctorum, & collationes sententiarum*, &c. Igitur si collatio hæc negligatur (ut in Synodo nostra factum) ne quidem utilia sunt, sed potius noxia.

Et post: *Si simpliciter necessaria essent, Christus alicubi præcepisset celebrari, aut ejus Apostoli: quod tamen nusquam ab iis factum esse*

Ep. 363. *legimus*, &c. Errant igitur, qui unicum malorum remedium à Synodis quærendum putant: quia sic omnino neceſſariæ eſſent.

Idem quæſt. III. cap. 1. *Noſtra ſententia eſt*, inquit, *non ſolos prælatos habere jus definiendi in Concilio; ſed quoſvis idoneos eligi poſſe, qui ad Concilium mittantur, eoſque libere pronunciare debere; ſic tamen, ut nihil indecore aut turbulente fiat*, &c. At talis libertas Synodo noſtræ non placuit, quæ maxime idoneos ne quidem audire voluit, ſed ejecit.

Et cap. III. dicit, *Act.* XV. *non tantum Apoſtolos, ſed & Presbyteros, & totam Eccleſiam, ſuffragium deciſivum habuiſſe: idque poſtea in Eccleſia Chriſti aliquamdiu uſitatum fuiſſe, antequam Paparum tyrannis invaleſceret.* Tyrannice igitur egit hæc Synodus, quæ neque totam Eccleſiam audivit, neque dimidiam ejus partem vel audire voluit.

Idem quæſt. VI. cap. II. pag. 223. ait, *paſtores, nec congregatos, nec ſeparatos, poſſe nobis obtrudere quidquid ipſi voluerint, nec ab errore liberos eſſe; ſed noſtrum eſſe examinare, & cavere, quid audiamus*, &c. Idem jus ſciunt omnes pii etiam in hanc Synodum ſibi competere, præſertim tam inique progreſſam.

Et pagina 225. *Si proprie loquamur, nullum Conciliorum judicium eſt: in cauſis enim fidei nullum judicem habemus, niſi Spiritum S. in Scripturis loquentem.* Nihil igitur per ſe valet Synodi judicium, niſi ex S. Literis probetur: quod noſtra non fecit, nec legitime unquam faciet.

Sic pag. 230. *Qui nullum in Eccleſia Dei judicium præter Concilium agnoſcit, is Scripturas nullo loco aut numero habet: hominum autem judicium infirmum eſt, quia multa ignorant, & affectibus pravis ſæpe indulgent*, &c. Utrumque iſtorum etiam in noſtris Synodalibus nimis clare apparuit.

Et pag. 238. *Hæreticus nemo eſt, qui Concilium, ſed qui doctrinam Spiritus S. reſpuit, in Concilio traditam*, &c. Oſtendat ergo Synodus, ubi Scriptura id vocet hæreticum, quod ipſa ut tale damnavit.

Idem cap. III. multis rationibus & exemplis è Vet. & Nov. Teſt. petitis oſtendit, etiam legitima Concilia errare poſſe, ac ſæpius erraſſe: eoque non ſimpliciter iis aſſentiendum eſſe, ſed omnia ipſorum decreta ad verbum Dei exigi oportere. Inter alia vero inquit pag. 268. *Nullum decretum alicujus Concilii (quatenus eſt Concilii decretum) fide Catholica tenendum eſt*, &c. Nihil ergo fidei Synodus per ſe meretur, ſed tantum ob probationes è Scriptura petitas, quibus noſtra caret.

Et pag. 269. *Concludo*, inquit, *Concilia, à quocunque congregata fuerint, non modo in facto, ſed etiam in rebus fidei, errare poſſe*, &c. Nihil ergo noſtram Synodum juvat, ab Ordinibus legitime coactam eſſe.

Et pag. 273. colligit, poſſe ea quæ ſemel in Conciliis, etiam (quod contra legem Marciani eſt) legitimis definita ſunt, iterum in quæſtionem diſceptationemque vocari: idque probat etiam Auguſtini exemplo, Nicenum Concilium Maximino Ariano remittentis, &c. Cur non igitur & noſtræ Synodi decreta examinemus? præſertim quæ tam inique egit, & cum Nicena conferre ſeipſam ſalvo pudore non poteſt? Ep. 363.

Et pag. 274. addit, *Impium omnino eſſe, & fidei Catholicæ injurioſum, ex Conciliis veritatem ſuſpendere. Tum enim neceſſe erit*, inquit, *ut aliquando errores amplectamur; utque maxima & frequentiſſima Concilia ſint maximæ authoritatis & fidei, qualia olim fuerunt multa Arianorum*, &c. Impii ergo erunt, qui Synodo huic per ſe & propter ſe fidem habebunt.

Et pag. 304. *Non modo cum aperti hæretici, ſed etiam cum Catholici conveniunt, Concilia errare poſſunt*, &c. Igitur etiam, cum Reformati coëunt.

Et pag. 305. *Ne quidem Concilii Nicæni* (cujus etiam errata quædam ibidem ante recenſuit) *finis optimus fuit: nam eluvies malorum Conciliorum illud ſequuta eſt, ſicut ex hiſtoriis conſtat.* Quid ſi ſimilis eluvies etiam hanc Synodum tandem ſequatur?

Denique pag. 312. Ex Auguſtini Epiſt. XIX. ad Hieronymum, & Epiſt. CXII. ad Paulinum concludit, *ſolas S. Scripturas ab errore liberas eſſe, ſolas ejuſmodi eſſe, in quibus nihil improbari aut reſpui debet: ab his ſolis provocare non licere: Epiſcoporum vero vel ſeinctorum, vel in Conciliis conjunctorum, ſcripta qui hæc tribuunt, eos S. Scripturis iſta æquare: idque ſine blaſphemia*, inquit, *fieri non poteſt*, &c. Applicentur iſta non modo Synodo noſtræ, per ſe tumtæ, ſed & Confeſſioni, & Catecheſi, &c. quæ ſcripta nonnulli jam quaſi authentica haberi volunt.

Appendix. In conſiliis Phil. Melanth. part. II. pag. 122. & ſeqq. item part. I. pag. 468. & ſeqq. ſerio agitur contra abſolutum Synodorum jus in judiciis ferendis: & quod iis obligare nos minime debeamus, antequam à nobis ipſis cognitio plena ſit inſtituta: hoc eſt, ante ſuſceptum neceſſarium examen eorum quæ decreta ſunt, promittere non debeamus, nos illis ſimpliciter acquieturos, &c. Sic part. II. pag. 133. & 202. & alibi paſſim.

Pag. 123. part. II. *Cum Synodus decreta facit contra Euangelium, refragari neceſſe eſt. Nemo obligandus eſt ut obtemperet decretis nondum auditis, & examinatis*, &c.

Pag. 124. optat talem Synodum, *ubi pii & docti ſententias placide conferant, & prior taceat, ſi ſedenti revelatum quid fuerit*, &c. Poſt addit. *Politici imaginantur, doctrinarum diſſidia tolli poſſe, ſicut civiles controverſia tolluntur, videlicet authoritate prætoria*, &c. *Qua in re magnus*, inquit, *eſt error, ſed multorum animis ita infixus, ut evelli non poſſit*, &c.

Pag.

Ep.363. Pag. 125. *Synodi non ſunt ſummi Judices, ſed ipſa vox Dei: & hujus interpretatio non eſt alligata perſonis judicantibus. Donum enim eſt in Eccleſia, non poteſtas certis gradibus attributa*, &c.

Ibidem: *Controverſiæ civiles ratione judicari poſſunt, quæ omnium ſanorum communis eſt. Et nullum hic eſt animæ periculum, etiamſi obediatur ſententiæ judicis errantis. At contra eſt in Eccleſiaſticis, ubi ſententiæ judicis errantis obediendum non eſt, ſed ſoli voci divinæ*, &c.

Plura id genus idem author ſæpe alibi inculcat: idemque faciunt alii ex noſtris; ſpeciatim Witakerus in ſupra dicto libro de Conciliis: ubi etiam paſſim alia valde utilia diſputat, de jure convocandi Concilia, deque eorundem præſide ac moderatore; item de authoritate ſupra Papam, &c. Nam quamvis in his ſpeciatim & præcipue contra Pontificios agat, doctrina tamen per ſe generalis eſt, & noſtris etiam aptari ſemper poteſt. Sic enim jus illud convocandi Concilia, inque iis præſidendi, &c. ſupremo Magiſtratui Chriſtiano aſſerit: ſic item authoritatem eorundem Conciliorum ſupra Pontificem, &c. defendit, ut interim nec Reges, aut Principes, nec Epiſcopos, aut Paſtores, nec ipſa denique Concilia, ex utriſque licet legitime coacta, præter aut contra Dei verbum quidquam ſtatuere jure poſſe concludat: Et proinde ultimum ac vere definitivum judicium, in quo conſcientiæ tuto poſſint acquieſcere, ex ſolis Scripturis petendum eſſe ſapiſſime teſtetur.

Concluſio, & ſumma dictorum, certis capitibus breviter comprehenſa.

EX dictis igitur patet, juxta citatos Patres, item Confeſſiones, & Doctores noſtros, de Synodis ſummatim ſic ſtatuendum eſſe. 1. Uſum quidem earum aliquem in Eccleſia eſſe poſſe, eumque per ſe non contemnendum, ſi modo veritatis inquirendæ cauſa habeantur, & verbum Dei per omnia religioſe ac modeſte ſequantur: nunquam tamen abſolute in Eccleſia neceſſarias eſſe; ac proinde neque à Chriſto, ejuſve Apoſtolis, Chriſtianæ Eccleſiæ uſpiam præceptas eſſe. 2. Eaſdem nullam prorſus authoritatem habere, vel novos fidei articulos condendi, vel aliud quidpiam, tanquam ad ſalutem vel ſcitu, vel obſervatu neceſſarium, Eccleſiæ præſcribendi. 3. Omnes & ſingulas, inde poſt Apoſtolorum tempora, licet etiam œcumenicas, & alioqui legitime coactas, errare potuiſſe, & adhuc poſſe; adeoque pleraſque in multis hactenus erraſſe, idque propter variam omnium hominum ignorantiam, & pravos multorum affectus. 4. Diſſimiles eſſe mundanis imperiis, ac conventibus politicis, quibus etiam errantibus obedire licet, imo etiam ſæpe oportet: nec proinde quidquam propria authoritate ſua, nedum regia, aut prætoria, incautis fidei decernere jure poſſe. 5. Unicam judicandi normam iis propoſitam eſſe debere S. Scripturam: à qua ſi deflectant, decreta earum libere repudiari poſſe, imo debere. 6. Non ſolis Eccleſiaſticis, ſed & aliis eruditis ac piis viris, præſertim Chriſtianis Magiſtratibus, itemque parti adverſæ, ſi audiri legitime cupiat, locum ac ſuffragium in iis concedi oportere. 7. Sententias in iiſdem non tam numerandas, quam ponderandas eſſe: neque vocum multitudine, ſed rationum robore, (quod à ſingulis fidelibus ex Dei verbo dijudicandum eſt) decreta ipſarum niti debere. 8. Nimium ſæpe accidere, idque partim ignorantia, partim malitia hominum, ut major pars meliorem in iiſdem vincat: tumque earum decreta, utpote verbo Dei contraria, piis omnibus reſpuenda eſſe. 9. Nec fulmina vel anathemata ipſarum quidquam curanda, ſiquidem inique aut tyrannice nobiſcum agant: ſed ipſis potius anathema dicendum, ſi quid contra Euangelii præſcriptum conſcientiis imponunt. 10. Vere impentos eſſe, qui unicum diſſidiorum remedium à Synodis petendum eſſe putant: quum longe tutius ac certius medium in ipſo Dei verbo nobis propoſitum ſit: modo religioſe ac diligenter, uti par eſt, hoc ipſum tractare velimus. Quod ut deinceps ubique fiat, faxit Deus ille veritatis & pacis, ad gloriam ſuam, & noſtram omnium ſalutem. Amen. Ep.364.

CCCLXIV.

Reverendis Clariſſimis Doctiſſimis piiſſimis viris,

JOANNI UYTENBOGARDO,

Profeſſori EPISCOPIO,

Cæteriſque ob veritatem Jeſu Chriſti quæ ſecundum pietatem eſt, exulantibus Miniſtris, Fratribus in Domino dilectiſſimis,

MARCUS GUALTHERUS S. P.

DUm ego Aceſſæus ſum, Reverendi & colendi DD. Fratres, & tutiorem ſemper ad vos ſcribendi occaſionem (nam, ut audio, & ſuum injuria periculum machinatur ad vos euntibus aut ſcribentibus) expecto, ecce tot Lunæ ivere, nec à me hactenus præſtitum, quod fides jam olim vobis cum amore devota, requirebat. Sed jam tandem ceſſationis tædium abrumpendum eſt, & ſolvenda Chriſtiani officii mei debita, calamoque, quando præſens adhuc nequeo, compellandi eſtis. Malim equidem alterius & paulo lætioris argumenti hanc eſſe ſcriptionem; ſed quando Modimperatori noſtro ita hoc tempore viſum, nobis hoc ipſum gratum ſit. Ex animo vobis ſortem hanc, æquiſſimo fato deſtinatam, gratulor, & animo quidem promiore, quam ſi galero, mitra, vel paludamento aliquo à *Conſolatoria.*

Digitized by Google

Ep.364. mundi cultoribus ſplendide ornati inter faſtigiatos aut anſatos incederetis. Dicat alius; condolendum & complorandum huic adverſitati: tu gratularis? Ego vero gratulor, inquam, & in re omnino bona. An enim idcirco reipſa magni ſunt hujus mundi gloria, fælicitas, pax, quia curvis in terram animabus magni ſunt? Aut ideo humana hæc, quæ patimur, mala, quia degeneri & male ſubactæ carni talia videntur? Longe aliter cenſet magnus ille noſter cenſor & agnotheta; cui decretum (ratione merito nobis admiranda) non niſi unica hac afflictionis via deducere ad coronam, qui hic ad ſcamma fortes in terræ hos filios progreſſi occumbere quam cedere improbitati maluere. Omnis illa qua plerique titillantur proſperitas, tranſitorius quidam vapor eſt: nam & ipſe mundus, in quo, & cujus hæc propria, merus fucus aut fumus. Cæterum ex innumeris illis malis, quæ piis non ſupplicia ſed tributa vivendi: ſunt, præcipue nunc exulium vos tentat. Exulatis ergo. Sed nec primi. Nam quanta hujus generis hominum frequentia in omni ævo? Sed nec ob turpem cauſam. Nam & Chriſtum & legatos ejus ob campſe paſſos indubium. Sed nec patria vobis interdicitur, verum loco. Illam enim invenietis in quamcunque terram veneritis: vel in Syrtes aut ad Garamantes deportemini, à vera tamen civitate nunquam excludemini. Surſum enim ea, nec ab homine datur, (ut illa vetus Romana) nec eripitur. Nihil in eam violentia tyranni poteſt. Exulatis. Sed non ſoli: forte enim & alius terræ angulus hoc ipſo momento in hanc fortunam alios detruſos habet. Unde & portatu facilior hæc moles, cum tam multi & hic & alibi una ſuccollant. Tum & manum admoveat oneri Magnus ille noſter Atlas. Exulatis: ſed denique nec ultimi. Namque & cupient eadem facientque minores. Perſequendi enim genium habebit, quiſquis à Calviniano hoc ſanguine. Itaque in hoc ipſo videtis quantum inſit felicitatis, quantum ſolatii. Atque eo magis, quia ex putida vitiorum confluge vos eductos certum eſt. Dicat iterum, ſi ſit, Satyricus;

> Non eſt Romano cuiquam locus hic ubi regnat
> Protogenes aliquis vel Diphilus aut Erimanthus.

Etenim ea noſtrorum temporum licentia eſt, ut non tantum æquetur nequitia melioribus, ſed & pæne colatur: adeo ut in pluribus neſcias, utrum ſit eorum deteſtanda pravitas, an optanda felicitas. Neque exiſtimo ullis unquam ſeculis plus licuiſſe impudentiæ, plus licuiſſe ſtoliditati, plus ſceleri. Adeo Pæonii quidam obtinent paſſim, & boni in petulantiſſima turba degere coguntur, quæ velut invita modeſtia & humanitate prognata. Ego equidem ultra Sauromatas fugere velim, cum iſti generi occurro, quod effigies hominum habet, animos ferarum. Pſeudoſophos illos dico, qui gravi & ad majeſtatis ſpeciem tornata ſapientiæ larva ambulant, id eſt, qui plurimum ſapere volunt, nec ſapiunt, ſubiti patres, nec à cenſoribus recitati; *ὥσπερ κοχλίαι σεμνοὶ, ἐπηρκότες τὰς ὀφρῦς*: (*graves ut cochlea, attollentes ſupercilia*) foris compoſiti, domi impuri, intercutibus ipſi vitiis madidi & diffluentes, ac in alios interim rigidi & immites: cujuſmodi turbonibus, quicquid eſt, aut unquam erit, cothurnatorum ſcelerum, debebitur. Sed & alter ille ordo peſſime ſubinde animum meum arrodit, hominum Aeolidarum (quos ſcitiſſime magnus ille Budæus olim appellavit) verſatilium ad omnem auram aulicam; quibus hoc ſemper fuit eritque curæ, ut ad felicem inflectant parietem, eoque favorem inclinent, quo ſe fortuna. Varii ſunt hi tales ordinis, varii genii. Pleriſque tamen vel tacite in pectoribus inerrat illud proſtibuli apud Attellanarum ſcriptorem; Ego rumorem parvi facio, dum iit rumen qui impleam. His igitur ſuſque deque fuerit, in quæ caſtra deſerantur, modo extra teli jactum ſint, neque adlambat eos flamma perſecutionum. Sed illos tamen peſſimos habeo (quorum bona ſeges) *οἱ πρὶν ἐῶλοι, νῦν δειλοί*. (*qui nuper fortes, nunc timidi*) Acerbiſſimi hoſtes, quia ex occulto feriunt, & ſæpe parum expectato. Hæc itaque tam triſtis rerum facies, in quam pene quotidie oculos convertere cogimur, (niſi ultro, quod abſit, rebus humanis valedicere velimus:) pectora bonorum facile excarnificet, & propemodum verum judicium obfuſcet, ni admoveatur fax aliqua, de cæleſti Scripturarum lumine accenſa. Hoc protelo nunc omnino ſtandum & ſuperandum: nec deerit certantibus ille qui promiſit, modo ne indignabundi obnitamur, aut jugum temere excuſſum eamus. In qua virtute (voluntaria & animoſa inquam tolerantia) quicunque non de longe quaſi veneratur & adorat heroicam veſtram magnanimitatem, aut perverſus aut infrunitus eſt. Meras enim delicias crucis hos ſtimulos vobis hactenus eſſe, teſtantur nobis qui guſtum præſentes ſumpſerunt ſpiritualis illius roboris veſtri. Et quamvis omnis pene regio laboris noſtri (nam & me quotamcunque partem afflictæ illius turbæ eſſe, & vos ſcitis, & ego mox certius dicam) plena ſit; nullus tamen, ſic jure ſpero, angulus conſtantiæ & patientiæ noſtræ ignarus erit. Et hanc vel ingratiis protollet æternans fama. Porro & ipſa veritas, cujus ſolius cauſa quotidie ab improbis confodimur, alte caput exſeret, & ſumptis à violenta hac oppreſſione viribus valide tandem oculos omnium irradiabit. Potens enim & vindex eſt ejus patronus, quem contra nil poteſt fraus, nil ſimulatio, nil tyrannis. Et quò connivet diutius, ac patientia ſua impetus improborum alere quodammodo videtur, lenem tamen illam tarditatem pœnæ gravitate, cum vindictæ illa hora venerit, (& indubie venit: etiam ſua Turnum Fata vocant:)

Vid. Sid. Apoll. lib. 1. Epiſt. 11.

Ep. 364. cant:) abunde penſabit. Hac tali ſpe, colendi D. Fratres, ego hactenus animum ſuſtento, precibus paſco, & conticientia bonæ cauſæ ac patientia quaſi ferrumino. Abſque his tibicinibus qui erecti ſtemus adverſus hæc fulmina ac tempeſtates malorum, cum impetu ruentium, tantoque hodie cum comitatu graſſantium, ut vix videatur eſſe quiſquam reſiſtendo? Atque adeo de eventu, non pro adverſariorum voto, divinare incipiunt etiam qui non è numeris noſtris. Scilicet manifeſtaria & conſpicua jam nimis Polyphemorum iſtorum barbaries etiam voces indignationis exprimit iis, qui putant ad ſe Jitugia noſtra non pertinere. Neque deſinunt etiamnum furoris. Ut lupi ſemel deguſtato ſanguine & carne hominis, haud temere alia animalium irruunt & abſumunt, memores atque avidi ſemper ſuavitatis illius hauſtus: ita & illi. Poſtquam ſemel in nos inimiciter accenſi alios vita, alios libertate, alios fortunis ſpoliavere, nefas pene habent in alios acuere dentes, quam quorum innocentiam & imbelliam nunc oportunam rentur injuriæ. Quid in vos ſacri illi liticines patrarint, nuſh non notum. Forte & alter orbis jam opprobria, errores, ac Tomos veſtros loquitur. Vita ſemel & oſtenſa via priorum veſtigia legunt ſequentes, & nihil jam intonſum meſſores iſti reliquunt. Ad vivum reſecandus eſt invifus lenis iſtis fratribus Arminianiſmus. In acie enim conſiſtere & exerceri nolunt. Putant ſuam hic pacem Eccleſiæ conſtare debere: quam tamen (homines ridiculi) aſſiduis vocibus militantem appellant. Folia in me nuper cecidere, faxit Deus ut non & arbor. Non quievit ſacra illa turba, donec & me functione mea, propemodum quindecennali, excluſit. Cum vero illorum minis non cederem, ſenatus, ni mei cauſa apud Ordines male audire vellet, vel ingratiis me exauctorare coactus eſt. Triſtiſſimi ſuſurri civium inde, nec jam latens indignatio: hominem moveri ordine, cujus integritas hactenus illibata ſtetiſſet, quique cum laude & commodo munere ſuo functus eſſet, etiam in exemplum ſequentibus. Et hoc in gratiam illorum, quibus volupe eſſet ſacra miſcere profanis, nec niſi in aliorum ruina ſalutem ſuam ponere. Si igitur res meæ ad votum iſtorum ardelionum deinceps fluent, familia mea ad Curculionem Plauti, (ut ſcite quondam luſit Auſonius) non ad Tullii Frumentariam pertinebit. Adeo prodigi iſti contendunt, ut in me quoque verum ſit illud Arbitri; bonæ mentis ſoror eſt paupertas. Sed neque hoc capiſtro coërcebor, ut bonæ cauſæ patrocinari velle deſinam, aut perdite prodere in cujuſquam hominis gratiam, quod pleniſſime perſuaſus ſum ex Deo eſſe. Et ſi maxime tam deſperati pudoris eſſe vellem (& ſunt varii hodieque tales κοσμόδουλοι (*mundo ſervientes*) qui tamen poſſem, ubi tot malorum, quæ jam in exemplum paſſi eſtis, in mentem venit? Per genium meum juro, fortiſſimi Chriſti athletæ, vobiſcum mihi etiam perpetuum exilium pro optima cauſa dulciùs fore, (ſi ita decernat Dominus) quam omnes noſtrorum ſycophantarum triumphos, pacem, gaudia, riſus. Et quam crebro ad vos adſpiro? Etenim moleſtum mihi, quod peregrinus ſum in Meſech, & habito in tabernaculis Kedar. Longa eſt habitatio animæ meæ cum his qui oderunt pacem. Itaque poſtquam publica functione dejectus ſum, ſtatui deinceps etiam in medio peſſimæ hujus turbæ exulare, id eſt, fora & compita vitare, ubi iſtiuſmodi vappæ nunc fere propter flatum auræ ſuæ verſari, & culpas ſuas ſive obtrectationes conferre ſolent. Vix enim ſive animi punctiuncula iſtis thraſonibus occurritur. Habebo etiam fortaſſe ſatis negotii in otio meo, donec hi nimbi tranſeant. Quod equidem futurum ſpero, dummodo nos interius illud malitiæ ſtabulum ſerio & accurate expurgemus, atque hoc agamus, ut quanto hic foris noſtra eſt deterior, tanto ſit animus coram Domino terſior, humilior, tolerantior. In quam ſane curam unice incumbere magnos juxta ac parvos operæ pretium eſt. Pro ſe quiſque viri. Tum ſi adignitæ veritati conſtanter adhæreamus, nec Sirenum cantu illiciamur ad ſcopulos illos Manichaicos, in quos pauci ſine naufragio impegere. Ut caveri autem prudentius poſſint, cui non opus pyxidio? Quo equidem jam diu nimis caremus. Et ignoramus quodnam fatum id nobis invideat. An veſtra culpa ſit? Vetus verbum eſt, ἢν ϝ' ἴῃ πάσσω. (*fac ſi quid facies.*) Explete hanc tot bonorum famem, quorum animi deliquium videantur paſſuri, niſi fugientem ſpiritum ſiſtat ſalutare aliquot antidotum! Cui dum inhiamus, Deum utrimque ἀδιαλείπτως (*indefinenter*) precabimur, ut ad vindicandam cauſam ſuam ab iniquiſſimis Diotrephibus tandem exſurgat, nos ſpiritu ſani judicii & conſtantiæ firmet, ut interritis animis excipere & ſuperare queamus procellas à Satana & inſtrumentis ejus in nos concitatas. Hoc ſerviđe oro & opto: Vos autem, dilectiſſimi viri fratres, Deo commendo & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ſuperædificare & dare vobis hæreditatem in ſeculis omnibus. State fortes, cauſam Domini viriliter agite, & Valete. Salutem & reductionem ab exilio glorioſam vobis omnibus & ſingulis una cum multis millibus veſtri amantiſſimis, apprecor, mutuæ ſcriptionis & ſolaminis cupidiſſimus. Iterum valete. Dabam 6 Calend. Octob. St. V. 1619.

VV.RR. *Studioſiſſimus & obſequentiſſimus*

M. G. P.

Ep. 364.

CCCLXV.

Digitized by Google

CCCLXV.

SIMONI EPISCOPIO

CORNELIUS SYLVIUS S.P.D.

Detestatio ultorum Synodi Dordracenæ.

VIr Clarissime, Collega venerande, Quanto tui flagrem desiderio sat tuto exponere non licuisse, hactenus semper mihi persuasum fuit. Nunc occasionem nacto animum explere contingit, & simul supplere, quod temporum iniquitas, & causæ communis calamitas, coortis undique quasi tempestatibus abripuit. Non possum non communem sortem dolere, quoties recurrit (fit autem sæpius) illius temporis memoria, quo collegarum pari una licuit esse nonnunquam, & sermones tum serios, tum jocoserios miscere pro re nata. Reposueram primo quippiam solatii in spe reditus ad nos, sed totus ea excidi, simul ac fati Dordraceni rabies in Academiam, in Patriam, in omnes avitæ libertatis, & veræ Religionis studiosos cœpit incursare. Reficiebar, ut ingenue fatear, non semel spei istius delinimento; sed quem fluctuantem subinde refecit, eundem imagine sui oblectamenti plane destitutum mox pene confecit. Sed insurgo, & quod solatii mihi istic ademptum, aliunde cum fœnore redditum experior. Subit quippe animum causa quæ exulem te fecit, & me reditus tui spe orbavit penitus. Causa pia. Causa sancta. Causa Servatoris nostri Jesu Christi. Subit insuper tua multis explorata pietas, & causæ istius zelus incorruptus, quo adactus, ut Christianæ veritatis zeloten egisti semper, ita & nunc ejusdem constantem assertorem agis, exemplo sane incomparabili, cujus fructus per omnes, quibus de meliori luto ficta sunt præcordia, longe lateque diffusos quam uberrime sentit prælens ævum, & sentiet haud dubio secutura posteritas: nam ut alios præteream, quorum virtus & veræ pietatis studium longe eminet, in me nostræ Religionis rudimenta, quæ jam ab ea ætate, qua primum judicio valere incipimus, hauseram, ea, tuo aliorumque exemplo, ceperunt incrementa, quibus jam firma atque immota stat Religio, & manebit (Deo juvante) donec Spiritus hos regit artus, cujus dictamine malui tecum periculum professionis facere, quam vel nutu aliquo non videri hisce partibus addictissimus. Faxit Deus optimus maximus, perseverem, & porro abstineam, ut abstinui hactenus, ab eorum concionibus, nedum communionibus, quos ego quidem schismatis, tyrannidis & hæreseos Manicheanæ reos mihi persuadeo. Nihil hic dignitatibus, nihil adventitio lucro libenter tribuerim, neque contemptu, vel cachinnis multorum moveri, aut gratia cujusquam inflecti velim. Fortunæ isthæc imputo, cujus ut instabiles sunt vices, & repentinæ commutationes, ita casu etiam adverso id unum hominibus non aufert, quod bene fuerit consultum. Ponamus interim solatium in bonæ conscientiæ testimonio, quæ vel sola adversus omnes casus sufficerit, &, in qua major honestatis fructus, quam in fama reponitur. Iniquitati temporum in quæ incidimus nonnihil indulgendum, quibus ut semper, ita & nunc Ep. 366.

fata rependunt
Tristitia multa bonis, & bona multa malis.

Sed desino, ne longior quam par est sim: Præteriens historiam ejectionis meæ, quæ prælixitate sua utramque paginam fere faceret, daturus nihilominus operam, ut prima occasione ad amussim eam habeas. Vale interim Vir Clarissime, & meis verbis omnes nostros salutа, atque inprimis nostræ Ecclesiæ illud lumen, & columen, Joannem Uytenbogardum, cui plurimum me debere numquam desinam profiteri. Lugd. Bat. 9. Octob. Anno 1619.

CCCLXVI.

REGI POLONIÆ

ORDINES REGNI BOHEMIÆ.

De libertate confessionis.

SEreniſſime Rex, Domine gratioſiſſime, Principes, Status & Ordines Sileſiæ, Auguſtanam Confeſſionem profitentes, Confœderati noſtri honorandi & inprimis dilecti, expoſuerunt nobis, quam moleſte ſe R. M. V. per Legatum hoc nomine ad eos miſſum renunciaverit, & reprehenſionis acrimoniam evitare non potuerint, propterea quod Principes & Ordines illi ex præſcripta formula initæ inter nos Confœderationis Prælatos, Abbates & reliquos Canonicos ad D. Joannem, & S. Crucem Templi Cathedralis Vratiſlavienſis, ad ſimilem iſtius fœderis obſervantiam ſincere hortati ſint. Cum vero fœdera iſta ex graviſſima ratione maxime ideo reſtaurata ſint, ut melius confidentia mutua reſtituatur, & mutetur in bonam unionem & concordiam, ad honorem Dei, conſervationem Religionis tam Apoſtolicæ quam Pontificiæ, utque publicæ utilitati & tranquillitati rectius conſulatur, inque Regno Bohemiæ & incorporatis Provinciis indifferenter omnibus cujuſcunque gradus, qualitatis aut conditionis extiterint, ſerio fide ſub juramento facta interdicatur, pro plene & in totum ab omni perſecutione Religionis abſtineant, pacifice, modeſte, & quiete ſuo quiſque loco ſuam quiſque Confeſſionem profiteatur & exerceat, omnemque violentiam, fraudem & conſiliorum pravitatem ſub pœna perjurii, infamiæ & privationis beneficiorum, fideliter evitet; non potuit ulli Confœderatorum in mentem venire R. M. V. nedum quemvis alium, ulla ratione, quantumvis ſpecioſa, commoveri potuiſſe, ut bonam hanc intentionem noſtram & voluntatem pietati, rationi & æquitati plane conſentaneam

R. M. V.

Ep.366. R. M. V. aliorſum accipiat, & quæ ad majorem favorem inter utriuſque Religionis aſſeclas promovendum facere debebant, in odium noſtrum ex ſiniſtræ perſuaſionis affectu referre patiatur. Omnes enim illi, non quos Jeſuitarum aluit Schola, vel qui non tam pacis quam belli contrahendi arcana conſilia meditantur, ſed qui ingenui ſunt Catholici, pro animi manſuetudine libere fatentur, ad ſtabiliendam inter utramque Religionem veram amicitiam, perpetuo alendam concordiam, & removendam omnem diffidentiam, quietumque utriuſque Religionis conſervandum exercitium, nullum convenientius fœdere noſtro inveniri potuiſſe remedium. Quod ipſum etiam prænominati Prælati & Canonici, & quidem qui præcipui ſunt in Sileſia Capitulares, non inficiati, quin potius ingenue confeſſi, & ſponte publice profeſſi ſunt, cum à Principibus & Ordinibus Sileſiæ Confœderatio hæc noſtra illis proponeretur, liberæque ipſorum permitteretur voluntati, an illam amplecti, tutoque illa frui animus eſſet, quod habita matura & ſufficienti deliberatione bona conſcientia huic adſtipulari, in illam jurare, pie & abſque omni diſpendio ſalutis vel injuria Religionis poſſint & velint, cum hoc juramentum ſuis limitibus, judicio, juſtitia & veritate (ita enim loquebantur) ſuffultum eſſe videant; inſuper etiam bonam & ſanctam intentionem noſtram ipſis gratiſſimam eſſe, non tantum verbis, ſed ſponte etiam præſtito juramento teſtatum fecerunt, & in hodiernum diem Religionem ſuam profiteri, beneficiiſque omnibus frui minime prohibentur.

Quandoquidem itaque, Sereniſſime Rex, Provinciæ Confœderatæ eam, quæ R. M. V. perſuaſa eſt, intentionem nunquam in animum induxerunt, multo minus id egerunt, ut vicinioribus Regnis aut Provinciis has Confœderationis leges figerent aut refigerent, ſtatutaque conſtituerent, ſed ſolummodo ſaluti publicæ conſulerent, illa etiam omnia & ſingula, quæ ex mutatione regiminis Regni Bohemiæ & Unitarum Provinciarum conſequuta ſunt, non ut in ullius hominis contumeliam aut injuriam cederent, ſed potius, ut ſcripta Receſſus & declarationes noſtræ typis excuſæ teſtantur & convincunt, poſtulante ita negotii gravitate, juſtiſſimis de cauſis, & ex inevitabili neceſſitate facta ſint, Provinciæque ad hunc collimare ſcopum coactæ fuerint: Inſuper etiam Ordines Regni Bohemiæ & Unitarum Provinciarum R. M. V. inclytoque Regno Poloniæ, debitam ſemper & decentem exhibere obſervantiam paratiſſimi ſint, & mutua inter utrumque Regnum conſtituta pacta ſarta tecta conſervare ſatagent. Ita R. M. V. hac occaſione, quæ nobis Confœderatis hac in re mens fuerit, ſcribendum duximus, R. M. V. officioſiſſime & humiliter rogantes, non patiatur R. M. V. ullo vel diffidentiæ, vel alicujus ſiniſtræ perſuaſionis affectu animum ſuum ita obnubilari, quo à laudata ſua Regia erga Regnum Bohemiæ, & incorporatas Provincias propenſa voluntate, & ſtudio pacis & bonæ vicinitatis ad placitum malevolorum noſtrorum ſine omni culpa noſtra recedat; ſed potius priſtinæ clementiæ & favori, quo hactenus Provincias iſtas proſecuta eſt, nos omnes Confœderatos, & inprimis Status & Ordines Sileſiæ commendatos habeat. Et quamvis ex communi patere videatur fama, vicinioribus Provinciis ex Regno Poloniæ non contemnenda eſſe pericula; Confidimus tamen, R. M. V. ob innatam, nobiſque ſatis perſpectam virtutem non conceſſuram, ut hoſtile quid in patriam communem, nihil unquam tale merentem, contra vicinitatis jura, & pacta hucuſque inviolabiliter & ſancte à nobis cuſtodita, & inpoſterum etiam cuſtodienda, unquam moliatur R. M. V. Nos viciſſim officia & ſtudia noſtra promptiſſima humiliter & diligenter offerimus, & eandem Divinæ protectioni commendamus. Dabantur in Comitiis Regni Bohemiæ generalibus, in Arce Pragenſi, 16 Novemb. Anno 1619. Ep.367.

CCCLXVII.

ARNOLDUS POELENBURG

N. N. S. P.

QUod dudum expetiiſti, frater integerrime, ut tibi copia daretur legendi præclaram illam diſputationem, eximios ſermones, quos cum Waddingo Pontificio Theologo Antverpiæ habuit D. Epiſcopius p. m. in ea tandem re animi tui deſiderio ſatisfaciendum putavi. Quod oportuiſſet ſane factum prius, ſi autographum nitide ſatis, uti hoc nunc apographum, deſcriptum fuiſſet. Utinam vero plures iſtiuſmodi diſſertationes hujus viri doctiſſimi nobis ſupereſſent, ubi dubi es merito, majus ne acumen ingenii, an vero candor & probitas, & modeſtia eluceat. Ex his aliiſque collationibus, atque imprimis ex editis publice in fidem Romanam ſcriptis, factum eſt, ut Epiſcopii noſtri nomen inter ipſos etiam Pontificios celeberrimum evaſerit. Obſervare licet cum in aliis adverſus hunc Waddingum ſcriptis, tum maxime in dilemmatum Pontificiorum decem diſſolutione, ipſum, ſi cum aliis horum adverſariorum antagoniſtis comparetur, eos non exiguo poſt ſe intervallo relinquere. Quo nomine dignas Deo gratias agere nunquam poterimus, quod adeo illuſtre lumen ad veritatis ſuæ & ſanctæ Religionis confirmationem propagationemque inter nos lucere voluerit. Itaque non obfuit hoc D. Epiſcopio exilium, ſed profuit magis: quia hac occaſione exteris etiam na-

Ep.367. tionibus patefieri potuit, & æquitas causæ illius, propter quam multa tunc aspera nostri patiebantur, & veræ Reformationis justa necessitas, quæ erroribus quibusdam fatalibus obsessa multum obscurabatur. Enimvero eruditio, candorque & pietas premitur illa quidem, non tamen opprimitur: dum dejicitur, attollitur & adversus impositum onus erigit se magis. Herbas suaveolentes si manu conteras aut confringas, aut contundas, multo gratiorem de se fragrantiam diffundunt. Illustris vir Hugo Grotius, cum propter susceptum causæ nostræ pacisque mutuæ patrocinium in custodiam esset arctissime conclusus, in claustris illis corpore tenus captivus, animi tamen vim libertatemque exseruit, ac peperit nobis eximium illud commentariorum opus, quibus quatuor Euangelia illustravit, unde multo majus claritudinis decus accessit, & ipsi & veritati divinæ, quam si in summo Ordinum consessu, in luce Provinciarum, inter illustres Hollandiæ Proceres incolumis permansisset. Quia autem in hujus viri mentionem incidi, non possum quin tibi significem, filium ejus Petrum Grotium, paterni ingenii morumque hæredem, ab amplissimo hujus urbis Senatu delectum esse, ut Syndici munere, quod pater pridem Roterodami gessit, hic fungatur Amstelodami. Jamque, ut intellexi, provinciam illam, cui propter insignem rerum maximarum peritiam aptissimus habetur, in se suscepit. Quod igitur patri haud jure ademptum videbatur, id soboli paternæ cum fœnore & honoris augmento redditur. Sic posteritas agnoscet patrem coli debuisse, cum filius munus paternis decoratur. Faxit Deus, ut augescat familiæ decus, & patria nostra hoc tali custode designato floreseat magis magisque. Vale mi frater. Dabam Amstelodami. 1660, idib. Februar.

Die xvii Februar. cIↃ IↃc xx.

Accessit me P. Waddingus cum socio circa horam primam in prandio: post præambula quædam

Exposuit primo se accessisse instinctu Decani B. Virginis, & quod multa ex Scoto quodam, qui hinc discesserat, de me audivisset. Scotum illum audivisse orationem meam in Synodo, & judicasse, si fuissent auditores æqui, me triumphaturum fuisse. (Hic ego nonnulla inferebam, me existimasse Scotum illum ad me venturum.) Illum autem fuisse magnum Gommaristam, & se multis cum eo laboriose egisse de capitibus quibusdam, in quibus pertinacissime videbatur hærere velle; imprimis de morte Christi; Christum pro omnibus mortuum non esse, & quemque de sua salute certum esse debere. Quod ad primum caput attinet; dixi, ajebat, illos directe contradicere Apostolo 2 *Corinth.* V. 15. *Christus pro omnibus mortuus est*; & illos facere Deum tyrannum. Quod ad secundum; non posse exponi illud ad *Phil.* II. 12. *cum timore & tremore.* Quomodo enim timor, ubi nullum periculum? Ajebat ille; Apostolus tamen ait, πέπεισμαι. (*persuasus sum.*) Aliud est, Apostolum, ajebat, id dicere, aliud, omnes fideles. Ep.367.

Ego dixi; quod ad prius attinet: Contraremonstrantes, & imprimis Bezam, vocem illam *omnibus* exponere per *quosvis*; uti & in Epist. ad Timoth. *Qui omnes vult salvos fieri.* Hic ille dicebat; Apostolum itaque non posse jubere ut pro omnibus oremus. Dicebam; idem à nobis responsum fuisse, & multis aliis modis. Absurda, inquiebat, est sententia illa; sed jam in Belgio videntur Gommaristæ multum recedere à Calvino & Beza, & fere Zuares sequi, ne cogantur duram illam & crudelem sententiam Calvini, quæ popularis non est, defendere. Horrenda certe est sententia illa, quam non probo, etiamsi sint qui probent, uti Dominicani & alii. Ita est, inquiebam, & eo nomine taxantur Calvinismi alicubi. A Scoto etiam dicebat se obtinuisse, liberum arbitrium tolli ab ipsis. Hic multa etiam de definitione libertatis quam faciunt Contra-remonstrantes, cum dicunt liberum esse quod sponte fit.

Deinde dicebam; Dignum esse examine illud de certitudine fidei: Augustinum & Veteres in eo fuisse; neminem certum esse de perseverantia finali, nisi post mortem. Sed an non certus quis esse possit de justitia præsenti? Respondebat: Non nisi moraliter. At, dicebam, morali certitudini potest subesse falsum: Quærebam; an non mandarit Deus fidem cum promisso vitæ, & comminatione mortis? Respondebat: sic. Atqui, inquiebam, juxta hanc hypothesin, nemo sciet utrum mandato divino obedierit nec ne: itaque mandatum ipsum frivolum, & obedientia vel fides nullius momenti. Respondebat: Non necessarium esse ut de eo certus esset aliter quam moraliter. Atqui, inquiebam, juxta vos reprobus, qui dicitur, eadem fide præditus esse potest qua electus sive justus. Ita est, inquiebat, eadem essentia fides esse potest. Ergo, inquiebam, eadem utrobique moralis certitudo: nulla itaque differentia: ac proinde qui moraliter certum se esse intelligit, ille eodem intanti incertus est, anne sicut reprobus, an sicut electus credat. Hic hærebat, meo judicio, sed addebat; electi fidem cum operibus bonis conjunctam esse. Ergo, dicebam, ratio certitudinis ex bonis operibus petetur; atqui, inquiebam, potest reprobus eadem fide præditus esse qua electus; quæ ratio igitur, quod reprobi fides non tam producat opera bona, quam electi? quæ discriminis ratio est? Hic hærebat, & dicebat sibi materiam subtilem dari, in qua multum discere posset. Tandem ajebat: Nemo potest certus esse quod habeat actum supernaturalem. At potest, inquiebam, scire, utrumne credat Deo mandanti, an non: itaque, an actum

Ep. 367. actum illum præſtet quem Deus poſtulat : alioquin quid poſtularet Deus? & quid faceret homo, ſi neſciret quid faceret? Deinde, non requiritur ad hoc ut quis certus ſit ſe credere, ut ſciat fidem, quam habet, eſſe actum ſupernaturalem; dummodo ſciat actum eſſe imperatum, & ex ſincero animo profectum.

Deinde agebamus de fide ipſa: utrumne eſſet actus intellectus ipſius. Ego negabam, quia actus intellectus imperari nequit & præſcribi. Ille dicebat, poſſe. Dicebam: Intellectus ergo liber eſt, poteſt intelligere & non intelligere, cum objectum intelligendum aut credendum proponitur. Dicebat, in fide eſſe duo animadvertenda, adſenſum, & piam motionem; illum eſſe in intellectu, hanc in voluntate. Sed quærebam, an adſenſus ille, non vero an pia motio ſubjaceret imperio? Reſpondebat quod ſic: quia alia ratio fidei quam intellectus. Dicebam, fieri nequit ſi in intellectu ſit: tam enim à credibili objecto ad credendum movetur intellectus, quam à ſcibili ad ſciendum: voluntas quidem poteſt divertere intellectum, ut rationes alias conſideret, & ſic firmus adſenſus maneat: at adſenſum ipſum imperare non poteſt.

Addebam; id quod de habitu infuſo dicitur, ſine fundamento eſſe; non poſſe ex Scripturis probari: ſecundo, nec ex ulla ratione. Dicebat, poſſe; quia infantes ſunt in gratia: at non poſſunt eſſe ſine fide; quia proportio inter gratiam & hominem nulla eſt abſque fide. Dicebam, conſequentia nulla eſt; proportio enim eſſe poteſt per ſolam voluntatem divinam. Hic ajebat; ergo vis juſtificationem fieri per ſolum actum mentis divinæ. At dicebam, nos ea de re non agimus, ſed tantum de infantibus, utrumne illis infundatur habitus ejuſmodi? fateor enim adultorum aliam eſſe rationem. Et quid habet, quæſo, iſta proportio? cum poſt hanc vitam ad viſionem & gratiam viſionis non ſit uſui futura fides, quia abolenda eſt. Atqui, inquiebat, Scriptura dicit, caritatem Dei diffundi in nos per ſpiritum qui datus eſt nobis. Dicebam, illa loca huc non facere, agere de adultis & jam credentibus. Tum quærebam, quid illa juſtitia eſſet quæ infundi dicitur? Dicebat, eſt gratia, eſt ſpiritus. Quærebam quid illa eſſent? Dicebat, per quam filii ſumus. At filiatio illa quid eſt? filiatio per adoptionem fieri poteſt, quæ eſt actus nudus mentis. Hic hærebat; eſſe deletionem maculæ peccati, & purificationem animæ. Sed quid illa purificatio eſſet? quærebam. Hic hærebamus; ille exponere non poterat ut intelligerem.

Tandem cum multis prædicaret ſubtilitatem agendi, & delectari ſe iſtis ſermonibus non vulgaribus; petiit veniam ſibi dari, quod paulo vehementius egiſſet: ego ſimiliter; & commendavi agendi modum non tepidum in re ſeria, ſed eum qui ſervidior eſt, dummodo ſit ſine convitio, & caritatis ſemper habeatur ratio. Tandem dixit: ſe mirari ſatis non poſſe Gommariſtarum crudelitatem & ſævitiam, quam erga nos exercerent, qui cum ipſis in omnibus reliquis articulis fere conveniamus contra Eccleſiam Romanam, & iis modis, quos ipſi antea improbaverant in Pontificiis. Dixi, id quidem abhorrere ab omni omnino æquitate, imprimis cum ferant, & ad ſynaxin ſuam admittant etiam eos qui nobiſcum ſentiunt, ſi modo ſileant. Imo, inquit. Et profecto convenitis cum iis in capitibus de Scripturæ autoritate; de Pontifice Romano, an ſit caput Eccleſiæ, & infallibilem habeat autoritatem; de invocatione Sanctorum; de Euchariſtia, aliiſque. Hic ſilui. Deinde ſubjungebat. Fides veſtra talis eſt, quæ cum Eccleſia noſtra conſiſtere poteſt, neque quicquam eſt, cur ab hac recedendum ſit; nam, inquiebat, Scripturam eſſe verbum Dei & normam fidei noſtræ, veriſſima eſſe quæ ea continentur, Eccleſiam veram habere jus interpretandi, Chriſtum adeſſe in Sacramento, &c. Quæ omnia & nos confitemur, etiamſi nos ita, vos ita intelligatis. Tantum quæſtio eſt de ſenſibus Scripturarum, an intelligendi ſint ita ut vos, an ita ut nos interpretamur: vos eſtis tam docti quam nos, vos tam jejunatis & precamini Deum, quam nos; vos tam eſtis devoti quam nos, &c. At ſi velimus jam videre quomodo à principio unanimi conſenſu ſtatuerint illi & illi Patres, &c. Videbimus quod eodem omnes modo interpretati ſint locum hunc, ſicut nos. Inde ſic infertur: non eſt veriſimile Deum Eccleſiam ſuam reliquiſſe tamdiu cum falſa interpretatione Scripturæ: atqui omnes illi judicarunt ita interpretandum eſſe. Dixi, fateri me, habere momentum aliquod ad efficiendum, ut ne facile rejiciatur ejuſmodi interpretatio: ſed illud non ſufficere ad perſuadendum animo & conſcientiæ, contrarium ejus quod ratio dictat: unica ratio omnibus iſtis opponi poteſt ac debet, quia omnium iſtorum conſenſus, conſenſus in errore eſſe poteſt; omnes enim iſti errare poſſunt. Atqui facit valde credibile. Fateor: ſed non facit ſolidum aſſenſum, aut talem cum quo comparere audeam in conſpectu Dei mei, & qui conſcientiam ſecuram facit, quatenus fecit omne quod potuit ad habendum intelligentiam veram. Eadem ratione Judæus, dicebam, poſſet in ſua ſententia ſibi lenocinari, omnium Rabbinorum interpretationi uniformi innixus.

Ep. 367.

Hic abrumpens, dicebat, ſe gaviſum eſſe colloquio & confabulatione hac: petere ſe ut hoc initium ali poſſit & foveri continuatis colloquiis: paratum ſe eſſe, mihi fundamenta doctrinæ ipſorum exponere, quæ certiora ſunt quam ut à muliercula aut alio aliquo vulgari homine percipi queant; quod ſi fiat ut iis adſentiri nequeam, bene quidem: daturum ſe mihi libros, aliaque quæ uſui eſſe poſſunt. Dixi ego, me gratias agere pro humanitate illa: non refugere me colloquia, ſed optare

De theſibus ſuis ajebat, inde agnoſcebam eſſe Petrum Waddingum.

Ep.367. ac cupere, quin meliora docenti cedere paratum; nec dubitare quin eodem animo affectus eſſet D. Profeſſor. Ita, inquiebat. Id tantum me petere, dixi, ut ne crebra fiant colloquia: primo quia nos variis diſtringimur curis Eccleſiarum. Secundo quia ſuſpecta illa eſſe poſſunt ſi innoteſcant. Non, inquit, arcana erunt. Ego dixi me viſurum & ſignificaturum quid videatur. De ſcopo noſtro quem ſemper propoſitum habuimus dixi etiam nonnulla; videlicet nemini in conſcientia aut exercitio religionis vim faciendam eſſe. Tandem petiit libellum illum Hagæ Comitis impreſſum, cui titulus, Strato-character; curaturum ſe dicebat ut Belgice transferretur: dixi Uytenbogardum habere, ſed Bruxellas profectum eſſe. Sic diſceſſum eſt poſt horas duas.

Secundum colloquium cum D. WADDINGO XXX Junii CIↃ IↃC XX.

CIrca horam ſecundam acceſſit D. Waddingus ad ædes D. Blerii, ut conveniret nobilem quendam nuper ex Anglia profugum, quique illic diverterat: intelligens autem ipſum diſceſſiſſe, ego vocatus ſui, ipſeque mihi ſignificavit errore aliquo factum, ut me quæreret, atque omnino id præter opinionem ſuam accidiſſe. Ego rogavi ut mecum adſcenderet, ſi placeret, quia vocari me curaverat. Cum ſuperne in cubiculo eſſemus, incidit in relationem quomodo in notitiam hujus nobilis veniſſet: deinde, quod eodem tempore quo notitia hæc inchoabatur, cum filiis Plancii locutus eſſet, qui ſe familiares eſſe Feſto dicebant; ſeque illis dixiſſe; Feſtum Hommium in theſibus ſuis peſſima fide egiſſe, quod tribuerit Eccleſiis ipſorum, quod inter reliquias Sanctorum etiam collocarent alas S. Michaëlis; ac ſcripſiſſe ſe eo nomine non ſemel Feſto Hommio, eique ſignificaſſe, niſi ſe purget, facturum ut infamis redderetur propter tam apertum mendacium; cum nemo ſit qui ignoret Angelos alas non habere. Dicebat illos petiiſſe, à quonam id Feſto ſignificaturi eſſent: à me, inquiebat, quicunque tandem ſum; non enim eſt neceſſe ut vobis nomen meum indicem.

Inde incidimus occaſione libri noſtri, quem ſe nondum vidiſſe dicebat, in quæſtionem de Juſtificatione; quærebat enim, utrumne in eo expoſuiſſemus ſententiam noſtram: in theſibus D. Arminii, & in Epiſtola ad Walachros eam exſtare dicebat, uti & ſententiam noſtram de Prædeſtinatione, cui ſe ſuoſque dicebat adſtipulari, contra alios, imprimis Dominicanos. Iſta occaſione incidimus in quæſtionem de Juſtificatione, propterea quod Epiſcopus ejus mentionem feciſſet in ant-Synodico ſuo, & Epiſcopum non recte mentem noſtram percepiſſe alicubi affirmaſſem: voluit itaque ante omnia ſcire, quamnam formalem cauſam juſtificationis noſtræ ſtatueremus: Reſpondi, formalem cauſam juſtificationis proprie non dari, eo quod ſit actus mentis divinæ purus putus: & fides formata conditio requiſita à nobis ut juſtificemur. Hic diu hæſimus. Tandem dixi; utrumne ex Scriptura probari poſſit, vocem *juſtificandi* ſignificare infuſionem juſtitiæ? ego dicebam quod non; & confirmabam, quia juſtificatio & imputatio juſtitiæ unum idemque ſignificant in Scripturis. Hoc negabat ille. Probabam: quia Apoſtolus exemplo Abrahami demonſtrat juſtificationem ex fide fieri: at de Abrahamo dicitur, quod imputata ei fuerit fides in juſtitiam. Reſpondit, non agi ibi de juſtificatione prima, ſed de ſecunda. Dixi, ibi ſedem eſſe tractatus de juſtificatione illa qua Judæi & Gentiles, id eſt, omnes, juſtificantur, idque exemplo Abrahami doceri: At de Abrahamo, inquiebat, agitur, de juſtificatione ſecunda agitur. Ergo, dicebam, ſequitur Abrahamum fuiſſe juſtificatum antequam crederet. Reſpondebat, fuiſſe juſtificatum antequam hoc crederet; apparere id ex textu præcedente, in quo dicitur invocaſſe Deum, & juſſu Dei ivi ſſe extra patriæ fines, &c. Specialis autem illius fidei, qua Deo promittenti ipſi ſemen credidit, rationem hic haberi. Unde ita argumentabatur: Abrahamus antequam hoc crederet erat aut juſtus, aut injuſtus: non injuſtus: ergo juſtus. Reſpondi, juſtitiam aliam eſſe quæ requiritur ad obtinendum juſtificationem, ſive remiſſionem peccatorum, aliam à qua aliquo modo denominatur quis juſtus: hanc juſtitiam Abrahamo competiiſſe; illam, ſaltem à Scriptura, tribui Abrahamo tum demum cum credidit: confirmabam exemplo Pauli, qui ante conversionem non erat injuſtus, nec juſtus proprie; vixit enim bona conſcientia, irreprehenſus ſecundum legem, &c. Sed tamen perſequebatur Eccleſiam. Hic iterum diu multumque hærebamus. Secundo, dicebam de illa juſtificatione agi, qua juſtificat Deus impium: ergo de prima. Tertio, juſtificationem ſecundam Abrahami deſcribi *Jacob.* II. & non ex fide ſola, ſed ex operibus factam etiam dici. Ep.368.

Tandem expoſui mentem meam propius de juſtificatione, ſive juſtitia duplici, Legali, & Euangelica: ad illam requiri obſervationem mandatorum perfectam, perfectione partium, graduum, & temporis, id eſt, perpetuam & perfectam: ad hanc, non aliam quam eam quæ excludit omnia habitui ſancto contraria; ita ut infirmitates, ignorantiæ, aliaque adeſſe poſſint ſalva juſtitia illa. Hic dicebat ipſe, nos convenire in pluribus. Conceſſi; ſed quæſivi tantum: ſi talis infuſio juſtitiæ in juſtificatione Euangelica fiat, utrumne habitus ille juſtitiæ differat ab habitu illo qui juſtitia legalis dicitur? Si ſic; qua ratione differat? Si non; quomodo habitus ille infuſus non tam impediat à malo omni, quam habitus juſtitiæ legalis? Reſpondit; habituum naturalium ſive acquiſitorum aliam eſſe rationem quam infuſorum:

Ep.367. rum: quia habitus infusi supernaturales insensibiliter sunt in voluntate; naturales sensibiliter. At regessi; sive sensibiliter, sive insensibiliter sint, eundem necesse est habeant effectum. Dixit: nullo modo; infusi non facilitant potentiam, sed dant: acquisiti facilitant. Ergo, dicebam, habitus infusus est ipsa potentia, sive principium agendi quo. Respondit; ita. Ergo, dixi, potentia ipsa juste faciendi nos justificat; contra textum, qui exercet justitiam, justus est. Sed tandem redii, & petii, ut mihi ex Scripturis ostenderet infusionem justitiæ per justificationem designari. Hic multis argumentabatur: justificatio est dilectio Dei: dilectio autem effusa dicitur in cordibus nostris: dilectio enim illa vel quoad actum diffusa est, vel quoad habitum. Neutro modo, dicebam; quia actio divina inepte dicitur diffundi per actum aut per habitum: dilectio enim illa notat ibi non dilectionem qua nos Deum diligimus, sed qua Deus nos diligit, uti ex textu apparet. Hic primo dicebat, dilectionem passivam notari, & textum satis inepte explicabat; postea pressius fatebatur de utraque agi, activa & passiva; & tandem dixit; non usque adeo longe nos dissidere: fateri se, fidem, spem, & charitatem prærequiri ante infusionem justitiæ, & necessarium esse actum divinæ mentis habentis aliquem pro filio; sed necessariam adhuc esse infusionem justitiæ asserebat; & prius ac posterius de fide esse. Ego dixi; prius fateri me, sed non posse videre infusionem talem denotari in Scripturis per justificationem: & quærebam, utrum hoc de fide esset? Hic iterum vacillabat. Sufficere existimabam, inhærentem justitiam necessariam esse ut justificemur; formalem tamen causam justificationis esse justitiam infusam, de fide non videri.

Hic multa de candore nostro, & spe colloquendi cum Episcopo injiciebat. Ego respondi; nos id agere, ut candorem nostrum probatum omnibus reddamus, & sperare nos de eo persuasos esse quotquot nobiscum versantur. Cæterum de colloquio aliquo instituendo apud Episcopum, rogare me, ut considerare vellet, utrumne hoc consultum videretur: nos enim in summam suspicionem veniemus si id innotescat, & bonæ causæ nostræ incommodabimus, fructuque quem speramus existiturum, carebimus. Si contingat nobis libertatem aliquam reddi in patria, non detrectaturos nos colloquium liberrimum, & id operam daturos, ut libertate ista fruantur ii, qui beneficium hoc nobis indulgent, ut hic vivere tuto liceat. Dicebat, scire se quantum interesset ne ista res dispaleseat; non curaturum se ut id facile aut vehementer urgeatur; sed tamen optare se, ut coram Episcopo de aliis agi possit, quæ magis fundamentalia sunt, de auctoritate Scripturæ, de judice controversiarum, de capite Ecclesiæ, de Sacrificio Missæ. Dixi ut ante. Concluſit, vehementer se gaudere, quod colloquium hujusmodi habitum esset; audivisse & observasse se multa; nec dubitare quin de multis erudiri possem propius, si ipsorum sententiam intelligere possem ex ore ipsius. Ep.367.

Colloquium cum D. WADDINGO habitum x Octobris extra urbem, præsentibus D. UYTENBOGARDO, & D. Syndico.

CIrca horam decimam venimus in locum destinatum: paulo post accesserunt D. Waddingus cum alio sibi adjuncto. In horto salutavimus invicem. Ibi primum de commoditate loci paulum actum, & de Joanne Euangelista: dicebat D. Waddingus, quod ille subinde in horto aliquo se exercuisset, teste Nicephoro: de ejus autoris ætate & autoritate interrogabat Syndicus: recentior esse dicebatur, & suspectæ nonnihil fidei. Ego dicebam, in eo reperiri narrationem miraculi illius; de duorum Episcoporum, mortuorum durante Synodo Nicæna, subscriptione post finem Synodi Nicænæ facta; quæ nusquam alibi extet. Dicebat Waddingus, se reperisse in Metaphraste. Ista occasione de Arrianis quædam dicebantur, quid credidissent, & ubinam adhuc essent, quidque jam crederent: de Athanasio, ejusque commoratione in uno puteo per novem annos; de ejus solertia contra Arrianos; de fraudibus contra eum institutis, &c. Deinde de Concilii Ariminensis autoritate; in eo deceptos fuisse Catholicos plerosque Arrianorum arte dicebat Waddingus, eo quod abstinendum à vocibus [illegible], Trinitatis, &c. & phrasin istam sufficere judicassent, Christum fuisse ante omnem creaturam: sed postea, re cognita, resipuisse. Ego dicebam, Augustinum tamen Concilii istius Ariminensis autoritate premi noluisse; quod signum esset, non fuisse ibi sententiam talem assertam, quæ reipsa vera erat. Dicebat Waddingus, asseruisse eo Concilio veram sententiam, sed non sufficientem; quod animadvertens postea Pontifex Romanus, id damnavit: quia tamen Arriani id pro se allegabant, noluit Augustinus eo premi. 2. Dixi inter Concilia reprobata à Bellarmino collocari. De persecutione Arrianorum similiter. Postea incidimus in colloquium de rebus Germaniæ, Bohemiæ, & de rebus ac Rege Angliæ, deque C. R. per occasionem autem agitabatur illa quæstio; anne valeret lex illa, qua decreverant Ordines Bohemiæ, ut successio regni maneret in domo Austriaca? an non rescindere possent Ordines ipsi, si conditiones illæ, quas antea stipulati erant Ordines, non servarentur? Dictum quod sic; sed ejus rei nullam probationem apparere; contrarium autem in hypothesi demonstratum in responso ad declarationem Palatini Principis.

Postea intravimus cœnaculum. Ibi post varia de cibo, potu, deque edendi modo quem

Ep.367. haberet R. A. de Rerumpubl. mutationibus, aliſque, injiciebat D. Syndicus & Waddingus: mutari quidem & everti funditus regna, & transferri imperia auguſtiſſima, ſed Eccleſiam ſemper conſpicuam floruiſſe, & continua ſucceſſione duraſſe. Hic tum ego dicebam, utrum non paſſim de Eccleſia Chriſti dicatur, quod ſit ſub cruce futura, afflictionibus premenda, &c. Hic Waddingus; ita quidem, ſed tamen non obſtante cruce in una orbis parte aliqua, ſemper floruiſſe & caput exeruiſſe in altera. Reſpondi; duraſſe quidem, ſed non neceſſum fuiſſe, ut ita omnibus conſpicua ratione ſemper floruerit: neque enim hoc neceſſum eſſe. Hic Waddingus replicabat; neceſſarium fuiſſe ut floruerit, quia alias ſciri non poſſet ubi fuerit. Reſpondi; non neceſſe eſſe ut ſciatur ubi floruerit, ſufficere ſi ſciam ſemper fuiſſe. At, inquiebat ille, hoc ſciri non poſſe, niſi ſciatur ubi fuerit. Hic dicebam ego, id ineptum eſſe; quia ſciri poſſet ex vi promiſſionis divinæ fuiſſe ſemper, etiamſi ego neſciam ubi Deus eam ſervaverit: neque hoc neceſſum eſt: ſufficit ſi ſciam nunc quid ſit neceſſarium ut ego ſim in Eccleſia: ſi id ego ſciam, & ita ſim in Eccleſia, jam ſcio conſequenter eam ſemper vi promiſſionis divinæ fuiſſe. Hic ille preſſius, dicebat, eum qui ſcit Eccleſiam aliquam ſemper duraſſe, probabilius ſcire eam eſſe veram Eccleſiam, quam qui hoc neſcit. Reſpondi; 1. probabilius nihil ſingulare aut neceſſarium dicit. 2. Quorſum hoc inquirere, ſi ſciam nunc qui ſint vera Eccleſia; duplex enim labor incumbet mihi probandi: 1. Eccleſiam illam in qua ſum eſſe Eccleſiam veram: 2. eandem ſemper duraſſe: quorſum hoc poſterius, ubi prius conſtat? & 2. cum id ipſum multis difficultatibus obnoxium ſit; 3. cum ex eo non certo colligatur Eccleſiam veram eſſe, etiamſi duraverit; etſi enim Eccleſia vera ſemper duraverit, tamen non reciproce valet conſequentia. Hic fatebatur ille, id verum eſſe. Quærebam ergo, quomodo nota eſſet? Dixit ille, notam eſſe hactenus, quia videlicet ubi illa non eſt, ibi non eſt vera Eccleſia. At dicebam ego. 1. Aliter ſemper judicaſſe Pontificios, ubi illa eſt, ibi eſſe veram Eccleſiam. 2. Nota id poſtulat, ut per eam deducaris in cognitionem rei ignotæ. Dixit ſe ita ſemper docere; & deinde alia debere adeſſe. Quænam? dixi. Sanctitatem reſpondit. Ego vero Sanctitatem negabam poſſe eſſe notam, quia interna & inviſibilis eſt. Ille vero, externam Sanctitatem legum & præceptorum intelligendam eſſe dixit. Tum ego dixi, illam cum hypocritis eſſe communem, & hæreticis, qui tamen Eccleſia vera non ſunt. Ille dixit, hæreticos nullos eſſe, qui non habeant præcepta & decreta, quæ non ſint Sancta. Reſpondi; falſum id eſſe; quia ei qui Scripturam ſolam pro norma habent, illi non poſſunt habere alia præcepta & decreta quam Sancta. Hic ille inquit; ergo veniamus ad punctum; utrum illi qui Scripturam Sacram tantum pro norma religionis habent, non plura credant & neceſſaria ſtatuant, quam quæ Scripturis continentur. Dixi id hic non quæri; ſed tamen poſt multas inſtantias urſit ille: Vos creditis Chriſtum non eſſe realiter in cœna: quod tamen non exſtat in Scriptura Sacra. Dixi illud non neceſſario credendum ſtatui, argumento hoc, quod Lutheranis ſocietatem & fraternitatem obtulerimus. Dicebat id ſe mirari, & placere ſibi illud. Dicebam rem non eſſe admiratione dignam, quippe notam eſſe, & poſſe illud ex fraternitatis illa cum Lutheranis præſentatione, & deinde Epiſtola Caſauboni nomine Regis Magnæ Britanniæ contra Perronem ſcripta, intelligi; ubi expreſſe affirmatur, ſufficere ut credatur corpus Chriſti præſens in cœna; quomodo vero ſit, non item. Hic ille rurſum dicebat, ſe eo nomine gaudere. Deinde dixit aliud. Vos dicitis neceſſarium eſſe ut credatur Romanum Pontificem non eſſe caput Eccleſiæ; & hoc tamen Scripturis non continetur, expreſſe vel in terminis. Reſpondi, aliam hujus rei rationem eſſe, non quod id expreſſe contineri debeat in terminis: nondum enim tum natus erat Pontifex Romanus: neque negativa omnia contineri debent; ſufficit ut affirmativa talis in Scripturis exſtet, quæ æquipolleat iſti. Hic ille: ergo per conſequentiam vos elicitis hoc eſſe neceſſarium; ergo Scriptura non continentur omnia neceſſaria. Reſpondi; æquipollentiam non eſſe conſequentiam proprie: æquipollere autem hæc; Chriſtus eſt caput Eccleſiæ ſuæ; Pater omne judicium dedit Filio; & nemo venit ad Patrem niſi per Chriſtum, id eſt, niſi per fidem pareat Chriſti præceptis: ergo Papa Romanus non eſt caput, niſi ipſe alleget Chriſti præceptum ex quo id appareat. Hic ille; proba mihi conſequentiam illam; nemo venit ad Patrem,

Hic alibi de doctis replicabat quædam, qui non deberent neſcire ubi Eccleſia vera ſemper fuiſſet. Dicebam id neceſſarium non eſſe; & adducebam exemplum Eliæ, qui exiſtimabat ſe ſolum eſſe, & tamen reſervata erant ſeptem millia. Hic ille reſpondebat, tum temporis Eccleſiam maxime floruiſſe Hieroſolymis ſub Joſaphato. Dixi ego, Eliam tamen neſciviſſe quod in Iſraële aliqui eſſent, ubi ille vivebat: & fuiſſe tum Eccleſiam ita floretem, incertum eſſe, cum diu Paſcha non fuiſſet celebratum. Celebratum, inquit, fuerat, ſed non ita ſolenniter uti tempore Joſaphati. Id dixi ego non conſtare certo. Quomodo? inquiebat; nam de illo dicitur, quod ambulaverit in viis Domini, & toto corde. Dixi ego id de multis regibus dici, qui tamen excelſa non tollebant, imo ne quidem maſcula ſcorta. Id ille negabat. Ego ad pœnam libri hic confugiebam; tum autem deerat. Ep.367.

Hic potuiſſem & debuiſſem negare hoc neceſſarium eſſe creditu; hac ratione evanuiſſet totum argumentum.

Ep.367. trem, nisi per me; ergo Papa Romanus non est caput Ecclesiæ: item; ergo Christus est solus caput. Dicebam ego id optima ratione ex eo probari; quia si Christus caput est, & non potest quis ad Patrem venire nisi per fidem in illud caput, neminem caput esse posse, nisi doceat se ab illo habere quod sit caput per quod adeundus sit Christus, & sic Pater. Atqui id nusquam exstat: ergo. Hic multa similia allegabat, & maxime illud: nemo potest ad regem venire, nisi per talem; ergo alius non est in regno qui caput est. Dixi, simile illud dissimile esse; & locum istum, *nisi per me*, necessario ita intelligendum esse, & idem esse quod per me solum; nisi doceat ille se habere hoc quod caput sit ab eo per quem salus obtinenda est. Itaque volebam eum ad partes probandi adducere, & urgere ut indicaret Pontificem à Christo designatum fuisse, aut præceptum accepisse, ut caput Ecclesiæ esset, à quo Ecclesia regenda, & per quem ad Christi præceptorum intelligentiam veniendum esset. Sed ille refragabatur: & hic hærebat res.

Interposito silentio aliquo, dixit ille; mirari se, cur patres nostri defecissent ab Ecclesia Romana, cum qua tam diu unum fuerant, & optare se intelligere rationes illas, quæ ipsos movissent. Dixi ego; habuisse illos rationes suas, & satis graves, etiamsi ipsi non defecerint primi à veritate, sed Romanenses. Ac proinde inquirendum esset primo, quinam veritatem ipsam pro se habeant; inde enim manifestum tum futurum qui defecerint, & tum apparituras causas justas defectionis. Hic ille volebat rursum urgere me, ut causas aliquas aperirem. Dixi ego, me id non lubenter facere, odiosum id esse, & importunum ut id à nobis exigatur. Sed cum videret me nonnihil tergiversari, voluit quasi premere hoc argumento: Nihil est in doctrina nostra quod sit contra verbum scriptum; ergo Ecclesia nostra est vera Ecclesia. Volui eludere hoc argumentum simili. Nihil est in nostra Ecclesia, quod sit contra verbum scriptum: ergo nostra est vera Ecclesia. Hic ille, non argumentandum esse, sed respondendum, dixit. Ego vero videbam quo ille vellet. Tandem interposita protestatione me non nisi adactum eo venturum, dixi, cum Syndicus de adoratione imaginum mentionem injecisset, & quod idololatriam committat Ecclesia Romana objici ipsi solere, idem & me credere. Tum dixit ille; cui loco id repugnat? Respondi: repugnat isti loco; *Qua consensio templo Dei cum simulachris?* &c. 2 *Corinth.* VI. 1 *Joan.* V. *Fugite ab idolis.* Hic ille dixit. Primo, Ecclesiam Romanam idola non colere; cum idola sint imagines repræsentantes falsum numen: imagines autem omnes non intelligi, inde constare, quod Deus in V. Test. cum prohibet ne ullæ imagines fiant, ipse tamen imagines Cherubinorum & Arcam fieri postea jusserit. Ego respondi: primo verum non esse, quod idolum semper significet imaginem falsum numen repræsentantem; sed etiam non raro significare imaginem verum numen repræsentantem; quod postea probaturus eram. Hic dicebat; significare imaginem vel falsum numen repræsentantem, vel falso modo. Dixi ego, id novitium esse, & commentum nulla ratione nixum, tantum ad evadendum vim argumenti excogitatum; de quo postea. Sed ad rationem allegatam quod attineret, dixi; ad rem non facere quod Deus ipse jusserit Cherubinos formari in templo; quippe cum Deus nobis prohibet ne faciamus sculptilia, sibi ipsi ea ratione legem non ponit: quod ex eo apparere ostendi; quia cum vetuisset non occidere, Abrahamo tamen mandavit ut filium innocentem occideret: neque enim sibi ipsi legem posuerat de non occidendo: similia alia multa sunt. Hic ille dicebat; utrum igitur imagines facere res per se mala esset, an tantum, quia prohibita esset? Dixi id ad rem non facere, & diu hic hæsimus sine necessitate. Tandem dixi, dato, sed non concesso, non esse malam rem per se, sed tantum quia prohibita est. Dixit ipse; legem illam, de non faciendis simulachris gentilium non fuisse perpetuam, & cessasse cum veteri lege, ac proinde non reperiri eam in nova lege. Dixi ego; ergone lex moralis non est perpetua? Respondit; legem moralem esse perpetuam de non faciendis simulachris ut ea adores. At dixi ego; lex nulla alia reperitur de simulachris non faciendis, quam hujusmodi lex: doceatur ubi ceremonialis talis lex exstet. Deinde addebam, cessasse ejusmodi legem sub nova lege; falsum est, quia expresse Apostolus ait, 2 *Corinth.* VI. *qua consensio templo cum simulachris?* & 1 *Joan.* V. *fugite ab idolis.* Hic ille dixit iterum, agi de gentilium simulachris. Dixi, Scripturam generatim loqui, & respicere quidem ad idola gentilium, quia idola alia non erant in templis aut cœtibus Christianorum; sed voce generali usam Scripturam: unde omnia simpliciter vetari probabile esset; prout etiam à Judæis id intellectum ita fuisse in lege, inde constare dicebam, quod nulla unquam simulachra à Judæis formata legantur, & eo nomine vehementissime offendantur à Christianis, quod in templis ipsorum imagines videant. Hic ille rursum de idolis gentilium replicare, quibus falsum numen repræsentabatur; ea autem tantum damnari. Tum dixi; verum non esse, quod & antea monueram, idola tantum significare illas imagines quæ falsum numen repræsentabant, idque me probaturum hac ratione dixi: quia vitulus aureus, *Exod.* XXXII. quem faciebat Aaron in deserto, verum Deum repræsentabat, & tamen expresse appellatur idolum, *Act.* VII. Secundo, quia vituli Jeroboami instituti erant ad cultum veri Dei, & veri idololatræ tamen fuerunt Israëlitæ. Tertio, quia sculptile quod Ep.367.

Michâ

Ep.367. Micha fecerat repræſentabat verum numen, & ad cultum illius formatum erat, *Judic.* XVII. & tamen idolum appellatur in verſione Vulgata, ſi bene memini. Hic ille regerebat: vitulum illum Aaronis, & vitulos Jeroboami, & ſculptile Michæ, falſo modo repræſentaſſe Deum. Hic ego dicebam; nimium hoc eſſe quæſitum effugium, & commentum antehac inauditum. Idem dicebat D. Uytenbogardus, ſibi id novum prorſus videri. Secundo dicebat, vitulos illos repræſentaſſe falſum Deum Ægyptiorum, qui ibi Serapionem ſub forma bovis aut vituli coluiſſent. Hic ego dicebam; Contrarium ex verbis Aaronis liquere; cum inquit; *Cras erit ſolemnitas Jehovæ*; & ex eo quod dicerent; *hi ſunt dii tui, qui eduxerunt te ex Ægypto*; aut uti Michæas habet; *hic eſt Deus tuus*: at eductio facta fuerat ſub nomine Jehovæ. Idem patere dicebam in Jeroboami vitulis, &c. Hic ille de Jeroboami vitulis nonnulla fuſe & verboſe dicere quid repræſentaſſent & ſignificaſſent, ſed ſine certo fundamento; & tandem recidebat in idem, ut diceret, populum illum credidiſſe & judicaſſe vitulos illos eſſe Deos illos quos in Ægypto colebant Ægyptii, quoſque pro Deis ſuis habebant. Hic dixi, ineptum illud eſſe; cum de Jeroboami tempore expreſſe dicatur, quod *Jehovam coluerit in vitulis*. Secundo, cum Ægyptios eos pro Diis ſuis habuiſſe nullo modo ſit veriſimile; conſtat enim propterea vitulos ab illis cultos fuiſſe, quod Anubis, vel Amaſis, primus ipſorum rex, agriculturæ inventor fuiſſet, ac proinde quod eo ſigno ejus memoriam colere voluerint. Hic excipiebat, & dicebat Waddingus, non quidem illos habuiſſe ſaxa & lapides illos pro Diis ſuis, ſed credidiſſe tamen illis virtutem aliquam divinam affuſam eſſe. Dicebam id gratis dici. Ille vero id ex libro Sapientiæ conſtare aſſerebat, ubi id expreſſe legitur. Dicebam nos non eſſe urgendos libris apocryphis. Deinde quærebam: an non eadem ratione crederent Pontificii imaginibus quibuſdam certam divinam vim adeſſe, per quam miranda opera Deus faceret? Ita, inquiebat; ſed non dicimus eis affundi vim, quæ cum iis hypoſtatica unione uniatur, uti cum natura humana (exempli gratia) divina perſona. Regeſſi: nullo vel veriſimili fundamento niti quod id gentiles crediderint; unde enim id liquet? Et quod de unione naturæ humanæ cum divina allegatur, ad rem non facere; cum illi, ex ſententia Theologorum, non fuerit vis affuſa, ſed divina perſonalitas communicata, per quam una perſona facta ſint. At eos credidiſſe, virtutem illis affuſam fuiſſe, quæ virtus perſonam cum lapidibus fecerit, quid habet veriſimile? Sequetur itaque, cum virtus illa, nunc huic, nunc illi imagini variis in locis affuſa fuerit, totidem perſonas veras, vel ex. gr. Joves factos fuiſſe. Hic conſiſtebatur; & id mirum eis non videbatur: ſed abſurdum id ſibi videri ut quam maxime fatebatur D. Uytenbogardus: credebat tamen Syndicus, & ipſe. Ep.367.

Silentio facto, cœpit ille narrare, adfuiſſe ſibi aliquando Scotum quendam miniſtrum, & cum de invocatione Sanctorum mortuorum mentio incidiſſet, dixiſſe Scotum illum; illam inepte fieri, cum neſciant Sancti mortui, imo nec ſcire queant quid agant vivi. Ego vero dixi, inquiebat, non tantum ſcire illos poſſe quid agant, ſed naturali ratione capi poſſe quomodo id ſciant: primo, quia vident Deum, id eſt, eſſentiam divinam, & in ea, veluti in ſpeculo, relucentes ſpecies earum rerum quæ ad ipſos pertinent, etiamſi ſint ſecretiſſimæ; Deus enim eas revelat per eſſentiam quam vident, & in qua relucent. Secundo, quia cum Angeli ſe mutuo videant, & intueantur conceptus ſuos & cogitationes viciſſim alter alterius, quæ ratio cur animæ etiam ſeparatæ videre nequeant conceptus amicorum ſuorum. Diſtantia non obſtat; quia non impediuntur animæ ab organo materiali, uti cum in corpore adhuc ſunt, & ſpecies rerum omnium reluceant in cœlo, ut Angeli eas videre queant: neque obſtare, quod Deus dicatur καρδιογνώστης (*cordium inſpector*) ſolus, quia Deus ipſe talis eſt, & revelare poteſt alteri quantum vult, aut poteſtatem videndi dare cui vult. Hujuſmodi quædam alia addebat in eandem ſententiam. Dixi ego tandem, iſta quidem dici, ſed non eſſe certum, quod videre Deum ſit videre eſſentiam divinam. Hic ille quæſivit, anne & hoc apud nos etiam controverteretur: olim fuiſſe hæreticos judicatos qui id negarent. Dixi ego, & fuiſſe hæreticos judicatos qui crederent eſſentiam Dei videri: luſum tantum eſſe in voce videndi: non poſſe me capere quomodo aliter videre poſſit anima, quam intelligendo, cum in anima ſeparata aliud nihil ſit quam intellectus & voluntas: Angelorum aliam eſſe rationem, quippe qui ὑφιστάμενα ſint, & ſubſiſtentia per ſe individua: animæ autem tantum partes ſuppoſiti, quod mortuum eſt. Hic ille primo quid per viſionem intelligeret exponebat, non tantum intellectionem, ſed intuitionem. Secundo animarum & Angelorum eandem eſſe rationem. Id ego dixi non ita conſtare, neque ratione certa niti: deinde, videre Deum eſſe videre eſſentiam Dei, non poſſe probari, cum ego videam etiam te, inquiebam, & tamen eſſentiam tuam non videam, ſed tantum colorem, ſive qualitatem eſſentiæ ſuperadditam. At, inquiebat, videbimus Deum ſicuti eſt. Bene, inquiebam; quia videbimus eum in gloria & majeſtate: & ego video te ſicuti es. Non vides me, inquiebat, ſicut ſum. Quid itaque eſt videre aliquem, inquiebam, ſicut eſt? Id eſt, inquiebat, videre eſſentiam ejus. At vero, id quæritur, dicebam. Itaque hic hæſimus & ſubſtitimus. Obiter inciderat etiam locus ex *Apoc.* VIII. ubi Sanctorum preces offerri dicuntur per Angelum. Reſpondi, locum illum nihil habere

ex

Ep.367. ex quo certi aliquid colligit poſſit, & librum totum eſſe Propheticum, & in viſionibus enarrandis occupatum: ex illo argumenta ſolida depromi non poſſe. Hic Syndicus interfabatur, & dicebat librum illum à Calvino damnari, ſed ſine cauſa.

Cum paululum ſilentii ortum eſſet, dicebat Syndicus; Video omnia diſputari poſſe, & rationibus hinc inde in controverſiam vocari; ſed me afficit perpetuus ille conſenſus quo imagines cultæ & ſancti mortui invocati ſunt: quod confirmabat Waddingus, & dicebat ita rem ſe habere, jam ante mille ducentos annos decreta facta fuiſſe in Conciliis, nempe in Chalcedonenſi hoc reperies inter acclamationes; Sanctus Flamanus oret pro nobis. Non vero, inquiebat D. Uytenbogardus, ora pro nobis. Non, inquiebat, ſed Ἐξέλθω (*oret*) in Græco eſt; quod tamen idem eſſe cum ora pro nobis, ajebat.

Ad controverſias quod attinet; Verum eſſe dicebat, illas ſemper eſſe in Eccleſia, ac neceſſarium proinde eſſe, ne ſint æternæ, ut earum deciſio fiat per judicem infallibilem, id eſt, per ipſam Eccleſiam. Dicebam ego, per ipſum Pontificem: nam Eccleſia nihil decidit, nec eſt judex controverſiarum, ſed Papa, juxta vos. Papa, inquiebat, cum Concilio. Imo, inquiebam ego, Papa etiam contra Concilium, & ſupra illud, uti contra Sorbonenſes vos aſſentis. Sed inquiebam ego, quæ neceſſitas definiendi lites? unde conſtat Deum voluiſſe ut deciderentur? Ex ratione, inquiebat; quia alias cujuſque ſpiritus privatus decideret illas, & ſic infinitis ſectis janua lata panderetur. Dixi ego id evitari non poſſe, ſi libertas ſua cuique inquirendi & judicandi de aliis ſarta tecta conſervanda ſit; quam Deus ſumme commendat. Hoc illi valde videbatur ineptum: ſic enim deterius ſe haberent res in Eccleſia Jeſu Chriſti, quam in Politia. Dicebam ego, primo ubi libertas conſcientiarum eſt, ibi non poſſe aliter fieri: in foro politico aliam eſſe rationem, quia de conſcientia ibi non agatur. Secundo, ſi id non obtineat, fruſtraneos aut ſupervacaneos eſſe labores ac molеſtias omnes quæ impenduntur in inveſtigandis ſenſibus Scripturarum. Secundo inutiles & non neceſſarias preces ad Deum pro ſenſuum verorum intelligentia conſequenda: cum recta iri poſſit ad caput illud & judicem controverſiarum, & illi deciſio relinqui, aut ab illo deciſio peti. Reſpondebat: Pontificem debere media illa uſurpare, quæ neceſſaria ſunt, antequam decidat & judicet. At dixi ego; quorſum ambages, cum recta iri poſſit? nulla neceſſitas mediorum, cum infallibile ſit judicium illius, & Spiritus Sanctus perpetuo illi aſſiſtat in judicando, ita ut errare nunquam poſſit. Dixit ille; debere primum audire judicia in Conciliis. At, quærebam ego, qua neceſſitate? cum ſucceſſerit in locum Petri, & poteſtatem judicandi plenariam acceperit juxta vos: Petrus autem non tenebatur audire aliorum judicia. Hic ille, diſcrimen eſſe inter Pontificem & Petrum, dicebat, non unum. Sed dicebam ego, gratis iſta dici, & ſine neceſſitate; cum, ſi ſucceſſor Petri ſit, & iſtam poteſtatem habeat judicandi, audire alios non ſit neceſſe. Ego vero, inquiebat Waddingus, hoc ita certo teneo, ut ſi Pontifex quicquam ſtatueret non auditis ante aliorum ſuffragiis ac judiciis, non teneremur illi ſubeſſe, aut parere decreto illius. Dicebam ego, eſt ſententia tua, quam dubito utrum Papa probaturus eſſet: hoc enim non eſt tuum ſtatuere, neque Concilii, neque cujuſquam; cum Papæ competat ſoli deciſivum & peremptorium, etiam de iſta re, judicium. Hic ille fuſe & late digrediebatur in deprædicanda Papalis autoritatis continua ſucceſſione, juxta Conciliorum omnium decreta, quæ in Concilio Nicæno, Chalcedonenſi, Carthaginenſi, aliiſque videre eſt: ea ſe omnia diligenter penſitaſſe dicebat & examinaſſe. Ego vero dicebam obiter, vidiſſe me tamen non paucos, qui aſſererent, primatum illum Epiſcopo Romano ſupra alios Epiſcopos non competiiſſe circa tempora Concilii Nicæni: accuſatum fuiſſe Epiſcopum Romanum, quod falſaſſet acta Concilii Nicæni, cum primatum ſibi datum in eo aſſereret, & tranſmarinas appellationes conceſſiſſet: damnatas fuiſſe appellationes tranſmarinas: & exſtare decretum alicujus Concilii, in quo Epiſcopus Romanus primus Epiſcopus propterea habendus dicitur, quod eſſet Epiſcopus primæ ſedis, quia Epiſcopus urbis Romæ, in quam tranſlatum eſſet imperium, ſicut antea Epiſcopus Conſtantinopolitanus primus Epiſcopus fuiſſet, quamdiu ibidem imperium vigeret, & urbs imperii appellaretur. Hic ille; ſi mihi id probaveris; ego veſter fiam. Dicebam ego, me habere ejuſmodi decretum in ſcriptis meis, ſed non contuliſſe cum ipſo Concilio unde depromptum erat. Semper, inquiebat, ſemper Epiſcopus Romanus primus fuit Epiſcopus, quod exemplis quibuſdam adſtruebat, quæ mirifice placere Syndico videbantur. Dicebam ego, contentionem tamen non levem fuiſſe inter Epiſcopos ea de re, & ſi per ſucceſſionem id obtinere debeat, eodem jure id ſibi arrogaturum & arrogare Conſtantinopolitanum, qui à Jacobo Apoſtolo ſucceſſionem ſuam continuam derivat. Non poteſt, inquiebat ille. At idem de vobis ille dicit, inquiebam. Sed quicquid ea de re ſit, neceſſum eſt, ut ſi ille primus Epiſcopus ſit & judex infallibilis, etiam quæſtionem illam, quis ſit judex infallibilis, tum decidat: itaque ſi quæratur à Chriſtianis, ut nunc quæritur; utrum Romanus Pontifex ſit judex; ipſe dicet, ita, ego ſum: & hoc erit peremptorium judicium. Imo vero, inquiebat, ipſe jubebit expendere omnia Con-

Ep.369. cilia, & perpetuam ſucceſſionem, quomodo ſe res habuerit à principio; & cum apparebit ita ſe rem habuiſſe ſemper, decidet pro ſe ipſo ſummo jure. Sed quid ſi hæreat res, uti hæret inter partes, quis decidet? ipſe? quis non videt id abſurdum eſſe, imprimis, cum vos dicatis Scripturam ideo non poſſe eſſe judicem, quia de ſeipſa teſtari deberet, & ſui ipſius judex eſſet? Hic dixit D. Uytenbogardus, cum autoritas judicandi infallibilis Pontifici tribuitur, neceſſario tandem eo recidendum eſſe, ut dicatur Pontificem in ſua ipſius cauſa judicem eſſe debere: ſed inquirendum eſſe; anne autoritas talis Pontifici uſpiam in Scripturis tribuatur, & nominatim in loco illo pervulgato, *tues Petrus*; ſed fortaſſe, quia tempus jam effluxerat, alio tempore id examinari poſſe. Cum vero Waddingus diceret, & ego, verum id eſſe, quia iſte locus palmarius eſſet, & temporis adhuc aliquid ſupereſſet, poſſe jam aliquid de loco iſto inchoari, inquiſivimus adhuc paulum. Tum Waddingus dicebat; iſto in loco manifeſte tribui Petro poteſtatem judicandi, & conſequenter ſucceſſoribus. Dicebam ego, primo non probaturum ipſum ex loco iſto, Petro tribui poteſtatem proprie dictam aliquam ſupra alios. (Hic ego utebar imprudenter voce conferri, quod ægre ille ferebat, promitti dicebat.) Secundo & eam, ſi qua tribuitur, Petro ſoli tribui, multo minus ſucceſſoribus ſi qui fuerunt. Hic ille ſe omnia iſta probaturum dicebat. Ac primo poteſtatem promitti Petro aſſerebat, quia fundamentum dicitur futuræ Eccleſiæ, œconomus, & judex. At ego negabam conſequentiam; primo quia dicitur fundamentum futurus, ergo poteſtas tribuitur. Hic ille ex fundamenti voce argumentari volebat. Dicebam ego, Theologiam metaphoricam non eſſe argumentativam; vertendam itaque phraſin in propriam. Dicebat ille; ſicut fundamentum ſuſtentat domum, & poteſtatem aliquam ſuſtentandi & fulciendi habet, ita Petrus fundamentum erat futurus Eccleſiæ. At ego dicebam; primo id metaphoram non habere neceſſario, quia metaphora in hoc eſſe poterat, ut ſicut fundamentum primum eſt cui ſuperſtruitur domus, ita Petrus primus doctor futurus eſt, per cujus doctrinam deinde alii homines ad Chriſtum adducendi, & ſic ædificandi ſunt, veluti vivi lapides, ut fiant domus Dei ſpiritualis. Secundo eſto etiam, metaphora ita intelligenda ſit, quemadmodum tu dicis, tamen nihil concluditur: quod probabam hoc argumento; quia non promittitur Petro jus aut poteſtas in Eccleſiam jam ædificatam, ſed Eccleſiæ ædificatio ſuper illo, ut doctore, promittitur, ſive ſuper doctrina ipſius: aliud autem eſt ædificare Eccleſiam, ut Eccleſia fiat; aliud, regere aut poteſtatem habere in Eccleſia quæ jam ædificata eſt. Ex ipſa voce ædificandi dicebam id conſtare manifeſte: ædificat enim Deus ſuper doctrina Petri homines, ut fideles fiant, non autem cum jam fideles ſunt: non enim ædificatur domus facta, ſed ut fiat: ita ſuper doctrina Apoſtolorum & Prophetarum dicuntur fundati Epheſii, id eſt, per eam fideles effecti, ſive effecti ut ei crederent. Hic aliquamdiu hæſimus: ita duodecim Apoſtoli fundamenta dicuntur duodecim, *Apoc.* XXII. Ad hoc ille replicabat & dicebat, ex Apocalypſi non debes argumentari, quia dixiſti ante, illum librum eſſe Propheticum, &c. Ego vero non argumentabar ex eo, ſed tantum indicabam id in eo clare dici. Deinde dixit, Petro tribui, quod ſit œconomus futurus & diſpenſator bonorum omnium ſpiritualium. Concedo, dicebam: at inde nulla proprie dicta poteſtas ſuper alios, aut in Eccleſiam ipſam, ipſi promiſſa arguitur: non enim qui claves habet & œconomus eſt, poteſtatem ſtatim habet. At inquiebat ille, qui cum poteſtate diſpenſat. At vero inquiebam ego, hoc eſt illud de quo quæritur. Tandem dixit, videamus tertium: quod poteſtas judicandi illi promittatur, apparet ex eo, quia ligandi & ſolvendi, remittendi & abſolvendi poteſtas ipſi promittitur. At ego negabam conſequentiam: quia ligare & ſolvere non erant ſemper actus poteſtatis, ſed aliquando miniſterii: lictor ligat & ſolvit; & princeps ſive dominus ligat. Confirmabam autem hoc argumento: quia ſi ſolvere & remittere cum poteſtate fieret, tum dicendum eſſet, Petro datam fuiſſe poteſtatem proprie dictam non infligendi pœnas æternas & infinitas peccatis debitas: remittere enim eſt, non infligere pœnam: culpa enim & pœna relata ſunt: ac proinde Petro etiam datam fuiſſe poteſtatem ligandi, ſive non remittendi, id eſt, infligendi pœnas æternas: quod abſurdum eſt. Hic Waddingus dicebat, nos principia alia habere, quam quæ hactenus uſurpata fuiſſent: & negabat, remittere culpam, eſſe, non infligere pœnam: Legatum ſæpe aut prætorem remittere culpam, quando reum dimittit nomine Regis aut Magiſtratus ſui. Atqui dicebam ego, ſi illi legato aut prætori data non eſt poteſtas infligendi pœnam, non poteſt proprie dici remittere, ſed tantum declarare & facto ipſo oſtendere Magiſtratum non velle pœnas ſumere de illo quem ligatum tenet. Hic diu hæſitatum eſt, & propter ingruentem & cadentem veſperam finis impoſitus colloquio. Ep.369.

CCCLXX.

Digitized by Google

CCCLXVIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Epiſtolica Privata.

QUod reſponſum ad tuas meum tam diu exſpectaveris, Vir Clariſſime, miror & doleo; ſcripſi enim ad Tuam Reverentiam 21 Decembris anni elapſi, meaſque D. Poppio curandas dedi, qui & probe curatas affirmavit: nec dubitat quin poſt exaratas tuas poſtremas eas receperis. Illis vero quia pleriſque hiſce tuis contentis ſatisfactum puto, eadem hic repetere ſupervacaneum credo. Partem reſponſi tui ad Orationem D. Parei recte accepi, nondum tamen à me nedum ab aliis fratribus perlectam: quod dum fiet, reliqua folia præſtolabimur. An hic excudi poterit nondum conſtat: nihil enim hic excudere licet, niſi conſentientibus prævia viſitatione & approbatione Centoribus Eccleſiaſticis, quibus nihil offendendum, niſi primum nobis ipſis conſtet, nihil in eo deprehenſum iri quod illos merito queat offendere. Ne vero mireris, quæſo, nondum à nobis perlectum laborem iſtum tuum; tantum enim nobis otii non fuit à negotiis, patriis Eccleſiis neceſſario, & quidem magna cum cura, impendendis quotidie. Fiet tamen, Deo volente, propediem: ſimul tum de deſcriptione, ſtyli mutatione (quam tamen ego non admodum neceſſariam putem) & præfatione ſerio cogitaturi. Quod editionem reſponſi ad Synodi ſententiam differendam putes, non miror: juvaret tamen id vidiſſe, quod tuto fieri potuit, & poteſt etiam nunc. De commoratione hic tua nuper ſcripſi, & in eodem etiamnum perſto. Et meus, forte etiam aliorum animus jam dudum Stadam propendit: duo tamen obſtitere, noſtratium Eccleſiarum mihi cum aliis commiſſa cura, & ſecuritas eo loci dubia, propter fœdus cum Ordinibus Generalibus, & virium ad tuendum ſuæ tutelæ commiſſos imbecillitatem. Adde, quod qui allicere nos eo ſtudent, id non faciunt niſi hac imprimis conditione, ut eo aliquot centenæ familiæ, etiam ex opulentioribus, traducantur: quod tentare Societati noſtræ hactenus conſultum non fuit. Si patriam deſerere noſtris decretum eſſet, ultro aliæ ſuſcipiendæ forent cogitationes, alia ineunda conſilia: nondum tamen viſum rebus ſic ſtantibus noſtros eo propellere. De Neapoli quam Rex Daniæ moliri dicitur, aliquid etiam nobis innotuit: eſtque jam illis in regionibus qui iſtius Regis animum tentare decrevit: noſtro autem nomine aperte quid agere hactenus minime conſultum putamus. Ad Tuam autem Reverentiam quod attinet, quandoquidem (ut ais) tibi propoſitum eſt vere proximo Stadam proficiſci, ulteriori deliberationi vix concedatur locus: amplius tamen cogitandum puto. Optem quidem (quod & nuper ſcripſi) me comitari poſſe; ſed remoras video, quæ niſi prius tollantur vix illud poſſibile puto. Ad reliqua quæ addis de comite fido T. R. curando, deque te eidem à nobis commendando, denique de avellendis hinc aliquot fratribus, aliiſque hic relinquendis, non video quid à me reſponderi queat. Negotium ſiquidem illud admodum grave eſt, totamque Societatem concernit, cujus judicia ſuper hac re audire jam non licet: neque ea ſunt ejuſmodi, de quibus tuto & commode per epiſtolam differere licet: unius horæ colloquium plus hic valebit quam ſpiſſa chartarum volumina. Cogita an ſoluta glacie commoditas dabitur huc excurrendi; quod ſane optem. De Confeſſione nuper ſcripſi, eaque res eodem adhuc loco eſt; niſi hoc excipias, eſſe hic ex fratribus haud paucos, qui optent à te aliquid concinnandum, quod fratribus dijudicandum proponatur. Ego in ea ſum & ſemper fui ſententia, nullibi ſubſiſtere nos poſſe, niſi Confeſſione prævia. Quod de Theologis Lutheranis ſcribis, conflictum eſt. Æſtate quidem præterita unus aut alter, ex iis qui cœtus ſuos alicubi in hiſce Provinciis agunt, clam nobis adfuit, & blande ſalutavit obiter: ſed ii exiguæ vel nullius apud ſuos erant authoritatis, neque illorum ſermones adeo magni faciendi. De actis intellexit nuper R. T. quid rei ſit. Si per valetudinem & alia liceret T. R. nos inviſere, id vero præſtaret: ſic enim liquido expenſis utrimque rationibus in medium conſulere commodius poſſemus: prævideo enim ſedes tandem transferendas; intenditur enim perſecutio magis ac magis. In carcerem jam conjectus Stochius, una cum aliis quibuſdam Leidæ. In inſulam Goeream relegatus Milius. Metuo ne alicunde reſciſcant adverſarii de collectarum ratione; quod ſi fiat, etiam amiciſſimi vix quicquam conferre audebunt. Sic diſſolvetur Societas; quo facto nec certo ordine poterunt (ut hactenus) conſervari Eccleſiæ, nec extraneis, puto Stadenſibus, admodum erimus grati. Commercia iſti, non nobis vel cauſæ ſtudent; itaque niſi frequenti numero eo advolaverimus, vix ulla libertas, nedum ſcholarum, typographiæ, &c. concedetur. Putas ne vero nido avellendos multos in Hollandia? Vix puto, niſi extrema tyrannis eos expulerit: à qua tamen incolas minime tutos putem. Nam dubio procul via ad principatum, & quidem abſolutum, ſi quid video, ſternitur. Privata tua non bono loco eſſe, ex pauciſſimis tuis animadverto, & doleo. Mea etiam non ſunt meliora. Videntur jam ſub haſta, quod ajunt, omnia mea vendenda: quod quamquam ſine ſumma injuria uxoris & manifeſta injuſtitia nequeat, idque identidem Proceribus variis libellis ſupplicibus indicatum ſit ab illa, ne hilum tamen proficit; ad veterem in me iram & hoc accedente, quod me jam habent pro eo, qui una

Ep. 368.

Digitized by Google

Ep.369. cum duobus aliis totum Belgium commoveam, ministrorum huc illuc missione. Interea producitur negotium, & lento consumimur igne, uxor & ego. Nolui tamen hactenus quicquam ex publico; ut nec quidam alii fratres. Quod si necessitate adactus jure tuo uti velis, libere id mihi indica; ratio tui quæ par est habebitur. Quid videtur de itinere Dantiscano? Ego sane ab eo non abhorreo, si tuto itinere eo pervenire, ibique secure degere liceret. Latoris frater commendatus quidem nobis est; verum absentibus quibusdam, quibus inconsultis nihil decerni à nobis potest, distulimus ad illorum reditum. Interea bono animo sit, & de meo affectu nihil dubitet, si modo pietati serio (quod speramus) studeat. Ad subsidium proni sumus, si adesset sine quo id effici nequit, quem exspectamus propediem. De induciis nihil certi statui potest: neque puto quid de iis decernendum, nisi forte sub autumnum; interea visuri utrimque, quorsum evadent res Germanicæ, in quas ingens utrimque apparatus. Recusatas autem inducias non credo, quia nondum rogatas scio. Notas in Anatomen admodum videre desidero. Est qui hoc agit, hisceque animadversionibus juvari poterit. Horrenda videtur instare per totam Europam rerum conversio: interea nos Dominum Jesum Salvatorem à cælo exspectemus in redemptionem nostram: quod utinam cito fiat! ego sane id maxime optem, si salutare sit libenter tristissimum hoc exilium, senili ætate gravissimum, cum æterna & beata illa quiete commutaturus. Hæc paucula ad tuas habe, Vir Clarissime, & Vale in Domino Jesu, cui R. T. ex animo commendat

Animo & affectu tuissimus

20 Januar. 1620. J. W

CCCLXIX.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

De statu Ecclesiarum Remonstr.

REverende & Clarissime Vir, Quæ missti accepi, litteras 3. & 6. præterii, & 6. hujus mensis, cum scriptis prioribus & postremis. Respondebo breviter ad ea quæ responsum exigere videntur. Nullum scriptorum tuorum hic edi potest. Quicquid hic impressum Belgice, id factum unius solius sumtibus, cui & lucrum cedit & damnum. Hic vero scriptorum tuorum aleam subire recusat, partim quia Belgicis tantum se immiscere voluit, partim quod non eam latine quam belgice habet imprimendi commoditatem. Scripta vero Synodica Latina quæ sub prælo sunt, excuduntur non totius Societatis impensis (non fert illas bursa communis, perquam tenuis, alendis non omnibus (sunt enim, ut ego & alii, qui ne teruncium quidem ex eâ vel acceperunt, vel accipere cupiunt) at aliquibus Ep.369 fratribus) sed privatis quorundam fratrum impensis, non sine verisimili & insigni jactura, quam tamen ob piam causam communem subire parati sunt: ut autem eidem aleæ se exponant in excudendis alterius scriptis, non videntur adducendi. Sunt & impedimenta alia plura, quæ hic attingere non est necesse. Si igitur T. R. id operam dare potest, ut Francofurti vel alibi excudantur, id quidem omnino suademus: simul etiam curandum T. R. erit, ut per alios catalogo inserantur; nondum enim nobis modus constat & ratio communia ista nostra catalogo inferendi. Tantum de scriptis; cui addo, magis placere fratribus, ut breve scriptum apologeticum ad exegeses & explicationes tuas frequentes relativum edas, quam si theses postremo missæ excudantur. Ut hinc aliqui migrent in Boreales partes, Ecclesiam & Scholam illic constituendi gratia, adeo nondum consultum videtur fratribus, ut contra putent, non parum esse Ecclesiis noxiam istius migrationis tam frequentem mentionem, maxime si à Doctoribus & Pastoribus oriatur. Non putant Ecclesias à nobis, sed potius nos ab Ecclesiis, si migrandi stat sententia, excitandos, variis de causis, quas vix fert epistola, quasque tecum ore communicare maluissemus, si R. T. præsentem videre licuisset. Jam vero, quia, cum propter sumtus, tum ob pericula, non videtur ejus animi esse T. R. nisi primum de itinere certo arripiendo te securum reddidero, hic subsisto. Rembertus Episcopius nihildum certi de sua vel mansione, vel migratione constituit, vel constituere potuit. Me quum privata quum publica negotia detinent, quominus certi quid hac de re decernere liceat. Utinam detur nobis tuas, tibi nostras, forte invicem adversas, ratione audire. Dispersæ sunt variis in locis tum Ecclesiæ, tum Ecclesiarum pastores, sine quorum tamen suffragio in re tanti momenti, hoc præsertim tempore, tentare, & velut animi fracti & fugæ signum dare, è Christi causa futurum minime videtur. Quid T. R. de Dania, Holsatia, Suecia, Stada, vel etiam Gallia habeat, nescimus, nos nihil habemus. Ante semestre variis ex locis aditum nobis patere perscribebatur: nunc vero altum ubique ea de re silentium. Nec videmus quomodo legationem illam publicam Ecclesiarum, vel eorum qui in iis sunt, nomine, adornemus. Rogatam autem T. R. volumus, ne cui de re tam dubia multo injecto sermone salivam moveat, ne inde oriatur inconcinna, & valde damnosa causæ, membrorum dispersio. Nondum restitimus usque ad sanguinem. Nec quid gratius accidere queat adversariis, quam si de migratione nos cogitare serio videant; quam etiam impedituri sunt, si innotuerit ante, & numerosam fore viderint. Facile eandem dissimulaturi, si tantum pauci, & quidem pauperes, solum vertere soli

ve-

Ep.369. velint: ſic enim nos non diu ſubſtituros facile augurabuntur. Si autem fugæ initium fiat ab ipſis Eccleſiis, illæque nos urſerint, tum alia ineunda ratio erit. In omnem eventum haud facile quis nobis Eccleſiam, ſcholam, & typographiam concedet, ut nos quidem credimus. Multas & varias R. T. proponit ſuper hac re circumſtantias, quas attingere non eſt neceſſe: fundamento enim nondum jacto de ipſa re, fruſtra nos iis expendendis fatigamus. Nihil eſt quod me tantopere angat, quam quod Confeſſionem putem vel tandem neceſſario edendam: nec tamen quæ omnibus placeat concinnari poſſe videam. Commodum tamen, & velim ſane ego huic rei totum ſe det T. R. Non unius, ſed multorum annorum hæc mea cura eſt: & utinam conſiliis meis (neſcio an ſatis ſanis) accedere voluiſſent illi, qui remoram huic rei admodum, meo judicio, perniciosam, injecerunt hactenus. De curis tuis domeſticis heri actum, & judicant fratres omnes, etiam tui merito habendam rationem. De ſumma tamen nihil adhuc concluſum. Fiet propediem, quamquam anguſtæ & arctæ res ſint admodum. Ne deſpera, ſed forti animo Deo fide, ſuos nunquam deſerturo. Latina quatenus hic impreſſa ſunt ſcripta mittendi tibi ratio non conſtat. De D. Wittio rumor falſus fuit, & gaudemus non tantum de ſchiſmate de quo nuper monebat T. R. metum eſſe: verum valde Societatem noſtram perculit nuncius heſternus de apprehenſo Princio, quem Deus ſoletur & roboret, ne cum Stochio in periculum adducat pios fautores & fotores. Commendatus quæſo ſit tuis & omnium bonorum precibus. Alii prolixas, ego brevem epiſtolam mihi condonari cupio: vix ſcias quot & quantis diſtinear occupationibus. Obiter & hoc monebo, conſtitiſſe poſtremum faſciculum (quem heri demum accepi) novem ſtuferis, cum tamen dicas commodam mittendi occaſionem R. T. fuiſſe. Non ſummulam iſtam tanti facio, ſed ut diſpicias, cui curandas tradideris. Bene vale, frater reverende, cum familia tota, & fortiter age in Domino Jeſu, qui ad Patris dextram ſedet, gemitus noſtros exauditurus. Fratres omnes peramanter te ſalutant. 14 Martii 1620.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

Admodum acriter examinatores Stochium urſerunt ſuper re Stadenſi, ſciſcitantes, quinam illi ſint, qui migrationem iſtam ſuadent. Hinc videt T. R. non ſine periculo hoc agi, præſertim re adhucdum dubia & incerta.

CCCLXX.

JOANNI UYTENBOGARTO CONSULES ET SENATORES Reip. Stadenſis.

REverende & Clariſſime Vir, Domine & Amice Chariſſime. Poſtquam nobis innotuit, Rever. Dig. Tuam in præſenti rerum ſuarum ſtatu, aliorum amicorum monitis, ita erga nos noſtramque urbem eſſe affectam, ut, ſi Deus ita velit, tutum ſuum ac tranquillum hoſpitium apud nos tibi deligere haud recuſet: Nos pro eo, quo ſemper peregrinos & exules complexi ſumus, amore ac benevolentia, Tuæ Dignitati omnia humanitatis atque hoſpitalitatis officia deferimus: Eidemque ſincere pollicemur tutum domicilium, ac liberam ſuam ac ſuorum amicorum poteſtatem in exercendis pietatis cultibus, non minus quam hactenus Belgicæ Nationi idem Religionis exercitium liberum apud nos fuit, atque intemeratum. Ea enim eſt Reipub. noſtræ facies, ut ſua cuique Eccleſiæ libertas concedatur citra alterius impedimentum atque ſcandalum, tolerando nos invicem per charitatem bona cum pace, quemadmodum id veſtræ Nationi haud ignotum eſt. Præterea loci hujus oportunitas aliæque rationes non paucæ veſtris amicis perſuaſuræ videntur, ut ſua quoque apud nos commercia ac domicilia conſtituant: Ita ut omnino ſperemus, Dignitatem Tuam Rever. nonnullos quoque amicos comitaturos aut ſecuturos eſſe, qui Reip. noſtræ ſuaque ipſorum commoda ſibi hoc in loco, magno cum fructu atque emolumento promovere poſſint.

Neque enim dubitamus, quin Chriſtus Opt. Max. piorum exulum ac membrorum ſuorum hoſpitium ſuo auxilio & benedictione haud dedignaturus ſit. Sed de voluntate hac noſtra benevola cum jampridem illis non minus, quam Tuæ quoque Rever. Dignitati, indicia atque argumenta haud obſcura oblata ſint, prolixiore nunc commemoratione ſupersedebimus. Quod reliquum eſt, oramus Deum, ut Dign. T. ejuſque amicos incolumes conſervet, & ſi divinæ ſuæ providentiæ ita viſum fuerit, illos tranquilla ac commoda apud nos ſede frui patiatur. Datæ Stadæ ſub Civitatis noſtræ Sigillo, die 10 Martii, Anno 1620.

CCCLXXI.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Ecclesiastes.

REverende Domine Frater, Vir Clarissime; Recte mihi binæ tuæ, priores sine die, posteriores die xx hujus datæ, simul traditæ sunt heri, ad quas, ita te volente, sic breviter respondeo. Nos non videre rationem ullam aliquid scriptorum tuorum hic edendi: ignorare etiam nos rationem ea Catalogo Francofurtensi inserendi, adeoque dolere, nos T. R. in neutro gratificari potuisse. Causas & obstacula enumerare quid attinet? varia sunt & plura. Ita etiam obruimur nostris publicis curandis, ut vix cogitationes alio vertere liceat; nondum enim excusa omnia: interea appropinquat nundinarum tempus. Distinemur jam omnes; hi præla urgendo, illi colligendis foliis, alii convasandis jam excusis & collectis, alii aliis rebus & reculis huc pertinentibus. Ad Lutheranos non scribimus, sed ipsi aliorum intercessione utimur, ut catalogo inseri & distrahi nostra queant; neque hic sumptibus, laboribus & industriæ parcimus. Insuper etiam artes nobis adhibendæ erunt, incerto etiamnum dubioque eventu. Hæc ad T. R. scribere me, qui rebus præsunt fratres, quosque non sine difficultate convenire datum, voluere, simulque obnixe petere in optimam omnia partem interpretari digneris. Non deest affectus, sed tempus, modus, ratio, reliquaque sine quibus nihil efficitur in tali re; neque etiam per occupationes tam densas & frequentes licuit tua postremum missa legere, adeoque nec judicium ferre, quod tamen petis. Hæreo itaque, an remittere eadem scripta debeam, vel adhuc detinere dum describantur: hinc enim remitti cupis, sed non sine judicio nostro, & nisi descripta prius; illinc urges, ut alibi excudi queant: simul tamen addis (quod & verum putamus) tempus nimis esse contractum ad nundinas. Detineo igitur dum describantur, & accurate omnia pensitare detur. Non putamus bonam operam causæ communi navasse fratres, qui hunc rumorem de migratione sparserunt, adeoque salivam moverunt multis ad eam aures arrigendi. Non uno nomine noxius est. Excitati etiam Ordines, qui consulere aggressi, anne sive per legationem, sive per edicta, sive per utrumque impedienda sit ista migratio. Ut unico verbo dicam, nos de ea nondum serio cogitamus, non amore impenso patriæ, sed aliis, & quidem gravissimis, de causis. Programma illud Sueci de Gottenburgo nondum nobis visum, rumor tantum aliquis ad nos perlatus de istis rebus. Qui ista agunt, videntur aliud quid agitare à nostro animo forte alienum. Non debebant ista eousque Ecclesiis proponi, inconsultis iis quibus mandata Ep. 372. rerum directio. Multa hic prudentia opus est & magna circumspectione; sed turbatis, etiam in istis regionibus, rebus, subsistamus quæso paululum, nec ita urgeamus tantæ molis negotium. Jacobus ille Dykius, Legatus, nobis notus est. Multa pollicetur, ais. Credo: at memineris Legatum esse, sive Oratorem missum ad mentiendum (dicebat alter ille Orator) Reipublicæ causa. Non satis nostræ cogitationes cum tuis, Reverende Domine frater, hic conveniunt. Quocirca optassem potius eorum, qui istud tantopere urgent, alloquium, ex quo de rationibus utrinque constare posset. Narras de turbis Anglicanis circa prædestinationis negotium, & de D. Tileno in Gallia, de quibus nihil nobis constat. Quod de revocandis etiam exulibus ais, vanum est; ut & de Gallo suum repetente militem. Nondum bene convenire Gallo cum Hollandis scimus; at eo nondum ventum. Non licet plura, quia urget nuntius: sed puto me præcipua respondisse: si quid per festinationem omissum, poterit addi postea. Vale cum uxore & liberis lectissimis, Reverende Domine & frater: Dominus Jesus te & nos omnes ab omni malo tueatur. 25 Martii 1620. Fratres quos nominas ut rescriberent, ursi, quod se facturos receperunt.

Tuus in Domino

J. W.

CCCLXXII.

REMONSTRANTES EXULES ad Clarissimum Virum D. PETRUM MOLINÆUM.

Remonstrantes scribunt ad Molinæi Anatomen responsuri promittunt.

EA demum magna laus est, Petre Molinæe, æqualem ac parem scribendi dicendique rationem servare, nec quicquam effari tam immoderatum, quod ab instituto vitæ sanctioris genere alienum sit. Quanquam enim multijugæ tuæ eruditionis testimonia, & non vulgaris, quem præ te fers, zeli specimina nobis præbuerit nupera tua vel ipso titulo tremenda *Arminianismi Anatome*; tamen dubii etiamnum hæremus, an cum rara tua eruditione conjunctus tot hallucinationes, an cum insigni zelo & authoritate conjunctam animi ægritudinem & impotentiam magis mirari debeamus. Et forte ita res humanas attemperavit sapientissimum Numen, ut doctissimas mentes multarum rerum ignorantia obnubilaret, & incitatos aliquo pietatis æstro heroas imbecillitas non levis comitaretur. Quantum enim est, aut in rebus dijudicandis non excutire, aut gerundis extra honesti semitam non abire? Facilius hic alii alios reprehendimus, quam rectum modum tenemus

ipsi

Ep.372. ipſi. Non latet nos, eos, qui magna animi contentione, oratione ſupercilioſa, ſtilo adhæc mordaci & dentato Theologica ineunt certamina, hoc laudis & gloriæ choragium apud ſuos reportare, quod Dei cauſam non lente, non frigide, ſed viriliter & animoſe agant; verum Theologi eſt, & eorum, qui Eccleſiaſtica dignitate præeminent, non tam vanis aliorum acclamationibus & applauſibus moveri, nec tam ſpectare, quid corruptiſſimis hujus ſæculi ingeniis adlubeſcat, quam quid exemplo ſuo Chriſtus, Apoſtoli, Sanctiſſimique Eccleſiarum Proceres faciendum eſſe monſtraverint. Ab horum certe veſtigiis uſque adeo deflexiſti, vir clariſſime, ut nihil minus quam Chriſtiani hominis, nedum Theologi indolem tua ſpiret Anatome. Habet profecto Euangelicus ille Chriſti ſpiritus manſuetudinem ſuam, habet civilitatem & humilitatem ſuam: Quin ipſe Salvator noſter ita ſe errantium Judæorum & Apoſtolorum affectibus attemperavit, ut non ad irritandos & offendendos magis, ſed convertendos peccatores ſe veniſſe ſtudiis omnibus probaret. Petrus, ille Apoſtolus (quem utinam tam vita ac moribus, quam nomine, exprimeres) in Actis Apoſtolicis, etiam convicio laceſſitus, non contumelioſa, ſed miti ac amanti concione tantam multitudinem primitias addidit Eccleſiæ. Qua manſuetudine ac moderatione errantes doceat gentium Doctor, quanta urbanitate cauſas Theologicas apud Feſtum & Agrippam diſceptet, quanta civilitate & prudentia Athenienſium idolomaniam reprehendat, non ignoras. Da veniam, ſi patriæ extorres & proſcripti Paſtores reverentiam tuam alloquantur liberius. Origeni cum Celſo negocium fuit, qui univerſam Chriſti doctrinam ſimul & vitam non ferendis conviciis laceravit: Et tamen nuſquam ita in hunc invehitur Origenes, ut T. D. in Remonſtrantes, alioſque ejuſdem cum illis ſententiæ aſſertores. Nec in hoc laborat Origenes, ut Celſi dicta in partem peſſimam torqueat & exaggeret, quod tua R. nobis miro animi calore nuſquam non facere videtur, nihil non trahens ad *ſectariorum*, *novatorum*, *portentorum*, *audaciæ*, *blaſphemiæ*, *petulantiæ*, *ſceleris*, *prodigioſæ doctrinæ* calumniam. Irenæo negocium fuit cum ſchiſmaticis ejus ſeculi ingeniis, Victore, Blaſto, Felice Presbytero, aliiſque; ſed ſpirant illius Diatribæ priſcum Euangelii vigorem, & pectus arguunt martyrio paratiſſimum. T. D. bellum indicit Reformatæ Religionis ſtrenuis defenſoribus, & animum ubique talem prodit, qui inferre citius martyrium, quam ferre paratus ſit. Mitius quoque Auguſtino fuit ingenium, in cujus ſcriptis, etiam tunc, cum refellit furioſos Donatiſtas, & plus quam impios Manichæos, nihil apparet illius ſupercilii & amarulentiæ, quæ in hac tua Anatome ſe exerit paſſim. Diſputat adverſus Eunomium Baſilius, ſed nuſquam evagatur in convicia. Tu Remonſtrantium vix uſquam ſine ſcommate aut invidioſi epi- Ep.372.
theti adjectione meminiſti, illiſque ſuperbiam, gloriæ ſtudium, improbam mentem objicis, quos licet errare per ignorantiam poſſibile ſit, animi tamen propoſito & malitia peccare, nec prudentes cum ratione judicabunt, nec tuum eſt, ſi Chriſtianus eſſe voles, præſidenter ac temere præſumere. Magnum, P. Molinæe, in rebus Religionis momentum habet morum integritas, magnam habet auctoritatem conjuncta eruditioni manſuetudo, denique plurimum valet ſtyli elegantiæ & facundiæ copulata prudentia. Nos, uti priores in te virtutes agnoſcimus, & eruditionem in te eximiam & ob inſignia in Eccleſiam merita authoritatem veneramur; ita poſteriores illas, manſuetudinem, integritatem, & Chriſtianam prudentiam merito deſideramus. Neque enim manſueti animi eſt, tam inclementer in ejuſdem tecum Reformationis ſocios, licet in aliis graviſſimis capitibus diſſentientes, ſævire, ac ſi conſcientiam omnem, fidem & numinis timorem ejuraſſent: nec prudentiæ eſt, eloquentiam ſuam cum inſigni Reformatæ Eccleſiæ ignominia ac multorum offendiculo profiteri; nec cum morum integritate convenit, non dicta aliis affingere, innoxie dicta in partem peſſimam interpretari, & quæ calumniis oportuna ſunt decerpere, & contra authorum mentem odioſiſſime exaggerare. Quod tamen ubique facis, mira, uti credis ipſe, dexteritate, uti boni judicabunt, iniquitate. Monet Apoſtolus Paulus Epiſcopum, ne ſit πλήκτης, hoc eſt, dictis acerbus, quemadmodum interpretantur Græci, & hos ſequutus Hieronymus. Parum enim laudis habet in Epiſcopo, ſi non ſit percuſſor, hoc eſt, ſi neminem ferro vulneret, aut occidat, aut manu depalmet. Si hæretici tibi ſumus, ſi ſectarii, ſi blaſphemi, ſi novatores, rationum hoc pondere eviciſſe oportuit, non ubique exprobrandum. Illud quam non feceris, propediem oſtendetur. Si improbi, cur improbitatis ſpeciem celas? cur non Epiſcopum hic agis, & paterne nos mones, ut reſipiſcentes erroris pœniteat? Fecit hoc Auguſtinus, nec adverſarios refelliſſe ſatis habuit, ſed meliores quoque eos reddere ſumma ope conatus fuit. An improbi ſunt, quicunque in diverſam ab aliis ſententiam abeunt? Fuit ergo improbus Tertullianus, Cyprianus, Lactantius aliique; quorum ab omnibus fere Eccleſiæ Doctoribus diverſa eſſe in multis judicia compertiſſimum eſt. Sed eſt hoc Theologorum plurimorum cacoëthes, ut non tam eorum, cum quibus commiſſi ſunt, correctioni & inſtitutioni ſtudeant, quam ut in odium eos adducant & publicæ objiciant infamiæ; ideoque dum hæreſes impingunt, impietatis quoque, quo nullum majus, crimen affricare ſtudent, eoſque gloriæ ſtudio, turbandique Eccleſiam animo ad dicendum ſcribendumque acceſſiſſe criminantur. Et hæc dum agunt, Eccleſiæ antiſtites, veritatis defen-

Digitized by Google

Ep. 372. fenſores videri volunt. Interim in Eccleſiam graſſantur ipſi, & infirmiores offendendo, errantes in errore ſuo confirmando, longiuſque ab Eccleſia arcendo, fæliciſſimos regni Chriſti progreſſus remorantur. Ut de aliis nihil jam dicamus, in te Molinæe veriſſimum eſſe deprehendimus, quod Plato ait, manſuetudinem & μακροθυμίαν (*longanimitatem*) raro deprehendi in his, quibus contigit acrius ingenium, niſi quis hunc tuum in Remonſtrantes impetum, paroxyſmum Apoſtolicum dicere malit, aut peculiaris temperamenti vicio tibi obtigiſſe iſtam πικρίαν (*amarulentiam*) & φιλαυτίαν, (*amorem tui*,) qua in ſtolidam tui admirationem abreptus alios omnes ſeu fungos & trioboläres faſtidioſè contemnis. Mirati non leviter ſumus, & mirantur nobiſcum quamplurimi, à te tam acerba hoc tempore proficiſci de Remonſtrantibus judicia, qui mitiora per litteras antehac ſuadere ſolebas, & illorum improbare conſilia, qui Eccleſiam ob controverſias præſentes dirimere in animum induxerant. Nempe tunc intra mutuæ tolerationis terminos conſiſtendum eſſe prudenter monebas. Verum nunc mutatis Reipublicæ fatis reliquæ Contraremonſtrantium turbæ ſimilis factus es, & maledicentiæ palmam prioribus ſcriptoribus ferus ſcriptor præripis, qui hactenus intra ſacras ſilentii leges te continuiſti. Equidem, erepta jam Remonſtrantibus, uti credis, dicendi ſcribendique libertate in aciem prodis, & quos brachio ſeculari patriis finibus exactos vides, magna animi fiducia aggrederis, ut non tam cauſæ bonitati fiſus, quam temporis ſecuritati, tam ſero in palæſtram deſcendiſſe videri poſſis. Nimirum prout res dant ſeſe æquus atque iniquus es, & tempori callide obſecundans hoc ſtudioſe agis, ut Regibus ac Principibus grata ſcribas, utpote in quorum manu poſitum eſſe probe noſti, hunc pauperem, illum divitem facere. Anatomen tuam qui legunt, duo in ea obſervant, dictionem & rem. In dictione eſt, quod probent, & plus quod improbent. Probant perſpicuitatem & floridum dicendi genus. Improbant aculeos, ſcommata, convicia, quæ citra modum & præter dignitatem tuam paſſim admiſces. Quæ enim modice adhibita lectioni ſorte gratiæ nonnihil fœnerare potuiſſent, ea nunc πύκνωσις (*denſe*) conferta & ſtudio congeſta quemvis bonum offendunt. Tota enim à capite ad calcem hoſtilis eſt oratio, &, quod Anatomicorum eſt proprium, inhumana prorſus & incivilis, quæ ne mortuis quidem parcit, & eorum refodit ſepulchra, quibus viventibus aut altum ſiluiſti, aut contra Miſſam ſcribere contentus fuiſti. Quid, quod dum pædagogica quadam confidentia & puerili arrogantia Remonſtrantibus inſultas, efficias, ut vir parum modeſtus ac gravis habearis. Videris elephas cum muſcis eſſe commiſſus, tam contemptim eos habes, cum quibus decertas. Quis enim *ſolo pilei ventulo* Remonſtrantium argumenta ſe diſcuſſurum gloriatur? Molinæus. Quis ea *ſolo halitu diſſlabit?* Molinæus. Quis vel *ad ſanguinem uſque ungues rodentes adverſarios* ſuſque deque habet, & *exultantem, veluti in ſterquilinio ſuo Galli ſolent, Grevinchovium* dejectum venit? Molinæus. Agnoſce verba & floſculos tuos, qui quantum abſint à moderatione, prudentia, gravitate & religione Theologi & humilitatis Profeſſoris, judicabunt facile, quibus ſiccior eſt anima. Parum abeſt, quin dicas;

Ite triumphales circum mea tempora lauri,
Incidit in caſſes præda petita meos.

Adeo ovationum ac triumphorum plena ſunt omnia. Qui de re judicant, ea à te hic illic circa Remonſtrantium ſententiam carptim refutata eſſe dicent, ad quæ ſpecioſe nonnihil reponere te potuiſſe credidiſti, iis præteritis, quæ aut probaſti ipſe, aut rationibus convellere non potuiſti. Ad hæc plurima te admiſcere, uti de Peccati Originalis propagatione, quæ utiliter ignorari poſſe prudentiores ſtatuunt. Nec deſunt ex tuis, qui nimium te Remonſtrantibus largitum eſſe conquerantur; quanquam, ut hoc nomine R. T. gratiam debeant Remonſtrantes, noſtro quidem judicio cauſæ nihil habeant. Accedit, quod peſſima fide Remonſtrantium aliquot pronunciata alleges, quod unius aut alterius voces διαβλήτους (*calumniæ obnoxias*) toti ordini impingas, & ceu communem omnium ſententiam traducas, & eos ſæpiſſime in Remonſtrantibus loquendi modos reprehendas, quibus ipſe in hac tua Anatome non ſemel uteris. Addemus & illud, quod præcipuum eſt, te dum placita cudere vis & ſenſu tuo abundare, non ſolum novitatis, ſed & impietatis crimen ſubinde incurrere. Tua ſunt: *Deum de omnibus & ſingulis eventibus decretum non feciſſe: Non eſſe conveniens Deum decreviſſe de graminum numero, aut vermium ac culicum: Hæc ipſa nec boni quicquam nec mali in ſe habere, nec ad Dei gloriam aut univerſi perfectionem facere. Non potuiſſe hominem (ante lapſum) ad plenariam felicitatem pertingere, niſi per peccatum: Filii improbi optantis mortem patris ægrotantis ſceleratam mentem, cum Dei decreto conſpirare: Legem Dei minus proprie voluntatem Dei appellari; Voluntatem Dei antecedentem, qua vult omnes ſalvari ſi credant, non eſſe voluntatem, ſed deſiderium & votum: Nullum eſſe decretum Dei conditionale: Ea qua Deus execratur inevitabiliter fieri: Rectius fore ſi abſtineatur ab illa diſtinctione peccati in Originale & Actuale, cum Originale Actuale quoque ſit: Fidem Deum non prævidiſſe, ſed facere decreviſſe, hoc autem, quod Deus decrevit, non prævidiſſe, ſed velle: Chriſtum non poſſe eſſe fundamentum & cauſam electionis: Deum non poſſe dici ſperare, quod ipſe facturus eſt: Chriſtianas virtutes, fidem & charitatem, non acquiri uſu & ſtudio; Judicem Ethnicum, qui in jure dicundo & herciſcundis poſſeſſionibus judicat ex æquo & bono, nihilo juſtio-*

Ep. 372.

Ep.372. *ſtiorem eſſe coram Dei tribunali, quam latrones, qui inter ſe aqualiter & bona fide pradam partiuntur*; Et ſimilia quamplurima crudæ & horridæ iſtius Contraremonſtrantium, quam nunc adornant, Theologiæ partus & germina.

Sunt qui & illud tuum Axioma ex Machiavelli ſchola depromptum nigro commate notant: *Eum qui fide in Chriſtum caret filium Dei non eſſe, ac proinde non poſſe eſſe hæredem juſtumque poſſeſſorem bonorum terrenorum, quantumcunque virtutibus civilibus emineat.* Quid ſit ſceptris Principum inſidiari, ſi hoc non ſit, utique non videmus. Ergone ad ſeditiones, rebelliones, regum exactiones, Theologiam Reformatam componere occipis? Quæ hæc tua inſania? Principes juſtos non eſſe dominos regnorum ac ditionum ſuarum, qui in Chriſtum non credunt? Quod jus hunc juſtæ poſſeſſionis titulum expedit? Hoc axiomate fretus regnum Galliæ, tibi tuæque Religionis Principibus arrogabis; nam Catholicos, qualis Rex eſt Galliarum, *Chriſtum reipſa abnegare, Palatina Catecheſeos docent reſponſa.* Qui aures habet ad audiendum audiat. Alii non levem in opere tuo inconſtantiam ſe obſervaſſe affirmant, & tandem argumentorum vi coactum, fateri, quod ex profeſſo oppugnas; Deum nempe in electione ad fidem reſpexiſſe, & credentes intuitu fidei futuræ eſſe electos. Omnes inſignem illam tuam προσωποληψίαν (*acceptionem perſonarum*) taxant, quod cum in Remonſtrantes ferreus ſis & implacabilis, lenius & ſuppreſſis nominibus eos Contraremonſtrantium coryphæos refutes, quos gravius errare (ſi modo error dicendus ſit & non hæreſis) tibi perſuaſum eſt. Scribis ab iis doceri ea, quæ *ſummam Dei ſapientiam & bonitatem convellant*, & ex quibus conſequens ſit, *Deum eſſe peccati autorem*, quod ipſiſſimum eſt impietatis & ἀνοσίας ἀκροτέλευτον. (*faſtigium.*) Nec tamen hiſce Doctoribus Eccleſiæ ſacris interdictis, nec Principes ut ab iſtis zizaniis agrum Domini purgent hortaris; cum tamen ignorare non poſſis, & iſtorum dogmatum aſſertores in Eccleſiis etiamnum ferri, orthodoxorum titulo inſigniri, imo ipſi Synodo Dordracenæ interfuiſſe, & ab ea σύγχυσιν (*confuſus*) ſimul & ὀρθοδοξίαν (*recti ſenſus*) teſtimonium impetraſſe. Remonſtrantium ſententiam, ex qua nihil prioribus conſectariis affine deducis, ut non ferendam exagitas, ejus Doctores virulenta oratione perſequeris, & quaſi re bene geſta Eccleſiis ac Scholis exactos eſſe, barbara crudelitate gloriaris, idque in Præfatione huic operi præfixa: quin ut cœptum opus urgeant Ordines Generales animoſe mones, hoc eſt, uti nos interpretamur, carceres & equuleos parent; neque enim aliud ad miſeriam noſtram addi poteſt. Verum quam feliciter R. T. Anatomicum Arminianiſmi egerit, propediem demonſtraturi ſumus. Limpidiſſima ſacræ Scripturæ oracula vomicas à te & putidos errores judicari manifeſtum fiet, quæ ſana ſunt morbida appellari, nervos pietatis incidi, peccatorum repagula & ligamenta laxari, plurima bene contexta diſſolvi, planum & lævem veritatis vultum humanorum commentorum impetigine & ſcabie exaſperari, & quæ nuſquam occurrunt in Arminianiſmi corpore imaginaria falce reſecari. Non deerunt, ſcimus, qui hos noſtros conatus ſunt ſugillaturi, nec Molinæo parem adverſarium opponi poſſe ſtatuent. Sed horum judiciis parum terremur; cum nec eruditionis, nec facundiæ aut Grammaticæ maledicentiæ certamen inire inſtituerimus, cum viro eruditiſſimo & facundiſſimo, ſed nudæ ac ſimplicis veritatis, quæ non aliud ſibi quam à ſeipſa præſidium depoſcit. Si rationum pondere victis ſuccumbendum erit, non inglorium arbitrabimur à veritate vinci; quanquam gloriam apud homines non quærant, qui de gloria divini nominis contendunt. Poſſemus forte quæ falſe dicuntur à R. T. alio ſale confricare; ſed hac parte tui diſſimiles eſſe volumus, ne conviciis operoſe reſpondendo agnoſcere videamur, quæ in nos congeris; præſertim cum Theologorum ſit, ea dictis, factis, ſcriptiſque ſectari, quæ ad veræ pietatis ſtudium faciunt. Anatomen tuam denuo reſecabimus, ſed ea qua par eſt reverentia ac modeſtia; ne aut inſignes quas in te contulit θεοδότους (*donorum largitor*) Deus, dotes contemſiſſe videamur; aut in eundem, in quem T. Reverentia, immodeſtiæ lapidem impegiſſe. Eorum autem omnium judiciis Reſponſionem noſtram ſubmittemus, qui nec te, doctiſſime Molinæe, ſerviliter amarunt, nec nos hoſtiliter oderunt. Vale.

Ep.373.

CCCLXXIII.

DANIELI TILENO

REMONSTRANTES EXULES

S. P. D.

Narratio atque querela de Remonſtrantium perſecutione.

VIr Clariſſime, & nobis in Jeſu Chriſto dilecte atque honorande Frater, Unicum divinæ veritatis promovendæ ſtudium fiduciam nobis addit, ut Rever. Veſtram, cum qua hactenus nullum literarum commercium nobis fuit, per ceram & linum, quod ajunt, compellare non dubitemus. Enimvero cum ſciamus officii noſtri & conſcientiæ intereſſe, ut quam à benigniſſimo luminum Patre veritatem didicimus atque accepimus, eam fortiter & pro virili noſtra ad multorum commodum & utilitatem promoveamus; & Rever. Veſtram non mediocriter hujuſmodi conſiliis ſtudiiſque noſtris favere intelligamus; operæpretium nos facturos putavimus, ſi cum R. V. hoc imprimis rerum ſtatu, propius atque arctius aliquod literarum conſiliorumque vinculum contrahere conaremur. Etenim ſi unquam, certe adflictis maxime ac laborantibus

Digitized by Google

Ep. 373. Eccleſiæ rebus, æquiſſimum adeoque neceſſarium eſt in ſubſidium vocare imprimis eos, quorum celebre nomen, & nota Chriſtiano Orbi eruditio, induſtria, ac prudentia ad eas ſarciendas, & ſi forte Deo ita videbitur, erigendas reſtaurandaſque momentum non vulgare poſſunt adferre. Etſi vero perfamiliarem nobis ſit, Reverentiam Veſtram, quæ eſt erga Deum pietate, & erga proximum charitate, ſua ſponte propria ſerio in hanc longe optimam curam incumbere, imprimis dum à publicis omnibus negotiis & oneribus abſtinet; tamen nihil dubitamus, quin utrinque, tum noſter, tum R. V. zelus acui & accendi fervidius multo poſſit, ſi conſiliis, ſtudiis, operiſque junctis atque in commune collatis, eandem cauſam pari animo & fiducia agamus. Auxit mirum in modum opinionem & fiduciam hanc noſtram Vir Clariſſimus, & eorum, qui animas ſuas difficilibus hiſce temporibus pro Chriſto viles habuerunt, anteſignanus fortiſſimus Albertus Huttenus, qui nobis poſtremis etiam ſuis ſtimulum ſubdidit, ut Rever. Veſtræ, quam maximo res noſtras Eccleſiarumque noſtrarum ſtatum cognoſcendi deſiderio teneri ſignificaverat, epiſtola aliqua gratificaremur. Et hanc quidem occaſionem neutiquam nobis negligendam, ſed ambabus manibus arripiendam putavimus, ſi forte hac ratione aditus parari poſſet ad propiorem quandam conſiliorum ſtudiorumque communicationem, & familiarius aliquod literarum commercium. Quare de nobis, rebuſque noſtris, quas cognoſcere aves, Vir Clariſſime, ita habe.

Hactenus id conjunctis animis ſtudiiſque egimus, ut divinam veritatem quæ ſecundum pietatem eſt in quinque notis, quos vocant, Articulis, pro noſtro modulo, ſine cujuſquam damno, læſione, aut injuria, aſſereremus: utque conſcientiarum libertatem, quæ multo ſudore, ſanguine, & labore majoribus noſtris hactenus conſtitit in patria noſtra, ad exemplum anteceſſorum noſtrorum non paucorum ſartam tectam cuſtodiremus. Non tulit hoc propoſitum noſtrum humani generis hoſtis, ſed ſurſum verſum omnia commovit, ut illi obicem poneret; prævidens haud dubie, quantum ea res damnum atque detrimentum rebus ipſius tranquillis allatura eſſet. Nec defuerunt qui, ſive errore quodam mentis, ſive animi morbo, ſive alia de cauſa, operam ſuam prudentes imprudentes tam in Repub. quam in Eccleſia eidem ſtrenue navarunt; donec tandem diſſoluta primum Reip. compage, & paucorum iniquis & pertinacibus ſtudiis ac molitionibus, multorum recte atque ex re Reipub. & Eccleſiæ conſulentium, judicia ſtudiaque ſubvertentibus, res eo paulatim deducta eſt, ut refragantibus duabus non contemnendis Provinciis, aliis vero vel vi vel minis in eandem ſententiam pertractis, Synodus convocata ſit, in qua ii ſoli, qui non tantum huic noſtro propoſito directe atque ex profeſſo ſemper adverſati fuerant, ſed tantum non inimici atque hoſtes capitales erant, qui manifeſta ſeceſſione facta te nobiſcum nihil in poſterum commune habere velle teſtati fuerant, utramque paginam fecerunt. Horum judicis, vellemus nollemus, ſtare & cadere oportuit cauſam noſtram. Quod ageremus? Omnia ſruſtra erant. Concinnatum erat. Ab his ipſis citati ſumus, & coram his ipſis judicibus tanquam rei pro tribunali cauſam dicere coacti ſumus. Nec conferendi poteſtas, nec loquendi libertas niſi ad arbitrium eorum concedebatur. Et utut magnifice ſatis atque liberaliter ad cauſam noſtram dicendam citati eſſemus, tamen cum ad rem ventum ſuit, leges loquendi & ſilendi, cauſamque totam agendi, ab illis judicibus accipiendæ erant. Quare damnati tandem etiam ſumus inaudiri & indefenſi, turbatæque Eccleſiæ, & quod omni prorſus colore caret, *rebelliæ eccleſiæ* (*tanquam qui ſuopte judicio ſint condemnati*) rei acti.* Et hujus Synodi judicio freti, ii quorum auſpiciis Reſpub. in aliam plane faciem paulo ante converſa fuerat, quique ejectis Optimatibus rerum potiebantur, damnationi factæ non tantum adjecerunt calculum ſuum, neque miniſteriis ſunctionibuſque noſtris exauthoratos à publicis locis & cathedris abſtinere jubent; ſed etiam ſolemni inſuper promiſſo obſtringere nos conati ſunt, ut omnibus non publicis tantum, ſed privatis etiam, qua directis, qua indirectis officiis, quæ ad ſententiæ noſtræ confirmationem facere poſſent, quæque proximo & in primis Eccleſiis noſtris debeamus, in totum renunciaremus: cumque id facere gravaremur, imo id per conſcientiam nobis neutiquam licere rationibus multis doceremus, adeoque evinceremus, nihilominus tamen rebellionis & inobedientiæ damnati, & ab Eccleſiis noſtris vi avulſi, patriaque tota proſcripti ſumus. Hoc præmium laborum noſtrorum tulimus, & tanti nobis conſtitit veritatis & bonæ conſcientiæ ſtudium. Et hac quidem ratione judicabant iſti cauſam noſtram funditus deleri & peſſumdari poſſe, ſi videlicet, (quo ſtratagemate Julianum Apoſtatam olim uſum eſſe teſtatur Nauclerus) civitatibus atque urbibus ejicerentur ii, quorum opera & conſiliis cauſa noſtra hactenus aliquomodo ſteterat.

Sed reſtabant Eccleſiæ, nec paucæ numero, nec qualitatibus modicæ, nec infrequentia tenues, nec ſtudio zeloque erga cauſam bonam frigidæ, ſed multæ, maximæ, frequentiſſimæ, & zelo ardentiſſimæ. Ut eæ vel tædio faſtidioque longo frangerentur, vel ſtratagemate aliquo politico diſſolverentur, vel blando aliquo palpamento circumvenirentur, ſperare non licebat; edoctæ quippe jam multo ante fuerant de ſententiæ noſtræ veritate, contrariæ falſitate & abſurditate, deque cauſæ totius juſtitia & æquitate: quare viſum eſt eas per vim in officio retinere. Hinc factum eſt, ut edictis decretiſ-

Ep. 373.

Ep.373. tisque severissimis cœtus omnes, qua publici, qua privati, vetiti sint; & necubi quisquam esset qui ea violaret, præsidia plerisque civitatibus, à quibus aliqua ratione metuendum videbatur, imposita sunt, militibusque, licet irreligiosis plerunque & ferocibus hominibus, arbitrium de fortunis vitaque civium concessum est, adeo ut non raro in cœtus eorum inermes, & solius tantum conscientiæ cura occupatos, manus militum veluti in hostes & perduelles ductæ sint, indultumque illis fuerit tam crudeliter, tam inmaniter in cœtus istos grassari & sævire, ut nulli nec ætati, nec ordini, nec sexui parcitum fuerit, sed pudoris honestatisque repagula omnia rupta, & stupris, rapinis, ac cæde innocentissimorum & optimorum civium sævitum sit. Hinc odia iræque, & nunquam finiendæ aut oblivione ulla delendæ inimicitiæ. Etsi vero hujusmodi agendi ratio non leviter aliquando perturbet nonnullos eorum qui nobis favent, neutiquam tamen propterea animum despondent Ecclesiæ, sed divina virtute palmæ instar contra onera impacta adsurgunt, & generosa animositate majora in dies incrementa sumunt. Neque enim fieri poterit, ut unquam mitibus & mansuetis Jesu Christi ovibus tam immanis ferocia probetur, aut ejusmodi argumentis causæ bonitas persuadeatur. Hinc videas Ecclesias passim numero & zelo crescere, & ex ipsis illis lanienis non tantum veluti ex alimento succum & medullam suam præcipuam sugere, sed optimarum etiam animarum accessione locupletari. Urit hæc res non parum eos qui hujusmodi tragediam orsi sunt, & ut catastrophe respondeat prologo, novis durioribusque remediis rem tentaturi dicuntur. Sed quid futurum sit dies docebit. Interim Optimates, quibus moderatiora semper consilia placuerunt, vident hæc, & dolent Rempub. in eas compingi angustias, & in tantum discrimen vocari. Reliqui hominum ordines, qui longe maximam Reipub. partem constituunt, facile colligunt quo tandem res illa evasura sit, & cum proximum Ucalegonta ardere vident, flammam illam vicina omnia correpturam nihil dubitant. Hinc una cum diffidentia perpetua, exitialia intus alunt odia, eruptura tandem aliquando in nervum, & ruinam late datura. Ecclesiastici interim passim rebus commodisque suis studeut: Eos, qui vel leviſſima sententiæ nostræ aspergine tacti aut tincti videntur, loco movent, aut palinodiam canere jubent: Nulli parcitur, ne quis superstes maneat à quo vel minimum sibi metuant. Tenebriones clamosissimi, & digni qui inter discipulorum cathedras adhuc plorent, sed quibus Pelidæ stomachus, cedere nescii, ii in primis & secundis nunc consistunt, ac præmium rei bene navatæ reportant lautissimam conditionem. Reliqui suo quisque ordine spolia dividunt, & vacua dominantur in aula. Nos extorres, exules, ne patriam neglectui habere videamur in confiniis hæremus, unde Ecclesiis nostris quam Ep.373
ocyssime & tutissime consulere nobis licet: Et experimur hac in parte divini numinis benignitatem, quod apud eos qui nobis hactenus pessime voluerunt, hospitium nobis, atque ægritudinum nostrarum diversorium non incommodum concedatur. Temperat hac ratione clementissimum Numen, & compensat castigationis suæ severitatem inopinati beneficii dulcedine.

Vides, Vir Clarissime, breviter & in compendio rerum nostrarum faciem: quam oculis tuis propterea subjicere volumus, ut ex illis conjecturam facias, quanto morbo intercute laboret patria, & quibus remediis opus esse existimes, ut morbo isti commode occurratur. Nos quidem, qui Ecclesias nostras in hisce angustiis versari, opemque & auxilium nostrum implorare novimus, id operam damus, ut manum veluti ex propinquo subinde porrigamus, & quantum in nobis est eas sublevemus. Plerique nostrum jam in ipsis Provinciis maximo cum discrimine versantur, & quanta possunt animi contentione afflictis atque oppressis solatium præbent, & consiliis, precibus, hortationibus, concionibus, seu clam, seu palam, prout occasio se dat, eas juvant. Reliqui quotquot sunt ad unum omnes parati sunt præstituto tempore, idem periculum bono Ecclesiarum volentes lubentesque subire. Et qui possemus aliter, Vir Clarissime? Tot mille animarum voces, desideria, gemitus, suspiria, lamenta constringunt nos, ut vel si centum mortes perpetiendæ forent, aliter agere nequeamus. Nec dubitamus, quin si ulla adhuc reliqua sunt misericordiæ viscera, si ullus patriæ amor restat, si humanitas omnis exuta non sit ab iis qui jam ad clavum Reipub. sedent, tandem aliquando aurem præbituri sint justis tot innocentium, tot procerum, tot patriæ amantium civium querelis & supplicis; vel saltem tam inflexibili tot Ecclesiarum constantiæ in re tam sancta ultro cessuri. Interea tamen quandiu ista spes non affulget, fovendum est tam laudabile Ecclesiarum studium, & diligenter curandum ne qui Davi interveniant qui eas turbent: nec enim desunt qui id unum omnibus viribus agunt, ut ex omni parte mundi concitent mortales, qui eas nunc hoc nunc illo ariete impellant, & ab ista animi constantia deturbent. Et jam non ita pridem in scenam prodiit Hercules ille vester Gallicus, qui labantem Synodi authoritatem superbo scripto suo veluti tibicine aliquo fulciat, nominisque sui claritate oculos multorum alioquin minime malorum præstringat. Etsi vero nihil ille aliud quam veterem & rancidam cramben recoquat, novo tantum quodam Latinitatis jusculo dilutam, & quæ ipsi propria est, dictatoria insolentia, & Aristarchico sale aut felle potius maceratam; tamen quia fecialis hic ex Gallia prodit, id incommodi causæ nostræ adferre videtur, quod nobis bellum

Ep. 373. indicere videatur universa Gallia: Absque hoc esset, Entellus vires in ventum effudisset. Neque enim est quod jure merito sibi metuant Ecclesiæ nostræ ab ejusmodi Pyrgopolinices Jampridem munitæ sunt contra veteres illos coccysmos quos ille occinit, & propediem cum Deo intelliget clarissime quanto conatu quantas nugas egerit. Utinam vero etiam liberet R. V. in ipsa Gallia, contra istum Britanniæ stipendiarium calamum stringere! quanta, bone Deus! accessio fieret bonæ causæ nostræ! Non jactarent sese diutius tenebriones isti Galliæ titulo. Sed non urgebimus R. V. gravibus satis, & non minus utilibus Ecclesiæ curis occupatam, uti confidimus. Nec honestatis fortasse rationem bene habuisse videbimur, quod in ipso literarii hujus commercii aditu hæc rogare audeamus: sed unicum veritatis propagandæ studium, quod nos impellit, istam, si qua est, culpam eluere facile potest.

Restat, quod & caput rei est, ut quantum possimus, contendamus à R. V. ut si animo nobis, & causæ communi nostræ faveat, uti confidimus, consiliis etiam studiisque suis auxiliarem afflictæ causæ manum præbere velit, & in occasione ea nobis suggerere, quæ ex re nostra esse putabit. In ea enim nunc incidimus tempora, quibus merito dicere cum Apostolo licet: *Adversarii multi sunt, sed veritatis ostium ingens apertum est.* Adversarii multi sunt, qui nobis divinam veritatem, quæ secundum pietatem est, & conscientiarum libertatem omnibus viribus ereptum eunt, quique omnia susque deque habent, dummodo errores suos crassos & pudendos per tyrannidem in Ecclesia Jesu Christi stabiliant. At quæ potest esse aut sanctior, aut Deo gratior cura, quam ut ejusmodi Diotrephis, qui dominatum in Fratres affectant, & interim Ecclesiam Jesu Christi erroribus noxiis onerant, obviam eamus, & una cum libertate, quæ inter dissolutam licentiam & tyrannidem media est, veritatem divinam, quæ semen pietatis est, asseramus, iis armis quæ mansuetos & mites Jesu Christi discipulos decent? Licentiam quidlibet temere effutiendi & in dubium vocandi, tanquam veritatis & pietatis prodigam odimus: Sed nec minus aversamur eos, qui in ea quæ recepta sunt, tanquam extra omne dubium posita inquiri nolunt. Veritatis promotioni si recte consulere volumus, abesse à nobis debet una cum φιλαυτίᾳ (*amore sui*) sive ἀυθαδείᾳ, (*præsumtione*) Pyrrhonia quædam ἀκαταληψίᾳ, (*affectio qua omnia incomprehensibilia censentur*) aut ἐποχῇ. (*assensus retentio.*) Nil enim magis divinæ veritati officere posse credimus, quam quod vel nihil certum, aut indubium, vel omnia æque certa & indubia, quæ pridem recepta sunt, habeantur. Intra necessaria & utilia valde firmiter consistendum est: In reliquis moderate & modeste dissentire liceat. Hæc nostra cura est: huc omnes contendimus unanimiter. Et aperuit nobis benignus ille Deus ostium magnum, & tantum Ep. 37
non portas bipatentes, per quas catervatim sese infundunt ii, qui amore hujus moderatæ veritatis vehementer flagrant: Et uti fere fit, accendit acuitque amorem istum, quæ nunc in innocentes sævit, persecutio. Uti enim flamma, quo arctius cohibes & constringis, eo fervidius urit; ita animi bonorum quo magis coercentur edictis mandatisque, eo fortius uniuntur, & veritatis studio inflammantur. Quare Vir Clarissime, ne sinamus luculentam hanc occasionem nobis effluere, sed conferamus in commune quæ accepimus à Domino Jesu ad publicam ædificationem. Albæ sunt ad messem regiones: jungamus falces nostras, & metamus segetem, quam reponamus in immortale Servatoris nostri horreum. Si odiis, opprobriis, & conviciis premimur ab iis quos id minime decet, tanti sit nobis causæ quam tuemur, & conscientiæ bonitas, ut illa flocci faciamus. Per angusta illa grassandum, est ad augustam Christiani orbis reformationem, & pietatis, heu nimium labefactatæ! restitutionem. Nos quidem quod attinet, quicquid omnino vel ipsi judicabimus, vel ex R. T. intelligemus prodesse, aut usui esse posse Reipub. Christianæ, id lubentes alacresque conferemus, & subinde R. T. literis ad idem studium, si grave non fuerit, solicitabimus. Deum etiam Patrem miserationum rogare non desinemus, ut afflictarum Ecclesiarum suarum misereri velit, eaque R. T. & nobis inspirare consilia, quæ utilia & salutaria nobis, Patriæ, & inprimis Reipub. Christianæ esse queant. Vale, Vir Clarissime,

A Fratribus ob assertam veritatem, quæ secundum pietatem est proscriptis & relegatis.

CCCLXXIV.

SIMONI GOULARTIO

Parenti suo

SIMON GOULARTIUS S.P.

De persecutionibus contra Remonstrantes instauratis.

MOn Pere, Depuis celles que je vous ay escrites à la foire de Septembre, estant encore à Amsterdam, je vous ay escrit environ Noël par voye de Cologne & Strasbourg, & environ le meisme temps ay receu la vostre de Septembre. Par mes dites dernieres vous aurez peu entendre les changemens survenus en Hollande, tant au regard du public, que de mon particulier: C'est que n'ayant voulu ni peu en bonne conscience approuver ni signer les articles & Canons du Synode de Dordrecht, ni me soumettre de mon propre gré à la sentence dudit Synode, prononcée contre les Ministres Remonstrans, j'ay esté enveloppé en meisme condition & espreuve avec eux, c'est asçavoir debouté de mon Ministe-

Ep.374. niſtere, & de ſur plus envoyé hors du pays. Ce changement ne m'eſt ſurvenu ſans grande incommodité & faſcherie, non plus qu'aux autres: mais me trouvant enſerré de deux coſtez, j'ay eſtimé que de deux maux il faloit choiſir le moindre, & preferer le bien & repos interieur de la conſcience à toutes commoditez exterieures: en remettant les evenemens à Dieu. Et juſqu'a preſent n'ay point occaſion de me repentir de ceſte mienne reſolution. Car plus j'examine & conſidere les opinions des Contre-remonſtrans par eux meſmes canonizées au dit Synode de Dordrecht, plus je les trouve eſtranges & diſcordantes de la parole de Dieu, & du conſentement de la plus ſaine partie de l'Egliſe Chreſtienne: au contraire je me confirme en mon ſentiment, touchant la doctrine des Remonſtrans, qui eſt la meſme qui a eſté enſeignée du commencement en l'Egliſe Reformée par Melanthon, Bullinger, A Laſco, Sarcerius, Hemmingius, & autres perſonnages excellens en pieté & erudition, qu'icelle eſt conforme à la parole de Dieu, & utile à la pieté. Quant a divers bons & doctes perſonnages qui ont eſté & ſont d'autre ſentiment, je n'eſtime point qu'on les doive rejetter comme ennemis, ains recognoiſtre & reſpecter comme Peres & Freres en Chriſt, & les ſupporter comme tels: & eſperer que Dieu leur revelera ſa verité. Quant aux autres qui veulent dominer ſur leurs freres, qui ne ſont de meſme ſentiment avec eux, & qui ſe ſervent de l'authorité & puiſſance ſeculiere pour les opprimer, comme ont fait, a mon advis, ceux qui ont fait office de juge & de partie tout enſemble au Synode de Dort, un plus grand maiſtre qu'eux les jugera. Leur doctrine & leurs procedures, & l'authorité qu'ils pretendent devoir eſtre deferée à leur dit Synode, me ſont autant à contrecœur, que choſe aucune qui me puiſſe venir au devant, ſur tout quand j'en conſidere les effects & les fruicts, aſçavoir les perſecutions & actes barbares perpetrez contre les Remonſtrans & leurs Egliſes, depuis la tenue du dit Synode; de quoy je penſe vous avoir envoyé un eſchantillon conjoint à mes derniers lettres, aſçavoir un brief recit de la perſecution eſmeue en Hollande contre les Remonſtrans, notamment contre ceux de Rotterdam: lequel recit eſt treſveritable, ſelon que nous entendons de la bouche de ceux qui viennent de dela. Depuis ce temps là les meſmes de Rotterdam ont encore eſté aggreſſez en leurs aſſemblées hors de la Ville, notamment environ le Noël, & y a eu entre autres un j'eune homme de vingt ans tué & renverſé dans l'eau d'un coup de mouſquet tiré par ces tyrans. Non obſtant leſquels efforts le nombre & le zele des perſecutez ne ſe refroidit point, tellement que ceſte preſente année ils ont continué leurs preſchez & aſſemblées tant dedans la ville en ſecrettes aſſemblées, que dehors la Ville en plaine campagnie, quand le temps l'a peu permettre. Ceux de Goude en ont fait de meſmes; item ceux d'Alcmar, leſquels ont eu aſſemblée non petite trois Dimanches conſecutifs ce preſent mois de Mars, en une plaine proche de la Ville. A Leyde la perſecution eſt aſſez aſpre, de ſorte que preſentement on y detient priſonniers ſept notables bourgeois d'entre les Remonſtrans. A Amſterdam & ailleurs ils ont leurs aſſemblées ſecrets aſſez frequentes. Depuis peu de ſemaines a eſté publié contre eux un nouveau Placart aſſez rigoureux, par lequel ſont ordonnez trois-cent Francs d'amende à celuy qui aura logé un Miniſtre Remonſtrant, & cinq cents Francs de recompenſe à celuy qui aura deſcouvert un Miniſtre en ſorte qu'il puiſſe eſtre ſaiſi. Au moyen de quoy il y en a eu un d'apprehendé depuis trois ſemaines en une petite ville & iſle nommé Goerée, qui git en l'emboucheure de la Meuſe, là ou Monſieur Van der Myle eſt relegué & confiné en exil il y a environ un mois. Le dit Miniſtre a eſté envoyé de là à la Haye, ou il eſt detenu en priſon, en laquelle nous entendons qu'il ſe comporte avec beaucoup de courage. Son empriſonnement rend les Remonſtrans tant plus zelés, tant les Miniſtres que le peuple: tellement que leurs aſſemblées & predications ne ſont point pourtant interrompues. Les principaux autheurs & promoteurs de tels placarts & rigoureuſes procedures ſont eſtrangers, nez hors des Provinces Unies, ce qui fait que les Hollandois ne font pas grand cas de leur authorité: & quant aux Magiſtrats de nouveau eſtablis, ils ſont pour la pluſpart ſi peu eſtimez du peuple, qu'allans par les ruës on ne les daigne ſaluer. Monſieur Grotius & le Conſeiller Hogerbeetz demeurent priſonniers. Quant à l'Advocat Barneveld, executé à mort le mois de May paſſé, il eſt regretté & haut loué de pluſieurs, & ſe trouvent des epitaphes fort magnifiques imprimez tant en Latin qu'en Flameng, à la louange de ſa memoire: entre autres un qui eſt fait en forme d'Echo, qui commence ainſi. *Quis jacet hic? Patriane parens & gloria pridem? Idem: Unde illuſtris mors cita venit avi? Avi: Quis finis vita & meritis immenſis? Enſis*, &c. J'ay auſſi oui prononcer un vers chronologique repreſentant l'année de ſa mort, de telle teneur. *Mors agrI arDentIs tVa orIs CaVa terra rVIna.* Barneveld en Flameng ſignifie *Ager ardens*, Hollande ſignifie, *Cava terra*. Dieu vueille deſtourner les malheurs & confuſions qui ſemblent menacer non ſeulement ce pays là, mais auſſi une grande partie de la Chreſtienté. Quoy qu'il en ſoit, la mort de ce perſonnage tourne envers pluſieurs a grand opprobre au Synode, lequel a eſtimé ſon authorité ne pouvoir avoir cours, ſi la teſte de ceſt homme n'eſtoit abbatue: & que c'eſtoit le

Ep.374 moyen de faire baiſſer la teſte aux Remonſtrans. En quoy ces eſprits ſanguinaires ſe ſont trouvez abuſez: car il ſemble au contraire, que le ſang de ce Vieillard a ſervi de cole pour lier les courages des dits Remonſtrans, & de ſemence pour les faire multiplier, & de roſée pour les faire croiſtre: Il s'en eſt trouvé parmi les Contre-remonſtrans qui par mocquerie l'ont appellé le Patriarche des Arminiens; & j'enten que M. Diodati, durant la tenue du Synode, a uſé quelque part de ces mots. Autres par eſcrits publics l'ont qualifié le nouveau S. Jean. Auſquels on a repliqué, que la teſte a eſté preſentée, comme en un plat à leur Synode. On a auſſi uſé de diverſes autres mocqueries & railleries envers les dits Remonſtrans, notamment durant l'empriſonnement du dit Vieillard: Entre autres, comme les Commis du Synode leur commandaſſent de conſigner tous leurs eſcrits en dedans l'eſpace de quinze jours, & qu'eux demandaſſent quelque plus long terme, s'excuſans ſur l'importance & eſtendue des dits eſcrits, & ſur la rigueur de la froidure: il leur fut demandé par mocquerie par un des dits Commis, jeune homme de vingt ou vingt & quatre ans, s'ils avoyent le cerveau engelé. Un an revolu apres, il eſt advenu que ce railleur a eſté renverſé de ſon cheval ſur la glace, & eſt mort de ceſte cheute. Il ſe nommoit le S^r. de Brederode. Un autre grande adverſaire des Remonſtrans (Bourgmaiſtre d'Utrecht d'entre les nouveaux Magiſtrats, qui avoit uſé d'atroces calomnies contre les dits Remonſtrans, & notamment contre M. Utenbogart, qui a refuté ſes calomnies par un eſcrit addreſſé au Magiſtrat d'Utrecht & imprimé) a eſté emporté d'une maladie eſtrange & extraordinaire, accompagnée de vermine & grande puantiſe, en ſorte que les trois ou quatre derniers jours de ſa dite maladie les miniſtres ni les medecins n'ont peu avoir acces à luy. Il mourut le meſme jour que je ſorti de Hollande. On parle encor d'autres accidens advenus a d'autres. Au reſte quand je ſorti de Hollande, je ne ſavoy bonnement en quel lieu je feroy ma retraite: mais comme le lieu ou nous fuſmes menez ſur les frontieres de Brabant entre Heuſden & Bolduc, n'eſtoit diſtant qu'une journée d'Anvers, je prins occaſion devenir a Anvers, là ou ayant trouvé compagnie aggreable, & logis propre pour y paſſer l'hyver, je me reſolu d'y arreſter: & encore preſentement je preten, Dieu aidant, y continuer mon ſejour ceſte preſente année: & meſmes ay loué une partie dudit logis pour moy & ma famille, laquelle j'atten ici de brief. L'air du lieu me plait mieux que celuy de Hollande, les habitans ſont debonnaires, & le Magiſtrat ami des eſtrangers. Quant à la conſcience & à la Religion, nous y ſommes plus libres qu'en Hollande, ſans qu'en s'enqueſte de ce que nous faiſons en nos maiſons. Quant au moyen de vivre, il ne tient qu'a moy, que je ne re- Ep.374
çoive quelque ſubvention des gens de bien, qui ont ſoin de ne laiſſer leurs Miniſtres ſouffrir diſette: mais juſqu'a preſent je n'ay voulu eſtre en charge a perſonne, me contentant de me ſervir de mes moyens. Et n'eſtoit ces pertes que j'ay eues depuis cinq ou ſix ans, qui ne ſont moindres de trois mille Francs, la pluſpart en banqueroutes juſques au nombre de trois: je pourroy vivre fort a l'aiſe de mes petits revenus, moy & ma femme ayans eſté ſoigneux de vivre frugalement des le commencement qu'avons eſté enſemble, & d'eſpargner le plus qu'il nous a eſté poſſible, ce qui nous vient a preſent bien a point. Si la perſecution & rigueur exercée en Hollande contre les Remonſtrans venoit ci apres a ceſſer, je ſeroy bien content d'y retourner & y continuer ma demeure. Si non, force me ſera de m'arreſter ici, ou faire retraite ailleurs. Dieu & le temps nous monſtrera ce que nous aurons a faire. Ceux de l'Egliſe Romaine, qui par ci devant ont eſté aſpres a moleſter & perſecuter les noſtres, ſemblent maintenant avoir honte de telle façon de faire, & meſmes la deſadvouer & deteſter, notamment es quartiers de deça, voyans qu'ils n'y ont rien gagné, ains pluſtoſt perdu, s'eſtans rendus odieux a une bonne partie de la Chreſtienté par telles procedures: & ſe mocquent des Contre-remonſtrans, qu'ils appellent Calviniſtes & Gomariſtes, de ce qu'ils commencent a prendre ce train, & leur en font frequentes reproches, tant de bouche que par leurs eſcrits: ils ſe mocquent auſſi de leurs paradoxes, & les refutent ordinairement à leurs ſermons: & n'eſt pas a croire combien grands ſcandales procedent tant des dites perſecutions, que des ſuſdits paradoxes: deſquels ſi les ſuſdits Contre-remonſtrans ne ſe retractent, il eſt a craindre qu'ils ne feront grand tort & dommage à l'Egliſe Reformée. Les Remonſtrans, voyans que toutes les remonſtrances qu'ils leur en ont faites n'ont de rien ſervi, & qu'au lieu d'en faire leur profit, ils ſe ſont prins a nous perſecuter, ſont d'intention de les deſcouvrir & manifeſter au long & au large devant les yeux de toute la Chreſtienté, ſes combatre & refuter, & defendre virilement leur cauſe. Et a ceſt effect ils font imprimer tous les Eſcrits, qu'ils ont exhibé au Synode de Dordrecht, & font tout leur poſſible à ce que l'ouvrage ſoit preſt pour la foire de Francfort: Il contient environ cinq alphabets en lettre moyenne in quarto: & eſt diviſé en deux parties: Ils n'ont peu le faire imprimer ſi toſt qu'ils euſſent bien deſiré, faute de commodité. Les Contre-remonſtrans entendans cela, ſe ſont auſſi reſolus de faire imprimer leurs actes & ouvrages Synodaux, diviſez en trois parties: dont les deux, à ce que nous entendons, ſeront preſtes pour ceſte foire. Ainſi la Chreſtienté pourra juger de ce different par la lecture

Ep. 375. ſture des eſcrits de l'une & de l'autre partie. De ſurplus, on imprime un Antidote Latin contre le dit Synode de Dort. Cela fait, on mettra la main à l'Anatomie de l'eſcrit du S^r. du Moulin. Quant a l'eſcrit de Baſſecourt, intitulé, Election Eternelle & ſes dependances, duquel me faites mention en quelcune de vos lettres, dautant qu'il ſe prend particulierement à moy audit eſcrit, il m'a donné occaſion de luy oppoſer un autre eſcrit, intitulé, Examen des Opinions de M. F. Baſſecourt, contenues en ſon livre de diſputes, intitulé, Election Eternelle & ſes dependances. Lequel Examen a eſté imprimé à Amſterdam, il y a environ deux ans, & a eſté aſſez bien vendu. Il n'a pas prins envie audit Baſſecourt d'y reſpondre, ni rien repliquer à l'encontre, l'imprimeur de ſon livre s'eſtant plaint à luy, qu'il n'y faiſoit point de profit, & qu'on luy en renvoyoit divers exemplaires par faute d'acheteurs. Ce S^r. de Baſſecourt eſt de tel eſprit, qu'on peut dire qu'il a quitté la moinerie, mais que la moinerie ne l'a pas quitté, comme il l'à fait paroiſtre en ſes ſermons a Amſterdam, qui de commencement ont eſté receus avec quelque applaudiſſement du pluſieurs foibles eſprits, a cauſe de quelque parade & oſtentation en ſes paroles, mais j'enten que maintenant ceſt applaudiſſement a ceſſé.

d'Anvers au mois de Mars 1620.

CCCLXXV.

JOHANNI GREVIO

BERNHARDUS BRANTIUS

S. P. D.

Bernhard Grevius, et al parentes Grevius, explan.

VIx credis, Grevi deſideratiſſime, quanto mœrore affectus fuerim, cum præſens luctuoſiſſima tua conditio nobis exponeretur. Ecquid enim majori triſtitia & dolore animi nos premere potuit, quam inaudire te, pientiſſimorum parentum ſobolem, quondam Myſtam & Angelum cœtus benedicti, quæ Soſpitatori noſtro in hac miſeriarum valle colligitur, affinem inſuper conjugis meæ dilectiſſimæ, huc abjici & protrudi, ut periculum exiſtimationis & fortunarum tibi metuendum veniat. Doleo ſane vicem & tuam & familiæ. Atque ut videas nos revera συμπαθεῖν, (*condolere*) intermittere nec potui, nec debui, quin animum tuum nonnihil ſedarem, dolorem mitigarem, rationemque oſtenderem, quomodo ex hoc barathro perditionis te extricare, conjugi & matri dilectiſſimæ a gritudinem animi, luctum & fletum abſtergere, familiam denique lætitia afficere queas. Animum pacatum reddes, ſi cum Deo tuo, Eccleſia, & Magiſtratu Chriſtianiſſimo in gratiam redeas. Memineſti cum coram adeſſes, per viſcera Miſericordiæ Divinæ te interpellatum, rationem haberes Eccleſiæ Jeſu Chriſti, & operam dares ne te adjutore amplius illa laceretur & ſcindatur. Quæ enim injuria major, quæ gloriam ipſius Dei noſtri magis obfuſcet, quam ex duritia cordis Eccleſiam everſam potius velle, quam vel minimam propriæ exiſtimationis jacturam fieri? Dedecet ſane nos, qui nomen noſtrum ſummo Imperatori Chriſto in ſacro Baptiſmate dedimus, animi illa contumacia. Quæ enim illa religio, cui religio non eſt cum quibuſvis ſectariis & hæreticis Eccleſiam premere, putidis convitiis & inanibus conſequentiis illam contaminare & polluere? Tute noviſti eas ipſas conſequentias, quas veſtri nectunt, & Eccleſiis objiciunt, ab ipſa Synodo Dordracena rejectas. In cathedra de illis altiſſimum ſilentium, & huc omne Reformatarum Eccleſiarum ſtudium ſpectare, ut gloria omnis electionis, fidei, & ſalutis ſoli Deo remaneat, qui ſuos indefinenter diligens, ab omni illos inſultu & machinatione Sathanæ protegit, & opus Redemptionis in iiſdem perficit. Intra hos terminos ſi tu nobiſcum verſere, næ tu præclare de Eccleſia Jeſu Chriſti merebere! Memor itaque eſto unde excideris, reſipiſce, & priora opera facito. Sin minus, vides manum Dei contra te extenſam, quæ prurium ingenii non multum ſinet. Sane ſi me conſultore uti voles, ſubſcribendum judicio orthodoxo conſenſui. Sin vero mentis tuæ imbecillitas hoc vetet abſolute fieri, ſaltem te obliges, pacem Eccleſiarum te ſectaturum, & Magiſtratus benignitatem & clementiam, quæ liberas ſedes quietis relinquunt, agniturum. Hoc ſi obtineam, crede mihi apud amicos, quorum magnam copiam parens mecum in Belgio habet, nos acturos, ut non tantum omnis noxa, quæ commiſſa, condonetur: ſed & ad priſtinam dignitatem redeas. Hic ſi conſilio meo ſteteris, conſcientiam tuam tranquillam reddes, animum omni cura, matrem & conjugem, mœſtiſſimas, ab omni perturbatione, filiolum metu, familiam periculo, liberabis. Sin vero minus, cogitationes tuæ te accuſabunt, moleſtiis te involves, matrem decrepitam & conjugem enecabis, filiolo ignominiam, amicis moleſtias relinques. Moveant te fletus, ejulatus matris te moveant. Valeant ejuſdem ſuſpiria. Cave ne animus tuus obdurefcat, dum caſtigationem divinam perſentis. Manaſſis potius exemplum te flectat, qui chalybeis vinculis deductus in Babylonem, cum angustia afficeretur, deprecatus eſt faciem Jehovæ, depreſſitque ſe valde coram Deo majorum ſuorum: nec vana fuit ejus humilitas & deprecatio. Deus enim exaudivit ejus deprecationem, reduxitque illum in regnum. Sic ſic Manaſſe didicit Deum ſuum agnoſcere. Utinam & vincula tua tibi & Eccleſiæ ſint ſalutaria! Nos non ceſſabimus pro te preces noſtras fundere, ut cum Deo, Eccleſia & Magiſtratu in gratiam redeas. Quorum patrocinium tibi ex animo opto & voveo, & de conſtan-

Ep.376. ſtantiſſimo noſtro in te affectu te ſecurum eſſe jubeo, firmiter tibi hoc perſuaſum habens, nihil nos acturos quod in tui detrimentum cedere poſſit. Bene vale. Deus te ſoſpitet, & mentem ſanam in corpore ſano largiatur, ut diu Eccleſiæ bono ſuperſtes vivas. Tu ſi queas nos reſponſo aliquo dignare, & ut valeas refer, ut ſciamus quid ſperare debeamus. Salutat te parens meus venerandus, cum conjuge. Subito. Veſalia 23 April. Anno 1620.

CCCLXXVI.

BERNHARDO BRANTIO

JOHANNES GREVIUS S.P.

Rationes cur non poſſit miniſterio inter Remonſtr. renunciare.

GRatiſſima mihi, amiciſſime Branti, *συμπαθειαν* (*compaſſionis*) tuæ in hac quam vere nominas luctuola mea conditione ſignificatio, eamque ego ex candore tuo, affectu in me priſtino, & familiaritate inter nos à teneris mutua, hactenuſque (ſi infeliciſſimum hoc qualecumque Religionis diſſidium excipias) illæſa, veram & ſeriam exiſtimo. In ea autem dum mihi quod eſt amici, Chriſto autem ſummo legiſlatori, quod eſt Chriſtiani, præſtare ſatagis, qui nos intimo alienæ miſeriæ ſenſu affici, dolentibus condolere & patientibus compati non ſemel juſſit, eaque pro viribus noſtris expedire quæ ad ſolatium, ſubſidium, aut qualemcumque opitulationem afflicto oppreſſoque proximo ſervire poſſint; recte quod, poſtquam te meo nomine mire anxium ſollicitumque ſis profeſſus, ad conſilia abeas, eaque ſuppedites, quorum uſu, rebus tum meis, tum totius familiæ, in ſummam triſtitiam demerſæ, mederi atque conſulere poſſim. Agnoſco affectum, & mihi de hoc amicorum genere gratulor. Sed dum conſilii tui rationem, quod ſuggeris, expendo, & ſingula ad calculum revoco, quæ literis tuis mirum in me affectum ſpirantibus inſperſa, occurrit prima fronte, te contumaciæ & præfractæ animi mei obſtinationi, quicquid inobèdientia mea contra ſummas poteſtates peccatum, in univerſum imputare; imo ſic te ſtatuere, ex vana aliqua nie, & ſtulta ambitione (ne quid exiſtimationi meæ deperiret errorem revocando, aut cedendo melioribus monitis) laceraudæ, atque ut totum dicam, opprimendæ Eccleſiæ gnaviter incumbere decreviſſe. Amice quo te præjudicia & opiniones tuæ abripiunt? Patiare itaque, per Deum te rogo, & omnia ſacroſanctæ charitatis (quam pravi nihil ſuſpicari aſſerit Apoſtolus) jura te obteſtor, patiare, inquam, animo tuo opinionem hanc evellam, & horridam illam de actionum mearum intentione atque ſcopo hypotheſin, aut mitigem ſaltem judicii tui aſperitatem. Rationibus hoc tentabo, quas prudentiæ tuæ expendendas, ponderandas, imo ſi libet enervandas relinquo. Rem te dignam, Ep.376. mihi gratam, aliis forte ſalutarem præſtabis, ſi huic labori te accinxeris, & benigne commonſtraris, nos fuco potius rationum leviculârum deluſos, quam ex irrefragabili conſcientiæ noſtræ, ſolidiſſimis rationibus innixæ, imperio compulſos, in graviſſimam ſummi Magiſtratus offenſionem incurriſſe, qui miniſteriis noſtris exauthorati, & priſtina ſtatione dejecti, petentibus Eccleſiis, officia noſtra commodaverimus. Audi, amice, exauthoratos nos per Synodi Provincialis decreta, quæ rata eſſe voluerunt ſummæ poteſtates; & externa illa, quæ miniſtrum publicum externe formant, & ut ſignificantius dicam, qualificant, nobis periiſſe non diffitemur; libentiſſime hoc ſummo Magiſtratui deferentes, miniſteriis eum nos pro authoritate ſua exuere, ſtipendiis privare, tutelam & patrocinium denegare, templis interdicere, plurimaque id genus alia jure in nos poſſe. At in iis, quos Apoſtolos, Epiſcopos, Presbyteros, Paſtores promiſcue nominant, alia præter hæc, majoris ſane momenti, an non conſideranda veniunt, interna illa & ſpiritualis unctio? cujus (liceat hoc à ridiculis Pontificiorum Sacramentis mutuare, & ad propoſitum hoc transferre) character, meo judicio, indelebilis ſemel impreſſus æternum eos huic muneri devinxit? Interna etiam illa & tacita Chriſti vocatio, qui eos ſemel ſibi elegit, doniſque inſtructos Eccleſiæ ſuæ præfecit, & ad perpetua ſervitia ſibi obligavit, quo nexu, quo vinculo, indiſſolubili prorſus, quis mortalium ſolvet, quis quæſo expediet eos? Non ineptum, fingere atque ſtatuere ſpirituale inter Eccleſias miniſtroſque Euangelii conjugium, & quemadmodum humana conjugia nullo jure, nulla poteſtate ſolubilia, quæ ſpiritualis hujus conjugii imagines quaſi ac typi; ſic eadem tacite dictare, Paſtorem cum Eccleſia indiſſolubili nexu cohærere. Qui hæc ſerio meditantur, & ad conſcientiæ ſuæ ſuffragium ſubinde recurrunt, audiunt eam hæc inclamare: tu Chriſti, ſummi Paſtoris ovium, in terra hac vicarius, in perpetuum ei obligatus, paſcendo gregi ejus quantum potes fideliter & ſtrenue incumbe: memineris te non tui juris, in poteſtatem Eccleſiæ, ſponſæ Chriſto dilectiſſimæ, te tranſiiſſe, eique ſancto, ſpirituali, perpetuo, atque inviolabili fœdere & juramento te obſtrinxiſſe: in quem finem tibi patefacta myſteria divina? in quem uſum divinitus tibi ad ſacroſanctum hoc munus conceſſa aptitudo & ſufficientia? ſi non ea pandere aliis, ſi non erudire & perficere alios volueris. Quorſum viri ſapientis ſapientia, ſi eam non exſerat atque exerceat? defoſſo in terram theſauro ea non abſimilis, *Eccleſ.* XX. Hortatur Apoſtolus in ſtatione noſtra permaneamus; monet Chriſtus nomen ſuum conſtanter profiteamur; mandat talentis concreditis negociemur, & amplas ſupra ſortem lucremur & reſtituamus

uſu-

Ep.379. uſuras. Ei itaque, qui ſemel eos in divina & ſancta hac ſtatione locavit, profeſſionem nominis ſui demandavit, talenta concredidit, domus ſuæ cuſtodes poſuit, vigilare juſſit, & latratu ſuo prodere & arcere infeſtos homines, qui quoquo modo nocituri veniunt; ei, inquam, quid reſponſuri, ſi deſerta vocatione, ſepultis talentis, abjecta profeſſione otioſi deſidere, obdormiſcere, muteſcere, & partium ſuarum nullatenus ſatagere velint. Opus fac Euangeliſtæ, exſuſcita dona quæ in te ſunt per impoſitionem manuum, inſta tempeſtive atque intempeſtive, miniſterii tui plenam fidem facito, ſtude te ipſum probatum iſtere Deo, operarium qui non erubeſcat, eſto tolerans laborum, ut bonus miles Chriſti: ne te pudeat teſtimonii Domini noſtri Jeſu Chriſti, neque pudeat mei qui ſum captivus, ſed eſto particeps afflictionum; toties iterata exhortatione, tam ſerio, tam graviter, omnibus in univerſum veris fidiſque Jeſu Chriſti ſervis, ſummus ille Apoſtolus in Timothei ſui perſona inculcat, demandatque ut ſedulo, alacriter, indefeſſim, conſtanter toto vitæ ſuæ curriculo Chriſtum prædicando, mandataque ejus inculcando, demandati ſibi ſemel muneris partes exequantur. Tanti merito momenti atque ponderis apud nos eſſe debebat Apoſtolica hæc exhortatio, ne vel tædio difficultatum, vel formidine periculorum fracti, aut rebus proſperis deliniti manum ab aratro, alio reſpicientes, facile retraheremus, vel ſtulta aliqua voluntatis inductione, inanique & ſplendida melioris fortunæ conſectatione, difficillimo atque moleſtiſſimo miniſterii jugo nos ſubtraheremus. Diſpariter quidem ſua Spiritus Sanctus dona diſpertitur, huic plus, illi minus, illi ad centum, huic vix ad decem; à ſingulis tamen exigit diligentiſſime conceſſis operentur: impares quidem, qui nunc in vineam & ad meſſem Domini vocantur operarii, & longe inferiores donis qualitatibuſque Paulo, neque tantus ex illorum labore fructus aut emolumentum exſurget Eccleſiæ; væ tamen illis niſi euangelizent, væ ſi obtorpeſcant. Stimulum credo in corde fuiſſe plurimorum fratrum, & calcar ad ſummam alacritatem, etiam inter anguſtias Chriſti crucifixi ſermonem prædicare, cum comminationis iſtius horrore perculerentur. Inflammati magis cogitationum ſubinde recurrentium frequentia, charitati (quæ nobis ſuprema lex eſſe debet) hoc ipſum adverſari, famelicas & ſitibundas Eccleſias deſideratiſſimo cibo potuque, noſtro cum periculo, explere nolle, & iis quæ nobis charæ fuiſſent, quibuſque nos tamquam nutrices conſtituti, Euangelium, imo proprias noſtras ipſorum animas, ad ſolatium & fulcimentum fidei, non impertiri velle. Inter fines externi atque ordinarii miniſterii, quod perpetuum eſſe Chriſti conſtitutio voluit, annon hic primarius, ut tum vivæ vocis ἐνεργεια, (*efficacia*) tum ſanctioris & caſtigatioris vitæ exemplo ad beatos & cœleſtes mores formemus gregem Chriſti? ut homines Chriſtum profeſſi, vita moribuſque ſecundum Euangelii normam digne ambulando, quantum humana imbecillitas patitur, eumdem ad vivum exprimant, & irreprehenſi, ſinceri, incontaminati, tamquam luminaria aliqua, ad ſummi Patris gloriam in hoc mundo ſplendeant? Remonſtrantica autem (quam ſic diſcriminis cauſa vocare liceat) doctrina ex genio atque indole ſua huic fini magis apta, magis appoſita, facilius efficaciuſque ad pietatem atque innocentiam flectit impellitque Chriſtiana pectora: quippe quæ neceſſitatem bonorum operum vehementius urgeat, facilitatem eorumdem clarius aperiat, atque perſuadeat, remoras atque impedimenta pietatis majori induſtria repellat atque cohibeat; obſtructo illo invictæ illius ſuperbiæ (ſcis quo reſpiciam) neceſſitatis omnia neceſſitantis fonte. Hoc pacto igitur Chriſto gratificari velle, & ad ſanctiſſimos mores, Reformationi veræ vere congruentes, Chriſtianam plebem accendere & exhortari, quo ſine ſerio ſanctitatis ſtudio, & conſpicuo aliquo in eodem profectu, nec Chriſti, nec cœleſtium unquam conſortia obtinebit; annon operæ pretium judicas? Apud omnes ſectarios, & quicumque aliquam religionem ſunt profeſſi, axioma hoc tamquam indubitatæ veritatis admittitur, Religionem nullam ſine externo ejuſdem exercitio poſſe conſtare, illudque tamquam fulcrum & fomentum ſibi omnino neceſſarium depoſcere; quemadmodum pulcherrime hoc demonſtrat vir ille egregius, Franciſcus Balduwini, ab exilio per Archiepiſcopum Artebatenſem revocatus, in diſcurſu quem in primis Bredanis confœderatorum Belgii nobilium comitiis, ex eorundem voluntate & juſſu, Gubernatrici Parmenſi exhibendum compoſuit. Poſita itaque religionis noſtræ neceſſitate atque veritate, de utraque credo plurimos perſuaſiſſimos eſſe, exercitii ejuſdem emerget neceſſitas, patebitque quo jure exercitio ejuſdem, etiam cum periculo, ſeſe mancipare, non detrectare debuerint. Præter hæc, quæ vides, rationum momenta, mihi cum cæteris paria & communia, votum matris, ultimaque pientiſſimi & de Repub. veſtra atque univerſa patria præclare meriti parentis mei voluntas (cujus maximam reverentiam atque obſervantiam filiis jura imponunt) arctius huic non temere deferendæ provinciæ obſtrinxerunt: mater me ex deſperato morbo jam pene exanimem, precibus & lachrymis à Deo, Patre miſericordiarum, redemptum, ad exemplum Hannæ, quæ mater fuit ſummo illi Prophetæ, templo Dei, & divino ſacerdotio me vovit dicavitque. Ex matre, quæ tibi, parentique tuo honorando, jam plurimos annos amica & familiaris, facile ſcies, quoties in voti ſui non infelici ſucceſſu (liceat hoc citra arrogantiam dicere) ſerio exultarit, quoties ardentiſ-

Ep.379. Ver. 7. Matth. 25. Matth. 10. Iſa. 56.

1 Tim. 4. ad Timoth.

Ep.379.

Pſal. 3.

Jean Paul. tom. 1.

Ep.379. simo zelo multisque precibus me exhortata fuerit, Spartam hanc, quam nactus eram, fidelissime adornarem, neque umquam in animum meum inducerem stationem hanc laboriosam & molestam cum optima aut amplissima seculi hujus commutare. Si igitur hisce rationibus persuasus, ad conscientiæ meæ tranquillitatem, officii mei sedulo & plusquam par erat, tuo judicio, satagere voluerim; ne quæso, Doctissime Branti, idipsum tantopere exagites, aut ex contumacia, aut ex aliquo luxuriantis ingenii pruritu, aut vana ambitione profectum esse arbitrere. Abfuit contumacia, abfuit ambitio, vere dico, abfuit quidquid piam intentionem contaminare posset. Vah hominem Christianum, pii officii, piæ intentionis atque devotionis obtentu contumaciam, ambitionem, & alia animi vitia palliare & tegere velle. Deum testor, hoc unicum intendi, ut Deo & conscientiæ satisfacerem, abhorrui ab iis quæ hic carnem saperent. Conciones meas non seditionis, non tumultus, non contemptus summarum potestatum, non insolentiæ, non protervitæ occasiones aut flabella & incitamenta esse volui. Formatos itaque tumultuarios, inordinatos, & promiscuos plurimorum hominum confluxus nunquam probavi, protestatusque non semel, hujusmodi turbis me operam meam denegaturum. Tranquilla mihi & secura, Dei beneficio, hoc nomine conscientia, quod nunquam sub devotionis prætextu aliquid quod devotioni esset contrarium molitus fuerim. Summus ille rerum arbiter, qui se rideri aut ludificari non patitur, confundet illos omnes, quotquot sub pii zeli prætextu mundana solummodo & carnalia consectati fuerint. Sed ne mi Branti prolixitate nimia ulterius te fatigem, ad consilia tua, quæ suggeris, eamus. Orthodoxo Ecclesiarum consensui, si modo hoc patiatur mentis meæ imbecillitas, subscribam suades; aut ad silentium & pacis sectationem summo me Magistratui, qui sedes quietis relinquit liberas, obstringam. Orthodoxo consensui & Euangelicarum Confessionum Harmoniæ utinam subscribere liceret, salva nobis in ardua hac & abstrusa divinæ prædestinationis materia opinionis nostræ libertate! Utinam illa salva συζυγίαν (*confœderationem*) & sacrorum communionem nobiscum non detrectaretis! Utinam æquis conditionibus ac legibus ad pristina munia admissis Zionem ædificare vobiscum in pace liceret, & ridentibus ac gaudentibus ob hanc animorum disjunctionem sævissimis nostris hostibus, insperata eorundem coagulatione & mutua conjunctione luctum metumque incutere! Utrimque hic aliquid remittendum erat, utrimque nonnihil cedendum. Ex parte mea, ego paratissimus nihil non facere, quod rei tam necessariæ atque optatæ servire possit. Sed ipsum ex adverso sperare an liceat, nescio, vereorque hanc rem voti potius esse, quam spei, propter nonnullorum Ecclesiastarum αὐτοφυΐαν, (*duritiem cordis*) qui puritatis & omnimodi consensus nimii zelotæ ab Ecclesiæ (quam angustis finibus coarctant) gremio omnes eos arcent, quibus quoquomodo ulla dubitandi aut hæsitandi, in rebus etiam non adeo magnis, obrepsit occasio. Præstat autem hæc deplorare potius, quam palam exaggerare, & summum illum rerum omnium rectorem sedulo rogare, huc omnium studia flectere, huc omnium animos inclinare velit, ut in unum potius habitare velimus, & in unum corpus coalescere, quam anathematis fulmine, quo alter alterum nunc, proh dolor! ob rem pene nihili impetere cœpit, pretiosum hoc corpus ultra discindere & lacerare. Doleat nobis jam pene neminem esse Christi, postquam alter alteri anathema esse cœpit, quemadmodum vere D. Hilarius suo tempore in simili propemodum casu ingemuit. Pacis studio, quod iterum atque iterum mihi commendas, quantopere afficiar, & quam serio velim, etiam mea qualicumque opella, hæc tristissima Ecclesiæ vulnera consolidari posse, Deum testor, Deum illum pacis, qui juratos pacis inimicos, & seditiosa illa pectora acerbissimis poenis mulctabit. A me itaque hoc facile impetrabis, ad pacis studium me obstringam, sanctèque spondeam, nihil prius mihi, nihil antiquius fore desideratissimæ pacis studio & promotioni. Cui me, mea studia, conatus omnes, & quidquid à me proficisci potest, libenter impendam, eumque me Deo, Ecclesiæ & Reipub. præstabo, quem pacis patriæque amantissimi jure desiderare possint; huc semper respiciens; *Fructus justitiæ seritur cum pace iis qui dant operam pacis.* Et quia mihi pacis seria cura, non frustra erit te exhortari atque obtestari, restituendæ, fovendæ, firmandæque paci, ne vos zelo vestro (acrius nihil dicam) officiatis. Meministi ad prandium me cum traheres, qui exhortatione litigiosum istud in templo colloquium coronare voluerim, vos obtestando, ne speciosæ potius puritatis zelo, quam affectuosæ charitatis studio labascentem Ecclesiam sustinere & firmare velletis, neque hæreticidio zizania evellere, aut suppliciis Ecclesiam purgare; sed errantes, hæreticos, schismaticos, lenitate, mansuetudine, rationum robore, testimoniorum pondere, & aliis modis, mediisque omnibus in Euangelio præscriptis, erudire, sanare, & ad Ecclesiæ gremium revocare studeretis. Hoc iterum ingemino, & vehementer rogo, hic vos Christianos præstetis, & excussa hæreticidii cupiditate, abjectoque ejusdem patrocinio, quod nuper in templo vestro suburbano, præsente nostro Brouckhusio, publice insonuit, Ecclesias Reformatas ab hac infami labe liberetis. Hujus velim Rappardum tuum moneas (cujus zelus tibi nobis præsentibus compescendus erat) diligentius ut inspiciat

Ep.379. Jac. 3. 18.

&

Ep. 377. & excutiat textum *Matthæi* XIII. de parabola zizaniorum, & probe examinet illud Auguſtini contra Creſcentium; *Nullis hoc placet in Eccleſia Catholica, ſi uſque ad mortem in quemquam, licet hæreticum, ſeviatur.* Velim præterea eo animo hæc excipias & admittas, quo ego tua, quæ mihi in exhortationem aut conſilium ſcribere tibi placuit. Velim te in affectu tuo perſiſtere, & ea matri præſtare, quæ ſolandæ aut erigendæ ſervire poſſunt. Sciat illa de clementia & benignitate Summarum poteſtatum me non deſperare. Deum Opt. Max. ardenter rogabo, eas mihi, cæteriſque fratribus quam maxime reddat propitias. Hujus Opt. Max. tutelæ te cum Eccleſia tua commendo, & patrem tuum honorandum iſtum ſenem, cum chariſſima conjuge, & nepote noſtro Paulo ſalvere volo. Hagæ, x Maji, quo die ante annos quindecim ſacro miniſterio initiatus publicarum concionum initium feci in templo Arnhemienſi.

CCCLXXVII.

Nobiliſſimo Viro

CORNELIO VAN DER MYLE

DANIEL HEINSIUS S.P.

VIr Nobiliſſime, Teſtor Deum immortalem, me nec vivere immemorem tui poſſe, & ſi aliquid humanitus eveniat, non poſſe ingratum mori: quare certo perſuade tibi, nullam fortunæ tuæ partem eſſe, quam non ſentiant amici tui, qui in te fortunam tuam non amarunt, ſed quos aut virtute, in admirationem tui pertraxiſti, aut benignitate tibi vindicaſti. Ego te abſente toties, ac tam frequenter de te cogito, ut longe te exiſtimem feliciorem qui amicis tuis tantum cares, quam amicos tuos, qui hic ſoliſime te vivunt. Incredibilis & heroicæ æquanimitatis olim indicium in te fuiſſet, quod me aliter quam quidam judicare te exiſtimabant, ſentientem, & modeſte id profitentem tuleris, imo & amaveris; niſi fieri non poſſe exiſtimarem, ut is aliter quam omnes orthodoxi ſentiant, qui tales maxima benignitate ſemper proſecutus eſt. Si nunc eſſem tecum, multi hic ſunt quorum obliviſci poſſem. Quod cum fieri non poſſit, ita de te loquor, ut oportet eum, qui ne verbis quidem quantum tibi debeat poſſe ſe exprimere fatetur. Quæ ne unquam animo hoc elabantur, mea res inprimis & exiſtimatio agitur. Ita autem mihi in mentem venire ſolet, ut non videam, quare minus quam tuorum quiſquam, etiam qui maxime propinqui tibi ſunt, calamitatem tuam debeam dolere, quem non amoris tui tantum, quod fuiſſet ſatis etiamſi impudens fuiſſem, ſed fortunæ quoque tuæ ad extremum participem feciſti. Vale vir Nobiliſſime, & de nobis ſaltem mutuo nonnunquam cogita. Lugd. Bat. Anno 1620. 21 Jun. Feſtinanti quæſo te ignoſce. Ep. 378.

Spero te erecto eſſe animo. Habes ſane magnum in adverſis ſolatium, quod pauci apud nos ſunt, qui non ut parentem publicum te lugeant. Nuper mihi Bontius elapſus eſt: Non enim eum abſque meis dimiſiſſem. Invidi ei hanc felicitatem. Ubi meas tibi gratas eſſe intelligam, ſcribam ſigillatim de nonnullis quæ ad meditationes noſtras ſpectant. Accepi nuper literas à ſummo viro, Paulo Servita. Gaudeo de noſtra in religione ſententia tantum hominem ſic judicare.

Ampl. Tua obſervantiſſimus & nunquam ingratus dum vivam futurus

DANIEL HEINSIUS.

CCCLXXVIII.

GABRIELI THRASYLLO,

ROB. EUSTACHIUS S.P.D.

ACcipio accuſationem tuam, mi Thraſylle: tu meam, ſi placet, agnoſce viciſſim, & ignoſce. Spem mihi fecerat Bertius noſter, ſe non multo poſt, quam tuas acceperam literas, in patriam rediturum: itaque dum ſecuritati mearum intentus per ipſum cogito negocium agere, protracto præter opinionem ipſius itinere, protraxi & ipſe reſponſum, quod nunc tandem per ipſius manum recipis. Vidi in literis tuis, quantum laboraveris, ut Spiritium ad capeſſendum munus à me illi oblatum induceres, eoque nomine gratias tibi ago maximas. Vidi & excuſationes illius, quibus id à ſe declinat; quæ, licet rigidiuſculum examen vix ſuſtineant, quia tamen illi ſatis ponderoſæ videntur, ego quoque in illis acquieſco, qui facile patior unumquemque conſcientiæ ſuæ judicio frui. Unum ſaltem eſt, quod nollem animo tam fortiter obſtinaſſet; ut aut intolerabilem ſe fratribus noſtris liberis futurum exiſtimaret, aut ipſos ſibi, ſi de praxi Chriſtiana undiquaque inter ipſos non è veſtigio conveniret: cum veroſimilius ſit progreſſu temporis aut conſenſum inter animos utrimque veræ pietatis adeo ſtudioſos tandem conſtiturum, aut mutuam ſaltem tolerantiam duraturam inter tam manſuetos. Optarim vero ut idipſum, quod hic in noſtris deſiderat, ſcripto aliquo deduceret, & ad eos mitteret, quos ſperare juvat, manum ipſi ingenue daturos, ſi modo juſtis eos rationibus oppugnet; aut, ſi in iis deficiat, contrariis argumentis pectus illius evicturos: ad minimum tanti res hæc eſt momenti, ut conveniat nihil in ea intentatum relinquere, præſertim erga eos, quos, ſi videret, ipſemet, ut exiſtimo, fateretur aliquanto exactius ad Chriſti regulam vivere, quam plerique eorum, cum quibus communia hacte-

De rebus ſuis & imprimis de Bertii apoſtaſia.

Ep. 378. nus ſacra ipſe coluerat, quique ſtudium ſuum ſincerum in religione proficiendi publicis ſcriptis toties teſtati ſunt. Cæteros illius prætextus (ignoſcat mihi, quod ſic appellem) jam non excutio, tum quod leviores ſint (niſi fortaſſis difficile mihi futurum putas, ut probem, hominem tam eruditum, quam vel hæ ipſius literæ docent, inſtituendæ juventuti egregie aptum, idque eo dignius, & ad Reipub. Chriſtianæ utilitatem longe præſtabilius, quam ut mechanicis operibus manum & tempus impendat) tum, quod etiamſi eos operoſe refellam, ſerum tamen id nunc ſit, neque fructus inde ullius ſpes appareat. Hoc ſaltem te rogo, ut firmiter ei perſuadeas, nihil amori meo erga illum hac de cauſa detractum; & quamvis iſtud meum beneficium, ut ipſe appellat, ſive officium potius jam renueret, non minus tamen paratum me, quocunque tempore operam meam requirere dignabitur, ſive abſenti, ſive præſenti (ſic enim adhuc ſperare me jubet) ea præſtare omnia, quæ fratres ſibi mutuo ſolent ac debent, quantumcunque quidem meis in viribus ſitum erit. Ad te, mi Thraſylle, redeo, quem ob id quoque plurimum amo, quod ut cæleſtis veritatis curſum promoveres, tuis te ipſum libris privare, eoſque huc in uſum bonorum virorum deſtinare volueris. De ſeveritate Ordinum nimioque edictorum rigore quotidie pejora apud nos percrebreſcunt: nec ob id tamen deſino ſperare meliora, præſertim cum videam, quanta conſtantia obnitantur veritatis profeſſores, & aut omina me fallunt, aut obtinebitur tandem ab invitis, quod à volentibus non potuit hactenus. Doleo vero in ea mihi loca tam longe à vobis diſcedendum eſſe, quo vix ullum iſtarum rerum, quarum adeo ſtudioſus ſum, nuncium ad me perventurum ſit. Poſſes tu tamen, mi Thraſylle, ſi velles, facile efficere, ne dolorem hunc dolerem, ſi literis me tuis aliquando Venetias uſque proſequereris, cujus quidem rei proclivis tibi erit Amſtelrodami occaſio. Nunc vale, mi Thraſylle, & communes amicos meo nomine etiam atque etiam ſalvere jube. Dab. Lutetiæ Pariſ. a. d. v Kal. Julii 1620.

Literas has, mi Thraſylle, maximam partem jam ante octiduum ſcripſeram, ſperans indies Bertii diſceſſum, cui eas committere ſtatueram: interea ille trahere tempus, donec tandem pertæſus iſtius moræ tam diuturnæ, ſatius exiſtimavi alia inſiſtere via. Huc accedit, quod etiamſi vel hodie iter ingrederetur, nollem tamen jam quicquam meorum committere homini, cui neque religio jam, neque fides antiqua, quæ amicum olim ei me fecerat, cordi amplius eſſe videtur. Dicam apertius rem, quæ fabulæ aut calumniæ ſimilior videri poſſit, veriſſimam, ſed dicam cum ingenti animi horrore, ſummaque deteſtatione, Bertius, heu quondam noſter, Pontificias partes hic amplexus eſt, neque miſſam tantum audivit, ſed & Sacramentum corporis Domini, ut vocant, cum idololatris ſumpſit, & Ep. 379. articulis, neſcio quibus, ſubſcripſit. Habui hoc primum ex viris fide digniſſimis, habui & heri ex ipſius ore, ne tu conjecturis agere me putes, quem quomodo exceperim ipſe, facile cogitare potes. Hæſitabat miſer turbatus animi, jam pallebat, jam ſudabat, jam titubabat in inceſſu, jam ſuſpirabat, jam lachrymabatur, neque quicquam quod opponeret habebat præter injurias iſtorum Gomariſtarum, quibus tam acerbe, imo ſcelerate exagitatus hactenus fuiſſet. Mihi tamen ſuſpicio eſt, ſermonibus quibuſdam illius immixa, cum in ſententiis aut nihil, aut parum certe hactenus mutaſſe, nec alio fine in partes illas tranſiviſſe, quam ut ſtipendium ſuum ex ærario regio obtineret, quod ſcio quam miſere antea per tot dierum hebdomadas fruſtra mendicaverit. Poteſt, ut & aliorum illi ſpes facta ſit; quæ habeat ſane ſibi, ut voluit, cui anima argento venalis fuit. Interim vehementer metuo, ne Hymenæi hujus apoſtaſia affligat optimorum noſtrorum Remonſtrantium famam; & hæc quidem unica eſt cauſa, cur hujus rei nuncium ad te è veſtigio perſcribere voluerim, quod alias per me quidem ignorare tibi licuiſſet: tu, ſi placet, id cum iis, quorum id ſcire intereſt, quamprimum communices, ut videant, ſi ſuo incommodo, aliqua ſaltem ratione hic occurrere poſſint. Deus Optimus Maximus confirmet nos in ſancta veritate ſua, ne tam fœdo exemplo unquam peccemus, cui te, mi amice, cum omnibus bonis viris iterum commendo. Lutetiæ Pariſ.

CCCLXXIX.

FIDES IMBELLIS,

ſive

Epiſtola paræneticа

ad

Illuſtriſſimos & potentiſſimos Confœderatarum Provinciarum ORDINES.

Ordinibus in Belgio patria diſſidentibus Pater tam Eccleſiaſtum conſilia ſuppeditat an ther ſalubria.

PAtres Patriæ, (ita vos appello, quia, tales ut ſitis, officii veſtri religio, ſalus publica & bonorum omnium vota efflagitant) qui antehac ſupplici voce vos affatus ſum, licet fruſtra, etiamnum Veſtras Celſitudines oratione hac incondita, ſed juſtiſſimi doloris plena affabor. Non concidit uno ictu quercus; nec una prece expugnantur heroum animi, tenaces ut plurimum propoſiti, & vere *φιλογενέμενοι*. Interim boni civis eſt, ea in commune conferre conſilia, quæ ad patriæ & publicæ ſocietatis pacem ſtabiliendam idonea fore arbitratur. Idque eo potiſſimum tempore, quo diſtrahendæ

Ep.379. dæ potius reipub. quam coadunandæ, exacerbandis magis quam tranquillandis civium animis ſtudent ii, quibus perdita republica opus eſt. Scelus eſt, cum proximus ardet Ucalegon, inſinuatis manibus vicini periculi magnitudinem adſpectare, & intra ſolum ocium ac ſupinam ſecuritatem conſiſtere. Nec ille à parricidii culpa longe abeſt, qui cum publico prodeſſe poſſit, & patriæ laboranti, ſive opere, ſive conſilio ſuccurrere, ſecuram taciturnitatem vocis libertati anteponat. Dum enim altero injuſtitiæ genere vacat, patriam non oppugnando, in alterum incurrit, eam deſerendo. Non minus reſpublicas perdidit quorundam oſcitatio, quam hoſtium impetus, ſilentium, quam aperta vis, & ſicuti ſæpius male agendo, ita non ſemel nihil agendo imperiorum concidit fortuna. Et quanquam in ea inciderimus tempora, quæ deploratiſſima judicabat Tacitus, in quibus nec dicere licet, quod ſentias, nec ſentire, quod velis; nunquam tamen ea viro bono accidere poſſunt tempora, in quibus ea quæ reipub. expediunt, & ſalutaria ſunt futura, dicere, vel metu vel gratia, non auſit. Tanta cupiditas honeſti, tantus amor patriæ, conjugis, liberorum, pectus ejus accendere debet, ut mori potius malit, poſtquam bene conſuluerit, quam improbe tacendo in præſenti Reipublicæ ruina & tavillis diutius ſupereſſe. Civis veſter fui, ſed nunc in alienam tutelam receptus, civis tamen officium prætermittere non poſſum. Belga ſum & liberis parentibus natus. Partium, quæ remp. veſtram exercent ſectator non ſum. Salutis publicæ ſi quiſquam alius ſtudioſiſſimus. Nec prece nec precio adductus hæc ad vos ſcribo. Nullius gratiam demereri ſtudeo, nullius invidiam pertimeſco. Quæ omnia ſi, quod intendo, impetrare nequibunt, fidei, ſaltem nonnihil & authoritatis apud æquos rerum æſtimatores huic noſtræ adhortationi impetrabunt. Si male conſuluero, tantum ſcripta hæc putate. Si bene, conſiliis ſaluberrimis obſequi ne ſit pudor. Deo, Patriæ, bonis omnibus gratiores eritis, ſi talibus monitis præceptiſque lætabimini.

Vidimus, Illuſtres Domini, mutatam aliquot retro annis Reipublicæ veſtræ faciem. Vidimus novis fluctibus jactari optimam Belgicæ partem, quis portum occupaverit fortiter, quo remigio nudatum ſit latus, ut malus celeri Africo ſtuctus & antennæ gemant, nec ſine funibus carina noſtra durare poſſit imperioſius æquor, quamvis & Anglorum Fœdera & Venetorum opes & præſidia propria jactetis. Abiit in partes Reſpublica veſtra, gliſcit animorum diſcordia, armatur in civem civis, & quo propius ſubditos veſtros vel affinitas, vel priſtina religionis communio, vel ſtudiorum ſocietas conjunxit, quo acerbioribus inter ſe odiis jam concurrunt. Dolent boni; condolent, qui vobis bene volunt; qui male, gaudent, & forte frigidam ſuffundunt. Cauſas & autores malorum ex alto arceſſere res plena Ep.379. eſt invidiæ. Non deeſt utrique parti ſuus color & recti ſpecies. Peccatum utrinque non ſine ingenti reipub. damno. Certatur hinc inde pro aris, religione & Sacris. Belli αἰτίαμα (*prætextus*) periculoſiſſima eſt. Religio, inquam, quæ ſæpiſſime non ſuo, ſed hominum vicio, peperit ſceleroſa atque impia facta. Utique hæc ipſa ſtolida Græcorum perſuaſione Iphigeniam mactavit, & ſapientiſſimum mortalium ſorbitio ſuſtulit. Hæc Chriſtianorum in Græcia Eccleſias peſſumdedit; & Ottomannicæ domus ſucceſſus mirabiliter auxit. Hæc vix natam primis poſt Apoſtolorum tempora ſeculis Chriſtianam gentem in partes diſtraxit, & orbem univerſum ſub Conſtantini imperio ſecum commiſit. Hæc Patrum noſtrorum ætate maximorum bellorum paſſim in Germania, Gallia, Helvetia, & hoc noſtro Belgio cauſa una exſtitit. Nunc quoque, pacis veſtræ & ocii prodigi inteſtina diſſidiis conſligitis, & dum pro aris quiſque decertat, quam poteſt ſtrenue, prope abeſt, quin focos ipſos ſubvertat, ſine quibus aris locus eſſe non poteſt. Contraremonſtrantes ſententiam ſuam in Reformatorum Eccleſiis diutius ſonuiſſe contendunt. Remonſtrantes primitivæ Eccleſiæ uſque ad tempora Auguſtini conſenſu gloriantur. Illi Prædeſtinationem abſolutam, & quæ inde fluit bonorum & malorum neceſſitatem urgent. Hi Prædeſtinationem conditionatam, &, quæ inde conſequitur, actionum humanarum contingentiam & libertatem tuentur. Illi pro laude gratiæ divinæ, hi pro juſtitiæ ſibi decertare videntur. Illi tutius arbitrantur nihil in recepta doctrina mutari. Hi ex re religionis fore putant, ſi profeciſſe ſe fatetur Eccleſia & quædam diſcere non erubeſcat. Illi Synodi patrocinium idque feliciter; hi Magiſtratus ſummi, ſed infeliciter, implorarunt. Illi duriuſculi & eoſdem animos induti, quibus Pontificios ſedibus ſuis deturbarunt, rem præſentem magna contentione aggreſſi ſunt. Hi manſuetiores, & parti adverſæ indulgendo adverſariorum iram ac zelum facilitate ſua irritarunt magis. Neutra pars, mutatis rerum ſucceſſibus, iis, quibus cœperat, principiis ſtetit. Remonſtrantes toleratione mutua rem componi poſſe dictitabant. Contraremonſtrantes circa quinque articulos pacis ſpem faciebant. Illi jam inclementius habiti ſuam ſibi Eccleſiam habere volunt. Hi veſtra authoritate armati Synodi decreta non ad pacem, ſed apertam aliorum condemnationem direxerunt. Illi miſeriam ſuam in deſperationem verſare viſi ſunt. Hi fortunæ ſuæ ac felicitati vix pares, ex miſeria aliorum ſecuritatis ſuæ munimenta quæſiverunt. Bis pacis ſpem excuſſit Contraremonſtrantium fervor. Semel tunc, cum concordiæ mutuæ Decreto, quo verior, gravior, utilior, melior reipub. nulla eſſe potuit ſententia, aſſentiri nollent. Secundo cum impetrata

Ep.379. Synodo ea dogmata decidere in animum inducerent, de quibus in hanc vel in illam partem pronunciare in hunc uſque diem religioſe horruit Catholica Eccleſia. Bis pacis remedia neglexiſſe quibuſdam creduntur Remonſtrantes, Primo cum rerum potiti & Magiſtratuum ſuorum patrocinio muniti Synodi Nationalis celebrationem aut non urſerint, aut ſegniter nimis. Ita enim ſtatuo, majorem æquitatem & animi moderationem ab exteris Theologis tum temporis expectari potuiſſe, integra adhuc republica, quam poſtmodum mutata. Deinde, cum depulſi Magiſtratuum ſuorum præſidio, & Synodi voce damnati, cœtus ſuos ſibi habere, quam publicæ tempeſtati cedere maluerunt. Quanquam poſtremum hoc, non imprudentia, ſed certo animi propoſito & de induſtria facere aggreſſi ſint. Solum enim hoc proſcriptis ſupererat refugium, ut quam publice jam protiteri non poterant ſententiam, clam docerent. Et licet alii officii conſcientia ducti clandeſtinis cœtibus habendis invigilarent, non dubium tamen, quin fortaſſe quidam rei familiaris inopia & exilii impatientes in hanc neceſſitatem protruſi ſint. Inter hæc dum alius in alium turbati Reipub. ſtatus culpam derivat, vacillat ille, & in proximum adducitur diſcrimen. Enimvero cum in civium unitate imperantium omnis poſita ſit vis, accidit, ut illa diſſoluta ſceptrorum Majeſtas corruat, nec verenda ſubditis, nec metuenda hoſtibus. Quod uſque adeo majorum noſtrorum animo inſculptum fuit, ut hoc elogio gloriari ſoliti ſint, *Concordia res parva creſcunt, diſcordia res maxima dilabuntur.*

Atque hæc quidem res uſque adeo ſollicitas tenuit V. V. C. C. ut non ſemel decomponenda Repub. & Eccleſia conſilia iniverint. Placuit Synodo controverſiam dirimi. Judicavit illa, & damnata alterius partis ſententia publicis functionibus tam profanis quam ſacris ſummovit, quotquot illi adſtipulati fuiſſent. Utinam vero non ulterius proceſſiſſet Eccleſiaſticorum importuna flagitatio, & nimia veſtra in obſecundando facilitas. Ventum eſt ad proſcriptiones & exilia, & extra patriam inter hoſtium vultus atque ora verſari coacti ſunt, qui patriam hanc uti vitæ, ita mortis ſuæ domicilium delegerant. Hinc recruduit malum, & ſopita, uti videbatur, contentio, rurſum in nervum erupit. Templis ejecti cives veſtri, in agris, horreis, de die, de nocte, hic armati, alibi imbelles (more majorum) ad conciones confluxere, ut Synodo non lenitum malum, ſed exaſperatum videretur. Secutæ ædium direptiones plus quam barbaræ, civium expilationes, opprobria publica. Nec, qui victi, victi videri volebant, ſed contemptis omnibus, quæ chariora habet mundus, libertatem conſcientiarum vel vitæ periculo redimere parabant. Inſederat animis ſuperiorum ætatum memoria, parentum ſub Albano duce afflictio, & poſt tot malorum perpeſſiones parta in Gallia, Germania & hoc noſtro Belgio Euangelicæ doctrinæ libertas. Nec minus liberum ſibi fidei exercitium deberi ingeminabant, quam Lutheranis, Anabaptiſtis, &, quod magna ſpecie allegant, Judæis ipſis. Ep.379

Hæc rerum perturbatio rurſum ancipitem vobis curam præbuit cogitandi, quid facto opus eſſet, & quibus remediis tantis malis obviam iri poſſet. Enimvero aut prudens adhibenda fuit moderatio, aut conſtans rigor. Placuit vobis duriore remedio rem experiri, & Edicta Edictis accumulare, quibus uſurpata concionandi licentia præcideretur plane, indictis mulctis pecuniariis, & arbitraria correctione, quotquot conciones iſtas vel frequentarent, vel ſtudiis ſuis foverent. Poſtea novo decreto acrius in doctores animadverſum eſt, & ad perpetuos carceres damnati ſunt, quotquot ad Eccleſias ſuas redituri eſſent paſtores. Erecta proditionis præmia, & quingentis florenis cuivis ſceleſto eſſe licuit. Sed hac via nihil quoque profectum eſt, quin potius incrementa ſumſit indies publica calamitas. Pudet fane referre, quam inclementer hic illic in innoxiam multitudinem ſævitum ſit. Nec ſtetit intra mulctas ac Edictorum ſeveritatem poena. Graſſatum fuit variis in locis in imbellem populum, militum furori laxatæ habenæ, & armatæ in Hiſpanos cohortes in Batavos arma convertere juſſæ ſunt. Ad carceres & perditorum hominum ergaſtula relegati ſunt verbi divini præcones, & inaudito hactenus ignominiæ genere notatus ordo ſanctiſſimus. Sclopetis icti & trucidati aliquot de plebe homines martyria ſua æquo animo pertulerunt. Exutæ quoque, quæ ad publicos cœtus in agros commeaverant matronæ, & ſparſis capillis in urbem redire viſæ ſunt. Virginibus vix pudicitiæ velamen relictum. Ereptæ per vim imbelli ſexui vittæ, togæ matronales aliaque inſignia, quæ ſpolia mox ſub haſta vendita non tam victricis quam victæ patriæ ſpecimen præbuerunt. Conjecti ante in carcerem cives quam in crimine deprehenſi, & ibidem pejus habiti compertis latronibus. Prætores novi ira magis & animi perturbatione, quam placida judiciorum forma reis ſuis inſtant. Nefas eſſe cœpit exuli ſuppeditare, unde victum & amictum paret, & pœna dignum cenſetur, ſi exauctoratus paſtor ægrum pia voce ſoletur, & moribundæ oviculæ animam divinis promiſſis erigat. In ſumma, diplicent omnia, quæ moderata ſunt, placent contra, quæ aſpera, dura, immoderata. Sunt hæc, ſunt hæc, Potentiſſimi Ordines, Reipub. veſtræ vulnera, & in pulcherrimo patriæ noſtræ corpore vibices turpiſſimæ. Hoc malorum ſyrma ſecum traxit Synodus veſtra, quæ ſeculari nixa brachio non ſine ſupercilio & faſtu contemptum nimis habuit citatos ſuos, & magis horum oppreſſioni quam utriuſque partis incolumitati ſtuduit. Hæc futura toties præmonuit ille, qui Synodo Nationali motus

hoſce

Ep.379. hoſce minime compoſitos iri judicabat Barneveltius. Noverat rerum uſu edoctus ſenex, calida eſſe Theologorum noſtratium conſilia, præcipites deliberationes, iras plumbeas, nec placari hoc hominum genus poſſe, niſi extincto adverſario. Maxime autem adduci, ut eos officii ſui capiat oblivio, cum in hierarchiæ & vindictæ cupiditatem inciderint. Quare uti à tribunitiis comitiis ſibi metuebant uſque Romanorum Patres, ita ille ab Eccleſiaſticorum ſynedriis.

Hæc res facit, ut dum alii libellis famoſis V. V. C. C. improbe laceſſunt, ego in animum induxerim ſalutaribus conſiliis & præceptis vos munire, & viam monſtrare, qua ſedari hæc patriæ tempeſtas poſſit, & rempub. ſi non omnino felicem, ſaltem tranquilliorem habituri ſitis. Ad tria attendendum vobis. Primum, quod hominum genus Rempubl. veſtram exerceat. Deinde, quæ motibus hiſce ſubſit cauſa, & quomodo hæc ſe tractari patiatur. Tertio patriæ ipſius, temporum, aliarumque circumſtantiarum habenda ratio.

Duobus hominum generibus religionis cauſa diſtractis jura dicitis, Contraremonſtrantibus & Remonſtrantibus. Illis faciles, his difficiles vos præbetis. Sed fallax hominum eſt ſpecies, & mirum, quam imponat prudentiſſimis ſanctimoniæ ac zeli larva. Contraremonſtrantes magnis animis quod aggreſſi ſunt reformationis negocium promovent. Zelotæ ſunt. Sed quo major in his cernitur animi magnitudo & in rebus gerundis impetus, quo magis providendum vobis, ne quid ex inconſulto horum fervore detrimenti capiat Reſpub. Primum in precio habent Magiſtratus ſuos, quoad conſiliis ſuis ſuffragantur. Si diſſentiant, in promptu eſt prævaricandi prætextus. Adhæc proprium eſt huic genti, ita ſacra ſua curare, ut quæ ad tranquillitatis publicæ conſervationem faciant, non curent. In patriæ commoda, curas non intendunt, & dum pro Eccleſiæ ſalute decertant, Reipub. mala ſuſque deque habent. Et quia regnum ſuum de hoc mundo non eſſe contendunt, imperia corruere, regna vaſtari, vacuas reddi poſſeſſiones malunt, quam alterius arbitrio ſtare, aut in regni ſui ſocietatem Cæſarem admittere. Tertio ubi rerum potiti ſunt & ſuperiores facti, conſortis impatientes ſunt, & Magiſtratus inobſequentes in ordinem cogere, diſſentientes à gubernaculis dejicere, ſolis ſibi, uti cœli ita & terræ uſurpare poſſeſſionem, religionis jura interpretantur. Efferum fuit Noviodunenſis Doctoris ingenium, ad imperia potius quam ad obſequium natum, in adverſarios ferox & implacabile. Breviter, Pelidæ ſtomachus. Quæ vero ipſum ſecuta eſt turba cum doctrina Doctoris quoque ſui mores avidiſſime imbibit. Ex quavis fere rebellione compendium captat, & Principes, qui Jeſuitarum hactenus mos fuiſſe creditur, bellis quoque implicare novit. Galliam contemplamini, cujus turbato ſtatu in ſuum bonum uti didicerunt. Si vel leviſſime Ep.379. illos offendat Rex, ad arma convolant, conciliabula ſacra convocant, de rebus regni deliberant, &, quam Chriſtiana patientia debebant, aperto marte ulciſcuntur injuriam. Nec diſplicent tranſmarinæ appellationes, & exterorum ſubſidia adverſus proprium regem perfide ſubinde expoſcuntur. Comes Embdanus vigente ſub Albano perſecutionum æſtu profugis ipſis hoſpitium & aſylum perquam humaniter præbuit. Nunc numero potiores & Curibus parvis ac paupere terra in curiam evecti ipſum cum libet Comitem in cuſtodias compingunt, & libertatis donatorem ad obſequia compellunt. Accidit idem Aquiſgrani celeberrimo Germaniæ oppido, in quo tenerrime habiti dignum aliquid ſua indole dederunt, exacto nempe Magiſtratu & Loyolitarum cœtibus. Antwerpia teſtis eſto, uti per gradus regnum ſibi ſtruxerint, & extorta armatis precibus libertate totum Eccleſiæ Romanæ clerum urbe expulerint. Annales Belgicos evolvite, comperietis maximum ſemper homines hoſce negocium faceſſiviſſe Principi Auraico, cujus niſi obſtitiſſet prudens moderatio, par cum Catholicis fuiſſet Anabaptiſtarum & Lutheranorum in patria noſtra ſors. Didicit jam Cæſar, quid poſſit ſub religionis ſpecie imperandi libido. Non aliis authoribus principatum Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæ ſibi conferri paſſus eſt Palatinus. Unus Calvini genio non ſufficit orbis. Et jam Saxoni quoque dictus fuerat dies. Nec in occulto eſt, quid rerum proxime in Valle-Tellina geſſerint, quam extruſis Pontificiis, pluribus in exilium conjectis, aliis capite plexis, ſolis ſibi ſedem deſtinaverant. In Ducatu Brandenburgico, ubi hactenus viguit Auguſtana Confeſſio, nunc Principem ſuum aliam fidem amplexum ad innovanda majorum ſacra ſollicitant. In Scotia non minus inclementer Principes ſuos habuerunt, Mariam primum, mox & Jacobum. Illa poſtquam Reformatæ religioni regnum ſuum patefacere coacta fuiſſet, tantum ab ejus Doctoribus impetrare non potuit, ut intra privatos aulæ parietes Miſſam ſibi celebrare liceret. Hic non minus ab ipſis in ordinem redactus, tunc cum Scotiæ ſolum imperaret, nunc duplici ſceptro auctus multorum exilio petulantiam iſtam ultus eſt. Cudun- *Milton. in Anatomi ſua.*
tur hodie axiomata perniciosiſſima: infidelem non poſſe eſſe juſtum poſſeſſorem bonorum terrenorum, ut hoc obtentu obedientiam detrectent ſubditi, quibus perſuaſum erit à non Calviniano ſe regi Principe. Et qui Theologicæ dementiæ apex eſt, placet ipſis Bethlemus Gabor Turcarum Vaſallus, hoc ſolum nomine, quod ſecum Cæſarem contemnat. Tentata quoque ab illis ipſis in Confœderato Belgio Reip. mutatio ſub Comite Liceſtrio, licet infeliciter, nunc demum conſummata eſt. Quæ non in alium finem à me adducuntur, quam ut oſtendam ſufflaminandos eſſe hos Theologos & fræno coër-

Ep.379. coërcendos. Nimia licentia deteriores fiunt. Nec boni ſunt, niſi cum capiſtrati mali eſſe non poſſunt. Sacra ſua ſibi habeant, ſed vos aciem intendite, ne illis ipſis ſacris in Reipubl. perniciem abutantur. Nec ſtatim non ferendos credite, quotquot ipſorum judicio orthodoxi non ſunt. Gaudent ſoli vivere, ſoli dominari, & eam de ſuis placitis imbiberunt ſententiam, ut aut ſecum credere velint univerſum orbem, aut alium orbem quærere. Non patitur alterius fidei contribules imperioſus Iſrael. Leviſſimas ſæpe diſſenſiones magni æſtimant, & ſi quis vel digitis contra crepuerit, Eccleſiam affligi clamitant. Errorem quemvis hæreſin vocant, & magna temeritate in alios derivant ſchiſmatis culpam, cui ipſi affines ſunt. Eſt officium Principis ſubditorum ſe moribus accommodare, cum his lenius, cum illis durius agere, his pluſculum indulgere, alios intra modeſtiæ carceres cogere. Etenim ita comparata ſunt Calviniſtarum ingenia, ut aut ſervire aut imperare debeant. Si ſerviant, lenes ſunt, officioſi, humiles, obſequentiſſimi dominorum ſuorum clientes. Verbo dicam, Chriſtiani ſunt. Sin altius provecti jugum Magiſtratus excuſſerint, Jovis inſtar totam Rempubl. ſuperciliorum ſuorum nutu concutiunt, rectoribus ſuis inſultant, & ni paſtorali pedo ſubigi ſe patiantur, inviſiſſimos reddunt. Itur ad populum, de Magiſtratus in rebus religionis negligentia, incuriâ, impietate querelæ publicæ inſtituuntur. Plebs, uti rerum novarum ſtudio tenetur, talium imperia faſtidiens, dignos non putat, qui ſibi imperent, qui tam religioſo ordini diſpliceant. Didicerunt hoc ſuo & regnorum ſuorum maximo incommodo Principes ſupra dicti. Vos horum exemplo edocti pietatis ſtudia cum prudentia conjungite. Hæc uti virtutes omnes, ita religionis ſtudia moderetur. Graviſſime peccatur, ubi hic ſapientiæ civilis oculus vel cæco iſtorum hominum amore, vel nimio in diſſentientes odio occæcatur. Tunc autem prudentes eritis, ſi ita vobis placuerint Contraremonſtrantes, ut gratia quoque ipſorum vos carere poſſe videant, ſi metuendi potius ſitis ipſis, quam ipſi vobis. Nunquam pacatam habebitis Rempub. niſi caute iſtos Aaronis filios tractaveritis. Nunquam coaleſcent patriæ vulnera, niſi carere aliquando poſſitis ipſorum conſiliis. Non ſtabit inconcuſſa veſtra majeſtas, niſi dignitatem veſtram pari autoritate, Remp. veſtris conſiliis non concionatorum ſuaſionibus propugnaveritis.

Nunc Remonſtrantium quoque examinanda conditio, mores, ſtudia & inſtituta. Ex his enim quid in præſenti rerum diſcrimine vobis agendum ſit perſpicere dabitur. Hoc primum in conſiderationem veniat, non ſolum cum ejuſdem gentis, nationis & linguæ hominibus vobis negocium eſſe, verum cum civibus, propinquis, affinibus, conſanguineis. Cives qui vocat, hos filios, vos Patres vocat. Idem in Reipub. ſocietate cives, quod in do- Ep.379.
meſtica liberi. Atqui cives oportet æquo ac pari cum civibus jure vivere, neque hoſtiliter tractandi, qui in publicam tutelam recepti. Civibus adhæc libera eſſe debet & non ſollicita ſua rei cujuſque cuſtodia. Vobis tam inviſi ſunt Remonſtrantes, ut impune liceat ſceleratiſſimis poſſeſſiones ipſorum invadere, & veluti in hoſtilem prædam graſſari. Civium præſidia charitate & benevolentia ſepta eſſe oportet, non armis. Et milites perire eſt melius, quam in ſua civitate ſine armorum præſidio non poſſe vivere. Nunc vero hoc nimia inclementia & rigore effectum, ut quas urbes civium antehac muniebat concordia, nunc militum muniat effera vis & ſuperba crudelitas. Nec audiendi illi, qui graviter inimicis iraſcendum putant, idque magni animi & virorum fortium eſſe cenſent. Nihil enim, ſi ſapientum oraculis locus eſt, laudabilius, nihil Rerumpubl. rectoribus dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis & in juris æquabilitate exercenda etiam eſt facilitas. Nec cum civibus ſolum hic vobis res eſt, ſed cum optima civium veſtrorum parte, & delibato populi flore, cum iis, quos vel parentum memoria, vel propria merita vobis commendatiſſimos reddere poſſunt. Vapulant eorum nepotes, quibus Reip. præſentis libertatem debetis. Vapulant illi, quorum cura, vigiliis, opibus ac ſanguine parta hæc ſecuritas. Vapulant indies illi, quorum munificentia, fide ac affectu ad tuendam Rempubl. carere non poteſtis. Omnino qui Reipubl. præſunt, illud Platonis præceptum tenere debent, ut totum Reipub. corpus curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas, nedum optimam, deſerant. Hoc inſuper videndum vobis, quibus artibus factum ſit, ut invidiam publicam ſuſtineant Remonſtrantes. Duo illis intentata ſunt crimina, proditio, & religionis innovatio. Utrumque perſuaſum credulæ plebi. A proditionis culpa tam immunes ſunt, quam quiſquam veſtrum. Fidenter loquor. Nullum hactenus proditionis veſtigium apparuit, nullum prorſus. Nec in hujus ſceleris ſuſpicionem vocandi erant cives optimi, niſi invictis teſtimoniis. Hæc tamen animos imperitorum ita occupavit perverſa opinio, ut aliud judicare ſcelus putet. Crimen innovatæ religionis ad conflandam quoque ipſis invidiam conquiſitum fuit. Non innovant religionem, qui Catholicis Eccleſiarum ſymbolis conſentiunt, qui de rebus obſcuris & arduis dubitant, qui contingentia potius duci res humanas, quam inevitabili neceſſitate ſtatuunt. Hæc diſſenſio nullo non ſeculo Eccleſias exercuit. De his in Academia & porticu diſputatum fuit. De his inter Catholicos variantibus ſententiis diſſertatum, deciſum nunquam, niſi qua parte ad Manichæorum delira & Pelagianorum placita itum. Norunt hæc inter vos, qui rerum Eccleſiaſticarum ſcientia inſtructi controverſiarum de religione neceſſi-

tatem

Ep.379. tatem disparem esse didicerunt. Officii vestri est, Illustrissimi Ordines, non permittere, ut proditores audiant, quorum fide, auctoritate, consiliis hactenus stetit vestra Resp. Nec immutasse religionem credendi sunt, qui in re dubia probabiliorem sibi sententiam amplexi sunt. Multo minus cum iis, ut cum proditoribus ac perduellibus, agendum, quales nec sunt Remonstrantes, nec esse volunt, nec vobis in Reipub. curam intentis esse possunt. Si quid perperam actum ab iis creditur, qui ante vos clavum tenuerunt, non statim id proditio deputanda est. Animi proposito in patriam quemquam eorum peccasse non liquet, nimia facilitate, moderatione, humanitate peccasse prudentiores judicant. In civilibus dissensionibus, inquit Jureconsultus, non statim hostes patriæ putandi sunt qui sententiis discrepant, & hac potius quam illa via ejus incolumitatem procurant. Et demus peccatum esse graviter, satis profecto unius sanguine, & tot exulum miseria culpam istam luimus. Cur in innoxiam, imbellem plebeculam usque adeo sævire libet? Solet hæc ductores ac doctores suos religiosa quadam pertinacia sequi, & ad quam semel velut tempestate est delata sententiam ei mordicus adhærescere. Non est magni animi victis insultare. Et in civilibus bellis nihil miserius ipsa victoria. Nec ulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui Rempubl. administrant, quam mansuetudine & placabilitate.

De duobus hominum generibus satis dictum. Veniendum ad alterum propositæ disquisitionis caput, & cum de religione omnis sit controversia, serio examinandum: num ob fidei controversias inclementius tractandi sint errantes: num ex Christianorum legibus, armis, carceribus, exiliis aliisque pœnarum generibus coërceri debeant heterodoxi; num utiliter hoc fiat, num ipsius religionis ac Ecclesiæ bono: num expediat Reip. ita agere: num Christianos deceat: num Christi & Apostolorum exemplo comprobari possit: quis spiritus ita dictitet: quando ita in Ecclesia agi cœptum, quibus probantibus, quibus improbantibus. Quæ singula dum confuse & sparsim tracto, vestrum est Amplissimi Domini ad rationum momenta attendere, & firmata magnis rationibus documenta ad Reipubl. præsentis gubernationem conferre.

Ac primum illud spectate, non sub dura Mosaicæ legis disciplina, sed sub placido Christi Salvatoris regno nos vivere, cujus alia vox, genius, instituta, mores, ab iis, qui duriorem istum & ad idololatriam pronam populum exercebat. Hic conflandi in vomeres gladii, & lanceæ in falces, hoc est, pacata omnia & tranquilla esse debent. Non nocebitur in monte sancto, qui Ecclesia Christianorum est. Ultimum hic peccatorum supplicium est, pro ethnico & publicano haberi, hoc est, ab Ecclesiæ communione arceri. Ep.379. Omnis hic cautio est, Cavendum esse à fermento pseudo-Prophetarum. Poterat certe Filius Dei Patris sui cœlestis potentia armatus dissentientes Pharisæos templis exigere, poterat cataphracta militum manu Solymam omnem & Judæam ad fidei obsequium compellere, dignitatibus ac functionibus publicis exuere, quotquot Christiani esse nollent. Sed displicuit sapientiæ divinæ superba illa in conscientias dominatio, & quos doctrina non potuit, armis sub ditionem suam redigere imperiosum magis & militare, quam religiosum judicavit. Omnem in rebus sacris ferociam ac animi impetum voce ista compescuit: Nescitis cujus spiritus filii sitis. Non venit filius hominis perdere sed salvare animas. Et, sinite zizania crescere usque in diem messis. Nunc præcipiti & intempestiva judiciorum falce demetuntur zizania, aut calcantur pedibus, de quibus, an zizania sint, anceps, quandiu hic vivitur, est dubitatio. Apostoli, præceptoris sui sanctissimi vestigiis insistentes, non alia via; quam lenitate, fide, tolerantia, moderatione Ecclesiam Christianam per universum orbem plantarunt, aluerunt, provexerunt, constabiliverunt. Et favit mirifice ipsorum successibus divina gratia. Inermes, imbelles ac Magistratus ope destituti cum essent, Judæorum inveteratam superstitionem, gentium idolomaniam, pseudo Prophetarum conatus improbos expugnarunt. Satis Paulo fuit dixisse: hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita: &: Si quis imbecilla sit fide, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu qui es, qui alienum famulum damnas? Domino suo stat & cadit. Placuit illa agendi ratio primitivæ Ecclesiæ doctoribus, nec nisi sero Gentilium Imperatorum tyrannidem imitari cœperunt Christiani. Usque ad Augustini tempora, hoc est, quadringentis post Christum natum annis, nunquam implorata fuerunt Imperatorum adversus heterodoxos præsidia. Primum huc illos impulit Donatistarum & Circumcellionum pervicax & insanabilis insania, qui præter schisma, quo non aliud exitiabilius, si processisset, agitabant, vulnerabant orthodoxos, injecta in oculos calce exoculabant, alios occidentes, alios ad aliorum trucidationem metu mortis adigentes. Adversus hos cum de implorando Cæsaris præsidio agitaretur, non tamen in initio placuit Augustino aliisque mitioribus imploratio profanæ potestatis ad negotium Ecclesiasticum. Existimabant utique non decere Episcopos aliis armis uti, quam verbo Dei; precibus, &, si insanabile foret malum, anathemate ac separatione ab Ecclesiæ communione. Hoc tum erat extremum Ecclesiæ supplicium, & sicut apud Jureconsultos civilis mors exilium dicitur, ita apud Apostolos & horum successores pœna capitis erat ab Ecclesiæ consortio sub-

Ep. 379. moviſſe. Adeo illorum animus abhorruit ab exiliorum, carcerum, confiſcationum & ſupplíciorum corporalium ſævitia, quæ nunc quibuſdam & nimium & ſola placent, præſertim ex eorum numero, qui reformationem religionis profitentur, quorum omne ſtudium eſſe debebat mederi potius errantibus, quam in eos ſævire, & Edictorum ſeveritatem interceſſione ſua mitigare. Enimvero non ante, quam Imperatorum potentia tuta fuit fides Chriſtianorum, ad dura iſta perſecutionum cauteria ſe recepit Eccleſia. Audita tum demum perniciotiſſima Neſtorii Epiſcopi ad Theodoſium oratio: *O Cæſar, da mihi regnum ab hæreticis purgatum, & ego tibi cœlum daturus ſum, ſis mihi auxilio in expugnandis hæreticis, & ego tibi in Perſis hoſtibus tuis devincendis opem feram.* In quem ſenſum & hoc tempore non ſemel pro concione in Batavia peroratum eſt. Hinc factum, ut Epiſcopi Cæſares veluti nare bubalos pertraxerint ad ſanguinariorum decretorum adverſus Anabaptiſtas promulgationem. Quamvis & eorum quoque exempla adduci poſſint, qui liberam religionem in ſuo regno eſſe paſſi ſunt, & aliis præterquam orthodoxis docendi copiam fecerunt. Gratianus ab exilio revocatus omnibus lege ſancivit, ut unaquæque religio licite ſacra ſua celebraret, ſolos vero ab Eccleſiis prohibuit Eunomianos, Photinianos & Manichæos. Valentinianus cum ita ſaperet, ſicuti Nicæni Patres, aliter ſentientibus non erat importunus. Conſtantinopoli ipſe Theodoſius Arrianis & Macedonianis extra urbem oratoria facere permiſit, Novatianis vero intra urbem Eccleſias habere & collectas facere conceſſit. Notum quibus rationibus Themiſtius Philoſophus Valentem Imperatorem à Chriſtianorum perſecutionibus revocavit. Et quanquam Roma expuliſſet Novatianos Innocentius, tamen Conſtantinopoli talia non permiſerunt. Et quamvis Romani Epiſcopi apud Imperatores ſummo ſtudio in hoc incumberent, ut qui hæretici dicebantur, ex urbe Conſtantinopoli ejicerentur; tamen nunquam illud obtinere potuerunt, uſque dum Juſtinianus victus importunis flagitationibus Agapeto Pontifici conceſſit ut dirutis ipſorum Eccleſiis urbe ejicerentur. Imperante Honorio, Anas Epiſcopus Conſtantinopolitanus non ſolum ſuæ fidei hominibus benevolus erat, ſed etiam hæreticis miraculum ſuæ ſapientiæ, inquit Sozomenus, demonſtrabat, quos vexare quidem nolebat, cum vero eos terrere tentaſſet, denuo manſuetudinem oſtentabat. Certe ſi veterum exempla imitari libet, cur non potius æquitatis, moderationis & clementiæ exempla placent, quam ſeveritatis, crudelitatis, violentiæ, quæ non in Chriſti ſed Anti-Chriſti ac tyrannorum caſtris militavit ſemper.

Trip. hiſt. lib. 12. cap. 4.

Sozom. lib. 8. c. 2. & lib. 3. cap. 36.

Lib. 12. cap. 2.

Eſt Regnum Chriſti cœleſte prorſus ac ſpirituale, ideoque ſpiritualibus ſolum armis, hoc eſt ratione ac argumentorum efficacia Ep. 379 pugnandum, nec corporalis adhibenda vis, ubi de cauſæ æquitate & ſententiæ veritate præſumitur. Chriſtianorum hoſtes vicia ſunt, contra quæ virtutibus contrariis certandum, ut doctrina ignorantiam pellat, errorem diſcutiat veritas, injuriam vincat patientia, ſuperbiæ modeſtia reſiſtat, pignitiæ opponatur diligentia. Hic ſi cogas, fictos habebis Chriſtianos, purpuræ cultores plurimos, paucos Dei. Facile ea religio diſplicet, cujus profeſſio cum honoris noſtri, dignitatis, opum ac ſalutis jactura conjuncta eſt. Facile arridet illa, per quam in Cæſaris amicitiam adſcribimur, populo placemus, ac opimas ſpes alimus. Habet & Belgium hoc noſtrum quam plurimos, qui licet corde alieniores, profeſſionis tamen externæ officium his vel illis cœtibus commodant, ex illorum familia, quibus toties interminavit Chriſtus, Væ vobis. Utique malus eſt pietatis cuſtos, metus. Ubi ſine damno fieri poteſt, ſtatim ad antiquum redeunt, tamdiu Eccleſiæ adhærentes, quoad ſimulaſſe prodeſt. Non apparet larvas eſſe, niſi ubi ſubtractum aquilis ſuum cadaver. Interim gaudent, quaſi de ampliatis Eccleſiæ pomœriis ejus ephori, & tunc ſe felices arbitrantur, ubi turmatim ad baſilicas ſuas confluere vident populum, & patriciæ gentis viros, quorum maxima pars commodis magis ſuis quam judicii ac conſcientiæ innocentia religionem mentitur. Belle ſane procedit Chriſti negocium, ubi numero potius, quam qualitati, multitudini quam ſanctitati ſtudetur, & ut numeroſam magis Eccleſiam habeamus opera datur, quam vere piam & ſanctam. Ideoque qua levitate in has vel illas partes conceſſerunt, eadem, ubi non expedit, ad adverſas deſciſcunt. Exemplo ſit Anglia, quæ toties cum Principibus ſuis fidem mutavit. Juralles eam ſub Eduardo ἐπιδεξιώτατα, (*quam maxime orthod exam*) quæ mortuo illo, cum non expediret amplius Calviniſmi, ſe finxit καθολικώτατα. (*quam maxime Catholicam.*) Non deſunt exempla domeſtica in variis Belgii civitatibus, quæ hac rerum tempeſtate dominis ſuis fidem ac conſcientiam ſuam inſigni inconſtantia gratificatæ ſunt.

Nec hoc prætermitti debet, in iſtiuſmodi negociis ſæpiſſime veritatis & innocentiæ doctores perſecutionibus infeſtari, dum mendaciorum, falſæ doctrinæ, ac ſeditionum ipſis crimen affingitur. Accidit hoc Chriſto, Apoſtolis, & Chriſtianorum, ſub Romanorum Imperatorum tyrannide, Eccleſiis. Obſcura eſt veritatis dignotio, & quamdiu in terris agimus, per ænigma & ſpeculum videmus. Incerta ſæpe ſunt & cœca hominum judicia, & tenebras pro luce, falſum pro vero, errorem pro ſcientia, ſuperſtitionem pro vero Dei cultu amplectitur. Ut ſatius ſit, hic aut ἐπέχειν, (*aſſenſum cohibere*) aut ſinere, ut ſuo quiſque ſenſu abundet, quam ut carceribus, exiliis, bonorum

Ep.379. norum exactionibus, & id genus ſimilibus pœnis vexentur optimi ſæpe mortales, hoc ſolum nomine invisi, quod de ſalute noſtra ſe impenſius ſollicitos eſſe profiteantur.

Cur non potius Judæorum exemplum ſequimur, quorum hoc erat effatum: Elias corriget omnia difficilia? Cur non Judæ Machabæi factum placet, qui de ara ſolidi ſacrificii cum quid ſtatueret non haberet, ejus lapides in monte templi loco oportuno poſuit, donec adveniret vates aliquis, qui de iis oraculum referret. Ut nihil dicam de Gamalielis conſilio, præſtiterit meo judicio Romanorum legem de vindiciis ſequi, quæ erat hujuſmodi: ſi quis, qui hactenus ſe pro libero geſſiſſet, vocaretur in jus ab aliquo, qui eum ſervum eſſe aſſereret, interea dum cauſa pendebat, vindiciæ dabantur ſecundum libertatem, donec in judicio planum factum eſſet, utrum is liber an ſervus foret. Cum enim de ejus conditione dubitaretur, ſi forte liberam eſſe contigiſſet, & interea temporis pendente lite ſerviliter habitus eſſet, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in rebus religionis fieri æquius eſt, in quibus peccatur graviſſime, & ob quæſtiones non raro ſpinoſas ac dubias alii in alios non expectata ſupremi Judicis voce latrocinamur, & carnificinam exercemus.

Jam illud quoque ad præſentem rem facit, quod cum dupliciter in Republ. peccetur, vel circa fidem, vel circa mores; illic ignorantia, errore, hæreſi, ſuperſtitione; hic manifeſta improbitate, latrociniis, perjuriis, adulteriis, blaſphemiis, cædibus, tam præpoſtera videamus eſſe Principum ſtudia, ut Rempub. perditiſſimam & ſceleratiſſimis moribus temeratam, quam aliqua ſui parte impuram, aut erroribus imbutam habere malint. Illic talpis ſunt cæciores, hic Lyncei: in illis averruncandis ſegnes ſunt, & turpiter negligentes, in his eradicandis zelotæ ſunt & toti flamma; quaſi gratior ſit Deo cœtus hominum præelectione improbus, quam vel ignorantia, vel humani judicii imbecillitate de Religione male edoctus, idque in rebus ſæpe arduis & denſa caligine obſeſſis. Maledictam eſſe clamant Rempubl. palliati iſti rabulæ, ſi diſſentientibus gratia fiat, & tum demum beatam autumant, ſi revocata ad calculos Scholaſticæ ſubtilitatis, aut Synodi placita, Religione tota, compertis ſceleribus, æditum inquam direptoribus, calumniatoribus, ac maledicæ plebi peccandi commeatum ſilentio ſuo fecerint. Neque enim crimen eſſe putant, ad quod connivere vident criminum cenſores publicos. Fingunt non pati Reipubl. ſtatum, ut diſſentiens à collegis ſuis Paſtor conſentientem ſibi Eccleſiam doceat, cum in eadem Repub. comeſſatorum contubernia, fœneratorum menſas, ſcortatorum conciliabula, mercantium impoſturas, tantam denique ſcurrarum ubique proluviem æquo animo ferant. At certe quanto minus peccatum eſt error ſcelere, ignorantia improbitate, tanto tolerabiliores arbitror, quorum imbecilla eſt fides, quam obfirmata peccandi conſuetudine impietas. Horum ſiquidem crimen compertum eſt, illorum dubium; hic præelectione, illic inconſulto peccatur; hi improbitatis ſuæ contagio nocent ſemper, illi proſunt ſæpe, & quos ſeducere creduntur, ad meliorem frugem revocant. Illi mentem, voluntatem, cor, totumque hominem deteriorem reddunt; hi ſi forte hallucinentur, ſola mente deteriores ſunt, cætera probi & recti cuſtodes. Ep.379.

Quum vero plerique arbitrentur, ad ſocietatis humanæ pacem ac tranquillitatem facere, ſi heterodoxi doctores exterminentur, minuenda quoque hæc opinio eſt, & multorum exemplis comprobandum, magis turbatas fuiſſe iſtoc rigore Reſpublicas, quam pacatas. Machabæorum temporibus graviſſimis bellis occaſionem dedit inſtituta in Judæos religionis ergo ab Antiocho Epiphane perſecutio, quæ non niſi ceſſante hac finita ſunt. Demetrius Epheſinus cum Paulum docentem non ferret, magnis tumultibus urbem univerſam involvit. Idem accidit Hieroſolymis Judæorum in Paulum furore. Quas non turbas orbi dedit Arianorum in Catholicos, & Catholicorum in Arrianos rabies & immanitas, facem accendentibus tot Conciliorum hinc inde anathematiſmis. Quiſque quem in partes ſuas pertraxerat Cæſarem, ad oppreſſionem alterius partis voce & ſtylo armabat. Nimia Romanorum Pontificum in Græcorum Eccleſias dominandi libido has peſſumdedit, & Chriſtiani orbis propugnacula Mahometanis aperuit. Superius ſeculum evolvite, & tot bellorum, calamitatum, vaſtationum cauſam aliam non reperietis, quam ſanguinaria Cæſaris in hæreticos, ſic vocabant, edicta. Nec pacari ante Germania, Gallia, Helvetia potuit, quam conceſſa conſcientiarum & religionem profitendi libertate. Utique pacatiſſima videmus regna, ubi hæc viget. Quod nec ipſum Turcarum Imperatorem latet, qui non ſuæ religionis ſolum, ſed & Judæis & Chriſtianis omnibus docendi copiam facit, nec quid ſentiant rigide inquirit, modo obedientiam ſibi & obſequii ſymbola cenſus annuos præſtent.

Et verum quoque hic eſſe comperimus, ut quales nos erga alios geſſerimus, tales erga nos alios experiamur. Hippone Africæ civitas, cum timore legum imperialium ad unitatem Catholicam compulſa eſſet, mox Vandali Arriana fide per Gotthorum Epiſcopos imbuti, in ſuæ religionis formulas Epiſcopos orthodoxos jurare coëgerunt, aut Eccleſiis abire. Ea quoque tempeſtate, qua Innocentius Romæ Novatianos aliaſque ſectas perſequi cœpit, & Eccleſias eorum diſſipare, Gotthi Italiam invaſerunt, Romam expugnarunt, omniaque fœdiſſime vaſtarunt. Trahi-

Ep. 379. tur in exemplum crudelitas, & placet posterioribus priorum improbitas. Mahometus Turcarum Imperator ab ipsis Christianis persecutionum modos didicisse perhibetur. Et qua sævitia nuper Catholici Reformatos, eadem hi variis in locis Catholicos exercuere. Exacti jam sunt Rhætia Calviniani Pastores, qui paucis retro annis Pontificios exegerant. Carent iidem Ecclesiis suis Aquisgrani, qui non ita pridem suas Jesuitis invidebant. Occupata in Bohemia ac confœderatis regionibus Catholicorum templa, nunc, ita vertente res humanas Deo, iisdem reddita sunt, ac nuperis dominis erepta. Tunc Loyolitis exulandum fuit, nunc ibidem Calvinianis Doctoribus. Admirabilia Dei judicia sunt, & arcano providentiæ motu efferos nimis & insolentes Reformatarum, uti vocant, Ecclesiarum spiritus retundit, ne Christiani esse desinerent, dum Principum sceptris inhiando pessimis artibus pomœria sua dilatare student. Qui Synodo Dordracenæ interfuerunt exterorum Theologi, ad Remonstrantium oppressionem consilia & operas contulerunt. At vix domum reversis institit divina Nemesis. Exulant Palatini, nectnon Synodi jam dictæ choragus & in sacra ista fabula Davus, Abrahamus Scultetus. Affliguntur Wetteravici, dolent Hassi, tremunt Helvetii, & qui irarum nimbos nupera sua Anatome in exules Remonstrantes effudit Doctor Charentonnensis, nunc fuga vitæ suæ consulere cogitur. Faxit Deus, ne quam à domesticis suis Contraremonstrantibus injuriam passi sunt Remonstrantes & patiuntur indies, eandem ipsis aliquando pari mensura rependant publici patriæ nostræ hostes. Pythagoreorum vox est:

Qui patitur quod fecit ei jus contigit æquum.

Matt. 7. Cui consonum est Christi oraculum: *Qua mensura mensi fueritis, eadem metientur vobis.*

1 Thess. 1. Utique justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt afflictionem: afflictis vero relaxationem.

Et mirum tam faciles esse in perficiendis Ecclesiasticorum votis Magistratus, quos prudentia, judicii rectitudo ac erectior indoles populo secrevit. Vident utique, quibus cautis ut plurimum ad mutua odia & offensas impulsi, inter se collidi ament, qui Religionis causam prætexunt. Non solus Abel pietatis suæ pœnas invido fratri dedit. Nec Josepho soli contigit venundari, quod patri suo gratior esset. Transiit hujus facti imitatio ad Judæorum proceres, qui optima docentes & suadentes Prophetas crudelissime exceperunt. Tanta invidiæ ac ambitionis vis est. Illa dum virtutis splendorem non fert, sublatos mavult è medio ejus sectatores, quam ut ea incolumi evilescat prorsus & despectui sit. Hæc dum alios luminibus suis officere videt, nullum non lapidem movet, ut in suspicionem adducendo optime de Repub. ac Ecclesia meritos, sola multitudinis applausus ac magnatum faventiam captet. Ob hanc causam Christum capitaliter oderant Pharisæi, quod hypocrisin ipsorum & fictam sanctimoniæ speciem detegeret, idque apud eos, apud quos bene audire existimationis ipsorum intererat. Alii avaritia correpti & è rebus sacris quæstum facientes hostiliter eos persequuntur, per quos impediri credunt, ne consueta ad res suas fiat accessio. Talis fuit Demetrius iste, argentarius Ephesinus, qui totam Ephesum in Paulum concitavit, quod videret ipsum suis concionibus, non Dianæ solum cultum, sed & quæstum quem inde faciebat uberrimum, imminutum ire. Sunt quos zelus Dei & Religionis studium, sed cum ignorantia conjunctum, transversos rapit, qui Christianos persequendo Christi se causam strenue agere sibi persuadent, & dum Deo suo Maozim, hoc est, violentiæ & crudelitati litant, Deo se sacrum facere autumant. Atque his utpote nequaquam pessimis veniam oravit Christus. Cæteri malitia peccant, licet zeli quoque nomine invidiam, malitiam, avaritiam aliaque vitiorum portenta tegant, nec populum solum hisce præstigiis fascinent, sed & judicum oculis tenebras offundant. Ad quæ si attenderent Rerumpub. rectores, parcius Theologorum instituto obsequerentur. O seculum! Christi studio sanguinarii erimus, qui ne aliorum sanguis effundendus esset, ipse suum effudit. Christi studio zizania extirpabimus, qui ne bonæ fruges extirparentur, ad messem usque jussit relinqui zizania. Christi studio alios persequemur, qui jussit ut si nobis feriatur mala dextera, obvertamus sinistram. Christi studio inferemus aliis malum, qui nobis ut pro malo bonum reddamus præcepit.

Ep. 37

Illud quoque intelligendum erit, uti omnium peccatorum, ita susceptæ in conscientias dominationis initia periculosissima esse. Placent sibi Principes nonnulli, si à vivicomburiis, laqueis ac gladio abstinentes, intra exilia, carceres & mulctas pecuniarias consistant. Sed quotusquisque est, qui, postquam Christianæ clementiæ fines semel transgressus fuerit, non sensim peccando proficiat, & invisam primo sævitiam postremo amet. Rempublicam vestram considerate. Profeciistis pedetentim, & per gradus à pristina Batavorum ac Belgarum mansuetudine ac humanitate, quibus virtutibus hactenus celebres fuistis, multum desciviistis. Itum est à mulctis ad proscriptiones & exilia, ab his ad carceres perpetuos, ab his ad civium expilationes ac ædium direptiones, ab his ad insontium aliquot animarum, quæ ad verbi divini auditum se rus contulerant, sanguinarias lanienas, non quas feciistis ipsi, sed quas aut ab irata plebe, aut effero milite fieri impune permisistis. Itis, quo vos subditorum vestrorum ducit, uti creditur, pertinacia, & dum illi prævaricandi finem non faciunt, nec vos persequendi. Illi perire malunt, quam spi-

Ep.379. ſpiritualis vitæ pabulo privari; vos perdere illos mavultis, quam ut ipſorum zelo zelus veſter, ipſorum conſtantia expugnata videatur veſtra majeſtas. Obverſatur animo illud Junonium: *Mene incepto deſiſtere victam?*

Quare rectius feceritis Illuſtriſſimi Viri, ſi aliam viam ingreſſi nimios hoſce impetus ſiſtatis, ne ulciſcendi magis libidine, quam Religionis amore duci videamini. Efflagitat hoc multitudo, patitur conſcientia, ſuadet æquitas, fert humanitas. Præſtat in Religionis controverſiis partes admittere, quam pietatis titulo tyrannidem exercere. Multæ in domo Patris manſiones ſunt, nec ob ſolos Calviniſtas creata cœlorum machina. Latius patet Eccleſiæ Catholicæ nomen, quam ut tam arctis ea limitibus circumſcribi debeat. Quod ſi ita eſt, inhumanum erit iis patriæ hujus portiunculam invidere, quos inter cœleſtis patriæ hæredes ac bonorum ſuorum conſortes adſcripſit ſupremum Numen: iis alimoniam negare, quos paſcit Creatoris benignitas: eos anathemate ferire, qui Chriſtianam fidem ex primitivæ Eccleſiæ ſenſu profitentur. Et quanquam optabilius foret unum eſſe omnium fidelium cor, unam animam; tamen cum hæc per humanam infirmitatem obtineri non poſſit Eccleſiæ felicitas, minore incommodo cœtuum variorum admittitur diſtinctio, quam ut ante tempus meſſis, cum incerta adhuc eſt zizaniorum diſcretio, cum ἀνάκρισις non ſunt Doctorum judicia, cum multorum injuria ac noxa judicii falcem ſtringatis. De aperte blaſphemis non loquor, nec de iis, qui ipſa probitatis ac rectæ vivendi præcepta everſum eunt. De iis loquor, qui Dei timentes ſunt: quorum vita innocens ac ſancta conſcientiæ integritatem arguit: nec alio fine ſententiæ ſuæ inhærere probabile eſt, quam quia ſic credere & Deo glorioſius, & nobis ſalutare magis exiſtimant. Noſtrum eſt, probare Spiritus an ex Deo ſint, nec Prophetiarum diverſitatem adſpernari. Quod ſi non alio remedio quam perſequendo ſervari poſſe creditur Eccleſiæ unitas, ſatius erit diſtinctos locis Eccleſiæ Catholicæ cœtus admi tere, quam hujus vel illius oppreſſione ad fictam ac imaginariam illam unitatem adſpirare. Non alia ſtatim eſt Eccleſia, quæcunque alia aut plus, aut minus ſapit, modo Jeſum profiteatur eumque crucifixum. Tu quis es, ait Apoſtolus, qui fratrem tuum condemnas? Nullo non tempore fuit Eccleſia Dei, nec tamen omni tempore ab omnibus credita, quæ nunc ſingula credi jubentur, & tamen ea credita, quæ neceſſaria creditu fuere. Hæc pauciſſima ſunt. In reliquis aut doctioribus nobis eſſe licet ſine ſalutis compendio, aut indoctioribus ſine ſalutis diſpendio. Nec parum his rationibus momenti adferent clariſſimorum Eccleſiæ procerum judicia, & candidiores calculi. Ita Lactantius: *Diſtringant*, inquit, *aciem ingeniorum ſuorum. Si ratio eorum vera eſt, parati ſumus audire, ſi de-*

ceant: tacentibus certe nihil credimus, ſicut Ep.379.
ne ſævientibus quidem cedimus. Et paulo poſt: *Quid ergo ſæviunt? ut ſtultitiam ſuam dum minuere volunt, augeant? Longe diverſa ſunt carnificina & pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut juſtitia cum crudelitate conjungi. Sentiunt nihil eſſe in rebus humanis Religione præſtantius, eamque ſumma vi oportere defendi: ſed ut in ipſa Religione, ſic in defenſionis genere falluntur. Defendenda enim Religio eſt, non occidendo, ſed monendo; non ſævitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide. Illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe quidem eſt bonum in Religione verſari non malum. Nam ſi ſanguine, tormentis*, addam exilio, carceribus, mulctis, *Religionem defendere velint, jam non defendetur illa, ſed violabitur.* Tantum abeſt, ut probandum ſit inſtitutum veſtrum, qui non tantum patria expulistis viros extra controverſiam Chriſtianos, ſed & aqua & igni iis interdixiſtis, & officia humanitatis iiſdem præſtari & vitæ præſidia ſuppeditari ſevere prohibuiſtis. Alieniſſimum hoc eſt ab indole Chriſtiana, alienum à Creatoris veſtri moribus, qui dum Solem ſuum oriri ſinit ſupra bonos & malos, nec hoſtibus quæ ad victum & amictum neceſſaria ſunt denegari cupit, ad hujus ſuæ φιλανθρωπίας (*amoris erga homines*) imitationem vos invitat. Et quid inhumanius, quam Religionem ad ſalutem hominum datam ad bonorum peſtem perniciemque conferre? Certe huic inſolentiæ adverſantur optimi antiquorum Canonum, qui vetant, ne ſpirituales ullam ob rem, nedum ob fidem aut hæreſin, quemquam occidere, aut ei manus injicere audeant, neque per ſe, neque per alios: ac neque voluntatem, neque factum, neque conſilium ſuum ad id accommodent: quin etiam alios qui id fecerint, judicent atque puniant. Auguſtinus cum Manichæorum decertans hæreſi ac impiis dogmatibus, hunc in modum illos affatur: *Illi ſæviant in vos, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi ſæviant in vos, qui neſciunt quantis ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum; quos ſicut meipſum illo tempore; ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, quum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem.* Hilarius hanc ſævitiæ in diſſentientes ſpeciem pathetice admodum deplorat adverſus Auxentium Arianum, his verbis: *Ac primum miſerari licet noſtra ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Oro vos Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? genteſ-*

Quæſt. alt. cap. Hic à quibus de rel. jud. lib. 7. Quod de punit. diſt. 3. Periculoſe Auguſt. 23. q. 3. Plerique.

Ep. 379. *que vero omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Ante aliquam ſibi aſſumerent è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? Ediſtiſne regis Paulus, cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divina pradicationis effloruit? Illi manu atque opere ſe alentes, intra cœnacula, ſecretaque cœtantes, vicos & caſtella, genteſque fere omnes, terra ac mari contra Senatus-conſulta & regum edicta peragrantes, claves (credo) regni cœlorum non habebant? aut non manifeſta ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit? cum tanto magis Chriſtus pradicaretur, quanto magis pradicari inhiberetur? At nunc, proh dolor! divinam fidem ſuffragia terrena commendant: inopſque virtutis ſua Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur: terret exiliis & carceribus Eccleſia, que exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, que perſequacium eſt conſecrata terrore. Fugat ſacerdotes, que fugatis eſt ſacerdotibus propagata. Diligi ſe gloriatur à mundo, que Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet*, &c. Eadem Damalceno mens fuit, qui III. ſentent. cap. XXXII. tradit *Euangelium toto orbe fuiſſe pradicatum, ſed nullis telis, aut armis, aut bello ſuos adverſarios viciſſe, ſed à paucis mutis, pauperibus, indoctis, & flagellatis confuſos fuiſſe ſapientes mundi. Quomodo enim poſſet Eccleſia habere martyres, ſi ipſa martyres faceret?*

His expoſitis, quid V. V. C. C. agere oporteat, intellectum puto. Nunc ſi ſpecialius Patriæ noſtræ faciem, ac ſubditorum indolem: ſi tempora quibus vivimus: ſi ea, quæ nos manent incommoda & pericula; ſi Confœderatorum Principum ſtudia, vota & conſilia; ſi controverſiarum argumentum: ſi exempla eorum, quos nimius in diſſentientes rigor perdidit; ſervavit manſuetudo, aliaſque circunſtantias ponderare libeat, utique aliam rogandæ reipublicæ viam ineatis oportet. Non ferunt Belgarum ingenia immites dominos, & duci lenitate gaudent, cogi nolunt. Enimvero inſita eſt animis ipſorum libertatis avitæ memoria, nec aliam ob cauſam Auſtriacos dedignati fuerunt, quam quod conſcientiis imperioſe præſcriberent, & uni religioni, quam haſtidiebant noſtrates, mancipatos vellent. Quoties majores veſtri, quoties vos ipſi de Epiſcoporum tyrannide, civium carnificina, libertatis fœda oppreſſione, ac erepta publice docendi facultate conqueſti eſtis? Quoties docuiſtis, ac in Ordinum comitiis urſiſtis, non alia ratione, quam conſcientiarum libertate componi poſſe Reip. tempeſtatem? Quoties ipſi vel in urbibus intra cœnacula, vel extra urbes in compita, lucos, ac loca publica ad conciones confluxiſtis? Nunc vix in ocio poſitis eadem ſævitiæ exempla placere occœperunt, & damnata in hoſte inclementia adlubeſcit. Non ovum ovo magis ſimile, quam nupera veſtra Edicta Edictis Regis Hiſpaniarum, ſolo mortis ac vivicomburii ſupplicio excepto; niſi forte pejus quiddam morte æſtimari poſſint æterni, iique infames ac delibato ſcurrarum floridicati carceres. Suſcepta ſemel vobis Synodici Decreti aſſertio eſt; ſed quas non illa turbas, quæ non mala dedit? Vultis catalogum. Sic contexo. Primum neci Joh. Barneveltii, ad ſumma ſæpe diſcrimina delecti viri, occaſionem dedit & juſti ſpeciem, qui ut innovatæ religionis reus teneri poſſet, falſitatis & novitatis crimine notanda fuit primitivæ Eccleſiæ ſententia. Hinc in Remonſtrantes ad Synodum citatos tranſlata tempeſtas, qui æterno exilio mulctati ſunt, quod ſordidi ſtipendii ſpe veritatem, quam hactenus profeſſi fuerant, ſilentio prodere detrectarent. Ab his in reliquos promiſcue Eccleſiæ Paſtores ſævitum, quibus aut exulandum fuit miſerrime, aut commiſſi ſibi à Domino talenti promittenda improba ſuffoſſio. Nec ſtetit intra Eccleſiaſticos rigor. Sed & in Politicos, quotquot placuiſſent Remonſtrantium ſtudia, animadverſum. Æternæ cuſtodiæ mancipatur H. Grotius, & qui maris vobis libertatem, qui Reipub. veſtræ jus & antiquitatem, qui Pietatem denique veſtram ſcriptis ſuis conſtanter aſſeruit, in Tullianum compingitur. Juſtitiæ ſeverus cultor Hogerbetius, par cum Ariſtide ab ingrata republica præmium reportat. Exulant alii autoritate & prudentia inſignes viri, de patria optime merici. Reipublicæ clavo depulſi ſunt paſſim gubernatores ac rectores fideliſſimi, & junioribus ac rerum inexpertis commiſſa in tam turbato marine vis Belgica. Civium veſtrorum optima pars alibi efferi militis truculentiæ, alibi harpyjarum furoribus, alibi famelicorum prætorum inſatiabili objiciuntur avaritiæ. Nempe his victimis litandum fuit Synodi Dordracenæ Patribus, nec niſi miſerorum ſanguine placari potuit ſacræ iſtius Dianæ rabies. Ut de Schiſmate jam nihil dicam, quo & patriæ vires & Eccleſiæ diſtracta unitas. Utrique moderatione, placabilitate, & concordiæ ſtudiis occurri in tempore potuiſſet. Nunc extra medelæ ſpem morbus eſt, nec remedia admittit, quin certiſſimam internecionem minatur, niſi urendi & ſecandi finem feceritis. Flagrant odiis mutuis civium animi, & Cadmæam victoriam affectant, quæ non minus victoribus quam victis luctuoſa erit. Patent adulatoribus aures eorum, qui rempublicam gubernant. Delatoribus & ſycophantis facta venia, nec tuta ab horum improbitate innocentia multorum. Hypocritarum & foro utentium tanta copia, quanta autumni tempore cicadarum. Et quia religionem Synodicam profitendo quæſtum ſe facere vident, religioſiſſimum quiſque ſe ſimulat, cum ſit peſſimus. Creditur mercenariis linguis, & venali teſtimonio ſuccumbit perſpecta multorum pro-

Ep. 3

Ep.379. probitas. Amissa quoque multarum urbium pristina securitas exercitus vestri copias labefactat, & necessaria fiunt præsidia, dum absque necessitate ut hostes metuitis, quos sola mansuetudine vobis devinxisse oportuit. Et quam pestilens illud in omni Rep. sit malum, libellorum famosorum licentia, probe novistis, quibus causam & fomenta subministrat insueta imperii facies, & Sejanorum subita felicitas. Vacillat publica authoritas, quam impune lacessit subditorum maledicentia, nec tuta sunt imperia, quæ metu magis, quam subditorum conservantur benevolentia. Nec gratis profecto disputatum fuit in Synodo, sed magno ære redempti Canones. Precio empta patriæ infelicitas, & non nisi magna ærarii publici penuria satisfactum Ecclesiatticorum libidini. *Tanta malis erat Calvini condere gentem.* O conditionem miseram Reipubl. vestræ, in qua diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum, ubi severitas periculosa est, liberalitas invita, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omnium hilaris, animus multorum iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ! O speciem dignitatemque populi vestri, in quo ea, quæ victis civitatibus accidunt, patiuntur cives, disturbantur tecta, diripiuntur fortunæ, gubernatores dejiciuntur fortissimi, præficiuntur vix prætextati, & de patriæ patribus arbitria funeris petuntur; denique patriæ causa patria amittitur.

Quod si domesticis malis affici vos non patiamini, & invidiam armis vos superaile jam creditis, moveat quæso vos exteri hostis metus. Effluxit induciarum tempus, & recrudescente recens bello & domi & foris bellandum erit. Prudenter veteres Romani tribunitios motus sopiebant, quoties externus hostis finibus instaret: Idem vobis faciendum, nisi vinci vultis ab eo, quem sola civium concordia vicistis hactenus. Horum siquidem discordiæ sunt, quæ hostibus magnarum rerum præbent occasiones. Raro fortuna invidiam suam populo uni in alterius perniciem commodat, nisi prius ille turbatis domi rebus vitia ipse sua viresque regere nesciat. Quare tumultus domesticos, dum tempus est, componite, malorum nostrorum causas tollite, ne verum fiat, quod vaticinatus dicitur Geldorpius quidam,

Principium fuit ex irata plebe tumultus,
Finis ab irata plebe tumultus erit.

Nihil Reipubl. periculosius accidit, quam imperantum superba securitas, & iratæ plebis contemptus. Sæpe animus, qui dubiis rebus fuit infirmior, desperatis confirmatus est multum. Ubi vires dominorum suorum frangi videt populus, suas colligere incipit, & injuriam illatam si ulcisci queat, perire amat. Præterea ita ratiocinatur: si propter plebem Rex est, non plebs propter Regem, plebis commoda Regis commodis anteponi debere, nec Regis illum aut Patris gubernatorisque nomen mereri, qui ex civium oppressione gloriam & voluptatem capit. Ep.379.

Et quid non largiendum ingeniis, in tam inextricabili quæstionum sublimium de Prædestinatione Labyrintho? præcipue cum de Ariadnes filo, quo vestigia legere necesse est, controvertatur. Utinam Cœlestini Episcopi vobis placuisset modestia, qui nec Augustini contemnere audebat placita, nec eadem volebat adstruere. Prisca Ecclesiæ lumina, Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Damascenus, Hieronymus, aliique complures, Græci pariter & Latini cum Remonstrantibus crediderunt.

An hos superstites Ecclesiæ communione arceret Calvinus, vos Belgio? Nunquam jure Canonico in ita sentientes animadversum. Nunquam hæc controversiarum puncta dissipandis Ecclesiis, nedum excutiendis Magistratibus occasionem præbuere. Scilicet plus sapimus juvenes patribus, nepotes majoribus nostris, & hoc tempore necessarium esse cœpit, quod nunquam fuit.

Nec silentio prætereundum, multa calide, multa inconsiderate & vindictæ potius studio, quam consulto, geri à novitiis Magistratibus. Offensarum suarum memor privatas injurias quisque ulciscitur, & victoria potitus ferocior impotentiorque redditur. Quæ profecto excitare vos debebant, ut propius in Rempubl. aciem intenderetis, & vehementiam multorum ac implacabilem iram in gyrum rectæ rationis duceretis. Nihil enim recte, nihil prudenter fieri potest ab animo, quem ira occupavit. Prohibenda hæc est maxime in puniendo, cum proprium irati sit, cupere ei, à quo læsus videatur, quam maximum dolorem inurere.

Est adhæc prudentiæ, non ostendere, quibus rebus impar sis, & cum sæviendo compesci non possit populi oppositus furor, concedendo eundem vincere. Cunctando non minus, quam aperto Marte restituitur res Romana, & peragit potestas tranquilla, quod nequit violenta. Nihil vel parum hactenus proiecistis Edictorum numero ac severitate, nec expugnata plebis constantia, (vos pertinaciam vocatis) sed firmata magis. Et nescio quo obnitendi studio ea sæpius committere amant, quæ sæpe vindicantur. Politicorum monita sunt: severitatis assiduitate authoritatem amitti, & non minus turpia esse Principi multa supplicia, quam medico funera.

Nec contemnenda quoque vicinorum Regum de hoc vestro instituto judicia. Anglo quin placeat non est dubium, quanquam vos illi non usque adeo. Ubi in discrimine erunt res vestræ, ociosum se spectatorem præbebit vestræ calamitatis. Gallo quin ægre sit non ignoratis, & insigni Reip. vestræ damno spreti Oratoris Boisisii culpam luitis. Helvetios transalpinos considerate, quos contemptus Legati Gallici pessumdedit, & sero ad pedes Ludovici

Digitized by Google

Ep.379. vici duodecimi ſupplices provolvi coëgit. Præſtat Prometheos eſſe, quam Epimetheos. Vereor ne eadem vos propediem manſura ſit ſors. Non ea imperio veſtro parta ſecuritas, ut tanti Regis benevolentiam ſuperbe contemnere debeatis. Sententiam Eccleſiarum ſuarum in Synodo damnatam eſſe iniquiſſime ferunt Dania: & Sueciæ Reges, & à Calviniſtarum ſupercilio ſibi metuunt. Nec Saxoniæ Duci ob eandem cauſam gratiores eſtis, ad cujus offenſam hoc acceſſit, quod vobis authoribus aut ſaltem fautoribus, (uti fertur) recuperandi Electoratus Saxoniæ ſpem concipere auſus fuerit Dux Weimarius. Quotquot Confeſſioni Auguſtanæ favent Principes, Synodi veſtræ Canonibus anathema ſcribunt, & qua fide à Pareo aliiſque Theologis oblata ipſis fuerit ſocietatis dextera jam didicerunt; nempe, ut in ſocietatem admiſſi, aut contra, quam ſentiunt, credant, aut muniis publicis, cum ſacris tum profanis, Remonſtrantium exemplo, decedant. Quod ſi in horum omnium amicitia, fœderibus, auxiliis quidquam poſitum creditis, tempus eſt medicam manum laboranti patriæ admovere, & illorum Principum exempla imitari, qui conceſſa Religionum libertate, pacata habere malunt imperia, quam illa erepta cum inteſtina civium pertinacia perpetuo luctari. Cum vero imperantium unicus ſcopus eſſe debeat, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla ſit reſpublica, deliberandum vobis an huic fini accommodata ſit præſens imperii forma. Libertatis obtinendæ ſpe in loca hæc ex omnibus terrarum oris conceſſere populi, & Chriſtianæ moderationis fama inclaruiſtis hactenus. Rigida imperia qui ferre nequiverunt, hic ſedes ſuas locatum venerunt, Puritani, Bruniſtæ, Lutherani, Anabaptiſtarum cœtus varii, Judæi ipſi. Quibus omnibus dum docendi copiam facitis, & ſolis Remonſtrantibus denegatis, faciliores vos erga exteros quam indigenas præbetis, & dum illos prudenti Religionum tolerantia huc allicitis, hos faſtidioſe contemnendo è Republica veſtra abigitis. Quæ res facit, ut felicitati veſtræ inhient vicini Principes, & veſtra culpa quiſque frui ſtudeat. Invitant ad ſe, quos vos faſtiditis, Danus, Suecus & Holſatiæ Dux. Quin & proprii commodi ſpe humaniter tractant exules veſtros Archiduces, ut, qua illi hactenus male audiverunt, in vos derivent ſævitiæ infamiam.

Quæ cum ita ſint, Illuſtriſſimi ac Potentiſſimi Ordines, revocate jam animos veſtros ab hac noſtra diſputatione ad univerſam Rempublicam, & ad reliquas veſtras, quibus patriam hanc feliciſſime tutati eſtis virtutes, fortitudinem, inquam, conſtantiam, fidem, authoritatem, clementiam quoque adjungite, quæ lenitate, manſuetudine, temperantia ſua ſervatum it eos ipſos, qui ſe perdunt. Hanc ſi conſiliorum veſtrorum adhibueritis directricem, ſecuram magis & tutam habebitis Rempublicam, amore popularium, non metu firmatam. Hoc munimento tuti, munimento non egebitis. Firmiſſimum id imperium, quo obedientes gaudent. Scitote civium non ſervitutem vobis, ſed tutelam creditam eſſe, nec Rempubl. tam veſtram eſſe, quam vos Reip. Inſurrat vobis prudentiæ civilis magiſter Tacitus; novum imperium inchoantibus utilem eſſe Clementiæ famam. Pergite iidem artibus tueri Rempubl. quibus illa nuper ab Hiſpanorum tyrannide vindicata eſt. Quod ſi mutetis indolem, metus eſt ne fortuna quoque cum moribus mutetur. In nullos magis inſurgunt homines, quam in eos, quos imperium in ſe adfectare ſentiſcunt. Non ſolis viribus ac armorum præſidio credere æquum eſt, ſæpe acri potior prudentia dextra. Sint ante oculos illi Principes, quos nimia in ſubditos inclementia cervicibus publicis depulit. Temperatus timor eſt, qui cohibet, aſſiduus & acer in vindictam excitat. Et ut arbores quædam reciſæ magis pullulant, ita publica crudelitas auget inimicorum & malignantium numerum, non minuit. Remove terroris cauſas, ilicet qui timere deſiit, odiſſe incipiet, & repertis authoribus tollet animos. Male illi & ſibi & publico conſulunt, qui ex magna fortuna & adverſariorum victoria licentiam tantam uſurpant, & non tam, quod liceat, quam quod libeat, agunt. Illa demum laudabilis victoria eſt, quæ cum paucorum exitio conjuncta eſt, tum ex qua victor majorem prudentiæ moderationiſque laudem refert, quam fortitudinis aut felicitatis. Privatas ergo offenſas miſſas facite, quæ non raro rectores Rerumpubl. ſtimulant in publicum exitium. Abſit à conſiliis veſtris contumacia, nec dedecus fore credite, Edictorum ſeveritatem mitigaſſe. Moderanda ſententia eſt è Reipubl. tempeſtate, tanquam navigium aliquod. Non ſemper it uno gradu vir ſapiens, ſed una via; nec curſum eundem tenet, ſed portum. Arte & flexu ſubinde opus, & contracta ſæpius juvant vela, quæ expanſa periculum minantur. Adulatoribus quoque aures occludite, nec ab Eccleſiaſticis duci vos ſinite, uti nervis alienis mobile lignum. Hi in cauſa ſunt, ut non ſolum fiant, quæ vultis vos, ſed etiam ut ipſis morem gerere vel inviti cogamini. Accendit has diſſidiorum faces Religio, quæ nunquam felici ſucceſſu in Repub. hac veſtra coërcita fuit. In Repub. inquam veſtra, in qua omnes diſputare malunt quam vivere, & libertati aſſueti dura ſervitia pati neſciunt.

Ep.379.

Quamobrem recte feceritis, ſi mitigata Edictorum acerbitate docendi libertatem Remonſtrantibus concedatis, nec imperium diutius in conſcientias vobis affectetis. Connivere hic melius, quam intempeſtivis remediis delicta accendere. Majorum noſtrorum ad Regem Philippum, ad Margaretam Parmenſem vox fuit; Mentium Regem Deum eſſe; Belgarum ingenia non niſi facili freno regi: Edictorum

Ep.379. ctorum rigori vaſtari magis civitates, quam corrigi. Cur hæc vobis jam præcepta ſaluberrima diſplicent? Cur in eundem, in quem Auſtriaci, lapidem impingitis? Cæſaris effatum eſt, potentia mediocritate exercita, omnia parta conſervat. Et remiſſius imperanti melius, inquit Seneca, paretur. Seditionibus, ſi quas metuitis, occurrere in tempore, prudentia, authoritate, potentia poteſtis, quin iis legibus libertatem concionandi circumſcribere, quibus Reipubl. veſtræ ſecuritati abunde proſpectum ſit.

Proſcriptionum, exactionum, incarcerationum (voces ad Reip. perniciem natæ) finem aliquando facite. Rectores vos, non dominos, ſubditos, cives, non ſervos, cogitate. Magis civitates ad obſequium flectit parcitas animadverſionum. Et illud laudabile, ut, ſi pœna opus ſit, ea ad paucos, metus ad omnes redeat.

Iram maxime prohibete in puniendo, nam irati dum ad pœnam acceditis, nunquam mediocritatem illam tenebitis, quæ eſt inter nimium, & parum. Expendite Contraremonſtrantium efferos & ſolo vindictæ ſtudio flagrantes animos, & ab hierarchia ipſorum vobis ſedulo cavete. Turpe eſt eam his hominibus concedi à vobis authoritatem, ut omnium civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, bona, fortunæ, domicilia, ex ipſorum nutu, ac gratia pendere videantur.

Expendite, cum optima Reip. parte vos contendere, quam ſola facilitate placare poteſtis. Nec permittite, ut fictis proditionis criminibus graventur fideliſſimi cives, quorum perſpecta eſt in rebus magnis & honeſtis vita: aut ut ſceleratiſſimorum hominum quotidianis calumniis impune objiciantur devota ad neceſſariam Patriæ defenſionem pectora.

Revocate exules, & culpam hanc ſuam agnoſcant, quod de veſtra clementia hactenus deſperaverint. Si Synodi decretis per conſcientiam ſuffragari nequeunt, ſatis ſit publicis eos functionibus & ſtipendiis privari. Ne triſti divortio à conjugibus maritos, à liberis parentes, à complexu ſuorum diſtrahite vitæ, generis, ſanguinis, affinitatis, & ſtudiorum hactenus genere junctiſſimos. Fruantur illo quoque aëre, in quo nati primum, mox & educati ſunt. Doceant Eccleſias ſuas, quæ doctrinam ipſorum amplexæ ſunt; cum tota fere Religione, imo tota, ſi Chriſtianam ſpectes, diſſidentibus, docendi libertatem non inviti concedatis.

Sinite quæſo, ut aliquid ponderis apud vos habeant, tot civitatum, tam crebræ, tam ſeriæ ſupplicationes, illarum præcipue, quarum vel longa obſidione, vel everſione fracti fuere hoſtium impetus; quarum conſtantia, fide, animi magnitudine Patria noſtra, Deo vindice, ſarta tecta ſtetit.

Hoc ſi feceritis, coaleſcent civium diſtracti animi; gaudebunt imperio veſtro ſubditi omnes; prudentiæ & clementiæ fama, ad quam omnia dirigenda principibus, clari eritis; belli adhæc ſubſidia auctius & libentius ſubminiſtrabuntur; cum ea non in civium oppreſſionem, ſed juſtam defenſionem conferri conſtabit: dolebunt felicitatem veſtram, quotquot ei invident, gratulabuntur Confœderati Principes; reviviſcet Religionis anima Charitas, & quas nunc civitates tuentur militum copiæ, ſolus civium tuebitur favor. Denique, quæ votorum veſtrorum ſumma eſſe debet, amorem veſtri apud ſubditos, metum apud hoſtes relinquetis. Francofurti ad Mœnum, Anno CIↃ IↃC XX. menſe Sextili. Ep.380.

Veſtris Celſitudinibus addictiſſimus

CASP. BARLÆUS.

CCCLXXX.

SAMUEL NÆRANUS

CONRADO VORSTIO S.P.

REverende Vir, Graviſſimum ſane ex obitu chariſſimæ uxoris dolorem cepi, & identidem etiamnum capio, quoties cogito quali conjuge orbatus ſim. In ergaſtulum cum fratribus captivis compingi non tam grave mihi fuiſſet. Viſum fuit Deo, eripere mihi quod habebam cariſſimum in hac vita, forte ut vilior mihi hæc ſit, & minus metuam ejus adire periculum, ſi id forte adeundum ſit. Interim ſolatur me quod ei, cui optime cupere debeo, eſt melius, dum mihi eſt pejus, T. R. ago maximas gratias quod ſuis quoque precibus afflictum meum ſtatum Deo commendare gravata non ſit, qui me paternis ſuis ſolatiis non deſtituit. Eundem oravi & oro, uti crucem tuam levare & mitigare pergat. Singulari curæ te eſſe Deo arguit coërcita hactenus ſævitia improborum hominum odio tui ardentium, qui quod clementiſſime omnium, aut, ut melius loquar, minus inclementer quam cæteros (quos minus odiſſe ſemper viſi ſunt) tractent eum, quem omnium maxime oderunt, id acceptum ferendum eſt ei qui malorum ſævitiæ metas ponit & terminos. Atque intra eos porro quoque cohibitum eos iri ſpero, nec permiſſurum Deum ut alio T. R. extrudatur. Perſuaſum multis eſt T. R. jam è Provinciis fœderatis emigraſſe, idque Calendarium Daventrienſe teſtatur. Nuper in Friſia multus rumor erat, T. R. Hamburgi obiiſſe. Credo quidem ſi brevi aliquid adverſus Synodum T. R. ederet, Ordineſque reſciſcerent T. R. etiamnum in his oris delitescere, crabrones excitatum iri: ſed erit forte tuæ prudentiæ hoc non temere hoc rerum ſtatu aggredi. In noſtrorum hominum gratiam ut tanto cum periculo rei familiaris exiſtimationem tuam nunc tuearis, non videtur eſſe tanti; quippe qui- *Variè.*

Ep.380. bus cauſæ tuæ æquitas, Synodi iniquitas, ſatis eſt perſpecta. Exteri vero ignorant ubi terrarum R. T. degat, & non mirantur forte T.R. in circumducenda huc illuc, ut fit, familia occupatam, nondum vacare conſcribendæ aut publicandæ apologiæ. Præterea apologiæ inſtar eſſe videtur, quod teſtatur Synodus, obtuliſſe T. R. collationem cum Theologis exteris, & ſcriptionem adverſus Socinianos. Quiſquis hoc non oſcitanter legerit, facile percipiet, T.R. inauditam eſſe condemnatam & audientiam poſtulantem. Dabit ſpero Deus, idque brevi, facultatem liberius & tutius famæ tutandæ. Interim ſi T. R. abſolutis notis iſtis, quarum meminit, ſe accingat ad ſcribendum de controverſia illa graviſſima, de qua colloquebamur cum nuper una eſſemus, faceret maximum operæ ſuæ pretium, &, quantum intelligere potui cum fratribus adeſſem, rem ipſis gratiſſimam, & cauſæ communi conducibilem. J. Geyſteranus edidit conſenſum Pauli & Jacobi, &c. quem vidiſſe T. R. puto; in eo præcipua fundamenta ſententiæ ſuæ adſtruere videtur conatus. Erat in manibus quorundam Harlingæ ejuſdem authoris libellus manuſcriptus, hoc titulo, colloquium Goudanum. Facile divinat T. R. quod ſit illud colloquium, in quo vix ſerio ad rem ventum eſt. Illo tamen vir iſte videtur abuti ad triumphum. Non puto ulli eorum, qui iſti colloquiolo interfuerunt, in mentem veniſſe ultro citroque dicta annotare præter ſolum D. G. qui firmamentum aliquod cauſæ ſuæ ex eo quærere videtur, cum tanto viro feliciter, ut ſibi videtur, congreſſus. Ex eo tempore diu multumque cogitavi de iſta re, ſed magis magiſque confirmor in ea ſententia, quæ & tua viſa mihi eſt & fratrum præcipuorum qui ſunt Antwerpiæ: imo & plerorumque reliquorum. J. Geiſteranus mordicus inhæret litteræ, *ne reſiſtite malo*: & regerentibus, an ergo & inhærendum literæ in eo quod ſubjicitur *omni petenti da*? Reſpondet, hoc quoque ſecundum litteram accipiendum, adeo quidem, ut dixerit, ſi dives à non divite, orbus à multorum liberorum adhuc tenerorum parentibus peteret ſummam aliquam pecuniæ quam hi dare poſſent, ex illo præcepto Chriſti iſtis parentibus incumbere neceſſitatem ſummæ iſtius diviti illi & non egenti numerandæ, niſi ſibi dives iſte aliter pateretur ſatisfieri. Vix mihi videbatur hoc veriſimile aut credibile, homini tam ab omni ratione alienum interpretamentum poſſe probari: ſed aſſeverarunt ita rem habere ii, qui in cæteris magni virum faciunt & cum eo ſentiunt, in hoc ab illo diſſentiunt. Clamat rationem adverſus præcepta Chriſti non audiendam: ſed nec illi videntur audiendi, qui rationem adverſari Chriſti præceptis contendunt, cum cultus Chriſtianorum rationalis ſit. Metuo ne virum illum *ἰδιογνωμονίᾳ* ſua multis abſurdis intricet, ut & alterum illum, qui ipſi cohabitat, cujus Victoriam victis vidiſſe T. R. puto, qui urgere dicitur, non licere Chriſtiano liberis ſuis tenellis proſpicere de neceſſariis ad vitam poſt obitum parentum ſuſtentandam. Puto T.R. in rhythmo illo, cui titulus eſt Victoria victis, deprehenſurum quædam quæ arctiore lege adſtringunt Chriſtianos quam eos adſtrinxit Chriſtus. Inſtitutionem concionatorum, qualibus hodie utitur & ædificatur Eccleſia, non putat loco illo ad *Epheſ.* IV. adſtrui, in quo ejuſdem authoritatis putat fuiſſe, & ſpiritum veracitatis ex æquo habuiſſe omnes qui ibi eadem ſerie collocantur, Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, Paſtores, &c. Paſtorum vero talium munus una cum Apoſtolis, deſiiſſe, & cum dono illo ſpiritus fallere aut falli in rebus divinis tradendis neſcii. Dolendum eſt viros probos opinionibus (quas & intempeſtive adeo publicant) talibus inhærere tenaciter, quæ non tantum ipſorum, verum etiam Societatis noſtræ (eorum enim tanquam è nobis egreſſorum habetur ratio) exiſtimationem maculant. Bertius quam ſibi inuſſit ignominiam, nobis aſperſit maculam, non facile eradet & eluet. Excuſatius forte tam fœde defeciſſet, cum defeciſſet ipſum unde ſe & ſuos aleret; ſed lautiore fortuna uſus diu fuit quam ut eo inopiæ tam cito redigi potuerit. Sed nimirum hominem avarum, qualis auditur paſſim, & liberali ſtipendio frui aſſuetum, non tam eſuritionis metus, quam priſtinæ conditionis vel amplioris etiam deſiderium eo propulit, unde non facile eum patietur retrahi metus ne deſultoriæ inconſtantiæ inſimuletur. Dolebit illi ſuum factum magis, cum videbit rem, quam putabat deſperatam, talem non fuiſſe, & iis qui in ſpem contra ſpem crediderunt in eum qui nihil non poteſt, non male ceſſiſſe.

Ep.380.

Duraſſe & ſemet rebus ſervaſſe ſecundis. Interim non erit quod nobis Molinæus Bertii apoſtaſiam exprobret, niſi ſibi reponi velit plurimos in Gallia Euangelii Miniſtros, ipſum etiam Ferrerium, ſummæ eloquentiæ prudentiæ & authoritatis virum, qui ab ipſis ad Pontificios ante annos aliquot tranſiit. Si publice eo nomine Bertium traducit Molinæus, dabit Bertio anſam ipſum viciſſim & Calviniſmum publice traducendi. Edictum illud cædem ſpirans & ſanguinem utinam prodeat! ſpei parum eſt ut homines iſti miteſcant, & ſæviendi finem ſua ſponte faciant. Multum ſpei eſt ut aliunde ſævitiæ ipſorum modus vel finis imponatur, eoque plus ſpei eſt quo illi ſæviunt inclementius. Non credas quam multis aperuerit oculos truculenta iſta agendi ratio, etiam Amſteldami, & quantopere etiam Contraremonſtrantes multi averſentur iſtam barbariem, quæ ad ſummum venerit ſi tale edictum promulgetur, quod nobis conciliabit, ab adverſariis alienabit plurimos. Paucorum miſeria redimetur miſeria multorum, & forte ut in plures, quam hactenus ſæviit, hæc tyrannis porro ſæviat, impediet miſeratrix Dei manus, quæ forte propior nobis eſt opinione noſtra. Speremus

Ep. 380. mus meliora, reverende vir, & ſperemus cum viris prudentibus, qui non facile ſpes inanes concipiunt. Ego mihi perſuadeo, eo plus ſpei eſſe, quo minus palam apparet. In ſpe & ſilentio fortitudo noſtra. De latibulo neſcio an uſquam minus tuto R. T. poſſet proſpici quam hic, quamdiu in eo ſtatu res ſunt in quo nunc ſunt. Nuſquam quod ſciam imperant homines inclementiores, qui fere nihil non odorantur. Urbs eſt non adeo magna, eo difficilius latere quis hic poſſit. Non dubitaret metuo hic magiſtratus, T. R. ſi eam hic eſſe reſciſceret, domo extrahere & ad carcerem ducere, tanquam omnibus provinciis exire juſſum, nec prius inde dimitteret, quam Haga renunciatum eſſet, quid de T. R. eſſet ſtatuendum. Tutius T. R. in Friſia, puto, degeret; nam ibi miniſtri, qui Canones ſubſignare renuunt, tolerantur. In urbe iſta Harlinga, ioquam te recipere, ut mihi ibi narrabatur, cogitaveras, poſſes forte tuto degere. Præſertim cum Bogermanni frater, qui Campos brevi tranſmigraturus dicitur, inde diſceſſerit; niſi tamen quis æque rigidus ei ſuccedat. Sed incertum tamen hoc quoque eſſet, an non inde Ordines Generales, ſi reſciſcerent, exigendum ducerent. Si ullo modo aliquamdiu ſperadhuc commorari potes ubi hactenus T. R. eſt commorata, id videtur omnium tutiſſimum. Forte interea Dominus alicubi perfugium aperiet & tutum in propinquo azylum. Quod ſi non ſit, de hibernando in Friſiæ urbe aliqua aut pago cogitare T. R. poterit; nuſquam id tutius videris facturus; quanquam ne ibi quidem citra omnem metum ejectionis, ſi reſciſcat Sibrandus, vel alii. Sunt Harlingæ aliquot, qui T. R. optime volunt. Remonſtrantes Miniſtri aliique qui in Friſia ſunt ſatis frigent. Novus iſte gubernator metuendum eſt ne ex aſſe fratris ſui hæres ſit. Nulli in urbibus Friſicis præſidiarii, præterquam Leovardiæ, ubi ſignum unum eſt peditum; eo etiam tutior eſſet ibi commoratio: plebs vero ubique moderatior, ab Anabaptiſtis non aliena, è quibus etiam magna ejus pars conſtat. Si tuo loco eſſem, poſt aliquamdiu adhuc exſpectatam fruſtra mutationem in melius, ſi ibi incommodum eſſet diutius delitescere, Harlingam peterem, ibique cum quibuſdam T. R. non ignotis colloquerer de figenda ibi ad tempus ſede, quod & per alium fieri poſſet, vel per uxorem, vel per litteras. Novi ibi quoſdam per quos hoc curari poſſet. Sunt ibi in Magiſtratu aliquot viri moderati, ipſe etiam Secretarius. Urbs eſt ſatis amœna. Syncretiſmo iſto ſpero nobis non fore opus, & melius ſucceſſurum cum neceſſitas nulla videbitur fundere ut eum ineamus; quamquam nec hoc ſcio an eum inire utile futurum ſit, & conducturum ad propagationem veritatis. Satis videmur habere hominum exiſtimantium inventam eſſe omnem veritatem, nullam quærendam amplius. Fratres illi noſtri eſſe poſſunt, etiam ſi in diverſis ædibus habitemus. Ep. 380.
Lutherani videntur vehementiores eſſe plerique, quam ut illis in moderationis illius, quam noſtram Societatem profeſſuram ſpes eſt, negotio facile conſenſuros veriſimile ſit. Eccleſia hæc conſtanter veritatis partes tuetur, quanquam concionibus aliquamdiu, ſeviente nimium magiſtratu, intermittere coacta eſt. Præſidiariorum equitum ſignum unum itemque peditum hinc evocatum, & dies contractiores ſuppeditabunt deinceps tutiorem opportunitatem repetendi intermiſſum concionandi officium. Fratribus, in quibus ſunt qui ſperare audent in patria noſtra perfugium paratum aliquando fore, ſi eo ipſis ſit opus, liberius quid ſperem ediſſererem coram. Sed præter ſpem tamen nihil habeo, quam firmat ſpes aliorum, non tam credulorum quam ego ſum, nec facile ſpem vanam ſperantium. Accedit nunc ſpei firmamentum ex præſenti rerum ſtatu. Id videtur certum eſſe, aliud fore Ordinum negotium quam ut diu vacare poſſint nobis cruciandis. Secreta litteris committere non eſt ſatis tutum, quamquam nec ego quæ iis committam habeo. Nuper litteræ cujuſdam interceptæ fuerunt, quæ ſi quid continuiſſent liberius dictum vel ſcriptum, facile creaſſent ſcriptori moleſtiam. Ad D. Conſulem ſcribo liberius, quia tecte ſcribere poſſum, ita ut nemo præter illum legere poſſit. Nunc quoque quia tecte ſcribere ad R. T. non potui, nimis libere ſcripſi. Nam ſi litteræ iſtæ interciderent, & manus agnoſceretur, egoque forte caperer, cui periculo quotidie ſumus obnoxii, metuendum eſſet ne magno conatu Magiſtratus ex me vellent explicari quæ neſcio, & alias ſpei meæ cauſas me habere ſuſpicarentur, quam quas habeo. Itaque ſi rarius ſcribo, juſto id metui à ſuſpiciosis & inſidioſis hominibus tribues. Si quid tamen erit alicujus momenti, dabo operam ut id T. R. reſciſcat. Deus foleatur T. R. & diu Eccleſiæ ſuæ ſervet incolumem. Salve plurimum cum uxore & liberis, cum hoſpita & hoſpitibus.

Tua R. ſtudioſiſſimus

SAMUEL NÆRANUS.

Vix dubitem jam innotuiſſe Ordinibus ubi T. R. latitet: ſed putem eos non adeo ægre hoc ferre, quum iſtic loci nihil turbarum T. R. dare poſſit. Si in urbe aliqua degeres, ſtatim metus contagii te iſtinc expelleret inſtigatoribus Eccleſiaſticis: Non puto de tutiore aut commodiore latibulo T. R. poſſe proſpici, quale illud in quo nunc eſt. Ignoſce imprudenti & nimis familiari conſiliario, &c. Demonicus omnium optime T. R. poteſt conſulere. In ejus conſilio ſi T. R. acquieſcat, conſulto factura videtur. Conſtat illi conſilii ſui ratio, etſi eam chartæ non credat, &c. Inſidiatorum plena ſunt omnia. Neptem meam quæ mihi nunc adeſt hæc noto alicui & fido Am

Ep. 381. ſtelodami curandas tradituram ſpes eſt. Noſtri omnes T. R. cum uxore & liberis plurimum reſalutant, & vellent ſe quam ſibi talem hoſpitem gratularentur, tam hoſpitium ſuum tali hoſpiti gratulari ſe poſſe, quod inhoſpitale nimis reddunt nunc quidam: ſed an dudum id tale, reddituri ſint, incertum eſt.

CCCLXXXI.

CONRADUS VORSTIUS
FRANCISCO LIMBURGIO S.P.

Theologica. De loco Matth. XXVI. 39. & Joan. XII. 27.

OBlata hac occaſione, dilectiſſime D. Franciſce, paulo plenius ſententiam meam de utroque loco nuper abs te propoſito aperiendam putavi. Et de loco quidem *Matth.* XXVI. 39. recte utrumque dici exiſtimo: 1. quod *poculum* illud, non ipſam mortem, ſed præviam ei animi anguſtiam maximam, à qua & Chriſtus tandem liberatus fuit (uti ex *Luc.* XXII. maxime conſtat, ubi de Angelo Chriſtum confortante legimus) vere ac proprie declaret. 2. quod etiamſi mors ipſa per hunc *calicem* ſignificaretur, locutio tamen hypothetica ſit, quæ naturalem quidem mortis horrorem ac fugam indicet, ac talem tamen, ut eventum ejus omnem Deo Patri Chriſtus commendaverit, inque hujus voluntate tandem plane conquieverit. Itaque hactenus ſententiæ noſtræ ſat congruunt. Sed de altero loco *Joan.* XII. 27. nonnihil variant. Nam 1. non puto hic de eodem poculo agi, de quo ſupra; quia nec poculum nominatur, & tempora diverſa eſſe conſtat, eoque diverſas precandi cauſas. 2. etſi arguta ſatis explicatio eſt, quam affers, illorum verborum: *ſed propterea veni in hanc horam*, &c. quaſi dicat Chriſtus: *Sed idcirco huc acceſſi ut me glorifices, & declares Filium tuum: qua declaratio ſeu manifeſtatio in eo potiſſimum conſiſtit, quod me ſingulari modo ab hac animi mei ægritudine & anguſtia liberas, ſeu me ſingulari ratione ſolaris & roboras, ut omnes omnino homines videntes ſingularem illam gratiam, qua me afficis, & extraordinarium amorem quo me proſequeris, cognoſcant me Filium tuum, & te Patrem meum eſſe*: non puto tamen ſolidam eſſe & peritaſibus ſat congruam: hæc enim docent, epanorthoſin quandam in his Chriſti verbis ineſſe, quali in ſermone perturbato uſus, & ſæpe gratiam habet. 3. Illud autem quod ſequitur in reſponſo Patris, *Et glorificavi*, &c. reſpicit tantum ad eam partem petitionis Chriſti, qua petierat glorificari nomen Patris, &c. quod idcirco cum priore parte confundi non debet. 4. Senſum igitur hujus loci eſſe puto ferme eundem, quem ſupra dixi ſecundo loco admitti poſſe, *Matth.* XXVI. Correctio enim hæc indicat, Chriſtum verbis præcedentibus non abſolute, ſed ſub tacita hypotheſi petiiſſe liberari ex illa tentationis hora, quam tunc non longe abeſſe ſciebat. Neque mirum aut inſolens videri debet, Chriſtum diverſo reſpectu mortem horruiſſe, ac deprecatum eſſe (ſub conditione, ut dixi) & tamen eandem pro nobis ultro adiiſſe: Illic enim infirmitas carnis (at ſine peccato) ſe prodidit, ut conſtaret eſſe fratrem noſtrum, per omnia nobis ſimilem: hic autem ſpiritus energia tandem ſe exſeruit, ad ſolatium ſimul & exemplum noſtrum. Plura jam non addo, ut tibi amplius meditandi occaſio relinquatur. Plenius tamen alias, ſi voles, ζήτημα (*diſquiſitionem*) hanc pertexam, Deo favente. Vale in Domino Jeſu quam optime, & ſororem cum ſororio alioſque tuos amicos à nobis officioſe omnes ſaluta. 3 Septembris 1620. Ep. 382.

CCCLXXXII.

CONRADUS VORSTIUS
FRANCISCO LIMBURGIO,

Salus à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Theologica. De loco Matth. XXVI. 39. & Joan. XII. 27.

UT poſtremis tuis, ornatiſſime D. Franciſce, ordine reſpondeam, à ſacris incipiam: tentaturus cum Deo, an ſcrupulos illos eximere tibi poſſim, qui animum tuum in locis illis *Matth.* XXVI. 39. & *Joan.* XII. 27. adhuc premere videntur. De priore igitur ſatis inter nos convenit, per *calicem* illum, quem Chriſtus auferri à ſe petit, non ipſam mortem & afflictiones ei neceſſario conjunctas, ſed ingentem illum animi angorem, quo tunc acerrime cruciabatur, intelligi debere: ſicque incommoda omnia, quæ diverſam ſententiam urgent, facile vitari poſſe. Interea neque admodum abſurde dici putaverim, petitionem iſtam Chriſti etiam de ipſa crucis morte accipi poſſe, non tamen abſolute, ſed hypothetice, idque non tam reſpectu ſpiritus, qui in ipſo promptus erat ad mortem hanc obeundam, quam infirmæ carnis, quæ naturaliter ſuum interitum abhorret, præſertim tam violentum & acerbum. Hypotheſis ſane aliqua in ipſis Chriſti verbis expreſſa eſt, *Pater ſi fieri poteſt*, &c. Et quod de ſpiritus & carnis luctu jam dixi, non obſcure Dominus in ſequentibus etiam ſibi ipſi accommodat. Senſus igitur erit. Pater ſi tibi placere poſſet, cuperem ab hac morte liberari, quam infirma caro tantopere averſatur: interim quia memini aliter à te decretum eſſe, acquieſcam in tua voluntate, &c. Talis equidem ſenſus, etſi turbationem animi (quæ Chriſto etiam alibi tribuitur) non exiguam indicat, nihil tamen abſurdi continere mihi videtur. Neque enim obſtat certa illa Chriſti ſcientia, qua diverſum de ſe decretum eſſe jam noverat. Non enim huic decreto repugnare cupit; ſed tantum quid ſecundum carnem expeteret, niſi aliter decretum

Ep.382. tum eſſet, cum in finem indicat, ut truculentiam mortis jam inſtantis melius exprimat, & carnis ſuæ infirmitatem roborari tacite ſimul optet. Quod & ſanctis martyribus in ſimili agone conſtitutis non ſemel accidiſſe legimus, quibus hac in parte Dominus aſſimilari non erubuit, quippe fratribus ſuis per omnia ſimilis factus. Hæc talia licet pro iſto ſenſu afferri poſſint, fateor tamen alterum, quem ſupra dixi, non una de cauſa præferendum eſſe. Porro hic obiter monendum puto, quod de morte Chriſti ante ſecula irrevocabiliter decreta ſcribis; id quidem de hypothetico decreto verum eſſe, quod ſcilicet prævisionem peccati humani ſuo tempore exſtituri præſuppoſuit: de abſoluto autem admitti non poſſe (quale ſcil. Calviniſtæ noſtri urgere ſolent) niſi Deum ipſum peccati autorem ſtatuere velimus (prout iſti reipſa faciunt, quicquid verbis excipiant) quaſi qui peccatum ideo exſtiturum decreverit, ne mortem Chriſti fruſtra jam prædecreverit, ut quæ ad illud expiandum deſtinata fuerit. Sed & hic ſententias noſtras congruere putem, niſi quod diſtinctius hic, quam à te factum video, loquendum eſſe exiſtimo. Jam de poſteriore loco ſimiliter inter nos conſentimus, epanortholin hic quandam eſſe, quam & verba Chriſti & res iis ſubjectæ ſatis indicant. Ubi nihil neceſſe eſt, idem hic per *horam* iſtam intelligi, quod ſupra per *calicem* intelligi poſſe, imo debere, conceſſum fuit. Poteſt enim hic ipſa cruenta mors intelligi, quam Deus ibidem in verbis paulo ante commemoratis non obſcure deſcripſit, ubi de grano morituro, deque anima perdenda, &c. diſcipulos ſuos præmonuit. Hanc igitur mortem, ut non longe abſentem, jam tum apprehendens, (idque cum animi turbatione) petit ab ea ſe ſervari: ſed ita, ut ſtatim ſeipſum quaſi revocans, ad eandem ſubeundam ſe paratum eſſe teſtetur. Neque huic ſenſui repugnat verbum ἦλθεν, (*venit*) quod non futuri ſed præteriti ſignificationem habere recte annotas. Non enim neceſſe eſt, ut ſignificatio hujus verbi mutetur, ſed tantum ut mors ipſa (quam per horam iſtam ſat recte intelligi puto) licet reipſa demum futura, tamen ut præſens animo concipiatur, præſertim cum paucis poſt diebus eam ſibi eventuram Dominus præſciret. Venerat igitur in horam iſtam, uti jam tum paratus mortem paulo poſt imminentem obiret, quamvis ipſa nondum adeſſet. Alioqui ſi verbi ſignificatio nimis præciſe hic urgeatur (vel potius ſi tota phraſis ex propria ſolius verbi ſignificatione æſtimatur) dicendum erit, Chriſtum jam tum reipſa mortem obiiſſe, cum verba iſta diceret; id quod ab hiſtoriæ veritate alienum eſſe omnes novimus. Itaque ſenſus loci verus eſſe videtur: Serva me Pater ex iſta morte, ad quam perpetiendam nunc acceſſi: ſic, inquam, me ſerva, ut neque nimis eam metuam, & paulo poſt victor ex ea emergam, transferendus ad gloriam cæleſtem. Unde jam patet, nihil hic cauſæ eſſe cur ad Hebraiſmum illum confugiam, quem deinde exemplis aliquot illuſtrare conaris, ubi aoriſta ſeu præterita pro futuris uſurpari credis. Qua tamen in parte (meo quidem judicio) nonnihil à vero aberras. Nam neque peculiaris hic eſt Hebraiſmus, quum in aliis etiam linguis enallage iſta temporum ſatis uſitata ſit, præſertim ubi de rebus agitur certo jam decretis, & paulo poſt futuris: (ſicut in prædictionibus Prophetarum apparet) neque exempla quæ affers, omnia huc pertinere videntur. Locus quidem *Marc.* XIII. 30. commode ſic verti poteſt; *Non præterierit hac generatio*, &c. hoc eſt, priuſquam præterierit, &c. ubi nativa aoriſti ſignificatio retineri poteſt. Locus autem *Luc.* XIII. 12. etſi omnino enallagen hanc continere videtur, non tamen ut contineat neceſſe eſt, quia verbum ἀπολέλυσαι (*liberata es*) commode referri poteſt ad decretum de re jam præteritum, quodque Chriſtus reipſa jam tum exſequi incipiebat: quaſi dicat Chriſtus; mulier jam ſtatutum de te eſt ut libereris ab hac infirmitate, adeoque reipſa jam te libero. Porro *Joan.* XIII. 18. nullam puto enallagen eſſe in verbo ἐπῆρεν; (*ſuſtulit*) quia reipſa Judas jam tunc calcem contra Chriſtum ſuſtulerat, quem & animo & facto ipſo hoſtibus ſuis prodiderat, accepta etiam in eum finem pecunia. Denique *verſ.* 31. etſi per enallagen accipi recte poteſt, nulla tamen neceſſitas ſic accipi cogit, quum non minus recte ad firmum Dei decretum de Chriſto jam brevi glorificando referri poſſit: ut ſenſus ſit: Jam Filius hominis in mente Dei glorificatus eſt, & viciſſim Deus in ipſo, vel per ipſum, quippe jam ad moriendum accinctum. Solet enim Scriptura in talibus non tam ad externum rei eventum, quam ad firmam & conſummatam tum Dei, tum hominum voluntatem reſpicere; idque jam factum eſſe teſtari, quod in iſta perfectum eſt, licet in illo nondum appareat. Quare neque in loco noſtro *Joan.* XII. 27. enallagen ullam facile admiſerim; ſed omnia, prout jacent & ſonant, ſimpliciter accipienda putaverim; ea tantum cautione addita, quam ſæpius expreſſi, ut in rebus certo jam decretis, & paulo poſt reipſa exſtituris, potius ad animum agentis, quam ad externum actum, ſemper attendatur. Ita nullæ hic erunt Cymmeriæ tenebræ, nec ullo ad Sphyngen hanc intelligendam opus erit Oedipo. Si pauncula hæc tibi ſatisfecerint, utrique noſtrum gratulabor: ſin minus, ubi novos ſcrupulos indicaveris, pro virili mea eximere curabo; modo benigniſſimus Deus otium & facultatem in hoc exercitio pergendi nobis conceſſerit: quod unum nobiſcum piis ab ipſo precibus contendere te velim. Nunc ad alia tranſeo. Conſiliario Bureno perlibenter exemplar apologiæ meæ mitterem, ſi vel excuſum ullum haberem, vel etiam nitide deſcriptum. Miſi quidem ante ſemeſtre Francofurtum exemplar, ut typis illic

Ep.382.

Ep.383. exprimeretur: ſed poſteaquam reſcivi, Ordines Generales jam decreviſſe me Provinciis omnibus eliminare, ſi quid contra Synodum in lucem ederem, ipſe per amicos editionem differri curavi. Quid autem factum ſit, nondum mihi conſtat, etſi ex catalogo indies me ſciturum ſpero, ſi tamen ullus huſce nundinis prodibit catalogus, de quo nonnulli dubitant. Interim prædicto Conſiliario rem totam, uti ſe habet, exponere vos velim, ſimulque meis verbis rogari, ut ſummam apologiæ meæ videat in reſponſione mea ad ſpecimen Feſti Hommii, quam tibi dono dediſſe memini; & in utroque Anti-Slado, maxime poſteriore; denique in iis, quæ D. Piſcatori poſtremo oppoſui; ubi abunde omnia invenet. Miſiſſem ei nunc exemplar de ſingulis, ſi ad manum fuiſſent. Sed hic finio, Deum rogans, ut noſtri omnium in Chriſto miſereatur, & ab inſidiis ac violentia hoſtium benigne nos cuſtodiat. Saluta meo nomine veſtros omnes, alioſque in Domino nobis addictos, quorum favori ac precibus commendari etiam cupimus. Nova non addo, quæ nunc rarius intelligo, ex quo hoſpitium iterum mutavi. Si quid apud vos certi eſt, fac nos participes. Iterum in Chriſto vale. 3 Octob. 1620.

Spero vel te, vel Petrum Homa, exemplaria jam dicta D. Bureno utenda daturum, ut ex iis innocentiam meam videat. Si locum in Oſt-Friſia tutum mihi procuraverit, faxo cum Deo plenius intelliget æquitatem cauſæ noſtræ, & contrariæ iniquitatem. Salveat à me officioſe per I.G.H. alioſque fautores.

CCCLXXXIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

AMicorum optime, Deo gratias ago, tibi gratulor, quod à conſtante ſententia veterum Chriſtianorum nullis procellis te paſſus es abduci, quodque jam aliqua tibi aſſiduorum certaminum intermiſſio contigit. Det idem Deus, ut paulo tranquillius poſthac ſacris ſtudiis poſſis indulgere, &c. Scribebam hæc jam duos & quod excurrit annos ſeclufus à re mihi deſideratiſſima, amicorum conſuetudine. Omnipotens ille tandem omnia publica privataque ad felicem exitum perducat, ad laudem nominis ſui & tutelam ſalutiferæ veritatis, cujus ſalutari gratiæ te, tuos, tuaque omnia commendo. Lupiſteni VIII. Oct. CIↃ IↃC XX.

Tuus

H. GROTIUS.

CCCLXXXIV.

SIMON GOULART

Aux Remonſtrans Wallons d'Amſterdam

Salut par Jeſus Chriſt.

TReſchers Freres, Voici la premiere année de mon exil accomplie, durant laquelle combien que j'aye eſté abſent de vous de corps, ſi n'ay je eſté ſans vous avoir devant les yeux de mon eſprit, l'un de mes principaux deſirs eſtant, qu'il plaiſe à Dieu ſuſciter quelque moyen, de nous revoir & de jouir par enſemble de quelque liberté ſpirituelle par de la, ou en tel autre lieu qu'il luy plaira. Les apparences en ſont encor petites, mais il peut nous octroyer nos deſirs & demandes, & nous faire jouir des biens que nous n'euſſions oſé eſperer ni attendre. C'eſt à un chacun de nous de l'en requerir continuellement, & le prier de nous delivrer du peſant joug dont nous ſommes chargez, & de faire tout devoir de nous maintenir fermes & unis en la conſtante profeſſion de ſa S. verité, laquelle juſques à preſent nous avons cognue, ſuivie, & defendue ſelon noſtre petit pouvoir, & nous garder de nous laiſſer emporter de crainte ou eſperance charnelle à la ſeduction de ceux qui reſiſtent à ceſte verité. C'eſt ce dequoy vous avez eſté ci devant advertis tant par lettres generales que particulieres à quelques uns d'entre vous, notamment par ceſte ample Epiſtre aux François & Wallons de Rotterdam, Leyde, & Amſterdam faiſans profeſſion de la verité Euangelique avec les Miniſtres Remonſtrans, laquelle j'enten eſtre parvenue en vos mains. Parquoy ſans repeter le contenu d'icelle, que j'eſtime avoir eſté facilement comprins, & ſoigneuſement conſideré par un chacun de vous, je tacheray pour le preſent de vous repreſenter quelques autres conſiderations, qui pourront ſervir à vous faire cognoiſtre que nous ne devons abandonner la bonne cauſe que juſques ores nous avons maintenue, ni eſtre ſi laſches que de nous joindre au parti de ceux qui la combatent. *Heureuſe ad croiſſance.*

Premierement eſt à noter, que l'Eſcriture Saincte leur eſt en meſpris, & qu'ils prennent le chemin des Papiſtes, qui la tenans imparfaite & obſcure, y ont adjouſté leurs traditions. Car eux de meſmes ne ſe contentans pas d'expoſer en l'Egliſe le ſeul texte de l'Eſcriture, y propoſent auſſi non ſeulement le Catechiſme de Geneve compoſé par Calvin, mais auſſi de ſurplus celuy d'Heidelberg dreſſé par Zacharie Urſin, qui ne ſont ſinon eſcrits humains & particuliers, leſquels il ne conviendroit pas porter en chaire, ni avoir en plus grande eſtime que les livres des Maccabées, ou autres livres

Ep.384 livres Apocryphes, leſquels on ne lit pas en l'Egliſe devant le peuple, jaçoit qu'ils contiennent pluſieurs bonnes choſes. A leurs Catechiſmes ils adjouſtent leurs Confeſſions de foy en grand nombre, & veulent que nous en facions encor des nouvelles, comme ſi la Confeſſion de foy contenue au Symbole des Apoſtres ne nous devoit pas ſuffire, comme ainſi ſoit que l'ancienne Egliſe Chreſtienne, que eſtoit plus pure en mœurs & en doctrine que celle d'aujourd'huy, s'en ſoit contentée l'eſpace de CCC. ans, aſçavoir juſques au temps de l'Empereur Conſtantin: comme auſſi S. Paul donne aſſez clairement a entendre qu'une telle confeſſion eſt ſuffiſante à ſalut, quand il dit *Rom.* X. 9. *Si tu confeſſes le Seigneur Jeſus de ta bouche, & que tu croyes en ton cœur que Dieu l'a reſuſcité des morts, tu ſeras ſauvé.* Pourtant auſſi les premiers Martyrs de l'Egliſe Reformée ayans a rendre confeſſion de leur foy ſe ſont contentez du ſuſdit Symbole des Apoſtres. Voici entre autres les mots d'un des plus celebres d'entre eux, aſçavoir Jean Fryth: *Je ne voudroy donner occaſion par mon exemple à la compagnie des Chreſtiens, qu'ils receuſſent en nom de foy ſinon les articles neceſſaires du Symbole, ou git toute la ſomme de noſtre ſalut.* Aujourd'huy les Calviniſtes & Synodiens parlent bien autrement. Encor ne leur ſuffit pas le nombre de leurs Catechiſmes & Confeſſions, ils ont voulu de ſurplus y adjouſter les Canons & decrets de leur Synode, ſans vouloir recognoiſtre pour Magiſtrats ſinon ceux qui les approuvent, ni recevoir pour Miniſtres ſinon ceux qui les ſignent; ni admettre pour membres de leurs Egliſes ſinon ceux qui s'abſtiennent d'y contredire.

Or eſt il à noter, que ces Canons & Decrets, quelque beau luſtre & apparence qu'ils ayent, contiennent divers paradoxes & erreurs accordans avec l'hereſie des anciens Predeſtinaires, qui eſtoyent d'opinion, qu'il y avoit certain nombre de predeſtinez à ſalut pour leſquels ſeuls Jeſus Chriſt eſtoit mort, & certain nombre de predeſtinez a damnation pour leſquels Jeſus Chriſt n'avoit point enduré la mort, & que ceux la ne pouvoyent faillir d'eſtre ſauvez, ni ceuxci ne pouvoyent eſchapper d'eſtre damnez: laquelle opinion fort propre a renverſer toute religion, & a rendre les hommes ou profanes ou deſeſperez, à de tout temps eſté rejettée par la plus ſaine partie de la Chreſtienté, notamment par l'Egliſe Gallicane, comme cela a eſté remarqué en l'Examen des Opinions de Baſſecourt Chap. VI.

Outre les ſuſdits erreurs amplement refutez par les Miniſtres Remonſtrans, s'en deſcouvre encor un nouveau en la doctrine des Synodiens touchant la juſtification, qui eſt un point de grande importance: leur opinion eſtant, que la ſeule obeiſſance de Chriſt eſt cela qui juſtifie, & non pas l'obeiſſance du Chreſtien qui git en foy ouvrante par charité. Car il leur eſt advis, que veu l'imperfection qu'il y a en Ep.384 noſtre foy, elle ne peut nous juſtifier. Et que telle ſoit leur opinion appert par les articles de leur Synode, là ou ils tiennent pour erreur de dire, *que Dieu ait choiſi l'acte de la foy quoy que vil en ſoy, & l'obeiſſance imparfaite de la foy, pour condition de ſalut, & que de grace il l'ait voulu reputer pour une obeiſſance parfaite & la juger digne d'eſtre recompenſé de vie.* Or ſi cela doit eſtre tenu pour erreur, ce ſera erreur de dire, que l'obeiſſance Euangelique nous ſoit imputée pour l'obeiſſance que nous eſtions tenus de rendre à la Loy. Qui eſt toutesfois en ſubſtance cela meſme qui eſt dit par S. Paul *Rom.* IV. *Qu'a celuy qui croid ſa foy luy eſt allouée a juſtice.* Et ainſi a eſté entendu ce paſſage des le commencement en l'Egliſe Reformée, comme appert par la Confeſſion des Egliſes de Saxe dreſſée par Melanthon. Ce neantmoins les Synodiens contrediſans à cela oſent confirmer leur ſuſdit erreur en un autre article de leur Synode, là ou derechef ils jugent erreur de dire, *que l'exaction de l'obeiſſance parfaite de la Loy eſtant abolie, Dieu repute la foy meſme, & l'obeiſſance imparfaite de la foy, pour une obeiſſance de la Loy, & de pure grace l'eſtime digne de remuneration de la vie eternelle.* Or eſt il bien vray que l'obeiſſance de Chriſt eſt cela qui juſtifie, mais elle juſtifie entant qu'elle eſt apprehendée par foy, qui eſt l'obeiſſance du Chreſtien, aſçavoir l'obeiſſance Euangelique, autrement appellée obeiſſance de foy. *Rom.* XVI. 26. Et n'y a point d'inconvenient de dire, que la foy nonobſtant ſon imperfection ne laiſſe pas de nous juſtifier, veu que nonobſtant ceſte meſme imperfection elle ne laiſſe pas de nous rendre aggreables à Dieu, *Hebr.* XI. 5. Car la vertu de Dieu s'accomplit en noſtre infirmité. 2 *Cor.* XII. Et par choſes petites & contemptibles Dieu ſcait bien amener à effect ſon œuvre grande & magnifique. Il n'y a point auſſi d'inconvenient ni de contradiction de dire, que nous ſommes juſtifiez par la grace de Dieu, & par l'obeiſſance de Chriſt, & par la foy. Car c'eſt par la grace de Dieu que l'obeiſſance de Chriſt nous eſt imputée, & que ſa juſtice eſt faite noſtre eſtant apprehendée par foy. Pourtant eſt il dit, *que nous ſommes juſtifiez gratuitement par la grace de Dieu par la redemption qui eſt en Jeſus Chriſt, lequel Dieu a ordonné de tout temps pour propiciatoire par la foy au ſang d'iceluy.* *Rom.* III. 23. En laquelle declaration de noſtre juſtification ces trois choſes ſont conjointement conſiderées, la grace de Dieu, la redemption qui eſt en Jeſus Chriſt, c. a. d. l'obeiſſance de Chriſt par laquelle il nous a acquis redemption, & la foy par la quelle nous apprehendons ceſte obeiſſance. Suivant quoy le meſme Apoſtre conclud, que l'homme eſt juſtifié par foy: & par tout ou il parle de la juſtification il parle auſſi de la foy, notamment quand il dit au meſme chapitre, *que Dieu juſtifiera de la foy la Circonci-*

ſion

Digitized by Google

Ep.384 *ſion & le prepuce par la foy* ; & autres ſemblables paſſages. D'ou appert que les ſuſdits nouveaux Predeſtinaires & Synodiens errent au point de la juſtification non moins lourdement qu'au point de la Predeſtination, voire d'un double erreur. Car en niant que nous ſoyons juſtifiez par la foy comme par une vertu Chreſtienne & l'obeiſſance euangelique, ils nient auſſi que nous ſoyons juſtifiez par les œuvres de la foy qui nous ſont commandées en l'Euangile. En quoy ils contrediſent à S. Jaques, qui dit, *que la foy ſans les œuvres eſt morte, que par les œuvres la foy eſt rendue accomplie, & que l'homme eſt juſtifié par icelles & non ſeulement par la foy*: c. a. d. que comme nous ne ſommes point juſtifiez par les œuvres ſans la foy, auſſi ne ſommes nous point juſtifiez par la foy ſans les œuvres. Ce qu'eſtant bien conſideré, on trouvera qu'il n'y a point de repugnance entre S. Paul, qui a contredit à ceux qui eſtiment qu'on puiſſe eſtre juſtifié par les œuvres de la Loy, & S. Jaques, qui a redargué ceux qui cuident pouvoir eſtre juſtifiez ſans les œuvres de la foy.

Quand donc il eſt queſtion de la juſtification, & de ce qui ſe dit de la foy & des œuvres touchant ce point, on peut reduire le tout à quatre differentes maximes. 1. Que l'homme eſt juſtifié par la foy & par les œuvres. 2. Que l'homme eſt juſtifié par la foy, mais non par les œuvres. 3. Qu'il eſt juſtifié par les œuvres & non par la foy. 4. Qu'il n'eſt juſtifié ni par les œuvres, ni par la foy. La premiere maxime eſt veritable, car elle eſt conforme à la doctrine de S. Jaques; d'ou enſuit que les trois autres qui y repugnent, ſont erronées. La deuxieſme eſt de Luther, qui s'eſt tant oublié que de dire que l'Epiſtre S. Jaques eſt une epiſtre de paille: & eſt ſuivie des Flacciens, qui ſont les plus groſſiers Lutheriens. La troiſieſme eſt des Scribes & Phariſiens. La quatrieſme eſt des Contreremonſtrans & Synodiens, ſelon le ſens qui a eſté repreſenté ci deſſus.

Or ce n'eſt pas merveille ſi les Synodiens & leurs adherans, faiſans ſi peu de cas des bonnes œuvres & nians que nous ſoyons juſtifiez par icelles, ne font gueres leur devoir de s'y addonner, veu meſmes qu'il s'en trouve pluſieurs entre eux qui ne prennent pas plaiſir d'en ouir beaucoup parler. Car on ſait les murmures qu'il y eut entre eux contre Maurois au commencement de ſa venue à Amſterdam, pour avoir, à leur advis, trop exalté les bonnes œuvres en un ſien preſche expoſant ce paſſage de l'Epiſtre à Tite: *Ceſte parole eſt certaine, & je vueil que tu affermes ces choſes, afin que ceux qui ont creu à Dieu, ayent ſoin de s'appliquer principalement à bonnes œuvres: Voila les choſes qui ſont bonnes & utiles aux hommes.* Le dit Maurois ſe peut ſouvenir combien de mauvais gré il eut de pluſieurs d'entre eux à l'occaſion du ſuſdit preſche, par lequel il ſe rendit ſuſpect envers eux d'eſtre Arminien. Depuis ce temps la ils ſe ſont tousjours monſtrez fort alienez d'equité, de verité, d'humanité, de manſuetude & autres bonnes qualitez; au lieu deſquelles on ne deſcouvre à preſent en eux ſinon partialité, calomnie, inhumanité, felonnie & autres ſemblables mœurs depravées. Ep.384

Sur tout ſe trouvent en eux les quatre ſuſdites mauvaiſes conditions. 1. Partialité: Car ils ſont tellement occupez de prejugez, qu'ils ne daignent preſter l'oreille ſinon à l'une des parties. Ce leur eſt aſſez d'ouir le jugement de leur Synode, & les advis de leurs Conſiſtoires, & les diſcours de leurs preſcheurs: quant aux Remonſtrans, ils ne les veulent ni voir ni ouir, & toutes-fois ils entreprennent de les juger & condamner. Ils ne veulent pas meſmes ſouffrir qu'on leur repreſente nuement la controverſe qui eſt entre l'une & l'autre partie: teſmoin les cenſures faites par ci devant à Maurois, pour avoir ſimplement deduit en un ſien preſche les cinq points des Remonſtrans, tant ils craignent que le peuple ne les cognoiſſe, & en les cognoiſſant ne les approuve, & en les approuvant ne ſe joingne aux ſuſdits Remonſtrans. Or qu'eſt cela autre choſe ſinon fuir la lumiere, hair la ſcience, & detenir la verité en injuſtice?

2. Calomnie: Car ils n'ont point de honte d'employer leurs langues & leurs plumes à denigrer & diffamer les Remonſtrans par toutes ſortes de blaſmes & meſdiſances, leur impoſant les plus eſtranges opinions dont ils ſe peuvent adviſer, voire les erreurs qu'eux meſmes croyent & qui leur ſont enſeignez par leurs propres Miniſtres & Docteurs: & de ſur plus les taxant d'eſtres traiſtres du pays, & d'avoir intelligence avec les Jeſuites, & autres telles menteries ſi groſſieres & palpables qu'on les peut toucher au doigt: Car qui eſt celuy qui ait jamais entrepris de verifier tels blaſmes, ou qui ſe ſoit preſenté devant les Eſtats ou devant les Magiſtrats des Villes pour les accuſer ou conveincre du crime de trahiſon, ou qui en ait produit le moindre indice du monde? Veu que meſmes en la ſentence du Sieur de Barneveld, lequel ils appellent le Patriarche des Arminiens, il n'y eſt fait mention quelconque de telle choſe. Que s'ils eſtoyent tels, quelle raiſon auroyent eu les Commis de Meſſieurs les Eſtats de preſenter entretenement aux quinze Remonſtrans qui eſtoyent au Synode, moyennant qu'ils vouluſſent promettre ſilence? Qui a jamais oui qu'on ait preſenté faveur ou entretenement à ceux qu'on tient pour traiſtres? Ils nous reprochent noſtre reſidence es terres des Archidues: & ce ſont eux qui ont procuré que nous y ayons eſté envoyez & releguez: car nous n'y ſommes pas venus de nous meſmes, ains euſſions beaucoup mieux aimé, pour le repos & commodité de nos perſonnes & de nos familles, demeurer là ou nous eſtions, que de nous voir expoſer aux incommoditez d'un ſi faſcheux exil. Ils font grand bruit de la revolte

Ep.384 volte de Bertius, prenans de là occaſion de ſe perſuader que la pluſpart des Remonſtrans ſont d'intention de ſe rendre Papiſtes, & deſireroyent que telle choſe advint afin d'avoir ſujet d'en dreſſer des trophées, & d'en faire des chanſons & des peintures, comme ils ont fait ſur le dit Bertius, de la cheute duquel ils ſont en partie cauſe: car il eſt notoire qu'eſtant effrayé du traitement qu'on faiſoit aux Remonſtrans, & ayant honte de leur opprobre, il s'eſt monſtré ſi lache que de les abandonner & ſe joindre aux Contreremonſtrans, hantant ſoigneuſement les aſſemblées de ceux ci à Leyde, & les ſuppliant d'eſtre admis à leur Cene: Ce que n'ayant peu obtenir, il a prins occaſion de là de ſe retirer en France, & ſe joindre aux Papiſtes à l'exemple de pluſieurs Calviniſtes qui font journellement le meſme, cuidans y avoir moins de mal d'eſtre Papiſtes que de demeurer Calviniſtes.

3. Inhumanité. Car ils uſent de grande rigueur envers les Remonſtrans, & leur font ſouffrir journellement beaucoup de maux, ne ſe contentans pas de les avoir deboutez de leurs charges, mais de ſurplus les exilant, eſpiant & empriſonnant. Que s'ils repliquent que ce ne ſont pas eux qui leur font ſouffrir ces choſes, il eſt notoire qu'ils prennent plaiſir qu'on les leur face ſouffrir, & qu'ils n'ont aucun regret de voir des bons Miniſtres de vie irreprehenſible eſtre mis au rang des faineants & garnements, & enſerrez en priſon perpetuelle au Tuchthuys de Haerlem & en celuy d'Amſterdam: & par les propos qu'ils tiennent de nous ils font paroiſtre qu'il leur deſplait que nous ayons quelque lieu de retraite ou il nous ſoit permis de reſpirer. On fait de ſurplus le rude traitement, qu'il eſt fait aux Egliſes Remonſtrantes, leſquelles juſques à preſent ont eſté vexées en diverſes ſortes & perſecutées juſques à occiſion. Ils repliquent qu'on a auſſi traité rudement les leurs par ci devant. A cela nous reſpondons que jamais les Contreremonſtrans n'ont enduré les choſes qu'on fait aujourd'huy ſouffrir aux noſtres. Que s'il y a eu entre eux quelque Miniſtre depoſé ou quelque particulier mis à l'amende, ce n'a point eſté pour leur ſentiment, ou pource qu'ils ne vouloyent point approuver la Doctrine des Remonſtrans, mais pour ce que rejettant la mutuelle Tolerance recommandée par les Superieurs, ils s'ingeroyent de faire conventicules à part, & de leur propre authorité au prejudice de l'Eſtat ſe haſtoyent de commencer le Schiſme & la ſeparation qui depuis a eſté faite & accomplie par leur Synode.

4. Finalement eſt auſſi à conſiderer leur felonnie & fierté qui les rend ennemis de paix & de concorde, ne prenans plaiſir qu'a diviſion, guerre, & effuſion de ſang. On Ep.385. ſait quels bruits & murmures il y a eu parmi eux quand il fut queſtion des treves, combien de ſoupçons & propos diffamatoires contre ceux d'entre les Eſtats qui avoyent eſté employez en ceſt affaire. Mais comment ne leur deſplairoit la treve avec l'ennemi veu qu'ils n'ont peu eſtre induits à moderation & mutuelle tolerance envers leurs freres? Et encor a preſent il leur eſt advis qu'un plus grand bien ne leur peut advenir que de voir recommencer la guerre. Laquelle toutesfois ils ſavent ne ſe pouvoir faire ſans effuſion de ſang humain, ſaccagemens & autres malheurs horribles. En quoy ils monſtrent de quel eſprit ils ſont menez, & combien peu ils ont à cœur le dire de Chriſt, bienheureux ſont ceux qui procurent la paix, car ils ſeront appellez enfans de Dieu. Matth. 5.

Ces choſes eſtans telles & y ayant une ſi grande corruption en leur doctrine & en leurs mœurs, ſans apparence d'amandement, quelle raiſon peut il y avoir de ſe joindre à leurs aſſemblées ou participer à leur Table? Certes ceux qui le font ne conſiderent pas aſſez l'enormité des actes & procedures de telles gens, & ne font autre choſe ſinon les entretenir & fortifier en leur perverſité. Ceux la font mieux qui cognoiſſans la verité ſe tiennent unis eſtroitement enſemble en la profeſſion d'icelle y conjoignans la pratique d'une bonne & ſaincte vie. C'eſt ce à quoy nous vous avons exhorté ci devant, & à quoy nous continuons de vous exhorter, prians Dieu, Treſchers Freres, qu'il vous augmente ſes graces, & vous ait tous en ſa ſaincte protection & ſauve-garde, & nous doint de le pouvoir ſervir & invoquer enſemble en liberté de conſcience, à ſa gloire, & a noſtre commune conſolation. De noſtre Exil ce 20 d'Octobre 1620.

Voſtre tres-affectionné
en Chriſt

S. GOULART.

CCCLXXXV.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

REverende, & Clariſſime Vir, frater in Domino honorande: de tuo ad nos adventu deſperandum nobis eſſe video ex tuo ad binas meas reſponſo; prior enim cauſa ſontica videtur: altera autem, meo judicio, detinere te non debebat, navigio nempe poteſt confici iter, & quidem ſatis commode & tuto, Gouda vel Roterodamo, ubi non defuiſſent Viri fidiſſimi, qui conſilio & re adfuiſſent. Omnis

Ep.385. cura in eo tantum, ut vel Goudam, vel Roterodamum, inde ubi es, tuto te conferas. Non urgebo tamen, neque velim ulla ratione vel minimi incommodi author tibi essem. Si tamen adesse nobis potuisses, & communi & tuæ causæ non obfuisset. Doleo sane quod non citius te monuerim. Si tamen recte memini, hujus tuæ ad nos profectionis etiam ipsa ætitate mentionem feciſſe me puto. Si literas meas asservasti, ac schedas evolvere voles, tute aliquid ex meis literis reperies: ut de tuo adventu hic quemquam moneamus, vel hoc studio habeamus, ut libertas hic commorandi concedatur, consultum non videtur: & nihilominus tuto, ni valde fallor, apud nos hic esse vel latere, quod & ibi facere cogeris, potuisses. Sed de his aliisque rebus coram longe commodius actum fuisset. Ad superiores igitur literas tuas x. Augusti ad me datas respondeo, non esse quod mihi vel ulli nostrum gratias agas pro honorario. Deberi hoc tuæ Reverentiæ ex publico judicamus. Utinam iterum eadem ratione tuam Reverentiam invisere liceat! sed & hoc suo tempore dabit Dominus. Seghiores tamen hic sunt Ecclesiæ quam par est, & desideramus hac in re promovenda quorundam zelum & fidem. Quod de arctiore societate contrahenda mones, non inter aliquos tantum, sed inter omnes, necessarium esse jamdudum existimavi: qua ratione autem id confici possit? plura & majora sunt impedimenta, quam quæ superari posse sperem. Proinde etiam valde vereor, ne & hæc nostra, qualis qualis est, tandem dissiliat societas; rationes litteris minime committendæ, nec hoc ulterius propalandum: forte & fallor ego, qui semper deteriora præsagire soleo: De acta illa denuo agere constitui apud illos, sine quibus nil hic effici potest, fratres. Et quanquam non ex voto successurum rem putem, faciam tamen quod commode potero. Si præsens adesses, plus efficeres: quia autem id non licet, experiar denuo. Ut autem de hac re, vel etiam de tuis scriptis jam agerem, non licuit: propter brevitatem enim temporis, conventum habere non licuit; heri enim demum tuas accepi, nec diutius responsum differre jam iterum volui, vel debui. De Donneri libro altum apud nos modo silentium. Utinam adesses, sententiamque tuam super isto cum Lutheranis syncretismo exponeres, auditurus etiam quorundam contra allatorum rationes. Responsum ad Heinsii præfationem jam vidisti. Et ego optavi & monui sæpius, epistolam illam nostram ad Ordines, Latine vertendam. Nemo tamen manum adhibet operi. Utinam ibi in patria quis hoc tentet & efficiat, nobis sane gratissimum erit. Vidisti proculdubio Antidotum Latinam, Belgicamque responsionem ad calumnias de papismo, quam vellem circumspectius institutam fuisse. Hactenus ad priores: jam ad posteriores tuas breviter. De itinere sententiam meam dixi. Ut Confessionem concinnet Episcopius, in eo jam totus est, & fere ad Ep.385. umbilicum perduxit, prout dicit, & credo: tua fere sequutus vestigia. Magna autem hic sententiarum est varietas: his nulla prorsus confessione opus jam dicentibus, aliis autem urgentibus, in quorum numero & ego sum. Iste cum absolutus erit labor, & examinandus fratribus offeretur, tum demum videbimus quid futurum sit. Quare de vitanda prolixitate *Δυσοδία*, (*ordinis confusione*) &c. scribis, Episcopium monui ex tuis literis. Notas ad Acta Synodica vel mittas, vel adferas ipse, si venire dabitur. Quæ de ancipitibus cogitationibus scripseram, chartæ committere non est consultum ut nec alia quæ exacte Reverentia tua scire desiderat. Quam periculosum enim id foret, si intercidant literæ, ipse nosti. Nescio etiam, an & hæc eadem, quæ jam scripsi, tuto & prudenter satis. Et nos tane afficit orbis Christiani dilaniatio; cui tamen quis occurret? Nos precibus, ultra quas nihil possumus; Deus sua benignitate; si severe non ulcisci tantam, quæ ubique locorum regnat impietatem, malit. Nova non scribo, quia non habeo, nisi admodum incerta, quæ fastidio. Solent etiam nova omnia literas nostras tardius prorepentes antevertere, publica præsertim. De privatis alia res est. Omnes qui hic sunt fratres, satis bene habent. Obiit hic D. Vosculii socrus. Satis periculose laboravit Carolus Niellius; sed jam pene convaluit. D. Grevinchovii uxor lento & ancipiti laborat morbo ex puerperio. Samuel Lansbergius à quartana exercetur. Reliquis, & mihi, Dei beneficio, valetudo satis constat. De domesticis malis, quibus laboro, omnibus meis, etiam uxoris, quæcunque capere fiscus potuit, detentis, quid te fatigem? Det Dominus constantiam & animum etiam in adversis maxime tranquillum. Hyemem hic transigere constitui, & sine molestia, spero, licebit. Circa ver Dominus suggeret quid faciendum ex rei, quæ tum erit, constitutione, & induciarum vel prorogatione vel bello. De neutro hic quidquam certi. Oremus Deum, & illi confidamus. Salveat lectissima tua conjux, ex me & mea. Fratres omnes te salutant. 30 Octobris 1620.

Tuus in Domino

J. UYTENBOGARDUS.

CCCLXXXVI.

CCCLXXXVI.

Nobiliſſimo Viro

CORNELIO VAN DER MYLE

DANIEL HEINSIUS.

VIr Nobiliſſime, Quoties aut mecum ipſe tui, aut apud alios meminerim, cave verbis ullis, aut blanditiarum illecebris, quas nec me is animus admittit, & fortuna tua nunc excludit, poſſe exprimi exiſtimes: Et non unum teſtem pietatis meæ habeo. Hagæ, aliquantum, niſi fallor, jam promovimus, &, ut hoc in aurem tibi dicam, longe magis æquos jam experior nonnullos, quam cum primum de his cogitare cœpi. Mea enim ſponte, voluntates hominum, & ſenſus abditos, aliquantum tentare prius volui, quam aliquid ad te referrem. Candidiſſimus mortalium, qui iſtas tibi tradet, & obſervat te ut debet, & de rebus tuis ſemper eſt ſollicitus, & quantum jam effecerit, ex eo coram melius intelliges. Plura nunc non ſcribo; illud tantum addo, me, ſeu vivam, ſive moriar, daturum operam, ut omnes ſciant, ne ipſam quidem mortem efficere hoc poſſe, ut non omnes qui me norunt, gratum erga te fuiſſe quamdiu vixero, teſtentur; & ſi dubitas, ſaltem illi crede, qui nunc tua cauſa ad te venit. Vale Nobiliſſime Domine, prout me ames, poſcere à te audeo. Lugdun. Batavor. Anno 1621. Martii 13.

A ſcribendo hactenus abſtinui. Quæ nunc ſunt ſub prælo, ipſe, ut ſpero, tradam tibi.

Non poſſum quin aſcribam paucos verſus, quos cum lachrymis in ſortem tuam, aut ut magis proprie hic loquar, Academiæ conſcripſi, cum Goeream profecturum te intellexi.

Scaligeri poſt fata ſui, poſt funera Junj,
Læſa quidem noſtra eſt Pallas, & ægra fuit:
Suſtinuit tamen ægra caput, mœſtumque dolorem
Et facies tantum deficientis erat.
Nunc, Myli generoſe, tibi fortuna, fefellit,
Nec ſolita, quanquam debuit, uſa fide eſt,
Hactenus avulſis perierunt ſingula membris,
Nunc caput infelix non habet illa ſuum.

T. A. Obſervantiſſimus quamdiu vivam

DANIEL HEINSIUS.

CCCLXXXVII.

ERYCIUS PUTEANUS

HUGONI GROTIO S.P.

Gratulatur Grotio liberationem à carcere.

IN communi Bonorum omnium gaudio, Clariſſime Vir, ſegnem eſſe calamum meum non ſino. Ut amicum me oſtendam, ſcribo, & hoc benevolentiæ ſigno tuum pariter audeo affectum provocare. Carcerem ſi cum morte comparas, videri poſſis ex te jam natus eſſe, ſalutem & libertatem à te ipſo adeptus. Evadere, parum erat; Grotium decebat ingenioſe evadere. Et quanto hoc pulchrius, quam liberari! quanto laudabilius, ſuo ingenio, quam alieno ſuffragio ſalvum eſſe! ut nihil cuiquam deberes, *medius elapſus Achivis*, te tibi vendicaſti: liberari autem non poteras, niſi ut grave eſſet beneficium, quod ab inimicis accepiſſes. Sed quomodo acciperes? nullum exſpectabas. Carceri, non morti mancipatus eras, ut ſæpius morereris: ſola te ſævitia vivere voluit, ſed ne inter vivos eſſes. Quid igitur? hac ad vitam via redeundum erat: moriendum ſæpius, ut tandem viveres, ac liber eſſes. Aperuiſti exitum, ubi omnia clauſa erant: & quis crederet in ciſta hominem latitare? ſic elatus videri funus poteras, niſi quod è ſepulcro veniebas. Mirentur omnes: totus in ciſta Grotius non erat: in ciſta corpus, in navi ciſta, in amne navis, in his omnibus, & extra hæc omnia eſſe mihi viſus es: mundum impleveras. Itaque cuſtodiri in carcere corpus tuum potuit, ingenium non potuit. Clauſus muris, cinctus cuſtodia, obſeſſus ſatellite, oſtendiſti in ipſis te anguſtiis liberum eſſe, nullum virtuti obſtaculum objici. Macte, Vir magne, plus paucis horis feciſti, quam toto triennio paſſus es, eorum elatus manibus, qui maxime cuſtodire anniſi ſunt. Totum eſſe libros crediderunt onus, nec falſi: tuo enim ingenio Bibliotheca conſtat. Ergo doctum omnes clarumque dicunt: ego fortem, non ſalute tantum, ſed gloria & æternitate dignum. Nonne ſcripſiſti ante, quod alii fecerant? ſcribent alii, quod nunc feciſti ipſe, cum Dædalo velut comparandus. Illum alæ, te libri ex carcere extulere, tanquam alæ: ille ſimul eduxit filium, ſed ut perderet, tu reliquiſti conjugem, ſed ut ſervares. Quippe ferre carcerem illa tuum non poterat; ſuum jam te ſalvo poteſt. O verum conjugium ſic disjungi! Læta eſt, quod libera eſſe deſiit: certe digna, ut in libertatem veniat. Confide, veniet; nec ullum declinabit exilium, quæ carcerem non exhorruit, Patriam in exilio, quia maritum habitura. Agnoſcis ipſe, non eſſe Patriam, quam fugias; fugiendam eſſe, quæ ſe novercam fecit. Exilium carcere melius eſt; evadere è carcere non potuiſti, niſi ut in exilium ires. Reſpice miſeriæ tuæ ſcenam: qui amici, hoſtes erant; ut ad hoſtes tanquam amicos te confer-

Digitized by Google

Ep.387. res. An Themiſtoclem propono? ad Xerxem ivit, in Athenienſes ſuos non peccavit; Athenienſes in Themiſtoclem. Sed exemplis nolo agere; rogo potius, ut tuum inter exempla nomen venire patiaris. Scipionis jam monturi, & ſemper victuri dictum eſt, an exprobratio? *Ingrata Patria, ne oſſa quidem mea habes.* Expende quid feceris, & quid paſſus ſis; merita & præmia: Boni omnes quemadmodum explorata utraque habent; ita favere libertati tuæ, ſtudere commodis & incolumitati non deſinent. Sed quid eſt? ingenio tranſcendiſti communem hominum conditionem; ut Fortunam, & quicquid hinc pendet, generoſe deſpiceres. Itaque conquerantur alii, ſe poſt naufragium nudos eſſe, & opibus excidiſſe; tu in te opes omnes habes, nulli injuriæ, nulli violentiæ obnoxias. Grotius es, magnus es, & hoc ſatis, ut intelligas, nihil tibi deeſſe. Patriam ſi amas, *Hic amor, hæc Patria eſt:* ejuſdem cœli benignior ſerenitas; ejuſdem ſoli amœnior ubertas, eorundem hominum tranquillior ſtatus. Quid ſe jactant unius alteriuſve Provinciæ populi? Et nos Belgæ ſumus, liberi ſumus, ſub uno Principe, ſed quem Patrem appellamus. Aliud frænum, aliud jugum eſt: regimur, non affligimur, & ut diſcordia exulet, multorum imperium averſamur. Omnis Antiquitas clamat, Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς: (*Unus ſit Rex*:) imo tua nobis fortuna clamat, nullam, ubi populus furit, ſine diſcrimine ſtationem eſſe; nullum ſine naufragio portum, ubi divina omnia & humana colliduntur. Quæ iræ! Quæ odia! Ubi quies, aut felicitas? Quantum aquarum, tantum ubique ignis & incendii eſt: furiis ardere dixerim ipſum illud mare, Te Deus eripuit, mentem & conſilium ſuggeſſit, quo ſalvus eſſes. Quid reſtat? Hoc age ἴσθι θεῷ. (*ſequere Deum.*) Is ſervabit porro, & quemadmodum eluſis inimicis in libertatem te aſſeruit; ita ſecurum deinceps ac felicem præſtabit. Sic voveo, teque videre cupio & amplecti. Veni, non longa via eſt, & in hac arce & amœnitate vigorem cape; dices te in Parnaſſo reſpirare. Offero dextram & eam hoſpitalem, offero officia, quæ à vero amico exſpectari poſſunt.

Εὑρήσεις δέ με πᾶσιν ἐν ἔργμασι, ὥστε ἀκοῆσι χρυσὸν, ἐρεθὸν ἰδὲν τρηχύφρον βασάνῳ. (*Invenies me omnibus in operibus tanquam aurum excoctum, in fornace purgatum.*)

Vale, &, quod iterum rogo, veni. Lovanii in Arce, Poſtrid. Kalend. April. CIↃ IↃC XXI.

CCCLXXXVIII.

ERYCIO PUTEANO

HUGO GROTIUS S. P.

De ſua à carcere Lovanienſi profectu.

SIcut nuper miſeriam meam accendebat amicorum dolor, ita nunc magnum gaudio pondus adjicit amicorum gratulatio: quos inter tu quidem, decus Belgarum Puteane, exi- Ep.383.
mium in me affectum pari eloquentia expreſſiſti. Magnum itaque pretium longæ calamitatis habeo, ſparſum in multos lætitiæ meæ commercium: neque tam libertas ipſa voluptati eſt, quam cum eam video tot bonis ac ſapientibus eſſe voluptati. Non tanti fuerat retinere libertatem, & nihil habere quod de fortuna quererer. Nam perpetua felicitas hoc habuiſſet infelicitatis, quod quam multis carus eſſem nunquam apparuiſſet. Habent quidem litteræ hanc vim, ut his, qui eas penitus imbiberunt (quos inter tu emines) etiam illos à quibus modice libatæ ſunt, (quos inter utinam poni merear!) valide commendent. Sed tamen ut arbitror ipſa paucorum injuria efficacius me & multorum, & optimorum affectibus inſeruit: neque enim fruſtra dictum eſt, rem ſacram eſſe hominem miſerum, præſertim innocentem. Vide autem quam propitia in me Dei providentia mala mea ſimilibus bonis penſarit. Fidem in patriam præſtiti: in uxore inveni. Ego publicæ libertati dum ſtudeo, amiſi meam: illa viciſſim ſuam meæ impendit: neque tu fruſtra ipſam qua mihi ſum redditus rationem miraris. Quis enim libertatem ſperaret ex arctiori carcere? Quis cœli apertos hauſtus ex iis anguſtiis, quæ vix animæ reſpiranti aërem tranſmitterent? quis denique tot cuſtodum oculos effugere ſe poſſe ſperaret ipſis cuſtodum manibus & pedibus? Sed nimirum æquum erat inexpectata ratione eum ſervari, quem adeo inexpectata pernicies oppreſſerat. Quis enim futurum hoc credidiſſet? Patriæ gloriam & eorum qui in patria eminebant, tum vincta, tum ſoluta oratione, quantum potui conniſus in ſublime extuli. Pro hoc merito merces mihi ſumma ignominia à civibus meis redditur. Publicas opes patrocinio defendi, conſiliis auxi; meas amitto: tutatus ſum patriæ libertatem, conſtat id mihi triſtiſſima ſervitute. Bene illud, quod uxorem in carcere reliqui, & quidem me elapſo arctius cuſtodiendam, ne quis jam dubitaret capi & innocentes & bene de ſuis meritos. Illa hoc tantum gnara elatum me, quod reſtabat eventus, anxia animi, conjectura revolvens, vota fecit, quæ ab amantiſſima mariti conjuge nemo expectaret; ut maritus à ſe quam longiſſime abeſſet. Ego tum demum intelligens à quali uxore diſceſſiſſem, tam graviter ferebam ejus abſentiam, ut potius quam ea diu carerem, carceri me fuerim redditurus. Gratulandum eſt ſæculo, quod hoc potuerunt famæ reverentia ac pudor, ut feminam illorum manibus extorquerent, qui jam aliam non habebant iræ ſuæ materiam. Illa vero hoc laude dignior, quod tam facilem exitum, cum me emitteret, ſperare non auſa eſt, innocentiæ meæ mihi conſcia, atque inde intelligens in quos homines incidiſſemus. Non in aliam magis iſti verſus congruunt:

Tu melius certo meruiſti pignore vita,
Ut tibi non eſſet morte probandus amor.

Ne-

Ep.388. Neque tamen jam defuncti ſumus patientiæ experimentis: ſupereſt pro carcere exſilium, & neſcio an

Fata mihi totum mea ſint agitanda per orbem:

ſed poſt carcerem in patria, exſilium patriæ loco eſt. Gratiam habeo quod exemplis me ſolaris, & quidem magnis, & quæ poſſunt jacentem quoque animum erigere, multoque magis ſuſtinere erectum. Themiſtocles ille, qui Apolline certius ſalutis viam Athenis monſtraverat, coactus fugit, & quidem ad Salaminiaci prælii reliquias. Similis Coriolani iracundia: ſed utraque infelix. Melius Alcibiadi ceſſit exſilium hoſtiliter exercitum, quem diris populus exſolvit propter illa facta, per quæ diras verius mereri cœperat. Sed leniora libentius lego. Oſtendit mihi Græcia Ariſtidem contrarias Achilleis preces concipientem, ne unquam ſui pulli Athenas pœniteret; & Phocionem ultimis verbis præcipientem filio, ne acceptæ injuriæ meminiſſet. Roma Rutilium, qui maledici ſibi putavit, cum amici ex civili bello reditum ipſi augurarentur, neque aliter ultus eſt ingratam urbem, quam quod ne revocatus quidem ad eam redire voluit. Neque tuus ille Scipio aliud quam civium oculis ſe ſubduxit, magno illos, ſed non intellecto, ſupplicio afficiens; quod Africæ Aſiæque victorem conſpicere ipſis non liceret: itaque in agro arbores digeſſit, ſed eodem animo quo olim in campo aciem. Laudari ſolet dictum vetus:

Ames parentem ſi æquus eſt, ſi non, feras.

Quod ad patriam recte produxeris, quæ & parens dicitur, & parentes vel parentibus proximos plerumque aut ſuis periculis involvit, aut ſua ſalute complectitur. Quid quod ne patriæ quidem imputandum eſt ſi quid in patria fit? Triginta tyranni Athenæ non erant: ac nec Mithridatica quidem præſidia, quo tempore Sylla volente civitate urbem obſedit:

Vejos habitante Camillo
Illic Roma fuit.

Cicero eos, qui ædes ſuas diruerant, qui aqua & igni ſibi interdixerant, non populum Romanum; ſed populi faecem interpretatus eſt: illum vero populum, qui in theatro ingemeret atque illacrymaret, agente Roſcio:

O ingratifici Argi, immanes Graji, immemores beneficii,
Exſulare ſinitis, ſiſtis pelli, pulſum patimini,
Summum amicum, ſumme in bello, ſumma ingenio præditum.

Scio hæc atque alia male tractatæ virtutis exempla plurium imperiis objici ſolere. Sed Thraſeam & Senecam & tot illuſtres animas nonne unius crimen habemus? Sicut homines invenire non eſt ad quos vitiis aditus non ſit, ita nulla periculo vacat poteſtas, quæ aut homini aut hominibus datur. Valde mihi placet quod olim ab Alcibiade, mox ab Auguſto ad factam Catonis mentionem dictum legimus, ſed dignum quod ab ipſo Catone diceretur; *Qui præſentem Reipublicæ ſtatum mutare non vult & civis & vir bonus eſt. Si juris ſpeciem injuria induit, & bello gravius innocentiam premit, ita hoc tolerandum quomodo fulmina, & nimbi, & qua alia mala vis major immittit; ſin mite pacatumque regimen, quale vos optimi Principis ingenio debetis, excipiendum gratis animis:* bonum, quo non majus aut corporum ſanitas, aut agrorum fœcunditas, aut quicquid aliis publicis privatiſque votis ambiri ſolet. Maneat hæc vobis ſolida atque perpetua felicitas! Quod ut ex animo precer, non illa tantum exigit quæ Belgas inter ſe connectit generis conſanguinitas, locorum vicinia, ſermonis communitas; ſed & in me merita. Vos eo malorum adacto, ut omnia mihi patriæ finibus eſſent tutiora, primus receptus, prima libertatis fiducia; veſtrum primum cœlum ſecurus hauſi, veſtris colloquiis recreatus delere cœpi longæ calamitatis memoriam: à vobis denique exceptus ſum tam amice, quam inimice à meis. Pro quibus beneficiis quid vobis potius precer, quam ut non extra bellum tantum, ſed & extra belli metum vos ponat certa pax, mea quoque cauſa, quo magis, ſi ita res tulerit, tranſcurrere ad vos libeat, atque uti oblato hoſpitio, & ſi aliter non licet, de proximo certe adſpicere illas terras quas mihi contra tot injurias natura commendat: ita tamen, ut qui quam eæ cordi mihi eſſent ſemper oſtendi, nunc etiam auſim oſtendere quam eis opus non habeam. Vale vir optime atque doctiſſime. 1621. Ep.388.

LIBERATO
GROTIO.

Hæreus inviſa detentus carceris umbra
Ereptum ulterius non tulit Hugo diem.
Fata viam invenêre. tabulis concluditur aridis,
Quemque capax mundus non capit, arca capit.
Navigat, & liber, funem & captivus, & inter
Spemque metumque ſuum laudat & edit opus.
Aut Solem mihi reddit, ait, fraus iſta priorem,
Aut iterum ingenio ſum miſer ipſe meo.
Quid fortuna ſtupes? toti mirabilis orbi
Non niſi vult viris liber abire modis.

LIBERATRICI
GROTIÆ.

Diſcite jam Belgæ Pietas quid poſſit & uxor.
Quam faciat gratas docta virago vices.
Femina capta manet dimiſſo lata marito,
Miraturque ſues ingenioſa dolos.
Non humeris fert illa virum. fraus vilior iſta eſt.
Aſſeribus tantas mancipat uxor opes.
Devehit impoſitum fatalis machina pondus,
Jamque minor parvæ Gretius æde latet.
Non audita canam. ignaro portatur ab hoſte,
Ipſaque cuſtodum dextera præbet opem.
Capta fuit ligno fallacis Breda carina,
Liberat hic captum lignea ciſta virum.
Secula magnanimas ſileant antiqua maritas,
Omnibus his major Grotia nomen habet.

Raptim. C. Barlæus.

CCCLXXXIX.

PETRUS JANNINUS
HUGONI GROTIO S.P.

VIr Clariſſime, Tuæ litteræ magna me lætitia affecerunt, quod iis cognoverim te à ſordibus carceris & injuſta ſervitute liberatum, non Magiſtratuum indulgentia, ſed beneficio fortunæ, aut ut verius & Chriſtiane loquar, ſummi Dei providentia, qui ſemper innocentes potenti auxilio tuetur: in quam captivitatem non te crimen, ſed amicitia Viri optimi & de Republ. ſua bene meriti conjecerat, qui calumniis & fictis criminibus oppreſſus, vi & acerbo Judæorum odio periit; & ne innocens damnatus videretur, ſi de conjuratione accuſatus ſocios non habuiſſet in eo crimine, quod peragi jure nec inchoari ſine ſociis potuit, neceſſe fuit alios criminis participes reddere: & hæc ſuſpicio fidiſſimos amicos involvit, inter quos tu præ cæteris intimus, ab hoc periculo te eximere non potuit anteactæ vitæ fama, Dei timor, & legum reverentia, quæ tibi ſemper cordi fuit. Nunc feliciter libertatem nactus es, & ſi libuerit in hoc regno larem conſtituere, ſeu ad tempus, ſeu in perpetuum, ſecuram ſtationem invenies; habemus enim Regem juſti & æqui amantiſſimum, qui à multis viris probis accepit te alieno odio & Judicum injuria damnatum. Multa ſunt etiam quæ te commendant, humaniores literæ quibus ornatus es, morum comitas & vitæ innocentia. Hæc omnia multos viros primarios in tuam amicitiam allicient, & efficient ut tuis miſeriis opem ferant. Ego inter cæteros, licet non primæ notæ & inter claſſicos, nulli cedam, & palam profitebor te nullam amicitiam magis fidam quam meam nanciſci poſſe. Dominus Uytenbogard exilii & calamitatis comes me ſæpe inviſit; obtuli quod in me eſt, ad ſublevandam ejus miſeriam: ſed conſilium potius quam auxilium petiit, & hoc tantum, ut in aliqua regni urbe ſecuram & tranquillam vitam habere poſſit: retuli nihil de ea re dubitandum. Si ad nos adveneris, omnem opem polliceor. Legati Fœderatarum Provinciarum ſtatim receſſuri ſunt, reſponſo jam accepto. De veſtra calamitate conqueſti ſumus, & quod ſubditos non ſolum mercibus ſpolient, ſed ut hoſtes infenſiſſimos vi & armis perſequantur. Multa pollicentur. Si id præſtiterint, noſtra amicitia & fœdere renovato fruentur. Vale & me ſemper ama. Scriptum Lutetiæ 3 die menſis Aprilis. 1621.

Tui amiciſſimus

PETRUS JEANNIN.

CCCXC.

GERARDO VOSSIO
HUGO GROTIUS S.P.

HAud facile quenquam eſſe arbitror, amicorum optime, quem aut magis tetigerit malorum meorum ſenſus, aut cui plus gaudii attulerit benignior mea fortuna: quare ingratum me judicarem, niſi tibi inter primos ipſe nuntiarem eam, quam divino beneficio nactus ſum, non libertatem tantum, ſed & plenam libertatis fiduciam. Lutetiæ enim nunc ſum ſalvus, incolumis, ubi quotidie doctiſſimorum hominum liberalibus colloquiis longæ ſolitudinis tædium repenſo, &c. Credas cupio nihil mihi gratius litteris tuis advenire poſſe. Quas fraudi tibi non fore confido, cum hic me quotidie procerum noſtratium filii inviſant, &c. Pro libris tuis quibus uſus ſum in carcere gratias ago, &c. Erpenium oravi, det operam ut recuperet Novum Teſtamentum quod mihi pro cervicali fuit cum me vinculis eriperem. Saluta omnes qui nobis bene volunt. Deus ſtudia tua ſoſpitet vegetetque. XXIII Aprilis. CIↃ IↃC XXI. Lutetiæ.

Tuus

H. GROTIUS.

CCCXCI.

CONRADO VORSTIO
R. HOGERBEETS S.P.

CLariſſime D. Doctor, Frater in Domino Chariſſime: Non mediocri mihi fuit ſolatio, quod humaniſſimis tuis literis ſolitudines & tædia mei carceris (quibus etiam robuſtiſſimorum hominum animi magis terrentur & franguntur, quam conſpectu ſuppliciorum) dignatus fueris aliquantulum ſublevare; propius malis tantiſper ſepoſitis. Gravia profecto carmi ſunt, quæ mihi Deus impoſuit: nam præter exiſtimationis læſionem apud homines, jacturam omnium bonorum, carcerumque mœrores; obitus meæ dilectæ ſociæ ac piæ conjugis, quæ mihi per ſeſqui fere annum hic adfuerat, ſupra modum me affligit, ac liberorum etiam cura & philoſtorgia anxium aliquando animum reddit: video quoque hominum quorundam voluntates cum fortuna ita erga me mutatas, ut ex amicis hoſtili animo in me jam ſint affecti: alios divitiarum ſentibus ita attactos, ut quamvis de me cauſaque mea non male ſentiant, tamen metu perſecutionum nec hiſcere, nec prioris ævi aut familiaritatis audeant meminiſſe. At vero in hac calamitatum congerie, Deus Opt. Max. pro ſumma

De cupiditate ſua territum eſſe fatetur.

ſua

Ep.391. ſua bonitate & clementia largiter hactenus mihi vires ſuppeditavit, ac in meis infirmitatibus virtutem ſuam perfecit, ut, ejus gratia adjutus, ſub onere crucis non defecerim. Hoc autem me præcipue ſum argumento conſolatus, quod reputem hæc ita expedire ſaluti meæ: nam novit Deus, pro inenarrabili ſua ſapientia, quo modo me ſe dignum fingere debeat: & ſi illi placeat mihi liberisque meis in hoc mundi theatro imponere perſonam afflictam, non par eſt nos ideo illi obmurmurare, ſed partes delegatas pro virili ſuſtinere: ille dabit, quando ipſi videbitur, huic actioni bonam cataſtrophen, ac ſuos è tentationibus eripiet, injuſtos autem in diem judicii puniendos ſervabit. Nullius facinoris, nec alienarum rerum curioſitatis, mihi conſcius ſum; ideo, ſævis tranquillus in undis, pro nimmo mihi eſt, quod ab humano judicio condemnor: cauſæ meæ bonitas Deo cognita eſt, qui innocentiam meam, ceu lumen meridianum, in apertum aliquando producet; hæc caduca & fluxa, quæ mihi nunc eripiuntur, veris ac æternis bonis penſabit, & divino ſuo favore me meoſque beabit: hac ſpe fretus divina me juvante gratia, per patientiam poſſi debo deinceps animam meam, expectans quem finem mihi Deus daturus ſit. Confido puſillum temporis fore, quo Chriſtus non videbitur: pro decem dierum afflictione, perſeverantibus promittit coronam vitæ æternæ. Quid ſcio, an adhuc in hac vita Deus me clementer reſpicere, & ex hoc ſepulchro protractum, in cœtum viventium, ad ſui nominis gloriam, reducere volet, quemadmodum eximium illum virum D. Grotium, Eccleſiæ ac Patriæ noſtræ bono, libertati reſtituit? Si mihi contingat hoc beneficium, Calicem ſalutarem accipiam & nomen Domini invocabo, vota mea reddam Domino coram omni populo ejus. Si vero non placeo, paratus ſum ferre quod ipſi viſum fuerit, faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis: det modo ut in curſu recto conſtanti animo pergam ad finem uſque, retinens fidem & bonam conſcientiam, utque qui jam hic ſum opprobrium hominibus, excrementum mundo, ei ſim bonus odor & probum nomen in Eccleſia Sanctorum. Hoc ut à clementiſſimo Patre per & propter Jeſum Chriſtum, mediatorem & redemtorem noſtrum, obtineam, ſanctis precibus me juvare pergite. Pro benevola officiorum oblatione, mihi jam aliud T. H. ſynallagmatis vice præſtare poſſum, quam declarare me animo vobis omnibus eſſe quam addictiſſimo, ac Deum rogare, ut pro hac amica & Chriſtiana refocillatione, ſua vobis gratia & miſericordia ſemper dignetur adeſſe. Pergratum mihi erit ſi poſthac me crebrius T. H. ſuis humaniſſimis literis inviſerit, iſque languentem aliquando animum refecerit; fatis tuto ad me perferri poſſunt per meos, quos etiam veſtris ſanctis precibus ac piæ inſpectioni ac inſtitutioni commendo. De parata Confeſſione jam ante ex D. Grotii literis intellexeram, ſed necdum eam vidi; precor Deum ut labori ac conſtantiæ veſtræ omni benedictione benedicat, uberem bonorum fructuum proventum largiatur, ac Sathanæ contraria molimina deſtruat: deſperandum in Dei negotio non eſt: graviores tumultus, Eccleſia Dei aliquando pertulit. Vivit Chriſtus qui ſedat mare quantumlibet fremens & exitium minitans, ille cauſſam ſuam tuebitur, ac T. H. cum Symmyſtis omnibus ſalvam & incolumem ſervabit, & ab omni malo proteget, ad nominis ſui gloriam. Vale vir Clariſſime ac Frater in Domino Chariſſime, cum lectiſſima tua conjuge, tota familia, ac Fratribus omnibus. Lupeſteni, Kalend. Junii. 1621. Ep.392.

CCCXCII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

TUas, Vir Clariſſime, XIV. Maji datas rectè hic accepi XXVII ejuſdem; præterea nullas. Sperabam me amicos Bruxellis adhuc reperturum propter armorum utrimque ſuſpenſionem: Verum Aquiſgranum jam petierant, & inde, quia nec tuta nec commoda ſatis videbatur illa ſtatio, Coloniam. Neque etiam ibi ſatis ex voto ſunt; quod quum ex illorum ad me literis, tum aliunde intellexi, uſque adeo, ut ſolicitudo haud exigua me teneat an diu ibi ſubſiſtere dabitur. Ipſe eò cogitaveram, ſed & illi ſuis literis dehortantur ne veniam, & hic intelligo itinera eſſe periculoſiſſima. Suadent hic ſubſiſtam ad tempus, quod facio, communis boni cauſa, quæ niſi detimuiſſet jam Gallias repetiiſſem. Exſpecto interea in horas illorum literas, ex illis conſilium capturus, quid porro è re tum communi, tum mea cauſa faciendum ſit. De Confeſſione quid actum ſit, non niſi ex tuis literis audivi. Ad verſionem ejus Belgicam quod attinet, hæc ſi à nobis, qui hic ſumus, exſpectatur, diu exſpectabitur: nullum nempe nobis exemplar latinum, quod tametſi eſſet, deeſſet vertendi otium: quid nempe exſpectes ab hominibus, qui non tantum non portum, ſed ne ſtationem quidem habent? Sulamith vidi, & meum judico aliquid repetendum: quod difficile fore non puto: id negotii tamen non mihi, ſed alii mandandum puto, utpote Weſtendio vel ſimili. Quid? egone, qui huc illuc curſitando gravem hanc ætatem fatigare cogor, neque locum habeo ullum in quo pedem figere certo datur, inſuper libris & chartis omnibus deſtitutus ſum, me novæ jam ſcriptioni dem? Cura ſane illa ad eos qui in patria ſunt, non qui extra, domicilio certo deſtituti, pertinet. Animus alioqui ab illa confutatione non abhorret, præſertim quum te adhortatorem habeam;

Quomodo Remonſtrantes in Gallia excepti ſint.

modò

Ep.392. modo quies eſſet & chartæ aliquot. Hic enim jam dego, omnino nudus & inermis. Quid ſpei Lutetia? Dicam breviter. Humaniter accepti: ad Procerum alloquium multoties benigniſſime admiſſi, lubenti & prono animo auditi ſuimus, multis tam prolixam benevolentiam mirantibus, & ad invidiam uſque Legatorum, quorum legatio tum maxime fervebat: in ipſo enim rei bene gerendæ puncto venimus. Cauſam noſtram, ſaltem quoad politica & modum agendi, probavimus plene, uſque adeo, ut reſponſum tulerimus non ſemel, non eſſe nobis laborandum amplius de cauſæ defenſione, Regi enim ſacroque conſiſtorio pleniſſime jam de ejus bonitate eſſe perſuaſum. Controverſiarum meredoctrinalium expoſitione ſolicita moleſti eſſe illis noluimus; quia cognoveramus ejuſmodi viros illibenter illarum rerum cognitioni ſe immiſcere. In genere tamen hoc obtinuimus, ut etiam hic noſtræ partes æquiores viderentur, & imprimis noſtra in Religionis negotio moderatio, quod non ſemel teſtati ſunt, arrideret. Impetratum demum Regium cauſæ noſtræ patrocinium, hactenus, ut illud in genere & in ſpecie admodum ſerio commendarit Ordinibus Rex, declaraveritque etiam hic velle ut ſuæ Majeſtatis habeatur ratio, ſi fœdus renovari cupiant: quod fideliter ſe relaturos Legati teſtati ſunt. Putamus igitur nos egregie functos eſſe officio noſtro, qua etiam in re neque moleſtiis, neque ulli rei, quæ quidem in noſtra fuit manu, pepercimus. Eventum autem ſe præſtare non poſſe ingenue nobis teſtabantur iidem Proceres, adeoque neſcire ſe, an tanti, quanti deberet & optarent ipſi, apud Ordines ponderis eſſet futura hæc Regia commendatio, non diſſimulabant. Interea nobis in illo Regno libere vivere & ſine moleſtia ulla domicilium figere (modo modeſte & placide Regi obedientiam præſtare decretum eſſet) licere declararunt, neque Religionis vel ſenſus noſtri cauſa ullam nobis eſſe metuendam moleſtiam. Habes rei ſummam. Potuimus ne quid amplius? Non ſane, hac ſaltem tempeſtate. Relicto igitur ibi D. Grotio (qui eadem qua mane Legati diſceſſerant die, veſpere appulerat) hanc benevolentiam magis magiſque foturo, quin & majorem, ſi poteſt, reconciliaturo, diſceſſimus April. XXVI. & Bruxellam appulimus Maji IV. ut pollicitis ſtaremus. Ibi autem expectavimus, dum quid certi haberem de fratribus, quorum binis & ternis literis certior factus de illorum illic ſtatu & judicio, porro adhuc expecto. Hæc pro tua prudentia indicabis illis quorum iſta ſcire intereſt, ita tamen, ne quid vulgetur temere. De Holſatia, noſtrilque eodem ablegatis fratribus, ego hactenus ne ἀκὴ quidem. De induciis, pace, bellove, omnia hic æque incerta. Varia multorum judicia perſcribere tædet. Ego clanculum aliquid agitari omnino mihi perſuadeo. Faxit Dominus id ut ſit in Reipublicæ & Eccleſiæ bonum, neque nobis officiat privatim. Leoni quod ſignificari volebas perſcripſi: reliquaque tuis literis contenta fratribus qui Coloniæ ſunt, ſignificavi. Non habeo quod addam, niſi me ex præſentium latore, uxore Domini Borrii, accepiſſe etiam alias te ad me dediſſe literas, & quidem alicujus momenti, magnaque cura illi commendatas, quas tamen non accepi: illa Roterodamum reverſa ubi fuerit inquiret. Interea cum amicis & fratribus qui ibi ſunt, imprimis autem uxore tua, Vir Clariſſime, Vale & ſalve abs Ep.393

Tui ſtudioſiſſimo

J. UYTENBOGARDO.

Antwerp. 4 Junii 1621.

CCCXCIII.

GUILIELMUS DU VAIR

Galliæ ſigillorum Cuſtos,

HUGONI GROTIO S.P.

MOnſieur: Les hommes bien nez & ingenus, comme vous, ſe ſentent obligez de peu de courtoiſie. J'ay de tout temps, c'eſt à dire de ſi long temps que j'ay ouy parler de vous, admiré voſtre excellent eſprit & rare erudition: & depuis deploré voſtre calamité, quand je vous ay veu ſouffrir pour trop aymer la liberté de voſtre patrie, & favoriſer ceux qui commençoient à y rappeller la verité. J'ay eu la condition en laquelle je ſuis, & autant que le ſervice de mon Maiſtre me l'a permis, ſoulagé voſtre miſere, & procuré voſtre delivrance. Dieu a voulu que vous la luy deuſſiez toute entiere, & non à l'interceſſion des puiſſances humaines, afin que diſtrait des ſollicitudes humaines, vous employaſſiez tant de rares parties qu'il a mis en vous, pour avancer l'œuvre qui luy eſt ſans doute le plus agreable: qui eſt la paix commune de la Chreſtienté, par la reünion des membres qui ſe ſont ſeparez de leur mere ſpirituelle, en laquelle ou eux ou leurs peres ont eſté conceus & regenerez à ſalut. Pour ce que c'eſt choſe que je voy que tant de gens d'honneur eſperent de vous, je ne puis que je ne m'en rejoüiſſe avec eux, & que je ne haſte par mon applaudiſſement une ſi heureuſe courſe. Je me promets que la liberalité du Roy, qui pour le preſent n'accourt qu'à voſtre neceſſité, ira lors au devant de vos vertus & merites, pour leur donner de l'employ honorable aux affaires du monde, eſquelles on ſçait que vous avez acquis beaucoup de cognoiſſance & de dexterité à les manier. Je ne ſeray jamais des derniers qui ſe porteront à promouvoir ce qui devra ſervir à vos contentemens: & tiendray chere comme je dois l'amitié d'un perſonnage ſi rare comme vous eſtes;

Digitized by Google

Ep. 394. estes: vous offrant tout ce que vous sçauriez desiderer de celuy qui est,

MONSIEUR,

Vostre tres-affectionné à vous faire service,

G. DU VAIR EV. DE L.

Du Camp de S. Jean d'Angely, ce 13 Juin. CIↃ IↃC XXI.

CCCXCIV.

GULIELMO VAIRIO,

Franciæ Procancellario,

HUGO GROTIUS S.D.

De suo pectore Ecclesiæ restituendi studio.

NEscio Vir maxime, melius de me an pejus sit merita fama, quæ domi falsis me criminibus traduxit, peregre autem nobilitavit non meis laudibus. Literarum enim cultum optavi quidem semper, sed quominus eum possem assequi obstitit amicorum auctoritas, qui non satis percocta studia in forum primum, deinde in rempublicam propulerunt. Tum vero in ea incidi tempora, quæ ne otioso quidem indulgerent eam securitatem sine qua studia vix procedunt. At illud verum esse testatur mihi animus, quod judicas & libertatem à me defensam secundum eas quas acceperam leges, & adduci me non potuisse, quanquam & promissis & minis tentatum, ut recte & ex vetere formula de Gratia ac Libero arbitrio sentientium oppressioni accederem. Servabit mihi, ut spero, hunc animum Deus, ut neque spe, neque metu ullo abductus factis dictisve seorsim eam ab eo quod animus sentit. Qui si qua in parte fallitur, propitius idem ut confido Deus aut orantem instruet, aut ignoranti ignoscet. Scit ille quanto mihi dolori pridem fuerit, quoties prima illa Christianismi, vim nominis tanti implentis, tempora cum nostra hac miserrima ætate conferrem, qua populi, in summis fidei capitibus consentientes, ex rituum atque opinionum dissidiis in factiones aguntur & bella vel profanis gentibus pudenda. Neque vero dubium est, quin multi horum malorum pertæsi charitatem adversum Christianos omnes animo retineant, externam quoque unitatis faciem ardenter exoptent, parati tanti boni causa ex Apostolico præscripto aptare se alienis infirmitatibus, & ad ultimos usque divinæ legis terminos patientiam & æquitatem suam extendere. Sed, ut videtur, horum conatibus obstant alii, quos prava quam longissime ab aliis recedendi lubido ad extrema quæque abripit. Utinam vero Deus Ecclesiæ rectoribus ipsisque Regibus ac potestatibus spiritum illum suum, spiritum charitatis ac mansuetudinis potenter suppediter, ut omnibus difficultatibus superatis, Ecclesiæ quam proxime fieri potest primævam illam pulchritudinem, maxime vero solidam pacem illæsa veritate restituant. Multa hominum millia, quorum gregi accenseri volo, sanctum hoc propositum piis votis prosequentur, & frequentes concurrent ad sublatum concordiæ vexillum. Interim si quis mei usus esse potest (qui cum me circumspicio quam vix ullus esse possit satis video, & tamen ut esse possit exopto, ne Regio beneficio per segne otium abutar) vestrum erit imperare, meum aut obsequi, aut ostendere ad obsequendum non voluntatem mihi, sed vires defuisse. Deus regno Regem, te Regi diu incolumem servet, Vir maxime, & summam tuam in me bonitatem, pro qua gratias satis dignas ne agere quidem possum, larga mercede remuneret. Lutetiæ XXIV Junii. 1621. Ep. 395.

CCCXCV.

HUGONI GROTIO

JOANNES COSIN S.P.

De Episcopo Overallensi obitu, &c.

ILlustrissime Vir, Satis me Dominatio Tua noverit, si semel reverendissimum illum Præsulem Overalium, nunc cœlo receptum, nominavero. Cui ego, ex quo ad Episcopale munus evocatus fuerat, usque ad excessum Secretarii loco inserviendi felicitatem habui. Infelicissimo nuper fato ereptus est nobis, peculiariter autem mihi non minus quam tibi (Domine Clarissime) incomparabilis Præsul: quod sine crudo adhuc dolore & anxietate commemoro. Heu quantum ævi nostri Catharis & Jesuitis gaudium! quanta vero tristitia piis omnibus & bonis! Tibi autem Domine peculiariter ereptum dico, quia supra exteros omnes charissimus ejus in te erat affectus & amor insolutus; (quæ res nulli melius quam mihi nota fuit. Sæpe eum privata apud me conquestione infortunium tuum, simul & reipublicæ vestræ, deflentem audivi, quod inter eos viveres, qui te & tuum pacis ac veritatis Christianæ studium æstimare satis nescirent homines partium studio nimis abrepti. Sane quamprimum gravem illam incumbere reipublicæ vestræ procellam, atque in tuam præcipue Dominationem inter alios vim suam effundere intellexerit, statim solitudini se dedit, quo eam tecum communem haberet, & postea non levem ob acerbitatem fati tui mœrorem quotidie expressit. Mox in gravem incidit morbum, atque ei tandem lethalem; & nescio equidem an magnam illius ægritudinis causam dicerem inusitatum illum dolorem, quem ex molestiarum tuarum, quæ cum vitæ periculo conjunctæ essent, auditu contraxerat: Sæpissime autem ardentes ad Deum preces & vota pro tua Præstantia effundens, tandem quievit in Domino, qui sæculum istud malum tanti boni possessione indignum judicavit. Moriens vero secretissimæ fidei & curæ meæ missum ad

ted by Google

Ep. 396. eum à te librum, illum quem *de Imperio summarum poteſtatum circa ſacra* inſcripſeras, commiſit; ſimul imperans, ut ſi quando benignus Deus te à ſolitudine illa & periculis imminentibus liberaret, eum ad Dominationem tuam quam ſecretiſſime & tutiſſime mittendum curarem. Tandem beavit nos, quam avide exſpectabamus, fama; liberatum te ſcilicet ab ingrata illa cuſtodia, & non ſine divina providentia Lutetiam evaſiſſe. Ego dum literas tibi mittendas meditabar, & de fidiſſimo nuntio ſollicitus eram, ecce à Reverendiſſimo Patre Domino Wintonienſi Epiſcopo audivi, millum huc à te intimum & fideliſſimum amicum, ut per eum liber ille ad Dominationem tuam rediret. Gratulabor illico opportunitatem tam feliciter oblatam, & ſtatim ad Illuſtriſſimum Præſulem librum tuum una cum hiſce literis tibi tradendum mittebam. Præſtantiam tuam oro, & per intimum illud in defuncti mei Domini erga te affectum, perque omnia te ſacra obteſtor, ut perpetuum iſtud ingenii & doctrinæ tuæ monumentum publici juris quamprimum facias, (quod fane mortuus p. m. Præſul præcipue habuit in votis, quæ tibi etiam nota eſſe voluit) & liber, quem privatum & manuſcriptum mitto, rurſus ad me nova forma redeat in commune bonum & nominis tui celebritatem excuſus. Rogo inſuper Dominationem tuam & obnixe precor, ut me per litteras certiorem facias de libri iſtius ſalvo ad manus tuas adventu; quod cum intellexero liberari animam meam & fidem in eum finem præſtitam. Semper autem veſtigia defuncti Domini premens animum tuæ dignitatis impenſiſſime ſtudioſum retinebo, Deumque immortalem quotidie venerabor, ut priſtinam tuam felicitatem perfectam eſſe velit, & majorem tanquam ſoli è nubibus erumpenti ſplendorem & gloriam ad reipublicæ & Eccleſiæ commodum, bonorum omnium gaudium, concederet. Vale Clariſſime Domine, & vel mortui Patroni gratia me alias ignotum ama.

Virtutum tuarum cultor, & Dominationi tuæ deditiſſimus,

Cantab. è Collegio de Gonevile & Cajus Junii 20. 1621. J. COSIN.

CCCXCVI.

G. M. LINGELSHEMIUS HUGONI GROTIO S.P.

De liberatione Grotii e carcere; de rebus Palatinis Ducis.

UTi mihi jucundiſſimum fuit cognoſcere evaſiſſe te cuſtodiam, ita jam longe gratiſſimum, ex ſuaviſſimis literis tuis cognoſcere, ſalvum te in Galliam perveniſſe, & ibi fautores amicos habere: Præterea magno me gaudio perfuderunt literæ tuæ, quod illud ipſum aſſeverant, quod ſemper judicavi, & ſervaſſe te ſinceram fidem in Deum, & in tranſtatione Reip. temporibus turbulentiſſimis rectum clavum tenuiſſe, quamvis factione contraria oppreſſus fueris. Recte quoque factum, quod calumniam de deprecatione culpæ publice refutaſti. Oſtendi tua amicis, qui innocentiæ tuæ favent, & tibi feliciſſima comprecantur. Placet eximie, quod ſtudiis tuis quietem quæris, unde redundabunt fructus in publicum & ad poſteritatem, donec te Deus rurſum adhibeat patriæ juvandæ. Noſtræ res propemodum deploratæ, adeo deſerti ſumus ab omnibus. Cogitur noſter à ſoceri ſui conſiliis pendere, qui pacem ante omnia cupit; & ſpes eſt Baronem Digbeium apud Cæſarem legatum à Britanno, non fruſtra laboraturum. Neque Cæſari omnia pro voto fluunt; Bucquœus exercitus dux cæſus ad Oinarum, ab Hungaris, dum pabulatoribus ſuis ſuppetias ferre vult, deſertis à ſuis quos mille equites Valonicos adduxerat. Vix reperiet Cæſar, quem tanto muneri parem, ſufficere poſſit. Etiam Mansfeldius, qui copias habet in ſuperiori Palatinatu in finibus Bohemiæ IV. & VI. Julii, non parvam ſtragem dedit hoſtibus, ductore Baurio famoſo cæſo, & bona parte exercitus profligata. Deus pacem nobis reddat, ac te ſervet incolumem bono Reip. & literarum. De me exſpecta omnia, quæ à ſincero & fido amico præſtanda. Joachimus ſenex præſtantiſſimus ad ſuos reverſus eſt; deſiderium ſui nobis relinquens. Gruterus turbas has vitans receſſit Breſtam ad generum ſuum, donec alma pax oriatur rurſus. Vale præſtantiſſime virorum. Heidelberga. 17 Julii 1621.

Tui addictiſſimus

G. M. LINGELSHEMIUS.

CCCXCVII.

SIMON EPISCOPIUS CONRADO VORSTIO S.P.

NUdius tertius redditæ mihi ſunt tuæ Vir Clariſſime & collega honorande. Triſtis ille qui vos perculit nuncius, Laus Deo, vanus eſt: Abſit omen: Speenhovii ſubitam mortem jampridem intelleximus, cum maximo mœrore. Plethoricum erat corpus, & repentinæ alicui cladi obnoxium. Silendum nobis eſt, quia Dominus fecit, cui omnes ſtare nos oportet & cadere. De ſororis veſtræ obitu nondum quicquam inaudieram. Fortaſſe gratificatur illis Deus præ nobis, qui hic relinquimur, ne videant patriæ noſtræ cladem & excidium. Quis novit? Omnia hic bellum ſpirant, & de induciis aut pace conclamatum jam videtur. Nec deeſt magna rei bene gerendæ fiducia. Quid futurum ſit docebit dies. Hactenus ego bellum mihi imaginari non potui utrimque per cuniculos inducias aut pacem quæri atque optari perſuaſiſſimus eram. Nec fefellit me omnino opinio

Digitized by Google

Ep. 397. opinio mea. Quin enim ab altera ſaltem parte tentatum aliquid ſit dubium nullum eſt; ſed quo animo ac fine incertum eſt, tam actum videtur de utroque & belli alea jacta: atque ut id credam ferme cogor: Nos ſaltem utcunque res cadant, inconſultum arbitramur diutius hic ſubſiſtere. D. Victoris (Grevinkhovii) res familiaris non fert ut nos comitetur; itaque cum uxore valetudinaria & filiolo ſuo hic per hiemem cogitur, licet aliquatenus invitus, commorari. D. Cupus etiam domum videtur revocari ab uxore ſua. Alioquin una omnes ituri fuiſſemus in Galliam. Nunc diviſi disjunctique ibimus, quia aliter fieri non poteſt: Holſatiam petere nec tutum, nec adhuc conſultum eſt: Itinera omnia infeſta ſunt & invia. Peregrinatio ipſa regno Danico ita permixta, ut quæ cui pars pareat fere incertum ſit, nuſpiam munitam fere ullam civitatem habens, ubi ſecura ſit habitatio; ſcopus etiam Ducis & Procerum eſt, ut civitatis novæ ædificatio promoveatur, & ex patria noſtra evocentur qui coloniam iſtic faciant cui ſi non ſatisfiat, non diuturna erit gratia. Hæc aliaque ſimilia multa ſuadent, ut, antequam de migrando in illas partes cogitemus, intelligamus prius judicia & animos atque affectus noſtrorum. Ut enim eos vel ſollicitemus, vel excitemus & exſtimulemus ad deſerendum patriam noſtram, adduci non poſſumus. Nec enim decollavit adhuc ſpes omnis libertatis recuperandæ in patria ipſa; ſed aucta potius eſt atque exaggerata ſupra opinionem noſtram & fere ſpem: Gallia itaque ſola reſtat, in quam nos recipiamus: & unde ſi ſpes omnis noſtra irrita cadat, in Holſatiam proficiſci commode ac tuto licet. Et ſunt non pauca quæ illud ſuadent: Cauſa noſtra Regi Regnique Proceribus probata eſt utquam maxime. Regnum ipſum Ordinibus confœderatum. Secure ibidem licet habitare nobis noſtriſque. Libertatis ad exercendum religionem ſive docendum ſententiam noſtram ſpes non parva adfulget. Commercia literarum mutua inde commodiſſime inſtitui poſſunt, &c. Quod ſi V. R. ita videbitur, nullus dubito quin tuto ac ſecure illuc ad nos migrare poterit; ſed ea de re plenius, volente Deo, certiorem te faciam, ubi pedem fixerimus. Rotomagum cogitamus, tranſituri Caletum, utpote minus oportunam & commodam frequentandis noſtris commerciis, uti intelligo. Utinam comitatu veſtro frui poſſemus! Quæ in Acta Contraremonſtrantium à V. R. animadverſa ſunt, ea penes me habeo: Perge quæſo in reliquis eodem pede. Dabitur aliquando cum bono Deo occaſio iſta in lucem edendi, & fucum atque ineptias illas publice traducendi: typographeii ſpes ibidem nobis facta eſt jampridem. Refutando Sulamith vacare non poteſt. Megnedinius (Uytenbogardus) ſatur jam ſcribendi, & eadem ſemper regerendi: intelligo jam penes V. R. farraginem prolixam eſſe, quæ ad juſtam refutationem poſſet ſufficere. Si lubet & vacat, redige illam in ordinem, aut ſuggere alicui quem ad eam rem idoneum arbitraberis: Belgicæ linguæ ignorantiam fruſtra prætexit V. R. Quis etenim id admittat, qui lethalem illum ictum legerit? Nolim tamen V. R. urgere, alioquin melioribus curis vacantem. Ego dum incertis ſedibus erro vagorque, iſti curæ me dedere non poſſum. Pagius (Borrius) in transferenda Confeſſione totus occupatur. Si D. Victori placeret, poſſet ille iſti rei optime vacare, niſi cum illi pituita aut melancholia moleſta eſt: quod non raro accidere ipſi ſolet: Judicium D. Hogerbetii de Confeſſione noſtra non ita nuper vidimus; amicum certe eſt & favorabile. Quid amplius de officio Magiſtratus dici velit; ex ipſo lubens reſciſcerem ſi fieri poſſet: Grotius cum hic eſſet, eam ſibi placere ut quam maxime teſtatus eſt. Nunc videtur deſiderare, ut quæ contra Pontificios, & fere ſolos, acrius dicta ſunt omittantur, ne eorum gratia ſine neceſſitate iſtic & paſſim alibi excidamus. Damnari & explodi eorum ſententiam ex profeſſo ait, cum nuſpiam alibi id fiat in rebus non minoris aliquando momenti, ſaltem quæ non minoris momenti videbuntur apud pleroſque mortales. Prudentiæ rationem non permittere, ut id fiat, etſi veriſſimum ſit quod dicitur: judicium V. R. vehementer probo; ut, ſi omnino edenda erit, accurate revideatur: quod non dubito quin à V. R. per occaſionem factum ſit. Sciam quæſo proxime, quænam obſervata à V. R. ſint, quæ propiore conſideratione aliqua egent. Gratum feceris. Poſt octiduum vel intra decem dies, nos diſceſſum meditamur: ſi quid ſcribere velit V. R. per Hilebran. Petri Roterodamentem id poterit curari Rotomagum. Habet enim ille iſthic fratrem fidum & nobis addictum. Interim commendo te Deo & verbo gratiæ ipſius: rerum novarum hic nihil eſt niſi quod Comes de Bucquoy interfectus dicitur in Ungaria magno cum multorum mœrore, & rerum fortaſſe Cæſarianarum damno ac diſpendio. In Gallia Regi omnia ſuccedunt ex animi ſententia: Rupellenſes de conſilio Ducum Rohan & Tremoullii, Regem adierunt: ſed Rex reſpondit, nullam reconciliationis ſpem eſſe, niſi ipſi liber & incircumſcriptus aditus in urbem ſuam detur, & qui cœtum iſtic fecerunt invito ipſo, ſupplices ipſi fiant. In Anglia Puritanorum præcipui in ſuſpicionem infandæ alicujus conjurationis venille dicuntur, & Coryphæus eorum, Archiepiſcopus Cantuarienſis, omni Regis gratia jam excidiſſe: Comes Suythamton incarceratus, &c. Ita magnis paſſim aulis excidunt Calviniſtæ, ei viam ſibi ipſis ad ruinam ſternunt. Vale iterum Vir Reverende, & me ama. Salveant Fratres omnes cum Familia tota veſtra. Qui hic ſunt ſalutant te officioſiſſime. Raptim

Ep. 397.

1621. 24 Julii. *Tuus quem noſti.*

CCCXCVIII.

GERARDUS VOSSIUS HUGONI GROTIO S.P.

De liberatione Grotii, aliisque.

ANte omnia, incomparabilis Vir, Deo immortali gratias ago, quod diutinas horum temporum calamitates temperarit dulciſſimo beneficio liberationis tuæ. Quod eo majoris duco, quia ne aliud quidem ſperare audebam, quam ut interceſſione Principis exteri ſub certis conditionibus dimittereris. Sed ſubinde labaſcebat animus, cum minimè viderem, quibus conditionibus & conſcientiæ tuæ, & Procerum ſimul voluntati poſſes ſatisfacere. Nunc Deus voluit, ut plane tuus eſſes, neque ulli præterquam uni ſibi, beneficium tantum deberes. Quanto magis propterea divinæ ſis bonitati obſtrictus ſatis intelligis. Sed quia vita hæc terreſtris nihil aliud eſſe videtur, quam perpetua tentatio quædam, facile vides, quantum nunc opera danda tibi ſit, ne qui à Deo corporis es cuſtodia liberatus, à communi generis humani hoſte in carcerem longe fœdiorem, animi nempe, ullis ullorum blanditiis pellicearis. Quod eò ad te ſcribo, quia inimici tui ſpem eam conceperunt, propediem huc nuncium allatum iri, quod Bertii exemplo abjuraris quæcunque à Reformatis Eccleſiis docentur, eoſque omnes pronunciaris hæreticos, qui non per omnia cum Romana Eccleſia ſentiunt. Equidem nihil tale de te metuo. Novi enim pietatem, animique tui conſtantiam. Sed tamen quid homuli ſumus, ſi Salomon ipſe fœde adeo ſit prolapſus? Quare Deum oro, ut nec ſpe, nec metu, à recta te via, & conſcientia integra, abſtrahi patiatur. Tu vero, Vir Maxime, me viciſſim in precibus tuis apud Deum habe commendatum, ne vel pellacia horum, vel illorum blanditiis, agere id unquam velim, quod ſalva facere conſcientia minime poſſum. Sed de me quidem propediem fortaſſe plura. Nam exſpecto, quid vel Synodus decretura ſit, quæ Roterodami nunc haberi incipit: vel quid Nobiles Academiæ Curatores VIII. Auguſti facturi ſint in rebus meis. Ad te redeo. Legi cum optimo parente tuo ſcriptum de quæſtione ea, an Melanchtoniana ſententia recte Pelagiana eſſe dicatur. Scis quid hac de re ſentiam. Sed aliud nunc in quæſtione eſt. Nempe an expediat ea, quæ ſcripſiſti, quamprimum in lucem exire. Video de hoc ne inter tuos quidem ſatis convenire. Et utrimque argumenta adferuntur. Quibus id probatur, ajunt Dei & veritatis cauſam agi, hanc ab omnibus cauſæ ſatis intelligentibus defendi viribus omnibus debere: à te vero imprimis, partim quia perpauci, quid vetus Eccleſia ſenſerit, æque ſciunt: partim quia tutius iſtic, ubi nunc es, potes: partim quia hoc fine liberaſſe te Deus videatur, ut veritatis ſis patronus fortis. Accedere ajunt, quod multorum millium de te ſpem eludere non debeas. Item quod aliter mundo teſtatam facere innocentiam tuam vix poſſis. Sed quibus ſecus videtur, hi ſatis fore putant, ſi ea defendas, quæ egiſti ipſe, dum Reip. habenas moderareris. Ea quæ à Synodo decreta ſunt, malunt oppugnari ab illis, qui populum docent, ut quos ea res propius tangat: ſicubi opera eorum claudicet, poſſe à te juvari. Sed ut ipſe rectis quaſi cornibus in Synodum incurras, parum tutum putant, eo quod in Britannia, Belgica, Germania, ipſaque Gallia tot habeat defenſores: quorum impetum metuunt ne ſolus poſſis ſuſtinere. Scis quam duram ſuſcipiat provinciam, cui cum Theologis negotium eſt. Adhæc negant res tuas ita firmo loco eſſe, ut non vel obitu Regis, vel alio infortunio inde ejici poſſis: nec debere te in totum tibi aditum præcludere in loca illa, ubi Calvini dogma regnat. Præterea ajunt magnis paſſibus eo nunc omnia tendere, ut brevi plane moderatis hominibus futurum ſit opus, à quibus triſte Patriæ diſſidium ſopiatur. Utilem vero tunc magis operam tuam fore, ſi non tam Remonſtrantium cauſam ſuſceperis defendendam, quam unius tui; quod neceſſarium eſſe minime diffitentur. Accedit, quod aliter ſi agas, minus etiam, quam nunc ſunt, in gratia erunt, qui vel ſanguine vel affinitate tibi juncti ſunt. Utrum majoris hæc argumenta ſint, an priora, ſatis per te videt. Quamquam vero conſultore non eges, tamen non poſſum, quin addam, minime mihi improbari, ut paululum ſaltem hoc negotium differatur. Præſertim quando conjux tua, itemque affines plane habent perſuaſum, tibi, liberis, ſibi, plurimum poſſe hanc rem incommodare, nec uſque adeo neceſſariam eſſe. Hæc ſunt quæ Delphis ſcribebam. Nunc recta Lugdunum peto, unde de aliis alteras ad te literas dabo. Neque enim plura nunc poſſum ob feſtinationem. Deus tibi, Vir Clariſſime amicorumque maxime, eum animum inſpiret, qui ſarciendæ Eccleſiæ concordiæ plurimum adferat emolumenti. Summo Theologo Tileno ſalutem ſi dixeris, gratum feceris. Nec enim obſtare arbitror, quod de facie minus norim, cum animi virtute hominem æſtimemus: quam qui norit, is vere mihi noſſe virum videtur. Vale XXII. Jul. CIↃ IↃC XXI.

Ep. 399

Tuus æternum

G. VOSSIUS.

CCCXCIX.

CCCXCIX.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

De fua in Religione mutatione, plaſgue.

HOc mihi dulcior eſt mea libertas, Vir optime, quod eam voluptati tibi eſſe, quamquam nunquam dubitavi tamen, ex te quoque intelligo. Neque minus gratum, quod ne quid in pietatis negotio me indignum faciam & monitis me & precibus juvas. Ego vero te, Deum adjutorem precatus, hac parte ſecurum eſſe jubeo. Nam ſiquid profiteri contra animum in animum potuiſſem inducere, neque illa horribilis in me lata eſſet ſententia, neque poſt ſententiam tam diuturna mihi toleranda fuiſſet captivitas. Nunc quoque ſi à parte infirmiore tam crudeliter habitus ad eam quæ validior auguſtiorque eſt vellem accedere, paterent mihi majores quam quas Patria noſtra capit dignitates. Sed qui carcerem tuli, feram & exilium, & contemtum, & paupertatem, ejus exemplo, qui cum populo Dei ignominiam ferre maluit, quam dici nepos Pharaonis. De te mihi fortiſſima quæque promitto. Rogo ut eorum quæ tibi eveniunt certiorem me facias; ut ſi ea ſecunda ſunt, gratuler: ſin, quod nolim, cogitem num qua in parte tibi poſſim ſuccurrere. Si ibi manes, magnum tibi præſidium paratum video in Maureni amicitia, quem etiam qui non amant metuunt. Non opus eſt ut ejus liberos tibi commendem, cui bene bonis facere ex conſuetudine in naturam vertit. Quod ſi ibi vivere, atque ita vivere ut te dignum eſt, non ſineris, ſcito librum tuum de Pelagiana Hiſtoria magnas tibi hic amicitias paraſſe. Neque deerunt, ſi huc migrare libeat, Viri ſummates, qui tibi certatim florem ſobolis ſuæ commendent. Sed Hiſtoriæ Pelagianæ omnia exemplaria quæ hic erant diſtracta ſunt, & valde à multis deſiderantur. Fac quæſo Typographum memorem ut alia ſubmittat. Meum libellum, qui ad tuum eſſe poteſt indicis loco, quod legeris gratias habeo. Vellem non tantum quæ de editione in utramque partem diſputata ſunt commemoraſſes, ſed annotaſſes quoque ea quæ corrigenda tibi aut mollienda videntur, ut opuſculum iſtud ſive publicis, ſive privatis uſibus, ſerviturum, ſummam certe manum accipiat. Quæ cauſæ ad diſſuadendam editionem adferuntur, magna ex parte obtentus tantum ſunt, præter illud quod ultimo loco affertur. Ego vero, ſicut affinium commodis impenſe ſtudeo, ita æquum puto, ut ipſi viciſſim famæ meæ ſtudeant, quæ nullis commodis poſthabenda eſt. Tamen, quia uxor jamjam adventura dicitur, differam hanc conſultationem in id tempus, dum ne ad has tam diuturnas moras aliæ moræ texantur. Mihi enim deëſſe diutius non poſſum: neque ut faciam amicis qui hic ſunt placet. Tilenus noſter amiciſſime te ſalutat, tibique placere maximi æſtimat. Vale Vir doctiſſime. XIX Auguſti CIↃ IↃC XXI. Lutetiæ. Ep. 400.

Tuus optima fide

H. GROTIUS.

CCCC.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

Varia. De Synodi Provinciali contra ſe proceſſu. De Thuani judicio de Jonia, &c.

SUmme virorum atque item amicorum: Quod amœniſſimo ſylvæ tuæ vireto animum oculoſque meos paſcere ſuaviter volueris, quantas poſſum gratias ago. Equidem multum in ea me delectavi. Cujuſmodi ſi primum calorem atque impetum ſecutus facis (quod ſylvæ nomen oſtendit,) quid fuiſſet, ſi lenta Maronis cura placuiſſet? Neque enim quid nunc deſiderari poſſit, video. Statium fane longe poſt te relinquere mihi videris. Itaque toties me legere juvit, ut bonam jam partem memoria teneam. Et ne uni mihi id contingere putes: Scias illuſtrem legatum Maurenum, cum ei ante paucos dies in prandio adeſſem, complures carminis tui verſus memoriter recitaſſe. Cui etiam optime interpretabatur illam Olivarii & Hoſpitalii περιφρασιν; (*circumlocutionem*) ubi fruſtra fuerat Scriverii noſtri acumen. Quamquam profecto non adeo mirandum, ſi ampliſſimo legato gentis ſuæ nobiles adeo ſenatores magis obverſarentur. Non poſſum vero diſſimulare apud te, ut cum primum inſcriptionem longi adeo carminis conſpicerem, cœperim ſubvereri, ne à cerba adeo ac diuturna mala feciſſent, ut in veteri regno tuo minus poſſes, quam olim. Sane ægre animo meo fuiſſet, ſi qui primas tulifti quondam carminis majeſtate, nunc ſecundis contentus eſſe deberes. Sed ut paucos tantum verſus delibavi, facile inanem hunc timorem depoſui. Cum vero omnia impenſe me delectarint, tum multum ex eo voluptatis cœpi, quod tanta voluptate claſſicos quoſque Scriptores, & diſciplinas omnes deſcribas. Et tamen plus etiam me affecit nobilis illa digreſſio, qua celebras ornamentum ſui ſexus, ac vere heroïnam, conjugem tuam. Quam ego carminis tui partem ſiccis oculis legere non potui. Nempe etiam affectus abſque dubio diſertiorem te fecit. Quam præclarum etiam judicium tuum, cum in religionis negotio flectere oculos jubes ad antiquos, nec graviter minus, quam juſte, quæreris de moribus ſeculi noſtri. Metuo nihilominus, ne ſurdis canas. Etſi aliquas eſſe aurei generis reliquias in Britannia, quibus antiquitas ſapiat, ex pluribus intelligo. Ac de Gallia etiam ſpem aliquam facit, quod ſcribis ſummos illos viros, quorum elogia extremo tuo carmine mellitiſ-

Ep.400. simis versibus es complexus, optime de laboribus meis sentire. Sane hæc res non mediocriter mihi fiduciam, atque animum adderet ad audendum aliquid in aliis etiam religionis controversiis. Sed alia sufflaminant. Unum eorum dicam. Nosse te arbitror, ut cum de religione Christiana præclarum illud opus numeris Belgicis meditatus esses: plerorumque hoc judicium fuerit, etsi nihil inesset, quod reprehensionem mereretur, tamen quanto præclariora essent, quæ scripsisses, tanto magis premi illa debere. Idque ne aliorum de te judicio incommodaret, si & recte de religione sentire, atque in ea supra mystarum vulgus sapere videreris. Simile aliquid mihi usu venit. Neque enim satis videtur multis, si mea à facultate Theologica approbentur prius, quam edantur: sed malunt in totum me scriptione ejusmodi abstinere, idque ne plus autoritatis accedat operi historiæ meæ, quod æterna oblivione sepultum vellent. Itaque nunc nihil possum, nisi in studiis litterarum, vel eloquentiæ, vel historiæ externæ, aut philosophiæ. Qui campus satis quidem est amplus, sed quanto propius ad senectutem accedo, tanto impensius flagro amore eorum, quæ Christianæ Ecclesiæ pacem atque concordiam possint afferre. Sed dum facere haud licet, quod velim: facio quod licet. Quare duos nunc libellos emitto ad Oratoriam facultatem pertinentes. Altero eorum artis hujus ἐπιτομὴν (*compendium*) sum complexus. Nec est, quod vereare, ne ea res vitam evitare posset commentariis istis oratoriarum institutionum, quos ante annos quindecim, in lucem emisi, & quadriennio post auctiores recudi jussi. Nam non adeo durus pater esse volui, ut à novella prole paterer interimi, quam prius genuissem: præsertim quæ multorum judicio, & publico emolumenti, & mihi gloriæ ac nominis aliquid attulissent. Quare ne contingeret quod dixi, potius in novo hoc opere viam istam institi, ut eorum, quæ ad artem necessario pertinerent, nihil omitterem: sed aliis fere uterer verbis; exemplis item novis, magisque illustribus. Adhæc curavi ut multa utiliter adderem passim, priori opere mihi indicta: ea vero omitterem, quæ οὐσίαν (*essentiam*) artis non spectarent, & opere altero fuse à me essent tractata. Puto me consilium hoc meum facile tibi probaturum. Scripsi vero hoc opus potissimum in usum Scholarum, postulato eorum, qui his præessent. Commentarii mei de lingua latina adhuc domi latent. In causa est illud, quod antehac etiam scripsi. Nempe quod Germania necdum pacata bibliopolæ ac typographi etiam frigeant. Sed tamen meliorem jam spem concipere incipiunt. Rumor enim est, magnæ Britanniæ Regem pro Exrege Bohemico interceſturum: quo effici posse putant, ut hic (dummodo renunciet juri in regnum Bohemicum) Palatinatui suo restituatur. Dum hoc agitur, ego prælа typographica libellis aliis fatigare non cessabo. Synodus Roterodamensis jam desit. Etsi vero Synodo Gaudana ante annum fuerat statutum, ut ne ad Eucharistiæ Sacramentum admitterer, nisi sententiam retractarem; tamen nunc mollius agendum mecum putarunt. Nam decretum, ut admittar ad eam, dummodo spondeam, nihil me adversus Synodum Dordrechtanam velle moliri palam vel occulte. Item nihil me editurum, quod non prius approbarit facultas Theologica. Hæc si præstem, toleratum me iri, sed extra functionem Theologicam, & Ecclesiasticam. Tamen intelligo esse nonnullos, quibus nimis hæc mollis agendi mecum ratio videatur. Nam existimant, si non compellar ad subscribendum Synodo, saltem retractanda esse quædam, quæ in historia mea, ac thesibus quibusdam scripserim. Ego video hoc agi ut opera mea inutilis in posterum Ecclesiæ reddatur: Tamen si errorem videro ullum, non pudebit retractare. Sed jam biennium est, cum errorum insimulor, neque ostenditur ubi exorbitarim. Novi quendam qui obnixe hoc agit, ut vel unum locum in opere historiæ incommode videar adduxisse. Scit facilitatem meam. Quare arte hac circumveniendum me putat, ut agnoscam saltem quædam minus appositè citari. Hoc ego ubi fuero confessus, jam spargetur fama, me errorem in historia mea esse confessum, nec esse, quod alius eo opere moveatur, quod auctor ipse non ubique puret litare veritati, quæ prima historiæ lex, & quasi anima est. Video mihi circumspecte esse agendum, atque inter spinas, quod dicitur, calceatum me esse debere. Interea seu malos vincat constans bonitas, seu Deus misericors aliter rebus nostris providebit: servabimus animum bonum ad spes bonas. Quamquam profecto videre vix possum, quid si me potius, quam publicum spectem meliora attineat sperare. Non jam ad alienum cogor somnum dormire, nec ad alienos passus eundum est. Scis ut inter ea, quæ beatiorem faciunt hanc vitam, esse olim scripseris, nulli solvere temporis tributum. Hoc nunc otio fruor. Utinam saltem molesti esse desinant, per quos hactenus quieto esse non licuit. Sed fortasse & hoc propediem erit. Nam facultas Theologica satis benigne mecum agere videtur. Uti & Ampliſſimi Curatores: si quid in causa mea agitur statim perscribam. Valde desidero, ut tuorum quam plurima lucem brevi videant. Uti commentarii in tres Euangelistas: vel si eos paulum premere adhuc voles: saltem Stobæus, aut γνωμολογία, (*sententiarum collectio*) & rhytmicum pro religione Christiana opus. De quo quia mentio incidit, præterire illud non possum, versum antepenultimum, vel illi proximum, minus probari amicis quibusdam tuis. Ais sicubi minus satisfacias, ob ætatem excusari debere, & paratum esse discere veriora. Protritum hoc illis videtur, & illis etiam usi-

Ep.400. tatum,

Ep. 400. tatum, quibus imperant τ παιδαγωγοῖς (*pædagogi*) At minime convenire viro cœlestis ingenii, & eximiæ adeo eruditionis. Dixi ego primam hanc Christiani laudem esse, humilitatem: & summi Magistri hanc esse voluntatem, ut pueris similes simus. Sed satisfacere eo non potui. Tu cogitabis. Quod ad illa quæ de religionis controversiis, & judicio antiquitatis scripseras; quam dissidentes sint amicorum sententiæ, arbitror jam satis te sive ex parente, sive aliunde, cognovisse. Sane pernutile est constare vulgo quod judicium fuerit veterum. Sed num putas, eo me in scripto, posse commendari, quo fortasse vel urbanatim, vel rusticatim, tangam, sive Agamemnona, sive Achillem, sive Calchantis prosapiam? Quare perstat animus vel recoqui paulum oportere hoc opus, vel editionem melius differri, saltem in hebdomades paucas. Fortasse interim (ita video aliquos sperare) evenerit aliquid boni. Sin minus, exigua sane mora est, quæ postulatur, nec quæ publico, ut puto, incommodare possit. Sæpius posthac ad te scribere statutum: fortasse autem non semper tabellarius erit satis fidus. Propterea, ubi opus putabo, aliena manu utar, ac ne nomen quidem consueto more addam. Tu vero, summe Vir, vel ex argumento facile quis scripserit cognosces, vel ex ἰσοδυναμίαν, (*æquipollente*) ut si pro Gerardo Johanne Vossio scribam Vulturium Gratianum Bassarium. Nam illa Desiderii Alopecii metuo ne aperta sint nimis. Quandoque etiam initiales V.G.B. satis scriptorem testabuntur. De te si quid dicendum erit vocabo Celsum: id enim prænomen tuum sonat. Gadolii cognomen nimis evidens videtur. Quare & hic suffecerint una alteraque initii littera. Hæc non eo agam, quasi de aliis, quam innocentibus Musis loqui sit animus (nam scis ut alia captum meum superent) verum quia non desunt, qui omni sub lapide metuant serpentem. In mentem venit, non inutile fore, si libri Augustini adversum secundam Juliani responsionem cum castigationibus tuis prodeant. Multa enim felici conjectura emendasti. Posses & notas addere seculo nostro profuturas. Quod si quid etiam dicendum adversus dissentientes putabis, occasio de plerisque sponte se offeret. Tantum ita instituenda ratio ut undique reluceat mitis sapientia, non Læli ut ille ait, sed Grotî, quam in te virtutem mirari soleo. Nec puto ea, quæ perpessus es, hanc tibi virtutem excussisse. Scis cognomentum tuum, quod semper tibi obversari debet: & simul occurrat, quod à sapienti Seneca in libris de Ira scriptum fuit. Non est magnus animus quem incurvat injuria. Scis Athenodorum id Augusto consilii dedisse, nequid iratus committeret, priusquam Alphabeti literas cum animo suo percurrisset. Soleo quid simile facere, atque aliis suadere: Nempe ut si res exigat, ut adversus alterum calamus stringendus sit; id quidem fiat, dum fervet animus: Nam affectus disertiorem facit. Sed quia periculum est, ne aliquid caninæ facundiæ admisceat (homines sumus omnes) eo placet, ut ad limam opus revocemus, ubi animus resederit, atque alienis malis συμπαθῶμεν. (*compatimur.*) Multa absque dubio vel tollemus, vel mitigabimus. Ita futurum, ut si etiam post annos multos in nos ipsos descendamus, minus nos urat scriptio vetus, quasi non satis simus functi officio hominis Christiani. Adde quod si undique in scriptis reluceat patientia, facilius in veris inveniemus fidem. Sed ista longe melius me nosti. Maximi Thuani historiam post humam vidi. Editam gaudeo, nisi qua parte, atque id immeritissime, socerum Junium desultoriæ fuisse scientiæ dicit. Mirum hoc mihi de eo visum, qui etiam mediocris eruditionis homines, & pacis longe minus amantes, in opere suo tantopere extollat. Quid Amplissimum virum ita egit transversum ut ista Gallus de Gallo, Vir tantus de tanto, posteris traderet? Scio ego multa fugisse socerum. Video in scriptis, præsertim criticis, quæ indicta mallem. Sed tamen hac parte non modo Palmerium, sed alios etiam non infimi nominis post se relinquit. Non assurgit fateor ad gloriam Scaligeri, Lipsii, & aliorum, qui in hoc studio primas sibi vendicarunt: verumtamen multa præclare observavit; quod cum Scaliger in suis ad Manilium notis dissimulat, candorem in eo requiro. Verum istoc studium mitto. Quem Theologum Romana, quem Reformatæ Ecclesiæ dabunt, in quo vasta adeo tum linguarum, tum philosophiæ, historiæ externæ, philologiæque cognitio fuerit? Quam ille sedulo Scholasticos, Thomam cum primis; quanta industria antiquos Theologos legebat? Cujus ego rei non tantum ex scriptis indicium capio, sed etiam illis, quæ ad Theologos veteres manu sua adscripsit. Sed neque hic substitit error maximi Thuani. Addit, in Batavia studuisse rebus novis, ac propterea ab Illustribus Ordinibus esse hinc ejectum: tum Noribergam abiisse, atque ibi esse defunctum. Quid horum verum est? Sane autores aliqui fuere, ut pagellas aliquot adversus Thuani historiam ederem, quibus gloriam Soceri vindicarem. Posse eum argui testimonio Academiæ, atque Illustrium Ordinum, imo & Noribergensium, atque adeo totius orbis reformati. Verum nihil agendum putavi te inconsulto. Adhæc videbar mihi hoc pacto tantummodo fluctus in simpulo excitaturus. Præterea cogitabam hominem etiam Thuanum fuisse, & facile potuisse contingere, ut duos Gallos, quorum uterque Lugduni sit professus, confunderet. Scis enim, ut Donellus Leicestrianis partibus impense faverit, ac propterea à Batavia ab Ordinibus exire sit jussus, Saravia quoque iisdem temporibus fuga in Angliam sibi consulente. Scis quoque Donellum concessisse Noribergam, atque ibi docuisse jus civile: Et potuit justior causa esse cur Ep. 400.

Ep.400. cur Thuanus minus bene vellet Donello, quam Junio. Nam Cujacium Ampliſſimus ille ὁ μακαρίτης (*beata memoria*) Thuanus faciebat maximi. Et, ni valde fallor, præceptor fuerat. At Donellus nec cauſam ſæpe habuit, nec modum invenit exagitandi Cujacium, quem, ut audio, ita in prælectionibus ſuis ſolet ἀναγράφειν, (*deſcribere*) *homo neſcio Cujas.* Quid igitur evidentius, quam Donellum animo Thuani obverſatum, dum iſta ſcriberet? Calami interim lapſum non eſſe, indicat, quod iſta annotavit ad illud tempus, quo Junius è vivis exceſſit. Vellem ſcire an eadem in ἀντιγράφοις (*exemplari*) habeantur. Nam fuere qui ſuſpicarentur à Genevenſibus fucum eſſe factum lectori, vel Italis potius, quorum in manibus liber fuit, priuſquam ederetur. Mihi id minus veriſimile fit, ob ea quæ dixi. Interim cogitabis, qua ratione & Thuani, & Junii nomini conſuli optime poſſit. Quid ſi filius ejus, vel alius, ad calcem libri moneat, μνημοσύνην (*memoria*) plane ἀμάρτημα (*lapſum*) eſſe, quod de Junio ſcriptum fuit, quem nihil minus quam deſultoriæ fuiſſe ſcientiæ conſtet, quique in gratia apud Ordines ſemper fuerit, Lugdunique Batavorum magno bonorum omnium dolore deceſſerit, ubi etiam verſibus ei à Scaligero, te, Heinſio, & aliis ſummis viris ſit parentatum? Cogitabis, & quid factu opus putes, perſcribes. Sed loquaci adeo epiſtola ulterius moleſtus eſſe deſinam. Neque enim me fugit recenti adeo uxoris adventu, & rebus veſtris nondum compoſitis, alia majoraque eſſe, de quibus ſit cogitandum. Rogarem te, ut me, quamvis nunc tanto disjungamur intervallo, non minus propterea ames. Sed ſcio te amicum animo poſſidere, qui, ut Seneca ait, nunquam abeſt, ac quemcunque vult quotidie videt. Vale vir, idemque amice incomparabilis. Salutem plurimam dices maximo Tileno. Sed & Clariſſimo Rigaltio: cui ante annos multos miſeram Onoſandrum locis pluribus à Scaligero feliciter emendatum. Accepiſſe mihi ipſe reſcripſit. Sed tamen tot jam anni ſunt, cum nihil intelligo de editione nova, quam tum moliri dixerat Rutgerſius. Et quia Rutgerſii incidit mentio, ſcito eum loco Dyckii legatum fore Regis Suecici ad illuſtres Ordines. Ita enim retulit ipſe Regis commiſſarius, quem ſatis hanc rem noſſe arbitror. Imo & Dykium ipſum hoc perſcripſiſſe audio. Et jam in via Rutgerſius eſſe dicitur. Affinis ejus D. Heinſius carmine Venetias celebravit: quapropter, (ut ipſe amicis compluribus retulit) brevi legetur in ordinem equitum B. Marci. Verum finis tandem eſto. Uxor, Diamantiaque plurimum te ſalutant. Etiam Scriverius, itemque Jacchæus, qui & plurimam mihi ſalutem tuo nomine dixit. Cæteris, quos adſcripſeras, auſus non fuit idem ſignificare, ne ſuſpicionem iis injiceret, quaſi de rebus aliis, quam Muſarum, tecum ſibi commercium eſſet. Timo. Ep.401. ri huic ignoſces.

Tuus dum vivam

GER. JOH. VOSSIUS.

Lugd. Bat. MDCXXI.

CCCCI.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S.P.

EPiſtolæ tuæ, Vir doctiſſime, bonæ omnes: optimæ autem quæ longiſſimæ, qualis illa quam nuper uxor attulit, amoris in nos pleniſſima: cui illud quoque acceptum fero, quod de ſylva noſtra tam benigne judicas: in qua cenſendum nihil, niſi reverentia qua mortuum Thuanum tanquam viventem proſequor. V. A. Maurerio magis magiſque te innoteſcere ſane gaudeo. Dignus eſt qui te noſcit, multoque plura in eo reperies quam ego auſim polliceri. In piæ antiquitatis veneratione ego perſiſto, multoſque hic habeo ejus ſtudii participes. Libri noſtri Belgici ſex, brevi, ut arbitror, prodibunt: forte & Diſquiſitio de Pelagianiſmo, ſed cum cautionibus quas tu aliique ſuggeſliſtis. Interim & Stobæi Latini editionem paro, &, quo conſummatior prodeat, Græcos Manuſcriptos cum libris editis comparo. Oratoria tua haud dubie multis hic placebunt: fac ubi prodierint, ne hic exemplaria deſint. Dura lex eſt quam tibi præſcribi memoras: & tamen ſunt quibus ea minus mollis videatur? O miſera ætas in qua vix eſt ſervitutem effugere! Recte judicas, hic agi ne opera tua Eccleſiæ uſui eſſe poſſit. Interim gratulor otio tuo, in quo ſementem facere potes cujus olim meſſem videamus. Eorum quæ ad Euangelia notaveram partem amicis oſtendam, ut eorum judicia explorem; poſtea conſtituturus quod ex uſu publico privatoque videbitur. De ſcribendi ratione quæ periculo careat laudo quæ commentus es. Sed & ſi quid opus eſt, Maurerius tuto curabit, à quo frequentes literas accipio. De Auguſtini ad Julianum libris conſilium haud diſplicet. Rogabo Fratrem, ut inter libros meos eum quærat. Lenitatem maximi facio: utinam eam virtutem quam amo ita conſequi poſſem! juvabunt etiam tua monita: ita enim laudes interpretor ut τὰ περὶ Κύρου παιδείας. (*quæ de Cyri inſtitutione.*) Sæpe mihi ob oculos verſatur triſtis imago acceptæ injuriæ, cum Patriæ & Eccleſiæ tam impenſe voluerim: & ſim πρὸς πικρότερον (*difficilioris ſtomachi*) ut iſta non ſemper æque concoquam. Ideo tui aliorumque auxilio egeo. De Hiſtoria Thuani quod mones, inquiſivi diligenter. In eo exemplari quod ad αὐτόγραφον fidem diligenter à Puteanis collatum eſt, ut inde aliquando inſtituatur

Paris. in primis à Thuano Junio.

nova

Ep.401. nova editio, video omne illud de rebus novis, exſilio & Noriberga, inductum eſſe. Et ſane ſi quis, quæ duobus in locis ſuper Donello ab eodem Thuano ſcripta ſunt, conferat, inveniet hæc eo pertinere. Error mihi natus inde videtur, quod Thuanus quæ de viris doctis ei ſuggerebantur annotabat plerumque in ſchedis ſingularibus, quales aliquot vidi: in quibus ſæpe duorum triumve hiſtoria fortuito conjungebatur: quam ille deinde locis ſuis inſerendam notis quibuſdam indicabat. Unde fieri potuit, & factum puto, ut duæ particulæ ad diverſos homines ac tempora pertinentes deſcribentium errore, notis illis male obſervatis, coaleſcerent. Certe qui indicem confecere, eis ſuboluiſſe error videtur, ut advertes ſi quæras ſoceri nomen. Interim illud diſſimulare nequeo, illud de deſultoria ſcientia non ab exſcriptore ſed ab ipſo eſſe Thuano; non tamen eo ſenſu qui levitatem animi ullam ſignificet, ſed potius inſatiabilem quandam cupiditatem per omnia ſtudiorum genera ſe diffundendi: de cujus ſucceſſu quod aliis judicium permittit, haud dubie Critica ſpectat. Nam Theologica ejus, quæ certe potiſſima, neſcio an ad Thuani manus venerint. Nam ſi veniſſent, judicaſſet haud dubie cum Scaligero, qui eum judicii acumine Theologis ferme omnibus præferebat. Præcipue vero pacis & moderationis ſtudium favorabili aliquo elogio proſecutus more ſuo Thuanus fuerat, ſi Irenicon & quæ alia ejus ſunt argumenti ad ipſius manus perveniſſet. Ego qui utriuſque memoriam, ut ſcis, ſumma reverentia proſequor, auctor ſum, ut tu quoque, ſi quid hac in re pro ſoceri exiſtimatione faciendum cenſes, ita id facias, ut ſimul te Thuani obſervantem oſtendas. Melius forte, ut obiter in aliquo libellorum, quos es editurus, dicas, monitum te, quod & res ipſa loquitur, ingens ab exſcriptore eo in loco vitium eſſe commiſſum, quam ut ſingulatim de hoc argumento aliquid ſcribas, & ſingula ad unguem reſeces. Sed quicquid facturus es, ego operam dabo ut bonis probisque id non diſpliceat. Tilenus noſter ſummi te facit, & amiciſſime ſalutat. Is nunc Canones Dordracenos ἐξελίζει. (*conſigit.*) De Onoſandro nihil ſperandum. Rigaltius noſter totus in Bibliothecæ catalogo ſcribendo occupatur, cæterum tempus foro & rei faciendæ tribuit. Spem tamen mihi ejus ſcriptoris edendi fecit Salmaſius, Vir ſupra quam quiſquam credat eruditus. Ejus Euchariſticon ad Sirmondum neſcio an videris: in quo canon Nicenus περὶ τῆ πρωτείων (*de primatu*) accuratiſſime pertractatur. Amicos reſaluta, & Vale quam optime. XXIX. Sept. CIↃ IↃC XXI.

Tuus ut ſemper

H. GROTIUS.

Mitto hanc epiſtolam, quamquam veterem, ut videas pridem curaſſe me ut tibi reſponderem: quo ſcilicet tempore Frater diſceſſurus Ep.402. putabatur: qui abitum huc uſque diſtulit. Interea recipe duo tua opera de arte oratoria, elimatiſſima, ut omnes docti ſentiunt. Ego partitiones tuas multis commendavi, qui ſumma ſane cum fruge iis utuntur. Utinam habere poſſem quæ olim ſuper ſtatu animarum poſt mortem, oratione pro mortuis, & ſanctorum veneratione à te ſunt annotata, amiciſque diſtributa. Vale Vir optime XX Nov. CIↃ IↃC XXI.

CCCCII.

J. LASSONIUS
HUGONI GROTIO.

VIr Clariſſime, Longe gratiſſimum mihi eſt, vigere etiamnum aliquam memoriam mei apud te. Quod cum ex aliis, tum ſalute ſubinde parentum literis aſſcripta, animadverti: modo etiam Sylva muneri miſſa: cujus lectione in hoc frigido ſeceſſu ἀναζωπυρῶμαι. (*rurſus incaleſco.*) Velim ejus virtutes à pleriſque Lucilis & Perſiis noſtris capi. Περὶ τῆ κιβωτοῦ σωτηρίδος καὶ τῶν ἄλλων ὅσα πρότερον ἐπ' ἐμοὶ συμβεβήκασι (*De arca ſervatrice, & reliquis quæ ante illam tibi evenerunt*) nihil hic addo. Paucis enim defungi non poſſem, ſi ſcribam, in altero noſter quis dolor fuerit, in altero quod gaudium noſtrum ſit. In utroque non conceſſerimus, ut etiam οἱ τῷ γένει συγγενεῖς (*qui ſanguine te attingunt*) magis affecti dicantur. Nunc in rebus tuis φῶς ὁρῶμεν. (*lucem videmus.*) Utinam ea occaſio ſit, ut Joſephus in Ægyptum jubente Pharaone parentes accerſat! Voti cauſam in præſentia ſilebo. Corneliolus tuus vehementiſſime mihi indolem & ingenium probat. γένοιτο πατρὶ εὐτυχίστερον (*fiat patre felicior*) ſi aliquando Reip. admoveatur: τὰ δ' ἄλλα ὅμοια. (*in reliquis ſimilis.*) Opto ut contingat (quando alio te vocant curæ præſtantiores) illi inſtitutio non ſolitaria, ſed in contubernio φιλομαθῶν (*ſtudia amantium*) plurium; in qua præterea non adſtringatur ullis Grammaticorum regulis verbatim ediſcendis. In quo, & aliis quæ uſus diutinus ſuggeſſit, cæperam reformare ſcholam, magno compendio diſcentium, cum ſecuta mutatio Magiſtratus & incendium, cujus ſtrictura etiam nos minorum gentium ambuſſerunt, cum impune non ceſſerit, honeſte de probis viris ſenſiſſe & locutos eſſe. ἀπὸ ταῦτ' ἀπόσχωμαι. (*ſed hac linquamus.*) In ſumma hic exſpectatione eſt ἡ ἀπολογία, in quam cauſa omnium καλῶν κἀγαθῶν ἀντιδίκων (*honeſtorum ac proborum adverſa fortuna utentium*) includitur. Ὁ Συνοδολόφιλος (*ſecretarum literarum inventor*) & per eum multi primarii obteſtantur τὸ φερόμενον (*elatum, ſcilicet in arca*) ne ἰδιωτῶν (*domeſticorum*) reſpectu aut ſuaſu ſufflaminetur, ἵνα μὴ τοῖς πολεμίοις παράσχῃ ἢ φανερὰ μὴ ἡ ἔκλειψις γένηται, (ne

Forte, Petrus Scriverius, qui ſecretas ad Grotium captivum literas miſit.

Ep.403. (*ne & acriter tangas ducem exercitus & Eccleſiaſtas*) cum res exiget. Ipſi etiam inimici jactarunt † φερόμενον ἐφ' ἑαυτῷ (*elatum eidem pœna deſtinatum*) in principio τῷ Λίμνιδι, ἢ ἐς τὴν φυλακὴν εἶναι κεκλεισμένον, (*cum Barneveldio, & in carcerem perpetuum damnatum*) ob metum αὐτοῦ δίκαιον. (*ipſius calami.*) Si igitur quid ἀνιμῶμαι, γέλωτα τὸν σαρκασμὸν ſcilicet ὁ φλύαρος. (*remiſſe, riſum & ſarcaſmum juſtinebimus*) Certum eſt, τὰ πάντα εἶναι apud Στρατηγὸν τὸν ἀρσενικὸν λιθρὸν τὸν † Σφραγιστὴν, (*omnia eſſe apud exercitus ducem, murium exitium, ſeu arſenicum, & ſigilli cuſtodem*) ſeu Molani affinem. Nihil crebrius ſpargitur ab ipſis, auctore τῷ Στρατηγῷ (*exercitus duce*) quam φερόμενον συγγνώμην (*elatum veniam*) petiiſſe & ipſum, & per alios: imo ex promiſſo renuntiaſſe amicitiæ Λίμνιδι; (*Barneveldii*) ſed poſtea incredibili inconſtantia & mobilitate ingenii τὰ ἑαυτοῦ (*partes ipſius*) rurſus ſecutum. Qui intimus eſt τῷ Σφραγίστῃ (*ſigilli cuſtodi*) multis allatis circumſtantiis, quotidie conatur horum fidem facere τῷ Σεκρετορίῳ. (*ſecretarium litterarum inventori.*) Illi cor penitus turgeſcit triſtibus iris, ademta vel non tuta libertate refellendi. Inter cætera igitur ſigillatim opus erit narrari τὰ γενόμενα μετὰ τὴν ἀπόδημον Ὑτρεχτικὴν; (*quæ geſta ſunt poſt profectionem Ultrajectinam.*) ut hæc ὑλακτήματα (*latratus*) longe lateque ſonantia compeſcantur. Sed merito videatur ſus Minervam, ſi non detur aliquid amori & affectui. Duplex migratio noſtra, quæ brevi fuit, ſupellectilem noſtram conturbavit, ut nondum reperiam catalogum ſcriptorum, quæ penes Gilpinam viduam ſervantur. Inter cætera memini eſſe περὶ πολιτοφυλάκων τῶν πόλεων (*de militibus civitatum cuſtodibus*) (qui crimini maximo nunc dantur) in factione Leyceſtriana ſuperiorum mandato conſcriptorum, anno, ni fallor, CIↃ IↃ LXXXVII. Hæc & alia ſi reperire detur, gaudebo dari ἀφορμὴν (*occaſionem*) iterum ad te ſcribendi, cum adjungam de rebus noſtris privatis, ſi quid ſit. Nunc nihil, niſi quotidiana vota preceſque, ut lætis initiis progreſſus cumulate reſpondeat. Vale, Vir Clariſſime, meque, quod facis, ama

Tuum omni officio & affectu.

1621.

Arſenium.

CCCCIII.

CHRISTOPHORUS WRENNUS HUGONI GROTIO S.P.

De Grotii Apologia, &c.

QUod hactenus apud me deſtinabam (optime virorum) ecce jam quaſi deprehenſus auſpicium ejus facere volui, ut diutino quo flagrabam tui compellandi deſiderio tandem aliquando par eſſem: Crevit mihi hos ignes integerrimus Junius, ex cujus conjunctione fructum cepi ſuaviſſimum; quamdiu familiaribus Muſis ſimul hic uſi ſumus. Ne ille vir eſt puriſſimæ nivis æmulus, cujus provolutæ moles congeneris candoris augmentum non poſſunt non acquirere, donec ipſa mole innoteſcant: Ille mihi difficiles tuos caſus, & ingentia pericula, ille ſuaviſſimum effugium; & jam redditam (quaſi poſtluminio) quietem, ſæpe ſæpe inexpleto retexuit: quoties enim medias hiſtorias perrupit nobis ſtupor & ſilentium, mirantibus quo fine, quo conſilio imperveſtigabilis ſapientia adeo velit, illinc ſcelus fælix eſſe, hinc deſtitutam innocentiam? Breviter dicam; ille mihi integrum hunc Apologeticum, tuo plane affectu, ſuis verbis, dixit (ſcio) priuſquam ſcriberetur; ut non tam novus mihi jam, quam quaſi notus aliquis peregre redux gratior accedat. Nec reticere mihi fas eſt, quas reponit gratias Honoratiſſimus Dominus meus, juſſus dico (quod nequit ipſe graviſſimis rebus implicitus ſcribere) illas jam duplici tibi deberi calculo, quas ubi è re tua fuerit poſſis exigere. Litteras tuas ad Junium una cum libro celèrrime deferendas curo. Proximum eſt, ut Reverendiſſimo Menevenſi, jam in Tuſculanis agenti, quam primum redierit, pronum affectum tuum hoc teſtimonio exponam; ſenties, ſpondeo, virum omni virtutum genere excultum; & ſi quid ad notitiam penitiorem octodecim annorum decurſus faciat, quibus ſanctiſſimis illius moribus familiariſſime aſſuevi, ſenties Præſulem priſcis illis Heroibus parem: Cum vero ea apud Sereniſſimum Regem gratia polleat, qua cum ipſo amici ejus fæliciter uti poſſint, eo geſtio magis, ut ſub fœderato (quem ſemper coluit) bonorum titulo propius accedatis. Id tua intereſſe, ut (me indice) ſcias, ſentio; nunquam ei ſonare Grotii nomen ſine præfato honore. Quod poſtremum eſt; integrum valetudinis, cum qua nuper in gratiam rediiſſe te ſperamus, D.O.M. augeat & conſervet: Sane contra moleſtam tuam ephemeram ſi quid ephemeræ noſtræ ſupplicationes valeant, jam illa in fumos abiit. Vale igitur (ſæculi noſtri decus) inque amicitiæ noſtræ curriculo paria mecum facere contende, qui nunquam tibi in hoc pulcherrimo certamine herbam ſum porrecturus. Sanctiſſimum enim niſi fuerit, quod ſemel votivum fecimus, damnabimur aut amicitiæ leviter accenſæ, aut frigentis turpiter, quorum utrumque juxta exoſum eſt

Ex ædibus Winton. ad Thamẽſin juxta pontem

Tuo

C. WREN.

XV. Kal. Octob. Stylo veteri.

Paucæ elapſæ ſunt horæ, poſtquam in manus noſtras litteræ veſtræ pervenerunt; ſed opportune de craſtino ſuo Pariſios profectu monuit amiciſſimus Hemskerkius.

CCCCIV.

CCCCIV.

SIMON EPISCOPIUS

LEONARDO MARIO S.P.

Paris, de imprimis ad Christianam concordiam provocandam cupiente.

VIr Clariſſime & honorande D. Regens, Præoccupaſti nos novo beneficii genere, dum literis tuis humaniſſimis & benevolentiæ ſignificatione pleniſſimis ad ſcribendum nos provocas, quos beneficiorum tuorum, atque imprimis prolixe ſatis teſtatæ benevolentiæ, memoria, priores incitare debuiſſet ad gratitudinis officium. Equidem neſcimus quis ſiniſter genius manum hactenus & remoram nobis injecerit, quo minus officii iſthius noſtri rationem habuerimus, & gratitudini, uti par erat, litaverimus. Nolimus tamen exiſtimes, factum id vel negligentia, vel incuria ulla noſtra, quæ bonis omnibus merito ſemper eſt exoſa. Sed ita ſe res habet. Poſtquam à vobis diſceſſimus, ſubſtitimus aliquamdiu Antwerpiæ, eo quod armiſtitium adhuc erat, & aperto marte nihil agi videbatur, quin & induciarum continuandarum aut æternæ pacis negotium ſub clypeo quaſi agitari credebatur; donec tandem ſpes iſta omnis decollavit, & belli alea jacta fuit. Dum ita animi penderemus inter ſpem metumque, exſpectavimus indies luculentum & vere ingens illud donum veſtrum, commentaria vid. tua in Pentateuchum, quæ amicus noſter communis, apud quem ea reliqueramus, ad nos prima occaſione tranſmittere in ſe receperat; & quidem eo majore cum aviditate & deſiderio, quod jam non tantum de eruditione veſtra coram experimento certiſſimo, ſed & imprimis de ſcopo & fine quem in opere iſto propoſitum tibi habes, quemque ipſius operis limini & frontiſpicio, genetola ſane & laudabili fiducia, prætexuiſti, perſuaſiſſimi eſſemus. Vix dixerim quantopere ea res ſalivam nobis moverit, deſideriumque noſtrum accenderit atque inflammaverit. Si quid enim aliud, hoc certe novum & veſtris fere inſolens inſtitutum eruditione ac pietate tua dignum eſt, adverſarios ea parte oppugnare, qua maxime fidunt, & ubi præcipuum adeoque unicum cauſæ ſuæ robur ac præſidium collocant. Quamdiu enim ſacrarum Scripturarum munimentum ac refugium conſcientiis ipſorum ſartum tectum manet, tamdiu infaustis avibus contra eos pugnetur neceſſe eſt; & ſi vel mille argumentorum arietes hinc inde admoveas, adeoque omnibus aliis præſidiis eos exuas & denudes, habebunt in quo ſecure acquieſcant, quamdiu Scripturarum Palladium ipſis relinquitur. At vero, ſi illud ipſis adimere, juſtoque Marte vobis vindicare atque aſſerere pergis, tum vero fælicibus pugnabis auſpiciis, & habebis qui manus ultro daturi ſint, & in caſtra veſtra haud illubentes atque inviti tranſituri. Et hæc quidem dum avide adeo ac ſollicite, ſed, proh dolor! fruſtra exſpectamus, elabitur interim nobis inopinantibus ſcribendi occaſio, & belli funeſti ſignum utrimque datur. Quæ res novis nos itidem occupavit conſiliis, & ut de migrando, tutoque ac libero ſolo quærendo rurſus cogitaremus, in cauſa fuit. Exinde Nomadum inſtar mobiles domos habere cœpimus, & vix ubi pedem tuto figamus reperire nobis licet; ipſo jam experimento addiſcentes, non habere hic nos civitatem manentem, ſed exſpectare eam deſuper à Domino. Quippe me jam & D. Uytenbogardum (D. Grevinchovium enim gravis & pertinax dilectiſſimæ conjugis morbus, filiique unici ac tenelli calculo miſere laborantis, cura Antwerpiæ detinet) Gallia habet, ſed turbulenta, raro, uti in vaſto & cacochymico corpore fieri ſolet, ab inteſtinis motibus & paroxyſmis libera. Et hinc quidem etiam non ita pridem nos novus ferme caſus Pariſienſis abegiſſet, niſi in herba, quod dicitur, oppreſſus, & ingruenti malo protinus obviam itum fuiſſet. Bartholomæanæ enim cædis & veſperæ Gallicæ foci tantum non recaluiſſent, niſi Magiſtratus Procerumque vigilans cura atque induſtria incendium jam natum in ipſo ſtatim ortu reſtinxiſſet. Quippe nobilis cujuſdam capitanei, &, quæ eam ſubſecuta eſt, ducis Majennenſis cædes, animaverat promiſcuum vulgus, & exciverat totam pene Romuli fœcem in Charentonenſes, frigidam ſuffundentibus non paucis rerum novarum ſtudioſis, & ex publica ruina compendium rerum ſuarum aucupantibus, & fruſtra obnitentibus iis, quorum eſt providere ne Reſp. detrimenti aliquid capiat. Et jam eo res devenerat, ut ædes Charentonenſis incenderetur, cædibuſque ac direptionibus etiam plebs graſſari inciperet: & ulterius ſine dubio itum fuiſſet, niſi Magiſtratuum diligentia, civium præcipuorum unanimi contenſione, & paucorum extemporaneo ſupplicio, repreſſa fuiſſet ſeditio. Pariſiis, ubi mihi ante paucos dies redditæ fuerunt tuæ literæ, Rotomagum iterum diſceſſimus, quod emporium illud patriæ noſtræ vicinius, & Eccleſiis noſtris opitulandis oportunius eſſet. Et hæc quidem, aliaque in cauſa fuerunt, quo minus de literarum commercio inter nos cogitare nobis vix licuerit. Neque minus interim tamen eadem nos cura exercuit, quam tibi boniſque omnibus cordi eſſe ſumma cum voluptate intelligimus, ſi forte concordiæ, caritati & paci Chriſtianæ aliqua ſaltem ratione per nos conſuli poſſit. Hæc enim illa una eſt, quæ nos hoc triſte exilium ſubire coëgit, & quæ etiam nobis non exiguum præbet ſolatium in hac verſatili vitæ noſtræ ſcena. Et ſervabit nobis, ut ſpero, hunc animum Deus, ut neque ſpe, neque metu ullo abducti, ſeorſum abeamus ab eo, quod animus dictat in rem Reip. Chriſtianæ facere poſſe. Scit ille quanto nobis dolori pridem fue-

Ep. 404.

Ep.404. rit, quoties prima illa Christianæ simplicitatis ac concordiæ incunabula cum subsequentibus, & imprimis nostra hac misera ætate, conferimus, qua populi in summis fidei capitibus consentientes, ex rituum atque opinionum dissidiis in factiones aguntur, & bella vel profanis gentibus pudenda. Quanto satius foret, vir clarissime, post tot tristes dividias, tamque inveterata divortia de remedio cogitare, & vel concordiæ atque unitati, vel si id plane fieri adhuc nequeat, libertati & paci aut tolerantiæ mutuæ operam navare. Neque dubium est quin multi adhuc restent inter Christianos, qui longarum harum litium, discordiarum, factionum, & odiorum pertæsi, caritatem animo retineant, externamque unitatis faciem ardenter exoptent, parati tanti boni causa, ex Apostolico præscripto, aptare se alienis infirmitatibus, & ad ultimos usque divinæ legis terminos patientiam & æquitatem suam extendere. Sed, ut videtur, horum sanctis piisque conatibus obstant alii, quos pravus quam longissime ab aliis recedendi, aut saltem immisericors & crudelis errantes sua opinione damnandi, adfectus ad extrema quæque abripit. Utinam vero det aliquando propitius Deus ut hujusmodi mortales facessant, aut ad meliorem mentem redeant, & quæ ad communem Ecclesiæ pacem faciunt, malesanis suis consiliis, studiis, ac conatibus turbare desinant! Multa hominum millia, quorum gregi etiam nos accenseri volumus, sanctum hoc propositum piis votis prosequentur, & frequentes concurrent ad sublatum concordiæ vel libertatis vexillum. Interim, vir Clarissime, hanc eandem curam tibi etiam cordi esse video. Perge sis & macte in hoc sanctissimo proposito, & uti in ratione juvandi Christianos errantes rectam, aut saltem optimam, viam ingredi cœpisti, ita in hoc restaurandæ pacis libertatisque instituto vere singulari & heroico operam tuam Christiano orbi impendere ne graveris. Nos interim non desinemus juvare te precibus studiisque nostris, & si quid in hoc exilio nostro possimus, conatibus atque auxiliis. Commentaria tua si missa nondum sunt, quæso operam da ut Antwerpiam mittantur: nos ea sollicite, & qua par est cura indagabimus, & si quid occurret quod minus rectum videbitur, ea libertate, qua veritatis discipulos decet, indicabimus, parati semper meliora ostendenti cedere, & quod verissimum videbitur admittere; nihil dubitantes, quin si qua in parte fallamur, nos propitius Deus aut errantes instruet, aut ignorantibus ignoscet. Vale, vir Clarissime, &, uti facis, nos amare perge. Salutat te D. Uytenbogardus, causæ nostræ, & imprimis Christianæ libertatis, concordiæ ac pacis patronus & assertor strenuissimus, qui ubi benevolentiæ candorisque tui mentionem à nobis fieri audivit, unice se tibi commendatum esse cupit, & nobiscum optat atque orat, ut quicquid pro re nostra istic in urbe vestra fieri potest, pro ea qua polles autoritate & gra- Ep.405.
tia promovere velis. Datum 11 Octob. 1621. Rotomagi. Raptim.

CCCCV.

CONRADO VORSTIO

JOHANNES GREVIUS S.P.D.

QUas proxime ad te dedi, Vir Clarissime, *Ejus ex loco longe pejori prodibant, quem nunc* Dei singulari beneficio evasi; & ita evasi, ut *sua ita vix animo nunc comprehendam, quo modo,* aut qua ratione evaserim: miraculi instar mihi est evasisse me ex loco tot claustris, tanta murorum altitudine, tam accurato custode undiquaque munito: quidquid sit, id mihi certum est, divina virtute & adjutorio insperatam mihi hanc obtigisse liberationem. Moliri aliquid amicos Confessionis nostræ zelotas jam quidem præcognoveram, successus tamen spem re omni toties pensitata concipere nunquam potui, usque adeo multa, quæ non difficultatem, sed impossibilitatem conatus hujus animo meo objicerent, quæ quantumvis artificiosa machinatione, industria, fortitudine & expeditissima agilitate, insuperabilia mihi videbantur: adeo ut quoties tentandæ liberationis modos, in quos amici incumbebant, animo meo volverem, eo subinde respiciens, quo auxiliatoribus nostris ascendendum descendendumque erat, cohorrescerem, & per ima mihi curreret ossa tremor, prorsusque id unquam me ausurum diffiderem, ut tanto periculo desideratissimam libertatem redimerem. Is enim ego sum, cui cum corporis debilitate animi robur non ita firmum est ad heroicos ausus, qui non sine insigni aliqua animi præsentia ac confidentia & qualicumque corporis robore conficiuntur. Sed defectum hunc, hoc animi vitium, in eo ipso momento, cum animis opus esset & pectore firmo, correxit & pentavit divinum auxilium, cui in universum defero & transcribo optatæ liberationis gratiam & gloriam. Valde sim impius si secus facerem, nam solus ille, Deus omnipotens pater misericordiarum, repressit & amovit remoras, obstacula, impedimenta quæ in noctem illam cumulatim ingruebant, ille subtraxit & abscondidit ea omnia quæ heroibus istis ad hoc laudabile charitatis, zeli & fortitudinis, opus, animum excussissent. Ille solus trepidanti mihi & nimium anxio has animo & corpori suggessit vires, suppeditavit robur, ut incredibili facilitate periculosissimum per funiculos ascensum descensumque pene nullo cum animi metu, nulla capitis vertigine, felicissime alis quasi subnixus evectusque confecerim. Sane mirari satis nequeo constantem illum in singulis ardorem, qui glorioso huic operi sese aconxerant, & invictam in iis inter tot casus fortitudinem, qui obstrepere illorum conatibus

Ep405. bus certatim videbantur, & hoc quasi jam palam proclamare, detecta esse jam illorum consilia, evanuisse spem frustraneæ & ridiculæ machinationis, obstructasque esse successui vias omnes: tantus ea nocte canum circumquaque latratus ad strepitum instrumentorum, tam frequens hominum occursus, tam sollicita & diligens stationariorum vigilia & observatio, tam difficilis, molesta & lenta instrumentorum expeditio, ut insanire viderentur qui præsentissimo periculo se non eriperent. Stetere illi heroës. Stetere & perfecere cœptum opus, jam admotis ad muros scalis, distentisque per tectum, quod montis alicujus præcipitium diceres, funiculis, pendentibusque per eos, qui in carceris aream ad reserenda claustra descenturi erant. Stricto in reliquos quidam gladio involat, ad arma conclamans, nocturnos fures pauperum ærario (quod ab isthinc loci prope aberat) insidiari, & jam cancellos infringere alta voce inclamans. Quem blandimentis demulcent, & confestim furorem ejus, qua possunt arte compescunt; captivis ie subsidiatum venisse non diffitentes. Ille quasi Deo imperante, silet, subsistit, recedit non insaulta, obscœna tamen voce, scurrarum more, apprecatus illorum conatibus. Viden', Vir clarissime, quo jure divino nos auxilio, ex tristi illo, luctuoso & infami carcere protractos esse asseram? Nunc delitescimus apud amicos, qui perquam benigne & hilariter excipiunt nos miseros palpitantes adhuc ex metu, & semper anxios ac sollicitos de novis insidiis, quas ex furore & rancore tumultuantium & ringentium ministrorum metuimus. Magistratus hic palam traducitur, negligentiam, remissionem & socordiam palam in eo culpant. Sunt quibus intrepide dicere libuit, conscio & connivente Magistratu nos elapsos esse. O quam fallo! Mitiores quidem in eo nunc aliquot animæ à moderatione non alienæ, ad clementiam, ad libertatis conscientiarum indultum pronæ, retardant forte & eludunt collegarum asperiores impetus, quibus Ecclesiæ tuæ salus atque incolumitas non sine continua nostri oppressione consistere posse videtur: sed umbra nobis hactenus nulla, nullum vestigium ullius in factum hoc conniventiæ aut collusionis. Si acerba illa & pestifera Pastorum valerent consilia, jam ad tubas vel campanas publico interdicto civibus incolisque omnibus vetitum esset, sub gravissima comminatione nos recipere. Decreta essent receptatoribus exilia, statuta essent iis præmia qui auxiliatores nostros ullo indicio proderent: hactores suspectas ædes, latibula, angulos, recessus in iis omnes probe excuterent. Tale Dei beneficio hactenus nihil. Utinam etiam non imposterum! Utinam magis magisque mitescant Reip. nostræ Rectores, valere jussis sacris illis, scilicet, pastorum suggestionibus, nobisque in angulo aliquo tuto latitare liceat, ne in eorum potestatem relabamur, quibus nostra afflictio, nostra miseria, summæ deliciæ! Hic dolemus, vir Clarissime, tam anguste te habitare. Ita latibulo tuo te affigi, ut vix à captivitate dissimilem vitam multo tempore vixeris. O Tempora, ô Mores! Ad tenebras eos detrudi, ad latebras constringi, quos in monte, quos ex alto summa cum omnium veneratione lucere oportebat! Ignoscat Deus ingrato seculo, & cœcis hisce hominibus, quorum zelo, si non impietate, vir summe & innocentissime opprimeris. Quas nuper R. T. de torturæ iniquitate misi chartulas, si vacat velim remitti. Quidquid librorum in carcere mihi erat reliqui, an recepturus sim, nescio. Illic & exemplar quod mihi servaveram remansit. Nonnulla mihi interea occurrerunt, quæ ad eam materiam faciant: quæ addam & infarciam suo loco, nisi dissuaseris. Hospes meus apud quem delitesco, ex publico ad prandium reversus, jam soluta Ordinum Hollandiæ comitia narravit, & potissimam partem in eorum petitionem non consensisse, qui lata lege publicas dignitates, intra extraque urbes, nullis patere volebant, nisi qui subsignatione propria in Dordracenos Canones juraßent. Macte. Sic sapiant Patriæ Principes, quorum mentes oculosque hactenus tam turpiter perstrinxit Theologica vatrities. Idem narravit de D. Grotii Apologia ad Consessum Ordinum per Galliæ Legatum delata; mihi, ut ex hospite accepi, dilemmate aliquo Gallus Ordines hac ipsa oblatione adoriri videtur. Quos Opt. Max. tandem causæ nostræ nobisque propitios faciat. Huic te, vir integerrime, cum universa familia ardenter & devote commendo. 19 Octob. anno 1621. Amst.

CCCCVI.

A Madame,

MADAME LA BARONNE DE LA HAYE DU PUITS.

Ep406.

Cur Remonstrantes se non adjungant cœtibus Contrarem. in Gallia.

MAdame, Nous avons leu ce qu'il vous a pleu nous envoyer, & vous remercions bien humblement, de l'affection que vous tesmoignez porter tant à nostre saincte cause, qu'a nous; vous supplians nous permettre, que nous vous representions briefvement les raisons qui nous empeschent de nous trouver és assemblées, dont vous parlez. Ce n'est pas que nous vouluſſions nier simplement, qu'elles ne soient faictes en quelque maniere au nom de Jesus Christ. Vous sçavez, Madame, qu'il y en a d'autres, qui se disent faictes au meisme nom, ausquelles neantmoins vous ne voudriez pas adsister. Ce n'est pas aussi, que nous vouluſſions desobeïr aux paroles de l'Apostre, desfendant de delaisser les assemblées mutuelles, & que ne tenions que Christ n'est point divisé;

Ep 406. ou que nous vouluſſions recognoiſtre autre Docteur que Chriſt. J'a n'advienne: au contraire, nous nous abſtenons de telles aſſemblées, pour ne vouloir recognoiſtre autre Docteur que Chriſt, & à ce, que, rejettans les partialitez, nous puiſſions dire avec l'Apoſtre, je ſuis de Chriſt. Auſſi ne ſommes nous pas, graces à Dieu, de ceux, qui ſe ſeparent eux meſmes: ce ſont les autres, leſquels, à noſtre grand regret, nous ont ſeparez d'avec eux, & ont enfraint la dilection Chreſtienne, en laquelle nous nous tenons, ſans fuir la communication de perſonne quelconque, qui la deſire en toute ſincerité. Et tant s'en faut que ne nous vouluſſions point ſoubmettre en toute humilité à la parole de Dieu, & ne recognoiſtre de tout noſtre cœur, que l'Eveſque ne doit point eſtre addonnée à ſon ſens, mais qu'il doit garder ferme la parole fidelle, que c'eſt pour cela que nous ſouffrons. Voila, Madame, juſques où nous vous accordons ingenuement ce que Voſtre Charité demande de nous. Mais quant à nous trouver en telles aſſemblées, il plaira à voſtre prudence Chreſtienne de conſiderer, que ce ſont elles, ou bien leurs Conducteurs, qui nous ont condamnez en leur Synode d'Alez, ſans nous avoir oüi, approuvans les Canons du Synode de Dordrecht, auquel la doctrine de verité a eſté declarée menſongere, & ceux qui l'enſeignent faux Docteurs, & comme tels, injuſtement deſpouillez de leurs charges, & chaſſez cruellement du païs de leur naiſſance. Tout cecy ayant eſté, voire par ſerment, approuvé en un Synode, qui conduit ces aſſemblées, ſeroit il bien poſſible, Madame, que nous nous joignilſions à icelles, ſans nous condamner nous meſmes; adherer à telles impietez, & ne nous ſeparer d'avec Chriſt? Joinct, qu'en divers endroicts, ils ont declaré ne vouloir admettre à leur communion ceux que les Calviniſtes nomment Armiriens, qu'à condition qu'ils ſe taiſent, c'eſt à dire, ne confeſſent de bouche, ce qu'ils croyent de cœur. S'ils oſent impoſer telles loix aux ſimples membres, que ne demanderont-ils aux Paſteurs? Nous avons monſtré tant par noſtre doctrine, que par l'exemple de nos perſonnes, que, non obſtant la diverſité de ſentiment, nous avions intention d'entretenir l'union, tant qu'ils ſeroient contens de leur coſté, de continuer la communion ſpirituelle avec nous: ils n'ont pas voulu, ains comme ceux dont S. Jude parle, ils ſe ſont ſeparez eux-meſmes. Pourrions nous à ceſt'-heure nous reünir avec eux ſans approuver leur ſchiſme? Puis, quelle apparence y a-il, qu'ils nous vouluſſent reçevoir à leur communion, ſans que nous revoquaſſions ce qu'ils ont prins pour pretexte de leur ſeparation? & qu'allans avec eux à la ſaincte Cene, nous approuvaſſions toute leur doctrine & diſcipline pour nous y ſoumettre ſelon leurs reigles? Or, quand bien Ep 406.
noſtre conſcience permettroit tout cela, (ce qu'elle ne peut pas ſans grandement offenſer Dieu) eſtimez vous, Madame, qu'ils nous y voudroient admettre ſans advis preallable des Egliſes adverſaires du Pais-Bas, & qu'icelles faudroient de nous charger dés meſmes crimes, qu'ils nous ont oſé impoſer à tort en leurs Synodes, & en demander reparation? Il eſt certain que non. Cela donc advenant, eſt il conſeillable, que nous allaſſions plaider, & debattre noſtre cauſe devant un Conſiſtoire de Quevilly, meſmes aprez un tel prejugé du Synode d'Alez? Peut eſtre, Madame, que vous n'entendez parler que d'aſſiſter ſimplement à leurs preſches. Mais cela ne ſervirot de rien à l'union dont vous parlez, &, peut eſtre, les inciteroit d'avantage contre nous, comme ſi cela ſe faiſoit exprez pour les eſpier: joinct, que cela pourroit cauſer des alterations & diſputes contentieuſes, qui ſerviroient à peu d'edification, que nous deſirons d'eviter tant qu'en nous eſt. Outre tout cela, Madame, ne ſeroit ce pas donner un enorme ſcandale à tant d'Egliſes, Paſteurs, & troupeaux de noſtre ſentiment és Pais-Bas, endurans tant de faſcheries, voire de tres-grieſues & ſanglantes perſecutions, pour la verité qu'ils maintiennent avec nous, & pour, aprez avoir eſté dechaſſez par ces perſecuteurs, n'avoir voulu delaiſſer leurs aſſemblées mutuelles, ains admoneſter l'un l'autre ſelon le commandement de l'Apoſtre, ſi maintenant nous allions adherer aux perſecuteurs de nos freres? ne ſeroit ce pas expoſer ceux ci en proye, & nous meſmes en opprobre, mocquerie & deriſion devant Dieu & le monde? Vous craignez, que faiſans autrement, que ce que dites, ils ne fuyent noſtre frequentation, & que ne nous rendions odieux à cauſe des mauvaiſes parolles des calomniateurs. Mais croyez, Madame, qu'ils ne deſirent nullement noſtre frequentation, & qu'ils ne la deſireroient non plus lors que nous nous trouverons en leurs preſches; ſi ce n'eſtoit pour ſemer des debats & eſtrifs mal-ſeants aux Chreſtiens, ou bien, que ne nous vouluſſions accommoder avec eux en diſſimulant la verité: ſi la deſſus ils nous haïſſent, nous dirons, avec noſtre Seigneur Jeſus Chriſt, que c'eſt ſans cauſe: s'ils diſent des mauvaiſes paroles contre nous à cauſe de Chriſt, en mentant, nous nous reſjouïrons: s'ils nous calomnient (comme deja ils ont commencé) nous taſcherons d'y obvier par des voyes Chreſtiennes & licites, que Dieu nous monſtrera, juſques à tant qu'il plaiſe à ſa divine bonté nous donner ouverture plus large pour manifeſter noſtre innocence. Quoy attendant, nous poſſederons nos ames en patience, & prierons l'Eternel, qu'il ait pitié de nous, de tant plus, que les hommes n'en

Ep.407 n'en ont nulle compaſſion. Auſſi qu'il vous aſſiſte,

MADAME, de plus en plus des dons & graces de ſon S. Eſprit. Ce 28 Decemb. 1621.

Vos humbles Freres & Serviteurs au Seigneur,

Ceux que cognoiſſez.

CCCCVII.

HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Diſſertunicula ad Libros Grotii de veritate Rel. Chriſt.

VIr Clariſſime, Quanto ſæpius relegi rythmos hos, tanto impenſius raptus fui in eorum amorem ſimul atque admirationem. Ex rero & animo loquor, Apellis manum ac veverem mihi habere videntur, proinde digni, nui (quod olim de Homeri verſibus dixiſſe legitur Magnus ille Alexander) non ad citharam, uti aliorum fere Poëtarum, ſed ad tubam canantur, & in turba quidem eorum qui Deum ignorant, vel Religionem Jeſu Chriſti aut neglectui habent aut contemtui. Nec enim in iis quicquam eſt, quod ſcire omnium non maximopere interſit, & vel ferreos ad divinam illam religionem amplectendam flectere non poſſit ac debeat. Nominatim vero certant in iis, & de palma quaſi contendunt, rerum majeſtas, & ſcriptionis claritas ac gratia; ita ut nec ligatæ orationis claritati quicquam officiat rerum majeſtas, nec majeſtatem rerum diluat aut enervet ligata oratio: adeo quidem, ut difficile ſit dignoſcere, utrum divinius ſit, res tam arduas, ſublimes atque involutas, ſolide & diſtincte animo concipere; quam conceptas tam decora ſimul & grata orationis ligatæ purpura veſtire, tamque dilucide ob oculos ponere, ut cuivis legenti primo ſtatim momento pateat earum majeſtas, & conciſa ſimul atque aperta etiam adlubeſcat orationis gratia. Hæc cum ingenue & candide profitear, ineptus merito videri potero, Vir Clariſſime, ſi nihilominus taxare quippiam, aut obelo configere velim in hoc tam auguſto opere. Sed id velim credas à me fieri, non quod in tam exacto opere quippiam deſiderem, quam ut deſiderio tuo meoque animo ſatisfaciam, ne, dum nihil annoto, perfunctorie aut oſcitanter in ejus lectione atque examine verſatus eſſe videar. Verrucæ quædam ſunt, quæ pulchritudinis non ſatis gnarum aliquando offendunt, & quæ tamen interim non parum ipſam operis venerem accendunt atque exaggerant: eas indicare me crede, & dum in pulcherrimo & numeris ſuis opere accuratoque Veneris tripudio, nihil reperio quod diſpliceat, ſandalium ejus culpare tibi perſuadeas. Malui enim inepti cenſoris notam ſuſtinere, quam oſcitantiæ inſimulari, aut non ſatis diligenter navatæ operæ in lectione horum verſuum præmio aut opinione fruſtrari. Ep.407.

Duo ſunt, ad quæ animum propius paulum adverti opto. Primum ſpectat ipſam ſcriptionem, ſive literarum contextum. Alterum res quæ ibidem continentur.

Quod characterem, ſive literarum contextum attinet, optarem ut is ab uſitato & communi in quibuſdam vocabulis (ex. gr. in *kwaad*) non ita longe recederet; non quod rationibus ſuis careat iſta ſcribendi ratio, ſed ne novitas illa lectori avido officiat aut remoram injiciat, & ne, dum ad res optimas advertere debet, ad ſyllabas & literas conſiderandas delabatur, vel à cavillatoribus abripiatur.

2. Si fieri poſſit, optarem ut in finibus quorundam verſuum literæ N. ratio haberetur: neſcio enim unde fiat ut ejus omiſſio auribus meis durum quid inſonare videatur, & non parum deterere de orationis gratia & venuſtate. Confirmavit me aliorum idem prorſus hac de re judicium.

Res quod attinet.

Argumentum quo probatur fol. 4. & 5. Deum unum eſſe, quia palmarium, cui non pauca alia in ſequentibus ſuperſtruuntur, paulo magis adſtringendum videtur, aut fortius ſuffulciendum. Videtur enim fere in eo principium peti: idem enim eſt quærere, an Deus unus ſit, & an id quod à ſe eſt, ſive τὸ ἀναίτιον καὶ ἀνάρχον (*quod principium & cauſam non habet*) unum tantum ſit: Deum enim eſſe, & à ſe eſſe, ſynonyma ſunt, uti ex antedictis patet.

2. Eadem eſt ratio argumenti, quo probatur materiam non eſſe æternam, fol. 6. præterquam quod fundamento careat, materiam actu non eſſe, ſed potentia: etenim ſi materia ens eſt, actu eſt: actu enim eſſe, ſive extra nihilum eſſe, & ens eſſe, unum & idem ſunt: Potentia eſſe eſt non eſſe, ſed poſſe eſſe. Ita nihilum ipſum tandem materia eſſet, quia nihilum poteſt eſſe. Cum autem materia dicitur ens non actu, ſed potentia, dicitur tantum in ordine ad has aut illas formas, quas ſuſcipere poteſt, non autem in ordine ad entitatem abſolute conſideratam. Hinc jam apparet ratio dubii. Si materia eſt ens, quid repugnat cur à ſe non ſit, & proinde æterna non ſit? Loquor ſub perſona opponentis, contra quem diſputatur in textu. Fortaſſe à ſe eſſe non dicit magnam perfectionem, ſicut neque eſſe ſingularem perfectionem dicit: quid enim ſingulare habet rudis, indigeſta, bruta moles ſupra nihilum? Sed à ſe eſſe, cum tali perfectione ut agere poſſit in omnia alia, & à nullo pati neceſſe habeat, id perfectionem veram quin dicat, extra dubium eſt.

Fol. 7. Providentia ſingularium explicatius ſaltem adſtruenda videtur: non enim præcipua difficultatis ratio in eo ſita eſt; an Deus ſingulare poſſit cognoſcere qua tale, id eſt, quatenus unum, ſive τὸ ἓν τι (quamquam à Philoſophis

Epi. 407. ſophis hæc quæſtio ventiletur) ſed an Deus poſſit cognoſcere ſingularia omnia, quia multa ſunt ac prope infinita, imo pleraque ita tenuia, ac dilutæ viliſque entitatis, ut vix adficere poſſe videantur intellectum, aut digna quibus divina mens intendatur.

De imperiis & imperiorum mutationibus quod ſubjungitur, quæri poteſt; utrumne ex illis, tanquam ex indiciis, ſolide colligi poſſit providentia divina. Etſi enim certum ſit, imperia imperiorumque mutationes ſubjici divinæ providentiæ, Deus enim eſt qui dat & aufert regna quibus vult; tamen an ex illis, tanquam ex ſignis, divina providentia arceſſi poſſit, dubium eſt. Ratio eſt: quia pleraque imperia, utpote iniqua, injuſta, & violenta, oriuntur atque occidunt Deo tantum permittente, & ad finem ſuum iis abutente, nullo adhibito ſpeciali providentiæ actu. Permiſſio enim non dicit actum providentiæ, quo interveniente ortus & occaſus ille fiat, ſed negat potius; niſi quatenus illa permiſſio divina ſubordinatur intentioni divinæ, qua vel aliquando punire vult populos, vel dirigere id quod permittit ad finem à ſe præfinitum & intentum: alioqui ſæpe Diabolum & diabolicas machinas, fraudes, vim, ac violentiam dominari ſinit in illis, eaque ad arbitrium potentiorum aut maxime vafrorum volvi atque revolvi.

Fol. 21. Videtur nimis generaliter aſſeri, juramentum omne prorſus prohibitum eſſe; aut ſaltem, immo obiter indicari, Deum illud reſervatum velle, cum de cauſa tantum ſua agitur: ſalus enim proximi, & imprimis publica cur iſti accenſeri non debeat, aut ſaltem poſſit, nulla ratio eſſe videtur. Deinde conſilia eſſe quæ apud Salomonem leguntur, eaque in N. Teſt. præcepta eſſe, rectius fortaſſe quam tutius dicitur.

Fol. 48. Indicatur ſacrificia non eſſe primitus à Deo profecta, ſed ab hominibus adinventa. Videndum eſt utrum hoc verum ſit; & ſi verum ſit, utrum tuto dicatur. Si ex ipſis Judæorum libris evinci poſſit id ab ipſorum magiſtris adſertum olim fuiſſe, tum id optime adhibetur ad retundendum argumentum, quod pro æterno eorum ſacrificiorum ritu confirmando adferre ſolent; aut ſaltem ad indicandum religionem Meſſiæ perfectiſſimam eſſe poſſe, quæ ſacrificiis iſtis careat.

Fol. 50. verſo. De Sabbatho quod dicitur, videtur in dubium vocari poſſe, propterea quod ante latam legem expreſſe legatur populo mandatum, ne in Sabbatho Man colligerent, addita hac ratione, ſi bene memini, eſt enim Sabbathum Dei veſtri.

CCCCVIII.

SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S.P.

De ſcripto adverſus Waddingum & paraphraſi in Epiſt. ad Rom.

LEgi, Vir doctiſſime, cum voluptate ſumma & profectu meo, quæ pro tuenda perſcriptæ legis divinæ dignitate commentatus es. Neque vero unica lectione contentus prolixiorem eum faciam ſæpe revolvendo. Quod ſi & hoc permittis, aliis quoque amicis harum rerum judicio pollentibus faciam legendi & cognoſcendi copiam. Waddingo tamen mittendum nondum cenſeo, ne Societas hic quoque valida inde quoque occaſionem arripiat deſideria noſtra impugnandi. Facile moræ alicujus veniam impetrabit mutata exſilii ſedes, neque ad manum libraria ſupellex. De Paraphraſi particulæ ad Romanos (nonum caput cum duobus ſequentibus intelligo) perſto in prece. Scio ſufficere poſſe veri ſtudioſis quæ in Actis Synodalibus exſtant. Sed & fuſior eſt ea diſſertatio, & liber in paucorum eſt manu. Quare ſeorſim edendum eſt aliquid, & præloquii loco oſtendendum quid antegreſſis capitibus atque etiam fine octavi (quod cum nono multi argumento peculiari cohærere non ſatis recte exiſtimant) egerit Apoſtolus. Deinde juxta verba textus adjicienda fuſior planiorque paraphraſis: & poſt cujuſque capitis paraphraſin breves annotationes, quæ ex ſcopo Apoſtoli, ex ſermonis cohærentia, ex locutionum alibi exſtantium ſignificatu paraphraſin eam adſtruant, & alias ſi opus eſt refutent. Id opus ſi qua omnia ſoles induſtria confeceris, non dubito quin multis profuturum ſit ad conſpectum veritatis. Deus te, tuumque contubernalem paterna benignitate foveat. XIV Januarii. CIↃ IↃC XXII. Lutetiæ.

Tuus

H. GROTIUS.

CCCCIX.

Remonſtrantes Exules

AD REGEM GALLIÆ.

Supplicatio ut liceat eis Galliæ habitare.

SIre, Ceux qui ſe jettent aux pieds de Voſtre Majeſté par ceſte ſupplication, ſont ſes treshumbles, ſes tres affectionnez & tres obeiſſans Serviteurs, les uns exilés du païs d'Hollande leur patrie, les autres contraints de ſe retirer de Sedan pour cauſe de Religion, à preſent refugez en ce Royaume de V. M. à fin de vivre en toute pieté & honneſteté ſoubs la protection & obeiſſance de ſes loix, la ſupplians treshumblement, qu'il luy plaiſe leur tendre le ſceptre de ſa Royale benigni-

Digitized by Google

Ep.409. nignité, pour entendre leurs doleances, & en ordonner pour leur repos ce qu'elle jugera convenable au bien de ſon ſervice.

Sire: Les dits Suppliants expoſent en toute humilité à V. M. que n'ayans peu, ſelon le devoir de leur charges, diſſimuler, moins approuver & enſuivre les erreurs & abus qu'ils avoient remarquez en la Religion qui prend le nom de Reformée és choſes qui touchent la Predeſtination eternelle de Dieu, le merite de la mort de noſtre Seigneur & Sauveur Jeſus Chriſt; la divine Grace, le franc arbitre & la Perſeverance: ſe trouvant la creance & doctrine de pluſieurs d'entr'eux directement contraire à la verité, pieté & bonnes mœurs, comme auſſi à ce que de toute ancienneté l'Egliſe Chreſtienne à creu & croit encor à jour d'huy: iceux ſupplians à ceſte occaſion ont eſté & ſont encores grandement affligez. Car quelques uns des principaux du pais ayans eſté empriſonnez par force & contre les loix, & pluſieurs Magiſtrats, ſous l'authorité legitime deſquels ils avoient enſeigné la verité contraire aux ſuſdits erreurs & abus, depoſez de leurs charges, l'on a practiqué & convoqué un Synode en la ville de Dordrecht en Hollande, auquel les parties formelles des Supplians, ayans prins la place des juges, les ont, ſans vouloir entrer en conference ſur ce qui eſt controverſé, ni leur permettre leur juſte & neceſſaire defenſe, injuſtement condemnez, privez de leurs charges & fait impitoiablement chaſſer de leur pais, auquel journellement encores on exerce de bien cruelles perſecutions contre pluſieurs milliers de perſonnes faiſans profeſſion de ceſte meſme verité. En outre Sire, au lieu qu'on avoit eſperé, que ceux de la dite reformation en ce Royaume, portans reſpect aux treſſiages Inhibitions & defenſes faites par V. M. aux miniſtres ſes ſubjects de ne ſe point trouver au dite Synode de Dordrecht, s'abſtiendroient à plus forte raiſon de faire pis, ils ſe ſont licentiés en un Synode tenu à *Alez es Cevennes* de condemner les Supplians, en approuvant les Canons du dit Synode de Dordrecht, & meſmes de s'entr'obliger par un ſerment extra-ordinaire & nouveau de ne ſe departir jamais de la doctrine comprinſe és ſuſdits Canons, (qui adjouſtent autant de nouveaux articles de foy à leur ancienne Confeſſion) excluans de toute charge Eccleſiaſtique & Scholaſtique tous ceux qui refuſeront de faire ce ſerment, & n'approuveront leurs pernicieux erreurs. Toutes leſquelles choſes pourront eſtre plus amplements deduites & verifiées au bon plaiſir & volonté de V. M. Or les dits Supplians eſtans traictez comme dit eſt, & pour telles occaſions chaſſez de leur pais, ils ont eſtimé, Sire, ne pouvoir choiſir retraitte plus ſeure qu'en voſtre Royaume, qui de tout temps a eu ceſte gloire d'eſtre le port & refuge des miſerables, eſperant que V. M. ayant Ep.409. desja tres-meritoirement acquis le glorieux tiltre de bon & juſte Roy, ne voudra dénier ſa Royale protection a ceux, qui, ſe trouvans ſi injuſtement dechaſſez d'un pais, auquel (durant leur ſejour & miniſtere en iceluy) on recognoiſſoit ouvertement, que le meilleur & plus ſeur ſouſtien de ſa liberté, apres Dieu, procedoit de ceſte Couronne, la grandeur de la quelle ayant de tout temps eſté (apres ce qu'ils devoient à leur Patrie) l'object & le but de leurs affections, vœux & prieres, auront ci apres encor plus de ſuject de continuer ce fidele devoir ſans eſpargner leur propre ſang, toute fois & quantes que le ſervice de leur bien faitteur le requerra. Et pource, les dits dechaſſez & refugiez, treshumbles, tres affectionnez, & tresobeiſſans Serviteurs de V. M. ſe proſternent en toute humilité aux pieds d'icelle, la ſupplians, veu ce que deſſus, & qu'ils ne ſe peuvent joindre en meſme communion avec ceux en ce Royaume, qui, ſans aucune cognoiſſance de cauſe, les ont ſi temerairement condamnez, & uſurpent une telle domination ſur les Egliſes & conſciences, de les vouloir prendre en ſa protection Royale, & rendre, tant eux que ceux qui preſſez par les perſecutions ou autrement ſe retireront ci apres ſoubs l'obeiſſance de V. M. participans de la meſme grace qu'il luy plait octroyer aux autres, leur permettant libre exercice & profeſſion de leur doctrine, condamnée & rejettée par ceux que dit eſt, non obſtant ſa conformité avecq la parolle de Dieu & l'ancienne creance des Chreſtiens. Et d'autant que quelque Paſteurs de la Religion pretendue Reformée ſe ſont eux meſmes avancez de faire imprimer à *Niſmes*, *Quevilli* & ailleurs les Canons de Dort, avec les Decrets & formulaire du ſerment d'Alez, aians outre cela fait publier un livre diffamatoire portant tiltré *d'Anatomie d'Arminianiſme*, fait par un des Miniſtres de Charenton, le tout à fin qu'abuſans de leurs Auditeurs & adherans, & blaſmans à tort les Supplians, ils puiſſent pallier & maintenir leurs groſſiers & pernicieux erreurs: Les dits ſupplians ſe trouvent contraints de ſupplier encores V. M. en toute ſubmiſſion, qu'il luy plaiſe leur octroyer permiſſion de faire imprimer de leur coſté ce qu'ils eſtimeront eſtre neceſſaire pour leur juſtification: Proteſtans ſainctement devant Dieu ſcrutateur des cœurs, n'avoir autre intention, en obtenant ce repos pour leurs conſciences, que de rendre à V. M. tout ce qu'elle peut attendre de ſes plus loyaux & fidelles Serviteurs & ſujects. Promettans auſſi d'uſer de la liberté qui leur ſera octroyée avec telle modeſtie & diſcretion, qu'il n'en pourra naiſtre aucune occaſion de ſcandale: Et qu'en ce qui concerne le ſervice de V. M. & le bien de ſon Royaume, on n'entendra jamais autre choſe de leur part, que vœux aſſiduels & prieres treſardentes & devotes à Dieu, pour com-

Ep.410. bler l'un & l'autre de toutes ſes benedictions du Ciel & de la Terre.

CCCCX.

Remonſtrantes Exules

AD REGEM GALLIÆ.

Supplicatio, ut æqualibus cum reliquis Hollandis fruantur immunitatibus.

SIre. Les perſonnes qui à cauſe des perſecutions ſuſcitées es Provinces unies, à l'occaſion de certaines controverſes de Religion, ſe ſont retirées en voſtre Royaume & ſoubs voſtre obeiſſance, comme treshumbles, tresaffectionnez & tres obeiſſans ſerviteurs de voſtre Majeſté, remonſtrent en toute humilité & reverence, que le feu Grand Roy de tresglorieuſe & immortelle memoire, Pere de V. Maj. auroit par ſes lettres patentes données le XVI d'Aouſt CIↃ IↃC X. voulu, ordonné, & declaré, que le droit d'Aubeine ne ſeroit prattiqué en aucunes Villes, ou pais du Royaume de V. M. contre les ſubjects des dites Provinces unies, mais qu'il ceſſeroit du tout, & n'auroit lieu à l'advenir, avec revocation de tout ce qui auroit eſté ordonné, diſpoſé ou fait au contraire, ainſi qu'il appert plus amplement par les ſus dites lettres. Or eſt il, que depuis le changement de gouvernement advenu és dites Provinces Unies l'an CIↃ IↃC XVIII. à cauſe des ſuſdites differens & ce qui en depend, l'on a procedé contre les ſupplians de telle rigueur, qu'aucuns auroient eſté condamnez à priſon perpetuelle, d'autres bannis à jamais, ſur peine de la vie & confiſcation de biens, d'autres pour un temps, d'autres mis hors du pais avec defence de n'y plus rentrer, & declaration faitte par certains Commiſſaires, qu'aucuns des ſuſdits auroient commis crime de leſe Majeſté, non obſtant que ceux qui ſe trouvent traittez ſi rudement puiſſent declarer en bonne conſcience, comme auſſi ſe jettans aux pieds de V. M. ils declarent, que leur intention n'a jamais eſté autre, que de porter en toute ſincerité & droicture telle obeiſſance aux Magiſtrats Souverains de leurs Provinces, qu'il appertient, & à la quelle tous fideles & loyaux ſujects ſont tenus & obligez, comme pareillement ils ont tousjours obſervé, & à leur poſſible taſché d'obſerver & enſuivre en toute fidelité toutes les reſolutions & ordonnances publicques de leurs Magiſtrats, qui lors tenoient les veſnes du gouvernement du Pais. Eſtant donc aiſé à juger par leſdites procedures, que venans quelques uns des ſuſdites Supplians à deceder és pais de V. M. leurs veſves, enfans, parens & amis n'auroient à attendre aucun ſupport, recommendation, ou atteſtation de ceux deſquels les Provincies unies ſont à preſent gouvernées, qui leur peut eſtre favorable, Ils ſupplient V. M. en toute humilité & ſubmiſſion, que touchée de commiſeration à l'endroit de leur eſtat affligé, ſon bon plaiſir ſoit de declarer, que ſa volonté & intention eſt, que tant leſdites Supplians, que ceux qui cy apres pour la cauſe ſuſdite ſe pourroient retirer des Provinces unies au Royaume de V. M. jouiront de l'effect de la ſuſdite gratieuſe conceſſion, & que par ainſi le droit d'Aubeine ne ſera prattiqué contre les Supplians en aucun lieu de voſtre Royaume, enſemble que le teſmoignage & atteſtation de l'Ambaſſadeur de V. M. qui reſide à preſent ou reſidera à l'advenir és dites Provinces unies, ſera tenu pour ſuffiſante preuve & verification de leur qualité. Ep.411.

CCCCXI.

Declaratio

REGIS GALLIÆ

In favorem Remonſtrantium.

LOüis par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre A tous ceux qui ces preſentes verront Salut. Ayans faict voir en noſtre conſeil l'exemption du droict d'Aubeine, accordé lors en traitté de ligue & confederation faicte par le feu Roy noſtre Tres-honnoré Seig. & Pere (que Dieu abſolve) aux habitans & ſubjects de nos treſchers & bons amis, alliez & confederez les Eſtats Generaux des Provinces Unies des pais bas, de laquelle exemption doivent pareillement joüir les François en leur pais pour tous les biens meubles & immeubles que les uns & les autres auroient acquis & pourroient acquerir, eux és pais de noſtre obeiſſance, & nos ſubjects dans les Provinces Unies: Ce qui a touſjours eſté obſervé depuis, & entendons encore, qu'il ſoit inviolablement gardé à l'advenir. Neantmoins, d'autant qu'on pourroit doubter, ſi quelques ſujects & habitans és pais deſdits Eſtats Generaux, leſquels ſe ſont refugiez en divers endroits de ce Royaume, apres avoir eſté exilés de leur pais, doibvent jouir de la dite Exemption: Nous eſtans bien informez des cauſes du dict exil, & qu'ils ne laiſſent de meriter noſtre grace & faveur, Nous, en declarant ſur ce noſtre intention, avons voulu & ordonné, voulons & ordonnons par l'advis de noſtre Conſeil, & de noſtre grace ſpeciale, pleine puiſſance, & authorité Royale, que les dits habitans, de quelque qualité & en quelque condition qu'ils ſoient, jouiſſent, non obſtant leur exil, de l'exemption du dit droict d'Aubeine, tout ainſi que s'ils eſtoient encores demeurans en leur pais, & qu'ils ayent auſſi en tous les endroicts de noſtre Royaume, ou ils ſe ſont retirez, la meſme ſeureté & protection, que s'ils eſtoient noſtre ſubjects naturels, nous y rendans l'obeiſſance qui eſt deue: Et s'ils venoient à deceder, que tous leurs biens, tant meubles qu'immeubles, qu'ils auroient acquis, demeurent & appertiennent à leurs heritiers, & autres, ayans

zed by Google

Ep.412. ayans droict & cauſe d'eux pour en jouir plainement & paiſiblement, ſans que nos Officiers puiſſent pretendre leſdites biens nous eſtre eſcheus par droit d'Aubeine. Faiſons inhibitions & defenſes à nos Procureurs generaux, leurs Subſtituts & tous autres de les inquieter & moleſter à ceſte occaſion. Si donnons en mandement à nos aimez & feaulx Conſeils, les gens ayans nos cours de Parlement de Paris & Roüen, chambres de nos comptes, & Treſoriers generaux de nos finances eſdits lieux, & Conſeils ſur le faict de la Juſtice de noſtre Treſor, Baillifs Seneſchaux & autres nos Juges & Officiers qu'il appertiendra, que ces preſentes ils verifient & facent regiſtrer, & du contenu en icelles jouir & uſer les dits habitans des Provinces unies pleinement, paiſiblement & perpetuellement, ceſſans & faiſans ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire: Car tel eſt noſtre plaiſir. En teſmoin de quoy, nous avons fait mettre noſtre ſeel à ces dites preſentes. Donné à Nantes l'onſiime jour d'Avril l'an de grace mil ſix cens vingt deux, & de noſtre Regne le douzieſme. Eſtoit ſigné, Louis.

CCCCXII.

CONRADUS VORSTIUS

FRANCISCO LIMBURGIO S.P.

De loci Gal. 2. 14. QUas per uxorem Joh. Brantii miſiſti, ornatiſſime juvenis, ipſa mihi recte tradidit. Gratias ago pro recte curatis iis quæ in memoriali notaveram. E Gallia miror nihildum ad meas reſponderi. Cum Rembertus Epiſcopius tale quid acceperit, ſpero mox ad me curaturum. Hunc à me ſalutabis cum ſuis omnibus, à quo & reſponſum ad noviſſimas meas exſpecto, cum ei vacabit. Ad locum *Gal.* II. 14. quod attinet, puto ſatis ex omnibus periſtaſibus liquere, Paulum illic ſerio (non ficte, ut olim quidam ſenſerunt) Petro coram Eccleſia palam ſeſe oppoſuiſſe, idque ob hypocriſim ſat periculoſam (licet ex metu & nimia prudentia profectam) qua Petrus, non quidem deſtinato, ſed reipſa tamen & quoad eventum, Judaiſmum quaſi neceſſarium ad ſalutem confirmabat: contra quam & *Act.* XV. ab Apoſtolis decretum fuerat, & tota Chriſtianæ religionis natura requirebat. Hæc omnia puto ex ipſo contextu clare patere. Nunc quo tua quæſtio tendat, & quibus rebus vel hanc, vel aliam quamlibet loci hujus expoſitionem applicare velis, tuum erit mihi proxime aperire; ſimul que quomodo exegeſis mea ſuper locum *Joan.* V. 25. dudum ad te miſſa tibi placuerit. Vale in Domino, tuoſque omnes cum aliis notis à nobis peramanter ſaluta. 28 Martii 1622.

De loco *Gal.* II. 14. Illud addo, ſcandalum vere à Petro datum fuiſſe, non ab Ethnicis converſis temeré acceptum; quia ſecus Ep.413. non illum, ſed hos potius, Paulus reprehendiſſet. Atque hoc ipſum vocat Apoſtolus οὐκ ὀρθοποδοῦσι, ſive, non recto pede incedere: quia minimum ſimulando veritas Euangelii obſcurabatur, videlicet hæc: ſola in Chriſtum fide, ſine Judaiſmi obſervatione, nos coram Deo juſtificari. Exemplo enim ſuo Petrus quaſi cogebat Ethnicos converſos Judaizare, hoc eſt, Judaiſmum quaſi ad ſalutem neceſſarium obſervare: contra quam veritas Euangelii dictabat.

CCCCXIII.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

AMpliſſime, Clariſſime vir, Jamdiu exſpecto, ut de rebus meis aliquid ſtatuatur, quo, cum aliud non habeam, ſaltem hinc capere ſcribendi argumentum poſſim: ſed adhuc fruſtra fui. Nam etſi jamdiu Curatoribus is animus fuiſſe videtur, ut vel eloquentiæ, vel Hiſtoriæ univerſalis docendæ provinciam mihi decernerent: tamen ab aliquibus, partim aperte inimicis, partim φίλοις ἀφίλοις, (*ſub amicitiæ ſpecie inimicitiam occultantibus*) ſemper aliquid objectum, quod hoc eorum propoſitum impediret. Attamen tam multa in hoc tempore concurrunt, ut aliud vix perſuadere mihi poſſim, quam proximo eorum conventu habitum iri rationem mei, vel potius Academiæ hujus: in qua humanitatis ſtudia magis magiſque ſordere incipiunt juventuti: ut niſi plurium induſtria gliſcenti malo obviam eatur, omnino futurum prævideam, ut brevi barbaries omnia occupet. Nec cauſa obſcura eſt, cum nulla elegantioris literaturæ, humaniorumque ſtudiorum præmia ſint: imo hæc ipſa invidiæ obnoxia ſint, apud eos, qui perſuaſum omnibus cupiunt, neminem eſſe Theologum vel Juriſconſultum poſſe, niſi qui unum hoc per omnem egerit vitam: nec ætatis partem triverit in iis, per quæ gradus fieri debebant ad ſublimiora. Hæc ego ad te non ſcriberem, niſi nunc magis quam antehac unquam, veriſſimum eſſe comperirem illud quod in Petroniano Satyrico legere eſt, id quo nihil eſt majus, pueris indui adhuc naſcentibus. Quamquam vero peſtilens iſtoc ſidus prope omnium animos inflavit: tamen non deſperem poſſe nonnullis, quibus de luto meliore Phœbus finxit præcordia, noxiam adeo opinionem ex animo evelli, dummodo ne homines partim imperiti, partim invidi, tantum bonum impedire pergant. Interim de me, utcunque erit, gaudebo, quod mihi ſit mens ſana in corpore ſano: ſi inſipientibus non viſum uti opera noſtra dum poſſunt, illi, non ego infelicior fuero. Quin fortaſſe eo beatior ero. Quod tu quidem, magne vates, facile arbitror mihi

Digitized by Google

Ep. 413. conceſſeris: quippe qui alicubi cecineris, inter ea eſſe, *vitam quæ faciunt beatiorem, Nulli pendere temporis tributum.* Sane quamdiu ab hoc tributo immunis ſum, ſedulo id operam do, ut ne minus ſim negotioſus quam ſoleo. Et nunc ſub prælo eſt commentatio mea de Hiſtoriæ natura, & ſcribendæ Hiſtoriæ præceptis. Quam arbitror intra hebdomadas duas lucem adſpicere poſſe. Niſi fortaſſe moræ, aliquid injecerint libelli alii non abſimilis plane argumenti, quos cum priori emittere propemodum ſtat ſententia. Sed profecto quanto mallem hæc ætate inſumere operam meam ſtudiis iſtis, quæ ad pietatem Chriſtianam, Scripturarum illuſtrationem, vel Eccleſiæ hiſtoriam pertinent. Non male, nec infeliciter, puto, ornare hanc ſpartam cæperamus. Sed temporum infælicitas torrentis inſtar, nos abripuit, ac levibus hiſce literariis curis adfixit. Interim blandiorem auram exſpectabo, quæ provecti ad graviores curas appellere iterum ſtudiorum noſtrorum navem, poſſimus. Tu vero, Ampliſſime Vir, nunc, ut arbitror, omnia potes quæ vis. Niſi fortean excipere ea debeam, quæ ad nominis tui defenſionem pertineant. Nam ex pleriſque, ſed minus amantibus tui, intelligo, ordinum noſtrorum Legatis, priuſquam Lutetia ante annum vel circiter diſcederent, illud fuiſſe promiſſum, nihil iſtic editum iri, quod Procerum noſtrorum quiſquam cum injuria ſua conjunctum eſſe arbitretur. Sed longe alius animus eorum, qui in honore antea fuerunt, & illorum qui illis favent: quibus nihil adeo in voto eſſe videtur, quam ut aliquid videant tui, quo mundus intelligat, quam bene & patriæ voluerint ſemper & adhuc velint. Utris potius gratificari debeas: vel quid rebus tuis, aut publico magis expediat, ſcio, à me minime requiris, quem ſcis non multum ſapere ultra ea, quæ ad molles Muſarum labores ac Socraticos libellos pertinent. Adderem etiam ſacros, ſi per eos liceret, qui, uti dixi, nihil illic ſapere quemquam putant, qui non illotis manibus eos ſit aggreſſus. Sane video eſſe, qui ſummum virum Tilenum Theologum eſſe negent: quem tantopere Palatinorum Theologorum elogiis celebratum ante annos aliquot vidimus. Nempe nunc minime de plebe homines perſuaſum id aliis volunt, ſedulo eum humanitatis ſtudiis pacaſſe: atque inde eſſe quod ſua tot bracteatis dictis & vermiculatis emblematis ornet: ceterum quicquid iſtis operæ inſumſit, id decidiſſe arduo Theologiæ ſtudio: quippe quod totum hominem requirat. Equidem nec ego quemquam velim meliorem ætatem iſtis unis terere, quæ tantum gradus eſſe ad Theologiam debent. Sed quum putidum eſt non poſſe de Religionis controverſiis judicare, niſi qui linguarum trium genium ignoret, niſi qui hiſtoriam externam, & locorum ſitus neſciat, niſi qui diſſerendi artem ſolum deguſtarit, tanquam canis Nilum; at animæ doctrinam, moralem ſcientiam, ea quæ de univerſalibus principiis ac affectionibus à philoſopho diſputantur, ne attigerit quidem. Et quod omnium fædiſſimum eſt, non poſſe idoneum eſſe ſcripturarum interpretem, niſi qui junioribus magiſtris contentus, ſuperſederit diſcere ex antiquis, quid & illi ſenſerint & cur ita maluerint ſentire. Quæ etſi profiteri minime audent homines imperiti & malevoli: tamen quid aliud agunt, qui auctores ſunt juventuti, ut ſtudia iſtæc, quæ dixi, negligant; quippe inutilia, & ſæpe etiam noxia: qui item undique produnt, nullos à ſe viliori loco haberi, quam qui ſtudiis iſtis adjuti ad graviora ſe contulerint? Sed iſtos miſſos faciamus. Ad te, maxime vir, revertor: cujus, ex quo in Galliis fuiſti nihil videre contigit, præter ea, quæ de Pelagianiſmo diſſeruiſti. De quibus te judicium meum jam ex alus cognoviſſe ſcio. Sed ut illa non uno nomine magna cum voluptate legi: ita impenſe deſidero, ut ſimulac ab iis, quæ publicas curas ſpectant, otii aliquid nactus fueris, ſerio cogites de emittendo Stobæo tuo. Exple, exple tandem augurium illud, doctiſſimi & de literis optime meriti, Andreæ Schotti, quod eſt in ſcholio addito Photii Bibliothecæ tmemate ſeu cap. CLXVII. *Præſagit*, inquit, *animus (quid enim vetat ominari?) fore ut ope Photiana Bibliothecæ, qua latent, eruantur non pauca: & quemadmodum nunc exiverunt Hadrianus, Gelaſius, Theophylactus, Simocatta, ac quædam etiam Diodori Siculi, ſic quoque ſpes eſt, Stobæi Eclogas omnes capite truncas, alibi vitioſas, turbatas, mutilas, primo maxime & ſecundo libro, philoſophi alicujus opera atque philologi in integrum reſtitutum iri, ut apte illo colligentis ordine ſervato, majore cum Reipublicæ commodo appareant. Et tibi, quod omnium primum, œconomiam librorum, ac ſingulorum cujuſque capitum ſeriem, & argumentum Photius accurate deſignet: dein* Auguſtanæ *Bibliothecæ (cujus multa jam exſtant in rem literariam beneficia) codex calamo exaratus: ut & noſtra neque panca, neque contemnenda fragmenta, qua ex Anton. Auguſtini V. C. libro deſcripſimus, magna ſane ad id quod ſuggerimus, adferent adjumenta. Nunc quoniam in medio palma eſt, huc Græca ac polita philoſophia ſtudioſos invito.* Hunc ego locum adſcripſi, quia contineret, unde peti poſſent quæ novam Stobæi editionem ornarent. Gratulor vero Stobæo quod à longe illuſtriori manu medelam ac decus ſuum accipiet, quam Schottus præſagire vel ſperare unquam auſus fuiſſet. Non dubito, quin ſcire aveas, quid ſit de Seneca Tragico, quem ante annum atque amplius notis ſe ſuis illuſtrare velle receperat Scriverius noſter. Ille vero lento adeo pede & vere teſtudineum in modum procedit, ut multum videatur timere, nè, ſi alius eſſe occipiat, quam ſolet, cognomen Lentuli amittat, per quod à te patriciis Romanorum familiis ſibi inſertus videtur. Hæc res facit, cur neque

Ep. 413.

quæ

Ep. 413. quæ ipſe in fragmenta Tragicorum meditabar, lucem adſpexerint: neque item illorum quicquam, quæ tranſmiſeras ad utrumque noſtri. Non ignoras, me à multis retro annis Originum libros moliri. Iccirco impenſe aveo noſſe, num brevi ſint proditura, quæ de eodem argumento ſcripſit Clariſſimus Salmaſius, ut cognoſco ex notis ejus ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Multum metuo, ne ſi vir tantus ſuos edat labores, ego meos æternum premere cogar. Et tamen nihil magis deſidero, quam ut nobile ejus viri opus quamprimum adſpiciat lucem. Potero meas copias in arctum cogere, eaque ſolum adferre, quæ Salmaſius vel dicere neglexerit, vel contemſerit. Ita non plane mihi peribit labor meus, qui multis mihi vigiliis ſtetit. Et interim hoc lucrabor, quod ſi Salmaſiana prius prodierint, ego iis viſis meliora certioraque edocebor in multis ubi nunc hæreo. Nec enim vulgare quicquam ab eo exſpecto, cujus ego δεξιότητα, (*dexteritatem*) in corrigendis ſcriptoribus antiquis ſatis mirari non poſſum, nec prædicare unquam deſinam. Quod vero ad Romanorum antiquitatum intelligentiam, quem cum eo componere poſſimus plane non video. Alias ejus viri laudes prætereo, tibi magis cognitas. Mihi quidem, quoties aliquid mei lucem videbit, prope decretum, quoties ad te illud mitto, etiam exemplum addere ad ſummum illum virum: non quia tanti mea eſſe putem; ſed quia committere non poſſum, quin oſtendam quanti à me fiat. Et quod caput eſt, opto ei innoteſcere. Quod ea occaſione per te commode fiet. Nam tu, Vir Ampliſſime, qui me meaque amare ſoles, commendatione nugarum mearum pretium illis addes, quod à ſe ſperare non audent. Utinam vero prodeſſe tibi in aliquo poſſem viciſſim. Sed jam diu eſt, quod affectu meo contentus eſſe ſoles. Quare verbum non addam, niſi quiddam de affine mea & eo qui illius ambit nuptias. Equidem optaſſem, & ille ut triſtibus his temporibus de conjugio minime cogitaſſet, & noſtra, ut magis à ſecundis nuptiis abhorruiſſet, hoc ſaltem tempore. Virum quidem novi ab annis triginta & amplius, etiam his annis circiter quindecim familiares fuimus, quantum loci intervallum quo plurimum diſtinguebamur, item temporum ratio ſinebat. Indole optima ſemper mihi viſus fuit, moribus etiam honeſtis, & politiori literatura, quod rarum eſt in ejus profeſſionis homine, eleganter eſt excultus. Sed cogito ſemper mecum, quantis munus, quod ſuſtinet, ſit periculis involutum: tum autem ſi terras cogitent alio ſub ſole jacentes, metuo ne ea noſtræ ſit corporis imbecillitas, ut longiori itineri minime par ſit futura: adhæc longe aberit à ſanguine & affinitate junctis. Propter iſta & quædam alia auctor eſſe conjugii non potui: nec tamen in diſſuadendo libertate ea auſus fui uti, quæ fortaſſe requirebatur. Videbam enim alios hic eſſe qui impenſius ſuaderent. Tum autem minime tam obeſæ eram naris, ut ex colloquiis & aliis non animadverterem, quanti faceret conjugii bona. Adhæc metuebam, ne ſi hic alteram duxiſſet non inferioris ſortis, noſtram vero peteret nemo niſi inferioris conditionis quam iſte eſt, illa fieret ἑαυτὴν πικροῦσα, (*ſe-ipſam affligens*) quod pulchram illam, ut tum videretur, conditionem diffluere paſſa eſſet. Dixi igitur interdum, mihi ſic videri, ſeu abnueret ſeu annueret, fore ut poſtea pæniteret. Sed cur pœnitudine duceretur ſi annuiſſet, vix aliam adferre cauſam poteram, quæ alicujus ei momenti videretur, niſi quod aut longiſſime abeundum foret à ſuis, aut ſi maritus iis in locis, in quibus eſſet, remaneret, illa in perpetuo verſatura ſit metu, ne is experiri eandem cogatur fortunam, quam aliquot eorum, qui ejuidem ſunt condicionis, nunc diſcere coguntur. Illa ad hæc; meliora ſe tempora ſperare: & ſi quid adverſi Dominus immittat, confidere eundem etiam ſpiritu ſuo roboraturum. Habes, ampliſſime vir, quæ nunc occurrebant. Deo immortali primum gratias ago, quod tibi & familiæ toti bene adeo ſit: deinde eum ſupplicibus votis oro, ut hoc bonum diuturnum eſſe velit, quo diu Reipublicæ & Eccleſiæ utilis eſſe poſſis. Uxor multum te ſalutat. Etiam utriuſque noſtri nomine ſalutem dicito rari exempli fœminæ, conjugi tuæ, quam ego poſt tot adverſa ex marito ſuo ſolidum capere gaudium non minus lætor, quam propria ſi res ageretur, ſi bene memet novi. Nec præterire poſſum Clariſſimum, & πολυμαθῆ (*ſummum Theologum*) Tilenum. Pene eſt ut addam magna quædam nomina, quorum extrema tua Sylva meminiſti. Sed metuo ne meum hic delitescentis nomen fortaſſe nec fando unquam acceperint. Lugd. Batav. CIↃ IↃC XXII. Idib. April.

σ' ὁλὸς ἐξ ὅλας φρενός

Tuus ex toto corde

Τοῦ ὁ Δανιήλου.

Ger. Voſſius.

CCCCXIV.

JOANNES UYTENBOGARDUS HUGONI GROTIO S.P.

Ep. 414. MOnſieur: J'ay penſé & repenſé à ce qu'il vous a pleu me mander de la part de Monſ. Chreſtien, & l'ay communiqué aux amis que cognoiſſez. Nous le remercions tous de ſa bonne affection, & croions qu'elle part d'une ame vraiement Chreſtienne & qui aime la paix. Mais, conſiderans que ce qui a eſté faict avec tant d'animoſité au Synode d'Alez depend d'une liaiſon plus forte, & de bien plus grande eſtendue que Charenton, voire proce-

Ep. 415. de (à noſtre advis) d'un plus profond deſſein, & tend à un but qui va plus loin: Il nous ſemble (ſoubs humble correction) qu'il y a bien peu d'apparence de voir aucun fruict de l'ouverture que nous ſçaurions faire à la paix, principalement en l'eſtat où nous ſommes. C'eſt à vous auſſi de bien peſer, s'il nous eſt conſeillable d'entamer un affaire de telle conſequence ſans l'advis de ceux que ſçavez. Vous, Monſieur, autant qu'homme qui vive, pouvez teſmoigner ce que nous avons fait & ſouffert pour prevenir & eviter le ſchiſme. Mais on nous y a donné des ruades ſi furieuſes, que nous avons peur de nous s'approcher des gens que nous avons trouvez tant eſloignez de charité, & qui encores journellement ne taſchent que d'appeſantir noz fers, & accroiſtre nos afflictions, non ſans deſir de faire pis, ſi leur bras s'eſtendoient plus loin. Si on ſe r'adviſe, & qu'a bon eſcient leur intention ſoit de marcher d'un autre pied, nous eſperons monſtrer par la grace de Dieu, effectuellement, que ne ſouhaittons rien tant que de voir eſtablie une vrayement ſaincte & charitable Union, non ſeulement parmy nous, mais s'il eſt poſſible par toute la Chriſtienté. A tant

Monſ. je finiray avec mes bien humbles recommendations à vos bonnes graces & celles de Monſ. Chreſtien, priant Dieu, &c.

CCCCXV.

GER. JOANNES VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

Varia. IN rebus meis, Vir Ampliſſime, nihil actum; eo quod Curatores ſtato die non advenerint; ſed menſem diſtulerint adventum ſuum, quod nunquam antehac fieri memini. De Wicelio, uti & Stobæi Eclogis, jam frater ad te ſcripſerit. Quare actum agere nolo. Nonnunquam dubitavi, an non utui tibi eſſe poſſent Comicorum Græcorum ſententiæ, quibus tam multa bona ad oram alleviſſes. Hoc ſi eſt, ſcis tantum ſignificato opus eſſe. Gaudeo ſex tuos de vera religione libros in lucem prodiiſſe. Sunt illæ unicæ deliciæ multorum, & eos inter conjugis meæ, curæo impenſius placent, quod domi ſuæ habet interpretem eorum, quæ circumlocutione quadam dicuntur à te, vel etiam ubi alludis ad hiſtoriam minus in vulgus notam. Dubitavi interdum, an non in gratiam imperitiorum utile foret, declarationem talium ad oram verbo annotari, vel ad calcem adjungi: quod jam alios ſcis in hymnis ſuis præſtitiſſe. Nec tamen minutum adeo laborem ſubiri à te velim, ſed fratre, vel alio. Vellem cum his de religione libris Latino-Belgica vel potius Belgico-Latina tua πάνσοφα exiiſſet. Parentes multi occaſionem haberent egregia multa & diſcendi & docendi ſuos. Loquor de hominibus bonarum litterarum non ignaris, qui Latinis magis delectantur. Nam Ep. 416. cæteris editione Belgica, toties jam repetita, ſatis jam conſultum puto. Tum autem oboculos verſantur ſtudioſi adoleſcentes: quorum multi (dicere horret animus) vix elementa religionis Chriſtianæ ſciunt. Imo quid illo *vix* opus mihi? Etiam abſque illo nihil dixero ἐπιφωλαιότερον. (*per amplificationem*) Paucos adeo ex iis invenio, qui & Chriſti beneficium, & ſuum officium intelligant. Hæc Hogerbetio ſubito ad vos abitum parante, ſcribenda mihi exiſtimavi. De cæteris brevi per ſtudioſum quempiam, qui Lutetiam cogitat, faciam te certiorem. Salutem uxori lectiſſimæ à me & mea. Item ſummis viris Tileno, Salmaſio, aliis. Kal. Jun. CIↃ IↃC XXII.

Tuus omni officio.

CCCCXVI.

HUGONI GROTIO
PETRUS SCRIVERIUS S.P.

Varia. NIhil literarum ad te dare, piaculum eſſet, V. C. tam bella occaſione nunc demum oblata; eunte utique ad vos cognato meo, filio præſtantiſſimi & innocentiſſimi viri, qui in carcere tibi, qui in ærumnis per triennium ſocius. Utinam & nunc tecum liber, non

Corvos poëtas, aut poëtrias picas,
ſed philomelas Gallicanas ſuaviſſime cantillantes & minurrientes audiat; Grotiique ſui, Tileni, Salmaſii, & aliorum elegantium virorum mellincas avidiſſimis auribus quotidie hauriat! Sed fiet illud, quando Deo Opt. Max. viſum. Spero equidem.

Qui mala Joſephi multo penſavit honore,
Ferrea qui Petro clauſtra patere dedit,
Hunc quoque reſpiciet; Noſti cætera.

Nos, quod unum poſſumus, vota ſuſcipimus, aſſidui in precibus, & piis meditationibus. Quanto autem gaudio exultaverimus ad primum nuncium liberati Grotii, noli quærere. Affirmare tibi poſſum, vix majore triſtitia alligatos fuiſſe honeſtiſſimorum quamplurimorum hominum vultus, fatali illa hora, qua Trigæ de patria optime meritæ, primum injecta vincula, dein reverendiſſimi ſenis cervici enſis; reliquis ad perpetuos carceres damnatis, &c. quæ referre piget. Vidi, inquam, exſuperanti lætitia affectos, multos D. O. M. pro divino beneficio & liberatione gratias agentes: multos etiam hilaria celebraſſe intellexi, & pro more gentis in ſanitatem ex-captivi liberalius poculum eduxiſſe; fauſtis precationibus interjectis pro D. H. cætera ipſius curæ committentes, in cujus manu nos omnes eſſe jam ante inbiberant. Sane ex veteri formula, Minuitur populo luctus Grotii liberatione. Laus & gratia D.O.M. Ipſe faciet

por-

1416. porro, niſi aliter nobis ipſique cognato meo expediat. Cujus filium ornatiſſimum curæ tuæ ac tutelæ (jampridem enim ille matre, ſi non etiam patre, orbus eſt) commendo. Fruatur te, tuoque conſilio, &, ſi ita ex re tua & illius videbitur (ex illius autem re omnino videbitur, ſi & iſthic Gallicæ linguæ uſus, cujus addiſcendæ ſtudio ſcis plerumque Galliam ab exteris peti, cæterorum beneficiorum cumulo acceſſerit) domo inprimis tua. Ut ſe propius propiuſque ad domeſtica monita & exemplum conformet: totam denique ſtudiorum ſuorum rationem ad præſcriptum tuum componat. Tu enim omnium accuratiſſimus didiciſti experiendo, qua via potiſſimum ad veram ſolidamque juriſprudentiam graſſandum ſit. Quod nec optimum patrem longo fori uſu exercitum latet, cui nuper per aliquot menſes adfuit, & dictata quædam ad jus civile excepit. Sed adſpectu tuo & quotidiana conſuetudine frui, mi Groti, id vero in maximo lucro deputandum. Hoc age, & remitte nobis Hadrianum non tantum ætate grandiorem, ſed eruditiorem & præclariſſimarum multarum rerum cognitione inſtructiorem. Crede mihi, multum id proderit ad calamitatem integerrimi viri ſublevandam. Sed & aditus ipſi per te pateat ad Proceres, quos noſti plurimum cum alibi tum etiam hic poſſe: & effice, rogo, omnibus machinis, ne virorum optimus, miſer, heu miſer, diutino illo carceris ſqualore contabeſcat prorſus, & miſerrimus evadat. In quo voto D. O. M. ſuppliciter venerans, finio ſumma cum feſtinatione: ipſa enim hora diſceſſus ſui, qui & mea & illius ſpe maturior repentine accidit, me de litteris monuit. Quibus ignoſce: ſubitæ enim ſunt & inſubidæ. De ſtudiis volebam multa: ſed cogor in aliud tempus differre. Interim Claverium bene jubeo ſperare. Saluta hominem, doctum, & probum, quique neminem, non certe me, me certe non, læſit. Sed ſaluta Puteanos, Salmaſium, Tilenum, Epiſcopium, Utenbogardum, reliquoſque ob religionem exules.

Hygini Grammatici de Caſtrametatione hæc fragmenta cum Puteano & Salmaſio communices, & ipſe centeas, peto. In Pariſienſium potiſſimum gratiam eum laborem ſuſcepi, & membranas diligenter excuſſi, ita ut pagina paginæ, verſus verſui, & litera denique literæ: propemodum reſpondeat. Scripſi nuper ea de re ad Cl. Puteanum, meaſque literas Syndico Pavio commiſeram. Reſponſi nihildum accepi. In Notis Salmaſii ad Hiſtor. Aug. video cum commentarium polliceri ad Hygini illum libellum. Multa etiam alia: inter quæ Commentarium in Suetonium & in Tertulliani Apologeticum, ac de Pallio. Sed tuum quando? Trilingum brevi ſperamus. Hujus rei ſi certiores nos feceris, erit inprimis gratum, & gratia dignum. Vale cum ſuaviſſima & prudentiſſima fœminarum uxore tua, & liberis. Raptim Lugd. Bat. iiiis Kal. Jun. CIↃ IↃC XXII.

CCCCXVII.

SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S.P.D.

De Remonſtrant. Confeſſione, de erroribus quibuſdam Pontificiorum refellendis, deleſque.

VOluptati mihi fuerunt, Vir Clariſſime, literæ tuæ, tum propter alia, tum maxime quia ſecundiorem valetudinem tuam mihi nuntiarent. Deus eam tibi magis magiſque roboret, quo firmior ſis ad ſuſtinendos labores quos tibi veritatis & pietatis ſtudium imponunt. Confeſſio apud æquos homines, ut ſpero, nobis proderit. Certe inveni quibus ea impenſe probaretur. Quare exemplaria aliquot mitti mihi velim, quæ dare poſſim his qui non indigni videbuntur. In quæſtione de gerendo Magiſtratu non dubito, quin diligenter ſis excuſſurus, quæ ſacris literis eam ad rem pertinentia continentur. An uti cupias teſtimoniis veterum Chriſtianorum, quibus appareat rem ipſam nec fuiſſe communi Chriſtianorum judicio damnatam, neſcio. Vidiſti quæ à me erant congeſta. Si quid in illis eſt quod uſui tibi eſſe poſſit, libenter deſcribam. Quod ſi etiam aliud ſit quippiam in quo ſublevare labores tuos poſſim, rogo ne mihi parcas. Examen Leſſianæ conſultationis à te ſuſceptum valde gaudeo; pridem enim eſt quod illi libro reponi aliquid breve ac perſpicuum deſidero. Puto nec male facturum te, ſi obiter fundamenta Caſſandrianorum refellas, qui etiam pleroſque Romanæ Eccleſiæ errores improbantibus auctores ſunt, ne ab ejus communione diſcedant. Videntur mihi duo eſſe præcipue excutienda; prius, an actus per ſe licitus, puta adorationis geſtum exhibere, in ſacra ſynaxi, fiat illicitus propter eam interpretationem, quam præſides Eccleſiæ tali actui dederunt, puta quod actus ille objectum habeat Chriſtum, ut ſub panis accidentibus præſentem, aut etiam ipſa ſigna viſibilia. Alterum, an quis licite ſe poſſit aggregare cœtui, cujus cœtus præſides quædam dogmata, quæ ipſe improbet, habeant ut neceſſaria ad ſuam communionem obtinendam, licet diſertam eorum profeſſionem à privatis non exigant. De dogmate judicii ἀλαθήτου (*infallibilis*) Romani Pontificis, de ejuſdem poteſtate monarchica in Eccleſiam, & in Principes, non eſt illis facetiendum negotium; nam iſta dogmata adeo non probant, ut etiam libris palam editis oppugnent, quod quanquam faciunt, nihilominus hic in Gallia in communione retinentur. Iidem illi coram imaginibus non procumbunt: neque adeſſe cupiunt cum pompatice circumfertur euchariſtia. Dogmata vero de imploranda ſanctorum commendatione, de pœnis temporariis poſt hanc vitam, & alia quædam ejuſmodi habent pro non neceſſariis: negantque ſe obligari definitionibus quas Eccleſiæ illius præſides fecerunt: eaſque accenſent perſecutionibus quæ piis ferendæ ſint, ut

& ſub-

Ep. 418. & subtractionem calicis. De Cameronis scripto tecum sentio, operæpretium facturum, qui vestigia ejus sequens ulcera denudet. Rescripsit jam aliquid D. Tilenus, sed breviter & interdum παροξύνως (*acerbe.*) Rogo tu quoque librum expendas, & si fieri potest in paraphrasi & annotationibus argumentis ejus occurras. Eum laborem quamprimum licebit in manus resumas velim, multas magnasque ob causas. D. Coddeo rogo gratias agas, quod nostri meminerit. Ego ei felicissima quæque opto. Apologiam meam edendam omnes amici consentiunt: sed de modo & tempore, non omnes idem censent, exspecto intra paucos dies eorum rationes, quas deinde judicio quam maxime potero incorrupto expendam. Confido me quod constituam facile vobis probaturum. 7 Junii. 1622. Lutetiæ.

CCCCXVIII.

Illustrissimo Duci Holsatiæ

FRIDERICO

CONRADUS VORSTIUS

Gratiam & pacem à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo precor.

SEremissime Princeps, Clementissime Domine, Post humilium officiorum meorum oblationem, nihil equidem dubito, quin Illustrissima Celsitudo Vestra eorum omnium probe meminerit, quæ meo nomine, ac partim rogatu, Clarissimus consultissimusque Vir Johannes de Haen, Celsit. Vestr. consiliarius, juxtaque Vir amplissimus Guilielmus ab Hoven, Dominus de Wedden (ne quidquam nunc de Celsit. Vestr. cubiculario Gebhardo ab Hensbeek attingam) diversis huc usque temporibus cum Celsit. Vestr. de libero meo in hæc loca transitu, tutaque in iis commoratione, & quæ his adhærent, prolixius egerunt, quæque iidem (ille crebrius, hic rarius) ad complures epistolas meas, inde à superioris anni autumno subinde huc ex fœderato Belgio transmissas, juxta speciale Celsit. Vestr. mandatum super eodem negotio rescripserunt. Quorum summa potissimum huc redit: Celsit. Vestr. postquam de persona, qualitate ac ac conditione mea, tum ex prædictis amicis ore tenus, tum ex apologeticis aliquot scriptis meis sedulo perlectis, satis edocta atque informata fuit, non modo consilium meum diu ante susceptum, de sede familiaque mea huc transferenda, clementer approbare; sed & præter communem cum aliis Remonstrantibus, ejusdem in Christo fidei ac confessionis nostræ sociis, tutelam ac protectionem jam dudum clementissime nobis omnibus in hisce ditionibus suis oblatam, etiam specialem benignitatem ac favorem in iis quæ rem domesticam attingunt, liberaliter mihi meisque polliceri. Quo nomine imprimis Deo Opt. Max. cujus hic singularem vereque paternam erga nos providentiam agnosco, tum vero etiam Celsit. Vestr. immortales à me meisque gratias deberi L. M. Q. profiteor: testandæque gratitudinis ergo Celsit. Vest. vicissim offero, quicquid officiorum à tenuitate mea, sive in ipsam sive in ipsius subditos, proficisci potest; quicquid item doctrinæ aut judicii in rebus sacris, quicquid aliorum cæleitium donorum (quæ tamen mea unius culpa plus satis exigua esse sentio) divina benignitas in me contulit, unde vel Ecclesia J. Christi amplius juvari, vel illustris aliqua Schola, præsertim theologica, aliquatenus ornari, denique unde studium sanctæ veritatis ac Christianæ pietatis magis excitari aut promoveri queat: idque salva semper ea libertate, quæ nostri ordinis homines vel imprimis decet, quos videlicet ibi quam libentissime versari decet, ubi quam fructuosissime talentum à Domino creditum collocare se posse vident. Neque vero Celsit. Vest. metuendum videtur, ne, dum pietatem & sympathiam hanc vere Christianam erga nos palantes, & propter conscientiam afflictos Christi exules, serio exercet, justam aliorum vere prudentium ac piorum principum offensionem incurrat: quum & scripta & acta nostra, & speciatim Confessio nuper nostrum omnium nomine edita, si candide citraque sinistros affectus examinentur, ab iis omnibus tum suspicionibus, tum criminationibus, quibus alii passim gravare nos solent, prorsus immunes nos esse, nilque præter veram & Reip. & Ecclesiæ pacem, solidamque omnium in Christo fidelium concordiam, ac justam conscientiarum libertatem, à nobis quæri abunde testentur; prout Celsit. Vest. progressu temporis, Deo laboribus nostris amplius benedicente, per varias occasiones absque dubio plenius intelliget. Quod superest, æternum Dei Filium supplex oro, ut pientissimum vereque heroicum Celsit. Vest. zelum, tum in nobis suo patrocinio & favore deinceps tegendis, tum in publica totius Ecclesiæ Reformatæ pace ac concordia, quin & generali Reip. Christianæ tranquillitate promovenda, aut ubi collapsa est restauranda, indies augere, ac magis magisque confirmare dignetur; ad nominis sui immortalem gloriam, fidelium afflictorum solatium, & Celsit. Vest. totiusque inclytæ domus Holsaticæ perpetuam celebritatem ac decus nunquam moriturum. Gottorpii, XVI Junii 1622.

Illustr. Celsit. Vestræ

Subjectissimus in Domino

C. VORSTIUS D.

CCCCXIX.

CCCCXIX.

FREDERICUS HENRICUS,

Princeps Arauſionenſium,

HUGONI GROTIO.

MOnſieur: Je vous remercie des bons offices que vous m'avez rendu par delà vers quelques-uns du Conſeil du Roy: ce que je vous ſupplie de continuer tant vers les ſuſdits, que autres que vous jugerez à propos; vous aſſeurant que je recognoiſtray cette bonne volonté en toutes occaſions, ou j'auray le moyen de vous ſervir. Je vous ſupplie auſſi de faire eſtat de mon affection: & vous aſſeurer, que je vous la continueray touſiours, y eſtant obligé par celle que vous m'avez teſmoignée de tout temps. J'ay prié voſtre beau-frere le Sieur Reigersberg de vous eſcrire particulierement ſur quelque ſujet, ſur lequel je ſeray fort aiſe d'entendre voſtre advis: vous m'obligerez fort de me l'envoyer, comme vous avez desja faict par le memoire que vous m'avez envoyé, dont je vous remercie bien fort. Je ſouhaiterois de pouvoir eſtre utile en vos affaires par deçà, & m'y employerois de tout mon cœur; mais vous ſçavez la conſtitution des affaires eſtre telle, que ny moy, ny vos autres amys, ne pouvons vous y ſervir, comme nous deſirerions bien. Je veux eſperer que le temps y pourra apporter du changement, & que je vous pourray revoir en ce pays eſtimé & honoré, comme vos rares qualitez le meritent: dequoy je ne recevray pas moins de contentement que j'ay fait de voſtre liberté. Cependant je vous ſouhaite en voſtre eloignement de voſtre patrie tout le contentement, heur & proſperité, que vous ſçauriez deſirer. Ce que je prie à Dieu de vous donner, & à moy l'occaſion de vous faire paroiſtre par effect que je ſuis,

MONSIEUR

Voſtre tres-affectionné à vous faire ſervice

FR. HENRI DE NASSAV.

De la Haye le 4 d'Aouſt 1622.

CCCCXX.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.

Privata. VIr Clariſſime Ampliſſimeque, Vellem diem unum alterumque ſcribendi officium differre licuiſſet. Potuiſſem fortaſſe certius aliquid ad te perſcribere de rebus meis. Eſt enim hodie octavus Auguſti, quo, uti noſti, convenire Academiæ hujus Curatores ſolent. Sed nefas putavi, ut ſine literis meis Lutetiam iret Vir Illuſtriſſimus Anth. Maurerius. Interim plane arbitror fore, ut intra triduum de profeſſione, ſi non ipſe multum gaudeam mihi, ſaltem plurimum gratulentur mihi amici: qui cauſas non plane leves adferunt, cur malint me in publico munere verſari, quam privatim mihi canere & Muſis. Tamen fuit qui inſuſurraret, vereri ſe, ne aliquid incommodet rebus meis, quod inter literas interceptas quædam ad me ſcriptæ forent. Id mihi parum credibile videbatur, quia de nullis rebus epiſtolæ noſtræ loqui ſolent, niſi privatis, aut de innocentibus Muſis. Quicquid erit brevi reſciſcam. Simul illud cognoſcam quid ad me libri miſeris. Fuit qui putaret eſſe aliquid Clariſſimi Salmaſii. Alius intellexiſſe ſe dicebat eſſe librum à Cl. Rigaltio miſſum. Quod ſi eſt, credo fuerit Onoſander meus. Id ſi eſt, perierit fortaſſe mihi. Nam etſi librum amo tot locis manu Scaligeri correctum: tamen non tanti duco, ut temporibus his, quibus ſuſpicionum plena ſunt omnia, repoſcere eum digner à Procerum noſtrorum conventu. Diſſimulabo potius rem omnem. Hæc nunc paucis: ſed intra octiduum alteras à me literas exſpecta: præſertim ſi quid actum erit in rebus meis. Salutem conjugi, Tileno, Salmaſio, Rigaltio. V. V. C.C. VIII. Auguſt. CIↃ IↃC XXII. Ep. 421.

Tuus totus

G. VOSSIUS.

CCCCXXI.

SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S.P.

VIr Clariſſime, Remiſi ad te nuper utiliſſimum tuum de Magiſtratu libellum: ac de eo quid cenſerem non ipſe reſcripſi, morbo tum ſatis gravi impeditus, ſed per D. Utenbogardum nuntiavi. Perſto in eo judicio, rem ex ſacris Literis accurate tractatam. Atque ita, ut plane ſperem ceſſuros tuis argumentis complures, quos in hoc argumento aut præjudicata opinio, aut ſpecies quædam pietatis decepit. Ne ex Notis meis laciniæ huic operi inſerantur, deprecor: quia iſta cum cæteris ſui contextus conjuncta aut placere poſſunt, aut veniam mereri; à ita nude poſita, vix cuiquam ſe probabunt. Neque vero ullam loci alicujus controverſi explicationem rariorem continent; quod ſi eſſet, non inhiberem, quominus labore meo utereris. Accedit, quod vereor, ne ſuſpicionem in me accerſam, quaſi leges omnes damnem, quæ capitalia ſupplicia introduxerunt. De cætero venit nunc ad vos D. Utenbogardus, qui tibi particulatim commemorabit cauſas, ob quas conſultum videtur, ut & ipſe & tu (quos divelli incumbens Eccleſiarum inſpectio non patitur) ad tempus aliquod in hac urbe ſubſiſtatis. Manere ibi, ubi mor- *De libello Epiſcopi de Magiſtratu.*

Ep. 422 bus tranſitione nocens vagatur, temerarium ſit. Cadomi aut ſiquod aliud oppidum in mentem vobis venit, non video qui recte curari poſſint, quæ curanda ſunt. Hic alius alii & auxilio eſſe poſſumus, & ſolatio. Paraphraſin tuam cum annotationibus in capita ad Romanos urgere non deſinam, donec lucem acceperint. Sed de his coram, ut ſpero, prolixius: neque enim ut te huc alliciam plura addo, ne aut ſapientiæ, aut eloquentiæ D. Utenbogardi videar diffidere. Vale, vir præſtantiſſime, cum D. Cupo, Treſelio cum uxore (cui felicem partum precor) ac familia. Kal. Sept. CIↃ IↃC XXII. Lutetiæ.

Tuus

H. GROTIUS.

CCCCXXII.

JOANNES GREVIUS

JOANNI NARSIO S.P.

De obitu C. Vorſtii.

SAccum mihi, Vir amiciſſime, retulit nauta, & ſacculum ſimul ad Remautium deferendum tradidit. Sed literæ tuæ quam horrendæ! ſolæciſmos, errores nobis improperant, neglectas confeſſiones; non ſatisfactum amicis Hamburgenſibus. De confeſſionibus cum Remautio te tranſegiſſe putaram. Amicis gratificari nec animus nec ſtudium defuit. Neque ceſſatum ab iis quæ rei huic promovendæ noſtro judicio ullatenus ſervirent. Sed fruſtra rei huic incubuimus. Dolemus amicis non ſatisfactum, aſt indignationem deprecamur: apud Dammium, & Hanium, oblatis etiam iis quas à D. Sorgio habebam literis, conqueſtus ſum de injuria, & clade, quam hinc metuo Neapolitanis, ſi in hoc rigore perſtiterint. Non contradicunt illi meis querelis. Sed auxilii quidquam aut medelæ adferre ſeſe rei huic poſſe negant. Dolet ſane in hac petitione amicos noſtros fruſtrari: ſed magis dolet magna illa rei noſtræ clades, quam præmatura illa optimi & integerrimi viri D. Vorſtii mors nobis inflixit. Ah amice, periit nobis ſummus ille vir ex morbo vix decendiario. Ipſo die quo illi gaudendum eſſet ob inſperatum uxoris adventum, primum lecto affixus ingraveſcente corporis debilitate quam hactenus diſſimulaverat. Vix effari poſſum quantum affligat animum meum tanti viri, tanti amici, jactura. Hoc tempore, hoc rerum ſtatu. O diem vere luctuoſum, qui eum nobis abſtulit! Accedit nunc ad dolores noſtros uxoris incredibilis mœſtitia, quæ immoderato luctu ſuo & continuis lamentationibus & ſuſpiriis dolore nobis duplicato nihil ſuggeri poteſt hactenus à nobis ſolatii quod apud eam efficax, tam arcte ingens animum ejus luctus obſedit. Ut fruſtra videatur, quantum nos ei diſturbando vel fugando incumbimus. Non tamen ab officio noſtro remittemus, id præſtituri quod ex charitatis præſcripto nobis incumbit, & quod per injuriam temporum licebit. Magnum autem nobis in luctu hoc ſolatium, tanta pietate dies ſuos conſummaſſe virum hunc quod coram viderimus. Bone Deus, quid non pietatis, ſanctimoniæ, fidei, & patientiæ in viro hoc ægrotante & agonizante obſervari potuit! Quam crebræ, ſeriæ, & ardentes ad finem uſque ejus ad Deum preces! quam gravis, blanda, & aſſidua ad circumſtantes agonizantis allocutio, precibuſque ad Deum ut certarent, pietatem ſerio & ſemper curarent, de ſeſe perſuaſi eſſent, nihil ſibi jam ſcrupuli aut anxietatis ſuper ſuis in lucem editis ſcriptis! Hæc ille multoties inculcabat, repetitis etiam inſuper de Confeſſione noſtra ſermonibus, placere eam ſibi, abundeque ſibi in ea ſatisfactum, & ſibi hoc propoſitum fuiſſe, ſi quid dierum adjeciſſet divina benignitas, publice teſtatum facere, nihil animo ſuo inſidere quod non apprime cum ea conveniat; nos ſæpius comprecatus, dictorum horum teſtimonium palam ferremus. Hos inter ſermones, & irremiſſa illa, quouſque per vires licuit, precum exercitia placide exſpiravit placida illa & Brunoniana anima XXIX. Septemb. inter tertiam & quartam matutinam. Pergratum mihi fuit, amicos præſentes tam ſtudioſe curaſſe ægrotum. Dammii admiratus ſum fidem, ſtudium, & induſtriam: gratum etiam, de mortui funeratione, decens illa ac honeſta ut eſſet, tam anxie fuiſſe ſollicitos, nihilque ab iis prætermiſſum quod huc faceret. Neapolim noſtram famoſo hoc cadavere cohoneſtavimus, eoque quarto poſt obitum die funus deduximus, proſequentibus pompam funebrem ſeptem Tominga curribus; tumulumque illi fornicatum exſtruxit Neapolitanorum benevolentia: laudes ejus in funebri concione dixi belgice: Marcum rogavimus ut latine idem faciat, qui nunc panegyricum, ſubminiſtrantibus amicis materiam, adornat, vulgandum ſuo tempore; non ingratum enim fore putamus amicis exteris, ſi hoc honore hic illi parentemus. Annon viri merita hoc officii à nobis poſtulant? an non publice intereſt, glorioſam & ſanctam fuiſſe viri hujus mortem etiam cum obtrectatorum invidia innoteſcere? Tu rogaris, amice, quidquid potes carminum in laudem ejus conſcribas, & ad Marcum tranſmittas, ſubnectendum iſti panegyrico, imprimis prima occaſione epigramma ulla aliquod tumulo inſcribendum. Non negabis hoc officii ſcio, amicis id ſerio efflagitantibus. Vale & ſalve plurimum. Salutant Collegæ. Salvcat officioſiſſime optimus ille Leonhardus van Sorgen cum fratre Joanne Voskulio, Henrico Simonis, cum omnibus. Tonningæ 5 Octob. Anno 1622.

Tuus totus

J. GREVIUS.

Abeſſe

Ep. 423. Abeſſe Nicolaum jam puto te ſciviſſe: multis ille precibus invitatus in patriam profectus, propediem, ut ſperamus, ad nos rediturus. Vix ille initia morbi viderat.

CCCCXXIII.

DOMINICUS SAPMA

SIMONI EPISCOPIO S.P.

Reverende & Clariſſime D. Profeſſor;

De officio Magiſtratus.

MIſit ad me non ita pridem Clariſſimus Vir D. Vorſtius Notas ſuas ad meas Antitheſes, quas oppoſueram Theſibus ipſius ad me miſſis (cum fraterna invitatione ad amicam collationem ſuper iſta materia) de Magiſtratu deque uſu gladii etiam ſub N. Teſtamento, petiitque ut eaſdem notas una cum Theſibus ſuis meiſque antitheſibus ſive earum apographum ad tuam reverentiam in Gallham mitterem: quod quidem tantum abfuit ut ipſi denegare potuerim, ut antea idem mihi animus ejuſdemque fuerit propoſiti. Eo vero magis, quod ex D. Civenſi jam ante menſes aliquot intellexiſſem, tuam reverentiam jamjam occupari in concinnando tractatu quodam de Magiſtratu Chriſtiano, & inter Chriſtianos gladii uſu. Itaque quod apud me conſtitueram, etiam rogatu jam dicti D. Vorſtii, nunc præſto: & ſi Reverentiæ tuæ operæ pretium videbitur, ubi ad Notas iſtas & ulteriorem ζήτησιν (*diſquiſitionem*) reſponſum quoque ulterius conſcripſero, ut & illud ad vos tranſmittatur, non gravabor etiam in eo Reverentiæ tuæ morem gerere, ejuſque judicio & cenſuræ doctiſſimæ omnia mea animo lubentiſſimo ſubjicere. Nihil eſt quod magis optem, quam veritatem, à cujuſcunque tandem parte ſtet, magis magiſque manifeſtari, & in lucem protrahi; nullum quoque mihi ad iſtam rem videtur medium aptius, quam amicæ & fraternæ hujuſmodi collationes; ſive igitur melius eo ipſo eruditar, & ad veritatis cognitionem propius accedam, ſive alium quemcunque propius ad iſtam adduxero, æque mihi hoc gratum, utileque futurum eſt. Dicere vix poſſum quanto cum deſiderio hactenus tuæ Reverentiæ meditatata, de uſu gladii inter Chriſtianos, exſpectaverim; quanquam enim aliorum non omnino deſpiciam, à tua Reverentia tamen ob cauſas quas ſine aſſentationis ſuſpicione hic referre non licet, aliquid ſemper majus ſolidiuſque exſpectavi: Itaque amantiſſime rogatum te velim, ubi tractatus ille abſolutus fuerit & ad finem perductus, ut etiam ad nos apographum aliquod ejus tranſmitti cures: uti manifeſtæ & evidenti veritati refragari contumacis, ita etiam falſis opinionibus, ne à viris alioqui doctis diſſentire quis videatur, mordicus inhærere, ſervilis & abjecti plane mihi animi eſſe videtur; quocirca in hac quæſtione me à viris non minus piis quam doctis diſſentire non pudebit, priuſquam manifeſta mihi veritas pudorem incuſſerit, cui eo caſu manus dare, & cum ignominia quoque cedere nunquam pigebit; quicquid enim damni aut mali paſſus fuerit, totum id ei deputandum eſſe in lucrum videtur qui eo ipſo veritatem lucratus fuerit. Faxit Deus bonus, unicus veritatis fons, & Filius ejus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, veritas ipſa, ne unquam impudenter aut contumaciter ob vanam aliquam & momentaneam hujus mundi gloriolam noſmet ipſi opponamus, ſed aſſiduis precibus in timore Domini eam humiliter quæramus, inventam ſervemus, ſervatam ſummo amore amplectamur, totumque hujus vitæ noſtræ curſum ad ejus præſcriptum votumque ſtudioſe exigamus. Amen. De præſenti noſtræ & vicinarum Eccleſiarum ſtatu, credo ex litteris Subdirectorum aſſiduis plus ſatis vobis conſtare: de me ſpeciatim breviter quædam aperui Reverendo ſeni & chariſſimo fratri D. Utenbogardo, ex quo ſi viſum fuerit facillime poteris cognoſcere. Ubi commodum erit & occupationes aliquo modo permittent, quæſo vel breviſſime aliquid ad haſce reſpondere ne dedigneris. Servet Tuam Rever. fratreſque iſtic omnes & amicos Deus benignus incolumes, veſtriſque laboribus & cæptis gratioſe benedicat. Salutat vos omnes amanter D. Polyander, qui hic mecum eſt, ut & ego

Tuæ reverentiæ obſequentiſſimus in Chriſto frater & Symmyſta.

Datum Hornæ 6. Octob. Anno 1622.

D. SAPMA.

Miellio.

D. CONRADI VORSTII

Theſes de Magiſtratu, deque uſu gladii, etiam ſub Novo Teſtamento.

I. MAgiſtratum gerere Chriſtianis licitum eſt, hoc eſt, divinitus permiſſum: nuſquam enim legimus officium hoc ſimpliciter à Chriſtiano prohibitum eſſe, neque ipſum per ſe pugnat cum Nov. Teſt. legibus, modo recte eo fungantur, qui rebus præſunt.

DOMINICI SAPMÆ

Antitheſes oppoſitæ theſibus D. C. Vorſtii de Magiſtratu, deque uſu gladii, etiam ſub Nov. Teſt.

I. MAgiſtratum gerere (puta cujus functionis munia ſint etiam gladio & occiſione bonos defendere, & improbos punire ſeu coërcere) Chriſtiano homini omnino illicitum putamus: Quippe pugnans cum ſtatu ac conditione ipſi à Chriſto aſſignata, cumque diverſis ejuſdem Legiſlatoris unici

Ep.423.

II. Non tamen inter propria N. T. inſtituta numerandum eſt, à quibus excuſare ſe nemo fidelium unquam poſſit: Sed inter communia illa Vet. & N. T. θεσμὸς referendum, quæ ad animalem hanc vitam, & civilem ſocietatem tuendam pertinent.

III. Functio hæc non ita libero Magiſtratuum arbitrio permiſſa eſt, ut eam pro libitu ſuo exercere illi poſſint: ſed ad juſtitiam, charitatem, aliaſque N. Teſtamenti leges obligata, earumque limitibus circumſcripta cenſeri debet.

IV. Inter præcipua ejus munia ſunt (qui & fines ejuſdem dici poſſunt) defenſio bonorum, & punitio ſeu coërcitio improborum: ſine quibus humana ſocietas, & publica tranquillitas conſervari non poſſunt.

V. Unde conſequitur, etiam moderatum gladii uſum ſub N. T. conceſſum eſſe; quippe ſine quo nec munia jam dicta exercere, nec fines ejuſdem rite obtineri poſſe, ratio ſimul & experientia convincunt.

VI. Uſus iſte non facile ad occiſionem vel ſanguinis humani effuſionem extendendus eſt: ſed intra leniorum malorum remedia (puta mulctas, carceres, exilia, fuſtigationes, &c.) tamdiu coërcendus, quamdiu extrema neceſſitas diverſum non dictaverit.

mandatis, monitis, ac ſapientiſſimis conſiliis. Ep.423.

II. Quare inter illa numerandum inſtituta arbitramur, à quibus excuſare ſe omnis fidelis & fidus Chriſti diſcipulus ſemper non tantum poſſit, ſed etiam debeat: Quamvis enim ad animalem hanc vitam & civilem ſocietatem tuendam communiter haud parum facere videatur; quin tamen vere Chriſtianis vita hæc ſua animalis, civiliſque ſocietas, etiam ſine tali functione, ſatis ſuperque conſtare queat, nemo facile negaverit: Quorum tamen Chriſtianorum non eſt, animalem hanc vitam, & civilem ſocietatem, in his terris tanti facere, ut ad eam ſibi tuendam ac conſervandam alios occidi velint, aut alio ſua cauſa à quoquam quam ſpiritus gladio quemquam coërceri deſiderent.

III. Quod ſi talis aliqua functio in Eccleſia Chriſtiana eſſe aut exerceri debeat, vix veriſimile eſt, quin Chriſtus totam eam æquitati & libero Magiſtratuum arbitrio reliquerit. Nullum enim ſuis tradidit Corpus juris, nec Canonicum, nec Civile, ſecundum cujus tenorem res aut controverſias humanas judicio quodam ſtipato, vel vi carnali accincto dijudicari unquam juſſit; nec leges ullas civiles aut politicas, proprie loquendo, unquam promulgavit, quarum limitibus functionem aliquam talem in Eccleſia ſua circumſcripſerit.

IV. Chriſtianorum autem πολίτευμα (*converſatio civilis*) (ut & Chriſti Regis ipſorum regnum) cum non ſit hujus mundi, quemadmodum Judæorum quidem anima ſub V. T. fuerat, nec mundanam aliquam talem defenſionem, aut malorum coërcitionem requirit; imo contrarium plane requirere videtur, ad rite ferendum crucem, & perſecutionem (ſi ita Deo viſum ſit) continuam, quam, ut humana ipſis ſocietas, tranquillitaſque publica conſervetur, non armis aut vi carnali expellere, ſed, ad exemplum fidei ſuæ ἀρχηγοῦ (*ducis*) Chriſti, patientia & benefactorum indefeſſa continuatione devincere ac ſuperare nuſquam non in Eccleſia docentur.

V. Quare nec moderatum, nec immoderatum gladii uſum; quippe cujus uſus modum aut moderationem nemo facile in Euangelio monſtraverit, ſub N. T. conceſſum, multo minus mandatum aut juſſum à Chriſto arbitramur, nec functionem ullam talem in Eccleſia Jeſu Chriſti ab ipſo inſtitutam, quæ ſine gladii uſu adminiſtrari, nec finem aut ſcopum Chriſtianis ullum propoſitum, qui ſine ejuſdem gladii uſu obtineri nequit.

VI. Ratio ſimul & experientia convincunt, ſi per defenſionem bonorum & punitionem ſeu coërcitionem improborum fines iſti (humanæ ſcilicet ſocietatis, publicæque tranquillitatis conſervatio) Chriſtianis obtinendi ſint, hunc gladii uſum frequentiſſime, & in quibuſdam caſibus, puta bello & ſimilibus, facile

Digitized by Google

Ep.423.

VII. Hæc neceſſitas tum demum adeſſe judicanda eſt, cum aliis mediis omnibus fruſtra tentatis, Reipub. ſalus, aut vita noſtra non aliter defendi poteſt, quam per inculpatam (hoc eſt, ab omni vindictæ ſtudio alienam) improborum occiſionem.

cile levique de cauſa ad occiſionem vel ſanguinis humani effuſionem extendendum eſſe. Ep.423.

VII. Ipſa vitæ amiſſio, multo minus Reipub. ſalutis propter nomen Chriſti, homini Chriſtiano vix neceſſitas, nedum extrema neceſſitas, imo mera felicitas eſt, quam, ſive hanc ſive illam, per occiſionem aut ſanguinis effuſionem alterius defendere, & carnalium armorum vi ab injuriis vindicare neutiquam ipſi licitum putamus: Imo vitam potius ſuam amittere (quam eo ipſo ſervatam ſibi novit) quam ſuæ defendendæ cauſa alterius profundere, nunquam non paratum oportet, qui Chriſtum ejuſque diſciplinam ſanctam ſequi ſe profitetur.

CONRADI VORSTII

Notæ ad Antitheſes Dominici Sapmæ de Magiſtratu, & uſu gladii ſub Novo Teſtamento.

AD I. Primo non contradicit hæc Antitheſis directe ac generatim, uti quidem oportebat, theſi meæ primæ, ſed oblique tantum ac reſtricte, quoad ſpecialem ſcilicet & raro contingentem gladii uſum, puta improborum ſeu maleficorum occiſionem: cujus ego nihil illic memini, & ſine qua Magiſtratus officium (ſaltem aliquatenus, & ad tempus) exerceri poſſe, nemo prudens facile negaverit. Non enim ſemper & ubique malefici tales occurrunt, quos gladio ſtatim exterminare neceſſe ſit: Cum alia interim Magiſtratus munia ſint, ſine quibus humana Societas vix unicum diem perdurare poſſit. Deinde, gladium, & occiſionem, quaſi ſynonyma ſint, vel ſaltem æquipollentia, perperam conjungere videtur: cum ſatis interim conſtet, non omnem gladii uſum in occiſione ſitum eſſe; ſed quendam etiam in aliis pœnarum generibus, occiſione multo lenioribus, de quibus infra theſi VI. agitur. Denique principium in eo tacite petit, quod officium Magiſtratus (præſertim generaliter & illimitate acceptum, juxta theſin hanc I.) cum ſtatu nobis à Chriſto præſcripto, cumque ejuſdem præceptis, monitis, conſiliis, pugnare aſſerit. Hoc enim ipſum præcipuum hujus loci κεφάλαιον (*controverſum*) eſt, de quo amplius ſuo loco. Interim aperte jam ac generatim hic D. Sapmæ aut concedendum eſt, aut negandum, Chriſtianis ea ſaltem lege Magiſtratum gerere licere, ſi neminem, quantumvis improbum, gladio exterminent, vel occidant. De qua limitatione, quum hujus loci non ſit, poſt commodius agemus.

Ad II. 1. An omnis fidelis à functione Magiſtratus, generatim adhuc nudeque propoſita, hoc eſt, etiam citra bellum, & quorundam improborum occiſionem accepta (juxta 1. theſin) excuſare ſe ſemper & poſſit & debeat, prout hæc Antitheſis aſſerit, ſuo tempore ex utrinque dicendis melius liquebit. 2. Eandem vero functionem ad vitam hanc animalem, & civilem ſocietatem (quibus Chriſtiani certe non magis, quam alii homines, carere in hoc ſæculo poſſunt) fovendam ac tuendam, non dico parum, ſed plurimum facere, adeoque huc ſalutarem inprimis ac neceſſariam eſſe, nemo ſanus inficias iverit: Quum & ratio & experientia clare teſtentur, etiam S. Scriptura paſſim ſuffragante, nullam civium ſocietatem ſine publica Magiſtratus authoritate diu perſtare poſſe: ac ſpeciatim punitivam ejuſdem poteſtatem ad facinorosos coërcendos omnino neceſſariam eſſe. 3. Et licet Chriſtiani (vere ſcilicet ac proprie ſic dicti, hoc eſt, non profeſſione tantum, ſed reipſa fideles) gladio Spiritus (quantum id exigit lex Chriſti) ſe coërceri non ægre patiantur: neque ſua ipſorum cauſa (privata ſcilicet & à Reipub. bono ſeorſim accepta) alios occidi unquam deſiderent; quin tamen iidem (ex Dei verbo recte informati) alterius etiam externi gladii uſum in humana Societate non exiguum libenter agnoſcant, dubitare ii certe non poſſunt, qui etiam vere pios interdum non leviter peccare, aut ſaltem ex errore vel infirmitate ſæpius labi, non ignorant: quique præterea non modo quid raro, ſed & quid ut plurimum fiat, & quid plerique Chriſtiani hactenus iſta de re crediderint, exploratum habent. 4. Ne jam dicam, eas quoque controverſias inter vere Chriſtianos ſæpius incidere, quas privatis fratrum judiciis decidendas nec deferre tenentur ex lege Chriſti, nec tuto ſatis citraque præjudicium, imo citra crimen læſæ publicæ authoritatis, deferre poſſint: verbi gratia, de tutoribus conſtituendis, de bonis pupillorum adminiſtrandis, vel jam adminiſtratis ad examen & rationem vocandis, &c.

Ad III. 1. Non in Eccleſia, ſtricte quidem & uſitate ſic dicta, ſed in Repub. ſeu civili ſocietate (quarum hæc illius quoddam quaſi hoſpitium eſſe poteſt, & ſolet) functio antedi-

d by Google

Ep.423. cta exerceri debet; ne alioqui diverſæ Dei ordinationes inter ſe temere permiſceantur. 2. Neque vero æquitas, præſertim Chriſtiana, & liberum Magiſtratus judicium, ſive arbitrium, aut idem prorſus ſunt, aut æquis paſſibus ambulant (prout hic nempe obſcure innui videtur) quum utrumque hoc nimium ſæpe ab illa deflectere, experientia plus ſatis teſtetur. 3. Et quamvis Chriſtus nec Civile, nec Canonicum corpus juris nobis tradiderit, (uti vulgo quidem utrumque hoc jus accipitur) Euangelicum tamen jus nobis tradidit: ad quod & leges civiles & Canones Eccleſiaſtici (quibus utriſque ſuum etiam locum uſumque reliquit, abuſu ſolo ſemper excluſo) conformari ſemper & poſſunt & debent. 4. Neque quidquam opus fuit aut novam judiciorum formam in N. T. inſtitui, aut politicas hac de re leges à Chriſto ferri, cum ſatis ſit & veterem illorum formam, & leges inter Judæos olim gentesque paſſim uſitatas, in hoc quidem rerum genere, per ipſum abrogatas non eſſe, ſed εἰς πλάτος (*generatim*) potius approbatas, prout ſuo loco clarius patebit.

Ad IV. 1. Etſi πολίτευμα (*converſatio*) Chriſtianorum, qua quidem ſi revera tales ſunt, hujus mundi non eſt (uti nec ipſum Chriſti Regnum) quamdiu tamen illi incolæ hujus mundi, & Reipub. cives ſunt, (quod equidem non minus nunc ipſis competit, quam olim Judæis) tamdiu etiam mundana ſeu politica proborum tutione, ac malorum coërcitione, divinitus jam olim ordinata, libenter & cum gratiarum actione utuntur; ſeque aliquatenus (& ſua & aliorum cauſa) utroque hoc Dei beneficio etiam opus habere agnoſcunt; ne alioquin ſibi ſuiſque pericula ultro accerſere, imo bonum publicum prodere, aut ſupine ſaltem negligere, adeoque ipſum Deum tentare velle videantur. 2. Neque vero hoc quicquam pugnat cum vera tolerantia crucis ac perſecutionum, divinitus nobis commendata, idque ad exemplum ipſius Chriſti, &c. Quum neque ſemper hæc mala reipſa perpeti nos Deus velit, (ut qui fugere ſaltem ea nobis permiſerit, imo juſſerit:) Neque eadem tam ex cauſis politicis, in quibus defenſio illa mundana maxime locum habet, quam ex ipſo doctrinæ ac confeſſionis Chriſtianæ genio, Magiſtratibus ſæpe variis de cauſis aut exoſo, aut ſaltem nimis ignoto atque obſcuro, veram originem ducant, eoque per defenſionem illam, ſiquidem inculpata ſit, univerſe quidem atque ordinarie, minime tollantur: quumque evenire poſſit, ac ſæpe reipſa eveniat, ut Chriſtianus Magiſtratus, etiamſi maxime velit, ſubditos ſuos contra prævalidos hoſtes ſatis tueri non poſſit, teſte omnium ſæculorum hiſtoria, & quotidiana paſſim experientia. 3. Denique nulla hic conſequentia eſt, niſi fallax & ſophiſtica, ideo Regnum Chriſti nullam requirere, aut admittere defenſionem mundanam, quia ipſum non ſit mundanum, &c. Pari enim ratione colligere liceret, Ep.423. ne mundano quidem cibo, potu, veſtitu, habitatione, &c. Eccleſiam Chriſti opus habere, quia ſcilicet ipſa mundana non ſit: quod quam ineptum, & inconſequens ſit, nemo non videt; prout ſuo loco amplius manifeſtum fiet.

Ad V. 1. Si nullus omnino gladii uſus, quantumvis moderatus, hoc eſt, etiam à bello & cæde prorſus abſtinens, ſub N. T. conceſſus eſt, ſive nulla improborum violenta coërcitio ac punitio (cujus aliquot ſpecies, extra cædem, *Theſ.* V I. afferuntur) tum neque ullum Magiſtratus officium, nili forte imaginarium (hoc quidem rerum humanarum ſtatu) Chriſtianis ſæpenumero licitum cenſeri debet. Hoc igitur ipſum aperte ingenueque Domino Sapmæ profitendum erat, ut de vero controverſiæ ſtatu plenus conſtare poſſet. 2. Nos interim minime dubitamus, modum ac moderationem gladii, in genere præſertim accepti, iiſdem à Chriſto legibus in N. T. præſcriptam eſſe, quibus omnem omnino ſuperiorum in inferiores poteſtatem circumſcripſit, imo quibus juſtitiam, æquitatem, charitatem, manſuetudinem, clementiam, aliaſque id genus virtutes Chriſtianas, nobis omnibus præſcripſit ac commendavit. 3. Neque hic nova quapiam officii hujus inſtitutione, præſertim in ipſa Eccleſia, quicquam opus erat; cum Veteris de eodem ordinationis divinæ approbatio, ſeu mavis conceſſio, aut permiſſio, denique non abrogatio, abunde hac in parte ſufficiat: ut ſcilicet Chriſtiani perſpicue norint, quid ſalva conſcientia, cum de Repub. tuenda agitur, vel facere, vel omittere poſſint ac debeant, prout ante ad Tertiam plenius indicavi. 4. Denique aliquem ſaltem bonum finem ac ſalutarem ſcopum, qui ſine aliquo hujus gladii uſu obtineri nequeat, etiam Chriſtianis revera propoſitum eſſe, aut certe propoſitum eſſe poſſe, non facile is negaverit, qui hos non modo pios regni cæleſtis municipes, ſed & bonos Reipub. cives, bonoſque patresfamilias, &c. eſſe poſſe, imo debere, agnoverit: quique ſubalterna nequaquam invicem pugnare, nec diverſa continuo ſibi mutuo adverſari, ſed ſæpe inter ſe amice conſentire, imo interdum neceſſario cohærere, ſecum perpenderit; cujuſmodi hic ſunt, civem Eccleſiæ ſimul & Reipub. eſſe, nec illius tantum, ſed & hujus officiis rite ſuo loco & tempore defungi.

Ad VI. 1. Docet quidem experientia plus ſatis, uſum hujus gladii tum alias frequentiſſime, tum maxime in bello, & ſimilibus caſibus, facili levique de cauſa ad occiſionem extendi; non docet tamen eadem (nedum ut ſana ratio idem teſtetur) neceſſario, ſic utrobique faciendum eſſe, idque duntaxat boni publici tuendi cauſa, ut ſcilicet probi legitime defendantur, contraque improbi ſimiliter puniantur, aut ſaltem coërceantur. 2. Quin potius & experientia teſtatur, diverſum hactenus ſæpe

factum

Ep.423. factum esse, ac proinde sæpius adhuc fieri posse; & sana ratio docet, diversum toties etiam fieri debere, quoties extrema illa & notoria necessitas abest, de qua Thesi VII. sermo est. 3. Confusio igitur hic quædam est facti & juris, item facti contingentis & necessarii, denique legitimi usus, & accidentarii abusus. Non enim factum hic quodlibet, seu eventum quolibet modo contingens, nedum manifestum rei abusum (quem varium hic esse, ultro agnoscimus, & dolemus) sed jus tantum gladii divinitus sancitum, legitimumque rei usum, & quæ huic necessario ac per se cohærent, tueri nobis propositum est, prout Theses ipsæ sat perspicue indicant.

Ad VII. 1. Fateor equidem, propter nomen Christi (phrasi tamen hac recte intellecta) tum Reipub. salutem, tum vitam nostram & nostrorum potius periclitandam, imo libenter, & cum gaudio amittendam esse, quam ut harum utramvis illicita ratione defendendo, quicquam scientes prudentes contra illud peccemus. Hinc tamen consequi nego, nullam dari utriusque illius, etiam per usum gladii, licitam & inculpatam defensionem, nullamque injuriæ, sive toti forte Reipub. sive nobis nostrisque petulanter illatæ, innoxiam & justam depulsionem: quum nulla inter hæc duo sit legitima aut necessaria connexio. 2. Adde, quod neque injuriæ omnes nobis ob Christi nomen ab improbis inferantur, hoc est, ideo, quia in Christum credimus, vel saltem ejus nomen profitemur; (quippe quod etiam improbi ipsi sæpe una nobiscum profitentur:) neque omnis injuriarum depulsio, aut Reipub. itemque nostri nostrorumque defensio, etiam cum occisione improborum forte conjuncta, legibus Christi simpliciter & per se repugnet; sed tum demum, si fiat illegitimo modo ac fine, ac speciatim animo injuriam injuria ulciscendi, aut malum malo retaliandi. 3. Addo etiam, quod neque Christiana patientia plane bruta & fatua, nedum iniqua in nos nostrosque (imo in universam Rempub. & in ipsos etiam improbos) esse debeat: ut quidem sæpe foret, si nullis unquam injuriis resistere, nec ullo casu patriam, aut nos ipsos, nostrosque defendere nobis liceret. Regula autem certissima est, veri nominis virtutes, præsertim Christianas, nunquam sese invicem excludere, nunquam vel sibi ipsis, vel inter se contrarias esse; sed individuo nexu semper invicem cohærere, &c. Ut proinde vera patientia esse nequeat, quæ veræ justitiæ, æquitati, charitati, prudentiæ, fortitudini, &c. vel tantillum repugnat. Qualis ea fane foret, quæ omnem injuriæ depulsionem, etiam per usum gladii, universe ac simpliciter excluderet.

Missa sint hæ notæ ad D. Sapmam, & Augusti Tonninga, una cum ulteriore συζήτησι (disquisitione) & argumentis pro veriore sententia collectis.

Ulterior *συζήτησις (disquisitio)* de Magistratu & gladio sub N. Test. Ep.423.

AD statum hujus controversiæ rectius pleniusque intelligendum, non utile tantum sed & necessarium est, diversa hic, & præsertim contraria, probe distingui, hoc est, confessa à quæsitis, & certa ab incertis separari; & proinde utriusque generis sententias sub duobus capitibus aut hoc, qui sequitur, aut alio simili modo, accurate discerni.

Caput I. continens ὁμολογούμενα, seu utrinque confessa, & certa, in quibus ambo, ni fallor, sat consentimus, quæ inter alia sunt hæc sequentia.

I. Magistratus officium, seu potestas subditis imperandi, aliosque regendi, est à Deo; idque non tantum permissive, sed & effective; quum sit ordinatio, vel institutio divina, quæ Deum ipsum authorem habet & fautorem, si non etiam in N. saltem in Veteri Test.

II. Ejus finis & usus est, publicum humanæ Societatis bonum, non tantum animale, stricte sic acceptum, sed & morale, imo etiam aliquatenus spirituale; nempe ut vitam non modo quietam & tranquillam, sed & honestam ac piam sub illius imperio degamus.

III. Est igitur res ipsa per se minime mala, sed plane bona, hoc est, & Deo grata, & hominibus utilis ac salutaris: si modo ab iis, qui rebus præsunt, officium ipsum bene ac legitime administretur.

IV. Regula porro seu norma bene administrandi non est nudum illorum, qui aliis imperant, beneplacitum aut liberum arbitrium; sed recta ratio, & lex divina; sive per naturam nobis indita, sive potissimum in verbo Dei expressa.

V. Legitimæ actiones & officia Magistratuum aliis imperantium sunt, justa legum latio, & moderata executio, æqua judiciorum administratio, inculpata proborum tuitio, & improborum punitio, seu coërcitio, &c.

VI. Credibile est, hanc potestatem etiam tunc inter homines locum habituram fuisse, si à peccato immunes manssissent; cum æquitati ac prudentiæ, eoque legi nostræ congruum sit, multos (præsertim infirmos, & errori obnoxios) ab uno vel à paucis, regi ac gubernari.

VII. Post peccati tamen ingressum in mundum, magis ipsa & utilis & necessaria evasit; proque illius vel augmento, vel decremento, etiam hujus utilitas ac necessitas, vel augescit, vel decrescit indies.

VIII. Christianorum est, huic potestati ultro parere, ac Magistratibus libenter subjectos esse; fidemque, honorem, & obedientiam iis præstare; item Deum pro ipsis sedulo precari, tributa & vectigalia æquo animo ipsis solvere, alinque onera ab iisdem injuncta patienter sustinere.

IX. Non

Ep.423. IX. Non tamen obedire iis Chriſtiani tenentur (imo contra facere tenentur) ſi quid illi contra Dei Leges aut præcipiant, aut vetent; quia ſemper Deo, uti ſupremo & abſoluto Domino, citra omnem exceptionem, eoque magis quam hominibus, quantumvis ab ipſo delegatis, obediendum eſt.

Inter Leges politicas, & judiciorum formulas, ea cenſendæ ſunt optimæ (tam in criminalibus, quam civilibus cauſis) quæ rectæ rationi & legibus divinis, jamque potiſſimum Chriſtianis, quam maxime conformes ac conſentaneæ ſunt.

Caput ſecundum, continens κεφάλαια ſeu controverſa & dubia, quæ in hoc negotio ſunt potiſſimum tria iſta ſequentia.

I. AN Chriſtianis ulla ratione liceat Magiſtratum gerere, ſive aliis ut ſubditis ullo modo imperare, ac dominari, ſaltem ſi citra bellum id fiat, & improborum occiſionem, imo citra omnem externi gladii uſum?

II. An non iiſdem aliquis gladii uſus adverſus facinoroſos à Chriſto conceſſus ſeu permiſſus ſit; hoc eſt aliqua iſtorum externa punitio, ac violenta coërcitio, puta per Carceres, Ergaſtula, Fuſtigationes, Exilia, &c.

III. An non aliquo ſaltem caſu iiſdem liceat etiam quoſdam maleficos, puta latrones, ac ſimiles facinoroſos, occidere; ac ſpeciatim contra notorios Reipub. hoſtes bellum interdum gerere, ſive armis ſe ſuoſque ſubditos contra iſtorum vim & injurias tueri?

In his tribus quæſtionibus nos, una cum pleriſque tum veteribus, tum Neotericis Chriſtianis, affirmativam ſententiam, ut veram tuemur; negativam contra ut falſam rejicimus: idque freti ſequentibus argumentis, & rationibus, ex ipſo Dei verbo, ac potiſſimum ex N.T. petitis.

Argumenta pro veriore ſententia.

I. Initio nullum extat diſertum ac manifeſtum in N. T. interdictum, quo Chriſtus diſcipulis ſuis, omnino generaliter acceptis, vel ipſum Magiſtratus officium, vel omnem gladii uſum, omnemque injuriæ depulſionem, omnem denique improborum occiſionem, ſimpliciter & univerſe prohibuerit. Carent igitur ſufficiente fundamento, & juſta ratione, qui antitheſin vel totam, vel ex parte, præſertim ut neceſſariam, tuentur. Et quamvis hi præcepta quædam Chriſti & Apoſtolorum pro ſe allegent, puta ex *Matth.* V. & XX. *Rom.* XII. 1 *Petr.* II. &c. de injuriis tolerandis, hoſtibus diligendis, modeſtia & humilitate ſectanda; contraque de vindicta & odio, item ſuperbia & ambitione fugienda, &c. non tamen id, quod quærunt, ex hiſce locis ſolide demonſtrare poſſunt: prout ſuo loco melius patebit, cum ipſis ſuæ partes agendæ, Ep.423. nobiſque rationes ipſorum diluendæ erunt.

II. Abunde conſtat, officium Magiſtratus, uſumque aliquem gladii, imo & belli, jam olim etiam ante legem latam, adeoque inde fere ab initio mundi, etiam in ipſo populo Dei, utiliter viguiſſe, idque Deo non modo permittente, ſed & approbante, imo interdum ordinante, ac jubente; ſicut *Gen.* IV. & XIV. & XXXVI. & XLI. item *Exod.* XVII. & XVIII. alibique paſſim in hiſtoria Patrum, & ſpeciatim Patriarcharum, videre licet. Unde liquet, non eſſe hæc propriè legalia, ſeu peculiaria V. T. inſtituta, quæ perinde ut Circumciſio, Sacrificia, Sabbathum, atque ritus legales in N. T. abrogata ſunt; ut quidam ex Antagoniſtis ſine fundamento aſſerunt, qui differentiam Legis & Euangelii ſeu V. & N.T. hac in parte minus recte intelligunt.

III. Nihil in univerſo Magiſtratus officio reperiri poteſt, nihil etiam in legitimo gladii bellique uſu (abuſibus ſemper excluſis) quod cum vera juſtitia & æquitate Chriſtiana, veraque Dei & proximi dilectione per ſe pugnet; imo nihil, quod non utrique commode ſubſerviat. Verbi gratia, juſta legum bonarum latio, & moderata executio, judiciorum adminiſtratio, proborum tuitio, improborum coërcitio, &c. De quibus *Deut.* XVII. 18. &c. 2 *Chron.* XIX. 6. *Pſal.* LXXXII. 2. & CI. *per tot. Proverb.* VIII. 15. & XVI. 12. &c. & XX. 8. &c. & XXI. 3. & XXIV. 11. &c. alibique videre eſt. Cur igitur hæc talia Chriſtianis, omni juſtitiæ & æquitati, omnique dilectioni quam maxime ſemper obſtrictis, ſimpliciter & per ſe illicita ſint? imo cur non his magis, quam aliis, & licita & apta judicanda?

IV. Si Chriſtianis univerſe atque abſolute omni Magiſtratus officio, omnique gladii ac belli uſu, interdictum eſſet, tum non modo præclara quædam juſtitiæ ac fortitudinis, imo & veræ charitatis opera (quæ pii patres olim maxima cum laude, imo per fidem geſſiſſe dicuntur, *Job.* XXIX. 14. & XXXI. 13. &c. *Hebr.* XI. 33. &c.) perpetuo ipſis omittenda eſſent; ſed & periculoſa, imo ſcandaloſa ac turpia quædam interdum admittenda, adeoque ultro accerſenda, quibus & ſuam, & aliorum ſalutem (hoc eſt vitam, famam, fortunam ſeu facultates; imo virtutem ac pietatem ipſam) in ſummum diſcrimen adducerent. Puta vel beſtialis quædam anarchia, vel intolerabilis & fœda ſervitus ſub impiis tyrannis, vel ſaltem iniquum & immoderatum eorum imperium, qui à Chriſtiana fide prorſus alieni ſunt. Aut enim his talibus ſolis, aut nullis omnino, jus regnandi, &c. competit, ſi Chriſtianis nullo modo competit. Abſurda vero & turpia ſunt hæc conſequentia: igitur & antecedens tale cenſendum.

V. Imo quum Chriſtiana Religio nec ſecum ipſa, nec cum recta ratione, eumque lege

Ep423. lege naturæ, uſpiam pugnet, ſed perpetuo & ubique conſentiat (ut quæ cultum Dei non irrationalem, ſed rationalem præſcribat, *Rom.* XII. 1. & ſimul omnes omnino virtutes, ſeu quicquid honeſtum & laude dignum eſt, nobis commendet, *Phil.* IV. 8.) fieri certe nequit, ut ullo nobis tali officio, ulliſque talibus operibus ſimpliciter & univerſe interdicat, quæ ad noſtram aliorumque ſalutem tuendam quam maxime faciunt; & quæ conſequenter veræ juſtitiæ, charitati, prudentiæ, fortitudini, paci, aliiſque virtutibus colendis ſubſerviunt: Contraque ut talem patientiam, humilitatem, hoſtium dilectionem, &c. nobis commendet aut præcipiat, per quam & probi turpiter deſerantur, imo graviſſime lædantur: & improbi in ſua malitia foveantur & obfirmentur: prout ratio ſimul & experientia docent, in praxi totius antitheſeos fieri ut plurimum ſolere, imo interdum oportere.

Atque hæc argumenta hactenus generalia fuerunt. Deinceps autem propius ad rem & ſpeciatim ad loca N.T. accedemus.

VI. *Luc.* III. 14. &c. legimus, Joannem Baptiſtam non modo publicanis, ſed & militibus certa pie vivendi præcepta dediſſe, cum de via æternæ ſalutis, ab ipſis inſiſtenda, interrogatus eſſet. Neutris autem præcipit, aut ſuadet, ut vocationi ſuæ priſtinæ renuncient, ſiquidem ſervari velint. Igitur ne militia quidem, nedum alia Magiſtratus munia, cum via ſalutis æternæ per ſe pugnant. Neque hic valet exceptio, multis alioquin uſitata, Doctrinam Joh. Baptiſtæ ad V. non ad N.T. pertinere, nec veram plenamque ſalutis viam in ea contineri, &c. Contrarium enim videre licet *Mat.* XI. 13. *& d. Marc* I. 1. *Luc.* I. 77. &c. ubi non V. ſed N.T. (ſive Euangelii, non Legis) doctrinam ille propoſuiſſe, & veram ſalutis ſcientiam populo tradidiſſe dicitur. Saltem quia prodromum fuiſſe conſtat, nihil hujus doctrinæ contrarium tradere aut debuit, aut voluit. Quod equidem feciſſet, ſi utroſque illos, licet in priore vitæ genere permanentes, ad ſpem ſalutis invitaſſet, aut in ea foviſſet.

VII. Inter eos, quos Chriſtus ipſe pro Diſcipulis ſuis olim agnovit, non pauci fuerunt aut Magiſtratus, aut neceſſarii horum miniſtri, aut etiam milites. Verbi gratia *Matt.* VIII. 5. &c. Centurio ille, cujus fidem tantopere Dominus admirabatur, quamvis ipſe de militum ſuorum obedientia & ſubjectione gloriaretur. *Luc.* XIX. 2. *& d.* Zachæus publicanorum princeps, cui Chriſtus ipſe ſalutem adjudicat. *Joh.* III. 1. *& d.* & VII. 50. Nicodemus Judæorum princeps, & Synedrii Senator. & *cap.* IV. 46. Regius ille, qui cum tota domo ſua crediderit. & *cap.* XIX. 38. Joſephus Arimatheënſis, egregius item ſenator, &c. Quos quidem omnes, etiam poſtquam in Chriſtum crediderunt, in vocatione ſua priſtina permanſiſſe, ex multis indiciis ac ſignis apodictice ferme colligi poteſt: cum contrarium ne probabiliter quidem ex ullo indicio Ep.423. probari queat. Quod igitur tunc licuit, cur non etiam jam licet? Non enim poſt mutata ſuit Chriſti doctrina, ſed Religio ab ipſo ſemel tradita, perpetuo deinceps invariata manſit.

VIII. Idem de aliis etiam compluribus affirmari poteſt, qui poſt Chriſtum jam exaltatum per miniſterium Apoſtolorum ad fidem Chriſtianam converſi fuerunt, verbi gratia *Act.* VIII. 27. Eunuchus ille Reginæ Candaces, à Philippo baptizatus. Et *cap.* X. 1. *& d.* Cornelius Centurio cum propinquis & amicis ſuis. Et *cap.* XIII. 6. Paulus Sergius Proconſul. Et *cap.* XVI. Commentarienſis, in carcere à Paulo converſus. Et *cap.* XVII. Dionyſius Senator Areopagita. Et *cap.* XIX. 30. Aſiarchi quidam Pauli amici. & *cap.* XXVIII. 7. Publius in Mileto inſula princeps. Denique *Rom.* XVI. 23. Eraſtus, urbis Corinthi quæſtor, ſeu procurator, &c. De quibus nihil uſpiam legimus, quod vocationi priſtinæ ipſos renuntiaſſe, vel leviter arguat; non pauca vero, quæ in eadem ipſos perſeveraſſe ſatis evidenter oſtendunt.

IX. Accedit, quod antiquiſſimi Chriſtiani ſub Apoſtolis, imo ipſi interdum Apoſtoli, non modo ad opem Cæſaris, aliorumque Magiſtratuum, imo & militum, pro re nata, ſubinde confugerunt, eamque ut licitam ſemper admiſerunt, contraque ut illicitam nunquam repudiarunt; ſed & alia non pauca ſimilia interdum fecerunt, quæ officium hoc, & quod hinc pendet bonorum ſubſidium, vel auxilium, pro divino & per ſe ſalutari (eoque & Chriſtianis licito) ab ipſis habitum fuiſſe, clare demonſtrant. Videlicet *Act.* XVI. ſub finem de Paulo & Sila, qui à præfectis Philippenſium injuſte cæſi, de injuria cum his expoſtulant, & non clanculum illinc extrudi, ſed palam per ipſos Magiſtratus educi volunt. Et *cap.* XXI. *ſub finem*, ubi Apoſtolo ſub Judæis pericliante Tribunus, ſeu Chiliarchus, cum cohorte ad illius defenſionem vocatur; idque haud dubie Apoſtolo ipſo cupiente, & quidem (ut probabile eſt) non à Judæis, ſed ab ipſis Chriſtianis, quamvis dubium & periculoſum rei eventum non ignorantibus. Et *cap.* XXIII. 16 *& d.* ubi idem Apoſtolus opem Lyſiæ Chiliarchi, & porro militum, non obſcure implorat, (quam & *cap.* XXVI. 22. emphatice divinam opem appellat) licet interim pluſquam probabiliter præſciret, ex hujuſmodi ope, ſiquidem conjurati Judæi pertinaciter huic reſtitiſſent, haud dubiam multorum cædem ſecuturam fuiſſe. Et *Cap.* XXV. 10. *& d.* ubi idem non modo ad tribunal Cæſaris appellat, à quo judicari ſe oportere agnoſcit: ſed & violentæ morti, per hunc infligendæ, ultro ſe ipſum offert, ſi quid ea dignum patraſſe convictus fuiſſet. Quo poſtremo etiam ſatis indicat, occiſionem quorundam maleficorum, qui ſcilicet ejuſmodi

Digitized by Google

Ep. 423. morte digni ſunt, per ſe juſtam & legitimam eſſe; eoque & functionem ei ſervientem, quæ Magiſtratus propria eſt, quippe ſine qua tale ſupplicium legitime ac juſte aliis infligi non poſſet.

X. Inprimis autem conſideratione dignus eſt locus perilluſtris *Rom.* XIII. *verſ.* 1. *& ſeqq.* unde plures pro veritate ſententiæ noſtræ probationes elici poſſunt. Hic enim 1. officium Magiſtratus (ſeu poteſtas ſupereminens) *à Deo eſſe dicitur*, idque tanquam ab authore & fautore, quippe ab eo ordinatum, & inſtitutum. 2. Et quidem optimo fine inſtitutum, puta, *noſtro bono*, omnium ſcilicet ſubditorum, etiam qui & quatenus Chriſtiani ſumus, quippe quos Apoſtolus iſtic ſpeciatim compellat. 3. Effecta ejus ſalutaria quædam recenſentur, laus ſcilicet & defenſio bonorum, contraque terror ac punitio improborum, &c. 4. Speciatim etiam jus uſuſque gladii hic aſſeritur, quippe, quem *non fruſtra*, ſive *non temere* (οὐκ εἰκῇ) geſtare ille dicitur, hoc eſt, non ſine certa voluntate ac ſeria ſanctaque intentione Dei ordinantis. 5. Adduntur tituli perquam honorifici, dum non modo λειτουργὸς ille, ſed & λειτουργὸς Dei vocatur, quaſi dicat, publicus & ſacer Dei miniſter; cujus proinde functio nobis pro legitima, imo pro venerabili & ſacra ſit habenda. 6. Præſcribitur illi προσκαρτέρησις, ſive aſſidua ſedulitas in officio hoc rite gerendo, quippe per ſe divino & nobis ſalutari, imo prorſus, dum hic vivimus, neceſſario. 7. Injungitur nobis duplex parendi neceſſitas, non modo propter iram, ſeu pœnam divinam, ſed & propter conſcientiam; ut illam ſcilicet evitemus, hanc autem bonam & tranquillam retineamus. 8. Denique officium & poteſtatem hanc, ejuſque uſum omnem antedictum, etiam tributis & vectigalibus noſtris fovere ac ſuſtentare jubemur, &c. Quæ omnia ſat clare demonſtrant, functionem hanc per ſe Deo probari, quippe multis nominibus bonam, juſtam, ſanctam, generique humano utiliſſimam ac neceſſariam; eoque Chriſtianis etiam licitam eſſe, ut qui vel maxime, præ aliis omnibus, ad eam rite gerendam apti atque idonei ſint.

XI. Similis huic locus eſt 2 *Pet.* II. 13. 14. ubi licet hæc functio ἀνθρωπίνη κτίσις, hoc eſt, humana creatura, vel potius humana creatio appelletur, (forte tum ob diverſas Regiminis formas, quæ ab hominum varia conditione, varioque arbitrio pendent; tum ob uſum ac fructum multiplicem, qui unice hinc ad homines redit) quædam tamen pro eadem rationes, jam modo expoſitæ, repetuntur. Nam 1. *propter Dominum* ei ſubjici jubemur, qui vidēl: eam ordinavit, atque inſtituit, nuncque etiam ſub N. T. ut rem per ſe bonam ac nobis ſalutarem approbat. 2. Finis uſuſque ejuſdem geminus, iſque humanæ ſocietati longe utiliſſimus, eoque Chriſtianis etiam ſalutaris, ſtatim adjicitur, noſtra ſcilicet duplex utilitas, quam ex laude tutelaque bonorum, & pœna ſeu coercitione improborum, aſſidue percipimus. 3. Additur etiam collatio horum uſuum, ſive qui inde reſultant effectuum, tanquam parium reſpectu juſtitiæ; cum utrumque iſtorum Apoſtolus, ut pariter juſtum, non obſcure approbet ac commendet: ſicut ex ſeqq. ibidem verbis clarius apparet, præſertim ex *verſ.* 19. 20. De quibus poſtea latius in alio argumento, ubi de pœnarum, quas Magiſtratus maleficis infligit, uſu & æquitate agetur. Ep. 423

XII. Locus etiam 1 *Cor.* VI. 1. *& ſeqq.* ſat perſpicue docet 1. non modo interdum uſu venire, ut lites circa βιωτικὰ (*res hujus vitæ*) etiam inter Chriſtianos vereque ſanctos incidant, quæ ſalva pietate inter ipſos agitari queant, quæque neceſſario tandem ab aliquo judice terminandæ ſint. 2. Sed & judicia iſta Chriſtianis per ſe licita eſſe, modo ne cum fratrum injuria, aut cum iſtorum aliorumque ſcandalo, ſub infidelibus peragantur. 3. Imo ipſos Chriſtianos, quamvis etiam minimos, ſeu contemptiſſimos, ad hæc talia judicandum tanto aliis aptiores eſſe, quanto graviora judicia de mundo, & Angelis exercere ipſi & poſſunt & ſolent, &c. Unde conſequitur, iiſdem etiam Magiſtratum gerere licere, ut cujus præcipua ſaltem functio ſit, cum poteſtate de litibus judicare: imo conſequenter eoſdem etiam aliquem gladii uſum adhibere tunc poſſe, ſi improbi ſententiam latam contemnant, ſeque ei violenter opponant: quippe ſine quo juſta ſententiæ executio, in tali oppoſitionis & rebellionis caſu, fieri omnino non poſſit, prout ratio & experientia ſatis evincunt.

XIII. In loco etiam 1 *Tim.* II. 1. *& ſeqq.* non levia pro eadem veritate argumenta extant. Nam 1. pro Regibus & Magiſtratibus omnibus Deum precari, eique gratias pro iiſdem agere jubemur, tanquam pro perſonis humano generi maxime utilibus ac neceſſariis; idque ſimpliciter, quatenus illi tales ſunt, & manent; cum nulla in verbis Apoſtoli reſtrictio, vel cautio addatur. 2. Exprimitur finis uſuſque hujus precationis longe optimus, ut ſcilicet non modo quietam ac tranquillam, ſed & honeſtam piamque vitam ſub illorum imperio degamus. 3. Additur, has preces etiam hoc nomine ac reſpectu Deo gratas eſſe, quia ipſe omnes homines, etiam Reges ac Magiſtratus (& quidem qua tales ſunt & manent, idque ob cauſam jam paulo ante indicatam) ſalvos fieri velit, & ad veritatis agnitionem pervenire, &c. Unde patet, hanc functionem & Deo per ſe placere, nec parum ad pacem & honeſtatem, imo etiam ad pietatem Chriſtianam promovendam facere, atque hoc etiam nomine nobis utilem ac ſalutarem eſſe; quique in hac functione verſantur, eos non minus, quam quoſvis alios, pie vivere, ac ſalutem æternam conſequi poſſe.

XIV. Ex loco 1 *Pet.* II. 19. 20. *& d.* nec non ex *cap.* IV. 15. *& d.* ſaltem hoc conſtat, Apoſtolum duo pœnarum, vel afflictionum gene-

Ep.423. genera, quæ ab hominibus infligi aliis, quaſi maleficis, præſertim publice, ſolent, ſic diſtinguere, ut unum quidem injuſtum appellet, quod videl. pii propter conſcientiam Dei ſuſtinent: alterum vero illi oppoſitum, quod verbi gratia latronibus aut furibus, & ſimilibus facinoroſis infertur, juſtum eſſe agnoſcat. Unde non modo uſus & æquitas harum poſteriorum pœnarum apparet; ſed & non inepte per collationem parium invicem relatorum colligitur, eſſe officium eorum, qui has poſteriores pœnas maleficis infligunt, & pœnalia judicia exercent, per ſe legitimum ac juſtum, (quippe ſine quo pœnæ iſtæ legitime ac juſte infligi aliis non poſſent; eoque nec ipſæ ſimpliciter juſtæ ac legitimæ cenſendæ eſſent:) ac proinde à Chriſtianis etiam, quibus nihil quod juſtum ſit, illicitum cenſendum eſt, bona conſcientia exerceri poſſe.

XV. Neque vero nihil huc faciunt ea, quæ 2 *Pet.* II. 10. & *Jud. verſ.* 8. de illis hominibus legimus, qui dominationes contemnunt, & poteſtates blaſphemant, &c. etiamſi fortaſſe per ignorantiam id faciant. Revera enim, Il efficetum vel eventum potius ipſum, quam animum ac propoſitum eorum ſpectemus, qui antitheſes tuentur (præſertim omnes ſimul acceptas) officium Magiſtratus ab iiſdem haud parum contemnitur, imo & blaſphematur, dum Chriſtianæ Religioni, ſeu veræ pietati ac juſtitiæ, ipſum prorſus adverſari, Chriſtique Monarchico dominio repugnare, eoque non niſi ab incredulis & impiis ſub N. T. adminiſtrari, &c. poſſe, nimis improvide contendunt.

XVI. Addi his etiam ea poſſunt, quæ paſſim in Apocalypſi leginus, tum de Sanctis in hac terra regnantibus, aut tandem aliquando regnaturis, ut *cap.* V. 10. & XX. 2. &c. (quibus etam V. T. prophetiæ quædam conſonant, ut *Dan.* VII. 27. *Eſa.* XLIX. 23. & *cap.* LX. 10. &c. *Pſal.* LXXII. 10. &c. & CXLVIII. 11. & CXLIX. 6.) tum ſpeciatim de bello cum Sanctis, vel contra Sanctos, & proinde etiam à Sanctis, aut olim geſto, aut deinceps adhuc gerendo, ut *cap.* XI. 7. & XII. 17. & XIII. 7. & XVI. 16. & XIX. 12. & XX. 8. &c. 1. Si enim vere regnant, aut regnabunt Sancti in hac terra, & ſic quidem ut in hac parte etiam Reges ac Principes iis ſerviant, aut ſervituri ſint, &c. utique Magiſtratus etiam ſuos ipſi habent, aut habebunt. 2. Si verum ac proprie dictum eſt bellum, quod impii cum Sanctis gerunt, aut jam geſſerunt, aut olim gerent, neceſſe eſt ſane ipſos etiam Sanctos bellum aliquod verum gerere, aut geſſiſſe, aut geſturos eſſe; quia ſecus non verum cum iſtis, aut contra iſtos bellum, ſed mera & ſimplex iſtorum perſecutio, vel injuſta tantum oppreſſio eſſet; quæ proinde vero & proprio nomine (prout alibi ſæpe fit) exprimenda hic fuiſſet. In ſumma, ubi verum & proprie dictum regnum, ac bellum eſt, ibi veram Magiſtratus functionem, Ep.423. veramque armorum, ex utraque parte reſiſtentiam, dari oportet. Hanc igitur utramque Sanctis per ſe licitam eſſe, non inepte hinc infertur.

XVII. Accedit locus *Apoc.* XVIII. 4. *& d.* fere per totum. Ubi, poſtquam initio vox cæleſtis monuit Dei populum, ut è Babylone ſecedat, ne peccatorum ac plagarum ejus particeps fiat, &c. continuo poſt addit ſeriam hortationem, non ad incredulos & impios, ſed ad eoſdem Sanctos, ut retribuant Babyloni plagas, ſeu pœnas, juxta opera ipſius, & quidem duplas, &c. Et porro narratur, quemadmodum ex una parte impii Reges, aliique ſimiles opulenti ac magnates, ſuper exitio Babylonis graviter conqueſti & lamentati ſint; ita contra pios ac fideles omnes ſuper eodem exultaſſe, Deumque celebraſſe, &c. Quæ omnia ſat perſpicue docent, poſſe Dei populum, veroſque fideles & ſanctos interdum, Deo ſic volente, imo diſerte jubente, cum impiis legitima bella gerere, hoſque ab illis in tali caſu juſte puniri, atque adeo, ſi Deus velit, prorſus exterminari poſſe, imo debere.

XVIII. Atque hæc quidem argumenta moderatis ingeniis pro affirmativa noſtra hactenus ſufficere poſſunt. Alia enim nonnulla, minus fortaſſe aut clara aut ſolida, nunc omittimus. Quale verbi gratia eſt illud *Matt.* VII. 12. *Quæcunque vultis, ut homines vobis faciant, & facite ipſis.* Atqui omnes cupimus vitam, famam, rem noſtram, ac noſtrorum, per alios ſervari, interdum etiam vi adhibita, ſi opus ſit. Igitur aliis quoque idem præſtare tenemur. Sic *Matt.* XXII. 21. *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*, &c. At Cæſaris etiam eſt, interdum armis Remp. tueri, civeſque ad hoc opus invitare, &c. Igitur, ſi ille hoc jubeat, parendum nobis erit. Sed *Matt.* XV. 2. *& d.* aliud gravius occurrit: ubi Chriſtus ejuſmodi antitheſin inter Phariſæorum traditiones, & moralia Dei præcepta ſtatuit, quæ illas quidem inanes & tranſitorias; hæc aut ſolida & ſtabilia, ſeu perpetuo duratura eſſe oſtendit. In his autem non tantum recenſet præceptum Dei proprie morale, de *parentibus honorandis*, ſed & aliud quaſi ejuſdem generis, *de iis morte multandis, qui parentibus maledixerint*, &c. Ex qua tum contrariorum oppoſitione, tum utriuſque hujus præcepti conjunctione, ſaltem probabiliter inferri poſſe videtur, non minus hoc poſterius, quam prius illud præceptum, ex Chriſti mente perpetuo vigere debere: ac proinde ejuſdem quoque publicam executionem, quippe etiam nunc juſtam, ac divinitus ſancitam, ne quidem Chriſtianis illicitam eſſe. Sed hæc tamen non admodum urgemus.

XIX. Tandem etiam quædam ex iis N. T. locis huc aptari poſſunt, quæ alioqui diſſentientes pro antitheſi ſua citare ſolent. Verbi

Ep. 423. gratia illud Chriſti ad Petrum *Joh.* XVIII. 11. *Recondе gladium tuum in vaginam*, &c. *An non poculum illud bibam, quod Pater mihi dedit?* &c. Ex hac enim ætiologia Chriſti, cum admodum ſpecialis ſit, ſatis apparet; generalem illam, quam diſſentientes hic urgere ſolent (quaſi videlicet Chriſtianis ſimpliciter, ac ſemper, omni gladii uſu interdictum ſit) Chriſto minime probatam fuiſſe: ut qui eam alioqui haud dubie allaturus fuiſſet, eo præſertim loco, & tempore, quibus eandem maximo cum omnium diſcipulorum, imo & hoſtium ſuorum, fructu afferri poſſe non ignorabat. Dum igitur generalem præcepti rationem prorſus omittit, ſpecialem vero ſolam adducit, utique non illam, ſed hanc ſolam, in hoc monitionum genere locum habere ſatis indicat.

XX. Simile quoddam argumentum extat *Joh.* XVIII. 36. in illis Chriſti verbis ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, &c. *Alioqui miniſtri*, ſeu diſcipuli, *mei pro me pugnaſſent, ne Judæis traderer*, &c. hinc enim per bonam conſequentiam inferre licet, aut nullum Chriſtianis licitum eſſe Regnum mundanum, (quod quidem admodum pauci ex diſſentientibus aſſerunt) aut, ſi hoc ipſis conceſſum eſt, etiam pro eodem aſſerendo pugnare ipſis interdum licere. Emphaſis enim duplex in his Chriſti verbis latet. 1. Dum regnum ſuum (ſuum, inquam, unius; non autem omnium ſuorum) ex hoc mundo eſſe negat: eodem ſcilicet ſpeciali ſenſu, quo alibi ſe conſtitutum eſſe negat ad partiendum bona mundana, &c. *Luc.* XII. 14. quod tamen Chriſtianis non illicitum eſſe novimus. 2. Dum miniſtros, ſeu diſcipulos etiam ſuos (non autem ſolos extraneos, ſive incredulos) pro regno mundano, ſi quod modo habeant, ſalva juſtitia & pietate, pugnare poſſe indicat; ut qui alioqui factum hoc, ſi ſuis temper ac ſimpliciter illicitum eſſet, pro ratione allaturus non fuiſſet.

XXI. Denique quæcunque ex variis N. T. locis, & ſpeciatim ex *Matt.* V. maxime ſub Capitis finem, de ſolida Chriſtianorum juſtitia & æquitate, deque perfecta erga proximum charitate, ergaque miſeros & afflictos ſympathia & miſericordia, item de ſumma eorundem prudentia, diſcretione & cautione ubique adhibenda, præſertim in rebus dubiis ac periculoſis, &c. pro antitheſi à nonnullis afferri ſolent, non incommode contra eandem retorqueri, & pro veriore noſtra ſententia produci poſſunt. Vere enim æquitatis ac juſtitiæ proprium eſt, neminem injuſte lædere, ſed ſuum cuique tribuere, eoque injuſte oppreſſos pro virili noſtra ſervare, aliſque ea commoda omnia præſtare, quæ nobis ab ipſis præſtari vellemus. Veræ item charitatis & ſympathiæ eſt, ſuam ſuorumque vitam, famam, rem, inculpato modo contra vim aliorum pro viribus tueri; nec ſtulta patientia improbis licentiam peccandi dare, aut ſpe impunitatis in ſua malitia ipſos obfirmare. Veræ denique pru- Ep. 423.
dentiæ ac diſcretionis eſt, gradus & momenta varia bonorum malorumque operum, in diverſis caſibus accurate obſervare, publica privatis anteferre, ad cauſas & eventa rerum, & ad peripetaſes omnes diligenter attendere, &c. Quæ cum omnia ſimul fient, certe non antitheſi, ſed theſi noſtræ, in Repub. Chriſtiana locum tribuendum eſſe, facile praxis ipſa demonſtrabit.

XXII. Poſtremo Coronidis loco triplex aliud argumentum triplici antitheſi, quaſi triplici nodo triplicem cuneum, ſic breviter opponimus.

I. Si omne Magiſtratus officium, ſeu mavis omne ſuperiorum in ſubditos imperium ac dominium, quaſi Monarchiæ Chriſti contrarium, aut quacunque alia de cauſa, Chriſtianis ſimpliciter illicitum eſt; tum nec herile, licet moderatiſſimum illud, in ſervos aut famulos, nec patrum in liberos, nec maritorum in uxores, nec præceptorum in diſcipulos, nec tutorum in pupillos, &c. imperium, ſeu dominium, itidem licitum erit: Contra quam multis N. T. locis (ſpeciatim *Epheſ.* V. & VI. *Col.* IV. *Tit.* II. 1 *Pet.* II. & III. &c.) teſtatum eſſe novimus. Et viciſſim, ſi hæc minora, ſeu leviora imperii genera nobis licita ſunt, cur non & majus ſeu gravius illud? Par enim omnium ratio eſt, ſiquidem natura imperii, ſeu dominii, generatim ac per ſe ſpectetur, prout hic quidem fieri oportet. Imo ſi minora illa ideo licita ſunt, quia humanæ ſocietati utilia, aut aliquatenus neceſſaria; quanto magis illud majus, cujus & utilitas & neceſſitas longe major apparet? Denique ut comparatio exemplorum illuſtrior ſit, ſi herile imperium ſub N. T. licitum eſt, idque tale, quale ſub Chriſto & Apoſtolis, inter Judæos pariter & gentes, viguiſſe novimus (plus ſatis rigidum & ſeverum) multo magis politicum illud, quippe ordinarie loquendo lenius & liberalius, in N. T. licitum eſſe, fatendum eſt.

II. Si nullus omnino gladii uſus, quantumvis alioqui moderatus, ac late ſumtus, hoc eſt, pro acriore tantum improborum punitione, aut ſeveriori coërcitione generatim acceptus, Chriſtianis à Deo permiſſus, ſeu conceſſus eſt: tum nec Chriſtianis heris, ſeu dominis in ſervos, nec pædagogis in diſcipulos, nec tutoribus in pupillos, nec parentibus in liberos, &c. ulla ſimilis punitio aut coërcitio, licita cenſenda erit: Contra quam S. Litteræ paſſim in N. T. docent: ſpeciatim vero de heris in Epiſt. ad Philemonem. Et rurſum, ſi hic pœnæ acriores interdum permiſſæ ſunt, cur non & illic? præſertim cum tanto major illic, quam hic, talium pœnarum utilitas, imo & neceſſitas, ſæpe appareat, quanto major publici, quam privati boni ratio ſemper habenda eſt.

III. Si nullo tempore, nullo caſu, nullamque ob cauſam Chriſtianis bellum gerere, aut

Ep.424. aut latrones, ſimileſve maleficos, metu mortis coërcere, adeoque reipſa occidere licet; tum nulla ſæpe Magiſtratus authoritas erit apud improbos, nulla legum vis, vel utilitas, nullus aliarum mulctarum, aut leniorum forenſium pœnarum uſus; eoque nulla interdum proborum, alioqui per ſe poſſibilis, defenſio ac tuitio; nulla improborum (vi reſiſtentium) poſſibilis coërcitio; nullique proinde firma civium pax & ſtabilis ſecuritas, nullus ſolidus ac durabilis Reipub. ordo, nullum denique juſtitiæ politicæ, præſertim retributivæ (uti nec heroicæ ullius ſympathiæ, ac zeloticæ charitatis, nec bellicæ prudentiæ ac fortitudinis, nec ſimilium virtutum) inter Chriſtianos exercitium: ſed aut fœda quædam anarchia, ſive impia quidvis in quodvis agendi licentia: aut ſaltem perpetua potentiorum tyrannis, & turpis impotentiorum ſervitus: & porro miſerrima rerum omnium perturbatio, & quaſi Reipub. chaos quoddam, ex iniquo ſcilicet improrum & incredulorum imperio, ſponte præſertim acceſſito, neceſſario tandem emergens: à quibus humani generis cladibus, ac Reipub. peſtibus, omnes vere pii jure meritoque penitus abhorrent.

Et de his quidem hactenus.

Reſtat ut Antagoniſtæ hæc argumenta noſtra ſolide refelliant, ſuaque viciſſim quæ pro antitheſi afferre putant, nobis examinanda offerant.

CCCCXXIV.

SIMON GOULARTIUS

HERMANNO MONTANO S.P.

Ecclæ filius.

MOnſieur & treshonoré frere. Depuis avoir receu vos dernieres de l'eſté paſſé, j'ay eſté fort deſireux de pouvoir derechef vous eſcrire: mais les occaſions ne s'en ſont rencontré telles que j'euſſe deſiré. Maintenant ayant a eſcrire a mon fils, je n'ay voulu faillir d'y joindre la preſente, pour vous dire que preſentement moy & ma femme & mes enfans ſommes en bonne diſpoſition par la grace de Dieu, hormis l'ennuy & triſteſſe que nous avons receue à l'occaſion des miſerables accidens ſurvenus en Hollande depuis quelques mois & ſemaines. Et vous puis dire, que depuis le Synode de Dort, de toutes les afflictions communes & particulieres qu'avons endurées, ceſte là m'a eſté la plus grieve, & qui m'a le plus abbatu, pour l'horreur que j'ay eu du ſang de pluſieurs perſonnes eſpandu par la main du bourreau, non pour le teſmoignage de la verité, ce qui leur eſté honorable & de grand fruit pour l'avancement de la verité: mais pour des deſſeins Laconiques & non approuvables. Le mal eſt, que pluſieurs ignorans, qui ne ſavent ou ne veulent pas diſtinguer une cauſe particuliere d'avec la generale, la cauſe des hommes d'avec la cauſe de Dieu, prennent de là occaſion de blaſmer tout le corps de nos Egliſes, comme ſi toute noſtre ſocieté eſtoit conſentante à telle choſe, & ſi tous les Miniſtres Remonſtrans eſtoyent complices de Slatius, à l'occaſion duquel nous nous voyons chargez à tort de grands blaſmes & calomnies atroces. Et nos adverſaires, qui ſont cauteleux, n'ont pas oublié de faire leur profit de ces malheurs, pour taſcher de nous accabler entierement. Car meſmes leurs virulentes calomnies ont penetré bienavant en France, & particulierement en ceſte ville, juſques là qu'on a eſcrit de Hollande au Gouverneur de ce lieu, que les Arminiens qui ſont en France, & meſmes à Calais, ont eſté autheurs & fauteurs de l'entrepriſe bratlée en Hollande, tellement que j'en ay eu des alarmes, ayant receu commandement de la part du dit Gouverneur de ſortir de ceſte ville, dont les Calviniſtes de ce lieu faiſoyent leurs triomphes. Mais eſtant advenu que quelques gens de bien, voyans le tort qui m'eſtoit fait, ont repreſenté au dit Gouverneur, que ceſte entrepriſe eſtoit une particuliere entrepriſe, & que ce n'eſtoit raiſon que ceux qui reſidoyent en France fuſſent chargez de cela, ceſte ordonnance de me faire ſortir eſt demeurée ſans effect juſques à preſent. Cependant cela m'a tellement degouſté de ce lieu, que j'ay peu de deſir d'y faire long ſejour, & n'euſt eſté ma famille, je n'y euſſe pas arreſté ſi long temps, ains me fuſſe retiré pres de nos gens à Paris ou à Rouen, ou bien en Hollein. Quant à la Hollande, je voy peu d'apparence d'y retourner en l'eſtat ou les affaires ſont maintenant, notamment veu le peu de fruict que j'y pourroy faire. Si j'euſſe eſté auſſi verſé en la langue Flamengue qu'en la Francoiſe, j'euſſe volontiers enſuivi l'exemple des autres: mais pour le peu de Wallons qu'il y a qui font ouverte profeſſion de noſtre cauſe, le danger euſt eſté plus grand pour moy que le fruict pour eux: c'eſt ce qui m'a fait choiſir mon ſejour en France, notamment en ce lieu, comme le moins eſloigné de la Hollande. Ce qui n'a gueres aggreé au Calviniſtes d'ici; leſquels voudroyent que je fuſſe bien loing d'eux. Toutesfois perſonne d'eux ni s'eſt avancé de me dire ou faire quelque injure. Et s'il y en a entre eux qui me procurent du mal, c'eſt deſſous main. Quant aux Catholiques, il ne leur chaut s'il y a ici des Arminiens, ou s'il n'y en a point, & meſmes j'en ay trouvé aucuns aſſez humains & courtois & mon endroit: notamment leur Doyen, auquel ayant parlé une fois au deux par rencontre, je l'ay trouvé juge fort equitable de noſtre cauſe, laquelle il prefere de beaucoup à celle des Calviniſtes. J'ay auſſi remarqué beaucoup d'erudition en luy. Cependant afin qu'il n'eſtimaſt, qu'en nous eſloignant du Calviniſme noſtre intention fuſt de nous joindre a l'Egliſe Romaine, je luy ay ſincerement declaré noſtre creance

Ep.424. touchant le Bapteſme & la Cene & autres points, & luy ay fait entendre que nous n'approuvions point la tranſubſtantiation. Quant aux Miniſtres Reformez, notamment le François, j'ay parlé diverſes fois à luy, & m'a auſſi demonſtré quelque courtoiſie, & fait mine d'approuver la moderation, juſques a me dire qu'il n'approuvoit point le ſerment du Synode d'Alez, ce qui m'a donné occaſion d'ouir quelquefois aucuns de ſes preſches. Mais j'ay remarqué que depuis ces derniers bruits de Hollande, auquels il donne lieu, ſans y apporter telle diſtinction qu'il convient, il s'eſt monſtré moins moderé, toutesfois n'a pas laiſſé de me venir voir & de m'apporter lettres de M. d'Or de Paris. Quant aux Miniſtres de France en general, ils ſont fort bigillitaires, pour la pluſpart au lieu d'eſtudier ſe ſont laiſſé remplir l'eſprit de conſiderations politiques & militaires, qui ont eſclos ceſte miſerable guerre dont s'eſt enſuivie à peu pres la ruine de ceux qui ſe diſent Reformez: Et tant s'en faut qui ceux Miniſtres ayent diſſuadé ceſte guerre, qu'on tient au contraire qu'ils en ont eſté les autheurs & promoteurs, ſe ſervans du pretexte de Religion pour y induire le peuple: Ce qui leur a apporté & apportera grande diſreputation, & cauſé pluſieurs revoltes & diminutions en leurs Egliſes. Il y en a fort peu entre eux qui ſoyent ſoucieux de s'enqueſter de noſtre cauſe, & d'y preſter la main. M. Balcet Miniſtre Daulphinois s'eſt monſtré le plus zelé de tous. M. de Courcelles Miniſtre d'Amiens s'eſtant manifeſté pour les Remonſtrans, & voyant qu'a ceſte occaſion il eſtoit mal voulu des autres & qu'a peine le voudroyent ils tolerer en ſon miniſtere, s'en eſt deporté luy meſme. Il y en a encore d'autres qui cognoiſſent la verité & voudroyent bien parler, mais n'oſent. S'il y avoit un peu plus de zele entre eux, cela pourroit grandement ſervir à l'avancement de noſtre cauſe en France. Ces derniers malheurs advenus en Hollande, y ont apporté du retardement. Si ne faut il pas pourtant perdre courage ni abandonner noſtre bonne cauſe, laquelle Dieu permet eſtre expoſée a de grandes & longues eſpreuves, non pour la deſtruire comme ſi elle eſtoit improuvée de luy, mais pour la maintenir & rendre approuvée, & par le feu d'affliction ſeparer ce qui y pouvoit reſter d'eſcume. Le bruit eſt par deça, que quelques uns d'entre les Miniſtres Remonſtrans ſont accordez, & autres en train de s'accorder avec les autres: mais on ne dit point en quelle maniere. Ce qui me fait craindre, qu'il n'y ait de la laſcheté en quelques uns: car je ne ſçay quel accord on peut faire avec les autres en ce temps ci, ſinon en ſe ſoumettant au Synode de Dort, c'eſt a dire, en abjurant noſtre bonne cauſe. On dit auſſi, que nos bons freres Poppius & Niellius ſont ſur le point d'eſtre menez & confinez au Chaſteau de Louveſteyn. Le dommage que nos Egliſes reçoivent de l'empriſonnement de ces deux perſonnages, comme deux lumieres miſes ſous le boiſſeau, n'eſt pas petit. J'eſcri une lettre au dit S. de Nielles, laquelle j'envoye à mon fils pour la luy faire tenir. Je la luy envoyé ouverte, afin qu'il en retienne copie, & qu'il la face voir à quelques amis. Dieu vueille par ſa grace reparer tant de breſches que nos povres Egliſes ont receues, notamment ceſte preſente année: & vueille fortifier tous ceux qui cognoiſſent ſa verité, afin qu'ils demeurent conſtans en la defenſe d'icelle. Je le prie particulierement qu'il vous ait en ſa ſaincte garde & protection, & vous preſerve de tout inconvenient. Je ſalue de meſme tous nos freres & amis de par dela. Ma femme vous ſalue auſſi de bon cœur, comme font auſſi mes enfans, & noſtre ſervante Eſther, laquelle penſe retourner de brief par de la. De Calais ce 7 de Juin 1623. Ep.425.

Voſtre tres-affectionné frere & ſerviteur

S. GOULART.

CCCCXXV.

RUMOLDUS HOGERBEETS

N. N. S. P.

De Magiſtratu.

REverende in Chriſto Frater, quod tantum laborem mea cauſa impenderis, tantum temporis tuis graviſſimis occupationibus ſubtraxeris, ut tractatum D. D. Epiſcopii de Magiſtratu propria manu mihi deſcriberes, propenſi tui animi erga me indicium eſt, eoque nomine ego me tibi obligatum ſemper agnoſcam. Legi librum maxima cum voluptate, perpauca ſunt ad quæ aliquantum hæſito, ea tuæ H. paucis exponam. Ad primum articulum quod attinet (quem ego fundamentum & baſin eſſe ſequentium autumo) ſic ſtatuo; omnes poteſtates eſſe à Deo ordinatas & inſtitutas *Gen.* IX. *Rom.* XIII. idque ad optimum & humanæ ſocietati utiliſſimum finem, 1 *Tim.* II. ſcilicet ad conſervationem ſalutis publicæ; nam, ne in hac mixta paucorum bonorum, cum plurimis malis, converſatione, temerario ac cæco impetu hujus mundi ornatus, per injuſtitiam in ſtatum inornatum degeneraret, fluctuumque inſtar humana omnia volverentur, à Deo hæ poteſtates ſunt formatæ & inſtitutæ, ut inferiores à validioribus tuerentur: Sapientum prudentia, quod cæteris deeſſet, provideretur: eorum fortitudine inſtantia pericula arcerentur, ac beneficiis ſubditi ornarentur: ita ut imperare officium ſit, non regnum. Quod ſi impius imperium arripiat aut invadat, haudquaquam hunc à Deo creatum & deſignatum dicerem, verum permiſſum, ut Pharaonis in modum omnem ſuam improbitatem evomat, atque ita extremo ſupplicio crucietur; aut eos, qui crudelitate opus habent, ad

Ep.425. ad meliorem mentem revocet, quemadmodum Rex Babylonius Judæos: neque enim dixit Paulus, non eſt præfectus niſi à Deo; verum de re ipſa diſſerens, non eſt, inquit, poteſtas, niſi à Deo. Fateor plurima mala in hujus muneris functione ineſſe, quæ ab hominum vitiis & negligentia promanant; ſed bonum illud, quod in ea eſt, vix aliter haberi poteſt: & ſcitum eſt; Abuſum rei naturam ejus minime vitiare. Quare iniqua eſt in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis, malorum enumeratio vitiorumque ſelectio. Nam iſto modo vix ulla res non erit vituperabilis. Raro bona nobis in hac vita largitur Deus omnibus malis moleſtiiſque vacua. Hoc fundamento poſito, facilis mihi reſponſio videtur ad articulos ſequentes: nam cum imperium commode exerceri nequeat, ſine legibus & earum obſervatione; ſequitur & legum condendarum poteſtatem, & in inobedientes ac contumaces animadverſionem, imperii nomine comprehendi; & quod hoc à Deo conceſſo ac inſtituto, reliqua quoque conceſſa ſint, ſine quibus hoc exerceri non poteſt, vi neceſſariæ conſequentiæ evincitur. Verum illud imprimis hic obſervandum eſſe puto, Magiſtratum Chriſtianum in infligendis pœnis non debere ſequi rigorem Legis Moſaicæ, nec terribiles illos Juriſconſultorum Romanorum libros, qui, teſte Juſtiniano Imperatore, omnem continent ſeveritatem pœnarumque atrocitatem: ſcire debet, Chriſti ſpiritum eſſe ſpiritum manſuetudinis (non quidem infinitæ, quæ vitioſa eſſet ac juſtitiæ contraria) ſed ſummæ; ideoque nunquam pœnas admovebit, niſi in ingeniis plane inſanabilibus, idque animo maxime corrigendi. Omni perturbatione liber ad rem ſumma diligentia tractandam accedet. Semper inclinabit in mitiorem partem; & memor humanæ fragilitatis non curioſe inquiret in ea, quæ latent; nec enim in hoc à Deo inſtitutus eſt, ut omnes delinquentes arguat & puniat; ſed tantum ut manifeſta crimina prohibeat, & externam diſciplinam conſervet, ad quam tuendam ſi ſolæ admonitiones ſufficiant, ad verbera non eſt perveniendum; nam ubi hunc finem aſſecutus eſt, ſubliſtere debet; nemo enim prudens, inquit Plato, punit, quia peccatum eſt, ſed ne in poſterum amplius peccetur; revocari præterita non poſſunt, futura prohibentur: Quoties ergo conſtat, neque eos, qui peccarunt, neque alios eorum impunitate peccaturos, pœna ceſſare debet. Ex hiſce hæc elicio conſectaria. 1. Magiſtratui Chriſtiano non licere quenquam mortis pœna punire, quem Lex Moſaica mitiori pœna condemnat. 2. Pœnas omnes eſſe dirigendas ad emendationem peccantis; & cum illud primum ac præcipuum ſit, ad quod Magiſtratus debeat attendere, dubito, an ulli mortis naturalis pœna imponi poſſit. Nam 1. jus vitæ ac necis ſoli Deo competit, nec Magiſtratus ejus poteſtatem habet, niſi ei ſuperne data ſit; merum imperium proprio jure non habet, ſed tanquam miniſter Dei judicium exequitur. Scio Paulum gladii & vindictæ mentionem facere; ſed iis verbis non mortis pœnam deſignat, verum in genere jus puniendi, quod Magiſtratui concedimus, verum de modo dubitamus. Chriſtus quidem non abolevit ordinem politicum; majori tamen lenitate & manſuetudine criminalia judicia à Chriſtianis vult exerceri, quam à Judæis & Ethnicis olim fuerunt uſurpata. 2. Et ſane ſi (quod omnes concedunt, & ego veriſſimum eſſe ſtatuo) pœna mortis non debet admoveri niſi in inſanabilibus ingeniis, vix unquam admittenda erit: nam dum in hoc corpore vivitur, nullius negligenda eſt correctio, nullius deſperanda reparatio; nunquam ſpes projicienda eſt, nec mortifera ſigna pronunciandа. 3. Et cum aliis remediis tranquillitati publicæ ſatis conſuli poſſit, ut mihi quidem videtur, cur hujus pœnæ uſus, ſi non in totum aboleri, ſaltem ad tempus ſuſpendi non poſſet, eoulque dum alia remedia leniora eſſent tentata, & probatum an non ea ſufficerent ad malorum depulſionem? Dolendum ſane eſt, quod hodie pleriſque in locis ſanguis & vita hominis tam vilis habeatur, cum in oculis Dei nihil ea (quæ ad imaginem Dei creata eſt) ſit pretioſius. Scribit Diodorus Siculus, Sabocum Regem Ægypti, hoc argumentum humanitatis non dubium præbuiſſe, quod pro capitis ſupplicio id rependerit damnatis, ut vinculis adſtricti laborarent; eorumque opera multos erexit aggeres, nec pauca divortia Nili effodit: hoc conſilio ſupplicii acerbitatem diminui, & inutilium loco pœnarum, magnam urbis utilitatem creari perſuaſum habens. Quid obſtat quominus & Chriſtiani hoc exemplum imitentur; & ſalutaribus monitionibus indelinenter (quis enim medicus ægros in tranſitu curat?) miſerorum animi à vitiis purgentur ab iis, quorum vocationi & muneri id proprium eſt? Quod aliqui putant exemplo & magnitudine corporalium punitionum, alios à ſceleribus deterreri; in eo iis non aſſentior. Increpatio, inquit Salomon, prudentes magis perterrefacit, quam centum plagæ ſtultum. Deplorati homines aliorum pœnis non moventur: magnitudo pœnæ adigit quoque deficientes ad deſperationem; animam perdit, ac humanæ naturæ omnino inconveniens eſt. Quid enim homine mitius? Quid aliorum amantius? arte non vi tractandus eſt. Molliſſimum genus pœnæ, & paulum ſupplicii pro magno peccato patri ſatis eſt. Cur non & Princeps, quem Patrem patriæ appellamus, eadem clementia erga ſubditos utetur? ut quocunque venerit, manſuetiora omnia faciat? Nemo Regi, ait Seneca, tam vilis ſit, ut illum perire non ſentiat, qualiſcunque pars imperii eſt. Agat curam non tantum ſalutis, ſed etiam honeſtæ cicatricis. Nulla Regi gloria eſt ex ſæva animadverſione; at contra maxima, ſi vim ſuam continet; ſi multos iræ alienæ eripuit, neminem

Ep.425.

ſuæ

Ep.426. ſuæ impendit. Verecundiam peccandi facit clementia regentis: gravior multo pœna videtur, quæ à miti viro conſtituitur. Præterea videbis cito committi quæ ſæpe vindicantur; Et in qua civitate homines rarius puniuntur, in ea conſenſus ſit innocentiæ: periculoſum eſt oſtendere civitati, quanto plures mali ſint. Ex hiſce puto te, chariſſime Frater, mentem meam ſatis intelligere. Si quid in iis eſt, quod veritati aut verbo Dei contrarium ſit, peto ut me tua inſtitutione in viam rectam reducas. In ſummo fine puto nos convenire: ſi in mediis, quæ ad eum ducunt, diſcrepamus, hæ infirmitates non modo ferendæ, ſed & utiles ſunt, quia nos ad diligentiam excitant, & ad meliora aptiores reddunt. His vale, mi Domine & Frater honorande. Deus te ſuis donis quotidie cumulatiorem reddat, tuos labores fortunet, & ab omni malo protegat. 5 Octobris 1623. Raptim.

CCCCXXVI.

DANIELI BRENIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

De tollendo ſuo an liceat Chriſtianis gerere Magiſtratum.

MI dilecte Breni, Lutetia Rhotomagum reverſus inter primas curas habui, videre & legere ſcriptum tuum, quod ibi adventum meum præſtolari juſſeram. Et vidi & legi iſtud admodum libenter. Etiamſi enim obſervem te inclinare magis in partem mihi contrariam, tamen mirifice mihi placuit, quod in eo non accuratæ tantum, ſed & bonæ piæque mentis lineamenta omnia deprehenderim. Quæ res adeo me affecit, ut multo plus gaviſus fuerim quam doluerim, quod à me diſſentires in tam principali argumento. Quid in eo deſiderem quod cauſæ meæ non obeſſe, nec tuæ prodeſſe credo, jam non perſcribo. Etenim me totum jam Camero meus habet, ut aliis curis vacare nec liceat nec pene libeat. Ubi tantillum otii à rebus iſtis ſuffurari potero, dabo operam, ut quid in ſcripto tuo ſit quod mihi non ſatisfacit, intelligas: Interim, mi Breni, proſequere cœptum opus, & macte iſto eodem pio ſanctoque animo verſari in rerum ſacrarum accuratiore examine. Non offendit me diſſenſio tua, quæ cum modeſtia ſumma & veri bonique non pœnitendo ſtudio conjuncta eſt: calcaris mihi inſtar erit, ut diligentius animum advertam anne mihi quicquam exciderit, cujus me pœnitere debeat. Optarem quidem ut unum idemque ſentiamus, inprimis in iis quæ præcepta Domini noſtri Jeſu concernunt, ſine quibus ſalvi eſſe non poſſumus: ſed quando id nondum fieri poteſt, nihil dubito, quin, ſi utrimque ad eorum examen adferamus animum pium & judicio liberum, clementiſſimus ille Deus aut eandem nobis ſententiam ſit inſpiraturus, aut modum ſuggeſturus, quo ſciamus qua ratione ſine ſalutis periculo, etiam in iſto aliiſque capitibus diſſentire queamus. Ep.427. Perge interim tu quantum potes puriori veritati, & inprimis Chriſtianæ pietati operam dare, prout facere te cum voluptate intelligo. Sic eris gloria inſtitutionis meæ, & Deus tibi benefaciet, quod precor ex animo.

CCCCXXVII.

STANISLAO PODLODOVIO

DANIEL TILENUS S.P.

NObiliſſime Domine; hoc ipſo temporis puncto promiſſum nuperis tuis ad me literis munus mihi traditur, ſimulque reſponſum à me poſtulatur, Norimbergenſi tabellario, jam petaſato tradendum. Hunc vacuum dimittere religio mihi eſt: judicium autem meum, quod petis, de ſcriptis illis, nondum à me libatis, adjicere, tabellarii feſtinatio non ſinit. Fiet hoc poſtquam omnia accurate expendero. Noſti illud, *μὴν δίκαν* (*neque juſtitiam*, &c.) Interim pro munere gratiſſimo gratias ago. Mallem referre, ſi ad manus eſſet *ἰσόδωρον δόσιν*. (*mutuum donum æqualis pretii*) Conſilium tuum ſummopere probo, quod in re tanti momenti, non alienam fidem ſequi, aut cujuſquam mortalis autoritate duci ſuſtines; ſed tuapte diligentia ac ſollicitudine, in Theologorum dogmata inquirere, ſingulaque ad verbi divini obruſſam exigere, in animum induxiſti. Utinam hoc Chriſtianis omnibus fixum animo, immotumque ſederet! ut ſe Chriſti oves, non brutas ſed *λογικὰς* (*rationales*) atque etiam *πνευματικὰς* (*ſpirituales*) eſſe meminiſſent. Eſt enim omnino hæc Eccleſiaſtici fundi calamitas, ac prima mali labes, quod plerique in ea doctrina, ad quam vel naſcendi ſorte, vel factionis impetu, vel privatæ rei ſtudio delati tanquam ad vadum quoddam obhæſerunt, perpetuo ſibi acquieſcendum eſſe ſtatuant, & adverſus recepta Magiſtrorum placita vel hiſcere piaculum exiſtiment. Sed iſta deflere quam emendare facilius eſt. Cæterum lætor, Te, poſtquam à nobis diſceſſiſti, feliciter ad penates tuos reverſum, tantumque itineris, favente numine, emenſum. Eadem gratulatione, officioſaque reſalutatione per me defungitur clariſſimus vir D. Grotius, tuis verbis à me ſalutatus. Salivam ei movit monitum tuum, de Reſponſo illo, quod ſub prælo jam tum ſudare ajebas. Non video, qua ratione id naſturi ſimus, niſi tu beneficia tua novis beneficiis exaggerando, & pertegendo, ne perpluant, nos ejus compotes facias. Ego ſane, cui plurimum jam debeo, etiam poſthac plurimum me velle debere profiteor. De Galliæ rebus nihil addo. Pax quæ ante diſceſſum tuum coiverat, nondum diſſilit: quod tamen magno emtam cuperent irrequieta ingenia, quibus omnis in turbido ſpes: licet plus habeant querimoniarum, quam virium.

Ep.428. rium. Nempe occurrit illis vetus illud, Ἐν στάσεσιν καὶ πονηροῖς ἔργοις πᾶσι. (*in seditionibus & pessimus fortitus est honorem.*) Bene & feliciter vale, Nobilissime Domine, & quod facis amare me perge

Tibi addictissimum

D. TILENUM.

Lutetiæ Parisiorum 11 Nov. 1623.

CCCCXXVIII.

SIMON GOULARTIUS

HERMANNO MONTANO S.P.

Exhortatio.

MOnsieur & treshonoré Frere, Ma femme se preparant pour faire un voyage en Hollande pour nos particuliers affaires, je n'ay voulu faillir de la charger de la presente, principalement y estant semond par les vostres amples du 2 d'Octobre, par lesquelles vous m'avez fait singulier plaisir de me representer plusieurs choses que j'ignoroy, & desiroy de sçavoir touchant l'estat de nos Eglises par delà, depuis les tempestes & orages estranges qui les ont menacé de ruine depuis un an en ça, à l'occasion de ceste temeraire & detestable conspiration qui a cousté la vie à Slatius, & autres: dont se sont ensuivies tant d'atroces calomnies & diffames des adversaires contre les nostres, & tant d'esbranslement & consternation entre les nostres. J'ay esté fort triste d'entendre la lascheté des Ministres de Campen, & de Nimegue, & de quelques autres, auquels Dieu vueille faire la grace de recognoistre leurs fautes & de les reparer, & les vueille ramener au droit chemin: d'autre part cela m'a grandement resioui d'entendre le bon devoir, que nos autres freres ont fait en dressant & presentant nouvelles requestes & Remonstrances aux Estats & au Prince d'Orange, & par icelles manifestant leur innocence & integrité devant les yeux de tous, contre les blasmes & reproches de Triglandus & de ses semblables. J'ay veu estant à Paris le premier escrit dudit Triglandus intitulé *Vriendelicke Vermaninge*: mais je n'ay encore veu l'escrit que les nostres y ont opposé, ni entendu ce qui s'en est ensuivi. C'est un grand bien que Dieu fait à nos Eglises, qu'il se trouve parmi les nostres des gens d'esprit & de courage & donez de suffisance pour respondre à tels escrits, & rembarrer tels escrivains. J'ay oui encore parler d'un autre escrit fait par les nostres, intitulé *Spongia Erasmi*, lequel je n'ay encore veu, non plus que celui de Slatius, ni la response que les nostres y ont opposée. Si ces responses & apologies des nostres ne servent a moderer & addoucir les adversaires, il est a esperer que pour le moins elles serviront à fortifier les nostres, & les maintenir en la constante profession de la bonne cause. Je n'ay encore entendu qu'elle a esté l'issue de l'Excommunication projettée par les Ministres Predestinaires d'Amsterdam contre quelques uns des nostres. J'espere qu'ils auront du sens & du courage assez pour mespriser telles futées, aussi bien que celles de Rome. Quant à ce qui s'est passé par delà durant l'hyver, & specialement quant à l'empriſonnement de nos bons freres & amis Cupus & Vezekius, j'en ay ici entendu les tristes nouvelles qui m'ont esté confirmées par lettres de M. Utenbogart, & par autres de Johannes Arnoldi, qui m'escrit qu'on les a menés à Louvesteyn avec les autres. Dieu vueille les y conſoler, & ne permettre que telles lumieres demeurent couvertes sous le boisseau d'une prison perpetuelle, & donner courage aux nostres de ne se refroidir pour cela en la defense & avancement de nostre bonne cause: estant a esperer que si les nostres, à l'exemple des anciens Chrestiens, se monstrent constans & resolus nonobstant telles procedures & empriſonnemens, ils estonneront les adversaires: comme jadis les persecuteurs ont esté estonnés de la constance des anciens Chrestiens, voyans que par leurs rigoureuses persecutions ils ne gagnoyent rien sur eux. Quant à l'estat de nostre dite cause es quartiers de deça, la verité s'y descouvre & avance, mais assez lentement, par la nonchalance de ceux qui la cognoissent & n'en osent entreprendre la defense ouverte, craignans d'estre deboutés de leur ministere, & exposés à la haine & malvueillance du peuple & de leurs consistoires, & aux censures & crieries des Aristarques, qui en leur dernier Synode National tenu à Charanton en Septembre dernier ont approuvé les canons du Synode de Dort, & les ont fait publier sous leur nom, comme si eux mesmes en estoyent les autheurs. Le S. de Corcelles Ministre d'Amiens qui en un Synode Provincial tenu quelques mois auparavant avoit parlé en Remonstrant, s'est laissé veincre aux persuasions des Ministres de Paris & de quelques autres tournant le dos aux nostres, auquels il avoit promis de se maintenir ferme. J'enten aussi que le Ministre de S. Quintin en Praudie ayant laſché quelque parole pour la defense de verité, a esté debouté de son ministere & supplanté par un autre qui l'a taxé d'estre Arminien pour se fourrer en sa place. Entre les membres particuliers des dites Eglises d'Amiens & de S. Quentin il s'en trouve aucuns qui parlent assez librement pour la defense de nostre cause, comme j'enten aussi qu'a Rouen & à Diepe il s'y en trouve quelques uns. M. Balcet Ministre de Vanckson en Dauphiné, ci devant deposé de son ministere pour la mesme cause, est celui de tous qui a fait le plus de devoir, s'estant employé en divers lieux des quartiers de delà a y manifester la verité, non sans quelque succes: ce qu'ayant esté apperceu de certain Capucin, il a esté par lui deferé au Parlement de Grenoble,

Digitized by Google

Ep.428. ble, comme introducteur d'une nouvelle religion, ſur quoy ayant eſté adverti qu'on auroit decerné prinſe de corps à l'encontre de lui, il s'eſt retiré, à ce qu'on dit, es vallées de Piemont, là ou les habitans ſont iſſus des anciens Vaudois, qui du temps de S. Bernard fournulloyent en Provence & en Dauphiné, leſquels je trouve n'avoir gueres differé de noſtre creance, a ſçavoir des Remonſtrans: c'eſt pourquoy nos adverſaires craignent fort que noſtre dite creance ne prenne pied en ce royaume: comme il adviendroit aiſement, ſi les Miniſtres de France eſtoyent un peu plus ſtudieux de cognoiſtre la verité, qu'ils ne ſont. De ma part j'ay fait ce que j'ay peu pour y en attirer aucuns, ayant conferé aſſés librement avec le Miniſtre de Senlis. Item, avec un de Paris, & avec celui de Calets & de Guines, & autres, leſquels m'ont demonſtré aſſés de courtoiſie en leurs devis: mais ne veulent, ou n'oſent eſtre ſoupçonnés Arminiens. Celui de ceſte ville ſe plaignoit à moi dernierement de ce qu'on le tenoit pour ſuſpect, & s'excuſoit de ce qu'il venoit rarement en mon logis, ayant eſté adverti qu'on eſpioit ſes pas & ſes actions. Auſſi ne le vay je gueres voir pour ne luy point donner d'ombrage: Il eſt tenu pour l'un des meilleurs preſcheus Reformés de ce Royaume; ce qui m'a quelquesfois donné occaſion de l'aller ouir: mais depuis quelque temps je m'en deporte: Si nous avions quelque liberté d'exercice en ce royaume, il s'en trouveroit ici aſſés qui ſeroient contens de nous ouir: mais nous avons a faire à des Gouvernours non lettrés, deſquels il ne faut attendre nulle faveur s'ils n'en ont charge expreſſe du Roy; qui eſt une choſe encore mal preſte: & qui ne peut eſtre, ſi ce n'eſt que quelques uns d'entre les Miniſtres de France, & quelques particuliers y tiennent la main. Leur nonchalance en c'eſt endroit me rend le ſejour de la France peu aggreable, & me fait quelquesfois penſer au pays de Holſteyn: la ou je feroy volontiers un voyage par mer, ſi je trouvoy ici compagnie & commodité de navire. Mais avant que ce faire j'attendrai le retour de ma femme, laquelle pareillement a quelque inclination vers ledit pays de Holſteyn, eſtant fort deſireuſe d'eſtre en un lieu ou elle puiſſe jouir du libre & public exercice de ſa religion: qui eſt auſſi le deſir de nos enfans. Si on euſt peu obtenir quelque mediocre liberté en Hollande, j'euſſe eſté bien deſireux d'y retourner, pour y faire quelque fruit parmi les Wallons. Mais y eſtant trop cognu, & le danger y eſtant plus grand que l'apparence d'y pouvoir faire grand choſe: & perſonne ne m'invitant ni me conſeillant d'y venir, j'ay continué mon ſejour en ces quartiers de France, non du tout ſans quelque fruit, l'occaſion ſe preſentant de parler a diverſes perſonnes, ſpecialement a des paſſagers de ma cognoiſſance qui voyagent & paſſent aſſes ſouvent par ici, notamment à Ep.429. ceux qui vont en Hollande ou qui en viennent; comme encore cela m'eſt advenu depuis trois jours. Je voy auſſi qu'en ce lieu il y en a aucuns qui approuvent noſtre cauſe, & aucuns qui n'en ont pas ſi mauvaiſe opinion que paravant. Et ſe pourra faire qu'a l'advenir la bonne ſemence, qui ſembloit eſtre eſtouffée, viendra à germer & produire ſon fruit. Comme j'achevoy la preſente je vien de recevoir lettres de M. Utenbogart du 11. d'Avril, qui me mande le deces de noſtre bon frere, & ami Poppius, qui eſt une grande perte pour nos Egliſes, principalement en ce temps que l'union & concorde entre les noſtres n'eſt point telle qu'il ſeroit a deſirer. Dieu vueille conſerver ceux qui reſtent, & les fortifier en la defenſe & conſtante profeſſion de ſa verité. Je le prie particulierement M. & treshonoré frere, qu'il benie vos ſaint labeurs, & vous tienne en ſa ſaincte garde & protection, vous preſervant de tout mal pour le bien de ſon Egliſe. De Calais ce 10. Avril. 1624.

Voſtre tres-affectionné frere & ſerviteur

S. GOULART.

CCCCXXIX.

SIMON GOULARTIUS

PETRO CUPO S. P.

Conſolatio ad Cupum captivum.

MOnſieur & treſcher frere, Ayant entendu les triſtes nouvelles tant de voſtre empriſonnement à Amſterdam, que de voſtre confinement au Chaſteau de Louveſteyn, avec nos autres freres qui là ſont detenus priſonniers, Je n'ay voulu differer de vous eſcrire, pour vous teſmoigner l'extreme regret que j'en ay receu, ſuivant la ſympathie Chreſtienne, qui nous commande d'avoir ſouvenance des priſonniers comme ſi nous eſtions empriſonnés avec eux, *Hebr.* XIII. 2. Et noſtre particuliere amitié, comme de compagnons d'exil, qui avons veſcu en meſme ville & en meſme logis, & qui ſouffrons pour le teſmoignage d'une meſme cauſe, me fait tant plus penſer à vous, & prier Dieu, qu'il luy plaiſe vous conſoler & fortifier en ceſte eſpreuve que vous ſouſtenez pour ſa ſaincte verité, & vous donner delivrance de ceſte captivité, afin que nous ayons matiere de luy en rendre graces. Je voy que voſtre affliction a eſté aggravée par le deces de noſtre bon frere & ami Poppius, avec lequel vous eſtiez logé en meſme chambre, ſelon que j'ay apprins par les dernieres lettres de M. Utenbogart, qui eſt fort contriſté de voſtre empriſonnement, & du treſpas de noſtre dit Frere Poppius, pour la grande perte que nos Egliſes en reçoivent, comme ayant eſté un ſingulier & exquis inſtrument d'eſlite, duquel noſtre

Ep.429. ſtre Dieu s'eſt ſervi en la defenſe & avancement de ſa ſaincte verité au pays de Hollande. Et avons occaſion de prier ſa divine bonté, qu'il luy plaiſe conſerver ceux qui reſtent, & les maintenir en bonne union & concorde, & en ſuſciter d'autres, qui ſoyent donés de zele & de prudence accompagnée de pieté, en la place de ceux qui ſont decedés. J'eſpere qu'en ceſte voſtre captivité vous ne ſerez entierement deſtitué de conſolation, tant par lettres de vos amis, que par la preſence de voſtre bienaimée femme & de vos enfans, leſquels auront permiſſion, comme je croy, de vous voir & vous tenir compagnie. Cependant il me ſemble que la rigueur dont on uſe en voſtre endroit eſt bien grande, comme ſi ce n'eſtoit pas aſſés, que vous ayez eſté en exil l'eſpace de quatre ans, ſans voir femme ni enfans tout le temps qu'avez eſté en France, qu'il faille de ſurplus qu'a voſtre retour en voſtre patrie vous y ſoyez empriſonné & confiné en un lieu clos d'eſpaiſſes murailles & de profonds foſſés. Vray eſt, qu'il ſemble à nos adverſaires, qu'ils uſent de grace envers les noſtres, quand il les logent en des priſons ſans les faire mourir. *Sed illud peſſimum genus eſt crudelitatis, cui clementia ſpecies falſa blanditur. Ille gravior, ille ſævior eſt carnifex, qui neminem ſtatuit occidere.* Lactantius, Inſtit. div. lib. 5. c. 11. *Perſecutores Eccleſiæ aliquoties movere bellum manifeſtè nolunt: dicunt enim pios ad martyrium, quaſi apes ad alvearium volaturos.* Chryſoſt. Serm. in Juvenc. & Maxim. martyres. Ainſi en font aujourd'huy nos adverſaires, cuidans par telles procedures eviter le blaſme d'eſtre eſpandeurs de ſang. Mais je ne voudroy pas leur promettre, qu'ils n'auront point à reſpondre au jugement de Dieu de la mort de noſtre bon ami Poppius, ni que leurs Miniſtres reſpondront pour eux: car ils auront aſſés à reſpondre pour eux meſmes, comme ayans eſté les inſtigateurs & premiers autheurs de ceſte perſecution, laquelle ne peut eſtre aggreable à Dieu, ni profitable à ceux qui l'exercent, mais bien pluſtoſt à ceux contre leſquels elle eſt exercée, entant que par icelle ils rendent teſmoignage à la verité, ou pluſtoſt ſeellent par œuvre & par effect le teſmoignage qu'ils ont rendu à icelle par leur parole & doctrine, & confirment en la profeſſion & cognoiſſance d'icelle ceux qui en ſont dignes. C'eſt ce qui vous doit le plus conſoler en voſtre captivité, conſiderant qu'elle n'eſt pas, & ne demeurera pas infructueuſe. Auſſi avez vous occaſion d'eſperer, que Dieu ne permettra que voſtre captivité ſoit perpetuelle, ains qu'il exaucera les prieres de ceux qui le ſupplient journellement pour voſtre delivrance, & vous delivrera par tel moyen que ſa ſageſſe cognoiſtra eſtre convenable. Quant à mon particulier eſtat, je continue ma reſidence en ceſte Ville de Calais, la ou preſentement on me laiſſe en paix ſans me rien dire. Mais je ne ſuis pas d'intention des faire demeure arreſtée: ains, ſi Dieu le permet, de faire ma retraite ailleurs, ſpecialement vers le pays de Holſteyn, vers lequel j'ay grande inclination, notamment depuis vous avoir veu ici l'an paſſé. Au paravant j'avoy quelque inclination vers Rouen ou Paris: mais voyant que nous n'y avons point de liberté ouverte pour l'exercice de noſtre religion, je ſuis fort refroidi en mon deſir d'aller plus avant en France. Mais avant que rien reſoudre j'attendrai le retour de ma femme, qui ſe prepare pour faire un voyage en Hollande pour nos particuliers affaires, & ſpecialement à l'occaſion de Victor Sprinckel, duquel nous entendons des mauvaiſes nouvelles ſelon qu'on nous eſcrit de Zelande, aſçavoir qu'il auroit fait banqueroute: ce que tourne à grand dommage a vos freres de Rotterdam, & auſſi à moy qui ay bonne ſomme d'argent entre ſes mains: ce qui me vient fort mal en ce temps, que nous avons tant de charge a porter & tant d'incommodités a ſouffrir. Quant a l'argent que vous laiſſaſtes ici à ma femme: nous eſperons que l'aurez receu, aſçavoir une partie par mon fils à Amſterdam, & l'autre partie par la femme de M. Huttenus: dequoy nous n'avons encore entendu nulles nouvelles. Quant aux nouvelles de ces quartiers, il y a grand bruit de guerre entre l'Anglois, & l'Eſpagnol, à l'occaſion du Palatinat. Le Comte de Mansfelt eſt arrivé depuis peu de jours à Bologne non loin d'ici. Sa venue a fait eſtimer qu'il y auroit nouvelle guerre entre les François & Eſpagnols: mais nous entendons que le Roy n'eſt nullement porté a la guerre, & qu'il deſire entretenir ſon royaume en paix. Les Dunkerkois continuent de courir la mer, tellement que les bateaux de Zelande n'oſent aller & venir ſans convoy. Nous avons entendu ici diverſes nouvelles de vos quartiers durant l'hyver, aſçavoir de la cherté des vivres, des desbordemens d'eaux, de la forte gelée, & ces courſes & ravages de l'ennemi au pays de Velouw. On dit auſſi qu'il y a grande apparence de guerre au Pays Bas pour ce prochain eſté. Dieu vueille mettre fin a tant de malheurs, & faire ceſſer la violence, les perſecutions, & autres pechés qui ſont cauſe de ces malheurs. Je le prie particulierement qu'il luy plaiſe vous conſoler & fortifier durant voſtre captivité, & vous en donner bonne & brieve delivrance, & à nos autres freres priſonniers, leſquels auſſi je ſalue, ſpecialement M. de Nielles, à qui auſſi j'ay eſcrit. Ma femme vous ſalue de meſme, ſans oublier Madame la voſtre & vos enfans. De Calais ce 12 d'Avril. 1624. Ep.429.

Voſtre treſaffectionné frere & ſerviteur

S. GOULART.

CCCCXXX.

BARTHOLDO NIEHUSIO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

Invitatio ad collationem de vera Religione instituendam.

CLariſſime Doctiſſimeque Vir, Facit ea, quam de humanitate tua concepi, fiducia, ut litteris hiſce te affari in animum induxerim, non ut de ſtillicidiis (quod ajunt) aut fundis litem tibi moveam, ſed ut tecum de Chriſtianæ fidei capitibus placide & in timore Domini conferam. Innotuiſti mihi partim ex ampliſſimi præſtantiſſimique Viri D. Matthiæ Overbeecquii, ſummi eruditorum æſtimatoris, commendatione, partim ex ſcriptis tuis cum publicis tum privatis. Ita de eruditione tua, & in Religionem Chriſtianam affectu ſtatuo, poſſe me à te doceri, ſi errare comperiar, nec gravem te fore in erudiendo eo, quem à recto ſalutis tramite aberrare facile judicabis. Etenim Reformatam (quam vocant) Religionem jam inde à teneris amplexus ſum, & etiamnum amplector. Hac fide aut ſtabo, ſi vera ſit, aut cadam, ſi falſa. Veram eſſe hactenus mihi perſuaſi firmiter. Quicquam me credere, quod damnationis me reum facere poſſit, equidem ignoro. Quicquam me non credere, quod ad ſalutem creditu neceſſarium ſit, itidem ignoro. Tu cum ſtatuas Reformatam Eccleſiam veram Dei Eccleſiam non eſſe, aut ejus partem, me iſtius Eccleſiæ membrum à fidei Chriſtianæ fundamento aberrare credas oportet.

Quare à te indicari velim: Primo, articulum aut articulos aliquot, quorum merito damnatorum numero adſcribi debeam. Secundo, quidnam judicio divino ad ſalutem putes creditu neceſſarium eſſe, quod non credam ego cum Eccleſia Reformata. Cum fidem meam Eccleſiæ Reformatæ cancellis ac Confeſſionibus circumſcribo, controverſias iſtas de Prædeſtinatione ejuſque annexis excipi volo. In his principiis nos convenire arbitror: I. Solius Dei eſſe vitam æternam largiri. II. Nulli eam largiri niſi Religionis veræ cultori. III. Solius Dei eſſe præſcribere vel mediate, vel immediate, qua Religione ac fide coli ab homine velit.

Hic ſi operam tuam mihi de ſalute mea ſerio cogitanti commodaveris, ſummo me beneficio affectum putabo. Faciet hæc res, ut, aut propius accedam ad vos, aut ubi ſum & ſteti hactenus, majore animi fiducia perſiſtam. Brevitatem amo, ſimplicitatem, modeſtiam, candorem. Has virtutes uti à te expeto, ita ipſe quoad poſſum præſtare per Dei gratiam admitar. Vale vir eruditiſſime, & fecialem hunc non contendendi, ſed diſcendi ſtudio à me ad te profectum humaniter excipe. Lugd. Bat. IV Non. Maji, Anno 1624.

CCCCXXXI.

Eccleſiæ, ut vocant, Reformatæ civi iſti anonymo, cujus literas, profecto humaniſſimas, Leyda ad me curavit Ampliſſimus

D. OVERBEQUIUS

Salutem omniaque Chriſtiani amoris officia precor

BARTHOLDUS NIHUSIUS.

De fundamento fidei Reformatorum.

CLariſſime Vir, amice in Chriſto exoptatiſſime, tametſi de nomine hauddum cognite. Paucis ac dilucide tibi expediri cupis duo. Unum eſt, annon conveniat inter nos de tribus hiſce: I. Solius Dei eſſe, vitam æternam largiri. II. Nulli eam largiri niſi Religionis veræ cultori. III. Solius Dei eſſe, præſcribere vel mediate, vel immediate, qua Religione ac fide coli ab homine velit. Alterum, quidnam in Religione tua eſſe putem, ob quod ſalvari nequeas; quidnam item abs te ignoretur eorum, quæ ad ſalutem creditu ſint neceſſaria.

Non quidem Theologus ego, vir humaniſſime, ſed vix neophytus Eccleſiæ noſtræ Catholicæ; & editum quoque eſt ſat librorum, ad quos remittere te queam: quia tamen meam tenuitatem tanti facis, ut audire illam geſtias, morem gerere oportet. Sane de tribus iſtis, quæ primo loco dixiſti, aſſentior. De duobus autem reliquis ita accipe.

Et de priore quidem prius. Cujus Religio nititur concluſionibus, quæ non ſunt infallibile verbum Dei, ſed fallibile verbum hominum, is ſicuti fidem ſalvificam non habet, ita ſalvari nequit. Talis autem tua Religio. Concluſionibus enim nititur, quæ exſtant in Confeſſionibus Eccleſiæ tuæ Reformatæ; quemadmodum ipſe ſcribis. Non ſunt autem concluſiones iſtæ infallibile verbum Dei, ſed fallibile verbum hominum; utpote neque conſcriptæ, neque adprobatæ à talibus, quales olim Prophetæ, Apoſtoli aut Euangeliſtæ; verum ab iis qui ſaltem ingenii ſui naturale ac fallibile judicium, in Scripturis explicandis indidemque argumentando, ſequuti: quum contra aſſenſus fidei ſalvificæ abſque omni mentis diſcurſu ſit. Ergo ſicuti proinde fidem ſalvificam non habes, ita ſalvari etiam nequis.

Jam de poſteriore. Qui infallibiliter certus eſſe vult, adhærere ſe ipſiſſimo Dei verbo per omnia, ille ſi falli hac in re ipſemet poteſt, ab ore alicujus pendeat neceſſum eſt, qui ſimul & infallibilis heic ſit, &, quoties requiritur, explicando ſeſe clarius, omne penitus dubium tollere valeat. Neque enim Confeſſiones illæ veſtræ ad id ſufficiunt; quum fallibiles ſint. Imo neque Scripturæ ipſæ; quod in fide erran-

tibus

Ep. 432. tibus fluctuantibusque explicare se amplius, quam factum hactenus est, nequeant. Tu sine dubio infallibiliter certus esse vis, adhaerere te ipsissimo Dei verbo per omnia: nempe quia salvari aliter haud datur. Ergo quum falli ea in re ipsemet possis, ab ore alicujus pendeas necesse est, qui & infallibilis heic sit, & explicare sese clarius, quoties poscitur, valeat. Ejusmodi autem os infallibile ignoras tu cum tua Ecclesia Reformata. Viden' ergo, quidnam te lateat eorum, quæ ad salutem creditu cumprimis necessaria?

Atque hæc ad tuas, ut voluisti, sermone brevi ac simplici. Plura alias, ubi, quænam sint illæ, quas innuis, Confessiones, propius cognovero. Modestiam & candorem sicuti merito exigis, ita desiderari in me nunquam patiar. In te certe virtutes istas mirifice elucere, argumento tua est epistola. Quam proinde valde exosculatus sum. Sicuti & gratias nunc ago maximas de benevolentia in immerentem me; quam indiciis haud equidem obscuris declarasti. Faxit Numen cœleste, ut videamus nos invicem, superata mortali hac vita, in civitate illa supera, æternum triumphatura. Vale, vir clarissime. Coloniæ, 20 Maji, 1624.

CCCCXXXII.

Clarissimo Doctissimoque Viro

D. BARTHOLDO NIHUSIO

Salutem in Domino precatur

CASPAR BARLÆUS.

Fundamentum fidei Reformatorum esse verbum Dei.

QUod tam humaniter ad litteras meas responderis, gratias tibi maximas debeo, Doctissime Nihusi. Non fefellit me expectatio mea: quin tui in me, licet tibi ignotum, affectus testimonium luculentum præbuisti tam benigna ac expedita responsione. Utinam inter sententiis opinionibusque discrepantes, animorum illa hostilis dissensio & personarum exulassent odia! Certe feliciori hactenus successu processisset Christi negotium, & faciliori ad veritatem via itum fuisset. Sed nos priorum naufragiis edocti scopulos istos vitemus, & charitatis ac mansuetudinis spiritu alii alios erudiamus. Hac æmulatione si ducamur, aderit cœptis nostris supremum Numen, nec irreligiose tractabitur veritas, ubi ejus causam amice disceptabit charitas. Sed ad rem.

Duo postulaveram: Prius erat, ut articulum mihi aut articulos indicares in Religione mea, (cujus summam Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum contineri scripseram) quorum nomine salvari non possem. Cum enim plurima Religionis Christianæ dogmata tecum communia habeam, volebam unum aut alterum dogma ex Confessionibus nostris excerpi, quod salutis spem mihi judicio tuo præcideret. Quid facis? latius quam petebam responsum tuum diffundis, & totam Religionem Reformatam argumento generaliore convellis. Scio Religionem omnem vel oppugnari posse universim, vel per partes, excutiendo singula aut præcipua ejus dogmata. Posterius ut fieret petieram ego, prius facis. Ep. 431.

Dices forte, si in universum mihi persuaderi possit fidem Reformatorum salvificam esse non posse, supervacaneam esse anxiam & sollicitam hujus vel illius dogmatis disquisitionem. Agnosco. Sed jam non ex meo, qui præivi, sed tuo sensu ac præscripto disputabitur.

Verum ne imperiose tibi præscribere velle videar, aut probationis tuæ momenta contemnere, quam feliciter hoc ipsum, quod intendis, præstes, examinandum. Sic disputas:

Cujus Religio nititur conclusionibus, quæ non sunt infallibile Dei verbum, sed fallibile verbum hominum, is, sicuti salvificam fidem non habet, ita salvari nequit.

Talis autem Religio tua. Ergo.

Hujus Syllogismi minorem sic probas: quia nititur conclusionibus quæ exstant in Confessionibus Ecclesiæ tuæ Reformatæ, quemadmodum ipse scribis. Non sunt autem illæ infallibile verbum Dei. At ego, mi Nihusi, confidenter nego à me scriptum esse, Religionem meam niti Confessionibus Ecclesiæ Reformatæ. Quæso litteras meas excute, & verba ista profer. Scripsi, fidem meam Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum circumscribi. Hoccine tibi est dicere fidem meam iis niti? Non sunt Confessiones fidei fundamenta aut bases, sed explicationes illorum sensuum, quos sub Scripturæ phrasibus & verbis concipiunt illi, ad quos ea Confessiones pertinent. Fidei meæ fundamentum unicum cui illa innititur sunt sacræ Litteræ. Ut autem tibi constet, quo sensu eas in rebus fidei interpreter, adeoque disputandi tibi materiam sufficerem, ad Confessiones nostras te remisi, & fidem meam iis explicari, & summatim comprehendi significare volui. Dico ergo, fidem Reformatæ Religionis, hoc est, fidei mei dogmata contineri Scripturis. Dico eandem contineri Confessionibus. Prout Scripturis continetur, & Dei verbis infallibilibus enunciatur, fidei meæ salvificæ fundamentum est unicum. Prout Confessionibus continetur non est fidei meæ fundamentum, sed declaratio solummodo sensuum Scripturæ circa res fidei. Ne enim sub verbis Scripturæ hæreticos, aut impios sensus fovere credantur Christiani, aut istiusmodi sensus foventes dissemintesque Ecclesiæ suæ societate dignari, pia quadam necessitate ad Confessiones & symbola adiguntur. Non ergo fidei sunt tibicines, sed potius sensuum fidei concordiæque circa illos in hoc vel illo cœtu publici tubicines. Scripsi & hoc: Hac fide, nempe Reformatæ Religionis, aut stabo si

Ep.426. vera sit, aut eadam si falsa. Sed nec inde recte inferas, fidem meam salvificam niti Confessionibus. Hoc enim ad institutum inter nos certamen restringi volo, in quo stabo victor, si Confessiones nihil habeant ob quod salvari nequeam, nihil ignorent, quod judicio divino, me scire necesse sit; cadam vero victus, si probaveris eas istis nominibus peccare, adeoque falsas esse. Metaphora sumta est à gladiatoribus, qui ut victores evadant statum suum tueri dicuntur, nec ab eo se deturbari patiuntur. A Confessione hac vel illa deturbari possem, à Scriptura nunquam. Nolim equidem nos hic in disputationem de Confessionum authoritate ac fide divagari, alienum hoc foret à proposito. Verum aut aliter argumentationis tuæ nodum stringe, aut, quod malim, ostende in Confessionibus Reformatorum dogma unum aut alterum, ob quod salvari nequeam, ἵνα τοῦτ' ἔδειξα. (*quod demonstrandum erat.*) Confessionem elige quam velis, plurimæ enim sunt, sive eam, quæ à Belgicis Ecclesiis exhibita est Philippo II, Hispaniarum Regi, vigente hic persecutionum æstu, sive eam quam amplexus est Palatinatus, Catechesin Heydelbergensem vocant, sive eam, quæ tibi aliquando placuit, Augustanam Confessionem. Plurima in his sunt dogmata, quæ anathemate percussit Synodus Tridentina. Tu unum aut alterum selige ob quod salvari nequeam.

Posterius quæsitum erat; Quidnam judicio divino ad salutem putes creditu necessarium esse, quod non credam ego cum Ecclesia Reformata.

Respondes, sed, quod pace tua dixerim, non appposite ad quæsitum. Probas & concludis ratione ex naturali dianœa petita necessarium esse, ut ab ore alicujus judicis visibilis pendeam; si certus esse velim me adhærere verbo Dei. Illum autem judicem visibilem me ignorare, ideoque aliquid me ignorare ad salutem creditu necessarium.

Hujus tuæ argumentationis robur jam non expendam, quanquam ea aliqua sui parte falsitate laboret. Illud inpræsentiarum urgeo, non satisfactum esse quæsito meo. Non attendisti ad illa verba: *Judicio divino*, in quibus emphasin posui. Cum enim Dei solius sit præscribere vel mediate, vel immediate, qua fide ac Religione coli velit, quod principium mihi largius es, ostendendum tibi fuerat, aliquod dogma me ignorare, quod Deus Religionis & dogmatum fidei præscriptor unitus judicat esse ad salutem creditu necessarium. Hic figendus pes, hoc concludendum erat. Non alio fine principium illud tertium præstruxi; nisi ut de dogmatum credendorum necessitate non ex rationibus (quas tamen non averfor) sed ex judicio divino, & infallibili Dei autoritate disputaretur. Etenim quandiu certus sum nullum me dogma amplecti ob quod salvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus Religionis præscriptor & exactor exigit à me tanquam creditu ad salutem necessarium, causam non video, ob quam à recto salutis tramite aberrare judicari debeam. Quare, tale aliquod dogma mihi indicari velim. Vale ornatissime Nihusi, & nos ac veritatem ante omnia ama. Ita te Deus hic incolumem, alibi beatum velit. Lugd. Batav. 4 Non. Jun. 1624. Ep.433.

CCCCXXXIII.

Clarissimo eruditissimoque Viro,

D. CASPARI BARLÆO

Salutem ex animo, & officia promtissima,

BARTHOLDUS NIHUSIUS.

Ad Confessiones sint fundamentum fidei Reformatorum.

CErtamen comitatis ac amoris, quod continuare ita promte occipis, profecto nec ego deseram, postquam, te lacessiente, semel ingressus sum. Sic tanto magis aspirabit cœptis nostris Deus. Sic neque frustrabitur voluptate inde sperata Overbequius, Patronus meus venerandus. Pertendamus itaque in affectu isto mutuo, nec facile alium induamus. De cætero, nondum te assequutum video, quid voluerim proxime; (quanquam neque id miror magnopere, quum verborum sat parcus fuerim.) Nunc igitur sensa mentis uberius paulo clariusque explicare conabor. Nec molestum tibi erit, scio, sermonem amicum attentione aliquantula dignari.

Duo postulaveras. Alterum erat, ut in Religione tua (cujus dogmata Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum summatim contineri ais,) articulum unum aut plures indicarem, quorum nomine salvari te non posse censerem. Responsi loco hunc syllogismum dedi. Cujus Religio nititur conclusionibus, quæ non sunt infallibile verbum Dei, sed fallibile verbum hominum, is sicuti fidem salvificam non habet, ita salvari nequit. Talis autem tua Religio. Conclusionibus enim nititur, quæ exstant in Confessionibus Ecclesiæ tuæ Reformatæ; quemadmodum ipse scribis. Non sunt autem conclusiones istæ infallibile verbum Dei, sed fallibile verbum hominum; utpote neque conscriptæ, neque approbatæ à talibus, quales olim Prophetæ, Apostoli aut Euangelistæ, verum ab iis qui saltem ingenii sui naturale ac fallibile judicium, in Scripturis explicandis indidemque argumentando, sequuti: quum contra assensus fidei salvificæ, absque omni mentis examine ac discursu sit. Ergo sicuti proinde fidem salvificam non habes, ita salvari etiam nequis.

Heic duo objicis. Primo, non petiisse te argumentum ejusmodi generale contra totam tuam Religionem, sed saltem aliquod speciale contra unum vel alterum articulorum, in quibus hactenus dissentiamus. Secundo, non scripsisse te, Religionem tuam niti Confessionibus

by Google

Ep. 433. bus Eccleſiarum Reformatarum; imo plane hoc ipſum abs te negari. Sic, inquam, tu. Quid jam ego?

Quod prius attinet, fateor, petiiſſe te, indicari tibi & argumento aliquo pertentati articulum ſaltem unum alterumve ex iis, in quibus diſſentiamus. At ego petitioni tuæ, pluſquam ſatisfactum iri putabam, ſi cenſura unica ſimul omnes illos abſolverem. Et ſane licebit jam tibi ipſimet, ad quemcunque lubebit, deſcendere, & quid pro parte tua poſſis, periclitari. Neque enim quiſquam eorum eſt infallibile verbum Dei. Sane contrarium nunquam oſtendes. Imo nec oſtendere quidem ſufficienter poteris, verbum Dei penes te eſſe articulos illos cæteros, de quorum veritate nulla inter nos controverſia. Hoc, inquam, non minus conſtanter aſſevero; tametſi nunc quidem ſufficiat, ſi de iſtis alteris à nobis diſputetur.

Ad poſterius. Religionem tuam niti Confeſſionibus Eccleſiarum Reformatarum, affirmaſti omnino, quum verbis hiſce utereris: Fidem meam Confeſſionibus Eccleſiarum Reformatarum circumſcribo. Ais jam quidem, Fidem tuam Scripturis, tanquam fundamento, inniti unice, non autem Confeſſionibus illis; has enim ſaltem eſſe explicationem Scripturarum quoad res fidei. Sed non recte me percepiſti. Sicuti enim per Religionem tuam non ego intellexi dogmata tua, ſed habitum actumque fidei ac Religionis tuæ; ſic, niti Confeſſionibus veſtris, idem mihi fuit quod, pro objecto habere ſenſum dogmatum, quæ explicite tradita ſunt in iſtis Confeſſionibus: neque enim harum literam objectum fidei tuæ eſſe volui, ſed ſenſum. Jam quæro, annon habitui actuique fidei tuæ pro objecto unico ſit, non quidem litera Confeſſionum illarum, ſed ſenſus dogmatum, iis comprehenſorum? Non poteris negare. Quum igitur nihil aliud dixerim, quam quod etiam tua ipſius ſententia verum eſt, non ego tibi adfinxi quidquam, ſed per errorem tu verba mea aliter, quam volui, interpretatus es. Imo liquet jam quoque, non pugnare id cum eo quod contendis, Scripturas agnoſci abs te pro fundamento fidei tuæ unico, ſed revera unum & idem potius eſſe; (accipiendo nempe vocabula, fundamenti & fidei, prout dixi.) Neque enim tam litera Scripturarum, quam ſenſus, objectum fidei tibi erit, ni fallor; quum & litera abſque ſenſu nihil quidquam profit, & ſenſus, ignorata etiam litera, ſufficiat. Senſus autem Scripturarum ſecundum vos idem eſt cum ſenſu veſtrarum Confeſſionum. Nam ſi alius ſit, non eadem heic & illic, ſed diverſa fidei veſtræ dogmata fuerint, atque ita ſpongiam mereatur vox iſta tua: *Dico, fidei meæ dogmata contineri Scripturis; dico, eadem contineri Confeſſionibus.* Quæ quum ita ſint, argumentum meum verbis magis dilucidis efferri poterit, hoc pacto. Cujus fides pro objecto habet ſenſum concluſionum ſive dogmatum, non à Deo ſibi promulgatum; ſed ab hominibus, hac in re naturale ſaltem & ſic fallibile ingenii ſui dictamen ſequentibus, excogitatum; is ſicuti fide ſalvifica deſtituitur, ita ſalvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet ſenſum concluſionum ſive dogmatum, quæ exſtant in Confeſſionibus Eccleſiæ tuæ Reformatæ, ut ipſe affirmas; ſive quod idem eſt, ſenſum illum Scripturarum, quem aliis verbis Confeſſiones iſtæ exprimunt. Senſum autem iſtum à Deo tibi promulgatum dicere nequis, quum ſcribas, *à Confeſſione hac vel illa deturbari te poſſe*, (quod de ſenſu intelligas oportet, quia, ſalvo eo, literam deferendi cauſa nulla fuerit.) Imo ipſe ſcis, ab hominibus, hac in re naturale tantum & ſic fallibile ingenii ſui dictamen ſequentibus, eum excogitatum unice ſive indagatum, præſuppoſita ſaltem Scripturarum litera; quam tamen qui admittit, non profecto verum ſenſum compertum eoipſo habet; cujus rei teſtis locuples eſt ipſa experientia. Nec minus ſcis, contra naturam Fidei eſſe, ſi ſenſum credendorum ſubjiciat examini ſuo intellectus humanus, antequam ipſis aſſentiatur. Simpliciter enim apprehendenda illa ſunt, itidem ut ſine diſcurſu aut mentis agitatione apprehendimus prima principia naturalia. Alioquin fides ex auditu ſolo non amplius foret, ſed induſtriæ quoque humanæ accepta ferri deberet. Ergo ſicuti proinde fidem ſalvificam non habes, ita ſalvari etiam nequis. Per fidem, inquam, tuam ſalvari nequis. An vero ipſa te reum faciat æternæ damnationis, alia quæſtio eſt. Quod ſi invincibiliter ignoras, non eſſe eam veram fidem, de ſuo quidem ipſa tibi nihil oberit, ſed oberunt peccata alia, quæ condonari non poterunt, quamdiu degis illic ubi nulla peccatorum remiſſio. Alias ignorantiam vincibilem pœna dignam in ſe eſſe, non eſt, puto, quod moneam.

Poſtulatum tuum alterum erat: Quidnam judicio divino ad ſalutem creditu neceſſarium exiſtimem, quod non credis tu cum Eccleſiis Reformatis. Reſpondi his verbis: Qui infallibiliter certus eſſe vult, adhærere ſe ipſiſſimo Dei verbo per omnia, ille ſi falli hac in re ipſemet poteſt, ab ore alicujus pendeat neceſſum eſt, qui ſimul & infallibilis heic ſit, &, quoties requiritur, explicando ſeſe clarius, omne penitus dubium tollere valeat. Neque enim Confeſſiones illæ veſtræ ad id ſufficiunt; quum fallibiles ſint. Imo neque Scripturæ ipſæ; quod in fide errantibus fluctuantibuſque explicare ſe amplius, quam factum hactenus eſt, nequeant; explicatione autem luculentiore illas indigere, ipſimet fateamini: dum Confeſſiones veſtras eis addendas cenſetis, & eodem fine quoque Synodos nonnunquam cogitis. Tu ſine dubio infallibiliter certus eſſe vis, adhærere te ipſiſſimo Dei verbo per omnia: nempe quia ſalvari aliter haud datur. Ergo quum falli ea in re ipſemet poſſis, ab ore alicu-

jus

Ep. 433. jus pendeas neceſſum eſt, qui & infallibilis heic ſit, & explicare ſeſe clarius, quoties poſcitur, valeat. Ejuſmodi autem os infallibile ignoras tu cum tua Eccleſia Reformata. Viden' ergo, quidnam te lateat eorum quæ ad ſalutem creditu cumprimis neceſſaria? Hactenus ego.

Tu iterum duo objicis. Primo, non ſatisfactum ſic tuo quæſito; debuiſſe me oſtendere, quidnam abs te ignoretur eorum, quæ Deus, Religionis ac dogmatum fidei præſcriptor unicus, judicet ad ſalutem neceſſaria; id me autem non præſtitiſſe; ſine dubio quia non attenderim ad verba illa, *judicio divino*, in quibus emphaſin poſueris. Secundo, neceſſitatem judicis viſibilis ratione quadam naturali fruſtra à me probatam eſſe, tum quia id non petieris, tum quia illa partim etiam falſitate aliqua laboret.

Reſpondeo ad prius. Fateor, poſtulatum tuum ita habuiſſe quemadmodum dicis, neque me directe reſpondiſſe. Cæterum non inde id factum, quod voces iſtas, *judicio divino*, haud attenderim, (bene enim eas & vidi & notavi mecum;) ſed quia hactenus nondum inter nos convenit, unde judicium divinum petendum. Tu quidem, ni fallor, ad Scripturas à me remitti geſtiiſti. Verum Scripturas tibi eſſe, ſive verbum Dei ſcriptum, inficior ego. Saltem literam habes, quæ in ſe nequaquam verbum Dei eſt, quantumvis etiam divinitus dictata, ac proinde ſummopere honoranda ſit, ſed reſpectu ſenſus demum: hunc vero an tu infallibiliter exploratum habeas, aut habere etiam poſſis, tam controverſum eſt quam quod maxime. Senſum itaque intellectui tuo naturali non arridentem rejiceres, & alium eſſe poſſe, fingeres pro arbitrio: nempe quia certa interpretationis regula deſtitueris; ſine qua omnino quidvis in dubium vocari facillime poteſt. Atque ergo Tertulliani conſilium heic ſequi placuit: *Non ad Scripturas provocandum eſt: nec in his conſtituendum certamen in quibus nulla aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: Quibus competat fides ipſa; cujus ſint Scripturæ; à quo & per quos & quando & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Ubi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.* *Tertull. de Præſcript. cap. 19. Vide quoque cap. 15. & 37.*

Jam ad poſterius. Tametſi ratione naturali concluſerim, neceſſarium tibi creditu eſſe judicem aliquem viſibilem ſimul & infallibilem, non tamen id fruſtra erit (puto,) ſi modo accurate eam rem tecum expendere velles. Et ergo ſine dubio hoc jam facies; maxime quum etiam ſcribas, *non averſari te ejuſmodi rationes.* Falſitatem vero, quam argumento meo ſubeſſe innuis, utinam ſilentio non præteriiſſes, ſed aperte monſtraſſes. Mihi ſane etiam- Ep. 433. num nihil non in eo videtur veriſſimum. Infallibiliter enim certus eſſe vis, adhærere te ipſiſſimo verbo Dei ſalvifico per omnia. Atqui, quum homo ſis, fieri facillime poteſt, uti fallaris habendo aliquid pro verbo Dei ſalvifico, quod tale non eſt; niſi, inquam, ab ore aliquo infallibili pendeas, quo mediante *judicium divinum* perſpicue tibi innotuerit, ac viva voce explicari queat clarius, quotieſcunque orta fuerit dubitatio. Neque enim Scripturarum litera, quantumvis ejus autoritas agnoſcatur, illud præſtat, ut videmus in tot hæreticorum Sectis; & cauſa hæc eſt, quia ſicuti ſola illa verbum Dei non eſt, ita ſolam eam ſequentibus liberum ſemper eſt, eligere ſenſum, qui judicio proprio commendatus fuerit maxime. Neque vero infallibilem interpretem in Religione veſtra habetis. Aut, ſi quem haberetis, Eccleſia veſtra id foret. At ſicuti Confeſſiones tuas fallibiles eſſe admittis, imo in negotio de Prædeſtinatione eas etiam aberraſſe firmas, ita certe non plus autoritatis tribues Eccleſiæ iſti, earundem autrici ac propagatrici. Quum ergo neque Scripturarum litera infallibiliter te certum reddere valeat, neque etiam Eccleſia cujus te membrum profiteris; quis non vel manibus palpet, ſi fide ſalvifica imbui velis, *judicium divinum* requirendum tibi alibi è *judice* quopiam viſibili, vices Dei (utpote immediate vobis *judicium* ſuum non ediſſerentis) infallibiliter obeunte? In hanc ſententiam Tertullianus: *Expetit ſenſus certum interpretationis gubernaculum. Nulla enim vox divina ita diſſoluta eſt & diffuſa, ut verba tantum defendantur, & ratio verborum non conſtituatur.* *Tertull. ibid. cap. 9.* Et S. Auguſtinus: *Si providentia Dei non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum; ſin vero* præſidet, *non eſt deſperandum, ab eodem ipſo Deo autoritatem aliquam conſtituram, qua velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.* Mirabor, ſi non evidens potius demonſtratio hæc tibi videbitur, quam falſitatis operculum aliquod ſophiſticum. *S. Aug. de utilit. credend. cap. 16.*

Epiſtolam, ad quam reſpondi hactenus, ita claudis: *Quamdiu certus ſum, nullum me dogma amplecti, ob quod ſalvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus, Religionis præſcripter & exactor, exigit à me tanquam creditu ad ſalutem neceſſarium, cauſam non video, ob quam à recto ſalutis tramite aberrare judicari debeam.* Claudam ergo & ipſe uno verbo. Ais quidem, de tua ſententia te certum eſſe: at quamdiu nobis certitudinis iſtius rationem aliquam, viro prudente dignam, aſſignare non potes, ſicuti hactenus profecto non potes, ignoſces mihi (ſpero) ſi non magis tibi, id aſſerenti, fidem habeam, quam eodem ſermone utenti Photiniano cuipiam aut Anabapiſtæ. Imo ipſe negaſti, te certum eſſe; nempe quum diceres: *A Confeſſione hac vel illa deturbari poſſem.* Subjungis mox quidem:

Ep. 434. dem: *à Scriptura autem nunquam*: verum licet Scripturam haberes, (quod & ipſum tibi ante negavi,) tamen ab ea quoque dimoveri te poſſe, è verbis tuis evincitur. Si enim à ſenſu dogmatum fidei, quæ in Confeſſionibus ſubnotata ſunt, deturbari potes, à ſenſu Scripturæ hactenus credito, (utpote qui ſecundum te idem eſt cum ſenſu Confeſſionum,) & ſic à Scriptura ſive verbo Dei ſcripto deturbari itidem poteris. In ſumma, certitudo iſta tua non major eſt quam fidei meræ humanæ. Imo, ut Kellitonus in Examine Reformationis Calvinianæ quidem ait, fides veſtra longe adhuc ignobilior ac miſerior eſt quavis etiam infima fide humana, aut opinione abjectiſſima. Duriuſculum hoc, fateor, ſed tamen, quoad rem ipſam, non forſan totum de nihilo.

Matthæus Kellitonus, part. 1. exam. 2. cap. 4. (ed. Duac. anno 1616.)

Tu mi amice æternum diligende, ſalve plurimum, &, ſi me contra amas, omnia in meliorem partem accipe. Quod ſi vero dimitti prorſus nequeo, niſi deſignato Religionis tuæ capite uno atque altero, ob quod ſalvari te non poſſe arbitrer, age oſtende mihi, verbum Dei eſſe, *in Euchariſtia Chriſtum non niſi ſpiritualiter manducari ac bibi*: item, *quicunque manducet illic ſub ſpecie panis, eum quoque præcepto Chriſti obligatum eſſe ad bibendum ſub ſpecie vini.* Sic enim argumentor. Qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in ſua Religione habet, is per eam ſalvari nequit. Tu tales opiniones pro verbo Dei habes; nempe è multis iſtas quas jam dixi: neque enim hæ quidquam niſi opiniones mere humanæ ſunt. Ergo ſalvari per tuam Religionem nequis. Iterum ſalve ac vale, Deoque ipſo adeo adjuvante, (ſic equidem precor,) hoc & æternum feliciter age. Coloniæ, 22 Junii, 1624.

CCCCXXXIV.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,

BARTHOLDO NIHUSIO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

Plenior demonſtratio, Confeſſiones non eſſe fundamentum fidei Reformatorum, &c.

CLariſſime Vir, ſi viſum tibi fuiſſet ad propoſitas à me quæſtiones jam inde ab initio directe reſpondere, breviore gyro ſtetiſſet diſputatio noſtra, nec tanto verborum apparatu opus fuiſſet, vel in ipſo limine. Nunc quia à propoſito deflectis, & vagis magis ictibus pugnas, quam carſim ac punctim, cogeris latius ſermonem diffundere. Et quia male præis, cogor male ſequi, niſi à diverticulo, in quod digreſſus es, in viam te revocari patiaris.

Certamen hoc ingreſſus es, me non laceſſente, (uti ſcribis) ſed amice invitante. Imo dixerim fere me à te laceſſitum eſſe. Lectis enim compluribus tuis litteris ad ampliſſimum D. Overbeequium datis, in quibus de Judice Controverſiarum diſſeris, obſervavi in iis manifeſta ſigna eruditionis tuæ, & ſingularis in diſputando accurationis, etiam animi flagrantis ſtudio conferendi de capitibus Religionis Chriſtianæ, quibus me fateor laceſſitum eſſe, ut in hanc tecum amicæ & modeſtæ collationis arenam, cum bono Deo, deſcenderem. Verum quicquid hujus rei ſit, ſive primus tu, ſive laceſſiverim ego (modo huic voci *διαβολὴν* (*quam facile calumniari quis poſſet*) abſit invidia) gratulor mihi hoc nomine, quod comitatis & amoris hoc voces certamen, in quo ſi humanitatis ac benevolentiæ tibi officiis ceſſero, indignus habear, qui vel laceſſiverim primus, vel laceſſitus curas tuas ſtudiaque meis poſtulatis interpellaverim. Ep. 434.

Illud non parum miror, quod directam ad poſtulata mea reſponſionem etiamnum detrectes.

Primum erat, ut indicares in Confeſſionibus Reformatorum articulum aut articulos, quorum merito damnari queam. Non indicaſti in priore tua, non indicaſti in hac altera tua reſponſione. Cauſam detrectatæ reſponſionis non video, cum tam liberalis hac in parte ſit Synodus Tridentina, & tam faciles ſcriptores Pontificii, dum fidem Reformatorum hæreticam, impiam, blaſphemam vocant. Cur autem rigidius hoc à te exigam, cauſa hæc eſt, quod propoſitum mihi ſit tecum, non de hujus aut illius articuli veritate diſputare: factum hoc à Doctoribus noſtris & veſtris abunde; ſed de articulorum credendorum neceſſitate & momentis. Etenim, mi Nihuſi, cum ab Eccleſia veſtra ſeceſſionem facere coactæ ſint Eccleſiæ Reformatæ, & ſeceſſionem juſtam fecerint, cum à vobis ſalutis æternæ ſpes fidei noſtræ hominibus præcidatur, de veſtra quoque ſalute deſperent Reformati, aliique in aliorum condemnationem proniores ſimus, utiliſſimam ſemper judicavi illam controverſiam, quæ diſcrepantium opinionum neceſſitatem propius expenderet. Si enim de capitibus ad ſalutem abſolute creditu neceſſariis ſit diſſenſio, ſcio Eccleſiæ unitatem ſervari non poſſe; ſi vero de dogmatibus ad ſalutem non neceſſariis, ſervandam eſſe & ſervandam fuiſſe arbitror. Hic ſuſceptæ tecum diſputationis ſcopus eſt. Hunc ergo in finem quæſivi ſcire, quis fidei meæ articulus, aut qui articuli ſint, qui me damnationis æternæ reum faciant, aut, quod idem mihi eſt, à ſalute æterna excludant. Ad quam quæſtionem ut directe reſpondeas jam tertium peto. Si non libeat, non urgebo amplius: ſi commode non poſſis, gratulabor Reformatis, in quorum Confeſſionibus nihil tale reperiri poſſit.

Nunc quid præter rem reſpondeas porro examinandum.

Argumentaris in hunc ſenſum: fidem meam niti Confeſſionibus, quæ ſunt fallibile verbum hominum, ideoque me ſalvari non poſſe tali fide. Reſpondi primum, & reſpondeo etiamnum, te non indicare articulum in Confeſſio-

Ep.434. nibus Reformatorum, cujus merito ſalvari nequeam, ideoque directam te reſponſionem detrectare. Inſtas, putare te pluſquam ſatisfactum iri petitioni meæ, ſi cenſura unica omnes illos articulos abſolveres, & una fidelia plures dealbares parietes. At ego, ut liberalior ſis, quam debebas, non peto. Satisfactum mihi putabo ſi articulum iſtiuſmodi mihi indices, & ſyllogiſmo aſſertionem tuam munias. Et profecto, ſi unica cenſura omnes notare tibi facile eſt, illam uni aut alteri articulo applicare difficile non erit. Vis à me probari Confeſſionis noſtræ articulos eſſe verbum Dei infallibile. At hoc eſt diſputantium partes ordinemque invertere. Tu probationis partes, quæ tibi incumbunt, in me transferri vis. Prævi ego, & petii indicari articulum in religione mea, ob quem ſalvari nequeam. Tuarum ergo partium eſt iſtiuſmodi articulum deſignare, & ratione aliqua affirmationem tuam adſtruere. Et cur vis à me probari, articulos Confeſſionis eſſe verbum infallibile? Non dixi ego eſſe infallibile verbum Dei, non dixi eſſe fidei meæ fundamentum cui illa nitatur. Imo, inquis, oſtendere non poteris ſufficienter, verbum Dei penes te eſſe articulos illos cæteros, de quibus nulla inter nos controverſia. At probare nondum meum eſt, ad te hoc pertinet. Tuum eſt indicare articulum, ob quem ſalvari non poſſum. Hoc agis, ut à propoſitis quæſtionibus me abducas, & de tuis placitis porro inſtituatur diſputatio, nempe de viſibili & infallibili Controverſiarum Judice, ejuſque quæſtionis annexis. Fateor controverſiam hanc non eſſe de nihilo, ſed eam ut nunc ingrediar multæ rationes prohibent. Prohibet illa, quod ad quæſtiones meas non faciat: prohibet altera, quod ad eam immediata conſequentia nondum deductum me videam: prohibet tertia, quod inter Doctores Pontificios & noſtros nullæ magis exagitatæ ſint quæſtiones, quam hæ: unde cognoſci poſſit Scripturam eſſe verbum Dei? an ad controverſiarum deciſionem opus ſit viſibili & infallibili judice? an per Scripturam illæ decidi non poſſint? an non ab intellectu humano ſecundum Scripturas judicante? an à Magiſtratu ſupremo? an à Conciliis? an à Pontifice Romano? & quæ ſunt aliæ his affines.

Verum cum diffiteri non poſſis, multa mihi tecum communia eſſe fidei dogmata, operæpretium nos facturos arbitror, ſi de controverſis aliquot dogmatibus ſpeciatim inquiratur, num ea tanti ſint momenti, ut à ſalutis æternæ ſpe vel te vel me excludere credi debeant, quicquid tandem ſit de eorum veritate aut falſitate. Neque enim dixeris, omne verum præciſe ad ſalutem creditu eſſe neceſſarium, aut omne falſum & errores quoſvis ἀπιστίας (*infidelitatis*) mortiferæ nomen mereri.

Alterum reſponſionis meæ ad propoſitum Syllogiſmum membrum hoc fuit: negari à me minorem iſtam: fidem meam niti Confeſſionibus, quod à me ſcriptum affirmaviſti. Quid tu? Peritas in incepto, & affirmaviſſe me hoc ipſum vis iſtis verbis: *fidem meam Eccleſiæ Reformatæ Confeſſionibus circumſcribo*. Si dixi, quod mihi humana hallucinatione affingis, aut dixi dilectis verbis, aut æquipollentibus. Priùs non dixeris. Verba clamant. Poſterius nego, neque enim ἰσοδυναμεῖν (*æquipollentia*) ſunt, fidem niti Confeſſionibus, & fidem Confeſſionibus circumſcribi vel explicari. Ratio eſt, quia fides niti non poteſt niſi authoritate Dei infallibili: at fides recte explicari ac circumſcribi poteſt ſcripto quodam, quod ſit authoritatis fallibilis. Prior vox fundamentum dicit, poſterior minimè, ſed exegeſin ſolum. Illuſtrabo rem exemplo: Datur autographum teſtamenti alicujus: datur ejuſdem teſtamenti exegeſis aliqua aut interpretatio, eaque conſona autographo. Dico jam hæredem, qui teſtamentum adit, niti authoritate ſola autographi, non iſta exegeſi: recte tamen dici tertium & mentem teſtamenti iſta exegeſi circumſcribi & explicari. Cape exemplum in rebus fidei: Fides tua, vel te fatente, nititur Scripturæ ſenſibus, aut etiam ſenſibus non ſcriptis à Pontifice Romano approbatis. At non negabis eoſdem ſenſus hic illic variis veſtrorum Doctorum ſcriptis, qua publicis, qua privatis, explicari, aliiſque verbis circumſcribi & proponi; quibus tamen, ſi nondum acceſſerit Pontificis approbatio, fidem tuam niti non dixeris. Horum ſiquidem authoritas fallibilis tibi eſt, illius infallibilis.

Quin ipſe diſcrimen hic inſigne intercedere obſervaſſe mihi videris, dum pro voce *nitendi*, quæ fundamentum innuit, vocem *objecti* ſubſtituiſti, ut majori probabilitate ac ſpecie hanc voci *circumſcribendi* ſynonymam faceres. Sed ne ſic quidem efficies, quod intendis. Neque enim ignoras diverſiſſimæ ſignificationis eſſe vocabula *fundamenti* & *objecti*; cum nec omne fundamentum objectum ſit, nec omne objectum fundamenti nomen mereatur. Hæc ſynonyma facere eſt novam Grammaticam cudere.

Addis & aliud emplaſtrum, quo dicti tui ἀκυρολογίαν (*improprietatem*) lenire ſtudes: nempe per fidem te intelligere habitum fidei meæ, non autem fidei dogmata, ideoque me per errorem ſcribis aliter, quam ſentias, interpretatum eſſe tua verba. At ego in Syllogiſmo illo tuo, quo dicis fidem meam niti Confeſſionibus, non gravabor tecum per fidem intelligere fidei habitum, eoque majori fiducia negavi à me ſcriptum eſſe habitum fidei niti Confeſſionibus. Imo dixi, & repeto, eam niti ſolis Scripturis earumque ſenſibus. Verum tu per errorem manifeſtum, non meum, ſed tuum, in iſto tuo ſyllogiſmo aliter accepiſti fidem ac religionem, quam accepi ego in iis, quas primum ad te dedi litteris. Intellexi enim ego per fidem fidei dogmata, tu habitum. Ergo mea verba male interpretatus

es,

Ep. 434. es, & quidem culpa tua. Multis enim indiciis iisque manifestis deprehendisse poteras, me per fidem metonymice intelligere fidei dogmata. Primo enim scripsi, fidem meam circumscribi Confessionibus. An habitus fidei, qualitas animo inhærens, occulta & abscondita, Confessionibus circumscribitur, aut circumscribi potest? Deinde, scripsi fidem meam iis circumscribi exceptis controversiis istis de Prædestinatione ejusque annexis. An controversias istas de Prædestinatione ex habitu fidei meæ tibi incognito excipere te volui, an ex censu & numero dogmatum controversorum? posterius liquet. De iis enim determinant Confessiones. Denique scripsisse me hoc vides, ut disputandi tibi argumentum sufficerem. At fidei meæ habitum non oppugnabis opinor, nec oppugnare disputando poteris, sed fidei meæ dogmata, eaque vel meis vel Confessionis alicujus receptæ verbis enunciata. Verum quicquid sit, nec fides mea pro habitu sumta, nec fides mea pro dogmatibus sumta, nititur Confessionibus, & vel hoc vel illo sensu aut disertis aut æquipollentibus verbis me illud ipsum scripsisse evinces nunquam.

Quod cum animadverteres, & vocem illam *nitendi* mihi (per errorem opinor) confidentius adscriptam forte observares, longeque aliud significare, quam vocem *circumscribendi*, illam prudenter & caute missam facis, & expuncta voce *nitendi*, vocem *objecti* syllogismo tuo jam ingeris, quem sic loquentem facis: Cujus fides pro objecto habet sensum conclusionum, sive dogmatum non à Deo sibi promulgatum, sed ab hominibus hac in re naturale saltem & sic fallibile ingenii sui dictamen sequentibus excogitatum, is sicuti fide salvifica destituitur, ita salvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet sensum conclusionum sive dogmatum quæ exstant in Confessionibus Ecclesiæ tuæ Reformatæ, uti ipse affirmas. Ergo. Sed & hic frustra laboras, & in eundem lapidem impingis. Nego minorem; nempe fidei meæ objectum esse sensus conclusionum sive dogmatum, quæ exstant in Confessionibus. Dicis me hoc affirmare. Nego. Ubi? quibus verbis? an illis? Fides mea circumscribitur Confessionibus? At jam ostendi me in istis verbis per fidem intelligere dogmata fidei. Tu per fidem dicis te intelligere habitum fidei. Sed fac & me per fidem habitum intelligere (parum enim hoc ad præsentem rem, licet ineptissimum foret dicere, habitum circumscribi Confessionibus, & dogmatum fidei objectum esse sensus dogmatum in Confessionibus,) nego hæc æquipollere, fides mea circumscribitur Confessionibus, & fidei meæ objectum sunt Confessiones. Ratio in promptu est. Quia ut aliquid sit fidei salvificæ objectum, duæ essentiales conditiones requiruntur: Prior est, ut verum sit id, quod credis. Posterior est, ut infallibiliter sit verum. Ut autem dogma aliquod creditum circumscribatur & explicetur Confessione aliqua, satis est, ut verum habeatur ab iis, qui in illam Confessionem pariter consentiunt. Veritas & infallibilitas est in sensibus enunciatis Scripturæ & Dei verbis, & sic fidei meæ objectum sunt infallibile. In dogmatibus contentis explicatisque Confessionibus scriptisque humanis veritas esse potest, infallibilitas nulla. Dico ergo iterum, fidei meæ dogmata & sensus enunciari in Scripturis à Deo; Dico eadem enunciari in Confessionibus ab homine. Prout Scripturis continentur & à Deo enunciantur, fidei meæ objectum sunt. Prout in Confessionibus ab homine enunciantur & explicantur, fidei meæ objectum non sunt. Carent enim infallibilitate. Nihil est fidei salvificæ objectum, nisi quod creditur ut infallibile. At urges & dicis, eundem esse nobis sensum Scripturarum & Confessionum, & per consequens si ille est objectum fidei, ergo etiam hic. Nego consequentiam. Quia objectum fidei sunt sensus crediti cum infallibilitate: at cum infallibilitate credi non possunt enunciati hominum verbis, sed solius Dei. Idem verum si Deus dicat & homo dicat, non tamen ejusdem est authoritatis. Dicat Deus duo & tria esse quinque. Dic tu duas & tres unitates esse quinque. Uterque fidem animo meo ingenerare poterit. Uterque verum dicit. Sed quia Deus illum sensum enuncians fallere & falli non potest, credo hoc infallibiliter; quia tu eundem sensum enuncians fallere & falli potes, utpote ψιλὸς ἄνθρωπος, (*nudus homo*) credam, [illegible] (si authoritatis solum ratio habeatur) fallibiliter & cum dubitatione. Dico ergo sensus esse posse eosdem quoad veritatem, nunquam quoad authoritatem. Quæro ex te, Doctissime Nihuli, an non statuas fidei tuæ objectum illud Apostoli Petri; *Tu es Christus filius Dei viventis*. Non negabis. Quæro iterum, an non idem & quidem totidem verbis dixerit Diabolus? an non idem aliis etiam verbis idem enunciare valeat? Nec hoc negabis. Visne ergo objectum fidei esse verbum illud prout profectum à Diabolo patre mendaciorum, cum idem ille quoad verba & sensum dicat, quod Apostolus? Sic ergo Syllogismum tuum retorqueo: Cujus fides pro objecto habet sensum dogmatis Diaboli confessione promulgatum, is sicuti fallibile habet objectum, ita fide salvifica destituitur & salvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet sensum dogmatis confessione Diaboli enunciatum. Ergo. Major in tua majori continetur. Minor ex tuis dictis probatur, quia eundem sensum enunciat Diabolus, quem enunciat D. Petrus: vis autem ideo fidei meæ objectum esse Confessionum sensus, quia eosdem sensus, quos Scriptura, enunciant.

Ep. 434.

Quid si idem generis humani hostis libellum conscribat de fidei Christianæ dogmatibus consonum sensibus Concilii Tridentini, eumque edat in lucem non expectata Romani Pontifi-

Ep.434. cio approbatione, dicesne objectum fidei tuæ esse sensus illos fallibili authoritate Sathanæ enunciatos? Si negas, negabo & ego pari jure objectum fidei esse sensus in Confessionibus enunciatos, quamvis iidem sint cum Scripturæ sensibus. Si concedas, dicam objectum fidei tuæ esse fallibile, utpote à Diabolo enunciatum. Si dicas sensus illos à Deo profectos esse objectum fidei infallibile, à Diabolo vero prolatos esse objectum fidei tuæ fallibile, regeram fidem tuam fallibile habere objectum & infallibile. Si dicas hoc non esse absurdum; jam ipse solvis syllogismum tuum superiorem, quo probare vis fidei meæ objectum esse fallibile, & per consequens eam non esse salvificam. Si dicas sensus illos à Diabolo non esse profectos primo aut tantum, sed etiam à Deo: dicam & ego sensus Confessionum primo à Deo in Scripturis esse enunciatos. Loquor de sensibus veris.

Ex quibus omnibus colligo, perperam te inferre ex meis verbis, objectum fidei meæ esse sensus enunciatos Confessionum verbis, uti antea perperam ex iisdem exsculpere studuisti hunc sensum, fidem meam iis niti.

Quare necesse erit denuo ad incudem revocari tuum syllogismum, ut evidenter probes à me scriptum esse fidem meam niti Confessionibus, quod affirmasti nuper, vel fidei meæ objectum esse sensus in Confessionibus enunciatos, quod affirmas nunc. Malim tamen ut omissis ambagibus articulum indices, ob quem salvari nequeam.

Subjungis, aliam esse quæstionem, an per fidem salvari nequeam, aliam vero, an fides reum me faciat æternæ damnationis. Credo apud vos diversa hæc esse, qui statum purgatorii medium ponitis inter statum beatorum & damnatorum in æternum. Sed frustra hæc apud me. Per quam enim fidem, (intelligo fidem totam, non hujus vel illius articuli solummodo) salvari non possum, per eandem damnabor. Non salvari hominem & damnari æternum in Scripturis idem sunt. Si tamen loquaris de fide hujus vel illius articuli solummodo, fateor per fidem alicujus articuli me posse non salvari, nec tamen per fidem ejusdem articuli damnari. Ratio est, quia aliquis articulus erroneus credi potest, per quem non salvabor; nemo enim errore salvatur, aut error neminem salvat. Nec tamen per illum articulum damnabor, aut à salute excludar, quia non omnis error reum damnationis facit. Sed salvabor per alios articulos veros & necessarios ad salutem.

Quæ de ignorantia invincibili & vincibili addis, nempe illam per se non obesse saluti, hanc obesse, nulla necessitate adscribuntur. Aut nulla in me est ignorantia veræ fidei, aut si qua est, vincibilis sit oportet. Quid enim in me invincibilem facere possit ignorantiam non video.

Illam tamen laciniam, quam his tuis dictis intexis, præcidi cupio, *nullam* scilicet *esse remissionem peccatorum, nisi ego.* Profecto & hic locorum fidelis & contritus animus eam à Deo exposcere potest, cur non impetrare? Ep.434.

Alterum meum postulatum erat, ut articulum indicares judicio divino ad salutem creditu necessarium, quem non credam ego. Ad hoc non respondisti directe in prima tua, nec etiam in altera hac tua responsione.

Syllogismum proposuisti, in hunc fere sensum; ignorare me judicem visibilem & infallibilem, sine quo certus esse non possum de verbo Dei ejusque vero sensu, quæ tamen certitudo cum sit necessaria ad salutem, infers aliquod dogma necessarium ad salutem me latere.

Respondi & respondeo denuo, non responderi ad quæsitum. Indicandus fuerat articulus judicio divino necessarius ad salutem. Si enim Deus religionem tibi mihique præscripsit, quod concessisti, tu indica articulum aliquem, quem Deus exigat tanquam creditu necessarium ad salutem, quem credas tu, ego non. Quid hic tergiversaris? da veniam verbo. Aut eam commode dare non potes, aut non libet. Si commode non possis, gratulabor fidei meæ, quæ omnia credat ad salutem judicio divino creditu necessaria. Si non libet, acquiescam. Fateris ipse à te directe responsum non esse. At scis in disputationibus, præcipue quæ nullius manifesto incommodo & damno suscipiuntur, directe respondendum esse, nec incedendum per ambages. Scripseram te non attendisse ad illa verba, *judicio divino.* Regeris, te bene illa vidisse & notasse tecum, sed illis verbis te non aptasse responsionem, quia inter nos non convenit, unde judicium divinum petendum sit.

Ergo disputationem justam de terminis postulati mei subterfugere vis, quia non convenit inter nos de iis, quæ necessaria sequela secum trahet ipsa disputatio. Plura sunt quæ præsentem disputationem exceperunt & porro excipient ἀμφισβητήσιμα. (*quæ in controversiam veniunt.*) Ab omni ergo disputatione abstinendum foret. Adhæc ignoras quid tibi hac in parte sim largiturus, quid non. Tu ad quæstionem si placet responde, & judicium divinum interpretare ex tuo sensu. Ego postea videro, an pro Deo substitueris hominem, pro judicio divino humanum, an veram Dei vocem judiciumque allegaveris.

Si necessitas cogat hac de re disputare, fiat, non subducam me, modo immediata consequentia eo perducar.

Scripseram præterea argumentationem tuam falsitate laborare. Respondeo in præsens, eam non una falsitate laborare. Non indicavi, fateor, quia alienum erat à quæstione mea. Quid jam tu? Repetis syllogismum tuum, etiam cum amplificatione & allegatione locorum Tertulliani & Augustini. Non ignoras quæ à Reformatis ad istam tuam argumen-

Ep. 434 gumentationem reſponderi ſoleant. Opponunt illi Auguſtino Auguſtinum, qui lib. 2. Chriſt. doctrinæ ſic ait: *Magnifice & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret: nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruit, quod non planiſſime alibi dictum reperiatur.* Tertulliano opponerent Chryſoſtomum, qui homil 3. de Lazaro ait: *Apoſtoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt* (loquitur de obſcuritate Philoſophorum) *manifeſta claraque quæ prodiderunt, expoſuerunt nobis, veluti communes orbis Doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea quæ dicuntur, è ſola lectione.* Ego ſtudio ab iſtis abſtineo, ne à meis poſtulatis recedam. Non averſor argumentationem illam à naturali ratione & diſcurſu petitam, fateor quoque eam non eſſe fruſtra, & attentionem ac ſeriam reſponſionem mereri. Sed non patitur diſputationis rectæ methodus, ut relictis meis thetibus ad tuas deſcendam, nulla immediata conſequentia ad eas pertractus. Dabitur forte alias occaſio ſuper hac re diſputandi, nec difficilem me præbebo. Forte & hæc ipſa diſputatio conſequentiarum nexu aliquo eo nos perducet. Sed cum nexum illum nondum videam, pedem figo in meis poſtulatis.

Verba tua hæc ſunt: Intelligis autem inde, puto, etiamſi Scripturæ ſint norma religionis Catholicæ unica, ſi tamen fidei non humanæ ſed divinæ, adeoque Catholicæ, habitus eſſe deſiderat, Interpretè infallibili te uti oportere, &c. Scripta ſunt litera Coloniæ 29 Januar. 1624.

Optas falſitatem argumentationis tuæ à me indicari. Scio te optare, nempe ut egreſſus è meo circo, quem præfixi, in tuum tranſeam. Illud obiter in tranſcurſu noto, quod ſcribas, *Scripturarum litteram non eſſe ſolum verbum Dei.* Si litteram opponis ſenſui, quomodo litteram ſine ſenſu verbum Dei vocas? Si eam opponis verbo non ſcripto, velim memineris horum verborum, quæ ad Dominum Overbeecquium perſcripſiſti: Scripturæ ſunt unica fidei Catholicæ norma. Si unica, ergo verbum Dei non ſcriptum non eſt norma fidei, quo tamen multa contineri dicunt Catholici creditu neceſſaria, de quibus altum in Scripturis ſilentium. Si non eſt norma fidei, non eſt verbum Dei. Ergo ſola Scriptura verbum Dei. At jam dicis Scripturæ literam non eſſe ſolum Dei verbum.

Epiſtolæ meæ colophon erat: Quamdiu certus ſum me nullum dogma amplecti, ob quod ſalvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus religionis præſcriptor & exactor exigit à me tanquam creditu ad ſalutem neceſſarium, cauſam non video, ob quam à recto ſalutis tramite aberrare judicari debeam. Ad hæc reponis, non magis mihi fidem habendam eſſe iſto ſermone utenti, quam Photiniano aut Anabaptiſtæ idem dicenti, niſi certitudinis iſtius rationem aſſignem viro prudente dignam.

At ſic habe, Vir clariſſime, certitudinis meæ rationem, quæ tibi jam ſufficere debet, eſſe hanc, quod rogatus toties ut mihi articulum, vel mortiferum, quem credam, vel ſalutiferum, quem non credam, indicare dignetur, indicare toties detrectes. Si cum Photiniano & Anabaptiſta tibi negocium eſſet, & ad eadem poſtulata reſponſionem detrectares, merito & illi dixerint, nullam ſe videre cauſam cur à ſalutis recto tramite aberrare à te judicari debeant, quare pari mecum apud te certitudine ſalutis gloriari poterunt. Sed non ſola eſt hæc certitudinis meæ ratio, ſed ſecundaria. Primaria, & qua totus nitor, eſt verbum Dei ſcriptum, idque infallibile. Si dicas me ignorare quid ſit verbum Dei, multum dicis, ſed præter rem foret hac de re jam diſputare. Ep. 434

Dicis me certum non eſſe, quia ſcripſi; ab hac vel illa Confeſſione me deturbari poſſe Nego conſequentiam. Quia certitudo fidei nititur Scripturæ, non Confeſſioni, quæ etiamſi eoſdem ſenſus explicet, quos enunciat Scriptura, tamen certus ſum de illis ut in Scriptura enunciatis, non autem ut in Confeſſionibus hominum verbis explicantur. Semper enim illud Prophetæ verum: omnis homo mendax. Deturbari poſſum ab hac vel illa Confeſſione, partim quia fallibiliter loquitur, partim quia male Scripturam interpretari poteſt. Major tuæ illationis hæc eſt: Qui à Confeſſione hac vel illa deturbari poteſt, non eſt certus de fide aut ſalute. At jam ſubſumam. Tu à Concilii Tridentini Confeſſione deturbari potes; neque enim negabis tibi accidere poſſe, quod tot Pontificiis accidit, qui amplexi fidem Pontificiam ad Reformatos tranſierunt. Ergo tu jam non es certus de fide & ſalute tua.

Dixi me à Scriptura nunquam poſſe deturbari. Tu ab hac ipſa me dimoveri poſſe ſic concludis: Si à ſenſu dogmatum fidei, quæ in Confeſſionibus ſubnotata ſunt, deturbari potes, à ſenſu Scripturæ hactenus credito (utpote qui ſecundum te idem eſt cum ſenſu Confeſſionum) & ſic à Scriptura ſive verbo Dei deturbari poteris. Sed verum prius; Ergo. Nego connexum, ea parte qua infert, *& ſic à Scriptura ſive verbo Dei deturbari poteris.* Priorem partem concedo, dimoveri me poſſe à ſenſu Scripturæ hactenus credito. Sed illud proba: illum qui à mala Scripturæ interpretatione & ſenſu hactenus male credito deturbatur, eum ab ipſa Scriptura deturbari. Hoc nego, niſi quis uſque adeo à Scripturæ ſenſu credito deturbetur, ut Gentilis fiat. Illud apud Chriſtianos extra controverſiam eſt, Scripturæ ſenſibus eſſe adhærendum; ergo à quocunque ſenſu ſe depelli patiatur, ſemper fatebitur, quoad Chriſtianiſmum profiteri vult, ſe Veteris & Novi Teſtamenti Scripturis adhærere. Ab his recedere non poteſt, quoad Chriſtum profitetur.

Nonne ipſe tu Nihuſi deturbatus es à ſenſu Scripturæ hactenus credito in Confeſſione Auguſtana? Non dixeris tamen te deturbatum jam eſſe à Scriptura & vero ejus ſenſu; quin potius dices te jam propius ad Scripturam acceſſiſſe, & verum ejus ſenſum ex Pontifice

ed by Google

Ep.434. Romano didiciſſe. Quid? an non ab hoc ipſo ſenſu Pontificis calculo approbato porro dimoveri potes? Si dicas te poſſe, nec tum dices opinor te Scripturæ in totum valedixiſſe, ſi ad Chriſtianorum aliquam Eccleſiam te deflectere contingat. Si dicas te jam non poſſe deficere, cum autoritas Pontificis tibi ſit infallibilis; quæro cur tibi evenire non poſſit, quod Marco de Dominis Archiepiſcopo Spalatenſi? Deturbatus hic eſt à ſenſu hactenus credito in Pontificia Eccleſia, & amplexus eſt ſenſum creditum in Eccleſia Reformata. Deturbatus eſt iterum à ſenſu Scripturæ hactenus credito in Eccleſia Reformata, & amplexus eſt ſenſum priſtinum. Nec tamen unquam dixit, aut dixerit etiam nunc, ſe à Scriptura aut verbo Dei ſcripto deturbatum eſſe. Ubicunque ſtetit, Scripturam pro ſe ſtare profeſſus eſt. Quin etiam ab illo ſenſu, Pontificem eſſe infallibilis autoritatis, unica fidei tuæ baſi, dimoveri, per Dei gratiam, potes, ſicuti ab illo dimotus fuit jam dictus Archiepiſcopus, & dimoti ſunt alii complures, etiam nunquam ad Eccleſiam Romanam reverſi.

Tandem poſt exantlatum hunc laborem, ita te componere incipis, ac ſi ad poſtulatum meum primum directe eſſes reſponſurus. *Si dimitti*, inquis, *nequeo, niſi deſignato religionis tuæ capite uno atque altero, ob quod ſalvari te non poſſe arbitrer, age oſtende mihi verbum Dei eſſe: In Euchariſtia Chriſtum non niſi ſpiritualiter manducari ac bibi; item: Quicunque manducet illic ſub ſpecie panis, eum quoque præcepto Chriſti obligatum eſſe ad bibendum ſub ſpecie vini.* At non quæſivi ego, ut oſtenderes articulos in Confeſſionibus Reformatorum, qui tuo judicio verbum Dei non ſunt, ſed qui crediti à ſalute excludant. Cur ergo vis me probare hos articulos eſſe verbum Dei? Tibi adhuc incumbunt partes probandi, non mihi. Dixiſſe debebas rotunde, te illi articuli jam deſignati à ſalute excludunt. Videbaris hoc dicturus eſſe, cum ais: *Si dimitti nequeo, niſi deſignato religionis tuæ capite uno atque altero, ob quod ſalvari te non poſſe arbitrer*; Sed ſubjungis immediate: *Age oſtende mihi verbum Dei eſſe* articulos, quos deſignas. Nihil determinas ejus quod promittere videris. Quare aut vis per illos articulos ſtare, quo minus ſalvari queam; aut aliud vis. Si aliud, non reſpondes ad quæſtionem. Si prius, jam fateor directe ad poſtulatum primum reſponderis, ſed probandum jam tibi erit, illum, qui iſtos articulos credit, non poſſe ſalvari. Cedo rationem tuæ aſſertionis, vel oſtende, ubi dicat Deus, illum non poſſe ſalvari, qui credit; in Euchariſtia Chriſtum non alio modo quam ſpiritualiter manducari ac bibi: item, quicunque manducet illic ſub ſpecie panis eum præcepto Chriſti obligatum eſſe ad bibendum ſub ſpecie vini.

Subjungis Syllogiſmum, ut per conſequentiam videaris reſpondiſſe ad poſtulatum. Is ſic habet: *Qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in ſua religione habet, is per eam ſalvari nequit. Tu tales opiniones pro verbo Dei habes, nempe è multis iſtas, quas jam dixi: neque enim ha quidquam niſi opiniones mere humanæ ſunt. Ergo ſalvari per tuam religionem nequis.* Reſpondeo tria. Primum, rurſus te de religione mea in genere concludere; concludendum erat, ergo articulos habes in Confeſſionibus, quorum merito damnatorum numero adſcriberis, aut à ſalute excluderis. Tibi probandum eſt, articulos citatos à te excludere à ſalute: hoc ergo concludendum fuerat iſto Syllogiſmo. Alterum eſt, majorem à me negari. Qui enim opiniones mere humanas pro verbo Dei habet in ſua religione, is quidem per illas opiniones mere humanas ſalvari non poteſt; ſed non ſequitur propterea, illum non poſſe ſalvari per religionem in qua ſunt iſtiuſmodi opiniones. Ratio eſt; quia poteſt religio aliqua credere ea omnia, quæ Deus exigit tanquam creditu ad ſalutem neceſſaria, & ſic ſalvifica eſſe, & juxta tamen erroribus aliquot imbuta eſſe. Rationes dabo, ſi exigas. Tu proba omnem illum, qui (per errorem) opiniones aliquot humanas in ſua religione pro verbo Dei habet, ſalvari non poſſe religione in qua ſunt iſti errores. Ego argumentationem tuam ſic retorqueo: Qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in ſua religione habet, is per eam ſalvari nequit. At Pontificii Doctores quam plurimi judicio aliorum Doctorum Pontificiorum opiniones mere humanas pro verbo Dei in ſua religione habent. Ergo per ſuam religionem, hoc eſt Pontificiam & tuam, ſalvari nequeunt, & ſalvari nequis. Major tua eſt. Minorem probabo abunde, ſi eam negaveris. Tertium quod reſpondeo hoc eſt, minorem quoque à me negari poſſe, nempe articulos iſtos eſſe opiniones mere humanas, ideoque me opiniones mere humanas pro verbo Dei habere. Sed quia de veritate articulorum iſtorum diſputandum non eſt, ſed de neceſſitate ad ſalutem, hoc labore ſuperſedebo. Atque hæc quidem ad tuas, Doctiſſime Nihuſi. Longius diffluxit oratio mea, quia præiviſti prolixior. Peccamus jam prolixitate uterque, ſed culpa tua. Dum enim à poſtulatis meis declinans alio divertis, cogor deviantem ſequi. Si tamen à diverticulo in quod digreſſus es, in viam te revocari velis, age directe, rotunde & aperte reſponde ad hæc mea poſtulata, & quaſi de novo diſputationem auſpicaturus hæc duo retentis meis terminis conclude: 1. Ergo articulum aut articulos aliquot habent Confeſſiones veſtræ quorum merito damnaberis, aut à ſalute excluderis. 2. Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confeſſiones veſtræ, qui ad ſalutem judicio divino creditu ſunt neceſſarii. Hoc ſi feceris, preſſius porro diſputabitur, & magno me tibi beneficio obſtrictum putabo. Nunc ſermonis mei copiam

Ep. 435. cópiam libertatemque venia tua dignare. Vale Vir clariſſime, & nos ama. Deus Opt. Max. ſtudia tua proſperet ac ſecundet ad nominis ſui gloriam & animæ tuæ ſalutem. Lugd. Batav. 10 Kalend. Sextil. Anno 1624.

CCCCXXXV.

Clariſſimo eruditiſſimoque Domino,

CASPARI BARLÆO

BARTHOLDUS NIHUSIUS S.P.

Non poſſe probari, Confeſſionibus Reformatorum aliquod impia, ob quod damnandi ſint.

CLariſſime Vir, Quas Auguſti die tertio accepi, vigeſimo tertio Julii datas, in iis & prolixitatis accuſas me, & evagationis extra diſputationis orbitam. Peccamus jam (ais) prolixitate uterque, ſed culpa tua: dum enim à poſtulatis meis declinans, alio divertis, cogor deviantem ſequi. Si autem à diverticulo, in quod digreſſus es, revocari te in viam velis, age directe, rotunde & aperte reſponde ad hæc mea poſtulata, ſive duo hæc retentis meis terminis conclude: 1. Ergo articulum, aut articulos aliquot, habent Confeſſiones veſtræ, quorum merito damnaberis aut à ſalute excluderis. 2. Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confeſſiones veſtræ, qui ad ſalutem judicio divino creditu ſunt neceſſarii.

Sane ubi prolixitate peccatum à me ſit, non video. Tametſi enim una forte alterave periodo exceſſerim brevitatem eam, qua uterque noſtrum ante uſus eſt, non tamen ob modicum illud prolixus confeſtim aut magno verborum apparatu uſus dici merebar. Fuerim vero prolixus, non tamen hoc ipſo contra legem ullam vel honeſtatis vel civilitatis, imo neque contra promiſſum ullum egerim. Expetiiſti tu quidem initio brevitatem; ſed hanc ego conſulto non promiſi; nempe quod neſcirem, quibus illa abs te limitibus circumdaretur, aliis magis aliis minus in arctum eos contrahentibus, prout variant ingenia mortalium. Quod ſi tu itaque heic peccaſti, cur inſontem me in reatus conſortium trahis? Quanquam quid ita ſcrupuloſus es, ut peccaſſe te exiſtimes? Ego te equidem ab omni culpa immunem plane pronuncio. Adeoque per me tibi liberum etiam eſto, ſive ſuccincte ſive pleniſſime animi tui ſenſa ſemper efferre. Imo omnia quoque minuta vocum excutias licebit; ea tamen conditione, ne contra mihi negatum ſit præterire interdum, ſi quæ nimis anxie perſequi viſus fueris: cujuſmodi nunc illud de laceſſendi verbo. Sane ad comitatis atque amoris certamen me laceſſitum abs te dixi; ſed quid heic mali? Nec vero ad diſputandum ego te, utpote mihi ignotum, laceſſivi ulla ratione aut provocavi; ſed tu ipſemet itidem vel ſponte tua, vel certe inſtinctu Domini Overbequii, ut ſcis, prior te ſiſtens, amice me invitaſti. Quod proinde neque indigne fero, ſed in optimam potius partem accipio. Ep. 435.

Attamen ex arena in diverticula & latebras me ſtatim ſubduco, contra quam diſputatorem decebat. Id quidem exprobras tu mihi, & ingeminas creberrime; nempe quia directe & categorice tibi ad quæſita non reſponderim, ſed ad alia deflectere maluerim, adeoque duas concluſiones haſce ſubſtituere: 1. Ergo per fidem tuam ſalvari, meo judicio, nequis. 2. Ergo in Confeſſionibus tuis deëſt articulus ad ſalutem tibi, meo judicio, neceſſarius. At bona verba quæſo. Fateor lubens, non recte ad iſta tua me reſpondiſſe, ſed hæc mea contra protuliſſe vel diluenda vel expendenda: nego autem, in diverticula aut latebras digreſſum me, ceu è circo fugitivum. Quomodo enim deſeruerim certamen, quod ne acceptavi quidem, ex quo delatum abs te fuit, multo minus inivi? Nulla, inquam, hactenus facta eſt à me litis, iſtius intentatæ, conteſtatio, vir optime; quum nondum aggrediendum ſumſerim ſtatum quæſtionis abs te mihi propoſitæ utriuſque, imo id facere ſciens detrectaverim potius; ſicuti etiamnum deinceps detrecto plane; non quidem quod haud libeat ſaltem, ſed quod non poſſim: liberet enim utique, ſi poſſem. Ideo autem, ne neſcias, concluſiones iſtas tuas aſſeverandas confirmandaſque acceptare haud poſſum, quia prior falſa eſt, poſtetior vera quidem, ſed cum importabili probandi onere conjuncta. Quod ipſum uti peritus intelligas, ſic habe.

Falſa, inquam, eſt prior hæc: *Ergo articulum aut articulos aliquot habent Confeſſiones veſtræ, quorum merito damnaberis aut à ſalute excluderis.* Nam inutiles quidem ſunt omnes veſtri articuli ad ſalutem procurandam, (& ſic ſolummodo loqui conſueverunt noſtri, quum accurate rem tractant,) at vero damnationis æternæ reos vos nullus eorum efficit. Non illi certe, quorum veritas à nobis utrimque admittitur. Sed neque cæteri, de quibus controvertimus. Neque enim quia illic erras, ideo damnabere, ſed ſi damnabere, ob peccata id fiet, quæ ſciens volenſque perpetraveris, nec vero expiaveris. At ais, *non videre te, cur ego damnare te, & quidem ob errores in fide, nequeam, quum tam liberalis hac in parte ſit Synodus Tridentina, & tam faciles ſcriptores Pontificii, dum fidem Reformatorum hæreticam, impiam, blaſphemam vocant.* Reſpondeo. Verum eſt, in Concilio Tridentino anathema dici omnibus errantibus contra ejus decreta; ſed cum hac ſemper limitatione, ſi errent cum pertinacia: reliquos enim nec anathemate ferit, nec in hæreticis, proprie ſic dictis, ſive formalibus, numerat. Pertinacia autem nobis eſt, quum quis Eccleſiam Romanam agnoſcit eſſe veram Dei Eccleſiam, & tamen ei credere abnuit. Jam quis dixerit, omnes Reformatos iſto pertinaciæ vitio laborare, quum ſine dubio plurimi eorum neſciant,

Ro-

Ep. 435. Romanam noſtram ſolam eſſe veram Eccleſiam, & invincibiliter quidem neſciant, ac fieri queat, ut in horum numero tu quoque ſis? Negas quidem, verioris heic doctrinæ ignorantiam, ſi qua in te ſit, invincibilem eſſe poſſe. Sed videris terminum illum Scholaſticum non intelligere. Ignorantia enim invincibilis eſt, quum nulla tua culpa factum, quo minus compereris hucuſque rectiora: indeque & alio cognomine inculpabilis appellatur. Jam quum ittiuſmodi ignorantiæ obnoxium fuiſſe me putem, antequam nempe rationes, de autoritate Eccleſiæ Romanæ dubitandi, mihi ex animo eſſent ſublatæ, quidni in te quoque locum eam habere poſſe credam, qui de induſtria & candore tantopere prædicaris mihi, ac proinde manus dare hactenus certe non refugeres, modo clare tibi heic innotuiſſent itidem omnia? Sic tametſi ſcriptores noſtri fidem Reformatorum hæreticam, impiam, & blaſphemam vocent, non tamen niſi in eodem ſenſu, quo Patres Tridentini, loquuntur. Propoſitiones enim hæreticas, impias aut blaſphemas appellari ſolitas, pro veris habens, non damnatur ipſis id circo; ſed ob animum demum hæreticum, impium, blaſphemum, aut criminibus aliis infectum. Certe non ita horribile ſive crudele noſtrorum de vobis judicium eſt, ut ſuſpicari ſolenne iſtic eſt. Quod & è ſcriptis ipſorum facilime comperiſſes, modo in ea incidiſſes. Ni fidem habes, vel Aquinatem conſule: cui neque contradicit quiſquam Doctorum cæterorum.

S. Th. 2. 2. q. 10. a. 1. item q. 11. a. 2. & ibi Molderus, Lorca, Reuingius, alii. Item Becan. tract. ſcholaſt. de Fide, Spe & Caritate. cap. 13. q. 1. cap. 14. q. 1. ac 2. & cap. 15. q. 2. §. 6. aut non Manual. lib. 5. cap. 13. §. 6.

Sic affirmare quidem, ſed non item confirmare promtum eſt concluſionem hanc tuam poſteriorem: *Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confeſſiones Reformatorum, qui ad ſalutem judicio divino creditu ſunt neceſſarii.* Sane prodire cum tali ſyllogiſmo liceret: Pendendum eſſe à judice quopiam viſibili & infallibili, in Confeſſionibus veſtris non habetur. Et vero id articulus eſt ad ſalutem judicio divino vobis creditu neceſſarius. Ergo aliquis articulus, ad ſalutem judicio divino vobis creditu neceſſarius, in Confeſſionibus veſtris non habetur. At de minore qui certum te reddam, nondum video. Aut enim conceſſa adhibenda fuerint, aut talia, quæ denique è conceſſis evidenter colligi queant. Atqui neutrius generis quidquam ſuppetit. Poſſem quidem ſic argumentari: Qui fateri cogitur, pendendum eſſe à judice quopiam viſibili ac infallibili, is fateri etiam cogetur, judicem illum non niſi à Deo ipſo nobis debere eſſe præpoſitum; nempe quum nulla creatura hominem reddere queat pro ſe infallibilem. Tu fateri cogeris, pendendum eſſe à judice quopiam viſibili ac infallibili. Quod ſic oſtendo. Qui ab una parte ultro fatetur, infallibiliter ſeſe certum eſſe oportere de veritate capitum ſuæ religionis; & à parte altera fateri cogitur, ſe, ſibi ſoli relictum, falli poſſe, tum in apprehendendo ſenſum Scripturæ, tum univerſim in habendo aliquid pro verbo Dei quod tale non eſt, vel etiam pro verbo non divino quod revera divinum creditu neceſſarium eſt; is fateri etiam cogitur, pendendum eſſe à judice quopiam viſibili ac infallibili, ſive tali, cui teneatur credere, nec unquam, circa ejus effata, fidem ſuſpendere; alias enim perinde foret ac ſi pro fallibili eum haberet, jamque infallibilitatis ſuæ fulcro deſtitueretur. Tu ab una parte ultro fateris, oportere te infallibiliter certum eſſe de veritate capitum tuæ religionis, (videl. quia aliter ſalvari nequeas;) & à parte altera fateri cogeris, te, tibi ſoli relictum, falli poſſe, tum in apprehendendo ſenſum Scripturæ, tum univerſim in habendo aliquid pro verbo Dei quod tale non eſt, vel etiam pro verbo non divino, quod revera divinum creditu neceſſarium eſt; (quidni enim tibi accidere poſſit, quod accidere tot mortalibus, ipſemet concedes?) Ergo fateri cogeris, pendendum eſſe à judice quopiam viſibili ac infallibili. Jamque concludo: Ergo fateri etiam cogeris, judicem illum non niſi à Deo ipſo nobis debere eſſe præpoſitum, quicunque tandem ipſe ſit, (nam inveſtigatio ulterior alio ſpectat.) Et quoniam concluſionem hanc merito admittes, admittere ſine omni controverſia & minorem hanc teneberis, quam probandam ante ſuſcipiebamus, adeoque dicere: Ergo pendendum eſſe ab judice quopiam viſibili & infallibili, eſt articulus ad ſalutem judicio divino vobis creditu neceſſarius. Sic, inquam, ratiocinari ſane poſſem ex lege divina naturali. Sed ratiocinationes ejuſmodi tu non petis, verum directe monſtrari tibi vis legem divinam poſitivam, ſive ubinam Deus ipſe eloquatur, articulum illum creditu vobis eſſe neceſſarium. Quod mihi præſtitu impoſſibile prorſus eſt. Tu quidem contendis, eſſe poſſibile: ſed quomodo id probas? *Si*, inquis, *Deus religionem tibi mihique præſcripſit, quod conceſſiſti, indicare etiam poteris aliquem articulum, quem Deus exigat tanquam creditu neceſſarium ad ſalutem, quem tu credas, non ego.* Reſpondeo. Conceſſiſſe me id quod tu ais, equidem haud memini. Imo potius contra ſentio. Nam, Deum tibi præſcripſiſſe religionem, idem eſt ac ſi dixiſſes, Deum tibi alicubi loquutum eſſe, ſive verbum ſuum patefeciſſe. Hoc autem, meo certe judicio, falſum eſt. Pictos codices biblicos videris, & ſonos inde legentium audieris: at hoc non ſufficit. Tum demum Deus alicui de capitibus religionis loquitur, quando ſimul & verum intimumque eorum ſenſum intellectui noſtro proponi facit, & inſuper intellectum eundem illuminat, hoc eſt, ita ad humilitatem diſponit, ut vel æque vel magis etiam promte arcteque aſſentiatur iſti ſenſui, utut captum ſuum ſuperanti, quam ſenſui primorum principiorum naturalium. Jam vero Deus, meo judicio, intellectum tuum ſic non illuminavit, ſive, quod idem eſt, habitu fidei divinæ non dona-

Becan. de Fide, Spe, & Caritate. cap. 11. q. 3.

Ep.435. donavit, quantumvis etiam veritates aliquas, à Deo autore profectas, juxta nobiſcum admittas. Quare neque loquutus, meo judicio, tecum eſt. Imo cum primis neque verum intimumque ſenſum dogmatum, religioni veſtræ propriorum, intellectui tuo proponi fecit ſive inſinuari. Non profecto per Scripturas, quum pictos quidem codices habeas forſan, ut dixi; Scripturas vero illic hactenus non item. Qui enim alium ſub iis ſenſum concipit, quam à Deo ipſo intentus eſt, is verbum Dei non habet, ſed verbi divini ſignis pictis figmenta propria palliare ſaltem quærit. Tu alium illic ſub iis ſenſum concipis, meo & Catholicorum judicio, quam à Deo ipſo intentus eſt, eumque pro indubitato verbo divino venditas. Noſtro itaque judicio Scripturas, ſive verbum Dei ſcriptum, ſic non habes, ſed verbi divini ſignis pictis figmenta propria palliare ſaltem quæris. Et per conſequens, Deus tibi per Scripturas, noſtro judicio, verum intimumque ſenſum dogmatum cum primis religioni veſtræ proprium, intellectui tuo proponi ſive inſinuari non fecit. Perinde itaque nunc eſt, ac ſi negem, Deum tibi religionis capita præſcripſiſſe; (nempe quum ſolam Scripturam pro verbo Dei agnoſcas.) Et ergo falſum eſt, concedere me, quod Deus religionem non minus tibi præſcripſerit quam mihi. Quicquid, inquam, à Deo tibi præſcriptum putas, de eo non aliunde tibi conſtat primario, quam quia naturali tuo intellectui placuit ſub ea ratione id eligere, ac ſi Deus tibi intus loquutus fuiſſet; quæ eſt miſeria vel certe imprudentia maxima. Atque ita immotum adhuc ſtat, quod dixi; nimirum impoſſibilem probatu mihi eſſe Syllogiſmi mei principalis Minorem.

Fides Ecclesiæ diffusa Regn. part. 4. cap. 5. edit. 2.

Hæc, inquam, ſunt rationes, cur de duabus iſtis tuis Concluſionibus tecum, prout voluiſti, congredi integrum mihi neque fuerit, neque etiam futurum unquam ſit. Nihilominus tu id ſtrenue flagitas, & flagitationem quidem iſtam undiquaque decoram ac juſtam eſſe, alta voce exclamas. Sed unde obſecro hoc mihi oſtendis? Nihil ſane ex te audio, niſi quod magnam ex diſputatione de aſſertionibus iſtis duabus utilitatem ſperes. At non ſufficit, cariſſime mi, affulgere tibi ſpem aliquam utilitatis, nulla interim habita ratione æquitatis. Alias & ego plurima mihi utilia poſtulare ab aliis poſſem, qui & mihi nihil debent, & ſuis rebus carere ſine detrimento ipſimet nequeunt. Faceſſat ô faceſſat utilitatis reſpectus, qui conjunctus cum neglectu æquitatis. Revera autem totum iniquum eſt quod à me fieri voluiſti; utpote vires meas excedens. Non, inquam, aliam reddis cauſam, ita audacter me urgendi, quam utilitatem: prout ex tuo ipſius ſermone cognoſcere licet.

De quæſito enim tuo priore agens: Cur autem, inquis, rigidius heic abs te reſponſum exigam, cauſa hæc eſt, quod propoſitum mihi ſit tecum non de hujus vel illius articuli veritate diſputare, (factum hoc à noſtris & veſtris abunde,) ſed de articulorum credendorum neceſſitate & momentis: (heic temetipſum involvis, dum neceſſitatis eorum, quæ credenda ſunt, mentionem injicis, quæ non huc pertinet, ſed ad quæſitum tuum poſterius, ut ſcis.) Etenim, mi Nihuſi, cum ab Eccleſia veſtra receſſionem facere coactæ ſint Eccleſiæ Reformatæ, & receſſionem juſtam fecerint, quum à vobis ſalutis æternæ ſpes fidei noſtræ hominibus præcidatur, de veſtra quoque ſalute deſperent Reformati, aliique in aliorum condemnationem proniores ſimus; utiliſſimam ſemper judicavi illam controverſiam, quæ diſcrepantium opinionum neceſſitatem (apage hinc iterum cum tua neceſſitate, & uſque ad quæſitum poſterius eam reſerva,) propius expenderet. Si enim de capitibus ad ſalutem creditu abſolute neceſſariis ſit diſſenſio, (voluiſti dicere, ſi non diſſentimus à vobis in iis, quæ nos, tuo judicio damnant,) ſcio, Eccleſiæ unitatem ſervari non poſſe. Si vero de dogmatibus ad ſalutem non neceſſariis, (voluiſti dicere, ſi vero nullus noſtrorum articulorum, tuo judicio, nos damnat,) ſervandam eſſe & ſervandam fuiſſe arbitror. Hunc ergo in finem quæſivi ſcire: quis fidei meæ articulus, aut qui articuli ſint, qui me damnationis æternæ reos faciant, (jam recte ſiles de neceſſitate credendorum,) aut quod idem eſt, à ſalute æterna excludant. Ecce, utilitatem ſaltem tuam inculcas, & hanc ſatis eſſe centies ad cogendum me, quemadmodum dictum eſt. Verum id ego jam ante negavi. Nunc addo, quod ita mirabili inſuper ac perplexo argumento utilitatem oſtendas, uti neſciam equidem, an in formam ſyllogiſticam illud redigi poſſit. Interim tamen gratias habeo de ſermone iſto tuo: Si diſſentimus à Pontificiis in iis, quæ tuo judicio non damnant, ſervandam eſſe Eccleſiæ unitatem, & ſervandam fuiſſe arbitror. Meo enim judicio, tua te dogmata, quibus à nobis diſſentis, tametſi etiam falſa ſint, non damnant tamen ex ſeſe, ut audiviſti. Secundum te igitur ſervanda fuit & ſervanda eſt Eccleſiæ unitas. Gratias, inquam, habeo. Neque nunc ſupereſt quidquam, niſi ut ſpem factam impleas. Adeſdum itaque actutum, amice, & ſerva nobiſcum unitatem: adeoque deſine dicere, ſive præſupponere tanquam principium ab noſtrum utroque conceſſum, coactos fuiſſe Reformatos receſſionem à noſtris facere, & receſſionem juſtam feciſſe, & de ſalute noſtra merito deſperare: nihil enim horum apud me Euangelium eſt. Cæterum quum hactenus nihil minus effeceris, quam jure exigi à me poſſe reſponſum illud ad quæſitum tuum prius, an forſan alibi me invadis fortius? Verba quidem tua itidem ſunt: Cum diffiteri non poſſis, multa mihi tecum communia eſſe fidei dogmata, operæpretium nos facturos arbitror, ſi de con-

Ep.435. troversis aliquot dogmatibus speciatim inquiratur, num ea tanti momenti sint, ut à salutis æternæ spe vel te (expunge illud; *vel te*; loqueris enim de dogmatis non nisi tuis, quæ certe me non damnabunt,) vel me excludere credi debeant, quicquid sit de eorum veritate aut falsitate. Neque enim dixeris, omne verum præcise ad salutem creditu esse necessarium, (quorsum sodes iterum in mentem tibi loco alieno veniebat necessitas credendorum?) aut omne falsum & errores quosvis ἀπιστίαν (*infidelitatis*) mortiferæ nomen mereri. Summa est: operæpretium sive utilitas te in me exstimulat, aliud nihil. Atqui absit, uti utilitatis tuæ gratia affirmem id, quod falsum esse sentio aperteque profiteor. Sed neque utilitatem tamen syllogismo aliquo manifestam facis, verum confusa saltem oratione denuo uteris, perinde ac si rhetorem agere tempus fuisset. Hoc tamen videris velle. Si multa fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea quæ Reformatis sunt propria, quantumvis etiam falsa sint, neminem tamen damnare comperiantur, si disputando hoc investigetur; utile sane fuerit pro tollendo ex Ecclesia schismate, disputationem ea de re institui. Sed multa fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea quæ Reformatis sunt propria, quantumvis etiam falsa sint, neminem tamen damnare comperiantur, si disputando hoc investigetur. Ergo utile fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem ea de re institui. Respondeo, concessa majore, negari à nobis minorem, non quoad posterius membrum, sed quoad prius. Negamus, inquam, ullum nos habere dogma fidei vobiscum commune. Conceditis quidem, itidem ut nos, trinitatem Personarum, divinitatem Christi, & similia: inde autem non sequitur, articulos fidei divinæ nobis esse communes; quum alioquin fide divina præditos vos esse necesse sit; quod, nostro judicio, falsum est, ut supra monui. Mera, inquam, opinione humana articulis veris astipulamini, perinde atque Judæi, Turcæ, & id genus cæteri. Qui proinde æque proprie dicerentur habere nobiscum fidem ex parte communem, ac si dicam, ex parte astronomum esse rusticum illum, qui relatu astronomorum cognitam habeat Eclipseos lunaris proxime imminentis horam. Unde & hoc obiter colligo, articulos fidei tuæ, qui nostro etiam judicio veri sunt, prorsus nihil tibi profuturos ad consequendam salutem æternam. Ecce ne utilitatem quidem recte probasti iterum.

Quæsitum alterum cur itidem urgeas tantopere, peculiariter non explicas. Ergo ex verbis tuis de necessitate credendorum, quæ tibi antea intempestive excidebant, argumentum pro te aliquod ipse formabo. Si quædam fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea, quæ Pontificiis sunt propria, quantumvis etiam vera sint, non tamen judicio divino ad salutem creditu necessaria comperiantur, si Ep.435. disputando inquiramus; utile sane fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem hac de re institui. Sed quædam fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea, quæ Pontificiis sunt propria, quantumvis etiam vera sint, non tamen judicio divino ad salutem creditu necessaria comperiantur, si disputando inquiramus. Ergo utile fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem hac de re institui. Respondeo, concessa, ut superius, majore, negari, præter prius, etiam posterius membrum minoris. Nunquam enim quisquam disputando evincet, nihil eorum, quæ nobis propria sunt, judicio divino creditu esse necessarium. Quicquid contra objicietur, dissolvere parati sumus. Male ergo & heic utilitatem demonstras. Ac licet eam demonstrasses, non tamen hoc sufficeret, ut jam toties dixi.

Manifestum itaque est, non probatum esse abs te, quod ego tenear postulatis tuis satisfacere aut locum dare, ideoque merito adhuc me tibi illud denegare. At inquis, exultabundus: *Ergo gratulabor Reformatis, in quorum Confessionibus nihil reperiri possit, ob quod damnandi sint, econtra autem omnia contineantur ad salutem judicio divino creditu necessaria.* Gratulatio sane duplex, at mirifica utraque. Quid enim refert, inquam, in Confessionibus vestris nihil esse, ob quod damnandi sitis? Sane errores, in quacunque tandem religione sit, non damnant quemquam, sed peccata, quæ sciens quis volensque commiserit, nec pœnitentiam egerit. Secundum te quidem fidelis & contritus animus veniam peccatorum à Deo obtinere vobiscum potest: secundum nos autem vera fide caretis, nec est vera contritio, quæ non nascitur ex vera fide. Taceo cætera, quæ monere heic possem. Sic, ut ad alteram gratulationis tuæ partem veniam, qui sodes ita tibi plaudis ipse domi, quasi in Confessionibus vestris omnia contineantur ad salutem judicio divino creditu necessaria? Non profecto ego hoc tibi concessi, dum negavi, plura, judicio divino creditu necessaria, demonstrari à me, prout postulasti, posse. Sed nec aliunde certus es. Affirmas quidem, te certum esse; verum certitudinis rationes tales adducis, quæ te incertissimum potius esse produnt. Ita habe, inquis, certitudinis meæ rationem, quæ tibi nunc sufficere debet, esse hanc; quod rogatus toties, ut mihi articulum salutiferum (voluisti dicere, ad salutem judicio divino creditu necessarium, alias enim, quem ego salutiferum esse judicem, indicavi tibi,) quem non credam, indicare toties detrectes. Sed non sola est hæc certitudinis meæ ratio (ais) verum secundaria. Primaria, & qua totus nitor, est verbum Dei scriptum idque infallibile. Respondeo. Et secundaria & primaria certitudinis tuæ ratio nulla est. Ista sic habet: Nihusius amico suo Batavo demon-

Ep. 435. demonſtrare evidenter nequit, quidnam eorum, quæ non continenter in Reformatorum Confeſſionibus, judicio divino creditu neceſſarium ſit: Ergo Batavus ille certus eſt, in Confeſſionibus Reformatorum contineri omnia judicio divino creditu neceſſaria. Viden'? ratio hæc ſufficere mihi certe non debet, quia non poteſt. Sed neque è Scripturis unquam erues, in Confeſſionibus Reformatorum contineri omnia judicio divino creditu neceſſaria. Nullibi, inquam, tale quid reperitur in Scripturis. Mere itaque humanum figmentum eſt, itidem ut Photiniani & Anabaptiſtæ fingunt, in ſuis Confeſſionibus contineri omnia judicio divino creditu neceſſaria.

Quare ut, ſummatim rem totam complectendo, finiam, conſtat, ni fallor, abunde, & juſtis de cauſis diſputationem de tuis poſtulatis me detrectare, & cauſas tibi contra eſſe nullas ita vehementer me porro urgendi. Tu nunc obſecro reſponde mihi ad hæc duo. 1. Ob quem vel quos articulos, quos ego credo hactenus, tu me damnes. 2. Quidnam eorum, quæ ego non credo, creditu neceſſarium à Deo judicari exiſtimes. Neque vero reſponde ſaltem, ſed ſimul argumento aliquo ſententiam utrobique tuam haud gravatim nobis confirma. Si commode non potes, imprudenter mihi quæſita tua propoſuiſti: memor enim eſſe debuiſſes, proponi tibi ſimilia poſſe. Si potes, teneris utique; utpote qui in eorum cœtu es, qui à nobis diſceſſere, ſubditi à ſuis ſuperioribus, oves à paſtoribus. Quod ſi vero id quod peto, liquido præſtiteris, ſpondeo, ad partes veſtras me conceſſurum. Sin minus, non modo manebo, illic ubi tum, conſtantiſſime, ſed, quaſi neceſſitas quoque compellat, exprobrabo tibi cum exaggeratione tuum illud calidiuſculum, *coactos fuiſſe Reformatos ſeceſſionem à noſtrâ facere, & ſeceſſionem juſtam feciſſe, & de ſalute noſtra merito deſperare.*

Atque hæc hactenus. Reliqua, quibus mea reliqua impugnas, examinabo proxime ſeparatim. Nunc hoc ſaltem dico, nec inſcitia artis logicæ, nec dolo ſophiſtico me, relictis tuis poſtulatis, confeſtim acceſſiſſe ad expedienda hæc duo: 1. In omnibus fidei tuæ articulis, meo judicio, nihil eſſe, quod tibi utile ſit ad ſalutem. 2. Ex iis, quæ hactenus non credis, meo judicio neceſſarium tibi eſſe judicem aliquem infallibilem. Neque enim venditavi hæc pro reſponſis directis ad poſtulata iſta tua, ſed ad id ſaltem, quod ſcire itidem velle non minus videbaris, an articulos tuos revera tibi eſſe proficuos cenſerem, & quoſnam contra ex articulis noſtris propriis haberem pro neceſſariis ad ſalutem. Vale Vir Clariſſime. Coloniæ, XXV Auguſti, M DC XXIV.

CCCCXXXVI.

JOANNES UYTENBOGARDUS PRÆTORI S. SEVERI.

MOnſieur: Puis qu'il vous plaiſt (à ce qu'on me rapporte) vous informer, Qui, & de quelle foy je ſuis avec mes cohabitans: Je vous diray, avec la ſubmiſſion reverence & obeiſſance que je doibs au Roy (de la Maj. du quel je me reclame, & ſuis treshumble treſobeiſſant & tresaffectionné ſerviteur & ſubject) & à ſes Juſticiers & Officiers, que je ſuis natif de l'une des Provinces Unies du Païs bas, eſquelles j'ay autre-fois exercé la charge du Miniſtre, exilé d'icelle ma patrie depuis quelques années en ça, à l'occaſion des differens, malentendus, & brouilleries, y ſurvenues en la Religion & en l'Eſtat. Des mon abord en ce royaume, avant qu'y ancrer ma reſidence, je me ſuis addreſſé à des principaux Seigneurs du Conſeil du Roy, deſquels j'avois l'honneur d'eſtre cogneu, & leſquels n'ignoroient les cauſes de l'exil de moy, & d'autres mes compatriots, tous gens de bien & honneur, au nom deſquels fuſt preſentée à Sa Maj. Tres-chreſtienne humble requeſte & ſupplication, la quelle veüe & examinée il a pleu à icelle nous tendre le ſceptre de ſa tant renommée bonté & juſtice, & nous ottroyant ſes lettres patentes, par leſquelles Sa Maj. declare, Qu'eſtant bien informée des cauſes de noſtre dit exil, & que nous ne laiſſions de meriter ſa grace & faveur, elle veult & ordonne, par l'advis de ſon Conſeil, & de grace ſpeciale, pleine puiſſance & authorité royale, que nous tous de quelque qualité & condition que ſoyons, jouiſſions, non obſtant noſtre exil, de l'exemption du droict d'Aubeine, & que nous ayons auſſi en tous les endroicts de ſon royaume, ou nous ſerions retirez, la meſme ſeureté & protection, comme ſi nous eſtions ſes ſubjects naturels, en y rendans l'obeiſſance qui eſt deüe: ainſi que plus amplement ſe peut veoir és dites Lettres patentes Royales, datées à Nantes l'xj. jour d'Avril CIↃ IↃC XXXI I. depuis verifiées en la Cour de Parlement, & enregiſtrées au Baillage de Roüen. Auſſi puis je dire (ſans jactance) que je ne ſuis ſi peu cogneu en ce quartier, que je n'aye eu l'honneur d'avoir baiſé les mains tant à Monſeigneur le Duc de Longueville Lieutenant pour Sa Maj. en ceſte Province, qu'à Meſſeigneurs le Reverendiſſime Archeveſque de Roüen & Premier Preſident de ceſte Cour de Parlement, ayant pleu à leurs Ex. & S. me departir favorablement parolle gratieuſe de ſauvegarde & protection ſelon la volonté du Roy. Ayant donc prins ma demeure en ce royaume, me ſuis touſjours efforcé de porter toute obeïſſance à

Ep.436. Sa Maj. & aux loix du Royaume, de ſorte que ma conſcience ſe trouve entierement nette d'avoir jamais faict, ni meſmes penſé choſe qui y repugnaſt en aucun façon. Touchant la foy (comme on parle) ou creance, que je tiens, encores que je croy qu'il n'y a point d'Inquiſition en France: ne feray neantmoins difficulté de dire avec verité, que moy & mes cohabitans abhorrons, deteſtons & tenons pour execrable tout Atheiſme & Libertinaſme. Auſſi ne ſommes nous, graces à Dieu, Payens, ni Juifs, ni Mahumetans, mais Chreſtiens, baptiſez au nom du Pere, Fils & S. Eſprit, tachans conformer noſtre vie de plus en plus à ce à quoy ce S. Sacrement nous oblige, qui eſt, croire en Jeſus Chriſt & obeïr à ſes commendemens en vraye foy & charité, ſoubs eſperance de vie eternelle. Nous avons des noſtre jeuneſſe eſté nourris & inſtruicts en la Religion qui ſe dict Reformée, en laquelle moy & pluſieurs autres de ma robbe ayans remarqué des erreurs & abus, que nous avons creu & croyons eſtre contraires à la verite, pieté & bonnes mœurs, comme auſſi à ce que de toute ancienneté l'Egliſe Chreſtienne a creu & croit encores aujourd'huy: nous avons travaillé, ſuivant le debvoir de noſtre charge, d'y apporter quelque amandement convenable, le tout legitimement avec cognoiſſance & ſoubs l'authorité de noſtre Magiſtrat Souverain & legitime, auquel nous avons touſjours porté tout reſpect & obeïſſance, comme il appertient à des fideles ſubjects, bons citoiens & amateurs de leur Patrie. Mais Dieu ayant permis que la force ait ſurmonté la raiſon, contraints de ceder à la tempeſte, avons finalement prins port en ce Royaume, à l'abry & ſoubs les ailes d'un ſi grand, puiſſant, juſte & redoutable Monarque. Nous confeſſions voirement que ne frequentons point les aſſemblées de Queüilli, non par deſdain ou meſpris, ni comme voulans introduire en ce Royaume une nouvelle Loy ou Religion: Nullement: mais pour ne pouvoir en bonne conſcience approuver & enſuivre aucuns poincts de Doctrine qui y ſont enſeignez & maintenus és articles de la Prædeſtination eternelle de Dieu: Le merite de la mort & paſſion de noſtre Seigneur & Sauveur Jeſus Chriſt: La Divine Grace: Le franc arbitre & la perſeverance. Comme auſſi pource que leurs conducteurs adherent aux condemnations iniques & injuſtes d'un Synode tenu en la ville de Dordrecht en Hollande, où on a comme canonizé és ſuſdits poincts une doctrine que nous tenons abuſive, erronée, &, comme a eſté dit, nouvelle. Ja n'avienne pourtant que nous vivions ſans Religion ou exercice de pieté. Eſtant chef, & comme pere de famille, j'exhorte mes domeſticques ſelon la doctrine de l'Apoſtre S. Pierre, à craindre Dieu & honnorer le Roy, pour la vie longue & proſperité duquel, comme auſſi pour la paix & reunion de la Chreſtienté tant deſ- Ep.437.
unie & deſchirée à une meſme foy & culte divin, je prie Dieu journellement avec mes cohabitans, enſemble que Dieu pardonne à ceux qui nous perſecutent, & arme de patience & conſtance Chreſtienne les perſecutez. S'il y en a qui diſent que je me meſle de faire des aſſemblées clandeſtines pour y dogmatiſer & dreſſer Egliſe à part, je ſuis tres content qu'on s'en informe au vray, m'aſſeurant que plus on y employera de diligence, plus paroiſtra mon innocence. A S. Sever, chez Roüen.

Voſtre bien humble Serviteur

J. WTENBOGAERT.

CCCCXXXVII.

SIMONI EPISCOPIO

DANIEL TILENUS S.P.

Recongn. *De ſcripto adverſus Cameron.*

EPiſtola tua, Vir Clariſſime, me non jam Saliaribus epulis accumbentem, ſed in lectulo decumbentem, & cum arthritide, familiari mihi pridem Ate, colluctantem deprehendit. Non mediocre ſolatium ſenſi ex nerveſtimi ſolidiſſimique Apologetici tui lectione. Ad liturarum ſalebras alicubi, tanquam ad vadum quoddam, obhæſi, & exemplar magis *ἀνάγνωσιν* (*lectu facile*) deſideravi. Ea tamen quæ lectulo adfixus legendo aſſequi potui, tanti mihi ſunt viſa, ut jure merito dicere potuerim; Aut hoc argumentorum ſatis eſt compeſcendo, imo & ſanando, ſi ſanabilis eſt, adverſario; aut neſcio quid ſit ſatis. Utinam quam maturrime lucem adſpiciat, & protervis iſtis hominibus delicias ſuas excutiat? Si quid in ſcripto tuo eſt vel monitione vel ampliore *ἐξετάσει* (*diſquiſitione*) dignum, id coram fiet commodius. Etſi enim nihil fere iſthinc nobis ſuppeditetur, quo noſtra de veſtro ad nos reditu ſpes alatur, ego tamen tam blandum, tam opportunum doloris mei fomentum abjicere non ſuſtineo. Quem tu calculo liberatum convaluiſſe ſcripſeras, is forte nunc ad calculos ſedet, in ſubducendis reddendiſque adminiſtrationis ſuæ rationibus, plus ſatis occupatus. Faxit Deus, ut qui excuſſo hoc Palinuro jam clavum capeſſunt, non tam alios homines, quam alios mores exhibeant, tibique ac popularibus tuis patriam non ſolum ..... ſed etiam tyrannide liberatam reviſere liceat. Quæ de Subiſii reconciliatione narras, tam ſunt vana, quam reliqua eorundem Thraſonum *ἀλαζονείας*. (*jactationes*) Rupellæ de coëunda cum Subiſio ſocietate; hic de reducendis ad obſequium utriſque, conſilia agitantur. Sed deſino, neque enim longioris ſcriptionis laborem chiragra contuſi digiti ferunt. Tu cum optimo & præſtantiſſimo D. Uytenbogardo plurimum

ſalve

Ep. 438. salve à tui studiosissimo. Lutetiæ, Calend. Maji 1625.

CCCCXXXVIII.

SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S.P.

De obitu Romberti Episcopi, & scripto contra Cameronem.

FRatris tui mortem, Vir Clarissime, tanquam mei fratris accepi. Satis enim intelligo quantum in eo & boni omnes perdiderint, & tu imprimis, cujus præsens calamitas non alio magis solatio sublevabatur. Sed nimirum Deo placet non uno genere adversorum patientiam nostram experiri. Ac tibi quidem quin satis sit ad hæc & alia toleranda fortitudinis, neutiquam dubito. Ego ut tuum exemplum sequi possim, quantum potero, annitar. Legi magno meo cum fructu & voluptate quæ Cameroni iterum opposuisti. Solidissima esse judico & argumenta tua, & responsa. Idem Viro Clarissimo D. Tileno videtur. Minuta quædam quæ annotavimus aut tibi aperiemus, huc si veneris, aut, si id non ferunt res tuæ, transmittemus. Tibi ut similia multa opera possis producere & vitam & valetudinem opto felicem. Illud ἄφικτον (*immutabile*) in definitionibus Nicæensibus, de quo pridem scripseras, movere neminem debet. Tota cum Ario controversia erat de natura illa Christi quæ ante incarnationem exstitisset: eam Arius angelicam, aut ab angelica gradu differentem, ideoque mutabilem, alii divinam vere, ideoque immutabilem, statuebant. Vale vir Doctissime, & nos diligere perge. Lutetiæ Kal. Maji CIↃ IↃC XXV.

CCCCXXXIX.

HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Responsio ad superiorem.

VIr Amplissime. Si fratris mei mortem tanquam fratris tui accepisti, quo me animo eam accipere æquum fuit? Vix quicquam gravius aut acerbius in hoc exilio meo accidere mihi potuisse diu credidi, & jam reipsa experior. Nec enim fratris modo, sed patris, imo utriusque parentis loco mihi fuit, eratque (uti de Davide & Jonathane dicit textus) anima ejus colligata cum mea, imo me pæne supra animam suam diligebat. Sed quid faciam? Ita placuit supremo rerum nostrarum arbitro. Is Dominus erat, qui non mancipio, sed usui eum mihi dederat, idem abstulit, redditurus cum nobis quando veniet ut admirandus sit in sanctis & glorificetur in fidelibus suis. Sit nomen ejus benedictum, quod me tanti solatii usu fructu hactenus dignatus fuerit supra plures alios pro singulari gratia sua. Ille quidem multis magnisque laboribus & malis defunctus nunc Deo suo vivit. Quantum in eo boni omnes perdiderint, bonorum est æstimare. Id unum scio: nihil prius potiusque habebat in vita sua, postquam famoris doctrinæ gustum acceperat, quam ut de bonis omnibus, atque imprimis innoxie afflictis, vitæque & famæ integris, bene mereretur, seque ipsum totum eorum usibus impenderet. Hoc agebat, & in hoc totus erat. Profanos ferre non poterat, tanquam vibices & maculas ordinis istius, quem non modo doctrinæ purioris, sed vitæ etiam sanctioris luce supra cæteros eminere æquissimum censebat. Hoc testimonium à fratribus omnibus habet: nec parum solatii accessit mihi ex eo, quod idem illud a te, Vir Amplissime, post mortem suam retulerit. Det ei Dominus invenire misericordiam apud Dominum in die illo, & ut laus ejus aliquando sit non ex hominibus, sed ex ipso. Ego interim operam dabo ut patientia in me perfectum opus habeat, & divinæ voluntati morem geram, quo me cunque trahet retrahetque, ne forte inidoneum me reddam, quo minus tam bonum fratrem revideam in beato ævo isto, quod ὁ πάνσοφος ὁ πάλαι κόσμος ἀπεκδέχεται, (*mundus hic condidus exserto capite observans exspectat,*) & nos jam συνωδίνομεν καὶ συνωδίνομεν. (*una suspirantes & una parturientes.*) Pro labore & molestia in perlegendo scripto meo immortales gratias ago: judicium adeo benignum non tam expressit scripti meritum, quam vester in me amor: fiduciam tamen addidit, ut quæ restant paucula lubentius transmittam. Mississem ea ante aliquot septimanas, sed assidua de morbo & morte fratris cogitatio rerum omnium aliarum curam & memoriam mihi expectoravit. Notas vestras quæso præcedentibus jungite, ut una opera deinde eas aut per epistolam resciscam, aut si res meæ ferent, coram ex vobis intelligam, & quid porro scripto hoc faciendum existimetis cognoscam. Epilogus restat; sed in eo nihil dicitur, quod ante sæpius dictum non est, & quod levi momento confutari potest. Vale vir Amplissime cum dilecta conjuge & familia tua, & Clarissimo D. Tileno. Rothomagi, 17 Maji 1625.

CCCCXL.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

BEasti me, amicorum optime, quod ad scribendi vices redire ausus es: neque tantum literæ tuæ me juvant, sed hoc etiam, quod aliquantulo melius de patria sperare audeo, ex quo tibi visus es impune ad me posse

Ep. 440. ſcribere. Britannicam vocationem gaudeo in hoc tibi utilem eſſe, ut inde pretium tui augeatur apud eos, qui aliunde diſcendum habent quis ſit Voſſius. Tua de Græcis hiſtoriis commentatio Salmaſio, Rigaltio eruditiſque omnibus valde placuit, & deſiderium excitavit ſimilis operis de Latinorum Hiſtoriis, quod à te promoveri gaudeo. Librum meum de Jure belli ac pacis tibi mitto, & ut aliquid ad ſecundam editionem ornandam pro copia judicioque tuo contribuas rogo. Difficilior fuit hæc ſcriptio ob id, quod quæ ego ϑλικῶς, (*generatim*) tracto, eo conſilio ut in omne tempus omnique loco valeant, quiſque ad ἰδικὰ (*ſpecialia placita*) ſuas trahunt, & ut fieri ſolet ſæpe malignos agunt interpretes: quod vitare ſupra humanam prudentiam eſt. Quod optas me in patria videre, in eo ego tuum qui ſemper in me fuit affectum agnoſco. Cæterum an id quod optas mihi expediat, nec ne, ſane ignoro. Patriæ utilis eſſe ne abſens quidem deſino, & ἐυκαίρως, ἀκαίρως (*tempeſtive, intempeſtive*) demonſtro vicinorum Regum intereſſe, ne res noſtræ ad ultima pericula recidant. Sane ſi diſcordes manent, non poſſum non triſtiſſima augurari. Res nobis eſt cum hoſte tam potente, tam felici, ut ſi vel unanimes ei diu reſiſtere poſſimus ſatis in eo ſit gloriæ. Notæ meæ in tres Euangeliſtas confectæ ſunt, ut ſcis, reſtat quartus, in quem aliquid notabo, ſimul me à minoribus curis quæ imperfectæ jacent abſolvero. Sed non eſt è re mea ut id opus prodeat quamdiu in Galliis vivo. Nam quibus unicum ſtudium eſt Theologia, nolunt eam à nobis attentari. Deinde quædam dicenda eſſent, quæ ad palatum non ſunt eorum qui hic ſacra curant, & quos offendere non ſatis tutum eſt. Idem de Hiſtoria mea dictum volo, quæ & ipſa tuto edi non poterit, niſi me forte Deus alibi locet. Quod & de noſtra ſcriptione pro ſummarum poteſtatum jure circa ſacra dictum volo: quam quidam amici edi hic vellent, deletis omnibus locis qui è ſcriptis Proteſtantium citantur: quod mihi non placet. Videbimus ergo quid tempus ferat, omnibuſque de his rebus quam ſæpiſſime conſilio tuo inſtrui gaudemus. Franciſcus Junius noſter quid agat ſcire velim. Gratiſſimus mihi fuit conſpectus ejus juvenis quem mihi commendaſti. Grati erunt & alii omnes, ſi qui poſthac cum tuæ amicitiæ teſtimonio ad nos venient. Salmaſii amicitiam ut colas etiam atque etiam te rogo. Digni eſtis qui noſcatis & ametis vos invicem. Vale vir optime non minus quam doctiſſime. Cal. Aug. CIↃ IↃC XXV. Lutetiæ.

Tuus totus qui ſemper

H. GROTIUS.

CCCCXLI.

PETRO CUPO

SIMON GOULARTIUS S. P. D.

Epiſtolæ occaſio.

De Contra-Remonſtrantium conatibus & perſecutione.

Dilectiſſime Domine ac Frater, Etſi nullas à te literas acceperim, ex quo in hiſce oris diverſor, de tua tamen in me propenſione, & fraterno affectu, probe perſuaſus, ad te pridem ſcripſi, & ſcribere porro paratus fui, niſi obfuiſſet diuturna febris tertiana & quartana, quæ me & uxorem menſes aliquot graviter afflixit, meque ita dejecit, ut vix legendi animus, nedum ſcribendi vires intra ſemannum ſuperfuerint. Nunc vero, cum Dei beneficio priſtina valetudo mihi reſtituta ſit, & ſcribendi occaſionem præbeat uxoris meæ in Hollandiam profectio, officio meo hac in parte deeſſe nolui. Inprimis vero pergratum mihi fuit perſpicere ex literis tuis ad Dominum Grevinchovium, quarum mihi copia facta eſt, proſperam tuam valetudinem, & infractum animum in ſuſtinendis vinculis iſtis, quibus hactenus permiſit Deus te & alios fratres conſtringi ab adverſariis pro cauſa veritatis: à quibus vinculis ſpes aliqua hic nobis injecta fuit, vos brevi ſolutum iri Ordinum mandato, vel ſaltem permiſſione, quod faxit Deus. Sed poſtmodum innotuit nobis adverſariorum male ſibi conſciorum apud prædictos Ordines contentio & reluctatio, metuentium ſi hoc eveniat, & libertas noſtris concedatur, ne forte de cauſa ſua ſit conclamatum: præſertim cum ipſis probe notus ſit ingenuorum Batavorum genius, Eraſmo ſuo, vel Arminio, plus deferentium quam Calvino vel Gomaro. Ideo omnem operam in Synodis ſuis navant, omnemque per ſuos aſſeclas lapidem, ipſoſque adeo ædium & platearum lapides adverſus noſtros movent, ut libertas illa tantopere expetita, & ſpes illius nobis penitus eripiatur. Cum vero id inprimis metuant, ne noſtri etiam Amſterodami pedem & ſedem figant, quem locum tanquam hierarchiæ ſuæ proprium, jampridem ſibi vindicare contendunt, in eo toti ſunt, ut inde noſtri, ſicut olim Galli à Capitolio Romano arceantur; idque tanto fervore vel potius furore agunt, ut Ethnicorum feritatem in Chriſti Eccleſiam, non ſolum imitari, verum etiam ſuperare velle videantur: Direptas enim nonnullis in locis, præſertim Alexandriæ, à pagana plebe Chriſtianorum ædes refert Euſebius: Forte etiam interdum deſtructas fuiſſe contigit, Imperatoris vel præfecti alicujus juſſu, Baſilicas in quibus frequenter, & publice, & magno numero convenire ſolebant. At privatas ædes in quibus exigui cœtus, & rari, & clandeſtini, habebantur, direptas, deſtructas, & ſolo adæquatas, etiam citra nutum Superiorum, vix legitur: ut merito dici poſſit, in die noviſſimi judicii adverſus novos iſtos

Ep. 441. istos turbones, Reformationis & puritatis nomine ludentes, conjurrecturam plebem Ethnicam. Id vero flagitium licet horrendum, tanquam contra jus omne & fas, etiam contra jus gentium, imo contra jus naturæ, tantam immanitatem aversantis, fuerit perpetratum; vix tamen publica reprehensione in Ecclesia, nedum exemplari punitione in foro dignum videtur fratribus istis puritate purioribus; quavis potius pœna mulctandos nostros propter cœtus suos, licet neque contra jus Gentium, neque contra jus Patriæ, sed duntaxat contra Mauritii edicta habitos. Tanta profecto facinora, si vel metu, vel conniventia, vel voluntate Magistratuum impunita maneant, haud dubie futurum est, ut ipsa divina Justitia cœlitus descendens, in eorum authores & fautores severe animadvertat, tandemque bonos & fideles Dei servos sub jugo tam immani gementes, in libertatem vindicet. Hac spe freti, nostrum est æquanimiter & constanter perferre mala, quæ Deus ab istis Megeræ alumnis pati nos patitur: maxime cum priscorum Ecclesiæ Christianæ Confessorum & Martyrum genium sequamur, inter quos subinde mihi occurrit Benjamini cujusdam Diaconi, propter fidem Christianam in vinculis apud Persas detenti, qui cum juberetur polliceri se doctrinam Christi, Persarum Philosophis, qui Magi dicebantur, non communicaturum, respondit non posse fieri, ut doctrinam lucis quam à Deo acceperat, aliis non impertiret: nam abscondere talentum, quantum mereatur supplicii, historiam Euangelicam aperte docere. Quo responso audito Rex Persarum graviter indignatus, eum adduci jussit, & Deum abnegare: quod cum renueret constantissime, & profanos Persarum, ignem pro Deo adorantium, ritus damnaret, mortis supplicio affectus est; Sic narrante Theodoreto Hist. Eccles. lib. v. Morem illum paganicum homines supplicis afficiendi Religionis causa, ab adversariis nostris probatum, ipsi tandem adversus nostros, nisi frenum ipsis injecerit Deus, ad praxim revocaturi sunt. Neque enim feritas ipsorum patitur minora ab ipsis patrari, quam hactenus à Pontificiis (quorum genium non male referunt) perpetrata sunt. Quid isti homines quotidie moliantur, vobis, etiamsi captivis, melius notum esse non dubito quam nobis, quibus plurima reticentur eorum quæ istic geruntur. Statum nostrum quod attinet, pauca sunt quæ relatu mihi digna videantur, nisi forte quod nuper, jamque antea aliquoties, literas accepimus à D. Joachimo Peuschelio, Ecclesiæ Norimbergensis Pastore & Diacono, quibus nobis congratulatur nostrum in hasce oras adventum, & novæ urbis structuram, inprimis vero constantem veritatis professionem: scriptis nostrorum, se & alios sibi notos, non parum delectari innuens, maxime vero Confessione nostra, quam Germanicam fecit, ea mente ut publicis typis quamprimum mandetur: ad quem vicissim literas congratulatorias dedimus. Ecclesia hujus loci nullum hactenus Pastorem ordinarium, præter D. Grevinchovium, habuit, cujus vices gratis obierunt & obire pergunt Paludanus, & reliqui fratres qui hic sunt: atque id onus ipsis usque adeo grave non est, cum unica tantum tota hebdomade concio habeatur, adeo ut singulis vices concionandi semel duntaxat recurrant in mense ..... nuperrime valedixit ministerio; vel potius ministerium ei valedixit. De urbis nostræ progressu, varia spes, varius sermo: Sunt qui non exiguum sperent, & brevi frequentes naves & nautas stationem hic habituros, non solum credant, sed & spondeant: cujus rei eventus qualis futurus sit tempus edocebit. Interea quotidie struuntur hic novæ ædes, crescente magis quam decrescente incolarum numero, non obstante nonnullorum discessu, qui se hic repente divites effectum iri cum imaginati essent, re autem pro animi sententia non succedente, odio loci quandoque discedunt, quibus voluptati est sermones acerbos passim spargere in odium & contemptum hujus urbis, ejusque incolarum, ut à migratione eos deterreant, quibus in animo forte esset huc se transferre. Ego autem cum aliis non paucis censeo è re nostra esse in communi, ut hic locus floreat, & Hollandia à nostris haud deseratur, ad majorem causæ & societatis nostræ propagationem & securitatem. Quod concedere nobis dignetur Deus Optim. Max. cujus gratiæ & custodiæ te cum uxore & liberis ex animo commendo, personæ tuæ liberationem à divina ipsius clementia efflagitans, & parem reliquis fratribus salutem impertiens: imprimis D. Niellio, ad quem denuo prima occasione scribere cogito. Vale, Fredericostadii, 18-28 Maji 1626. Ep. 442.

CCCCXLII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S. P.

DIstuli ad te scribere, amicorum optime, & doctorum doctissime, ut non sine munusculo aliquo tua debita literis tempora interpellarem. Itaque pro illo quo me semper prosequeris amore patere quæso, ut Græci Tragœdiarum Comœdiarumque scriptores, quorum dicta evulgamus, tibi pro me gratias agant. De jure belli ac pacis libri iterum edentur: utinam tuo auxilio meliores. Æstuo enim in nonnullis quæstionibus, maxime illa de mendacio, & vellem, ut olim solebam, tua ope posse expediri. Interim non cesso & alia urgere. Nam in Johannis Euangelium commentarium absolvi: & nunc describendum dedi, ubi tamen & quando edendum, tanto ubique odio liberæ veritatis? Ne dissertationem

Digitized by Google

Ep. 443. nem quidem de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra edendam cenſeo, niſi qui apud vos rerum potiuntur, oſtendant ſe id jus & rectum juris uſum intelligere. A patriæ rebus avoco animum, ideoque annales meos ne aſpicere quidem volo, tantum abeſt ut eis rehingendis, quod ante editionem opus eſſet, tempus poſſim impendere. Gratias ago pro opera, &c. Cal. Julis CIↃ IↃC XXVI. Lutetiæ.

Tuus tuo maximo merito

H. GROTIUS.

CCCCXLIII.

SIMONI EPISCOPIO

NICOLAUS GREVINCHOVIUS

S. P. D.

De Profeſſ. Lugd. cenſura in Confeſſionem Remonſtr.

CLariſſime Doctiſſime D. Profeſſor, Diceſſum meum ex Hollandia, te ex amicorum, meiſque ipſius ad D. Uytenbogardum litteris intellexiſſe, nullus dubito; nunc quoque me ſalvum, Deo duce, ad meos rediſſe, ſcies: optaveram equidem adventum tuum præſtolari, teque coram complecti; ſed quum iter, quod ab initio quinque aut ſex ſeptimanarum tantum fore putabam, in amicorum ac fratrum gratiam fere in ſemeſtre protraxiſſem; tandem, ne quid nimis, uxoris afflictæ, & abſentem crebris litteris implorantis, precibus ceſſi atque abii, volens nolens; nam hinc quidem cura familiæ trahebat, illinc vero tenebant Comitia Ordinum quæ tunc forte agebantur, quorum exitum videre geſtiebam: itaque diſcedens, quod potui, in ſchedam conjeci, atque H. P. tradidi, quæcunque ut ſcires ſub ingreſſum tuum in patriam, cauſæ communis intereſſe putabam: Ea tibi, jam in Batavis, opinor, agenti reddita eſſe confido. Sciam quæſo, ubi ſis, quid agas, quomodo valeas: patriæ te redditum vehementer velim: in urbe noſtra, niſi quidem magna rerum iſtic accidit mutatio, ſtationem reperies ſat fidam ac tutam; atque inde excurſus breves tentabis, quocunque & quoties opus erit. D. Uytenbogardus, aut ad nos, aut Hamburgum hac æſtate migrabit, niſi fallor; malim eum nobiſcum verſari, quod ex uſu quoque & commodo ipſius futurum puto, propter fratrum, Goulartii, Paludani aliorumque, etiam Politicorum, quotidianos congreſſus & amica colloquia, quibus gaudebit: addo etiam, propter odia & criminationes eorum, quos ſcis novæ huic Trojæ impenſius favere; quorum expectationem ſi fefellerit, neque ſeiplum, neque nos, tanquam in conſilium vocatos, ab iſtorum hominum criminationibus immunes præſtabit, non ſi ei linguæ centum. Sed venio ad caput hujus epiſtolæ: Accepi à Fr. Limburgio, tibi cognato, exemplar Cenſuræ Leidenſis in Confeſſionem Remonſtrantium: nec mora; Ep. 443. percurri uno impetu à capite ad calcem. Nihil occurrit, præter coccyſmum toties jam decantatum, Socinianiſmus: Quæ improperatio, etſi per ſe ludicra eſt, ſcis tamen, quo conſilio hoc telum in nos vibrent adverſarii; nempe, ut jam Socinianiſmi, hoc eſt, teterrimæ ſcilicet hæreſeos, non ſuſpectos, ſed convictos traducant, atque adducant in odium omnium, quotquot habet orbis Chriſtianus, Sectarum: atque adeo, non in patria ſolum, ſed ubique terrarum, ſpem omnem libertatis pro Religione obtinendæ; quid? imo ſpem vitæ hujus communis atque aëris, & quicquid humanum eſt, potiundi, præreptum eant. Quare omnibus modis hanc criminationem depellendam cenſeo, ſaltem in præcipuis, quos noſti, articulis, in quibus non iſti modo Cenſores, ſed omnis Doctorum chorus, Religionis Chriſtianæ proram ac puppim ponunt: ſic tamen, ne diſſentientibus anathema dicamus; ſed totam illam controverſiam, quæ circa neceſſitatem & pondus cujuſque dogmatis verſatur, integram atque indeciſam relinquamus: in genere quidem profiteamur, primo ac primario neceſſarium eſſe, quicquid Deus ſub pœna condemnationis æternæ, credere, ſperare, facere juſſit: ſecundario etiam omne id, ſine quo nemini datum ad hujus divini mandati obedientiam pervenire: Verum ad communem hanc normam ſingula doctrinæ controverſæ capita exigere, (quod Cenſores iſti temere atque inique à nobis poſtulant) hoc opus, hic labor eſt, dignus quidem excellentiſſimorum ingeniorum induſtria; ſed quis manus inſerat prior inter hiantes iſtas rimas? Ac ne nos ſoli aut primi hic videamur *ἐνίζειν*, (*hærere*) dent iſti, ſi poſſunt, unum ex omni Catechiſmorum, Confeſſionum, quin & Doctorum ſuorum ordine ac turba, quem hic ducem ſequamur, hoc eſt, qui ſingula controverſiarum momenta hactenus ita excuſſit, ut quid in unaquaque creditu neceſſarium, quid minus eſſet, determinaverit; & nos vapulemus ſoli. Enimvero illi ipſi Cenſores & Magiſtri noſtri, qui ſoli ſibi ſapere videntur, quid hærent, quid ceſſant, quominus hoc ipſum præſtent, quod à nobis factum velint? Niſi forte ſingulos ſuæ Confeſſionis ac Catecheſeos articulos, jam pro totidem habent indubitatæ, ac neceſſariæ fidei dogmatis fundamentalibus; quod ipſorum judicium novum atque inauditum hactenus in Eccleſiis Reformatis. Sed diffundor. Plura, quamvis exilia (qualia à nobis proficiſci ſolent) in hanc rem, nec non in alteram, quam nobis item movent Cenſores iſti, quæſtionem, circa libertatem prophetandi, congeſſi in ſcripto quodam Belgico, adverſus Notas Anonymi cujuſdam in Acta ſeptem Remonſtrantium; cujus apographum jampridem tenet Lyſelius typographo tradendum; ſed tradendum, opinor, ad Kal. Græcas: nec doleo; modo è triariis illis Hector

Ep. 443. ctor aliquis ſucceſſerit mihi tyroni, qui adverſarium, ſane improbum & malitioſum, dignis modis exceperit. Porro, dum juſtam hujus Cenſuræ confutationem paras, quid ſi præmittatur manipulus Belgicus, conſiderationum in Catecheſin & Confeſſionem Belgicam (quas Remonſtrantes jampridem Actis Synodalibus inſeruerunt) una cum præfatione prophylactica adverſus malum dentem iſtius Centuriæ, quam in Belgicum idioma tranſlatam, jam paſſim volitare, aut propediem volaturam, ne dubita: Quid ſi item alias interea fratribus, quos (ſi in Belgio es) tibi ſubſidiarios habes; imprimis D. Corvino (qui tecum alteram facit hujus cenſuræ paginam) detur negotium preſſius examinandi, tum Catecheſin & Confeſſionem Belgicam, tum harmoniam Confeſſionum Reformatarum; denique Synopſin diſputationum Leydenſium, elapſo anno editam; omniaque & ſingula conferendi cum hac ipſa Cenſura: ſpondere auſim, pleraque, quæ in noſtra Confeſſione aut reprehendunt, aut deſiderant Cenſores iſti, in illis vel omnibus, vel aliquibus ſaltem, eodem jure reprehendi aut deſiderari poſſe. Tuum erit, pro induſtria ac prudentia tua de his cogitare ac diſpicere. De teſtimoniis S. Scripturæ ad marginem Confeſſionis noſtræ citatis, memini me jam tum prænonuiſſe futurum, quod nunc accidit, ut cenſuram Adverſariorum incurrerent: ſed fruſtra eram, plurimum obnitente D. Conrado p. m. Nunc, an ſingula loca vindicaturus ſis, an præcipua tantum, an intra Confeſſionis ſolius defenſionem ſubſtituras, ſcire aveo. Tantum erat; unum addo: Quia Cenſores iſti ſententiam Socini de juſtificatione, noſtrumque cum eo conſenſum in hoc articulo, præ cæteris exagitant; en locum unum aut alterum Socini, pro minuenda, ſinon depellenda hujuſce criminationis invidia: De Juſtificat. Synopſi 2. *Diligenter cavere debemus, ne ipſam vitæ ſanctitatem atque innocentiam, juſtificationem noſtram coram Deo eſſe credamus, neve illam noſtra coram Deo juſtificationis cauſam efficientem, aut impulſivam eſſe affirmemus; ſed tantummodo cauſam ſine qua eam juſtificationem nobis non contingere decreverit Deus.* Idem contra Volanum, pag. 19. 20. *Aliud eſt, ut quis exiſtimet*, &c. Reliqua adſcribere, non vacat; ita inſtat jamjam abiturus is, qui has ſecum fert; itaque has ipſas ne relectas quidem obſigno: Vale: Raptim, 10 Aug. 1626. Fredericopoli.

CCCCXLIV.

CASPARI BARLÆO

SIXTINUS AMAMA.

De Commentario Druſii Overbeqnio dedicando.

CLariſſime ac Celeberrime Vir, Exponam tibi ſine ambagibus hujus meæ ſcriptionis argumentum, fretus inſigni iſta humanitate, quam in te deprædicant omnes, quotquot cum Tua dignitate ullum fuit vel ſermonis, vel literarum commercium, inter quos nomino candidiſſimum noſtrum Staakmannum, & Rev. V. D. Abrahamum Dominici. Sudat hic ſub prælo Commentarius Cl. Druſii in Δωδεκαπροφήτον. (*Duodecim Prophetas.*) Octo jam ante annos complures ſeorſim editi viderunt lucem. Quatuor nunc primum aſpicient φῶς ἰδίοις. (*lucem ſolis.*) Ex prioribus iſtis nonnulli inſcripti fuerunt hominibus, qui nunc in fata conceſſerunt: quatuor novelli ſuos adhuc quærunt patronos. Mihi hic nihil feritur vel metitur, Vir clariſſime. Ago cauſam viduæ pauperculæ, quæ nunc cum bonæ mentis ſorore ſtrenue luctatur. Ea eſt filia unica Cl. Druſii, quam D. Havelius Curiander ante annos quinque reliquit viduam. Ex MS. parentis ejus b. mem. multa nunc publici juris feci, quæſivique illis ejuſmodi Mecœnates, qui aliquo præmiolo ejus paupertatem iverunt ſublevatum. Cum itaque ex me intellexiſſet hoc opus brevi exiturum in lucem, rogavit obnixe ut de dedicatione cogitarem. Feci; Et quidem primo occurrebant DD. Ordines Generales; ſed cum non ita pridem ipſis inſcriptum eſſet opus Fragmentorum, iſte θυμὸς μοὶ κάπυσσε φρένας. (*animus concidit plane.*) Succedebant Ordines noſtri. Sed inter hos nullum videbam, qui Heroïs iſtius pretium noſſet; quin contra oculi cogitationum mearum illic videbant ad menſam ſedentes homines, qui ungues fuerunt in iſto ulcere, quod tibi non poteſt eſſe ignotum. Intelligo ſuper λόγῳ (*verbo*) creato contentionem iſtam, cujus ferram Clariſſimus iſte Vir, & D. Lubbertus p. m. inter ſe reciprocarunt. Cogitare ergo cœpi de homine privato. Atque hic ſe mihi primo obtulit Magnificus iſte tuus Patronus, D. Overbekius, viſuſque tu mihi es maxime idoneus ad hanc rem paranius. Opus erit craſſum ſatis, in quarto, ſeptem Alphabetorum præter propter, dignumque tali Heroë munus. Non expectabit magnam remunerationem. Si quinquaginta florenos vel daleros ſimplices obtinuerit, beatam ſe judicabit. Hæc eo dico, ut videas & intelligas, quam anguſta res ſit hujus fœminæ, vel propter parentem meliori fortunæ dignæ, & quam ſit exiguum, quod illa expectat. Rogo te per viſcera ejus, qui viduarum & pupillorum cauſas adeo ſollicite nobis commendavit, ut ſi putes hanc petitionem meam non eſſe improbam vel impudentem nimis, mol-

Ep. 445. lia tempora fandi aucuperis, & per indirectum, ut loquuntur, mentem ejus exquiras. Quod si vero ita eum noveris, ut hanc prætentationem supervacaneam sis dicturus, quæso te, ut ejus nomen & titulos mihi transmittas quam citissime. Ego cætera ita accurabo, ut sperem non ingratum vel indignum fore tali Heroë. Et quia intelligo eum Augustanam Confessionem amplexari, in ipso limine ponam testimonia & elogia Theologorum Lutheranorum, quibus nostrorum encomia & Pontificiorum quoque permiscebo. Rogo te, ut ... addas, si quid in laudem ejus egregie dici possit, circa sustentationem alumnorum, & si quid præterea sit istius generis. Vides libertatem meam Cl. Vir, & dixerim fere impudentiam, cujus culpam deprecarer, si meam causam agerem. Nunc finiam Cl. Vir, & quidem cum voto, ut Deus O. M. te diu servet, bono Academiæ & literarum. Vale columen humanitatis & non postremum decus Bataviæ. Dabam 3 Decembr. stilo veteri 1626. Franekeræ Frisiorum.

CCCCXLV.

PETRO CUPO

SIMON GOULARTIUS S.P.D.

Consolatur. Dilectissime, & plurimum colende Domine ac Frater. Cum nuper ad Dominum Niellium literas darem, mihi quoque in animo erat literis tuis præcedentis anni vicem rependere: Sed tunc temporis occupatior, rem ad hoc usque tempus distuli, nec ulterius dilatam volui, accingente se uxore mea ad novam profectionem in oras vestras, per quam hasce commoda ratione ad manus tuas pervenire posse confido, quibus testatum volui affectum meum erga te & fratres, & debitam sympathiam in ærumnis quas pro Christo etiamnum toleratis. Eas vero piis omnibus & veritatis Euangelicæ vere amantibus tanquam ejusdem corporis membris communes esse, quotidiana ipsorum vota testantur. Neque enim desinunt fratres, tum publice in Ecclesiis, tum privatim, Deum interpellare pro vestra liberatione. Licet vero hactenus exitus non responderit votis, imo metus interdum nobis sit injectus diuturnioris detentionis, subinde tamen spe nova refocillamur secuturæ propediem vestræ liberationis, vel saltem tolerabilioris conditionis. Cujus rei optatum exitum quam primum audire magnopere avemus. Interea vero non deest quod gratulentur vobis omnes probi & cordati tolerantiam illam vestram & æquanimitatem Christianam, quæ non leve pondus affert commendationi veritatis pro qua hæc toleratis, & condemnationi perversæ & desperatæ adversariorum causæ, quibus hæc tolerantia vestra infamiæ nunquam abstergendæ notam infligit. Ideo etiam serio cavent, ne hæc ipsorum inhumanitas & tyrannis peregrinis innotescat, quibus ea si palam fieret summam profecto invidiam & odium causæ ipsorum conciliaret, & de ipsorum existimatione etiam apud ejusdem sententiæ asseclas non parum detraheret. Sed ea licet ab ipsis dissimulentur, & silentio premantur; tamen suo tempore manifesta fient, in eorum gloriam quibus hæc inferuntur, & in perpetuum authorum dedecus & ignominiam. Equidem hoc egi nuper scripto quodam à me concinnato adversus virulentas cujusdam Concionatoris Gallicani declamationes, ut non solum heterodoxia, sed & nequitia & tyrannis hominum istorum, inprimis erga fratres in arce Louvestein detentos, manifesta fieret. Hoc scriptum ante aliquot dies absolutum, proximo tabellarii adventu constitui Hamburgum mittere ad Dominum Asslverum Matthylium & Oudartium, qui ejus editionem curaturi sunt. Cæterum ea est hodierno tempore Christianæ Reipub. conditio, ut paucis curæ sit quid alii perpetiantur, cum ipsi vel malis non levioribus involvantur, vel ad se hæc minime spectare arbitrentur. Nos quod attinet qui in hisce oris versamur, ita comparati sumus, ut aliorum vicem, inprimis vero vestram & vestratium fratrum, novi edicti promulgatione perculsorum doleamus, & nobis in futurum nonnihil metuamus, præsertim à bello Danico, quod hactenus parum feliciter gestum, deinceps haud felicius processurum videtur, cum rex ipse eo jam redactus sit, ut cis Albim stare cogatur ut fines suos tueatur. Obsident Cæsariani oppidum Havelberg cisalbinum, in finibus Brandenburgicis, quo occupato in ducatum Mechlenburgicum Holsatiæ finitimum irruptionem factum sunt. Quæ futura sit belli istius catastrophe novit Deus, quem obnixe rogare compellimur, ut pacem Christianis, & libertatem veritatis amantibus, & ereptionem à tyrannide fratribus oppressis largiri benigne dignetur. Eundem precor ut te & dilectam conjugem & liberos sospitet & tueatur. Salutat vos pariter uxor mea. Eandem salutem Domino Niellio, & reliquis fratribus qui isthic hærent exoptamus. Eandem impertiunt Dominus Paludanus & Selcartius, loci Pastor nuper admissus. Eirenicopoli. 3 Julii 1627.

Tibi addictissimus in Christo Frater

S. GOULARTIUS.

CCCCXLVI.

JOANNI UYTENBOGARDO SIMON GOULARTIUS S.P.

Il Eccles. adver. sint Remonstr. remissio.

MOnsieur & treshonoré Frere, Salut. L'occasion de vous escrire se presentant par le moyen de ma femme, qui se prepare pour faire dereclief un voyage en Hollande, je n'ai voulu faillir de l'accompagner de la presente, pour vous dire que nous avons esperé pour un temps de vous voir en ces quartiers devant la fin de l'esté: mais ce voiage ayant esté dilayé si long temps, nous commençons de douter s'il viendra à effect, combien que nous ayons encor deux mois d'esté durant lesquels les voiages de mer sont encor assez passables. Je voi par les lettres de quelque ami de Hambourg, qu'on vous y attendoit aussi: tellement que ce voiage se pourroit bien encor accomplir: si ce n'est que d'avanture les freres de delà jugeans vostre presence necessaire facent leur effort de vous retenir. Comme de fait en l'occurrence des affaires telle quelle se void a present, il est de besoin de s'entraider les uns les autres de conseil & d'advis, afin de se maintenir autant qu'il est possible contre les efforts & machinations des adversaires, lesquels ont nagueres fait paroistre d'une façon estrange leur importunité & felonnie, en la poursuite des placars & du renouvellement d'iceux, ne voyans point de moyen de se maintenir sinon par violence, vrai tesmoignage d'une mauvaise cause, qui ne pouvant se defendre par l'Evangile qui est la puissance de Dieu, se defend par la foible puissance des hommes, laquelle bien souvent vient a mancquer à ceux qui s'y appuyent. Depuis ceste nouvelle publication ou renouvellement des placars nous n'entendons pas ici grand chose de vos quartiers: seulement ai-je volontiers entendu cela, que les nostres ne laissent pas de continuer leurs assemblées es lieux ou elles ont esté par ci devant. Aussi n'est ce pas raison qu'une cause si juste, pour laquelle tant de gens de bien ont si longuement souffert toutes sortes d'opprobres, soit ainsi abandonnée à l'appetit de ces importuns criards, qui par leur importunité & crierie monstrent, qu'ils ont peur & apprehendent leur declin, semblables à ces grenouilles apocalyptiques, qui n'ayans de la force sinon au gosier, ont leur recours aux grands de la terre pour se garantir de ruine par eux. Or combien qu'on leur ait donné pleine mesure en leur accordant la continuation des placars, si ne feront ils pas encore à leur aise, s'ils ne sont observés à la rigueur, & ne desisteront pas de leurs poursuites. Ce n'est pas peu de chose, que Monsieur le Prince d'Orange se monstre aliené de toute violence au fait de la religion, & se monstre plus imitateur de son pere que de son frere. Aussi est ce un bon coup, que le Magistrat de Rotterdam n'a peu esté induit à consentir à la poursuite animeuse de ces grenouilles importunes. Il seroit desormais temps qu'elles commencassent à se taire, n'ayans que trop mené de bruit depuis sept ans: & le ciel ayant ja tonné tant de fois depuis ce temps, & continuant de tonner, par les malheurs dont la Chrestienté est remplie, & lesquels n'ont pas encore prins fin. La guerre entre l'Anglois & le François est un mauvais coup pour la Hollande & pour le Roy de Dannemark, &c. La presente ne servant à autre fin, je la finirai par mes recommendations ordinaires, priant Dieu, Monsieur & tres-honoré frere, qu'il vous preserve des embusches de vos adversaires, & vous maintienne en bonne & longue vigueur sous sa saincte garde avec Mad. vostre femme. La mienne vous salue de mesme. Aussi font les freres d'ici, notamment Selcart & Paludanus. Nous saluons pareillement M. Episcopius, Grevinchovius, Borrius, &c. De Fredericstadt ce 4 de Juillet ancien stile. 1627.

Ep. 447.

Vostre humble frere & serviteur

S. GOULART.

CCCCXLVII.

WILHELMO GROTIO HUGO GROTIUS

DE Heinsii libro repeto nunc, multa esse non spernenda, sed horum nec pauca sumta ex Scaligeri litteris, ex Peucero, Fuldero & Seldnero, non nominatis his qui erant, ut Philo loquitur, Ἀναίτιοι ἢ λόγου. (*Patres sive autores sermonis.*) Quo magis introspicio, eo magis comperio omnes eos qui περὶ τριάδος (*circa Trinitatem.*) volunt supra τὰ ὑπὸ τοῖς γεγραμμένοις σοφίζεσθαι (*supra ea, quæ in Scripturis sunt posita*) sapere, pœnas dare ἀλαζονείας. (*arrogantiæ.*) Studio aliis contradicendi eo dilabuntur ut sibi ipsi contradicant. Vel paginam ejus quem dico libri 272 considera. ἐνεργητὸν (*activum*) dicit esse id quod est οὐσιωδῶς, (*essentialiter*) id est quod re non mente ac ratione distinguitur. Mox progrediens essentiam in divina Trinitate ait re, proprietates autem personarum mente distingui. Atqui γέννησις, (*generatio*) illi γεννητὸν (*generans*) est inter proprietates personales, quam cum ait fateri ἐνεργητὸν, & ἐνεργητὸν (*activam*) interpretetur re diversum, plane sibi non constat. Inde dicit: Deinde, quis vel modice versatus in istis tricis concedat bonitatem & voluntatem Dei re distingui? Aliter plane sentit schola Græca & Latina: an recte, nunc non disputo. Sed qui consensu & receptis sententiis animam captam habet, de hoc cogitare debuit.

Digitized by Google

Ep.448. Mihi conſtat Patres in explicatione harum rerum plurimum diſſenſiſſe, etiamſi vocum quarundam ſono inter ſe conveniant: qui ſemper reperti ſunt bono affectu, ſucceſſu non ſemper optimo. In illis quæ citat excerptis valde dubito an non exſcriptor ἐνεργητικὸν (*activum*) poſuerit, cum ponere deberet ἀρχετυπικὸν, (*anteprincipialem*) qua voce vi leo Græcos ſæpe uti. 22 Auguſti 1627.

CCCCXLVIII.

GERARDUS VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

De Thuano & Junio.

TAndem, maxime & amiciſſime vir, prodit in lucem hiſtoria mea de hiſtoricis Latinis. Cujus exemplar nunc mitto: quod, licet nihil elucubrarim ſubtili tuo judicio dignum, tamen, quia meum eſt, placiturum confido. Si auſus fuiſſem ulterius onerare conjugem tuam, addidiſſem codicem alterum ad Salmaſium. Sed fiet id per Lamerium, qui Gallias cogitat. Simul aliquid ad eum literularum addam. Dicere vix poſſim, quantopere ſim ſermone & literis multorum fatigatus, ut tuerer honorem ſoceri adverſus Thuanum. Et diatribam ſuper eo ſeorſim poſtularunt. Mihi etſi impenſe honori Juniano ſtuduerim ſemper, res tamen ea tanti viſa non eſt. Quare ſatis fore putavi, ſi id fieret præfatione altera operis noſtri, quæ eſt ad lectorem. Ita autem reſpondeo, ut ſalvo ſoceri honore, modeſtius potuerit nemo: idem ſcio judicabis ipſe, ubi videris. Movere me non ſolum magna Thuani merita, ſed etiam quod filium ejus viderem tantopere à te amari: quem ſcirem nihil immerito magni facere, præter me unum. Sane hic erga nobiliſſimum juvenem amor tuus tanti apud me fuit, ut vel acerbius aliquid tam multorum aſſiduo impulſu cogitantem, facile poſſet ſufflaminare. Acrius paulo inſurrexi adverſus Scaligerum, quia edoctus eſſem ab eo fonte eſſe, quod pleraque de Junio Thuanus hauſiſſet. Et fidem faciebant multa. Memor eram, qualia ſuperſtes evomuerit adverſus Junium, cum totus in fermento jaceret. Et meminiſſe ipſe potes. Adhuc in noſtris & aliorum manibus verſantur codices Juniani Scaligeri manu oppleti bellis illis elogiis, ſimia, aſinus, cojone, & aliis id genus convitiis, βωμολόχοις, (*ſcurra*) non Scaligero dignis. Et hocce anno Heinſius noſter in lucem edidit epiſtolas Scaligeri, in quibus non urbanatim, ſed ruſticatim Junium tanquam Cumanum aſinum tangit, homo cætera magnus, ſed nimis malignus, nec ita animatus, ut ſe etiam hominem eſſe cogitaret. Vellem Heinſius periodos eas, in quibus de Junio Scaliger loqueretur, imo totas epiſtolas omiſiſſet. Nunc afteriſcum ponere fuit contentus: interim relinquit, ubi dicatur edidiſſe notas in Cypriani magiſtrum, contuliſſe Manilium cum MSS. codicibus Palatinis, aliaque id genus: quaſi multum interſit, utrum dicam Sophronifci filium, an Socratem; Trojani belli ſcriptorem, an Homerum. Equidem vellem hanc mihi reſpondendi neceſſitatem non impoſuiſſet Heinſius. Et tamen ita reſpondeo, ut qui neſciat hocce anno editas apud nos eſſe Scaligeri epiſtolas, neſcire etiam poſſit per eum, cujus me nomini dico parcere velle, intelligi Scaligerum. Nempe tum demum nomino, cum ejus de Junio epicedium refero: Iccirco tandem ſubjungo aliquid de *epiſtolis præſantis viri, ſive dicti ſive adhuc innominati vobis.* Nempe innominati, ubi calumniæ reum ago. At nominati honorifice, ubi ejus de Junio elogium commemoro. Summa autem defenſionis noſtræ eo redit, dicere potuiſſe Junium de Criticis ſuis, & aliis ſimilis monetæ, illud Arellii Fuſci, nequis me ex his cenſeat. Dicavi opus meum Illuſtriſſimo Buckingamiæ Duci; nempe ut Cancellario Academiæ Cantabrigienſis, ad quam honorifice vocatus eſſem: ſimul ut teſtarer affectum meum erga gentem eam, in qua tot mei amantes haberem. Diſplicebit fortaſſe nonnullis apud vos laudatio Ducis: ſed ſcripta hæc à nobis, priuſquam fama increbuiſſet belli Anglicani adverſus Gallos. Nec ad ſimiles mei, innocuos Muſarum cultores, judicium pertinet, utrius regni cauſa hoc in bello potior ſit. Equidem opto, ut genti utrique bene vortat, etſi id fieri quo pacto poſſet, minime videam. Excuſus jam liber tuus de religionis Chriſtianæ veritate. Quem cum lego, in cœleſti cœnaculo cum Dis mihi epulari videor. Ut quam correctiſſime ederetur, curavi, ut potui, & debui. Sed cum ſemel Ultrajectum, iterum mihi Hagam excurrendum eſſet, nec perſuadere poſſem typothetis, ut, abſente me, alia prælo ſubjicerent, filiis curam committere ſum coactus. Ita factum, ut tribus quatuorve pagellis quædam compareant negligentius edita, ea imprimis, unde errorem ſpiſſum ad calcem annotavi. Fragmenta illa, quæ in rutis cæſis tragicorum comparent, ſperavi propediem poſſe recudi. Sed nihil hactenus æque obſtitit, quam quod talia à paucis legantur: quippe, ſi γνώμας (*ſententias*) paucas exceperis, ejuſmodi ſunt omnia, ut nihil inde commodi referant alii, quam penitioris literaturæ amantes, quos Grammaticos vocamus. Sed tamen quia jam finem ſuum hiſtoria noſtra habet, hanc etiam curam ſuſcipere animus eſt: nec urgere Lamerium deſinam, qui moras ſemper nectit, neque id alia de cauſa quam quia non facile Seneca cum fragmentis inveniat emtorem, ob molem tot criticorum, qui nihil annotarint, quod ſit ad vulgi guſtum. Quod ad duos, tres, ut cum Varrone dicam, phreneticos Septentrionis filios, quibus moris magnas ciere tempeſtates, ſiquis non per omnia eorum ſequatur opinionem velut κατ' ἐξοχὴν δόξαν: (*ſen-*

Ep449. (*ſententiam omni exceptione majorem*) mihi quidem nunc aliquanto pacis amplius, atque opto ut æternum eos Æolus compeſcat. Vir Cl. Janus Gruterus in Academiam Groningæ & Omlandiæ vocatus eſt, ut ibi ſuccedat Ubboni Emmio. Venturum ſpero, non tantum quia is vir eſt, qui, ut de Mario M. Ciceronis, *Scævola veſter dicebat, Caneſcet ſeclis innumerabilibus:* verum etiam quia affinitate eſt uxori meæ junctiſſimus & mei amantiſſimus. Filius meus Franciſcus præclarum opus tuum de jure belli prope ad unguem callet. Et quid ei, quem juris ſtudio deſtinavi, melius commendaſſem? Memini enim me apud Tullium legere in primo de Legg. ex intima philoſophia diſciplinam juris hauriri oportere. Id quidem comprobaſſe mihi primus videris. Scire deſidero, quid poſt hunc laborem, & gnomarum opus geminum, verum ſapientiæ theſaurum, publici juris facere cogites. Vale, & à me, uxore, & familia omni ſalve plurimum. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXVII. X Kal. Sept.

Tuus æternum

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCXLIX.

Idem hic poſtea fuit Epiſcopus Londinenſis, tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſecuri percuſſus.

GUILIELMUS

Epiſcopus Bathonenſis & Wellenſis

GER. JOAN. VOSSIO S.P.

De Hiſtoria Pelagiana.

DOctiſſime Vir, Præbuiſti gratiſſimam anſam, & aliquam prehendere mihi jam diu in votis fuit, &c. Accepi litteras tuas, utinam ſcires quam charas, cum iis ſolos amoris tui libros æternum eruditionis tuæ & ære perennius monumentum de hiſtoricis Latinis, &c. Sed quod in amorem tui me rapuit, Hiſtoria fuit Pelagiana. Hiſtoria non magis ſæculis quam affectibus Theologorum pugnantium diverſis perplexa, ſeriatim tamen per ipſas laceras Eccleſias deducta, & in ipſis funeſtiſſimis Eccleſiaſticorum diſſidiis non ſine ingenii ſimul & laboris miraculo ordinata, &c. Ego jam duci Buckingamiæ paro litteras. A me (& forte primo) audiet quod calamo tuo debeat. Unum rogo: Noli me in lineis hiſce turbatis nimium quærere: alibi habito, rerum non verborum ſervus, &c. Et ego interim

Servus tibi in Chriſto, &c, ſi placeat nomen, amicus

GUILIELMUS

Bathonenſis & Wellenſis.

Ex aula Regia Hampt. Sept. 25. 1627.

CCCCL.

STEPHANO REIGERO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Steinfurtum.

De Conradi Vorſtii ſcriptis poſthumis.

NObiliſſime Domine, Vir Ampliſſime, Vidua Clariſſimi Viri D. Conradi Vorſtii, cujus memoria in benedictione eſt, ſignificavit mihi, ſe etiam atque etiam deſiderare ac cupere, ut ſcripta mariti ſui, quæ Generoſus Comes propria ſua erga defuncti manes voluntate, in illuſtri domo ſua Steinfurtenſi aſſervari curat, ad ipſam tranſmittantur; Amplitudinem autem veſtram, pro prudentia & circumſpecta ſua piaque ſolicitudine, cenſuiſſe, Generoſi Comitis conſenſum facilius impetrari poſſe, ſi modo conſtaret de judicio noſtro, an id hoc rerum ſtatu tutum conſultumque arbitremur. Ego, Vir Ampliſſime, ne quid temere conſuluiſſe videar, communicavi rem cum fratribus iſtis, quos Vir piiſſimus in vita ſua habuit ſibi conjunctiſſimos ſimul ac cariſſimos, quique manibus ac famæ ejus quam maxime volunt conſultum: Si omnes mecum ſentiunt, nec intutum, nec inconſultum videri, ut ſcripta iſta ad viduam tranſmittantur. Quin tuto apud eam aſſervari poſſint, dubium nullum eſt: ut ab iis, quos Vir Clariſſimus dum viveret adverſarios habuit maxime ſibi infenſos atque infeſtos, quærantur, periculum non eſt: Ardent quidem ferventque odia gentis noſtræ, ſed in vivos: cum mortuis ſepeliuntur ac jacent. Quamquam nuper ea fieri vidimus in patria noſtra, quæ à moribus atque ingenio ejus viſa ſemper fuerunt alieniſſima. Sed & eorum jam multos pœnitet; & pœniteret plures, niſi obſtarent, qui religionis ſpecie ſe tegunt, & quorum intereſt, ut odia ſemel excitata indies alantur foveanturque. Sed nec inconſultum nobis videtur, ut ſcripta Viri Clariſſimi omnia hic ad manum ſint. Sunt inter ea quæ jam prælo deſtinata erant, cum in vivis adhuc eſſet Vir piiſſimus, quæ edi ſine periculo poſſe confidimus, & quæ non pauci viri graves publici juris fieri votis omnibus deſiderant. Si quæ alia ſunt quæ ex uſu Reipub. Chriſtianæ eſt, ut lucem adſpiciant, ea hic recognoſci poterunt. Nos eam ad rem operam noſtram viduæ commodare uti velle debemus, ita libenter volumus. Merentur pii viri manes, ut quæcunque ad exiſtimationem ejus à calumniis, quibus, dum viveret, pene mactatus fuit atque obrutus, adferendam, aut ad publicam Chriſtiani populi utilitatem promovendam facere poſſunt, in lucem prodeant. Quare Amplit. veſtram obnixe rogatam volumus, ut viduam hanc interceſſione ſua, & quo poteſt polletque conſilio ſtudioque, apud Generoſum Comitem adjutam velit. Dominus Jeſus Amplitud. veſtram diu Generoſo Comiti, boniſque omnibus

Ep. 451. bus salvam atque incolumem conservet. Datum 15 Octob. 1627.

CCCCLI.

HIERONYMUS BIGNONIUS HUGONI GROTIO S.P.

De libro Grotii, de veritate Rel. Christiana.

QUas tibi agere possim gratias, Vir Amplissime, non video. Ita magnitudine beneficii effecisti, ut verba huic officio deessent. Nam & meo impulsu duram sane suscepisti provinciam, ut tui operis ipse interpres fieres, & soluta oratione carmen explicares, cui ex verborum apto decentique vinculo è nativi sermonis venustate sua gratia constabat: in meo denique nomine apparere voluisti, hoc est, nominis immortalitatem donare, quam scriptis tuis consensus eruditorum jure meritoque decrevit. Sic plerique, clamat Plinius, alieno potius quam suo ingenio commendantur. Hoc tamen haud vane sumere liceat, mihi quoque aliquid eo nomine deberi, qui assiduis precibus extorserim, ut bono totius Reip. Christianæ vulgarentur, quæ in illius commodum & defensionem Batavice scripta, sic tamen patriæ tantum destinaveras. Non aliud quippe esse potuit nobilius argumentum, in quo ad publicam utilitatem pietas scriptoris, & omnis generis profunda eruditio, pari momento spectarentur. Certe omnia quamquam in eo genere commode dicta sunt, tam brevi spatio inclusisse, adeoque dilucide & valide digessisse, indicatis etiam nobilium auctorum locis, prope supra fidem est. Et quamvis permulti istud magna cum laude aggressi sint, facile tamen apparuit, deësse adhuc aliquem, qui varia & insigni linguarum & doctrinarum paratura instructus, & in ea palestra optime exercitatus, punctim tandem non cæsim modo feriret, & retiarii in modum adversarios laqueo vinciret, nexosque statim confoderet. Quod tu, eruditissime Groti, enchiridio isto, acutissimo simul & elegantissimo gladio, abunde bono publico præstas, & hoc infelicissimo seculo opportune; in quo quid prius miraturi sint homines nescio, sive in tam diffusa materia fœcundam & sufficientem brevitatem, quæque nihil omittat, considerare velint; sive ordinis novi novum lumen, clare & certam ad victoriam dispositi, attendere libuerit; sive disputationis solidum acumen, & argumentorum, quorum pleraque nunc primum ingeniosissime & verissime producuntur, pondus & copiam expendere. Scriptionis deinde locus omnem admirationem meo judicio superat; si quidem medio in carcere opus istud concepisti, quod vel maxime expeditum animum poscebat, cuique, ob rei miraculum, ab infensis quibusque partibus statim honorifica auctoris liberatio debebatur, nisi honorificentius fuisset Deo Opt. Max. tantum innocentiæ vindici istud adscribere, & nulli homi- Ep. 452.
num, præterquam optimæ & fidissimæ conjugi, magni & inæstimabilis beneficii istius nomine debitorem esse Grotium, divina quoque providentia vel sic clarius elucescoret, quæ mirabili modo virum maximum ab eorum captivitate liberavit, qui patriæ decus in eo ignorasse hactenus visi sunt. Et quia censorem agere jubes, unum est quod in politissimo scripto damnem; præfixo namque nomine meo occasio scripti pangi, tuaque sic humanitas & quæ Aristoteli dicitur φιλοφιλία (*amici amor*) ferri poterat, nisi laudes subjunxisses quæ & solito candori tuo officerent, & mihi prorsus pudorem incuterent. Ergo periculose & amicitiæ indulsisti, & recepto libros nuncupantium more, qui de amicis bona verba effundere solent, non ad fidem in istis obtinendam, sed ut tum illi officii per proprias laudes moneantur, tum ut amicitiæ aliquod extet publice monumentum. Quod si officiosa tua in me mendacia benigna ejusmodi interpretatione æqui lectores voluerint, ut spero, excusare, multum erit quod eo nomine apud posteros glorier, qui me, quod tuo tempore vixerim, & tanto viro amicus extiterim, felicem non sine invidia prædicabunt: cumque plurimum tibi jam obstrictus sim, vir amicissime, voluisti ut beneficia tua ad posteros irent, & in fama & æternitatis templo amicitiam nostram sacrare. Iterum ergo, quando aliud non suppetit, nec hesterna die coram dicere licuit, gratias, quantas possum maximas, ago, & ut nos amare pergas etiam rogo atque obtestor. Vale x Kal. Novemb. CIↃ IↃC XXVII.

CCCCLII.

GERARDO VOSSIO SAMUEL WARDUS S.P.

CLarissime D. Vossi, Tum literæ tuæ tum liber de historicis Latinis mihi reddita sunt, benevolentiæ tuæ erga me amplissima pignora & necessitudinis tecum initæ, cum olim Dordraci, in Synodo scilicet, essemus, symbola non vulgaria, &c. Præmittis in præfatione, operi tuo nupero de historicis Latinis præmissa, te non hosce libros eo animo divulgasse, quasi in posterum omnis operis hujus curam deponere statuisses; sed potius, ut postquam ista jam prodierint, amicorum & judicio in commissis, & indicio in omissis facilius fruare. Ingenuitatem tuam amplector & veneror. Ego siquid forsan in posterum observavero, quod opus hoc tuum aut promoveat, aut locupletet, aut in aliquibus forsan corrigat, libere & lubenter tibi impertiam. Idque spero te non ægre laturum, si per otium fecerimus in Historia tua Pelagiana, quam te aliquando limatiorem & correctiorem editurum & optamus & speramus. Video nonnul-

los

Digitized by Google

Ep. 453. los ex Remonſtrantibus veſtris, qui in articulo de Originali peccato & gratia periculoſe admodum, nequid gravius dicam, errant, ad tuam Hiſtoriam non raro provocare. In quibus duobus articulis non leviter innuit Auguſtinus (de peccato Origin. cap. XXIV.) fidem Chriſtianam proprie conſiſtere. In iſta Hiſtoria conſarcienda præclare quidem de Eccleſia meritus es: Sed optant Viri apud nos tui nominis alioqui ſtudioſiſſimi, ne quid præſidii ſuis erroribus iſti homines ex illa Hiſtoria haberent quod prætexant. Supereſt jam Vir humaniſſime, &c. Vale Vir eximie, bonis auſpiciis & alacri animo Spartam quam nactus es, orna. Antiquam Eccleſiæ Catholicæ fidem, mores, diſciplinam, ex antiquorum monumentis erue, & à novellis veteratorum impoſturis aſſere, vindica: Nos habes in hoc opere obeundo omnia tibi fauſta & felicia optantes, precantes. Cantabrigiæ è Sidneyano Collegio. XV Kal. Jan. Anno M DC XXVII.

Tui amantiſſimus

SAMUEL WARDUS.

CCCCLIII.

WILHELMO GROTIO

HUGO GROTIUS.

MOnueram te aliquando de loco Heinſianorum ad Nonnum pag. 272. ubi ait in Deo id quod commune eſt, eſſentiam, nimirum, bonitatem & voluntatem, re non ratione, modos exiſtentiæ animo ac cogitatione diſtingui. Inſpexi poſtea Damaſcenum, quem autorem citat. Is longe aliud dicit τὸ ἀγαθὸν & τὸ ὁ περίνοια ἁγιότης, quia actiones nihil niſi unum monſtrant, unam æternitatem, unam ſapientiam, unam bonitatem. At ὑποστάσεων ἴδιαι διαφοραὶ λόγῳ καὶ ἐννοίᾳ θεωρεῖται, (*perſonarum differentiam ratione & cogitatione concipi*,) quia nulli ſint diverſitatis effectus nobis conſpicui. XI Febr. 1628.

CCCCLIV.

GUILIELMUS

Epiſcopus Bathonenſis & Wellenſis

GERARDO VOSSIO S.P.

NOn profiteor (Vir Clariſſime) me hiſce ad tuas, quas mihi tradidit vir tu ſtudioſiſſimus Dominus Carltonus, reſponſum dare. Sunto tantum characteres amoris mei, qui nec te negligere, nec illum ſine literis novit dimittere. Quum duobus abhinc menſibus Maj. Regiam, ut mihi pro officio incumbit, infauſto pede ſequor (iter tum faciebat Hamptoniam) rheda egreſſus torrentem non quatuor pedes latum dum tranſſilio, pede, in- Ep. 455. æquali planta in terram fabulоſam & minus fidam incidente, nervum poſteriorem tibiæ dextræ (tendonem vocant) fregi. Ab eo tempore incedo claudus: nec adhuc conſtat, quando ſim vires priſtinas recuperaturus. Si quæras quorſum hæc? ut certior fias nactum te eſſe amicum claudum. Sed etſi nunc fractis nervis non poſſum in gratiam tuam, quæ tu, quæ ego cupio, facere, quam primum tamen vires accreverint, ſtrenue nobis concredita peragam. Ut ſic intelligas (ſaltem ſi quid poſſim) me una tantum mei parte, non corde, non affectibus claudicare. Literis meis proximis meliora forſan ad te perferentur. Quod in votis eſt

Martii 26. 1628.

Amiciſſimi tui

GUILIELMI

Bathonenſis & Wellenſis.

CCCCLV.

SIMONI EPISCOPIO

PETRUS CUPUS S.P.

REverende Vir, Frater in Chriſto plurimum dilecte: Ante duas hebdomadas miſi tibi faſciculum, quem fideliter tibi traditum ſpero. Exſpectamus ut porro opera noſtra utaris, miramurque, nihil à te denuo miſſum: ſi placet, omnium noſtrum opera fidenter uti poteris. Hac occaſione ſcrupulum quendam tibi indicabo, ſuper quo ſententiam tuam ſcire aveo, ſi vacat. Nuper quædam legi in lectionibus tuis in Matthæum, inter alia in *verſ.* 15. *cap.* VII. ubi, ſi recte mentem tuam percepi, aut ab excipiente recte expreſſa eſt, tu ais, *non cauſa hic ponitur, cur cavere nobis debeamus à Pſeudo-prophetis, ſed tantum deſcriptio eorum, de quibus loquitur.* Nunc mihi videtur (libertati huic meæ ignoſce) ita hic haberi deſcriptionem falſorum Prophetarum, ut ſimul etiam cauſa ponatur, cur nobis ab ipſis cavere debeamus. Videtur hoc indicare *ipſa* vox *lupi*; deinde epitheton voci iſti additum, ſiquidem lupi *rapaces* dicuntur. Utrumque enim damnum aliquod & periculum innuit, quod ii incurrere ſolent, quibus cum falſis iſtis Doctoribus res eſt, ac per conſequens cauſam in ſe continere videtur, cur nobis ab ejuſmodi ſeductoribus cavere debeamus. Quod enim tu ibidem addis ad iſta verba, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι, &c. *id eſt, revera tamen ſunt, ſi propius eos intuearis, profani homines, & qui nihil minus, quam divinæ voluntatis, aut ejus gloriæ, ſed ſuæ tantum utilitatis, id eſt voluptatis, aut affectuum, inſtar luporum, rationem habent*; id quidem verum eſt: attamen non videtur *luporum* & quidem *rapacium* naturam plene ſatis exponere, utpote qui affectuum ſuorum rationem habere non ſolent, niſi cum aliorum læſione: & hoc ſuſpicor D. Jeſum in hac oratione

De loc. Matth. VII. 15.

Digitized by Google

Ep. 455. tione vel maxime dicere voluiſſe, ut ex conſideratione tanti periculi tanto magis auditoribus ſuis perſuadeat, ut à falſis Prophetis ſibi caveant. Præterquam enim quod rei naturæ valde conveniens videatur, Chriſtum voluiſſe non nudam dumtaxat hortationem proponere, verum etiam hortationi ſuæ cauſam aliquam ſubjungere, hoc inſuper notavi, S. Scripturam, etiam cum alibi falſorum Prophetarum mentionem facit, eos ita deſcribere, ut ſimul etiam cauſam indicet, cur ſibi homines ab iis cavere debeant. Sic Paulus quaſi ad hunc Chriſti locum alludens, *ego novi*, inquit *Act.* XX. 29. *poſt diſceſſum meum ingreſſuros eſſe in vos lupos graves* (id eſt, rapaces, uti eſt apud Matth.) *non parcentes gregi.* Non parcentes gregi, inquit, quaſi explicans quod prius dixerat, *lupos graves*, atque indicans hoc pacto, falſorum Prophetarum proprium eſſe aliis nocere. Ad eundem modum Petrus ſermonem inſtituens de Pſeudo-prophetis & falſis Doctoribus non ſatis habuit dicere, quod ipſi ſibi velox exitium accerſant, verum addit etiam, quod ſubintroducant *ἀιρέσεις ἀπωλείας* id eſt *ſectas perditionis*, ſive perditas, 2 *Pet.* II. 1. Talia paſſim occurrunt, nec opus eſt ea commemorando tempus terere. Cæterum hæc me moverunt, ut hactenus crediderim D. Jeſum *Matth.* VII. 15. ita deſcribere falſos Prophetas, ut ſimul etiam in deſcriptione iſta cauſam indicet, cur nobis à falſis Prophetis cavere debeamus. Præter hoc quoque notavi, te falſorum Prophetarum nomine, eos quoque hoc loco intelligere, qui tametſi vera doceant, tamen vita ſua ſubinde oſtendunt, ſe veræ religionis patronos non eſſe: quamvis enim non inficiar, habita ratione verborum Chriſti, quæ leguntur *Matt.* VII. 22. id nominis commode hujuſmodi Doctoribus attribui poſſe: tamen non video, cur tam anxie ab iis quiſpiam ſibi cavere debeat: tum propter id quod D. Jeſus ipſe dicit *Matth.* XXIII. 3. *Omnia quæ dixerint vobis ut ſerveris, ſervate & facite: ſed ſecundum opera eorum ne facite; dicunt enim & non faciunt:* tum quia tales falſi Doctores non uſque adeo auditoribus ſuis damno eſſe poſſunt, quippe quorum quidem doctrinam aſſiduo audiendi, ſed vitam & actiones perſpiciendi occaſionem haud ita frequenter nanciſcuntur. Unde porro deduci poſſe videtur, talium falſorum doctorum hic à Chriſto rationem nullam haberi. Si moleſtum tibi non eſt, velim mihi ſuper his ſententiam tuam exponas. Quod ſi feceris, gratiſſimum mihi erit, meque tibi devinctiſſimum magis magiſque devincies. Bene vale honorande Vir & Frater in Domino mihi plurimum obſervande. Salvere jubeo quotquot tibi adſunt & bene nobis volunt, maxime tamen Neſtorem, Victorem, &c. 22 Junii 1628. in arce Lupiſteinenſi.

Tui obſervantiſſimus

P. CUPUS.

CCCCLVI.

PETRO CUPO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Lupeſteynium. *Theologicum. De loco Matth.* VII. 15.

REverende, ac dilecte Frater in Chriſto, Quas ante octiduum ad vos miſi chartas, eas fideliter vobis traditas eſſe, gaudeo: Literæ tuæ nullam ejus rei mentionem faciunt, ſed ſuſpicor eas obſignatas fuiſſe priuſquam chartæ illæ traderentur. Plures miſiſſem, ſed adeo diſtrahor hic indies interpellationibus, aliiſque ad communem cauſam pertinentibus negotiis, ut deſcriptioni earum vacare non poſſim. Solus hic tum, & centrum pene in quod literæ, & lineæ pene omnes jam deſinunt. Senex noſter alibi res noſtras, & facilius commodiuſque quam hic curat. Victor curis & adfluctionibus domeſticis adeo detinetur, ut nulli alii rei vacare ei aut libeat aut liceat. Flandrum Leida totum poſſidet; hinc pene oblitus fuiſſem reſpondere ad tuas, ſed commodum in eas hac nocte incidens, ſuffurari malui aliquid temporis, quam à reſpondendo ſuperſedere. Quare ad id quod quæris ita habe, ſalvo tuo & meliore judicio. Ad capitis VII. *verſ.* 15. Matthæi, quæ pro lectione dixi, recte excepta fuiſſe fateor: Sed mens eorum an recte percepta ſit, dubito. Cum dixi verbis iſtis Servatoris, *cavete vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in* (cum) *veſtimentis ovium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces*, cauſam non adſignari cur caveri debeant falſi Prophetæ, ſed indicari tantum quinam iſti ſint quos caveri Servator vult; de cauſa ſive ratione adæquata vel propria intelligi volui. Rationem enim hanc addidi, quia non omnes Pſeudo-prophetæ veniunt cum veſtimentis ovium, ſed non raro veniunt cum leonum feritate, aut vulpina aſtutia. Quod ut planius intelligatur, ſic ſtatuo: Præter iſtos pſeudoprophetas qui aperte falſa & contraria divinæ veritati docent, & luporum inſtar in veritatis doctores ac profeſſores ſæviunt, de quibus hic non agitur, pſeudoprophetas varios eſſe, & variam rationem ſibi ab iis cavendi. Quidam qui veritatem Euangelicam profitentur, eamque alios docere videri volunt, ſed interim ea vel docent, vel faciunt, quæ Euangelicæ veritati & innocentiæ aperte repugnant, quos deſignari credo variis in locis, & nominatim duobus iſtis quos citas *Act.* XX. 29. 2 *Petr.* II. 1. Hos vitandos eſſe ita ut fugiantur, id eſt, à communione eorum ſecedatur, judico. Quidam qui veritatem iſtam tum profitentur, tum docent, interim ea profeſſioni & doctrinæ ſuæ admiſcent, quæ apta nata ſunt veritatem iſtam ex animis auditorum paulatim tollere, & quæ eos ipſos doctores à veritatis iſtius praxi, licet imprudentes, & minime tale quid intendentes, abducunt;

ita

Ep.456. ita ut dum in iſtis quæ admiſcent doctrinæ ſuæ plus quam aliis inculcandis nimii ſunt, ac pene ſuperſtitioſi, ſuo potius animo atque affectui ſtudeant quam utilitati & ſaluti eorum quos docent; hos vitandos eſſe judico, non ut fugiatur proprie eorum communio, ſed ut iis eorumque ſtudiis ſimiles non fiamus: Et ad hos hic reſpexiſſe Servatorem exiſtimo. Hi venire dicuntur cum veſtimentis ovium, non quaſi eo ſcopo, & intentione veniant, ut ſe tegant veſtibus iſtis, cum ſciant ſe profanos eſſe & falſa docere. Id enim ex ſequentibus apparet omnino falſum eſſe, quando iistribuitur quod dicturi Deo ſunt in die illo: Nonne in nomine tuo prophetavimus, &c. Quid enim, an hypocritæ, & qui ſimulate omnia ſua faciunt, ita loqui audeant ad Deum? Sed tantum idcirco ſic venire dicuntur, quia cum docent aut ad docendum veniunt, adferunt ſecum ſpeciem religionis erga Deum, & caritatis erga proximum ſingularem, ſed tamen revera circa ſpiritum religionis & caritatis, prout oportet, non occupantur, neque operam dant, ut iſto ſpiritu ante omnia præditi ſint, alioſque prædiros faciant, hærentes ſcilicet in iis quæ commodis & utilitati ſuæ potius, quam ædificationi ſuæ & aliorum ſerviunt, etiamſi id ipſi neſciant, & longe aliter ſibi perſuadeant. Ab his, inquit Servator, cavete vobis, id eſt, etiam atque etiam operam date, ut illis ſimiles non fiatis: Etſi enim videantur veri doctores & innocentiæ ſtudioſi, revera tamen lupi ſunt rapaces ἔνδυθεν, (*intrinſecus*) id eſt, homines qui ſpiritu pietatis & innocentiæ carent, & quorum doctrina ac vita tota eo pertinet, ut ipſi ex ea commodum atque emolumentum hoc aut illud percipiant; luporum inſtar, qui ſuæ tantum & non ovium ſtudent utilitati; non quod lupis ſimiles eſſe dicantur in eo, quod alios lædere aut noxam inferre velint, (eouſque ſimilitudo non eſt extendenda, meo judicio: Quomodo enim alioquin iſtis tribui poſſet, quod à Deo ipſo petere auderent laboris & ſtudii ſui præmium, idque in die ipſo judicii?) ſed quod id omne quod faciunt & docent, in ipſorum commodum & utilitatem deſinat, quodque ea ipſa re delectentur, licet cum damno & noxa aliorum (quam tamen non intendunt) conjunctum ſit. Hujuſmodi pſeudoprophetæ legales, tempore Chriſti videntur mihi fuiſſe Phariſæi & Scribæ, quorum doctrina & vita plane videbatur innoxia, & exquiſite ad Legem Moſis elaborata; ſed qui varia inſuper dogmata & opera urgebant ac præſtabant, imo plus urgebant quam ea quæ Lex Moſis requirit, unde multiplex utilitas ad eos ipſos redibat, propter quam ea maxime eos urſiſſe, Servator paſſim indicat. Tales inter Chriſtianos aut eſſe, aut futuros complures indicare vult Servator. Hoc niſi ſtatuatur, non video quomodo explicari poſſit, id quod Servator ait: *Veniunt ad vos cum veſtimentis ovium*, & tamen *ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* At ſi id ponatur quod dixi, jam ſenſus clarus eſt: Præter ea quæ docent doctrinæ meæ convenienter, alia inſuper credenda & facienda eſſe docent, creduntque ac faciunt, ex quibus apparere poteſt animum eorum intus purgatum non eſſe, ſed propriæ tantum gloriæ, voluptatis & commodi ſtudioſum: cavete vobis ab iſtis, id eſt, videte ne iſtis fiatis ſimiles, ſed hoc agite, ut ſpiritum intus habeatis divinæ gloriæ, & ſalutis veſtræ ac proximi ſtudioſum, iſta enim via eſt anguſta iſta via per quam itur in cœlum; & ſic vobis non dicetur tandem, diſcedite à me qui operam datis tranſgreſſioni Legis: Et hac ratione facile intelligitur, id quod Servator ait *Matth.* XXIII. 3. *Omnia quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & facite, ſed ſecundum opera eorum ne facite*; & alia in eandem ſententiam plura. Quæ ex voce *luporum*, & quidem *rapacium* à te adferuntur, ea videntur mihi præter ſcopum Chriſti, qui lupos eos vocat, ſed ἔνδυθεν (*intus*) tantum, quia omnia ſua quæ docent ac faciunt, eo pertinent aut in iſtud deſinunt, ut ipſi inde utilitatem percipiant, eaque re ſe ante omnia oblectent; veluti Phariſæos longis precibus, tubarum præcentu, jejuniis aliiſque operibus multis feciſſe ex hiſtoria Euangelica videre eſt. Habes, mi dilecte Frater in Chriſto, ſententiam meam ſuper quæſtione à te propoſita. Locus eſt perquam difficilis & qui me ſæpe torſit, ſed ex difficultatibus variis alia via extricare me non potui. Tu ſi placet cenſe & judica. Si tempus & otium eſſet, pluribus expoſuiſſem mentem meam, ſed dictum ſapienti ſufficit. Vale mi Frater, & quod currente calamo ſcriptum eſt, condona tempori & negotiis meis. Dominus Jeſus te indies Spiritu ſuo Sancto regat, ſtabiliat & confirmet contra adverſa quæ pateris, & nos aliquando in pace iterum conjungat tecum, & cum fratribus omnibus quos ex animo ſalvere jubeo, cum dilecta conjuge tua aliiſque. 28 Junii 1628. Ep.457.

CCCCLVII.

GUILIELMUS

Epiſcopus Londinenſis

GERARDO VOSSIO S. P.

Varia. De refutando Bellarmino, &c.

LItteræ tuæ mihi ſemper gratiſſimæ ad me pervenerunt ſalvo conductu D. Stewarti, qui una cum honoratiſſimo Domino, Domino Carltono vobis nuperrime inſervivit. Tradidit ille mihi una cum litteris librum Theſium tuarum, monumentum eximium. Imperfectum dicis, ſed ſimul polliceris te eum & auctiorem & ampliorem jamjam ex ſchedis tuis latitantibus in lucem productum. Nomine certe

Ep. 457. Eccleſiæ gaudeo & tuo; quam illa utilitatem, tu vero honorem ſis inde percepturus. Et eo magis gaudeo, quia per litteras certior factus ſum, aliquos nominis tui, apud Oxonienſes, cultores Theſes tuas, nec omnes, nec, ut vereor, perfectas, zelo parum prudenti typis mandare, non ſtatuiſſe modo ſed & incepiſſe. Ego, nequid eſſet ſimul tuum & imperfectum, curavi quantum potui, ne ſic luci ſe oſtenderent, & factum ſpero. Scripſi enim te perfecta volumina editurum.

De Baronio quod moliri inſtituis imprimis laudo: præcipue vero quod fixum habeas minutias non conſectari. Certe in opere tam diffuſo, nimis longum iter eſſet per minutias, & quod tædio afficeret & peritos viatores & feſtinantes. Caput rei eſt, illa in quibus longius, à primitiva Eccleſia, Romana receſſit brevibus oſtendere, & argumentis inſolubilibus demonſtrare: quæ utraque tibi facto facilia ſemper æſtimavi. De lingua etiam Latina Commentarios tuo, id eſt, ſuo tempore expectabo, & quod opto ſpero, fore te ibi, ſicut in aliis, ſeculi hujus, & ignorantiæ quorundam ſupercilioſæ vindicem, &c. Pollicitus ſum, &c. Filium tuum è multis fælicibus unum, &c. mitte ſi placet. Jube memorem eſſe honoris Dei & tui. Dux Buckingamiæ ut in alumnum Collegii alicujus adſcribatur, & ubi quam minimo ſumtu tuo ſtudiis fruatur, effectum dabit. Ego etiam pater, tua venia, filio tuo futurus, ſi Deus annos meos labentes proroget, & filius tuus patris veſtigiis inſiſtat. Præterea Illuſtr. Dux, ne te in filio tuo tantum videatur colere, aliud addit beneficium, &c. Windeſoriæ Canonicatum, &c.

Infortunium meum, &c. grave fuit & adhuc hæret, &c. adhuc inter claudos recenſendus ſum, &c. poſſum baculi ope greſſus licet tardiores promovere. Nec parti lætæ incumbit ulterius dolor, ſed tantum infirmitas. Erit autem illa quotidianus hoſpes uſque ad annum revolutum. Si tum placeat diſcedere, gratus erit agilitatis quondam meæ tanquam à poſtliminio reditus: ſi non, optabo animum corpore in claudo rectum, & ſerviam neceſſitati libere.

Habes quæ in re tua multis aliter impeditus hactenus potui efficere. Perficiam quæ pro amore & viribus poſſum. Salutem vero meam tum animæ tum corporis precibus tuis commendatam cupio: tuam vota mea ſemper proſequentur. Unum doleo: negotiis undique implicatus, factus ſum à libris meis, quos unice ſub Deo colui, pene exul. Quod te ſcire velim, ne me inter vel ſtudioſos poſthæc nominare digneris. Valeas diu precatur

Tibi omni cultu addictiſſimus

GUIL. LONDON.

Julii 14 1628.

Poſt-ſcriptum.

Ep. 45[illegible]

Mora injecta eſt litteris meis non ſine bono tuo, & gaudeo ſciſſe me priuſquam miſſæ illæ. Mutavit rex propoſitum de Canonicatu Windeſoræ, & de Cantuarienſi nunc cogitavit. Præponderat hic illum quadraginta libris annuatim ad minimum, &c. Quod ad Theſes tuas attinet, fruſtrato conatu meo Oxoniæ vel Belloſiti Dobunorum excuſæ in publicum exierunt, &c.

Iiſdem fide & amore tuis

GUIL. LONDON.

Auguſt. 5 1628.

CCCCLVIII.

GUILIELMO

Epiſcopo Londonenſi

GERARDUS VOSSIUS S.P.

REverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine, Quod proverbio dici ſolet ἀγαθῶν ἀγαθίδες, (*bonorum glomi*) id mihi fuere literæ tuæ. Primum illud, &c.

Sane cum Poëta dicere ſolebam, Dulces ante omnia Muſas non tamen eum antea erant mel merum, ſed abſinthio temperatum præſertim ob temporum infelicitatem. Sed poſtquam placere cæpi inclyto Britannium regno, etiam abſinthii amaror edulcari cœpit: qui nunc penitus receſſit ex quo reſpicere me dignati ſunt ſereniſſimus Rex veſter, & Illuſtriſſimus Buckingamus Pax. At cui tantum debeo? O Pater, ô Domine,

Tu mihi quodcunque hoc fortis, tu ſceptra Ducemque Concilias.

Eoque mihi dulcius eſt tantopere debere reverendiſſimæ dignitati tuæ, quod cum ſubducta ratione nihil videam cur me vel tralaticie amares, tamen affectu me proſequare paterno, Vir is, quem ipſe Rex ſereniſſimus nunc Præſulem eſſe Londinenſem voluit, quo, ſi aulæ regiæ deinceps propior fores, prudentiſſimis conſiliis tuis in maximis ac difficillimis negotiis facilius & felicius uteretur. Quid me beatius, qui tanto Præſuli potuerim placere? Itaque memor Pliniani illius, vitam eſſe vigiliam, longe etiam alacrius ſtudiis nunc invigilabo, non tam inanis gloriæ quam boni publici amore, &c. Nunc nihil ſupereſt aliud, quam partim ut noctes dieſque gratus eſſe laborem: partim etiam ut filium bonis meis monitis onuſtum dimittam, quo una cum felici magnæ Britanniæ veſtræ aëre hauriat avide ſuccum illum bonæ mentis, quo altus & enutritus pertingat aliquando ad illa

Edita doctrinæ ſapientum templa ſerena, &c.

Reverendiſſime Pater ac Domine, Deus te magis magiſque ſalutaribus Spiritus ſui donis augeat ac locupletet: diutiſſimeque te & Eccle-

Digitized by Google

Ep.459. eleſiæ ſuæ & etiam mihi meiſque incolumem ſervet. Lugd. Batav. CIↃ. IↃC XXVIII. IV Kal: Sept.

Reverendiſſimæ dignitati ac dominationi tuæ æternum devinctiſſimus, totique Britannia magna regno

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCLIX.

GERARDUS VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

Paris. AMpliſſime Vir, redeo tandem ad ſcribendi officium. Nimis enim turpe fuerit, ſi tam bellam ſcribendi occaſionem negligam penitus, Lamerio ad vos eunte. Et tamen, quod difficulter perſuadebo; cum minime ſcribo, maxime amo. Nempe occupationes quidem, quo minus ſcribam, morantur: at interim animus te cogitat, & incrementum amori eſt ex dolore, quod officium facere non poſſim. Quod etſi vere dicam, nihilominus, aut valde fallor, aut hoc argumentum non erit tibi tanti, ut, quo ſic amor meus ſumat incrementum, propterea rarius etiam, quam facio, mihi ſcribendum putes. Quare hoc excuſationis genere non utar: ſed potius, quod te malle ſcio, paulum tecum confabulabor. Maxime mihi voluptati eſt, quod uti partim ex literis ad me, partim ex fratre tuo intelligo, non ceſſes de ſtudiis bene mereri: ſed aut vetera tua des meliora, aut omnino proferas nova. Lector autem tum publici cauſa, cui per te melius eſt; tum tui, quia volo, ut indies cultus nominis tui gliſcat; tum etiam mei, quia non cochleæ libentius rore cœleſti, quam ego ſucco ſcriptorum tuorum paſcor. Multum etiam gaudeo, quod benigne adeo ſentias de laboribus meis. Quod dum facis, vere dico, hoc inter alia boni facis, quod non mediocriter erigis me, quem unus & alter depreſſum lubentes eant. Atque eo magis erigis, quod aliorum etiam judicium recenſes. Non quaſi opus ſit, ut ex conſenſu alieno auctoritatis quicquam ſententiæ accedat tuæ: verum quia mihi perſuadeo, eo minus aliquid gratiæ datum eſſe, quia idem prope ſenti int & alii apud vos. Quamquam nec multum habeo quod conquerar, de literatis apud nos hominibus, ſi unum alterumque excepero, quos etiam elogio non aſpernando ornavi. Nempe ex ſpiculis eorum, ac unius imprimis, neutrius noſtrum amantis, latis video, mihi ſubinde colluctandum fore cum hominibus fide ſubleſta, & falſis falſimoniis, nec Batavis patria, nec moribus. Bene interim, quod minus poſſint, quam quibuſcum ſuperiori hebdomade negotium mihi tandem eſſe deſiit. De quo, ut gaudeo (ſcis enim quam difficulter ſacro ordini ſatisfiat) ita nonnihil animum mordet, quod Ep.459. non poſſim me meaque probare illi, quem antea dicebam. Scio enim non mereri me livorem. Quare multum metuo ne hæc ſugillatio noſtri nominis proficiſcatur, non tam ab aliena invidia, quam culpa mea, ſua vitia neſcientis, atque interea per imprudentiam offendentis alios exigua ſermonis libertate, dum non ſatis didici paraſitari iis, qui nihil niſi immodicas laudes ſui audire ſuſtinent. Sed quid mihi cum talibus? Probent improbent benefaciendi voluntatem, liveant vel plorent, nihil curæ Hippoclidi. Nam utcumque verear, ne qua hic culpa ſit mea, tamen cum attentius mecum malignitatem eorum cogito, non poſſum non contemnere cenſores iſtos, pene, ut cum Comico dicam, cenſione bubula dignos. Ego illis relictis me ſeverioribus Muſis oblectabo domi: atque ita vitæ innocentia & ſilentio me ulciſcar probe. Atque eo id faciam impenſius, quod non deſint amantes mei in terra Britannia, quique ſerio cogitent de ratione ac modo, quo in his etiam terris mihi & meis melius eſſe poſſit. Jam ſuper eo literas accepi à Reverendiſſimo Domino, ante quidem Bathonienſi & Wellenſi, nunc vero Londinenſi Epiſcopo. Simulatque res effectum ſuum penitus ſortita erit, faciam te de re tota certiorem, ut una gaudeamus. Scio enim quam tibi curæ ſim. Prodiit ante menſes paucos nova Partitionum mearum editio: quæ jam publica auctoritate in Britanniæ ſcholis prælleguntur. Auctores erant amici, ut, quo mihi conſulerem & familiæ meæ, Illuſtribus Ordinibus eas dicarem, qui quodammodo id opus feciſſent ſuum, dum in terris ſuis prælegi pueritiæ mandant. Sed quia jam olim dicaſſem Maurerio, non placuit prætextu alicujus emendationis aut augmenti repetere id, quod donaſſem ſemel. Etſi fortaſſe jam omnis veteris facti gratia periiſſe apud eum videatur. Nam ſaltem liberi, & qui ſtudiis eorum præeſt, cui ego tam bene feci, ſalutatiuncula aliqua debuerant dignari; ſive dum egere in Italia, unde à tot honoratiſſimis viris crebro adeo literas accipio: ſive poſtquam reduces in patriam facti. Etiam nunc recudi incipiunt Oratoriæ Inſtitutiones, longe & correctiores & auctiores iis, quæ ante tot annos Dordrechti prodierant. Spero fore, ut ſimiliter aliquando limatiores melioreſque lucem videant commentarii noſtri de hiſtoricis tum Græcis, tum Latinis. Quam ad rem non mediocriter mihi prodeſſet, ſi catalogus exſtaret bibliothecæ Mediceæ, vel alterius apud vos. Sed magis tamen adjutum eas, ſi monere non detugias, quæ operibus noſtris addi, demi, vel etiam immutari in iis oporteat: Cujuſmodi quin longe plurima ſint, dubitare mihi nefas, cum jam non pauca id genus ipſe obſervarim. Vale, vive, incomparabilis vir atque amice; cumque uxore præſtantiſſima & liberis, ſalve à me uxore & libe-

Digitized by Google

Ep. 460. liberis meis. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXVIII. VI Kal. Sept.

Tuus totus

GER. JOH. VOSSIUS.

Salutem Rigaltio, & Tileno. Salmasio enim ipse scripsi. Jussi, ut Lamerius filio istic tuo Partitionum exemplar compactum tradat. Poices, si negligat. *Iegm.* (*Vale.*)

CCCCLX.

GUILIELMUS

Episcopus Londinensis

GER. JOAN. VOSSIO S.P.

Varia. BInas litteras tuas accepi, utrasque post fata Illust. Ducis Buckingamiæ: utrneque tamen de illo silent &c. Ducis memoriæ non minus quam nomini agnoscere te debere, & sufficit. De Musis à quibus incipis, sunt certe ante omnia dulces, sed de dominabus & Musis ipsis intelligi volo, de ancillis non item. Illæ enim sunt quæ absinthium miscent, utpote non naturales Musarum pedissequæ. Ipsæ enim optant, eligunt alias: vi & infelicitate temporum nunquam satis deploranda hæ obtruduntur illis, &c.

Mitto tibi theses tuas Oxoniæ excusas, à quarum editione utinam abstinuissent Oxonienses mei! sic vota mea tuis consona sunt. Qua fide qua diligentia publicas fecerint ipse ex hoc exemplari judicare poteris: sed amore audeo dicere fecerunt quodcunque factum. Tu tamen quod polliceris facito. Prodeat editio tua. Et ut scias me legisse aliqua (omnia enim nondum otium erat) velim præcipue ea quæ à te juniore prodierunt, oculo haud nimis facili ipsa jam perlegas emendesque, si forte aliquid occurrat, quod, te judice, à veneranda sanaque simul antiquitate deviet. Quod mihi leviter percurrenti factum videtur in capite de Baptismo Johannis. Neque enim Patres me docuere undique idem fuisse cum Christi Baptismate. Boni consule libertatem hominis amicissimi. Et quid si aliquantulum differas editionem illam à te destinatam, donec ipse nunc multo maturior dicas: Eat liber hic purissimæ antiquitatis æmulus.

Consilium tuum de Baptismo una cum historia rituum antiquorum valde probo. Unum cave. Vides iterum libertatem meam. Nam libros quinque de antiquis Baptismi ritibus cæremoniisque scripsit Josephus Vice-Comes. Quod cum te latere non possit, curabis scio ut superior sis in illo argumento. Velim enim nihil sub nomine tuo prodeat nisi Vossio meo dignissimum, & par Historiæ Pelagianæ. Oro tamen ne omittas quod de Baronio scripsisti. Redeo ad nefandos dolores, quibus intime premor ob Ducis Illustrissimi cædem, omni sæculo dolendam, &c. Nunc accipe stigmata anni hujus mihi inauspicatissimi. Ineunte anno (quod nosti) tendonem fregi, & adhuc incedo claudus. Successit Concio ineunte Parlamento mihi tum admodum infirmo à Rege imposita, opus (prout res nostræ se tum habuere) periculosum simul & difficile. Postea Dux Buckingamiæ mihi charissimus, nescio quo fato, & cum illo ipse, haud plane amico uti sumus conventu illo, finito eo, ille miserrime & non sine Diabolo occisus. Post multa suspiria (nam vere & sine teste dolui) morbum contraxi acrem, à quo vixdum convalui. Servi quatuor variis morbis lassati, quintus à pleuritide cæsus. Et nescio quid minetur portio anni infausti futura. Sed Deus est cui servio, qui tecum sit gratia speciali, & cum tuis, prout precatur Ep. 461.

Tui amantissimus

GUIL. LONDON.

Octob. 25. 1628.

CCCCLXI.

Illustrissimo Domino

DOMINICO MOLINO

Patritio & Senatori Veneto,

CASPAR BARLÆUS S.P.

Venetiæ. Oratoriæ fid. ITane, Illustrissime Moline, judicris istis versibus, & incondito Epigrammate merui, ut litteris me tuis compellares? & umbraticum doctorem splendoris tui, dignitatisque radiis illustrares? Felicibus aliquoties auspiciis Musis meas extrusi, & placuisse potui iis, quibus Respublica nostra magnam felicitatis suæ partem debet. Sed cum nostratium judicia ab affectu magis, quam ratione profecta credi possint, honesta exterorum de me testificatione magis erigor; & Tua inprimis, à quo æstimari quantivis precii esse putant ii, qui ante me testimonio tuo & hic & alibi inclaruerunt. Utinam vero laudibus tuis, vel publice de studiis bene merendo, vel privatim de Te, respondere possem! Quorum alterum cum per ingenii, alterum per fortunæ tenuitatem præstare nequeam, fruar tacitus apud me officii & propensissimæ meæ erga Te voluntatis conscientia; & inter auspicatos illum referam diem, qui cantatum Venetiarum Patrem, Reipublicæ augustissimæ Atlantem, Principis sui Nestorem, & litterarum grande illud columen, mihi conciliavit. Et quanquam probe mihi conscius sim, non esse me aut præconiis, aut præconibus tantis dignum; tamen ut è trivio homines sibi & aliis crescunt ab alloquio & comitate magnorum virorum; sic & mihi fit, cum te, Magnifice Moline, mihi ad-

Ep.462. admoves propius, & esse aliquis videor ab æstimatione vestra. Sed ne, cum quali homine negotium tibi sit, nescias, audi ingenuam confessionem. Virtutem ex toto pectore, eruditionem pro ingenii modulo sector. Fortunam matrem primum, mox novercam expertus frui. Dicam ex Marone:

Et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus.

Philosophiam, litterasque humaniores in Academia hac professus fui. Verum quæ Rempublicam nostram superioribus annis concussit tempestas, me publica sede, ob Arminianismum (ita vocant) dejecit. Nec tamen aut animum despondi, aut dissentientibus fidem meam gratificatus fui. At contra forte minor, recti fiducia erectior, in hunc usque diem, per Dei gratiam, steti, gratus paucis, iisque melioribus, ingratus iis, quibus placere nec studui, nec etiamnum studeo. Ecce breviter, & candide me aperui Tibi, nec enim æstimatione mei par est falli Excellentiam Tuam. Hipparche olim, virgo nobilis, cum Cratetis cujusdam mendici amore flagraret, nuptiasque ejus efflictim posceret, ille in medio plurium coram virgine & baculum & peram (Cynicorum hæc insignia erant) & gibbum in dorso, & quicquid erat nævorum in corpore ostendit. Hæc mea sunt, inquit, ô virgo. Si talis placeo, ducam te. Hujus exemplo me Tibi revelavi. Si talis placeo, obsequio me Tibi, & virtutum tuarum grata veneratione probare pergam. Tu, Vir summe, ne despice infimæ sortis hominem, & qui Sol es in tuo isto orbe, favoris tui ac benevolentiæ luce semotum à Te longius Batavum irradia. Et quo famam nominis tui jamdudum, amorem quoque mei abire sinas. Non peto, ut me litterarum tuarum venerando alloquio posthac digneris, supra sortem meam hæc sunt. Et minor Te esse incipis, cum ad ista humanitatis tuæ officia demitteris. Tantum absenti annue, & beatum me putabo. Vale eruditorum Mecœnas, & Barlæum ama. E Musæo nostro Lugd. Bat. 16 Kal. Sept. 1628.

CCCCLXII.

CASPARI BARLÆO

HUGO GROTIUS S.P.

EXpertus, Barlæe doctissime, Platoni assentio, qui, post magistrum suum Homerum, Deum eo censuit ellet ingenio, ut miscere gaudeat. Magnis jamdiu adversis agitatus magna etiam senti solatia, ex studiis, ex uxoris fide, ex amicorum constantia. Inter hæc, ex animo loquor, inter efficacissima pono Poëmatum tuorum lectionem. Primum enim, quod me tam longus carcer docuit, vim habent mirificam adversus calamitates erigendi animi sacra dogmata, quorum tu præcipua Ep.463. veribus ita expressisti atque ornasti, ut nulla eloquentia ea altius in animum possit infigere. Proximus huic affectui est patriæ amor, quem penitus imbibisse tanti mihi constat, & tamen ne nunc quidem eum excutere possum. Hunc tu mihi, acerbum alioqui ob eorum quæ perpessi sumus memoriam, amœnitate carminum suavem plane fecisti, seu fædera canis, seu triumphos, seu spem novæ præfecturæ. Accedunt jam tot artes & studia, in hoc tantum mihi culta, ne cum cæteris iniquus eorum æstimator essem; quæ omnia cum Poëti maritasse, non alterius quam tui fuit ingenii. Jam vero Vossii laudes pro eo, quo eum diligo, amore quanto cum gaudio legisse me sentis? Nam quæ ad me ornandum addidisti, his non accenseo, cum ruboris tantum materia sit supra meritum prædicari. Est tamen & hic quod juvet, nullo imperio, nulla vi apud Lugdunenses meos extingui potuisse mei memoriam. Pro his beneficiis quid reddam? quod nemo non potest, vota faventia: unum insuper, quod mihi in hac eruditorum turba viventi facile est, ut omnibus innotescat pietas, fides, eruditio, ingenium Barlæi. Rumpantur si volent οἱ ἐ πᾶσι ζῆ μόνοι ἀπὸ τῆ σφῶν ἰσωλῶν ἀεὶ ἐλεγχόμενοι. (*qui non à te tantum, sed & à seipsis semper arguuntur.*) Vale Vir doctissime. 10 Nov. 1628. Lutetiæ.

CCCCLXIII.

GUILIELMO

Episcopo Londinensi

GERARDUS VOSSIUS S.P.

REverende in Christo Pater ac Domine, *Virtl.* Illud Tartaro profectum facinus etiam ad aures Lycæi nostri promanarat, sed aliquam multis diebus postquam, &c.

In controversia de Baptismo Johannis mallem licuisset paulo assertius sententiam exponere vetustatis. Sed ita tum vivebatur; & ne sic quidem effugi satis eorum offensas, quibus non satis antiquitas sapit. Sane quod candide exposuerim veterum judicium de Prædestinationis controversia & aliis quæ Pelagius & Massilienses movere, id quidem (ut apud te dicam quod res est, & mussare cogor apud multos) majori mihi pretio stetit quam sex nostratium florenorum millibus. Sed quod in terris decessit, id Deus rependet in cœlis, &c.

Plane confido me neutiquam post Josephum Vice-Comitem operam lusurum. Ita multa bona observavi ei indicta. Et ubi concurrimus, brevius rem complectar, quia ejus operam excutere de manibus non est animus. Pleraque etiam digeram melius & auctoribus aliis firmabo. Sed de me nimis mul-

Ep. 463. ta, &c. Lugd. Batav. Pr. Nat. Dom. anno CIↃ IↃC XXVIII. Stylo Novo.

Rev. &c. devinctiſſimus cliens

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCLXIV.

GUILIELMUS

Epiſcopus Londinenſis

GER. JOH. VOSSIO S.P.

Varia. QUod tam ſero ad aures tuas pervenerit ſtygium facinus & fatum Ducis Illuſtriſſimi haud dubito, miror magis: ſed occluſos tunc temporis portus noſtros fuiſſe ſerius ipſe reminiſcor, &c.

De Baptiſmo Johannis mihi abunde eſt quod ſcribis: & utinam licuiſſet ubique, aut quia illud non ſperandum, utinam alicubi licuiſſet aperte ſententiam vetuſtatis exponere, ſapiat illa hominibus ſive non ſapiat! Sed in illa tempora mihi certe incidiſſe videtur Chriſtiana Philoſophia, ut de ea nec loqui nec tacere quis tuto poſſit. Et quam care libertatem illam, qua in alia cauſa non ſine ſummo Eccleſiæ bono uſus es, redemeris, facile conjicio. Tanti tamen tibi conſtitiſſe nunc in noviſſimis litteris primo legi. Adjicerem hic alia: ſed eſt quod prohibet.

De Joſepho Vice-Comite admonui tantum, & præ amore. Et magna me lætitia afficit te ita veſtigia ejus premere, ut ſimul antecedas, &c. Litteris meis per omnia reſponſum dediſti, præterquam quod de Baronio nihil. Nolo ſic prætermittere quod ſummum eſt. Tu id age, nequid aliud impediat animadverſiones illas. Ecce rogator importunus accedo: id age, ut ſic tandem Eccleſiæ non deſit hiſtoria ſua, neve accedat quæ ſua non eſt. Si hoc velis & breviter, potes enim, ſacer mihi eris Apollo Chriſtianus. Vale.

Tuus

GUIL. LONDON.

Maii 10. 1629.

CCCCLXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

J. DE VRIES S.P.

De Uytenbogardi calamitatibus gaudia. OMnino, Vir mihi plurimum obſervande, contra quam deſtinaram, accidit, ut, dum deſiderium tui explere voluerim, magnis augeſcat incrementis: Recruduit enim mitigatus mora dolor, & quam longa dies cicatricem obduxerat, congreſſus refricavit momentaneus. Ita poſtquam à te diſcedo, tui fortunarumque tuarum imaginem, invictique roboris admirationem ubique circumfero. Mo- Ep. 465. do vehementer indignor, tantum virum, tantis in Eccleſiam, tantis Rempubl. meritis, inſigni quamplurimis beneficio nulli injuria cognitum, poſt tot longinqua exilia etiam in patria ſua exulare. Mox ſuccedit tantæ virtutis æſtimatio, & nonnihil me recreat inconcuſſum pectus, tantiſque injuriis par animus, nihil præter culpam dolendum eſſe certo perſuaſus. Ita certe eſt, Vir magne, hoc quodcunque pateris, non tuum, ſed publicum patriæ crimen eſt, & ſæculi flagitium: Hac conſcientia fretus erigis infractam mentem, & neſcius repulſæ, neſcius exilii, non ſumis aut ponis ſecures arbitrio popularis auræ. Sed ἐν καιρῷ paratragœdiare non licet, nec tu forſan vel ex progreſſo paratragœdiantem libenter audias. Mitto exemplar Ἐπιχαρμικῶν, quem liberrima effudit indignatio, quæ, cum natura negarit eſſe poëtam, verſificatorem dedit. Videbis id genus ſcriptionis leges non anxie ubique ſervatas: fortaſſe quia ſe jam iis inſignivit quidam notus homo. Sed quid ille & Grammaticorum filii hic obnuncient, ἐγὼ δὲ Ἱππόκλειδι. (*non curæ eſt Hippoclidæ.*) Hic mihi præcipuus fructus fuit, animo morem gerere, & unius quocunque modo ulciſcendo injurias unum aliquem tangere, ſed malum, uti titulus promittit. Ille conſcientiam advocet, & ſuo ipſius judicio pereat per me licet. Ego autem ut ab his nugis plauſum ſperem, tantum abeſt, ut, dum refugio leviuſculis quibuſdam mendis repurgare, & eandem cramben repetere, intervenientibus aliquando familiaribus negociis huc uſque ceſſaverim. Da veniam faſtidienti ſtomacho. Quid hic rumorum & rerum geratur credo te ex aliis cognoſcere. Ego brevi iterum ad te cogito, quod commodo tuarum rerum fieri poſſit; ſin minus, abſens pro abſente vota faciam: & ſperabo aliquando tuis rebus cum Reip. bono perpetuo conjunctis uſui fore, quod vel vitæ periculo libenter paciſcar.

Namque eſt hic animus lucis contemtor, & iſtum
Qui vita bene credat emi quo tendit honorem.

Sed tu fortaſſe jam occinis;

Juvenile vitium eſt regere non poſſe impetum.
Ætatis omnes fervor hic prima rapit.

Amplectere certe animum amoris impatientem, & ab ipſis auſpicibus Kalendis auſpicium ſume fortunæ melioris, quam tibi vovet, Vir plurimum obſervande

Tuum tibi devotum caput

J. DE VRIES.

Vale Hagæ poſtridie Idus Jan. 1629.

CCCCLXVI.

CCCCLXVI.

SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S. P.

Rotterodamum.

De suo in Christum Hymno.

VEnit ad te Hymnus meus in Christum, Clarissime Episcopi, non ut poëticæ artis documentum aliquod apud te deponam, sed ut pietatis & Christianæ Religionis sincero studio me hic & alibi probem. Dum enim domi, modo ad meam, modo ad tot præstantissimorum virorum, & tuam quam maxime sortem ingemisco, solatia communis miseriæ à Deo, à Christo, à virtutibus Christianis, & vitæ æternæ meditationibus peto, quæ ut altius animo infideant conor vinctis verbis proferre. Ita enim fit, ut quæ lecta aut audita ocyus prætervolant, diutius animo obversentur, dum metro aptantur & carminis legibus. Non ignoras mecum, quam non æque facile sit in sacris ac profanis vatem esse; cum hic per ambages & Deorum ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum circumduci possit oratio; illic adstrictus magis spiritus à rerum majestate & sanctitate coërceatur, & religiosos sensus verborum ambitu intexere pertimescat. Quod tamen faciendum subinde fuit, ut carmen scriptisse videar. Ubi particulam de solido die demere libebit, ad Hymni mei lectionem te confer. Invenies in eo summam eorum, quæ facunda antehac oratione ad populum & studiosam juventutem disseruisti. Ab æternitate Christi exorsus ad Creationis opus descendo, cum omnia per ipsum facta sint, quæ facta sunt. Hinc fœderis gratiosi cum homine lapso initi sequestrum & mediatorem intueor. Post hæc universæ legis & ceremoniarum colophona, & prophetarum oraculis toties designatum. Tandem Deum in carne conspicuum cano, vagientem, pauperem, fugientem, docentem, miraculis operibusque potentem, in cruce passum, à morte reducem, gloriose cœlos repetentem, Ecclesiæ rectorem, &, in quo desino, venturum vivorum & mortuorum judicem. Si non docta, si non poëtica, dixi pia. dixi ex devoto sacris pectore. dixi ut cantu persuadeam, quæ absque numeris & modulis aliquando docui. Dixi, non in gratiam partium harum vel illarum, sed piorum & Christianorum omnium. Inconveniens quippe videbatur controversa me loqui, cum de illo loquor, qui pro nobis in cœlis loquitur. Quare non alienum fuerit à studiis tuis & sacra professione, si Hymnum hunc placido vultu exceperis, in quo pio encomio prosequor Religionis nostræ magnum primumque Doctorem. Si Saulo μελαγχολικὸν πάθος (*melancholicam passionem*) discussit cithara David, forte & hic noster cantus scelerati hujus seculi tædia tibi discutiet, & animum reficiet justissimis querimoniis gravem. Vale amicorum integerrime, nec minus amicum me puta, qui vigente persecutionum æstu minus loquutus fui. Salveant à me D. Uytenbogartius & Grevinchovius, quos jam nominare audeo, & qui calamum pene effugerat, non animum, Ryckwartius. Argonauticum meum in P. Heinium propediem expecta. Ep. 467.

CCCCLXVII.

CASPARI BARLÆO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Judicium de Hymno.

CLarissime Barlæe, Nescis quam gratum mihi fuerit videre ex tam longo intervallo manum tuam, & cum manu tua donum quod mittis, veluti pararium amicitiæ redintegrandæ, quam iniquitas temporum hactenus non abrupit, sed interpellavit. Cum nuper hic te coram viderem, sentiebam redire veteris amoris nostri, quem honestissima studiorum societas conciliavit, flammulam: At eam nunc non leviter ventilat hæc amica tua scriptio. De me sane ita velim existimes: Vetus inter nos amor vixit vivitque cum affectu & fide, qualem tu literis tuis præfers, & volenti credentique testaris: unum tantum persæpe dolui, quod te, mi Barlæe, quem supra multa ingeniorum millia extulit benignior ille Deus, & tam variis locupletavit donis, ut adjumento & ornamento nobis nostræque causæ, præ quam ullus alius esse potuisses, non habuerimus auxiliarem & socium: Scio enim quantum causæ nostræ robur accessurum fuisset, si nos non animo tantum, de quo nemo nostrum unquam dubitavit, sed sociata opera tua juvisses. Sed hæc frustra. Hymnum tuum vere heroicum & majestate plenum non minus avide quam libenter legi. Miratum me dicerem, nisi priora tua hoc verbi adfectu sque jampridem exemissent animo meo, eorumque omnium qui tua unquam aut legerunt aut viderunt: Feci sti ut à te alta, exaggerata, & grandia non exspectare sed exigere debeamus: Leves, inanes & χαμαιτυπῶν λόγους, (*humiles sermones*) odisse soles, & non amare nisi plenos carnis, sanguinis & spirituum. Et ita inprimis conveniebat fieri in hoc hymno, qui cum non nisi de Deo loquatur, ubique pene tonat ac fulminat. Bene est quod controversa non miscueris. Non bene conveniunt, litigare & canere. Et purior est devotio quam litigiosa non turbat disputatio. Ego poëtas disputatores odi, qui una ligata oratione non contenti, duabus lectorem vinciunt, & voluptatem carminis molestia quæstionum suarum deterunt: Quin imo usque adeo disputationum satur sum, ut pene me vel nominis pœniteat. Utinam eadem satias aliquando capiat Christianum orbem! Sed nimium disputace sæculo vivimus. Optare hoc juvat, sperare non licet. Atque hinc est, mi Barlæe, quod, quando invitus

spe

Ep. 468. ſæpe ad diſputandum abripior, ſubinde animum meum ab iſtis æſtibus ſubduco, eumque in mellitiſſimos verſus tuos, quos nuper in lucem dediſti, veluti in aliquod curarum moleſtiſſimarum diverſorium immitto; huîce jam etiam hunc hymnum tuum jungam, de quo aliud nihil dicam, quam dignum eum eſſe, propter quem torquatus etiam Galliæ fias. Vale amicorum ſuaviſſime, & me uti facis amare perge, atque ubi abſolveris, Argonautico tuo dignare. 29 Januar. 1629.

CCCCLXVIII.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro,

D. M. SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S.P.

Rationes reddit cur Reverenſiv. palam ſe non adjunxerit.

GRatiſſimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, Epiſcopi Clariſſime, quibus ſopitos hactenus veteris amicitiæ igniculos ἀναζωπυρῆς, (*exſuſcitas*) & compellandi tui deſiderium, ſupra quam credas exacuis. Quoties ego, citra Chriſtianiſmum ſtans, pertinacem in nos fortunæ luſum increpui; quoties intra eundem receptus ad providi Numinis arcana conſilia conticui: veriſſimum eſſe ratus, quod de inſtabili illa Dea argute pronunciavit Arbiter, providentiam divinam ſuas habere rationes. Utinam vero ea aliquando nobis Alcyonia faciat ter Opt. Maximus, ut notas audire & reddere voces liceat! Ariolus non ſum, nec Calchas, qui noverim quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Sed videor mihi veluti per nebulam videre diluculum aliquod melioris ſeculi, & poſt Saturni occaſum mitiorum ſiderum exortus. Non ita pridem his verbis me ſolatus fuit vir ſummus, miſſis ad me Haga litteris: *Veniet mi Barlae, quam non ſperaveris hora, quam non timueris, inquam, qua ſua loquacitate damnum ſarciat. Prout aut Saturnus quidam, aut Jupiter, aut inferiora ſidera diei præſunt, arbitror magis alacrem reddi hanc manum, aut pigram. En ego te ſomnus detineo, qua quid ſibi velint*, &c. Et forte ſomnia mihi fingo, non amator, ſed tecum afflictior, ne amantium ſolum putes ſomnia ſibi fingere, & vel leviſſima in ſolatium arripere. Cauſam communem, uti benigne judicas, non deſerui animo, non affectu; nec uti debebam, vobiſcum juvi.

Si Pergama dextra
Defendi poſſent etiam hac defenſa fuiſſent.

Vis cauſam ſilentii? unam allegabo, ἀνάγκην; (*neceſſitatem*) non fatalem illam, quam Græci ἱμαρμένην, aut πεπρωμένον (*fatum*) vocant; ſed illam domeſticam, uxorem & liberos; qui compedes ne te quoque in iſto ſtadio remorarentur, tute velut tantorum malorum præſagus prudenter caviſti. Sed quam in prædicando meo Hymno es hyperbolicus & hypercriticus! Uti iis quibus illapſum eſt in oculos phleg- Ep. 468.
ma hallucinari contingit, ita & tibi accidiſſe arbitror, quem nimius mei amor inumbrat. Sane non nili ruboris materia eſt, ſupra modum prædicari. Quod ſi Sacrorum meorum attenta lectione frontem corrugaſſi, eandem novi argumenti jucunda lectione explica. Hujus, inquam, Argonautici, quod amicorum precibus & imperio juſſus ſcripſi. Hic magis Poëtam, hoc eſt, minus veracem ſubinde deprehendes. Epigrammate tantam argenti vim, tamque opima ſpolia complecti non ſunt meæ opis, latius diffudi cum ipſa claſſe & opibus ſermonem. En quo diſcordia civem perduxit miſerum. Ex Poëta aliquando factus Theologus, iterum ex Theologo Poëta factus antiquo ludo includor, ex quo emancipari non poſſum per amicorum aſſiduas flagitationes, & inſignem importunitatem. Nec tamen credas velim ſoli huic ſtudio me deditum. Eſt hic vir quidam egregius Matthias Overbequius, quem Crætus aliquis aut Attalus hæredem ſcripſerit oportet. Apud hunc hebdomadalibus diſputationibus Bellarminum & Gretſerum membratim imo articulatim reſecamus. Ego Orthodoxorum partes, alius quidam artium magiſter acutus ſatis diſputator Catholicos vulgo ſic dictos defendit. Cum autem nuper diſputatio incidiſſet de neceſſariis ad ſalutem, & ego contenderem ea omnia, ea perſpicuitate, quæ ſufficeret, ex Scripturis ſolis erui poſſe, alter negaret, dixi calore diſputationis abreptus, vel ex uno Euangeliſta, aut ſolis Epiſtolis Paulinis poſſe exſculpi totam Proteſtantium Confeſſionem. Quod cum auditoribus, qui ſex aut ſeptem adeſſe ſolent, mirum videretur, tentavi, num ex Euangelio Johannis hoc poſſem, nec enim unquam ante exploraveram. Eo itaque ſemel perfecto ad hæc Confeſſionis Euangelicæ capita hæc loca annotavi. Mitto ut legas, non quod tanti ſit iſta curioſitas, verum ut intelligas non prorſus me ſacrorum ſtudiorum amorem depoſuiſſe. Ad illud ſolummodo adverte, mihi hic cum Lutheranis negocium eſſe. An apographum undequaque autographo reſpondeat neſcio, nec enim otium fuit conferendi. Redeat ad me ubi commodum videbitur. Reperi ante pauculos dies inter ſcedas meas Epigramma hoc, quod rogatu Fratris tui ſcripſi ante annos aliquot, tunc cum effigiem tuam juſſiſſet æri inciſi:

Quem tu Leida prius, Synodus mox ipſa loquentem
Audiit, hoc vultu vivit Epiſcopius.
Vivit, & externis pandens ſua lumina Gallis,
Exoptat patria tempora blanda ſua.
Tempora dant pretium, rapiunt quoque tempora doctis,
Ludit & in magnis ſors maleſana viris.
Scilicet, ut Batavis pietas ſecurior eſſet,
Exul abit, pietas quo duce tuta fuit.
Sed neque jam doctas audis mala patria voces,
Nec fuſtiditi nominis oſſa feres.

Forte

Ep.469. Forte jam convenientius fuerit dicere, *Nec, niſi facta viro mitior, oſſa feres.* Vale & collegas tuos ſaluta. 5 Non. Febr. 1629.

CCCCLXIX.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro

D. CASPARI BARLÆO

SIMON EPISCOPIUS S.P.D.

Vale. CLariſſime D. Barlæe, Silentium hactenus tenui, non quia volui, ſed quia per occupationes aliter non licuit. Solus hic ſum, qui directioni Societatis noſtræ vaco, & continuæ interpellationes & privatæ ſcriptiones à mane ad veſperam fere me habent. Hinc Epiſtola tua, quamquam mihi ſemper ob oculos & in memoria, reſponſum nondum tulit. Veniam ſolicite non precor: Scio enim quam facile eam daturus ſis occupationibus meis, quæ nunc majores & frequentiores, quam cum Academia me totum haberet. Argo tuam cum voluptate legi. Quid dicam mi Barlæe? Otium feciſti poëtis omnibus, quos hactenus mirata eſt Academia veſtra. Nil miror nunc piſce mutiorem factum Heinſium. Tantum tibi debet Heinius, quantum, ita reor, invidet Heinſius. Plura non dicam, ne ruboris materiam tibi dem, aut hyperbolicus videar tui laudator. Iterum opto & voveo manum illam in auxilium Pergamis noſtris: Paria poſſet & majora ad Dei gloriam, veritatiſque promotionem. Credo ἀνάγκην (*neceſſitatem*) fuiſſe quæ illam hactenus remorata eſt: utinam hora illa veniat quæ damnum aliquando ſarciat & moram compenſet, quæque ſomnio Viri ſummi fidem faciat! Ego ſperare non deſino; quamquam non deſunt quæ ſpem aliquando labefactant, & tantum non ſuppeditant. Tanta ſunt adverſariorum molimina, & adeo tenues res ac fortunæ noſtræ, ut per tot labores & adverſitates pene ſint attritæ. Diluculum tecum video, ſed ſubinde nubes ingruunt, quæ tenebras minantur & atram noctem. Has cogunt & adglomerant, quos id minime omnium decet. Sed & Deus magis magiſque hic illic diſſipat, & ſi complacitum ei fuerit in nobis, diſſipabit porro, & meridiem dabit. Gaudeo epigramma tuum non appenſum fuiſſe effigiei illi, quam frater meus ſine me ſculpi fecit; non quia te dignum non eſt, ſed quia ego eo ſum indignus. Adfectus in me tuus expreſſit, quem ego non merui. Vin' reponam tibi verba tua? Uti iis, quibus illapſum eſt in oculos phlegma, hallucinari contingit, ita & tibi accidiſſe arbitror, quem nimius mei amor inumbrat. Scipio tibi ſum, cujus oſſa ut patria ferat, indigna eſt. De exercitationibus tuis contra Bellarminum & Gretzerum per rumuſculum aliquid inaudiveram; nunc gaudeo quod idem ex te intelligam, & gratulor tibi illam palæſtram. Scio enim quod in ea non minus poſſis, quam in pangendo poëmate, quod (audi liberam vocem) ut ut decus & gloriam tibi non levem conciliet, tamen infra te eſt & ingenii tui dignitatem. Confeſſionem quam ex Joannis Euangelio elicuiſti, nondum ſerio mihi licuit expendere: ſtudium & factum probo; nec dubito quin verum dixeris, ſi neceſſariorum dogmatum ratio non æſtimetur ex receptis hypotheſibus, & ſub generalibus verbis ac mandatis ſpecialia comprehendantur. Alioquin facile laborat probatio, & neceſſariorum dogmatum fides ſuſpecta redditur apud eos, quos præjudicia & affectus habent: in neceſſariorum æſtimatione conſequentiæ non ſunt ambiendæ, niſi quæ tam claræ ſunt quam hæc, Currit, ergo movetur. Sed otium nactus, pluribus aliquando tecum agam. Tu interim, Vir Clariſſime, ſalve, & me amare perge. 24 Martii 1629. Ep.470.

CCCCLXX.

GUILIELMO

Epiſcopo Londinenſi

GERARDUS VOSSIUS S.P.

De tolerantia in religionis diſſidiis. REverendiſſime in Chriſto Pater ac Domine, Multiplici me gaudio perfuderunt litteræ x Maji exaratæ, &c. Optimè obſervaſti, quod ego non dolo quidem, ſed ſtudio tamen, non oblivione aliqua egeram, ut de noſtris in Baronium animadverſionibus, deque veteris Eccleſiæ temporibus ſtrenue tacerem in literis meis. Nempe non ignorabam quæ tua & aliorum præſtantium virorum expectatio foret. Ego autem, ut aperte quod res eſt nunc dicam, autoritate Illuſtrium Bataviæ ac Weſtfriſiæ Procerum compulſus, Partitiones meas oratorias iterum vulgavi, &c. Sed quia in his brevior aliquanto fuiſſem, operæ multis videbatur ut etiam Commentarios Oratorios grande opus, &c. ad incudem revocarem, &c. & quod tantopere (olim) Scaliger, Caſaubonus atque alii ſummi viri comprobarunt, eadem nunc & emendatius & auctius & felicius videant lucem, &c. Equidem niſi telam iſtam olim, ita poſtulante tunc muneris ratione, orſus fuiſſem, atque etiam, ut tum vires ingenii ferebant, pertexuiſſem (idem autem de linguæ Latinæ Commentariis dictum velim) nunquam profecto ita nunc deſiperem, ut levioribus potius illis quam ſacrorum meditationi, & antiquitati Eccleſiaſticæ tempus impenderem. Et tamen ſic quoque operam do, partim ut nec illa me nunc detineant totum: partim ut iis quam citiſſime liceat defungi, quo totus majoribus & melioribus vacem. Accepi his diebus ab iis quibus res Britannicæ non ignotæ viderentur, adhuc metus eſſe aliquid, ne improvido quorundam zelo, etiam in inclyto regno veſtro, ſchiſma fortaſſe oria-

Ep.470. tur ob diſſenſum aliquem doctiſſimorum hominum in controverſia de Prædeſtinatione & dogmatis adnexis. Propterea que ajebant etiam pietatem ac prudentiam tuam ſeſe Parlamenti poſtremi tempore occupaſſe, ut peſtilenti adeo malo ſalubribus & moderatis conſiliis obviam iri poſſet: ſed omnino pertinacius fuiſſe malum, quam ut diſcuti tum potuerit: eo fortaſſe minus, quia inter illos, qui religionem, ut fieri ſolet, prætexerent, forent non pauci, qui alienæ inhiarent dignitati, ac rebus ſtuderent novis. Non ego tam curioſus eſſe ſoleo, ut anxie inquiram in negotia publica regni veſtri: ſed tamen, nequid diſſimulem, non leviter me ea res conturbavit. Opto enim res Britanniæ eſſe florentiſſimas, non tantum, quia & ipſe quodammodo nunc in Britannorum numerum tranſcriptus mihi videar favore veſtro; ſed vel maxime, quia ſalus Eccleſiæ Reformatæ, poſt Deum, à Britanniæ regno & hiſce terris dependeat. Itaque aſſidue Deum oro, ut benedicere dignetur Sereniſſimo Regi, ac felicem largiatur ſucceſſum tuo, & aliorum tui ſimilium ſancto propoſito: quod utroque, ut dici ſolet, pollice hic probatur ab omnibus pacis & concordiæ ſtudioſis. Sane, ſi non aliud quam humanas vires ſpectemus, arduam ſuſcipiunt provinciam, qui in religionis diſſidio ſequeſtri eſſe ſtudent. Imo plurimum, quod quodammodo edoctus ſum malo etiam meo, præda eſſe victoris ſolent. Sed tamen, ut ſpero, nondum ſic iratus eſt Deus peccatis noſtris, ut etiam apud vos paſſurus ſit in nervum erumpere triſte adeo diſſidii malum. Cui omnes, ſi ipſis de ſe credimus, conſultum volunt. Sed ut ut pacem utrinque crepent, tamen remedia adferunt admodum diſparia. Multi enim non aliam viam ſciunt, quam ut iis, qui diſſentiunt, male multatis atque oppreſſis, regnum obtineant ſoli. Alii contra in omnibus, qui fundamentum religionis retinent, longe præferunt moderationem, & animorum & ſententiarum: quam non deſperant poſſe obtineri, dummodo venerandæ antiquitati, & magnis etiam viris quos Deus ſerius naſci voluit, honos debitus conſtet; utcunque enim inter veteres & juniores in aliquibus fortaſſe diſſenſus aliquis appareat; tamen facile negotium componatur, dummodo abfuerint hinc quidem temere innovandi libido, inde autem amor dominii in conſcientias alienas. Sed hoc non agnoſcunt qui cœleſtem veritatem poſtponunt ambitioni ſuæ, ac charitatem Chriſtianam poſthabent odio & malevolentiæ propriæ. Verum dum hi, quarumcunque tandem partium fuerint, diſputare acute malunt, quam Chriſtiane vivere, non quidem capitur Saguntus, ſed quoddam vincitur longe majus & excellentius Sagunto. Quippe fraterna dilectio, ſine qua eſſe Chriſtiani non poſſumus, animis & doctorum & populi expellitur: contra vires capit regnum Antichriſti. Tanto magis oro denuo, ut te, Reverendiſſime Domine, optimeque Mæcenas, Ep.471. deinceps etiam ſpiritu veritatis & conſtantiæ firmet, ac longam tibi vitam & valetudinem proſperam in hoc propoſito largiatur, atque aliis quoque eam gratiam tribuat, quo præclaris monitis ac conſiliis tuis aures præbeant vacivas, neque ſua quærant ſed quæ ſunt Chriſti. Lugd. Bat. CIↃ IↃC XXIX. XX Junii.

Reverendiſſimæ dominationis tuæ cultor devotiſſimus

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCLXXI.

GUILIELMUS

Epiſcopus Londinenſis

GER. JOAN. VOSSIO S.P.

Varia. De diſſidiis Anglicanis.

VIr Clariſſime, Quod ſcripturus ad patrem à filio initium ſumam, ingratum tibi eſſe non poteſt, cui ſalus filii tui majoris pretii videtur quam tua: & video filium tuum te jam certiorem feciſſe, literas à Seren. Maj. ſignatas & miſſas eſſe in hunc finem, ut ipſe in locum collegii Jeſu proxime vacaturum adſcriberetur. De hoc literæ meæ omnino ſiluerunt. Volui enim nihil ſcribere donec aliquid præſtitum viderem. Nunc velim ſcias me omnia præſtitiſſe, quibus me aſtrictum tenebat votum aut Ducis aut proprium. Filius enim tuus, prout literæ Regiæ voluerunt, jam ſocius eſt collegii Jeſu, quod ei Tibique fauſtum felixque ſit. Et forte hic etiam præcurrit filius tuus: à quo quid ni hæc etiam ante ſcias? Nec mirum ſi juvenis ſenem, ſanus claudum, filius peregrinum præeat ad patrem. Nunc vero etiamſi filius domicilium mutavit, ſpero tamen nec amicos, nec animum, nec ſtudia mutaturum; quod primo Dei gratia, dein tuis monitis facile factu erit. Tranſitus ſic beatior futurus à S. Petro [Peterhouſe, cui ante adſcriptus] ad Jeſum. Quod conſulto à Baronio manum aliquantiſper ſubduxiſti, rationem nunc reddis. Voluere Proceres Partitiones Oratorias priores eſſe: volunt etiam & nunc commentarios. Quid ni obtemperes? præſertim, quum, ut ſcribis, primus hic ſit ingenui tui partus? quem Scaligerus, Caſaubonus aliique ſummi viri tantopere comprobarunt: quos quidem nunquam laudaſſet nobile illud par doctorum, niſi digniſſimos luci judicaſſent. Sed audi. Ego etſi orator parum vehemens, nec dulcis tamen: etſi negotiis irretitus non ſolum artem illam, ſed inſimul omnes oblivioni tradere pene coactus ſum; cupio certe videre, quæ tot & tanti viri calculo ſuo approbarunt, quæque tantum & tam limatum ingenium poſt eorum cenſuram maturo conſilio ad incudem revocavit, ut auctius & perfectius emittat. Quin & videor mihi hoc jure vendicare. Nam quum

ſint

Ep. 471. sint hæ primitiæ tuæ, cur non mihi & has una cum primogenito concrederes? His autem in lucem emissis, spero te animadversionibus Baronianis vacaturum, saltem quantum potes. De duce Illustrissimo Buckingamiæ, quem popularis furor abripuit, sæpius apud te quod sentiam, deposui: nec sine gaudio in epistolis tuis novissimis legi, illum æternum tibi amico sermone & scriptis celebrandum, ut alicubi saltem sui similis vel mortuus appareat. Eo magis autem laudo gratum tuum erga munificentissimum Mæcenatem animum, quia domi pariter & foras vàpulat. Legisti, scio, P. Bertii Dagestum Novum de Aggeribus & Pontibus ad mare exstructis. Quales fuit vir ille (certe abunde doctus) apud vos tu melius nosti. Qualis & nunc est non ignoras scio. Dum religionem mutavit forte impleta est Apostasia Sanctorum. Hic illius operis cap. I v. mire in Buckingamium invehitur. Quem & cap. XVIII. incentorem vocat & Ducem omnium malorum. Quid male habet hominem? quid in eum unquam molitus Buckingamius? Sed forte Gallorum caulam agit apud quos nunc est. Interim ibi dum sævit in mortuos, in duplicem eadem pagina incidit errorem. Scribit enim Ducem à nobili Scoto confossum, quod ab ignobili Anglo factum fuit. Deinde narrat suffectum in ejus locum Ellexium: cum non ille sed Linseius vices ejus supplevit. Det Deus viro docto meliorem mentem. Ultimo loco scribis, accepisse te his diebus, & ab iis quibus res Britannicæ non ignotæ videntur, dissensum aliquem doctorum in controversia de Prædestinatione & dogmatis annexis, zelo quorundam improvido pene in schisma apud nos erupisse: & alia quæ postremi Parliamenti tempore me aliosque occupatos satis tenuerunt. Ego certe hæc omnia in præcedentibus literis meis consulto omisi. Partim quia ulcus fuit, quidquid attingerem; quod quia sanare non potui, fricare nolebam: partim quia nihil unquam minus placuit, quam nidum proprium fœdare. Quin & quia de Parliamento nihil volui nisi bonum (quod non semper de hoc passa est veritas) proferre. Præcipue vero silentii mei ratio hæc erat. Ne me, quem agitatum undique & peritum norunt omnes, aut iræ impotentem existimares, aut male ominantem patriæ aut Ecclesiæ audires, quod certe non deceret, & (quod olim Cicero) mallem multum alienæ quam nostræ. Sed quoniam vis aliqua, hæc accipe, quæ à corde sæpius vulnerato nunc stillant.

Omnem ego semper movi lapidem ne publice scopulosæ illæ & perplexæ quæstiones coram populo tractarentur. Ne pietatem & charitatem sub specie veri violaremus. Moderata semper suasi, ne fervida ingenia, & quibus religio non est summæ curæ, turbarent omnia. Nec forte hoc placuit: sed memini tamen quam serio suis Salvator charitatem commendavit. Quam caute patienterque voluit Apostolus cum infirmis agi. Si his artibus peream, factus Ep. 472. inter litigantes victori (ut solet) præda, merces mea mecum, nec extra me, nisi in Deo, solatium quæram. Interim quæ spero pauciora sunt, quæ timeo multa. Nec habet Reformata Ecclesia quod magis doleat caveatve, quam gladio undique apud alias gentes petita, ne apud nos vosque, ubi tutius degit, propriis manibus lacera, graviori scissura, in partes primo, deinde paulatim dividendo in minutias & sic in nihilum evanescat. Aliquid aliud est quod videor mihi prævidere. Sed orare melius est ne fiat, quam prædicere faciendum. Nec enim hac conditione propheta esse velim. Plura nolo, ne dum deploranda tempora persequar id dicere, quod imprimis cupio neminem scisse. De me hoc unum te scire velim. Deo propitio dabo operam ut veritas & pax se invicem exosculentur. Si præ peccatis nostris id nolit Deus, sperabo ipse quamprimum pacem æternam: osculum vero dirimentes Deo, suo tempore aut convertendos, quod opto, aut castigandos relinquens.

Jussu Serenissimi Regis, sed opera mea & Episcopi Elienſis, conciones Viri apud nos doctissimi, & sanctissimi Præsulis nuper Wintonienſis, plurimæ in lucem prodierunt, sed quia lingua nostra vernacula scriptæ, nolui ad Te transmittere. Aliud volumen, minus illud quidem & multo, quia aliqua habet lingua nobis cum aliis communi, nunc una cum his literis ad Te mitto. Quædam continet quæ volui te videre. Excusatas habe rudiores has & oblongiores literas: otium non fert ut sæpius te sic lassarem. Valeat dignitas tua, & in omnibus orationibus tuis sis memor, prout necessitates meæ postulant,

Amicissimi Tibi

GUIL. LONDON.

Julii 14. 1629.

CCCCLXXII.

GUILIELMO

Episcopo Londonensi

GERARDUS VOSSIUS S.P.

TArdius quam speraram litteras meas vides, Reverendissime Pater, Domineque dignitate illustris, sed pietate doctrina & meritis longe major. Nonis Decembribus, ut fortasse ex Nobilissimo Carletono intellexeris, salvus ac sospes Lugdunum veni: octiduo nempe ex quo è Britannia excessi. Divina gratia eodem hic omnia repperi loco quo fuere cum abirem. Vix dicere possum quantus salutantium numerus me primis exceperit diebus: sermo prope omnis de Serenissimo Rege Karolo, vel iis qui sacræ ejus Majestati à consiliis forent. Judicia disparia, prout quisque regii

igitized by Google

Ep. 473. vel popularis ſtatus, veteris vel recentis Eccleſiæ amantior foret. Equidem neutiquam mihi eorum tribuo intelligentiam, quæ ad regni negotia pertineant. Probe ſcio quantopere hæc captum excedant meum, quem Deus in ſtatione longe inferiore collocarit. Sed tamen pietas non ſivit, ut non quorundam immodeſtiæ modeſte atque amice occurrerem. Eos intelligo, qui digito cœlum ſibi attingere videntur, ſi quomodocunque nocere eorum nomini atque exiſtimationi poſſint, quibus ſtantibus & integris, prætens regni atque Eccleſiæ ſtatus convelli neutiquam poſſit. Quanquam vero apud eos parum profecerim quibus nihil niſi populare ac novellum ſapit; cordatiores tamen ſcrupulum ſibi eximi gaudebant, quem quidam tribunitii ſpiritus ſuis calumniis injecerant. Interea totum hoc quod à me factum, pietatis cauſa factum, quippe qui tantum Britannis ac ſummis ejus viris (ut de Sereniſſimo Rege taceam) etiam deberem, ſi nihil deberem. Nunc quantum eſt quod debeo, verba non reperio ἰσόρροπα, (*æqualia*,) quibus ſatis hoc imprimam, &c. De induciis cum Hiſpano ineundis vehementibus ſtudiis in conventu Ordinum certatur. Ad bellum inclinant non pauci, qui metuunt ne ſi induciæ fiant, domeſticis magis diſſidiis laboremus: Alii tamen vel maxime iis occurri poſſe arbitrantur. Amſtelodamenſes ante hebdomades paucas ſua urbe exegere Eccleſiaſten quendam: qui licet ſæpius à Magiſtratu moneretur, à tribunitiis ad populum concionibus deſiſtere noluiſſe perhibetur. Eſt hic ille qui ante plus minus duodecim annos edidit Heautontimorumenon. In quo ex ſcriptoribus Latinis Græciſque (eſt enim vir multijugæ lectionis ſed exigui judicii) convitia uſque adeo congeſſit, ut ex plauſtro maledicere videatur. Sane hoc piguiſſet adſcribere, niſi optimus quiſque ringeretur, in Reformatæ religionis hominibus inventum eſſe qui Gretzeros Scioppios & ſimiles vinceret maledicendo. Sed illum mitto, cui ea parte ſaniorem opto mentem, &c. Deus faxit, ut longa ætate Iliacos æquare ſenes aut vincere poſſis. Ita ex animo voveo, meque iterum tibi devoveo, Reverendiſſime Pater, Domine Illuſtris. Idibus Januarii anni CIↃ IↃC XXX.

Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi nominis
tui cultor ac cliens fidus addictuſque

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCLXXIII.

GUILIELMUS

Epiſcopus Londinenſis

GERARDO VOSSIO.

Salutem in Chriſto

Literæ tuæ tres numero (Vir Clariſſime) manus meas utraſque implevere, a quo te vel coram vel per literas ſalutavi. Et pudet, & dolen, &c. Primum, &c. Quæ his ſuccedebant felices nuntiæ fuerunt, ſalvi & ſolpitis reditus tui in patriam. Gaudio id certe magno mihi ceſſit, utpote cui ſanitas tua & vita in longum protracta in uſum Eccleſiæ in primis votis ſit. Facile credo fuiſſe non paucos qui tibi reditum gratularentur. Quam diſpari animo, ipſi viderint. Sat ſcio, quales, inter vos, amicos habeant, qui poteſtatis Regiæ & Veteris Eccleſiæ cultores quoquomodo exiſtunt. Si cordatioribus exemiſti ſcrupulum, illud perbene: qui Tribunum olent, ad populum refero. Curet ſcilicet qui vult. Me non nominent literæ illæ, ſed ſatis intelligo & multam video inſaniam. Promittis hic Inſtitutiones Oratorias, &c. Nunc ego iterum Baronium inculco. Noſti quid velim. Et eſt quod vel maxime uſui ſit Eccleſiæ. Induciæ veſtræ cum Hiſpano precor aut non ſint, aut ſint cum bono & veſtro & Eccleſiæ. Nec imprudenter cavent meo judicio, qui exinde domeſtica diſſidia magis timent, præcipue prout religio hodie apud vos. De Scioppio veſtro & reliquis Reformatæ Religionis propudiis quid dicam neſcio: gaudeo tamen Amſtelodamenſes, ubi libertatis neſcio quod aſylum, in maledicum tam ſeveros exſtitiſſe, &c.

Amore maximo certe (ſi prudente ſi fauſto bene eſt) me Oxonienſes, nunc alio nomine mei, proſequuti ſunt, & me Cancellarium, indignum ſimul & nolentem elegerunt. Inter eligentes Higgius, &c.

Quod reliquum eſt, ſcias velim, etſi tempeſtates quæ ſæculo hoc exagitant Eccleſiam ſedando non ſim, nolle tamen me (Deo favente) aut cauſæ aut officio deeſſe. Interim cuivis fere obvium eſt quam periculoſe jactantur Reſpublicæ fluctuante Eccleſia, &c.

Tu modo ut mei quotidianis in precibus memor ſis obnixe rogo, & in nomine Chriſti; ne, dum moliuntur inimici, ſolus ſim. Vivas interim opto valeaſque, ego ut ſim

Virtutum tuarum cultor ſicut ſum &
Tui amantiſſimus

GUIL. LONDON.

Julii 21 1630.

CCCCLXXIV.

Digitized by Google

CCCCLXXIV.

HUGONI GROTIO

GERARDUS VOSSIUS S.P.D.

De itinere ſuo Britannico, &c.

CUm valde optarem aliquem mihi dari, per quem tuto literæ ad te mitti poſſent: ecce à Sarmatis ſuis ad nos redit nobiliſſimus Stupeskius; una cum Ephoro ſuo Paſchali, doctore Medico, natione Gallo, domo, & placitis Geneventi, homine docto, & perhoneſto. Ajebat uterque ſe propediem, ſaltem poſt hebdomadas paucas, Lutetiam ituros. Sed prope jam bimeſtre eſt, quod, culpa eorum, qui ab utriſque partibus commeatus literas procurant, diſcedere iis demum licet. Alioqui non paulo celerius ex me ipſo cognoviſſes iſta, quæ de itinere meo Britannico ex fratris, vel aliorum literis, jamdudum te arbitror percepiſſe. Nihil tamen prohibet, puto, quo minus nunc quoque pauca de eo perſcribam. Nempe à Rege Sereniſſimo, Archiepiſcopo, Comitibus, Baronibus, Epiſcopis, utriuſque Academiæ ſummis viris, aliis etiam vel dignitate vel doctrina claris, eo fum honore favoreque exceptus, qui non tam Voſſio, quam longe majori conveniret: nec receſſi, niſi auctus dignitate Canonicatus Cantuarienſis, idque ea condicione, ut emolumentis ejus frui liceat etiam in partibus tranſmarinis. Quæ res neſcio, utrum plus mihi hic pepererit honoris, an invidiæ apud nonnullos, eos imprimis, quibus moderatio animi noſtri eſt ingrata. Sed, ut Dircæus ille vates ait, *κρείσσων ἐυλεγεῖν φθόνος*. (*melius eſt invidiam ſuſtinere, quam miſericordia indigere.*) Hujus meæ fortunæ recordatio cogitationem mihi injicit ejus, quod hic inter Academiæ Curatores deliberatur de Salmaſio huc vocando. Inter illos, qui maxime negotium urgent, eſt Dominus Someldicenſis. Ex ordine vero noſtro, Rivetus. Occultiorque, at non minor, opera eſt noſtra. Impenſe enim viro faveo ob multijugam ac reconditam eruditionem. Nec parum erga eum amori addidit amor erga eum tuus, quem literæ omnes tuæ ſpirant. Quæres fortaſſe, cur non aperte ei ſtudeam. Nempe, ne ei magis incommodem, quam proſim. Scis enim negotium hoc tranſigi non poſſe, niſi tum iis volentibus, qui extrema omnia, quam qui moderatiora conſilia ſequuntur. At prioribus illis pleraque mea ſunt ſuſpecta: niſi forte ipſe nimis ſim ſuſpicax, qui hæc de iis ſcribam. Adde quod nec omnes in Salmaſiano illo negotio conſentiunt, qui noſſe virtutes viri debebant. Liceat paulum tecum jocari per literas, quod præſens facere mallem. Ait Plutarchus, pictorem fuiſſe, qui cum Gallos depinxiſſet, juſſit, ut puer tabulæ adſideret, qui veros abigeret Gallos, ne, quam ineptus eſſet pictor, deprehenderetur. Similiter. hic ſunt, qui manibus pedibuſque diſturbare eorum conſilia nitantur, qui eruditiſſimum illum Gallum huc advocandum cenſent. Metuunt, ne tabulæ ſuæ fiant minoris, ſi omnes ex hoc Gallo videant, quantum ipſis ad Romanarum, Gallicarum, Eccleſiaſticarum antiquitatum peritiam deſit. Alterum etiam eſt, quod obſtare Salmaſio videatur. Nec enim ad docendum arceſſeretur, (quam conditionem amplecti ſi volet, neminem inveniet, qui obſtare volet, ut ego quidem cenſeo) ſed ut eo & loco eſſet, & ſtipendio frueretur, quo olim *ἀφείσατο* Scaliger. Facile autem cogitare potes, in ea profitentium turba unicum eſſe minimum, qui ſibi honoris hoc deferendum potius arbitretur. Utinam autem non de Salmaſio modo huc vocando; ſed de te etiam revocando cogitaretur! O quam uberem ex re meſſem meteret patria tua! Quantos & ipſe perciperem benevolentiæ tuæ fructus! Sed non omnium dierum ſoles occiderunt. Interea me oblectabo dulci recordatione veterum meritorum tuorum. Nam quod aliquando de fructibus amicitiæ noſtræ literis tuis ſcribebas: in eo meas mihi eripuiſti partes, qui nunquam tuorum debeo meritorum obliviſci. Tanto juſtius filio tuo faveo. Quamquam non tui modo cauſa, ſed etiam, quia ingenii elegantia, ac bonitate indolis, ſic meretur. Dolet de illo corporis vitio, quod cum Ageſilao, Tyrtæo, aliis habet commune. Sed gaudeo, quod corrupto hoc ſeculo, quo omnium pene animi claudicant, filio hactenus mens eſt recta & erecta. Petierat uxor, ut diebus Dominicis ſemper prandere t nobiſcum. Sed non facit. Subinde tamen adeſt, & lulirat cum noſtris. Nec occaſionem eam negligo videndi, quantum in ſtudiis & moribus profecerit. Vellem tui filii cauſa, ut paulo felicius cum Bataviæ ſcholis ageretur. Sed raro alii, quam fungi, præfici inferioribus claſſibus ſolent. Imo multis è fungino genere hoc ipſum vitæ genus ſordet: malunt aliquid oggannire popelli auribus de umbone, & imperare imperantibus. Et profecto, quanto tales magis ſapiunt, quam qui in pædido illo grege puerorum à mane ad veſperum cramben repetunt, tribus conducti nummis! Melius ſocietas Jeſuitica ac prudentius facit. In cujus ſcholis, pueris claſſem mutantibus mutant & ipſi doctores, atque ad claſſes ſuperiores evecti, & ſucceſſorem nacti, præficiuntur ſacris. Hæc ſi Proceres noſtri imitarentur, & doctiores haberemus Eccleſiarum præfectos, & pueritiæ, Reip. ſeminario, melius conſuleretur. De Lugdunenſi tamen ſchola minus, quam de pleriſque aliis conqueri poſſumus, ob probitatem ac virtutem præfecti, qui ſic ſatis hypodidaſcalorum ſuorum rationem habet. Libros tuos de religionis Chriſtianæ veritate altera hac editione tot mendis obſitos prodiiſſe, ſane doleo. Simulac cognoram, La-

Ep. 474.

Digitized by Google

CCCCLXXVI.

JOANNI UYTENBOGARDO CASPAR BARLÆUS S.P.

De conſcientiarum libertate.

EGregie conſcientiarum libertatem vindicare pergis, Vir clariſſime, adverſus eos, qui nunellas illi & compedes parant. Quanquam, dum hoc faciunt, libertatem plenis buccis crepent. Notat in Auguſto & Tiberio Tacitus; illos retentis priſcis magiſtratuum ſub libera Republica vocabulis, turpi ſervitio rempublicam ſibi mancipaſſe, cum viderent Romanos ſpeciem titulosque magis ſervitutis, quam rem ipſam exhorreſcere. Non alieni ab illorum indole mihi videntur illi, qui dum conſcientiarum carnificinam, exoſam ſuperioribus temporibus rem, vocabulo tenus à ſe amoliuntur, bona tamen libertatis ſubverſum eunt: & novis fere rebus aucti, priſcum Reipublicæ morem dediſcunt. Doleo vero cum tam ignobili adverſario tibi negotium eſſe, cui famæ quicquid habet apud ſuos, non virtus probitaſque, ſed Synodicæ legationes peperere, quique temporum magis fiducia, quam cauſa ſubnixus, ſanguinariis ſuis conſiliis Optimatum animos corrupit. Valde ipſum inclementer, nec immerito, tractas, dum quam ſit ἀλογος & ἀνολογος (*rationis expers & à recta ratiocinatione alienus*) iſto tuo ſcripto oſtendis. Non ſiculnea ſolummodo folia, quibus ſe involvit larvatus diſputator, detrahis, ſed & pene excorias hominem, ac cornutis tuis argumentationibus proſtratum in pulvere conculcas. Recte urges, majores noſtros iſta conſcientiarum libertate, quam ille, immane quam liberalis, nobis indulget, minime contentos fuiſſe: cum non minus conſcientiam gravet, eam carceribus, exiliis, mulctis cogi, ut quod ſentit, ad gloriam Dei & ſalutem proximi, loqui non audeat, ac palam profiteri; quam eam cogi, ut ſe credere ſimulet, quod minime credit. Quare quæ in hypotheſi diſputas, huc referri poſſe arbitror: I. Solum Deum conſcientiæ vim immediatam adhibere poſſe, ut contra quam cuperet illa, ſentiat & loquatur. II. Hominem conſcientiæ vim inferre indirecte, extorquendo actum aliquem, vel actus omiſſionem, contra animi ſententiam. III. Indirectam illam carnificinam duplicem eſſe reſpectu actus, aut omiſſionis per vim extortæ. Vel enim cogitur homo, contra quam ſentit, actum externum & imperatum (ut Philoſophico utar vocabulo) exercere, idque coactione proprie dicta & rigide ſumta; quomodo Antiochus cogebat Judæos ſacrificare Baccho: vel cogitur agere aliquid aut omittere, coactione plus quam morali, contra conſcientiam, puta metu pœnæ, mortis, exilii, carceris, &c. quales actiones mixtas vocant Philoſophi. IV. Non ſolum reſpectu violentiæ adhibitæ duplicem eſſe illam carnificinam, ſed & reſpectu ejus, qui vim patitur. 1. Cum illi imperatur metu grandis cujuſdam mali, ut vel credere ſe ſimulet, vel agat, quod ſine ſcelere ac crimine ille nec agendum ſibi, nec credendum, nec ſimulandum, quaſi crederet, putat. 2. Cum illi ſimilium aut eorundem malorum periculo imperatur, ne, quod ille ſibi profitendum ac agendum ex officio neceſſario arbitratur, profiteatur aut agat. V. Qui conſcientias torquent metu majoris aut minoris mali, faſciculis, æternis carceribus, exiliis, mulctis, exauctorationibus, omnes conſcientiarum eſſe tortores, gradibus diſtinctos ſolummodo, in quibus ipſis gradibus facillimus eſt ab imo ad ſummum progreſſus. VI. Stolide dici & imperite, Pontificios proprie intendiſſe conſcientiarum coactionem, per adhibitam vim, ut qui voluerint eos, quos affligebant, aliter credere: cum rariſſime & non niſi miraculo iſte finis iſtiuſmodi mediis obtineri poſſit. VII. Iſtam conſcientiarum libertatem, ut quiſque ſuo apud ſe ſenſu abundet, nullo unquam tempore latisfeciſſe iis, qui ab aliorum Eccleſiis, vel merito vel immerito ſeceſſere. VIII. Non Orthodoxis, non Arianis, non Donatiſtis, &c. IX. Non Albigenſium ac Valdenſium ſeculo, quo furere cœpit Papatus. X. Non majorum ac proavorum noſtrorum ætate. XI. Non hodie in variis Germaniæ ſuperioris locis, Bohemia, Moravia, Palatinatu, &c. uti nec in Brabantia, Flandria, &c. XII. Tunc conſcientiam vere eſſe liberam, cum nulla externa vi ab officio ſuo dimovetur, ſive illud Fidei, Spei, Charitatis actus internos ac elicitos ſpectet, ſive cultum Dei externum, actuſque religionis per externa membra exercitos. XIII. Qui cultum omnem Dei externum rem ajunt eſſe indifferentem, & arbitrii publici, in principia Theologiæ impingere, contradicentibus Scriptura, veteri Eccleſia, & Confeſſionibus Eccleſiarum Reformatarum. Hæc eorum, quæ fuſe, appoſite, & erudite diſputas, ſummam eſſe arbitror. An mentem tuam penitus perceperim neſcio. Diu enim eſt, quod iſta Theologorum ſacra non excuſſerim, ut plane mihi videar in alium orbem delatus, cum de hiſce rebus mihi verba facienda ſunt. Ignoſce, ſi ceſpitaverim. Veniam etiam mihi deſcupio, quod pro munere tuo ſerius gratias agam. Scripſiſſem citius, ſed ignorabam ſub quo Hollandiæ meridiano ſtares. Amphibiis ſimilis es, qui ſæpe ſedes mutant, ac Hamaxobiis Scythiſque, qui pro tempeſtatum ratione plauſtra modo Orienti, modo Occidenti obvertunt. Sed quid rependam? Seria, ſacra & te digna non poſſum. Mitto ludicra, ut eorum lectione frontem, quam tibi corrugant triſtes ac mordaces ſollicitudines exporrigas. Annon & bis pueri ſenes? forte ob hoc, quod jocis gaudeant, & feſtivæ orationis tintinnabulis ſe recreari non inviti ferant. Autori Anti-cenſuræ reſpondebo,

Ep. 476.

Ep 477. bo, ubi opus illud ſtupendum & ære perennius perlegero totum. Unus ex Cenſoribus, rogatus an legiſſet Anti-cenſuram, indignabundus reſpondit, *Non, nolo legere, non volo à Diabolo quicquam diſcere.* Vale Vir doctiſſime & humaniſſime. E Muſæo noſtro IV. Non. Maji 1630.

CCCCLXXVII

SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S. P.

De Apologia Remonſtr. & libello cui titulus de Eccleſiæ concordia, item de D. Heinſii Sabellianiſmo.

VIr Clariſſime, & Doctiſſime, Vix verbis exprimam, quam bilem moverit Theologis noſtris Anti-cenſura veſtra. Omnes ringuntur, & parum abſunt à manifeſto furore. Nec mirum, ineſt enim iſti ſcripto vis quædam abalienandi mentes ſacras, quarum uti muneris eſt reprehendere alios & docere, ita reprehendi infamiam ſummam putant. Exulceratæ Facultati cauſtica adhibuiſti, quæ alte reconditis malis mederi ſolent. Dropaces paſſim obſervo & ſinapiſmos. Valde illud veſtrum (ut alia taceam) de non damnandis iis qui circa Trinitatis dogma errant, judicium exaggerant. Acceſſit jam libellus iſte de Eccleſiæ Concordia, quem ſuperiore anno Ultrajecti apud amicum offendi & legi. Hunc ajunt à te profectum, planeque Anti-cenſuræ σύμφωνα (*conſona*) loqui. Thyſius dixit amico cuidam meo, ſe ad exemplum Bodecheri colligere loca ex Anti-cenſura, quæ locis ex libello iſto Polonico collectis à latere opponet, ut appareat eundem eſſe utriuſque operis autorem; aut ſi diverſi ſunt, te cum illo συγκεκλῖσθαι. (*colludere.*) Cum ſignificatum illi eſſet Præfationem Arrianiſmum ſapere, reſpondit Præfationem alterius eſſe, libellum tuum. Walæus in Zelandiam abiit cum exemplaribus aliquot, ut iſtic Ordinibus perſuadeat, quid monſtri aluerint hactenus, jam parturiant, Remonſtrantes. Quibus ſermonibus Rivetus Principem circumvenire conatus fuerit, non arbitror te ignorare. Ego quanquam certus ſim libellum illum tuum non eſſe, verum adverſarios, cum recta non poſſint, hac via aggredi Remonſtrantes, impenſe & ſerio vos hortor, ut brevi Apologia calumniam iſtam diſcutiatis; ne, cum vinci non poſſit rationibus cauſa optima, fraudibus eam mendaciiſque opprimi ſinatis. Verum habeo, quod tibi ſubminiſtrem, forte non inutile ad præſentem rem. Heynſius magnus cauſæ veſtræ inſectator, quique modo Atheiſmum, modo cum mitius loqui vult, Socinianiſmum vobis impingit, tam fœde circa Trinitatis dogma lapſus eſt, ut expediat plures hoc ſcire. Adeo qui in ſcriptis veſtris lyncei ſunt, in hujus hominis velut à Jove nutriti commentationibus talpæ ſunt. Velim te advertere, & attentius perlegere locum illum qui exſtat in ipſius Ariſtarcho ſacro, ſive Notis ad Nonni paraphraſin pag. 272. cap. 14. Ubi turpi rerum Theologicarum ignorantia, incidit in Sabellianiſmum, dum Deitatem, & id quod in divina Trinitate commune eſt, dicit re differre, modos vero exiſtentiæ ratione & cogitatione; cum quod in hominibus commune eſt Petro & Paulo ratione differat, Petrus vero & Paulus qua diverſi ſunt, re. Et hoc ſenſu interpretatur Patres Cyrillum & Damaſcenum. Quid imperitius, quid craſſius, quid ἀθεώτερον magis proferri poſſit? Sabellianiſmum profitetur, dum Trinitatis aſſertor audire vult. Addit etiam ibidem, divinam eſſentiam, voluntatem, bonitatem & ſimilia realiter differre: at hoc ipſum eſt inter hæreſes Vorſtu toties exagitatas. Adſcribam locum integrum: Ep 477.

Dicam igitur, quod ſubito in mentem nobis venit, inquam. Quanquam rarius antiquos ita loqui ſciam, πραγματικῶς, (*reale*) id eſſe puto, quod vos ἐνυποστάτως, (*perſonale*) vocatis. Quatenus non in imagine aut idea, ſed ὑπαρκτῶς (*eſſentialiter*) à Patre Filius eſt genitus, quemadmodum ſubſiſtit. Quod ſubtilius Cyrillus libro de Trinitate primo, & qui caput hoc deſcripſit, primo de Orthodoxa fide, Damaſcenus diſtinguunt. Qui id, quod commune eſt in hominibus, Petro puta & Paulo, mente & ratione, quod diverſum, rebus, hoc eſt, πράγμασι, diſtingui volunt. Contra in divina Trinitate, in qua quod commune eſt, eſſentia nimirum, bonitas, voluntas, aliaque id genus, quæ communione oſtendunt identitatem, re, non ratione, proprietates autem, ſive modos exiſtentiæ, qui differentiam conſtituunt, animo ac cogitatione diſtingui volunt. Quæ diſtinctio ab illis πράγμασι καὶ λόγῳ (*rebus & ratione*) fieri ibidem dicitur.

Ecce eſſentiam à perſonis vult realiter diſtingui. Contra quam in Philoſophia homo à Petro & Paulo ratione differt. Deinde modos exiſtentiæ quibus diſtinguuntur perſonæ ait ratione ac cogitatione differre. Tertio hunc ſenſum (imperite) affingit Patribus, dum vocabulis πράγματι καὶ λόγῳ (*rebus & ratione*) uuntur. Quarto eſſentiam, bonitatem, voluntatem dicit realiter diſtingui. Si hæc ſcripſiſſes tu, indignus habereris quem terra aleret, jam Sabellianus audires, jam Deum compoſitum faceres, & quid non? Utinam iſte locus cum brevi conſequentiarum exegeſi paxillo ſuſpenderetur, & vel ſolus patenti aliqua forma chartaque excuderetur, quod malim: vel ſaltem per occaſionem Apologiæ veſtræ, quam audio te adornare ad amoliendam de libelli iſtius editione criminationem, inferatur. Quid ſi utrumque fiat. Vapulet publice rabula iſte, qui illotis manibus ſacra contrectat. Sunt & alia σφάλματα (*errata*) in Ariſtarcho, quibus in Theologiam incurritur. Sed illud quam immane eſt. Non dubium quin per imperitiam peccaverit. At hoc ſciant Facultatis Theologicæ πρόμαχοι. (*præſides.*) Scimt Synodici, ut conſtet eos dum culices percolant, camelos

more

Ep478. more ſuo deglutire. Deëſt omnis, qui obtendi poſſit, color.

Quod ſupereſt, pro munere iſto tuo & libro eruditiſſimo gratias ago maximas. Videor mihi, quoties in ejus lectione verſor, è ſuggeſtu te docentem & diſputantem audire. Ubique cum eloquentia argumentorum pondera & momenta conſpirant, & modo me dicendi facilitas, modo oratio acuminis & ſolertiæ plena, modo utraque rapiunt. Habent ſuper quo ungues mordeant quadrumviri. De rebus ipſis & controverſiis apud te ſententiam dicere non auſim. Metuo ſibilum in deſuetam arenam admiſſus. Vale Vir Doctiſſime & Chariſſime. VIII Id Jun. M DC XXX.

Tuus

A. B. C.

CCCCLXXVIII.

CASPARI BARLÆO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Lugdunum Batavorum.

De Apologia Remonſtrantium Heinſii Ariſtarchum ei ſignum.

VIr Clariſſime & Laudatiſſime, Quin Apologia Remonſtrantium acrior quibuſdam videatur, quam aut ab ingenio aut à conditione eorum exſpectaverant, nullus dubito. Quid facias? Nemo omnibus ſimul placere poteſt: uti palatum hominum, ita judicium eorum variat. Ne ſine dropacibus & ſynapiſmis ſcriberetur Apologia, viſum fuit plerisque fratrum, ac tandem etiam mihi, quamquam ut noſti ab iis à natura ſum alienior. Centendi illa impetigo defricanda videbatur ſalis alicujus adſpergine. Et cum paſſim appareret cenſores id agere, non ut nos meliore veri ſcientia erudirent, ſed ut nos odioſarum ſuſpicionum maculis infamatos, tantum non victimas facerent publici odii; profecto libertate utendum videbatur, & non parcendum hominibus tam parum Chriſtianis, ſed pene cum ſcommatis eorum, tum in diſputando inſcitia, tum in cenſendo protervia publicitus erat pandenda. Quin & ego ſic exiſtimo, nunquam ſpem eſſe ut cum iſtis mortalibus in gratiam redeas, niſi oſtendas te gratiam eorum nec ambire nec cupere. Nemo eos poteſt habere niſi aut ſocios aut hoſtes. Si gratiæ, ſi favori eorum vel videaris litare velle, non deſinent priuſquam te obruant, & libidini ſuæ per omnia mancipem habeant. Tanti equidem mihi non eſt eorum benevolentia aut gratia, ut eam tam care redemtam velim. Quin & eo nomine mihi maxime in hoc exilio gratulatus ſum, quod iſtam ſaltem ſervitutem ſerviendam amplius mihi non eſſe cum maxima animi mei voluptate ſentirem. Quod ſi tamen quidam offendantur noſtra hac libertate, eos ſi loco noſtro eſſent, & ſpe cum iſtis aliquando adhuc in gratiam redeundi non tenerentur, plane nobiſcum judicaturos perſuaſiſſimum habeo. Rectiſſime interim judicaſti, Vir Clariſſime, calumniam iſtam Arrianiſmi aut Socinianiſmi in Articulis de Trinitate & Deitate Filii, quamprimum retundendam & diſcutiendam eſſe: id jam factum à nobis eſt, & viditſe te credo. Scire aveo an quidquam adhuc ea in re deſiderent Dictatores Academici, & quod præcipuum eſt, an tu exiſtimes id pro hoc tempore ſufficere. Certum nobis eſt, eam rem multorum nobis animos conciliaſſe: quamquam nihil à nobis dictum eſt, quod jam ante in Confeſſione noſtra dictum non erat. Sed jam intelligo excepta quædam ex Apologia noſtra in Conſeſſu DD. Ordinum per Catzium exhibita eſſe, incertum quibus autoribus, eaque Curiæ Provinciali examinanda tradita eſſe. Utinam ἀντίγραφον (*exemplar deſcriptum*) eorum nanciſci poſſemus! ea res occaſionem nobis dabit, ea producendi quæ ex Ariſtarcho Heinſii commodum nobis ſubminiſtraſti; pro quibus ego tibi ingentes gratias ago, etiamſi eadem jam ante Clariſſimi Viri D. Grotius & Voſſius adnotaverant, & cenſenda eſſe ſubmonuerant. Dignus profecto eſt, ineptus iſte Theologolus, qui propterea egregium famæ ſuæ ſtigma referat; & ſi Ariſtarchum iſtum eo nomine non cenſuerunt Ariſtarchi noſtri Academici, digni etiam ſunt, qui propterea vapulent. Exemplar Ariſtarchi iſtius miſit mihi ſenex noſter: vidi, & rem, prout eſt, ſe habere comperi; quin & librum totum avide percurri, ſed crede mihi, tanto cum tædio ut ſæpe in legendo nauſeaverim. Fimum pedibus ſcalpturire me credebam, unde nullum granum eruitur: neſcio unde iſti miſello homuncioni tanta fiducia & ἀυθάδεια (*arrogantia*) creſcat, ut credat ſe veluti aquilam in nubibus, ſublimia iſta myſteria conſectari poſſe, cum ne prima quidem eorum rudimenta & tyrocinia videatur didiciſſe: nihil pene aliud aut ſapere aut crepare videtur in carminibus, ſcriptis & orationibus ſuis, quam quæ circa iſtud divinitatis myſterium ſunt, & ſubinde in rebus nugaciſſimis uſque adeo applaudit induſtriæ ſuæ, ut cornicum oculos confixiſſe ſibi videatur. Sed brevi eum terrebunt manes ſui. Judicium tuum de Apologia Remonſtrantium majoris facerem, niſi illud ex affectu potius tuo erga eos ſingulari, quam cauſæ merito profectum crederem. Beares nos, ſi judicium tuum de rebus & controverſiis ipſis ſignificares, & quid in ſingulis deſideres aperte & libere exponeres. Neſcis enim quanti à nobis iſtud ſupra alia omnia fiat. Quod ſi iſtud impetrare hoc tempore à te non poſſumus, fac quæſo ut quæ in iis deſiderari, culpari aut probari audis ab iis quorum judicio aliquid tribuis, verbulo moneas, & ſi quæ juvandis nobis facere poſſe credis, ea per occaſionem ſubminiſtres. Rem gratiſſimam feceris, & nos omnes tui amantiſſimos magis magiſque tibi devincies, imprimis me, qui ſui antehac, & etiamnum ſum ingenii &

Ep. 479. eruditionis tuæ admirator, eroque semper dum vivam. 20 Junii 1630.

CCCCLXXIX.

SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S.P.

De Socinianis ex criminationibus dilucidis.

BEne habet, Vir clarissime, excussisti veternum IIII viris. Distributæ iterum in capita operæ, & quisque quam nactus est Spartam gnaviter ornare occœpit. Quæ fulmina qui typhones, & præsteres vos manent? non una vos teget ægis. Medusam illam ubi conspexeritis, metuo ne obrigeatis ilicet omnes, & lapidescatis. Quoties reverendis patribus occurso, frontem corrugant, ut vestra causa immites vultus Minoum excipere cogar. Favere vapulantibus omnes credunt, qui non maledicunt una. Ille, qui rumusculos venari solet, Toxander, nec quenquam orationes serias ad Deum dirigere posse putat, nisi in singulos dies studiose inquirat, quid Tyridatem terreat unice, aut quid rex gelidæ meditetur oræ; facie nubila incedit, atque adeo contracta, ut enemare κατακλιτῷ (*emolliente*) egere videatur, quo emolliscat nonnihil. Mirum, quam etiam in vos despumet suum πάθος (*affectum*) Imperator ἐβασίζον. Post editam à se templi Hierosolymitani descriptionem plane summi sacerdotis faciem induit, & velut ex Urim ac Thummim anathemata vobis scribit. Sed non est, quod hunc edentulum metuatis. Non est terribilis, cupit videri. Plures columnas numerat professor, quam auditores. Is est, qui emtis nuper Amstelodami aliquot libellis Anonymi istius *de Ecclesia concordia*, Hagæ Comitis eos Præsidi Curiæ aliisque distribuit. Pamphilus noster superiore hebdomade me invisit, valde conquestus de Anticensuræ acerbitate. Respondebam etiam inclementer satis exceptos esse Remonstrantes ipsorum Censura. Nec cum sectatores, mendaces, turbulentos, &c. vocant Remonstrantes, mellita me vocabula agnoscere. Ubique, inquiebat, ignorantiam, insciticm, (hoc ulcus est) nobis objiciunt. Ego Episcopium amavi semper, cum illo amicitiam quoad hic vixit, colui; miror, illum ita in nos invehi. Addebat: Remonstrantes nolunt nobiscum fraternitatem colere, & Socinianos habent pro fratribus. Posterius hoc, dixi, me legisse nullibi; prius à Remonstrantibus intelligi in sensu composito, nempe, non haberi ipsos posse pro fratribus, quatenus Manichaica non improbant: deinde quatenus persecutionum consilia Magistratibus suggerere pergunt. Istic in fidem, hic in charitatem peccari graviter. Tum ille: scio hoc illos excipere. Cumque mirari me dicerem temeraria ipsorum judicia, qui Principi aliisque persuasum voluere, te esse istius libelli autorem: tum ille subridens, *hoc ego non feci*, inquit, *sed Rivetus*. Non valde hoc collegæ sui σφάλμα (*erratum*) ad animum revocabat. Nam ægre illi est, grandius jam uber esse collegæ aulico. Sed mittamus hæc. Illa super libello illo excitata tempestas jam resedit, solum mussitant, iisdem te & libellum uti phrasibus ac loquendi modis. Hoc ostensurum se jactitat ille, qui ad Flevum docuit Theologus, Cleopatræ marito cognominis. Quid ejus rei sit, nescio. Nec enim vacat Ineptientis exemplo conferre voces. Exolevit & illa jam criminatio, de SS. Trinitate. Verum illam vestram de dogmatis istius necessitate sententiam, ut hæreticam & toti Antiquitati adversam fugillare pergunt. Hoc omnes ex Justiniani loci ad Tryphonem citatione exculpere conantur, vos Socinianos habere pro fratribus, ἐκ τοῦ ὑμετέρου γένους, (*ex vestro genere*) ideoque vos non gravate illos ad cœnam admissuros, exclusis Contraremonstrantibus. Ego, an recte, nescio, statuo vos argumentari à majori ad minus, hoc modo: si Justinus eos qui Christum agnoscunt ψιλὸν ἄνθρωπον (*nudum hominem*) habet pro sui generis hominibus, ergo absit ut nos ex albo vitæ expunganus male circa hoc dogma sentientes. Et est consequentiæ istius species, in verbis illis: *Et profecto veterem Ecclesiam*, quæ ἐπεκτείνει (*exaggerans*) quid habent & majus. Ad locum illud excipiunt, Justinum non agnoscere illos pro fratribus, sed pro Christianis, professione tenus, prout hi contradistinguuntur à Judæis & paganis. Ideoque dicit illos esse *ex suo genere*, hoc est Christianorum, non re, sed titulo tenus & appellatione; quomodo quis Pontificius dicat esse ex nostro genere, si nobis cum Turcis aut Judæis sit disputatio. Erat enim Justino negocium cum Tryphone Judæo. Sed videtur Justinus respicere ista sua phrasi ad illud Scripturæ, non erant *ex nobis*, quod arctiorem fidei communis copulam significare videtur. Vos expendite. Nec illud ferunt, Athanasiani Symboli autoritatem convelli. Sed à vobis rem ipsam Symbolo contentam agnosci video, reprehendi solummodo præcisas illas & argutas, ac veluti divino jussu exactas subtilissimarum phrasium formulas & paranomasias. Taxant & hoc, peccatum Adami non imputari posteris, quasi eidem reatui obnoxiis; quod Antiquitati quoque contraire clamitant. Quicquid hac de re sit, nihil analogiæ fidei contrarium dici puto. Agnoscitur communis miseria; solum quæstio est, an illa in posteris pœnæ proprie dictæ rationem habeat, an solummodo damni. Consona vobis loqui videtur autor Historiæ Pelagian. pag. 129. Sed vestrum est hæc accuratius exequi. De necessitate dogmatum fidei, locus est in Eubulo Teilingii, ubi (ni fallor) recensitis necessariis ad salutem, dogma illud de Trinitate in Unitate, ne attingit quidem. Adscripsi hic loca, quædam, forte vobis usui futura. Unum vereor, ne

p480. ne ululas Athenas mittam. Quod ad libellum illum Apologeticum attinet, ſuper verſiculo iſto Joannis, diu eſt, quod autor illum non viderit, & cum apographum nullum habeat, etiam adverſaria ipſi perierint, prorſus quid tum ſcripſerit, nescit. Petit itaque obnixe ſibi mitti, ut recenſeat. Forte inſeri quædam poterunt, quæ ſuſpicionem divertant alio. Quare relegere illum deſiderat; mitte, ſed non niſi per fidos, aut tuto. Hæc quoque ſcripta liberius tibi ſoli ſcripta crede. Vale, iptis Kal. Quinctil. 1630. ſaluta τὸ περιβόητον. (*ſenem.*)

T. N. N.

CCCCLXXX.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S.P.

LItteræ mihi tuæ, doctorum & amicorum præſtantiſſime, non jam dicam ſolatio, (nam ego cum Theſeo τῶν ἀμβλὺς εἰμὶ τῶν ἐν πεπτωκόσι κακοῖς) (*nunc debilis ſum, & malis conditus*) ſed vere voluptati non una fui parte, &c.

De me quod optas an optandum ſit, neſcio. Patria mihi ſunt parentes, cognati, amici, tu tuique ſimiles, quibus adeſſe me affectu in me ac memoria mei non dubito. Illos quorum Hollandia noverca eſt, conſpicere non eſt quod valde deſiderem. Et ſcis humani ingenii eum eſſe morem, odiſſe quem læſeris. Quare ut ab illis æqui aliquid exſpectem, qui nos, haud iniquos futuros ſi præmia de publico aliqua ſperaſſemus, tam indignis modis tractarunt, vix à me impetro. Interim libri noſtri non deſinunt bene de bonis mereri, malis vero etiam invitis quis fuerim, quis ſim oſtendere. Ad inſtitutiones tuas Oratorias, &c. Poſtrid. Kal. Jun. CIↃ IↃC XXX. Lutetiæ.

CCCCLXXXI.

CASPARI BARLÆO

HUGO GROTIUS S.P.

p481. GAudeo, Vir eruditiſſime, in corpus collecta videre, quæ ſparſa hactenus pleraque videram: & gaudeo eo imprimis nomine; quod ſic ad poſteritatem rectius illa perventura arbitror. Bene ſit & illis qui tam uberem tibi materiam ſcribendi præbent, & tibi qui res feliciſſimas feliciſſimis verſibus proſequeris. Plane ita nos aſſueſeciſti, ut nihil præclari geri poſſit, quod non te poëtam flagitet. Si ſuccedant illæ & olim & nunc iterum magna civilium diſputationum ſeges induciæ, erit & hoc dignum non ingenio tantum tuo, ſed & pacis amanti animo argumentum. Nobis quidem ita cara eſt patria, ut jure optemus ea omnia quæ bonis placent: cæterum utcunque Ep.482. ceciderit alea, ἀδιαφορίπτως, (*indifferenter perferemus*) extra bona malaque veſtra poſiti, quando ita dominantibus viſum eſt. Anglis jam pax eſſe cum Hiſpano creditur, cum Palatini commodo, quantum his temporibus ſperari poterat. Galli etiam Ratisbonæ pacem cudunt. Ita omnes prius quam noſtros tædet belli malorum & Martis incerti Remonſtrantium progreſſus ſane non ſpernendi: ſed, ut dicis, lenti: & tutior haud dubie violenta poteſtate illa tranquillior: ſed & pridem noſti, & nunc experiris quam cum duri capitis hominibus ſit negotium. Schoterboſſium, viri optimi & mihi dum vixit amiciſſimi filium, etiam te commendante arctius amplectar. Me ſcito ita ſtudiis adeſſe, ut valetudinem non negligendam putem, & ſiquid alicunde affricatur tædii, id tuorum potiſſimum verſuum lectione abſtergam. XX Octob. CIↃ IↃC XXX.

CCCCLXXXII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

REverende Vir, Sparſus hic fuit per urbem noſtram rumor, D. Polyandrum nonnullis intimæ admiſſionis (uti putabat) amicis dixiſſe: *Quicquid mollius leniuſque ſcriptum reperitur in Specimine, à ſe profectum eſſe, reliqua aſperiora collegarum eſſe.* Hoc an verum, an falſum ſit, non attinet dicere. Illud certum, collegis ejus hoc ipſum innotuiſſe, qui haſce ejus artes acerbius inclementiuſque perſtrinxere, quaſi hoc ageret, ut ſcripti iſtius invidiam à ſe in collegas ſuos derivaret, & Remonſtrantium gratiam aucuparetur. Rogavit itaque me obnixe, per D. Voſſium internuncium, vobis uti ſcriberem, ne, ſi forte hæc res ad aures veſtras pervenerit, ejus in reſponſo veſtro meminiſſe velitis, ne collegarum ſuorum invidiæ ac odiis, quorum jam ſemina jacta, miſer objiciatur. Negat ſe ita dixiſſe. Nec quid momenti ad cauſam iſtam, quam agitis, adferre poſſint vanæ iſtæ voces, video. Putat D. Voſſius recte vos facturos, ſi hac parte ipſi parcatis. In cæteris nihil præſcribit Noſtis Pamphili mores indolemque. Videtur miteſcere, & magnatum conſiliis nonnihil attendere. Hoc ſcio, non bene ipſi cum tetrico ac ferreo profeſſore convenire. Velim, niſi moleſtum fuerit, tribus te verbis reſcribere, an quid inaudiveris de Polyandrico iſto malagmate, & an metuere debeat, ut ejus mentionem ſitis facturi in reſponſo veſtro. Me judice, digna non ſunt, quæ in ſerio ſcripto locum inveniant. Cum legiſſem Specimen, vix prurientem calamum continere potui, quin margines harum pagellarum his lineis extemporaneis conſpurcarem. Utinam tutiore loco viverem! Forte & hoc propediem dabitur. En, in ipſo limi- *De Polyandro.*

Digitized by Google

Ep. 483. ne Specimitis impingunt, quod inauſpicatum. Quam improbe aut imperite detorquent illa verba, *hoc Socinianum, hoc Pelagianum eſt*, & plura iſtiuſmodi. Vale Vir Ampliſſime & Doctiſſime. Lugd. Batav. Kal. Decemb. CIↃ IↃC XXX.

Tui obſervantiſſimus

Specimen paucis hic placet, plures exhibilant, & merito. C. B.

CCCCLXXXIII.

Reverendo & ſummæ eruditionis ac pietatis Viro

D. SIMONI EPISCOPIO

HUGO GROTIUS S.P.

Nuptias ipſi gratulatur. SI olim Varroni gratiæ actæ ſunt, Vir Clariſſime, quod de republica non deſperaſſet, tibi ſane plurimas Hollandia debet, quod de ea jam & rectorum diſcordiis, & bello externo, & gravi annona laborante, bene adhuc exiſtimes. Societas vero, cujus piam cauſam exemplo & ſcriptis per tot adverſa tutatus es, cum nulli ferme tantum, quantum tibi debeat, nunc etiam novo nomine tibi obligata eſſe incipit, quod vir prudens non minus quam eruditus oſtendis eam te concepiſſe de bono eventu fiduciam, ut ea fretus & fœminam aſſumere in fortunæ tuæ ſocietatem, & liberos in ſpem manſuræ poſteritatis ferere audeas. Ego vero, ſicut tibi tuiſque omnia opto quam fæliciſſime, ita in hoc multorum gaudio etiam hoc reperio privatum meum, quod uxor viri dum vixit mihi amiciſſimi in alterius non minus mihi amici manum convenit. Merebatur viri maximi Eraſmi memoria ne tales nuptiæ alibi quam in ſua urbe fierent. Etiam uxoris tuæ proximis omnibus, a quibus ſemper dilectum me memini, hanc gratulor affinitatem; &, ut in ſumma dicam, vos omnes quantis poſſum auſpicatiſſimis ominibus proſequor, Deumque precor, tum ut perpetuo ſuavi concordia hoc matrimonium fæliciter, tum ut ex eo naſcantur cives, qualibus tua conjunx orta eſt, pietate præterea, eruditione atque conſtantia tibi ſimillimi. Vale cum tuis omnibus Vir mihi ſemper Reverende. XX Decembris CIↃ IↃC XXX.

CCCCLXXXIV.

Viro Ampliſſimo

D. HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

De nupt. ſuis, & pace Chriſtiana, &c. VIr Ampliſſime, Inter ea quæ mihi in hac communi calamitate noſtra pergrata evenerunt, non poſtremum hoc eſt, quod nuptias noſtras ieras, & quæ omnibus pene intempeſtivæ poterant videri, nulli bono in patria diſplicere, te vero etiam, Vir Prudentiſſime, eas auſpicatiſſimis ominibus proſequi videam. Exiliebam totus cum manum tuam videbam, & quæ ab ea profecta erant vota amoris ac benevolentiæ plena, prompta è pectore, &, ut ille ait, ὁπ φρενῶν ἀνχῦ. (*ex intimo corde.*) Meum fuerat prolixo iſti tuo affectui grata & prompta ſcriptione vicem rependere, ſed pudor me retinuit, & pene dixerim ſtupor. Non merui, mi Domine, quas votis tuis admiſces laudes: quanquam neſcio qui fiat ut hoc ipſum delectet, talibus viris & judicibus meruiſſe videri. Nuptias interim noſtras quod attinet, nec ſpes nec deſperatio de Republica auſpices earum fuerunt. Memini cum me aliquando dignareris menſa & domo tua, uxorem tuam eas mihi deſtinaſſe, antequam de iis vel cogitatio ſubiiſſet animum meum: plane ut ſi alibi, hic locum habere credam illud Poëtæ, Sic erat in fatis. Vates credo fuit, quæ jam tum (ſexennium eſt & quod excurrit) eas præſagiit. Ad Rempublicam vero quod ſpectat, video humana omnia inter incerta caſuum fluctuare, & conſilia omnia ſtudiaque noſtra in perpetua alea verſari, ut ſpei aut deſperationi certæ locus non ſit. Mare non tot habet æſtus reciprocationis, quot vita noſtra fortunæ viciſſitudines:

Multa dies variſque labor mortalibus ævi
Rettulit in melius, multos alterna reviſens
Lufit, & in ſolido rurſus fortuna locavit.

Quare etiamſi is ſit Reipublicæ noſtræ ſtatus, ut de eo læta & fælicia mihi promittere non audeam, ut tamen de eo deſperem cauſam non habeo. Quoad ſupereſſe videbo eum, quem aliquando ad clavum ejus feſſurum ſpero, bene de ea exiſtimare & ominari non deſinam. Nec rectorum diſcordiæ, nec bellum externum, nec annonæ difficultas, nec alia facient ut ſpes omnino apud me decollet. Eo jam rem rediiſſe video, ut non modo ei faveant, ſed & Rectores finem optent cupiantque, quorum animos hactenus præjudicia affectuſque ſui ab eo reddiderant alieniſſimos; quorum ego vota, ſtudia, ac conſilia alere ac fovere non deſinam, quoad vivam. Societatis noſtræ piam cauſam amo majore affectu, quam juvare poſſum. Nec enim exiſtimo eſſe cœtum, qui Chriſtiano orbi diſſidiis ac ſchiſmatis laboranti

Digitized by Google

Ep. 484. ranti ſaniora remedia propinat. Quinque-articulanam litem tanti non facerem, niſi conjunctam ſibi haberet eam, quæ eſt de diſcretione neceſſariorum dogmatum à non neceſſariis, ſive de mutua Chriſtianorum tolerantia. Video eſſe qui aliter ſentiunt, & intra quinque articulos rigide & ἀνεξόμενοι conſiſtendum eſſe arbitrantur. At eorum ſententiæ ego non poſſum accedere: non quod movendum quicquam putem quod hactenus immotum voluit Chriſtianus orbis. Nihil minus. Uſque adeo amo Chriſtianam pacem ac concordiam, ut diſſimulare malim non neceſſariæ veritatis ſcientiam, quam ex pertinaci ejus oſtentatione velut ex muſtaceo inanem gloriæ laureolam quærere. Sed quod parum actum ac profectum credam, niſi omnibus ſimul non neceſſariis litibus ac jurgiis, quæque ex iis naſcuntur dividiis, feceſſionibus, ſchiſmatis, ac perſecutionibus obex ponatur per accuratam non neceſſariorum à neceſſariis dogmatibus diſcretionem. Hoc agere, in hoc eniti operæ pretium puto. Pro veritate & de veritate non neceſſaria anxie contendere aut acriter digladiari, tanti mihi non eſt. Præſtat errare circa non neceſſariam veritatem, quam rectam de ea opinionem vertere in occaſionem ſchiſmatis, aut divortii cauſam facere. Error non eſt opus carnis, ſed ſchiſma, odiorum, & factionum, adeoque perſecutionum mater ac nutrix. Atque hunc ego arbitror eſſe omnem laborum ſcriptorumque noſtrorum ſcopum ac finem, cui omnia poſth habenda ſunt. Non dubito quin hoc propoſitum noſtrum uſque adeo gratum acceptumque ſit ſupremo numini, ut vel eo ſolo nomine favorem & benedictionem ejus Societati noſtræ promittere audeam, vel ſi totus orbis refragetur. Huic propoſito ut tu faveas, Vir Ampliſſime, ex animo opto. Aliorum judicia parvi facio: ſcio ea aut fatua aut iniqua eſſe. Pro affectibus variant, & pro ſcopo quem quiſque propoſitum ſibi habet. Tuum unius mihi inſtar omnium eſt, quod ſcio non minus candidum quam accuratum eſſe. Unum tantum atque aſſidue precibus apud Deum contendo, ut animum tuum obfirmet atque erigat contra tot adverſa atque indigna quæ pateris, & te temporibus ſervet ſuperſtitem. Utinam, utinam dies iſta aliquando fulgeat, qua te reducem, & quod plurimi optant, reductum videat patria noſtra! Plurimorum votis adjungunt ſua amici atque affines omnes mei, qui Palladium hoc patriæ atque imprimis urbi ſuæ, non minus reſtitui optant, quam ereptum dolent. Vix ſcripſerim quam grata illis fuerit epiſtola tua, & in ea honorifica ſoceri mei memoria: una omnes vero gratias tibi agi jubebant, & utinam hic eſſet acclamabant; extra metum ſi eſſe poſſet, extra noxam eſſet. Vale cum dilecta uxore tua Vir mihi ſemper reverende, & ſalveat à me D. Tilenus. Salutat te mea, & imprimis ego. 29 Aprilis 1631.

CCCCLXXXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

Judicium de Prodromo & Specimine.

REverende Vir, & Frater in Jeſu Chriſto obſervande, Objecerant inter alia Pamphilo Collegæ ſui, procul dubio futurum, uti à Remonſtrantibus publico ſcripto ipſis exprobrarentur ea ipſa, quæ hic illic, ut lenior videretur, effutiverat. Addiderat tetricus ille, *Tu hoc dixiſti Barlæo, quem ſcis eſſe hoſtem Eccleſiæ, qui illud ipſum ad Uytenbogardum & Epiſcopium perſcripturus eſt.* Quibus vocibus perculſus ille pene ſupplex petiit, uti apud vos intercederem, quanquam ipſi aſſeveraſſem, nihil me ejus rei ad vos ſcripſiſſe. Jam lectis tuis litteris, per D. Voſſium ipſi hunc metum abſterſi. Tragœdiam hanc ipſi concitavit Ariſtarchi autor, qui Walæo rem omnem aperuerat. Prodromum tuum avidiſſimis oculis hauſi, ſed autorem, datoremque, licet abſentem, animo arctius complexus ſui. Ut ut ætas, nondum effœta eſt in te priſtina dicendi vis, & fluit, uti olim, facundiæ tuæ torrens minime lutulentus. Non facile Septuagenarium te (in proverbio eſt Sexagenarium) de ponte dejicient 1111 viri. Etiam illud proverbio apud Romanos jactari ſolebat: Salva res eſt, ſaltat ſenex. Liceat & nobis dicere: Salva res eſt, ſcribit ſenex. Ille, cujus Theologicum πρόλαμμα (*erratum*) nuper paxillo ſuſpenditis, ὁ χείλων δάκνει. (*labia mordet.*) Primo reſponſum ipſe minabatur, poſtea alios ut reſponderent incitavit; jam audio ipſum Satyram velle reponere. Quod ſi fecerit, forte alicui grave erit legere iſta Satyrici:

Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam,

Vexatus toties rauci Theſeide Codri, &c.

Si ſapiet, ſilentio ſe ulciſcetur. Quia petis, mitto reliqua quæ in margines inter legendum conjeceram. Quid dicam, in illo libello, ut Plauti verbis utar, Specimen ſpecitur, ignorantiæ, maledicentiæ, verſutiæ, & ægri in Remonſtrantes animi. Quibus animis prodromum veſtrum exceperint, nondum intelligere potui. Locum illum in Eubulo Teilingii de rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis, velim vos propius conſulere. Vale Vir Doctiſſime & Chariſſime. v 1 Decemb. CIↃ IↃC XXX.

R. T.

Obſervantiſſimus.

CCCCLXXXVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S. P.

De Prodromo ad Specimen Calixtinum.

REverende Vir, Professores nostri lecto Prodromo gratulantur sibi super rotundâ vestra quoad Trinitatis dogma confessione, sperantque futurum, uti laudabili ac felici successu hic litterarius conflictus decurrat. Petitioni quoque vestrae seriae ac æquissimae obsequi non gravabuntur. Jam sudant ut necessitatem istius dogmatis probent. Fabricant arietes, quibus Socinianos de cœlo deturbent. Unus hic erit: Qui credit in Christum salvabitur, qui non credit condemnabitur. At credere in Christum est credere in verum Deum, secundum vos, qui Christum verum & coæternum Deum agnoscitis. Ergo hoc negantes, non salvabuntur, quia non credunt. Sed facile fit expediet Arrianus, qui verum Deum Christum agnoscit, licet non coæternum. Socinianus forte dicet, Dei vocem varie sumi. Remonstrans, eum qui in Christum credit, qui verus Deus est, salvandum, non autem, eum qui credit in Christum quatenus est Deus coæternus, coëssentialis, &c. quali necessitatis salvandi fundamentum sit in illis restrictionibus Deitatis. Alter hic erit: Maledictus qui confidit in homine. Sociniani confidunt in homine. Ergo. Sed dicent, eum, qui confidit in Christo confidere in Patre, & sic in Deo terminari fidem. Negabunt etiam Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον. (*nudum hominem.*) Habent enim & suos Deitatis modos. Ex his de reliquis judicate. Procul dubio & illum locum adducent *Joh.* XVII. *Hæc est vita æterna*, &c. responsio notissima est. Deliberant IIII viri an jamjam velint edere hunc Epidromum suum, an expectare donec prodierit vestra responsio. Hoc posterius suadet Polyander, in prius inclinant tres reliqui. Valde exagitabunt illud vestrum de Athanasiani Symboli autoritate aut potius superbo ac præfidenti exordio judicium, quod in Apologia habetur. Velim D. Episcopium legere præfationem Erasmi in Hilarium. Extat in Volumine Epistolarum. Est ibi locus de minus necessariis circa Trinitatem controversiis. Velim etiam vos inspicere responsum Walæi ad Joh. Arnoldi Enchæresin Molinianæ Anatomes, pagina 308. Illic Pelagianismi crimine infamat verba Confessionis Gallicæ. Putat Corvinum citare verba Confessionis Belgicæ, at Gallicæ sunt Confessionis. Hunc in finem hoc moneo, ut perstringatur petulantia illa & temeritas, qua quicquid minus arridet Pelagianismi aut Socinianismi odiosis vocibus traducunt. Error est istius imperatoris tetrici crassius. Debebat in vestro responso poni libri pagina prima versa, ut solus nudusque splendeat in oculis lectoris, cui sæpe non vacat omnia perlegere. Advertite, non videor hoc frustra monere. Vale Vir prudentissime, & Episcopium saluta, quem gaudeo tandem incaluisse. Qui dierum curas partitur cum professionibus, discat noctes partiri cum conjuge. Illi meis verbis gratulare feras nuptias. Raptum, 19 Decemb. 1630. Ep. 487.

Tuus quem nosti.

CCCCLXXXVII.

SIMONI EPISCOPIO

CAROLUS NIELLIUS S. P.

Roterodamum.

De Specimine Calixtino. à Profess. Lovd. contra Apologiam Remonstr. edito.

CLarissime Vir, Frater multis mihi nominibus honorande, Epistolæ tuæ longe gratissimæ brevitatem ut excusares, nihil plane opus erat, cum iis ipsis paucis verbis tam plene, tam evidenter, tam vivide & effuse sincerum & fraternum tuum in me animum expresseris, ut in eam partem plura ne optare quidem possim. Utinam aliquando se offerat opportunitas, qua rebus ipsis probare possim, quanto te cultu & amore prosequar ob insignia & admiranda ista dona sapientiæ, pietatis, eruditionis & eloquentiæ, quæ Deus tam liberaliter & larga manu in te contulit, ut nihil magis optem, quam ut iis diutissime ad gloriam nominis ipsius, & ad pacem inter omnes veræ pietatis studiosos conciliandam uti possis, idque tam felici & læto successu, quam hactenus magno & molesto labore constanter id egisti. De optimæ sororis (quæ nunc sanctissimo & indissolubili vinculo dulcissimum tui dimidium facta est) in me animo, nec unquam dubitavi, & nunc te veterem ipsius in me affectum fovente & confirmante tam certus ero, quam antehac unquam. Veræ & fidæ amicitiæ constantia & firmitate spero me nunquam vobis cessurum, facultate gratificandi valde metuo, ne in perpetuum omnibus modis inferior maneam; sed ea de re eo minus sollicitus, quod sciam vos pro vestra æquitate nihil à me postulaturos vel exspectaturos, quod vires meas superet. Eaque de causa submisse te rogare cogor, ut eam opinionem de me deponas, qua scribis te magni facere judicium meum; quod quam exiguum, quam imbecille, & ferme nullum sit ipse magis & magis quotidie experior. Pudet me, mi Frater, cum serio apud me cogito, quam procul absim ab iis, quæ mihi à nonnullis nescio qua infelicitate mea, per nimium benevolentiæ excessum tribuuntur. Deus mihi testis est, ex animo hæc à me dici, & non affectato colore fictæ humilitatis aut modestiæ. Itaque vidi quidem Specimen Professorum adversus insigne opus Apologiæ, sed vidi tantum, & nihil aliud quam semel perlegi, nihil in illud tentare vel observare conatus sum, imbecillitatis meæ optime mihi conscius. Unicum tantum

ejus

Ep.487. ejus exemplar, idque Belgica lingua à Goreomienſi bibliopola ad me miſſum, per manus omnium Fratrum aliquamdiu vagatum, tandem apud Dn. Veſekium hæſit, nec poſtea inſpexi. In eo quidem judicia noſtra conveniebant, id tantum quærere, id ſibi unice propoſitum habere iſtos homines, ut nos quantum poſſunt omnium hominum odio & execrationi exponant, atque adeo abſterreant omnes à ſcriptis noſtris legendis, & tanquam reos læſæ Majeſtatis Divinæ in ſummo gradu, carnificum gladiis nos objiciant; ſed tamen non videbantur nobis ipſorum objectiones irrefutabiles, modo tu illud onus ſerio in te ſuſcipere non abnueres. Et profecto gaviſi ſumus admodum, cum intelleximus hanc curam tibi cordi eſſe; quamvis in hoc novo vitæ ſtatu optaſſem tibi aliquid laxationis ab hujuſmodi moleſtiis & laboribus, prout olim in lege Moſis noviter conjugio devinctis primus annus concedebatur à bellicis oneribus immunis: ſed noſtrarum rerum ſtatus id hoc tempore nequaquam permittit. Prodromum aliquoties perlegi ſumma cum voluptate, & diligenter expendi. Si quid judicare poſſum, nihil eo prudentius, nihil ſapientius, aut melius fieri potuit. Puto nobis ibi pedem figendum, ut ne Anathema dicamus, nec tamen dicendum eſſe præciſe negemus: ſed tantum evidenter & firmiter probari à Profeſſoribus poſtulemus, quod hoc tempore & in tam multiplice Eccleſiarum diſtractione, ob nudos mentis errores, qui ab evidente malitia voluntatis non proficiſcuntur, aut inde proficiſci nobis certo & evidenter non conſtat, nec adeo omnibus vere piis patere poſſit, vel teneamur, vel poſſimus bona conſcientia homines, qui inculpata vita Dei ſincerum timorem præ ſe ferunt, anathemati devovere, & æternæ mortis ſententiam in eos proferre. Iſtud onus in adverſariorum humeros devolvendum eſt, ut nobis hoc ſufficienter ex verbo Dei demonſtrent. Cum ſemper illud in ore habeant, peccatum eſſe quicquid ſine fide fit. & Scriptura tam clare teſtetur ſolum Deum totius mundi judicem eſſe, & unum nobis legiſlatorem eſſe, qui poſſit ſervare & perdere. Nos interim illud Regii Prophetæ videmur tuto ſequi poſſe *Pſalm.* CXIX. *verſ.* 63. *Socius ego omnibus, qui te reverentur & cuſtodiunt mandata tua.* Et illud dilecti diſcipuli 1 *Joh.* V. 1. *Quiſquis credit Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt, & qui diligit genitorem, diligit & genitum ex eo.* Fraternam autem dilectionem iſtam ſi nondum vel audemus, vel debemus illis tribuere, qui tanta infamia & communi omnium Chriſtianorum odio flagrant; conſiderandum tamen, an liceat aut deceat nos duriores adverſus ipſos eſſe, quam ipſe Dei Filius fuit erga Scribam illum, qui prudenter judicaverat de præcipuo Dei cultu, *Marc.* XII. 34. Et videns Jeſus, quod ſapienter reſpondiſſet, dixit ei, *non longe es à regno Dei.* Et omnibus veris Chriſti ſervis mandatum meminerimus illud Apoſtoli: *Servum Dei non oportet pugnacem eſſe, ſed manſuetum erga omnes, &c. in lenitate erudientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis*, &c. Nullus fortaſſis ab Apoſtolorum temporibus in hunc uſque diem Eccleſiæ doctor fuit, qui ingenii, eruditionis & operum magnitudine cum Origene Adamantio videatur comparari poſſe. Nemo unquam in majore pretio fuit; nec tamen ullus judicio ſequentium ſeculorum erravit in pluribus, & gravioribus Chriſtianæ Religionis capitibus. Magnus Hieronymus, qui hominis ingenium ſumme admiratus eſt, teſtatur illum Arianorum fontem fuiſſe, ac ſcribere auſum, *Filium reſpectu Patris eſſe perparvum, de reſurrectione quoque graviter erraſſe*, ac ipſius diſcipulos vocaſſe Catholicos ſimplices & *Piliſotas*, eo quod crederent noſtra hæc corpora cum his ſuis membris, adeoque *pili* & capillis reſurrectura, quæ Origines ex Platone docuerat *transformanda eſſe in lucidos & aereos globos*: à qua ſententia an valde procul abeant Socini aſſeclæ, tu conſiderare potes. Mitto nunc alios ejus errores, qui prolixe apud Hieronymum, Epiphanium, alioſque veteres leguntur, & præcipue quæ deliraſſe dicitur de liberatione diabolorum & damnatorum hominum, in quibus aliquando ſuſpicor fieri potuiſſe, ut ejus ſententia minus recte intellecta, vel ab æmulis alio detorta, calumniæ graviori ipſum reddiderit obnoxium. Incredibile enim mihi videtur, virum tanta eruditione & incomparabili ſanctimonia, atque ab ipſa infantia Sacris Litteris ita innutritum, ut eas in ſuccum & ſanguinem ſuum convertiſſe videretur, potuiſſe tam inſanum errorem errare. Quicquid ſit, video Eccleſiam illam primitivam, in qua pietas vigebat, nequaquam hujus noſtri miſerrimi, & corruptiſſimi ſeculi, hominem illum in ſummo honore & amore habuiſſe, uſque dum Demetrii Epiſcopi fui, & aliorum invidia ex parte aliqua obſcuratus eſt ipſius ſplendor, idque non ob errores, ſed ob factum ipſius minime quidem illud probandum, ſed quod tamen animi amore Dei ferventis clarum indicium præferebat, nimis crude ſecundum litteram intelligens quæ Dominus Jeſus *Matt.* XIX. de Eunuchis ob regnum cœlorum factis docet; quod miretur aliquis in eo, qui tam multa in Scripturis judicaret allegorice eſſe intelligenda. Illud tamen hoc illuſtri exemplo doceri poſſumus, non fuiſſe primitivam illam Eccleſiam, quæ nondum opibus & Epiſcoporum ambitione corrupta erat, tam facilem in damnandis iis, qui errarent, nec anathemathiſmos habuiſſe tam paratos, & promptam ſpongiam ad delendos è numero fidelium, qui aliquid aliud ſentirent, quam plerique alii Chriſtiani. Sed cito tamen crevit Epiſcoporum ambitio, & cupiditas dominandi alienæ fidei: ut patet in exemplo Victoris, qui omnes Aſiæ Eccle-

Ep.487.

Ep. 487. Eccleſias excommunicare volebat, ob diverſam de Paſchatis celebratione ſententiam: & ſcimus quam graviter conqueratur Cyprianus de Stephano Romano Epiſcopo, qui jam tum in Africæ Eccleſias aliquod imperium ſibi affectabat, quem eo nomine Synodus Africana, & ipſe Cyprianus graviter & aſpere reprehendit, ut ex Epiſtolis Cypriani, quæ hodieque exſtant, unicuique patere poteſt, ubi Epiſcopum Romanum non alio nomine, quam fratris & collegæ dignatur, qui hodie intolerabilis eſſet ſolœcismus, ſi quis alius Epiſcopus Summum Pontificem ita appellaret. Et miratus ſæpe ſum, monachos, qui ante typographicam artem repertam ſoli ferme libris deſcribendis operam dabant, jampridem iſtas epiſtolas non deleviſſe, ne inde Papalis illa faſtuoſa & intolerabilis authoritas novitatis convinceretur. Sed ut ad Origenem redeam, ſcimus quanta contentione magni viri ſe iis oppoſuerint, qui ipſum poſt mortem voluerunt condemnare, qui etiam ægre tandem quod volebant, efficere potuerunt. Et tamen ex tam inſigni hæretico Hieronymus, Ambroſius, aliique veteres integros libros ſuorum commentariorum compilarunt, & ſæpe ad verbum tranſcripſerunt: ut æquiores debuerint eſſe Cenſores Cl. Epiſcopio, qui paucas periodos ex anonymo Scriptore de Concordia Eccleſiæ in Apologiam Remonſtrantium tranſtulerit. Hæc profecto tyrannis ne inter Pontificios quidem tolerabilis haberetur, inter quos tum reliqui tractatores, tum ipſe Maldonatus, ille tam acerbus omnium eorum inſectator, quos pro hæreticis habet Romana Eccleſia, tamen plurimas ſententias ex authore operis imperfecti in Matthæum in ſuos commentarios tranſtulit, atque ad verbum deſcripſit, laudato etiam alicubi authoris ingenio, & acumine interpretandi: quem etiam Epiſcopus Eboracenſis adverſus Regem Magnæ Britanniæ ab ingenio laudat, & excellere fatetur in iis quæ ad mores ſpectant. Sed Regem tamen reprehendit, non quod authorem illum pro ſe citarit, ſed quod ex eo ſententiam protulerit, quam ex profeſſo pro Arianis adverſus Catholicos urget ille author, qui editus quidem eſt Baſileæ ſub nomine Chryſoſtomi, ſed falſa eſt inſcriptio, cum in iſtis commentariis ſæpius apertiſſime pro Arianorum ſententia contra Catholicos pugnet, imo S. Trinitatem aperte vocet *impietatem triangularem*, & Homoouſianos data vel captata occaſione acerbe nonnunquam perſtringat: Et tamen ex eodem Scriptore Pleſiæus, imo ipſe Calvinus adverſus Papiſtas ſæpe nonnulla depromunt. Quin etiam hodie ſunt inter Pontificios, qui plurima ex Origene in ſua ſcripta transferunt, imo qui poſt ipſius ab Eccleſia ante tot ſecula promulgatam damnationem, non verentur pro ipſo integras apologias ex profeſſo ſcribere. Nemo etiam ignorat, quantis laudibus Magnus Eraſmus, patrum noſtrorum ſeculo, Origenem ſupra omnes veteres ſcriptores extulerit: ut iterum æquiores eſſe debuerint Cenſores Cl. Epiſcopio, qui alicubi Socinum laudaverit, & aliqua bona ex ipſo didiciſſe faſſus ſit. Hæc miſera ſervitus ne in Papatu quidem à probis & doctis viris ferri poſſet: & ubi tandem manebit præceptum Apoſtolicum, *omnia probate, & quod bonum eſt tenete*? Sed crimen jam apud iſtos novos fidei dominatores eſt, unionem, vel gemmam ex ſterquilinio tollere. Quid facient ergo Bullingero ſuo, qui in caput 1. Epiſt. ad Romanos ſcribere auſus eſt, *unum Senecam plus ſinceriorís Theologiæ poſteritati reliquiſſe, quam omnes fere omnium Scholaſticorum libros.* Hem, Seneca plus ſinceræ Theologiæ habet, quam omnes Scholaſtici, qui tamen Seneca inferni pœnas poſt hanc vitam aperte deridet, ne alia nunc dicam; & nobis crimen erit Socini ingenium laudare, & quæ vere ac pie ſcripſit in noſtrum uſum transferre? Quid facerent cenſores Salviano Maſſilienſi, qui ſerio deplorat plus non dicam ingenii, ſed plus etiam probitatis & caſtitatis fuiſſe in Arianis, qui Africam miſere vaſtarent, quam in ſui ſeculi Catholicis & orthodoxis. Et hunc ipſum tamen Salvianum, qui auſus eſt etiam ſcribere ſolum Deum Judicem noviſſe, qualiter hæretici (Ariani, de his enim ibi agit) pro falſæ opinionis errore in die judicii puniendi ſint. At qui anathema in aliquem pronunciat, ille ſibi hoc ſolius Dei judicium ſatis audacter videtur arrogare, niſi Scripturam habeat aperte ſibi præeuntem. Hunc ipſum tamen Salvianum ipſe Cardinalis Baronius magnis laudibus extulit, & ſui temporis Hieremiam vocat: Illuſtris Joſephus Scaliger *Scriptorem Chriſtianiſſimum* appellat: quo titulo quid honorificentius? Sed jam abrumpere cogor, Deum rogans, clariſſime Vir, & animo meo chariſſime Frater, ut te diutiſſime valentem omni benedictionum generem felicem eſſe velit, cum optima ſorore mea, & chriſtianiſſima fœmina, præclara & feliciſſima heroina ſocru tua, cui meo nomine ſalutem cum tota familia (ſi placet) nunciabis. Etiam magnus noſter Neſtor, quem admiratione & amore oblequioſiſſimo proſequor, quæſo data occaſione à me ſalveat, aliique fratres & amici omnes, qui tibi adſunt. Raptim & admodum properante calamo, Lupeſteni, 14 Januarii 1631. quem annum tibi feliciſſimum opto. Ep. 487.

Per nautæ feſtinationem non licuit relegere, nec putabam me tam fore prolixum.

CCCCLXXXVIII.

CCCCLXXXVIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

De suo ad Amstelod. profect. nonnulla.

REverende Vir, Omnia in schedula placent, cum discursus ille de spirantibus & non spirantibus, tum libelli colophon. Erudite, apposite, ac non sine sale aliquo autori suas artes reponis. Quare noli diutius multorum expectationem morari. Professorum libellum legam, otii plus nactus, & quid sentiam, libere exponam. Excerpta illa Thysio & Walaeo fuisse lecta ante & visa mihi retulit Polyander. Negant σοφισῶς (*captiosè*) sibi visa, quia non singulis. Heri Amstelodamo reversus sum, ubi de commodis mihi ac D. Vossio ædibus dispeximus. Statuerat mecum ire Vossius, sed postero die cum accinctus essem itineri, mutavit sententiam, ac filium natu majorem misit. Scripti D. Vossium operam suam addixisse Amstelodamensibus. Hæc res Professores nostros, potissimum Theologos, anxie habet, qui missis Hagam Magnifico Rectore & Theologorum uno Curatores incitarunt, uti cœptum negotium interturbent. Vocatus Hagam ipsorum mandato Vossius, per literas à Syndico nostro jussu Curatorum exaratas, & quidem imperiosè satis: Summa literarum est: ne uterius se, nisi conscis Curatoribus, Amstelodamensibus obstringat. Omnem lapidem movebunt, ut virum istum retineant; non quod ipsi bene velint, oderunt enim; verum ut Amstelodamensibus adversentur; & optima Procerum istius urbis consilia eludant. Vossio firmandus animus per D. Beaumontium, Reigersbergium, etiam N. Mylium. Cum ipsis libebat exauctorarunt virum, Collegio ejectum ignominiosè habuerunt: convictores uti aleret; privatim, quos vellet, institueret, interdixerunt: Synodicorum insuper rabiei ac tyrannidi objectus linguæ ac calamo catastas injici passus est. Cur non & illi integrum erit, rebus suis consulere? præsertim cum nullis promissis ipsis obstrictus sit. Animis opus est, & pectore firmo. Hoc agunt & agent, ut consilium de Schola ista Illustri prorsus evertant. Metuunt, ne si in illam urbem transmigret, ipsorum opera aliquando utantur Remonstrantes. Nescio, quæ non Ecclesiæ fulmina ipsi minentur. At frustra, si modo ipse sibi constet, nec Amstelodamenses deserat. Si fecerit, pœnitebit ipsum facti. Hæc argumenta, aliaque ipsi objicite. Est jam Hagæ. Omnis mora in damno est. Delegati Amstelodamensium monendi, ne animum despondeant. Primos impetus ubi fortiter sustinuerint, languebunt sequentes. Si quid ad hoc negotium consilio tuo conferre possis, confer. Versus istos in Fr. Junii epitaphio notatos silentio præteri. Nec enim iis quæ scripseram ex aliorum relatu prorsus fido. Editionem enim, quam quæsivi, mihi comparare non possum. Immoderatius Catechismum Catholicum Reformatum commendasti viro isti nobili, & laudes istas quas in autorem congeris, verecunde amolitur. Notas tuas probo, excepta prima: Nam non solum familiaris est illa vox Pontificiis, sed & Brabantici soli propria fere in isto sensu. Et distinguunt Pontificii inter dogmata fidei, morum & rituum. Hæc raptim. Vale Vir summe & nos ama, 15 Jan. 1631. Ep. 489.

CCCCLXXXIX.

CORNELIO VANDER MYLE

CASPAR BARLÆUS S.P.

Hagam.

NObilissime Myli, Spirant literæ tuæ eundem erga me affectum, quem in literarum studiosos jam olim prolixe effudisti. Si naturæ tuæ genium spectem, & insitam erga Musarum alumnos facilitatem, proprietate quadam tibi regimen illud in hac Academia debetur, quo tam glorioſe tot annis functus es. Sæpius Professores isti, quos reliquos habemus ex publico naufragio, quoties ad familiare cum illis colloquium devenio, in hæc verba erumpunt: Desideramus Mylium. Ego inter illos postremus non sum, qui per N. T. precium inveni apud eos, qui literas æstimare didicerunt. Ex eodem illo tuo affectu provenit, quod libelli istius censuris meis interpolati autorem immodicis laudibus prosequaris. Nec gratiam, nec gloriam ex isto opere aucupor. Bene volo Ecclesiæ Reformatæ, & doctrinæ tot martyrum, ac Patriæ Patrum sanguine confirmatæ. Utinam ex libello illo, fructus aliquis redeat ad illos, quos Romanæ Curiæ splendor excœcat! Si ita prudentioribus visum, per me licet prodeat in lucem. Sed unice cavendum, ne autor publice innotescat. Quæ Uytenbogardus annotavit emendavi, excepta prima censura. Rationes ob quas retineri malim verba textus Pontificii, ipsi transscripsi. Quicquid sit, levicula illa sunt, nec delere gravabor, si in sententia perstet. Sed an non N. T. consultum putat, uti libellum illum perlustrent & examinent Sylvæducenses Ecclesiastæ? Scio naſutulos illos esse, & rigidiores in Pontificios, cum in hoc negotio prudenti ac circunspecta moderatione opus sit. Nihil largiri volent, cum tamen largiendum aliquid sit, ne in omnibus dissentire videamur. Ista enim arte pelliciendi sunt. & quantum indulserit oportet ille Gentium Doctor, cum in has adorandas & suspiciendas mansuetudinis, & æquitatis voces prorumperet, se omnibus omnia factum, ut aliquos Christo lucrifaceret. Abunde tamen à nobis cautum, ne cum Christo Belial, cum luce tenebræ permixtæ putentur. Quæ porro agenda sunt prudentiæ Tuæ committo. Ego fœtum expono. Tol-

De Catechismo Pontif. Reformato.

Ep. 490. lat in usus vel suos, vel publicos, qui volet. Heri Amstelodamo domum reversus sum, ubi mihi ac D. Vossio de ædibus prospectum. Theologi nostri per D. Curatores hoc agunt, ut vocationem Vossii eludant, non quod tantus ejus sit amor, sed ut Amstelodamensibus incommodent. Quæso consiliis tuis præclara Resp. Amstelodamensis cœpta promove. Interest ejus, uti viro isto potiantur. Vale Vir Nobilissime & generosissime, & Barlæum tuum amare perge. Lugd. Bat. 15 Jan. 1631.

CCCCXC.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S. P.

Hagam-Comitis. *Ecclesiastes.*

REverende Vir, ac dilecte in Jesu Christo Frater, In Concilio Niceno nullos esse factos Anathematismos, verum est, si Canones ipsos x x, authenticos & Græcos spectes, quos videre est libelli hujus pag. 157. Imo nullibi istis Canonibus damnatur Arius. Interim negare non ausim in Confessione Synodi Nicenæ, quæ legitur pag. 182. Ario anathema scriptum esse, uti etiam patet ex iis quæ pag. 162 leguntur, necnon 160. Reformati itaque Doctores distinguunt inter ea, quæ acta sunt in toto Concilio Niceno, & Canones istos x x, politiam Ecclesiasticam concernentes. In prioribus dicunt damnatum Arium, cum ob hujus dogmata potissimum convocata fuerit Synodus. In Canonibus fatentur nullam Arii, aut dogmatum ejus fieri mentionem. Velim tamen respicias ad Epistolam illam Constantini Imperatoris missam ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ, & Arium, post turbatas ibidem & in universa Ægypto Arianis controversiis Ecclesias; Reperies eam pag. 62. Judicat in illa Epistola Imperator Constantinus controversias, ab Alexandro & Ario motas, non esse necessarias, sed inanis otii certationes, nec vulgi auribus credi illas debere, vocat quæstiones argutas & subtiles, &c. Et cum missa hæc sit Epistola per Osium Episcopum Cordubensem, magni tum nominis & doctrinæ virum, verisimile est ab ipso Osio fuisse conceptam. Licet postmodum & ipse & Constantinus Arium damnaverint. Affirmat vir clarissimus amicus noster, Osium post Concilium Nicenum concessisse in partes Arianorum, etiam ipsum Constantinum. Nec probare potest Cyrillum fuisse primum anathematizatorem in Concilio Ephesino, quod celebratum fuit ante Chalcedonense: Nam in Concilio Gangrensi, licet particulari, quod antevertit Ephesinum & Chalcedonense, adeoque Cyrilli ætatem, edita sunt anathemata. Vide Canones, cum adjectis anathematismis.

Gangrense Anno 361. Ephesinum. 431. Chalcedonense. 451.

De loco Justini mecum sollicitus est. Arbitratur Justinum Ebionitas respicere quos tamen vocat ἐκ ἰουδαίων φύσεως, (*ex nostro genere*) quia Ep. 491 disputat contra Tryphonem Judæum, itaque inter professione tenus Christianos refert. Ebionem autem ejusque sententiam damnavit Ignatius in epistola ad Philadelphios, dicens: *Si quis dicat unum esse Deum, & confiteatur Jesum Christum, sed eum esse mudum hominem putet, non autem ingenitum Dei Filium, &c. hujusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est ejusmodi inops sensu, cognomento Ebion.* Hæc ex Baronio notavi ad annum Christi LXXIII. LXXIV. LXXV. Refert etiam Irenæus lib. III. c. 4. Joannem Apostolum cum in idem cum Ebione balneum venisset, dixisse: *Festinate fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem.* Hæc ibidem Baronius. Consulendi essent ipsi autores. Verum an Justinus ibidem Ebionitas intelligat, nulla necessitas cogit credere. Antecedentia & consequentia examinanda forent.

Quod ad Catechesin Catholico-Reformatam attinet, non valde laboro ut edatur, per me licet, ut lateat. Si R. T. consultius putet Sylvæducenses non videre, non repugno. Sed quid si ipsis scribatur, ut legant, & lectum libellum Hagam remittant, & quid de eo sentiant, perscribant. Postea quid facto opus sit deliberabimus. Alias si ipsorum suffragiis editio urgeatur, provocabunt ad Professores, aut Deputatos Synodi, aut ipsam Synodum. Quid suadeas fieri, candidus imperti.

Amstelodamenses non nisi de duobus Professoribus vocandis decrevere. De Jurisconsulto altum adhuc silentium. Qui audeant? Vossius abitu suo perculit Leidenses. Theologi ringuntur. Mota in ipsum tempestas jam pene desæviit. Responsum Professorum (ignosce) ad Prodromum nondum legi. Bis intra paucos dies fui Amstelodami, ut de ædibus mihi ac D. Vossio despicerem. Prius nobis assignatæ à Senatu & visæ haberi non potuerunt. Jam alias nacti sumus commodas & amplas, *in de Spinhuys-straet.* Meas inhabitavit Syndicus Pauwius, Vossii, quæ ampliores sunt, Jacobus Roelandi. Quam dispares Domini! Legam cras, Deo volente, & monebo si quid observavero. Vale Vir prudentissime. 27 Jan. 1631.

CCCCXCI.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S. P.

Hagæ. *De Iust. Justino Martyre.*

REverende Vir, & nostrorum πέρα Ἰερὸν Δ'χαῶν, (*magnum vallum Græcorum*) hoc est, Remonstrantium, habes, quæso obiter in libelli hujus foros conjeci. Quisquiliæ sunt & stipulæ præ auro tuo & argento. Accuratiora per temporis angustiam meditari non potui, quia vide-

lized by Google

Ep. 491. videbam reſponſionem tuam carceres mordere. Et præter tria illa argumenta Profeſſorum, nihil eſt dignum ſerio examine in chartulis IIII virorum. Ad locum Juſtini hæc noto: I. Remonſtrantes eum allegare, ut probent merito ſe meticuloſiores eſſe in damnandis æternum iis, qui non capiunt aut explicita fide credunt, Filium eſſe ab æterno ex eſſentia Patris per intellectionem genitum: cum ex Juſtini dialogo non ſubobſcure colligatur, Eccleſiam cum illis communionem coluiſſe, qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον (*nudum hominem*) dicebant. Argumentationem dico eſſe à majori ad minus, hoc modo: Si Juſtinus cum illis communionem coluit, ergo non peccant qui non audent tales ex albo vitæ expungere. II. Juſtinum intelligere Ebionitas probandum Profeſſoribus. At illi habebant Chriſtum pro puro homine. Eſto. Quid vetat etiam in Eccleſia Chriſtianorum fuiſſe ejus ſententiæ homines? At Ebionitæ damnati. Agnoſco. Fuerunt enim in aliis plurimis dogmatibus hæretici. Et publica voce Eccleſiæ fuiſſe damnatos tempore Juſtini, aut ante, non legi; Doctorum judiciis fateor. III. Juſtinum non intelligere Ebionitas, ſic probo I. quia nullibi in ſuis operibus, (quod ſciam) Ebionitarum meminit. II. quia dicit eum qui Chriſtum non demonſtrat prius exſtitiſſe, & naſci hominem ſuſtinuiſſe, in errorem lapſum eſſe; non autem negare hunc eſſe Chriſtum illum, in quo cardinem Chriſtianiſmi ponit. Ergo vult tales reapſe Chriſtum illum agnoſcere. Quod de Ebionitis non dixerint Profeſſores. III. quia dicit errorem eſſe, non hæreſin, non blaſphemiam; videtur in eo eſſe Juſtinus, imo in eo eſt, ut elevet momentum illius controverſiæ. IV. quia illos dicit eſſe, ex ſuo genere & ordine; quæ verba arctiorem neceſſitudinem & fidei communionem ſignificant, quam eam quæ eſt nomine tenus, & profeſſione externa Chriſtianiſmi. Et quanquam cum Judæo diſputet, non propterea ſequitur, per illa verba *ex noſtro genere*, intelligi debere titulo Chriſtianos; cum oppoſitio inter Judæos & vere Chriſtianos major ſit, quam inter Judæos & titulo Chriſtianos; cum hi reapſe Judæi & Judaizantes eſſe poſſint. Quod ſi conjungas, Juſtinum illos habere pro ſui generis hominibus, & eos Chriſtum illum non negare, re Chriſtianos ipſius judicio deſcribi videas. Pontificios profeſſione & titulo Chriſtianos eſſe judicant Profeſſores. Sed an dicere iidem auſint, illos Chriſtum non negare? Qui poſſint; cum in Catecheſi Palatina dicantur, Chriſtum reipſa abnegare. IV. Probent Profeſſores apud Juſtinum ullibi, ἀπ' ἐυθείας γένους (*ex genere noſtro*) ſignificare titulo ſolum Chriſtianos. Contra, ubicunque de talibus agit in hoc dialogo; aut illos profeſſione Chriſtianos nominat, ut Marcionitas, Valentinianos, Baſilidianos, Saturninianos, quos à ſuis diſerte ſecernit: aut addit, illos profeſſione Chriſtianos doctrinas ſeductionis ſpirituum docere, impia & blaſphema docere, vid. pag. 196. Edit. Commelinianæ. Tantum abeſt, ut tales dicat eſſe ſui generis. Firmiter mihi perſuadeo, Juſtinum intelligere eos, quos pro vere Chriſtianis habuit: profeſſione Chriſtianos ubique perſtringit ac damnat. V. Quam durum & crudum, imo impium foret, Juſtinum quamvis cum Judæo diſputantem, Ebionitas, quorum præceptor ſcribitur Paulum Apoſtolum calumniis oneraſſe, Petrum mendaciorum inſimulaſſe, ex parte Judæum, Eſſenum, Nazaræum, Cherinthianum, Carpocratianum, vocaſſe ſui ordinis homines. VI. Non eſt mirum, Juſtinum, eos qui Chriſtum habebant pro puro homine, habuiſſe pro Eccleſiæ ſuæ membris, cum & Socratem, & Heraclitum pro Chriſtianis habuerit. Scultetus in Analyſi Defenſionis Chriſtianorum ad Antonium Pium Imperatorem, (eſt ea Juſtini) hæc ſcribit: *Hic objectio alia movetur: Chriſtianos igitur tantum eos eſſe, qui intra* CL *annos vixerint. Reſpondet*, (Juſtinus) *non ſequitur: quia Chriſtus eſt primogenitus Dei: quicunque ergo cum illo vivunt, Chriſtiani ſunt: ut inter Græcos Socrates, Heraclitus; inter Barbaros, Abram, Elias.* Et in hoc ipſo Dialogo, qui inſcribitur Tryphon, ſic refert Scultetus quæſtione tertia: III. *Utrum ſalvus futurus eſt is, qui hæc ita ſe habere ſciens, ad fidem tamen in Chriſtum obſervationem iſtorum*, (rituum puta & ceremoniarum Moſaicarum, nam de illis proxima egerat quæſtione) *adjungat, nec ne? Reſpondet*: (Juſtinus) *ſuo judicio talem ſervatum iri, modo alios ad Chriſtum ex gentibus converſos in ſuam ſententiam non pertrahat, & opinionem neceſſitatis non fingat.* Hæc ſi toleravit Juſtinus, quid mirum ſi & prius illud de Chriſto puro homine toleraverit? Hæc raptim. Vale Vir doctiſſime, & de bonis bene mereri perge. Ipſis Kal. Febr. 1631. ſummo mane.

Ep. 492.

CCCCXCII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

Magam.

De Conſtantino & Oſio.

REverende Vir, Quæ de Conſtantino Imperatore, & Oſio, poſt Concilium Nicenum Arianiſimum amplexis, ſcire deſideras, jam habe.

Conſtantinum Imperatorem, extremo vitæ ſuæ tempore baptizatum fuiſſe in ſuburbiis Nicomediæ, refert Euſebius Pamphili lib. IV. cap. 61. 62. At præerat illis ſuburbiis, uti & Nicomediæ, Euſebius, Epiſcopus Nicomedienſis, Arianorum anteſignanus & fautor perpetuus. Unde colligunt Patres nonnulli, illum, utpote ab Ariano baptizatum, in Arianorum perfidiam & dogmata conſenſiſſe.

Ep. 492. Hieronymus in Chronico ſuo ad ultimum annum Imperii Conſtantini, ita ſcribit: *Conſtantinus, extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat, à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum rapinæ, & totius orbis ſecuta eſt diſcordia.*

Habet eadem fere Iſidori Chronicon.

Vide etiam Theodoretum lib. II. cap. 32.

Baronius ipſe conſequens hoc admittit, Conſtantinum in Arianorum perfidia baptizatum, ſiquidem conſtet ipſum ab Arianis baptizatum. Verum antecedens hoc negat, & ad loca ſupra adducta frivole reſpondet. Nempe, propugnat fabulam veterem de Conſtantino à Silvestro Papa baptiſmate tincto.

Vide plura in Baronio, Tomo tertio, ad Annum Chriſti CCCXXIV. Conſtantini X IX. nec non locum egregium Luciferi Calaritani Epiſcopi, qui lib. I. pro ſancto Athanaſio, cauſam exilii Athanaſii, in quod conjectus fuit poſt Concilium Nicenum à Conſtantino, hanc dicit fuiſſe, quod noluerit eſſe Arianus. Exſtat locus tomo tertio Baronii fol. 445.

De Oſio hæc ſcribit Sulpitius Severus: *Oſium quoque ab Hiſpania in eandem perfidiam conſenſiſſe, opinio fuit: quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis ſuæ tempore conſtantiſſimus noſtrarum partium, & Nicena Synodus illo auctore confecta habebatur: niſi fatiſcente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in epiſtolis refert) deliraverit.* Hæc Sulpicius. Hinc & Hilarii querela illa in Oſium eſt, quod ſepulcri ſui, nempe corporis, nimium amans fuerit.

Meminit & lapſus Oſii Sœbadius in libro contra Arianos ſcripto, de quo mentio eſt apud S. Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Sœbadio. Locus eſt diſertus, ſed prolixior. Vide Baron. tom. III. fol. 704. aut videatur, ſi libet, ipſe Hieronymus.

Vigilius Martyr contra Eutych. lib. V. de ejuſdem Oſii lapſu, & cum Valente & Urſacio conſpiratione, ita ſcribit: *Immenſo ſane luctu, & implacabilibus lamentis proſecuti ſunt ſuum Patrem fuum præclariſſimi viri, qui cum navem, qua tot tantaque maria navigaret inter Syrtes, ſcopulos, atque piratas, validis undique adverſariis urgentibus ventis, jam ad portum ſalutis magna gloria perduxiſſet incolumem, ibi inſperato naufragium fecit, univerſa Catholica Eccleſia expaveſcente. Eiuſmodi Oſii plane miſerabilis caſu Catholicus orbis contremuit, concuſſaque ſunt ſolidiſſima petræ*, &c.

Socrates lib. II. cap. 26. Eccl. hiſt. fatetur illum fidei Arianæ conſenſiſſe, ſed vi compulſum, & tormentis.

Idem ſcribit Athanaſius epiſtola ad Solitarios.

Digna lectu ſunt, quæ ex ſua ſententia ſubjungit Baronius, fol. 704. *Superavit* (inquit) *mea ſententia lapſus Oſii præteritorum omnium caſum, ſive Origenis, ſive Tertulliani, vel quorumvis aliorum dixeris*, &c. Probat poſtea Baronius fol. 706 & 707. Oſium denuo reſipuiſſe, ſed argumentis ſtramineis prorſus & invalidis. Ep. 493.

Ariſtarchus legit reſponſum iſtud Anonymi; dicit ſe non reſponſurum. Uti in magnis doloribus fieri ſolet, ſtupet; alii gratulantur vapulanti. Ad componendas controverſias Eccleſiæ Roterodamenſis vocati ſunt Hagam, ut audio, Polyander, Walæus, & de Dieu. D. Vigilantium, ſi Roterodami ſit, velim monere, uti curet exemplaria aliquot ſcripti Anti-Heynſiani mitti ad I. M. 1631. menſe Febr.

CCCCXCIII.

GUILIELMUS

Epiſcopus Londinenſis

GERARDO VOSSIO.

VIr ſpectatiſſime, Quum literas meas noviſſimas darem (& parcius hoc facere cogor pro negotiis quæ urgent & premunt fatiſcentem) literæ tuæ ad me pervenerunt. Sic ſitulæ noſtræ mutuo fontem petiere, dum neuter quid alter ageret certior factus, &c.

Prima literarum tuarum facies gratulatur mihi Cancellariatum Oxoni mei, & ſubridet. Gaudio ſit illud tibi: Academiæ ſalus: mihi ſat ſcio onus incumbit, & cui nunquam par ero. Quin & his exulceratis Eccleſiæ temporibus, nec Eccleſiæ tantum (nam & ſic ſolet punire Deus) neſcio, ita me Deus amet, neſcio, quid agendum ſit, mihi præſertim. Sed aliquid eſt quod urget, & ducentem ſequor. Illuſtriſſimus Princeps noſter pro tenella ætate (Deo gratias) abunde valet, &c.

Alia ſunt quæ properans cogor omittere. Sed mortem Matthiæ Martinii certe eo impenſius doleo, quo magis indiget Eccleſia æquitate illa quæ in eo viguit, & quæ ſpero tamen non eſt penitus cum illo ſepulta. Penitus dico. Vereor tamen ne rarior multo ſit quam quæ deceret togam noſtram. Hiſtoria illa, unde profitebatur ſe eam hauſiſſe, prolixe habet in ſe, unde eam conferre poſſit, niſi lectores habeat admodum indignos. Iterum tibi eo nomine gratias ago. Nunc accinge (promiſiſti enim: & non ſemel) ad Hiſtoriam aliam, Veteris nempe Eccleſiæ ſcribendam. Magnopere cupio (Deo ſi placuerit) antequam fata mihi aperiant ſepulchrum, Baronium videre ſub tuis telis cadentem, nec literas potes à me ullas expectare ſine ſtimulo, &c. 12 Kal. Feb. 1630.

Amici tui & rerum tuarum ſtudioſiſſimi

GUIL. LONDON.

CCCCXCIV.

CCCCXCIV.

GERARDUS VOSSIUS HUGONI GROTIO S.P.

De Illuſtri ſchola Amſtelodamenſi.

JAm ex ampliſſimo affine tuo Reigersbergio intellexeris, vir maxime, ut Amſtelodamenſes cauſis compulſi graviſſimis conſtituere in urbe ſua cogitent gymnaſium illuſtre: atque ut eam ad rem utilem exiſtiment operam tum meam, tum collegæ & amici veteris Caſparis Barlæi. Sed Leidenſes plane habent perſuaſum, detrahere eam rem multum poſſe nomini & exiſtimationi Academiæ ſuæ: eoque omnem movent lapidem ut hoc negotium diſturbent. Primum negant, juris hoc eſſe ulli civitatium, præterquam ſuæ: cui, pro tolerata fortiter obſidione, præmii loco ſit attributum, ut Academiam habeat, ad quam Hollandiæ & Zelandiæ ablegetur juventus. Amſtelodamenſes autem arbitrantur aliud eſſe Academiam ſtatuere, quam ad rem opus ſit privilegiis & immunitatibus à ſuprema poteſtate conceſſis: aliud autem gymnaſium erigere; in quo juventus, & alii Muſarum amantes, abſque ejuſmodi privilegiis, liberali imbuantur doctrina: quale jus penes ſingulas eſſe civitates. Exiſtimant quoque, eam rem plurimum commodare poſſe Leidenſibus: quia ſi annum unum alterum diutius apud ſe detineatur juventus, & eruditione auctior ventura ſit ad Academiam, quod ex honore loci futurum, & judicio firmatior, quod efficiet, ut deinceps hic minus ſit turbarum. Urgent iterum Leidenſes, ſi habere Amſtelodamenſes velint profeſſores aliquos, ſaltem non alibi iis docendum fore, quam in ſcholis claſſicis: uti apud Dordrechtanos fecere profeſſores Naniius, Polyander, Marcellus. Amſtelodamenſes ajunt, non eſſe laborandum Leidenſibus, utrum in auditorio aliquo ſcholæ claſſicæ, doceant profeſſores: an loco aliquantum diſſito, qui magis deceat non modo doctores ipſos, ſed etiam adoleſcentes jam rude à ludi moderatore donatos, ac pariter tot præſtantiſſimos cives, qui ſtudia colant, ac de rerum natura, vel imperiis, aliiſque rebus præclariſſimis, publice alios diſſerentes audire exoptent. Denique objectant, ut hæc eſſent, non tamen debuiſſe Amſtelodamenſes ullum ex Academia hac vocare: ſed potiorem iis habendam fuiſſe rationem ſcholæ, quæ totius ſit Hollandiæ ac Zelandiæ, quam quæ unius ſit urbis futura: præſertim cum ipſi nobile ſint membrum in Procerum conventu, à quo Curatores Academiæ ſtatuuntur, ut quos hi ſtatuerint Academiæ profeſſores, iidem ab Amſtelodamenſibus ipſis præfecti fuiſſe Academiæ ſint dicendi. Neque negant Amſtelodamenſes, hæc alicujus eſſe ponderis: ac propterea delegati eorum in Ordinum conventu ante menſes duos, cum à Leidenſibus ſuper hoc compellati eſſent, eo inclinabant, ut ſi rogarentur, ne quemquam vocare ex Academia ſua vellent, morem ea in re gererent, dummodo mihi ſatisfieret, quo invito pacta conventa non poſſent reddere ii rita. Leidenſes vero paſſi ſunt optimam occaſionem effluere, quamquam dies dicta eſſet conventus, & ea de cauſa ſemel iterumque Lugduno Hagam excurriſſem. Nimirum honeſtius urbi ſuæ putant Leidenſes, ſi non tam rogent Amſtelodamenſes, ut à propoſito deſiſtant, quam ſi in proximo Ordinum conventu, qui menſe Martio futurus, interdicatur Amſtelodamenſis, ne Illuſtrem ſcholam erigere, aut ſaltem ne quemquam ex Academia ad ſcholam urbis ſuæ vocare profeſſorem poſſint. Amſtelodamenſes autem negant ſe quicquid facere velle, quod privilegiis Leidenſium adverſetur. Sed ſi iis repugnet conſilium de gymnaſio, in quo doceant profeſſores publici, ſolum opus eſſe, ut privilegium hoc ſibi mutuo retur: eo vilo, velle ſe ab inſtituto deſiſtere. Ad me autem, quod attinet, eo ſe potiſſimum de me ajunt cogitaſſe, quia non ſolum opera mea in publice docendo Hiſtoriam, pergratum eon urbi argumentum, utilis ſit futura; ſed etiam in dirigendis ſcholis duabus claſſicis, (quarum non melior facies ſit, quam in ceteris Bataviæ urbibus) juvare conſilio Ampliſſimos Conſules poſſem: quippe qui non ſine fructu annis totis x v. Dordrechtanæ ſcholæ ante hos annos x v præfuiſſem. Negant præterea, cum in Academiam profeſſores vocantur, ſtipulationem intercedere, qua obſtricti profeſſores non alio ire poſſint, ſi res eorum ſic ferant. Si jus eſt Leidenſibus abrogandi munus profeſſoribus, cujus rei exempla nuper vidimus (ut de ſocero Junio taceam, cui profeſſio linguæ Hebrææ erepta invito:) ſane etiam profeſſoribus jus eſſe abdicandi ſe munere quando vellent. Ac hujus rei exempla multa ſuppetere: ut in Danæo ſe conferente in illuſtrem ſcholam Gandavenſem: Gomaro, Middelburgum eunte: Meurſio, proficiſcente Soram, & compluribus aliis. Si profeſſione fungens non poſſit à ſe vocari, tantum requiri, ut profeſſor muneri renunciet: nec dubitari poſſe, quin ſaltem eum tum vocare ſibi liceat. Hæc ſunt, de quibus Leidenſes in proximo Ordinum conventu controverſiam Amſtelodamenſibus moturi videntur. Quod ſi ſic etiam ſe nihil efficere poſſe animadvertant, puto, contenti erunt à Proceribus noſtris x x, aut circiter, millia expetere, ut deinceps liberalius habeant profeſſores alicujus nominis, atque alios etiam conſequantur, qui vel docendo publice, vel ſcribendo illuſtrare hanc Academiam poſſint. Hujus rei indicium non unus mihi eorum fecit, qui Leidenſibus familiarius utuntur. Nec obſcure innuunt, diſceſſum meum cauſſaturum, ut luculentiori conditione Salmaſius iterum

Ep. 494.

Ep 494. advocetur: ut paulum illud damni, quod in me faciet Academia, magnitudine ejus viri abunde compenſetur. Equidem ſi venerit, gratulabor, eo magis, quia ei docendum publice non erit, eoque defæcationi animo totus erit in ſcribendo. Mihi tam felici eſſe non licuit, cui bis de die docendum fuit, ut ignoſci mihi debeat, ſi ſcriptorum præſtantia ab aliis vincar. Laus hæc publica eſt: nec omnia omnes poſſumus. Ac de iſto hactenus. Ad aliud nunc venio, in quo conſilio atque opera mihi opus tua. Ante dies tres quatuor redditæ literæ filio meo Dionyſio à generoſiſſimo Barone Chriſtophoro Slupeskio, quibus ſignificat, fortaſſe iturum ſe Conſtantinopolim, & ad alios Orientis tractus: ac quia meminerit, quanto ardore filius ſoleat expetere, ut terras eas luſtraret, & quæ deëſſent in Arabicis, ab Arabice loquentibus poſſet addiſcere, voluiſſe ſe nunc occaſionem offerre, qua ſine parentum moleſtia voto ſuo poſſet ſatisfacere. Comitem enim itineris hujus aſſumturum. Non abhorret filius, quin nihil æque deſiderat, quam ut hoc fiat. Sed quiddam ſcrupulum mihi injicit, atque uxori. Nam quia illuſtriſſimus hic Baro in religione ſequitur opiniones Eccleſiæ Romanæ, ut filius meus ab ætatulam (necdum annorum xx eſt) judicio non adeo eſt firmato, ut inſecari promiſſis nequeat, aut argumentis decipi ſpecioſis; parum tutum arbitror, eum committere itineri tam longinquo cum iis, qui rem Deo ſe gratam facturos putarent, ſi ad gremium Eccleſiæ Romanæ filium abducerent. Sulpicio mihi injecta ab aliquo, à Rege Chriſtiano legatum iri aliquem Conſtantinopolim; inque hujus comitatu Baronem Slupeskium fore. At Rex non mittet alium, ut puto, quam ſuæ in Religione ſententiæ. Eum presbyter comitabitur, & alii ὁμόδοξοι, (*ejuſdem ſententiæ.*) Quare tanto plus periculi filio ſit in tanto eorum numero, qui diverſum ſentiant à nobis. Ut mittam, quod fortaſſe in iis futuri homines malis moribus, quos affricare meo poſſent. Ille quidem ſe ſatis firmo ad ea pectore arbitratur: ſed ego multis edoctus exemplis tuta etiam timere didici. Nec propterea conſultationem omnem de hac re abjeci. Fortaſſe enim illuſtris hic Baro minus etiam Romanæ Eccleſiæ placitis adhæret, quam cum viveret nobiſcum. Fortaſſe etiam comitabitur Ephorus, Paſchilis medicus, Gallus, qui tantum non juravit in verba zelotarum noſtrorum. Fortaſſe & una iturus fratrum generoſorum tertius, qui, ut intelligo, in religione plane noſter eſt. Et ſi legatus mittendus, fortaſſe erit aliquis, qui in religionis controverſiis non male ſentiat de Eccleſiis noſtris. Quales è politicis Gallia habet multos, qui diſtinguere æra poſſint lupinis: Hæc ſi eſſent, facilem me poſtulatis filii præberem. Eſt enim is Baro Chriſtophorus Slupeskius, ut ſi unum illud de religione excepero, nihil in eo poſſit deſiderari. Pius eſt, ac numinis metuens. Gravis eſt, moleſtus, & cordatus. Ingenio excellit, & pro ingenio rara ei eruditio. Et mei filique eſt amantiſſimus. Quare ſi pulcra fuerit occaſio filio viſendi Orientem, nullis, vel exiguis impenſis meis: nec cauſa ſit ſatis gravis, cur in religione ei ab ὁμόδοξοις metuere debeam: ſane fore puto, ut morem ei geramus. Verum haut animus annuere, antequam de eo, quod dixi, penitius aliquid cognoro. Quare rem feceris longe mihi gratiſſimam, & amicitia noſtra dignam, ſi ea, quæ vel jam ſcias de itinere hoc, vel ex illuſtribus Baronibus aut aliis poſſis cognoſcere, ad me iis ignaris perſcripſeris. Ego quidem & filius generoſo Baroni reſcripſimus. Sed de metu eo, qui religionem ſpectet, ne ἀπὸ quidem. Id enim magis abalienare, quam conciliare poſſe videbatur. Si inconſultum plane erit, ut filius ſe una in viam det, aliæ à nobis cauſæ, & veræ poterunt adferri, cur id minus fiat. Ep 495.

Accepi his diebus literas ab ornatiſſimo Oomſio noſtro, quibus ſignificat, impenſe ſe deſiderare reſponſum ad literas eas quas ad te miſit, poſtquam mihi ſententiam tuam de equeſtri S. Michaelis dignitate perſcripſeras. Nihil illi acceptius fuit humanitate ea, qua morem nobis geſſeris. Atque optat, ut de cætero etiam certior à te fiat.

Salutant te, uxorem, liberos, omnes mei, atque una filius tuus, qui in ſtudiis probare ſe pergit. Lugdun. Bat. CIↃ IↃC XXXI. Pr. Id. Febr.

Tuus omni officio

GER. JOH. VOSSIUS.

CCCCXCV.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S. P.

DE Amſtelodamenſi negotio, amicorum ſumme, & audiveram jam, & puto rem talem eſſe de qua deliberare non debeas. Eſt enim urbs omnium, &c. Impedimenta quæ adferre Lugdunenſes volunt, ridicula ſunt. Cum exemplis appareat jus eſſe oppidis ſingulis virorum eruditorum opera extra illa Scholarum rudimenta uti, quis eſt qui de loco quicquam ipſis imperare aut vetare poſſit? Vana hæc ſunt invidiæ reperta. Ut ad negotium illud de quo ſcripſeras veniam, &c. Slupelskiorum medius (is eſt Chriſtophorus) magis etiam quam ante confirmatus eſt in ſtudio pro Romana Religione, frequenti cum Jeſuitis conſuetudine: neque amici remedium adferre poſſumus, quia non tam argumentis ſe tuetur, quam præfracto nihil audiendi propoſito, &c. XIV Martii CIↃ IↃC XXXI.

Tuus omni officio

H. GROTIUS.

CCCCXCVI.

CCCCXCVI.

JOANNI UYTENBOGARDO

Elegans. CASPAR BARLÆUS S.P.

De voce Anathema. REverende Vir, De Actis Concilii Niceni à Gelasio Cizicено editis, utrum ea genuina sint nec ne, nondum ex amico nostro intelligere potui. Propius rem expendet excussis ferinis. Quæ D. Grotius scribit, verissima sunt, si spectes ipsos viginti Canones Nicenos extra omnem dubitationis aleam positos. Nullum enim illi habent anathema. Symbolum vero Nicenum, prout ab Athanasio perscriptum transmissumque est ad Jovinianum Imperatorem, nullum itidem anathema additum habet. Verum Pontificii ex Scriptoribus Ecclesiasticis ac Patribus quibusdam plures colligunt Canones Concilii Niceni, necnon Acta alia & Epistolas ejusdem Synodi ad Ecclesiam Alexandrinam, &c. in quibus Anathemata in Arium ingeminantur. Hæc an supposititia omnia sint, non est meum dijudicare. Nam ex Theodoreto lib. 1. cap. 8. video Epistolam Synodi citari supradictam, quæ ἀναθεματίζει (*anathema dicit.*) At Theodoretus iste magnæ est fidei & autoritatis. Salmasii annotationes Plinianæ, sive Solinianæ, hic prostant magno ære, viginti tribus, ni fallor, florenis. Legi locum, in quo de Anathematis voce differit. Sed prolixior est, quam ut describi à me possit. Excerpam quædam: hæc ille.

Ἀναθεματίζειν in sacra Scriptura idem volunt significare, diris nempe defigere ac devovere. Quod Patres, *Anathematum vinculis innodare & constringere*, sæpe dicunt. Hesychius: ἀνάθεμα ἐπάρατον, ἀφορισμένον. (*execratus, à communione segregatus.*) Duas hujus vocis significationes attulit, quarum ultima sola vera est. Qui ἐπάρατον & maledictum hoc nomine intelligi volunt, ἀνάθημα & ἀνάθεμα confundunt, & utrumque pro re dedicata & consecrata accipiunt, &c. Nusquam autem ἀνάθεμα apud Græcos in malam partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθημα dixere pro ἀνάθεμα. Ut hinc liqueat aliud esse ἀνάθημα, aliud ἀνάθεμα, licet contra sentiant viri doctissimi. Re quidem ipsa devotum & maledictum hominem significare potest τὸ ἀνάθημα, sed verbi notio alia est, quæ proprie separatum ac semotum designat, ut ex his verbis Pauli constat *Epist. ad Roman. cap.* IX. ηὐχόμην γὰρ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, id est, separatus & alienatus à Christo. Recte itaque Hesychius ἀφορισμένον (*communione segregatum*) exposuit. Et paulo post:

Hoc proprie ἀνάθημα, res nempe separata & semota à reliquo corpore & numero, aut ab usu privati alicujus exempta, ut Deo dicaretur. Nec mirabitur tam diverse esse significationis ἀνάθημα & ἀνάθεμα, qui scribit æque in diversa notione poni τὸ ἀναθεῖναι, & τὸ ἀναθεῖναι. Et post: Ep. 496

Ergo ἀνάθημα proprie est separatio ac segregatio ab aliquo corpore, & societate. Qua voce in hoc sensu passim usi sunt post Apostolos antiquæ Ecclesiæ Patres. Idem quippe est τὸ ἀναθηματίζειν & τὸ ἀφορίζειν, (*segregare,*) &c. In plensque quidem Conciliis ἀναθηματίζειν in solis laicis locum habet, qui ab Ecclesia extorres fiunt. Nam Presbyteri propter idem delictum removebantur tantum ab ordine, & in Ecclesia retinebantur. At in Concilio Gangrensi, tam clericis quam laicis una pœna infligitur, τὸ ἀνάθημα. Quod tamen commode exponendum est. Nam ἀνάθημα *Presbyteri remotionem*, & ἀποξένωσιν (*abalienationem*) *ab ordine & gradu significat*: Laici *vero* ἀνάθημα *depulsionem ab Ecclesia*. Et sane qui ab ordinis sui cœtu rejicitur ἀνάθημα est, ἀπὸ δὲ κλήρου καὶ τάξεως, (*à clero & ordine*) quod & μεθίστησι τῆς τάξεως dicitur in Synodo Neocæsariensi: πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μεθίστησι. (*presbyter si duxerit, ordine ipse depellendus.*) Idem porro est ἀνάθημα & μεθίστημι, ut supra ostendimus. Nihil aliud igitur significat τὸ ἀνάθημα, quam τὴν ἀπόκλεισιν, ἀποξένωσιν, ἀφορισμὸν (*rejectionem, abalienationem, separationem*) ab Ecclesia, & communione fidelium. Nulla prorsum devotionis, aut consecrationis in hac voce significatio, ut persuasum hactenus fuisse video viris doctissimis. Quia vero pro magno malo ducitur extorrem fieri, & exulare ab eo corpore & societate, cujus te cupis esse participem, ex eo vice imprecationis usurpatum est. Ut enim, qui sibi credi volunt aliquid affirmantibus, solent dicere, *ne vivam, peream, intestabilis sim, nisi hoc sit*: ita Judæis & antiquis Christianis solennis in jurejurando formula *anathema sim*, hoc est, à Synagoga & Ecclesia exclusus. Unde & ἀναθεματίζειν sibi tale anathema imprecari. Apud *Matth. cap.* XXVI. de Petro Dominum abjurante: τότε ἤρξατο ἀναθεματίζειν, καὶ ὀμνύειν. *Anathema sibi ipsi imprecabatur, si hominem vidisset.* Male vertunt: *tunc cœpit seipsum devovere.* Nec melius vulgaris, *tunc cœpit detestari.* Nec recte Erasmus: *execrari.* Sed de eo nos alibi latius. Et paulo post. *Hæc momentum mihi habere videntur.*

Pœna autem non fuit alia delinquentibus in Ecclesia Dei proposita, quam ἀνάθημα, id est, separatio ab Ecclesia, & communione fidelium, &c. Hinc ἀναθηματίζειν pro ligare, & anathematum vinculis constringere exponunt, quod extra Ecclesiam pellere significat.

Hæc bona fide ex Plinianis exercitationibus Salmasii excerpsi. habentur latius & continuata serie pag. 1089, 1090, 1091.

Exemplaria adversus monstrosum Specimen abunde jam hic prostant. Judicant, etiam qui Aristarcho amicissimi sunt, illi impositam silendi

Ep 497. lendi neceſſitatem, nec quicquam poſſe ad locum reponi. De Replica multi idem judicant. Ut Facultati ſapiat nondum reſcire potui. Litem Amſtelodamenſibus movebunt ſuper Schola iſta Illuſtri Curatores & Conſules Leidenſes, hiſce Ordinum Comitiis. rem omnem & coepta tanta everſa volent. Etiam D. Voſſio iterum interdixere, ne ulterius cum Amſtelodamenſibus tranſigat. Sed quid tranſigendum ſuperſit, non video. Operam ſuam illis addixit ἁπλῶς. (*ſimpliciter.*) Et perſtat in ſententia. Hierarcha noſter Fabricius in Profeſſores Walæum & Polyandrum alioſque invehitur apud ſuos, quod de negotio Roterodamenſi cum politicis ſententias dixerint. Nihil adhuc de captivis Paſtoribus decretum? aveo ſcire. Raptum 12 Mart. 1631.

CCCCXCVII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

Hagæ.

Judicium de Replica ad reſponſum Profeſſorum contra Prodromum Remonſtrantium.

REverende Vir, Liber iſte, quem de Magiſtratus in Eccleſiaſticis jure ſcripſit amicus noſter, Roterodami inter chartas D. Grotii ibidem in Curia aſſervatur. Dum enim in Viri iſtius ædes involatum fuit, etiam inſontis autoris fœtum tenebris damnavit publicus furor. Forte, ſi res tanti ſit, per Nobelium Conſulem repeti poſſit. Interea præfationem in qua mentio fit hiſtoriæ Uytenhovianæ, &c. deſcribi ex adverſariis curat noſter. Mittam proximo die Sabbathi. Integrum tractatum deſcribere moleſtius fuerit. Ultimum illud reſponſum, quo Profeſſoribus reſpondiſtis, Meduſæ caput eſt, ad quod ſtupent attoniti. Nihil culpant, nihil quiritantur Silent, & quæ apoplecticorum ſolent eſſe ſigna pathognomonica, ſenſus omnis & motus expertes videntur. Nec video, quibus remediis fortem illam apoplexiam & ἀφωνίαν (*ſilentium*) ſolvere poſſint. Mihi adeo arriſit iſta replicatio, ut una lectione ſatiari non potuerim. Reſponſiones ad argumenta illa, quibus anathemate percuti volunt male de SS. Triade ſentientes, aptæ ſunt & nervoſæ. Non es ex eorum numero, doctiſſime Uytenbogarde, qui eloquentiam levibus & inanibus ſonis corrumpunt. Res graves tractas graviter, levicula ita, ut gravia videri poſſint. anna, perenna. Non alius idoneus magis antagoniſtes Facultati opponi poteſt. δυναμιν θεολογικὴν (*potentiam ſeu facultatem Theologicam*) facis ἀδύναμον καὶ ἄῤῥωστον. (*impotentem & infirmam.*) Decretum illud Ordinum Generalium de captivis Paſtoribus non omni ex parte placet. Video quorundam callidis conſiliis moras quæri, uſque dum Saturnus ac triſtes dii meridianum noſtrum teneant. Et quorſum iſta collatio? niſi ut novis declarationibus vexentur miſeri, & in arctum compingantur conſcientiæ eorum, quorum corpora hactenus arcte habitarunt. Vale Vir doctiſſime, & ſi quid de captivis porro ſtatutum ſit, aut ſtatuetur, tribus me verbis per occaſionem certiorem fac. Raptim. 26 Mart. 1631. Ep. 498.

CCCCXCVIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

Hagæ.

De collatione cum Remonſtr. inſtituenda.

REverende Vir, Heſterno die, cum convivio hic celebriori Doctoris cujuſdam intereſſem, una cum IIII viris, multus mihi fuit variis de rebus cum Walæo ſermo, poſt turbatos, ut fieri ſolet, menſæ ordines. Tandem obnixe à me petiit, uti ad Eccleſias ipſorum redire velim, humaniſſime ſe mecum acturos. Reſpondi ego: Ordines Generales jam Collationem parare inter captivos Paſtores, alioſque Synodicos Gelriæ, ad eam etiam ipſum vocandum; monui & rogavi uti in ea iſtiuſmodi conciliationis viam inirent, quam & ego bona conſcientia ſequi poſſem. Ad hæc verba regeſſit: Non arbitror negotium illud inſtitutæ Collationis ſucceſſurum, Ordines Gelriæ gravantur huc mittere Deputatos ſuos, aut eos qui per litteras Ordinum Generalium ſunt exciti. Non dubito quin ad ipſum hæc è Gelria perſcribantur. Etiam ipſi non uſque adeo videbatur arridere hæc collatio. Addebat: ſi inſtituenda ſit Collatio, utilius illam inſtitui poſſe cum Remonſtrantium coryphæis ac directoribus. Non ſinent illi, ut dicam quod ſentio, res illas à Synodis ad iſtiuſmodi conventus devolvi, quales damnavit Synodus Schoonhoviana. Vale Vir doctiſſime. 29 Mart. 1631.

CCCCXCIX.

GER. JOH. VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De Illuſtri Schola Amſtelodamenſi.

MAgnis animis ſuperiori hebdomade actum eſt de negotio meo Hagæ in Illuſtrium Ordinum conventu inter Leidenſes & Amſtelodamenſes. Minantur Leidenſes nihil ſe deinceps tribuere velle ad bellum adverſus Hiſpanum, ſi Amſtelodamenſes violent privilegium ſibi à Philippo rege conceſſum, ut pro obſidione bis fortiter tolerata erigere poſſint Academiam. Aperta enim eſſe privilegii verba, quibus cavetur, ne ulla Hollandiæ aut Zelandiæ urbs talem ſcholam erigat. Amſtelodamenſes jubent attendere ad ea, quæ antecedant vocem hanc *talem*, nempe privilegiatam, ſive quæ honores graduum conferat, immunis ſit à tot oneribus, ſuam habeat juriſdictionem. Quæ ſint forma Academiæ: non illud, quod publice doceatur, cum hoc multa

Ep. 500. multa habeant gymnaſia quæ vocant trivialia; omnia vero illa, quæ vocantur illuſtria: ut ſchola Bremenſis, Sigenenſis, Steinfurtenſis, Dantiſcana aliæque. Imo idem Dordrechtanos juris ſibi vindicaſſe, atque Middelburgenſes: nec Leidenſes ſe unquam oppoſuiſſe. Primum hoc agebatur in Ordinum conventu, ut civitatum deputati ſententiam ferrent de mente privilegii Leidenſibus à Philippo, hoc eſt, Principe Guilelmo ſub nomine Philippi conceſſo. Sed ubi videre pleraſque civitates eo propendere ut pro Amſtelodamenſibus ſententiam ferrent (quæque enim graviter ferret, jus ſibi eripi deinceps in urbe ſua alendi profeſſorem publicum) maluere eam controverſiam ad Curiam utramque devolvi. Utrum paſſuri id ſint Amſtelodamenſes, necdum ſcio. Sed ſi ſint, non dubito, quin Amſtelodamenſes ſint futuri ſuperiores. Uſque adeo apertum mihi videtur, ſingulas civitates id juris habere. Hæc ego ſubito in chartam conjiciebam: quod nollem nobiliſſimum illum Polonum, qui has literas perfert, & multa de laudibus tuis diceret, ſine meis ad te literis venire. Propediem cætera perſcribam. Hæc enim ego, quod dicitur, ſtans pede in uno, ſane raptim adeo, ut metuam ne legere ea poſſis. Sed nimiæ feſtinationi ignoſces. Proxima hebdomade, hoc eſt, poſtr. Kal. Majas, Amſtelodamum migro. Quod Deus bene vertat. Ibi judicium expectabo Curiæ, ſi ad eam cauſa deferatur. Sin minus, cum Amſtelodamenſibus quid faciendum ſit conſultabo. Ita enim petiere, cum per hanc urbem Haga ſe domum conferrent. Vale Ampliſſime Vir & amiciſſime. Lugd. Bat. 1631. 29 April.

Tuus æternum

GER. JOH. VOSSIUS.

IO.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

De Illuſtri Schola Amſtelodamenſi.

QUod cavillantur Lugdunenſium *Παιδοτρίβαι* (*Academiæ præfecti*) de tuo negotio, Voſſi optime, ſiquid ego in illis rebus calleo, ne ſpeciem quidem veri habet. Conceſſum illis eſt habere Univerſitatem, id eſt, corpus juſtum immunitatibus ac privilegiis ſuffultum, cujus teſtimonia juris publici auctoritatem habeant: non etiam, ne qua civitas alia ſcholam ſuam paulo ſupra puerilem pulverem poſſet erigere. Sunt nonnullis in locis molæ, ſunt & furni quibus uti quilibet de populo ita cogitur, ut ipſe alium erigere ſibi aliſve non poſſit, bannales Itali vocant: tale nobis Batavis Gymnaſium ſuum Lugdunenſes vellent facere. At quæ invidia eſt, civitatem toto orbe nobilem, retinere paulo diutius ſub oculis parentum & propinquorum bonis rebus deſtinatam juventutem, vel in hoc ut juſtis Magiſtratuum imperiis aſſuefcant, quæ contemnere hodie pro pietate habetur. Te jam ibi eſſe confido; neutiquam enim pro ſapientia tua feceris, ſi te clamoribus iſtis moveri patiaris. Salmaſius quantum adhuc & ex ipſius literis, & ex aliorum relatu conjicere poſſum, ſuſceſſurus eſt quod defertur. Quomodo illi cum Ariſtarcho conventurum ſit, equidem neſcio. Nam & Ariſtarchus inſolens eſt, & ille Hæduus inſolentiæ minime patiens. Nobilis Polonus qui tuas attulit, nihil mihi attulit lætius, quam quod te recte valere & bene animatum eſſe nuntiavit. De Noomſio ad uxorem quæ nunc in veſtris eſt partibus ſcripſi. Addidi ad ipſum has literas, quas, ut mea omnia, tuæ commendo fidei. Salutationes ad tuam tuoſque aſcribere quid opus eſt, cum uxor hæc quoque mandata ſuſceperit, ubi loqui opus eſt, minime muta. Sed te à ſtudiis avoco. Vale amicorum optime. x Maji CIↃ IↃC XXXI.

Tuus qui ſemper

H. GROTIUS.

IↃ I.

Reverendo, ſummæque eruditionis ac pietatis Viro,

JOANNI CRELLIO

HUGO GROTIUS S.P.

LIbro tuo, quo ad eum, quem ego quondam ſcripſeram, Eruditiſſime Crelli, reſpondiſti, adeo non offenſus fui, ut etiam gratias tibi tunc intra animum meum egerim, nunc autem & hiſce agam literis, primum quod non tantum humane, ſed & valde officioſe mecum egeris, ita ut queri nihil poſſim, niſi quod in me prædicando modum interdum excedis: deinde vero, quod multa me docueris partim utilia, partim jucunda ſcitu, meque exemplo tuo excitaveris, ad penitus expendendum ſenſus ſacrorum librorum. Bene autem in epiſtola tua, quæ mihi longe gratiſſima advenit, de me judicas, non eſſe me eorum in numero, qui ob ſententias, ſalva pietate diſſentientes, alieno à quoquam ſim animo, aut boni alicujus amicitiam repudiem. Etiam in libro de vera Religione, quem jam percurri, relecturus & poſthac, multa invenio ſummo cum judicio obſervata: illud vero ſeculo gratulor, repertos homines, qui neutiquam in controverſiis ſubtilibus tantum ponant, quantum in vera vitæ emendatione, & quotidiano ad ſanctitatem profectu. Utinam & mea ſcripta aliquid ad hoc ſtudium in animis hominum excitandum inflammandumque conferre poſſint! tunc enim non fruſtra me vixiſſe nactenus exiſtimarem. Liber de veritate Religionis Chriſtianæ magis ut eſſet nobis ſolatio, quam

Ep. 502. ut aliis documento, ſcriptus, non video quid poſt tot aliorum labores utilitatis afferre poſſit, niſi ipſa forte brevitate: ſi quid tamen in eo eſt, quod tibi tuique ſimilibus placeat, id mihi ſupra ſpem eveniet. Libris de Jure belli & pacis id præcipue propoſitum habui, ut feritatem illam, non Chriſtianis tantum, ſed & hominibus indignam, ad bella pro lubitu ſuſcipienda, pro lubitu gerenda, quam gliſcere tot populorum malo quotidie video, quantum in me eſſet ſedarem. Gaudeo ad Principum quorundam manus eos libros venisse, qui utinam partem eorum meliorem in animum ſuum admitterent. Nullus enim mihi ex eo labore ſuavior poſſet fructus contingere. Te vero quod attinet, credas rogo, ſi quid unquam facere poſſim, tui, aut eorum, quos ſingulariter amas, cauſa, experturum te, quanti te tuo merito faciam. Nunc cum aliud poſſim nihil, Dominum Jeſum ſupplice animo veneror, ut tibi aliiſque pietatem promoventibus propitius adſit. Lutetiæ 10 Maji, 1631.

Tui nominis ſtudioſiſſimus

H. GROTIUS.

IO II.

HUGO GROTIUS

MARTINO RUARO S.P.

FOrte adverſis meis hoc debeo, Vir Clariſſime, quod nomen meum latius quam pro merito ſpargitur, alioqui obſcurius per ſe, quam ut inter tot & tantæ eruditionis ſidera locum aliquem obtinere poſſit. Cæterum ſi qui ſunt, qui nos quoque reſpiciunt, multum illis debeo, vel ob hoc, quod id quoque ad virtutis ac literarum ſtudia non leve incitamentum eſt, credere ſe in aliqua lucis parte verſari. Tibi vero, qui tam rara comitate amicitiam tuam, quam ſane facio maximi, & offers mihi, & re ipſa oſtendis, niſi gratiam habeam maximam, multum abſim ab iis, quibus me pingis coloribus. Neque tam ruſtice verecundus putari volo, ut, ſi occaſio ſe ferat, non auſim uti tam amice ſe offerentis officio; ſed ea lege, ut, ſi quid hic ſit, quod tui tuorumve cauſa fieri poſſit, id ne alteri potius quam mihi injungas. Vale Vir Clariſſime. 10 Maji, 1631. Lutetiæ.

Tua claritati addictiſſimus

H. GROTIUS.

IO III.

JOANNI UYTENBOGARDO

CASPAR BARLÆUS S.P.

Hagam.

INgenti me gaudio perfudit, clariſſime Uytenbogarde, allatum ad nos de liberatis captivis nuncium. Bene habet, tandem luci ac libertati priſtinæ reſtitutos lucis ac libertatis Euangelicæ præcones. Quod à Procerum patriæ noſtræ facilitate impetrari non potuit, ab ingenio tandem impetravere. Et hoc recte. Libertatem juris naturalis eſſe perhibent Juriſconſulti. Illi ergo ſtudere fas eſt, quotquot naturam ac ſui amorem non exuere. Excedere omnes adytis, aut potius carcere, alteri adhuc incluſi, è quo liberationem tantopere optavere Platonici, tantopere Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. (*Omnium hominum ſapientiſſimus Socrates.*) Ex illo humana induſtria erepti ſunt; ex hoc ſola mors eruet, ubi ſummo liberatori viſum. In illum reverti poſſunt: in alterum illum, ubi ſemel exierint, redire non dabitur, captivitatis puta titulo. Ego liberatis, & aëre nobiſcum liberiore fruentibus gratulor, nec futurum ſpero, ut poſthac patria noſtra pergat παραδίδωμι. (*tradere.*) Videbaris poſtremis tuis ad me litteris aliquid petere velle, ſi quando tertiam Poëmatum meorum editionem adornarem. Fac ſciam, quid velis. Nihil eſt quod tui cauſa, & non ſuſcipere libenter, & perficere cupiam. Voluiſſem in iis meminiſſe Herois iſtius, cujus ſanguine ferrum irrubuit, nec non tui & aliorum. Sed non licuit, quoad Leidæ mihi vivendum fuit. Optime novi, quid officii mei ſit. Sed alibi metus, alibi muneris ratio prohibent facere, alias facienda. Vale vir clariſſime & prudentiſſime, cum uxore & familia, Amſtelod. 24 Jul. 1631.

De Captivorum Remonſtr. ex arce Lupeſtra. liberatorum.

Loema in Barl.

In liberationem Captivorum Remonſtrantium.

Quos triſtes tenebræ, formidatique penates,
Ferrataque diu detinuere ſera,
Abſolvit nox una viros. Sic, victa dolore,
Ipſa ſibi pietas repperit arte viam.
Et quod non potuit precibus, jam perficit aſtu,
Fortunæ vindex ingenioſa ſuæ.
Claudite Idumæi vaſta ſacra funera petræ,
Et tumulum armiferis cingite militibus.
Claudite vos Chriſto famulantia nomina, Belgæ,
Et captos totis cingite fluminibus.
Nil agitis, ceſſere duci cuſtoſque, foreſque.
Jam famulis, illo vindice, clauſtra patent.

N. N.

IO IV.

IC IV.

SIMONI EPISCOPIO

CASPAR BARLÆUS S.P.

A Comitiis Ordinum proximis, Episcopi Clarissime, nihil causæ communi meuo. Ingens erit malacia, ubi Amstelodamenses cordatius loqui in animum inducent. Audio hic decretum esse, ne posthac Edicta illa in Remonstrantes rata habeantur, aut executioni mandentur. Hæc turbis, odiisque materiam præbere, & facem dissidiorum motibus novis accendere. Ita futurum spero, ut idem ille, qui fluctus hosce aliquando movit, Neptunus, eosdem tridenti suo componat. Vale Vir clarissime & doctissime. Uxorem, D. Couwenhovium aliosque amicos & collegas meo nomine saluta. Raptim x Sept. CIↃ IↃC XXXI. Amstelod.

IC V.

GUILIELMUS

Episcopus Londinensis

GERARDO VOSSIO.

Literas hodie tibi debeo binas. Totidem enim accepi nec reddidi. Sum in hoc genere æris solvendo paulo tardior. Et certe aliquid tantum est quod possim solvere. Tanta enim mole negotiorum gravatus sum, ut aliquid sit & sæpius quod mihimet ipsi debeo nec solvere possim: quid ni ergo & amicis aliquando? Et quod nunc in hoc scribendi officio tibi non desim, gratias ago stylo huic contractiori, qui hoc unum novit, multa paucis concludere. Intelligo ex utrisque litteris tuis, &c.

Si quæ parata habeas, nolim ut abscondas. Nosti quid sit lucerna sub modio. Nec erit male posita opera, si scripta illa, quæ ut antiqua sunt ita ante hoc sæculum pene antiquata, è pulvere suo extrahas, iisque aliquid lucis addas. Semper tamen inculco Baronium, & eo magis, quia Ecclesia (sic enim scribis) summa votorum tibi. Franciscus Junius rediit in Britanniam, &c.

Victoriæ principis vestri gratulor: cedat precor in gloriam Dei & bonum Ecclesiæ. De prudentia ipsius & virtute militum non est apud me dubium. Sed si iterum & in mari non rubro Israëli prævit nebula, date quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. De filio tuo, &c. Scias me

Amicum semper tibi fore fidelissimum

GUIL. LONDON.

Novemb. 7 1631.

IC VI.

CASPARI BARLÆO

PETRUS CUNÆUS S.D. Amstelodamum.

Literas tuas, Cognatorum dilectissime, quas XXIX Decembris ad me dedisti, octavo demum die, ex quo scriptæ erant, accepi. Non judicabam eas responso celeri opus habere. Quare hoc distuli, donec navigationi pervius foret lacus. Quod mirari quosdam scribis, in sculptura tituli librorum meorum de Rep. Hebræorum, Mosen à sinistris, Aaronem autem à dextris stare, nescio utrum à typographo sit casu, an studio ita factum. At plane me & inconsulto & ignorante factum esse scio, cum nec unquam ante intellexerim picturam titulo accessuram, & inter excudendum nulla totius operis pagina à me conspecta, nedum correcta fuerit. Adeo universam eam rem commisi typographo, qui nihil aliud à me petiit, nisi ut permissu meo recudere eum tractatum sibi liceret. Accedit, quod sententia mea super πρωτοκαθεδρία (*primi consessus*) jure, ac super Principum & Regum potestate in rebus sacris, non ex picta editionis fronte, sed ex libri primi capite decimo quarto adeo manifeste appareat, ut hæc res etiam invidiam mihi & quorundam indignationem pepererit. Et fane etiam currente prælo admonuit me amicus meus, non infimi ordinis Theologus, an non possim probare D. Francisci Junii versionem super amiculo sacro Ebjatinaris Pontificis, quod sibi David applicavit 1 *Sam. cap.* XXX. *vers.* 7. eum eam versionem reprehenderim in dicto capite XIV. *lib.* 1. Attuli autem ei graves & justas rationes, cur in sententia mea contra eam interpretationem persisterem. Vide, quæso, locum, & excute. Non enim ibi scriptum est לדוד *le David* (quod forte posset verti, *in Davidis gratiam*) sed אל דוד *El David*, *Ad Davidem*. Sed de his alias. Gratulor tibi initium susceptarum lectionum, & ut feliciter porro procedat, precor. Quod optas, ut instituto illi tale adferre decus possis, quale adferri à Professore par est, id totum modestiæ tuæ adscribo. Nemo enim est, qui nescit quam possint omnia præclara ab excelsa tua indole, & eximia doctrina proficisci. De Sexto Empirico, fac, ut scribis. Nihil enim est, quod magis huic sæculo debes. Avunculus meus Regemorterus jam pridem discesserat, quare doleo ex ejus ad nos adventu aliquam moram proposito tuo injectam fuisse. Nunc te exspectabo ut primum ad nos per lectiones vestras venire poteris. Uxor mea nudius tertius filiolam mihi peperit. De tua idem intelligere cupio. Nisi forte masculam prolem malis. In qua re votis tuis faveo, & scis te hac re à me vinci, qui tribus masculis subnixus sum. Vale Vir clarissime, & cognate

De sculptura male libro suo præfixa.

Digitized by Google

Ep. 507. conjunctissime, & uxorem liberosque saluta. Lugd. Bat. 12 Januarii 1632.

IO VII.
GUILIELMO
Episcopo Londonensi
GER. JOH. VOSSIUS S.P.

De Historia Pelagiana. Gratia, aliisque.

REverende in Christo Pater Domine Illustrissime, Tandem decisa est lis duarum civitatum, atque ab utraque Hollandiæ Curia pro Amstelodamensibus est pronunciatum. Quare, Deo propitio, VI Id. Jan. inauguralem habui orationem: uti & postridie Caspar Barlæus, magnoque doceo auditorum confluxu, non adolescentum modo, sed virorum gravium doctorumque, in quibus & complures qui ad clavum Reip. sedent. Ut quamvis frequens mihi auditorium esse soleat Lugduni; Amstelodamense tamen hoc & numero aliquanto & præstantia longissime vincat, &c.

Reverendissimus Episcopus Armachanus dicavit nomini nostro laborem suum de controversia quæ ante annos prope octingentos de Prædestinatione cum Godscalco fuit. Sane pro honore hoc habito mihi plurimum summo viro debeo, operamque dabo, quoad vivam, ut gratum me præstem. Nec tamen per omnia nobis convenit in hoc argumento. Primus sane Reverendissimus Usserius talem Godscalci defensionem suscepit, qualem non ausus olim fuit Remigius ipse, vel Ecclesia Lugdunensis. Esto ut Hincmarus non tenuerit modum in eo premendo: non idcirco non Godscalcus modum excesserit in dogmato suo: quem jam ante litem cum Hincmaro damnarat doctissimus sui sæculi Rabanus Maurus, & una cum eo universa Synodus Moguntina, in qua tot viri simplicis antiquitatis gnari, & Augustinianæ sententiæ non amantes minus quam intelligentes. Quanto igitur satius sit existimare Monachum unum exorbitasse, quam tot viros eximios: Et quam grave tot Historicis veteribus fidem derogare! Augustini sententiam amplector & ipse: sed non ut eam capiebant Monachi Adrumetini, & sæculis tot postea Godscalcus: verum ut eam interpretabatur Prosper, atque is cujus de vocatione gentium liber sub Prosperi exstat nomine: hoc est, sic Augustinum capere soleo, ut non pugnet secum ac simul cum antiquioribus, quos adversus Pelagium ipse advocare in partes solet. Amplissimus Vir Hugo Grotius suasu multorum præstantium virorum, eorum etiam qui in dignitate sunt constituti, in patriam redit: sed illis ignaris qui ante annos duodecim perpetuo illum carceri addixerant: item istis, qui factiosis illis temporibus, dejectis cæteris, ad honores summos pervenerunt. Omnes illi, paucis exceptis, sua interesse existimant, ne tantus vir (nec enim magnitudinem ejus ipsi ignorant) in luce hominum versetur apud suos. Quare adversus eum in Illustrium Ordinum conventu magno ab iis studio ac contentione certatum est. Nec Grotio luculentum defuit patrocinium vel Ordinis Equestris, vel trium magnarum civitatum, Rotterodamensis ubi Syndicus fuit; Delphensis, ubi natus, & Amstelodamensis, quæ non prudentia minus quam opibus & potentia valet. Attamen tanto impensius obniti Lugdunenses, quorum primarius Consularis unus è Judicibus fuit: item Harlemenses, ubi non multum dissimilis causa. Civitatum aliarum quædam se medias gerunt: Plures se aggregant Lugdunensibus, sed ex minoribus, quæ ex placito Ecclesiastarum pendere imprimis existimantur. Proinde quem res ea habitura sit exitum, haud facile dixero. Faventem quidem habet florem Bataviæ, sed ita sæpe apud nos usu venit, ut zelotæ, quales apus vos rigidiores Puritani, minus & clamoribus modestiam melioris partis expugnent. Quod si sic pertendant, metuo ne maximus Vir, molestiarum pertæsus, sponte etiam ingrata patria excedat. Atque eo magis hoc formido, quia probe habeo perspectum, quantopere eum & Reges ac complures desiderent Principes, qui magnis honorum ac commodorum promissis suas in terras pellicere conantur. Sed si extra patriam ei vivendum sit, cunctis eum terris pene dixerim invideam, præterquam Magnæ Britanniæ, ubi prævideo quantopere & Serenissimo Regi Karolo, Domino nostro, & regno universo utilis esse possit.

Academia Lugdunensis cum videret se quotidie pejus pejusque audire ob crebras pugnas ac cædes, tandem exemplo memorabili effrænem hanc licentiam compescendam putavit. Nam quod in ea contigit nunquam capitis supplicium de eo, qui alterum interemisset, sumtum est. Fuit is ex famulitio Principis Razivilii, ejus cujus parens ob potentiam regi propè ipsi Sigismundo formidabilis esse solet, atque à Reformatis Ecclesiis maximi fit, ob summum studium erga Ecclesias nostras. Tanti Principis filius Lugdunum se studiorum causa ante annum circiter contulit, nec levem adventu suo Academiæ honorem attulit. Servum habuit, qui uno altero comitante ex eadem familia, vesperi exiens, incidit in hominem nequam, qui prius, ut ajunt, & litem intentavit, & pugna adortus fuit. Hunc vulneribus aliquot confodit servus is. Sed cum & vulnus ipse accepisset, non potuit sat cito sibi fuga consulere. Captus itaque, vinctque multatus, etsi multum pro eo intercederet Princeps Razivilius. Hoc supplicium graviter admodum Razivilius tulit. Itaque sive proprio instinctu, sive Sacellani & Nobilium, quos habet, solenni die, quo Rector Magnificus novus toti denunciatur Academiæ, surgens de

Ep. 508. de latere Principum Bohemicorum (nam inter eos & Academiæ Curatores medius considebat) non impetrata ex more venia, suggestum adscendit, atque ad Professorum Collegium orationem habuit, ac vehementer cum iis expostulavit, quod (ut verba ejus retineam) post triginta nocentium impunitatem, sanguine innocentis servi togus suas conspurcassent: unde fieret ut ipse, qui honorem præsentia sua Academiæ attulisset, nihil inde præter ignominiam reportaret, propterea que sibi animum quam primum Academiam hanc relinquere. Quibus dictis non priorem locum repetiit, sed cœtum continuo excessit. Hoc ejus factum indigne valde tulere Curatores ac Professores Academici, & Leidenses proceres. Postulatum igitur ut Senatui se sisteres. Respondit, se Principem esse: eoque, si quid dicere haberent, se accederent. Petitur ut scripto traderet quæ dixisset. Negavit se de scripto recitasse, eoque frustra illud exposci. Vix honos Academiæ permittit, ut nihil hac in re agatur. Et tamen, ut censeo, concoquet hoc factum ob illustrem ejus dignitatem, quicum illi negotium est. Et videtur non tam peccatum à Principe, qui adolescens est annorum duodeviginti, vel circiter: quam ab iis quos in comitatu habet, ac quorum curæ est commissus. Grave etiam ducent offendere parentem ejus, Lituaniæ ac imperii etiam Principem, maximæ in universa Polonia autoritatis virum, & si quis alius iis terris, præclare de Ecclesia merentem. Supereſt ut gratias agam pro affectu erga filium, quem literæ tuæ, Reverendissime Domine, testantur. Porro eum quoque nomini tuo commendo: quod & ipse, ut facerem, postulavit: ego vero rescribo, me non alia ratione meos commendare solere, quam qua olim suos Cæsar Augustus, Si meretur. Volo enim magis magisque se suscitet, ut tueri & ipse familiæ decus possit.

Deus Opt. Max. diutissime Te incolumem præstet, bono Ecclesiæ universæ, ac totius Regni Britanniæ, ac tuorum quoque, Reverendissime Domine, clientum. Amstelodami CIↃ IↃC XXXII. Idib. Februariis.

Reverendissimi & Illustrissimi nominis tui cultor & cliens devotissimus

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ VIII.

GUILIELMUS

Episcopus Londinensis

GER. JOH. VOSSIO S.P.

De Usserio, Grotio, &c.

VIr Illustrissime, Literæ tuæ Id. Februariis datæ nuper ad me delatæ sunt, &c. Armachanus certe noster vir doctus & gravis librum tibi dicatum à se scriptum, ad me misit. Gratias egi ut par erat. Nam valde mihi Præsul ille ob multiplicem doctrinam charus: sed quum primum inspexi, nonnulla occurrebant quæ mihi raptim (prout res meæ exigunt) legenti non ita arrisere. Præcipue vero ille S. Augustini sensus restrictior, qui venerabilem illum patrem, nec antiquioribus in Ecclesia, nec sibi ipsi satis constare permisit. Gratias vero tibi ago summas, quod (etsi paucis id à te factum) significare placuit in quibus necesse tibi sit à viro tanto dissentire. Dignare obsecro, si per otium liceat, pleniori calamo, breviter tamen, ea, & si quæ alia sunt, describere & ad me transmittere in privatum tantum usum vertenda. Ep. 508.

De Amplissimo illo Viro Hugone Grotio pauca habeo: salutes quæso virum doctissimum meis verbis. Fac etiam ut sciat, gratum mihi admodum fuisse, quod calculo ejus dignissimo indignissimus approbatus sim, quod ex ipsius ad Casaubonum literis intellexi. Cæterum reditum ejus in patriam fateor mihi semper fuisse inter res vix credibiles, cujuscunque demum suasu fuerit. Nec deest mihi ratio, etsi non hic & nunc inferenda. Si iterum sponte patria excedat, felix est, quod eum tot Reges Principesque desiderant. Hoc uno infelicior, quod non tam aut facile aut tuto eligere potest atque eligi. Quod præ aliis non invides eum Britanniæ, placet id quidem, & quam utilis esse possit non magis scio, quam agnosco. Sed ut nunc res sunt apud nos, de ea re ne cogitandum quidem.

Quod intervenit de turbis Lugdunensibus, & capitis supplicio irrogato homicidæ, certe non sine dolore audio hæc & similia de Academiis. Inter pessimos mores quid restat, si occidere vel occidi sit Academice vivere. Felix tamen Lugdunum vestrum, quod inter tam crebras cædes, tot habet tamen Nobiles, quotidie illuc advolantes studii & eruditionis causa, auditque Asylum juventutis. Sed non sic olim crevere literæ.

Quod reliquum est (nam alia me avocant) cura valetudinem, ut diu usui esse possis Ecclesiæ Christi. Ævum schismaticum dicis. Nec audeo abnuere. Interim necesse est ferre, quod nec vitare potes nec corrigere. Et certe morbus adeo complicatus est, ut nescio quem possit expectare medicum præter Deum. Authorem salutis nostræ dum precibus sollicitas, sis mei memor. Vale.

Tui studiosissimus

GUIL. LONDON.

Julii 3. 1632.

IO IX.

HUGONI GROTIO

DANIEL TILENUS S.P.D.

CEſſatorem fortaſſe jampridem me vocas, Vir præſtantiſſime: pol me miſerum vocares, ſi verum velles mihi dicere nomen. Tres & eo amplius menſes ab arthritide excruciatus de ſumendo contuſas diſtortaſque in manus calamo ne per ſomnum quidem cogitare licuit. Saltem uxori tuæ ἃ ἀυτὴ εἶδε (*quæ ipſa vidit*) hoc meo rogatu tibi teſtatæ accredes opinor. Sed & altiores egit illa, quam mihi tecum eſſe voluiſti, amicitia, quam ut aliquot menſium ἀνεπιμέλεια, (*neglecto ſalutandi officio*) aut ulla omnino humanarum rerum ac ἀξιώσεως ἀξιωτικῆς (*ſtatus conſervatione*) ſolvi metuat. Amyclis non amicis exitiale eſt ſilentium. Utinam vero paulo jucundius eſſet, quod de tuis rebus auribus meis inſonuit, acroama! utinam liqueſcerent tandem plumbeæ illæ, quas adverſarii tui geſtant, iræ! nullum profecto edulcandis, aut ſaltem diluendis miſeriis meis aptius præſentiuſque concinnari poſſet φάρμακον, (*remedium*) tantiſper dum ſenectute & acerbiſſimis articulorum doloribus pene confectus per εὐθανασίαν (*bonam mortem*) ad ἀθανασίαν (*immortalitatem*) velis remiſque contendo. Pro tua piorumque fratrum incolumitate ac quiete non deſino precibus meis fatigare illum, qui *dicto citius tumida æquora placat, Collectaſque fugat nubes, ſolemque reducit.* Ac plane confido fore ut quo major eſt ὁ θεομαχία (*cum Deo pugnantium*) furor, tanto illuſtrior ſit veritatis, eundem compeſcentis, victoria. Solenne eſt veritati etiam ὅτε τοῦ ἀνθεῖσθαι ἥττᾶται. (*dum ſuccumbit vincere.*) Inclareſcit illa non ſolum teſtium ſuorum præconiis, ſed etiam hoſtium ſuorum portentoſis mendaciis. Vale vir ſumme & mihi perpetuo colende. Salutem dico doctiſſimis viris quorum conſuetudine frueris. à D. Uytenbogardo pridem expecto reſponſum ad poſtremas meas, utinam valeat memor noſtri. Pariſiis 2 Aprilis 1632.

IO X.

Excerpta ex literis Gallicis

D. PREVOSTII,

Eccleſiaſtis Genevenſis

datis 18 Maji anni 1632.

QUindecim abhinc diebus quidam nomine Nicolaus Antonius, natione Lotharingus, Muſſi-ponti in Jeſuitarum collegio educatus, ſed Metis Domini Ferri opera ad veram Religionem revocatus, laqueo hac in urbe ſuffocatus & flammis ultricibus traditus eſt. Pluribus abhinc annis humanioribus literis probe inſtructus vitam hic, ubi ſedes fixerat, Philoſophiam privatim docendo, ſuſtentavit; dein aliquot poſt peregrinationes in exteras regiones, ad eandem vitæ ſuſtentandæ rationem eademque ſtudia rediens, animum ad Theologiam ſedulo & cum laude applicuit; & niſi primæ educationis ſuſpicione aſperſus fuiſſet, publicum Philoſophiam profitendi munus pro meritis obtinuiſſet; cum enim Profeſſor in hac facultate eſſet eligendus, cæteros publice diſſerendo longe ſuperavit: tandem à Domino Deodato inter domeſticos receptus ut pædagogum, & ex ædibus ejus à Barone Divonnenſi precibus extractus cum fuiſſet, ut ibidem loci Paſtorem ageret, primo auditores in admirationem traduxit, tandem vero palam factum eſt, fide & occulta profeſſione verum eſſe Judæum. Moroſus admodum natura erat, ſed à Barone Divonnenſi detectus & accuſatus cum fuiſſet, mente paulatim moveri cœpit; nocturnis tenebris crepidis indutus tranſverſo luto huc cum veniſſet, aliaque non bene compotis animi indicia præbuiſſet, prochodochio primum incluſus, conſtrictus, cuſtoditus, & purgantia pharmaca ſumere coactus eſt, nec ipſi toto illo tempore eum officioſe conveniendo unquam defuimus. Cum furor intendebatur, blaſphemis in perſonam Filii Dei ſermonibus utebatur; at lucida cum redibant intervalla illis abſtinebat, ſed veritatem interim illius pernegabat; cumque in ipſum patientia multa conſultum fuiſſet, in carcerem tandem deductus eſt, ubi eoſdem furoris paroxyſmos cum paterctur, eadem tamdiu adhibita fuere remedia, donec ex delirio ſe recepiſſe viſus fuit. Mortis ſe reum, juxta leges noſtras, ſemper judicavit: ſed ut apertius animi ſui ſenſa exponeret theſes duodecim in chartam conjecit, & ad calcem commentarium & rationes partim ex Philoſophia, partim ex Veteris Teſtamenti textibus, ſed Judaico more corruptis, deprompta adjecit: ſibi ablatas theſes antequam integrum commentarium abſolviſſet, ægre tulit, & cum ei redditæ fuiſſent in inſtituto opere perrexit, idque abſolvit. Acciti tandem & ſuper toto hoc negotio auditi à Senatu cum fuiſſemus, Magiſtratus ſententiam poſtmodum capitalem in eum tulit. Martyrem ſeipſum miſer hic arbitrabatur, & martyrium neutiquam refugere velle palam dictitabat. Poſitiones ejus erant:

1. Unicam eſſe eſſentiam & perſonam divinam.
2. Veritatem perſonæ Filii nullam eſſe.
3. Nec incarnationis ejus.
4. Nec etiam perſonæ & proceſſionis Spiritus Sancti.
5. Nullam eſſe Prædeſtinationem & Reprobationem.

6. Ob-

Ep.511. 6. Obſervationem legis neutiquam impoſſibilem, ſed neceſſariam eſſe ad ſalutem.

7. Legem, imo ceremonialem, eſſe æternam, ideoque ſacrificia typica offerenda eſſe, quibus offerentis peccata in oblatam victimam transferuntur.

8. Diſcrimen ciborum eſſe æternum.

9. Circumciſionem itidem eſſe æternam.

10. Meſſiam, purum hominem, ex ſemine Davidis, brevi venturum, Hieroſolyma in integrum reſtituturum, & ſacrificia ibidem redintegraturum.

11. Eum univerſum terrarum orbem ſub Judæorum jugum redacturum ac miſſurum.

12. Novum Teſtamentum, Veteri & ſibi ipſi contrarium eſſe.

Ad ultimum uſque ſpiritum magnum Iſraëlis Deum, magnum Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deum imploravit, terræ oſcula figendo, eumque qui hoc cœlum, hunc ſolem, hunc univerſum, &c. fecit invocando. Antequam è carcere educeretur chirographum ipſi ſuum fuit oblatum, an pro ſuo agnoſceret; quod ſine cunctatione avide ſubſcripſit, cum quidam eum impedire conarentur, theſibus primum, deinde commentariis manum appingendo. Familiaritas quam cum Metenſibus Judæis coluerat, & quam eorum opera cum Venetis contraxerat, item ſtudium Hebraeæ linguæ, quam ipſis docentibus penitius addiſcere voluerat, nec non Philoſophia, mentem ejus parum firmam & flexibilem loco ſuo dejecere & deturbavere.

EPISTOLA XI.

JOHANNI CRELLIO
HUGO GROTIUS S. P.

De Ioan. 1 Thes. III. 2.

TAm pro Epiſtola, Vir clariſſime, quam pro tranſmiſſo libro, gratias ago maximas. Conſtitui & legere & relegere diligenter, quæcunque à te proficiſcuntur, expertus, quo cum fructu id antehac fecerim. Eo ipſo tempore quo literas tuas accepi, verſabar in lectione tuæ interpretationis in Epiſtolam ad Galatas. Quantum judicare poſſum, & ſcripti occaſionem & propoſitum, & totam ſeriem dictionis, ut magna cum cura indagaſti, ita feliciter admodum aſſecutus es. Quare Deum precor, ut & tibi & ſimilibus vitam det, & quæ alia ad iſtiuſmodi labores neceſſaria. Mihi ad juvandam communem Chriſtianiſmi cauſam, utinam tam adeſſent vires, quam promtus eſt animus! Quippe me à prima ætate, per varia diſciplinarum genera jactatum, nulla res magis oblectavit quam rerum Sacrarum meditatio. Id in rebus proſperis moderamen, id in adverſis ſolatium ſenſi. Pacis conſilia & amavi ſemper, & amo nunc quoque; eoque doleo, cum video tam pertinacibus iris committi inter ſe eos, qui Chriſti ſe eſſe dicunt, ſi recte rem putamus, quantillis de cauſis! De illo ad Timotheum loco cogitavi ſæpe, ac plane tecum ſentio, verba non eſſe talia, quæ nullo modo ſenſum ferre poſſint quem ſecutæ ſunt complures Eccleſiæ, temporibus Clementis & Tertulliani, ne Epiſcopus fieret aut Diaconus, qui ſecundas quoque modo nuptias feciſſet. Et recte adducis locum, ubi ſimilis eſt locutio, μιᾶς ἀνδρὸς γυνή. (*quæ fuit unius viri uxor.*) Neque verum eſt ad = τὰ πρός τι = (*ea quæ ad aliud referuntur*) enuntianda, ſemper requiri ut hoc ipſo tempore maneat illa σχέσις: (*relatio*) ſæpe ſatis eſt ut locutio talis locum habeat, rem aliquando ita fuiſſe. Quum & diverſa tempora ſub unius nominis appellationem veniunt; ſic Felicem Suetonius appellat trium Reginarum maritum. Certe Græci, tui ſermonis non ineruditi, ita verba accepere. Ecce Chryſoſtomum.

Deſunt verba Chryſoſtomi.

Quanquam non nego, cur eos, quos digamos vocabant, arcerent Epiſcopatu ſive Presbyterio, non fuiſſe unicam, verba illa Pauli, ita, ut dixi, accepta, cauſam; ſed & æmulationem τῶν ἔξω. (*eorum qui extra ſunt.*) Romano Pontifici maximo non licuiſſe iterare matrimonium aſſeverat Tertullianus de Monogamia, & ad uxorem, & Exhortatione Caſtitatis, & Præſcriptionibus adverſus hæreticos; quod ipſum de Flamine Diali alii prodiderunt. Jam vero erant ejus animi illorum temporum Chriſtiani, ut nulla in re, quæ modo aliquam haberet honeſti ſpeciem, extraneis quicquam vellent concedere. Erant autem ſecundæ nuptiæ, quanquam in fœminis magis culpatæ, tamen ne in viris quidem laudatæ, præſertim ſi liberi exſtarent: ita ut Clementis Alexandrini judicio, is qui uxore mortua alteram ducat, non peccet quidem in fœdus, ſed tamen minus impleat τὴν κατ' ἐπιστήμην πλήρωσιν. (*exactam perfectionem.*) Cæterum cum ea quæ à Diacono, tantoque magis ab Epiſcopo ſive Presbytero exigit Apoſtolus, talia ferme ſint, quæ à Chriſtianis omnibus exigantur, propior ſum Theodoreti ſententiæ, quæ hoc ſpectatum putat, ne ad tales functiones eligerentur, niſi qui retro ab ipſo Baptiſmi tempore omni probro ac culpa vacaſſent, nec ullo facto Eccleſiæ animadverſionem incurriſſent. Voces autem *Mulieris*, & *Viri*, hic ſumi, ut ſexum primario, non conjugium denotent; ut ſenſus ſit; talem virum Eccleſiæ præfici debere, qui una contentus fœmina fuerit, id eſt, qui uxori ſemper concors fiduſque vixerit, neque eam læſit aut pellicis aut vago amore: quod apud Græcos nimium fuiſſe frequens, etiam Comœdiæ de Græco in Latinum verſæ teſtantur, & quidem diſſimulantibus id publicis legibus. Obſtare videbitur, quod in vidua alleganda requirit Apoſtolus, ut unius viri fuerit mulier: nam is

locus

Ep.512. locus de viris ob locutionis similitudinem comparandus esse videtur; mulieri autem nec duos simul habere maritos permissum fuit, nec ad earum adulteria leges connivebant. Vera hæc sunt. Sed notandum est, mulieribus Græcis & Ephesinis licuisse per leges a maritis divortium facere, & sic, quoties vellent, mutare matrimonium: quod non modo cum Christi edicto pugnabat, sed etiam licentiam, qualis tunc vigebat, inspicientibus non procul aberat ab adulterii specie: de Romanis mulieribus Seneca: *Illustres quædam ac nobiles famina, non Consulum numero, sed maritorum annos suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii.* Juvenalis:

Sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

Martialis non illepide:

Toties quæ nubit adultera lege est:
Offendor mœcha simpliciore minus.

Unius ergo viri fœmina ea dicitur, quæ viro dum is vixit fida fuit, neque eum divortio mutavit. Hæc sunt quæ mihi de isto loco hoc quidem tempore videntur: quibus si quid habes rectius, id rogo mihi benignus impertias, atque ita de me credas, mihi nil fore gratius, quam si qua in re gratum quid tibi facere possim: Deus tuis laboribus propitius adsit. XX Junii CIↃ IↃC XXXII.

Tui studiosissimus
H. GROTIUS.

IↃ XII.

JOANNI UYTENBOGARDO
DANIEL TILENUS.

MOnsieur, Vous verrez deux copies de mon Testament, l'une en Latin, faite il y aura tantost un an, qui ne doit estre mis es mains de l'executeur; l'autre en François, en la forme, qu'il pourra estre produit en justice si le cas y eschet. Quant à la copie Latine, elle doit estre communiquée par delà à ceux que vous estimerez à propos, pour servir à faire voir la Retractation de la doctrine contenuë en mon Syntagma. Vray est, que je composay en partant de Sedan, un autre traité en forme de Dialogue, touchant les controverses; si vous desirez, je vous le pourray envoyer. Je l'avois fait en intention de le faire servir non seulement de palinodie, mais aussi d'un essay de quelque ἀποκατάστασις, (*reconciliationis*) auparavant ce malheureux Synode de Dordrecht, que la playe de l'Eglise n'estoit pas encor à mon opinion devenuë fistule & ulcere incurable, telle que je la voy maintenant. Je ne sçay si vous avez sceu, qu'au Consistoire de Charenton a esté fait un decret de recevoir à la Cene les Lutheriens, qui toutesfois ny mettent pas la presse. Je n'ay rien apprins de Monsieur Grotius, depuis son partement de Hollande; il a escrit à quelques autres amis de Hambourg, non pas à moy, qui Ep.513.
n'ay pas laissé de luy escrire par Madamoiselle sa femme, à laquelle on attribue icy generalement la cause de son depart de Paris, dont on croit, que l'un & l'autre ont juste subject de se repentir. Je n'apprens plus rien de l'estat de nos freres pres de vous; Ce nombre est si petit icy, que nous pouvons bien dire; *Ubi duo vel tres, ibi Ecclesia, etiamsi sint laici.* Cependant il conste qu'il y a meimes des Ministres, tant icy, que plus loing en France, qui cognoissent la verité, & la detiennent en injustice, leur avarice les liant aussi bien par le ventre avec de petites cordelettes, comme plusieurs Beneficiers & Officiers en l'Eglise Romaine s'y trouvent attachez par les gros cables de leurs Abbayes & Eveschez. Dieu trouvera ailleurs des pierres plus propres pour en susciter des enfans à Abraham. Derechef, je vous prie de faire bien tost response, & sur ce je me recommande à vos saincts prieres, saluant bien-humblement vos bonnes graces, sans oublier Monsieur Episcopius, & tous les autres freres & bons amis, priant Dieu,

Monsieur, de vous conserver longuement & heureusement, pour le bien de son Eglise. De Paris, ce 20 Juillet, 1632.

IↃ XIII.

GERARDO VOSSIO
HUGO GROTIUS S.P.

UXoris adventus tuæque manus conspectus, Vir optime inter doctos inter bonos doctissime, non levamentum mihi tantum solitudinis, sed & gaudium ingens attulere. Nam tanta vi inimicorum oppressus, ad quem me verterim potius, quam ad illam omnis fortunæ sociam, & ad te, cujus fides mihi nunquam dubitata tot adversis meis etiam aliis omnibus illuxit? De rebus meis nihildum constitui: sed quantum prospicere possum, erat aliqua eligendi facultas. Nec durum videri mihi debet sub Domino vivere, cum videam apud vos, ubi tantum pro libertate dependum est, vix quicquam ejus præter nomen restare. Certe quidvis potius statuendum censeo, quam ut iis supplicem, quibus post tot annorum patientiam dignus visus sum qui rursus traducerer. Ego eum hominem qui τὸ γενναῖον (*generositatem*) decoxit nullius pretii puto. Pontanum & alios qui literarum florent laudibus nostri memores vivere gaudeo: non quod istam patriam meam posthac putem; sed quod ubivis terrarum diligi sit jucundum; iis maxime qui immeritis odiis vexantur. Vale vir summe cum uxore ac liberis, quibus omnibus omnia fortunata ego, mea, meique comprecamur. VII Augusti CIↃ IↃC XXXII. *De rebus suis.*

Tuus tuo merito
H. GROTIUS.

IↃ XIV.

IO XIV.

DANIEL TILENUS

HUGONI GROTIO S.P.

EQuidem non possum non probare consilium tuum, Vir præstantissime, quod crudelibus terris valedicere, quam parum decora supplicatione innocentiam maculare, indignisque rumoribus objicere maluisti. Digna vero ingrata patria, ut cujus eximias dotes aspernata est, ejus ne ossa quidem habeat. Auguror futurum, ut qui incolumem in virtutem oderunt, sublatam ex oculis frustra quærant. Digna civitas, quæ non alios quam Judæos & Manichæos habeat cives, ejectis illis quibuscum ipsa pietas migrasse videri queat. Veniet tempus, quo qui optime meritis debita præmia reddere noluerunt, lassis justa piacula exsolvant. Et quid, obsecro, egisses iis in locis, ubi summus improbitati honos; virtuti non modo præmia nulla, sed supplicia quoque parata! Quid inter homines in quibus ne mica quidem humanitatis! Absit vero ut extorrem è patria existimem, quem quilibet locus, non plane à sole aversus, amantissime excipiet cupidissimeque fovebit: neque enim tu Batavia cares, sed Batavia te: mihi dolendum, quod video suavissima tua consuetudine mihi deinceps carendum: sed neque hunc, neque familiaris nimium arthriditis dolorem diuturnum fore spero, *οἶδας ἐν μικρῷ ἐσο ἐ λύσις ἔ σκηνώματός μ.* (*sciens quod propinqua sit tabernaculi mei depositio.*) Interim Vale Vir & amice optime, meque quod mutuo semper facturus es, amare perge. Lutetiæ XIV August. 1632.

Tibi addictissimus

D. TILENUS.

Ex quo à nobis discessisti, ternas omnino literas abste accepi: nullæ obsignatæ, omnes sine signo, sine lino mihi traditæ, nulla imago ceræ impressa: talia epistolarum vincula vel centies quis solvat, totiesque reponat. Amanuensisne tui incuria, an, quod magis suspicor, curiosuli alicujus, nescio quid arcani ruspantis, fraude id evenerit, tu cogitabis. Ego tibi significandum putavi, nescius ne esses.

IO XV.

VALENTINO GRUNEWALDO,

M. R. S. P.

AD literas tuas, mi Valentine, pr. non. Aug. datas, antequam Amsterodamo discederem, respondi: restabat, ut, quæ petiveras, hinc tibi mitterem, quæ cum his literis una habebis. In Polonia novum nos habere Regem Vladislaum, defuncti primogenitum, fama sine dubio ante meas literas istuc deferet: de illo secunda quæque nobis pollicemur. Tenuit id nonnihil suspensam electionem, quod Pontificii nonnullos, qui de Trinitate minus recte sentiant, à pace Religionis Regi futuro juranda excludos volebant: sed audio tandem, veteri mori omnia relicta, allaborante præsertim Radzivilio Principe aliisque, quos Euangelicos vocant, qui ne eodem exemplo in se aliquando faba cuderetur, verebantur. Vale, mi amice ac frater. Dab. Dantisci pr. Kal. Decembris, anno 1632. Ep. 516.

IO XVI.

GUILIELMUS

Episcopus Londinensis

GER. JOH. VOSSIO S.P.

JUnius vester nosterque vos & nativum solum repetit. Causa itineris est Comes Arundelianus cui jam feliciter servit, &c.

Quod nec multis nec sæpius scribo, negocia mea in causa sunt, non animus. Baronium tamen etiam nunc inculco, & scis quid magnopere velim. Hoc etiam habe, me omnia fecisse & facturum, quæ Grotio nostro dignissimo aut honori sunt, aut usui esse possunt. Reliqua Dei sunt. Vale: Et quoties Deum adoras, pro me ores. Sum enim

Tibi in Christo amicissimus

GUIL. LONDON.

Lond. Decembr. 26. 1632.

IO XVII.

GUILIELMUS

Episcopus Londinensis

GER. JOH. VOSSIO S.P.

VIr Clarissime, Admodum gratæ mihi sunt literæ tuæ, ut semper, ita nunc præcipue. Diu enim expetii brevem, sed magis dilucidam sententiæ Godscalcianæ expositionem, quam ullibi adhuc mihi videre contigit. Et certe lis illa de gratia & libero arbitrio eo inauspicatius mota mihi videtur, quia vix ulli, qui à primis ante S. Augustinum patribus recesserunt, tam feliciter rem aggressi sunt ac priores illi. Nunc literæ tuæ & chartulæ inclusæ, mihi & votis meis abunde satisfecerunt, & gratias ago. Si quæ tamen sint, quæ post uberiorem disquisitionem prolixius placet scribere, mihi certe pergratissima futura sunt. *De Godescalco.*

Exercitationes Grammaticæ tibi forsan (ut

Digitized by Google

Ep.518. res tuæ ſunt) neceſſariæ editu, aliis proculdubio utiles, mihi acceptiores futuræ, niſi te à Baronio avocarent: ſummopere enim cupio Hiſtoriam Veteris Eccleſiæ à te aut compoſitam aut limatam videre, id eſt à præjudiciis & contrariarum factionum interpolationibus liberatam. Gratulor tibi de Dionyſio tuo, &c. Deus te diu incolumem ſervet Tibi, Tuis, & Mihi

Nominis & meriti tui cultori

GUIL. LONDON.

Febr. 15. 1632. computo noſtro.

IↃ XVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

Varia.

QUarum tu Artium præcepta dediſti, eruditiſſime Voſſi, & ſolutæ inquam & vinctæ eloquentiæ, earum ſummam adeptus laudem ille tuus, ingenii quoque Filius, oſtendit te non minus feliciter monſtrare domi, quam præcipere in publicum: quem ego tua per veſtigia tantis paſſibus vadere vetus & fidus amicus lætiſſimo animo accepi: Ita perge duplici prole librorum liberorumque ornare ſeculum, & dubium efficere ſcribaſne accuratius an gignas felicius. Salmaſius quanti ſit nemo eſt qui judicare te aut rectius poſſit, aut velit candidius. Literas ad ipſum ut tuto mittantur tibi commendo, ne nihil ipſi utilitatis allaturæ ultro etiam noceant apud illos, quibus magna poteſtas data eſt, cui pares utinam ſint, pretium ponendi literis. Quod ſibi invidentes reperit, id illi magis grave quam nobis improviſum accidit, haud ignorantibus quæ ibi regnent ingenia, quali veneno ſuffuſa. Spero tuam non præſentis quidem, ſed nec nimium diffiti amicitiam tanti fore ipſi, ut aliorum inimicitias facile contemnat. Proceribus veſtris, qui in noſtra Republica, ſi quid video, *ἀει κίνυνον*, manere mei curam gaudeo. Ego non deſino illos ubiubi poſſum ornare quibus debeo teſtimoniis. Cæterum ſcis quam illi quoque *ἀκόντε θυμῷ* (*invito licet animo*) attamen unius nutum reſpiciant, quem ego qualem expertus ſim, tibi dicere quid attinet, qui iſta non minus meipſo noveris. Uxor meliora ſperando diem de die ducit: interim labitur ætas, tempus præterit, vereor ne & occaſiones, quæ ſe nobis hinc illinc offerunt, effluant. Miſerum eſt diu pendere. Et illud de induciis negotium trahi poſſe video, hiantibus multis ad Gallorum promiſſa, an & data. Ego ut aperte in bellum deſcendat Gallia, futurum non arbitror; quod ſi fieret, eſſet forte ſpes aliqua Martem victoria finiendi. Sed pecunia, quam annua, bima, trima die offert, etſi præſentem daret, quid inde levamenti ad tanta onera alieni æris, cujus vel uſuræ rempublicam mergunt; quæ pridem non niſi verſura ſolvuntur? Grammatica tua exſpectabimus, otii Amſtelodamenſis fructum. Lindenbrogius maximi te facit: & veteris Germanici ſermonis lexicon nobis adornat, magnis veterum librorum auxiliis. Vale Vir præſtantiſſime. IX Aprilis ex novo Kal. anno CIↃ IↃC XXXIII. Hammaburgi. Ep.519.

Tuus ut ſemper

H. GROTIUS.

IↃ XIX.

GUILIELMO

Archiepiſcopo Cantuarienſi

GER. JOH. VOSSIUS S.P.

Gratulatio de dignitate Archiepiſcopali.

REverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime, Triſtem nuntium huc allatum de morte reverendiſſimi D. Archiepiſcopi Cantuarienſis, lenivit mox fama, quæ adferebat, plurimorum & vota ac, ut addebant, Regis ſapientiſſimi eo conſilia tendere, ut tu in ſummo hoc pulcherrimoque Eccleſiaſticæ dignitatis gradu locareris. Quæ mihi eo magis volupe fuit audire, quia & quo ſtatu Eccleſia Chriſtiana nunc ſit, & quantum tibi pietatis ac prudentiæ ad eam dirigendam, quodammodo videor intelligere. Unde ſpem maximam concipiebam fore, ut Dominus Deus, cujus in manu corda hominum ſunt, magis magiſque huc animos flecteret. Eo dum flagro deſidero, Ecce Haga mihi ab amico literæ, quibus perſcriptum, jam eam te mi ſedem aſcendiſſe. Ac paucis poſt diebus idem diſperſit fama, qua non aliam lætiorem longo tempore ad aures noſtras advolaſſe poſſum dicere. Nec tamen tam bene in Batavia hac, nec puto in Britannia agitur, ut malevoli deſint, vel etiam male creduli, quibus quia primæva ſordet antiquitas, exoſaque eſt Eccleſiæ diſciplina, eo alteri hoc honoris collatum præoptent, nec linguæ id virulentia diſſimulent. Sed iſtis moribus jam à multis annis in Eccleſia Dei vivitur; beneque agitur cum bonis, ſi tales maledicere ſolum poſſint, malefacere non poſſint. Nec interim non magnus numerus eorum, qui rectius ſapiant, ut mecum divinam venerentur Majeſtatem, cujus providentia huc faſtigii perductus es, & ſupplices eandem rogent, ut diu te graviſſimis hiſce temporibus regere Eccleſiam permittat, quæ quanto diutius prudentia tua dirigetur, tanto haud dubie felicior erit. Quantum ad filium meum Joannem attinet, &c. Deum Opt. Max. iterum oro, ut quemadmodum te gratia ac providentia ſua in ſummi Præſulis ſede collocavit, ita etiam prudentia & fortitudine roboret, & cunctis ſpiritus ſui donis cumulet: ut improborum conſilia & conatus irritos reddat,

Digitized by

Ep.520. dat, ad Sereniſſimi D. Regis & florentiſſimi regni Britannici totiuſque Eccleſiæ Catholicæ bonum. Amſtel. CIↃ IↃC XXXIII. Poſtr. Kal. Octobr.

IↃ XX.

Clariſſimo, & admodum Reverendo

D. SIMONI EPISCOPIO

S. amiciſſimam dico

Rotterodamum. JOHANNES BEVERWYCKIUS.

De vita brevi.

QUem adoleſcens olim Dei verbum ſæpius populo, quandoque ſtudioſæ juventuti interpretantem audiverim, cujus mores nive candidiores noverim, cujus ſummam eruditionem & inculpatam probitatem perſpectam habeo; hunc ego te virum, vir admodum reverende, quod ſerio amem, & omni cultu proſequar, nemo opinor bonus, nemo veræ virtutis amans vitio mihi vertere poteſt. Ab eo tempore quo Lugduni colere virtutes tuas didici, non deſii te amare, & fauſta omnia a Deo precari, quæ tibi tandem poſt tot tempeſtates contigiſſe ex animo gratulor. Sed ne me gratis amare cenſeas, en tibi quæſtionem, quæ multos admodum habuit exercitos, de vitæ noſtræ termino, quam ſpes eſt pro intellectu humano, & arte Medica te expoſiturum. Alii enim plane fixum æterna & immutabili fatorum lege exiſtimant; alii intemperantia, & mille caſibus ante diem acceleran, & temperanter, atque convenienter naturæ vivendo produci. Poſterior hæc opinio Medicis magis arridet, quam ad artis ſuæ authoritatem facere arbitrantur. Sed non levis momenti argumenta militare videntur pro priore, quæ Medicinæ neceſſitatem convellere nonnullis videtur, aliis non item. Unde hoc dilemma citatum à Cicerone lib. de Fato; *Si fatum tibi eſt ex hoc morbo non convaleſcere, ſive tu Medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces: ſed alterutrum fatum eſt: Medicum ergo adhibere nihil attinet.* Sed totum hoc captioſum eſſe idem aſſerit, & tam fatale eſſe Medicum adhibere, quam convaleſcere. Vix aliter Seneca, qui cum de neceſſitate fati & mediis II. natur. quæſt. XXXVI. egiſſet, tandem addit: *Cum ſanitas videatur de fato, debetur & Medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Idem, qui tum alibi, tum ad Marciam cap. XX. fixum ſtatuit cuique terminum, eumque manere ſemper ubi poſitus eſt, nec ulterius diligentia, aut gratia promoveri; epiſtola tamen LVIII non veretur ſcribere, ſi mundum ipſum non minus mortalem, quam nos ſumus, providentia periculis eximit, poſſe etiam aliquatenus noſtra quoque providentia longiorem prorogari huic corpuſculo moram, ſi voluptates, quibus pars major perit, potuerimus regere & coërcere. Quod ipſum exemplo Platonis ibidem confirmat, concluditque frugalitatem producere ſenectutem. Sed audiamus teſtimonia omni exceptione majora, & in quæ nulla cadere poteſt contrarietas. Priori ſententiæ favere videntur hæc Jobi verba: *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium apud te eſt, Domine: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Huic gemina plane (juvat enim ſuadente poſt Baſilium patriæ noſtro ornamento ad Stobæum, ſacri codicis dogma cum ſententia Poëtæ conferre)

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vita.

Sed huic loco alterum apponerem ejuſdem Poëtæ, de Didone violenta morte ſublata,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem.

Niſi ſcirem hunc ſua interpretatione, cum priore conciliare Cl. Salmaſium in Obſer. Plin. Verum poſteriori ſententiæ patrocinium quæritur ex aliis S. Scripturæ locis, ut ex eo quod dicitur *Pſal.* LV. *Impii & ſanguinaris non dimidiabunt dies ſuos*: tum quod Deus in decalogo promittat parentum cultoribus vitam longiorem; & quod Ezechiæ Regi, indicta jam a Propheta morte, in quindecennium producta ſit vita. Sed qui hanc opinionem oppugnant, varie ad loca illa reſpondent. Quidam *dies* interpretatur negotia, quæ improbi moliuntur, & exequi tentant ante vitæ ſuæ finem. Alii *non dimidiabunt dies ſuos*, exponunt, peribunt antequam ſperent. Pollicen enim impios ſibi longam vitam, imo ſic vivere, quaſi nunquam morituros: ac licet vitam aliquando in decrepitam ſenectutem protollant, tamen quia excellus ipſis eſt inopinus, & longas eorum ſpes prævertit, dici *non dimidiare dies ſuos*. Sunt qui de eo vitæ humanæ termino intelligant, quem multi aſſequuntur, ſcilicet ſexaginta, vel ſeptuaginta, vel etiam plurium annorum. Ad eam ætatem impios raro pervenire, quod vel in acie cadant, vel carnificis manu tollantur, vel veneno, vel alio quocumque modo prævenri ad ſuum quidem, ſed ad juſtum & communem cæteris mortalibus vitæ finem pervenire non poſſint. Ad promiſſionem longioris vitæ, qua Deus invitat liberos ad parentum venerationem, reſpondent, hominum gratia ſic loqui Spiritum Sanctum, queis cum balbutire nonnunquam conſueverit, ut prolongari dicantur obſequentium liberorum dies, cum longa & tranquilla vita beantur, quæ ut ab immutabili decreto Dei pendeat, ita nihil annis eorum addi poſſe ad vitæ longioris curriculum. Sed longa eos vita frui Deum velle, qui vitæ ſuæ authores venerantur. Ita tamen, ut ſi talis ante maturam ætatem è vita abripiatur, (quod non raro videmus) nihilominus in ſuæ promiſſionis complemento conſtanter Deum perſeverare, &c. Ad exemplum Ezechiæ reſpondent, 1. Singulare aliquod exemplum non evertere regulam, aut legem. 2. Sub hoc nuntio tacitam contineri conditionem, moriturum

Ep.521. ſcilicet Regem, niſi ſeria pœnitudine ſe ad Deum convertat. Quæ cum ſubſequuta ſit, revaluiſſe, & vita longiore potitum eſſe, inviolato tamen Dei decreto, eumque, quam Regi ab æterno μακροθυμίαν (*vitæ prolongationem*) deſignarat, hoc nuntio & pœnitentia palam facere voluiſſe. 3. Hæc verba Prophetæ, *morieris*, &c. non alio facere, quam ut acri hac comminatione ad pœnitudinem compulſus à lethali ſuo morbo, (in quem juſto Dei judicio inciderat) liberari poſſet, & vita ejus ad præfinitum terminum prorogari: quæ alias periclitari, & in curſu fatiſcere per morbum videbatur. Quod vero de artis Medicæ neceſſitate ambigi poſſet, terminus vitæ ſi adeo fatalis ſit, eadem fere ſolvunt reſponſione, quam ex Cicerone & Seneca attulimus. At hæc Medicorum nonnullis parum ſatisfaciunt, quorum alii conſtitutos à Natura pro primordiis, ex quibus conſtamus, vitæ limites accurate vivendo tranſiliri, & intemperantia abbreviari poſſe contendunt; alii fatalem quidem, & cuique ſtatam vitæ periodum agnoſcunt, quam ut nemo ſuperare queat, ita vix quenquam naturæ legibus conficere. Ita multos ante diem legitimum cibo & potu tam nimio, quam alieno tempore modoque ſumptis interiiſſe; multos labore immodico enectos; multos vigiliis, curis, angore, triſtitia ſpiritum ante tempus exhalaſſe; multos luxu, deſidia, mollitie, torpore reſolutos emarcuiſſe; multos ex aëris injuria vel contagione graviſſimos, & interdum lethales morbos contraxiſſe. Quod ſi ejuſmodi caſus omnes ad inevitabilem fatorum legem referre volumus, parum utiliter nobis data videtur libertas arbitrii verſans circa diſpenſationem victus, & functiones naturales. Sed, inquiunt, ſubalterna non pugnare, & Deum qui vitam indulget, indulgere & media, quæ nos in vita conſervant: quibus brevem largiri decrevit, curare ut ea contingant, quæ vitæ filum abrumpere queant. Totum hoc, horribile arcanum (ut Baudius loqui ſolet) mihi videtur, & à te penitus explanari poſſe, aut à mortalium nemine. Quam provinciam, Vir clariſſime, ut ſuſcipere ne graveris, etiam atque etiam rogo. Interim vale, Vir præſtantiſſime, & me tui cultorem amare incipe. Dordrechti, 15 Jan. 1633.

IↃ XXI.

SIMONI EPISCOPIO

JOHANNES BEVERWYCKIUS S. P.

Rotterodamum. *De vita ſtatuta.*

CEleberrime, & eminentiſſime Vir, Non eſt quod excuſes tarditatem literarum tuarum apud hominem tibi plane ignotum; cum & illam ipſam abunde compenſaveris grata prolixitate. Tu non literas miſiſti, ſed theſaurum reconditæ eruditionis. Communicavi eas Ep.521. cum viris ſapientia & eruditione præſtantibus, qui nihil ſe unquam eruditius, nihil elegantius, nihil ſolidius legiſſe prædicabant. Quamplurimos video facile in tuam ituros ſententiam: non paucos tamen è noſtris ab ea diſceſſuros auguror. Equidem cum ſciam non protinus arripiendum & arcte tenendum eſſe, præcipue in divinis, (ubi ſæpe perhibetur κρίνειν ἄριστα, ὅστις εἰκάζει καλῶς) (*vates optimus, quiſquis conjectat bene*) quicquid animum probabilitate quadam percutit, ſuſpenſus admodum detineor à providentia & præſcientia Dei. Neminem negare arbitror, quod dicit Auguſtin. de Prædeſtin. cap. XIV. *Deum præſcire, quicquid futurum eſt.* Sive igitur præſcientia illa ſequatur rem futuram, ut docuit Juſtinus quæſt. ad Orthod. ſive dicamus Deum quicquid præſcit, etiam decreviſſe ut fieret, & prædeſtinaſſe, ut colligi videtur ex Paulo ad *Roman.* VIII. 29. οὓς προέγνω καὶ προώρισεν συμμόρφους, (*quos prænovit, & prædeſtinavit conformes,*) &c. neceſſe erit fixum plane & immutabilem ſtatuere vitæ noſtræ terminum. Paulus, cui ex divina revelatione certum erat omnes in navi ſalvos fore, & è fœda tempeſtate, qua jactabantur, incolumes evaſuros; cum tamen nautas fugam adornare animadverteret, pronuntiare non dubitavit, niſi iſti manerent, omnibus pereundum eſſe. Quemadmodum hic Dei promiſſum cauſſis ſecundis, & mediis alligatum eſt: ita volunt plerique, ne neceſſitatem Medicinæ excludere videantur, vitam hominis mediis & remediis, quæ Medicina ſuggerit, annexam, ut perducatur ad fatalem illum, &, ut loquitur Seneca, decretorium diem, nulla arte, nullis votis evitabilem, aut ſuperandum. Hunc mihi adhuc ſcrupulum ut eximas, tuaque ad artem Medicam plenius referas, ſi commodo tuo fieri poſſit (nolumus enim benignitatem tuam tibi incommodo eſſe) equidem vehementer exopto. Vale Theologorum Princeps, & ſalve à multis qui te hic amant, colunt, admirantur. Dordr. XIX Maji CIↃ IↃC XXXIII.

Auguſtin. de Prædeſtin. & Juſtin. liber de Incarn. & Prædeſt.

Reſponſa Epiſcopii ad haſce Beverovicii Epiſtolas, quia ſæpius excuſa ſunt, hic omiſimus: ipſas vero Beverovicii Epiſtolas, quia aliter paulo anteinac edita ſunt, quam autographa ſonant, hic denuo ex ipſis autographis fideliter expreſſas inſerere placuit.

IↃ XXII.

IO XXII.

Reverendo admodum & Clariſſimo Viro

M. SIMONI EPISCPIO

JOH. BEVEROVICIUS S.D.

Rotterodamum. REdeunt ad te V.C. literæ tuæ, ſed aliis comitatæ, in quibus, præſertim poſterioribus, ſi quid reperias, quod novam ſcribendi materiam ſuppeditat, ac quid addendum eſſe tibi videatur, id jungi poſſet reſponſo Salmaſiano, quod Maire Lugduni excudit, & hæc omnia mole pene æquat. Ego interim pro labore, quem meo rogatu ſuſcepiſti, & honore qui ex prudentiſſimis & eruditiſſimis literis tuis ad me devenit, ſummas habeo gratias, meque æternum memorem & gratum fore ſpondeo, quandocunque me tuis mandatis honorare tibi viſum. Vir ſumme & venerande vale, & Beverovicium tuis meritis jam plane tibi devotum amare perge. Dordrechti 18 Jan. 1634.

IO XXIII.

Ampliſſimo Viro

D. JOANNI BEVERWICIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Dordrechtum. VIr Ampliſſime, Remitto cum gratiarum actione Epiſtolam iſtam, cujus autorem apud te ab ingenio, & non minore in diſputando contra Socinum ἀνδρεία (*fortitia*) quam ἀκριβεία (*accurata diligentia*) laudaveram. Legi eam non minus avide quam ſerio, ſi forte in ea reperirem ἀκριβέστερόν τι, (*accuratius quid*) aut quod novis cogitationibus anſam mihi daret. Sed fefellit me opinio atque exſpectatio mea. Nihil in ea dicitur, quod non ab aliis jam antea dictum eſt ſæpius, & à nobis in epiſtolis noſtris ſatis, ut opinor, præoccupatum. Pythagoræus ſum. Non lubens redeo ſæpius per eandem viam.

Nec Cytharadus
Laudatur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Weſterburgii veſtri epiſtola cur tantopere & longe ὑπὲρ τὸν ἄξιον (*ſupra meritum*) laudetur, non video. Ego Viri iſtius laudibus nolim quicquam detractum: Sed, ſi quid ego video (liceat mihi apud A. T. libere ſententiam dicere) epiſtola iſta præter λέξεων ἐυπρέπειαν (*verborum elegantiam*) & mentem πρὸς τὸ ἀδάμαντος σκληροτέραν (*adamante duriorem*) vix aliquid habet. Plura apparent ingenii & non inficeti eloquii lineamenta, quam ſubacti & defœcati judicii veſtigia. Concionatur magis quam diſputat, & in ſpeciem veriſimilibus potius ratiunculis, quam demonſtrationibus pugnat. Ferri hoc poſſet & condonari ingenio hominis, ſi modo adſit ἐπιείκεια (*æquitas*) & moderatio animi: ſed tota oratio in illis nil niſi φύσημα τοῦ μάγου (*bulla & culeus*) eſt. Vix ſine fermento animi diſſentientium à ſe rationes examinat; & cum rationibus impar ſit, ſufficere credit ſi ſtomachum moveat, & diſſentientibus labem ac maculam inurat, perinde quaſi adverſarium confutare ſit ei βλωβῆναι τοῦ πώγωνος ἀνάψυξιν. (*maculam & ignominiam adſpergere.*) Quæcunque adſerit, ea tanquam πρόσταγμα δίκης (*prætoria edicta*) admitti, & ἀναντίρρητον (*dictum factum*) ſine ſuffragio recipi vult: & bilem admiſcet ad quamlibet occaſionem, qua uſque adeo turgere videtur, ut in λογομαχίαις (*verborum profluvium*) non raro incidat, atque in coparum τοῦ λαχανοπώλου (*olitorum*) amarulenta convicia. Commotus es, inquies; nam te hic illic pupugit. Noli credere, Vir Ampliſſime; iſta ne hilum me movent. Sputa iſta ſunt ægri animi indicia, quæ ego non magis ægre fero, quam ſi tibi inſanus aut æger delirum patiens in faciem inſpuat. Ego meliorem mentem illi precor, & innocentiæ meæ conſcientia me conſolor. Tantum doleo iſtis convitiis ali atque acui odia promiſcuæ plebis in capita innocentium, magno Eccleſiæ & Reipublicæ damno. Abſque illo eſſet, jam callum obduxiſſet animus contra omnia iſta maledicta atque opprobria:

Δυσμενεῖς γὰρ πολλοὶ ἐφ' ἡμῖν μηχανῶνται.
(*Multi enim malevoli contra nos machinantur.*)

Atque hæc eſt cauſa quæ me aliquando impellit, ut iſtorum hominum malevolorum & maledicorum imperitiam acriore calamo perſtringam: non quod iſto ſcribendi genere delecter, ſed ut larvam iſtis detraham, qua miſeræ plebi imponunt, eamque tantum non tribunitiis ſuis concionibus & Catilinariis ſcriptis in rabiem & furias agunt. Nimirum diſſentientem à ſe vix ſine odio ferunt, & ſi quis ea quæ novitii, & χθὲς καὶ πρῴην (*heri ac nuper*) nati in ſcholis didicerunt, non ad crepitum digiti tanquam prætoria quædam edicta amplectatur, eum fugere atque odiſſe jubent, non aliter quam ſideratum, aut qui bidental aliquod calcavit. His talibus fere ſuadeor, non ut aliter ſcribam, ſed ut ne ſcribam, & ſilentio tutus ſim, quia ratione vix licet. Et jam murmurantes audio ex iſto grege complures, quod Epiſcopius etiam Achivis iſtis principibus permixtus videatur in libro tuo. Nec deſunt qui mihi perſuaſum volunt hoc agere nonnullos, ut Ill. DD. Ordines edicto aliquo coërceant ulteriorem quæſtionis hujus de vitæ termino ventilationem. Commotam dicunt caveam medicorum: Rumpſum alioſque de ſtringendo calamo cogitare, & Theologos metuere ne recidivam patiatur principalis de prædeſtinatione quæſtio. Quid futurum ſit, dies docebit. Ego cauſam non video, cur aut Illuſt. DD. Ordines de ſanciendo tali edicto deliberent, aut maleferiati iſti homines edictum tale urgeant, niſi fortaſſe de cauſæ ſuæ bonitate

Ep. 524 desperent. Enimvero ex ista quæstione non dependent res Græciæ, nec patriæ nostræ: nec ita nuper nata est hæc quæstio, sed ab omni retro ævo exercuit plurimorum ingeniorum industriam. Et quid metuere opus habent, ut ea accuratissime ventiletur, ii qui tantam causæ suæ fiduciam præ se ferunt, ut pene triumphare videantur, & dissentientes à se tantum non exsibilent: quodque caput rei est, nec hujus nec alterius cujuscunque quæstionis ventilationem electorum saluti vel hilum obesse posse persuasissimum habent? Ego sane eos nec de causæ suæ bonitate, nec de veritatis vi, nec de errorum inefficacia bene sentire posse arbitror, quos tam facile Panicus quasi terror quidem occupat. Non metuit ventilari veritas, sed falsitas. Hæc paleam habet, imo tota palea est, quam vel levis aura difflare potest. Illa quanto magis ventilatur, tanto clarior inter & pulchrior emicat. Clarissimum virum D. Rivetum audio etiam manum adhibuisse huic ventilabro. Eum ego virum magni facere cœpi, postquam scripta ejus nuper in lucem edita videre mihi contigit. Certant in iis cum multijuga eruditione in dicendo gravitas, & cum subacto judicio orationis perspicuitas: vix quicquam nuperum vidi, quod æque academia ista dignum est, etsi subinde Remonstrantibus sine causa, uti mihi quidem videtur, iniquior sit. Quare non dubito, quin etiam ad hujus quæstionis examen contulerit quod demorsos ungues sapit, etsi à nobis διὰ μακρῶν (*quam longissime*) dissentiat, uti intelligo. Ego interim Christiano orbi gratulor, quod quæstionem istam in scenam dederis, ad quam ornandam accurrunt ingenia pæne omnia, & symbolam suam conferunt. Judicent qui volent: certe si non ingrata hæc ætas, posteritas saltem gratiam tibi habebit & referet. Vale Vir Amplissime, & me, ut facis, amare perge. 24 Aprilis 1634.

IO XXIV.

Clarissimo Doctissimo & Reverendo Viro

D. M. SIMONI EPISCOPIO

Artium & Theologiæ Doctori,

JOH. BEVEROVICIUS S.P.D.

Amstelodamum. REverende & Clarissime Vir, Quas Roterodamo discessurus ad me dederas, post decem menses iterum in manus sumpsi, & summa cum voluptate perlegi. Pro iis prius gratias, quas debeo, maximas egissem, nisi mittendam alteram quæstionis nostræ editionem hactenus exspectassem. Hæc cum pluribus, quos nondum vidisti, ad te redit: duo ex illis jam vitæ & disputationis terminum attigere, Consul van der Laan, & Theologus Junius. D. Riveti laudes jam præcinuisti, sed lecta epistola quid judices, imo & de reliquis judicium tuum si perscribere dignatus fueris, me & alios ingenii tui cultores beabis. Eruditas D. Niellii virtutes sæpe celebrari audivi, etiam ex Pastore meo D. Colvio, qui cum eo Amstelodami cœnavit. Summam quoque Viri diligentiam & pietatem non semel mihi prædicavit illi quondam in arce Lupisteinia συσκηνίτης (*contubernalis*) Berckius. Hæc in me vehemens incendere desiderium videre & ejus de hac quæstione sententiam. Et quamvis tu nodum hunc ita perspicue extricasse merito judiceris, ut nihil cuiquam relinqueris, & non dubitem quin ille tibi plane σύμψηφος (*ejusdem opinionis*) sit: duo tamen idem cum dicunt non est idem: imprimis cum illi diversa studiorum ratio, & dissimilis, ut fere fieri amat, quamvis in non dissimili argumento, genius. Nosti & Homericum istud, σὺν δὲ ἰέναντι. (*cum veniente ven.*) Cœlo igitur isti sine termino etiam post Atlantem humeros supponat novus hic Hercules. Cujus responso termino huic terminum figam, nunquam posthac à me movendum. Reverende & Clarissime Vir, vale, & me favoris tui rore porro asperge amantem, faventem. Raptim Dordrechti XIV Jan. novi anni XXXVI. quem tibi, & optimæ uxori (cui brevi librum de sanitate tuenda, Belgice scriptum, & innumeris versibus à D. Catsio ornatum mittam) faustum ac salutarem à Deo Opt. Max. precor.

Adorno alterum Epist. quæstionum opus; sed in quo ipse præcipuas respondentis partes mihi sumo.

Ep. 525.

IO XXV.

WILHELMO WITZENDORFF

SIMON EPISCOPIUS S.P.

PRæstantissime D. Magister, Non potest non gratum mihi esse desiderium cognoscendæ veritatis, quo te flagrare video. Scrutatores Scripturarum amat Deus, & non raro eos dignatur singularis gratiæ suæ beneficio, si modo scrutationem comitetur pius animus, & qui præjudicium ita posuit, ut possit ac velit, sine gratia, sine offensa judicare. Nullus ego quidem dubito, quin isto animo nuper colloquium meum expetiveris, & nunc desideres responsum meum ad quæstiones istas quas humanissimis tuis ad me literis complexus es. Habe ergo hoc responsum quod inpræsentiarum mitto, inter medias curas & crebras occupationes, non elaboratum, sed pene dixerim præcipitatum, nullo alio fine, quam ut desiderio tuo satisfaciam, & vadimonium obeam, si forte ex mutua hac collatione veluti ex silicum collisione scintilla emicare solet, veritas, quam ambo amamus & quærimus, eluceſcat.

De 1 Cor. 1. 12. Matth. 7. alisque.

Ad ea quæ proponis primum respondebo, dein-

Digitized by Google

Ep.525. deinde, quæ eorum ſingulorum ad ſalutem cognoſcendorum neceſſitas ſit, paucis expendam. Ac primo quidem loco *verſ.* 12. *cap.* V. *ad Romanos* proponis: Legi, inquis, & relegi diligenter, & in illa lectione hæc ſequentia inveni, ſive has tres aſſertiones: 1. *Per hominem peccatum in mundum introiit.* 2. *Per peccatum mors, ſtipendium peccati.* 3. *Mors in omnes homines tranſiit. Ex qua (tertia) ſequitur* 4. *Peccatum ad omnes pertranſiit, etiam infantes.*

Fateor tres priores aſſertiones ſeſe in textu offerre; ſed in tertia aſſertione hoc deſidero, quod ei non addantur verba Paulina quæ immediate ſequuntur, & in quibus plurimum ſitum eſt ad rectam totius verſus ſententiam, prout oportet, exhauriendam. Hæc videlicet, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, *quatenus* (vel uti tua habet tranſlatio *eo quod*) *omnes peccarunt.* Hæc enim ſi ad tertiam propoſitionem addita fuiſſent, quartæ aſſertioni deducendæ non tam facile locus à te fuiſſet datus: Apparebit id ex reſponſione noſtra ad Syllogiſmum tuum quem ſubjicis, ubi verbo præmonuerim, per *Mortem* hic intelligi utrumque, mortem ſive condemnationem æternam, aut, ſi ita velis, mortem temporalem etiam, ſed quæ & quatenus illa ſibi habet conjunctam ſive ſuccedaneam mortem æternam, eamque non ſolam quæ pœna damni, ſed & quæ pœna ſenſus, ſive cruciatuum æternorum dicitur. Hoc præmonere volui, ne de vocibus aut terminis poſtea lis ſit. Hoc ita poſito, videamus Syllogiſmum tuum: *Ad quos pertranſiit mors illi peccarunt* (*nam mors ad omnes pertranſiit eo quod omnes peccarunt.*) *Sed mors pertranſiit ad omnes homines, etiam infantes. Ergo, omnes homines, ipſi quoque infantes, peccarunt.* Majorem propoſitionem admitto lubens. Sed minor probatione indiget: Mortem videlicet æternam, eamque quæ pœna ſenſus dicitur, pertranſiiſſe ad infantes. Dices Apoſtolum uti voce univerſali *omnes*. Hoc vero, inquam ego, non liquet, nec vim probandi habet. Non liquet, quia Apoſtolus diſerte videtur univerſalem illam reſtringere, cum addit, *quatenus*, vel, *eo quod omnes peccaverunt.* Hoc ipſo enim non obſcure arguit, ſe per vocem, *omnes*, non intelligi velle omnes in univerſum homines, ſed eos tantum, qui peccatorum capaces ſunt, in quorum ordine infantes non ſunt. Atque hoc eſt illud, uti paulo ante monebam, quod in aſſertione tua tertia deſideratur, quodque quartæ tuæ aſſertionis vim omnem enervat. Sentiunt reſponſionis hujus vim ii, qui urgent verba illa ἐφ᾽ ᾧ, non per, *quatenus*, aut *eo quod*, ſed per, *in quo* transferenda eſſe. Vident enim alioquin argumentum pro peccato Originali (quod tibi ipſum actuale peccatum Adami poſteris omnibus imputatum eſt, uti ex colloquio nupero intelligebam, quod tamen à communi opinione plerorumque Theologorum abit) quod ex hoc loco deſumi ſolet, laborare: recte an ſecus jam non diſputo. Vocem vero univerſalem ſi urgere pertendas, jam reſpondeo: 1. Eam vim probandi non habere. Nec enim raro univerſales ejuſmodi voces pro communibus uſurpantur, & ad rem ſive materiam de qua agitur reſtrictæ adhibentur. Hoc probatione non indiget. 2. Dico etiam vocem illam, *omnes*, hic neceſſario ſic reſtringendam eſſe, ob rationes duas. 1. Quia omnino ac prorſus impoſſibile eſt, ut infantes peccent: quod, quamquam adeo planum eſt, ut prima pene notio mihi eſſe videatur; tamen ex eo irrefragabiliter evincitur, quod lex illis nulla nec divina nec humana ponatur aut poni poſſit. At ſine lege peccatum committi non poteſt. Imo ſi omnino quis adeo ineptus reperiatur, ut iis legem latam dicat, quomodo obligatos eos dicet ad præſtandum eam, quam ferri ſibi non poſſunt intelligere. Dices, eos non poſſe quidem actualiter peccare, ſed peccaſſe tamen in Adamo, in quo tanquam in ſtirpe generis humani fuerunt. Hoc vero eſt poſtulatum ingens, quod probandum eſt: id ex hoc textu probari non poteſt, ſi verba illa ἐφ᾽ ᾧ interpreteris per, *eo quod*, vel *quatenus*. Nec ſufficiet ſi dicas, aliter concipi non poſſe quomodo peccaverint. Hoc enim eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. (*principium.*) Quæritur enim an Apoſtolus, cum dicit, *eo quod omnes peccaverunt*, ſub voce, *omnes*, etiam infantes complexus fuerit. Deinde dico, non minus abſurdum eſſe, ſi non abſurdius multo, infantem in alio peccare, quam infantem peccare. Peccare & in alio peccare ſunt plane repugnantia, ſi non contradictoria. Nam in alio peccare eſt aliena voluntate peccare. At aliena voluntate qui peccat, ſua non peccat. Nihil magis voluntarium eſt quam peccatum. Quod adeo verum & certum eſt, ut ne adultus quidem aliena voluntate ſive in alio peccare poſſit. 2. Ratio eſt, quia, niſi hæc particula univerſalis reſtringatur iſto, quo dixi, ſenſu, tum neceſſario particula univerſalis in antitheſi hujus comparationis Apoſtolicæ univerſaliter etiam accipienda erit, hunc in modum: Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervaſit, eo quod, vel, quatenus, omnes peccaverunt: Sic per unum hominem juſtitia intravit in mundum, & per juſtitiam vita: atque ita in omnes homines vita pertranſiit, eo quod vel quatenus *omnes* obediverunt. Hoc non dubito quin abſurdum tibi ſit: quare & alterum ut abſurdum tibi videatur neceſſe eſt, inprimis ſi ſub particula univerſali, *omnes*, etiam infantes comprehenſos velis. Hos enim peccare aut in alio peccare, aut in alio reos fieri æternorum cruciatuum, tam mihi videtur ab omni veriſimilitudine, æquitate & juſtitia alienum, ut nihil ſupra. Qui peccare poteſt infantilis iſta ætas, quæ necdum diſcrimen novit inter dextram & ſiniſtram? quomodo in alio peccare poteſt, quæ ſe nec eſſe, nec ab alio, nec in alio, eſſe aut fuiſſe intelligit? Ut vero etiam infans & innoxia

iſta

Ep. 525. vantiam ab interna ſejunctam pro virtutis umbra & larva non habuerit. Noſti illud Poëtæ etiam:

——— *Peccandi ſola voluntas*
Facto crimen habet.

Neque vero his repugnant ea, quæ de Phariſæis paſſim dicit Servator, & nominatim in iſtis duobus, quæ adſignas, locis. Sic enim exiſtimo, Servatorem non tribuere Scribis & Phariſæis craſſam iſtam ſive inſciam ſive hypocriſin, quaſi vel neſciverint prorſus externæ obſervantiæ legis internam conjungendam eſſe; vel quaſi cum ſcirent ſe interna carere, externa ſola cum mundo hiſtrioniam exercuerint; utrumque hoc nimis vernile ac putidum mihi videtur, nimiſque longe alienum ab eo quod Apoſtolus illis tribuit *Rom.* X. cum teſtatur eos *zelum Dei habuiſſe, etſi non ſecundum notitiam.* Sed ideirco id facere, quia etiamſi non ignorarent, adeoque firmiter crederent, potiſſimam obſervantiam legis in interna animi obſervantia ſitam eſſe, impendio tamen nimis externam curabant, in eaque uſque adeo curioſi ac ſeduli erant, ut internam eamque potiſſimam negligerent, atque ita de larva ipſa ſanctimoniæ adſumenda hypocritarum in morem magis eſſent ſolliciti, quam de animi morbis vitiiſque repurgandis, & veræ virtutis vultu exprimendo: quod diſcurrenti per omnia manifeſtum eſſe arbitror. Hoc ſenſu hodieque omnes iſtos Chriſtianos hypocritas vocamus, qui ſive ſuperſtitione, ſive ſocordia quadam animi externæ Religionis exercitiis adeo impenſe ſtudent & incumbunt, ut de animo ſuo reformando vix ac ne vix quidem cogitent, qui, ut ille ait, Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt, & cum virtutem verbis Herculis invadant, virtutem tamen verba, ut lucum ligna, putant, non virtutis odio, ſed incuria aut inadvertentia.

Tertia ratio eſt: *Quoniam præcepta non adducuntur à Chriſto ut in lege habentur, ſed ut erant à Phariſæis depravata, & rudi populo inculcata.* Reſpondeo, ſi verba illa tua, ut in lege habentur, accipias præciſe κατὰ τὸ γράμμα, (*ſecundum literam*) agnoſco. Si κατὰ τὸν νόμον, (*ſecundum ſenſum*) nego. At ſenſus legis, lex eſt. Senſus enim legis, anima legis eſt. Videamus quæ contra adfers.

Sic, inquis, *in* Deut. V. 17. Exod. XX. 13. *non habentur quæ in Matthæo adducuntur, quiſquis autem occiderit*, &c. Reſpondeo: at reum eſſe judicio vel judicii, nihil aliud eſt quam reum eſſe capitalis pœnæ, tum certe verba iſta ipſiſſimum legis divinæ ſenſum continent. Cur autem aliter ſumi debeant, ego non video, nec ratio ulla dari poteſt. Quare quod addis, Phariſæos iſta adjectione populo perſuaſum voluiſſe, judicio non fore obnoxium, niſi manu occidiſſet; nullius eſt momenti. Recte enim perſuaſum id voluerunt populo, quia in homicidas, non vero in iratos, injurioſos, &c. capitalis pœna ſtatuta fuerat divina lege. Verum enimvero ex ſequentibus verbis tuis apparet, te per vocem, *judicii*, intelligere condemnationem legis, qua odium, invidiam, aliique, lex tanquam mala damnat & prohibet: quaſi videlicet Phariſæi docuerint, lege divina iſta non prohiberi, aut pœna ulla divina digna cenſeri, ſi modo manus abſtineantur à cæde: quod qua ratione à te probari poſſit, non video. Contrarium enim expreſſe in lege extat *Lev.* XIX. 17, 18. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo: corripiendo corripies proximum tuum, neque impinges illi crimen. Non ulciſceris te, neque reſervabis (iram) contra filios populi tui. Sed diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ego Dominus.* Hanc legem Phariſæos aut ignoraſſe aut contemſiſſe, cui fiet veriſimile? Imo etiamſi nulla divina lex eſſet quæ odium, invidiam, aliaque animi ægri aut ἐπιχαιρεκακίαν (*aliena calamitate exultantis*) vitia damnat, quis credat Phariſæos adeo rudes aut bardos fuiſſe, ut crediderint legem non requirere etiam animum ab omni odio alienum, ſed manus tantum puras à ſanguine? Inter gentiles vix quemquam reperias, quem non ipſa recta ratio contra docuit credere, ſentire & profiteri.

Quod ſubjicis, *nec in* Exod. XX. 7. *nec in* Deut. V. 11. *haberi quæ addita ſunt* Matth. V. verſ. 33. *Sed perſolves Domino*, &c. Colorem non habet: nam non ſenſus tantum, ſed pene ipſiſſima verba habentur, *Num.* XXX. 3.

Quod addis, *adjecta ea à Phariſæis, ſignificantibus Domino debere, quod quis facturum ſe per nomen Domini juraſſet*: ne ſpeciem quidem veri habet, niſi, *Domino deberi*, accipias pro debito præſtandi propter Dominum; quod veriſſimum eſt, & recte à Phariſæis acceptum. At ſi *Domino deberi* accipias pro debere illud Deo offerri tanquam donum, etiamſi alteri promiſſum ſit cum juramento per nomen Domini facto, tum vero qua ratione probare poſſis, Phariſæos, verba illa, *perſolves Domino vota tua*, iſto ſenſu accepiſſe, ne per tranſennam quidem videre poſſum. Conjectura iſta ne probabilis quidem eſt: ſicut nec illa quæ ſequitur, quamque ex priore iſta deducis, *Et ita feneſtram aperiebant fallendi proximum & jurandi temere. cap.* XXIII. *Matt. verſ.* 16. Nam præterquam quod hiſce verbis ſignifices, Phariſæos adeo perverſe legem fuiſſe interpretatos, ut fallere proximum licitum ſibi crediderint, quodque ſub ipſius legis obtentu fallere in animo habuerint (quod mihi ab omni veriſimilitudine videtur alienum) qua ratione verba legis iſto ſenſu interpretantes feneſtram aperuerint fallendi proximum & temere jurandi, non capio; nam quin proximum dedita opera ac de induſtria fallere, ſcelus crediderint, ego nullus dubito. Temeraria juramenta etſi non crederent lege damnata, iiſque forte tum ipſi tum alii ipſorum exemplo aut proprio motu adſueſcerent, falſa tamen omnia ut lege damnata eos etiam damnaſſe non dubitandum. Quod de iis dicitur *cap.*

Ep. 525. Certum eſt inter nos, Deum velle ſerio omnes ſalvari, Deum neminem velle antecedente voluntate perire: Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe; Promiſſionem Adamo poſt lapſum, & cæteras deinceps promiſſiones à Deo hominibus factas, univerſales eſſe. Remedium itaque catholicum toti generi humano à Deo gratioſe conceſſum fuit, contra omnia illa mala, quæ ex peccato Adami fluxerunt aut fluxiſſe creduntur. Sive ergo dicatur homines omnes, etiam infantes, in Adamo peccaſſe, ſive non peccaſſe quidem, ſed tamen mortem temporalem aliaque mala, ſive damna, per propagationem ex eo contraxiſſe, id perinde eſt: Remedio certo contra omnia iſta mala poſito, quid neceſſe eſt ſcrupuloſe quærere, quæ & qualia iſta mala fuerint? Pone quodcunque voles, me lubente ac volente poſueris. Nullum enim iſtorum cuiquam unquam oberit, niſi nova ac propria contumacia ſua reum ſe faciat novæ pœnæ. Contra Calvinianos fateor hanc rationem non procedere; At cur inter nos non procedat, cauſa nulla eſt.

Quod ad ſecundam controverſiam attinet, eadem eſt ratio. Certum eſt inter omnes Chriſtianos, præcepta iſta Chriſti, quæ *cap.* V. & VI. *Matthæi* recenſentur, nos obligare, quatenus ibi à Chriſto propoſita leguntur, eoſque qui ea ex vera fide cuſtodiunt æternum ſalvos fore. Quid itaque attinet inquirere, an præcepta iſta oppoſita ſint permiſſionibus legalibus, an pravis interpretamentis Phariſæorum? utrumcunque enim credideris, certum ſemper ac fixum manet, ipſa Chriſti præcepta ſervanda eſſe, & iſtis ſic ſervatis, ſalutem noſtram in tuto ac vado eſſe.

Superpondii vice adjicis duo, de quibus dicere merito poſſem, quod in vetere adagio eſt, Mantiſſa obſonia vincit, aut plus eſt mantiſſa quam obſonium: Sed quia in veritatis gratiam adjicere ea tibi libuit, paucis reſpondebo.

Alterum eſt, inquis, *De Libero Arbitrio in Converſione. Alterum, de Baptiſmo & Cœna Domini. Remonſtrantes in ſuis ſcriptis, cumprimis in colloquio Hagienſi, ſtatuunt, nec fidem, nec hominis converſionem effici per gratiam Dei ſolam, ſed duas eſſe Fidei & Converſionis cauſas, Gratiam Dei & Cooperantem voluntatem hominis. Quantum percipio, ſemper contra diſtinguitur voluntas hominis gratiæ Dei.*

Reſpondeo. Vehementer hac in re erras, mi Domine; Remonſtrantes nunquam contradiſtinguunt voluntatem gratiæ divinæ, ſed gratiæ divinæ in primo converſionis momento ſoli atque unicæ adſcribunt hanc efficientiam, quod hominis voluntati natura ſua impotenti, atque inidoneæ ad credendum, & ſe convertendum, novas vires largiatur, quibus inſtructa credere & ſe convertere poteſt; adeo ut non cum Arminio tantum, ſed & cum doctiſſimo præceptore veſtro ad amuſſim conveniant. Docent id, Articulus eorum tertius, Collatio Hagienſis, Scripta eorum Synodalia, Apologia, & quæcunque publico eorum nomine edita ſunt. Si lubet, vide in Apologia inter alia complura loca pag. aut fol. 161. ubi iſta verba ſunt lin. 4. *Conſtat enim Remonſtrantes in publicis ſcriptis ſuis communi nomine editis, nominatim in Actis & Scriptis ſuis Synodalibus, credendi potentiam in iis, qui vocantur, à Deo immediate productam ſemper præſupponere.* Clarius dici nihil poteſt. Fol. 70. pag. 2. *Remonſtrantes ſemper ſupponunt liberam obediendi & non obediendi potentiam, tam in iis qui obediunt quam qui non obediunt: non quaſi eam peccator in ſtatu corruptionis ex ſe habeat, ſed quia Deus eam omnibus à quibus obedientiam exigit, qua ſine potentia Nova præſtari non poteſt gratis, liberaliter & de novo concedit.* Hanc ſuam ſententiam Patrum etiam omnium veterum ſententiam fuiſſe prolixe docent fol. 159. p. 2. Subſcribunt itaque lubenter Remonſtrantes theſi iſti, quam ex Syntagmate aureo illius, quem vocas, libri *D. Jacobi Martini* (quem mihi videre hactenus non licuit) tuis litteris inſeruiſti.

Alterum eſt de Fine & Effectu Sacramentorum, & in ſpecie Baptiſmi. Non cum Scriptura conſentire videntur verba V. R. inquis, *ex Diſputat. 29. Theſ.* 8. Effectus ſeu Finis Baptiſmi non eſt realis aliqua gratiæ collatio, ſed ſola tantum divinæ gratiæ, & profeſſionis noſtræ ſignificatio. *Ita ex Scriptura argumentor: Quo, ex quo, & per quod à peccatis mundamur, renaſcimur, regeneramur, Chriſtum induimus & ſervamur, illud eſt gratiæ divinæ collationis medium. Atqui aqua, ex aqua, & per aquam*, &c. Ergo. *Videantur loca Tit.* III. 5. *Epheſ.* V. *verſ.* 27. 28. *Joan.* III. 5. *Act.* XXII. 16. *Gal.* III. 27. 1 *Pet.* III. 21.

Reſpond. Controverſia hæc de Effectu Baptiſmi, non ſolos nos tangit, & prolixiore ventilatione opus habet. Ne tamen nihil dicam ad argumentum tuum, ſic accipe. Major non procedit, ſi per medium collationis intelligatur medium Sacramentale actu conferens, atque infundens gratiam; quo ſenſu illud à me accipitur. Ratio eſt. Verbo, ex verbo & per verbum mundamur à peccatis, renaſcimur, regeneramur, Chriſtum induimus, ſervamur; & tamen verbum non eſt Sacramentale medium actu conferens, aut infundens gratiam, ſed tantum ſignificans gratiam, & ſignificando conferens. Verbum enim non eſt niſi ſignum. Tota ergo verbi Divini vis non eſt, niſi in ſignificatione divinæ voluntatis & gratiæ poſita: Quare ut Major procedat, ſic concipienda eſt. Quo, ex quo, & per quod proprie, ſive efficienter, ſive inſtrumentaliter mundamur, &c. At ſic minor negatur. Ea autem an confirmetur locis à te citatis prolixioris operæ eſt inquirere. Rationes propter quas ego eam iſtis non confirmari credo, hæ ſunt. 1 *Tit.* III. 5.

Ep. 525. *Lavacrum Regenerationis* Baptiſmum ſignificare, nullo veriſimili argumento evinci poteſt. *Lavacrum* enim *Regenerationis* per Hebraiſmum ſignificare poteſt, ipſam Regenerationem quæ lavacri inſtar eſt: ut ſignum circumciſionis, pro circumciſione, quæ ſignum eſt, corona gloriæ, corona vitæ, pro gloria & vita, quæ coronæ inſtar ſunt, ſumi ſolent. Similiter *Epheſ.* V. 27. per *lavacrum aquæ* Baptiſmum notari, quo certo argumento evinces? Quare ἐξήγησις (*explicatio*) ejus phraſeos non poſſit ſtatui, in verbis ſequentibus ἐν ῥήματι, (*in verbo*) quaſi poſitum eſſet, *id eſt*, *in verbo*, cauſa nulla eſt. *Joan.* III. 5. de baptiſmo aquæ non agitur. *Actor.* XXII. 16. Baptiſmo ablutionem peccatorum tribui non uſquequaque certum eſt. Quid enim obſtat verba illa, *Abluitor à peccatis*, quæ poſt, *Baptizator*, leguntur, conjungere aut connectere cum ſequentibus, *Invocato nomine Domini*? Non dico neceſſarium eſſe ut iſta ſic connectantur, ſed tantum indico argumenti tui vim enervari, niſi firmis argumentis evincas id fieri non poſſe; quod quomodo facere poſſis non video. Tenta & videbis. *Gal.* III. 27. non dicitur Chriſtum per Baptiſmum indui, ſed eos qui baptizati erant Chriſtum jam ante induiſſe: Per fidem enim Chriſtus induitur proprie. 1 *Petr.* III. 21. de Baptiſmo aquæ externo non agi ipſa verba arguunt, ut reſponſione alia opus non ſit. II. Ratio mea eſt hæc. Quia paſſim verbo divino tribuitur, quod per iſtud regignamur. Iſtud enim diſerte vocat Petrus, *Semen* illud *incorruptibile*, *quo regignimur*. 1. *Ep. cap.* I. *verſ.* 23. Ex ejus auditu fides gigni dicitur, *Rom.* X. 17. Iſtud dicitur *potentia Dei ad ſalutem omni credenti Rom.* I. *verſ.* 16. Velim autem ex te intelligere, quomodo ſi id fiat per baptiſmum, qui infantibus adminiſtratur, infantes deinde ex auditu verbi, & fide verbo iſti habita, regigni poſſint, aut regenerari opus habeant? 2. Quomodo Scriptura eos, qui verbo prædicato crediderant, regeneratos, imo ſalvatos pronuntiet, antequam baptizati eſſent? Deinde, quomodo Apoſtolus dicere poſſit 1 *Cor.* I. 17. ſe non miſſum fuiſſe à Chriſto ad baptizandum, ſed ad euangelizandum? Si enim Baptiſmo, ex Baptiſmo & per Baptiſmum tanquam per medium à peccatis mundari, renaſci, regenerari, Chriſtum à nobis indui, ſalvari nos neceſſe eſt; quomodo tantus Apoſtolus ſe ad medium iſtud adminiſtrandum non fuiſſe miſſum poteſt dicere? Si vera eſt hypotheſis veſtra, medium iſtud præciſe neceſſarium eſſe ad ſalutem, atque idcirco infantibus prima quaque occaſione conferendum, utique ad illud non modo miſſum ſe fuiſſe, ſed ante omnia miſſum fuiſſe Apoſtolus crediderit neceſſe eſt.

Sed & ego hic ſubſiſto, & in chartæ hujus fine ſcribendi finem facio. Vides mi Domine promtum meum animum, quo de te bene mereri volui, & mereri ſtudeo de omnibus qui veritatem amant inquirere procul omni gratia & odio. Plura hic illic addere voluiſſem, ſed non ſiverunt, partim occupationes crebræ, partim interpellationes pæne aſſiduæ. Siquid deſideras ſignifica, & vale. Febr. 1634. Ep. 526.

IO XXVI.

SIMONI EPISCOPIO

MICHAEL SCHNEIDER

Salutem & demiſſi animi cultum.

Roterodamum.

VIr Reverende multum, Excellentiſſime, Clariſſime, Sanctarum Literarum Profeſſor Celeberrime, Fautor multis nominibus ætatem colende, Ut ii, qui in delicata gratioſorum aromatum aut unguentorum taberna ſederunt, in veſtibus ipſis bonam loci fragrantiam ſecum circumferunt: Sic animo meo ſuaviſſimus divinæ ſapientiæ halitus adhæreſcit ab inſeſſa ejuſdem officina & templo, quod Clariſſimi Remonſtrantes Roterodami ſibi vendicant. Omnia enim, quæ Excellentiæ Veſtræ ora pronuper in eo ſpirabant, [vera narro,] nil niſi Empyrei cœli delicias, queis illius proceres paſcuntur, redolere una cum lectiſſimo comite ſentiebam. Caſta hæc titillatio, & vere innocua voluptas egregium incrementum capiebat, cum mihi integrum erat Excell. V. alloqui, & de uno alterove controverſiarum momento, quæ ipſis cum Calviniſtis intercedunt, amabilis colloquii ſerram reciprocare. Sane ſi mortalium votis omnia reſponderent, ego optarim, ut Reverenda Dignitas Veſtra etiamnum Leydenſis cathedræ anabathra ſcanderet, ad inſtar ejus temporis, quo una cum aliis Theologiæ Atlantibus illam animabat. Etenim ſic ſpes eſſet, fore, ut mentis opes, quarum tenuitatem nemo memetipſo melius novit, locupletare poſſem. Et quid non ſperemus amantes? Nunc cum per locorum intercapedinem hæc ſpes decollet, Excell. V. per literarum æquor, ut cum vate loquar, adeo, ſretus delinitæ ejuſdem humanitatis zephyro, cujus afflatus me, hoc pelagus ſulcaturum, de ſecuritate bene ſperare pridem jubebat. Abſque illo ſi eſſet, ingenii mei ratem huic nunquam crederem. Initio igitur in mentem ſibi revocabit R. D. V. ſe in Apologia aſſeruiſſe, nullum manifeſtum indicium, nullum præceptum vel etiam exemplum ex ſacris Literis proferri poſſe, quod probet Spiritum Sanctum à nobis religioſo adorationis cultu honorandum eſſe. Atque hoc nuper levi ſaltim brachio attingebam. Quos fluctus in hoc ſimpulo excitet Vedelius, triſtium ineptiarum candidatus, nihil hic dicere attinet. Rem ipſam, ſi lubet, putabimus. Præceptum nullum hactenus invenire potui. Exemplum tamen aliquod mihi videre videor, cum pie curioſa lumina in *cap.* VI. *Eſaiæ* vibro. Introducit inibi Sanctiſſimus

Ep.526. simus Vates Supremum illud Numen, in excelso solio collocatum, totumque Templum tremenda sua Majestate adimplens. Adjungit illi cœlestis Curiæ Palatinos, quos à tenerrimi in illud amoris flamma שרפים (*flammantes*) appellari nonnulli credunt. Ait eos binis alis faciem texisse, binis volitasse, binis pedes obvolvisse, &c. Quin hujusmodi Angelorum actus adorationis cultum figurent, nullum est dubium. Sed nec hoc obscurum esse potest, eum, de quo Esaias loco jam laudato verba facit, Spiritum Sanctum esse. Certe hoc asseritur in terminis in *cap.* ultimo *Actor. versibus* 25, 26, & 27. quos cum *vers.* 9. & *seq. cap.* 11. Esaiæ componendos esse mihi persuasum habeo. Enimvero quis melius, quis certius V. Fœderis tabulas nobis explicet, quam ipse Spiritus Sanctus, cujus afflatu Prophetæ pariter atque Apostoli sunt perculsi? Ut per decimam septimam consequentiam res controversa probetur, opus non esse duco. Leydenses nostri Disputatores, quos ii, qui ex superiori Germania se huc appellunt, absque stomacho raro audiunt, hic mulierum instar conditionalem syllogismum despumarent. Sed rem totam majoris lucis gratia hisce cancellis includi posse existimo.

Ille, qui Esaiæ in mandatis dat ut populi flagitia Propheticæ linguæ severitate ulciscatur, religioso cultu ab Exercitu cœlesti est mactatus.

Ille qui Esaiæ hoc in mandatis dat est Spiritus Sanctus.

Ergo, Spiritus Sanctus est ille qui ab Exercitu cœli religioso cultu est mactatus.

Majorem ponit Esaias. Minorem nobis suggerit Paulus, testis omni exceptione major. Hæc clara videntur. Nihilominus tamen heri potest, Clarissime Virorum, ut quod argumentum mihi adamantinum videtur, Excell. V. tantum non vitreum sit & fragile. Quare rem candore & benevolentia sua dignam præstabit, ubi informatione & doctrina sua eum dignata fuerit, qui illius desiderio fere contabescit. Nunc eandem rogarem, ut aliis me vinculis solveret, quibus in sacro hoc Caucaso ligor, nisi jamdudum illius modestiæ limites transiliissem, quæ juvenem alias commendat. Impellit me tamen discendi amor, imo ardor, quem ubivis locorum mecum circumferam, donec lumen vitale videbo, necnon insignis E. V. Humanitas, ut subsequas quæstiones, quas solus concoquere non possum, in fidelem ejus sinum evaporem, medicamque manum ab eadem devote præstoler, atque blandissima spe mihi pollicear.

Quæst. I. Quænam sit optima & tutissima conciliatio Pauli cum Jacobo, quorum ille solam fidem nos justificare pronunciat; hic vero eundem effectum bonis operibus tribuit? Illi enim rem acu non tangunt, qui Jacobum non de ipsa Justificatione, sed de ejusdem declaratione sermonem spargere docent?

II. Ex quibus Scripturæ locis probari possit, peccatum originis tale esse malum, vel talem morbum, qualem Cl. Domini Remonstrantes illud esse dicunt in Apologia sua, qui nimirum homines ineptos reddat ad acquirendum salutem? &c. Ep.526.

III. An dictum *Epist. ad Hebr. cap.* XI. *vers.* 6. ad omnes, quotquot absque fide in Christum satis concesserunt, ipsosque adeo Gentiles Philosophos, &c. extendi queat? An vero saltim capiendum sit de Enocho, felicissimo illo æternitatis candidato?

IV. An creatio animæ rationalis ex Scripturis Sanctis, firmis argumentis astrui possit? Quæ loca illi sint probandæ? Item, quo tibicine Philosophia illam fulcire queat? Et tandem

V. Qua methodo compendium Theologiæ nostræ sit scribendum? An ad instar Philosophiæ Moralis aliarumque Disciplinarum Practicarum, quod secutus est Clarissimus Theologus in Acad. Helmstadiensi D. Georgius Calixtus? Qui Theologiam dividit in partem communem & propriam, quarum illam omnes fideles, hanc vero Ministros saltim Ecclesiæ concernere dicit. Atque in illa agit primo de summa hominis felicitate, quam lumen gratiæ nobis detexit; deinde de subjecto, homine nimirum, qui illius beatitudinis capax est; & tertio de mediis salutaribus, quæ viam nobis in cœlum signant. Item: Qua methodo, quo ordine Theologiæ litandum sit? Qui autores potissimum sint evolvendi? An à recentioribus, an vero ab antiquioribus initium sit faciendum? An per totum vitæ nostræ cursum linguarum & Philosophiæ studium περίεργον (*perfunctorie*) pertexendum? Sunt enim noctuæ quædam, quæ hunc solem literarum ferre non possunt.

De hisce omnibus pro subacti, & longo rerum usu confirmati judicii divitiis, Excell. V. me uno saltim vel altero verbo informaturam esse, tanto majori πληροφορίᾳ (*animi certitudine*) mihi persuasum habeo, quanto clariora dulcissimi sui spiritus documenta in me pronuper edidit. Ego pro hoc beneficio in cordis fano æternam ipsi aram erigam, in quo omnes devotissimi animi actus ipsi sacros esse jubebo. Cæterum contigit mihi habitare in ædibus Danielis Wyckentorn, prope templum D. Petri, vulgo *By dem Schut van Alsmar.* quod addendum mihi putavi, ne ignorantia loci responsorias, quas prolixe desidero, mihi subducat. Tu Virorum Celeberrime in præsens salve, & æternum bene vale, una cum tota familia divinæ protectioni devote à me commendate, ac novum quidem, sed fidelem laudum tuarum præconem habe. Scribebam Lugd. Batav. d. 6 Martii, an. 1634.

Digitized by Google

IↃ XXVII.

MICHAELI SCHNEIDER

Lugd. Batavorum.

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Responsio ad quæstiones superioris epistolæ.

VIr præstantissime, Immerentem me laudibus tuis mactas, & indignum ornas, ac tantum non oneras præconiis tuis. Placuit tibi nupera nostra ad plebem concio. Eam ego laudem duco maximam, aut saltem non ultimam, quod placuerit etiam iis, quos eruditio, & judicii acrimonia segregant à vulgo, & à pullata plebis turba. Neque tamen ideo suffenus sum, ut eapropter mihi plaudam aut lenocicer; Scio enim quam mihi curta sit domi supellex dum meo me pede metior, & me ex conscientia tenuitatis meæ æstimo. Tantum gratulor mihi ac gaudeo, veritatis divinæ odorem diffundi per nos etiam ad eos, quos serio ejus amore ac studio inflammatos video. Quare non certabo tecum, mi Domine, pari aut reciproca laudis vicissitudine; sed, quam scio te mecum animitus & ante omnia cupere, gratiarum actione apud communem nobis unicumque nostrum Dominum Jesum, cujus nomen benedictum semper sit in Ecclesiis ejus, & ad quem redire ac redundare debet omnis studii atque officii nostri gloria.

In rem ipsam itaque descendam, & vestigia literarum tuarum legam ac premam. Fateris te præceptum nullum hactenus invenire potuisse, quo Spiritus Sanctus jubetur adorari aut invocari. Exemplum tamen, inquis, aliquod mihi videre videor, cum pie curiosa lumina in cap. VI. Esaiæ vibro.

Fateor, mi Domine, si ullum, hoc fere unicum esse argumentum, quod in speciem Apologiæ nostræ, quod ad exemplum invocati aut adorati Spiritus Sancti attinet, objici potest. Si ejusmodi argumento pugnasset Vedelius, melius famæ atque existimationi suæ consuluisset: Sed adeo à janua aberravit, aut præter casam cucurrit ineptus disputator, ut ne arietem quidem admoverit, quo Apologiæ murum impelleret. Existimo tamen (salva tua pace) argumentum hoc tuum non satis stringere, aut Apologiæ dictum enervare. Enimvero, quando Apologia negat exemplum ullum adorati Spiritus Sancti ex sacris Literis proferri posse, tum non negat exemplum ullum proferri posse, quo Deus adoratus legitur, ac proinde etiam Spiritus Dei Sanctus: sed tantum negat, exemplum ullum adduci posse, quo in terminis legitur adoratus Spiritus Sanctus (sicut passim in Scriptura leguntur adoratus Pater, & adoratus Filius Dei, & quidem in terminis sive disertis verbis) oratione ad Spiritum Dei Sanctum directa, eaque (quamquam in hoc vim responsionis non collocabo) ab hominibus ipsis profecta, aut in Ecclesia ipsa Dei usurpata.

Fortasse, inquiet eruditio tua, id hic usu Ep. 527. venisse in exemplo quod citat. Quare argumentum ipsum tangam, ut contrarium pateat. Argumentum hoc est:

Ille qui Esaia in mandatis dat, ut populi flagitia prophetica lingua severitate ulciscatur, religioso cultu ab exercitu cœlesti est mactatus. Ille qui Esaia hoc in mandatis dat est Spiritus Sanctus. Ergo, Spiritus Sanctus est ille, qui ab exercitu cœli religioso cultu est mactatus. Majorem ponit Esaias: Minorem nobis suggerit Paulus, testis omni exceptione major, Act. XXVIII. vers. 25. 26. 27. *Hæc clara videntur*, inquis.

Resp. Neutra propositio mihi clara videtur. Ad majorem enim quod attinet; Elogium sive encomium hoc Angelicum religiosæ *adorationis, sive invocationis cultum* in se habere, aut, uti tua eruditio loquitur, *figurare* clarum latis non est. *Nullam*, inquis, *est dubium*. Sed istius dicti tui nullam claram rationem video. Textus ipse acclamationem fuisse dicit, quam alter angelus ad alterum fecit *vers.* 3. Nec factam eam dicit ad Deum, nedum ad Spiritum Dei Sanctum, contradistincte à Patre & Filio, ritu aut specie adorationis; sed ad Esaiam aut propter Esaiam ritu concelebrationis, & magnificæ exaltationis, qualis Cœlestis Curiæ Patronos, solique divini adstites decet, ut Prophetam ejus in terris animarent, ad obeundam forti animo decretam ipsi legationem. Hac exceptione si utar, tum apparet sane verum esse id quod dixi, clarum non esse exemplum hoc quod allegatur. Esto tamen, dabo etiam Majorem hanc tibi, & acclamationem hanc adorationem esse concedam; Minor tamen clara adhuc non erit.

At *Minorem nobis suggerit Paulus*, inquis, *testis omni exceptione major*. Resp. Apostolum vocibus Spiritus Sancti, personam Spiritus Sancti contradistincte à Patre & Filio designasse, clarum non est. Quin imo Spiritum Sanctum essentialiter ab Apostolo usurpatum fuisse vix dubium est, vel ex hoc uno argumento, quod Johannes Apostolus *cap.* XII. 41. diserte adserat, Esaiam in hac visione *vidisse gloriam* vel *Domini* Dei, vel *Domini* Jesu, *& de eo loquutum esse*. Deinde certum est in textu Pauli, non dici proprie Spiritum Sanctum in mandatis dedisse Esaiæ, ut populi flagitia Propheticæ linguæ severitate ulciscceretur, sed tantum locutum esse per Esaiam Prophetam. Aliud enim est, in mandatis dare ut loquaris: Aliud loqui in te aut per te. Quæcunque locuti sunt sancti Dei homines, ea per Spiritum Dei, aut acti à Spiritu Dei, locuti sunt, ut est 2 *Pet.* I. 21. Hoc vero tantum indicare voluisse Apostolum, id unum fidem facit, quod omnes revelationes per Spiritum Dei Sanctum fieri Scriptura passim asserat; cui adde, quod in ipso textu Esaiæ nulla fiat mentio, nisi *Domini*; quo titulo nunquam quod scio Spiritus Dei Sanctus in Sacris insignitur, nisi

Digitized by Google

Ep. 527. niſi quatenus vox *Domini* eſſentialiter accipitur. Denique ſi aliud non eſſet, hoc unicum ſufficeret, quod apud omnes Theologos, etiam veſtros, pro axiomate eſt: Opera Trinitatis ad extra omnia indiviſa eſſe. Ex eo enim efficitur, Spiritum Sanctum hoc loco eſſentialiter accipi debere, ac proinde recte colligi, Deus eſt adoratus, ergo etiam Spiritus Dei Sanctus eſt adoratus. Atque hoc eſt illud ipſum quod Apologia agnoſcit atque approbat.

Habes hic, Vir Præſtantiſſime, reſponſum meum ad argumentum tuum principale, quod ſcriptioni tuæ ad me anſam aut cauſam dedit. Ad ſubſequas tuas quæſtiones prolixa reſponſione opus foret, quam mihi non permittunt occupationes, & crebræ amicorum interpellationes, præter adiiduam Eccleſiarum omnium noſtrarum curam, quæ mihi à fratribus impoſita eſt, quæ mihi vix exigui temporis interulurium concedit. Ne tamen nihil reſpondeam ita paucis habe.

Ad primam. Optima & tutiſſima conciliatio Pauli cum Jacobo hæc mihi videtur: Quando D. Paulus nos negat ex operibus juſtificari, vel *per fidem juſtificari, abſque operibus Legis*, aſſerit, tum opera præciſe accipit, quibus merces ex debito datur, uti videre eſt *cap.* IV. *ad Romanos verſ.* 4. & opera Legis qualiscunque, ſive Judaicæ, ſive moralis, ſive naturalis intelligit, quatenus ea continent perfectam & perpetuam præceptorum omnium obſervationem, omnemque prorſus gratiam ac veniam excludunt. Operanti enim merces non imputatur ex gratia. Ejuſmodi autem obſervationem neminem hominem ſibi arrogare poſſe prolixe demonſtrat in prioribus Epiſtolæ ad Rom. capitibus. Jacobus vero, dum affirmat, *ex operibus juſtificari hominem & non ex fide tantum*, intelligit opera quæ non niſi ex viva fide Euangelio præſcripta proveniunt, quæ nec præciſe includunt perfectam, & perpetuam præceptorum omnium obſervationem, nec gratiam aut veniam excludunt, quemadmodum ex ſcopo Apoſtoli *cap.* II. *verſ.* 14. ex exemplis Abrahami & Rahab, denique ex totius argumenti concluſione liquet.

Ad ſecundam. Peccatum Originis tale eſſe malum, vel talem morbum, qui homines ineptos reddit ad acquirendum ſalutem, omnia iſta Scripturæ loca arguunt, quibus aſſeritur, *Neminem noſſe Filium niſi Patrem, Neminem noſſe Patrem niſi Filium, & cui Filius id voluerit revelare*, Matth. XI. 27. *Neminem noſſe ea quæ Dei ſunt niſi Spiritum Dei*, 1 *Cor.* II. *verſ.* 11. Chriſtum Jeſum eſſe *veram illam lucem, quæ in mundum veniens illuminat omnem hominem*, *Joan.* I. 9. *Fidem eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Dei*, idque prædicatum, *Rom.* X. 17. *Quomodo enim credent, de quo non audiverunt? verſ.* 14. *Verbum eſſe ſemen illud incorruptibile quo regignimur*, 1 *Pet.* I. 23. & *quod ſervare poteſt animas noſtras*, *Jacob.* I. 21. & ſimilia quæ paſſim occurrunt. Ex iſtis enim efficitur, homines omnes laborare morbo ignorantiæ, &, quæ ex illo fluit, infirmitatis atque impotentiæ ad cognoſcendum, aut inſiſtendum viam illam, quæ ad ſalutem & immortalitatem ducit, niſi medicam manum præbeat, & opem eis ferat Pater ille miſericordiarum omnium per gratiam Sancti Spiritus ſui. Ep. 527.

Ad tertiam. Dictum Epiſtolæ ad *Hebræos cap.* XI. *verſ.* 6. ſi verbum εὐαρεστῆσαι interpreteris per *placuiſſe*, non niſi ad Enochum felicitſimum illum æternitatis candidatum referri poſſe, res ipſa docet. Nemo enim præter illum ſic placuit Deo, ut tranſlatus à Deo fuerit ne videret mortem. At ſi generatim accipias dictum Auctoris Epiſt. iſtius, & verbum εὐαρεστῆσαι interpreteris per *placuiſſe* aut *placere*, inſerta etiam (quæ in textu non eſt) voce univerſali, *Quiſquam*, ad omnes omnino homines ut referatur, natura rei poſtulat. Ego nullus dubito, quin omnes ii qui per fidem Deo ſe probarunt, quicunque fuerint, aut ubicunque vixerint, Deo placuerint, adductus vel ſolo teſtimonio Petri, quod *Act.* X. *verſ.* 34, 35. legitur: *Vere deprehendo Deum non reſpicere ad perſonam, ſed in quavis gente acceptum ei eſſe, quemvis qui eum timeat & operetur juſtitiam.* Quouſque autem iſti Deo placuerint, aut placeant etiamnum, ejus ſolius eſt ſtatuere cui placent. Ego hic ἐπέχω. (*aſſenſum ſuſpendo.*

Ad quartam. Creatio animæ rationalis, quomodo aut ex Scripturis Sanctis firmis argumentis, aut ex Philoſophia ſolidis rationibus aſtrui poſſit, non video: Fateor mihi magis probari ſententiam eorum, qui eam per traducem eſſe poſt primam creationem aſſerunt; quamquam nolim propterea cum quoquam contentionis funem trahere, nedum ferram litis reciprocare; ut ſuo quiſque judicio hac in re fruatur, per me licet: Si enim quid video demonſtratio ἀναντίῤῥητος καὶ ἀνεπιλήπτος (*nec contradictioni nec reprehenſioni obnoxia*) hic locum non habet.

Ad quintam. Methodum Theologiæ ſcribendæ ego ſuam cuique liberam facio. Theologia non eſt ars, nec artificioſa locorum Communium ordinatio. Res Theologum facit, non ordo. Nec ordinis ignoratio in culpam cuiquam cedet, ſed rerum neglectus atque incuria. Tum methodus pro cujuſque captu atque animo variat. Quæ mihi ſcabra videtur via, ea alteri glabra eſt, & quæ mihi per compendium ducere videtur, ea alteri ambages atque anfractus videtur habere. Fieri aliter vix poteſt. Theologiam hic ſpeculativam, ille practicam facit. Hinc ubi ille orditur, hic deſinit, & contra. Neutrius curſum probat, qui eam partim ſpeculativam, partim practicam facit. Et ab hoc diviſim abit, qui eam maximam partem ſpeculativam facit. Ego ita ſemper credidi, optimum eſſe Theologum, qui textum Scripturæ ſibi familiarem adeo reddit,

Ep 527. dit, ut de qualibet re propoſita, etiam ſine arte, ſine methodo, poſſit diſſerere. Textualis Theologus optimus eſt Theologus. Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Ex illo ſi quis hauriat omnia ſcienda, facienda, ſperanda, credenda, ecquid arte aut methodo opus habet? Ipſa ars aut methodus non raro remora eſt bonæ mentis & judicii. Fit enim fere, ut qui artem didicerunt, ad eam fere, tanquam ad libripendem textum ipſum exigant, & cum ad Scripturæ normam ſenſa mentis atque artis ſuæ componere debeant, ex arte aut methodo ſua totum Scripturæ ſenſum æſtiment: Hoc eſt non pedi calceum, ſed calceo pedem aptare.

Nolim tamen exiſtimes, mi Domine, me hic artem omnem atque methodum damnare. Abſit. Non exiguo fulcro atque adminiculo caret, qui commoda methodo deſtituitur & rectum ordinem non ſervat. Prudenter tantum ea utendum eſſe judico, ne remedium in venenum vertat. Methodum ancillam eſſe volo, quæ Scripturam tanquam pediſequa dominam ſuam ſequatur, non antevertat nedum legem ei figat. Et quia Theologiam ego exiſtimo practicam eſſe, methodum fateor illam maxime mihi probari, quæ cum methodo Philoſophiæ moralis aliarumque diſciplinarum practicarum convenit, qualem ais obſervatam à Clariſſimo, & mihi non ſemel à veſtratibus Theologis ob raram eruditionem commendato ac laudato, Viro D. Georgio Calixto: utinam ejus viri ſcripta mihi videre & legere contingeret!

Ad textum Scripturæ intelligendum maximum momentum habet linguarum duarum, ſi non perfectiſſima, mediocris ſaltem cognitio. Qui iſtam averſantur, ii oppido parum mihi videntur ſapere. Phraſiologia eſt clavis qua arcana ſenſuum optime aperiuntur & panduntur. Quos in ejus cognitione excellere video, eos ego cæteris aliis omnibus Theologis præferendos judico. Facem veluti Phoſphori in tenebris ferunt, & ceſpitantibus allucent. Literarum lucem & gratiam qui reſpuunt vere ſunt noctuæ, quæ ſolem non admittunt & diem fugiunt. Philoſophiæ ſalubribus aquis tingendum animum eſſe exiſtimo, non mergendum. Scriptores qua veteres, qua recentiores cum judicio & delectu legere apex eſt ſapientiæ: In pleriſque ſunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala multa.

Cogor claudere Epiſtolam, Vir Præſtantiſſime, quia alia compluria me avocant. Ignoſce brevitati & celeri ſcriptioni. Affectum vide & rem. Certare tecum volui non eloquentiæ, ſed benevolentiæ ſtudio. Si quid deſideras, ſignifica & ſalve, commendatus Deo & verbo gratiæ ejus. 13 Martii 1634.

IO XXVIII.

GUILIELMUS

Archiepiſcopus Cantuarienſis

GER. JOH. VOSSIO.

Salutem in Chriſto.

De ſtatu Eccleſiæ Anglicanæ.

QUantopere, Vir ſumme, negotiis diſtrahor hinc liquet, quod literis tuis mihi ſemper gratiſſimis, poſtridie Kal. Octob. datis & XXVIII mentis ejuſdem receptis, vix adhuc datur reſpondendi otium. Hinc me publica avocant, illinc revocant privata, ſed ſumme neceſſaria: duplici itinere, longo, moleſto & ſumptuoſo, uno eodemque anno ſuſcepto & finito, in Scotiam nempe & ſedem Cantuarienſem. Reverſum me eſſe ex uno ſalvum, & in alterum bonis ſpero avibus aliſque provectum, ſcio te primo auditu perfuſum gaudio. Non ſi omnes affecti qui audiverunt, nec apud vos noſve. Nec virulentia multorum me latet. Deo gratias quod cauſa cur ita dentibus venenatis famam meam rodant prorſus ignota eſt: Si non ideo forte ſit, quod à multis jam annis iſtis moribus in Eccleſia Dei vivitur, ut peſſime audiant etiam ab Eccleſiæ filiis (ut haberi volunt) qui optime conſultum Eccleſiæ, & paci ejus cupiunt. Tales autem prætereundi ſunt, aut nihil in bonum Eccleſiæ faciendum. Deus mihi conſtantiam & patientiam det oro: utraque mihi ſumme opus. Tu interim orationibus tuis me Deo Opt. Max. commendatum habeas. Ego ſic munitus pergam quo Deus duxerit. Qui malevolis illis & veniam det & mentem meliorem. Quod ad filium tuum Johannem attinet, &c. Libri quos una cum literis miſiſti, illæſi ad manus meas pervenerunt. Gratulor & tibi & filio Dionyſio, qui juvenis tam felici genio tanta peragit, inter literatorum principes princeps facile futurus, ſi eodem quo nunc ingreditur pergat pede. De te quid dicam neſcio, niſi quod doleo te ita interpellatum, dormientibus interim operibus à te tantopere affectis. Quo reſpectu quo minus tuus ſis, eo minus ſis & meus. Sperabo tamen te (etſi forte non facile) omnia ſuperaturum impedimenta, ne Baronius ſemper hæreat. Vidi nuperrime literas tuas ad Goffum, &c. Merum figmentum eſt Epiſcopos Angliæ juriſdictionem ſuam in Eccleſias veſtras velle extendere. Id quidem illis ne per ſomnium accidit. Poëta ad minimum Davenportus, ſi dicat, fingit. Nam hoc vult Rex Sereniſſimus, ne mercatores aliique ſubditi ſui Forbeſium ſimilemve alium Eccleſiæ Anglicanæ præferant. Ideoque Forbeſio dimiſſo, Goffus ad quem ſcripſiſti, vir doctus & diſciplinæ noſtræ prudens aſſertor, omnium ſuffragiis ſubſtituitur. Quid hoc ad Eccleſias veſtras? Sed quo-

mam

Digitized by Google

Ep.529. niam ſocina iſthæc Davenportum ſubolet, habebis viri apud nos res geſtas: nec enim ipſe audet negare. Triennio plus minus abhinc coram me, Epiſcopo tum Londinenſi, ſiſtebatur, &c. Si ideo gratus ſit veſtris Amſtelodamenſibus quod Eccleſiæ ſuæ & Reformatæ defertor ſit, fruatur ille fortuna ſua, vos illo. Nolo te diutius à ſtudiis tuis multo utilioribus diſtinere, Vale. Et quoties Deum pro te ipſo interpellas, ſis memor etiam mei apud communem redemptorem

Tibi tuiſque amiciſſimi

GUIL. CANT.

Datæ ex ædibus Lambethanis Febr. 24 Stil. Ver. 1633.

Dum hæc ſcripſi & non antea nuntiatum eſt mihi de obitu filii tui, utrum Johannis vel Dionyſii nondum conſtat, ſed timetur juniori. Faxit Deus, quiſquis is fuerit, ut te plus æquo non diſcruciet.

IↃ XXIX.

HUGONI GROTIO

GER. JOH. VOSSIUS S.P.

Vir. VIr Clariſſime, Mitto ad te Guilhelmi Schikarti literas, &, ſi non fallor, ejus פורים, ſive de Judæorum Bacchanalibus opuſculum. Quam inde capio conjecturam, quia ad me miſerit, quicum non ea illi amicitia, vel illud literarum commercium hactenus fuit. Simul literas accipies Hortenſii, civis tui, quem puto aliquando non inglorium patriæ urbi fore. Eſt & illi familiaritas, ſed literaria, cum Schikarto. Uti &, cum Gaſſendo, & aliis, in Matheſi claris viris. Ipſe nunc diſciplinas Mathematicas in urbe hac, ſed extra ordinem, profitetur. Attamen is eſt confluxus audientium, is quoque genius docentis, ut non dubitem, quin propediem eum collegam ſimus habituri. Ptolemæum ſic ſequitur, ut Tychonianam, & Copernicianam ſententiam ſimul proponat & explicet. Nec obſcurum nobis in Copernicianam magis inclinare: utcunque ea Romæ ſit damnata à Cardinalibus anno cIↃ IↃc xvi, atque iterum anno ſuperiori: imo Galileus Galilei Florentinus, quia hanc ſententiam & viva voce, & ſcribendo defenderet, in carcerem ſit conjectus, nec inde emittendus, priuſquam pœnitentiæ ſatis egerit. Quam rem à Nuncio Apoſtolico Bruxellis Lovanium perſcriptam eſſe mihi conſtat ex Fromondo< qui his diebus Antariſtarchum ſuum hoc de argumento ad me miſit. Heſterna die iterum legi Sophompaneam tuum: ſed non ſine multis lachrymis. Nec enim mihi cornea fibra eſt. Movebar argumento ipſo de certiſſimis Scripturarum fontibus hauſto, & à te tam graphice nobis expreſſo. Movebar quoque recordatione auctoris, magni ſane totius orbis eruditi, præcipui item ſi non unici Belgicæ ornamenti: cui ubivis potius, quam in patria, maximis à ſe beneficiis affecta, eſſe licet. Vellem Magno civi tuo voluntas, vel potius otium eſſet, de eo cogitandi ſerio. Sed receſſus animorum unus ſcit, quem καρδιογνώστην (*cordium ſcrutatorem*) in Scripturis vocari propterea videmus. Amſtelodamenſium affectus non deferbuit. Sed quicquid ſine illo tibicine ſtruitur, corruit. Et metuo, ne rigoris illud in tuendo civitatium, ſuæ imprimis, jure, magis poſſit abalienare eum, qui plurimum poteſt. Omnino enim pecuniis ad bellum opus eſt. Nec ſufficit hæc civitas una, vel etiam Batavia univerſa. Tandem tempus putatur, ut fœderatæ quædam provinciæ in commune ſolvant, quod debent. In hoc ſi Batavi perſiſtant, ſpiſſe procedet caſtrenſe negotium. Intelligo & eos, qui Provinciarum omnium nomine magnum illud collegium conſtituunt, cogitaſſe de Guilhelmo Comite in Germaniam mittendo, majori etiam ſtipendio promiſſo: Sed Batavi in illo dicuntur conſpirare, quod pecunias nolint eam ad rem contribuere: quia, ſe neſcius, non potuerit, vel debuerit iſthus momenti conſtitui quicquam. Cætera cognoſces ex Fabricio, juvene elegante & erudito, atque ex poëmatis tibi jam noto, qui Hamburgum ob morbum matris eſt arceſſitus. Eunte illo, paulo liberius de rebus Batavis ſcripſi. Quæ me ſæpe habent ſollicitum. Sed, ſpero, aderit ὁ Θεὸς quaſi ἀπὸ μηχανῆς, (*Deus à machina*) Cui te, conjugem, filium, commendo. Amſtelodami cIↃ IↃc xxxiv. v Kal. Junias.

IↃ XXX.

GER. JOH. VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

AMpliſſime, ſummeque Vir, ſuperioribus ad te literis raptim, ſicut nunc meus eſt mos, exaratis, aliud quiddam in mentem venit. Jam annus, & credo, ultra eſt, quod urbe in hac degit Bartholdus Niuhuyſius, vir doctus, & ſubtilis, Lutheranus quondam, & Calixto Theologo perfamiliaris, poſtea Pontificius, atque ad Abbatis dignitatem vectus, ſed ea, bello hoc Succico, exutus, & nunc extorris. Is in Germania, priuſquam huc concederet, multum diuque cum Lutheranis ſolitus diſſertare ſuper religionis controverſiis: ſed non ad morem vulgarem. Poſcit ἀπόδειξιν, (*demonſtrationem*) invictumque aliquid, quodque animum poſſit aut debeat reddere ἀπεριτρόπου καὶ ἀκλινοῦς. (*conſtantem & immobilem.*) Negat opus de ſingulis diſputare. Eligere ſuos Lutheranos, vel etiam Calvinianos, & quoſvis alios poſſe, ubi maxime exiſtiment ſuæ Eccleſiæ cauſam triumphare. Si unum vi-

De Bartholdo Niuhuyſio.

Digitized by Google

Ep. 531. derit argumentum, velle redire ad eos, unde malum pedem extulerit. Sin disputando intelligant, nihil solidi crepare, quicquid hactenus obtenditur, æquum videri, ut redeamus ad Romanæ Ecclesiæ sinum. Edidit novo anno, ut vocat ipse, σίγμωνα: quo Lutheranos in hanc formam provocat. Crebro & me invisit, & quamquam de aliis quoque rebus colloquamur, tamen jam iterum tertioque eo nos sermo provexit. Illo igitur poscente causam justam, cur parens meus à Romana abierit Ecclesia, respondi multa de veteris ac præsentis Romanæ Ecclesiæ discrimine. Sed tandem in eo pedem figebamus: Romanæ Ecclesiæ doctoribus ita Scripturas interpretantibus, ut manifesta iis vis fiat, planeque abeant à priorum seculorum doctoribus, imo interdum, ut in Transubstantiationis dogmate, sensus interpretationi reclamet, manifestaque sit contradictio, nec solum sic interpretantibus, sed etiam, nisi similiter interpreteris, ferro te & flamma perdere paratis, jure ab ejusmodi doctoribus receditur, ac seorsim cultus Dei celebratur, partim conscientiæ studio, partim vitæ conservandæ, quam patriæ, Ecclesiæ, familiæ, & amicis conducibilem existimamus.

Si valetudo, si otium tibi, si res etiam tuæ sic ferant, ut hujusmodi tractes, quod arbitror: quæso paucis saltem perscribe, quid tibi de hac re videatur, & quam potissimum viam cum istiusmodi hominibus insistendam putes. Vale.

Tuus æternum

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ XXXI.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

Varia. LIteras quas scripsisti, Vir præstantissime, Junio mense, in uxoris iter dilatæ nunc demum ad me pervenerunt, &c. Sententiam de terræ rotatione damnatam Romano judicio, ac Sacris litteris inimicam, non Italis tantum, sed & illarum rerum peritissimo Keplero placuisse scio, & multos quotidie reperiri illum sectantes. Est tamen ὁ τῆς φαντασίας ἀναπόδειξτος. Et argumenta sunt in contrariam partem haud levia ὁ τῆς φαντασίας, etiam ex umbrarum quibusdam observationibus, Il Cæsenati credimus, &c. Esse in patria qui mihi non desinant optima optare, hoc quoque inter solatia est. Ejusdem patriæ incommodis indoleo, maxime cum video, & pacem illis displicere, & vix esse unde bellum gerant, &c.

Bartholdo Nyuhusio de nova illa, qua dissentientes impetit, via, erudite & prudenter respondit Calixtus libro de Arte nova, quem subjunxit libro de Theologia Morali. Hoc anno Helmæstedii editum id opus. Summa hæc est: In iis quæ de rebus sive humanis sive divinis credimus nulla esse possessionis privilegia: asserentibus incumbere probationem. Probari autem non tantum quod tandem literis ostenditur, sed & quod per legitimas & homini non insano neque pertinaci fidem facturas dilationes deducitur. Discessionis causa quæ abs te redditur optima est: non potuisse vivi sub tali dominatu, neque integras nationes aut magnas nationum partes ideo debuisse à conventibus abstinere. Sed Calixti librum ut legas rogo: multa sunt in eo utilia: multa ab aliis dicta quidem, sed à nemine exactius. Vale vir eximie XII Augusti CIↃ IↃC XXXIV. Francofurti. Ep. 532.

Tuus semper

H. GROTIUS.

IↃ XXXII.

HUGO GROTIUS

GUILELMO GROTIO S.P.

Dramen filia fuit. DIfferenti mihi ad te scribere, donec impedimenta primum legationi meæ, dein dignitati legationis objecta eluebor, ecce novum incidit vulnus, rupitque nondum bene obductas cicatrices, &c. Maria nostra &c. miseræ huic vitæ eripitur. Ferimus hoc malum ego & uxor ut solent malis obdurati. Et cur malum voco, si Deus datum jure suo repetit, &c. Non Maria nostra per tristia ibit matris vestigia: non aspiciet infensos innocenti conjugi, & quidem ob ipsam innocentiam infensos in hoc quæsitorum judicum vultus: non mariti conspectum emet carceris consortio: non terras terris mutabit longi exsilii comes. Gratulemur ipsi quam Deus sæculo exemit antequam sæculi aut quæ dicuntur bona, aut quæ sentiuntur mala, nimis nosset. Gratulemur & nobis, quibus usura ejus dum suavis & sine periculo amaritiæ fuit, concessa est. Quid nunc est in orbe Christiano sectis, dissidiis, bellis agitato, quamobrem vivere libeat, &c.

IↃ XXXIII.

GUILIELMUS

Archiepiscopus Cantuariensis

GER. JOH. VOSSIO

Salutem in Christo.

ACcipies hic (mihi merito charissime) unam, eandemque brevem epistolam. In ea tribus tuis mihi exoptatissimis responsionem: sed qualem moles negotiorum, (qua pene opprimor) permisit, rudem scilicet & incultam, sola brevitate gratam, solo amore candidam. Reliqua tota una litura sunto. Et primis literis tuis, &c. Literæ tuæ secundæ, &c.

In

Digitized by Google

Ep. 534. In literis autem tuis noviſſime ſcriptis, &c. lego, &c. te labores tuos Grammaticos ad finem perduxiſſe. Gaudeo certe, & eo magis quia ſemper cogito de Baronio. Librum etiam una cum literis miſiſti, &c. Hoc vero juſſit Rex ut tibi reſcriberem, velle ſe ut libri hujus dedicatio (quando ita Tibi placuerit,) ſit Illuſtriſſimo Principi Walliæ Carolo. Perge nunc & librum hunc habeamus publici juris, &c.

Amiciſſimus tibi

GUIL. CANT.

Datæ ex ædibus meis Lambeth. Febr. 27. 1634. ſtilo noſtro.

IO XXXIV.

GER. JOH. VOSSIO

STEPHANUS GOFFIUS S.P.

VIr Clariſſime, Literis tuis elapſa ſeptimana ad Reverendiſſimum Archiepiſcopum manu mea traditis, hodie ab ipſius ore hoc reſponſum ad te propere perſcribendum accepi: ipſum nimirum Regi ſignificaſſe conſilium tuum, atque Regem lubentiſſimis auribus illud accepiſſe, &c.

Unum inſuper moneo, ne amplius de humaniori literatura cogites, adeoque omiſſa circa rem poëticam & originum libros opera, neceſſe eſt ut Theologicis te penitus accingas. Hoc pene efflagitant Reverendiſſimus noſter Præſul & omnes eruditi, &c. Londini decimo die Novemb. Stilo Vet.

Totus ex animo tuus

STEPH. GOFFIUS.

IO XXXV.

GER. JOH. VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

De ſua in Galliam Legatione.

LEgatum me huc veniſſe Reginæ Regnique Suedici nomine, Voſſi Doctiſſime & amicorum optime, puto jam nuntiatum illic eſſe vel à bene mihi volentibus, vel ab inimicis, qui quæ nolunt non præſentia tantum, ſed & eminus poſita vident. Hoc igitur omiſſo, dicam Regis ſummam fuiſſe in me benevolentiam, magnaque ab eo documenta data, ipſi hunc meum in fines ſuos cum honore non vulgari reditum longe eſſe gratiſſimum. Bignonius, Thuanus, Cordeſius, juſtæ ſatis cauſæ cur Lutetiæ aliquis, quamvis privatus, quam alibi honoratus malit vivere, te amant tuique in omni ſermone meminerunt. Tu quid nunc agas, fac ſciam; imo fac ſciamus omnes. Paſtores Reformati jam ſex è præcipuis me ſalutarunt: mirum quanta ex rebus adverſis nata ipſis ſit animorum converſio. Unitatem Euangelicorum optant, & quantum in ipſis eſt vo-

ce, ſcriptis, promovent omnes. De dogmatibus controverſis ſentiunt lenius quidam, ita ut non diſſimulent ſe Melanchthoni magis favere. Sed de Anglia non ſcio unde acceptis rumoribus mira ſibi fingunt: reduci ſimulacra, ſuperſtitiones diu abolitas; ad Papiſmum vix tantillum reſtare. Refello, & dico hæc ex nimio Puritanorum in Epiſcopos odio proficiſci. Auctores ſuæ credulitatis laudant Subizii literas. Ex his, qui Anglicana hic gerunt negotia, longe alia intelligo: atque iis potius credendum urgeo. Blauius ſpero commiſſæ ſibi tragœdiæ meminerit. Meum Petrum tibi commendo, partem quartam ſobolis, cujus quinta fuerat. Unica enim reſtat filia, erepta hujus ævi miſeriis minore, ſubito quidem, ſi morbi quatenus apparebat naturam & Medicorum judicia reſpicimus, at ex proviſo ſi ipſius ſpectamus animum morti pridem paratum. Ego hoc damnum & uxor ſic ferimus ut non ignaros malorum decet: & quomodo tuum ut ferres optavi, nec dubito quin impetraverim. Vale Vir Præſtantiſſime, uxor & liberi noſtri tuam ac tuos amantiſſimo animo ſalutant. Lutetiæ, 23 Martii 1635.

Tuus animo toto

H. GROTIUS.

IO XXXVI.

GUILIELMO

Archiepiſcopo Cantuarienſi

GER. JOH. VOSSIUS S.P.

De variis Voſſii operibus.

REverendiſſime in Chriſto Pater, Domine Illuſtriſſime, Tandem finem implent exercitationes noſtræ Grammaticæ, &c. Aliquamdiu ſeponenda video quæ bonas literas vel humanas ſcientias ſpectant, etſi permulta jam prælo parata ſunt, &c. quibus non inſiſtam. Nempe totum me accingo ad ea quæ Theſibus Lugduni editis Belloſiti recuſis ante annos multos complexus ſum, caſtigatius auctiuſque multo, idque librorum forma, divulganda. Videlicet ut duo ſint de Baptiſmo & ejus ritibus. Totidem de Euchariſtia libri: uti & de ſtatu animæ poſt mortem. Alius de creatione ac fine mundi. Alius de lege ac bonis maliſque operibus. Et porro ita in aliis non editis modo, ſed & hactenus *ἀνέκδοτοις* (*inediis.*) In cunctis iis nihil æque mihi propoſitum eſt, quam ſtudere paci ac concordiæ Eccleſiæ: ſimul ut ſacræ ſcientiæ candidatis notitiam atque amorem veteris Eccleſiæ inſtillem. Vix ea lucem viderint, quin *σὺν Θεῷ*, (*cum Deo*) ſecuturum eſt opus noſtrum de mundi antiquitatibus uſque ad vocationem Abrahæ, & inde de rebus Hebræorum uſque ad Chriſti Natalem, vel Hieroſolyma à Tito deleta. In his ad duo iſta imprimis collimo, primum ut

Digitized by Google

Ep. 537. ſacram Chronologiam accuratius tractem, quàm à Scaligero, magno alioqui viro, & aliis aliquot, factum. Deinde ut difficilia multa veteris inſtrumenti loca, præſertim ἐναντιοφανῆ (*in ſpeciem contraria*) enarrem: ac ſententiam noſtram tum rationibus ſolidis, vel ſaltem veriſimilibus, tum item autoritate S. Scripturæ, Patrum, & Rabbinorum aliorumque confirmem. Tertia nobis cura erit de Chriſtianorum rebus. Quod opus bipartitum. Prius exponetur Hiſtoria Eccleſiæ, ut candide ita ſuccincte: rationes etiam verbo uno altero inſpergentur, quibus diverſa ſentientibus reſponderi queat. Poſterius ea omnia ſeligentur ſuper quibus nunc controverſia eſt. Hic modeſte cum Baronio & aliis manus conferemus. Sic utriſque conſulimus, & illis quibus ſufficit ſcire rem geſtam: & iſtis quibus opus eſt adverſariis occurrere. Hanc curarum partem optarem vel primam lucem conſpicere, &c.

Reverendiſſime Illuſtriſſime Domine Deum rogo ut diutiſſime te ſalvum ac ſoſpitem eſſe velit, quo Eccleſia Anglicana, illa omnium hodie Eccleſiarum Helice & Cynoſura, deinceps etiam recto curſu ac ſecunda navigatione feratur. Amſtelod. CIↃ IↃC XXXV. Poſtr. Non. April. Sûl. Vet.

Illuſtriſſimæ tuæ Revер. humillimus ac devotiſſimus cliens

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ XXXVII

FRIDERICUS SPANHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

MIttro ad te, Vir Nobiliſſime & Ampliſſime, diſſertationem Hiſtoricam ſuper Reformatione Genevenſi. Si ab argumento tibi commendari poſſit, eſt quod nobis gratuler, mihi etiam privatim, ſi ſummam obſervantiam probes, qua te & omnia tua veneror. Cætera luxurioſa nimis & infra laudem eſſe & ſcio, & ingenue fateor. Proinde non poſſum non judicii tui accuratiſſimi ſeveritatem deprecari. Munus ampliſſimum, quod tanta cum dignitate ſuſtines, ex animo tibi gratulor, qui eximias tuas virtutes orbi notas ſemper ſuſpexi. Bene de rebus illis nobis ſperandum, quæ tua prudentia reguntur. Utinam tantum munus ubique ſacrum foret, & in virtutem incideret! Pluribus intercedere nolo curis tuis publicis, & hoc unum à te obſervanter peto, ut affectum meum probes, qui in te colendo ſibi ſatisfacere nequit. Scripſi Genevæ. Id. Nov. CIↃ IↃC XXXV.

Ampt. T. devotiſſimus

FRIDER. SPANHEMIUS.

IↃ XXXVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

NOn credas, Vir meo judicio id quod ſenatus Romani judicio erat Naſica, quanto gaudio affectus fuerit Diodatius, cum videret ex litteris ad me & ipſum ſcriptis, nam forte cum eas reciperem, id eſt hodie, intervenerat, quantus in Galilæo honos haberetur bonis in commune litteris, abs te tantæ autoritatis viro, ab Hortenſio & à Nobil. mihique plurimi ſemper facto Realio. Rogavit me partem ut ipſi litterarum illam darem, ut bene merito ſeni & ab Inquiſitione male tractato aliquid inde eſſet ſolatii. Et quando Galilæi, ut recte judicas, ætas non videtur migrationem pati, ipſe ejus nomine in Hollandiam ire conſtituit. Si res, ut ſpero, bene procedet, aliquid mihi debebunt noſtrates, plerique nimium in me ingrati, quod honorem nobilis reperti ad ipſos derivaverim. Eidem ſi Seldeni viderint librum, dicent pluris multo me fieri ab iis quorum cupiditatibus reſtiti, quam tot jam per annos factus ſum ab illis, quorum cauſa tam dura pertuli. *O ingratifici Argi, immanes Graji, immemores beneficii.* Ἀλλὰ τὰ μὲν προτέροις ἰάσιμα, (*Sed hæc quæ ante contigerunt omittamus,*) non ultra ἀχνύμενοι, (*dolore affecti*, &c.) Vale cum amicis. X Jan. CIↃ IↃC XXXVI. Lutetiæ.

IↃ XXXIX.

STEPHANUS GOFFIUS

GERARDO VOSSIO S.P.

VIr Clariſſime, Miraberis tibi reddi tuas literas. Sed ita eſt: ventus hactenus parum ſecundus illas detinuit. Atque ecce novum interim & maxime neceſſarium congratulandi argumentum ſeſe offert, quod quo maturius eo gratius Illuſtriſſimo Præſuli in manus veniet. Notum eſt Archiepiſcopo Cantuarienſi viſitationis triennalis jus competere, &c. Hinc orta quæſtio an & idem Metropoliticum jus in Academias competat. Utræque refragabantur. Ad Regem appellarunt, &c. Diſceptata res, &c. Tandem Rege jubente antiquum Archiepiſcopali Sedi reſtitutum jus fuit. Neque enim ſibi verendum dixit, ne potentia ſua abuteretur ſanctiſſimus Præſul, cui unica de morum integritate reparanda cura fuit: Neque de ſuperbia cavendum. Non enim talem eſſe qui ſcriberet, Ego & Rex meus. Inſigne Regis ipſius teſtimonium, &c. Nollem officioſum Rivetum te antevertere. Solet enim ille pro ſuis aut gentis ſuæ moribus ad omnium Magnatum genua ſe provolvere. Nullus hic lega-

Ep. 540. legatus excipitur quarumcunque partium aut profeſſionis, quin ſtatim Rivetus obſequii prodigus limen vexat. Diu eſt ex quo Thesaurarius noſter gratulabundas ipſius accepit litteras, qui tamen albus an ater ſit, neſcit, niſi quod ex ſcriptis forſan notum potius ſe præſtitit quam gratum, &c. Ut ad me quampriimum has literas tranſmittas obnixe peto: ajunt enim nos caſtra non petituros hac hebdomade. Sin contingat me abeſſe, ita cum præſtantiſſimo & amiciſſimo Viro Doubletio agam, ut tuto citoque in Angliam deferantur. Vale, &c. & ama.

Tibi devotiſſimus

STEPH. GOFFIUM.

Hagæ Comit. ipſis Kal. Sextil. Stil. Vet. anni Dom. CIↃ IↃC XXXVI.

IↃ XL.

C. K.

CASPARUS STRESO.

VIr Ampliſſime ac Spectatiſſime Fautor, Literas tuas benevolentiam erga me ſpirantes magnam recte accepi. Tali, aut ſimili, benevolentia, quam & de te, & de auditoribus mearum qualiumcunque concionum prædicas, irritatos eſſe quoſdam, ut ex meo contra Botſaccum ſcripto eruerent aliquid ſuſpicionis, & ſiniſtros in vulgus ſpargerent rumores de nimia mea, vel erga Arminianiſmum, vel erga Arminianos facilitate, & antea intellexeram, & tanto magis doleo, quod à viris magnæ authoritatis id ſuſpicabar proficiſci. Sed tanto animoſius tamen tuli, non ſolum quia multi ſint pii in ea opinione quæ mihi affingitur; ſed præcipue, quia ab iſta opinione ſemper fui alieniſſimus, & quia mentem meam tam clare me judicabam expoſuiſſe, ut ſi modo ad iterandam lectionem eorum quæ ſcripſeram ſollicitarentur, fore credebam ut me illico ex eorum ſuſpicione dimitterent. Adii eo fine Rev. D. l'Empereur, Eccleſiæ veſtræ miniſtrum, eique mentem meam ita expoſui, ut nihil amplius à me videretur deſiderare. Is volebat ut Rev. D. Roſæum ſimiliter adirem, & mentis meæ apud ipſum exponendæ occaſionem quærerem. Feci extemplo, ſed quia ignotus, de hac materia ſine commodis occaſionibus, quæ per alterius cujuſdam præſentiam impediebantur, alloquium viri auſpicari decorum, & à ſiniſtra quadam ſpecie alienum non erat, diſceſſi, facta ſpe redeundi. Sed cum habita concione ſub initium inſequentis diei negotia domeſtica domum me vocarent, Rever. D. Fabricium, Eccleſiæ noſtræ miniſtrum, adii, rem ei ut geſta erat expoſui, meam ut de toto negotio mentem rectius, quam ante (nam & antea cum ipſo hac de re contuleram) perciperet rogavi, nec non, ut datis occaſionibus conceptas iſtas de me ſuſpiciones apud alios dilueret. Ille poſtquam mentem meam intellexiſſet, ita reſpondit, ut æque ac Rever. D. l'Empereur nihil videretur deſiderare amplius: ſaltem nihil ſignificaret. Cum de imputata heterodoxia aliquid adderem, ipſemet prolixe me excuſavit, improbavitque, ſi qui ſint qui tam facile me in ſuſpicionem publicam adduxerint; ſpopondit etiam datis occaſionibus officium quod petieram ſe eſſe præſtiturum. Quod ſi non obſtantibus his excuſationibus ſuſpiciones durant, injuſtæ ſint oportet, nulloque fundamento innixæ; præſertim ſi in obtrectationes & diffamationes non occultas erumpunt. Mira res, cum ante triennium fere ſcriptus ſit libellus, & nihil interea cenſurarum auditum ſit, niſi quod à Remonſtrantibus, ob nimium, ut putant, erga ſe rigorem paſſus ſum, nuperis hiſce occaſionibus tam contraria potuiſſe accendi judicia. Novit interea Deus quis ſim, neque tam obſcure loquutus ſum, quin ſponte ſcrupulum omnem removere poſſint, qui non ſponte deſtinarunt me odiſſe. Si tibi, Vir Ampliſſime, animum meum de hoc negotio noſſe intime non diſplicet, patere ut paucis hiſce numeris eum tibi exprimam & delineem.

I. Si qui ſunt qui Arminianiſmum, aut heterodoxiam quamcunque mihi objiciunt, næ illi inſignem mihi faciunt injuriam. Cur igitur à Claſſe Leidenſi examinatus, & ad concionandum publice admiſſus, orthodoxias tam luculentum accepi teſtimonium? Cur ab Eccleſia Anglica Reformata Amſterdamenſi, quam per octo circiter menſes ſolus docui, tam egregio ornatus ſum teſtimonio? Aut quis tam bardus eſt, qui cum iis quæ de fide edidi, putet poſſe conciliari Arminianiſmum? Aut quid tandem, quæſo, habeant unde heterodoxiam meam conjiciant? Quia aliquid quod ad Theologicum practicum pertinet ex Anglicano ſermone in Latinum tranſtuli, quia Anglicanos Theologos quoſdam ab excellentia in rebus practicis commendavi? quia forte in Scholaſtica & Logica aliqua quæſtione malo cum quibuſdam quam cum pleriſque ſentire? quia Anglice ad tempus docui, & cum Anglis multum converſatus ſum, qui forte in concione una cujus particulam audiverunt, Anglicanam & peregrinam concionandi methodum ipſis viſus ſum obſervare? quia denique peregrinus ſum? Si hæ non ſunt cauſæ cur me heterodoxum appellant, cauſas habent nullas. Si ſunt, indignæ ſunt quibus reſpondeam. Experientia autem edoctus, vereor ne ſint. Ego confido me, & ab heterodoxia, & à ſermonibus omnibus inuſitatis, qui quidem orthodoxiæ ullum poſſint creare periculum, immunem eſſe & manſurum eſſe, & ſi quid tale in ſcriptis (quorum quædam juvenilia fateor, & per caſus mihi actos præmaturius protruſa) oſtendi poteſt, docilem me præbebo, & in emendando morigerum.

Ep.540. II. Nunquam ego quicquam directe de moderatione & pace inter Reformatos & Remonstrantes dicendum, disputandum, aut sentiendum suscepi, sed tantum de pacifica conversatione, quæ in Germania à Palatinis, & aliis, Theologis Lutheranis olim fuit oblata, & nunc à Botsacco in criminationem Amesii conversa. Cumque de hac agerem, tum incidenter dixi, objectione antagonistæ ita postulante, conversationem Reformatorum cum Remonstrantibus in Belgio esse & fuisse talem, quæ paci, Lutheranis in Germania oblatæ, non adversaretur. Cum ita ante biennium scriberem, nulla mihi spes, nullumque votum fuit Ministerii in Belgio unquam obeundi, neque de admittendis aut excludendis Remonstrantibus ulla directe cogitatio; sed tantum excusavi processus Synodi contra Arminianos, in quantum illi pertinent ad Theologos qui ex Germania interfuerunt.

III. De illa ipsa pace, quæ inter Lutheranos & Reformatos optatur, nihil ita scripsi, ut absolute senserim debere esse pacem; sed nomen tantummodo meum professus sum inter eos, qui optant, ut, factis cæterarum litium quibusdam quasi induciis, communibus consiliis serio tentetur & vestigetur, an aliqua pacificatio cum Ecclesiis heterodoxis sit licita, ac possibilis, & quatenus.

IV. Ego nunquam talem probare potui pacem, quæ vel in conciliatione vel occultatione doctrinarum & opinionum, vel in plena coalitione & confusione Ecclesiæ heterodoxæ, cum orthodoxa (ut in Polonia factum videtur) consisteret: sed tantum talem optavi pacem, qua Ecclesia orthodoxa de heterodoxis (quas supponit) Ecclesiis sentiat & judicet cum distinctione, non omnes promiscue detestans & exsecrans, eo modo quo hæreticos & Papatum detestantur & exsecrantur; sed cum quibusdam (inter quos Lutheranos censeo) talem colat fraternitatem, quæ consistat in conversatione pacifica & mansueta, quæ detestationes & exsecrationes, quales hactenus à Lutheranis in nos profectæ sunt, prohibeat, quæ foveat eam spem, fore ut Deus, dissimulata errorum culpa, etiam in errore, sine pertinacia, perseverantes (quod de hæreticis & Pontificiis sperare non possum, etsi sperem esse inter Pontificios, qui, errores crassiores ignorantes, arrepta superstitis veritatis tabula, naufragium salutis evitent) acceptos habeat; quæ denique consistat in mutuis pro se precibus, in mutua provocatione ad timorem Domini, & ad plenam perfectamque concordiam, nec non in consociatione & communione tum spiritualis, tum civilis operæ adversus apertas hæreses, Antichristum & communes veritatis hostes.

V. Talem pacem & moderationem dixi quosdam velle colere, etiam cum Græcis Orientalibus Christianis, ut ex præfixa Apologiæ meæ præfatione patet. Et cum objectio quædam antagonistæ ita posceret, dixi incidenter, antagonistam meum probare non posse, Reformatos ab hujus fraternitatis jure excludere, si qui sint in factione Arminiana non Socinani, in errore quidem quinque articulorum perseverantes, schismaticas interea turbas omittentes, confitentes & deplorantes. Hæc est illa pax, quam Reformati Theologi in Germania suaserunt & obtulerunt; & optem mihi ostendi Theologum Reformatum probatum ullum qui tali paci contradixerit; optem etiam ut tentent, qui male mihi ob hanc causam volunt, an possint ex meo scripto probare me plus pacis aut favoris Arminianis velle exhibitum. Ep.540.

VI. Interim, si talis pax fiet, & si ipsemet huic paci subscripsero, nunquam tamen, quantum in me est, & quantum sentio passurus sum, ut hæc pax se extendat ad plenam communionem, quæ omnem separationem tollat, ut heterodoxæ Ecclesiæ cum orthodoxis coalescant in unum corpus, ut vel Lutheranos, vel Arminianos recipiamus membra nostræ Ecclesiæ, quibus sacra signacula porrigamus. Rationes cur hoc nolim sunt duæ: 1. quia hæc foret quædam profanatio Sacramenti. Cuicunque Sacramentum Cœnæ porrigo, ei testor quod nihil videam quominus absolute ei possim addicere, & obsignare vitam æternam. At in Lutheranis & Arminianis video graves errores, & proinde gravia peccata non agnita. Ergo, etsi spero absolute tamen testari non possum nihil in iis esse quod salutem impediat. 2. quia hoc modo summo periculo exponitur veritas. Nam si coalescunt in unum nobiscum corpus, & admittentur ad plenam nobiscum communionem, quis tandem arcebit ab officiis? Et si admittentur ad officia, quid aliud erit quam quod intromittemus in agrum Domini, qui zizania serant & triticum evellant? quod periculum vi disciplinæ Ecclesiasticæ merito vitatur. Etsi enim fortassis non ita possit vitari quin aliquid noxium subrepat, tamen aperta pericula, quantum in nobis est, sunt protelanda, nec diffidendum mediis divinitus ad hoc institutis.

VII. Propter has præcipue causas necessarium judico, ut de confundendis & conjungendis Ecclesiis heterodoxis cum orthodoxis non laboremus, sed ut separatio quæ facta est maneat, ut communionem conversationis & caritatis immunem præstet à communione erroris & peccati. Potest enim aliqua separatio esse sine schismate, id est, sine schismaticis & factiosis moribus caritati contrariis. Res suas sibi habeant heterodoxi, & Deo serviant ut intelligunt & possunt. Nos interim, propter veritatem quam retinent, & propter fidem ac sanctimoniam quam probabiliter præ se ferunt, ab exsecrationibus, detestationibus, odiis ac vindicta personarum abstinentes, bene de ipsorum salute sperabimus, & huic spei talem superstruemus conversationem

cum

Ep.540. cum iis qui inter ipsos tales sient, quæ & nos à communione peccati & profanatione sacrorum præstet immunes, & tamen legibus caritatis Christianæ, ipsorum ædificationi & publico Ecclesiæ bono sit accommodatissima.

VIII. Quod si tamen accidat ut sint aliqui infirmi idiotæ, & institutionis de hisce summis mysteriis non usquequaque capaces, qui errores non hæreticos dimittere sine violatione erranti conscientiæ non possint, etiam post admissam diligentem institutionem, & tamen vel propter ceremoniarum absurditatem, vel propter admixtum hæresios, aut schismatis culpæ periculum malint cum orthodoxa quam heterodoxa Ecclesia, vel cum factione, colere communionem, salvis erroribus, de iis sic sentio: 1. propter priorem causam tales non excluserim. Ratio, quia infirmitates non obsunt saluti Euangelicæ & Sacramentorum usui; sed aut errores hæretici, aut peccata pertinacia: quales censere possumus errores eorum, qui rectæ institutionis & capaces, & participes sunt. 2. an propter posteriorem causam excludi debeant, judicare non possum, donec particularis Ecclesiæ, de qua quæritur, statum & indolem cognovero. Aliud est peccatum aut errorem non agnosci, nec agnoscere posse: aliud agnoscere posse, & non tamen agnoscere. Prius infirmitatis est, & in idiotas facile, & in pueros cadere potest: Alterum pertinacia est, & cadere in tales potest, in quos prius non potest.

Ecce Vir Amplissime, hæc est illa pax & moderatio quæ in mea contra Botsaccum Apologia invenitur. Hæc illa pax per quam & verbi veritas, & sacrorum puritas præstari sarta tecta, & tamen caritatis quoque lex impleri, Ecclesiarum tranquillitas obtineri, ac custodiri, vitarique potest illud periculum ne quem ex Dei filiis duriori attrectemus digito quam par est, & piorum gemitus adversum nos provocemus. Si harum Ecclesiarum talis est status, ut aliquem, qui hujus sit opinionis, ferre non possint in numero docentium, non est quod sperem admitti, neque illibenter me reduco ad pristinum propositum, videlicet ut Germaniæ, olim saltem restituendæ, quocunque honesto modo, me servem, cui etiam fini meum, quod rodi audio, matrimonium, valetudinis, & aliarum rerum, mihi cognitarum, causa fuit destinatum. Sin vero sunt qui siniſtra de me opinione imbuti excluſum me cupiunt innocentem; tum hoc quidem metuo, ne hæ criminationes talem mihi inurant maculam, quæ ubique obsit & noceat: sed qui tamen sinceritati & caritati dent operam, eos credo fore sollicitos, ne nimis audacter, rejecta omni excusatione, criminando, hujus mali se autores præbeant. Tu itaque, Vir Amplissime, favorem & amorem quem mihi spondes & offers, in his quæso insume studiis, ut talento meo quantilibet cunque alicubi in Ecclesiam Dei erogando talia removeas, quantum in te est, fi- Ep.541. ctа obstacula. Vel si meam de proposita quæstione opinionem ubique videris hisce Ecclesiis judicari tam pestilentem, ut admitti nusquam possim, fac quæso ut favorem tuum (uti enim oblato debeo) experiar in procuratione quorundam studiosorum, qui convictum meum, & aliquam in studiis manuductionem æquo pretio redimant, unde ad restitutionem usque Germaniæ, quam à misericordi Deo efficacia tot precum sperare ubique licet, hoc in loco tolerare vitam possim. Dabitur & hic occasio Deo interea serviendi modo non uno. Vale, Vir Amplissime: libertatem qua oblato tuo favore utor, ignosce. Literas necessario prolixas ne dedignare, hunc que erga me favorem fac perennem, quem ut Deus suo erga te favore compenset animitus rogo. Scripsi Leydæ, 6 Novemb. 1636.

IO XLI.

GUILIELMO GROTIO

HUGO GROTIUS S.P.D.

Hagam.

De Milterio.

Item de iis quæ circa Gratium Universalem controvertuntur.

ANnus est & ultra quod Milterius, magnus olim partis Rupellanæ Antistes, & D. Tileni adversarius, librum edidit Gallice pertinentem ad conciliandos Romanenses cum Reformatis: quo proposito nescio. Alii dicunt hominem sibi non displicentem (idque satis apparet) appetere magnæ rei gloriam. Alii, inops cum sit, ali eum Cardinalis, cui operam navat, aperteque dedicat, beneficio. Qui interius hominem norunt, benignius ejus propositum interpretantur, adversis edomitum animum à factione bellique consiliis ad pacis desiderium flexisse. Salmasius vetus ei amicus est, neque de eo male sentit. Jam menses aliquot sunt, cum librum edidit Latinum, in quo ea quæ involutius dixerat explicat, non tamen sine latebris aliquibus, præsertim ubi de Primatu in Ecclesia agit, deque Eucharistia. Varia fuere judicia eorum qui plane Pontificiis parent, eorum qui Calvinum acriter sectantur, & quorundam in utroque grege temperatiorum. Molinæus, diu exspectato, missum ad se librum excepit duro responso, ut & priorem fecerant tum ipse, tum Rivetus. Rescripsit Milterius Molinæo falsæ satis, quippe Gallico sermone, quo plus valet, & quædam dixit ad Molinæum pertinentia non vane. Cameronis sententiam de prædestinatione & gratia (nam de his quoque egit libro illo Latino, & fuse aperteque satis) ita probat ut emendet, aitque voluntati isti Dei de servandis omnibus, quam Camero agnoscit, consentaneum esse, ut in iis qui non convertuntur aliquid sit quod ipsis fuerit evitabile. Arminio tamen consentientes adeo non vult videri probare, ut dicat solum fuisse Cameronem qui ipsis os occluserit. Post unum eximium ejus gregis (Tilenum) debellatum, neminem ausum exsurgere nisi

unum

Ep. 541. unum dissimulato nomine. (Episcopium intelligit.) Huic extremo Mileterii scripto, D. Dallæus suum opposuit, Latinius sane quam erat Mileterii, sed satis aculeatum. In eo, quod miror, Synodi Dordracenæ decreta magnificat, cum iis tamen conciliare vult illas sententias de Dei voluntate ad servandos homines, miris effugiis & ἀνοήτοις. (*male cohærentibus*) Dignam arbitror hanc occasionem de qua cogitent, qui ibi sunt viri eruditi, si forte ex hoc oblisu durorum satis hominum lucis aliquid excitetur. Jam pridem curaveram ad D. Episcopium mitti, quæ Amyraldus & Testardus, discipuli & hi Cameronis, eo de argumento scripserunt, putaveramque illum ea quæ olim Camerone vivente scripsit pro sui libelli, qui ἀνώνυμος (*suppresso authoris nomine*) exierat, defensione, eodemque mortuo, ne cum larvis luctaretur suppressserat, nunc reficta nonnihil, editurum, vel in hoc maxime ut istud περὶ φάσματος (*pigmentum*) de voluntatis immobilitate, nisi quatenus ab intellectu determinatur, quo haud dubie Deus causa statuitur inevitabilis culparum omnium, etiam primæ, denudatum ob oculos ponatur, si qui forte inde rem, non tam per se quam tractantium vitio obscuram, pervidere incipiant. Si D. Episcopio non vacat, erunt forte alii. Sane aut fallor, aut est aliquid agendum, si modo veritatis, non hic aut illic, sed ubique spargendæ habetur quæ debet ratio. Meæ occupationes mihi quod permittunt id facio. D. Brandanus optime sentit, sed nondum exercitatus est in istis controversiis, sed dat operam ut sit. D. Aurato non expedit fortunis incertis ista in hoc solo moliri. Britannicorum legatorum Pastores, oratores sunt magis quam disputatores. Mileterius Legatum Britannicum extraordinarium adiit, me non vidit, credo veteris offensæ metuens, quam ego ex animo delevi, quotidie in hoc intentus, ut privatis cogitationibus emotis, publico vigilem, eique me totum dedam. Publicum autem cum dico, Christiani Orbis bonum intelligo. Quo rectius totum hoc negotium introspicias, mitto omnes qui de eo scripti sunt libros, teque oro ut primum D. Senatori Reigersbergio ostendas, deinde quos veri pacisque amantes nosti. 29 Decemb. 1636.

Spero jam receperis Mileterii, & contra Mileterium scripta, quæ siquid recte judico, necessitatem imponunt Remonstrantibus Latine aliquid scribendi, & committendi inter se homines tanta confidentia sua placita venditantes. 15 Januarii 1637.

IↃ XLII.

HUGO GROTIUS

N. N.

VIdi his diebus librum non editum Molinæi, in quo Testardi & Amyraldi sententias acri censura notat. Dignum est legi hoc argumentum tractatum. Non improbo quod dicit Arminium plus judicio valuisse quam Cameronem & Cameronis sectatores: itaque illum loqui inter se cohærentia, & his quæ semel statuit consentanea: hos vero ea loqui quæ inter se pugnent; quippe eum qui à Deo serio desiderari credat hominum singulorum salutem, pariter debere agnoscere dari à Deo dona per quæ impossibilitas se convertendi (sive illa naturalis vocetur, sive moralis, negat quicquam referre, dum vis sit eadem) superari queat. Loquitur sæpe in illos Fratres suos satis inclementer. Quædam enim eorum negat se sine horrore legere potuisse: subrui ab illis fundamenta, ipsamque pietatem; & in fumum verti Christianam Religionem, ne micam quidem rationis nonnullis eorum dictis inesse: tribui ab eis Deo injustitiam, crudelitatem, μισανθρωπίαν (*odium contra homines.*) Tantæ iræ causa præcipua est, quod eorum dictis convelli videat magnam partem Canonum Synodi Dordracenæ, cujus ipse, quanquam absens, inter præcipuos fabros fuit, solutisque causa cur in Gallia, ne expensa quidem, probaretur. Negat ulla esse Dei decreta conditionalia. Itaque & promissa & præcepta nulla esse sine decretis præstandi aut aures dandi. Illud non immerito accusat in illis quos dixi, quod negent Adamo datas vires quarum ope tentationem posset repellere, neque male ostendit quam ipsi impossibilitatem moralem vocant, ipsam esse naturalem ex ipsorum positis. Gratiam universalem secundum Arminium esse utilem, secundum ipsos inutilem. Hæc sunt quæ inter legendum excerpta tibi in antecessum significanda duxi. Nunc eum librum transcribit Mercerius ut Episcopio mittatur. Scripsit hunc librum Molinæus postquam ei à rectoribus Sedani, ne in eo argumento quicquam scriberet, interdictum fuerat. Dixit se posthac taciturum, neque hoc vulgandi scripsisse animo, sed ut Nationali Synodo, quæ exspectatur, facilior sit dijudicatio. Queritur Testardus, ex quo Molinæus in se cœpit scribere, etiam Rivetum ab ea sententia, qua tolerandam hanc opinionum diversitatem crediderat, abiisse. Senatores tamen Reformatæ Religionis mihi affirmant, se id laboraturos ne quid definiatur, maneatque dissentiendi libertas, repressa apud populum ista disputandi licentia. Die paraskeves anni ↀↃↃ ↃↃ XXXVII.

De Molinæi libro etiam fusius dicendum, &c.

IↃ XLIII.

IO XLIII.

GUILIELMUS

Archiepiſcopus Cantuarienſis

GER. JOH. VOSSIO

Salutem in Chriſto.

VIr Clariſſime, Literæ tuæ prout ſemper ſunt, mihi gratiſſimæ fuerunt: Recepi eas per anni fere abhinc ſpatium, ſed ut libere dicam quod veritas poſtulat, majora negotia quolibet fere momento animum ſatis ad hoc officium propenſum plane ad alia avocarunt. In illis gratularis huic regno, mihique, quod jus luſtrandi Academias Præſulibus Cantuarienſibus ab antiquis temporibus debitum revocavi. Opus ſane arduum & revocare quod diu intermiſſum, & exercere quod ſemper inviſum. Sed cum miſericordia Dei atque optimi Regis juſtitia poteſtas viſitandi Academias mihi & ..... meis multis retro annis debita jam denuo decreta ſit, dabo operam & ſpero non inutilem ut Academiæ floreant, & ut Academici moribus cultiores, doctrina politiores, religione primævis temporibus conformiores evadant, & ut ab ineuntibus ſtudiis ea principia imbibant, qui & Dei cultum & Eccleſiæ pacem & Academiarum honorem promoveant. Nec quidquam verius eſt quam illud quod ſcribis, humana inſtituta omnia etiam optima facile per incuriam in pejus vergere. Quid igitur fit quum malitia nonnullorum, qui inordinata tantum amant, aliorum incuriæ ſuperadditur? Goſſius hic interfuit diu, &c. præco virtutum tuarum, nec immerito, &c. Ignoſcas quæſo moram, & quando iterum placuerit ſcribere, ſperabo me poſſe, tu autem ſemper puta me velle multo citius reſponſum dare. Vale, & dum quotidie Deum colis, ſis quæſo memor in orationibus

Amici tui perquam fidelis

W. CANT.

Datum ex ædibus Lambeth. Junii 1637.

IO XLIV.

ROCHUS HONERDIUS

CASPARI BARLÆO S.P.

De Videlio. COntumaciſſimo tuo ſilentio, non iraſcor. Quomodo enim poſſim? Nonne ſatis tibi moleſti ſunt homines, tibi, ut ſuſpicor, vix noti, mihi ignotiſſimi, omnibus odioſiſſimi? An quia Videlio, Fabro, Schoockio non placet de Judæo, aut ad Judæum potius epigramma, dica tibi ab illis ſcribenda fuit, & Theologorum rabies in te provocanda? Dicerem non debuiſſe te cuiquam reſpondere: nihil enim ipſis in te juris eſt: ſed fuerit cauſa, cur id feceris. Ego tamen tibi ſum auctor, ut eos poſt hac præteritione mulctes. Acerrima vindicta eſt, contemtus. In malam rem homines, ad civilia ingenia vexanda natos. Ex epigrammate ſcilicet, quo Manaſſen Judæum non proſcindis convitiis, totus in te Theologorum ordo aſperatus omnem hæreticorum ſentinam in caput tuum infundet: tibique de fide & religione tua idcirco dimicandum erit. Si verpum, apellam, recutitum, eundem dixiſſes, & virum ut videtur non malum poëticis ſcommatibus exagitaſſes, palmarium meruiſſes. Sed quid mihi cum illorum ſtomacho, quibus fortaſſis atra bilis moleſta eſt? Illud neque injuria indignor, quod tibi, quem ſtudiis ſuis liquidiſſimum relinquere debebant, moleſtiam exhibent. Tu tamen, ſi quid mihi apud te eſt fidei, crabrones iſtos iterum dico poſthac negliges. Acrius enim poſt repulſam inſtant; & ubi excuſſeris venenum omne in aculeos advocant, tanquam ipſi læſi. Ego ut ægritudinem iſtam à te removeam, ad amæniora te provocabo, &c. Hag. Comitis 13 Jul. 1637. Ep. 545.

IO XLV.

JOANNI DURÆO

HUGO GROTIUS.

OPtavi ſemper, & optare nunquam deſinam, ut quæ à Pontifice Romano graviſſimis de cauſis diſceſſionem fecere Eccleſiæ, inter ſe propius animis, & animorum conſpicuis teſtimoniis coaleſcant. Neque ignoro, expertus etiam, quantæ ſe huic labori objiciant difficultates ex politicis rationibus, ex Theologorum ſuſpicionibus, amore etiam in ſua cujuſque placita, eaque multum attollendi, & ab aliis ſpecie puritatis quam longiſſime à ſe amovendi cupidine. Sed hæc omnia terrere neminem debent, quominus rem præclariſſimam, ſi poſſit, efficiat; ſi nequeat, certe conſcientia tam erectæ cogitationis fruatur. ..... Lutetiæ x I Septemb. 1637.

IO XLVI.

JOANNI DURÆO

HUGO GROTIUS.

UTrique Angliæ Legato videtur, ut & mihi, ut conventus inſtituatur omnium qui ubique ſunt Proteſtantium, non ferre hæc tempora, per quæ illis ne pax quidem illa communis humanæ ſocietatis conſtat inter ſe. Optimum igitur fore, ſi ſicut amicitia inter ſe junguntur, brevi etiam forte jungentur fœdere Sueciæ Britanniæque Regna; ita & eorum

Digitized by Google

Ep.547. Regnorum Ecclesiæ, suæ concordiæ edant professionem publicam, primumque vicinis Suediæ Danis & Norvegis, deinde & aliis dent exemplum quod imitentur. Constituto semel tali Ecclesiarum corpore, spes est subinde alios atque alios se aggregaturos. Est autem hæc res magis optanda Protestantibus, quod quotidie multi eos deserunt, & se coetibus Romanensibus addunt, non alia de causa, quam quod non unum est corpus, sed partes distractæ, greges segreges, propria cuique sua sacrorum communio, ingens præterea maledicendi certamen. Quæ quidem ut sanentur, referre Protestantium, in tanta præsertim male ipsis volentium conspiratione, quis non videt? ..... Lutetiæ 21 Novemb. 1637.

IↃ XLVII.

GER. JOH. VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De Vortio, Schokio, Vedelio, &c.

ILlustrissime Domine, Multum doleo de excessu optimæ soctus tuæ, quicum memini me non semel domi tuæ prandere, & sermones ferere non injucundos pro temporibus illis, quibus omnia mutationem Reip. in pejus minabantur. Interea optime scis, magis agendas esse gratias Deo, quod ei vitam concesserit tam diuturnam, ut & tempora meliora, & tot bellos conspiceret nepotes neptesque, quam dolendum, quod non ulterius ei reliquerit vitæ usuram. Leidensibus itidem ereptus Petrus Cunæus, magnum ejus Academiæ columen. In Zelandiam ierat, unde æger rediit domum. Collega Barlæus jam tertium mensem laborat quartana. Metuitur ei à κυφοσει. Ut convalescat, non videtur idem fore, qui quondam. Afflixit valetudinem opere properando, quod nunc excuditur. Est hoc de ingressu Reginæ matris in urbem nostram, & honore pompæ ei exhibito. Typis prodibit augustis, plurimis exornatum picturis. Atque hoc, quod dixi, non dissimulat apud amicos. Sed multum metuo, ne morbum hunc inde contraxerit, quod nimis ad animum revocaret, quæ adversus eum scripta sunt à Doct. Vedelio, & Mag. Schokio. Hic Ultrajecto jam in Daventriensem Scholam concessit, ac opere postremo, quod vernacula scripsit lingua, minatur librum justum, quo comprobet te quoque in castris militare Socini. Nam illa de Satisfactione Christi tantum temporum illorum gratia, quo facilius falleres, scripsisse: ubi illa via non processit, te larva deposita ostendisse, quis fores, in libris de veritate religionis Christianæ. Ubi minime sacræ Triados mysterium tradas, dicas Mosen populo tantum temporalia promittere, Christi præcepta nova esse, ac perfectiora Mosaicis, Christum dici Filium Dei, quia natus sit è virgine, conceptus è Spiritu Sancto. Arbitror non defore his terris, qui respondeat. Sed multum intererit, à quo id fiat. Etiam hoc pro se advocat; quod Crellio non respondeas: quasi non Theologorum hic æque causa agatur, ac tua: quasi item, jam semel acerbis Ravenspergeri maledictis (quem à Sibrando ad hæc incitatum, mihi, ex affine utrique eorum amicissimo, probe constat) fœde adeo exceptus, sapienter hoc iis relinquas, qui nihil nisi quod ipsi faciunt, recte factum putant. Sed de isto satis: quem Voetii esse hyperaspistem satis scire te puto, atque ab eo sua legi, priusquam excudantur, fatetur aperte: eo Heinsius noster utitur amico: ut mirandum non sit, si disertim scribat, non te minus eruditum esse Heinsium, sed nominis esse hunc magis honesti. Deus meliorem largiatur mentem, & adolescenti, & triumviris, qui ejus opera tam turpiter abutuntur. Hortensius hac hieme hic subsistet. Interea parabit se ad hoc ut paratior sit ad colloquendum cum Galilæo de Galilæis coram, vel per internuncios, aut literas, è loco aliquo tuto, ac propinquo. Blauwius senior vita excessit: filiorum, quibus cura est typographiæ, alter ægrotat. Quid de Meursianis tandem decreverint, plane ignoro. Danicam ejus impressere historiam: at non videntur facile aggressuri ea, quæ ad veterum scriptorum emendationem, vel Romanas aut Græcas antiquitates pertinent: Janssonius, de quo scripseram, vir est honesti nominis: sed partium, quas Contraremonstrantium vocant, usque adeo studiosus, ut à paucis eo vincatur. Salutant te, conjugem lectissimam & liberos, plurimum omnes mei. Amstelodami ↀIↃ IↃC XXXVII. XV Decemb. St. N. τάχυπ. (*raptissime.*)

Tuus æternum

G. J. VOSSIUS.

IↃ XLVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS.

Varia & imprimis de versione Scripturæ Sacræ Christianæ.

HAbeo gratiam, Vir summe, pro Epistola quam ad me dedisti medio Decembri. Optima ac verissima sunt per quæ me de socru mei semper amantissima, uxorem autem meam de matre ad meliorem vitam præmissa, consolaris. Ætatem ei datum est longam feliciter agere, & videre pronepotes. Ab abnepotum conspectu parum abfuit. Cunæi judicium magni feci semper, & puto fuisse φιλοπάτριδα, (*patriæ amantem*) eoque magis doleo quod in eo Academia fecit damnum. Barlæo valetudinem opto prosperiorem, vel poëseos causa quam ornat. Pro illo opere de bene recepta apud vos Regina Matre nihil eum hinc quidem capturum præmii fide mea spondeo. Et tamen quotquot nunc prodiere Panegyrici

ob

Ep. 548. ob natalem Delphini, omnes in fronte editiones præferunt, *Honora Patrem & Matrem.* Vidit me hic dudum Jacobus Sirmondus, vir, ut ſcis, eruditiſſimus. Is Regis conſcientiam nunc gubernat, bono ſane publico; nam alii antehac eo functi munere Religionem ſæpe objecere Regis animo ob fidem cum Suecis & Batavis, quod hic facturus non eſt, gnarus illius ſententiæ prudentis Prudentii:

——— *Siquidem cæleſtia nunquam*
Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant.

Non ita autem ſe dedit aulæ Sirmondus, ut non tempora libi reſervarit ad editionem Theodoreti & Hincmari, cum multis acceſſionibus. Eamque ob cauſam habitat in veteri cellula. Vedelius ſi ferit alios, non minus ipſe à Montacutio vapulat, homo ineptus. Schokius homo ſit malus oportet, qui me tamdiu à popularibus meis vexatum, nihil ipſis debentem, nondum quieſcere patiatur. De Satisfactione librum quo ſcripſerim animo, quo propoſito, tu optimus teſtis es. Et gaudeo librum eundem cum toto, qui Ravenſpergero, homini tali qualis eſt Schokius, reſpondet, editum nuper Oxoniæ placere eruditis. Liber veritatis Chriſtianæ, ut de Germanicis duobus & Gallica verſione non loquar, editus eſt in Anglia Anglice. Vertit eum Græce Paſtor Legati hic Anglicani. Pontificii autem nunc Perſice vertunt, ut Mahumetiſtas, ſi Deus aſpiret, faciant Chriſtianos. Dicat hos omnes nihil videre, qui, ſi ipſi credendum eſt, & propinquis & longinquis Gentibus Sociniſmum propinent. Triados probationem in eo libro directe aggreſſus non ſum, memor ejus quod à Viro magno ſocero tuo audieram, peccaſſe Pleſſæum & alios, quod rationibus à natura petitis, & Platonicis ſæpe non valde appoſitis teſtimoniis aſtruere voluiſſent rem, non ponendam in illa cum Atheis, Paganis, Judæis, Mahumetiſtis diſputatione, qui omnes ad Sacras Literas ducendi ſunt, ut inde talia hauriant, quæ niſi Deo ſemet patefaciente cognoſci nequeunt. Moſem aperte temporalia tantum promittere, & Chriſti præcepta ipſius præceptis eſſe perfectiora, ſcis eſſe dogma veterum, idque abunde probaſti. Quod ſi novum fœdus legerent & intelligerent ut oportet, reperirent hoc ipſum ſcriptum *Matth.* V. *Hebr.* VIII. 6. & alibi; & fecit hoc ipſum nuper his quoque in locis apertum Miletcrius. Chriſtum etiam ob id Filium Dei dici, quod ex Spiritu Sancto conceptus, id non negat Thomas Aquinas. Et quid aliud ſignificat διὸ (*propterea*) *Luca* I. 35. ut jam taceam etiam ob muneris impoſiti ſanctimoniam, & ob reſurrectionem idem nomen ſatis aperte ei tribui. Crellio quod non operoſe reſpon li, in eo feciſſe me prudenter exiſtimo. Quid enim opus bene & ſatis liberaliter dicta repeti? Si non poſſit ipſe probare, injuſtum eſſe, ut volens aliquis pro altero pœnas ferat, quod nunquam probabit, & contrarium omnium gentium Sapientibus placuiſſe, tum in ipſo libro de ſatisfactione oſtendi, tum poſt Crellii librum editum, in meis de Jure Belli ac Pacis, titulo de pœnarum communione § x 1. ampliuſque docebo ex multis admodum Hebræorum teſtimoniis ad *Matth.* XX. 28. cujus particulæ exemplum dedi nuper D. Goſſio Theologo Anglo, qui ex Anglia mei potiſſimum ſalutandi cauſa venerat; ſequitur omnino nullam fuiſſe cauſam aut Socino aut Crellio cur à verborum λύτρα (*pretii redemptionis*) placaminis, expiationis, redemptionis proprietate diſcederet, manifeſtiſſimumque præ Antiquitatis conſenſum deſereret. Non tanti autem facio aut Schokium aut Magiſtrum ejus, ut huic aut illi reſpondendum putem; neque me pudeat conſentire Socino, ſi quando is in veram veteremque ſententiam incidit; ut ſane fecit in controverſia de Juſtitia per fidem, & aliis nonnullis. Scripſi ſuper his rebus non ita dudum ad D. Senatorem Reigersbergium, qui me apud Polonum Legatum traductum à Riveto Socinilmi crimine ad me ſcripſerat; in ea epiſtola oſtendi, ſi quis ſententiam meam poſt conſpectam Crellii ſcriptionem ſcire cupiat de argumento inter me & Crellium controverſo, ei ſatis eam apparituram ex loco *Eſaiæ* L. III. ita ut à me verſus eſt in diſputatione cum Judæis, & inde quod in fine operis de Veritate religionis Chriſtianæ illud *Hebr.* I. 3. φέρων τὰ πάντα ῥήματι τῆς δυνάμεως non in præſentis temporis, ut Socinus, ſed in exacti ſignificationem interpretor. Hortenſio & iter opto fælix, & ſucceſſum reſpondentem cauſæ. Ego ſi quid adjuvare poſſum, meo more non deero. Janſonio Anthologia, ſi velit, committi poteſt. Ad cætera autem mea, ſive Theologica, ſive Politica, opus eſt omnino librario bene de rebus talibus ſentiente. Si quis Blaeuwii liberum eſt, qui talia ſuſcipere velit edenda, ſed ſine temporis diſpendio, gaudebo. Si inter eos nemo eſt, multum me obligabis, ſi repereris alium, eumque mihi quamprimum indicaveris. Habeo enim multa, ni fallor, profutura publico: quod mihi poſt injunctas Legationis curas maximum eſt ſtudium. Vitæ incerta ſunt ſpatia, & rectius eduntur, quæ nobis eduntur ſuperſtitibus. Deinde licet corrigere, licet adjicere. Uxor te ac tuam amiciſſime reſalutat.

Kalendis Januarii CIↃ IↃC XXXVIII. quem tibi ac tuis felicem precor.

Tuus ut ſolet

H. GROTIUS.

Illud addam, ſiquis meam de ſumma Trinitate ſententiam ſcire cupiat, reperturum quod ſatis ſit in poëmatis nuper editis. Amplior explicatio Notis reſervanda eſt. Rogo Manaſſem roges, ne Manaſſes ſit, id eſt, obliviosus mei. Illud maxime ſcire velim, an id, quod in Doctores in diverſum à Synedrio euntes conſtitutum fuit, ad omnia dogmatum rituumque

Ep. 549. pertineat. In Hincmari editione multa erunt ad Godscalci causam pertinentia, etiam quæ Cordesius non vidit.

IↃ XLIX.

HUGO GROTIUS
GER. JOH. VOSSIO S.P.

Consolatio super morte filii.

EXprimere verbis vix possim, quo me dolore affecerit calamitas tua, quæ vix bene obductum vulnus, & quidem tam gravi incussu, rupit. Facile quippe intelligo, etiam meis experimentis edoctus, quam teneri acrisque ad talia sensus sint animi literas ab humanitate nomen habentes tractantium. Afferunt enim illa studia ad animum molle aliquid & offensarum etiam levium fugiens. Neque ego nunc tibi dicam, quæ ipse in simili casu dixi mihi, quæque tu multo melius dixisti & mihi & aliis, *ἔστι χρὴ φέρειν τὸ φερτὸν*, (*oportere ferre quod ferendum est*) & vitam honeste exactam, quantumvis brevem, nihilo minoris esse quam longam: cum vero quam multa mala, & vitæ huic communia, & hujus sæculi propria effugiantur moriendo. Unum te rogo, temetipsum ut excutias, & sepositis amœnitatibus, quæ ferme delicatiores nos faciunt, pectus munias fortioribus illis cogitationibus, quas nobis primum Apostolica & veterum Christianorum scripta, deinde & Philosophorum præclare dicta aspirant. Videmus totas urbes è Germaniæ sinu evulsas, & miramur si ad domum nostram perveniunt mala totos populos vastantia? Absorbentur à mari terræ; terris manu factis pereunt maria: & indignamur si diuturnum non est quod à nobis genitum est: Tum vero ea est Dei gubernatio, sub novo maxime fœdere, à caducis nos ad æterna vocante, ut suspectus merito sibi esse debeat, cui diu datur in rebus esse prosperis. Præcipua ejus disciplinæ pars est, exerceri asperis; & quanto magis premitur humana infirmitas, tanto divina præsidia & expetere ardentius, & sentire efficacius. Jamdudum tuum de idololatria librum expecto, & ejus cogitatio etiam hoc menti meæ subjicit, idolum fieri quicquid Deo ejusque decretis præponimus. Censent eruditorum nonnulli ab iis, qui superstites sibi liberos nimis anxie optabant, superstitionis natum nomen, & ex impotente amissorum liberûm desiderio natam *εἰδωλολατρείαν* (*idolorum cultum*) putat Hebræus magnæ auctoritatis sapiens. Apparet periculo non vacare affectum qui in tam fœda processit. Habes liberos quibus te solere: habes & alteram sobolem libros,

ἀνθρωπίνης γὰρ πάντα ἐστὶ φορβάδος,
ὅτις ἀναιδείας πὶς σαυτῆ συλλέγῃ
σοφίαν, μεγάλην πνοὴν ἐν ἐπτέρυξι.

Vale vir optime & eruditissime, & me meosque crede non minus tuos esse quam qui ex te nati sunt. Lutetiæ XIII Februarii. CIↃ Ep. 55 IↃC XXXVIII.

Tuus tibi obstrictissimus

H. GROTIUS.

IↃ L.

GERARDO VOSSIO
HUGO GROTIUS S.P.

VIr Doctissime, Typographum velim nobis reperiri talem cui & Politica scripta & Theologica possim tuto credere. Anthologia minimum est inter ea quæ curo. Sed ab hac incipi non abs re est. Omnino cavendi mihi synoditæ, mancipia aulæ, & id genus fæx alia. Quæro bonum civem & bene Christianum. Scripsit ad me Collega tuus V. C. Martinus Hortensius, cujus ego summam in rebus Mathematicis peritiam facio maximi. Gaudeo & ipsi & tibi & vestris rectoribus, quos epistola ipsius nominat, curæ fuisse admirandum Galilæi repertum. Nocuit ei rei, ut multis aliis, mora. Itaque jam ad Collegium inquisitorum, quod est Romæ, delatus est eo nomine, quod hoc commentum hæreticis propinaverit. Vult quidem eum Dux Ethruscus in hac causa æquissima tutari, sed invidiam, dum est recens, declinare vult. Præterea Solis ad Jovem propinquitas menses octo aut amplius faciet inutiles contemplandis curetibus illis *Διὸς περιπολίοις*. (*Jovem circumambientibus.*) Itaque videtur has ob causas differendum in tempus aliquod D. Hortensii iter, qua de re ad ipsum scriberem Hortensium, nisi & nunc respondendum haberem literis plurimis, & ad Hortensium scriberet D. Adeodatus, qui mihi ad hanc rem longe splendidissimam promovendam, impulsor primum, deinde adjutor fuit. Ego quacunque parte studia & generis humani utilitates promovere potero, faciam id animo volentissimo. Tua autem scripta, tuas epistolas si mihi sæpe legere, tuisque consiliis uti si liceat, felicem me putabo. Vale quam optime cum uxore & liberis. Nostri te salutant. XXXI Julii CIↃ IↃC XXXVIII.

Tuus ut semper

H. GROTIUS.

Nescio an venerint ad te literæ meæ, in quibus quæro quæ olim apud Græcos fuerit senarii nota: deinde rogo ut norim quæ sit Rabbini Manassis viri eruditissimi de loco *Deuteronomii* XVII. 11, 12. sententia.

IↃ LI

IↃ LI.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S. P.

Varia. MUltum me oblectarunt, ut ſolent, nunc vero luctu ſocrus commotum etiam ſolatæ ſunt plenæ veteris in me ac mea benevolentiæ ac fidei literæ tuæ, datæ menſis hujus XIV. Auxit beneficium longus quem mecum habes ſermo, ac plane qualis inter nos eſſe ſolebat confabulatio. Ego nunc multis reſponſionibus adſtrictior potius brevis ero quam moræ reus: qualis eſt ille quem χαρακτηρίζεις (*deſcribis*) qui nobis obliviſcendus poſthac, multum remotus à Manutiis, Stephanis, Plantinis. Neque vero de Elſeviriis cogitandum, ob eum qui apud eos regnat hominem nobis intenſum, ad cujus literas tacui hactenus, quod & ipſe ad me tacuerit tam diu, Fortunæ homo. Quem, ut puto, attondebit ſatis ſtrictim noſter Salmaſius in Simplicii editione. Non dubito quin hujus ἐφεσις (*impetus*) illi factura ſit ἔκκλισιν. (*vitationem.*) Nos autem decet τῷ ἑπομένῳ μὴ συγκατατίθεσθαι τοῖς φαινομένοις. (*juxta Epictetum, non aſſentiri ejuſmodi opinionibus.*) Illius autem notæ ad ſacros libros quo ſunt loco, quando prodituræ? nam mearum relectionem eouſque differo. Janſonius qualis ſit animi circa ſacra & rempublicam ſcire cupio, non ob Ἀνθολογίαν (*Florilegium*) ſed ob alia quæ edituro. De typis judicium tibi, talium experienti, lubens permitto. Velim autem in Anthologia tales eſſe, qui ad Stobæana & Excerpta è Græcis tragœdiis comœdiſque à me edita proxime accedant, ut hi libri fratres fiant tergemini. Meurſii vel ſolum lexicon Græcobarbarum meretur, ne eum aut contemnat Heinſius, aut trahant librarii. Fuit apud me Philolaus, &c. Lutetiæ XXX Octob. CIↃ IↃC XXXVIII.

IↃ LII.

WILHELMUS LAUD

Archiepiſcopus Cantuarienſis

Paſtoribus & Profeſſoribus Helveticis, S.

De inſolentia quorundam Eccleſiaſticorum in Anglia Regem. COnfrates mei chariſſimi, Doctiſſimique Eccleſiarum & Academiarum Tigurinæ, Bernenſis, Baſileenſis & Schaphuſianæ Paſtores & Profeſſores. Litteras veſtras datas Tiguri XXI Martii CIↃ IↃC XXXIX. ego recepi XI. (unum ſcilicet earum exemplar) duplum vero earundem April. XVIII. ſtilo noſtro. Et gratæ certe mihi fuere duplici nomine, ſcilicet quod veſtræ, & quod Chriſtianæ pacis ſuaſoriæ. Tales enim decent ejuſdem corporis membra, eoſque qui communionem ſanctorum & credunt & profitentur. Ep. 552.

Et certe quod monetis, quanta calamitas Germaniam veſtram, & præ cæteris partibus Palatinatum, invaſerit, non ignoro; ſed nec miſeriarum illarum oblitus ſum, quæ civilia arma ubique ſequuntur, & quæ Britanniam noſtram proprio ſanguine madidam cito redderent, ſi invaleſcerent: ſed ſummis & quotidianis precibus Deum & miſericordiarum omnium Patrem oremus, ne ſic in ore gladii tantum non noſtri pereamus.

Cæterum acerbum licet ſit, verum tamen eſt, quod ſcribitis, Sereniſſimum Regem noſtrum exercitum in Scotos ſuos non ſuos dücendum conſcripſiſſe, imo conſcriptum duxiſſe, & nunc una cum exercitu in partibus Regni borealibus paratum eſſe ad eorum inſolentias reprimendas. Sed ſicut antehac omnia tentavit, quo rebelles ad meliorem mentem reduceret; ita nullus dubito, quin ſi adhuc quæ tuta, quæ honeſta, quæ ſubditis factu neceſſaria & ſecundum Chriſti religionem ac patrias leges debita facturi ſint, clementiſſimus Rex reliqua omnia, etſi valde facinoroſa, oblivioni ſepelienda ſit traditurus. Reliquum Epiſtolæ veſtræ gratioſiſſimæ in duas ſe diffindit partes: una eſt, quod nullas vobis omnino (ſic ſcribitis) vel cognoſcendi vel judicandi ſumitis partes, nec velle vos falcem mittere in alienam meſſem. At meſſis hæc, piiſſimi fratres, non prorſus aliena eſt. Epiſtola enim veſtra ſic orditur: *Si patitur unum membrum, dolent omnia.* Corpus itaque unum, alias non membra ejuſdem, & qua unum non alienum. Nec cognoſcendi partes poteſtis declinare. Hoc enim dicitis omnium ſermone percrebeſcere, & litteris amicorum confirmatum vobis eſſe, nec triſtius quidquam turbis hiſce noſtris univerſæ Reformatæ Eccleſiæ accidiſſe. Sed ſenſu forte forenſi vocabulum cognoſcendi uſurpatis, ſicut & judicandi. At utinam judicandi partes in vos ſuſciperetis, & ſicut huc litteras pacificatorias amice & prudenter miſiſtis, mitteretis etiam ad conjuratos Scotorum alias, quæ ſuaderent Regi ſuo obedientiam, confirmarent Regiam in cauſis Eccleſiaſticis, eandem quam optimi Judæorum Reges exercuere, poteſtatem, condemnarent armatam eorum, ſub prætextu Religionis, poteſtatibus à Deo ordinatis reſiſtentiam, primitivis Eccleſiæ temporibus inauditam: dico, condemnarent & veſtræ & omnium Reformatarum Eccleſiarum tum literæ tum ſententiæ. Nam eouſque excrevit Conſœderatorum rebellis audacia, ut poſt ſe reliquerit omnem vel Jeſuiticam. Et nihil non factura eſt in Regem ſuum nativum, eumque clementiſſimum, in ordine ad Deum & Religionem. Et quod neſcio magis dolendum quam execrandum ſit, ita potenter apud eos operatur humani generis hoſtis, ut nulli majores horum tumultuum anteſignani ſint, quam miniſtri, & nullibi ma-

Ep. 551. gis quam è ſuggeſtu ſubditi contra Regem ſuum pientiſſimum animentur. Iterum dico, condemnarent. Nam rebellio iſthæc adeo gravis & odiota eſt vel moderate ſapientibus, ut verear, ne tota Reformata Eccleſia peſſime audiat ab omnibus præſentibus poſteriſque, ſi non aliquid ſaltem publice ſcribatur contra infamem hanc erga Principes conjurationem. Nec pericula noſtra, qualiacunque futura ſint, majora tri,udia aut æqualia Eccleſiæ Reformatæ ludibria creare poſſunt, ac ſcandala hinc ſuppullulantia, quæ religionem ipſam omni infamiæ ſubjiciunt.

Altera eſt, quod ex ingenuo (ſic dicitis) Helvetiæ veſtræ ſpiritu, ex affectu erga Brittanniam noſtram, non nuper aſſumpto, ſed à majoribus veſtris hauſto, ex periculis bellum inteſtinum ſequentibus, denique ex conſcientiæ pace, & nominis mei gloria, id velim efficere, ne res armis, ſed regia authoritate & clementia conficiatur, &c. Id velim efficere? Mutate obſecro, mutate ſententiam. Nam ſi id poſſem efficere, ſtatim effectum daturus eſſem. Deum teſtor & Regem unctum ſuum, & ſenatum Regium qui Regi à ſecretioribus ſunt conſiliis, quotquot tum præſentes erant, me omnia & ſola pacis conſilia & privatim & publice ſubminiſtraſſe. Quin & fere ſolus rationibus ſimul & orationibus apud Regem pientiſſimum militans (vera dico) illud tandem obtinui, ut rebellibus inter Scotos omnes pacis conditiones ſemel iterumque & ſæpius offerantur, quæ aut Rex cum honore concedere, aut ſubditi ulla juris ſpecie expectare potuerunt. Interim Rex Sereniſſimus nihil obtinuit, illis Gorgonis capite concuſſis & in ſaxeam duritiem converſis. Nec adhuc tamen deſiſto, ſed qua poſſum fide, pacem ſuggero, ſi inimici non eſſent rebelles tam ſibi quam nobis, & vereor ne plus paci quam aut nobis aut ſibi. Et quid quæro in hiſce anguſtiis poteſt imbecillitas mea, quando cum illis res agitur, qui aut pacem nolunt, aut talem volunt, quam nulla Regia Majeſtas ferre poteſt? Si quis interea me detulit apud vos ut inimicum pacis (ſcio enim me utrique factioni invitum fatis) Deum oro illi miſericordiam, mihi patientiam donet.

Interea depoſitum hoc meum apud vos relinquo. Vera ſunt quæ ſcribo, & ſicut adhuc fui, ita ſemper ero pacis ſtudioſiſſimus, modo illa ullis juſtis conditionibus obtineri poſſit. Et Deus, in cujus manu corda Regum ſunt, Regi noſtro pacatiſſimo det, ut ſola conſilia ſalutaria, Deo grata, ſibi ipſi glorioſa, Regno tuta & Eccleſiæ univerſæ utilia amplecti velit. Quod vero ad vos attinet, precor omnia felicia, & gratiam hic & gloriam in futuro. Datum ex ædibus meis Lambethanis, April. ult. 1639.

IO LIII.

GER. JOH. VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

De Salmaſio & Heinſio, &c.

Illuſtris & Ampliſſime Domine, Cum propter urbis nundinas Lyceo noſtro hebdomadis unius feriæ forent, committere non potui, quin tam bonam occaſionem amplecterer excurrendi Hagam, partim ut invilerem ampliſſimum & amiciſſimum Georgium Ratallerum Dubletium, exceſſu optimæ & ſanctiſſimæ uxoris ſuæ Schoterboſſiæ moeſtum: partim etiam, ut coram ſalutarem heroinam conjugem tuam: quam lætus ſalvam ac ſoſpitem comperi, lætiorque audivi læta omnia referentem de te & tuis. Dum hic ſum redditæ mihi à te literæ ad Haacum meum: ex iis video, non accepiſſe te faſciculum illum, quem per bibliopolam Pariſienſem miſeramus. In eo inter cætera erant literæ meæ de valetudine adverſa, qua uſus ſum climacterico hoc anno. Video & alias quaſdam non traditas tibi: uti neque illas Manaſſis Ben-Iſrael. Sed de his jamdudum ſum id arbitratus ob quædam, quæ ex filiis cognoveram. Exemplar igitur Amſtelodamo mecum attuli, ut hinc mitterem. Unarum, quas ipſe ſcripſeram, exemplar retinui manu filii exſcriptum. Mittam, ubi rediero domum: modo tanti id ſit. Tandem prodiere Exercitationes Heinſianæ in N. T. Credo, eas jam acceperis, priuſquam hæ tibi literæ reddantur. Obiter pluſcula luſtravi: ac quanto penitius inſpicio, tanto vehementius ardeo deſiderio eorum, quæ ante tot annos elaboraſti in eoſdem ſacri inſtrumenti libros. Utinam vero & clariſſimo Salmaſio pertexere detur ejuſdem argumenti labores, quos promiſit! In iis refellere illi animus eſt innumera ab Heinſio dicta: imo omnia, quæ de ſuo depromſit penu. Facile credo, hanc contentionem non parum detracturam nomini Heinſiano: ſed partim eo me ſolor, quod nemo ignoret, ipſum ſibi hoc malum intriviſſe, dum perpetuus eſt in traducendis omnibus, quorum præclarum eſt in Rep. literaria nomen: partim ac imprimis iſtud, quod contentionis hujus bonum ſperare liceat eventum. Sine dubio enim multa etiam doctiſſimos quoſque docebit Salmaſius: & fortaſſe etiam Heinſius hinc diſcet modeſtius de ſe ſentire, cæteriſque ſuis laudibus hanc addet, ut ne tam credulus ſit palpatoribus, qui eum phœnicis, dictatoris, Atlantis ſtudiorum elogiis onerant verius, quam honorant. Sane & Heinſius, & qui eum ſolum hodie doctum ajunt (quid faciamus tam fatuis) toti jam in fermento jacent, ſolum lecta præfatione Salmaſii, quam præmiſit libro de modo Uſurarum. Quamquam ego Salmaſio auctor fuero deinceps non tam acerbe hominem literis clarum tractandi, modo ipſe etiam remittere velit

Ep. 554. lit de illo maledicendi ſtudio. Indignum mihi plane videtur ſic inter ſe committi homines doctiſſimos. Sed iniquum etiam majores meliores reliquo eo, quem me ſæpius nihil attinet nominare, ſic vilipendi, quaſi in doctorum grege non niſi extremum locum cum ſcabroſis grammaticis mereantur. Sed de iſto nimis multa. Audio διδλογίαν tuam Lutetiæ excuſum iri. Gaudeo ob typos meliores: etſi meam meorumve operam Amſtelodami in mendis typographicis emendandis probare tibi maluiſſem. Scripſi ex ædibus Ampliſſimi Dubletii, qui, ut te colit & æſtimat, ita officioſiſſimam adſcribi ſalutem petiit. CIↃ IↃC XXXIX. VII Kal. Octobris.

Tuus tuo merito

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LIV.

Summæ eruditionis

Summarumque virtutum Viro

GER. JOH. VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

Vale. VIr eximie, Bene ut tibi procedat annus iſte ſcanſilis, utque ante exactis ſit felicior, ſerio Deum precor, qui ſine dubio etiam ſupra communes leges vitam ſæpe producit hominibus ad juvandum ſæculum datis. Cæterum non miror ſi corporis vexationes ſæpe expertus es, uni eique honeſtiſſimæ, ſed vehementer valetudinem lædenti intemperantiæ obnoxius ſtudiorum; ita ut ſi qua tentis incommoda, minus id mirandum ſit, quam quod in tantis laboribus & hucuſque provivere potueris, & maximam ejus temporis partem vacare morbis. Quare tandem te reſpice, ſuſtenta corpus quod ſuſtentat animum, circumcide labores iſtos, cogita quantum præſtiteris, fruere parta fama, fruere liberûm conſpectu, in eandem famam aſſurgentium; non intercedo tamen quo minus quæ parata adhuc habes, edas. Id enim ſine gravi tua moleſtia fieri poſſe confido. Magnum Salmaſium bene valere gaudeo. Eſt qui id nolit, nempe quod

Fragili cupiens illidere dentem
Offendit ſolido.

Siquid proſpicio, nos egregie vindicabimur. Utinam diu vivat, ut commiſſionem hanc diu ſpectare poſſit noſter Meurſius. Nam & ille non dolebit inventum qui in omnes graſſanti eat obviam. Tuas literas, quoties otii erit aliquid, quod ego te non modo ut ſumas, ſed ut & arripias hortor, legere quam ſapiſſime juvabit plurimum. Vale cum optima uxore ſuaviſſimiſque liberis. Calendis Octobribus anni CIↃ IↃC XXXIX. Lutetiæ. Ep. 554.

Tuus antiqua fide

H. GROTIUS.

Hæc cum ſcripſiſſem, accipio & Scylacem Iſaaci tui, & tuam epiſtolam perliberalem, datam VII Kal. Octob. Iſaaco gratias agam ubi à librario, ad quem miſi, redierit liber. Legam enim ſine ulla mora. D. Georgio Rattallero Dubletio, quod noſtri memor eſt, gratias ago; mihi ipſius fratrumque & parentis, optime de me meriti, memoria nunquam excidet. Manaſſi reſcribo, rogoque ut tuo beneficio ad eum meæ literæ perveniant. Magni facio non eruditionem tantum ipſius, ſed & judicium, Abeneſdræ, Maimonidæ & Abarbanielis veſtigia tam feliciter prementis. Libri ejus, me notificante, plurimum hic leguntur, plurimique fiunt. Siquid ſuper eis rebus, de quibus ipſum fueram percunctatus, tibi amplius in mentem venit, etiam ejus me participem facias rogo. Plane tecum ſentio, ex conflictu duorum quos nominas multum lucis exiturum. Utinam ille qui magni faciendus eſſet, niſi ſe pluris quam oportet faceret, vel hinc diſcat juſto prétio etiam alios æſtimare! Ego utriuſque opus expecto adhuc, nondum enim ulla hic ſunt exemplaria. Pro oblata tuorum in meis corrigendis opera habeo gratiam. Cum veſtro iſto tricone nequid negotii contraham multi me monent. Tamen de noſtris in Novum Teſtamentum quid potiſſimum conſtituere debeam hæreo incertus. Facillime typographum inveniam, ſed metuo turbas à Theologis qui nihil volunt tale edi niſi à ſe probatum. Ego autem neutri parti aptare me per omnia poſſum: ac ne ſilenter quidem, in rebus utilibus, legem pati. Cogitato qua ratione huic malo medear. Vale vir optime. X Octobris CIↃ IↃC XXXIX.

Idem qui ſupra

H. GROTIUS.

Locus excerptus ex libello,

cui titulus eſt,

Inſtitutiones Philoſophiæ moralis ſive Ethices, non edito.

De voluntatis libertate.

VOluntatis naturalis affectio, libertas ſtatuitur; ſed an hæc proprie & formaliter reſideat in intellectu, an in voluntate, ac num potius propria ſit intellectus affectio, voluntati vero attributa & communicata propter communionem & conjunctionem ejus arctiſſimam cum intellectu, magnum operæ pretium fuerit indagaſſe. Principium autem cognoſcendi ab

ab ſenſu oritur externo, ab hoc ad ſenſum internum, & primo quidem communem, res cognoſcenda procedit, hinc cogitatio occupatur, dein ad cognitionem intellectus deducitur. Quam rem ſi intellectus conſideratione dignam judicat & ſtatuit, voluntas ſtatim eo aſſenſum ſuum jungit & impertit, ut amplius conſideretur, ac intellectus porro eam intentius examinandam & expendendam ſuſcipit; tum in judicium omnes undique adducuntur rationes, media, & argumenta, quæ ſuadere vel diſſuadere, probare vel improbare rem aliquomodo videri poſſunt. Intellectus rationibus, mediis, & argumentis judicat, ut notum eſt, & eo judicium ſive calculum ac ſententiam fert, atque in eam partem inclinat, à qua parte plures vel potiores rationes ſtare compertum ſibi fuerit. Tunc autem non poteſt non voluntas ſe iſti judicio ac placito intellectus adjungere. Utpote quæ in ſua natura & eſſentia nihil aliud eſt, quam propenſio in id quod judicio intellectus bonum atque eligendum eſſe conſtiterit. Siquidem enim res nondum probe examinata, omnibus necdum explicatis & reſolutis, fuiſſet, ſed aliquid inſuper reſolvendum, explicandumve atque examinandum reliquum fuiſſet, nondum etiam intellectus in hanc aut illam partem ſecundum judicium tuliſſet, nec voluntas eo appetentiæ & propenſionis ſuæ pondus inclinaſſet. Non enim ita res eſt, ut multorum falſa opinione nimium invaluit, unde etiam perniciosiſſimorum errorum cauſa præbita, poſt abſolutam deliberationem intellectus practici, judiciumque in alteram partem inclinatum, etiam tum voluntati libertatem integram & abſolutam relinqui, refragandi ſententiæ intellectus, ejuſque judicio ac placito intercedendi; quaſi & ipſa pariter cum intellectu ſit potentia cognoſcens & judicans de rebus propoſitis, quod ceu nefas Philoſophia abominatur, & naturæ voluntatis omnino repugnat, & non ſit tantum facultas & potentia appetens, quæ ad modum appetitus ſenſitivi impetu naturali fertur in bonum ab intellectu cognitum & probatum. Cum alioqui, ſi id quod ab intellectu judicatum eſt, à voluntate denuo judicandum eſſet, geminus intellectus eſſet ſtatuendus, voluntas vero nulla, ſiquidem potentia cognoſcens eadem eſſet appetens. At vero ita natura comparatum eſt, ut ſimulac intellectus cenſuit eligendum, non jam ultra appetentia voluntatis retardari aut ſuſpendi poſſit, multo minus ipſa contra judicium intellectus calculum in contrariam partem vertere; ſed una ſimul cum judicio intellectus exſurgit & reſultat, ad modum eorum quæ ſimul ſunt, ut lux & umbra, voluntatis appetentia & propenſio in id quod intellectus eligendum conſtituit, nulla prioritate temporis inter ultimum illud judicium intellectus, & actualem voluntatem ſive appetitionem iſtam, ſed tantum prioritate naturæ inter eadem iſta, obſervanda. Quamvis autem exiſtimari poſſit, quoſdam extitiſſe, qui contra omnes rationes intellectui propoſitas, quaſi data opera atque obſtinato nitu voluerint; id tamen aliter fieri non poteſt, quam uno aliquo medio movendi intellectui obverſante, quod cæteris omnibus rationibus præponderet. Quæ omnia libertatem intellectui practico propriam & formalem, nequaquam vero voluntati adſtruunt. Non enim libertas in eo poſita eſt, ut omnibus jam probe excuſſis atque reſolutis, ultimaque ſententia decretoria prolata, facultas relinqueretur retractandi omnia quæ conſtituta & judicata ſunt; ſed vera & propria libertas conſiſtit in libera & minime impedita de omnibus deliberandi facultate, nec ante ſtatuendi & eligendi, quam intellectui viſa ſunt omnia ſatis examinata & expenſa. Poſt judicium autem perfectum ac ſententiam ab intellectu latam, quæ ultimam ac finalem deliberationem ſequuta eſt, libertatem aliam ſtatuere vel comminiſci, quam ex novis rationibus adductis ſententiæ prioris mutandæ, plane fruſtratorium & nugatorium eſt. Ep. 555.

IO LV.

Ampliſſimo Viro N. N.

SIMON PISCOPIUS S.P.D.

Conſilium ſuæ profectionis.

VIr Ampliſſime, Conſtitueram ſtatim à nuptiis promiſſi mei fidem exſolvere, & Amplitudini tuæ judicium meum de excerpto ex Inſtitutionibus tuis Ethicis loco, quod pro benevolentia ſua tum à me dignabatur exquirere, qualecunque protinus exponere. Sed quia adflictam nonnihil ſentiebam valetudinem meam à trinoctialibus nuptiarum pervigiliis, à quibus pene totus abhorreo, differre coactus fui propoſitum meum. Exinde neſcio quibus non partim novis curis atque interpellationibus, partim morbis tum amicorum, tum domeſticis, avocatus, pene in oblivionem ejus incidi; quamquam ſcriptum tuum ob oculos meos ſemper habebam, ne oblivio obreperet atque ita vadimonii deſerti reus fierem. Nunc vero otii aliquid nactus, iſtud in manus ſumſi, & judicium meum de eo perſcribo, ea libertate quam ſcio te à me exſpectare, & quam tibi non ingratam fore confido, ſaltem ut ne ingratam habere velis, rogo atque oro.

Ac primum quidem, recte ab Amplitudine tua factum arbitror, quod de virtutibus ac vitiis moralibus præcepta daturus, præſtruas fundamenti loco judicium tuum de libertate actionum noſtrarum, à qua ea virtutum ac vitiorum nomen ac rem ſortiuntur.

Sed vero in eo minus recte factum ab A. T. arbitror, quod non ab ipſa formali ratione, ſive propriiſſima libertatis definitione, ſed ab ſede ejus rem ordiaris; cum controverſiæ omnis, quæ de libertate actionum noſtrarum inter eruditos agitatur, cardo non in hoc, ſed in illo ver-

Ep.555. verſari mihi videatur. Prout enim libertas definitur, ita libertati ſedes ſua aſſignari poteſt ac debet. Si libertas definitur mera ſpontaneitas ad agendum, tum libertatis ſedes conſtitui poteſt tam intellectus quam voluntas, & tam intellectus ſpeculativus quam practicus, prout libuerit; enimvero, intellectus ſponte intelligit objecta ſibi propoſita, voluntas ſponte vult objecta ab intellectu percepta, nec aliter quam ſenſus, ſive proprius, ſive communis, ſponte ſentit ſenſibilia ſibi occurrentia, appetitus ſponte fertur in appetibilia, & lapis ſuper medio ſe leviore poſitus ſponte cadit deorſum. At vero ſi libertas ſupra ſpontaneitatem aut lubentiam ex naturali facultatis inclinatione reſultantem, inſuper aliquid addit, uti revera aliquid addere debet, tum vero definitio ejus, cum additamento iſto conſtituatur oportet, prius, quam de ſede ejus inquiratur. Prout enim additamentum illud erit, ita quæ ſedes ejus ſit, haud difficulter colligetur.

An hoc à te factum non ſit, Vir Ampliſſime, in inſtitutionibus Ethicis tuis, neſcio. Forte conſulto abſtinuiſti à libertatis definitione, ob cauſas quas habuiſti. Dicis quidem in fine ſcripti tui, vitam & propriam libertatem conſiſtere in libera & minime impedita de omnibus deliberandi facultate, nec ante ſtatuendi & eligendi, quam intellectui viſa ſunt omnia ſatis examinata & expenſa, &c. Sed ex eo colligi aliud nihil poteſt, quam liberum eſſe tibi, quod minime impeditum eſt in agendo facultati ſuæ convenienter. At ſic potentiæ omnes ſenſitivæ erunt etiam liberæ vera & propria libertate: potentia enim viſiva minime impedita eſt, in videndo & diſcernendo colorem, album, nigrum, flavum, cæruleum, viride, &c. Et ſenſus communis minime impeditus eſt in diſcernendis diverſorum ſenſuum objectis. Deliberationis vox ad libertatem nihil facit: quia tam neceſſarium eſt intellectui poſitis objectis variis de iis deliberare, quam communi ſenſui eſt dijudicare & diſcernere inter variorum ſenſuum objecta. Ut ut eſt, ex iis quæ de libertatis ſede in hoc excerpto loco adieris, non obſcure mihi colligere poſſe videor ſententiam tuam de libertatis formali ratione ſeu definitione: nempe, ut duobus verbis eam complectar, collocas eam in judicii indifferentia, ſive potius, ut propriis tuis verbis utar, in indifferentia intellectus practici de objectis per ſenſus primum externos, deinde per ſenſum communem apprehenſis, & intellectui ad cogitandum & deliberandum propoſitis; denique rationibus, argumentis & mediis, quæ ſuadere vel diſſuadere, probare vel improbare rem aliquam videri poſſunt, conſideratione dignis judicatis ulterior in hanc aut illam partem deliberatio & conſultatio; & poſtquam ea facta eſt, judicii in eam partem inclinatio à qua plures vel pauciores rationes ſtare compertum ei fuerit. Huic judicio ſic formato voluntatem non poſſe non adſenſum Ep.555 ſuum adjungere, ais, utpote quæ in ſua natura & eſſentia aliud nihil eſt, quam propenſio in id quod judicio intellectus bonum atque eligendum eſſe conſtiterit.

Sententiam hanc tuam, ut ſerio ac bona fide expendam, cogunt me verba tua, quibus ſignificas ſententiam contrariam, quæ voluntati libertatem integram & abſolutam relinquit refragandi ſententiæ intellectus practici, ejuſque judicio ac placito intercedendi, poſt abſolutam deliberationem intellectus practici, judiciumque in alteram partem inclinatum, non modo eſſe opinionem falſam, ſed & per eam pernicioſiſſimorum errorum cauſam præbitam eſſe.

Nolim ego, Vir Ampliſſime, opinioni alicui favere, nedum mordicus adhærere, à quo mortalium ulli leviſſimorum, nedum pernicioſiſſimorum, errorum cauſa præbeatur. Et fateor lubens, me in opinione iſta eſſe, quam non modo falſam, ſed per quam pernicioſiſſimorum errorum cauſam præbitam eſſe exiſtimas, & eam quam tueris, hactenus mihi viſam ſemper eſſe non falſam modo, ſed pernicioſiſſimorum errorum cauſam aut ſcaturiginem, imprimis vero erroris iſtius, quod per eam fatalis rerum actionum atque eventuum omnium neceſſitas inducatur, unde mala omnia in Eccleſiam & Rempub. quod attinet ad virtutes & vitia, præmia & pœnas, ſcaturire neceſſe eſt. Quocirca noli ægre ferre ſi ſententiam tuam ad calculos vocem, & quid in ea ſit quod me cohibet quominus eam amplectar, candide aperiam. Sententiam vero tuam primo in genere, prout ab Ampl. T. propoſita eſt, expendam. Deinde rationem qua eam adſtruis. Tertio, ſolutionem objectionis quam ipſe tibi moves, examinabo.

Ac primum quidem quod attinet ad Sententiam tuam: ea prorſus nova ac recens eſt, quæque receptæ & paſſivæ ſcriptorum omnium, tum Theologorum, tum Philoſophorum, qui præcepta unquam moralia de virtutibus ac vitiis tradiderunt, directe contravenit. Nihil enim certius eſt, quam ab omnibus iſtis hactenus extra controverſiam poſitum fuiſſe, libertatem eſſe affectionem formalem & quarto modo propriam voluntati. Contrarium hic diſerte aſſeritur ab Ampl. T. & quidem in terminis, quando ais: *Quæ omnia libertatem intellectui practico propriam & formalem, nequaquam vero voluntati adſtruunt.* Libertas ergo juxta ſententiam hanc tuam non eſt affectio propria ac formalis voluntatis, ſed contra, affectio voluntatis formalis ac propria eſt mera ac pure puta neceſſitas ſequendi liberum intellectus practici judicium. Sed vero nolo ego ſententiam tuam novitatis præjudicio gravare. Uti enim ego eam mihi præjudicare alias nolo, ita eam ego mihi jam prodeſſe ut velim æquum non arbitror. Nimirum quicquid verum eſt, id omne novum

Ep. 555. videri non debet. Omne veriſſimum eſt vetuſtiſſimum. ἄπαν, inquit Ariſtoteles, πολλοῦ ποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἀλήθειαν. (*Sanctum plurimi facere veritatem.*) Dico ergo ſecundo: Sententiam hanc tuam non recte percipi poſſe, niſi ipſi intellectui practico, cui libertatem propriam & formalem eſſe aſſeris, adtribuas voluntatem deliberandi & conſultandi. Ratio eſt. Adtribuis intellectui practico, & recte quidem, apprehenſionem, collationem, dijudicationem, & concluſionem finalem de re facienda aut non facienda. Quomodo quæſo? An ſic, ut intellectus practicus velit apprehendere, conferre, dijudicare & finaliter concludere, idque liberrime? Si id vult Ampl. T. tum quæro, an voluntas, ſive τὸ velle iſtud ſit in & ab intellectu practico? Hoc non potes aſſerere; quia voluntatem ſtatuis aut plane eſſe extra intellectum, aut ſaltem ſi non prioritate temporis, attamen prioritate naturæ, intellectus practici judicium neceſſario conſequi; eo enim propenſionis & appetentiæ ſuæ pondus inclinare ais voluntatem, quo intellectus practicus inclinavit judicium ſuum. Tum voluntatem ais eſſe potentiam non cognoſcentem, ſed appetentem dumtaxat. At vero, niſi voluntas apprehendendi, conſultandi, dijudicandi & concludendi ſit in intellectu practico, tum apprehendere, deliberare, dijudicare & concludere, non eſt velle apprehendere, deliberare, dijudicare & concludere, ſed merus tantum ac pure pute neceſſarius apprehendendi, deliberandi, dijudicandi & concludendi actus. Merus autem ac pure neceſſarius actus intellectus practici, quomodo quæſo liber actus eſt? Quod enim libere fit, id poteſt non fieri. Libertas enim contingentiæ ſpecies eſt, cujus proprium quarto modo eſt, poſſe non fieri: Eſt enim oppoſita neceſſitati, ſive ei quod neceſſe eſt, id eſt, uti etymologia ipſa indicat, quod nec eſſe aliter poteſt. Confirmatur hæc ratio ex eo, quod idcirco negas voluntati competere libertatem, quia voluntas non poteſt non ſequi judicium rationis practicum, quod ultimam ac finalem deliberationem conſecutum eſt. Atqui, ſi idcirco voluntas non eſt libera, quomodo liber erit intellectus practicus, ſi poſito objecto intelligibili, non poſſit non deliberare, conſultare & concludere?

Fortaſſe regeres. Actus illos apprehendendi, deliberandi, dijudicandi, concludendi, eſſe actus intellectus ſpeculativi, non practici. Eſto. Practicus ergo intellectus an practicus dicetur, quia libere vult deliberare, conſultare, &c? At ſic voluntas rurſum erit formaliter in intellectu practico, & ea intellectus judicium non conſequetur neceſſario, ſed libere præcedet. Tum id ceu nefas, ut verbis tuis utar, Philoſophia abominatur. Intellectus enim practicus non dicitur practicus, idcirco quod formalis ejus ratio ſit voluntas agendi, ſed quia finis ejus eſt non ſpeculatio mera, ſed praxis, & quia ea circa quæ verſatur, ad praxin ordinantur, non vero ad meram tantum veritatis Ep. 555. ſpeculationem. Voluntas ergo libere conſultandi ac deliberandi, &c. tam longe abeſt ab intellectu practico, quam voluntas libere ſpeculandi abeſt ab intellectu ſpeculativo. utrobique enim eadem & par regnat neceſſitas. Hinc colligo

Duo eſſe, quæ in proceſſu illo quem formas, & ex quo formalem intellectus practici libertatem colligis, deliderari mihi videntur. Primum eſt: Proceſſum illum non eſſe proceſſum ex quo de formali libertate intellectus practici judicium fieri debet. Eſt enim proceſſus qui non habet locum niſi in iis, qui moraliter aut prudenter agere volunt, in quibus præſupponitur certi alicujus finis intentio, ſive electio quæ à voluntate jam facta eſt, ex cujus vi voluntas intellectui practico imperat rationem adhibere in conſilium, & de mediis cogitare, quæ ad conſequendum finem illum ſunt utiliſſima. Intellectus enim tum ſpeculativus, tum practicus ſubjacent, ex ſententia Philoſophorum omnium, imperio voluntatis, non quidem quoad ſpecificationem, ſed quoad exercitium: velim enim & nolle deliberare, conſultare, conferre, dijudicare, concludere, non ſunt actus intellectus, ſed voluntatis. Unde conſequitur: Quando voluntas poſt factam ſeriam deliberationem, conſultationem, dijudicationem, & concluſionem finalem, judicium intellectus practici ultimum ſequitur, & eo propenſionis, atque appetentiæ ſuæ pondus inclinat, quo intellectus judicium ſuum inclinavit, id non ex eo fieri, quod voluntas judicium iſtud neceſſario ex pondere naturalis ſuæ inclinationis atque appetentiæ ſequatur; ſed quod id ex hypotheſi prægreſſi liberi imperii ſui, de prius conſultando, aut ratione in conſilium adhibenda, quam agat quidquam, ſequi ultro velit.

Alterum eſt: Actum intellectus practici in rigore non eſſe iſtum quem ei adſignat Ampl. V. quod videlicet decernat ac ſtatuat, Hoc eſt agendum, hoc eſt eligendum; ſed, uti natura intellectus poſtulat, Hoc eſt bonum, hoc eſt melius, hoc eſt optimum, in genere boni vel delectabilis, vel utilis, vel facilis, vel poſſibilis: ſive hoc eſt eligibile, hoc eſt magis eligibile, hoc eſt maxime eligibile. Si enim tribuatur intellectui practico actus hic, Hoc eſt eligendum voluntati, aut hoc eſt faciendum; tum imperium directum tribuetur intellectui in voluntatem, & voluntati non niſi mera & cæca ſequela: quod eſt totam formalem libertatis rationem tollere. Nam actus iſte intellectus practici, ſive imperium iſtud quod ei tribuis in voluntatem, quo ſtatuit, Hoc eſt eligendum, non eſt liberum intellectui; quia intellectus qua talis non poteſt non actum ſive imperium iſtud exercere poſito objecto magis vel minus eligibili; Et ſequela voluntatis, poſito iſto actu ſive imperio intellectus practici, non eſt voluntati libera, uti ipſe aſſeris; ubi ergo

Ep.555. ergo libertas erit, & quid erit libertas? Ex hoc colligo, quam neceſſarium fuerit, uti ſupra dixi, ipſam libertatis formalem rationem aſſignare, ne inanis aut vana ſit tota, quæ de ſede libertatis inſtituitur, diſſertatio. Hactenus ergo de ſententia tua.

Quod attinet ad fundamentum ſententiæ tuæ, ſive rationem qua ea nititur, ea hæc eſt: Quod alioquin, ſi id quod ab intellectu judicatum eſt, à voluntate denuo judicandum eſſet, geminus intellectus eſſet ſtatuendus, voluntas vero nulla, ſiquidem potentia cognoſcens eadem eſſet appetens.

Fateor rationem hanc tanti jam olim apud me ponderis fuiſſe, hodieque eſſe, ut jampridem ſcripto edito oſtenderim, non poſſe mihi probari opinionem vulgarem iſtam, quæ intellectum & voluntatem aſſerit eſſe duas potentias in anima rationali, quæ realiter ab anima & à ſe invicem ſint diſtinctæ. Credo enim, animam rationalem eſſe immediatum principium intelligendi & volendi, eamque ſine ullis intermediis potentiis ab ipſa & inter ſe realiter diſtinctis, proprietate ſibi à Deo indita, immediate ſe ipſa intelligere & velle, ac proinde ei immediate competere, tum judicium de rebus propoſitis, tum libertatem exercitii, in occupando intellectum ad deliberandum, conſultandum & judicandum; ita ut tum actum deliberandi, conſultandi & judicandi, ſuapte ſponte poſſit ſuſpendere, tum poſt factam conſultationem, deliberationem & judicium, libere quod vult eligere, etiam nulla judicii ultimi, quod ab intellectu practico formatum eſt, ratione habita, quin & contra iſtud judicium. Ei autem idcirco, quod deliberare, conſultare, & judicare poſſit de re ſibi propoſita, nec tamen ſemper actu deliberet, conſulter, & judicet, tribui potentiam ſive facultatem intelligendi, ſive quæ potentia intellectiva dicitur; idcirco vero quia eligere poteſt quod vult, nec tamen actu ſemper eligit, eidem tribui potentiam volendi, ſive quæ voluntas dicitur: non quod illæ potentiæ reale aliquid ſint in anima, & realiter tum ab anima, tum inter ſe diſtinctæ; ſed quod anima, quæ actu ſemper non intelligit nec vult, pro varia quam habet ad objecta relatione, potens ad iſta intelligendum, ad hæc volendum, denominetur, ipſa vero in ſe ipſa intellectionem formet, & ad habendum aut faciendum ſe volendo promoveat.

Hoc poſito, vides fundamentum ſententiæ tuæ, ſive rationem principalem qua ea nititur, concidere. Si enim res ita ſe habet, tum nihil eſt quod cogit me geminum intellectum ſtatuere, unum in potentia intellectiva, alterum in potentia appetente. Una enim eademque anima eſt, quæ immediate intelligere & ſe ipſa velle poteſt, & quidem volitione prorſus libera, qua vel prudenter ſequatur ultimum intellectus practici judicium, vel imprudenter aut impudenter potius id ſequi nolit, gaudere volens motu ſuo proprio, eoque ſtulto & bruto, ſive plane arbitrario, qui libertatis humanæ apex eſt. Poteſt enim homo ſuapte ſponte ſtulti aut bruti inſtar animantis velle aut agere. Contra plane eſt, ſi animæ tribuatur ex una parte potentia intellectiva, cui proprium ſit intelligere & judicare; ex altera potentia volendi, ſive appetendi, cui proprium ſit abſque ullo inſito ſibi intellectu & judicio velle atque eligere. Ex eo enim neceſſario ſequitur, voluntatem, tanquam potentiam cæcam, neceſſario per judicium intellectus practici determinari ad volendum, ita ut non poſſit non velle, atque ita cæco & bruto impetu velle atque eligere omne id quod vult atque eligit, quia ipſa non judicat quare eligat, aut hoc potius quam illud eligat; quod eſt rationem omnem virtutis ac vitii, præmii ac pœnæ, funditus tollere, & legum, præceptorum, promiſſionum, ac comminationum omnium nervos penitus incidere; Nec enim virtutis aut vitii eſt eligere, quod non potes non eligere. Qui non poteſt nolle, non poteſt dici velle. Nec præmio dignus eſt, qui non poteſt non appetere quod bonum eſt judicatum. Nec pœna, qui non poteſt non appetere quod malum eſt, & quod tamen intellectus practici judicio ultimo bonum judicatum eſt. Nec præceptis aut legibus opus eſt, ubi inevitabilis volendi atque agendi neceſſitas dominatur: Nec peccato ulli, nedum peccatis contra conſcientiam, locus ullus eſſe poteſt,

Fati iſta culpa eſt, nemo fit fato nocens.
Non eſt nocens, quicunque non ſponte eſt nocens.

Poſtremam hanc rationem tanquam palmariam per ἀπόλυψιν ſolvere conatur Amplit. V. hunc in modum. Ep.555.

Quamvis autem exiſtimari poſſit, quoſdam extitiſſe qui contra omnes rationes intellectui propoſitas, quaſi dedita opera atque obſtinato niti voluerint, id tamen aliter fieri non poteſt, quam uno aliquo medio movendi intellectui obverſante, quod cæteris omnibus rationibus præponderet.

See vero ſolutio hæc neutiquam ſatisfacit. Si enim, quando quidam contra omnes rationes intellectui propoſitas, quaſi dedita opera atque obſtinato niti volunt, id aliter fieri non poteſt, quam uno aliquo medio movendi intellectui obverſante, quod cæteris omnibus rationibus præponderat, tum certe niſus ille, qui per medium iſtud, quod cæteris omnibus rationibus præponderat efficitur, non eſt niſus contra conſcientiam, ſed ſecundum conſcientiam: Nam medium iſtud quod præponderat non habere, aut curare ut medium iſtud non occurrat, ſive non obverſetur intellectui, non eſt in poteſtate aut intellectus, aut voluntatis. Et iſto medio occurrente aut obverſante intellectui, non eſt in poteſtate hominis eo non moveri ad volendum. Medio itaque iſto moveri, quomodo contra conſcientiam

Ep.555. tiam esse potest? Certe conscientia se habet ut scientia. Scientia autem à ratione præponderante est. Ergo & conscientia. Nec magis dici quis potest contra conscientiam agere, id est, dedita opera atque obstinato niti contra rationes omnes intellectui propositas, qui rationem cæteris omnibus præponderantem, etiamsi pessimam sequitur, quam is qui sequitur optimam. Iste errat, inquies, hic minime. Esto, inquam. At error iste voluntarius non est, sed necessarius ex vi occurrentis objecti, sive medii præponderantis. Motio enim à præponderante necessaria prorsus est. At vero motio necessaria quomodo contra conscientiam esse potest? Ignosce mihi, Vir Amplissime, si dicam me colligere ex verbis tuis, non agnosci à te ullum peccatum contra conscientiam, aut quod dedita opera & obstinato committatur; certe verba scripti tui ita sonant, ut id opinari mihi posse videar.

Quamvis autem existimari possit (inquis) quosdam exstitisse qui contra omnes rationes intellectui propositas, *quasi* dedita opera atque obstinato niti voluerint, &c. Nota; *quasi*, ais. Nec mirum. Si consequenter sentire ac loqui velis, omnino ut sic statuas necesse est. Nec enim voluntati tribuis ullum imperium, aut imperandi potestatem in intellectum, quod attinet ad exercitium actus, id est, nullam potestatem imperandi intellectui, ut deliberet aut non deliberet; nec posita deliberatione aut judicio ultimo intellectus practici, voluntati tribuis ullam potestatem dissentiendi, refragandi, aut obnitendi intellectus judicio; nedum ut tribuas intellectui practico post judicium ultimum potestatem refragandi isti suo proprio judicio. Totum hoc plane frustratorium & nugatorium esse diserte asseris Quomodo ergo consequenter juxta te dabitur peccatum contra conscientiam? imo, quod amplius est, quomodo dabitur, aut dari unquam potuit peccatum sive blasphemia in Spiritum Sanctum? utrumque dari tamen posse tam certum est ex Scriptura sacra, ut jam alias rationes non allegem, quam quod certissimum. De peccatis contra conscientiam, vide sis *Luc.* XII. 47, 48. *ad Rom.* I. 18, 19, 21, 32. *ad Heb.* VI. 4, 5, 6, 7, 8. *Heb.* X. 26, 27, 28, 29, 30. *Jacob.* IV. 17. 2 *Pet.* II. 18, 19, 20, 21, 22. De blasphemia in Spiritum Sanctum vide *Matth.* XII. 31. Hanc dari non posse ex ista sententia tua necessario efficitur. Ea enim, definientibus Theologis Leidensibus in Synopsi sua puioris Theologiæ, *est contemtus & oppugnatio malitiosa Christi & gratiæ Evangelicæ, per externum auditum verbi cognita, & per Spiritum Sanctum intus persuasa*; vel, ut alii, *resistere veritati Evangelii in hoc ut resistas.* Atqui veritas non tantum per auditum verbi externum cognita, sed intus etiam persuasa, est medium intellectui obversans, quod cæteris omnibus rationibus præponderat. Persuasio enim est præponderatio, quia finis est & terminus suasionis, ac proinde omnis deliberationis. Persuasione ergo ista posita, quomodo fieri potest ut voluntas eam non sequatur, imo directe ac malitiose contra eam nitatur? Aut enim nitetur contra eam proprio suo motu. At sic sine ratione niteretur, tenderetque in incognitum, saltem absque prævio judicio rationis practico tenderet in objectum; quod absurdum tibi est. Aut alia persuasione mota nitetur contra eam. At sic persuasa intus non fuerit, & iste nisus quem facit non erit veritatis persuasæ oppugnatio, nedum oppugnatio malitiosa, sed necessaria ultimæ persuasionis sequela. Hæc vero tantum abest ut blasphemia in Spiritum Sanctum esse possit, ut ne quidem esse possit, non dico peccatum contra conscientiam, sed ne peccatum quidem. Ultimo enim intellectus judicio practico ut voluntas moveatur, necessarium est; & ut contra illud moveatur, impossibile. Præter naturam enim suam & contra propriam naturæ suæ inclinationem moveretur. Necessaria autem necessitate naturali ut peccata sint, quid dico peccata pœna æterna digna, impossibile est. Ep.556

Atque hac quidem ratione, Vir Amplissime, videor mihi satis expendisse scriptum tuum, ut quid de eo judicem, facile intelligere possis ac perspicere. Constitueram subjicere argumenta alia, quæ contra istam sententiam tuam validissima esse arbitror, & rem totam prout meretur, fusius paulum deducere ac pertractare; sed ne scripti tui lineas excederem, & A. T. prolixa responsione molestiam facesserem, consultissimum tandem duxi brevi hoc pomærio me continere, ut si quid fortasse amplius desideratura sit Amplitudo Vestra, id novis literis suppleam, nisi quidem id quod desiderabitur, tanti momenti sit, ut inde causam habiturus sim cur à sententia mea recedere & tuæ accedere debeam. Ita enim me animatum esse credas velim, ut quamvis me errare non credam, meliora tamen monstrantibus uti cedere velle debeo, ita etiam cedere lubens velim. Quem animum etiam ad hanc rem Ampl. T. allaturum spero ac confido. Amst. 5. Julii, 1640.

EPISTOLA LVI.

GER. JOH. VOSSIO
HUGO GROTIUS S.P.

Consolatoria.

VIr eximie, Novo vulnere afflictam dolorem tuam ex amicis cum mœrore maximo intellexi. Sicut enim gratulabar tibi, cincto tot eruditorum filiorum grege, ita damnum aliquod abs te fieri multum doleo, nec tui tantum, amici tam boni ac veteris, sed & publici causa: pauci enim sunt hoc sæculo eruditi, iidemque boni. Sed quando hodie nobis non datur ea perpeti Christianæ religionis causa, quæ perpessi sunt isti qui eam primi propagarunt,

Ep. 557. runt, reſtat ut patienter ferendo adverſa alia vel ſic manducemus carnem & ſanguinem Domini, de intimis affectibus noſtris facientes Deo holocauſtum, ut hoc, quaſi vicario quodam martyrio, animos noſtros quam maxime fieri poteſt purgatos paremus tradere Deo, aliquando recepturos beatam corporis ab adverſis omnibus liberam ſanitatem. Interim quando dies exitus noſtri de hoc ſæculo incertus quidem eſt, ſed magis magiſque appropinquat, properemus quantum poſſumus dare poſteritati ea quæ Dei dono accepimus. Quare te rogo, ut & tua edas quamprimum omnia: & me quoque adjuves ut prodeant noſtra, ad Euangelia primum, deinde de jure belli & pacis, poſt Hiſtorica. Nunc ad Vetus Teſtamentum annoto non pauca, quæ lucis aliquid ad intelligendam Legem ac Prophetas adferent, ut ſpero. Deo vir clariſſime te tuoſque commendo. Lutetiæ XXVIII Julii CIↃ IↃC XL.

Cl. V. addictiſſimus

H. GROTIUS.

Multas cauſas habeo cur annotata ad Euangelia edi quamprimum velim. Exemplaria trium ἀνωνύμων (*ſine nomine*) nimis diu eſt quod expecto, maneoque amicis eorum debitor. Velim & aliqua habere ſcripti contra Twiſchurts quod valde mihi placet.

IↃ LVII.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S.P.

Paris. VIrorum eximie, Literas XV Junii abs te ſcriptas ante hos dies quatuor accepi: ex quibus gaudeo cognoſcere meliorem nunc eſſe tibi valetudinem, & non eſſe verum rumorem, qui ad me perlatus erat de novo vulnere domus veſtræ poſt funus filiæ, & doctiſſimi filii Gerhardi. Theologia gentilis & Phyſica Chriſtiana, ut & lucem quam primum videant, & ad nos quam celerrime veniant opto, non dubitans quin multo plura inde poſſim diſcere, quam aut tu, aut tui ſimilis quiſquam ex noſtris ad Euangelia annotatis, quæ tu pro ſumma tua humanitate, & in nos amore tam benigne prædicas. Cæterum ea ipſa, cum tibi videam non diſplicere, eo magis propero ut publico donentur: ſequanturque illa de Jure Belli ac Pacis, notæ ad Lucanum (quas Mairius edere recuſat) reliquiæ poëmatum, & Anthologia, cui utinam indices accedant, totam ferme complexuri Geographiam, & Hiſtoriæ, tum Græcæ, tum Romanæ potiſſima. Quæ Pontifex contra Jura Regum, addo etiam Epiſcoporum, Metropolitarum, & Primatum ſive ἐξάρχων fecit facitve, ſemper improbabo. Cæterum illa ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα (*qui adverſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*) iſtuc referre non audeo, plane perſuaſus Danielis verba uſurpari in deſcribendo aliquo qui paria facturus ſit Antiocho, quem deſcripſerat Daniel. Tum vero illa ᾧ ἐστὶν παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, (*cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus*) aliquem deſignant Jamni & Mambri parem. Hæc mea eſt ſententia; ſi qui aliter ſentiant, videant ne parum comperta pro compertis venditent, explicationibuſque minus commodis magnam providentiæ divinæ, quæ in illis vaticiniis recte ſumptis mira appareat, offundant nubem. Sed ſicut ira quicquid arripuit, telum facit; ita multi abrepti ſtudio partium omnia volunt videri vera eſſe quæ adverſæ parti nocent, ut ipſi quidem exiſtimant. Ego vero contra illos adverſariis prodeſſe contendo, qui pertinaciter urgent illa quorum aut pellucet falſitas, aut veritas in obſcuro eſt. Qui vero graves illas criminationes veritate quidem nixas non exiſtimant, ſed retinendas tamen publicæ, ut loquuntur, utilitatis cauſa, videant ne magnam feneſtram aperiant impietati, ſi verbi divini ſenſus famulari ſuis commodis ac partibus velint. Legi libenter quæ dicit Voetius, multum ſane largitur, etiamſi in me arietet. Ego ſi novum hic cœtum & ab aliis ſegregem inſtituere vellem, poſſem forte: Sed video, qui novas nobis erexerunt Eccleſias, eos animo quidem ſuo geſſiſſe morem, ſed in pietatis negotio non ita multum promoviſſe, & particulas ex particulis fieri. Quare ſatius forte eſt conſilium Auguſtini ſequi, quod eſt de vera Religione c. VIII. Cæterum in Belgicis terris, puto & alibi, inter eos qui in Romana ſunt communione mos ab omni ævo fuit, & nunc etiam ſervatur, ut die quo inſtituta eſt Domini Cœna, poſt cœnam paterfamilias, lecta ejus diei hiſtoria panem vino intinctum familiæ ſuæ præbeat. Qua de re quid eruditi qui apud vos ſunt ſentiant, ſcire percupiam. Multi hic non improbant, dum id non fiat animo ſeparandi ſe à Chriſtianis aliis, ſed potius cum voto omnes, ſi liceat, habendi pro fratribus. Salmaſii omnia eruditiſſima ſunt, ſolido offendit dentem is quem deſignas. Vale quam ſuaviſſime cum optima conjuge & ſimillimis patri liberis. Lutetiæ, 21 Auguſti. 1640.

Tui ſemper victuri Nominis ſtudioſiſſimus

H. GROTIUS.

IↃ LVIII.

GUILIELMUS

Archiepiſcopus Cantuarienſis

GER. JOH. VOSSIO S.P.

De motibus Anglicanis.

ANnus elapſus eſt (vir eximie) à quo literæ priores veſtræ (ſed quibus reſponſum non dedi) ad me pervenerunt. Sed annus occupatiſſimus fuit, & in quo vix libere ſpirare nedum ſcribere potui. Regis in partes Regni Boreales diſceſſus. Negotia quæ eo abſente mihi aliiſque incubuerunt. Pacificatio illic ſancita, ſed vereor an ſatis tuta. A reditu Regis conſilia inita: Parliamentum indictum, conventum & diſſolutum, negotiis Regis & Regni non compoſitis. Statim à ſoluto Parliamento ſeditioſa & furioſa in me & domum meam hominum male feriatorum & conditionis infimæ inſurrectio: quingentis ad minimum domum meam hora noctis media obſidentibus, ſed (Deo gratias) fruſtra: Convocatio ſive Synodus Nationalis ſecuta eſt, ut, ſi fieri poſſet, res Eccleſiaſticæ turbas non darent, nec religio (ut ubique gentium ſolet) pallium fieret. Interim apud nos omnia arma ſonant. Et inter hæc, quæ me & animum meum pacis cupientiſſimum peſſime habuerunt, qui potui de literis tuis, utcunque ſemper mihi gratiſſimis, cogitare? Sed omiſſis quæ me diſtinuerint, &c.

Non ignoras quantas turbas & quam malas nobis hic in Anglia res Scoticæ dederunt. Furioſi novatores quo tendunt ſcio, quo pervenire dabitur novit Deus. De his autem nec vacat nec placet ſcribere, ne quid fellis chartulas meas nigraret, quum video ubique, & apud exteros etiam, nomen meum famamque illorum virulentis calamis laceram & fœdatam undique. Redeo itaque ad privata, &c. Mitto per Junium librum meum ſuperiori anno editum, ſed idiomate Anglicano. Promiſi fateor editionem Latinam me tibi ante hæc miſiurum. Nec falſus ſum in hoc, ſed deceptus. Vir enim ſatis doctus, & cui ſatis otii eſt, hoc in ſe ſuſcepit, & ut aperte tecum agam, perfecit. Sed quum paulo penitius inſpexi, vidi non pauca in quibus ſenſum, plurima in quibus ſtylum non eſt aſſequutus. Et melius multo duxi ſupprimere tranſlationem quæ nec me nec mea loqueretur, quam talem edere unde exteri omnes, quibus lingua Anglicana non ſatis nota eſt, me quidem, ſed ſpeculo male fido, intuerentur. Si corrigi poterit, potes adhuc exſpectare: ſed vereor tranſferentis ſocordiam magis quam calamum. Cum hoc libro meo Canones mitto noviſſima Synodo conſtitutos, quibus videre potes, me nec Eccleſiam, nec veterem Eccleſiæ tramitem deſeruiſſe. Reliqua, ſicut & teipſum Deo & gratiæ ejus commendo, efflagitoque Ep. 559. ut temporibus hiſce, quibus tam ſubdole tam violenter res noſtræ undique petuntur, velis jugi oratione Deum & Salvatorem noſtrum fatigare ut incolumem ſervet ſervum tuum &

Tibi, vir doctiſſime, amiciſſimus

GUIL. CANT.

Datæ ex ædibus meis Lamb. Aug. 31. 1640.

IↃ LIX.

GUILIELMO

Archiepiſcopo Cantuarienſi

GER. JOH. VOSSIUS S.P.

De Archiepiſcopi innocentia.

REverendiſſime in Chriſto Pater, Illuſtriſſime Domine, Accepi ab affine Jumo geminum munus tuum, auro contra non carum, quippe utrumque aureum totum: & illud inquam Conſtitutionum ac Canonum Concilii Cantuarienſis ac Eboracenſis, & alterum collationis inter Te, tum Epiſcopum Sancti Davidis, & Jeſuitam Fiſcherum. Utrumque me judice, ſatis fuerit, ſaltem eſſe debet, calumniis retundendis, quæ adverſus Eccleſiam Anglicanam ejuſque Antiſtites, Te imprimis, Reverendiſſime Domine, ſparguntur à malevolis, in unum hoc præcipue intentis, ut in odium adductis primitivæ Eccleſiæ & dogmatum & conſtitutionum tenacioribus, ſufficiantur ocyus, qui juniorum omnia placitis metiantur. Mihi quidem utrumque opus inter θησαύρισμα (*theſauros*) ſemper erit, & tantillo tempore quo habui non leviter uſui fuit malignioribus frænandis, modeſtioribus firmandis. Sane longe alii rumores diſſerebantur, quam his libris edocemur. Vellem redeunte ad vos affine per eum mittere licuiſſet operoſiſſimos labores meos de Deorum rerumque natura, &c. Interea nos non deſinemus vota fundere pro Sereniſſimo Domino Rege, incolumitate tua, & Anglici Scoticique Regni concordia, &c. ac ut errantibus, ne quid gravius dicam, mentem inſpiret leniorem, &c. Poſtr. Non. Octobr. Stil. Gregor. Anno CIↃ IↃC XL.

Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi tui nominis cultor æternum devotus

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LX.

IO LX.

GER. JOH. VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

De aliquot Grotii operum editionibus, &c.

ILluſtriſſime Domine, atque Excellentiſſime, Simulac tuos in IV Euangeliſtas commentarios accepi, avide eos legere cœpi; ſed in hac occupatiſſima vita, nunc carptim, nunc ſic, ut ſæpiùs à lautiſſimis, ad quas invitaras, epulis avocarer. Hoc unum ex præcipuis eſt malis meis, quod uno die decies, imo vicies, interpeller, atque ita bonæ mihi horæ effluant, pene, cum veteribus dixerim, mala ætate. Tandem me accedit Blauwius, paratiſſimum ſe dicens ad eos excudendos. Placuit oratio. Volui igitur dare ei tertiam quartamve partem eorum, quæ ad Matthæum annotaſti: idque eo fine, ut me paſcerem reliquis, quæ reſervarem domi: ſimul, ut viderem, ecquid foret, quod offendere aliquem tam malignis temporibus poſſe arbitrarer. Sed negavit id poſſe fieri, quia tria ſimul prælа hoc opere eſſet occupaturus. Quare nec alterum tomum nic poſſe retinere. Proxima erat cura, ut quam emendatiſſime ederentur. Dixit, ſe domi habere Ajalam, cui negotium id ſatis eſſet curæ futurum: nec ſeſe defore huic rei: tum autem ultimam, quam artifices illi probam vocare ſolent, perlectum iri à D. Corſelles. Negavit ille tanto ſe labori parem: eoque adſcitus ſocius D. Brenius. Vides quam multi diſtineantur cura hac, ut omnia ſint correctiſſima. Et quæ vidi ſubinde, ea bonam ſpem faciunt, ſaltem pro editione prima, ubi quam difficile ſit, non aliquando ut aliquis dormitet, ſæpius jam in editione meorum ſum expertus. Et ſiquid humanitus erroris obrepſerit, non poterimus propterea Corſellio ſuccenſere, qui ex correctione nullum percipit lucrum, ſed totum hoc lubens præſtat, partim amore boni publici, partim veneratione Excellentiſſimi nominis tui. De quo mihi optime conſtat. Eo autem non leviter impellebatur Corſelles, quod negaret typographus, ſe opus hoc, in quo tot Græca & Hebræa intercurrerent, velle excudere, niſi Tuo quis nomine ſponte ſe offerret, qui corrigendæ probæ ultimæ curam ſuſciperet. Interea idem Corſelles, ut hodie ipſe mihi retulit, metuit non parum, ne ſatis ſuam operam, licet indefeſſam, probet. Sed inquit, ſiqui irrepſerint errores, id tribui oportere nimiæ typographi feſtinationi, tot ſimul prælа uno opere diſtinentis, ſic ut ſæpe uno die ſenas etiam accipiat probas. Tum autem fieri quandoque, ut, quæ ab eo in margine ſint correcta, non emendentur ab typotheta: quin ipſe ſi forte non fuerit domi, (quod quandoque fieri eſt neceſſe) non exſpectari, donec redierit; ſed Ajalæ, qui ad manum, opera uti. Quid multis? Negat Corſelles, vel luculento ſe pretio deinceps adductum iri, ut tantum probarum, quinarum nempe vel ſenarum, deinceps uno ſuſcipiat die corrigendum. Sufficere ſingulas occupato homini, præſertim quando canis, quod dicitur, feſtinans parere cæcos ſolet catulos. Hic ecquid ab eo ὑπερβολικώτερον dicatur, dicere non poſſum. Vir interim mihi bonus videtur, & ſi non πολυπόνητος, ſaltem tanti, ac merito virtutum poſſides, nominis amator, & cultor. Ne illud quidem diſſimulandum putavi, aliquando, ut ajebat, culpam videri eſſe à feſtinatione, vel ejus, quo uteris librarii, vel etiam tot tantiſque negotiis diſtenti auctoris. Exemplum unum alterumque, quod animo tum potiſſimum occurreret, afferebat. In *Matth.* I. 25. *ἕως*.) *Negationem hanc de tempore ante partum nihil affirmare: ſed de tempore poſteriore: multis exemplis ab aliis eſt demonſtratum.* Quibus addam locum, qui infra eſt: ubi reſcribendum, *de tempore poſt partum*, & *de tempore priori.* Ac, ni fallor, ſic ſe repoſuiſſe ajebat. Alibi, inquiebat, ubi ſermo de Joſepho Arimathenſi, manu propria addideras, *imitatore Samuele*: hic ille non dubitabat, quin voluiſſes *Simeonis*: nempe juſti illius, qui exſpectabat liberationem Iſraelis. Rectene, an ſecus, ſic correxerit, melius ſcirem, ſi codex Tuus fuiſſet ad manum. Hæc negabat ſe dicere, quaſi plus ſapere vellet, qui mortalium nemini plus, quem Excellentiſſimo nomini Tuo tribueret: ſed ut viderem, ſi forte feſtinatione erret corrector, ignoſci oportere, cum neque auctores, dum feſtinant, attendere ad omnia valeant. Præterea narrabat, ſe literis commonitum, ut ſiquis ſcrupulus incidiſſet, me compellaret. Id, inquiebat, plane ἀδύνατον, quando tam longe habitans à me non poſſit ire redireque intra ſpatium horæ: tum autem nec permiſſurum id typographum, qui moram hanc non ferret. Poſtulavi igitur à typographo, ut ſaltem tranſmitteret mihi, quæ jam edidiſſet: ut per otium videam, ecquid offendam, quod in addendis, vel erratis debeat commoneri. Nihil tamen fiet, quin prius judicium tuum de iſtis cognoro. Fortaſſe jam videris, quæ adverſus diatribam de Antichriſto ſcripſit Mareſchius. Quorum inſtinctu id fecerit, facile potes cogitare. Præfatio plane eſt virulenta. Eſt is Mareſchius paſtor Sylvæducenſis, & ibidem Theologiam profitetur. Ut magis opus redderetur exoſum, præfationem ſic erat exorſus: Nuper prodiiſſe opuſculum de Antichriſto, eo edente, qui & Crellii, & Volkelii Socinianorum librum ediditſet: Sed Janſonius, quia jam Blauwiis eſt conciliatus, noluit ſic excudere, ne prior eos læſiſſe, vel periculum creaſſe videretur. Itaque hæc Mareſchius, ſi ſua à Janſonio vellet excudi, adimere eſt coactus. Super duobus præcipue erit cogitandum. Unum eſt, quo-

Ep. 560.

Ep.561. modo filius peccati atque perditionis Caligula esse posset, cum epistola ad Thessalonicenses utraque scripta sit, postquam Apostolus fuisset Thessalonicæ, ut ipse Apostolus indicat: Thessalonicam autem demum venerit anno Claudii XIII. ut ex *Act.* XVII. cognoscere est, & tota temporis serie, quæ in iisdem Actis antecessit. Alterum est de nomine ΟΥΑΛΙΟC: ubi C non potest aliud notare quam ducenta. Nam *ἑκατὸν* ς valet quidem VI. sed in literis non habet locum, eoque in ΟΥΑΛΙΟC nequit C haberi pro ς. Succurrent fortasse, quibus occurrere utrique isti valeas. Sed, ut aliter esset, in argumento tam obscuro pulcrum fuerit conjecturas suas doctis expendendas dedisse. Siquid alius præterea viderit, quod magis probetur, laus ea sit publica. Tantum abiit calumnia, malum diabolicum: adsit amor Christianus, qui nunc toto prope orbe exulat, ac nusquam difficilior inventu, quam apud eos, qui inimiciter adeo veteri Ecclesiæ adversantur, nec quicquam nisi novellum probant. Intelligo, statuisse Blauwios, diatribas illas seorsim editas subjungere notis in quatuor Euangelia. Verum quid si dispiciatur prius, quæ inimici contra sint allaturi? Fertilis eorum seges his terris sub duobus vel tribus, qui pariter plantant, & irrigant. Illustrissimæ D. Heroinæ conjugi, quam ex Zelandia jam salvam & sospitem appulisse confido, salutem plurimam meo & meæ nomine dicito. Amstelodami, CIↃ IↃC XL. VKal. Novemb. St. Greg.

Illustris Excellentiæ tuæ cultor devotissimus

GER. JOH. VOSSIUS.

Accepi à fratre jurisconsultissimo de religione Christiana opus aureum, cum accessione notarum, quæ plurimum illud illustrant, multaque etiam doctissimos docent. Etiam in perhonorificam nostri mentionem incidi: quo nomine Excellentiæ tuæ debeo plurimum, & maximas ago gratias, quod non desinas in loco tam sublimi prosequi me affectu veteri, vel etiam majori. Vale decus seculi, & sic raptim scribenti omnia, prout in buccam veniunt, vel mentem potius, ignosce, prout hactenus soles.

IↃ LXI.

GUILIELMUS BOSWEL

Angliæ Regis Legatus

GER. JOH. VOSSIO S.P.

De malitia Anglicanis.

DOctissime Amicissimeque Vossi, Reverendissimus Archiepiscopus Cantuariensis literis XVIII Dec. St. Angl. Lambethi ad me datis ait, quæ tibi communicari voluit. Nihil ibi novi fuisse quod animus aut otiam repetere sufficeret. Damnatos maximo suo dolore novissimi Conventus Ecclesiastici Canones, utpote prærogativæ Regiæ, fundamentalibus Regni legibus, ac libertati proprietatique subditorum repugnantes, atque plura in se ad seditionem & periculosas consequentias tendentia continentes. Præterea agitari de ipso accusando velut eorum authore. Nullum se exitum bonum sperare, sed Opt. Max. Dei voluntati & beneplacito acquiescere. Hæc ab illo. Ab aliis intelligo eum eo quidem ipso die ad instantiam domus inferioris Parlamentariæ commissum fuisse custodiæ (sed liberæ) in ædibus primarii domus superioris officiarii, ubi adhuc opinor cum teneri. Ita enim literæ novissimæ ferebant. Faxit Deus ut gratiora audiamus, atque omnia in Maj. Regiæ, Reipublicæ atque Ecclesiæ nostræ emolumentum atque commodum succedant. Tibi etiam tuisque omnibus omnia felicissime precatur Ep.562.

Tui amantissimus

GUIL. BOSWEL.

Non dubito, quin audiveris Dom. Custodem Magni Sigilli Angliæ asylum hic quæsivisse. Hagæ Comitis. 14 Januarii 1642.

IↃ LXII.

GUILIELMO

Archiepiscopo Cantuariensi

GER. JOH. VOSSIUS S.P.

Confusio in capiendo.

REverendissime in Christo Pater, Domine Illustrissime, Satis scribere nequeo, quam diu noctuque æstuet animus meus decumanis Magnæ Britanniæ fluctibus. Pariterque affectus mihi optimus quisque videtur; tanto magis, quanto quisque genuinæ Reformationis à fermento Pontificio ut intelligentior, ita amantior est. Et sane si tanti fluctus etiam Marpesiam cautem commovere posse videantur, quomodo hic *ἀνεκδοτῶς* (*sine sensu*) fuerit, quem tum beneficium à Serenissimo Rege in Cantuariensi Ecclesia mihi collatum, arcte adeo Cantuariensi Archiepiscopo colligavit; tum etiam tot tantaque beneficia tua tantopere obstrinxerunt eidem. Nec solamen hic facile invenio, præterquam in voluntate Patris cœlestis, absque cujus voluntate nec capillus defluit nobis. Multa ille facit, multa permittit humano sæpe ingenio impervia, sed æquis semper causis subnixa, dura quidem carni infirmæ, sed, contestante Apostolo, salutaria semper diligentibus Deum. Cujusmodi prudentiæ Christianæ præcepta nihil opus memorare illi, cui ad humanos casus semper robur & æs triplex circa pectus fuit. Hac spiritus sui gratia nec deinceps Dominus, Te, ut confido destituet.

p.563. tuit. Nos interea quotidie preces ardentiſſimas coram Deo fundimus, ut porro te ſpiritu ſuo regat, ac moderetur: ac, ſi ſic voluntas ejus, quæ ſola eſt ſancta, ferat, in annos plurimos Eccleſiæ ſuæ ſervet incolumem Sereniſſimi Regis ac univerſi regni bono. Hagæ Comitis CIↃ IↃC XLI. April. St. Gr.

Reverendiſſimæ Tuæ ac Illuſtriſſimæ dignitatis filius devotiſſimus

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LXIII.

SIMON EPISCOPIUS

PETRO TAURINO.

MI Taurine, Pro Orationibus D. A. Emylii ad me miſſis gratias habeo. Pretium quod me volente ſignificaſti, lubens ſolvam cum dabitur occaſio, uti & pro cæteris ſi quas deinceps præter has editas reperies. Quæſtionem tuam mirari ſatis non poſſum. Cribro opus habeo ut terminos capiam. Vix per conjecturam adſequor, quid intelligatur per velle poſſe, contradiſtincte à poſſe velle. An videlicet intelligatur mera velleitas, vellem poſſe converti; an directa volitio, volo poſſe converti, & quis illius volitionis ſenſus ſit? An diviſim velle & poſſe, ut ſenſus quæſtionis ſit, an volo poſſe converti, an vellem poſſe converti, an velle, & poſſe converti requirantur in homine convertendo ad hoc ut gratia in converſione hominis ſufficiens dici poſſit. Ratio quæ me movet cur hæc quæram, eſt; Quia quæſtionem aliis verbis ſubjicis, hanc: An velle poſſe converti ſit eſſentialis pars converſionis? Memini enim in alloquio Bogermanni ad ægrum Principem Mauritium, me legere, cum ex eo Princeps quæreret, qua ratione loca illa quæ pœnitentibus gratiam & veniam promittunt ad ſe pertinere poſſent, cum pœnitentiam illam ſeriam in ſe non deprehenderet? Reſpondiſſe Bogermannum: An non ſentiret in ſe ſive velleitatem, ſive voluntatem reſipiſcendi? Et cum id affirmaſſet Princeps; eum ſubjeciſſe, Hoc ſignum eſſe certum regenerationis, nempe velle poſſe reſipiſcere. Non memini quidem eum dixiſſe directe, velle poſſe reſipiſcere eſſe partem eſſentialem converſionis, ſed tamen præter propter idem mihi ac ſi hoc dixiſſet, dixiſſe videtur. Quæſtionem tamen etiam hanc ſi cum priore conferatur, elucidari mihi velim. Nam cum quæritur; An velle poſſe ſit pars eſſentialis converſionis? tum antea non recte quæſitum fuit, An velle poſſe in homine convertendo requiratur ad hoc ut gratia converſionis ſit ſufficiens? Quæretur enim alioquin, an gratia efficax ſit ſufficiens, ſive an ad hoc ut gratia ſit ſufficiens, requiratur gratia efficax? Profecto ego non amo in ſeria diſputatione terminos obſcuros, Ep.563. aut ambiguos, ſed claros & perſpicuos. Ad mentem tamen, quantum conjectura adſequi poſſum, reſpondeo: Prius neceſſario requiri & per ſe ſufficere, ſi modo per τὸ poſſe velle non intelligatur ipſa ſola facultas ſive nuda potentia voluntatis: Ea enim cum ſit naturalis facultas & eſſentialis proprietas voluntatis, ſemper & ubique in omni ſtatu eadem ſemper manet; ſed potentia voluntatis à gratia Dei præveniente excitata, & elevata ad eliciendum liberum actum converſionis, ſuppoſito, (prout hactenus ſuppoſuimus cum Theologis pene omnibus) quod actus converſionis, ſit actus ſupernaturalis ad quem eliciendum ſupernaturali gratia opus ſit. Hoc enim ſi dicatur, tum manifeſte liquet, rationem dubitandi primam nullam prorſus eſſe. Neque enim tum ſequitur, converſionem pendere à puro puto hominis arbitrio: ſed tantum ſequitur, converſionis actum pendere ab arbitrio hominis gratia ſufficiente prævento, & ad actum eliciendum ſufficienter elevato. Dices, ſequitur tamen, Actum illum non pendere à ſola gratia. Ita eſt: Alioquin non eſſet actus liber, nec actus ex officio præſtitus, nec actus laudabilis, nedum præmio remunerabilis. Obſtat tamen locus ad Philippenſes, inquis, *cap.* II. 13. Nihil minus inquam ego. In eo enim agitur de homine non convertendo adhuc, ſed jam converſo. Unde contrarium colligo: In homine converſo gratia non operatur ſola τὸ velle poſſe, ſed & liberum hominis arbitrium gratiæ cooperatur, id eſt, ut loquuntur, actum etiam agit, ut diſerte in Canonibus Synodi Dordracenæ legere eſt, capite III, & IV, doctrinæ, articul. XII. Ergo ſi eadem illa gratia in homine convertendo ex vi hujus loci colligitur neceſſaria eſſe, per eam non excludetur liberi arbitrii cooperatio; quam tamen Synodus eodem articulo excludit, cum ait, *primam converſionem in nobis effici ſine nobis*, &c. Deinde. In eo non dicitur Deum operari in fidelibus ſuis, velle poſſe, ſed τὸ velle & τὸ efficere, *ὑπὲρ εὐδοκίας*, (*ſecundum beneplacitum*) quod ſane longe aliud eſt, uti indicatum à nobis eſt in Apologia pag. ſeu folio 169. & aliud eſſe debere indicat connexio cum hortatione præcedente, *operamini ſalutem veſtram cum timore ac tremore*. Ea ipſa enim hortatio ſatis indicat, rationem ſubjunctam non poſſe accipi de iſta efficientia, quæ ſola efficacitate ſua irreſiſtibili efficit τὸ velle, & τὸ efficere, niſi hortationem velimus ſimul inutilem eſſe & ineptam. Habes, mi Taurine, breviter & raptim reſponſionem meam ad quæſtionem tuam in ſpeciem pulchram, ſed revera deformem & obſcuram, quam ab iis profectam credo, qui nodos in ſcirpo quærunt, ut ſibi ipſis negotium & aliis moleſtiam faceſſant. Vale, & ſalve cum dilecta matre & ſororibus tuis. 31. Auguſt. 1641.

IↃ LXIV.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

Vorio. VIr præſtantiſſime & Clariſſime, Duplici me modo beaſti, & oſtendendo mihi filium tanti Patris imaginem vivam, & per literas, &c. Veſtra de Paganica Theologia exſpecto avide: putemque id opus recte dedicari poſſe Clero Anglicano, quomodo Julius Cyprianus ſcribebat Clero Romano, cum non adeſſet Epiſcopus. Annalium etiam Batavicorum filii veſtri videre aveo partem alteram. Nam prima valde mihi placuit. Probo quod edita recognoſcis, & ἀνεκδότα (*inedita*) ad editionem paras. Det Deus vitam & valetudinem. Debeo viciſſim Præſtant. Clar. Veſtræ rationem ejus temporis quod mihi de mandatis negotiis ſupereſt. Edita jam ſunt Annotata mea ad Euangelia cum quatuor opuſculis. Additus eſt index plurimis vitiis ſcatens, & multa contra meum ſenſum exprimens; quem quia video non poſſe emendari, tolli de omnibus exemplaribus volo, idque Blaviis, qui ante lenti in hoc indice edendo, paucos dies ad noſcendam ſententiam meam opperiri noluerunt, ſignificavi, &, ut fiat hoc, amicos anniti velim, &c. Et nunc excuduntur, ſed mihi tantum & iis quos ea de re volo conſulere, annotata brevia ad conſultationem Caſſandri, quam ſcripſit vir optimus ac doctiſſimus, & ob id Calvini odio digniſſimus, rogatu duorum Imperatorum. Videris puto librum editum in Anglia, dein Genevæ, Irenæi Philadelphi nomine, de Motibus Scoticis in Anglia. Is liber D. Archiepiſcopi, quem Deus in hac cruce ſoletur, jugulum aperte petit. Sunt autem ejus ſcriptores Molinæus pater & filius: nam hic hiſtorias Anglicanas intexuit. Renatus Verdaius, cui dedicatus eſt is labor, eſt Andreas Rivetus. Vide quam hoc ſit θεοῦδες. (*ferinum.*) Deus Vir Eximie, Præſt. Clar. Tuam cum optima uxore & liberis ſoſpitet ac proſperet. XIV Sept. CIↃ IↃC XLI.

Præſt. Clar. Tua ad omnia obſequia paratiſſimus.

H. GROTIUS.

IↃ LXV.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S.P.

De pace Eccleſiaſtica. REverendiſſime Domine, Ego ſemper pro cariſſimis habebo, quicunque mihi à te commendantur. Per omnem vitam flagranti deſiderio Chriſtiani orbis reconciliationem expeto. Quoniam autem video non paucos, & in hoc, & in aliis regnis iſti ſtudio incumbere; officii mei eſſe credidi, etiam meas curas eodem conferre: tum ut conſcientiæ ſatisfaciam, tum ut alios excitem ad conſimilia, imo meliora meditamenta. Cum vero Conſultatio, quam exhibuit Caſſander rogatu duorum Imperatorum, magno in pretio ſit apud omnes eruditos; illius veſtigiis inſiſtere, & rationibus, quas ille profert, nonnullas addere placuit de meo. Via ad eam pacem expeditiſſima mihi videtur, ſi doctrina, communi conſenſu recepta, commode explicetur: mores, ſanæ doctrinæ adverſantes, quantum fieri poteſt, tollantur: & in rebus mediis accommodet ſe pars ingenio totius. Deo gratias ago, qui te ad hæc uſque tempora ſuperſtitem præſtitit, ut novos hoſce pacandæ Eccleſiæ conatus conſpicias, eoſque ſymbola quoque tua promovere queas. Lutetiæ, 28 Sept. 1641. Ep. 566.

Quovis obſequio tibi addictus

Verſio ex Belgico. H. GROTIUS.

IↃ LXVI.

HUGO GROTIUS

GER. JOH. VOSSIO S.P.

De libro quo Caſſandrum ſcripſit. VIr eximie, Bene procedat valetudo Generoſi D. Skytii, qui mihi literas à Præſtantia ſua, & quidem tam uberes attulit. Nihil eſt quod non ei debeam & Suedo & Nobili, & amico veteri; & tamen, ſi quid ad hæc adduci poteſt, efficiam ut videat magnum apud me pondus habere qui abs te veniunt. Filiumne vero etiam tuum mihi commendandum cenſes, primum Voſſium Voſſii filium, deinde ejus ingenii, ejus eruditionis, ejus modeſtiæ, ob quæ cuivis etiam ante ignoto carus eſſe debeat? Summa mea cum voluptate vidi qua amicitia ſe mutuo complectantur ille & Gronovius, par lectiſſimum: qui nunc itinera inter ſe commutant, hic ex Italia in Batavos, tuus è Batavis in Italiam. Noſtra quod attinet, non tantum Annotata noſtra, ſed & tres libelli & Appendix in duos homines δυσθυμοτάτους, (*maxime præſumtuoſos*) multis hic placent. Rogo ut te adjuvante editio, ſiqua ſequetur, melior eſſe poſſit. Nemo enim eſt à quo putem me firmiora auxilia poſſe conſequi. Mitto tibi exemplum eorum, quæ Caſſandri veſtigia ſecuti pacis Eccleſiaſticæ ſtudio annotavimus. Sorbonici complures gratias mihi egere, & ex Reformatis doctiſſimis Codanus, & Juſtellus, & Mileterius. Non dicam eis omnibus iſta probari, ne te cogere videar ut eorum judicio ſubſcribas. Certe dedi opuſculum hoc publico eadem mente qua ſua ſcripſit Caſſander. Furioſis illis declamatoribus noli quæſo me purgare, ne laterem laves. Quin male mihi

Ep. 566. hi velint homines factioſi, non dubito. Ego, Deo favente, operam dabo, ſive hic ſim, ſive alibi, ne nocere mihi poſſint. Adverſa tua partim novi, partim conjectura aſſequor; ad quæ toleranda magnum tibi eſſe animum ex animo gaudeo, utque id perpetuum ſit ac creſcat etiam Deum precor, atque ita fore confido.

Fortem fecit vicina libertas ſenem.

Exſpectabimus tua de Idololatria. οἷς ἀποφαινόμενος (*de dedicatione*) nihil potuit melius: in Cleri Anglicani nomine ineſt τῇ δυνάμει (*potentia*) is cujus vices dolemus, & cui mente id opus voveras; quem faxit Deus ut aliquando audiamus in loco eſſe meliore:

ὁ δὲ μύθος ἄμπν ἴσχει ἀγαθὸς, εἴ τις εἰσαΐει.

Multum eum bonis omnibus hoc commendat, quod qui inimici ei ſunt inimici ſunt Epiſcopatui, &, quod ſequi rex Jacobus ſæpe prædixit, Regi. Sumus hic aliquam multi, qui nulla honoris aut commodi ſpe, ſola miſericordia ducti, lacerati orbis Chriſtiani remedia circumſpicimus, quibus quod ades tuis ad Deum precibus, magna eſt gratia. Sed & conſilio potes, ſi quis hominum. Vertuntur Biblia Regis juſſu in ſermonem Gallicum, ad uſum populi: in Eccleſiis nonnullis hujus urbis Pſalmi, Oratio Dominica, Symbolum, Decalogus canuntur Gallice. Homiliæ omnes quæ fiunt, ad mores emendandos, non ad ventilandas controverſias pertinent. Epiſcopi eliguntur pii & eruditi. Non eſt quidem in his tota, quam optamus, emendatio; eſt tamen cur ex iſtis ſeminibus bonam ſegetem ſperemus. Eraſmi natalem abs te, homine Eraſmi ſimillimo, celebratum gaudeo, tecumque opto ut multi ſint qui illud placidiſſimum ingenium imitari malint, quam Borboritas, & duræ frontis Frontones. Vale vir præſtantiſſime. Lutetiæ XXIII Novembris. CIↃ IↃC XLI.

Tui celeberrimo nomini ſtudioſiſſimus

H. GROTIUS.

IↃ LXVII.

HUGONI GROTIO

SIMON EPISCOPIUS S.P.

Gratias agit pro annotationibus in Evangelia.

EXcellentiſſime Domine, Neſcio quis me hactenus pudor, ſive ex conſcientia tenuitatis meæ, ſive ex ſublimis iſtius, ad quem merito ſuo evecta eſt Excellentia veſtra, dignitatis reverentia, retinuerit, ut Excellentiam veſtram non niſi per ſequeſtrum ſenem noſtrum ſalutare auſus fuerim. Etſi vero non dubitavi, quin Excellentia veſtra pudorem iſtum meum ſequiore via non tractura, ſed pro innato ſibi candore & vetere propenſaque erga me benevolentia in meliorem partem interpretatura eſſet, tamen vix in animum meum inducere potui, tanti adhuc apud Excellentiam Ep. 567. veſtram futurum Epiſcopium, ut eum tam ingente dono, quale ante aliquot dies nomine ac juſſu Excellentiæ veſtræ mihi obtulit typographus, Annotationum ſcilicet tuarum in libros Euangeliorum, &c. tanquam indicio ac teſtimonio non alienati à me, ſed bene erga me affecti animi, fuiſſet dignatura. Ingratiſſimus ſim, ſi intra ſilentium diutius me contineam, & pro tam magnifico, veſtraque Excellentia non me digno eruditionis omnifariæ ſimul ac pietatis pleno theſauro, gratias non agam quas poſſum maximas, quos alioquin & abſque hoc munere agere me æquum fuiſſet, non tam meo quam publico totius Chriſtiani orbis nomine, qui ex iſto cornu copiæ petere poterit, unde vacuas & rerum ſenſuumque Scripturæ genuinorum inanes variorum commentatorum ſitulas plena manu implear. Indignabar equidem Danieli Heynſio, cum primum Exercitationes ejus ſacras in N. Teſtamentum perluſtrarem, quod in iis nihil aut parum admodum occurreret, unde commodum aut emolumentum aliquod ad Chriſtianum orbem redire poſſe perſentiſcebam, adeo frivolæ, dilutæ, & rerum ad fidem & vitam utilium ac neceſſariarum inanes mihi videbantur, non aliter quam caſſæ nuces. Simulatque in has annotationes incidi, indignari ei deſii; nec enim dubito quin ipſe ſibi abunde indignaturus ſit, quando has aut ipſe videbit, aut ab eruditis omnibus audiet tantum diſtare, ὅσον οὐρανὸς ἀπὸ γαίης. (*quantum cælum diſtat à terra.*) Gratulabar vero mihi quod κτῆμα hoc nactus eram, quo quotidie uti fruique cogito, ut inde lucubrationibus meis lucem, & animo meo ſubinde facem pietatis alluceam. Quod attinet ad commentationes ad loca quæ hactenus de Antichriſto agere pleriſque viſa ſunt, in eas cur tantopere invecti fuerint Borboritæ quidam hominis tui obtrectatores virulenti, cauſam hactenus videre nullam potui. Conjecturas enim de locis obſcuris cuilibet liberas eſſe debere exiſtimo: κρίνης γ' ἄριστος, ὃς εἰκάζει καλῶς. (*vates nempe eſt optimus qui conjectat bene.*) Nec dubito quin maledicos & amarulentos iſtos mortales pari voce ac ſententia damnaturi fuiſſent boni & probi omnes, niſi una ſuſpicio aut initæ aut ineundæ aliquando cum Eccleſia Pontificia fœderationis, ſive ſecuturæ ad eam tranſitionis metus, eos retinuiſſet. Utinam per appendicem ſubſecutam Excellentia Veſtra ſuſpicionem iſtam in plurimorum animis non auxiſſet: à quo uno adverſariorum tuorum odium ſimul ac maledicentia colorem aliquem accipere multis videbatur, &, ni fallor, porro accipiet, ſi vanam eam non fuiſſe comperiatur, quod credere ego malo, quam ſperare compertum iri. Quamquam hic jam percrebuit rumor, Excellentiam Veſtram manifeſtaria tranſitione, & publica cum Eccleſia Pontificia (nimis, uti mihi quidem videtur, à pura & ſimplice iſta

Digitized by Google

Ep.568. Apoſtolica & Euangelica tum fide, tum unius ac ſolius Dei & J. Chriſti Domini noſtri cultu ac veneratione, tum columbina innocentia, alienata) communione per ſymbola ſuſpicioni iſti fidem feciſſe. Quicquid ſit, Deus novit, & dies docebit. Ego epiſtolam hanc finio cum iterata gratiarum actione, & ſupplice ad Deum prece, ut Excellentiæ veſtræ ſalutaria conſilia inſpiret, & quibus ad fidem, pietatem, ac caritatem juvari poteſt Chriſtianus orbis ſtudiis ac laboribus propitius benedicat. Dabam Amſtelodami, 25 Novemb. 1641.

IO LXVIII.

SIMON EPISCOPIUS

PETRO TAURINO S.P.

De morte Chriſti pro omnibus, & certitudine ſalutis.

DIlectiſſime Taurine, Quam dolui, ob afflictam D. Ryckewardi valetudinem, tam graviſus ſum ob ſpem reſtitutionis & redeuntis melioris valetudinis indicia, quæ ſignificas. Gratulor equidem eapropter vobis, Eccleſiæ veſtræ, & imprimis Societati noſtræ, quin & mihi, cujus dolorem nimis adhuc recentem adeoque graviſſimum, auxiſſet tamen tam veteris & fidi amici diſceſſus. Faxit Deus ut diu adhuc vivat, ſanus, multorum bono & divinæ gloriæ; quod ut ei adpreceris meo nomine obnixe rogo, ſimul etiam ſcire deſiderans quæ nunc ipſius ſit valetudo.

Ad quæſtiones tuas ſic breviter habe.

Ad primam per has concluſiones:

I. Poſteri Adami, qui unquam aut uſpiam propria ſua voluntate potuerunt, poſſunt, poteruntve peccare ad ſimilitudinem peccati, ſive tranſgreſſionis Adam, ii omnes ac ſinguli ſic aut peccarunt, aut peccant, aut peccabunt, & per ac propter iſta ſua peccata rei ſunt æternæ mortis: quod late probatur in Epiſtol. ad Romanos & paſſim alibi. Pro his itaque quin Chriſtus in cruce ſanguinem ſuum fuderit dubitari non debet.

II. Poſteri Adami, qui peccare non potuerunt ad ſimilitudinem peccati, ſive trangreſſionis Adami, ob defectum expreſſæ Legis divinæ comminatione mortis aperta ſanciræ, quales fuerunt omnes ab Adamo uſque ad Moſem, etſi peccatores fuerunt & quatenus tales mortis rei (mors enim in omnes homines pervalit, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *eo quod* vel quatenus *omnes peccaverunt*,) tamen in eos, ut tales, mortem Deus pervenire noluit, ſed in eos ut in prolem ſive progeniem ex Adamo oriundam, poſt peccatum ingreſſum in mundum, proinde quæ ab Adamo parente ſuo, mortis neceſſariæ pœna adfecto, eandem cum natura ejus moriendi neceſſitatem traxit, non aliter quam ſi, ſicut ipſe, peccaſſet. Cur vero? nullo alio fine, quam ut Adamus ſic ſerviret pro typo Jeſu Chriſti, cupis prolem ac progeniem, id eſt, in ipſum credentes, & ex fide in ipſum Deo obedientes, quamquam non obedientes ad ſimilitudinem obedientiæ Jeſu Chriſti, vitæ æternæ præmio donare volebat, non aliter quam ſi, ſicut ipſe Chriſtus, perfecte obediſſent; uti diſerte hoc ab Apoſtolo indicatur ad *Rom.* V. 14. &c. Pro his etiam quin Chriſtus in cruce mortuus fuerit, nemo jure ambigat. Ep.568.

III. Quod ad infantes qua tales attinet, eos ego inter peccatores proprie dictos non cenſeo, Infantem enim qua talem ſive in ſe, ſive in alio peccare poſſe, nimis mihi videtur à veriſimilitudine omni alienum: Pro iis tamen etiam mortuus Chriſtus dici poteſt, quia infantes, qua tales, non niſi portio parentum ſuorum ſunt, & ſic veluti unum cum parentibus ſuis cenſentur: adeo ut vi conjunctionis iſtius naturalis, iiſdem quibus parentes ſeu bonis, ſeu malis, ſive calamitatibus obnoxii in mundum veniant: Mortis itaque ejuſdem contagio ad illos etiam pervenit. Hinc gratia mortis Chriſti opus habent, ut ex morte iſta liberentur ſi in infantia ſua moriantur, & novis propriſque ſuis peccatis ſe non faciant reos iræ divinæ. Unde liquet neminem hominem eſſe, pro quo Chriſtus non ſit mortuus.

Ad ſecundam reſpondeo, per has concluſiones:

I. Homo in hac vita de remiſſione peccatorum ſuorum ante converſionem ſuam perpetratorum, licet graviſſimorum, quin certus eſſe poſſit nemo dubitat.

II. Homo in hac vita de remiſſione peccatorum ſuorum, etiam graviſſimorum poſt converſionem admiſſorum, an certus eſſe poſſit, pari ſaltem certitudine, controverti ſolet, & fortaſſe ſatius eſt, ut in controverſia maneat, quam fidenter decidatur: quamquam ego cauſam non ſatis gravem hactenus videre potui, cur id negetur: utut ſit, quin certus eſſe poſſit, de delictorum levium, ſive quotidianæ incurſationis, ut Tertullianus loquitur, remiſſione jure dubitare nequit.

III. Certitudo hæc haberi poteſt ex certa divinæ regulæ, ſive voluntatis ſecundum quam Deus ſe velle peccata remittere declarat, ſcientia: & ex animi ſui factorumque ſuorum ad regulam iſtam compoſitorum bene explorata coram Deo conſcientia. *Si* enim *cor noſtrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum, & quicquid petierimus, accipimus ab eo; quoniam præcepta ejus cuſtodimus, & ea quæ ipſi placent facimus*, 1 *Joan.* III. 21. 22.

IV. Qui certus eſt hac certitudine, is ſingulis diebus nihilominus orare tenetur, Remitte mihi debita mea, reſpiciendo ad debita ante fidem & converſionem contracta, quia ea remittere Deus non vult niſi eorum remiſſio ad finem uſque vitæ à Deo petatur: Quod ad debita attinet, quæ delicta levioreſque quotidianæ incuriationis lapſus vocantur, pro eorum remiſſione ſingulis etiam diebus orare tenetur, ſi vi-

Ep.569. si videlicet ea commiserit, aut commisisse se sentiat; quamquam ea tam crebra, varia & occulta sunt, ut sæpe homo ipse non advertat ea se committere, aut se commisisse non recordetur, aut commissa negligat, ut tutius multo sit cum Davide dicere, *Errores quis intelligit? Ab occultis munda me ô Deus! Psal.* XIX. 13. & cum Paulo, *Nullius mihi rei conscius sum, at in hoc non sum justificatus. Dominus autem est is, qui me dijudicat.* 1 *Cor.* IV. 4.

V. Nulla certitudo de remissione peccatorum absoluta in hac vita locum habet, sed sola conditionata, eaque duplex. Si sum qualis esse debeo ex divino præscripto: Deinde si talis maneam, ac proinde si quotidie etiam Deum orem pro remissione omnium debitorum meorum, tum gravium ante conversionem, tum levium in vita quotidiana delictorum imprudenter admissorum. Gravium enim peccatorum, quæ quotidie à me admittantur, perpetratio cum certitudine & fiducia remissionis consistere non potest, etiamsi quotidie quin & sæpius orem, Remitte mihi debita mea.

Hæc raptim à me habe, mi Taurine, ea lege, ut vel apographum, vel hoc ipsum ubi descripseris mihi remittas. Si quid desideras, id libere significa. Cum potero rescribam, & amorem veritatis, quo te duci video & gaudeo, non patiar mea culpa aut vitio in animo tuo extingui. Vale & salve, cum dilecta matre, sororibus & collegis tuis. 11 Feb. 1642.

IↃ LXIX.

HUGO GROTIUS

GERARDO VOSSIO S.P.

De Vossii Historia Pelagiana.

VIr Præstantissime, Proximis his diebus aliquid nactus otii legi, ea, qua omnia tua soleo, aviditate & animi affectu, tua de Idololatria: In quo contra fecisti quam nunc fieri solet. Plerique enim titulos suos opere non implent: Tu aliter nos decipis, plus dando quam eras pollicitus. Nam præter omnium gentium Historiam, naturæ totius nobis mysteria aperis: & in tanta rerum congerie servas, quod difficillimum est, ordinem. Præterea quoties veterum aut scriptura, aut sensus in controversiam venit, ostendis quam exacta sit judicii tui trutina, tum vero pietatis ac probitatis semina ita ubique inspargis, ut non alium rear librum efficaciorem corrigendis sæculi moribus. Pro his omnibus quantum tibi omnes rerum bonarum studiosi debeant, satis intelligo: in quo ego debito publico meam agnosco partem; sed propiore insuper merito tibi obstringis me, quem toties, & quidem tam honorifice nominare voluisti, ubi id tibi sine ulla culpa omittere licuit. Occasionem me ornandi non arripuisti, sed quæsivisti, ne unquam posteritas ignorare possit quantum me amaveris. Cœpere jam excudi nostra annotata ad Testamentum Vetus, jam à Pentateuchi fine non Ep.570. longe absumus. In iis tam multa sunt plane convenientia cum iis quæ abs te dicta sunt, ut qui rem non norit, credere possit me nimis familiariter tuis rebus usum. Ego vero etiam his velut concordantium inter nos animorum testimoniis gaudeo. Ubi filius tuus ex Italia redierit, dabimus operam norit quanto apud nos sit in pretio. Deus eum tibi ac matri, vos ambos ipsi liberisque cæteris præstet incolumes, in rebus lætis. Lutetiæ, x Maji, ⅠↃ IↃC XLII.

Præstantissimæ Claritati Tuæ addictissimus

H. GROTIUS.

IↃ LXX.

HUGO GROTIUS

JACOBO LAURENTII.

Responsio ad librum Jacobi Laurentii, cui titulus Grotius Papisans.

CUm intelligam minus te esse seditiosum quam sunt non pauci tui ordinis, & ab aliis impulsum ruere te magis quam ire, volo tibi dare fidele consilium; ut Sacras Literas diligenter legas, non quales fluunt per rivos lutulentos, sed quales è limpido fonte: pro Confessione Belgica legas confessiones veterum Christianorum, quæ exstant in libris ipsorum Apologeticis: pro Institutionibus Calvini, Commentarium Vincentii Lirinensis: pro Catechismo Ursini, Catecheses Cyrilli: pro Actis Synodi Dordrechtanæ, Acta Synodorum universalium. Id si facere velis, sine studio partium in quibus natus, educatusque es, facile videbis non Grotium Papisare, sed Laurentiaden nimis diu Calvinizare. Res judicatas quod attines, sunt apud vos jurisperiti quos consulere potes. Hi tibi dicent, præsumi pro eis quæ judicata sunt à legitimo judice, observata ea judiciorum forma, quam leges publicæ præscribunt. Quæ à judice non legitimo, aut non legitimo modo facta sunt, ea præsumptionem habere contra se. Aliter si sentias, non bene mereberis de posteris Wilhelmi Principis Arausionensis & Casparis Colinaci: ut jam de domo Palatina nihil dicam. De me hoc tantum addam, vitæ meæ privatæ testes esse plurimos, qui me novere: publicarum vero actionum eos, quorum sub Imperio fui, qui sciunt me ita ut debui custodiisse mandatorum fines. Id, quanquam magna mihi mala attulit, fecisse me non pœnitet. Solatia à Deo & accepi, & majora exspecto. Lutetiæ, mense Majo, Anni 1642.

IↃ LXXI.

GER. JOH. VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

Judicia varia de ſcriptis Grotii.

POſt perlongi temporis moram, Illuſtriſſime Domine, ad officium iterum redeo. Binas Excellentiæ Tuæ literas accepi: quarum priores exaratæ VIII die Aprilis. Iis Saberium commendabas: ac placet tum ingenium elegans, tum varia eruditio. Adlocutus eſt eruditiorum complures: in his etiam Cl. Rivetum. Is commendavit Illuſtriſſimo Comiti Rhenenſi, ac tantum videtur effeciſſe, ut præfuturus ſit ejus liberis, ac præter victum habiturus ſit quotannis centum imperiales. Gaudet Domina Comes ſe opera Domini Riveti nactum juvenem modeſtum, doctum, & quidem Reformatæ Religionis. Nam inquit, metuebam, ne cum maritus Confeſſionis ſit Auguſtanæ, quempiam præficeret Lutheranum. Sed demum Auguſto menſe eſt futurum, ut in ædes Dominæ Comitis, marito in caſtris agente, recipi poſſit. Nunc ea cura mordet Saberium, ne interea Lutetiam Pariſiorum ſcribat Rivetus: & qui Eccleſiaſtarum illic degunt, reſcribant de quopiam incautius ſibi dicto, factove. Utcunque erit, nec ego, nec alii hujus urbis, patiemur eum quicquam in nobis deſiderare. Alteræ Excellentiæ tuæ literæ ſcriptæ fuerunt X Maji: ex quibus intelligo, tandem Excellentiæ Tuæ traditum eſſe opus noſtrum de paganica Theologia, & ſcientia Naturæ. Sed ego jam compactum dederam ante menſes permultos illi, qui Lutetiæ diſtrahit libros à Blauwiis editos. Hic enim erat tum temporis. Simul mandabam, ut poſtquam in Gallias rediiſſet, adderet pro amico, cui dare velles, ex incompactis exemplar quoppiam, vel etiam geminum. Item filio Iſaaco, tum adhuc agenti Lutetiæ, minimum duo exemplaria, & ſi plura expoſceret, etiam tertium quartumve. Sed non multo poſt epiſtolam à filio accepi, unde intelligo, dolere ſe, quod ante abitum non potuerit eos codices nanciſci, quo gratum animum erga bene meritos teſtaretur. Quid iis exemplaribus factum ſit, exquiram ex Blauwio. Sic enim, non Blauwiis, nunc ſcribendum mihi, fratrum eo, qui junior erat, paucos ante menſes defuncto. Magis ea res obeſſet Reipubl. literariæ, niſi fratrem propemodum ex aſſe hæredem feciſſet. Abſque eo foret, qui ſupereſt, impar eſſet ſumptibus faciendis tantis. Quippe, ut mittam cætera, typographiæ ergo alit quotidie homines ſupra X L. Utrum præter compactum exemplar etiam acceperis unum plurave incompacta, non potui ex literis Excellentiæ Tuæ cognoſcere. Si neglectum bibliopolæ, petat famulitii aliquis. Facile ei in memoriam revocabitur, quod, me præſente, ſtylo æneo in charta deleuli ſcribebat. Probe etiam Blauwius, & famulus ejus meminere, quibuſcum de eo ſum locutus, ubi literas Excellentiæ Tuæ accepi, & nullam ejus rei in iis vidi mentionem. Ea, quæ ſcripſi proxime, probari Excellentiæ Tuæ valde gaudeo: quod vero etiam laudibus extollas, plane triumpho. Quamquam nullius ſuada eſſe poſſit tanta, ut quas mihi laudes tribuis, eas mihi arrogem. Ac tam lævam mentem à numine deprecor. Interea exceſſus iſte amoris in prædicandis noſtris ſolatur me non parum, cum alii ſic depreciant ut nec juſtas laudes concedant. In quibus ille, qui Flando inanes glorias, ſatis docet, cujus ſit gentis. Mihi illi per amicum noſtra cum filii Maimonide. Rogatus, an nihil vellet reſcribere, negavit ſui moris eſſe reſcribere, niſi prius legiſſet. Belle hactenus. Poſt menſem literas accipio. Ait ſibi gratos eſſe hos labores, uti alios noſtros. Cæterum judicium non apponere, quia non ſoleat judicium ferre, niſi opere integro pellecto. Perlegerit credo ad Kalendas Græcas, ac judicium tum exſpectabo: quod perſcribat, an minus, (dicam cum Comico) cicum non interduim. Quæ ad N.T. adnotaſti, quanto ſtudioſius verſo, tanto magis exoſculor, ac ſtupeo prorſus. Nihil hactenus tale vel tantum prodiit. Sane inimici, de iis tacere, quam vituperare illa, malunt. Sed tria ſunt, quibus ſic eos offenderis, ut nec fullo ululam odiſſe pejus poſſit. Primum eſt, quod Papam negaris eſſe illum Antichriſtum. Ac Tuæ quidem Excellentiæ propoſitum illud video, ut facilius coaleſcat Eccleſia, miſere adeo ſciſſa. Illis vero hoc ſtudium, ut, quantum pote, abhorreant omnes ab Eccleſia Romana, arcteque ſibi adhæreant. Itaque multi exiſtimant, expedire, ut credatur Antichriſtus: nec opinionem eam evellendam animis, utcunque falſa foret. Optime Barucephalum, noſti, Dordrechtanum illum concionatorem. Nam vere id erat, ſi, Tullii more, concionatoris eſt utendum vocabulo. Is amice à me monitus ne in concionibus tribueret Pontificiis, quæ nulli eorum non vehementer improbarent. Ille quærere, num ego patrocinium ſuſcipere vellem Papiſtarum? Reſpondi alia eſſe ſatis multa, quæ vere poſſent culpari; nec veritatem egere falſis. Nec poſſe eum vel unicum Pontificiorum producere, qui ſic ſenſiſſent: me ſexcentos allaturum, qui contrarium docerent. Ad iras redactus, torvo vultu dicere, Neminem poſſe ſatis fœde Romanæ Eccleſiæ doctrinam coram populo depingere, ut magis eam abominetur. Non multum abludit oratio eorum, quibuſcum ſum locutus Amſtelodami. Cui, inquiunt, bono, ulterius non haberi pro Antichriſto, quam ut plures quotidie deficiant à nobis ad Romanam Eccleſiam? Quaſi non abunde eorum ſit, qui hoc faciant, rerum ſuarum ſatagentibus apud nos Pontificiis doctoribus: noſtris pleriſque omnem pene fiduciam repo-

Ep. 571.

Ep. 571. reponentibus, partim in acerbioribus magiſtratus adverſus Pontificios edictis: partim in eo, quod, ſe frigide etiam cauſam ſuam agentibus, obloqui liceat nemini. Alterum, quo aſciam in crura impegeris, ipſimet eſſe ajunt, quod omnes errores Papiſtarum vel defendas, vel excuſes. Magnam partem hæc eorum opinio inde originem trahit, quod Papiſticum credant, eoque erroneum, quicquid non convenit cum doctoribus ſuis. Dicere ſoleo, ἀναπλάσεως δεῖ, ἀπὸ σκοπίας, tria diſtingui tempora oportere, Conformationis, quæ in primis ſeculis; quod ad multa, etiam in conſecutis: Deformationis, quæ jam ante etiam ſucceſſorem Gregorii Magni Bonifacium (intermedius enim Sabinianus VIX V menſibus ſedit) in nonnullis eſſe cœperat: ſed ſeu tyrannidem, ſeu ſuperſtitionem attendamus, à temporibus Hildebrandinis magna imprimis incrementa cœpit: Reformationis, cum & optimo & doctiſſimo quoque, tam tyrannidis, quam ſuperſtitionis pertæſo, undique emendatio Eccleſiæ expoſceretur, variique exulceratæ Eccleſiæ medicinam adferre conarentur: ſed plerique non ſat juſto pretio antiqua tempora æſtimantes: unde δοκιδοία quadam non ea modo rejecere, quæ à deformatis erant temporibus, ſed etiam, cum Apoſtolicis traditionibus nihil non (ut ſic dicam, quando conformationis voce uti cæpi) conforme traderetur. Jure igitur Excellentia tua negat, alba omnia linea ſignari oportere, quæ reformationis auctores immutarunt: cum non ea modo plerique ſuſtulerint, quæ à deformibus erant temporibus, ſed, ut ſic dicam, etiam conformibus: hoc eſt, Apoſtolico tempori convenientibus. Tertium, cujus ergo ſic bilis turgeat, eſt iſtoc, quod ſeditioſos dicas, qui Genevenſem imprimis Eccleſiam ſequuntur: & Calvinum non dubites, ut crudelem, inceſſere. De priori ajunt te præcipue tangere, tum Anglos, ſive potius Britannos Reformatos, tum Belgas fœderatos, & in his Amſtelodamenſes. Quod ad Britannos, plerorumque judicium eſt, recte fieri, quicquam actum ab iis hactenus. Nam Regem eſſe deſinere, qui ſupremo Regi non paret: non parere autem, qui vel Papiſta ſit, vel papizet: papizaſſe vero hactenus Eccleſiam Anglicanam mox ab exceſſu Henrici VIII cum Eduardus VI Eccleſiam reformaret, licet id faceret judicio eorum qui flos Theologorum credebantur: nec ſuorum omnia metiri judicio vellet, ſed externam etiam opem expoſceret: in hac Buceri ac Martyris: è quibus jam tum Bucerus non ſatisfecit Calvino. Et qui Calvino adhærerent, Buceriſmum vocabant; ſiquæ Calvino non conſentirent. Nunc qui Bucero foverent novum credebantur papiſmum (quaſi dicerent Calvino-papiſmum, vel Luthero-papiſmum) introducere. Bucerus non poterat ferre vehementiam Calvini: quem optime norat, ex quo Argentorati una vixerant, & melius noſſe didicit, ex quo Genevam revocatus. Accuſare igi- Ep. 571.
tur ejus (quo jure, melius me ſcias) maledicentiam maximam, & quod diſſentientes non ferret, ſed dure adeo aſpereque perſequeretur, ſic ut etiam fratricidam, uti lego, nuncuparet. Calvinus ſic à magno viro increpitus reſpondere hoc pacto: hæc eſſe genii potius ſui, quam judicii: & ut Calvini ipſius verba ad Bucerum retineam, ſic ſcribere: *Ut verum fatear, nulla mihi cum maximis, & plurimis meis vitiis difficilior eſt lucta, quam cum iſta impatientia: neque certe nihil proficio: ſed nondum id ſum conſecutus, ut plane belluam domuerim.* Hæc ſane ſatis modeſte: ſi id poſtea conſecutus. Illud vero concoquere non potuit, quod idem Bucerus, qui eum vel norat, vel noſſe ſe putabat, non veritus eſſet ſcribere, *Judicas prout amas, vel odiſti: amas autem, vel odiſti, prout libet.* Quod cum legiſſet, literas ſcripſit, quarum hoc initium; *Cum litera tua mihi ſub cœnam oblata eſſent, tanto gaudio perfuſus ſui, ut non meminerim tribus totis menſibus lætiorem mihi horam affulſiſſe. At cum eas ſuper cœnam utcunque percurriſſem, lectione ipſa ſic fui flagellatus, ut proxima nocte irrequietus continenter æſtuarim, nec toto poſt triduo plane fuerim apud me ipſum, &c.* Traducebant Calvini amici Bucerum, quaſi novum Papiſmum erigeret: nempe uti de Tua dicunt Excellentia, interpolatum Te Papiſmum exhibere. Bucerum negat à ſe hoc nomine accuſari Calvinus. Sed optare tamen, ut ne anſam præbeat calumniæ, dum ſic mediam Excellentiæ Tuæ inſtar, inſiſtit viam. Quod cum ex cunctis ejus pateat ſcriptis, tum præcipue è forma Reformationis præſcripta Hermanno, Archiepiſcopo Colonienſi, & illis, quæ Anglicanæ Reformationis ergo ſcripſit. Cum vero Bucerus propius ad Romanam Eccleſiam accederet, quam Lutherus: Calvinus longius ab ea abiret, quam idem Lutherus; extra Lutheraniſmum duæ ortæ appellationes Buceriſmi, & Calviniſmi. Et fatebatur Calvinus Buceriſmum eſſe magis tolerabilem, quam Calviniſmum, ſi non ad obruſſam Scripturæ rem exigi oporteret. Nunc Bucerum paci nimium dare; ſe omnia metiri veritate. Sed Calvini verba audiamus: *Fruſtra mihi excuſas, novo Papiſmo erigendo* (quod nempe Excellentiam Tuam ajunt factitare) *te non ſtudere. Sed vellem aliis omnibus ſic exploratam eſſe puritatem tuam, ut ne ſuſpicionis locum relinqueres: fruſtra etiam id te dare operam, ne quid Calviniſmi admiſceatur. Si à Scriptura ſemel deflectendum ſit, non ignoro, quam ſit tolerabilior Buceriſmus, quam Calviniſmus*, &c. Buceriſmo Excellentiam Tuam magis favere, quam Calviniſmo, res clamat. Atque hunc ſi Scripturis non repugnet, magis eſſe tolerabilem Calviniſmo, agnoſcebat ipſe Calvinus. Solum igitur quæſtio oritur, an Buceriſmus magis adverſetur iis Calviniſmo. Facile eſſet cuivis hanc decidere contro-

ver-

Ep. 571. verſiam, niſi Scripturæ poſſent male intelligi, etiam à Calvino, & eum ſequentibus. Puto igitur operæ eſſe, videre quomodo eas intellexerint veteris Eccleſiæ doctores. Quod ſi fiat, ſine dubio vicerit Bucerus. Exiſtimo autem rem facturum non inutilem, qui ex Buceri ſcriptis colligere velit, quæ ad controverſa dogmata, & concordiam Eccleſiæ pertineant. Sed conſulendæ ſint editiones illæ, quas nobis Germania produxit: non quæ ex ſententia Calvini caſtratæ prodierunt Genevæ. Exempli gratia, Commentario in *Pſal.* II. ſic habet Argentoratenſis editio anni ЮIↃ Ↄ XXIX. *Non poſſum non ſanius judicium optare quibuſdam, qui hoc noſtro ſeculo plurimos admodum turbarunt hoc paradoxo, ſola nos fide ſalvari; cum viderent tamen hoc eo rapi, ac ſi juſtitiam ſola animi exiſtimatione finirent, & bona opera ſecluderent. Qua jam illa charitas, quæ huic malo uno verbulo mederi dedignetur, ut diceret fide formata juſtificamur: aut, per fidem bonorum operum voluntatem, ac ita juſtitiam conſequimur; aut fides fundamentum & radix eſt juſtæ vitæ, ut Auguſtinus dixit. Neque veris enim quiſquam offendendus eſt*, &c. Ubi pro hiſce ſic habet editio Roberti Stephani, quæ anno prodiit ЮIↃ Ↄ LIV. nempe triennio à morte Buceri, decennio ante mortem Calvini: *Nemo gravari debet, cum videt offendi homines, quod Sancti ſcribunt nos ſola fide ſalvari; adjicere, viva, formata, per dilectionem efficaci, aut quid hujuſmodi. Nam qui offenduntur hoc dicto, putant eos, qui illud uſurpant, juſtitiam in imaginibus animi cogitationibus collocare, bonorum operum ſtudio, tanquam fruſtraneo repudiato. Ut igitur ne veris quidem quiſquam offendendus eſt*, &c. Cum vero omnia fere Buceri ſint moderatiſſima: tum imprimis præfatio in Commentarios ſuper quatuor Euangeliſtas in editione Argentoratenſi anni ЮIↃ Ↄ XXX. Quæ & ipſa præterita in editione Roberti Stephani anni ЮIↃ Ↄ LIII. Nempe probari illa iis non poſſunt, quibus Eccleſia Romana non eſt Apoſtolica, ſed Apoſtatica: nec ſedes Chriſti, ſed Antichriſti: nec vivum, ſed mortuum eſt corpus. Doctiſſimus ſocer Junius cum nollet ab iis diſcedere, qui Romanam Eccleſiam cenſent eſſe meretricem Babylonicam, & tamen ſtatueret ſalvari in ea innumera millia, ajebat eſſe vivum corpus, ſed ulceribus obſitum: meretricem eſſe, ſed adhuc ſponſam Chriſti, vel conjugem, quia Chriſtus necdum ei miſerit libellum repudii. Sed non eo ſatisfecit Genevenſibus: qui illam dicerent idololatricam, ac proinde neminem in ea ſalvari. Narravit mihi aliquando Doct. Anthonius Thyſius, cum primum Genevam veniſſet, & ſoceri mei nomine multam ſalutem diceret D. Bezæ, illum continuo ſubjeciſſe; *Et quomodo valet cariſſimus frater Junius: vir eſt egregie de Eccleſiis noſtris meritus: quamquam in uno capite diſſentiat à nobis.* Id caput erat de Eccleſia: quam Junius negabat tam arctis limitibus concludi, ac multi volunt. Sed jam metuere incipio, ne prolixitate tanta moleſtus ſim occupatiſſimo. Ad alia igitur venio. Clariſſimus Rivetus reſponſum parat: atque id ait ſibi non fore difficile. Omnibus Tuæ Exc. ſuique ſcripti comparationem inſtituentibus fore liquidum, cauſam ab Excellentia Tua defertam. Rogare ſe Deum, ut dotes ingenii melius colloces, quam factum proxime. Ita ille. Cur cauſam defertam à Tua dicat Excellentia cauſam non video aliam, quam quod non agas de univerſis, quæ fuerant objecta: quaſi non dicas initio, hoc tempore non alia Te velle defendere, quam quæ Tuam Excellentiam tangant. Reſpondere etiam Epiſtolæ Tuæ parat Laurentius. Indigne fert ſe ſic remitti ad veteres, cum Theologiæ ſtudium ſibi proprium ſit, & iſtos, ut ait, legerit, ipſeque ætate nonniſi triennio, ut inquit, præcedas. Inde colligi poſſe, quanto ſpatio prius huic ſe ſtudio dederit, & tot laboris ſui monumenta habere teſtes, quæ jam ab his annis circiter XXX diverſis divulgarit temporibus. Culpatur à cunctis, quod apoſtatam probare velit ex ſententia partis adverſæ: ajunt enim eos potius ἀσεβεῖς accuſandos, qui non ſteterint tecum à partibus Illuſtrium DD. Ordinum Hollandiæ. Nec hic tantum fiduciæ habet, ut auſit dicere, potiorem fuiſſe cauſam eorum, qui Remp. immutarint. Negat, ſe controverſiæ iſti ſe velle immiſcere. At alii contra, jam immiſcuiſſe ſeſe, & animum ſuum aperuiſſe, qui ex partis adverſæ judicio judicium ipſe de ἀσεβείᾳ ferat aliena. Non ſolet ſic loqui: nec proximis turbis male de Rep. meritus fuit. Itaque collegis tum erat exoſus, quaſi Proceribus paraſitaretur. Nunc placere iis ſtudet. Mirantur aliqui Procerum iſtam μεταμέλειαν. Ait ipſe, non potuiſſe concoquere, quod Amſtelodamenſes Eccleſiaſtæ dicerentur ſeditioſi in illo adverſus Mareſium ſcripto. Nam in his & ſe nomen ſuum profiteri. Reſponſum, ſermonem Tuæ Excellentiæ fuiſſe de iis qui tum anno fuere hujus ſeculi XIX. tum iterum decennio poſt. Nihil hoc magnopere ad præſentes pertinere: quia Triglandus Leidam conceſſerit; Smoutius ſit exactus, Cloppenburgius profugerit, aliqui fato ſint functi. Modeſtiores nunc eſſe adſcibis, ſive ea laus ſit presbyterii, ſive Procerum prudentiæ. Vix habet hic quod opponat, præterquam illud. Quid tum? Plurimam ſalutem, Dom. Conjugi, & familiæ toti. Amſtel. ЮIↃ IↃC XLII. XVII Junii.

Ep. 571.

Excellentiæ Tuæ devinctiſſimus

G. J. VOSSIUS.

IↃ LXXII.

Digitized by Google

IↃ LXXII.

GER. JOH. VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

D. Jacobo Laurentii.

PAucis diebus, quam Amſtelodamo me Hagam conferrem, dono ab Laurentiade accepi libellum adverſus Excellentiam tuam exaratum. Ubi titulum legi, averſam paginam inſpexi. Video Tuis aptari inepte Horatianum illud de montium partu enitentium non aliquid montibus dignum, ſed murem, eumque ridiculum: unde & ſubjicere voluit alterum hoc ejuſce vatis,

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Sed *Legendam admiſſi* juſſerat excudi. Verum ut videtur, juſſit vocem primam deleri, quia metro repugnaret: voluit autem pro ea reponi *ſpectandam*, vel potius *luſtrandam*, genere muliebri, quia, ut inquiebat, ad Grotianam epiſtolam reſpiciatur. Quaſi non ſic deſiat præverbium *ad*: ut integre ſit *ad luſtrandam epiſtolam*. Provehor ad libellum ipſum. In aditu ipſo video lituram, ſed ſic ut tralucerent hæc verba, *ex familia Oxenſterniana*. Delere hæc voluit, quia Axelius Oxenſternius, qui Leidæ ſtudiorum gratia agit, nollet verba ſua, tanquam oracula, illinu chartis, & volitare per hominum manus, & ora. Nec ſi pœnitendum hoc nobilis juvenis judicium ſit, eo tam culpandus ille, quam qui uno ore talia ejus auribus inſtillant aſſidue. Omnino enim hoc agi video, ut Proceribus Sueciæ diſpliceas, inque legati munere ſufficiatur alius Excellentiæ Tuæ. Ulterius legere cœpi. Incido in verba illa, *citius aquam è pumice elixeris*. Pene dixiſſem, Δός μοι λεκάνην. (*Da mihi pelvim.*) Poſui paulum libellum. Mox, ut fit, recipio; ſimul alter intervenit, qui jam legerat. Oſtendit verba illa, *Noch grooter pot*. Ait proverbium eſſe potantium largius, & more Græcanico grandius poculum expoſcentium. Et jam in bibendo, ut narrabat idem, proverbium eſſe incipit, *Noch grooter pot, ſeit Jacob Laurens*. Alius referebat, lectum ſibi in eodem libello, *Grotius komt al te laet in ſchool*. Ego, inquiebat, potius dixero, *Laurens is al te vroeg geloopen uyt de ſchool*. Melius enim diſcere debuiſſe Grammatices Latinæ præcepta, priuſquam ad ſacra animum appelleret manibus illotis. Longum ſit adſcribere, quid ſinguli rideant, aut carpant. Atque ego nec illa ſcripſi ſine dolore. Amavi enim virum, nec prorſus exui amorem, quia primum hoc eſt viri ἀνθρώπου: (*peccatum*) & fortaſſe ad ſaniorem mentem redibit. Antea enim ſemper oſtendit, diſplicere ſibi facta collegarum: atque eo nomine minus iis gratus fuit, at gratior Proceribus, ſic ut propterea nec invidia fratrum ſuorum careret, multa etiam ab iis indigne pateretur. Miranti autem tam ſubito mutatum, reſpondit, ſua interfuiſſe, & liberorum, ne ipſe pro ſeditioſo haberetur. Interfuiſſe etiam presbyterii, ne ad unum omnes ſeditionis arguerentur: ac propterea ſe ejus defenſionem ſuſcepiſſe. Dixi ego, non agi de paſtorum ſingulis, qui nunc presbyterium conſtituant. Eos, qui criminis tanti arguerentur, maximam partem vel fato conceſſiſſe, vel alibi locorum agere. Uti Triglandium Leidæ eſſe profeſſorem; Smoutium, qui urbe exactus, eſſe Roterodami; Cloppenburgium, qui ſponte metu pœnæ profugit, in Harderwicenſi Gymnaſio jamdiu Theologiam docere: in locum defunctorum, eorumque quos dixi, ſuffectos alios, conſentiente Magiſtratu; ad quos illud de ſeditione nihil pertineat: imo ne ad Hanecopium quidem, qui cum Proceribus magis, quam fratribus ſeditioſis, faveret, eorum artibus de munere ſit dejectus. Addidi facta quædam, quæ non poſſet diffiteri: etiam quæ ex ore unius poſt fugam accepiſſem: item oggeſſi querimonias de fratribus, à quibus tam multa ob concordiæ ſtudium diu eſſet perpeſſus. Ad hæc non aliud ille reſpondere, nominandos ab Excellentia Tua fuiſſe, qui Eccleſiaſtarum ſeditionis forent rei: nec talium ſe patrocinium velle ſuſcipere: nunc cum ἀορίστως (*indefinite*) loquaris de Amſtelodamenſibus Eccleſiaſtis, periculum eſſe, ne omnes eidem crimini involvantur. Quaſi non & ipſe, dum ἀορίστως (*indefinite*) omnes tuetur, tam ſontes, quantum in ſe, quam inſontes abſolvat. Magnam interim gratiam init ab omnibus criminis iſti obnoxiis: ac literas quotidie accipit ab ejus farinæ hominibus, etiam, ut intelligo, ex ipſa Anglia: quibus impenſe gaudet, ut propterea valde metuam, ne, quem non alium ante quam virum bonum novi; vel ſaltem, quam talem, ut ſeditioſis ſe non ſatis probaret, is deinceps totus in zelotarum partes concedat. Hoc eo juſtius metuo, quia in Pontificiorum quidem lectione ſedulus fuit, ſed ea eſt ἀκρισία (*judicii defectu*) ut non ſatis ſciat diſtinguere, quæ Romana Eccleſia ex primis ſæculis retinuerit, quæque in iis mutarit: item quæ ſentiant univerſi, & de quibus ſecus judicent prudentiores. Negabam, quæ ſubinde Pontificiis objectat, ea ſtatui ab tota Eccleſia Romana, imo à multis negari ajebam. Ille contra, quæ in Romana Eccleſia ſcribantur, pro dogmatis ejus Eccleſiæ habenda, quia nihil in ea, niſi approbatum, ſcribere liceret. Ego ad iſta, ex eodem principio colligere, ſententiam aliorum, qui diſſentiunt, pro approbata habendam, quia horum æque libri cum venia ſuperiorum prodeant in lucem. Quæ duo cum ſint ἀσύστατα, (*ſimul non conſiſtentia*) fatendum eſſe, ſuper nonnullis non conveniri, quia nihil ſit auctoritate ejus Eccleſiæ deciſum. Non dubium vero eſt, quin ſi reſpondeas viro, alia atque alia objecturus ſit Pontificiorum loca, potiſſimum illorum, qui à cordato nemine defendi poſſe videntur:

Ep. 572.

Digitized by Google

Ep.572. tur : atque illoc fine id acturus, ut dijudicent omnes, quibuſcum conciliationem quæras. Hic ſi provoces ad eos, qui moderatius ſapiant, apud cordatos multum, apud eum nihil egeris; quia dicit, iſtos ſic loqui, ut tegant execranda dogmata, alios, quos ipſe adducat, candide ſententiam Eccleſiæ ſuæ aperire. Etſi multum metuo, ne, qui Laconiſmo gaudes, hæc fuſe adeo deducta non abſque taedio legas; mei nihilominus officii putavi, plenius tibi virum deſcribere, quo certius ſtatuas, an cum eo pedem ſtruere velis. Valde id exoptat: quia nunc ſe contemni putat: quod impotenter fert, quia XXX annis fuerit paſtor, & XX ediderit volumina: ſed quæ, ut ajunt qui typographica è re, & libraria mercatura, ſe ſuſtinent, à paucis emantur, aut nullis: ut non mirandum ſit, ſi antea virum non noris, fortaſſe nec alii in Galliis. Si reſcribendo gratificari homini voles, neceſſe fuerit, hiſtoriam noris anni XXVIII, vel proximi, hujuſce ſeculi. Mirantur aliqui è Proceribus, negari à Laurentio, quæ tum ab Eccleſiaſtis acta. Nec, puto, iis invitis lucem viſura, quæ ad ſeditionis pertinent auctores. Contigere ea biennio, priuſquam Amſtelodamum commigrarem, ut non poſſim exacte rem dicere. Duplo plura, quam nunc facio, ſcribere erat animus. Sed, dum hæc ſcribo, ſepties minimum ſum interpellatus. Et jam nunc doctor Johſonus, Bohemicæ Reginæ Eccleſiaſtes, accedit: cui cum dicerem inſtare tempus, quo literæ eſſent tradendæ tabellario Gallicano, & addidiſſem, eas ad te mittendas, rogavit, ut Excellentiam tuam plurimum ſuo nomine ſalutarem. Volebat ut adderem, quomodo in Parlamento Anglicano accuſatus ſit *ἀνοσιότητος*, (*falſæ doctrinæ*) nec ipſe modo, ſed & Regina, quod talem foveret. Sed negotium hoc prudentia quorundam eſſe diſcuſſum. Propediem ſpero me cætera perſcripturum. Amſtelodami. CIↃ IↃC XLII. XXI Julii. Hagæ Comitis è domo Ampliſſ. Ratalleri Dubletii, qui & ipſe petiit, ut plurima Excellentiam Tuam ſalute impertirem. Nimia feſtinatione factum, ut ſuperioribus literis in hiſtoria peccarem, confundendo duos libellos Laurentiadæ, quos eundem intra menſem divulgavit, eadem forma, ac magnitudine. Quorum prior adverſus Excellentiam Tuam perſcriptus, quem jam acceperis aliunde, ſcio. Alter adverſus feminam lingua Belgica, in qua illud *μεγιστάνες*, (*proverbiale*) *Noch grooter pot.* Quæ ea femina ſit ipſe in præfatione exponit. Vocat Helenam Jacobi, plateam addit, in qua Amſtelodami habitet, ait lardum habere venale, poſt mariti exceſſum nupſiſſe ſuo famulo Pontificio, & ab ea perſuaſum ad Papatum deſeciſſe. Accuſat vehementer impudentiæ, quod venerabili Senatui Eccleſiaſtico fuerit auſa quæſtiones proponere, & ſolutionem ſubitam exigere, conditione ea, ut ſi ſatisfieret ſibi, Ep.573. continuo ad Reformatam Eccleſiam rediret. Procerum noſtrorum quidam ajebat mihi, ſi ita publicis libellis proſciſſa fuiſſet mulier anno CIↃ IↃC XVIII, vel proximis poſt annis, metuendum fuiſſe, ne à plebe ædes ejus diruerentur. Hæc addidi, ut me purgarem. Omnino enim confudi duos libellos eodem tempore emiſſos. Par nempe bene compoſitum, regius Legatus ſeculi ornamentum, & femina lardum vendens, ac famulo nubens. Videlicet hoc quoque noſſe intererat ſeculi hujus, atque adeo poſteritatis. Sed deſino.

Tuus tuo merito

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LXXIII.

GER. JOH. VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

De Affatis Anglicanis.

ILluſtriſſime Domine, Qui haſce ad Excellentiam Tuam literas defert, Beuningius eſt, patria Amſtelodamenſis, juvenis elegantis ingenii, moribus optimis, variæ eruditionis non minus quam Juris ſui curioſus: ut merito hæc urbs de eo habeat ſibi magnum aliquid polliceri. Patrem habet ſuperſtitem, urbis Senatorem. Mater eſt ſoror conſularis Alberti Conradi Burgii, qui nunc Hagæ agit in Ordinum delegatorum collegio. Avus is Beuningius fuit, qui ante annos ſex ſeptem, conſulatu geſto, magna cum laude vita exceſſit. Is juvenis cum Excellentiæ Tuæ cuperet commendari literis meis: parui lubens, eoque lubentius, quia ſcirem non ingrata eſſe Excellentiæ Tuæ alloquia eorum, qui virtutis via ad decus graſſantur, atque iis nati ſunt, qui Rempubl. hic ſuſtinent, & Illuſtre nomen Tuum amant ac colunt. Bellum Puritanicum hic multos habet ſollicitos. Eccleſiaſtas quo affectus trahat, non obſcure ex precibus publicis cognoſcere eſt. Horum aliqui non dubitant Deum expoſcere, ut bene cœptum Reformationis opus feliciter procedat; Regiſque ut animus emolliatur. Quæ etſi commodam mentem capiunt: tamen ſatis eſt apertum, haud aliud exoptare, quam ut Rex inani titulo ſit contentus, ac novellitas doctrinæ de antiquitate triumphet. Sed unum eſt in quo non ſatis conveniat illis, qui ſe Epiſcopis opponunt. Multi omnem regundæ Eccleſiæ poteſtatem penes presbyterale collegium eſſe volunt. Alii vero ajunt hoc jugum gravius eſſe Epiſcopali. Quare contendunt, ſingulis iſtud committendum Eccleſiaſtis, ut ſecundum Dei verbum populum doceant, & gubernent. Atque hi, ab Epiſcopalibus, & Presbyteralibus (ſicuti vocant) diſtincti, *Independentes* nuncupantur.

Digitized by Google

Ep. 574 tur. Pimius, cujus magna admodum in Parlamento eſt auctoritas, prioris eſſe ſententiæ dicitur. Sed multi hac parte ei adverſantur, qui cætera convenire videntur. Eſtque plurimorum id judicium, utcunque infracta omni Regis poteſtate, & abolito Epiſcopatu, triumphum agerent geminum, eos inter ſeſe mox commiſſum iri, quia multi non à presbyterii poteſtate minus, quam Epiſcoporum abhorreant. Ulterius procederem in ſcribendo: nili cogitarem tarde admodum fore, quod has literas recipies. Novi enim quomodo proficiſcantur juvenes, qui exteras petunt regiones. Vale Illuſtriſſime Domine, ac diutiſſime orbis bono ſuperſis. Dominæ conjugi plurimam dic ſalutem nec non liberis. Amſtelodami CIↃ IↃC XLII. Poſtrid. Non. Septemb.

Excellentiæ Tuæ cultor devotiſſimus

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LXXIV.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P.

Theologia. VIr eximie, Multis nominibus Præſtantiæ Tuæ ſum debitor: neque, me otioſum fuiſſe lectorem eorum quæ monuiſti, videbis ex voto noſtro Pacis Eccleſiaſticæ quod jam prodiit, & brevi, utopero, ad Præſtantiam Tuam deveniet. Jam vero recens ſum à lectione ἀκριβεστάτης (*exactiſſimæ*) commentationis veſtræ de tribus Symbolis, operis utiliſſimi. Plane tecum ſentio, in controverſiis quæ Græcam Eccleſiam à Latina abſciderunt, peccatum utrinque. Et ſpeciatim quod ad quæſtionem de jure Sedis Romanæ pertinet, non dubito quin nonnulli Romanorum Epiſcoporum plus poſtulaverint, quam eis ſecundum canonas & mores veteres debebatur. Sed negari non debuiſſe arbitror, ubi de electione aut deſtitutione Patriarchæ lis oriebatur talis, quæ ſchiſma de ſe pareret, Epiſcopi Romani fuiſſe hanc cognitionem; ſed ita, ut is nihil ſtatuere debuerit niſi conſultis ἐξαρχίοις, quorum res non agebatur. Laurentiaden ſilentio ulciſcar. Borboritam nihil puto dicere poſſe ad quod non parata habeam reſponſa. Maledictis non moveor: mihi nihil quæro. Veri, quatenus mihi cognitum eſt, & pacis ago cauſam. Deus Præſtantiam Tuam diu bono publico ſervet incolumem, uxoremque tuam & liberos ſoſpitet. Lutetiæ III Octobris CIↃ IↃC XLII.

Præſtantiæ Tuæ meritis obligatiſſimus

H. GROTIUS.

IↃ LXXV.

GER. JOH. VOSSIUS

HUGONI GROTIO S.P.

ILluſtriſſime Domine, Qui haſce literas offert, eſt Joannes Duns, natione Danus, juvenis eruditus, ingenio & judicio bonus, pietate & induſtria nulli ſecundus. Seſquiannum me docentem hic audivit, ac privatim ſæpius collocutus: eoque notior mihi & meis, quia in vicinia habitavit. Auguſtanam amplecti confeſſionem vix neceſſe habeo dicere, cum Danum dixerim. Literas ad Excellentiam Tuam non alio fine petiit, quam ut videndi & alloquendi, vel potius audiendi hoc orbis oraculum, honeſtior faciliorque occaſio daretur. Itidem ante menſem unum alterum Clariſſimi collegæ mei Barlæi filius patri cognominis poſtularat à me aliquid literarum: ſed eapſe hora, qua abeundum illi, ac mox etiam mihi publice docendum foret. Spem feceram epiſtolæ Brilam mittendæ, priuſquam navim Gallicanam conſcenderet. Sed partim me promiſſi oblivio cepit, partim alia impedierunt: in his cogitationes de Matthæi mei connubio. Ejus gratia ante tres hebdomadas Leovardiam abii. Ac poſt dies ſex ſeptem denuo, σὺν Θεῷ, (*cum Deo*) proficiſcar, ut præſentia mea nuptias condecorem. Pater ſponſæ eſt Juriſconſultus, ac Leovardienſis Reipub. Conſiliarius & Scabinus. Mater filia Verrutii Syndici, dum viveret, Groningenſis, ac ſoror ejus, quæ nupſerat Schenbergio, Reip. Groninganæ nomine in Collegium Ordinum Generalium delegato. Vedelius, Theologiæ apud Franekeranos profeſſor, dum in Frisia ſum, ſatis conceſſit. Moribundum cruciabat, quod terris eriperetur, priuſquam potuiſſet Revio & Triglando reſpondere. Horum uterque acerbe ſatis ſcripſit adverſus ſcriptum ejus de Conſtantini Epiſcopatu, quo Magiſtratus jura circa res Eccleſiæ defendit. Collegæ defuncti mihi Franekeræ ajebant, fortaſſe reſponſum ſic etiam edendum; ſed deletis, quæ, ut par pari redderet hoſtimentum, virulentius chartis illeviſſet adverſus Revium. Eſt is Revius, ut me alias ſcripſiſſe arbitror, Regens Collegii Theologici: quo in munere Feito Hommio ſucceſſit. Vedelii mors collegæ Barlæo flebilis non erit. A nemine enim horribilius fuit tractatus, quam iſto. Prodit nunc etiam liber Mareſchii, Sylvæducenſis Profeſſoris adverſus Voetium: qui prius Theſibus in Ultrajectina Academia diſputatis accuſarat Sylvæducenſes Proceres idololatriæ, quod ex Reformatis plerique adſcribi voluiſſent in ſodalitatem B. Mariæ. Quod tamen factum erat, ut vis ejus Collegii, quæ magna, infringeretur noſtrorum conſortio. Noluere

De Vedelii Verſio, Mareſio.

Digitized by Google

Ep. 576. noſtri aperte eſſe perjuri. Illudere maluerunt. Artificium noſtrorum neſcio an ſis probaturus, ubi Mareſchiana videris. Fortaſſe ſatius fuiſſet iſta non in apertum proferri. Nunc, ne Proceres Sylvæducenſes, in quibus & Ill. Brederodius, idololatriæ ſint ſuſpecti, omnibus ſiparis deductis, pene nudam Venerem cum ſuo Marte, ſolis inſtar, oſtendit. Sed de iſto malim, ubi Mareſchiana videris, tuum cognoſcere judicium. Amſtelodami. CIↃ IↃC XLII. XXIV Octobr. ταχυτ. (*raptiſſime.*)

Excellentiæ Tuæ obſtrictiſſimus

GER. JOH. VOSSIUS.

IↃ LXXVI.

GER. JOH. VOSSIUS

SAMUELI SORBERIO

ſuo, S. P. D.

Vocabula aliquot in Mori Utopia explicantur.

NEc valetudo, nec occupationes, mi Sorberi, ſivere ut celerius literis tuis reſponderem. Præterea ſperabam jam aliunde tibi ſatisfactum eſſe. Tu tamen urgere non deſinis; ut facile intelligam, mei quoque officii eſſe, ut ſatisfaciam exſpectationi tuæ. Præter affectum mutuum hoc requirit amor meus erga avunculum tuum Samuelem Petitum, qui te ſic diligit, & cui magnopere ſic obſtrictus totus orbis literatus. De Cynemernis tamen & Trapemernis, deque Syphograntis, & Trabinoris, nolim eſſe ſollicitus; quia Morus ipſe negat, hæc ex Latina Græcave lingua eſſe arceſſita. Memineris verborum lib. II. *Suſpicor eam* (Utopienſium) *gentem à Græcis originem duxiſſe, propterea quod ſermo illorum, cætera fere Perſicus, nonnulla Græci ſermonis veſtigia ſervet, in Urbium ac Magiſtratuum vocabulis.* Solum igitur laborabimus de illis, quæ à Græco fonte derivantur, uno alterove excepto, cujus origo manifeſte Orienti debetur. Quale eſt *Mithra*. Sic enim pro *Mythra* apud Morum reſcribi debet. Deum hoc ſignificari Morus ait. Nempe vero id lingua Perſica, qua Sol ſic ſignatur, Heſychio teſte. Is vero Perſis Deus vel unicus, vel ſummus. Qua de re abunde lib. II. de Theologia Gentili, cap. IX.

Barzanes ex parte priori huc etiam pertinet, ſi, ut arbitror, fuerit ex בר *bar*, *filius*, & ζὰν, ſive ζάνης, hoc eſt, Jupiter. Ac *Bar* etiam habes in *Bar-Jeſus*, *Actorum* XIII. 6. Item *Bar-Jona*, & *Bartimæus*, & *Bartholomæus*, ſive *Bar-ptolomæus* malis. ζὰν vero pro ζὰς, idem ac ζάνης. Sed pro ζὰν, etiam dixere ζάνης; unde hic Alexandrino Chronico, ſive Faſtis Siculis, dicitur pater Martis. Quemadmodum igitur Μανὰς Phrygiis, idem ac ζανὰς; ſic Salentinis *Marzanes*, vel potius *Mazanes*, idem ac *Zanes*. *Barzanes* igitur Jovis filius: quod nomen apte impoſitum Syphograntorum principi, quia Reges Principeſque ſunt Jovis progenies, ſi non naturalis, ſaltem, ut Alexander Magnus dicebat, adoptiva. Notum eſt illud Callimachi in Hymnis; Ἐκ Ζὸς βασιλῆες. (*Ex Jove reges.*) *Cynemernos* vero, & *Trapemernos*, non eſſe vocabula Græcis debita, indicant hæc verba Mori: *Primos quoſque dies Cynemernos ipſorum lingua, poſtremos Trapemernos appellant.* Sic enim locus is legendus, non uti reperio in Lovanii editione anni CIↃ IↃ LXV. *Primos quoſque dies Cynemernos, ipſorum poſtremo lingua Trapemernos appellant.* Sequitur deinde, *quæ vocabula perinde ſonant, ac ſi primifeſti, & ſinifeſti vocantur.* Poterat aliquis ſuſpicari *Cynemerinos* ſcribendum, quaſi eſſet à νυμὸς vocabulo, & ἡμερὸς, ut ad caniculares dies reſpiciatur. Alterum item eſſe ab eodem ἡμερὸς & vocabulo πρωὶς, puta χρυσερὸς, ut brumalis dies attendatur. Sed ceſſare hæc commenta debent, quando ſic voces forent à Græcis; quod noluit Morus; qui alioqui non appoſuiſſet interpretationem *primifeſti* & *ſinifeſti*. Nec ſane explicatio iſta convenit Græcanicæ origini. Neque aliter de *Syphogranti* & *Tranibori* nominibus ſtatuendum: quod ſi ex Græcia eſſent petita, non Græcis ea vocabulis Morus explicaret. Nunc prius dicit ſonare *Phylarchum*, poſterius *Protophylarchum*. Inanis igitur operæ ſit, nominum iſtorum ἰσοψηφίαν velle à Græcis arceſſere. At contra, *Abraxas* non à Perſis, vel Oriente, eſt; ſed plane à Græcis; nempe ex literis Græcis, ex quibus conſit numerus CCC LXV, quot dies habet annus abſolutus, quot etiam orbes cœleſtes eſſe tradebat Baſilides hæreſiarcha Alexandrinus, qui ſub Adriano Imperatore vixit, ſeque jactabat Glauciæ eſſe diſcipulum, qui B. Petri, Apoſtolorum Principis, interpres fuit. Hic Baſilides ajebat, ſupremum orbem cæleſtem, ſive ſupremam virtutem, ex qua progeniti ſunt Dii cæteri, *Abraxas* nuncupari, & hoc nomen dierum CCC LXV numerum complecti. Ac poſterius hoc veriſſimum eſſe, computatio oſtendit. Si quidem

A	valet	1
B		2
P		100
A		1
Σ		60
A		1
Σ		200
	Summa	365

Meminere Irenæus lib. I. cap. XXIII. Epiphanius, hæreſi XXIV. Hieronymus lib. I. Comment. in Amos, Auguſtinus, Theodoretus, & Damaſcenus in iis quæ de hæreticorum fabulis ac ſectis ſcripſere. In gemma Fulvii Urſini erat ΑϚωζαξ. Sed ſic quoque idem

Ep.576. idem manet numerus, quia ſolum eſt literarum ξ & σ trajectio. At apud Morum perperam eſt *Abraxa*, quia ſic ducenti anni deſint juſto dierum numero. Nunc cætera perſequamur, quæ à Græcis eſſe res ipſa oſtendet. Ordini vero literarum inſiſtam. *Acheriorum* populus Utopienſibus dicitur oppoſitus. Puto reſcribendum *Achororum*. Ἄχωρος enim, *chori expers*; & ἄχωρος, *expers χώρου* ſive *regionis*. Sicut igitur *Utopia*, ex οὐ & τόπος, quia nuſquam eſt, ut *Nuſquamiam* fortaſſe poſſis dicere: ſic populus iſte, quia nulla in regione degit, vere ἄχωρος nuncupatur. Ac ſimiliter *Ademus* Syphograntarum princeps, cui nullus δῆμος, ſive populus. Aliter nempe vocem ἄδημος cepit Morus, quam Sophocles, quando, teſte Heſychio, ei ἄδημος abſens à patria, ut ſic ἔνδημος opponatur. *Alaopolitarum* par eſt ratio. Uti nuſquam *Utopia*, nuſquam populus *Achororum*, nuſquam rex *Ademus*, ita nuſquam gens *Alaopolitarum*: quæ vox notat cives ex nullius regionis populo. Eſt enim conflatum ex πάλαι *civis*, & ἄλαος, non quatenus ἄλαος idem ac πολὺς, ſed quatenus ex à στερητ. & λαὸς compoſitum. *Amaurotum* præcipua Utopienſium civitas, interim vero ἀμαυρὰς, hoc eſt, obſcura, quippe hactenus nulli viſa, nec videri quita. *Anemolius* poëta laureatus, & ob lauream typho inflatus, atque ut Maro loquitur, linguæ ventoſæ. Sane Homero ἀνεμόεις, quaſi ἀνεμώδης *ventoſus*, ab ἄνεμος *ventus*. *Anydrus* eſt flumen ad quod ſita Amauroti urbs. Uti nuſquam ea urbs, quæ ſic in tenebris delituſcit: ſic nuſquam fluvius ἄνυδρος, ſive aquæ expers, quæ Græcis ὕδωρ. Nam quomodo fluvius ſit, ſi aquæ ſit expers? *Butreſca* Moro religioſi dicuntur, qui cœlibatum præferant matrimonio, à θρησκεία, quo cultus ſignificatur religioſus, & βοῦ ἐπιθετικῶς, ut in βούλιμος, βούπαις, & ſimilibus. Buthreſcæ igitur valde religioſi. *Hytlodæus*, quia mera narrat mendacia de Utopienſibus, ſic dictus quaſi *nugarum peritus*, vel *nugas edoctus*: à ὑτλέω *diſco*, *doceor*, & ὕδλος *nuga*; unde cum φλυαρία ſubinde conjungitur, & ὑδλῶδες idem fere ac φλυαρῶδες. *Nephelogeta* gens fuiſſe dicitur pro qua Utopienſes bellum geſſerint contra Alaopolitas. Malim autem *Nephelogeneta*; νεφελογενὴς autem *ex nube geniti*, hoc eſt, commentitii æque ac poëtarum Centauri, quos νεφελοβοῦς & νεφελοβόεις dixeris, quia ab Ixione ex nube geniti dicuntur. Sane βοῦς *parentem*, tum etiam ὄγγος ſive *prolem* deſignat, ut author Heſychius. *Phylarchus*, φύλαρχος qui & φυλάρχης præfectus tribus: ut *Protophylarchus* πρωτοφύλαρχος, *tribubus præfectorum princeps*. *Polyſerita*, λῆρος ἢ πολλῶν λήρων, quia λῆροι ſint ac nugæ quæcunque ſive Hytlodæus, ſive Morus hoc de populo narret. *Tricius Apinnius*, quem Hytlodæus ſodalem ſuum vocat, non aliud nomen habere debuit, quam tale. Nam uti ille ab ὕδλος & φλυαρία dictus, ſic hic à *tricis apiniſque*, hoc eſt, ὕδλος ac λήρους. Martialis Apo- Ep.577.
phoretorum Epigram. I. *Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis. Zapolete*, qui quingentis millibus diſtare ab Utopienſibus dicuntur, potius *Zapolita* vocandi, à πολίτης *civis*, & ζᾶ quod in compoſitione auget: ſicut in ζάπλους, ζάηλος, ζάπλουτος. Eſt igitur *populus civibus abundans*. Spero me iſtis ſatisfeciſſe petitioni tuæ. Niſi quod fortaſſe judicabis, ſubinde quædam feliciter minus compoſita videri, ſi hoc pacto vocabula interpretemur. Non diffiteor; ſed nos non poſſumus præſtare culpam Mori. Sane ne ipſa quidem *Utopia* vox ſatis commode conficta. De quo ſi ambigis, ſponſorem pro me dabo ſummum Virum Ivonem Villiomarum Aremoricum, hoc eſt, Joſephum Scaligerum, animadverſionum in Controverſos Titii locos lib. x. cap. IX. ubi ſic ſcribit: *Verbum Utopia, quamquam ab ornato & docto viro Anglo confictum, tamen Græcum non eſt. Et qui Utopiam Græcum putant, ii quid ſit Græca componere neſciunt.* Ac memini idem à me dictum olim in IV. Oratoriarum Partitionum, cap. I. Poſtremo quærebas, utrum in præfatione Mori, cum dicitur *Joannes Clemens, puer meus, filius*, an *famulus* deſignetur. Plane famulum cenſeo. Sic enim Græcorum exemplo loqui Romani ſolent, etiam antiquiſſimi, quorum eſt *Marcipor*, pro Marci puero, hoc eſt ſervus, ſimiliaque, *Publipor*, *Caipor*, atque alia, de quibus fuſe dixi Commentariorum Rhetoricorum lib. IV. cap. XII. Sect. IV. Scribebam ipſis Kalendis Januariis, ineuntis anni CIↃ IↃC XLIII. quem annum feliciſſimum tibi ſtudiiſque tuis exopto. Atque idem precor tum Clariſſimo Riveto, quod tu per occaſionem ei ſignificabis; tum eximio Petito, quem meo etiam nomine, ſi quando ſcribas, plurimum ſalutes rogo. Ipſe id nunc facere decreveram, ſed per tabellarium non licebat. Et ſciebam te avide adeo deſiderare reſponſum noſtrum, ut malis literas ad avunculum differri, quam ut propterea injiceretur mora epiſtolæ ad te noſtræ. Iterum vale. Amſtelodami.

IↃ LXXVII.

GER. JOH. VOSSIUS
HUGONI GROTIO S.P.

Varia.

ILluſtriſſime D. Legate, Gaudeo Iſaacum meum Mediolano ſalvum ac ſoſpitem Lutetiam reverſum. Quamquam paulum male me habet, quod, ſimulac veſtra urbe poſuerat pedem, de reditu quidem tribus me verbis fecit certiorem, ac per tabellarium proximum prolixius ſe ſcripturum promiſit; at ne per ſecundum quidem nuncium literarum aliquid miſit: ut ſubvereri cogar, ne Mediolano feſtinantius hoc iter tam longum confecerit, quam à querquero illo morbo, vix dum

Ep. 577. depulso, corporis sineret infirmitas. Quod si, ut spero, valetudo nunc secunda ei, nolim iterum eum moretur verecundia, quo minus fruendo coram Excellentia Tua, eum itineris sui fructum superaddat, cujus consequendi occasionem frustra desideret postea. Intelligo etiam Lutetiæ esse filium Amplissimi Consulis Conradi Burgii. Cui quam bene velis, abunde cognovi ex Excellentiæ Tuæ ad me literis, jam ab eo tempore cum eum commendarem, per Gallias, ut credebatur, una cum Hortensio iturum ad τὴν κωμοπόλιν Galilæum de Galilæis. Quamquam vero nullus dubito, quin idem sit, qui olim fuit; tamen longe fuerit jucundissimum ex Tua Excellentia intelligere, quid censeas de ejus vita, studiis, atque industria. Crebro enim itare in aulam Vestram, eoque frequentius, quod ibidem habeat amitinum suum Beuningium, narravit mihi hodieque nobilis filius tuus Petrus Grotius: qui, patruo Guilhelmo, atque adeo pene ejus familia omni Haga abeunte, nihil causæ vidit, cur non & ipse feriis fruatur, iisque amitinos Reigersbergios in urbe visitet nostra. Avide omnes bona mente amantes exspectant, quæ ad Veteris instrumenti libros annotasti. Cognosco jam Excellentiam Tuam in tertio volumine desudare. Utinam mihi Deus longam adeo vitam concedat, ut qui illa in Novum Fœdus plus oculis meis amo, etiam me pascam cæteris, citra dubium nihil nisi nectar spirantibus. Malevoli ringantur, certent porro non dictis, sed maledictis; quasi cuminum sererent aut ocymum. Sol non invidet vesperæ. Et tamen vellem non tantas moras necti ab eo, qui responsurus sit illis sic irarum habenas in Ex. T. effundentibus, optimeque etiam dicta in deteriorem rapientibus partem: qui nihil æque audiunt inviti, quam quod medicina dicitur modum excessisse. Valetudo mihi ab aliquot hebdomadis, ut non pessima, ita parum prospera, credo ab eo, quod ob diurna impedimenta non sat parcam noctibus. Interim animus nihil novi auspicari. Quorsum enim? qui tam multa sim aggressus, ut me subinde stultitiæ condemnem. Sic enim egi, quasi longissimam mihi ætatem sponderem. Sero nunc sapio. Nempe, ut olim ajebat ille, sapere incipimus plerique omnes, cum desinimus vivere. Nec tamen magnopere id male me habet semper. Utcunque enim illa, quæ perficere non licebit, haberi debent pro non inchoatis: tamen præter honestam voluptatem, quam ex ea studiorum varietate cepi, hoc feci boni, quod in iis, quæ jam juris publici facta, vel affecta habeo, multa, ob studiorum nexum, illustrius, saltem magis ex animi nostri sententia tractavimus, quam si in studiis scriptisque arctiores mihi limites præfiniissem.

Deus Opt. Max. Excellentiam Tuam, conjugem heroinam, ac familiam universam, diutissime salvam ac sospitem conservet. Amstelodami. CIↃ IↃC XLIII. V. Id. Sextiles. Ep. 588.

Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ cultor devotissimus

GER. JOH. VOSSIUS.

Consulem Flamingium Dom. ab Osthorn nudius tertius amisimus, magno cum bonorum dolore. Sustulere illum ingentes calculi dolores: propter quos sæpe mortem exoptavit, corde alioqui vegeto & firmo. Multum amisi in viro tam amanti domus nostræ: sed non paulo amplius est, quod in eo perdidit Resp. De faventia erga Excellentiam Tuam, scis ipse, & nunquam apud me occasionem vel minimam neglexit testandi erga Excellentiam Tuam propensissimum affectum.

IↃ LXXVIII.

GERARDO VOSSIO

HUGO GROTIUS S.P. Amstelodamum.

VIr eximie, Est domi nostræ Isaacus vester, & erit quamdiu ipse volet, & vos parentes ejus. Multum delector ejus consuetudine, tum ob summam ejus eruditionem, morumque suavitatem, tum quod in ipso & mortui avi & patris absentis memoriam recolo. Spero non inutile ei fore, cognoscere & aulam hanc, & plurimos eruditos qui in hac sunt urbe. Tum vero ad bibliothecas Regis, Thuani, Pithœi, & aliorum patebit ei aditus. Nam Cordesianam, qua velut nostra uti solebamus, habet nunc Mazarinus Cardinalis. Amplissimi Viri Conradi Burgii filium & propter patris & propter ipsius merita magni facio. Beuningius plane se mihi approbat. Excuditur jam tertius Annotatorum nostrorum tomus, ad ea pertinens, quæ extra Hebræum canonem posita pridem in Christianorum Ecclesiis utiliter legi solent. Hoc opere absoluto dabimus nostra ad reliquas Novi Testamenti partes. Sumsi etiam laborem vertendi Latina, Græca & Hebræa, quæ sunt in annotatis ad Euangelia, ut, si quando recudentur, fiat id cum commodo etiam minus eruditorum. Multi hic Episcopi præclaras habent cogitationes de corrigendis illis malis, quæ maxime divortio Ecclesiastico causam præbuere. Et prodiit nuper liber non inutilis pertinens ad preces corrigendas. Multum etiam legitur Synodicum Græcæ Ecclesiæ decretum contra Cyrilli dogmata. Blondellus, magnæ vir diligentiæ, sed suæ parti super æquum addictus, quid de Episcopis & Presbyteris sentiat, ex scriptis ejus antehac editis non obscurum est. Imprimitur nunc apud Blauium liber ejus specialiter de eo argu-

Judicium de versu.

Ep. 579. gumento. Cognovi autem ex ſermone ipſius omnino eum hoc agere velle, ut aliquid reperiat, unde famam ſpargat te in ea re plane ſecum ſentire. Ignatii Epiſtolas, quas filius tuus ex Italia attulit puras ab omnibus iis, quæ eruditi hactenus ſuſpecta habuere, ideo admittere non vult, quia Epiſcopatuum vetuſtati clarum præbent teſtimonium. Argumento alio non utitur, quam quod in illis verba quædam appareant elegantiora quam ſolent in Apoſtolicorum ſcriptis reperiri, quales ſunt ἀξιοπρεπεστάτου ἀξιομακαρίστου & ſimilia. Dixi ego paris monetæ vocabula non pauca eſſe in Clementis ad Corinthios Epiſtola, quam ſuſpectam non habet. Adhæſiſſe hæc diu ex lectione Græcorum, qui nitidius ſcripſerant. Flamingii Viri Conſularis mortem doleo; magnum in eo damnum & Civitas veſtra fecit & Hollandia. Ego ſi quem unquam videro, qui ad ipſum pertineat, oſtendam, quanti faciam eam benevolentiam, quam ille in rebus meis adverſis mihi præſtitit. Tuorum quam plurima edi velim, ſed ita ut fiat id ſine valetudinis detrimento. Ego nihil unquam magis pro te metui, quam ne dum nihil temporis tibi perire ſinis, vitam tibi accidas, & ſic iis noceas quibus prodeſſe ſupra vires corpuſculi niteris. Deus, Vir eximie, tuis ſummis virtutibus, uxorique & liberis omnia det proſpera. Uxor mea & filia idem precantur. 22. Auguſti 1643.

Tuæ Eximiæ Claritati Addictiſſimus

H. GROTIUS.

IↃ LXXIX.

Nobiliſſimo Viro

CORNELIO van der MYLEN,

CASPAR BARLÆUS S.P.D.

NObiliſſime Myli, Poſtremum Cl. Grotii reſponſum legi & perlegi. Placent multa, non omnia. Nec enim ea largiri Romanæ Eccleſiæ velim, quæ antiquitatis præſidio nixus, largitur. Ego etiam primis ſeculis errores irrepſiſſe in Eccleſiam puto. Quicquid ſit, non debebat optimum Illuſtris Viri inſtitutum tam indigne exagitari. Scio minore cum fructu hæc noſtratibus ſcribi, verum in Galliis maximo. Alia illic tempora ſunt, alia gens. Qui Grotium Papiſtam ſcripſit, furioſus eſt rabula. Nomen neſcio, ſed creditur Pariſiis D. Grotio familiaris fuiſſe, & poſtea ob vitam minus inculpatam dimiſſus. Leidæ ajunt hominem morari, & Lutheranum eſſe concionatorem, qui facile illic incentores invenit, qui famam maximi Viri proſcindi amant. Plenus eſt mendaciorum libellus, nec dignus Cæſaris ira. S.

IↃ LXXX.

ADRIANO van der MYLE

Domino in Myle, &c.

CASPAR BARLÆUS S.P.

NObiliſſime Myli, Cogor jam mutare literarum mearum titulos, & obitu maximi parentis Tibi illas inſcribere. Certe perculit me afflictim ferale nuncium, de patris exceſſu, quem amore ſingulari & veneratione ſumma tot retro annis proſecutus ſum. Sub illo Curatore ſtudui adoleſcens. Sub illo Curatore ad Academiam evectus fui. Illo etiam non Curatore uſus ſum familiariter, iis temporibus, quibus in fædas eclipſes protruſa fuerunt præſtantiſſima patriæ noſtræ lumina. Ex illo, ſedata nonnihil publica tempeſtate, non deſtitit, & ille me affectu maximo complecti, & ego viciſſim me totum Nobilitati ipſius tradere. Luges tu parentem, ego ſtudiorum meorum columen & Mecænatem. Tu generationis inſuper cauſis gloriaris, ego curæ publicæ & mei. Semper in Parente tuo ſuſpexi, quicquid in terris ſuſpicere ſolemus mortales. Pietatem, cujus cultor fuit ſerius: integritatem, quam nulli non probavit Batavus; fidem, cujus teſtis eſt Reſpublica, & Principum, ad quos legationibus functus fuit, vox: literarum curam, conſcia Leida, ubi Curatorem egit annos viginti & ultra, ea dexteritate & facilitate, ut etiamnum in animis Profeſſorum & ſtudioſorum paſſim vivat. Hæc dum cogitas, nobiliſſime Myli, invenis dolori tuo ſolatia validiſſima. Ea demum felicitatis humanæ pars eſt, ita vixiſſe, ut ſuperſtitum omnium verbis orneris, & poſteritatis laudabile exſpectes teſtimonium. Quam foris placuit viris maximis doctiſſimiſque, quam domi. Omnium amor ſuffragium optimi civis, etiam ab hoſtium conſcientia, impetravit. Nec ſecundis rebus inſolens fuit, nec adverſis fractus ſuccubuit. Æquam mentem vidimus rebus in arduis. Majorum ſuorum fulgorem auxit meritis ſuis, & Auriacorum Principum benevolentiam, patriæ dignitatis hæres, continuatim uſque poſſedit. Rempublicam bene compoſitam juvit, afflictam & concuſſam non deſeruit. Ubique amicos habuit, & quos habuit extulit, literis, officiis, beneficiis. Non privatus eſt dolor tuus, chariſſime Myli, lugemus plures. Academia, aula, patria omnis indemnes non ſunt. Quo vivo lux vitaque affulſit omnibus, eo mortuo veluti tenebris involvimur. Volui hæc N. Tuæ ſcribere, ut quæ coram non queo dicere, credas me coram velle dicere. Quod ſi me illo honore dignaberis, cuperem Parentis tui optimi & celeberrimi funus proſequi. Non quod mei tantum ſit precium, ſed quod paternorum erga me officiorum precium ſit maximum. Fac

me

Ep.581. me certiorem per famulorum aliquem de die exequiarum. Siſtam me, Deo volente, in id tempus Hagæ, ut poſtremum hoc perſolvam munus amanti, non ſine Lugubri Carmine. Vale Vir nobiliſſime & mei ſtudioſiſſime, & ſine, ut quam cum Parente digniſſimo colui amicitiam, in te tuoſque porro derivetur. De miſſis agreſtibus ferculis, nihil ſcribam, ne videar luctus tempore de feſtivitatibus intempeſtive verba facere. Dominæ Myliæ, matri tuæ afflictiſſimæ, ſolatia hæc mea imperti, & me dolori ejus meum jungere ſignifica. Amſtelod. 29 Nov. 1642.

IↃ LXXX.

JOANNI UYTENBOGARDO

HUGO GROTIUS S.P.

VIr Reverende, Bonum quod R.T. mihi ſemper dedit conſilium in creſcente, ſtata, & decreſcente ætate, in rebus adverſis ac proſperis, ſæpe etiam auxilium conſilio junctum, obligant me, ut R.T. rationem reddam temporis, quod mihi à negociis publicis ſupereſt. Annotationes meæ in Vetus Teſtamentum impreſſæ ſunt uſque ad finem Eſaiæ: reſtat, quod in reliquos Prophetas ſcripſi, & in libros Græcos, qui Veteri Teſtamento adjungi ſolent. Interea dum opus hoc ſub prælo eſt ad finem perduxi, ſingulari Dei auxilio, annotationes meas in Acta & Epiſtolas Apoſtolorum, & in Apocalypſin ſcriptoris tibi cognominis. Quæro amanuenſes, ut, ſi fieri poſſit, horum editio mox præcedentis operis editionem ſequatur, quod trium circiter menſium ſpatio ad finem perduci poſſe credo. Precor ut R. T. precibus ſuis mihi adſit, ut omnia faciam ad gloriam Dei, promotionem pietatis ac pacis. Deus omnipotens R. T. in decrepita ſua ætate continuo Sancto ſuo Spiritu conſoletur.

Lutetiæ Pariſiorum 24 Jan. 1643.

Tuus omni affectu

H. GROTIUS.

Verſa ex Belgico.

IↃ LXXXI.

JOANNES UYTENBOGARDUS

HUGONI GROTIO S.P.

De diſſidiis Eccleſiæ componendis.

EXcellentiſſime Vir: Jam annus eſt, ex quo Excellentiæ Tuæ placuit ad me ſcribere ejuſmodi ſermonis ſtructura, ut ego, quid mihi reſpondendum foret ignarus, ad literas tuas ſilere debuerim. Quis enim ego ſum, Excellentiſſime Vir, qui abſque ſummo pudore poſſem legere, me tali Viro, qualem Te novi, unquam conſilium potuiſſe dare, vel auxilium præſtare, multo minus tale, quo Excellentia Tua obligata ſit, mihi temporis ſui rationem reddere? Hoc adeo hyperbolicum eſt, ut ad id obmuteſcere debuerim, & Excell. T. humiliter precari, ne in poſterum ejuſmodi locutionibus ad me aut de me utatur. Qua ratione Excell. T. tempus, quod ſibi à negociis publicis ſupereſt, collocet, toti mundo ad ſummam Excell. T. gloriam, notum eſt: unde & ego fiduciam concipio, Excell. T. laborem hunc ceſſurum in laudem ac gloriam in die Jeſu Chriſti, cui omnium factorum noſtrorum rationem reddere tenemur. Hæc itaque præteriens venio ad quaſdam Excell. T. literas, quas Excell. T. frater mihi ante aliquod tempus communicavit, & alias, quas deinde mihi aliquoties oſtendit: quibus indicas, te optare ut à me (ſiquidem id valetudo mea permittat) aliquid ſcribatur de neceſſitate Eccleſias reducendi ad unitatem, ac ſimul de mediis eo ducentibus. Ego exinde magis magiſque agnoſco continuationem piarum tuarum cogitationum, nec non Chriſtianæ propenſionis in pacem Eccleſiarum. Confiteor etiam, in hiſce perplexis & deplorandis temporibus nihil ferme magis neceſſarium eſſe, quam ut omnes pii, juxta propriam in charitate ædificationem, illi quam maxime operam ſuam navent. Verum quis ad hæc idoneus? Non ego. Nec dictum Alphonſi Regis, moderatores à ſuperioribus permingi, & ab inferioribus fumo enecari; nec mala quam aliquot præſtantes Viri reportarunt gratia, nec quicquid mihi ipſi ob conatus meos juxta tenuitatem meam controverſias noſtras accommodandi contigit, me deterrerent: ſed ſola impoſſibilitas me hic ſubſiſtere cogit. Nam præter oculorum meorum obſcuritatem, & ferme cæcitatem, quam mihi peperit ſumma ſenectus, maximi mærores multæque moleſtiæ, quæ me ad opus illud penitus ineptum reddit, etiam via quam Excell. T. iſti rei accommodatiſſimam judicat, plane captum meum excedit. Si enim ita ſe res habet, ut indicia neceſſariorum & non neceſſariorum in Scriptura reperiri nequeant; ſed quæri debeant in autoritate Conciliorum, aut Veterum conſenſu, eo modo, quo interpretati ſunt illi, qui commodiſſime locuti ſunt, prout Excell. T. videtur exiſtimare; neſcio an viginti quinque anni, etiamſi illi mihi adhuc reſtarent, omneſque exigui ingenii corporiſque mei vires in mea eſſent poteſtate, ſufficerent, ut maturo cum judicio perlegam & expendam omnia quæ eo pertinent. Sæpius in memoriam revoco dictum Molinæi, in ſua Novitate Papiſmi (quanquam ipſe illud parum obſervet.) *Les choſes neceſſaires a ſalut ſont ſi clairement couchées en l'Eſcriture, qu'il n'eſt point beſoin d'interprete pour les entendre ſuffiſamment a ſalut. L'Eſcriture nous enſeigne, que Dieu a creé le monde, que Jeſus Chriſt eſt mort pour nous, qu'il eſt reſuſcité.*

Elle

Ep.582. *Elle commande d'aimer Dieu de tout ſon cœur, & ſon prochain comme ſoy meſme. Elle defend de tuer, de paillarder, de derober, &c. Or je dis, qu'en l'Eſcriture les choſes, qui ſont ainſi claires, ſuffiſent a ſalut.* Excellentia Tua dicit, ea quæ nos ad fidem & bona opera ducunt, retineri in Eccleſia Catholica: Quod ego credo verum eſſe. Sed quot ſunt in Romana, quæ, ut molliſſime loquar, nos eo non ducunt? quæ tamen ab illius patronis mordicus retinentur tanquam de fide & abſolute neceſſaria, à quibus ne latum quidem unguem recedere volunt, quantum quidem ego hactenus deprehendere potui. Verum hoc omiſſo iterum provoco ad antedictam meam impoſſibilitatem, quam confido me apud Excell. T. pleniſſime excuſaturam. Hiſce Te, Excellentiſſime Vir, omneſque tuos Omnipotentis Dei tutelæ commendo, precibuſque ardentiſſimis apud Deum contendo, ut Tibi largiatur vitam longævam, laboribuſque tuis indefeſſis cumulatiſſime benedicat.

Excellentiæ Tuæ devinctiſſimus & ad quævis officia promptiſſimus

J. UYTENBOGARDUS.

Hagæ 11 Febr. 1644. die meo natali, quo annum ætatis meæ octuageſimum octavum inchoo.

Verſa ex Belgico.

IↃ LXXXII.

JOANNI UYTENBOGARDO HUGO GROTIUS S.P.

De difficilis Eccleſiæ componendæ.

VIr Reverende, Gratias ago R. T. pro reſponſo XXI. Februar. dato, ad propoſitionem meam latius per fratrem meum deductam. Ob id R. T. eo magis obligatus ſum, quoniam novi, quanta id factum ſit cum difficultate, in tam debili ſenecta & oculis adeo caligantibus. Deus R. T. hoc beneficium aliaque mihi copioſe præſtita larga manu remuneretur. Quod rem principalem attinet, ſatis intelligo ea, ſine quibus nemo ſalutem conſequitur, toties in S. Scriptura expreſſa eſſe, ut, etiamſi loci aliquot obſcuriores eſſent, illi per alios ſufficienter explicentur: quamvis & aliqui fuerint, qui poſtquam libros hoſce legerunt & receperunt nihilominus in quibuſdam articulis neceſſariis errarunt. Sed exiſtimo præter articulos unicuique neceſſarios, alios etiam eſſe ad ædificationem, aliquos etiam neceſſarios ad pacem & unitatem Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto & Apoſtolis inſtitutæ. Et ſicut Dominus ipſe omnes illos in Euangelio ſuo non revelavit, ſed reſervavit Spiritui Sancto, ut eos Apoſtolis revelaret; ita etiam Apoſtolos in ſuis Epiſtolis, quas occaſione ex incidentibus negotiis arrepta ſcripſerunt, non propoſuiſſe eos omnes latius explicare; etiamſi pleroſque ipſorum obiter & in tranſitu verbo uno atque altero attigerint; ſcientes reliquos facile intelligi poſſe ex praxi ipſa in Eccleſias à ſe fundatas introducta. Quin & primis temporibus videmus Apoſtolos & fratres quædam conſtituiſſe, quæ non videntur in ſeipſis neceſſaria fuiſſe ad uniuſcujuſque ſalutem, ſed quidem ad pacem. Et ſi fidei dogmata conſiderare placet, præſtantes illi Chriſtiani, qui quotidie quaſvis pro Religione Chriſtiana afflictiones ſuſtinebant, Samoſatenum communione ſua excluſerunt; etiamſi multi nunc arbitrentur, opinionem ipſius non adverſari articulis illis neceſſariis. Et ea via poſtmodum proceſſit Eccleſia, quæ ſemper conſideravit opiniones, non tantum prout ſpecioſe proponebantur, ſed & conſequentias ſub iis latentes, & modum quo proponebantur. Qui nunc cum Molinæo dicunt, omnia neceſſaria adeo clare ac perſpicue in Scriptura exſtare, ut nulla interpretatione indigeant, inter ſe de articulorum illorum neceſſariorum numero minime conſentiunt; prout R. T. ex libris, hiſtoriis, quin & experientia ipſa optime conſtat. Nec credibile eſt, eos unquam in eo conſenſuros. Quare conſiderandum eſt, an non facilius & æquius ſit, quoniam doctrina de Gratia, de Libero arbitrio, neceſſitate Fidei bonorumque operum obtinuit in Eccleſia quæ pro ſe habet univerſale regimen & ordinem ſucceſſionis, privatos ſe in aliis accommodare, pacis cauſa, iis quæ univerſaliter ſunt recepta, ſive ea aptiſſimis explicationibus recipiendo, ſive tacendo; quam corpus illud Catholicum Eccleſiæ ſe in articulo tolerantiæ accommodare debere uniuſcujuſque conſiderationibus & placitis. Exempli gratia: Catholica Eccleſia nemini præſcribit, ut precetur pro mortuis? aut opem precum ſanctorum vita hac defunctorum imploret: ſolummodo requirit, ne quis morem adeo antiquum & generalem condemnet. Multa, quæ generaliter obſervantur in Eccleſiis, quæ in communione cum Romana manſerunt, correctione indigere, verum eſt: & ut id fiat video in Gallia, Polonia, aliiſque locis operam dari. Malo Deum precari, ut id fiat, ad multarum animarum emendationem, quam ſuper articulis non neceſſariis multum digladiari. Nam ſi hac via porro procedendum ſit, quis novarum ſectarum finis erit? Neceſſe non eſt, ut unuſquiſque decreta Conciliorum, univerſalem Eccleſiam repræſentantium, legat & evolvat, ſed ſolummodo Doctores, aut quibus Doctorum directio eſt commiſſa, ne unuſquiſque ingenium ſuum tot ac tam præſtantium ingenio præferens, rumpat unitatem nobis tantopere ac tam ſerio commendatam. Hæc ſunt, quæ impræſentiarum mihi occurrunt,

Digitized by Google

Ep.583. super quibus pias R. T. considerationes data occasione avide exspectabo. Deum omnipotentem precor, ut R. T. post tot adversa, & in extrema senectute, largiatur omnia salutaria, ut multis prodesse possis, & post hæc æternam consolationem. 12 Martii 1644.

R. T. Addictissimus

H. GROTIUS.

Annotationes meæ in Vetus Testamentum ad finem properant. Operam dabo ut etiam imprimantur, quæ in reliquos Novi Testamenti libros scripsi: & postea etiam quædam quibus refutatur postremus Andreæ Riveti liber, etiam, si necesse sit, Hulsmanni, cujus contra me librum nondum nancisci potui.

Versa ex Belgico.

IↃ LXXXIII.

JOHANNES QUISTORPIUS

ad N. N.

De obitu H. Grotii.

COntendis à me, N. N. ut perscribam quomodo, mundo huic valedicturus, Literatorum Phœnix Hugo Grotius se gesserit. En, paucis id habe. Conscenderat ille Stokholmiæ navim, qua Lubecam ferretur: vehementibus per triduum in mari jactatus procellis, naufragium patitur, & æger ad Cassubiæ litora appellit. Inde perquam incommodo curru, pluvia tempestate, per sexaginta & plura milliaria, tandem Rostochium nostrum devehitur. Divertit ad Balemanniam. D. Stocmannum Medicum advocari curat, qui, ætate, naufragio, incommodis itineris fractas vires advertens, vitæ terminum inminere præsagit. Secundo ab ingressu in hanc urbem die, (qui St. Vet. erat XVIII Augusti) me hora nona vespertina ad se vocat. Accessi, propemodum in agone Virum constitutum offendi: compellavi, & me nihil maluisse affirmavi, quam ut mihi cum ipso incolumi sermones sociare licuisset. Regerit ille, *ita Deo visum fuit.* Pergo: ut ad beatam emigrationem se componat, peccatorem agnoscat, super commissa doleat, moneo; quumque inter loquendum publicani peccatorem se fatentis, & ut Deus sui misereretur precantis, meminisset: Respondet, *Ego ille sum publicanus!* Progredior, ad Christum, extra quem nulla est salus, ipsum remitto. Subjicit ille, *In solo Christo omnis spes mea est reposita.* Ego clara voce precationem illam Germanicam Germanice recitabam, quæ incipit,

HERR JESU, wahrer Mensch und GOTT, &c. Ille complicatis manibus, submissa voce me insequebatur. Quum finivissem, quæsivi an me intellexisset; Respondet, *probe intellexi.* Pergo illa recitare ex verbo Dei, quæ jam jam morituris in memoriam revocari solent. Quæro, an me intelligat? Resp. *Vocem tuam audio, sed qua singula dicas, difficulter intelligo.* Quum hæc dixisset, plane conticuit, & brevi post spiritum exhalavit, in puncto duodecimæ nocturnæ. Habes catastrophen vitæ, ab Grotio summo Viro actæ. Cadaver Medicis post commissum est. Intestina lebeti aheneo imposita, ut in templi apud nos primarii Mariæ Virgini sacri locum honoratissimum reponerentur, à templi præfectis facile impetravi. Molliter cineres cubent! Vale, dabam Rostochii propridie Michaëlis, Anno CIↃ IↃC XLV. Ep.584.

IↃ LXXXIV.

COPIA LITERARUM QUIBUS

Dissidentes in rebus Fidei ab Ecclesia Catholico-Romana, in Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lithuaniæ, ad fraternam cum eadem reconciliationem invitantur.

NEC NON

Dissidentium ad easdem Responsa.

ABRAHAMUS WOYNA

Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Vilnensis.

NOverint Universi præsentes literas nostras inspecturi, quomodo nos satisfaciendo Decreto in Synodo Provinciali, in anno proxime præterito die XII. mensis Novembris, ab Illustrissimis & Reverendissimis Dominis Episcopis, Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, atque adeo ab omnibus Prælatis & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, in & contra omnes in Religione dissidentes, emanato, præsentes literas nostras per Diœcesin nostram direximus, ut eo citius ad omnium & singulorum notitiam perveniant, videlicet, ut omnes in Religione dissidentes cujuscunque professionis per se, sive per nuntios suos, in litteris & sacra Scriptura bene versatos, petitis litteris salvi conductus Thuronium, Anno CIↃ IↃC XLIV. pro die

Ep.585. die x Menſis Octobris conveniant, ad docendum & probandum, quomodo illi animas diverſarum Nationum & Regnorum, precioſo ſanguine Chriſti redemptas, falſis & perverſis ſuis dogmatibus à vera, ſancta, Catholica Romana Eccleſia abducant, & ad barathrum detrudant, ad docendam & firmandam in præmiſſo quam ſe habere prætendunt veritatem. Cujuſquidem Decreti ut in ſe extat is eſt, qui ſequitur tenor.

IↃ LXXXV.

MATTHIAS LUBIENSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primuſque Princeps, cæterique Regni, & Magni Lithuaniæ Ducatus Epiſcopi, Varſaviæ in Synodo Provinciali legitime congregati;

Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Nobilibus, Clariſſimis, Spectabilibus & Eruditis Viris;

NEC NON

Univerſis & Singulis, cujuſcunque Status & Ordinis, tam Sæcularibus quam Eccleſiaſticis, ab Eccleſia Catholica Romana Diſſidentibus, in Regno Poloniæ & annexis eidem Provinciis exiſtentibus, Salutem animarum, & omnem proſperitatem.

Illuſtriſſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Clariſſimi, Spectabiles & Eruditi Viri.

TRiſte religionis diſſidium, quod hoc Regnum, annexaſque illi Provincias, uno jam ſæculo fatigat, non potuit Chriſtiani Fraternique amoris neceſſitudinem, quam Vobiſcum, tanquam unius Regni cives, conſtitutam habemus, diſſolvere, neque Paſtoralem de Vobis ſolicitudinem ex animis Noſtris, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, unquam eximere. Qua urgente in hac Sacra Provinciali Varſavienſi Synodo, de eo inprimis deliberavimus, quomodo Vobis in Unius Religionis nomen doctrinæque normam concedendi, quam accommodatiſſimum & gratiſſimum remedium proponeremus. Igitur ubi hoc unum non inuſitatum elegimus, Fraternam nimirum collationem ſeu Colloquium charitativum; viſum eſt Vos Illuſtriſſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, Clariſſimi, Eruditi, & Veſtris titulis Honoratiſſimi, quicunque in hoc inclyto Regno Poloniæ, eique unitis Provinciis communi jure legibus Politicis eſtis conſentientes, ſed doctrina Fidei diſſentientes, ad illud Torunium Regiam civitatem, ad diem decimam Octobris, in anno ſtyli Gregoriani Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo quarto peramanter invitare. Neque vero neceſſarium exiſtimamus multis id vobis ſuadere, quibus ſtudium hoc noſtrum optime, ut ſperamus, interpretaturis, propenſa noſtra voluntas conſiliumque placebit, & præterea concordis religionis commoda non ignota, diſcordis contra damna ſunt manifeſta. Illud unum profiteri pollicerique vobis ſuffecerit, initam à nobis augendi honoris Dei, juvandarum animarum, ſtabiliendæ pacis publicæ rationem, nemini fore præjudicioſam, Veſtriſque conſuetudinibus, immunitatibus, privilegiis minime exitioſam. Aderunt inſuper opportune, quibus liber & tutus ultro citroque commeatus patebit, diplomata Sereniſſimi Regis & Domini noſtri Clementiſſimi, qui ut bello inclytus, ita pietatis laude inſignis in ætatum poſterorumque omnium memoriam ibit, quod armata in ſuum exitium potiſſimum ex cauſa diſſonæ religionis, belloque ardente univerſa Chriſtianitate, Ille foris immota undique pace conſtituta, ad reſtituendam Regno Dominiiſque ſuis Religionis tranquillitatem, cum ipſe Regias curas flexit, tum nos ad eaſdem agendas incitavit. Aderit etiam nomine noſtro ad præfinitam diem locumque, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Georgius Tyſzkiewic Epiſcopus Samogitiæ, ingenii ſuaviſſimi & propagandi honoris divini ſtudioſiſſimus, una cum duodecim aliis Viris doctrina modeſtiaque conſpicuis à nobis deſtinatis; qui ſingulari animi manſuetudine, in Spiritu lenitatis, ſine clamoſis diſputationibus, prætermiſſis aculeis, etiam qualibet offenſione, hos ſalutares vobiſcum habebunt ſermones. Quod ſi vos (uti quidem obnixe rogamus) tales quoque deligitis, qui candido paciſque Eccleſiaſticæ cupido animo huic interveniant colloquio, profecto quandoquidem vobis in multis fidei capitibus cum Eccleſia Catholica videtur convenire, ubi inſuper certa pro certis utrinque ſtatuentur, ambigua liquidabuntur, vere controverſa Scripturarum & primitivæ Eccleſiæ, aliiſque teſtimoniis comprobabuntur, haud difficile erit, Catholicam veritatem omnibus, quibus ejus fulgor hactenus obſcurari videbatur, depulſis, & quam inania ſint, quæ parti huic imputantur, liquido perſpicere, pariterque vobis & cunctis judicare, jure ne præſens ſeceſſio & olim facta ſit, & nunc continuetur. Si unquam fuit reſumendæ pacis Eccleſiaſticæ tempus opportunius, hoc certe eſt, tot annorum pace feliciſſimum: ſcilicet ut in hac placidiſſima temporalis felicitatis malacia, tranquillis animis omnes diſpiciant dulcedinem pacis religionis, atque alteram ex altera quærere & firmare condiſcant. Utamini igitur hoc bono Illuſtriſſimi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Clariſſimi, Spectabiles, &

Ep.586. Eruditi Viri, ut vota noſtra vertantur in gaudia, non Poloniæ modo & Septentrionis noſtri, ſed cœli Univerſi, ſed nationum omnium; apud quas pulchrum erit funeſtam religionis diſcordiam, alibi prius cepiſſe, hic prius deſiiſſe. Valete, acceptate, adeſte in Domino. Warſaviæ in Synodo Provinciali, duodecima Novembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio.

IↃ LXXXVI.

CONSIDERANDA

Super Epiſtola Synodi Pontificiæ Warſavienſis, ad diſſidentes ab Eccleſia Romana, ab Archiepiſcopo Gneſnenſi miſſa, Anno CIↃ IↃC XLIII. Nov. XII.

I. NIhil ſpecioſius eſt pacis nomine, Eccleſiaſticæ præſertim, quæ non tam ſtatus noſtri temporalis felicitatem, quam animarum requiem & conſcientiarum oppreſſarum ſanctam libertatem præfert. Nec Chriſtiano nomine dignus eſſet, non ſolum qui oblatam veram pacem reſpueret, ſed etiam qui vitæ diſpendio eam non redimeret, ſi opus eſſet; atque omnibus modis juſtis & poſſibilibus procurare eam non ſtuderet.

II. Sed nihil eſt in quo prudentia Chriſtiana magis ſit opus: præſertim ubi cum iis agendum eſt, quorum doctrina, mores & facta, nihil minus quam pacem hactenus ſpirarunt. Ubi illud Poëtæ ſemper cogitandum, Timeo Danaos, & dona ferentes. Diligenter igitur expendendum, 1. Quinam ii ſint qui de pace loquuntur. 2. Quo tempore & qua occaſione. 3. Quibus modis ad eam pervenire cenſeant.

III. Quod primum ſpectat, videtur quidem Archiepiſcopi, Primatis & Legati nati cum ſua Synodo, auctoritas, huic propoſitioni non levem gratiam conciliare; nec rejici debere aut poſſe, quin ex eo confletur invidia adverſus diſſidentes, qui ſe difficiles præberent, tanquam adverſus refractarios & publici boni hoſtes.

IV. Nihilominus expendendum eſt, quotquot fuerunt in illa Synodo congregati, fuiſſe Pontificis Romani creaturas, ipſum Archiepiſcopum non magis gratiæ Dei quam ſedi Pontificiæ tribuere dignitatem ſuam, juratum eſſe Pontificis ſubditum, qui ſine illius nutu & conſenſu nihil in talibus poſſit. Proinde nihil cum illo & ſuffraganeis ejus tranſigi poſſe, niſi oſtendant ſe à Pontifice Romano plenam habere poteſtatem, & expetitæ pacis conditiones ab eo accipiant cum adverſa parte communicandas, ut quid facto opus ſit deliberet.

V. Non ſufficere etiam, ſi Rex Sereniſſimus auctoritate ſua efficiat, ne qui invitantur cum periculo aliquo ſe ſiſtant, nec vis ulla eis inferatur: ſed illud inſuper videretur neceſſarium, ut regio nomine conventus indiceretur; qui cum ſit utrique parti communis, diſſidentibus ab Eccleſia Romana non tam ſuſpectus eſſe debet quam viri Eccleſiaſtici, qui Pontifici ſuo in ipſos Reges imperium arrogant. Notum eſt enim Proteſtantes olim non conſenſiſſe in Synodi Tridentinæ indictionem à Pontifice Romano factam; nec quemquam ex ſuis eo miſiſſe niſi ut Imperator parerent, ejuſque auctoritati ſe in eo ſubjicerent. Ep.586.

VI. Suſpectum eſſe debet quod ad negotium illud ſuſcipiendum eos inſtigarunt Valerianus Magnus Capucinus, & Nigrinus Apoſtata, qui primum inter ſe viſi ſunt digladiari, ſed poſtmodum inito conſenſu fundamenta jecerunt iſtius conciliationis. Cum autem Nigrinus præjudicaverit, & ex mediatore factus ſit hoſtis, nihil boni expectandum eſt ab ejus conſiliis, cum omnis apoſtata oſor ſit ſui ordinis. Itaque juſta ſuſpicio eſt à talibus adverſæ parti inſidias ſtrui, & non ſincero animo talia proponi vel offerri.

VII. Accedit, quod invitantur omnes ab Eccleſia Romana diſſidentes; qui cum varii ſint & inter ſe diſcordes, unam & eandem viam inſiſtere non poſſunt. Quod cum non ignorent Synodiſtæ Warſavienſes, omnes ſine diſcrimine compellant, exiſtimantes (nec ſine cauſa) ſe facile commiſſuros inter ſe qui in multis non conveniunt: itaque futurum ut ipſis otiantibus & ſuaviter ridentibus de adverſariis ſuis ſine conflictu victoriam reportent. Quod olim Cardinalis Lotharingi conſilium fuit, cum Poſſiaci in Gallia conventus partium fuit indictus. Curavit enim ut ex Germania vocarentur Jacobus Andreas Smidelinus, Jacobus Herbrandus & alii, ut hoc ſtratagemate diſputationem à ſe averterent. Quod tamen eis non ceſſit ex voto, Deo omnia præter eorum mentem dirigente.

VIII. Collocutorum à ſua parte caput Epiſcopum Samogitiæ conſtituunt, qui vix patietur ſe cum ſuis in ordinem cogi, ut non major ſit eorum auctoritas quam adverſæ partis. Atqui non poteſt æquitas in eo ſervari, niſi pares ſint non numero ſolum, ſed etiam auctoritate collocutorum, nec pars una ſibi in alteram poteſtatem aliquam adjudicet; inter eas etiam de loco & ejus oportunitate conveniat; cujus electio non debet eſſe unius partis, ſed utriuſque.

IX. Quod tempus & occaſionem ſpectat, etſi quolibet tempore & qualibet occaſione pacis & concordiæ ſtudium ſit laudabile; vix tamen poteſt ſperari talium colloquiorum optatus ſucceſſus, quamdiu omnia inter Chriſtianos Principes & Reſpublicas ſunt turbata, atque ubique armorum ſtrepitus avocat à gravioribus meditationibus. Quo etiam tempore difficillimum eſt communicare conſilia cum fratribus exteris; ſine quorum conſcientia & com-

Ep.586. communicatione, non debet pars una in aliquo regno aut provincia de iis ſtatuere quæ omnes ſpectant, & in communi omnium cauſa præjudicare.

X. Deberent etiam qui invitant aperte indicare quibus mediis res illa eſſet peragenda. Et quandoquidem præ ſe ferunt ſe deliberaſſe, quomodo accuratiſſimum remedium proponerent, quo diſſidentes in unius religionis nomen, doctrinæque normam concederent; aperire primum quodnam remedium illud ſit; & expendere annon prius de norma doctrinæ convenire debeat, quam expectare ut ea conſtituatur poſtquam in unius religionis nomen omnes convenerint: quod certe fieri nunquam poterit, niſi de norma & regula ad quam omnia ſint exigenda prius conſtet.

XI. Itaque neceſſarium plane videtur, quandoquidem nemo primus pacis propoſitiones rejicere debet, noſtri etiam ſe ad eas promptos eſſe & paratos ex animo proteſtentur: ſed non prius in unum locum conveniant, quam de prærequiſitis inter partes actum fuerit, & conditiones æquæ & juſtæ ab utraque parte proponantur & acceptentur. Quod niſi prius fiat, fruſtra ſperandum eſt quicquam poſſe ſuſcipi, multo minus tranſigi quo ad ſcopum illum perveniatur quem ſibi videntur proponere.

XII. Noſtri igitur in eo ita ſe gerere debent, ut nec adverſarii, qui hac ſua provocatione ad certamen vocant, de veritate tanquam à ſuis deſerta, ex bonæ cauſæ diffidentia, triumphum agant; nec infirmis inter noſtros ſcandalum objiciatur; quod hac occaſione oblata proclive eſſet. Idque eſt fortaſſe quod intendunt adverſarii hoc ſuo molimine: quod proinde retundendum erit, poſitis prærequiſitis neceſſariis; quibus ſi non conſentiant, in eos conjiciatur culpa cujus noſtros reos facere conantur. De his autem prærequiſitis plenius deliberari poterit, poſtquam adverſarii ſua plenius explicaverint. Idque imprimis cavendum erit, ne unquam noſtri patiantur alios ſecum agere, quaſi juriſdictioni illorum vel tantillum eſſent obnoxii. Hæc enim paritas, quantumvis juſta, vix ab illis poterit impetrari.

ANDREAS RIVETUS *propria manu ſcripſit & ſubſcripſit, à fratribus Polonis & Boruſſis rogatus, ſalvo tamen judicio Clariſſimorum Collegarum Leydenſium. Datum 15 Aprilis* 1644.

Hoc viri Reverendi ac Clariſſimi, noſtrique Collegæ chariſſimi, D. Andreæ Riveti, conſilium approbamus, eique ſubſcribimus, nos Sacræ Theologiæ Doctores & Profeſſores ordinarii in Academia Leydenſi.

JOHANNES POLYANDER
à KERCKHOVEN.
JACOBUS TRIGLANDIUS.
FRIDERICUS SPANHEMIUS.

IↃ LXXXVII.

VLADISLAUS IV.

Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnæ Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſoviæ, Livoniæ, Severien. Smolenſcen. Czernihovien.

NEC NON

Sueciæ, Gothorum, Vandalorumque Hereditarius Rex.

Univerſis & Singulis Regni Noſtri, & M.D. Lithuaniæ & Provinciarum eis adnexarum Incolis, ab Eccleſia Catholica Romana Diſſidentibus, Gratiam Noſtram &c.

Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles & Eruditi Viri, ſincere, fideliter Nobis Dilecti.

Nimis vacuum à cura rerum humanarum & plus quam ſecurum ſui eſſe oporteat, qui magnum hunc mundi circum habens ſub oculis, in quo Nationum vires & odia funeſtum à tot luſtris certamen agunt, jamque in extrema pene arena conflictantur, non ſtupeat, non quærat, quo merito, quove præmio, tantum irarum conceptum, & fuſum ſanguinis, & tantum opum exhauſtum eſt? Vacillant revulſi Europæ cardines, & ægre criminum pœnarumque ſuſtinent pondus, colliduntur inter ſe regna, & fatales ictus ingeminant, ardent provinciæ, fumant campi, proſtrata & exanguia civitatum jacent cadavera, ſuperſteſque & cladis ſuæ artifex orbis miratur, aut extra ſe quidquam eſſe, pro quo depugnet, aut, intra ſe, quod nondum tanta cæde poſſit conficere. Magnis certe malis ingentes ſubeſſe cauſas neceſſe eſt, quarum alta origo, non tantum in veritate temporum, ſed in judicantium etiam manet affectu. Nos autem ita judicamus, jure merito illos pulſari, & bellorum tumultu illos concuti, laxataque velut compage turbam calamitatum admittere, qui præſidium & condimentum vitæ, felicitatiſque nutricem, Pacem & Unitatem neglexerunt, ut non propriam tantum criminum expient labem, ſed illorum quoque pœnas luant, in quorum erroris, ſi non conſcientiam, certe hæreditatem ſucceſſerunt. Quam primum igitur, fatis per libera utriuſque gentis ſuffragia, ita volentibus, Ampliſſimi hujus Regni Sceptra ſuſcepimus, digniſſimam Majeſtate Noſtra & ſpe populorum curam cogitationemque duximus, ut pacis fructibus ſubditorum noſtrorum deſideria reficeremus. Eo nimirum fine, arduis periculis caput objecimus, ornamentiſque patriæ ſudorem Noſtrum impendimus, & poſtquam, (conatus Noſtros Divina

Ep.587. promovente clementia) armorum Noſtrorum juſtitia, late Septentrionem perdomuit, ab Oriente Thracem repulit, Occidentique Noſtro hoſtile exemit frenum, tandem non vulgaribus donis, pacem perſuaſimus, ut novo ad Nos fœdere concederet, leni otio & artibus Nos demulceret ſuis, luſtraque pæne integra Noſtris Penatibus daret. Itaque, quod nemini inſultantes, ſed Divinum in Nos beneficium claris laudibus extollentes dicimus, Nobis, Vobiſque luctuoſum agonem gentium licet adhuc impune ſpectare, & ſtudia dare negareque certantibus, quaſique minus de Divina juſtitia meriti ſimus, inter procellarum fluctus, & natantia vota Vicinorum, Pacis portum occupare. Quare cum iſtam Horizontis Poloni malaciam, propitii Numinis munere Gentis Noſtræ ſerenare fortunam, certo apud Nos ſtatueremus, à temporalis Pacis dulcedine, ad eam quam Divinus ſpirat Amor, Pacem animorum internam, qua Summi Dei gloria, animarum ſalus, Chriſtianique Nominis decus continetur, cogitationem convertimus, parum Nos ejus quo fruimur beneficii gratos fore arbitrati, niſi quantum Noſtræ vires, & pius voti candor permittit, cœlo pacem redderemus, quod terras noſtras opimis fructibus fœcundavit. Male enim creditur, diuturna vitæ commoda & tranquillitatem illis inſervire, qui iſta non muniant præſidio inteſtinæ ſecuritatis, & res miraculo proxima eſt iis qui diſcordes ad cælum preces porrigunt, concordia fortunæ oracula reſpondere. Jam univerſo notum eſt, & omni clarius arcanum documento, cruenta Chriſtianitatis odia, quibus finem tutumve remedium humana prudentia excogitare nequit, non ex alio uberius fonte promanare, & incrementa in dies ſumere, quam ex Religionis diſſenſu, dum quod author concordiæ Deus, pro ſanctiſſimo atque tenerrimo vinculo animis mortalium dederat, id pater diſcordiæ Satan, in exquiſitum, injuriæ, odii, & ſuſpicionis abuſum convertit. Etſi enim multæ olim inter vicinos ultro citroque bellorum cauſæ extiterint, illæ tamen plerumque breves, aut poſt longiorem luctam honeſtis terminatæ conditionibus; iſta ſola ex omnibus cauſa eſt, à qua nunquam recedit timor, cui nunquam ſuccedit fides, cui nullum par lucrum, cui nulla digna commutatio, cui ſumma omnia ſubmittunt caput, dum diffidenti quiſque metu rem delicatiſſimam tuetur, cui belli pericula, quam pacis conſilia judicat eſſe tutiora. Quod fatale infortunium ut ex animis Noſtrorum regnicolarum, Provinciarumque Regno huic Unitarum, aliquando pellatur, utque ſententiæ hucuſque diſcordes, & diſparia doctrinarum principia, in mutuam fidem & unionem ſenſus ſuaviter redigantur, Nos, quibus Populorum Divina diſpoſitione Nobis creditorum, omni ſui parte conſtans integritas inprimis cordi eſſe debet; cum in Novembri proxime lapſo, Synodi Provincialis Var- Ep.587.
ſaviæ celebrandæ tempus appeteret, animorumque non armorum bellum ſciremus eſſe componendum, Pacis hoc reſumendæ miniſterium Reverendiſſimis Dominis Epiſcopis, quibus Eccleſiæ gubernandæ munus Spiritus Sanctus credidit, eo qui Regem Catholicum & Populi Sui felicitatem unice amantem decet affectu & fide per Legatos Noſtros exponi fecimus, paratamque in animis eorum ſancti deſiderii reperimus ſegetem, utpote quibus inter Paſtoralis ſolicitudinis capita, iſtud non occurrit primum, ſed recurrit perpetuum, ut & quæ à Patribus in depoſiti fidem acceperunt, integra ſervent, & quæ temporum horum ſtatum concernunt, Nobis decora & commoda, & planiora poſteris, cultioraque tranſmittant. Id exoptatur à Nobis, id agitur, ut diſſectum diſſonis opinionibus myſticum Chriſti corpus, unitati priſtinæ reſtituatur, ſævaque Religionum diſſidia, quæ vicinum undiquaque comburunt orbem, fraternæ charitatis dulci remedio, & quæ ad iſtam animos diſponere poſſunt, mediis, placide ſopiantur. Quamvis autem nihil prope intentatum hucuſque ſit, quod non iſti fini, anxia de filiorum ſalute, & votorum pæne laſſa, Eccleſia adhibuerit, & advocatis infelicis diſcordiæ, ſuperflua videri poſſit pietas hujus reconciliationis; indefeſſus tamen & altioris ſpei potens genius, Polonæ, ſed multo magis Chriſtianæ charitatis, Nobis iſtam ſuaſit fiduciam, ut dubitare Nobis non liceret, quin corrigere poſſit infinita Dei bonitas, quod aliquando finienda inimici corrupit iniquitas. Eadem enim Nobis origo ſeminis eſt, cujus memoriam hucuſque in Chriſtiani Nominis Sacramento conſervamus. Una nos peperit olim Mater Eccleſia, Chriſti fœcunda ſanguine, una nos legis & inſtituti mente, tot ſeculorum rexit authoritas; ſed diverſæ educationis inſtituto, & ejus, qui à principio fratrum accuſator fuit, artibus effectum eſt, ut in diverſa abirent, & nomen diſcordiæ darent, quos in concordiæ ſubſidium primitivus amor genuerat. Magnum Cœli Terræque detrimentum, Noſtro pariter Veſtroque dolore, & Chriſti Summi Paſtoris ovium miſeratione dignſſimum. Id Nos, quantum in Nobis eſt, ſarcire, id nova antiqui fœderis redintegratione reparare cupimus. Divinumque imploramus auxilium, quod aura ſpei benignæ vela Noſtræ cogitationis impellit. Verum enim vero, cum tot eruditiſſimarum ſcriptionum, concionum, privatorumque alloquiorum, anguſtum admodum, & imparem labori fructum hactenus experti ſimus, morbus autem opinionum, in univerſum corpus longe ſparſus ſit, & particulari remedio nequeat perſanari; tale Nobis, niſi actum vellemus agere, illud quærendum fuit, quod in omnes Regni Noſtri Provincias Populoſque, vim ſalutis queat diffundere. Nihil autem inſignius natura, ad celebrandum animorum

Ep.587. morum commercium dedit mortalibus, quam ſermonis munus, ſi ora oribus, voceſque conferant vocibus, & ſi verba deſint, tacita frontis oculorumque lectione, veritatem affectuum, & ſenſuum fidem explorent. Cum genus humanum Æternus Filius Patri reconciliaturus eſſet, Verbum ad nos in carne venit: unde nos magna & fauſta ducit exempli authoritas, ut cum inter Noſtros & Veſtros de reconciliatione Sententiarum & Pace animorum agendum ſit, colloquium inter Vos amicum & fraternum inſtituatis. Cui negotio, ut quam breviſſimis ſpatiis ad expeditum finem decurrat, ex conſenſu Sacræ Synodi Varſavienſis R. R. D. D. Epiſcopi, è medio ſui R. D. Georgium Tyſzkiewicz Epiſcopum Samogitiæ deputarunt, eumque congreſſus iſtius à parte ſua Directorem conſtituerunt, delectis inſuper duodecim Viris doctis, rerum harum peritis, piis & moderatis, laboriſque patientibus, qui ad x Octobr. Styli Gregoriani anni hujus, Torunium in Pruſſiam Regalem (quod Conventui huic celebrando commodiſſimum judicavimus) congregati, Sin. & Fid. Veſtras, & numero, ſuffragiis & omni pares apparatu opperientur. Adjungemus Eiſdem, pro conſilii Noſtri ſententia, Viros ex Senatorio Ordine, ritus utriuſque, præcipuæ in Regno Noſtro authoritatis, qui actionum teſtes ſint, omni exceptione majores, idque agant & obſervent, ut placidis affectibus, & decenti morum modeſtia, ſine aculeis, acrimonia, & irritamentis ab utrinque agatur. De reliquarum autem numero perſonarum, quos laborioſa hæc functio, pro ſubſidio, aut ſupplemento requirit, deque comitatu, ſalvo conductu, de immunitate Provinciarum & Privilegiorum, cæteriſque modis tuendæ publicæ privatæque ſecuritatis, peculiare reſcriptum, ex Cancellaria Noſtra, Sin. & Fid. oportune promulgari jubebimus. Prodit ergo jam ad Vos, Filii, Mater Eccleſia, multis onuſta ſeculis, atrocibus vexata injuriis, innumeris ſaucia vulneribus. Secula ſuperat vivacitas, injurias condonat charitas, vulnera ſanat patientia. Solum dolorem ars nulla lenire poteſt, dum diminuta prole, alterius lateris orbitatem mœrens oſtentat. Obſervat anxia ventos, frequentat littus, expectat redeuntes in patriam à longa peregrinatione filios, paſſiſque obvia manibus, jam in proſpectu cunctantes, ad lumina, ad oſcula, ad pacis hæreditatem, toto Vobis interceptam ſeculo, vocat. Eadem votorum Noſtrorum ſumma eſt, quæ charitatis ad Vos oratio, quam Nos ardentibus & ſinceris provehimus ad Vos ſuſpiriis, quibus utinam aliquando pectora Veſtra incaleſcant! Jam ſupra ſeculum aliquid Chriſto debetur. Et ne forte, tam illi, quorum maxime intereſt, quam Nos, à quorum publicæ curæ autoritate nequeunt ſeparari, dum ſeculorum agentur rationes, in debiti iſtius accuſationem veniamus, ecce & illi, Paſtorale faſtigium ad libertatis æquilibrium, quantum illis licet, & Vobis expedit, demittunt, pandunt Vobis ſinum in patientia probatæ Charitatis, portas Vobis & parietes reſerant, quos capaces plurium, Majores Noſtri erexerunt, Vos, ſi patimini nomen, ut Filios, aut ſi Fratres appellari mavultis, ut Fratres ad ſalutaris & honorificæ reconciliationis conſilia invitant, & Nos Regiam Noſtram Dignitatem, cum manſuetudine Paterna permiſcentes, Sin. & Fid. Veſtris ut Subditis Noſtris dilectis, fructum & ornamenta publicæ Pacis, & quicquid Nos habemus carum, & ſi quid Vos cenſetis ſpecioſum, Regia manu offerimus. Denique promittimus verbo Regio, & proteſtamur coram Deo, Nos in propoſiti operis inſtituto, nihil magis intendere, nil conari, promovereque, quam ut Chriſtus Regum Rex in Pace imperet, qui Nos in exoptatæ Pacis poſſeſſione collocavit; ut profligata omni diſſenſionum materia, animiſque novo amoris incremento fideliter ſociatis, Una fide colatur, Unoque ore laudetur Deus, ut Vos in inclyto hoc Noſtro Regno, tam numeroſis conſiti Provinciis, unius Regis imperio, unius fructu libertatis, tam multiplici cariſſimorum pignorum neceſſitudine devincti, non amplius piis Majorum Veſtrorum iniqui manibus, Vobis autem per omnia pares & æqui, perpetua florentes felicitate vigeatis. Interim Sinceritates & Fidelitates Veſtras bene valere cupimus. Datum Vilnæ, 20 Martii anno Salutis 1644. Ep.595.

VLADISLAUS REX.

IC LXXXVIII.

Sacræ Regiæ Majeſtati, Domino, Domino

VLADISLAO IV.

Dei Gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Severienſi, Smolenſcenſi, Szernihovienſi;

NEC NON

Sueciæ, Gothorum, Vandalorumque Hæreditario Regi.

Domino, Domino Noſtro Clementiſſimo: Nomine Euangelicorum ab Eccleſia Catholica Romana, in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ Diſſidentium, ex Colloquio Orlenſi per Delegatos Ipſorum habito, Anno M DC XLIV.

Humillimi Reſponſi Libellus.

MOleſti procul dubio S. Majeſtati Tuæ eſſemus, Invictiſſime Rex, vel, quod má-

Ep. 588. mavis & mereris, Optime Princeps, vel quod Tuæ Majeſtati maxime convenit, Mitiſſime Populorum Tuorum Pater Vladiſlaë, Domine, Domine Noſter Clementiſſime, ſi ad Literas Majeſtatis Tuæ Vilnæ datas, quas à miſeratione gentium ob diſſidia Religionis ſub cladibus belli pereuntium, incipere ad Nos Subditos Tuos voluiſti, Reſponſionem Noſtram à celebratione virtutum, & rerum per Te feliciter geſtarum, more in alloquendis Regibus uſitato, vellemus exordiri. Nempe humilia Majeſtati Tuæ videntur illa, quæ in terras tuas contuliſti merita, & beneficia: Jam altius aſſurgis, & quanto pietatis pignore cœlum ipſum obligare Tibi debeas, Auguſta Tua mente, quæ ſola tantarum cogitationum eſt capax, circumverſas. Ergo nec victorias tuas ex immaniſſimis partas, nec vitam pertinaciſſimis donatam, nec pacem cum præmio belli elatiſſimis extortam hoſtibus, commemorabimus; ſed Tuæ bonitatis ſecuti exemplum, ad acerbiſſimas vicinorum populorum calamitates, ſerio ſincereque ingemiſcemus. Licet vero ad præſens, quo Europa ardet, incendium, multæ per intervalla annorum cauſæ concurrerint; originem tamen, aut certe prætextum, à Religione ignem hunc traxiſſe, nemo eſt qui ignoret. Cum enim non ratione, ſed ferro; non Divinis Scripturis, ſed cruentis edictis, decerneretur; cum non ſanitas eorum, qui morbi arguebantur, ſed internecio, quæreretur; cum alteri dare, alteri perdere nollent illam, quam ſolius Dei imperio teneri Cæſarum & Regum optimi dixere, Conſcientiarum Libertatem; factum eſt, ut illos vincendi ardor, hos moriendi pro tali cauſa voluptas, in tam triſtes rerum viciſſitudines impulerit, ut mœſtus & attonitus Chriſtianus orbis timere incipiat, ne non ceſſantibus tantorum odiorum furoribus, mox deſinant, tam qui vincere volunt, quam qui victorum arbitria pati non poſſunt. Sed jam à retroactis ſeculis Divina miſeratio benigniora de patria noſtra cogitavit conſilia, dum Sacris Noſtris Regibus maternæ D. Parentis Tui ſtirpis auctoribus, tum & populis eorum imperio ſubjectis, eam inſpiravit mentem, ut & domi Græcæ Eccleſiæ à Latina diverſitatem placidiſſime ferrent, & foris dura illa averſarentur exempla, quæ in vicinos, nullius in Deum blaſphemiæ aut contumeliæ, aut factorum Chriſtianiſmi fundamentorum reos, ſed tantum Eccleſiæ emendationis cupidos (ut ex Catholicis illius & poſterioris ævi ſcriptoribus accepimus) ſtatuebantur: Et licet in gratiam alicujus rigide aliquid ſanxiſſent, nunquam id tamen ſuo Regali brachio exſequi, vel erroris inſimulatos in gremio Reipubl. quæri, & ad ſupplicia trahi permittebant. Notamus & id, quod eo maxime tempore tanto veritatis noſcendæ ſtudio exarſerint, ut Sacrorum Bibliorum codicem, ante in lingua vernacula vix viſum, anno CIↃ CCCC LV. patrio idiomate in uſum Sacræ Reginæ deſcripſerint; poſtea, cum altero ſeculo totus fere mundus in exitium eorum, qui (ſimilem ob cauſam) ab Eccleſia Romana ſefe alienaverant, commoveretur; cum Oceano & Adriatico mari adjacentia Regna Concilii Tridentini, primum ex unius autoritate agendi, poſtea ſtabiliendi cauſa, funeſta inter ſe fœdera ſancirent; ſapientiſſimus Proavus Tuus Sigiſmundus I, & Filius ejus Sigiſmundus Auguſtus R. R. cum prudentiſſimis Ordinibus non tantum illis nexibus Se Suoſque implicari noluerunt, ſed potius cum viderent Sui, Suorumque ab illo Concilio parvam rationem haberi, temporibus illis ad aſſerendam Regum autoritatem, ad luſtrandas à Crucigeris, hominum genere religioſiſſimo, ſuas ditiones, ad promulgandas leges, brachio Sedis Romanæ ingratas, ſed Reipub. utiles, denique ad permittendam conſcientiis hominum in religione libertatem, uſi ſunt. Cum vero hæc Regum ac Majorum Noſtrorum providentia, ac Moderatio non ſatis æquis judiciis traduceretur, adeo Ordines Reip. illa judicia non extimuerunt, ut ultimo Jagellone extincto cum Reſpubl. liberrimam de Statu ſuo ſtatuendi haberet poteſtatem, nec aliud tegumen (vel patrio noſtro ſermone Kaptur) ſalutis & libertatis Univerſorum, quam illam ſanctam, & omnibus vicinis invidendam *Pacis & Tranquillitatis Diſſidentium in Religione Chriſtiana Confœderationem* condiderint, ac Reges Suos non alio annulo, quam, cui illa inſcriberetur, deſponſari ſibi voluerint; immo ne ulla poteſtas ſupra Reges ſefe attollens tam grande ſolveret ſacramentum, meminiſti Rex Invictiſſime, quibus verbis (verba enim illa proculdubio, non in ſolo Legum codice, ſed in Regio corde Tuo divino digito inſculpta manſerunt) in fine Regii juramenti proſpexerint. Quo unico remedio, non armis, non ſeditione, non poſt triſtia virium experimenta, ſed ante omnem diſſidii aleam ſponte inter ſe conſtituto, non tantum patriæ, tam vaſta terrarum ſpacia, tam diverſas Nationes, Linguas, Leges, Mores, Ritus, Magiſtratus complectentis, orbitatem ſub Interregnis ab omni vi externa tutam & ſecuram, ſed etiam Univerſorum Libertatem & Tranquillitatem domi inconcuſſam retinuerunt: & quod inter arcana Politica cenſeri poteſt, Religionem Romanam, ac Eccleſiaſticam Dignitatem & Eminentiam, quæ nunc alibi ſub onere victoriarum Catholicarum ægre ſpirat, conſervarunt; & non quærendi, ſed ex Suorum Regum ſanguine, qui ſubditos Religione diſſidentes, ſed fide & obſequio, concordes & pares, paterno affectu complexi ſunt, Principem vacantibus Sceptris ſumendi, genium & conſuetudinem liberrime genti inſtillaverunt. Hæ Polonorum & Lithuanorum fue- Ep. 588.

runt

Ep.588. runt artes, hæ Majorum Tuorum virtutes, quibus per integrum ſeculum Religioſi belli facem à finibus ſuis arcuerunt. In quas cum Majeſtas Tua liberis diſſidentium Religionum ſuffragiis ſucceſſiſſet, parum duxit eas potenter manu tenuiſſe: (quæ maxima eſt felicisſimi Tui decennii gloria) ſed inſuper diverſos de Sacris ſenſus conciliare & ad poſteritatem Fidei & Eccleſiæ Unitatem tranſmittere, inſtituit. Magnum opus, & non modo dignitate, ſed Divinitate Regum, quam Vobis vox Dei communicat dignum. Sed providendum Domine Noſter Clementiſſime, ne inde maximas difficultates experiaris, unde minime expectas. Cui enim eſt ignotum, alteram partem, cum alios non tantum emendare, ſed etiam judicare velit, ſe ipſam ad ullum æquilibrium demittere nolle? Tales quomodo ad juſtam & legitimam conciliationem permoveris? Conciliatores tanti operis Majeſtas Tua proponit, Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos Regni & Magni Ducatus Præſules, Viros in Patria ſummos, meritis amplisimos: Sed an illis juramentum Sedi Romanæ præſtitum, in quo nec Tui, nec Patriæ, nec Legum Reipubl. ullam legimus mentionem, impedimento ad Colloquium Liberum non ſit futurum, judicio Majeſtatis Tuæ ſubjicimus. Inſuper Præſidem Conventus Majeſtas Tua nominat Virum Illuſtriſſimum & non minus Epiſcopali, Senatoriaque dignitate, quam probitate morum conſpicuum: ſed quamvis alteri parti alter concederetur Præſes (quod unice in ejuſmodi congreſſibus requiritur) quis tertius diſcordiam eorum compoſiturus eſſet? præſertim ſi ad colloquium, poſita certa decernendi de controverſiis regula, per Theologos utriuſque partis deſcenderetur. Nec latet Majeſtatem Tuam Regiam, quanti minora Ordinum & Subditorum Tuorum deſideria, & poſtulata Romæ quandoque fuerint habita. Optime quoque novit, de ulla etiam minima re, ſive decimas, ſive præſcriptiones, ſive commutationes concernente, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Gneſnenſem, licet Legatum Natum, & Primatem Regni, cum univerſo Illuſtriſſimorum Epiſcoporum Collegio, nullas conventiones, ne quidem cum Catholicis perſonis, & cum utilitate Eccleſiæ conjunctas, libera auctoritate inire poſſe: Immo (quod non invidiæ, ſed neceſſitatis cauſa ſcribi à Nobis, coram Deo proteſtamur) gratitudinem, quam Tibi obviis ulnis tota nuper obtulit Reſpub. inconſulta Sede Romana, de propriis ſuis reditibus, qui alioquin in liberrima uniuſcujuſque Eccleſiaſtici ſunt diſpenſatione, æqualiter cum concivibus ſuis concedere non potuiſſe: quamvis credamus illos, ne vitæ quidem, & ſanguini ſuo, pro Tua Majeſtate, parſuros. Nec id adhuc oblivione ſepultum, quod ſcholas, ingenia, typographias, fora domeſtica, & externa, Comitia, Interregnum fatigavit: nempe Academiæ Cracovienſis, tot legibus & privilegiis munitæ, Libertatem & Pacem, tandem non domi, ſed Romæ, tum ab Academicis exorandam, tum Autoritate Tua, Illuſtriſſimique Legati Tui prudentia, vindicandam fuiſſe. Taceri denique non debet, quod Annales noſtri loquuntur, quale reſponſum ex ore Legati Romani, Regiæ aures Abavi tui, D. Caſimiri, ob dignitatem Eccleſiaſticam, præter mentem Summi Pontificis à Rege collatam, audiverint. Hæc & alia, quæ brevitatis cauſa omittimus, quantula ſunt, ſi cum propoſito conciliandæ Religionis, in qua de capite & ſumma rerum neceſſario tractandum eſſet, conferantur? Proinde num alius ex congreſſu partium præſagiri poſſit eventus, quam quod aut ipſi Conciliatores, irreconciliabilem Sedem Romanam deinceps eſſent habituri, aut omnia quæ ab ipſis acta ac tranſacta fuerint ad unius Bullæ promulgationem evaneſcerent? Si enim Tridentina Synodus non auſa eſt quicquam ſine conſenſu Sedis Romanæ ſtatuere, quomodo Thorunienſe Colloquium, ſine illo vel hiſcere auderet? Dixerit ergo aliquis: Nos Subditos Majeſtatis Tuæ, Euangelicam Religionem profeſſos, ſanctis Tuis conatibus per ejuſmodi terrores obicem ponere, ut Nos à reddenda in publico fidei noſtræ ratione ſubducamus? Iſta quidem invitatio, quæ literas Majeſtatis Tuæ antecеſſit, illa præſertim, cui Vilnæ etiam ignominia addita eſt, & contumelioſo, jugulumque libertatis noſtræ petente libello confirmata, ita à conſuetudinibus patriæ, gentiſque noſtræ liberæ moribus procul abit, ut Nobis juſtiſſimam excuſationis dare potuiſſet cauſam: Sed avertat Rex Regum, Deus, ut hoc in ſubterfugium vertamus: Immo per Eum, & per Ejus gloriam, ad quam & hominem condidit, & Reges in ſoliis collocavit, Te Rex Clementiſſime oramus & obſecramus, ut propoſitum hoc Tuum ad ſolos quidem ſubditos Tuos ex ſacro ore Tuo emiſſum, ſed jam univerſæ Europæ auribus exceptum, magno & conſtanti animo proſequaris. Memento Te illi Septentrioni regnare, in quo non minus libertas quam magnanimitas, fœcundum heröicorum exemplorum nidum à ſeculis poſuere. Expectabat terrarum orbis, unde alterum Regni Tui decennium exorſurus eſſes: Nunc jam audit, & aſſurgit pietati & magnanimitati Tuæ, intentus quo evaſura ſunt iſta, quæ mente præcepiſti. Voluit ſimile Colloquium ante octuaginta ſex annos D. Sigiſmundus Auguſtus; prompti erant ad comparendum Majores Noſtri: ſed cur alterius partis autoritate diſſolutum id fuerit, ſcripta illo tempore edita loquuntur. At quid impedit iterum id aggredi? Tuæ fortaſſis Majeſtati, Tuiſque temporibus utramque partem miſerabiliter, ut ipſe mones, attritam, ad conſilia Pacis mo- Ep.588.

Ep.588. ventibus, hanc fata reſervarunt gloriam. Tibi ipſa Natalium Tuorum ſemina ſuggerunt hanc mentem, ut exemplo Avi & Proavi Paterni, laudatiſſimorum Regum Sueciæ; exemplo præterea Jagellonidarum, & fortiſſimi Stephani ac Genitoris Tui Optimi & Religioſiſſimi Principis D. Sigiſmundi III Regum: Inſuper in auguſtiſſima materna domo Tua, exemplo Caroli V. Ferdinandi, Maximiliani, Rudolphi, Cæſarum, ſub quibus Reformatio Religionis partim propagata, partim conſervata eſt, non ſis adverſarius cauſæ, quæ apud Te diverſimode accuſatur. Tibi denique virtutes & actiones Tuæ, apud utramque partem, rectitudinis & integritatis in hoc difficillimo negocio fiduciam facient, quod & ſuæ Catholicæ Religioni ubique ſatisfeceris, & in diverſam, nec in acie, nec in foro, gladium Tuum vagina eduxeris. Ibimus ergo, Rex Sereniſſime, quando Nos Pietatis Tuæ auſpicium vocaverit. Sed ibimus in conſpectum Majeſtatis Tuæ. Cum enim videamus nihil per duodecim Theologos, immo nec per Epiſcopos ob ſupra ſcriptas rationes, de hac cauſa, in qua Reformatio Eccleſiæ (ſine qua conciliatio Religionum nulla) tangenda eſſet, libere dici poſſe; propterea Regis, non per hominis, ſed per Dei gratiam conſtituti & regnantis, præſentiam imploramus. Illuc cum Illuſtriſſimi Epiſcopi, & Venerabiles Theologi, liberas & omni metu ſoluras conſcientias attulerint, & ad ſolius Sacræ Scripturæ regulam, ac primævæ Apoſtolicæ, Apoſtolicorumque Diſcipulorum, & ſequentium trium ſeculorum Eccleſiæ mores & inſtituta, & juxta quatuor Oecumenica Concilia, Seque, Noſque, examinari voluerint, coram Tua Majeſtate, tanquam Uncto Dei, ſalvis illis, in quibus nati ſumus libertatibus, cauſæ Noſtræ à principio Reformationis nunquam celatæ, aut in tenebris abſconditæ, ſed ſemper & ubique in lucem, ac potiſſimum in conſpectum Divorum Anteceſſorum Tuorum productæ, bonitatem, & Majorum Noſtrorum, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt, innocentiam, opi Divinæ fidentes, probaturi ſumus. Ut autem vis & fructus ſalutaris Tui propoſiti, in ditionum Tuarum omnes ſubditos, ac in vicinas regiones tali remedio potiſſimum egentes, ſeſe effundat; humiliter à Majeſtate Tua petimus, ut tanti negotii, ſub oculis Majeſtatis Regiæ, tractationem ad proximum ver aut æſtatem differre dignetur. Ità & Illuſtriſſimo Regni Primati, Illuſtriſſimiſque Epiſcopis, extraneorum Epiſcoporum & Theologorum in hac communi cauſa conſilia & ſententias explorandi, & Nobis, quantulæcunque ſubditorum Tuorum parti, cum exteris Eccleſiis eadem Religione junctis communicandi, & earum Theologos ad ſpectandam virtutis & pietatis Tuæ magnitudinem, ſalvo conductu Regio (civibus enim & indigenis Reipublicæ præſidio legum ſatis proſpectum eſt) evocandi: denique ſeſe ad conventum præparandi, & ſiſtendi, tempus concedetur. His poſitis, quandoquidem Majeſtati Tuæ Regiæ ſolius Dei gloriæ amplificatio ſcopus eſt, magnam ſpem de miſericordia Dei concipimus, Illum, ſecundum rectitudinem cordis Tui Regii, & candorem Illuſtriſſimorum Epiſcoporum, omnia largiturum, & Tuam Majeſtatem, Ordineſque Reipubl. in emendanda per Majeſtatis Tuæ ditiones Eccleſia, legitimaque & primævis Chriſtianitatis temporibus conſentanea Hierarchia conſtituenda, pro exemplo orbi terrarum, virtute ſua ex Alto adjuturum. Sed ne quiſquam ſuſpicetur (licet id craſſiſſimæ eſſet ſuſpicionis) Nos ideo præſentiam Majeſtatis Tuæ exorare, ut ſi forte propter graviſſima Reipubl. negotia præſens eſſe non poſſit, lucem & conſpectum hominum hoc pratextu evitemus: Ideo amplius adhuc falcibus Clementiæ Tuæ Regiæ Nos Noſtramque fiduciam humillime ſubſternentes, declaramus, licet acerbiſſimum Nobis liberis hominibus ſit futurum, non coram Rege, ſed coram Præſidibus, rationem Religionis reddere, & periculoſe ſiniſtrarum vel ambiguarum delationum aut relationum aleæ, Nos Noſtraque ſponte committere, Nos ne id quidem refugituros: His tamen juſtiſſimis requiſitis prius à Majeſtate Tua ſupplicitèr exoratis: Primo, ut alteri Præſidi ex Noſtra parte ſuffragiis Noſtris electo, par à Majeſtate Tua detur poteſtas. Alterum, ut non ſolum viva voce, cujus magnam vim agnoſcimus, ſed etiam ſcriptis, in quibus eſt efficaciſſimum contra temere negantes vel affirmantes, vel aliorſum ſeſe vertentes, remedium & teſtimonium, omnia ea, quæ dicentur, parti à parte in Colloquio exhibeantur. Tertio, ut prorogatione temporis, prout ſupra petiimus, clementer conceſſa, menſura quoque ejuſdem Colloquii brevi aliquo temporis ſpacio determinetur: Noſtram enim tenuitatem imparem eſſe aliorum abundantiæ fatemur. Quarto, ne ſibi quiſquam aliquid in Nos ſtatuendi aut decernendi poteſtatem uſurpet. Denique poſt quemcunque Colloquii eventum, ut Nobis æque ac alteri parti liceat Acta Colloquii publicare, ſine ullo in autores, in ſcripta, in typographos, & bibliopolas, legenteſque, pœnarum metu. Verum enimvero, ſi tam juſta & paritati Colloquiorum debita, Nobis denegabuntur; aut ſi per promulgationem charitativi Colloquii, non libertas & pax Eccleſiæ, nec abuſuum emendatio, nec gloriæ Divinæ, ſed autoritatis humanæ vindicatio, quæritur; Id certe nihil aliud foret, quam ſi vocaremur, ut inſtar reorum, per confeſſionem, Noſtros, Majorumque Noſtrorum errores ac delicta expiaremus, & portam Romanæ Eccleſiæ, quæ ut exeuntibus, ita redeuntibus ſponte patet, reſerari nobis peteremus. Quod quidem Nos de Tuæ Ep.588.

Ep.588. Tuæ Majeſtatis bonitate opinari nefas ducimus: ſed multis experimentis contra Nos cauſamque Noſtram ex leviſſima occaſione præſumi, edocti; ab adverſa fortuna veremur. Hic ergo figimus pedem, & libertatem Noſtram in humilitatem, jura, in preces, uſum & conſuetudinem immunitatum in ſupplicationem vertentes, Majeſtatem Tuam Regiam, ad genua Ejus provoluti, obſecramus: Primo, ut ponat Sibi ob oculos, quam ſæpe non lætata ſit Patria Noſtra, ex illa Orientalium rituum Eccleſiæ, pleriſque invitis, reductione. Deinde, ut poſtulet à Nobis vitam, ſanguinem, & quicquid ab honeſtis & in libertate natis hominibus poſtulari poteſt, id alacriter pari cum Romano-Catholicis Fratribus Noſtris fide, virtute & exemplo (prout id ſemper & ubique à Nobis, Majoribuſque Noſtris præſtitum eſt) pro Majeſtate Tua, & pro ſalute libertateque patriæ, profundemus. Hoc vero Majeſtas Tua de Nobis nunquam à quoquam perſuadere Sibi patiatur, ut vel vitæ pretio contra conſcientiam & cognitam veritatem, quidquam admittamus, vel paciſcamur. Nemo nos hinc apud Majeſtatem Tuam pertinaciæ, aut ingratitudinis accuſet, ac ſi paternum Majeſtatis Tuæ affectum Nobis liberaliſſime in literis declaratum, aſpernemur. Qui Nos enim ſumus, ut tanti Regis amorem & benevolentiam humiliter non veneremur? At proſpicimus, ſi ejuſmodi quale ſupra petiimus, & quale olim tempore Majorum Noſtrorum à Concilio Tridentino non eſt obtentum, Liberum Nationale Concilium, agi non poteſt, magis expedire, non Nobis ſolum, ſed & Reipublicæ, ut hanc quam Regia Majeſtas ſuſcepit paterna ſollicitudine curam, vertat ad avertendas oppreſſiones, gravamina & præjudicia, quæ paſſim Subditis Majeſtatis Tuæ, juris prætextu, Religionis cauſa, inferuntur; & ad conſervandam, & manutenendam illam pacem, ac tranquillitatem, quam ſacro Regio juramento, ſpopondit. Si quæ ſolatia & ornamenta communis in ſe Patria Noſtra complectitur, ea ex lege aureæ æqualitatis quiſque pro meritis ſuis à juſtitia & clementia Tuæ Majeſtatis, cor Regis Deo inflectente, exſpectabit. Si vero quid adverſi (quod ſub juſtiſſimo Tuo Imperio non metuimus) imminebit; Nobis tamen pretioſius erit, in domo luctus, cum bona conſcientia verſari, quam in domum gaudii cum pudore & extremi judicii metu commigrare. Hæc Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Domine Noſter Clementiſſime, ad Literas Majeſtatis Tuæ, Nos Subditi Tui, hic Orlæ neceſſario ad communicationem ſententiarum, ſine qua, nec Majeſtati Tuæ, nec Illuſtriſſimo Senatui Eccleſiaſtico, reſponderi potuit, ex Ordinariis, Trium Provinciarum Synodis Euangelicis Deputati, humillime reſpondemus; ac Nos, ſalutem, libertatemque Noſtram Majeſtatis Tuæ Clementiæ & Protectioni commendamus: Regem Regum precati, ut plurimis Imperio Tuo additis annis, dotes illas, quas in Majeſtatem Tuam contulit, ad illuſtrandam gloriam & veritatem ſuam cæleſtem, & ad terrendos Majeſtatis Tuæ & Patriæ Noſtræ hoſtes, adeoque ad amplificandam univerſi orbis felicitatem, convertat. In quorum omnium fidem humillimas iſtas literas, Nobis conſentientibus & committentibus ſubſcribit, Ep.589.

Sacræ ac Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ
fideliſſimus Subditus,

Et humillimus ſervus

JANUSZIUS RADZIWIL,

Director conventus.

IↃ LXXXIX.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime

ARCHIEPISCOPE GNESNENSIS,

Regni Primas, Primeque Princeps,

cæterique

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ Epiſcopi, Domini & Amici ac Fratres Noſtri obſervantiſſimi.

POſtea quam rumor de Colloquio in cauſa Religionis inter Diſſidentes, ex ſententia Synodi Verſavienſis anno præterito celebratæ, ineundo, per Poloniam, Lithuaniamque ſpargi cœpit, cum omnium hominum animos novitate rei tactos reddidit, tum in Euangelicis (prout illi, quibus aliquid dolet, in ſpem & metum prompti eſſe ſolent) ſpem geminam excitavit. Aut tempus ſub altero feliciſſimi Vladiſlaviani imperii decennio imminere, quo iterum Deus ampliorem viam in Patria Noſtra, aperire velit illi cæleſti ſuæ veritati, ad cujus inermem ſonitum tot Reges & Regna, tot Principes & Ditiones, tot Epiſcopi & Eccleſiæ olim ſteterunt, & ſoli Deo ſponte dederunt gloriam, quot ullis armis, aut exercitibus, aut cædibus, ad Religionem compelli invitos potuiſſe, nulla unquam ætas memoravit: Aut ſaltem illud veniſſe tempus, quo Prudentiſſimus Senatus Eccleſiaſticus, ad Sacra juramenta Regum, ad Generales Confirmationes Jurium, & ad Unanimes Ordinum Confœderationes reſpiciens, cogitet & meditetur, eas à neglectu vel ſenio, quod contraxiſſe videntur, vindicare, & in Euangelicos, toto hoc ſeculo nullo jure fatigatæ Patriæ reos, diverſis potius patientiæ experimentis fatigatos, abundantiora paterni & fraterni affectus ſui, teſtimonia effundere, placidioremque rebus eo-

Digitized by Google

Ep.589. rum concedere temperiem. Sed cum jam ipſa Invitatio, nomine Illuſtriſſimarum & Reverendiſſimarum Dominationum Veſtrarum ſcripta in lucem prodiret, illico ipſa ejuſdem, præſertim illa quæ Vilnæ facta eſt, publicatio, ſpes Noſtras labefactare, & pro illis hanc cogitationem pectoribus Noſtris incutere cœpit, ne forte eo res deducatur, ut conſcientiarum libertate exuti, ad Eccleſiam, cui Majores Noſtri juſtiſſimas ob cauſas renuntiarunt, quoquo modo retrahamur. Nam cum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominationes Veſtræ æqua judicii lance negotium id expenderint, animadvertent, in Patria Noſtra, ad literas, ſola authoritate Senatus Eccleſiaſtici emiſſas, in cauſa Religionis comparere, rem ſatis per ſe eſſe novam, & præjudicio non vacuam, ideo ſaltem molliori, moribuſque Libertatis convenientiori modo, Nobis intimandam fuiſſe judicabunt. Accedit, quod ex ejuſmodi Invitatione, tam pius in reducendis Nobis ad Eccleſiam Romanam in quorundam animis exarſerit zelus, ut talem contra Nos, vitamque, libertatem, & ſecuritatem Noſtram, niſi Nos reduci pateremur, ſub clypeo authoritatis Vilnæ evulgárint Libellum, qualem non ab hominibus in Patriis Legibus perfunctorie (quod etiam in bonis tolerandum quandoque eſt) verſatis, ſed Patriarum Legum prorſus inimicis, proficiſci debuit. Summam ergo æquitatem & integritatem Veſtram Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Patriæ Noſtræ Antiſtites, appellamus, an potuerit Nobis alia tum mens eſſe, quam quæ liberis & pari Vobiſcum ſanguine cretis hominibus eſſe debuit, ut nimirum aut taceremus ad Literas, aut denegaremus Noſtri præſentiam? Sed provida Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi, pietas & ſolicitudo in remedium ejuſmodi doloris & contemptus Noſtri ſubſequuta eſt, cujus Literas Regias Vilnæ menſe Martio ſcriptas, & poſtea typis vulgatas, cum alii Noſtrum præterito menſe Junio, alii ſubſequenti Julio, nacti eſſent, nec æquum, nec amori & obſequio Noſtro in Patrem Patriæ Noſtræ conſentaneum eſſe duximus, ſi coram Sua Majeſtate Fidei & Religionis Noſtræ rationem reddere hac occaſione recuſaremus. Communicatis igitur, quantum anguſtia temporis ferebat, non quantum rei magnitudo poſtulabat, inter Nos ſententiis, ad diem D. Bartholomæo ſacram, ex Majori Minorique Polonia, & Mag. Lithu. Ducatu huc Orlam convenimus; ut tum Regi, Domino Noſtro Clementiſſimo, tum Vobis Ampliſſimi Præſules, unanime à nobis daretur reſponſum. Cum vero Regiæ Majeſtati omnes Noſtras rationes pleniſſime (prout ex adjuncto Literarum exemplari patet) expoſuerimus, idcirco Illuſtriſſimis DD. Veſtris ſatis in iiſdem Nos reſpondiſſe arbitrati, Eas prolixitate ſeorſivi Reſponſi non onerabimus: Sed per omnia, tam univerſæ Chriſtianitatis, quam Patriæ, quæ Veſtram Noſtramque complectitur ſalutem, ſacra; & per illa magnæ functionis Veſtræ Nomina, in Sacris Scripturis radiantia, oramus & obteſtamur, ut poſt gloriam Dei, Pacem, & tranquillitatem, Libertatem Patriæ, more Majorum, conſervetis, & tueamini; alieniſſimumque à ſancta Veſtra functione ſtatuatis, de eorum præjudiciis cogitationes & conſilia ſuſcipere, qui pari Vobiſcum fide & integritate, Veſtris inoffenſis Dignitatibus, pro Regibus & pro Republica ubique ſteterunt. Hoc quoque peculiariter à Vobis, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, obnixe petimus, ut illa gravamina, quæ jam in judiciis publicis in cauſa Religionis in exemplum abierunt, ea qua poſſunt authoritate coërcere; & in urbe Vilnenſi (ubi novos vexandorum Euangelicorum quæri & feri prætextus, hic Orlæ certiores facti ſumus) turbas & violentias pietate & conſilio ſuo antevertere & inhibere velint. Sic Nos in honore & obſervantia Dignitatis Veſtræ, ſic in ſtudiis & obſequiis, quæcunque à Nobis Ordini Veſtro reddi poſſunt, magis ac magis perſeverabimus. Sic Vobis Patria & Poſteritas laudem conſervatæ Pacis publicæ debebit: Sic nomini Veſtro exteræ Gentes aſſurgent, & felicis Prudentiæ Veſtræ exempla, ſi non imitari, certe in tacito pectore admirari & venerari cogentur. Sic totus terrarum orbis fatebitur, religioſa bella alibi ante duo fere ſecula exorta, non deſiiſſe: apud Nos ne incipere quidem potuiſſe. Vale Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Primas, Regnique Prime Princeps, cum univerſo Illuſtriſſimorum Epiſcoporum Collegio. Datum Orlæ 3 Septemb. Anno 1644. Ep.589.

Illuſtriſſimarum ac Reverendiſſimarum DD. Veſtrarum Amici & Fratres ad Officia, & Servitia paratiſſimi

Euangelici ex Tribus Regni & M.D.L. Provinciis in Conventu Orlenſi congregati, quorum nomine ſubſcribit

JANUSZIUS RADZIWIL.

IO XC

IC XC.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniæ & Sueciæ ad literas Ordinum Euangelicorum Orla datas

RESPONSUM.

VLADISLAUS IV,

Poloniæ, & Sueciæ Rex, Magnus Dux Lithuaniæ, &c.

Regni Noſtri & M.D.L. & Provinciarum eis adnexarum Incolis Auguſtanæ & Reformatæ, ut vocant, Confeſſionis gratiam Noſtram.

Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, Spectabiles & Eruditi Viri, ſincere fideliter Nobis dilecti,

ALtius pectori Noſtro inſedit publicæ ſalutis cura, & concordiæ in animos omnium inducendæ deſiderium, quam ut mora langueſcere, aut adverſis quibuſvis obſtaculis intercipi poſſit. Ille ipſe communis boni amor, quem in magnis ſucceſſibus orbi oſtendimus, promovimus victoriis, late propagata per omnes regni Noſtri Provincias pace fundavimus, & adhuc perpetuis ſuſtentamus laboribus, quietos Nos eſſe non patitur, quin ſaluberrima conſilia inter varios difficultatum fluctus proſequamur. Didicimus hanc quærendæ tranquillitatis conſtantiam à Majoribus Noſtris, quorum dulce in tractandis ſubditis ſtudium nulli temporum decurſus laſſabant, nulli frangebant obices, ne ſuo muneri deeſſent, ſpem ab ipſis impedimentis, robur à periculis accipiebant.

Hos domeſticos cordis Noſtri ſtimulos Præſules quoque Catholici acuunt plurimum, qui Chriſtianæ charitatis viſcera nuper omnibus aperuerunt, & toto animi viriumque niſu id unum jam agunt, Nobis ſtrenue collaborantibus, ut Religionis unitatem & pacem, ſummum Eccleſiæ Patriæque bonum poſtliminio reducant. Cum vero intelligerent, alios pientiſſimos conatus non proficere, viam illam liberi & fraterni colloquii, toties à Veſtris integro jam ſeculo expetitam, magno charitatis apparatu parefaciunt, in ſpem erecti, obtineri fortaſſe poſſe per paucos, quod expetere debent univerſi, ut in eandem ſententiam & amoris unitatem conſpirent, & iterum vitam ſpiritumque ab uno eodemque Eccleſiæ corde ducant unanimes, qui in eodem patriæ ſinu ſeſe amplexantur ut cives.

Quod præclariſſimum & ſaluberrimum prudentiæ & pietatis Chriſtianæ conſilium nuper per repetitas literas expoſitum non diſplicuiſſe, atque etiam magnis laudibus & plurima gratiarum actione dignum viſum eſſe, non ſine maxima animi Noſtri voluptate accepimus; denique non difficili neque frigida voluntatis Noſtræ acceptatione, quam ex Veſtris tum literis, tum nonnullorum nuntiis cognovimus, non mediocriter vota Noſtra excitatis. Ep. 590.

Neque retardant Nos, quæ in quorundam literis calentiore, quam optaſſemus, affectu & calamo deproperata, vel eorum aliquem à propoſito ſcopo abripere viſa ſunt, vel Catholicorum lenſſimæ charitati (cujus Noſtra & Synodica Epiſcoporum epiſtola teſtis eſt) vehementiorem, quam res poſtulabat, impetum importune opponere. Verum ea, quæ dulcedinem curarum Noſtrarum diſtemperare poterant, libenter præterimus, & ab aliis præteriri volumus, & ita rem agimus, ut conſtet orbi Chriſtiano, pacem ſincere quæri per viam pacis. Extinctis ergo in ipſo ſtatim cinere novorum irritamentorum ſcintillis, ea tantum ſcrutamur, quæ vos ipſi quoque in ſpem moderationis ſtudiumque pacis & concordiam flectitis.

Itaque placet Nobis ſincera propoſiti Noſtri æſtimatio, quam ex Regalis officii interpretatione collegiſtis; placet memoria libertatis, cujus pulcherrimum decus ornare concordia laboramus, placet promiſſa ad negotium religionis tractandum promptitudo. Et cum tot ſint, quæ Nos ad ſuſceptæ cauſæ perſecutionem magnopere invitent, illa ipſa tamen provida Veſtra ſolertia, quæ jam, unde diverſæ opiniones componi poſſint, oſtendit, auxilia ad firmandam veritatem ſuggerit, modum agendi totiuſque actionis pro parte Veſtra ordinandæ deſignat, ſupra modum Nos in inſtituto confirmarint.

Sub tot propenſionis Veſtræ argumentis facillimum Nobis fuit, ulteriora Veſtra deſideria intelligere, & favorem Noſtrum Regium Veſtris petitionibus inclinare. Lubenter quocirca terminum congreſſus & colloquii Thorunii in civitate Noſtra Regia reſtaurandi, in anni ſequentis, qui eſt ſalutis noſtræ CIↃ IↃC XLV. menſis Auguſti diem vigeſimam octavam ſtyli novi Gregoriani promovemus, ut omnem interea curam conſiliaque ad commune reconciliationis nomen diſponere, & eruditos Viros ad ponenda pacificationis fundamenta deſignare valeatis. Proderit etiam tam ampli ſpatii indulgentia ad contingendam celerius amicæ collocutionis metam: cui Nos quidem trium menſium curſum aſſignamus (quamvis pro tam amplo negocio anguſti limites non nemini videri poſſint) ſed illa aut citius occurret, ſi vacuo hoc tempore plus diſceptationis inutiliumque tricarum ſepoſitum fuerit, aut poterit ex partium conſenſu proferri, ut ad inſtruendum labori veritatique amplius aliquantum liceat. Quamvis autem Nobis placeat magis domeſticam quietem per ſubditos Noſtros potiſſimum tractare, ne evocata exterorum induſtria, quæ jam lites graviſſimas

igitized by Google

Ep.590. alibi ſuſtinet, tranquillitati Noſtræ aliquid detrimenti afferat; ut tamen præſenti negocio omnem opportunitatem provideamus, aliquos aliunde evocari poſſe benigne annuimus. Volent illi dubio procul, quamvis longis regionum ſuarum diſſidiis innutriti, pares Vobis Noſtræque paci animos aſſumere, & omnem ſententiarum diſſenſionem regni Noſtri genio temperare.

Ut autem univerſi & ſinguli tempeſtive intelligant, paci & ſecuritati ſuæ in itu redituque opportune proviſum eſſe, Nos undiquaque planiſſimo rerum progreſſui conſulentes, ſine dilatione & mora fidem publicam, quam ſalvum conductum nuncupant, dandam & concedendam eſſe duximus, quemadmodum tenore præſentium eandem omnibus & ſingulis, qui ad tractandum hoc ſacrum reconciliationis negocium undelibet legitime à ſua parte, vel à ſuæ partis moderatoribus ſub Auguſtanæ & Reformatæ Confeſſionis nomine evocati vel deſtinati fuerint, clementer damus & concedimus, ut & integre ac tuto, abſque omni impedimento vel metu Thorunium adire, ibidemque tempore conſtituto manere ac morari, & præmemoratum reconciliationis negotium (iis legibus & conditionibus, quas ex legitimo & unanimi præſidentium partiumque conſenſu, & noſtrorum Senatorum, qui præſentes aderunt, aſſenſu, ſanciri oportebit) tractare, & demum confecto integre vel ex parte eodem negocio libere & ſecure abire, & ad ſua redire poſſint, pleniſſimam veriſſimamque ſecuritatem benigne impertimur. Neque vero authoritatem Noſtram Regiam præſenti huic negocio magnopere neceſſariam arbitramur, cum per Noſtros utriuſque ritus Senatores, quos jam deſignavimus, ſecuritati proviſum ſit, & à Veſtro potiſſimum conſenſu optatiſſima in fidei unitatem conſpiratio pendeat. Sub horum præſidio fas erit conſtituere è Vobis moderatorem, qui ſe intra veſtræ partis fines contineat. Fas erit voce & ſcripto ad arbitrium agere, tempora colloquendi ex negocii utilitate amplecti, propoſita aut conciliata in publicam aliorum notitiam ſcripto vel typo ex pacto deferre. Ex hoc Noſtræ voluntatis dignationiſque teſtimonio jam profecto intelligetis ipſi, quam Nobis gratum ſit, ſingula ad ſpem optimi exitus diſponere, quam Catholicis promptum nulla duritie offendere. Non illi Vos tanquam reos ad tribunal vocant, ut edictis ſuis invitos damnent; ſed velut ejuſdem Reipubl. civibus pacatam colloquii fraternitatem offerunt, qua liceat ad conſenſum uſque ſenſim progredi, & tandem in unum Chriſti corpus coaleſcere. Jam ſe ad æquilibrium, quantum licet, & præſens negotium exigit, demiſerunt, quo ſanctius utiliuſque animorum evadat commercium. Neque vos, ut prudentiſſimi eſtis, plura ab illis extorquebitis, ne, dum eos ab uno capite ſummo retrahere nitimini, jam ſeceſſionem non convitis obtrudere, & in precium parvæ pacis magnum diſſidium exigere videamini. Ep.591.

Agite quocirca ſincere fideliter Nobis dilecti, atque viribus totis ad ſtabiliendam pacis integritatem aſpirate. Ipſi vos in manibus calculos tenetis, quibus firmatam jam ſeculo uno diſceſſionem emendetis. Quod cum feceritis, non injurii in Anteceſſores Veſtros, qui primi veteriſſima credendi vincula reliquerunt, ſed vindices illorum eritis Majorum, quorum inſtitutionem proſcripſerunt poſteri. Si illis honorificum fuit aliquando in gremio ejuſdem Eccleſiæ vixiſſe, quomodo Vobis probro erit conatus, quo ipſorum reverentiam fideique hæreditatem in antiqua diuturnaque ſentiendi conſuetudine quæratis?

Utinam vero, quod unice vovemus, & à Deo pacis ardenter expoſcimus, Noſtris Veſtriſque deſideriis omnia feliciter reſpondeant! Cederet dubio procul ea res Chriſto Regum populorumque Regi, in Chriſtiani regni decus, Reipublicæ in ſecuritatis ſolidæque pacis beneficium, quæ duo nobiliſſima commoda Nos in tam præclari operis molitione ſtudioſe intendimus: Interea Sinceritates & Fidelitates Veſtras bene valere cupimus. Datum Varſaviæ 1 Decemb. Anno 1644.

VLADISLAUS REX.

IO XCI.

D. PETRO CUPO,

verbi divini Miniſtro S.P.

REverende & doctiſſime vir, frater in Chriſto mihi plurimum colende, Gaudeo tibi redditas fuiſſe meas literas, & ſcriptum iis adjunctum non omnino diſplicuiſſe. Cætera quæ ad illud pertinentia ſcire expetis, alias ſi Dominus permiſerit, coram, aut commoda aliqua occaſione oblata, aperiam. Eſt præterea aliquid quod tibi ſcitu non injucundum fore puto, ſi nondum ad aures veſtras pervenerit. Fervent nunc in Gallia, Lutetiæ præcipue inter Jeſuitas & Sorbonicos de Prædeſtinatione diſputationes, illis liberi arbitrii, his vero fatalis neceſſitatis partes tuentibus. Ita ut verendum ſit ne propediem univerſa Gallia hanc ob cauſam in partes abeat. Magnos enim utrimque patronos & regii ſanguinis Principes habent. Sorbonicorum quædam legi in quibus non minus crude Calvino loqui videntur. Pelagianiſmum perpetuo adverſariis & tanquam ingens aliquod crimen objiciunt, quod Scientiam Dei mediam in Theologiam invexerint. Sed ab alia parte Jeſuitæ bonam ſuam cauſam fœdis dogmatibus, & pietati directe repugnantibus deturpant; qualia ſunt: 1. An licitum ſit viro honorato occidere invaſorem, qui fuſtem vel alapam

Ep.591. nititur ei impingere, ut ignominiam inferat notabilem, si aliter hæc ignominia vitari non potest. Respondeo affirmative. Ita Lopes, Gomes, Clarus & alii: quia hæc ignominia, quæ fuste vel alapa infertur, censetur majus damnum, quam damnum multarum pecuniarum. Ergo si tu potes occidere invasorem, ne damnum hoc accipias, poteris etiam aliud, ne ignominiam cogaris sustinere. 2. An si nomini meo fallis criminationibus apud Principem, Judicem, vel viros honoratos detrahere nitaris, nec ulla ratione possim hoc damnum famæ avertere, nisi te occulte interficiam, id licite possim? Affirmat Bannes, addens idem dicendum, etiamsi crimen sit verum, dummodo occultum sit, ita ut secundum justitiam legalem non possit pandere. Ratio ejus est, quia si baculo vel alapa impacta velis honorem vel famam meam violare, possum armis prohibere. Ergo etiam si id coneris lingua, nec aliter id possim evadere, nisi te occidam, parum id videtur referre, cum æque lingua atque alio instrumento mihi nociturus es. Deinde, jus defensionis se extendit ad omne id quod necessarium est, ut se quis ab omni injuria servet immunem. Monendus tamen prius esset detractor, ut desisteret, & si nollet, ratione scandali non esset aperte occidendus, sed clam. 3. An licitum sit mulieri procurare abortum? Respondeo 1. Si fœtus non sit animatus & periculum esset ne ipsa morerctur, potest procurare abortum tum directe tum indirecte. Directe quidem sumendo potiones quæ in fœtum agant eum dilacerando & evacuando; indirecte vero curando sibi aperiri venam, & sumendo pharmaca purgativa, quæ directe eam sanent & indirecte fœtui noceant. 2. Si fœtus sit jam animatus & futurum sit ut ipsa cum prole moriatur, ante partum potest medicamenta sumere, quæ indirecte fœtui noceant, directe autem eam sanent. 3. Si honesta puella invita ab adolescente adultero corrupta fuisset, ante animationem fœtus posset illum excutere, ut multi volunt, ne honorem suum inde amittat, qui illi multo pretiosior est ipsa vita. 4. An liceat mulieri conjugatæ, quæ in partu semper versatur in summo periculo mortis, sumere pharmacum sterilitatis, ut effugiat ejusmodi periculum? Respondeo ita: quia sic cum justa causa suæ saluti consulit corporali. Et vero satius est ut hoc faciat, quam ut marito debitum conjugale recuset, cum periculo spiritualis ejus salutis. Hæc sunt ad verbum excerpta ex dictatis Patris Herean Theologiæ moralis in Collegio Claromontano Lutetiæ Professoris: ex quibus quantum carnis cupiditatibus habenas laxent videre est. Eaque de causa publice ab Universitate Parisiensi apud Parlamentum corruptæ religionis sunt accusati. Sed causa adhuc in judicio pendet. Hæc te Vir Reverende, non nescire volui. Vale, & me ut facis amare perge, Dominosque tuos collegas meo nomine saluta. Amstelodami 8 Decemb. 1644. Ep.592.

Tua reverentia addictissimus

S. de COURCELLES.

IↃ XCII.

Celeberrimo Viro summo seculi nostri Poëtæ

CASPARI BARLÆO,

FRIDERICUS SPANHEMIUS S.P.

Benevolentia testificatio.

PLenus tui ad te denuo accedo, & nescio an plus tibi debeam pro eximio illo munere, quo me privatim, an vero pro eo quo omnes publice tibi obstrinxisti. Nihil sane doctissimis & facundissimis Poëmatibus tuis legi potest elegantius vel amœnius. Regnas profecto sine pari in hoc genere, nec lectorem afficis solum, sed rapis. Me certe ita trahis, ut tecum frequentissime per totum orbem, cujus minima maxima tanta festivitate repræsentas, summa cum voluptate exspatier. Nec quas de Universali Gratia Exercitationes ad prælum adorno, ita me severioribus studiis affigere possunt, quin sæpe me tecum velut ordinis nostri desertor ad alia proripiam. Habebis illas à me intra mensem, ut spero, & dolebis forte, vel ridebis me huic circo agonistico inclusum; factum id sane ingratiis meis, & invitus eo pertractus sum, pertractus tamen à Salmuriensi Theologo, qui me sine causa adortus est, æque ac plures alios. Placuit humanissimo Plante nostro Exercitationes meas eleganti poëmate ultro ornare, in quo graphice illum describit quo cum mihi res est. Doleo ex animo tot in nostro ordine lites esse. Non dubito tamen, quin vel causam meam tibi probem, vel affectum saltem. Hoc interea persuasum habe, Vir Celeberrime, me tui nominis & tuæ gloriæ, si quisquam, studiosissimum esse. Norunt amici, quoties de te sermo est, quam mihi in te laudando temperare non possim. Impense sæpe doleo, quod te Leida decus suum amiserit, & quod non propius inter nos dextras jungere detur. Affectu interea semper tibi jungar, & cultu etiam, quem tua virtus, eruditio, & candor, addo etiam beneficia, mihi exprimunt. Vale, Vir summe, & tua omnia in summo apud me pretio esse tibi persuade. Scripsi prid. Non. Jan. CIↃ IↃC XLVI.

IↃ XCIII.

Digitized by Google

IↃ XCIII.

CHRISTIANO HARTSOECKERO

Amſtelodamum.

ARNOLDUS POELENBURG S.P.

De Rege Angliæ Carolo II.

ITa plerumque uſu venit, mi Hartſoecke-re, ut homines grata malint quam vera nunciare: immo ea non raro vera ſibi contingant, quæ vulgo gratiam habitura arbitrantur. Quam multi fuerunt, qui Carolum II, Angliæ Regem non nomine tantum nunc eſſe nunciarent? quam multi, qui cum exercitu victore eum urbem arcemque Londinenſem occupatam tenere firmiſſime aſſeverarent? Jam differebamus, quid Rex de peſſimis Regis optimi percuſſoribus, quid de Eccleſia gubernanda, quid de aliis regiminis partibus decreturus videretur. Sed hi vani ſermones, ex incertis hominum rumuſculis collecti, jam prorſus evanuerunt. Falſa enim ſpe lactarunt nos alii, falſoque gaudio oblectavimus nos ipſos. Rex ipſe cum exiguo nobilium virorum comitatu, quem tamen diu apud ſe retinere non audebat, ne hac ratione detectus ac proditus hoſtibus traderetur, fugit è Worceſtria caſtris exutus; exercitus cum pleriſque ducibus aut caſus aut captus. Verum hæc jam nota tibi crediderim: illud haud ſcio an audiveris, quam mirabili caſu Rex ſummum illud vitæ diſcrimen evaſerit, ſi tamen ſunt vera, quæ vulgo feruntur. Cum tenebræ noctis ad occultandum Regem non ſufficerent, òblata fuit arbor quædam concava, in quam ſe ipſe tuto abdere potuit cum nobili quodam viro, quem ſolum, hujus ſe pediſſequum aſſimilans, ſibi præſentem habebat. Sic inter medias hoſtium copias, quæ circumquaque vagabantur, fuit illæſus. Poſtea, cum melior occaſio non affulgeret, mutato capillitio ac veſtitu Londinum abiit, ut per medios hoſtes, per leonum catervas undique ringentium, omniaque obſidentium, tutus ad libertatem iret. Obtulit ſe ante oculos ipſorum, neque tamen ab ipſis conſpectus fuit. Hæſit in rictu leonum, & tamen inviolatus diſceſſit. Videntur mihi iſti ſcotomate aut cæcitate percuſſi, ut quondam Sodomitæ, aut ut milites Syrii, cum Eliſæum obſiderent. Nunc tanto infortunio mactatus, & ex infortunio per ſummam felicitatem eluctatus pervenit Rex vivus & incolumis in Galliam. Quis non miretur inauditam animi fortitudinem? Quis jam non credat Regem eſſe Deo curæ? Quis non ex hac conſpicua divini Numinis providentia colligat Deum, poſtquam Regem tam mirabiliter, ne dicam miraculoſe, ſervavit, eum ad majora reſervare, non infortunia (quod fieri poſſe vix videtur, cum mala in Auguſtam Domum jam ultra omnes limites exundaverint) ſed ad ſtatum regni meliorem. Non enim ſemper oppreſſa jacebit probitas, nec ſine offenſa dominabitur improbitas. Improbis interdum ſera quidem ſupplicia, ſed ſeria & aſpera tanto magis; cum Dominus, qui juſtus eſt judex, tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Dabit Deus his quoque finem. Tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant. Nec mirum mihi videretur, ſi improbi iſti, cum fundendo ſanguine Regio & Regiarum partium affinibus exſtirpandis libidinem ſatis expleverint, tunc mutua in ſe invicem converſa rabie alii aliorum violentia & crudelitate jugulati concidant. Sic fieri ſolet inter latrones, in quos Deus hoc pacto vindictam judicio juſto exercet, cum omnia jura proculcant, judiceſque alios non metuunt: quamquam raro eſt ſine metu ac motu tam truculentus animus, in cujus abdita ſi penetrare viſu liceret, haud dubie ibi inquies perpetua, ictus, vulnera, dilaniationes, cruciatus abſque fine cernerentur. Quod ſi ipſi ſe non ulciſcantur aliquando, Dei tamen vindictam effugere non poterunt. Virgam illi ſe putant, & vere, qua Deus domum Regiam alioſque multos caſtigat: ſed cum Deus modum caſtigationis impleverit, quid aliud exſpectandum, quam ut virgam cum odio abjiciat eamque flammis ultricibus male conſumat? Interea Cromwellius, ille recti incurvator, juſtitiæ legumque perfractor præfractus, non aliter atque alter Achitophel, ex tripode ſuo ſubterraneo porrigit Parlamento conſilia atque auxilia, quæ illi propter ſucceſſum tanquam à Deo profecta opinantur. Sed quod de aleatore habet dictum vetus, id ipſum de ſcelerato parricida regio melius uſurparetur, eum, quanto eſt in arte ac Marte felicior, tanto eſſe nequiorem; addo etiam, infeliciorem; quia fores meliori menti occluduntur. Deus tamen, qui corda non tantum Regum, ſed & populorum in partem quamcunque flectit pro arbitrio ut rivos aquarum, largiatur hoc ipſis, maximeque ſubditis eorum, ut poſtquam multi jam pro delicto ſatis dederunt pœnarum, ab errore reſipiſcant, quo ſeducti in Regem hujus Regis Patrem inſurrexerunt. Apud nos quidem errarunt multi, maximeque ii, qui ſe ſolos pure Reformatos vocant, (attamen Puritani dici nolunt) qui palam Deum in concione precabantur, benediceret armis Parlamenti pro religionis cauſa juſte ſuſceptis. Nec defuerunt homines qui ſummopere lætabantur, cum Regi ſupremum appropinquare ſupplicium cernerent. Quod facinus an ſimplici erroris nomine excuſandum ſit, haud facile dixerim. Improvidi certe, ne dicam ſtolidi mortales qui religionis prætextum maximis interdum ſceleribus obtendi non cogitant. Quid vero hos noſtros Regiis partibus uſque adeo infenſos reddebat? An religionis diſcrepantia? At Rex reformatam palam colebat. An diverſa regiminis Eccleſiaſtici ratio? Ita ſane. Nam (ut ferunt) hoc quiritabatur aſſiduc Calvinus, quod Angli pavimentum ſordibus hiſce immundatum reliquiſſent: cui ex adverſo reſpondebant præ-

Ep. 593.

Ep.594. præſules Anglicani, ita verrendam domum Dei, ne ſimul lapides evellas. At quid hoc erat tanti, ut propter regiminis diſcrepantiam arma in Regem tumi, tantum ſanguinis profundi, tot dedecora patrari cuperent? præſertim cum ordo Epiſcopalis ſit antiquiſſimis temporibus ſtabilitus. Sed vero poſtquam Cromwellius expulſo domino atque ante fores miſerrime trucidato ipſe ad palatium & regnum occupandum fertur totus, jam ira in miſericordiam converſa in multorum animis videtur. Vereor etiam, ne temporis progreſſu id noſtri illi magis agnoſcant, ſi forte turbones Angli in nos aliquando furoris ſui impetum convertant. Nam cum proxime illi Legatos ſuos ad Illuſtriſſimos Ordines noſtros miſiſſent, ille qui litem in Regis caput intenderat, fuit trucidatus (quod tamen quia quo id autore factum ſit ignoratur, forte ferent excuſatius) & Legati, quanquam omnis Ordo convenerat, nihil tamen reſponſi exoptati hinc auferre potuerunt; quod indigniſſime tulerunt. Neque obſcurum, cur Ordines tergiverſati fuerint; quia jam nunciatum erat Regem è Scotia in Angliam cum valido exercitu irruptionem facturum. Neque dubium eſt, quin ex eo ingentes iras animo conceperint feroces Martis pulli, quia hinc ſatis perſpicuum erat, quid Ordines Illuſt. in ſpe ac votis haberent. Quicquid ſit, nunquam nos iis favere oportet, qui in legitimos rectores quocunque prætextu arma ſuſcipiunt. Cæterum quod de rebus tuis privatis attinet, imprimis de itinere iſto inſtituendo, de eo diſpiciemus, cum te præſentem nacti fuerimus. Si id matri tuæ allubeſcere queat, videor mihi videre aliquid, quamobrem hoc arbitrer vobis profuturum. Scedas iſtas fac mihi fideli cuſtodia aſſerves, ne in alienas manus, dum varie diſcurſandum eſt, incidant. Studium Rabbinicum ſatis calide tractamus, quamvis te iterum diſſuadente. Video viros eruditos paſſim Hebræorum teſtimonia afferre, quod certe non facerent, ſi nil niſi delira iſtic haberentur. Tum quid vetat ex ſterquilinio gemmas, ex vaſto mari margaritas, ex intimis terræ cavernis aurum colligere? Nam non omnia, quæ apud illos leguntur, adeo eſſe flocci facienda, id unum ſatis indicio eſt, quod non paucæ ibi ſententiæ illuſtres appareant, quas literis Euangelicis intexere Chriſtus haud dedignatur, uſque adeo ut dicere auſint iſti, quanquam falſo, omnia Euangelii præclara dicta ex Thalmudicorum diſpertis ſchediaſmatis fuiſſe deducta. Quin tamen multa Chriſtus ex populari ſermone vulgatiſque ſapientiorum ſententiis in uſum ſuum tranſtulerit, neminem arbitror ambigere, cum & Paulus Apoſtolus Gentilium ſcripta, ubi inſtituto ſervire poterant, non fuerit aſpernatus. Concedamus vero omnia ferme ipſorum ſcripta rancidis nugis oppleta: quid ſi hoc ipſum perquam utile eſt, ut ea, quæ affatim occurrunt, nugamenta detegantur, ad legis iſtius oralis, quam vocant, & Rabbinorum vanitatem paſſim declarandam? Habent inſuper multas vaticiniorum veterum de Meſſia expoſitiones optime cum ſenſu S. Literarum Apoſtolico congruentes, quibus redargui poſſunt Judæi hodierni, omnia in diverſum trahere nunc ſoliti: ut hoc pacto illi ſuo aut ſaltem ſuorum jugulentur gladio; & fides tum Chriſti, tum Apoſtolorum, in citandis explicandiſque Prophetarum oraculis ab omni calumniæ morſu luculente vindicetur. Ut jam mittam iſtas blaſphemias, quas proterve in Chriſtum Dominum evomunt (quæ cauſa nonnullos ab ipſorum lectione avertit) argumenta eſſe cauſæ in ſolidum deſperatæ; quia cum homines juſtis rationibus deſtitui ſe animadvertunt, tunc maxime ad injuſta eructanda maledicta prorumpunt. Neque tamen hoc me labore fatigarem, niſi & occaſio invitaret valde opportuna, & niſi è re communi judicarem, ut inter noſtros, ſi non multi, at ſaltem unus & alter hac armatura ad veritatis defenſionem uti poſſent. Infirmum fateor hoc armorum genus, ſed tamen non propterea penitus negligendum, ſi non ad noſtræ cauſæ fulcrum, ſaltem ut adverſarios inſultus avertere commodius poſſimus. Hos etiam conatus Deus, ut ſpero, promovebit. Vale mi amice. Hornæ, 1651. die 11 Nov. Ep.594.

IO LXCIV.

PHILIPPO LIMBURGIO

STEPHANUS CURCELLÆUS

S. P. D.

De præſcientia ſuturorum contingentium.

NOn minus Contra-Remonſtrantium quam noſtra intereſt, præſcientiam Dei conciliare cum libero hominis arbitrio. Si nulla ἀπροσιλογίᾳ ludunt, quando nobiſcum conſitentur Adamum in ſtatu integritatis habuiſſe voluntatem liberam, & à peccato potuiſſe abſtinere; explicent quomodo, poſita laplus præſcientia, Adamus potuerit tam non peccare, quam peccare. Id quod afferent, uſui etiam nobis erit ad ſolvendum argumentorum nodos, quibus nos irretire ſtudent. Interim dum id faciant, paucis rationem illorum præcipuam expendamus. Quærunt, an poſita hac prædictione, Petrus abnegabit Chriſtum, adhuc in poteſtate Petri fuerit Chriſtum non abnegare. Dico Petrum poſita hac Chriſti prædictione; Tu me abnegabis, potuiſſe à negando Chriſto abſtinere; quia id de libera abnegatione intelligebat. Nam ut vera comperiretur prædictio, ſufficiebat Petrum actu abnegare Chriſtum, etſi non abnegandi potentiam adhuc haberet. Inſtant; ſi poſita hac prædictione, Petrus abnegabit Chriſtum, Petrus poſſit non abnegare; ergo & hæc propoſitio poſſet fieri vera, Pe-

Digitized by Google

Ep. 594. trus non abnegabit Christum. Nego consequentiam, quia ea agit de abnegandi actu, antecedens vero de potentia sola. Christus prædixit quidem se à Petro abnegatum iri; sed id de libera abnegatione intellexit, cum qua non abnegandi potentia conjuncta esse non solum poterat, sed etiam debebat. Interim quia abnegationem istam intuitus est ut menti suæ præsentem, non potuit eodem tempore dicere Petrum se non abnegaturum. Sic enim contraria, & quæ se mutuo everterent, de una eademque re simul pronunciasset: quod absurdum. Quare rationes, quæ ad consequentiam istam statuminandam afferuntur, ex se cadunt: nimirum, quia si Petrus non abnegaret Christum, vera foret hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum. Concedimus enim posita prædictione, tu me abnegabis, Petrum abnegaturum: sed addimus libere abnegaturum, quia Christus de tali abnegatione verba sua intelligi voluit. Pergunt: si Petrus posset non abnegare Christum, ergo vera fieri posset hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum: si autem vera fieri potest hæc propositio, Petrus non abnegabit Christum, ergo falsa fieri potest hæc propositio, Petrus abnegabit Christum, & per consequens Deus in præscientia sua poterit falli. Negamus iterum consequentiam: quia antecedens agit de sola potentia, à qua ad positionem actus non bene procedi jam ante ostendimus. In sensu quidem diviso vera fieri potuit illa propositio, Petrus non abnegabit Christum, nempe antequam Petrus consideraretur ut se ad Christum negandum determinans: sed in sensu composito, quando consideratus fuit ut se jam ad negandum determinans, non potuit simul & eodem tempore de illo dici, Petrus non negabit; quia duæ istæ propositiones sunt contradictoriæ, & simul veræ esse nequeunt: licet alioquin verum sit Petrum se libere ad Christum negandum determinasse, & potuisse ab eo negando sibi temperare. Proinde quod tandem colligitur, ergo si Petrus potuisset non abnegare, Deus in præscientia ex qua prædixit ipsum abnegaturum, potuisset falli; ex antecedentibus non sequitur: nam in præscientia Dei inclusus fuit iste modus abnegationis Petrinæ, nempe eum fore liberum, ita ut quamvis actu abnegaret, potentiam tamen non abnegandi haberet.

Nunc ut etiam aliquid adjiciam de responsione, quæ est; majorem primi argumenti negandam, ut consideretur abnegatio vel respectu Petri, vel respectu futuritionis suæ: Si consideretur respectu Petri, procedere eam, quia posita prædictione, Petrus potest non abnegare, est enim Petrus causa indifferens: sed respectu futuritionis suæ non; abnegatio enim futura, qua futura, necessario est futura: Dico 1. me non posse capere quomodo futuritio abnegationis, à Petro abnegaturo ita distinguatur, ut Petrus quidem libere sit abnegaturus, abnegatio vero necessario sit futura. Nam si Petrus non sit causa, ut abnegatio ista necessario sit futura, assignanda erit alia, quæ non poterit esse nisi Deus ipse; & ita in absurdum, quod vitare propositum erat, recidetur. Existimo potius distinguendam esse futuritionem, & dicendum aliam esse rerum contingenter futurarum, quæ non excludat potentiam ad oppositum: aliam vero esse rerum necessario futurarum, quæ excludat potentiam ad oppositum. Quod Græci exprimunt vocibus ἐνδεχόμενον & ἐνδοξον, quibus nullas habemus respondentes in lingua latina. 2. Illud quod dicitur ad confirmationem hujus distinctionis; omne quod est, quatenus est, necessario est; esse ambiguam. Illud enim necessario est, intelligitur vel respectu causæ, & est falsum; quando id de quo agitur, ut abnegatio Petri, causam habet contingentem: aut respectu consequentiæ, ut nimirum de eo, quod est, quatenus est, debeat necessario dici ipsum esse. Si postremum hoc genus intelligatur, nempe necessitas consequentiæ, indubium est cum ejusmodi necessitate optime consistere posse contingentiam: quia illa nihil efficit aut mutat in natura rei, quæ tali necessitate posita, nihilominus vere potuit contingens fuisse: ita ut falsum sit affirmare eam futuritionem habuisse necessariam. Amstelodami 13 Decemb. 1653. Ep. 595.

IO XCV.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

Frederici-polim.

ARNOLDUS POELENBURG S.P.

De vita æterna quid crediderint aut credere potuerint Græci, & quibus de causis.

QUod meam in dandis ad amicos responsis tarditatem accusas, amicorum integerrime, in eorum erga me animum vere amicum, vere fraternum agnosco. Neque enim meas efflagitares tam studiose literas, nisi idem in me, qui hic fuit, tuus affectus in terra etiam aliena permaneret. Me autem facile habebis excusatum, si cognoveris vel valetudinis meæ infirmitatem (vixdum enim Hornana suscepta statione in morbum incidi) vel negotiorum multitudinem, quibus in hoc novo munere distringor, cum collegarum alter D. Lieselius, qui mecum huc simul evocatus est, nondum è Frisia ab Ecclesia Documensi decesserit. Tum & ipsa, ad quam responderi cupis, quæstio tam ardua est, ut eam accurate denuo examinandam mihi duxerim, priusquam certi aliquid responsi ad te mittere auderem. Probatur enim summopere D. Arminii consilium, idque mihi tibique omnibusque adeo veritatis studiosis sequendum, quod ille in supremis Testamenti sui tabulis consignatum reliquit; cum *coram Deo creatore suo & fideli Salvatore, in cujus manus animam suam commendat, testatur se bona conscientia in munere suo & vocatione simpliciter & sincere ambulasse: solicite admodum & curiose hoc cavis-*

Ep.595. *caviſſe, ne quid proponeret aut doceret, quod non adhibita ante diligenti ex Scripturis ſacris diſquiſitione comperiſſet cum iiſdem Scripturis ad amuſſim convenire, quaque ad provocationem amplificationemque veritatis, religionis Chriſtianæ, veri Dei cultus, communis pietatis, & ſanctæ inter homines converſationis, denique ad convenientem Chriſtiano homini tranquillitatem & pacem juxta verbum Dei poſſent conferre.* Sunt hæc verba nobis ad miniſterium ſacrum nuper admodum vocatis auro contra æſtimanda, & quidem eo magis, quod Viri clariſſimi, qui & veritatis & pietatis amantiſſimus erat, morte ſint obſignata. Enimvero cavit ſedulo, ne quid falſum, deinde ne quamlibet etiam veritatem proponeret, ſed eam tantummodo, quæ ad pietatem pacemque conduceret. Quamobrem de hac ipſa quæſtione accuratius cogitans, me reperiſſe credo, quid de rei veritate ſtatuendum ſit; ſed eam me unius epiſtolæ reſponſione univerſam complecti non poſſe video, propterea quod unam quidem quæſtionem proponis, ita tamen ut in duas ſit dividenda, ſi res ex debito pertractetur. Poteſt enim ſic informari hæc omnis diſquiſitio, ut primo quæratur, an citra cœleſtem revelationem detur aut dari queat æternæ vitæ cognitio, ac ſi ea detur, quibus rationibus nixa ſit? Deinde an primi ab ævo homines, & poſtea Iſraëlitæ hanc ſpem ex Dei promiſſo aliquo perceperint? Suffecerit nunc tibi, ſpero, ſi primam hujus debiti partem exſolvam, ac cæteras tunc perſolvam, cum alia opportunitas fuerit oblata. Exiſtimo igitur varias eſſe cauſas, unde homines, etiamſi nulla exſtitiſſet Dei promiſſio, animarum ſeparationem immortalitatemque ſibi comprobare potuiſſent. Primo quidem potuit ex eo conſtare animas ſeparatim exiſtere poſſe, neque à materia terreſtri dependere, quia, cum omnia, quæ ſunt ex materia producta aut educta, tantum, quantum agere poſſunt, agant neceſſario, neque aliter quam agunt agere poſſint, ex adverſo vident animam humanam in actionibus ſuis inſigni uti libertate, & poſſe ab actione aliqua vel prorſus abſiſtere, ſi velit, vel eam pro lubitu in aliam partem transferre. Num quiſquam cogitando concipere poteſt materiam corpoream aut rem ullam ex materia confectam vel propagatam habere vim tantam libertatis; cum cernamus, omnia, quæ ex materia proveniunt, huc & illuc ferri ac rapi neceſſario à re extrinſecus oblata, vel concitari ac tranſmutari à vi majore? Si itaque hinc conſtet ad animæ naturam hanc materiam corpoream non pertinere, ſequitur eam à corpore hoc materiato omnique materia poſſe ſeparari, exiſtere, operari. Unde animas eſſe immortales haud vane colligimus, ac meo judicio Cicero Zenonem merito reprehendit, qui, cum id, quod difficillimum erat, crederet, animas à corpore ſejunctas exiſtere, negabat in æternum permanere. Secundo animas immortales eſſe, potuit ex eo liquere, quod Ep.595. nobis à natura, ſive potius à Deo, à quo natura condita eſt, vitæ immortalis & cognitio & cupiditas indita eſt, quam de nobis conceptam nobis falſo indidiſſe Deum nullo modo credibile eſt, cum Deus omnium conſenſione ſit veraciſſimus, nec falſitatis aut falſarum conceptionum autor. Nam alioqui ne quidem Deus eſſet, hoc eſt, infinita perfectione cumulatus. Potuit hoc idem colligi tertio ex Dei erga nos benignitate, potentia, ſapientia. Nam cum Deus tantum concedat beſtiis, quantum expetunt, an nobis, quos beſtiis multiplici modo prælatos cernimus, non multo plura largietur? Corporis etiam noſtri cupiditati ſatisfacit, famem explens, ſitim exſtinguens: & animæ noſtræ, quæ pars eſt divinior, ſitim non implebit? præſertim ſi ipſum debite coluerimus, quem colendum eſſe inſita ratio docet, & non fruſtra coli benignitas numinis ſatis demonſtrat. Nec de potentia dubitare fas eſt, cum idem, qui animam condidit immortalitatis deſiderio accenſam, eam conſervare ab interitu ac vota ejus abunde explere haud dubie queat. Præterea conſtat gentes etiam ſtolidiſſimas, quæ pene obbrutuerunt, animæ immortalitatem unanimi ferme conſenſione creditam tenere, non ex revelatione ulla, qua neque fruuntur neque digni ſunt ullo modo, ſed ex inſtinctu, ut videtur, naturæ, aut vetuſta traditione. Jam & ipſi Gentilium Philoſophi rationes attulerunt non paucas, quibus immortalitatem animabus ſuis aſſerere conati ſunt, quibus quidem adeo inflammatus eſt Cleombrotus, Cicerone teſte, ut ex præcipitio ſe in altum demerſerit, quo ex mari & morte ad immortalitatem emergere liceret. Platonis librum de immortalitate legebant Cato, Brutus, alii, antequam mortem ſuſciperent. Quibus autem illi rationibus in hanc ſententiam perducti fuerint, ex Platone, Xenophonte, Cicerone, Seneca, aliiſque vetuſtis ſcriptoribus poſſumus colligere. Statuebant primo ſimplicem eſſe animis naturam, neque habere in ſe quicquam admiſtum diſpar ſui atque diſſimile, ideoque nec dividi eam nec interire poſſe. Deinde cum ſemper agitetur animus, cumque (ut ipſi judicabant) principium motus non habeat, ſed ſe ipſe moveat, colligebant ne finem quidem habiturum eſſe motus, qui nunquam ſe ipſe ſit relicturus. Præterea cum tanta celeritas ſit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque providentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inventa percepta; non poſſe exiſtimabant eam naturam, quæ res eas, tam multas, tam magnas contineret, eſſe mortalem: videbant etiam nihil eſſe morti tam ſimile quam ſomnum: atqui dormientium animos intelligebant declarare vel maxime divinitatem ſuam: multaque eos, quoniam remiſſi & liberi ſunt, futura proſpicere; indeque perſpectum eſſe, quales futuri ſint, quum plane ſe vinculis corporis

Ep. 595. relaxaverint. Nec vero tum animum insipientem esse, cum ex insipienti corpore evasisset: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer esse coepisset, tum esse sapientem. Addebant, quum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum, perspicuum esse, quo quæque discedat: abire enim illuc omnia, unde sunt orta: animum autem solum, nec quum adest nec quum discedit, apparere. Neque vero animum, quia non conspicitur post mortem, inde eum corpori non superstitem esse, colligendum: nam etiam, cum esset in corpore, corporeis oculis cerni non poterat. Quin etiam viros claros nec nominis immortalitatem tantopere expetituros, neque etiam nomen eorum per tot secula conservari posse, nisi post corpus consumptum anima supereset. Accedebat clarissimorum philosophorum authoritas, inter quos fuerunt Pherecydes Syrus, qui primus omnium, cum esset nemine usus magistro, ut ferunt, hanc sententiam publice professus est, & Pythagoras qui ejus erat discipulus, celeberrimus hujus doctrinæ propagator, & Socrates, qui supremo vitæ die de animarum permansione præclare multa disseruerat, eratque mortalium sapientissimus judicatus; & Plato, qui propter sapientiæ sublimitatem divinus habebatur. Animadvertebant denique neminem vivere honestius, neminem vitæ mala perferre moderatius, neminem exhorrescere mortem minus, quam siquis hanc de animæ sempiterna duratione sententiam imbibisset. Quæ partim singula, partim universa, (non enim omnia æque valida, per se præsertim seorsum sumpta) hoc ut laudabile dogma plerisque sapientioribus persuaserunt. Philosophos enim fuisse tenues quosdam qui se his opposuerunt, refert Cicero, cujus hoc loco sermonem in nonnullis imitati sumus. Neque hæc sententia sapientioribus tantum, sed etiam vulgo Gentilium placuit, qui passim omnes à Deo post mortem præmia piis, impiis supplicia parata crediderunt. Irridet quidem vulgi errorem Oratorum maximus, ea tribuentis demortuis apud inferos degentibus, quæ sine corporum ministerio perfici non poterant, cum tamen ipsa corpora essent in cineres redacta. Ego vero existimo huic errori occultam quandam maximeque utilem veritatem subesse, quam ii, qui supra vulgus sapiebant, assecuti non sunt. Plebs enim in animum induxit non posse animos perfecta beatitate frui, nisi cum corporibus conjunctos; quia, ut habet vulgaris opinatio, omnia vel læta vel tristia ope sensuum deferantur ad animam. Itaque vix sensu frui posse, immo vix vitalem vitam ducere ipsis anima videbatur, nisi esset suo unita corpori, cui antea velut immersa fuerat. Neque vero, cum suum quisque corpus amore complectatur arctissimo, omni ex parte beatus quisquam videri ipsis potuit, nisi in ejus beatitatis consortium corpus quoque admitteretur. Quid quod Deus aliter justus comparere non posse videretur, nisi suam quoque corporibus mercedem retribueret, & quidem post mortem, cum in vita sæpe non daret? Quia enim corpus ad factorum hujus vitæ participationem effectionemque adhibetur, quorum est non modo instrumentum, sed etiam incentrix ac inflammatrix caro nostra; justitiæ prorsus est congruum, ut, si quid boni malive in corpore gestum sit, utriusque quoque facti retributio ad corpus perveniat. Hinc apparet, quam justa de causa Deus, quanquam animam sine corpore beare poterat, corpus tamen in vitam revocare voluerit. Liquet insuper, quam necessaria inter gentes fuerit illius promulgatio promissionis de resuscitatione mortuorum corporum, quia vix aliter plenam illam consummatamque de animarum immortalitate persuasionem animo comprehendere potuerunt. De plebe promiscua nunc ago, ex qua omnis ferme hominum multitudo constabat, non de sapientioribus, quales nonnulli ferebantur, qui & pauci erant & superioribus ex causis minus erant idonei ad fidem resurrectionis recipiendam. Immo apud hos plerosque irrisui erat resurrectio, quia à privatione au habitum regressum dari nullum, eamque naturæ repugnare, ac Dei potentiam superare credebant; cujus quoque magnitudinem non assequebantur Sadducæi, cum resurrectionem abnegarent, testante Domino *Matth.* XXII. In eoque eluxit imprimis Abrahæ fides, cum ratiocinatus est (λογισάμενος) Deum esse potentem resuscitare ex mortuis, *Hebr.* XI. 19. Quomodo vero Abraham ad hoc fidei fastigium ratione sive ratiocinando potuit assurgere? Primo quidem hæc fides erat Dei promissio subnixa, quod dederat de semine ipsius per hunc filium Isaacum in immensum augendo. Hanc Dei promissionem, quia irrita reddi non poterat, cum Deus indubitato sit verax, implendam omnino judicabat, neque tamen impleri eam posse ratiocinabatur, nisi Deus hunc filium, quem holocautomati devotum putabat, in vitam revocare tum vellet, tum etiam posset. Magis tamen hinc potuit de Dei voluntate quam potentia persuasionem concipere: sed aderant alia ad fidem de potentia Dei confirmandam. Nam cum Deus Adamum ex terra, Evam ex Adami costa efformasset, preterea cum & Saram jam pene emortuam fœcundasset, filiumque ex ea in vitam produxisset, non erat ei admodum difficile in eam hinc deduci fidem, quod Deus potentia sufficienti esset instructus ad corpus redintegrandum animamque redonandam ei, cui jam antea donaverat. Neque vero id, quod Gentilium Philosophi jactabant, resuscitationem ex mortuis naturæ adversari, veritati consentaneum est: cum hos ipsos refellat Dominus, rem similitudine declarans desumpta ex ipsa rerum natura; *Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipsum solum*

Ep. 595.

Ep. 595. *ſolum manet: ſi vero mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joh. XII. 24. Paulus Apoſtolus etiam expreſſius, 1 Cor. XV. 35, 36. &c. *At dicet aliquis, quomodo ſuſcitantur mortui?* &c. *Inſipiens, quod tu ſeris, non vivifcit, niſi mortuum fuerit. Et quod ſeris, non corpus oriturum ſeris, ſed nudum granum, ſi caſus tulerit, tritici aut alicujus ex reliquis ſeminibus. Sed Deus ei dat corpus, ut voluit, & ſingulis ſeminibus ſuum corpus.* Nonne vero etiam cernimus bombyces, ubi vitæ filum detexuerint, diu mortuos quaſi ac ſepultos jacere, poſteaque reviviſcere, ac immenſam ſobolem producere? Nonne idem de Phœnice vulgo creditum, eum ex cineribus ſuis multo vegetiorem deceſſore ſuo reſurgere? Quamobrem rejiciendi hoc loco Philoſophi, ſtatuendumque plebem multo quam ipſos propius ad veritatem acceſſiſſe, unde etiam propenſis animis homines plebeji fidem de reſurrectione traditam receperunt. Video, me, dum de animarum immortalitate diſſero, provectum eſſe ulterius, & ad reſurrectionis quoque tractationem delapſum: ſed id ex argumenti ſimilitudine quodammodo natum eſt, tibique non ingratum fore confido.

Conſtat autem ex iis, quæ paulo ante diximus, homines citra Dei revelationem ad percipiendam ſpem aliquam pertingere poſſe. At in adverſum obducis Pauli Apoſtoli ad *Epheſ.* II, 12. locum, aſſerentis, Ethnicos ſine ſpe fuiſſe. Sed vero, licet ſpe vitæ immortalis caruerint, non tamen conſequitur eos ſpem illam adhibita diligenti indagatione conſequi nequiviſſe. Præterea confertur ibi conditio Gentilium cum ſtatu Judæorum, qui quoniam ex promiſſo Dei aliquo vel traditione evidentiori immortalitatem ſperabant, multo firmiore non pauci perſuaſione erant imbuti, adeo quidem ut horum reſpectu Gentiles dici poſſent ſpe deſtituti. Mitto jam, quod dici poſſint ſpem non habuiſſe, quia flagitiis ſuis hanc penitus ſuffocaverant, magiſque ex improbitatis merito ſupplicia apud inferos metuebant: qua tamen ipſa ratione patet ipſos animas fore perennes agnoviſſe. Plura non addam hoc tempore, mihi quod D. Ludingius ex hac ſtatione ad ſedes meliores ſit tranſvectus. Doleo equidem hujus viri caſum præmaturum, non noſtri tantum cauſa, qui amico & fratre percharo orbati ſumus; ſed multo magis propter rem communem, quæ in hoc adoleſcente (vixdum enim trigeſimum annum erat egreſſus) magnum ſui columen amiſit. Hunc enim communibus votis D. Curcellæo vel comitem, qualem nunc jam ſe in curſu Philoſophico exhibebat ex parte, vel ſucceſſorem in univerſa graviſſimi & ampliſſimi laboris machina deſtinabamus. Quis nunc Hercules huic tanto Atlanti, qui ex ingraveſcenti ſenecta jam defeciſcit, ſuccedaneum ſe præbebit, aut quis præbere poterit humeros ad tantam molem ingentis oneris ſuſtentandam? Verum hanc curam in Deum Eccleſiæ ſuæ cuſtodem ac vindicem transferemus, quem rogo ſupplex, ut, quoniam noſtros una cum gregibus Paſtores ad pacem in Chriſtianiſmo promovendam toto pectore propenſos novit, ipſe, qui pacis eſt Deus, ſuprema paſtorali cura ſua hoc veritatis & concordiæ ſeminarium conſervare ac fœcundare dignetur. Vale. Hornæ. 1653. prid. kal. Octob. Ep. 596.

IO XCVI.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG S.P. Fredericopolin.

De itineribus mulierum ad Chriſti ſepulchrum.

NOn inſectabor, frater integerrime, eruditos ac pios eorum conatus, qui illam, quæ inter Johannem & reliquos Euangeliſtas, ubi reſurrectionis Dominicæ hiſtoriam contexunt, videtur diſcrepantia, ita conciliant, ut eam exiſtiment unica mulierum profectione ad ſepulchrum breviſſime tollendam; nec aliam apud Johannem, quam apud alios ſcriptores ſacros excurſionem ſtatuendam, quamvis ille ſolam Mariam Magdalenam, hi complures alias fœminas commemorent. Non multiplicandæ ſunt mulierum itiones, inquiunt, citra neceſſitatem, nec improbabile putant, ſi cæteri Euangeliſtæ conſpirent, exiſtimantes quamvis Matthæus duas, Marcus tres, Lucas quatuor fœminas exhibeant, in eundem tamen cenſum ac ſenſum conjungi Johannem, qui unam producit Magdalenam, quia fœmina erat nobilis, quia Domini beneficentia propter dæmones ejectos ſeptem illuſtris, quia præ cæteris pietatis ſtudio fervens habebatur. Multa ſunt alia ingenioſe reperta ab iis, qui huic ſententiæ patrocinium præbuerunt. Sed vero videndum nobis eſt, non modo quid verum eſſe poſſit, ſed etiam quid ſe probabilitatis ſpecie commendet: & curandum, non tantum ut iis, qui credunt Euangelio, ſed etiam ut non credentibus ſatisfacere queamus. Sunt autem iſtiuſmodi rationes judicio meo, quæ in illo diverſarum narrationum contextu ſe offerunt, ut ne fidelium quidem mentes penitus acquieſcere poſſint, ſi illa in unam profectionem contracta explicatio obtineat. Id liquere exiſtimo primum de Maria Magdalena, deinde de reliquis etiam mulieribus: ex quibus prior illa ter, hæ poſteriores bis ſepulchrum videntur adiiſſe. Nam *primo* Magdalena cum dicit Apoſtolis, *Joh.* XX. 2. *Suſtulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum*; nonne indicat aperte, nondum tunc ſibi aut Angelos viſos, qui Chriſtum reſurrexiſſe docuerant, aut Chriſtum ipſum, quem illa omnium prima conſpexit? Nam quod Vir magnus illam quia non crediderat, ita locutam putat, minime eſt probabile, præſertim cum poſtea Johannes narret, eam, ſimulac Angelos & Chriſtum vidiſſet, id Apoſtolis renunciaſſe. *Secundo* Lu-

Ep.596. cas refert, Magdalenam & reliquas, quæ Angelorum verba ac juſſa perceperant, comites dixiſſe, ſe Angelorum viſionem vidiſſe: at ſe Chriſtum vidiſſe non dicunt, quod tamen cur reticuerint, ſi verum fuiſſet, cauſa ulla juſta non datur, nec eam poſſe dari confido. Id patet ex *tertio*, quia Magdalena Chriſtum vidit, viſumque complecti voluit, & confeſtim rem detulit ad Apoſtolos. Nam quod Vir magnus arbitratur eam in fide vacillaſſe, atque eum eſſe ſpiritum credidiſſe, quia ab hoc complexu erat ſermone Domini repulſa, id firmitudinem non habet, & ex eo refellitur, quia illa Angelis apud Lucam, & Chriſto credidit hoc loco; ut ex eadem, quam dixi, annunciatione apparet. Deinde idipſum de reliquis etiam mulieribus, quod ad minimum bis monumentum inviſerint, probatu facile eſt, quandoquidem Matthæus, poſtquam narraſſet, mulieres Angelorum juſſa percepiſſe, ſubjungit, *ut autem ibant ad hoc renuntiandum diſcipulis ejus, ecce Jeſus occurrit eis, dicens*, &c. At apud Lucam, cum Angelorum viſionem oblatam ſibi fuiſſe commemorant, nondum eis Chriſtus apparuerat, quia id, præſertim ſi Dominus hoc annuntiare mandaſſet, nequaquam ſilentio tranſmiſiſſent. Ex his manifeſtum arbitror, quod illi adeo diverſi caſus ac ſermones in unam omnes excurſionem conglutinari non poſſint. In quam ſententiam propenſius adducor, cum conſidero, quam multa πρόσωπα, quam multas ἰδιότητας, eaſque non probabiles conſtituere ſententia ſua cogantur, qui in adverſum obnituntur. Eſt vero hoc ideo minus veriſimile, quia hæc πρόσωπα tribuunt Johanni, quem tamen ab inſtituto aliorum Apoſtolorum ordine ita temere voluiſſe recedere nemo facile perſuadebit, præſertim cum ipſe poſtremo loco Euangelium ſcripſerit, ac cæterorum ad ſe perlatos Euangeliorum codices comprobaverit, quod refert Euſebius hiſt. Eccl. lib. II. cap. XXIV. Adferunt quidem aliquid cauſæ, cur Johannes ordinem inverterit, ne à mulierculæ teſtimonio exordium confirmationis in re graviſſima ducere cogeretur, quod ad fidei propagandæ ſtabilimentum nimis eſſet infirmum. Sed cum Chriſtus ipſe in reſurrectione ſua manifeſtanda hunc ordinem provide ſecutus fuerit, non eſt credibile, quod dilectus ejus Apoſtolus à ſapientiſſimi Magiſtri præſcripto recedere voluerit. Eſt etiam major in Euangelica expoſitione ſimplicitas, quam ut tam levia offendicula Apoſtoli extimuerint. Denique quamvis offenſionis aliquod fuiſſet periculum, res tamen diutius in integro non erat, neque diverſa narratione obliterari tunc poterat, poſtquam ii, qui anteceſſerant, Euangeliſtæ mulieribus primas partes in hoc glorioſo conſpectu attribuerant, quorum anteceſſorum Euangelia per varias nationes erant diſperſa.

Ex his jam dictis haud difficile eſt ordinem indagare, quem nos in patefactione reſurrectionis Dominicæ & in mulierum excurſionibus legitime digerendis conſtituendum arbitramur. Maria Magdalena, quia zelo fervebat magis, cæteras illas curſu ad ſepulchrum intenſo antevertit, atque eo pervenit tenebris à facie terræ nondum diſpulſis: Mox eodem cum accederent aliæ, illa ſola ad urbem regreſſa Apoſtolis Petro ac Johanni (horum enim duorum tantummodo mentio apud Johannem) renuncians, id quod viderat; *Sustulerunt*, inquit, *Dominum è monumento, & neſcimus ubi repoſuerint eum.* Deinde cum ad ſepulchrum eſſet reverſa, duobus illis Apoſtolis vel præviis vel comitibus, tum ei paulum digreſſæ ſimulque reliquis mulieribus oblata eſt illa viſio Angelorum, qui Dominum reſurrexiſſe nunciarunt: idipſum itaque Magdalena ejuſque comites ex Angelorum mandato Apoſtolis in urbe congregatis annunciant, quo jam reverſi erant Petrus & Johannes, antequam apparuiſſent Angeli. Hujus tum apparitionis, tum annunciationis mentio fit apud *Lucam* XXIV. *cap.* Ubi Petrus re nova ut videtur audita excitatus, quæ delata eſt ad univerſum Apoſtolorum collegium, rurſum ibi ſe ad ſepulchrum videtur contuliſſe. Tertio Maria Magdalena cum ad ſepulchrum tenderet, ſemota paulum à reliquis, omnium prima vidit poſt Angelos Dominum ipſum, referente Marco, moxque eadem ex ordine viſio duplex oblata mulieribus. Nam duplicem hanc, id eſt, Angelorum & Chriſti, factam eodem propemodum tempore, ex Matthæi & Johannis conſentiente narratione colligitur. In hac conciliandi ratione illud fortaſſe incommodum alicui videri poſſit, tum quod mulieribus, inter quas etiam Magdalena, bis Angeli conſpecti fuerint, tum quod Petrus ſepulchrum bis inviſerit. Sed de Petro mirum non eſt, ſi quis ſpectet zelum ſupra cæteros flagrantem: neque de duplici Angelorum occurſu mirandum, cum duplex videatur fuiſſe mulierum excurſio; factumque id, quo magis confirmarentur; idque eo magis veriſimile, quia alia exſtant apud Matthæum, alia apud Lucam Angelorum verba. Nec vero mirabitur quiſquam, ſi Dominum non ſemel aut iterum, ſed ſæpius Apoſtolis apparuiſſe poſt reſurrectionem obſervet.

Ep.596.

Quod ſi quis tamen hac difficultate motus alium conciliandæ hujus συμφωνίας modum requirat, exiſtimo eum non deeſſe magis forte ſuccinctum quam dedimus, quamquam præcedens eſt ſimplicior, omneſque diverſitates, quæ in diverſis Euangeliis apparent, judicio meo penitus exhaurit, & ita quidem exhaurit, ut & fidelibus ſatisfieri, & infidelibus os obſtrui queat. Veruntamen ſiquis viam brevem & expeditam magis deſideret, ea ſic complanari poteſt: Statuamus Mariam Magdalenam ejuſque comites ad ſepulchrum cum prima luce excurriſſe, ita tamen ut Magdalena magis præcipitato curſu ante alias ad ſepul-

Ep. 597. pulchrum pervenerit & à ſepulchro diſceſſerit: interea reliquas, quæ illam ex parte comitatæ fuerant, incidiſſe in Angelos: inde factum eſſe, ut nihil de Angelis apud Johannem duobus illis Apoſtolis ἐφάνη retulerit Maria, ſicut apud Lucam reliquæ mulieres omnibus ex illo caſu congregatis annuntiaverunt: Lucam tamen brevitatis cauſa ſolius Petri ad ſepulchrum excurrentis tantum meminiſſe, qui erat primarius & ſenior, eademque de cauſa Mariæ verba cum aliarum nunciatione conjungere, quamvis ea partis illius nuncii tantum particeps fuiſſet. Secundo ſtatuamus, Magdalenam, cum Petrus & Johannes ad ſepulchrum vaderent, eos pone ſubſecutam, ac tunc illam & Angelos conſpexiſſe & Chriſtum, datumque paulo poſt videre utroſque aliis etiam mulieribus, vel iiſdem, quæ Mariæ antea adfuerant, vel, ſi ita videatur tibi, diverſis, quia iiſdem, qui ſepulchrum viderant Angeloſque audierant, animus revertendi non erat: niſi velis omnes mulieres excepta Magdalena ſimul Angelos vidiſſe, atque ex his alias mox ad Apoſtolos viſionem hanc retuliſſe, alias ex timore Angelorum dilapſas circa ſepulchrum ſe recollegiſſe, atque ibi, poſtquam Maria Magdalena vidiſſet, vidiſſe quoque Chriſtum; quod, licet tibi non improbetur, tamen vix videtur mihi probabile, quia Lucas eas ſatis aperte conjungit, & quia Angelica oratione recreatæ diffuſioris fugæ cauſam non habuerunt. Verum hac de re unuſquiſque noſtrum ſuo fruatur judicio. De Angelorum varietate, quos Lucas & Johannes duos commemorant, Matthæus unum, nihil addidi, quia difficultas in eo perquam exigua. Nam aut diverſæ fuerunt apparitiones, aut unus amborum nomine mulieres allocutus intelligitur, quia is legationis caput. Si quid in illa priore conciliandi via aut in hac poſteriore deſideres amplius, id, ſimulac opportunitas ſe offeret, ad me perſcribes. Libros, quos commodato expetis, mitto. Bellum, quod cum Anglicanis parricidis geritur, rempublicam noſtram miſerandum in modum afflictam tenet. Dabit Deus tempora meliora. Vale mi frater. Hornæ 1653. idibus Octob.

IO XCVII.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

STEPHANUS CURCELLÆUS

S. P. D.

Frederico-polin.

De itinere mulierum ad Chriſti ſepulchrum.

CHariſſime in Chriſto Frater & amice, Miraberis procul dubio quod tamdiu ad amicam tuam compellationem reſpondere diſtulerim, & quænam ejus rei cauſa fuerit ſcire avebis. Dicam paucis. Cum litteræ tuæ mihi fuerunt redditæ, aberat ab urbe noſter Geeſteranus, per quem indicaveras me tuto & commode meas reſponſorias ad te mittere poſſe. Interea dum præſtolor ejus reditum, contigit ut pro more purgaretur muſæum meum, & litteræ tuæ una cum aliis chartis miſcerentur, inter quas difficile fuit poſtea invenire. Et cum invenirem, adverſa valetudo & aliæ occupationes, quibus fere continuo obruor, impedierunt non ſemel ne officio iſto quod à me poſtulaſti defungerer. Relegendo tuam diatribam, animadverti te nodum cujus ſolutionem fingis petere jam ipſum ſolviſſe; unde cogitatio illa ſubiit animum, aut te ſerio iſtud non petiiſſe, ſed potius ſpecimen mihi præbere voluiſſe tuæ in conciliandis Scripturis in ſpeciem pugnantibus dexteritatis, aut cupiviſſe ſcire an ingenioſa illa quam excogitaſti Euangeliſtarum inter ſe conciliatio ad meum palatum eſſet futura. Quicquid iſtius rei ſit, agnoſco meam tenuitatem, nec citra arrogantiam poſſem tibi opem polliceri, ubi præclara illa eruditionis lumina, Eraſmus, Beza, Maldonatus, Grotius non tulerunt. Sed quia nihil vetat quo minus poſt copioſam illorum meſſem, ſpicas quas non animadverterunt inveſtigemus, id exiguum quod in me eſt induſtriæ lubens etiam huc conferre ſum paratus. Velim ergo primum iſtud obſervari, Joannem, de cujus conciliatione in hiſtoria reſurrectionis Chriſti cum reliquis tribus es ſollicitus, non ſibi propoſuiſſe integram hiſtoriam texere in qua omnia bene inter ſe cohærerent, ſed tantum ab aliis prætermiſſa recenſere. Ideoque prima interpretum cura hic eſſe debet, Matthæum, Marcum & Lucam inter ſe conciliare (quod tibi non adeo arduum eſſe videtur.) Quo facto conſiderandum eſt quomodo ea quæ Joannes addidit ſingula ſuis locis commode inſeri poſſint. Sic nihil aut parum admodum difficultatis in illorum ὁμαλοποιήσεις tollendis ſuperfuturum exiſtimo. Experire id, & non illibenter, niſi fallor, in meam ſententiam concedes. Sane magni laboris non eſt id conciliare quod magna ingenia torſit, quomodo id quod Lucas & Joannes dicunt mulieres veniſſe ad ſepulcrum profundo diluculo & cum adhuc tenebræ eſſent, ſimul verum eſſe poſſit cum eo quod narrat Marcus, id factum eſſe exorto Sole (parum hic refert ſive cum quibuſdam legamus ἀνατείλαντος Ἡλίου, exoriente ſole, ſive, ut vulgata exemplaria habent, ἀνατείλαντος Ἡλίου, exorto Sole; cum certum ſit exoriente Sole non eſſe diluculum profundum nec tenebras) nempe facile eſt videre Lucam & Joannem agere de tempore quo mulieres iſtæ ad iter ſe accinxerunt; Marcum vero de eo quo ad ſepulcrum acceſſerunt. Nam cum Hieroſolyma urbs eſſet admodum magna, & ſepulcrum Chriſti aliquantulum ſaltem ab ejus pomœriis remotum, & mulieres aliæ alias forte ſint præſtolatæ, non potuit interea minus quam una aut altera hora abire, ſicque à profundo diluculo & tenebris ad Solis ortum tranſitus fieri. Hic ergo nihil eſt quod prudentem & atten-

Ep. 597. attentum lectorem remorari debeat. Ut neque in eo quod Matthæus & Marcus unius tantum Angeli faciunt mentionem qui mulieribus apparuit, cum Lucas & Joannes duos fuisse diserte asserant. Nam qui unius meminerunt, non propterea censendi sunt negare plures non fuisse. Sed unum nominare fuerunt contenti, quia unus tantum mulieres allocutus est. Nec refert quod Lucas & Joannes tribuant illis in plurali quod locuti fuerunt. Nam per usitatam Scripturis & omnibus auctoribus synecdochen, quod unus eorum, qui simul idem negotium procurant dicit communi sociorum nomine, solet etiam reliquis attribui, quamvis tacuerint. Sed quod te videtur torquere est, quod cum Euangelistæ non dicant mulieres sæpius iviſſe ad sepulcrum, talia tamen commemorent quæ vera esse nequeunt, nisi plures earum itiones agnoscamus. Ita est, fateor, & tu ipse (mea quidem sententia) nodum vel potius nodos istos commode solvis, statuendo tres diversas mulierum itiones ad sepulcrum. Nec est quod de solutionis tuæ veritate diffidas, ideo quod doctissimi illi interpretes, quos consuluisti, unam tantum itionem mulierum ad sepulcrum agnoscant. Non enim tantum est dissidium inter vestras sententias, quin simul consistere facile possint. Istud solum observandum arbitror, diversas istas mulierum itiones nihil aliud fuisse nisi accessus & recessus paucorum aliquot passuum in via quæ tota non patebat prospectui, sed ubi parietes, arbores, aut alia interjacentia, facile impedire poterant, quo minus quæ in propinquo fiebant animadverti possent. Imaginare tibi talem fuisse qualis est scena in theatro, ubi diversi anfractus & separationes faciunt, ut qui in propinquo sunt, procul abesse putentur. Sic nullo negotio concipies, quomodo singula ista quæ dissensus speciem habent, amice inter se conspirent. Ostenderem istud sigillatim in difficultatibus à te motis, nisi persuasus essem te meo ductu hic non indigere. Cui adde quod tempore nunc destituar ad prolixum illum discursum ingrediendum quem talis narratio postularet. Spero nos brevi te in his oris reducem visuros, & de his aliisque quæ ad communia studia pertinent per otium collocuturos. Quod vero non tam cito tibi mittitur successor ac forte speravisti, inde fit, quod nullos adhuc habeamus idoneos inter studiosos nostros qui istam provinciam obire possint. Sed laborabitur in eo volente Deo diligenter, ne tu illic nimis diu contra animi propensionem detineris. Audivi his diebus Deum matrem tuam dilectam in quietem suam transtulisse. Quod ipsius causa non puto ægre ferendum, quæ in pietate defuncta à Deo justo judice fidei suæ mercedem in cœlis repositam habet. Sed vicem tuam doleo, quod ejus auxilio & consortio destitutus nunc quasi in solitudine vivas. Hortarer te ad patientiam in hoc acerbo casu, nisi scirem te diu ante, pectus tuum contra ejusmodi tela muniviſſe. Oro Deum Ep. 598. supplex ut te Spiritu suo consoletur, & nobis incolumem multos annos conservet studiisque tuis & Ecclesiæ cui præes cumulate benedicat. Vale. Amstelodami 29 Januarii, 1654.

IO XCVIII.

CHRISTIANO HARTSOECKERO

ARNOLDUS POELENBURG

S. P. D.

Frederico-polim.

Consolatur. De præsentiæ vitæ eternæ fide Vet. Test.

QUod scribis dilectissimam tibi matrem, unicum inter homines vitæ solatium in statione Fredericopolitana, excessisse è vivis, non potui non in hoc gravissimo tuo casu commoveri, præsertim cum reminiscor te à patria & amicis longius remotum iis nunc solatiis carere, quibus, si hic adesses, undique abundares. Præcipui tamen consolationis fontes in omnes terras de cœlo exuberant, quibus tu, dum pro officii ratione sæpe irrigas alios, ipse à summo Magistro edoctus haud dubie non destituere. Turpe vero fuerit, si imperitos imitemur Medicos, qui cum aliis laborantibus promptissime medicinam afferant, suis tamen ipsorum morbis mederi aut nesciunt aut nolunt. Tum nisi hanc ægritudinem æquo uti par est, animo feras, vix poteris posthac exasperatos aliorum dolores adhibito consolationum tuarum lenimento mitigare, quia & illis & tibi tuum exemplum tacite refragabitur. Quare non solum moderate, sed etiam fortiter hoc tolerabis malum, si tamen hoc in malis censendum: immo etiam, ut in omni re nos lætos agere jubet Apostolus, hinc aliquam lætitiæ portiunculam poteris decerpere, hocque, quod homines malum opinantur, pia cogitatione in bonum convertere. Si succurrat, quod matrem amiseris, cogitabis non amissam, cujus anima Deo est reddita, qui eam dederat. Si matrem mortuam esse veniat in mentem, reputabis non mortuam, cujus pars potior vivit apud Deum, cujus etiam corpus reviviscet in æternum. Si doleat, quod ejus præsentia nunc frui non liceat, confestim memineris te Deo ingentem debere gratiam, quod amantissimæ illius consortio tamdiu foveri licuerit. Si obversentur animo mores materni, quod fuerit illa honesta, pia, placidissima matrona, credes eam tibi si posset hoc modo respondsuram; num me vel minus honestam vel improbam vel nocentem jurgiis vitam cum duxissem, hinc ad sanctissimi Servatoris tribunal decessisse malles? Nosti, quemadmodum Socrates consolatus fuerit amicos, Christus Dominus discipulos, Apostolus Paulus Thessalonicenses aliosque complures: quos consolationum rivos diducerem latius, nisi eos tibi pleniſſime cognitos scirem. Progrediar nunc ad eam, quæ ab hoc consolationis argumento

Ep.598. mento non eſt aliena, quæſtionem, cujus ſolutionem flagitas, diſſolvendam. Exiſtimo igitur, (ut alteram, quam in præcedenti epiſtola propoſui, partem exſolvam) primam vitæ æternæ promiſſionem non ad Euangelii tempora referendam, ac ne ad Moſis quidem legem aut Prophetas Moſaïcæ legis interpretes, ſed eam ab ævo antiquiore repetendam, à prima nempe hominis creatione, ejuſdemque reparatione lapſum ſubſecuta. Neque nunc placet vocum ſubtilitates rimari, ac nimium accurate (meo quidem judicio) diſtinguere inter illud, quod Deus futurum ſignificavit, & id, quod ſe facturum promiſit: quandoquidem vel ſimplex Dei omnipotentis nutus nobis ad promiſſi fidem ac fidei noſtræ ſtabilimentum debet ſufficere. Quonam igitur pacto probabimus immortalitatem à Deo primis parentibus aſſertam, indeque poſtea (quanquam ratio etiam, ut dixi, multis modis ſuffragabatur) apud hominum genus paſſim receptam fuiſſe? Probatur hoc primo ex Dei comminatione, qua interdictum de arbore ſcientiæ comedendi ſancivit, cum Dominus inquit, *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Quamquam igitur ea erat conditione conditum corpus, ut morte diſſolvi potuerit, cum fuerit ex repugnantium ſibi mutuo elementorum mixtione conflatum, non tamen Adam, ſi in obedientia perſtitiſſet, moriturus videtur fuiſſe, ſiquidem mortem ipſi Deus non aliter interminatur, niſi præceptum ſibi datum voluntaria tranſgreſſione violaret. Objiciunt nonnulli, terrarum Dominos nunc quoque hominibus edicta ſua contumaciter reſpuentibus mortem minari, quos tamen norunt inevitabili neceſſitate morituros. Quæ fortaſſe reſponſio pondus haberet, niſi nobis alterum argumentum ad prius illud corroborandum ſuppeteret. Quorſum enim arborem vitæ Deus in medio Paradiſo conſtituit, niſi ut homini vel vitam æternam obſignaret, quæ eſt multorum interpretatio, vel (quod ego probabilius arbitror) ut hac ope homini vitam in æternum prorogaret? Expellit enim ipſum è Paradiſo Deus, *ne ſumat etiam de ligno vitæ & comedat & vivat in æternum*, *Gen.* III. 22. Ac ne ſubterfugium quæratur in voce לעולם, qua nonnunquam longiſſima temporis duratio deſignatur, licet non ſit æterna præciſe, adjungamus huic tertium ex præcedentibus Dei verbis petitum, cum ſententiam mortis Adamo denuncians; *Pulvis es*, inquit, *& in pulverem reverteris.* Quid hic peculiare aut formidandum adeo, ſi Adam, etiamſi non peccaſſet, tamen erat in pulverem redigendus? Accedit, quod teſtetur Apoſtolus *ad Rom.* verſ. 12. *per unum hominem peccatum in hunc mundum ingreſſum eſſe, & per peccatum mortem: & ita in omnes homines mortem pertranſiiſſe, quia omnes peccarunt.* Intelligit Apoſtolus per mortem moriendi neceſſitatem; quæ ſi ex peccato ſuborta & propter peccatum ingreſſa ſit, conſtat profecto hominem, ſi peccati expers manſiſſet, non fuiſſe neceſſario moriturum. At hoc quo fine à me hactenus in eam ſententiam diſputatur? ut patere poſſit, fuiſſe hominum generi ab ipſis mundi primordiis hanc æternæ vitæ perſuaſionem ex ipſo Dei ore hauſtam ac deductam; licet ea obſcurius fuerit propoſita & per quaſdam ſequelarum ambages educenda. Poſtquam autem homo mortis neceſſitati ſubjectus eſt, ſpes quidem immortalis vitæ interciſa & infracta eſt quodammodo, non tamen penitus exſtincta, quandoquidem Deus etiam poſt peccatum ſe hominibus benignum ac propitium declaravit, cum ut paterfamilias honeſtati conſulens & nuditatem eorum obvelavit, & ſeminis benedicti promiſſione afflictos erexit, & editis inſuper oraculis ſe cultoribus ſuis inſigniter velle benefacere oſtendit, (quale eſt illud Caino editum, *Nonne ſi bene egeris, erit elevatio*) ac præterea propoſito Enochi exemplo reliquis hominibus haud obſcure ſignificavit ad cœlum elevandos, ad cœleſtem vitam & immortalem extollendos eſſe, ſi qui in his terris viam ac vitam, ad cœlum quæ ducit, eſſent ingreſſi. Arbitror ex his ac ſimilibus Dei patefactionibus, quas diverſis temporibus ac modis factas autor eſt S. ad Hebræos ſcriptor, eam ſententiam inter homines, pios maxime, promiſcue natam, quæ mundo poſtmodum adoleſcente magis etiam confirmata eſt. Quandoquidem homo ad immortalitatem conditus erat, ac Deus poſt peccatum reſipiſcentiæ ac veniæ locum dederat, hinc non male collegerunt, Dei cultores pios immortalitatis participes futuros. Id creditum puto Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, aliiſque qui legem præceſſerunt fidelibus, qui ad cœleſtem patriam animis ac votis aſpirabant, *Heb.* XI. Jacobus quidem moriens, *Salutem tuam*, inquit, *exſpectabo Domine.* Eadem fides viguiſſe videtur ſub lege, quoniam ita vulgo perſuaſum fuit fidelibus, ſatis ſe beatos eſſe, ſi aut peccatum in ſe nullum admitterent, aut admiſſi veniam à Deo conſequi poſſent. Atque hanc credo cauſam fuiſſe, cur paſſim non tam de cœleſtis promiſſione vitæ quam reſipiſcentiæ ac remiſſionis cura ſolicitos fidelium animos habuerit. Hinc David, *Pſal.* XXXII. 1, 2. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod idem in Abrahamo, poſteaque in omnibus Gentilium ac Judæorum, tandemque Chriſtianorum fidelibus locum habuiſſe ſatis expreſſe docet Apoſtolus ad *Rom. cap.* IV. Ac liquet deinceps ibi ex toto Paulini ſermonis contextu id tanquam indubium ſupponi, & à Judæis ipſis & ab Apoſtolo, qui contra Judæos diſputat, Deum iis, qui ipſi erant accepti & coram eo juſtificati, vitam æternam benigne largiturum: ac tantummodo quæſtionem agitatam fuiſſe de ratione ac via, qua juſtificatio obtinetur, ſitne ea per opera legis, an vero per

Ep.598.

Gen. IV.

Digitized by Google

Ep.598. fidem conſequenda. Quod ſi vitæ æternæ promiſſio Euangelio eſſet propria, nec uſquam antea vel data ullo modo aut indicata ſacris literis, non eſt dubitandum, quin Apoſtolus ibidem hoc argumentum clare fuſeque adverſus Judæos expoſitum dediſſet, cum locus ac filum argumentationis Apoſtolicæ hanc tractationem, ſi quis rem exacte perpendat, omnino poſtulare videatur. Apoſtolus enim, ut manifeſtum eſt ex *cap.* I. *verſ.* 16. propoſitum ſibi habet Euangelii neceſſitatem, dignitatem, potentiamque extollere, cum aſſeverat Euangelium eſſe virtutem ſive potentiam Dei ad ſalutem omni credenti. Deinde cap. VI. cum Euangelii efficaciam, quatenus ſanctimonia vitæ eo promovetur, explicat, gratiam remiſſionis urget maxime; *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* At utrobique quam appoſita, quam neceſſaria mentio fuiſſet promiſſionis æternæ, ſi ea non alibi quam Euangelicis literis data teneretur? Gratiam autem eam, quæ in peccati remiſſione conſiſtit, poſteriore loco intelligi liquet ex his verbis proxime ſubſequentibus, *Quid igitur? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?* Hæc enim objectio, ad quam mox reſpondet Apoſtolus, non erat ſpeciem habitura, niſi potiſſimum remiſſio peccati nomine gratiæ denotaretur. Dicit quidem ſub *cap.* VI. finem, *τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ donum gratioſum Dei eſſe vitam æternam in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Sed reſponderi poteſt, omnia hæc promiſſa omnibus temporibus data fuiſſe, non citra Chriſti intuitum, quanquam diverſo patefactionis modo. Attamen commodiore id ſenſu ad præcedentia referri poteſt, ita ut intelligamus vitam æternam, quia remittuntur peccata, ex mera Dei in Chriſto gratia nobis tribui peccatoribus, qui, licet ſanctificati nunc ſimus, mortem tamen eramus antea peccando promeriti. Nam ſi Apoſtolus nunc demum immortalis vitæ promiſſum datum eſſe docuiſſet, id argumentum, quia omnium eſſet maximum, procul dubio latius proſecutus fuiſſet. Similiter mihi locus, qui exſtat perſcriptus ad *Heb.* VIII. 6. exſolvendus videtur, cum S. Scriptor affirmat, *Pontificem noſtrum tanto excellentius miniſterium nunc ſortitum eſſe, quanto præſtantioris eſt fœderis interceſſor, quod præſtantioribus promiſſis ſancitum eſt.* Satis enim apertum eſt agi de promiſſis gratiæ ſalutaris in Chriſto per peccatorum remiſſionem exhibitæ: quod & *interceſſoris* vocabulum arguit (intercedit enim Chriſtus pro peccatis noſtris) & idipſum ratio muneris ſacerdotalis, de quo ibi ſermo, evincit, & nulla ibi de vita æterna mentio inferitur, & paulo poſt, cum divinus autor ex Jerem. Prophetia hæc verba retuliſſet, *Indam leges meas menti eorum*, &c. gratiam uberiorem pollicens, ſimulque mox indicans, qua ope id eſſet perficiendum, ſubjicit; *Ero enim propitius iniquitatibus eorum & peccatis eorum: & iniquitatum ipſorum non recordabor amplius.* Hæc lo- Ep.598.
ca priuſquam ad alia progrederer enodanda putavi, vel occaſione rationis illius, quam ex epiſtola ad Rom. adduxi, vel ne mihi in poſterum eorum autoritas obſiſteret. Nunc plura colligam, unde conſtare queat promiſſum remiſſionis peccatorum ad Euangelium unice pertinere: promiſſionem autem vitæ æternæ anteactis etiam temporibus factam fuiſſe ex ipſis Novi Teſt. teſtimonis me patefacturum confido. Ut autem prius illud, de quo jam ex parte ſuperius egi, priore loco plenius exſequar, Chriſtus Dominus in cœlum jam mox aſcenſurus dixit Apoſtolis, *Ita ſcriptum eſt & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertio die, & prædicari in ejus nomine reſipiſcentiam ac remiſſionem peccatorum apud omnes gentes.* Sic illi mulieri peccatrici, quæ Chriſti pedes reſipiſcentiæ lachrymis irrigabat, remiſſa multa peccata ſimpliciter teſtatur, nulla facta promiſſi cœleſtis mentione, quia ex remiſſione Judæis hoc per ſe ſatis conſtabat. Publicanus apud Lucam *cap.* XVIII. ſimpliciter orat, *Deus propitius eſto mihi peccatori, ac diſcedit ipſe juſtificatus domum magis quam Phariſæus.* Petrus itidem ex ſuperiore Chriſti mandato ſic concionatur *Act.* II. 39, 40. *Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti; Vobis enim eſt promiſſio.* Videſne, ut remiſſio peccatorum *promiſſionis* nomine veniat? Ac mox ſubjungit, *Servamini ex natione iſta prava*: ut intelligas ſatis ipſos ſalvos, ſi remiſſionis eſſent conſortes. Et poſtea *cap.* III. 19. *Reſipiſcite igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra: poſtquam venerint tempora refrigerationis a conſpectu Domini.* Petrus Euangelium Cornelio annuncians; *Huic Chriſto*, inquit, *omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.* Similiter Paulus, ut Judæos ad fidem adducat, non commemorat vitæ æternæ promiſſionem nunc demum factam, ſed *Notum ſit vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum: & ab omnibus, a quibus per legem Moſis abſolvi non potuiſtis, quemvis qui credat juſtificari.* Certe vix opus fuiſſe, ut Judæis vitæ æternæ promiſſio annunciaretur, patet ex firmiſſima perſuaſione, qua eam & antea & ipſis Chriſti temporibus amplexi fuerunt. Quod conſpicuum eſt in fratribus Macchabæis, duriſſima quæque tormenta perpeſſis ſpe reſurrectionis adipiſcendæ. 2 *Macchab.* VII. & in juvene illo, qui ex Chriſto quæſierit apud *Mat.* XIX. 16. *Magiſter bone quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* & ex Chriſti verbis *Joh.* V. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos opinamini in iis vitam æternam habere.* Luc. XXIV.

At, inquis, unde hanc ſive opinionem ſive fidem hauſerunt? Reſponderi poſſet, eam hauſtam ex ratione, ſed eam, quia infirmior eſt minuſque certa, ad ſolos Gentiles malim reſtrin-

Ep.598. ſtringere, quanquam neque Judæi hoc loco rationis dictamen omnino rejeciſſe, & Gentiles aliqua ex vetuſto deducta traditione adjutos fuiſſe credibile eſt. Hanc vero quæſtionem ſatis jam ante diſſolvimus, nimirum, partim id derivatum ex Patrum traditione, qui hanc ad ipſos ſententiam fidemque propagaverant, partim ex Scripturis ipſis, quod Chriſtus loco poſtremum adducto teſtatur. Sed enim cur adeo dubitanter hac de re loquitur Dominus, *opinamini*, inquiens; quaſi hæſitaverint Judæi, aut etiam fuerint opinione ſua aliquomodo decepti, fortaſſe vel propter zelum quo in legem ferebantur, vel præ immortalitatis deſiderio, quo omnes flagramus, ulterius trahentes Scripturas quam oportuit. Placuit hæc expoſitio quibuſdam interpretibus, interque eos Maldonato & Muſculo, qui verbis paulo ante poſitis Judæorum quandam reprehenſionem contineri exiſtimarunt. Cui interpretationi, quia aliquam veri ſpeciem apud nonnullos habet fortaſſe, ſi locum demus, reſpondere poſſumus fruſtra Judæos ex Scripturis Vet. Teſtamenti vitam æternam ſibi certo promiſiſſe, non quod nulla ibi promiſſa exſtarent, ſed quia propter promiſſionis obſcuritatem certa opinio magis quam indubitata fides inde poterat hauriri, & quia lex perfectam omni modo obedientiam ſub comminatione mortis exigens fores ad vitam peccatoribus adverſa veluti fronte præcludebat. Unde Chriſtus januam alicubi, & alibi ſe viam, veritatem, vitam appellat.

Judæos vero non male ex Scripturis vitæ æternæ ſpem concepiſſe ex N. Teſt. variis locis conſtare poteſt. Primo quidem ex illis Domini Jeſu verbis, ubi Sadducæos, qui reſurrectionem abnegabant, redarguens, dixit eis, *Erratis neque Scripturas ſcientes neque potentiam Dei. Matth.* XXII. 29. Secundo hoc idem comprobat Paulus, qui cum dixiſſet *Act.* XXIII. 6. *Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi: de ſpe & reſurrectione mortuorum in judicium vocor*: eadem ferme repetens coram Agrippa Rege, cap. XXVI. 5. ſubjicit, *Nunc vero ob ſpem promiſſionis factæ patribus noſtris à Deo ſto in judicium vocatus: ad quam* [promiſſionem] *duodecim tribus noſtræ, Deum nocte & die aſſidue colentes, ſperant devenire.* Unde & Judæorum reſpectu Gentiles dicuntur *extranei à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, Epheſ.* II. 12. Tertio comprobatur hoc Pauli teſtimonio, quod Timotheo perhibuit, quia *à puero ſacras literas noverat, quæ ipſum poterant ad ſalutem inſtruere:* Ubi ſacras literas Vet. Teſt. præcipue intelligi interpretes ferme omnes conſentiunt, quia non conſtat indubitato, an, cum etiamnum puer eſſet Timotheus, Novi Teſtamenti Scriptura literis conſignata exſtiterit. Addit autem, *per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu*, vel quia lex eſt inefficax ad ſalutem, niſi fidei ſcintilla acceſſerit, vel quia eſt ad Chriſti fidem veluti dux ac pædagogus, quod idem Ep.598. docet Apoſtolus ad *Gal.* III. 24.

Sed quæris amplius, quænam illa ſint loca Scripturæ, unde veteris Teſtamenti fideles in eam fidem deducti fuerint, aut ſaltem merito deduci potuerint? Sunt ea triplicis omnino generis, quantum indagando aſſequi poſſum. Primum genus univerſales continet promiſſiones, quibus Deus ſe Deum fore alicujus vel hominis vel populi ipſum colentis teſtatur, & ſe magnam ei daturum mercedem, & vitam ſe largiturum, aliaque quæ ambitu ſuo vitæ æternæ largitatem complecti poſſunt. Deus enim (ut propoſitas haſce locutiones ſingulatim attingam ac breviter) cum ſe Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi futurum, etiam poſt mortem eorum, declarat; oſtendit illos ſibi vivere, ac in vitam aliquando revocandos; Deus enim non eſt mortuorum Deus, ſed viventium: qua argumentatione Chriſtus Sadducæos ita confudit, ut contra hiſcere nec auderent nec poſſent, *Matth.* XXII. Idipſum confirmat S. ad Hebræos Scriptor, cap. XI. eos *potiorem expetiiſſe patriam, hoc eſt, cæleſtem: ideo Deum non pudere eorum* [id eſt] *cognominari Deus eorum: paraverat enim eis urbem.* Pari ſermone ſenſuque uſus eſt Paulus Apoſt. 2 *Cor.* VI. 16, 18. *coll. cum* 2 *Cor.* VII. 1. ubi etiam Patris idcirco cognomentum Deo attribuit, ex *Jerem.* XXXI. 1. Jam, cum dicit Deus Abrahamo, *merces tua multa valde*, quidni hinc colligeret præmium cœleſte? præſertim cum divinus ad Heb. autor dicat, eum, qui accedit ad Deum, oportere credere, quod ſit, & quod iis, qui ipſum quærunt, ſit remunerator, *καὶ ἀμοιβὸς*. Paulo ante autem Enochum à Deo ſublatum dixerat, ac poſtea docet Abrahamum cæteroſque Patres ſperaviſſe mercedem cœleſtem. Similiter vitæ nuncupatio ad vitam cœleſtem produci poteſt ac debet, ex interpretatione Domini Jeſu *Matt.* XIX. 16. ubi cum ſic quæſtionem informaret adoleſcens; *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, reſpondet Dominus adhibita uſitata legis formula, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ac deinde confeſtim legis Moſaicæ præcepta proponit. Quod enim exiſtimant nonnulli, obſervationem legis ad ſalutem conſequendam minime ſufficere, in eo à veritate aberrant meo judicio, præſertim ſi ſub lege comprehendamus etiam Prophetas. Nam Lazarus, qui certe ſub legis diſpenſatione vixiſſe conſideratur, in ſinum Abrahæ poſt mortem delatus dicitur, ibidemque reſpondet Abraham ad poſtulatum divitis epulonis, *Habent Moſen & Prophetas, audiant eos. Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit credent.* Luc. XVI. 29, 31. *Ex qua etiam fide juſti vivebant*, Habac. II. 5.

Alterum genus ea complectitur argumenta, quæ promiſſiones terrenas exhibet de poſſeſſione terræ Canaan, certo diuque cum ſum-

Ep. 598. ma Dei benedictione ac ſanitatis integritate vitæque longævitate obtinenda. Ex his enim rebus inferioribus mentem ſurſum ad cœleſtia ſubducere multiplici ratione potuerunt. Nam primo terra Canaan, Jeruſalem, templum, omniſque in templo cultus, promiſſiones illæ terreſtres, & uberrimæ benedictiones vitam futuram, bona ſpiritualia, ac cœleſtia typice adumbrabant. Habuit enim lex umbram futurorum bonorum *Heb.* X. 1. Præterea bona illa terreſtria, quia erant levia, caduca, umbratilia, & quia nec cum immenſa Dei in cultores ſuos benignitate congruere ſatis, nec deſideria piorum explere poſſe videbantur, haud difficulter admodum viri prudentia & pietate conſpicui, quibus Deus majus gratiæ lumen affudit, hinc colligerunt fore, ut Deus & optimus & potentiſſimus eximios nominis ſui veneratores, quos eximia charitate complectitur, ne in morte quidem deſereret. Quo reſpexiſſe Davidem multi exiſtimant, cum inquit *Pſal.* XVI. 8. *Non deſeres animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Certe Apoſtoli ſenſu myſtico hæc verba ad reſurrectionem Domini Jeſu transtulerunt. Davidi quidem illa applicari non poſſe docet Petrus: ſed intelligendum hoc videtur, ſervata vocum proprietate Davidi adaptari ea non poſſe; quod in Chriſtum directius competant, qui fuit corruptioni penitus exemptus. Potuerunt vero fideles hanc perſuaſionem tum ex evanida rerum terreſtrium levitate, tum ex Dei potentia ac bonitate eo certius educere, quod Deus, qui eſt in promiſſis ſemper verax, ea tamen fluxa bona his ipſis cultoribus ſuis, quibus illa ſe daturum promiſerat, non ſemper impertiretur, immo terrenarum benedictionum loco eos omni calamitatum genere obrueret, immo etiam per duram atque aſperam mortem ex hac eos vita interdum exturbaret. Enimvero ſi fides Dei promiſſis exſolvendis ſtabat inconcuſſa (quod ſemper extra dubium poſitum & ponendum) quid reliquum erat, niſi ut poſt mortem juſta probitati ſuæ præmia, terreſtribus vel paria vel etiam majora, ſperarent? Paulus Apoſtolus reſurrectionem fidelium ſimili ratione ex hujus vitæ malis demonſtrat 1 *Cor.* XV. 19. *Si in hac ſolum vita ſperamus in Chriſtum, miſerrimi ſumus omnium mortalium*, afflictionum nempe graviſſimarum intuitu: quaſi diceret, hoc iniquiſſimum atque abſurdiſſimum fore, ſi miſerrimi indeſinenter manerent fideles; cum ſint ex Dei beneplacito Dei favore digniſſimi, adeoque haud dubie aliquando remunerandi. Hæc collectio cum neque difficilis ſit, nec perplexa, nec obſcura, quid ni ſtatuamus de Vet. Teſtamenti fidelibus, eos hac eadem ſeipſos ſuſtentare potuiſſe ac debuiſſe, immo etiam revera ſuſtentaſſe, præſertim cum S. Scriptor ad Hebræos eorum calamitates fidemque in calamitatibus præſtitam luculento ornet elogio, teſtificans, quod ipſorum alii *tympanorum inſtar diſtenti fuerint non* Ep. 598. *acceptata liberatione, ut potiorem reſurrectionem conſequerentur: alii rurſus ludibria & flagella ſint experti, inſuper & vincula & carcerem: lapidati ſint, diſſecti ſint, tentati ſint, gladio interfecti occubuerint, oberraverint cum ovillis & caprinis pellibus, egentes, oppreſſi, male habiti, quibus indignus erat mundus*, &c.

Tertium genus habet argumenta ex piorum conſolatione animique conſtantia deſumpta, qua ſuam ſuorumque mortem æquiſſime perferre debuerunt, atque etiam reipſa pertulerunt: inter quæ eminet illud, quod etiam à Judæis in hujuſce rei teſtimonium adfertur, ex *Deut.* XIV. 1, 2. *Filii vos eſtis Domini Dei veſtri, ne ergo laceretis vos ipſos: neque ponetis calvitium inter oculos veſtros propter mortuum. Nam populus ſanctus es Domino Deo tuo, & te elegit Dominus, ut ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ ſunt ſuper terram.* Ad quæ verba Judæus au- » tor; Ecce, inquit, contra res ſe habet: ideo » enim magis dolendum & lugendum propter » mortuum, ſicut magis plangendus eſt filius » Regis mortuus quam alius quiſpiam. Verum » interpretatio hujus verſus hæc eſt, &c. Quaſi » diceret: quandoquidem Deus benedictus ſanctus eſt & miniſtri ejus ſancti ſunt. Tu etiam » populus ſanctus es. Omnia ſimili ſuo adjunguntur: itaque ſine dubio anima ejuſmodi ad- » jungetur intelligentiis ſeparatis quatenus ſancta eſt, & Angeli ſancti ſunt miniſtri Dei excelſi: quamobrem non oportet ſe incidere » propter mortuum, & propter eum juſto gravius dolere. Hinc itaque docemur animam reſiduam manere poſt mortem. Quem Scripturæ locum illuſtrem ſane miror à Menaſſe ben Iſrael prætermiſſum in libro Hebraice edito, cui titulus נשמת חיים; ejuſque loco adductum alium, qui nihil habet probabilitatis, ex *Levit.* X. 3. ubi cum Deus duos Aaronis filios ſubita morte propter ignem peregrinum accenſum exſtinxiſſet, dixit Moſes ad Aaron, *Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, ſanctificabor in iis qui appropinquant mihi*, אקדוש בקרבי (quod ille interpretatur, ſanctificabor in propinquis meis) *& in conſpectu omnis populi glorificabor, & tacuit Aaron.* Quorum verborum genuinus ſenſus judicio meo hic videtur. Cum lugeret Aaron filiorum mortem ſubitaneam ac duram, Moſes ut dolentem compeſceret verius quam dolorem leniret, dixit eos merito igne deſuper miſſo à Deo oppreſſos, neque luctu proſequendos qui nomen Dei profanaſſent, quandoquidem vel imprimis ab iis ſanctificari poſtulat, qui ſibi, hoc eſt, ad altare ſuum appropinquant, ut ab his initio facto ſive exemplo dato ab univerſo populo celebretur. At ille longe aliter exponit, ſtatuens exſtinctos Aaronis liberos vocari *propinquos Dei*, ac propter pietatem electos fuiſſe, ac Moſem locutum *ad cor Aaronis*: quaſi diceret, non debere ipſi perſuaſum eſſe, quod

Joſeph. in lib. IV. cap. 4.

Deus

Ep.598. Deus iratus ipſos exterminaſſet è vita, eſſe enim dilectos atque electos Dei, quos poſt mortem immortalitas maneret; ſed Deum facere, ut judices terræ, qui, ubi legem aliquam gravi commination̄e ſancitam tulerunt, ne familiaribus quidem ſuis neque proximis conſanguineis parcunt, ſed ab his pœnæ inferendæ ſumunt initium, ut palam ſit eos ſine perſonarum reſpectu judicia exercere, atque hoc modo ſibi juſtitiæ & ſanctitatis gloriam coram omni populo comparent: atque ita Uzam quoque à Deo cæſum fuiſſe, quod manus ſuas temerario auſu admolitus eſſet arcæ, quem tamen virum fuiſſe pium conſtaret. Quod poſterius de piorum ſupplicio præcipitato ut ſpeciem habet, ita prius illud, cum inde animæ immortalitatem effingit, non video, quomodo hic locum habere poſſit, niſi per conſecutionem obſcuram & incertam & valde ex longinquo contortam. Egregia vero eſt illa Bileami Prophetia, quam huc etiam vulgo referunt Judæi, qui Bileam ſpiritu Dei compulſus, licet improbus alioqui, juſtam Iſraëlitarum progeniem etiam in morte beatam eſſe innuit, cum dicit, *Num.* XXIII. 12. *Moriatur anima mea morte juſtorum, ſintque extrema mea ſicut illorum.* Atque ut ad piorum exempla veniamus, quid Jacob, quid David, nonne in morte ſalutem ſperaverunt? quod jam ſuperius de his oſtendimus, idemque imprimis manifeſtum in Machabæis fratribus eorumque pia matre, aliſque compluribus.

Quarto huc ea referuntur loca, in quibus reſurrectio mortuorum videtur expreſſius deſcribi, ac vita æterna aperte deſignari vel promitti: qualia depromuntur ex Jobi *cap.* XIX. 25. *Scio quod redemptor meus vivit.* Quæ verba uſque adeo perſpicua autumat Hieronymus, ut ad Pammach. de error. Joh. Hieroſ. ſcribere non dubitet hunc in modum: Quid hac prophetia manifeſtius? Nullus tam aperte poſt Chriſtum, quam iſte ante Chriſtum, de reſurrectione loquitur. Redemtoris enim voce paſſim Chriſtus intelligitur, idemque alibi vocatur primus & noviſſimus *Iſ.* XLIV. 6. & putatur Job beneficium hoc expectare ſupremo mundi die, tunc ſe reſurrecturum ac pelle nova indutum *viſurum Deum*; quod de beata viſione explicatur alibi, *Matth.* V. 8. 1 *Joh.* III. 2. Deinde adfertur illud Ezechielis *cap.* XXXVII. 11, 12. *Hæc dicit Dominus, Ecce ego aperiam tumulos veſtros; & reducam vos de ſepulchris veſtris.* De quo loco Menaſſe ben Iſraël; *Hic textus*, inquit, *expreſſus eſt & infallibilis, quo ſine omni dubio probatur reſurrectio.* lib. 1. de reſurr. cap. II. §. 4. Nec abludere videntur verba Danielis, *cap.* XII. 2, 3. *Multi de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt ſive reſurgent, alii quidem in vitam æternam, alii in opprobria & ad contemptum ſempiternum*: qui locus cum illo Chriſti confertur, *Joh.* V. 28, 29. *Venit hora qua omnes qui ſunt in monumentis audient vocem ejus, & prodibunt qui bona fecerint in reſurrectionem vitæ; qui vero mala egerint, in reſurrectionem condemnationis.* Sed vero, quamquam non pauci in his præcipuum cauſæ robur collocant, non auſim tamen ego iis multum confidere, certe non ita, ut iis apertam reſurrectionis ac vitæ æternæ promiſſionem contineri ſtatuam. Nam ne nunc dicam hoc pacto dignitatem majeſtatemque Euangelii violari, primus ille Jobi, ſi ad Hebraicum contextum exigatur, longe aliam recipit, immo flagitat interpretationem, hanc nempe, *ego novi redemptorem meum viventem, & poſtremus ſuper terram ſurget vel ſtabit. Ac poſt pellem meam corroſerint* [vermes] *hoc* [corpus] *& ex carne mea videbo Deum.* Redemptorem itaque intelligit Deum Patrem, in quo fiduciam collocat, quod is hominibus ſuperior iiſdemque in pulverem redactis permanebit. Ac poſtquam pellis totumque corpus eroſum eſſet malis ulceribus ac vermibus, ſe tamen, denuo carne veſtitum, Deum viſurum teſtatur, quem & audivit & vidit, ut proditum exſtat *cap. ult. verſ.* 5. Quamquam Mercerus paulo aliter interpretatur, cum Jobum exiſtimat *videre Deum*, hoc eſt, Dei potentiam & providentiam & ſummam in ſe benignitatem agnoſcere, quod Deus ipſum *in carne*, jam diu licet afflictiſſima, ſervaret tamen. Neque quiſquam Hebræorum (quod ſciam) de reſurrectione hunc locum exponit, cujus rei teſtis quoque Mercerus. Ezechielis locus manifeſto de ſepulchris agit clauſtriſque Babylonicis, in quibus populus captivus detinebatur, unde ſe Deus ipſos educturum promittit. Senſum hunc comprobant & antecedentia in ipſo textu, *Fili hominis, oſſa hæc univerſa domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt, aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra* (deſperabat enim populus de liberatione ſua) & mox ſequentia, quæ textui appoſita ſunt, *educam vos de ſepulchris populo mi, & inducam vos in terram Iſrael*, & paulo poſt; *Ecce ego aſſumo filios Iſraelis de medio gentium, ad quas abierunt, & colligam eos circumquaque, & introducam eos in terram ſuam.* Nec abſurde Danielis vaticinium ad ſimilem liberationem referas, eam quæ facta eſt tempore Antiochi: quo modo hunc locum interpretati ſunt & veteres nonnulli & recentiores, etiam Reformati, inter quos ipſe Brichtmannus & alii. Habetur enim, *In illo tempore* (Antiochi nempe, de quo ante ſermo fuerat) *Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui*, &c. & cum dicit Dominus, *Multos de his qui dormiunt in terra pulvere reſurrecturos*, non univerſalem, ſed particularem aliquam ex mortis graviſſimo periculo liberationem deſignari haud abſurde à multis exiſtimatur. Ego tamen ex his locis, quamquam literalis (ut vocant) ſenſus diverſum quid videatur exigere, tria probabiliter deduci arbitror, maxime ex duobus poſtremis, & imprimis ex ultimo, qui plus

Ep.598. habet firmamenti; primum, viguisse tunc aliquam in Dei populo fidem de resurrectione conceptam. Neque enim (ut Tertullianus recte, cap. XXIX. de resurr. carnis) posset de ossibus figura componi, si non id ipsum & ossibus eventurum. Qua etiam aut simili ratiocinatione, cum Dominus advocans puerulum dicit *Matt.* XVIII. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, colligimus ex illo typo, puerulos certe salutis fore participes. Deinde Judæorum illos, qui postea atrocissima quæque perpessi sunt, non potuisse tanta spe roboratos esse constituo, nisi eam hoc Ezechielis vaticinio subnixi maxime percepissent. Denique hæc duo postrema loca mystico sensu haud cunctanter ad resurrectionem proprie dictam referenda sunt, cum etiam alia minus in speciem apta huc simili præfiguratione à sacris scriptoribus transferantur. Videturque Spiritus S. idcirco hoc tali usus sermone, ut si quos levis aut nulla suspicio vitæ immortalis aut resurrectionis retigisset, illis hinc occasio daretur seipsos ad hanc spei sublimitatem vel erigendi vel confirmandi.

His omnibus argumentis illud, quod à Messiæ promissione ducitur, possemus adjicere, quandoquidem *huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus qui crediderit in eum*, *Act.* X. 43. Remissionem autem peccati vita æterna (quod antea docuimus) ex Dei constitutione consequitur. Hinc Simeon mortem exoptat, *quia*, inquit, *Domine viderunt oculi mei salutem tuam. Luc.* II. & Zacharias prædicit Baptistam Johannem *daturum cognitionem salutis populo ejus in remissione peccatorum ipsorum*, *Luc.* I. 77. Sed quia hæc & similia ad temporalem incolumitatem plerique respicere putabant (inter quos etiam ipsi fuerunt Apostoli) & quia jam pene modum excessimus, attulimusque alia clariora, huic quidem nunc argumento non insistemus, quamquam contemnendum non est, cum temporalibus etiam cælestia prælignificari notissimum sit, & multa sint indicia in ipsis vaticiniorum illorum verbis, unde liquet Dei benignitatem in Christo exhibendam intra corporis hujus & corporeæ vitæ angustias concludi non debere.

Sed quæri posse video, si promissio vitæ cœlestis patefacta sit in Vet. Testamento, nullane igitur in re fœdus novum veteri præcellat, & an non in adversum valeant verba Scripturæ, 1 *Joh.* I. 2. *Annunciamus vobis vitam æternam illam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis.* 2 *Tim.* I. 10. *qui* [Christus] *destruxit quidem mortem, in lucem autem produxit vitam & incorruptibilitatem per Euangelium.* Et 1 *Pet.* I. 10. *De qua salute* [animarum, cujus mentio præcesserat] *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de* [ventura] *in vos gratia prophetarunt*, &c. *Quibus relatum fuit, eos non sibi, sed nobis ea administrare quæ nunc annunciata sunt vobis per eos qui vobis euangelizarunt per emissum è cœlo Spiritum sanctum, in quæ desiderant Angeli prospicere.* Hinc enim consequi videtur, impios, non veteribus, sed nobis salutis promissionem datam, præsertim si ea ante Euangelium ne Angelis quidem innotuerit. Ep.598.

Est vero animadvertendum, novum Testamentum veteri primo in eo præcellere, quod remissio peccatorum nunc latius se exferat, sine qua omnis, ut dixi, ad vitam æternam aditus est intercluſus. Præterea, licet æternæ vitæ indicatio à Vet. Test. segreganda non sit, novum tamen quatuor hic modis supra Vetus excellit: quia nunc illa promissa sunt & perspicua magis quam olim, & confirmata certius, & efficacius multo proposita, & largius ea latiusque diffusa per totum genus humanum. Perspicua sunt magis, quia illa quæ umbris erant sub Vet. Testam. obvelata, nunc revelata clarissime contuemur. Quo referenda sunt quæ paulo ante objecta ex 1 *Joh.* I. 2. & 2 *Tim.* I. 10. ubi voces ἐφανερώθη & φανέρωσις majorem lucis manifestationem significant. Deinde certius confirmata sunt in N. T. nimirum per Christi miracula, & maxime per miraculosam ipsius resuscitationem ex mortuis: quod Petrus innuens 1 *Epist.* I. 3, 4. *Deus secundum multam misericordiam suam regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem.* Unde sequitur etiam illud, æternæ vitæ promissum nunc esse majoris efficaciæ ad homines amore pietatis inflammandos. Si enim ignoti nulla cupido, certe quanto magis aliquid est menti nostræ conspicuum, tanto id flagrantius expetendum videbitur: tum quanto res aliqua majore firmitudine undiquaque communita est, tanto ea acrioribus stimulis animos nostros sui desiderio commovebit. Præsertim autem id usu venit, si bonum illud & inculcari soleat sæpius, & verbis efficacissimis ad vivum quasi describi; quod utrumque in Novo, non ita in V. T. fieri videmus. Postremo promissio nunc latius diffusa est, ad ipsos nempe Gentiles, quos antea promissionis expertes fuisse testatur Apostolus ad *Ephes.* II. Quamquam enim rem promissam utcunque crediderunt, tamen non crediderunt quia promissa erat, sed aliis de causis, quas superius ex parte retulimus. In quem etiam sensum exponere possumus locum allatum ex 2 *Tim.* I. 10. *in lucem produxit vitam*, &c. Mox enim subjicit, *in quod constitutus ego sum præco & Apostolus & Doctor Gentium.* Unde istic de Gentibus agi manifestum est. Textus Petri similem ferme recipit expositionem, siquidem nihil aliud inde certo concludas, quam administrationem illam salutis, quæ est sub novo fœdere, claram, firmam, maximeque efficacem, sub Veteri locum non habuisse, imprimis quatenus ea erat ad Gentes etiam propaganda. Hoc enim est mysterium illud

Ep.598. illud, in quod Angelicupiebant παρακύψαι procumbentes inſpicere. Unde alibi Apoſtolus tradit multa nunc myſteria Angelis per Eccleſiam innoteſcere. Niſi autem hæc interpretatio admittatur, illud ſequetur valde abſurdum judicio meo, quod Prophetæ ſub Vet. T. ſciverint ſalutem animarum ad ſe nullo modo pertinere. Vide contra *Heb.* XI. 10, 39, 40.

Sic igitur ſententiam noſtram hactenus copioſe ſatis aſſeruimus, quam mihi perſuadeo & veriſſimam & tutiſſimam, cum ſola hac ratione devitentur illa præcipitia, in quæ utrique diverſum ſentientes incurrunt, adeo quidem ut altera pars alteri pene naufragium facere videatur; quamvis habeant ambæ quod ſpectent boni. Reformati, qui hoc argumentum caliditſime nonnulli tractarunt, veterum Patrum fidem, ſpem, pietatem quantum potuerunt amplificare verbis & extollere voluerunt, objectantes adverſariis, quod Patres illos porcorum inſtar in haram terreſtrem cibo tantum potuque velut ad opimam mortem ſaginandos ſententia ſua detruſerint. At Sociniani eam revelationis ſublimitatem Veteribus attribuendam non putaverunt, veriti, ne hoc in Chriſti ignominiam & Euangelii contemptum cedat, ſi legis promiſſa cum Novi Teſt. promiſſionibus æquentur; & objiciunt ſuperioribus illis, quod Euangelii Chriſtique majeſtatem turpiſſime violent. Mihi vero non tam late diſſentire videntur, quin, ſi velint, facile poſſint inter ſe componi. Sed plerique, dum contentionis æſtu concitati ſunt, abripiuntur ulterius quam par eſt, ac forte nonnulli non tam de veritate diligenter quærenda laborant, quam de ſuſcepta ſemel perſuaſione mordicus, ne dicam mordaciter, defendenda. Priores illi jam ferme concedunt omnes, ea quæ erant ſub Vet. Teſt. obtecta obſcurius, in novo retecta clarius; unde Chriſto & Euangelio honos ſuus conſtare queat. Poſteriores non negant veteres illos Patres immortalem vitam ſperaſſe aut ſaltem ſperare potuiſſe, quamquam non ex certo Dei promiſſo: ac ſæpe inviti eo recidunt, ut tantum negare videantur perſpicuas illas fuiſſe promiſſiones, adeo ut ab omnibus penitus intellectæ non fuerint; reſpicientes maxime ad Moſis legem, in qua hæc res propoſita obſcurius; quod fatendum. Itaque qui in hac utrimque diſceptatione verſantur, vix à vitilitigandi crimine videntur alieni, & magis interdum de vocibus quam rebus certare; quod ſane veritatis ſtudioſis indignum. Ad eundem enim modum inter ſe conciliari poſſunt, ſicut Ariſtotelem quondam reſpondiſſe ferunt Alexandro ipſum objurganti, quod rerum naturalium doctrinam edito publice libro divulgaſſet. Reſpondit enim ſe libros illos ediditſe & non ediditſe, quia res illas tractaſſet obſcurius, ut vix à paucis poſſent intelligi. Quamobrem illud ſummopere optandum, ut propter ejuſmodi obſcuritatem & natas ex obſcuritate ſententiarum diſcrepantias Eccleſia Chriſti non ſcindatur aut nemo à nobis in hac re diverſus proſcindatur. Neque vero Chriſtiani tantum, ſed etiam Judæi in hujus controverſiæ expoſitione diſſentiunt, quod patet ex lib. Hebraico edito à Menaſſe ben Iſraël, ubi ſeptem recenſet rationes ab Abarbenele eruditiſſimo Judæorum Doctore quodam allatas in *Levit.* XXVI. Section. בחקותי, quibus hic cauſas reddere conatur, cur promiſſio immortalitatis lege non fuerit expreſſa. Sufficiat vero id, quod utrimque extra controverſiam ponitur, Deum in Novo Teſt. vitam æternam beatamque nobis clariſſime promiſiſſe per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus nomen ſit in Eccleſia benedictum in omne ævum. In hac fide & ſpe nos Deus ſpiritu ſuo corroboret: in quo voto deſino. Vale. Hornæ, 1654. ſexto kal. Febr. Ep.599.

IↃ XCIX.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG

S. P. D.

Fredericopolin.

De Mennonitis. An credatu neceſſarium ſit, quod Patres ſub Vet. Teſt. vitæ æternæ promiſſa habuerint.

QUod ſcribis Eccleſiam Fridericopolitanam augeſcere acceſſu Mennonitarum quorundam, eorum qui Waterlandicarum fuerunt partium, maxime moderatarum, ex ea re non mediocrem in Domino lætitiam percepi: atque hanc idcirco majorem juſtioremque cepi, quia idem illud ab aliis multis in hiſce regionibus crebro factitari video. In hac quidem Eccleſia, quoties cœna Domini adminiſtranda eſt, nunc duo, nunc tres, nunc quatuor homines ex illo cœtu aliove Mennonitico oriundi ſe exhibuerunt baptizandos. Spero fore, ut hoc exemplum ad plures etiam dimanet, adeoque ut totus ille grex aliquando cum noſtro in unum coaleſcat. Haud ita pridem Paſchatis feſto, cum Paſtor ipſorum infirmior decumberet, univerſa prope Eccleſia ſe noſtræ, in quantum id locus permiſit, in unum templum aggregavit. Inter alios complures ipſius etiam concionatoris liberi comparebant. Neque illud mirandum, ſi conſideremus, quam pauca ſint in quibus inter nos eſt diſſentio; quam multa autem, in quibus optima utrimque conſenſio. Nonne vero multa, in quibus conſentimus, multo plus ponderis habebunt ad concordiam promovendam, quam paucula, in quibus eſt aliqua diverſitas, ad diſſeparationem confirmandam? In hoc tamen pacis conſilio plus proficiemus, ut credo, ſi homines plebeii & nimium ſimplices, quales ſunt inter ipſos non pauci (utinam inter nos multi non eſſent ſimiliter rudes!) melius erudiantur, ac temporis progreſſu diſcant, in ritibus externis (licet negligendi non ſint, ſi Domini præcepto nitantur) internam pietatem non conſiſtere, atque ideo non nimis acriter eſſe con-

ten-

Ep.599. tendendum, quo præciſe tempore baptiſmus adminiſtrari debeat. Plus etiam ſpei affulgebit, ſi perſuaderi ipſis ſemel poſſit, non omnia inter Chriſtianos agitata dogmata ad ſalutem eſſe neceſſaria aut pariter utilia, ſed aliis alia vel plus in ſe vel minus habere gravitatis. Atque hæc tamen, de quibus cum ipſis diſceptamus, ad hominis pii dicta ac facta propius informanda poſſunt ſpecioſe referri: verum quam multa nunc Chriſti Eccleſiam conturbant ac divellunt hoc tempore, in quibus per aliquam multis ambagibus extortam maleque contortam conſecutionem vix homini ſagaci apparet, quod vel ad pietatem vel ad Dei gloriam promovendam ulla cum ſpecie pertineant? Neque neceſſe eſt, ut multa hujus vel inſcitiæ vel pravitatis exempla congeramus: tantummodo nunc unum illud ſumamus de promiſſione vitæ æternæ, an Patribus ſub Vet. Teſtamento data ſit: de qua re tibi, quamvis non pauca ſcripſerim, plura tamen perſcribi poſtulas, quo magis conſtet, id, quod hodie Reformati tantopere urgent, neque utile eſſe admodum, neque neceſſarium: quod ad calcem ſuperioris epiſtolæ obiter ſubjeceram. Sunt ſine judicio meo ſummopere reprehendendi, qui de hac quæſtione, non aliter ac ſi inter omnium graviſſimas eſſet reponenda, concertant. Primo enim ſive credamus Patres illos immortalitatis promiſſionem accepiſſe, ſive negemus, non tamen illis hoc profuturum eſt aut obſuturum, neque propterea eis demortuis quicquam de beatitatis cumulo deceſſurum. Præterea in eo, quod ego præcipuum puto, conſenſus eſt, quod Patriarchæ veteres vitam æternam ex larga Dei munificentia poſſidebunt: Immo etiam hoc utrimque in confeſſo ſatis, quod Patres illi vitæ æternæ nec cognitione nec ſpe caruerint, quamvis pars altera neget eam nominatim promiſſam, aut, ut alii volunt, ullo modo promiſſam fuiſſe. Qui error ferendus eſt eo magis, quia mente haud mala ſuſcipitur, nempe ut Euangelii gloria tanto extollatur altius. Verba ipſorum edita ſcripto
„ celebri ſic habent; Nequaquam igitur, ut
„ dixi, in ea ſumus ſententia, ut veteres illos
„ Dei cultores vita ſempiterna privatum iri ſta-
„ tuamus: ſed divinum ſpiritum ſecuti, eo con-
„ ſilio hunc ſermonem inſtituimus, ut appareat
„ novum fœdus longe multumque veteri illi
„ præſtare, veriſſimeque à divino autore (ad
„ *Heb.* VII. 19, 22.) melius fœdus appellari,
„ legem nihil ad perfectionem adduxiſſe, ſed
„ introductionem melioris ſpei, per quam acce-
„ dimus ad Deum. Item *cap.* X. 1. legem tan-
„ tum umbram futurorum bonorum habuiſſe,
„ non ipſam rerum imaginem, quæ ſcilicet in
„ Chriſti tandem diſciplina expreſſa eſt. Duas porro cauſas attexunt, cur hæc promiſſio ad ulti a uſque ſecula reſervata fuerit: tum quia homines circa mundi primordia nondum erant capaces tantæ lucis ac donationis: tum quia hoc modo donum ex natura debitum, non à Deo gratuito oblatum, hominibus poſſet paulatim videri. Quæ rationes evincunt quidem non immerito promiſſionem obſcuratam, ut à piis tunc tantum & intelligentibus adhibita ſedula animi attentione apprehendi poſſet, ſed eam prorſus non datam fuiſſe non evincunt. Verum de rei veritate ſuperius egimus prolixe: nunc pertexamus illa, quæ ſuperſunt explicanda de neceſſitate. Non poteſt id cuiquam neceſſarium merito videri, quod Scriptura nuſquam ut credamus ſub ſpe præmii aut comminatione mortis demandat. Præterea res ipſa docet, eas, quas nos habemus, promiſſiones nobis ſufficere: quæ ſi ſufficiant, quid opus eſt adeo ſolicite perſcrutari atque exacte pernoſſe alienas? Num excitabunt alicujus ignaviam promiſſa aliis propoſita obſcurius, quem ea non potuerunt commovere, quæ ſibi ipſi habuit demonſtrata clariſſime? Denique non eſt credibile id poſſe cuiquam in mentem venire, quod magis minuſque vel pii ſumus vel beati erimus, ſive illis immortalitatem promiſſam ſive non promiſſam credamus. Etenim ſi ne hinc quidem, quamvis illi beati ſint, colligere liceat nos beandos eſſe, aut, quia illi damnati, nos damnandos; quanto minus promiſſio illis, ſi vel data vel non data credatur, nobis aut vitam afferet aut damnationem? At enim *nonne indignum eſt ſi eos ſtatuamus in Eccleſia ferendos, qui credunt Patrum vetuſtiſſimos ad vitæ temporalis pinguedinem tanquam porcos ad haram ſaginatos fuiſſe?* Hoc vero invidioſius objici quam verius liquet ex ipſorum verbis paulo ante prolatis. Expendendum etiam, quo fine id facerent, ſi facerent, quod antea monui. Vereor, ſi tam inique agatur, ne ipſi quoque Jacobo Patriarchæ litem intendant dicenti, cum benediceret liberis, *Aſcher, pinguis panis ejus & dabit delicias regibus*, *Gen.* XLIX. 20. Addis vero, quærens, parumne ad fidei noſtræ ſtabilimentum hoc facere putemus, ſi olim Patres iiſdem crediderunt promiſſionibus, quibus nunc nobis eſt fides habenda? Fateor, aliquid in hac re ad nos firmandos poſitum. Sed ſi quid utile, an illico neceſſarium? an non illi, qui ſtant ex adverſo, diverſam longe ex ſua ſententia utilitatem elicient, hoc modo; ſi Veteres Deo crediderint promittenti commoditates temporales, quamvis graviſſimis ſæpe incommodis affligerentur; multo magis nobis Deo præſtandam fidem, quibus prædicitur in hoc ævo ſuſcipienda afflictio, in futuro percipienda proponitur ſalus: & cum illi vitam ſperaverint poſt mortem, quamquam ejuſmodi nulla promiſſione adjuti, quanto magis nos immortalitatem exſpectemus promiſſam? Neque neceſſarium eſt illis uti antiquioribus exemplis, cum ſuppetant alia majora ac potiora in primis Chriſtianæ Eccleſiæ martyribus. Sane vero, ſi iſti, qui ſub V. T. vitam æternam promiſſam negant, nunc tamen eam & ſibi & nobis promiſſam credant, etiamſi alios antece-

Ep. 599. tecedentes non reſpiciant, non video quid neceſſe ſit eos ad vetuſta illa exempla conſtringere. Atque quo magis intelligant hoc loco Reformati, oportere ut in alios diſſentientes ſe mites & placabiles præbeant, monendi ſunt obſervent, errorem adverſarium non ex voluntaria culpa, ſed ex quæſtionis obſcuritate vel mentis imbecillitate ortum videri. Nam non modo inter Judæos celebres nonnulli ſcriptores, qui tamen ſtudio attollendæ legis Moſaicæ nimio ſæpe efferuntur, nullas ibi ejuſmodi promiſſiones expreſſas eſſe confitentur: ſed etiam inter ſe diſſident & Chriſtiani olim, & hodie Reformati. Referam tibi, quod impenſe deſideras, ſeptem illas Abarbenelis rationes, prout à Menaſſe ben Iſraël in compendium contrahuntur in libro Hebraïco, cui titulus משמת חיים, quem me, ut in Latinum ſermonem converterem, aliquoties rogavit. Reddit ibi cauſas Abarbenel, cur promiſſio immortalitatis lege non ſit expreſſa: Primo quidem, quia bona malaque, quæ fœdere legali continentur, nihil aliud habent, niſi remotionem ablationemque earum rerum, quæ hominem ab acquiſitione perfectionis ſuæ abarcent, cum vera mercedis ac pœnæ retributio ſpiritualis ſit, ac pertineat ad animam in mundo cœleſti. 2. Quia retributio ſpiritualis ad concipiendum abſtruſa eſt atque difficilis intellectui humano: lex autem & plebejis pariter & ſapientibus data eſt. Quocirca oportuit eam promiſſa corporalia proponere, quæ illi recipiant neque abnegent. III. Quia animarum immortalitas & retributio juxta rationem integritatis, qua quiſque præditus eſt, res eſt humanæ naturæ admodum congrua: cum animæ beatitas non ſit ex earum rerum cenſu, quæ tantum ex lege divina derivantur. Nam & rationis libramen & animæ ponderatio eam evincit neceſſario. An non cernis nullam eſſe gentem aut linguam (quantum ex ipſarum literarum monumentis conſpicuum eſt) quin paſſim omnes hanc de animæ immortalitate ſententiam probent atque recipiant? Atque ea de cauſa promiſſa legis conſiſtunt in rebus miraculoſis, quæ naturæ vires excedunt juxta providentiam divinam: ideoque non venit in eorum cenſum animorum retributio, quæ præmio conſtat & pœna ſpirituali: ſiquidem hæc ex ipſa animæ natura deducitur, non autem per modum miraculi, quod in corporalibus promiſſis locum habet. IV. Quia omnis Adami progenies & Noachidæ, exceptis paucis nonnullis peculiaribus, ut Semo, Hebero, Abrahamo, hi omnes idololatriæ addicti fuerunt, atque providentiam Dei particularem circa homines verſari negarunt, quos ſecuti ſunt alii, qui mundi æternitatem crediderunt. Ut itaque deleretur ex animis eorum hæc maleſana cogitatio, promiſſa corporalia introducta ſunt, quoniam ipſi neceſſario in hanc ſpem fidemque deducendi erant iſtiuſmodi rebus, quas ſenſibus ſuis perciperent, quæ neceſſitate quadam arguerent Deum providentia uti, & libero arbitrio præditum, ac viribus pollere ſupra naturam ex voluntate ſua, cum omnia ſint manuum ipſius effecta. V. Quia idololatræ antiquitus allectis ſuis ſive cultoribus fortunas corporales promittebant, ideoque ſapientiæ divinæ viſum fuit ipſos in fide confirmare, ne cogitarent una cum abrogatione religionum iſtarum futurum, ut bonis illis ſimu deſtituerentur; ſed ex adverſo, ut, poſtquam ab iis ſe removiſſent, omnes bonæ felicitates deſuper in ipſos magis magiſque defluerent. VI. Quia animæ beatitudo, qua Deo creatori ſuo adhæret, quæ eſt veriſſima illa merces, jam nunc verbis fœderis etiam quodammodo expoſita eſt, veluti cum dicit Scriptura, *Et ambulabo in medio veſtrum*, & *conſtituam habitaculum meum in medio veſtrum*, & *ero vobis in Deum*. Nec alia de re ibi ſermo niſi de adhæſione noſtri ſive conjunctione divinitatis nobiſcum, cum in mundo cœleſti conjunctim vivemus. VII. Quia fieri nequit, ut inter promiſſa corporalia, quæ in lege commemorantur, aliquod ſpirituale compareat, quia illa communia ſunt univerſo populo, ſiquidem & pluviarum affluentia & benedictio proventuum & victoria de hoſtibus, & reliqua quæ ibi recenſentur, ſunt promiſſa univerſalia, ideoque omnia corporalia exſolvuntur juxta majorem partem vel virtutum, vel delictorum, quæ prædominantur in populo. Civitas enim ex majore ſui parte æſtimatur ac judicatur. At promiſſa ſpiritualia ſingulos homines ſpeciatim concernunt, ſiquidem juxta meritum ſuum unuſquiſque vivet & ex peccato morietur. Atque hinc ea inter hæc non ſunt conſcripta. Hæc ille; quæ ex Hebraïco pene ad verbum expreſſi. Ep. 599.

Levit. XXVI. 11.

Præterea inter Chriſtianos vetuſtos non pauci de promiſſis Veteris ac Novi Teſt. ſic diſſerunt, ut illa fuiſſe terreſtria & caduca, hæc cœleſtia & æterna eſſe conſtituant. De illis quidem, qui Auguſtinum ætate præceſſerunt, id extra controverſiam ponendum. Nec in prioribus ſcriptis Auguſtinus ipſe hanc quæſtionem aliter expoſuit, ut in *Pſal.* CXLIX. Vetus Teſtamentum terrena promittit, Novum æterna: in utroque ſermo Dei repertus eſt. Sed à ſeipſo diſceſſit in poſterioribus, videturque claram vitæ æternæ prædicationem etiam in Vet. Teſt. agnoſcere: Adverſus Fauſt. Man. lib. XIX. cap. 30. Quamquam ibidem ipſe fatetur nonnulla teſtimonia obſcura, & multa depromit Apocrypha, & concedit regni cœlorum mentionem tantum in Novo occurrere, quaſi vitæ æternæ promiſſio à regno cœlorum ſignificatu disjuncta ſit, cum hæc velut eadem antea conjunxerit, lib. IV. cap. 2. Temporalium quidem rerum, „ inquiens, promiſſiones Teſtamento Veteri „ contineri, & ideo Vetus Teſtamentum ap- „ pellari, nemo noſtrum ambigit, & quod æ- „ ternæ vitæ promiſſio regnumque cœlorum „

E.600. „ad novum pertinet Teſtamentum: ſed in illis „temporalibus figuras fuiſſe futurorum quæ im„plerentur in nobis, in quos finis ſeculorum „obvenit, non ſuſpicio mea, ſed Apoſtolicus „intellectus eſt, dicente Paulo, cum de tali„bus loqueretur, Hæc omnia figuræ noſtri fue„runt.

Poſſem ad teſtimonium citare Pontificios, interque eos Magiſtrum ſententiarum, ubi aſſerit diſtare Euangelii literam à legis litera, quia adverſa ſunt promiſſa: ibi terrena, hic cœleſtia promittuntur. Sed & Reformati hodie non pauci, Camero, aliique, qui hunc ferme ſequuntur, agnoſcunt Adamo & populo Iſraëlitico temporalia tantum ac terreſtria à Deo promiſſa data: quod ſibi aliquoties objectum à Grotio Rivetus non eſt auſus negare. Atque hi, licet diſſentiant, ſe tamen mutuo fraterne tolerant.

Hoc humanitatis officium aut potius charitatis cum Judæi Judæis exhibeant, Pontificii Pontificiis, Reformati Reformatis, non video cauſam, cur in alios diſcrepantes nonnulli Chriſtiani tantopere excandeſcant, perinde ac ſi ſalus populi in hoc cardine verſaretur, aut quaſi in re perſpicua voluntario cœcutirent, qui in hoc negotio diverſum exiſtimant. Mihi vero verbis interdum, ut dixi, magis quam re videntur diſſentire. Ac ſi reipſa diſcrepent, res tanti non eſt, ut propterea lex regia charitatis violetur. Conſtat vero jam ſatis, cum eruditi viri in omni gente diſſentiant, rei potius obſcuritatem, quam voluntatis pravitatem, homines in errorem duxiſſe. Plura non addam, mi Hartſoekere, niſi quod ex animo voveam, ut te nobis propediem incolumem præſentemque videamus: cujus voti Deus nos benigne compotes reddet. Vale. Dabam Hornæ. 1654. poſtridie kal. Martias.

IↃC

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG

S. P. D.

Goudan.

De itinere in Brabantiam. De libero arbitrio, reliquiis, idololatria Pontificia, &c.

NOn dubito, D. Hartſoekere, frater integerrime, quin, quia in Brabantiam me una cum D. Engelberto ab Engelen amico noſtro à nuptiis tuis profectum eſſe noſti, deſiderium te teneat cognoſcendi, quid in hoc itinere novi vel audierimus vel viderimus. Cum igitur eodem, quo nos ad navim deduxeras, die Dordracum perveniſſemus, poſtridie non ſine horrore vidimus conclave illud ubi habita quondam Synodus Nationalis decreta ſua condidit, divinæ veritati & pietati adverſa: ubi & noſtros pridem Theologos ſummo horrore perculſos reminiſcebamur, cum propter fidem Deo Chriſtoque & Eccleſiæ debitam datamque, hominum quorundam decretis fidem denegarunt. Poſtero die navim denuo ingreſſi, vento & amne uſi ſecundo, duodecim horarum ſpatio Antverpiam uſque navigamus. In hoc itinere comites habebamus duos adoleſcentes Reformatos Paſtores, alterum in Brabantiæ vicinia, alterum in ditione Buſcoducenſi. Ex his nonnulla reſcivimus nova, ſed nihil nobis magis volupe accidit, quam cum nautam, qui Pontificius erat, audivimus forte cum iis de Prædeſtinationis decreto & libero arbitrio concertantem tam valida ex recta ratione intuliſſe argumentorum tela, ut, quo pacto ab ipſis repelli poſſent, aſſequi nequiverimus. Negabat obedientiam eſſe veram, niſi eam libere præſtare poſſemus: negabat eam laude vel præmio dignam, ſi neceſſario exhiberetur: Cum illi regererent, nos in malo libertatem retinuiſſe, in bono præſtando amiſiſſe; ipſe contendebat utrobique libertatem obtinere, ſiquidem utrobique locum habeat præmium vel pœna. Nimirum hoc illud eſt ab Auguſtino decantatum, qui, licet alibi diſſentiat, arbitrii libertatem negare tamen non eſt auſus; *Neque hic* (inquit, diſſerens de libero arbitrio contra Manichæos) *libri obſcuri ſcrutandi erant, unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non poteſt: nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Porro Antverpiæ cum cœnaremus, narratum eſt in proximam Dominicam inſtare feſtam quandam celebritatem, quod oſſa quorundam martyrum, quæ dono Patribus Jeſuitis Pontifex miſerat, ſolenni pompa eſſent circumferenda. Cui feſtivitati cum adeſſe cuperemus, cepimus conſilium alias interea urbes inviſendi. Surgentes mane Mechliniam tetendimus, ubi incidimus in feſtum Mariæ Magdalenæ ſacrum, quod præter cetera ibi magna veneratione celebratur. Fiebat proceſſio, ut vocant: circumferebatur corpus Domini: vidimus paſſim procidentes in genua, nobiles, ignobiles, divites, pauperes. Obſtupui, ſteteruntque comæ, vox faucibus hæſit; tum propter ſtupendam idololatriam, qualis nobis merito videbatur; tum quia grave periculum non aberat: cum nobis panem adorare, quem eſſe panem aut vix panem oculorum omniumque ſenſuum conſentiens fides demonſtrat, religio eſſet. Subduximus nos ſenſim per adorantium projectas catervas, quaſi rei, quæ agebatur, ignari. Video periculoſum eſſe, ſiquis iſtis in locis verſetur, non quod corpori ſit adeo metuendum, ſed animæ magis. Quid enim? cum homines cernimus rem brutam & mutam, non ſenſu tantum, ſed etiam vita carentem divino cultu venerari; cum videmus eos adorare quod neſciunt, Deum colere incognitum, Deum non Deum: num obmuteſcere licet, nonne eodem nos zelo inflammari oportet, quo Paulus quondam ſuc-

Lib. de duab. anim.

Ep.600. Act. XVII. 16. ſuccenſus erat, cujus *ſpiritus excitatus eſſe dicitur*, cum urbem Athenarum dominam ſcientiarum, ſed idololatriæ ſubditam conſpiceret? At enim nihil hic concionator proficeret, inquies. Quid autem, ſi hoc idem Apoſtolo gentium idololatrarum debellatori in mentem veniſſet? Addes forte, metuenda vincula, verbera, carcerem, mortem. At Paulus nonne ad Areopagum ductus eſt? nonne captivus cum eſſet, libere veram religionem tamen defendit? Si illum haec omnia non abſterruerunt, num nobis charior eſſe vita ſaluſque terrena debet quam Apoſtolo? nonne veſtigiis hujus deceſſoris inſiſtere pulchrum eſt? Verum ego in hoc ſcrupulo aut contexendo aut exſolvendo nunc non immorabor latius: redeo ad iter, quod inde Lovanium profecuti ſumus. Factum eſt in hoc itinere, ut in Eleemoſynarii aut Pœnitentiarii cujuſdam notitiam inciderimus, qui defuncti nuper Archiepiſcopi vicem cum teneret, Bruxellas iter intendebat ad ſummum Ordinum Conſeſſum, ac ſpe haud exigua frui dicebatur, fore ut mox in cathedram Archiepiſcopalem ſubvectus demortui in locum ſurrogaretur. Is ſe nobis (ut in more eſt Jeſuitis) valde comem præbebat: negabat ſe lætari ſchiſmatibus, quibus Belgica foederata diſtrahitur: oſtendebat ſe Janſenitis addictiorem, quos aſſeverabat non penitus aſſentiri Calvino, triplici allato ſententiarum diſcrimine, quo Janſenius ab ipſo diſſentiat. Nobis porro, quia reſciverat de religionis controverſiis nos cum viris doctis ſermones cupere, promittebat ſummam in dicenda aſtruendaque ſententia libertatem, ſi modo maledicendi procacitatem omitteremus. Lovanii cum in eodem eſſemus diverſorio, ubi tunc commorabatur Principi Auriaco noſtro qui erat à ſecretis Conſtantinus Hugenius Dominus de Zulichem; menſæ nobiſcum accumbebant duo viri Ordinis Oratorii, (ex quo Ordine prodiit Cardinalis Baronius) quibus ſermonem injiciebamus de Johanna Papiſſa, an ſedem Romanam aliquando tenuerit, in cujus vel hiſtoria vel fabula ſatis eos rudes videbamus. Advocabant iſtuc dein ex proximo conclavi adoleſcentem ampliſſima oriundum familia, qui iſtic cum commilitonibus poſtrema nuptiarum quaſi ſolennia agitabat, quod eſſet proximo die in ordinem Cappucinorum inferendus. Mirabamur nos, & illi quoque mirabantur, non id adeo, quod rem familiarem defereret peramplam (hoc enim vulgare prædicabant) ſed quod homo juvenis aſſuetus deliciis, valetudine parum firma, ætate lubrica in duriſſimum vitæ genus ſe ſponte conjiceret. Sed, ni fallor, in proximo morbo, ex quo vix convaluerat, cum eſſet afflictus ac miſer, eum in miſerrimam monaſterii ſui naſſam pertraxerant. Poſtridie mane deducti ſumus ad bibliothecas, quas habent inſtructiſſimas: convenimus etiam viros doctos, ſed paucos, unum alterumve, quia plures ut compellaremus temporis anguſtiæ nobis non ſinebant. Cum uno præcipua nobis diſputatio fuit, Seminarii Jeſuitici magiſtro, ni fallor, Domino à Vianen, viro docto & qui terſe loquebatur, cum vulgus ipſorum lingua Latina utatur ruſtica plane ac barbara. Cum D. Engelbertus ſermonem de mutua tolerantia injiciens diviſſet noſtros haud temere quempiam propter religionis aut ſententiarum in religione diſcrepantiam condemnare, id Pœnitentiarius ille, cujus nomen ignoro, ea mente dictum acceperat, quaſi omnes in omni religione homines ſervari poſſe crederemus. Itaque ab illa quæſtione diſputationis exordium ducebatur, an noſtri in ſua quemque religione ſervandum ſtatuerent. Negavimus de Gentilibus, Judæis, Mahummedanis nos id aſſeverare velle, quos Dei juſto judicio relinquimus, quod judicium in omni parte exacte perſcrutari non poſſumus, curioſe rimari non debemus: tum quid nobis negotii cum iis, qui Chriſtianum nomen refugiunt? quid ni de his uſurpemus Paulinum illud, *Quid mea* (intereſt) *etiam de extraneis judicare? nonne de iis qui intus ſunt vos judicatis? de extraneis vero Deus judicat.* 1 Cor. V. 12, 13. Cæterum de Chriſtianis omnibus non idem nos judicium ferre dicebamus, cum alios aliis longius ab Euangelica veritate ac genuina pietate aberrare conſtaret; omnium longiſſime à vero tramite receſſiſſe Pontificios: cum his communionem coli non poſſe, quia quo pacto hi ſalutis æternæ compotes fieri poſſent, nobis non liqueret: cum cæteris autem Chriſtianis, qui errores iſtos repudiaſſent, facilius concordiam poſſe reſarciri. Ibi non admiratio, ſed ſtupor ipſos invaſit, quia nos non adeo longe ab ipſis diſſentire arbitrati fuerant: rogaruntque cauſam, & errores, qui nos tanto ab ipſis diſcrimine ſejungerent. Reſpondimus & alias eſſe cauſas, & hanc imprimis, quod in panis ſub miſſam adoratione nobis idololatria ab ipſis committi videretur; idololatriam autem, & quidem adeo manifeſtam ac fœdam, nobis juſtiſſimam ſecedendi cauſam præbere, cum Scriptura paſſim à regni cœleſtis communione idololatras excludat. Hic ego ſummopere exoptaſſem, ut in ipſam idololatriæ arcem invadere licuiſſet, atque oſtendere, quam clare ea ſe ſenſibus noſtris palpandam exhibeat: ſed ipſorum reſponſio ab hoc propoſito nos avertit, cum dixerunt; ſiquidem eos hoc nomine idololatras putaremus, nobis non modo Pontificios, ſed etiam Lutheranos condemnandos, qui nullo aut exiguo diſcrimine in hujus expoſitione dogmatis diſſiderent. Nos vero affirmabamus non mediocre inter utroſque diſcrimen intercedere, cum Lutherani panem eſſe, panemque non immutari ſub cœnam agnoſcerent: præterea, quod obſervandum imprimis, Lutheranos nec panem, nec illud, quod ex pane factum eſt, adorare: at hoc utrumque credere & facere Pontificios: immo con-

Ep.600. contra tendere Lutheranos ; cum variis modis demonſtrent, in cœna non procumbendum, licet Chriſtum pani ſubeſſe ac ibi præſentem adeſſe credant. Urgebant illi contra Lutheranos, Chriſtum in Cœna adorandum, ſiquidem in Cœna ſit præſens: quod quidem nos neque negandum neque affirmandum putabamus, ſed ſufficere hoc nobis dicebamus, ſi illi non adorarent, neque ibi venerandum eſſe Chriſti corpus crederent: hac enim ratione ipſos ab omni idololatriæ macula præſtari impollutos. Itaque, licet vel maxime id, quod ipſi putabant, ex Lutheri ſententia ſequeretur, Chriſti corpus ibi venerandum eſſe; quia tamen ipſius diſcipuli neque conſecutionem hanc cernunt, neque malum hoc, quod conſequi non vident, actu exercent, ideirco ipſos & ab idololatria immunes eſſe & à communione non ſemovendos, ſiquidem ad eam velint accedere. Addebamus nos idem tenere tum de aliis quibuſdam Chriſtianorum ſectis, tum de Contra-remonſtrantibus in Belgio noſtris, qui, licet doctrina ſua & Deum facerent ſatis aperte peccati autorem, & hominum animis ad omnem impietatem frena laxarent, tamen, quoniam hoc utrumque ex errore ſuo abſurdum profluere non animadvertunt, & quia non ex doctrinæ genio vitam inſtituunt, eos ad ſuſcipiendam nobiſcum concordiam invitari, à quibus alioqui quam longiſſime eſſet refugiendum. Ibi cœpit alteruter, vel quia offenſus erat quodammodo, vel quia Janſenio addictus, negare, quod ex adverſaria doctrina pateat effici Deum peccati cauſam, &c. Id nobis tunc mirum videbatur, ſed poſtea mirabamur minus, cum intellexi-

Ep.600. mus Lovanienſes Doctores Janſenii ſententiam palam defendere: quamquam hoc ipſum ex pridianis D. Eleemoſynarii ſermonibus colligi ſatis potuerat, cum Janſenii Auguſtinum negavit à Pontifice condemnatum, ſed articulos ſive capita doctrinæ nonnulla ex ejus libro male excerpta. Poſt ferram diſputationis huc illuc reciprocatam, cum Lutheranorum cauſa prolixius eſſet agitata, convenit inter nos utrimque, ut, quia judicium hoc alios condemnandi eſſet fori potius divini, nos id in medio relinqueremus. Quærebant igitur, ecquid aliud in ipſorum doctrina culpandum haberemus? Diximus, eo nos offendi maxime, quod contra verbi divini mandatum plebem à verbi divini lectione prohiberent. Quæſivimus, nonne prohiberent? quia id fieri paſſim hic negant Pontificii. Illi vero id fieri confeſſi ſunt, & fieri id propter graviſſimam, ut ſtatuebant, rationem, neque tamen hanc confeſſionem ita accipiendam illimitate, ſed certa conditionum temperie circumſcribendam. Primo enim Bibliorum Latinorum uſum lectionemque omnibus promiſcue concedi: quod nos ſimpliciter inficiari poteramus, quandoquidem id manifeſto falſitatis arguitur, tum ex Pii IV indice librorum prohibitorum regulisque ei additis obſervationibuſque quibus regulas illuſtrarunt, tum maxime ex praxi quotidiana, quæ docet Regularibus ſive Monachis lectionem Vulgatæ Latinæ editionis non ſine cautione permitti. Negavimus autem eam conceſſionem alicujus eſſe pretii, cum maxima pars hominum Latina Biblia nec legat nec intelligat. Urgebamus, etiam aliis hanc facultatem eripi non debere, ideoque vernaculos codices cuivis nationi procurandos tradendoſque. Quod illi promiſcue non faciendum hac adhibita ratione vel ſimilitudine probare conabantur: ut, ſi quis arma ſibi tradita, cultrum, aliudve inſtrumentum in perniciem ſuam converterit, non armandus magis ſed armis exſpoliandus eſt, ita, ſiquis armamentario ſacro abutus ſit, ex eoque inſtrumenta ſibi in malum protulerit, huic præcavendum, ne in poſterum obeſſe ſibi amplius poſſit. Multa ad reſpondendum apta ſuccurrebant: nam neque conſtat omnes eos aut abuſuros eſſe lectione ſacra, quibus hac illi interdicunt: tum ad abuſum cibi tollendum, non penitus pabulum illud cœleſte ſubtrahendum, aut fame enecandos homines, ſed ſi aliqui per intemperantiam cibi potuſque ſaluberrimo paſtu abutantur, monendos eſſe, ut donis ſibi divinitus conceſſis ex Dei præcripto recte utantur. In id autem maxime incubuit noſtra defenſio (quia illi doctis lectionem Vulgatæ editionis concedi dixerant) ut reſponderemus, ſi plebejis uſus ſacri contextus adimeretur propter abuſum, homines eruditos ab ea lectione multo magis depellendos, quia conſtat omnes ferme hæreſes à viris doctis eſſe conflatas atque in orbem diſperſas. Unde illud deduceretur abſurdum, Scripturam ſacroſanctam nulli eſſe uſui & velut inutilem theſaurum humi recondendam, cum ea neque indoctis aliquid commodi, & doctis multum incommodi afferret. Dixerant obiter, fœminam quandam nuper ex Scriptura eam hauſiſſe pravitatem, quod adulterium non eſſet habendum peccati loco. Sed cum adulterium clariſſime vetitum diceremus, eaque detorſio mentis obtenebrationem, non Scripturæ tenebras argueret, negarunt ſe huic objectamento velle inſiſtere. Ad id autem, quod proxime oppoſuimus, reſponderunt, aliam eſſe rationem hominum doctorum & indoctorum: indoctos propter linguarum ignorantiam, & quia aliis ad interpretandum ſubſidiis deſtituuntur, non poſſe genuinam ſacrarum literarum mentem aſſequi; doctos vero poſſe, quandoquidem certam habent normam, ad cujus præſcriptum interpretationis ratio dirigenda eſt. Expoſcentibus nobis illam normam, Patrum ſcripta protulerunt. Variis modis normam iſtam eſſe enormem demonſtravimus, ſiquidem nec omnes ſcripſerunt vetuſtiſſimi Doctores, nec omnes controverſias multoque minus hodiernas omnes attigerunt, & habent obſcuritates non leves, & inter ſe mutuo pugnant,

Ep.600. gnant, & à ſeipſis interdum diſſident, neque ipſi pro norma haberi cupiunt, ſed paiam reclamant, ſi quis ipſos ad tantum faſtigium extollat: denique id negotium omnium veterum monumenta pervolvendi ita prolixum eſt & operoſum, ut vix paucorum vita ſufficiat tantis laboribus exhauriendis. Quod poſtremum agnoviſſe videntur, cum expilcabantur, nonne Eccleſiæ veteri credendum, nonne Auguſtini placita pro veteris Eccleſiæ receptis dogmatibus agnoſcenda ſtatueremus, cum manifeſtum ſit hunc vulgares in Chriſtianiſmo ſententias ſecutum, nulliuſque Catholici Doctoris diſſentione oppugnatum fuiſſe: neque vero credibile eſſe, quod aut Eccleſia priſca ſententias de religione ſuſceptas ſubito mutaverit, aut, ſi Auguſtinus à communi Eccleſiæ judicio receſſiſſet, quod nemo ei ſe publice oppoſuerit. At certum eſt Auguſtinum in Prædeſtinationis dogmate & à ſe ipſo & ab Eccleſiæ vetuſtioris judicio receſſiſſe: tum negabamus nobis de Auguſtini mente in omnibus conſtare, cum multa ingentia conſcripſerit volumina: denique ſi conſtaret maxime, nos non poſſe dicebamus cujuſquam hominis, qui decipi ipſe poſſet aliosque decipere, ſententiam ampiecti, niſi eam prius ad Lydium Scripturæ lapidem exploraſſemus. Ibi regeſſit Doctor ille collegii Jeſuitici, vobis itaque ſinguli homines conſtituent Eccleſiam, quoniam ſuo ſinguli ſtabunt judicio. Hoc inde effici non videbamus, exiſtimabamus ſingulis tamen pro ſe Domino reddendam rationem. Interea is Doctor evocabatur invitus & ægre ferens, quantum colligere poteramus. Eleemoſynarius vero; at Scriptura, inquit, cui vos vultis omnes adhæreſcere, obſcura eſt & diverſis diverſorum interpretamentis obnoxia. Nos eam inficiari obſcuram in rebus ad ſalutem neceſſariis: ille ex adverſo contendere, in neceſſariis etiam tenebroſam eſſe, immo de ipſa neceſſariorum neceſſitate controverſiam incidere, neque liquere, quænam in neceſſariorum cenſu eſſent reponenda: ut, cum de verbis Domini diſceptatur, *hoc eſt corpus meum*, Catholici ſenſum Eccleſiæ neceſſarium exiſtimant, Lutherani urgent ſuum, Calviniani cum Arminianis ſuum neceſſitatis opinione commendant. Nos contra ſtatuebamus, ex hominum diſſenſione non irrefragabiliter inferri Scripturæ obſcuritatem. Denique poſtquam rediiſſet Doctor ille qui abierat, colloquio noſtro finis eſt impoſitus, atque ita diſceſſum fuit, cum nos illis, illi nobis, pro humanitate utrimque præſtita gratias egiſſemus. Paulo poſt ingreſſi ſumus Academiam Lovanienſem, ubi vidimus frequentiſſimum Studioſorum confluxum, audivimus inuſitatos nobis honoris titulos, cum alii ex opponentium numero ſalutabantur doctiſſimi D. D. Baccalaurei, alii Licentiati. Unus erat Licentiatus Theologiæ Monachus, quem in templo parochiali Mechliniæ audiveramus concionantem (alioqui enim templa ingredi non ſolebamus, ne quod honoris ſignum ſanctis ibi demortuis aut ſanctorum imaginibus exhibere cogeremur) qui peracri contentione tuebatur Donatiſtas, atque evincere conabatur eos, qui à Miniſtro hæretico eſſent baptizati, eſſe rebaptizandos. Tandem vero poſt aliquot velitationes ad incitas redactus, cum alia non ſuccurrerent; probo, inquit, ex Auguſtino: moxque Auguſtini textum, non aliter ac nos Scripturas ſolemus, expendere ac pro inſtituto ſuo exponere cœperunt. Poſt meridiem Bruxellas devecti (ubi vidimus tantum Baſilicam Gubernatoris, audivimus vero nihil narratu dignum) poſtridie Antverpiam tetendimus. Quo cum perveniſſemus Dominica die, omnia ad pompam ſive ſolennitatem illam, quam exſpectabamus, præparata vidimus. Tria erant theatra erecta in viarum compitis, quorum primum repræſentabat Eccleſiam in terris militantem, alterum Eccleſiam in purgatorio laborantem; tertium, quod erat in foro ſublime, in cœlis triumphantem. Poſtremum hoc animos noſtros horrore quodam percuſſit, cum aſpeximus ibi SS. Trinitatem triplici hominum viventium imagine repræſentatam, ac Deum Patrem in ſublimi conſpicuum ſub forma decrepiti ſenis. Paulo infra Chriſtum auguſto loco conſidebat Maria Domini Mater: quod poſterius minus male factum, cum alius (Maſius, ni fallor) quondam ſtans velut in medio ambiguus quærere auſus fuerit, quo ſe verteret, ad Chriſtumne an vero ad Mariam: alius, Bonaventura nempe, Pſalterium totum fœdiſſime corruperit, ac loco Domini Dominam Mariam ſuppoſuerit, Chriſti Matrem non Chriſto tantum, ſed etiam Deo Patri æquiparans. Sed Jeſuitæ, qui hunc triumphum ornaverant, ſapiebant magis, cum hanc ſubornatam Mariam ſubſellio infra Chriſtum collocato impoſuerunt. Vidimus interea ipſam quoque proceſſionem quam vocant. In prima acie currus aliquot præcedebant ornatiſſime cum ipſis etiam equis inſtructi, quibus impoſita erant ſimulachra Mariæ, Ignatii Lojolæ, Xaverii ex argento confecta. Alius vehebat digitum Johannis Baptiſtæ. Sequebantur Jeſuitæ Patres, geſtantes humeris ciſtas quaſdam bene ornatas, quibus donatarum reliquiarum theſauri erant incluſi. Aderat ipſe Epiſcopus Antverpienſis, circumgeſtans (uti ferebant) ſpinam ex ſpinea Chriſti corona avulſam. Utrimque ſolennitatem hanc comitabantur cives Antverpiani, facibus ac cereis ardentibus candentes in ſummo ſolis æſtu, cum non diu ante fuiſſet ſolſtitium æſtivum. Mitto alia, quæ narranda non ſunt, quia vix ſine tædio videri potuerunt, nedum ut prolixe nunc ea conſcribam. Poſt illa ſolennia peracta concio eſt habita in Jeſuitarum templo (quo & reliquiæ importatæ) à Patre quodam, non Jeſuita, Melchiore vanden Bos, viro diſerto quidem, ſed cujus concio tamen nervis

Ep.600. deſtituebatur. Is præfatus corpora Martyrum Protaſii & Gervaſii circa A. C. CCCLXXX. ab Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo non ſine miraculo reperta fuiſſe, quod & in ſomnio ei revelata fuerint, & ad eorum contactum *cæcus* aliquis *depulſis veteribus tenebris diem viderit* (verba Auguſtini de civit. Dei lib. XXII. cap. VIII.) dixit Patres etiam Jeſuitas, ad hoc exemplum vetuſtum & laudatum, corpora ſanctorum Martyrum ſolenni ratione honoraſſe, eorumque memoriam celebraſſe. Præterea adjunxit ſe hoc pacto ſermonem exordiri propter Lutheros, Calvinianos, alioſque novitios, ſiqui horum adeſſent forte, qui Martyrum reliquias, ut & imagines concremandas potius ignibus, quam ornandas honoribus putarent: at eoſdem hoſce Diaboli ſimulachra, ſicubi erecta ſint, nequaquam confringere, atque ita ſatis manifeſto teſtatum facere, cujuſnam ſint patris filii, nimirum Diaboli, qui pater eſt tenebrarum. Colligere ex hoc ſpecimine licet, quid deinde turbarum in illa declamatione concitatum ſit. Arbitror hinc eum irritatum fuiſſe, quod Magiſtratus Leovardiæ, ut nunciabatur, Pontificiorum imagines in unum coacervatas ſubjectis publice flammis in cineres redegiſſet: qui nuncius tunc recens iſtuc advenerat. Poſtero die ibidem concionabatur Jeſuita minus diſertus, nec ſapiens magis. Is mirari nonnullos poſſe dicebat, cum peſtis graſſaretur & hoſtis ingrueret, quæ res noviſſet Jeſuicas Patres ad hæc ſolennia cum triumpho gaudioque celebranda. Reſpondit autem honores illos, qui Martyrum oſſibus eſſent delati, in ipſas defunctorum, in cœlis nunc beate agentium animas redundare, qui pro gloria & autoritate ſibi conceſſa peſtem poſſint atque hoſtem ab eorum cervicibus ac mœnibus propulſare. Mox fabellam admiſcuit, narrans urbem quandam Meſopotamiæ à Perſarum incurſu tutam fuiſſe, quamdiu Conſtantini juſſu oſſa cujuſdam Epiſcopi Jacobi iſtic aſſervabantur: at his deinde à Juliano Apoſtata alio aſportatis, qui non hominis mortui cadavere, ſed vivorum militum præſidio urbem communiendam jactabat, civitatem cum civibus incoliſque triſtiſſima internecione periiſſe. Movebat illam etiam quæſtionem, unde conſtaret, hos, quorum nunc oſſa honorifice in templum erant delata & ſub altari recondita, eſſe martyres: in quo ſe valde hærere ſatis oſtendebat, cum dixit ea iis in locis reperta, ubi piæ nonnullæ viduæ martyrum cadavera ſepelire conſueverant. Ita plebem imperitam fabulis nutriri confictis aut incertis, nullis Scripturæ locis erudiri animadvertimus, miratique ſumus ac miſerati ſummo cum dolore populi cum ſumma devotione aſſidentis deplorandum ſtatum. Hæccine ad religionem pertinent, oſſa mortuorum circumgeſtare, currus imaginibus, phaleris, pompa inſtruere, cereos accendere, imagines adaperto capite venerari, fabellas pro concione narrare? Hoccine eſt *pascere*? hoccine gregem Do- Ep.601.
mini verbo Dei paſcere? nihil minus. Eſt vero conditio iſtorum hominum miſeranda magis; quia, dum in hujuſmodi quiſquiliis ac nugis religio collocatur, id omne, in quo ipſa religio vere conſiſtit, obliteratur ac pene obteritur. Fatebatur ibi matrona quædam ex noſtratibus addicta Pontificiis, Papiſmum, ſi quidem in Hollandia ſe talem, ut iſtis in locis, conſpiciendum præberet, pauciores multo habiturum cultores. Vere mihi nunc dicere poſſe videor, ſiquis ſemel ſpectaverit atque exacte noverit iſtas ſuperſtitionum vanitates, ſatis argumenti ſibi datum arbitrabitur ad eas odio proſequendum. Jactant antiquitatem, eamque in erroribus quibuſdam ſuis ſatis interdum ſpecioſe judicio ſuo comprobant, quamquam in multis eos antiquitati, & antiquos ipſis adverſari Epiſcopius noſter aliique oſtenderunt, ſed tametſi antiquiſſimus eſſet error, error eſſe non deſinet. Vires quidem acquirit eundo per multa ſecula, ac pene invictum tractu temporis robur colligit perverſa opinio, ſed tandem tamen victrix ac domina erroris triumphavit veritas, triumphabitque magis ac magis, aſpirante Deo Patre luminum, qui tenebris illis diſcuſſis in æternum gratiæ ſuæ lumen omnes reducat. Vale mi amice. Dabam Hornæ. XII kal. Sept. 1655.

IOC I.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG S.P. Gouda.

VIdeo ex ſuperiore mea epiſtola variam tibi quæſtionum ſilvam ſuppullulaſſe, quas tibi ut breviſſime diſſolvam, efflagitas. Quæris, an exiſtimem nobis apud idololatras in foro concionandum, ſicut Paulus concionabatur Athenis. Quæris, an confringendæ ſint aut comburendæ ſanctorum imagines, item an illicitum putem adaperto capite templa Pontificia perluſtrare; tum an mos antiquus reliquias venerandi ritum apud Pontificios receptum non confirmet aut ſaltem excuſet, præſertim cum Jacobi, Joſephi, Eliſæi oſſa, & Pauli ſudaria, aliaque ſimilia in cauſæ ſuæ patrocinium afferant: denique imprimis, ut uberius reſpondeam ad illud poſtremum D. Eleemoſynarii objectamentum, cum ingereret Scripturam in rebus ad ſalutem neceſſariis non eſſe perſpicuam, quia ne id quidem conſtat quid ſit neceſſarium, & de eo diſceptatur maxime, quod cognitu neceſſarium eſſe omnes concedunt, nempe, de ſenſu verborum, hoc eſt corpus meum. Poſtremo cupis, ut triplex illud inter Janſenitas Pontificios & Contraremonſtrantes noſtros diſcrimen adjungam, ac breviter artexam quinque doctrinæ capita, quæ Pontifex Romanus Innocentius X. in

An apud Pontificios publice ſit concionandum: de ſimulachris Dei, de imaginibus comburendis; de reliquiis, an ex deſenſo circa eas miſſario miſſario aſtruatur ſubſtan.

Jan-

Ep.601. Janſenii Auguſtino damnavit. Non deero tibi roganti; quamquam una epiſtola vix tam multijugæ reſpontionis eſt capax, & tu per te, quid reſpondendum ſit, facile dijudicas.

Primum illud, quod quæris, arduum eſt ſane, præſertim ſi eo ſis in loco, ubi ſine gravi vitæ periculo verba facere non poſſis: ſic tamen in re difficili tutiſſimum arbitror, ſi ſtatuamus laudabile eſſe, ſi quis eadem, qua Paulus quondam, alacritate ſuccenſus fiduciam arripiat publice homines à tenebris ad lucem revocandi. Quod imprimis fieri oportere cenſeo, ſi nos ſpiritus Domini occultis hortatibus intus exſtimulet. Neque valde refragabor, ſi quis credat etiam nunc hoc Domim præceptum ſuo modo vigere, jubentis, ut omni creaturæ Euangelium prædicetur, *Marc.* XVI. Nonne enim hoc quoque tempore Deus vult omnes ſalvos fieri & ad veritatis cognitionem venire? Quomodo autem venturi ſunt, quomodo crediturі, ſi nemo fidem eis annunciet? non dubitandum itaque, quin multi Jonam imitati delatum ſibi munus cum fide fiduciaque debita exſequi recuſent. At enim non mittuntur à Deo, inquis, qui negotium tam arduum exſequi poſſint: *quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Rom.* X. quis etiam prædicationis fructus erit, niſi quis majoribus illis miraculorum aut prædictionum divinarum donis inſtructus ad prædicandum acceſſerit? Fateor in hac re plurimum ineſſe difficultatis, fateor id nunc minus neceſſarium videri. Neque nunc dicere poſſumus, quod de ſe quondam Paulus, væ mihi ſi concionatus non fuero. Veruntamen nos quoque, ut Paulus, omnibus hominibus ſumus debitores, Judæis & Græcis. Nonne Apollos & alii, Johannes Baptiſta ipſe, ſine miraculis reſipiſcentiæ præconium ſuſceperunt? nonne multis habita fides ſine miraculis? Quanquam Deus apertis verbis ſpeciatim, ut nunc Euangelium annunciet, huic aut illi non mandat; præcipit tamen id quodammodo, cum vult unumquemque ſibi creditum talentum cum fœnore reddere: & mandare cenſetur occulte inſtigando ac dona tribuendo idonea, quæ huic operi inſervire queant. Quod ſi quis tam excelſo ſit animo, ut hominibus vel à Deo vero vel à Chriſti cultu averſis Euangelii lucem inferre audeat, quis neget Deum huic gratiæ cumulatiorem menſuram ac miracula forte largiturum? Hæc ſi non largiatur tamen, quis negat Deum alia ratione pulcherrimis conatibus adſpirare poſſe? Objicies leges, edicta, tribunalia, in veritatis præcones paſſim erecta. At hæc etiam obſtarent iis, qui ad Gentes expreſſo Dei mandato mitterentur; & obſtiterunt eadem temporibus Apoſtolicis. Quæ autem tribunalia adverſus veritatem Dei prævaleant? Difficile quidem illud, ſed quam pulchrum cum Origene de laurea ac laude certare, qui aliquoties martyrii coronam ambiiſſe dicitur? Plus interdum moriendo proficimus quam vivendo, cum ſanguis Abelis clamet etiam poſt mortem, & ſanguis martyrum ſit ſemen Eccleſiæ. Verum hoc loco duo imprimis Chriſti monita obſervanda exiſtimem; alterum, cum dicit, *Ne date quod ſanctum eſt canibus, nec projicite margaritas veſtras coram porcis: nequando conculcent eas pedibus ſuis & converſi lacerent vos. Matth.* VII. alterum, cum Apoſtolos dimittens monet his verbis, *eſtote prudentes ut ſerpentes, & innocentes ut columba. Matth.* X. Quare, ſi videamus nobis cum porcis omnia calcantibus, aut cum lupis omnia oblata vorantibus, rem eſſe, ſatius eſſe crediderim, ut quis ſe ipſum iſtorum faucibus devorandum non objiciat. Neque tamen hic metui carnali nimium indulgere oportet. Cernimus, homines Pontificios, ut Chinenſes alioſque Gentiles convertant, ad certiſſima pericula ac præſentem propemodum mortem proficiſci. Num illi plus audebunt pro falſa fide & ſuperſtitionibus ſordidata, quam nos pro vera ac ſincera? cum illi pericula non exhorreſcant, nos pavide pertimeſcemus? Quis iſte torpor noſter, quam pudenda ignavia? Saltem æmulationis ſtudium hanc nobis ſocordiam excutiat; quo referri queat fortaſſe illud, *Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in nobis.* Vereor, ne qui forte ſibi falſo perſuadeant Eccleſiam ipſorum eſſe vere Catholicam, quia illi omnibus Gentibus Euangelium promulgare conantur. Veruntamen non promulgant omnibus, neque ſi hoc facerent, inde liqueret, quod ipſi volunt, hanc Eccleſiam recte dici Catholicam, cum ne Eccleſia quidem penitus vera ſit, tantum abeſt ut dici poſſit Catholica quæ multimodis à veritate Chriſti disjuncta eſt. Ut autem propius id attingam, quod hic maxime quæritur, magnum procul dubio diſcrimen intercedit inter Gentilium & Pontificiorum idololatriam: præterea in locorum ratione inſignis prudentia eſt adhibenda. Mecum vero conſiderans, quæ ſit accommodata maxime via Pontificiis convertendis, illam præ cæteris ingrediendam duco, non ut in ipſorum aut foro aut viarum compitis concionemur, ſed magis ut nonnulli hinc ſubmiſſi in ædes eorum familiaritatemque ſe prudenter inſinuent, atque hoc pacto occaſionem quærant verbum Dei in animos vel occulte vel palam inſerendi. quod quidem Adverſarii ipſi ſedulo in diſſeminandis erroribus obſervant, quorum exemplo nos moniti atque expergefacti totis viribus in propagandam veritatem incumbere debemus. Sed dum adverſis inter nos certaminibus ipſi colliſimur, labaſcit ſacroſancta religio, franguntur nobis vires, creſcunt eæ magis & augeſcunt Adverſariis. Deus annuat propitius eorum cœptis, qui id ſibi ſtudio habent, ut diſtractos animos concordiæ vinculo conglutinent. Hujus voti ſi quando compotes facti fuerimus, facilius ad veritatem amplectendam adduci ſe ſinent alii, qui nunc adverſantur,

Ep.601.

Ep.601. tur, quia hactenus illi nulla re magis quam noſtris diſſidiis offenduntur.

De imaginibus vero quod ſcribis, de eo, quod ad Dei ſimulachrum attinet, haud magna controverſia eſt, ſiquidem in Colloquio Poſſiaceno utrimque convenit, imagines Dei non eſſe fabricandas: nec Synodus Tridentina commendat ſimulachra Dei, ſed Chriſti, Mariæ, ſanctorum. Quo magis miror Jeſuitas in illo triumpho produxiſſe viventem ſenem, qui nobis quaſi Deum exhiberet. Videntur hoc idcirco feciſſe, quia homo ad imaginem Dei conditus dicitur, & quia Deus, ut ſenex grandævus, *antiquus dierum*, apud Danielem repræſentatur. Sed prior ratio ſi pondus habeat, magis etiam ab Anthropomorphitis in ſuas torquebitur partes: at vero conſtat non corporis, ſed animæ & divinæ mentis reſpectu nos Dei imaginem exprimere. Nego etiam Danielem id exemplar nobis ad imitandum efformandumque proponere, cum ne imitari quidem poſſimus divinum ſplendorem, quo *Antiquus dierum* circumdatus effulſit. Immo, etiamſi hoc fieri quodammodo poſſet, non liceret tamen ullo prætextu Dei interdictum eludere, quo præcepit diſerte, *Deut.* IV. 15, 16. ne quis ſibi maris aut fœminæ effigiem attribuat. Quid quod Gentiles à Deo in reprobum ſenſum traditi dicantur, quia *mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimulachrum imaginis corruptibilis hominis*, *Rom.* I. 23, 24. De Chriſti vero & Sanctorum imaginibus ita ſtatuamus, eas neque fieri oportere, ne plebs in errorem abripiatur, imaginem ut ſanctos ipſos colens, cum ne ſanctos quidem religioſe colere liceat; &, ſi efformatæ imagines per religioſam venerationem in abuſum vertantur, eas neque deturbandas tumultuoſe puto, quod in prima Reformatione factum nonnullis in locis, nec publice flagris cædendas, quod Harlemenſes noſtros ab Albano obſeſſos feciſſe autor eſt Strada, nec manu carnificis comburendas, quod Leovardiæ factum eſſe retulimus (quod verum eſſe etiam hic audivi pro certo) quia hæc omnia ad animos exacerbandos magis quam alliciendos comparata ſunt. Veruntamen ſi populus improvido interdum zelo efferveſcat, aut Magiſtratus legitimus, ad quem religionis curam pertinere nos docet Joſiæ Regis exemplum, hoc officii ſui eſſe ſtatuat, ut idololatriam aut ritus idololatricos publice cum ſcandalo vagari non ſinat, quis populari indignationi, quis Magiſtratui non condonandum aliquid cenſebit? Nolim vero id à plebe patrari, ſed à Magiſtratu potius ſecundum leges conſtituto. Nonne enim Moſes vitulos in Jehovæ honorem erectos flammis ſubjectis concremavit, eoſque redactos in cinerem per flumen diſſipavit? Nonne Rex Joſias ſerpentem æneum, cum eum populus nimia veneratione proſequeretur, combuſſit? Nonne eodem ardens zelo Severus quondam Maſſiliæ Epiſcopus A.C. 190. cum imagines adorari videret, eas proliminari & confringi voluit, licet hoc nomine reprehenſus à Gregorio I, his verbis, *Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudavimus: ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus.* lib. VII. epiſt. CIX. Scio quid vulgo regerant ii, qui imagines adornant, ne dicam adorant: primum, ſe non adorare, ſed ſimpliciter colere imagines cultu non in ſimulachra, ſed in Sanctos ipſos directo. Verba hæc ſunt, quibus facta ſimplicis plebeculæ ſæpe non reſpondent. Quanto præſtabilius, ut res non neceſſaria ipſis etiam fatentibus tolleretur, ne & domeſtici ipſorum ſeducerentur, & ii, qui ſunt extranei, offenderentur graviſſime? Tum quis olim Gentilis, qui hoc velamine idololatriæ ſuæ fœditatem obtegere non potuerit? Apud Clementem ita loquuntur Pagani, Recogn. lib. v. Nos ad honorem inviſibilis Dei imagines viſibiles adoramus. Et Aug. in *Pſalm.* CXIII. conc. 2. Videntur autem ſibi purgationis eſſe religionis, qui dicunt, nec ſimulachrum nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo. Et Lactantius lib. II. Inſtit. div. c. II. Non ipſa (inquiunt, Gentiles nempe) timemus ſimulachra, ſed eos ad quorum imaginem facta & quorum nominibus conſecrata ſunt. Pontificii vero ſatis ſeipſos liquido redarguunt, cum Virgini Aſprecollenſi, Hallenſi, & alibi erectis imaginibus miracula tribuunt, eaque de cauſa itinera religioſa ſuſcipiunt. Ep.601.

Satis arbitror patere, quod licitum nobis non ſit adaperto capite, quaſi honoris cauſa, templa Pontificiorum ingredi. Nam non à crimine tantum, ſed etiam à criminis ſuſpicione atque à ſpecie omni nos abeſſe oportet, ut graviter monet Apoſtolus 1 *Theſſal.* V. 22. Hac de cauſa cum Julianus Imperatorias imagines in militum conſpectu collocaret, illi quidem eas honore civili dignati ſunt, ſed mox animadverſa fraude, quod ſimulachra Deorum admiſcuiſſet, etiam Imperatorias honoris aliquo ſigno afficere recuſarunt, ne mali ullam ſpeciem præberent. At enim Naamani Syro ab Eliſæo Propheta conceſſum dicis, ut, quoties Rex humeris ejus incumbens in templo Remmon idolum adoraret, ipſe quoque officium Regi exhibens una procumberet. Sed hi homines peſſime viri pii exemplo abutuntur. Hic enim ab idolis converſus vovet ſe poſthac ſoli Deo Iſraelis ſacra facturum: deinde mulos duos terræ ſanctæ glebis onuſtos avehit, in quibus adorans poſtea conſiſtat, ne pollueretur, ſi in terra profana Deum ſanctum colere inſtitueret. Erat hæc tanquam clara vox, qua confitebatur ſe idolis in perpetuum valedicere: quam vocem non edunt, qui nunc ſimulachris venerationis externam ſimilitudinem produnt in templis. Quid vero, ſi hoc privilegio ſpeciali permiſſum fuerit huic Miniſtro Regio, num propterea credemus ab univerſali 2 Reg. v. 17, 18.

Digitized by Google

Ep.601. fali regula, qua omnis mali ſpecies prohibetur, nos ipſos emancipatos eſſe? Quid ſi hoc toleratum, non probatum fuerit à Deo, & quidem in illo toleratum homine, qui tanta, quanta nos ſumus, luce colluſtratus non fuit? Toleravit etiam Deus in Iſraëlitis nonnulla, quæ nobis imitanda non ſunt, quia Chriſtus ea diſerte prohibuit. Certe nemo negabit tutius abſtineri.

Ex iis, quæ ſuperius dixi, manifeſtum eſt reliquiarum cultum inter nefaſtos ritus reponendum, cum ne ſanctos quidem, quorum iſtæ reliquiæ dicuntur, religioſe venerari liceat, poſt mortem præſertim, cum nos nec norint nec curent, nec noſſe aut curare poſſint: ſecundum illud Prophetæ, *Tu enim pater noſter, Abraham autem neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos: tu Domine pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum.* *Jeſa.* LXIII. 16. Itaque errant, ſi exiſtiment ſanctos demortuos peſtem exſtinguere, bella depellere, preces paſſim exaudire, ſi reliquias ſuas in terra coli obſervent; cum eos non liqueat rerum humanarum notitia præditos aut potentia nos adjuvandi inſtructos eſſe, immo liqueat ipſos utraque deſtitutos. Mitto jam quod in Sanctorum cenſum adſcribant eos qui aut ſancti non fuerunt, ut Catharina Senenſis, aut exſtiterunt nunquam, quales feruntur paſſim S. Longinus, Martialis, Urſula, Catharina Coſti filia, alique. Mitto, quod Sanctorum aut Martyrum corpora quæ ſint, aut ignorent, aut prorſus ambigant. Mitto, quod reliquias in immenſum accumulent vane conflictas, idque in cruce conſpicuum, cujus omnes, quæ oſtentantur partes, ſi quis in unum locum congerat, ingentem navim onerariam implere poſſit Eraſmo judice. Mitto quod honos ille nihil habeat cum religione commune, penituſque mundanam pompam reſpiciat, cujus rei nos teſtes ſumus oculati. Quod ſi conſtiterit eum virum fuiſſe inſigni pietate cæteris hominibus prælatum, cujus nobis oſſa traduntur; non prohibeo, aſſentior etiam, ſi quis hæc modeſte, honeſte, honorifice, cum quadam pia virtutum recordatione aut commemoratione in loco apto recondantur: ſed abſit veneratio, pompa, ſuperſtitio, ne religio Chriſtiana, qui cultus eſt maxime rationalis Gentium Apoſtolo teſte, Gentilibus, Judæis, Muhammedanis ludibrio exponatur. Sic ferunt Genevæ ante lucis exortum cervinum membrum pro Antonii brachio, & pumicem aridum pro Petri cerebello in veneratione habitum fuiſſe. Nullus vero mos quantumvis antiquiſſimus (hunc tamen antiquum eſſe non liquet, cum demum Auguſtini ævo irrepſiſſe aut inoleviſſe videatur, quamquam Auguſtini loca quædam ſunt dubia) nullus mos, inquam, errorem veritatis jure donare poteſt aut debet. Notant viri eruditi, in nullo Conciliorum antiquitus habito præſcribi, ut Sanctorum reliquiis veneratio præſtetur, niſi in lateritio illo Lateranenſi, quod celebratum annis tunc lapſis ſupra mille- Ep.601.
ſimum ducentis & quindecim. Miracula ad reliquias facta perhibent; ſed, ſi hoc verum ſit, num ad piſcinam pecuariam Betheſdam cultum religioſum exercendum putabunt, quia iſtic edita miracula celebrant Scripturæ? *Jacobi ac Joſephi oſſa veneranda* fuiſſe ne ipſi quidem dixerint, cum eos in limbo Patrum ante Chriſti reſurrectionem fuiſſe contendant. Idem *de Eliſæi oſſibus* ſtatuendum, ad quorum contactum miraculum editum ſacræ literæ commemorant, honorem iis eximde habitum aut habendum nuſquam referunt: neque hoc præſcribi potuit, ſi illud teneatur de ſerpente æneo, quem dixi in cineres redactum, quia honoratus; licet ad ejus aſpectum innumera ſint edita miracula. Si umbra Petri eos, quos attingere potuit, ſanavit; ſi ſudaria & ſemicinctia Pauli fuerint ad ægrotos delata, ut ſanarentur; non tamen vivis propterea honos religioſus eſt habitus: quanto igitur minus mortuis habendus? Immo ſi quis viventibus deferre voluit, & Paulus & Petrus acerrime reclamarunt. Ne jam illud addam, ipſos cultu hoc etiam eorum oſſa complecti, quos ullis claruiſſe miraculis incognitum eſt, immo cognitum eos non claruiſſe. Vides, quam illa nullo negotio refutentur.

Venio nunc ad eam quæſtionem, quæ eſt omnium forte graviſſima, nimirum, quomodo Scripturæ ſua poſſit conſtare perſpicuitas in omnibus ad ſalutem neceſſariis, cum non modo de neceſſariis, ſed etiam de neceſſitatis ratione inter nos diſcrepemus; quod illi ex diverſa expoſitione verborum, *hoc eſt corpus meum*, educi poſſe putant. Eſt enim & ſententia interpretantium diverſa, & ſuam ſinguli neceſſariam ducunt, aut ſi non omnes, ſaltem aliqui; atque ita non modo quid verum ſit, ſed etiam quid neceſſarium, diſceptatur. Unde aliud etiam abſurdum ſequi confirmant, neceſſariam Eccleſiæ divulſionem, ſi quiſque id, quod neceſſarium credit, ad ſeceſſionem aut ſciſſionem in Eccleſia faciendam ſufficere conſtituat. Equidem fateor videri hanc non levem difficultatem, ſed neque inſuperabilem tamen. Nam primo multi non abſurde exiſtimare videntur, Deum pro ſua miſericordia & æquitate damnaturum facile neminem, qui, poſtquam juſtam adhibuit diligentiam in quærenda veritate, tamen in errore etiam gravi perſtiterit. Aut enim errantem, ſi probus ſit, errore liberabit, ſicut promiſit ad *Philipp.* III. 15. *Si quid aliter ſentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*: idque demonſtratum dedit in Paulo, cui, licet Eccleſiæ perſecutor fuiſſet, quia tamen ſecundum legem irreprehenſibilis vixerat, & quia ignorans id fecerat ὁ ἀπόστ, gratia & miſericordia divinitus benigne conceſſa eſt, 1 *Timoth.* I. 13, 14. aut ſi in errore permaneat, unde ſe expedire nunquam poſſit, non propter eam certe cauſam Dominus ipſum condemnaturus videtur. Si enim

Ep.601. enim condemnet, alia fuberit causa, peccatum voluntario commissum. Nam quomodo aut peccat vere aut damnari merito potest is, qui errat non sponte, sed invitus? praesertim si ex Scripturæ verbis, bene tamen perpensis, improvidus hauserit errorem. Sic nonnulli fortasse Pontificii servabuntur, qui, quamvis idololatria se polluant judicio nostro, tamen probitatem colunt, & errare se nesciunt, idque si sciant, deferere falsitatem cupiunt. Attamen si quis non ausit huic penitus responsioni insistere, partim quia videmus multos Scripturas maligne in suam *perniciem* posse detorquere, quod fieri interdum docet Petrus Apostolus *epist.* 2. *cap.* III. 16. factumque id in Molochitis idololatris, aliisque; partim quia erroribus Pontificiis, cum & oculorum & aliorum sensuum judicio palam refellantur, vix eis probabile aliquem probitatis ac veritatis vere ac prudenter amantem adhaerescere constanter posse. Secundo respondetur, homines perversos, ut possunt ea, quæ clarissimam habent veritatem, in falsitatis speciem convertere, sic etiam illa, quorum est perspicua necessitas, dissolvere ac non necessaria dicere. Neque propterea quicquam vel perspicuitati Scripturæ vel necessitati sacrorum dogmatum decedit. Quid enim? si quis ex antiquis Philosophis contendat nullum dari motum, nivem non candere, ignem non calere, num idcirco earum rerum aut veritas aut perspicuitas in dubium vocabitur? Si quis Carneades denuo nunc contra justitiam dicat, ullumne inde periculum honestati aut justitiæ creabitur? ideone statuendum non esse perspicuum, quod sit honeste vivendum? Est vero hoc adeo manifestum, ut idipsum omnium hominum cordibus inscriptum testetur Apostolus, ad *Rom.* II. 14, 15. Nec mihi nunc objeceris merito, quod Pontificiorum error Scripturæ verbis innixus sit; quandoquidem nihil mirandum est, cum homines vel sensus vel rationis lucem sibi insitam possint vel corrumpere vel suffocare, eosdem posse Scripturæ sensus depravare perspicuos. Dicuntur quondam Ophitæ exstitisse hæretici, qui exuta honestate in publicum prodibant nudi, quod ea primorum parentum, antequam à serpente erant seducti, fuisset integritas. Ecquis ea de causa credet non manifestum, quod vestis assumenda sit, cum Deus ipse primos parentes propter honestatem tuendam vestitu circumdederit, unde Origenes Deum dixit primum pellionem? Patet igitur posse fieri, ut id, quod perspicuum est, in controversiam trahatur, immo etiam ut necessarium quod est, contradicentium libidini exponatur. Sed vero si hoc fundamentum, inquis, jactum stabilitumque permaneat, jam quisque suam facile sententiam pro necessaria obtrudet, jam schismata gliscent & augescent indies, cum propter necessarium sibi dogma singuli novas erigent Ecclesias, jam nihil remedii residuum manebit ad conservandam corporis Christi unitatem. Haec sane est eorum oratio, qui ab Ecclesiæ aut potius unius Pontificis Romani judicio omnium dogmatum & veritatem & perspicuitatem & necessitatem suspendunt. Sed primo gravissima omnium quæstio, quis ille sit summus controversiarum judex, ab ipso Pontifice nequit decidi, cum de sua causa judicare non debeat, sed ea decisio privato uniuscujusque judicio relinquenda est, quod posterius ne ipsi quidem Pontificii negare possunt. Id igitur si in re maxima faciendum, quid ni etiam in minoribus admittendum est? & si hinc schismatum metus ac prope necessitas, quid ni & illinc gravius periculum in re magis ardua imminebit? nec tantum periculum adest, sed etiam res ipsa, cum alii Concilio, alii Pontifici, alii Concilio cui praeest Pontifex, hunc principatum non sine gravi dissidio deferant. Unde liquet inter ipsos etiam de re necessaria, quam necessariam fatentur, esse dissensum. *Deinde* si hoc judicium Pontificis arbitrio deferatur, an tunc de necessitatis ratione exactius constabit? Nihil minus; cum palam sit eos vel falsa interdum pro veris vel exigui ponderis dogmata pro necessariis habuisse. Victor Episcopus Romanus nonne propter celebrationis Paschatis diem, quam ex incerta traditione definivit, adversantes sibi Orientis Ecclesias & Episcopos Asiaticos ut haereticos proscripsit? Stephanus ibidem Papa nonne Ecclesias Africæ ac totius Orientis communione privavit, propterea quod haereticos conversos iterum sibi baptizandos statuerent? Quid de aliis referam compluribus? Autor est Joh. Aventinus, lib. III. Annal. Bojor. Vergilium quendam Mathematicum, apud Germanos Episcopum, haereseos fuisse damnatum, quia Antipodas esse confirmabat. Paulus II, haereticos pronunciavit omnes, Platina referente, qui Academiæ nomen vel serio vel joco proferrent. Benedictum XII, ferunt commentum illud de vulneribus sive stigmatibus Francisci Barnardonici inter fidei articulos recensuisse. Pius V, reliquias etiam venerandas esse, ut alia mittam, inter necessaria reposuit. *Tertio* non certum est necessario oriri schismata, etiamsi in rebus necessariis sit oborta dissensio; si quidem in his etiam, si non prorsus desperatus sit error, tolerantia exerceri queat: quod quidem fecisse Paulum Apostolum apparet, cum toleravit, atque etiam, ut dilectos fratres, salutavit Corinthios, qui resurrectionem mortuorum, necessarium maxime caput, abnegabant. Similiter ante illam Berengarii palinodiam, ad quam à Gregorio VII compulsus est, illi qui Eucharisticum panem in Domini corpus transformari credebant, & ii qui asserebant contrarium, in eadem diu communione vixerunt. Idemque nunc forte de Pontificiis existimandum esset, nisi Concilii Tridentini autoritas, & Papæ quam tribuunt irrefraga-

Ep.601.

Vide Sabell. Papa. lib. Conform. fol. 134. col. 3.

L. c. 108

Ep.601. fragabilis dominatio ſpem omnem nobis medicandi erroris adimeret. *Poſtremo* ſi concedamus fieri vix ac ne vix quidem poſſe, quin ſchiſmata ſuppullulent: quid tum? Nonne Scriptura teſtatur, neceſſarium eſſe, ut veniant ſcandala: & tamen unicuique pro ſua parte cavendum eſſe, ne alios offendat infirmos, liquet ex addita comminatione, *Verumtamen væ homini illi per quem offendiculum evenit*, *Matth.* XVIII. 7. Similiter Paulus 1 *Cor.* XI. 18. *Oportet etiam hæreſes inter vos eſſe* (hæreſes autem *diſſidia* dixerat ζῆλος verſu antecedente) *ut qui probati* ſunt (id eſt, à diſſidiis abhorrentes) *manifeſti fiant inter vos.* Ac mihi quidem cogitanti, cur Dominus eam ſalutis viam inſtituerit, unde ſchiſmata facili negotio profluunt, non una videtur hujus conſtitutionis ratio dari poſſe. Prima ac præcipua ex verbis Apoſtolicis jam proxime allatis eluceſcit. Alteram puto, quod hinc zelus & æmulatio oriatur in populo fidelium, dum alii aliis in religionis ſtudio ac virtutum ſtadio præcurrere conantur. Eſt hæc æmulatio non vituperanda, ſi ab odii ac malevolentiæ caligine emundetur. Hinc Deus etiam Gentes ad Euangelii communionem evocavit, ut Judæos ex æmulatione ad fidem ſuſcipiendam accenderet. Nec unquam magis deplorandus fuit Eccleſiæ ſtatus, quam dum ab anno Chriſti octingenteſimo ad decimum quintum uſque ſeculum in alta pace & ſupina ſecuritate unanimiter dormivit. Tertia ex hac quoque re promanat utilitas, nempe, quod multiplex atque indefeſſa Scripturarum lectio exinde viguerit, quæ negligebatur antea ac veluti in ſepulchro defoſſa delitescebat. Nunc itaque rivi ſcientiarum per omnes terras dimanant, & theſauri ſapientiæ paſſim effodiuntur ab hominibus indoctis pariter & doctis. Jam enim Hieronymi dictum de Scriptura verum comprobatur, quod in ea & elephas natare & ovis in ſicco ambulare queat. Sic Deus novit ex tenebris lucem formare, ex diſceptatione ſcientiam, ex æmulatione probitatem: idemque rogandus Deus precibus quotidianis, ut nobis & hæc bona conſervet, & ex diſſidiis pacem redonet. Antequam deſinam, illud addendum & accurate conſiderandum imprimis, quod Pontificii nunquam evincent, inter eos, qui ſoli S. Scripturæ adhærent, ullam fuiſſe Eccleſiam aut ſaltem permanſiſſe, quæ ulla parte veritatis ad ſalutem omnino neceſſariæ caruerit, aut quæ inevitabilem damnationi errorem diu tenuerit ac retinuerit. Non enim fieri videtur poſſe, ut complures homines, qui junctis animis ac votis pia mente ad fontes ſacros accedunt, errore maculentur adeo exitiali, ut animæ ſalus neceſſario intercidat: aut, ſi nonnulli ad exiguum tempus labantur, certe, niſi malitia accellerit, error brevi evaneſcet, quemadmodum craſſi vapores exoriente ſolis fulgore paulatim diſpelluntur. Quod ſi Pontificii nunc, miſſo traditionum jugo & excuſſo Papæ dominio, ſolis ſacris literis ſe fidemque ſuam adſtringerent, non eſt dubitandum, quin errori ſuo tam palpabili & craſſo, quem in S. Cœna tuentur, temporis lapſu uſuque meliora docti renunciarent. Illud vero ex ſuperiori epiſtola haud dubie perſpicuum eſt, omnes, quæ à Papatu ſeceſſerunt, Eccleſias, interque eas ipſam etiam Lutheranam, ſententiam ſuam de S. Cœna ſic exponere, ut nulla propter errorem in ſalutis amittendæ diſcrimen incurrat. Ep.602.

Reſponderem nunc etiam ad alia abs te requiſita; ſed, quia Bulla illa Pontificis non eſt ad manum, & quia nunc temporis angustia impedior, alias tibi melius ſatisfecero. Nec deërit tibi in veſtra urbe iſtud exemplar videndi copia. Mittes mihi decreta Synodorum Orientalium, habitarum ſub Cyrillo Berrhoenſi & Parthenio Patriarchis Conſtantinopolitanis, quibus ſententia abſoluti decreti damnatur. Mittes etiam miſcellanea Fulleri. Vale, mi frater. Hornæ 3 Nonas Sept. 1655.

EPISTOLA II.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG

S. P. D.

Gouda.

VAletudo mea, licet ex proximo itinere aliquomodo recreata ſit, tamen multum ex priſtina infirmitudine retinuit, ut verear interdum, ne in eaſdem recidam anguſtias. Non ſoleo medicos aut medicinam adhibere, quod tu ut faciam mones, quia imbecillitas opem medicam vix admittit, & ſpes potiſſima in Deo. Adhibendus victus etiam pertenuis. Adeo illud verum animadverto, quod olim à Celſo proditum; multi magni morbi curantur abſtinentia & quiete. Id imprimis obſervandum iis video, quibus deſidendum eſt jugiter domi, quanquam minime ſunt deſides in ſtudiorum opere verſando. Quod ad Janſenii Iprenſis propoſitiones ab Innocentio X. Papa Romano damnatas, ex de verbo ad verbum deſcriptæ cum ſuis anathematiſmis ſic habent:

Janſenii ad Innocentium X damnati.

De ſententia Auguſtini.

Primam prædictarum propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deëſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant; temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam declaramus. „

Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur; hæreticam declaramus & uti talem damnamus. „

Tertiam: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus & uti talem damnamus. „

Quartam: Semipelagiani admittebant præ- „

E.602. „ venientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſin-
„ gulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc
„ erant hæretici quod vellent illam gratiam ta-
„ lem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere
„ vel obtemperare; falſam & hæreticam decla-
„ ramus, & uti talem damnamus.

„ Quintam: Semipelagianum eſt dicere Chri-
„ ſtum pro omnibus omnino hominibus mor-
„ tuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe; falſam, te-
„ merariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſen-
„ ſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſti-
„ natorum mortuus ſit; impiam, blaſphemam,
„ contumelioſam, divinæ pietati derogantem,
„ & hæreticam declaramus, & uti talem damna-
„ mus.

De triplici illo, cujus mentionem feci, diſcrimine agam tecum, præſenti præſens ubi adfuero, quia mihi iſtic aliqua in parte ſcrupulus obhæret. Interim ſummopere dolendum eſt, quod homines Pontificii, qui ſæpius à Scriptura deviant, cum nimium Traditionibus tribuunt, in rebus divinis magis ſapiant interdum, quam Reformati noſtri, qui tamen ſolam Scripturam fidei noſtræ normam agnoſcunt. Quid clarius quam Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum? quid in ſacris literis frequentius expoſitum? Hoc tamen hi noſtri elevant ſub velamine frivolæ diſtinctionis. Sed bene habet, quod nunc in Gallia viri præſtantes meliorem ſententiam edocti palam profiteantur Deum velle omnes omnino homines ſalvos fieri, & Chriſtum ſanguinem fudiſſe pro omnibus excepto nemine. Soles tu quidem hac in re à me diſſentire in familiaribus colloquiis, cum contendis nihil ex iſta diſceptatione nos pro veritate lucrari, ſiquidem illi Cameronis diſcipuli in aliis primariis controverſiarum capitibus à nobis palam diſcrepant, de abſolute prædeſtinatorum fixo numero, de gratia irreſiſtibili, de infantibus ad orcum, &c. quod fateor ac doleo. Sed tamen poſtremum hoc videntur aſſerere dubitanter, neque id adeo quia verum eſſe credunt, quam quia ductus aliorum dogmatum hoc poſtulat: quæ tamen ipſa dogmata, ut ſpero, propter hanc cauſam deſerent aliquando, quia tam aſpera inde conſectaria promanant. Saltem gradus eſt factus ad veritatem propius intuendam. Mihi id ſatis impræſens videtur primo, quod omnia loca, quibus pro gratia univerſali militamus, in noſtram ſententiam accuratiſſime exponant. Præterea quod in digerendis Dei decretis eundem ferme ordinem ſequantur, quem Noſtri amplexi fuerunt. Tum etiam illud non negligendum, quod adverſarii ipſorum Reformati palam contendant urgeantque, eos, ſi conſentanee ſibi ſentire ac ſcribere velint, nobis in aliis etiam controverſis dogmatibus aſſentiri debere. Poſtremo ſi minus alia conſequamur, hoc ſaltem obtinebimus, in his atque ſimilibus diſcrepantibus ſententiarum locorumque S. Scripturæ expoſitionibus tolerantiam mutuam exercendam. Immo, ſiquid augurari liceat, dabit Chriſtus dux Ep.603.
pacis, ut adverſarii noſtri, poſtquam Gallos illos eruditos viros in communione ferre ſatis diu didicerint, nobis pacem expoſcentibus eandem aliquando animi æquitatem exhibeant. Valebis mi frater, ſummopere Deo commendatus. Hornæ. XIV kal. Octob. 1655.

EPISTOLA III.

CHRISTIANO HARTSOEKERO

ARNOLDUS POELENBURG

S. P. D.

Gondam.

De vocatione Gondami. Difficultates ſolvuntur variis in hiſtoria reformationis Chriſti. De Sadducæis. Nova ex Gallia & Anglia.

ITa ſe res habet, ut opinaris. Jam adfuerunt mihi Johannes Adriani Junius Exſcabinus & Jacobus Triſtius, Eccleſiæ veſtræ ſeniores, qui me, ut iſtic obeundum miniſterii munus ſuſciperem, obnixe invitarunt. Fateor eas, quas adſcribis rationes, cur amplectenda ſit provincia, haud eſſe leves, quia eſt Eccleſia frequens, pacata, florens, quia cincta eſt doctis undique primariarum Eccleſiarum paſtoribus, quia ſummus in me hominum favor, & omnium conſenſu ad me delata provincia, & D. Ouwenius collega pacificus. Verum, ſi rem ex alia parte conſideres, obſtant cauſæ, quæ gravius habere pondus forſan tuo etiam judicio videbuntur. Omnia ferme, quæ iſtic laudas, hic quoque laudanda. Frequentia, pax, flos juventutis feliciter in Eccleſiæ augmentum ſuccreſcens, ſpes etiam ex diverſa interdum ſecta lucrum faciendi, nobis non deſunt. Auditores rudes forte magis, ſed tales, in quibus paucis etiamnum relideat antiqua Batavorum ſimplicitas. De favore nihil dicere queo amplius, niſi quod cum duobus collegis conjunctiſſimis omnes in me retinendo ardenter conſpirent, idque in civitate patria, quod vix paucis unquam contigit. Vereor, ne hæc mea ſit nimia felicitas, cum, ut dici aſſolet, memorante id etiam atque exprobrante popularibus ſuis Servatore noſtro, non ſit inhonoratus Propheta niſi in patria ſua ac domo. Fratres, patruus, avunculus, materteræ omnes pari affectu hortantur, ne Eccleſiam patriam & avitam derelinquam. Enimvero non mediocriter afficior, cum recordor, proavum meum Cornelium Wiggeri, poſtquam, ne ab aliis abdicaretur propter naſcentem tunc Prædeſtinationis controverſiam, ſeipſum abdicare coactus eſſet, prima fundamenta poſuiſſe hujus Eccleſiæ, in qua non pauci etiam vivunt, qui ab ipſo ſacrum baptiſmatis ſignaculum acceperunt. Delectarent iſtic atque etiam prodeſſent colloquia circumjacentium collegarum, ſed ea neque hic deſunt, & interdum ſunt amici temporis fures, ut noſti. Tuum conſortium me moveret imprimis, ſed hoc incommodum, ita uti hactenus factum eſt, literarum frequentia compenſabitur, quibus

Ep.603. bus complecti poterimus rerum haud inutilium tractationem. Si quid opis ibi possem rei communi afferre, quod hic non datur, diutius deliberandum censerem: nunc quia omnia ferme sunt paria, non video, cur sine causa quæram mutationem. Reliquum est, ut id, quod voluisti, pertexam de quibusdam difficultatibus, quæ incidunt circa Dominicam resurrectionem. Collegæ mei pater ἀντωνόμαστος D. Liesselius, quia apud Matthæum *cap.* XII. 39. Dominus asserit, sicut Jonas in ventre ceti fuit tres dies & tres noctes, ita futurum filium hominis in corde terræ tres dies & tres noctes: & quia alioqui satisfacere tibi non poterat, & quia metuebat ne Judæis vitilitigandi occasio præberetur, existimabat, relicta via trita & vulgari, omnino statuendum esse, quod Christus die Jovis circa vesperam sepultus, die autem sabbati ante lucem ex mortuis reductus fuisset: Sic enim liquido patere, quomodo Christus per tria νυχθήμερα latuisset in sepulchro. Sed huic opinioni non potui hactenus assentiri. Nam ne dicam ab antiquissimis temporibus ubique diversam obtinuisse sententiam, variæ rationes & evidentes communem sententiam comprobant. Nam ex Luca patet Christum non eo qui Jovis nostro respondet die, sed Veneris, qui proxime Sabbathum antecessit, sepultum fuisse. Dies enim erat παρασκευή, qui est ante Sabbathum proximus. Syrus etiam interpres, cujus est perantiqua autoritas, vocem vertit per ערובתא vesperam, quæ semper eum notat diem quem sequitur festum. Addit mox Lucas, ne quis suspicari possit diem alium intercessisse medium inter sepulturam & Sabbathum, *& sabbatum succedebat*, ut habet Beza, vel, ut Vulgatus, *illucescebat*, ἐπιφώσκει. Ac, ne qua sit dubitatio, Marcus eum diem προσάββατον vocat. Ad has rationes, quas aliquando Warmondæ cum Syriaca addiscerem perscripseram, respondit D. Liesselius P. M. tunc duo Sabbatha concurrisse, ex his priorem fuisse Paschatis diem, promebatque aliquot loca ex libris Mosis, ubi Sabbathum de Paschate aut alio quovis die festo usurpatur. Id verum esse non nego. Sed obstat, quod omnes pariter Euangelistæ unius tantum Sabbathi meminerunt: & apud Lucam, cum causa redditur, *cap.* XXIII. 56. cur emptis aromatibus non statim mulieres ad ungendum corpus accesserint, isto, qui diem παρασκευὴν sequebatur, Sabbatho quietcendum fuisse secundum legem videmus. Melius igitur fuerit in vetustiore sententia persistere, præsertim cum haud difficile sit hunc lapidem sepulchralem dimovere, ne Christi resurrectionem aut resurrectionis conspectum impediat. Atque adeo dimovit hanc difficultatem jam ipse Angelus aut Angeli, cum mulieribus suggerunt monuisse Christum, fore ut *tertio die* resurgeret, *Luc.* XXIV. 7. Si vero Christus die Jovis tribus ante noctem ad minimum horis mortuus sit & resuscitatus cum diluculo diei Sabbathi, quod Marcus innuit *cap.* XVI. 9. non multum aberit, quin per quatriduum in morte detentus fuerit: Certe non tertio Christum, sed melius quarto die resurrexisse statuendum est. At ubique tertio die resuscitatus esse dicitur. Verum est Christum apud Marcum prædicere *cap.* VIII. 31. σὺν τοῖς ἡμέραις post tres dies resuscitandum. Sed responderunt jam alii, vocem σὺν interdum per *intra* vertendam, eamque significationem apud alios scriptores reperiri sæpius usurpatam, cum de temporis aliquo spatio circumscribendo agitur: sic scripsisse Euripidem σὺν ἡμέρᾳ, quod *interdiu*; sic Lucianum σὺν βίῳ, quod *tempore vitæ*; sic Homerum Odyss. ζ. σὺν δείπνῳ, quod *inter prandendum* interpretamur. Certe nihil usu publico receptum magis, quam post octiduum dicere, cum tamen septimanæ spatium nec quicquam amplius intelligamus. Sic febris appellatur quartana, quæ post triduum recurrit. Exempla similia libri sacri suppeditant, *Deut.* XIV. 28. σὺν τῷ ἔτει τρίτῳ, id est, anno tertio, quia alibi, ubi eadem de re sermo, scriptum ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ. *Deut.* XXVI. 12. Quid quod de ipsa Christi resurrectione cum agitur, σὺν pro ἐν poni manifestum fit ex locis collatis: Non modo quia ubi Marcus dicit σὺν τοῖς ἡμέραις ἀναστῆναι, *cap.* VIII. 31. Matthæus posuit, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. *cap.* XVI. 21. sed & ipsi sacerdotes ac Pharisæi, cum Pilato dixissent dixisse Christum, se resurgere σὺν τοῖς ἡμέραις, mox rogant, jubeat sepulchrum muniri ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, *Matt.* XXVII. 63, 64. Quin Christus ipse optimus suæ mentis interpres dicit apud *Joh. cap.* II. 19. ἐν τρισὶν ἡμέραις. Quid amplius ad hujus rei elucidationem requirimus? Quare cum verba σὺν τοῖς ἡμέραις non secundum proprietatem urgenda sint, oportet eandem etiam adhibere æquitatem interpretationis, cum Christus ait se, sicut Jonam, tribus diebus ac noctibus in corde terræ sive in sepulchro mansurum. Nam tres dies ac noctes sunt tria νυχθήμερα, quorum singulorum quia pars aliqua fluxit, dum in monumento abditus hæsit, per istud ibi spatium dicitur commoratus. Qui loquendi modus oritur ex penuria vocum, maxime compositarum, quarum perparca atque indiga est lingua Hebraica, nisi in propriis nominibus. Hac igitur ratione nos nobis abunde satisfacere posse arbitror. Nec habent quod merito offendantur Judæi: quandoquidem ipsi sæpe seculi vel anni rotundandi causa annos aliquos aut dies in Scriptura Vet. Testamenti additos esse aut detractos deprehendere possunt, si velint. Quid enim? cum Deus sex spatio dierum mundum hunc condidit, num per integrum diem semper eum credunt esse operatum præcise ad solis usque occasum, ita ut solent operarii? An non magis probabile putant Deum opus primi diei unico, rursum & secundi unico momento, ac sic deinceps aliqua sequentium dierum particula perfecisse alia?

Ep.603. alia? Certe Judæi nonnulli, inter quos etiam Maimonides, eousque progressi sunt, ut unico momento omnia Deum confecisse statuerent. Num Adamum ɔ cccexxx annos, num Seth ɔ ccccxii, num Enos ɔ cccev, num Kenan ɔ ccccx annos exactos impleviſſe putant? Tum ipsorum Judæorum sententia est diem legalem non computari à tempore ad tempus. Itaque circumcisionem octavo die illico post solis exortum suscipi ab infantibus curant, etiamsi primi diei vix horam attigerint. Res etiam claret ex *Gen.* XL. 19. ubi, cum Joseph principi pistorum prædixisset futurum, ut capitis pœnam subiret post triduum, ἐν τρισὶν ἡμέραις, legimus id tertio die complementum habuisse ביום השלישי. Et *Hosea cap.* VI. 2. *Vivificabit nos a biduo, die tertio nos exsuscitabit, & vivemus coram eo.* Ubi eadem fere res à biduo & die tertio facienda dicitur. Hoc autem vaticinium, tametsi propius liberationem ex captivitate Babylonica designet, tamen sensu remotiori ac mystico ad fidelium resurrectionem & imprimis ad Christum resurrectionis caput à multis refertur.

De Thoma Apostolo existimas non certo constare, quod signa lateris manuumque Christi tactu pertentaverit. Quid enim, inquis, si obstupefactus visu confestim acquieverit atque credidierit, exclamans, *Deus mi, Deus mi?* Neque usquam aperte dicitur, quod Christi vulnera contrectando exploraverit. Fateor hanc rem minus explicatam dari, præsertim cum Dominus ipsum tetigisse non dicat, sed vidisse, *Vidisti Thoma & credidisti.* Verumtamen malim eo propendere, quod Dominum contactu palpaverint non solum Thomas, sed etiam reliqui Apostoli, quia adeo in fide, etiam cum vidissent Dominum, vacillabant, ut ad sui contactum atque ad cibum sibi porrigendum eos invitare necesse habuerit, *Luc.* XXIV. 39, 40, 41. Huc insignite referantur Johannis Apost. verba, 1 *Epist.* I. 1. *Quod vidimus & manus nostræ contrectarunt de verbo vitæ, annunciamus*, &c. quæ licet dicta de tempore anteriore etiam possint videri; nihil vetat, immo ratio postulat, ut ad posterius quoque tempus hoc extendatur quod resurrectionem subsecutum est, quia tunc tangendi corporis Christi erat non modo usus, sed prope necessitas. Certe de mulieribus, quæ omnium primæ sepulchrum invisérunt Christumque viderunt, dubitari non potest, quin Christum contrectaverint, cum diserte commemorent Euangelistæ, quod pedes ejus amplexu venerantes tenuerint, *Mat.* XXVIII. 9.

Postremo gravem ex eo moves difficultatem, quod Apostoli, quia Christum ex morte redivivum viderunt, audiverunt, contrectarunt, inde argumentum ducant ad comprobandam resurrectionis Dominicæ veritatem. Addis Christum ipsum affirmare se non spiritum esse, quia carnem & ossa non habet; cum tamen ea videatur infirma probatio, quando-

quidem Angeli etiam, qui haud dubie sunt spiritus, sub Vet. Test. conspecti fuerunt ab Abrahamo, Lotho, aliis; immo etiam contrectati ac loti, immo cum iisdem cibum ac potum sumpserunt. Itaque ex his fundamentis fides non satis stabiliri, sed ad indubitatæ persuasionis plenitudinem majus quiddam requiri videtur. Respondeo autem vocem πνεῦμα attribui nunc Angelis bonis, nunc dæmonibus, nunc animabus nostris, nunc spectris in aëre per dæmonem aliquem excitatis. Probabile est autem ipsos existimasse, quod spectrum oculis obversaretur, indeque perterrefactos fuisse, quod jam ante etiam evenerat, cum Christum antea vivum aquis inambulantem vidissent. Putabant enim se φάντασμα videre, *Matt.* XIV. 16. De mortuis certe in eam cogitationem homines valde proclives. Quare cum Dominus affirmat spiritum ossibus & carne destitui, id de Angelis intelligendum nulla necessitate colligitur. De Angelis autem, ecquid corporeum habuerint, paulo post explicatius dicendum. Itaque non necesse Christus habuit huic de Angeli quasi oblata apparitione opinioni occurrere, aut eam revellere ex discipulorum animis, cum ejus in mentem ipsis non videatur venisse. Non postulabant aliud, nisi ut coram videre ipsum, vocem exaudire, corpus tangere, vulnera inspicere liceret: nec excogitare poterant quippiam, quod ad plenissimæ πληροφορίαν immotam firmitudinem amplius requirerent: quandoquidem ex hisce argumentis, congruenti omnium sensuum, qui sunt vel corporis vel animi, testimonio constabat, non esse id, quod viderant, spectrum evanidum, quod tenues evanescit in auras, sed corpus verum ac stabile, nec verum tantummodo, sed Christi, immo illud ipsum Christi, quod in cruce suspensum, vulneratum, mortique datum, lancea confossum, denique in sepulchrum delatum sciebant. Quilquamne nostrum, quæso, adeo præfractus esset, aut esse posset, ut, si talis visio palpanda nobis aliquoties obveniret, rem tam multiplici atque conspicua ratione firmatam auderet in dubium revocare? nemo sane. Attamen, inquies, scioli quidam obluctabuntur, quia de Angelis similia visa narrantur. Non deest ratio hos etiam, si molesti sunt magis, ulterius repellendi. Nam Angelus ille si fuisset, aut bonus fuisset, aut malus. Non bonus, quia non est credibile, Deum permissurum fuisse, ut tamdiu viros pios atque eximios numinis sui cultores in perniciem totius humani generis versutia Diabolica deluderet. Ac mitto hoc, quod tamen permagnum est: illud vero quis credat, Deum, cujus via est veritas & judicium, hunc improbum dæmonem, postquam turpissime de Deo, quod Christum resuscitaverat, mentitus fuisset, præmii loco cumulaturum beneficio inaudito, ut in cœlos ipsum subveheret, & ad dextram Majestatis suæ in throno gloriæ collocaret? quod revera in Chri-

sto

Ep.603. sto factum esse viderunt Apostoli, testati sunt Angeli, effusa Spiritus sancti munera irrefragabili argumento docuerunt. Docuerunt hoc, inquam, prodigia, & linguarum dona, & sanctitatis præcepta, quæ orbem universum exinde pervaserunt & in Christi fidem obedientiamque compulerunt.

De Sadducæis quod annectis, habet aliquid obscuritatis; nec satis certum, ipsos recepta Mosis tantum lege reliquorum Prophetarum scripta repudiatle. Videtur ea opinio, quantum indagare licet, ex duabus fluxisse probationibus, haud probabilibus tamen. Prior ex eo orta, quia Josephus Antiq. lib. XIII. cap. XVIII. Pharisæos multa amplexos tradit, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωσέως νόμοις: unde colligunt, ea, quæ extra Mosis legem scripta legebantur, à Sadducæis fuisse rejecta. Sed parum id solidum, cum non alienum sit per Mosis legem simul prophetarum scripta comprehensa intelligi, quemadmodum omnia interdum, quæ ἀναγέγραπται הכתובים nuncupant Judæi, scripta uno Psalmorum libro designari videmus, à prima sectione, quæ eminet, appellatione desumpta, *Luc.* XXIV. 44. Hunc esse Josephi sensum arguunt, & præcedentia, quia illa, quæ Mosaicis legibus perscripta non exstant, explicans ait, νόμιμα γὰρ παρὰ τοῖς πατράσι. σώζεται τὰ δόγματα ἐν πολλῇ ἀκριβείᾳ (respicit igitur ad patrum traditiones, quibus ea, quæ non scripta sunt, etiam in Euangeliorum codicibus denotantur) & sequentia proxime, cum ex adverso de Sadducæis affirmat, quod statuant ἐκεῖνα δεῖν ἐγγράφως νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. Videsne, ut scripta quæ erant, vim legis obtinere voluerint, illa autem, quæ tantum Patrum traditione nitebantur, non servanda censuerint. Altera ratio, quia mortuos resuscitandos negaverunt, quod Lucas asserit, *Act.* XXIII. 8. cum tamen Prophetæ de resurrectione vaticinia ediderint, nihilo plus habet firmitudinis. Nam ne dicam, illa, quæ afferuntur, vaticinia secundum sensus literalis proprietatem accepta ad liberationem, qua Judæi ex dura servitii morte vel captivitatis vinculis eruebantur, à multis referri, quomodo ipsi etiam Pharisæi non pauca interpretantur; sequeretur hinc multo clarius, legem ipsis etiam abnegandam fuisse, quandoquidem inibi expressa fit mentio Angelorum, quos existere isti negabant. Sed hoc ipsum te torquet, quod, cum legem reciperent, Angelos tamen, quos in lege Moses commemorat, recipere noluerint. Nec tibi sufficit responsio, qua statuunt secundum veteres Judæos ex Justino Martyre nonnulli, eos fuisse inseparabiles Dei virtutes, quas ex se pro lubitu vel dimittit vel ad se retrahit, retractas autem non existere alibi nec reperiri. Sane vero habet id difficultatem, cum neque Josephus diligens harum rerum observator istiusmodi quippiam commemoret, neque ullo modo appareat, qua ratione aut per quam speciem rationis Angelos esse Dei virtutes Sadducæi crediderint. Quid igitur, si statuamus, illos, ut erant crassi satis, opinatos fuisse, quod Angeli non citra corporis subsistentiam aut mixtionem exstiterint, neque exstare potuerint. Cui errori fulcrum fortasse in speciem non defuerunt. Primo enim haud temere locum in veteri Test. reperias, unde valide adversantem convincere queas, quod Angeli boni sint spirituali natura præditi. Loci præcipui, qui adduci solet ex *Psal.* CIV. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus*, si circumstantias spectes, per spiritus ibi haud absurde ventos intelligas: quo pacto expositi ille, qui ordinatissimum istud concordantiarum Latinarum opus confecit, editum apud Wecheli hæredes. Dixerat enim Psaltes paulo ante, *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Non negandum tamen, quin Angelis mystice accommodari possit propter autoritatem S. Scriptoris ad Hebræos: quo retulerunt etiam Judæi non tantum antiquiores Interpretes Alexandrini, sed etiam alii posterioris ævi, inter quos in capitulis R. Eliezer. Præterea Sadducæi ansam errandi ex eo trahere potuerunt, quia legerant in lege, Angelos corporibus hominum indutos sanctis viris apparuisse, & cum iisdem cibo corporeo usos fuisse. Alimenta igitur, quemadmodum naturam corruptioni obnoxiam videntur arguere, ita illis Angelos esse mortales persuaserint. Sic animas quoque hominum non crediderunt à corpore sejunctas posse persistere aut operari, quod ex Josephi aliorumque priscis monumentis est manifestum. Quid mirum igitur, si idem hoc de Angelis sibi persuasum voluerint? Accedat his denique Lucæ autoritas, *Act.* XXIII. 6. ubi asserit Sadducæos negare, quod neque sit resurrectio, nec Angelus, nec spiritus; ubi spiritum plerique animam exponunt. Tria autem cum negari dixisset Lucas, mox ad duas partes omnia revocat, cum subjicit, Pharisæi vero confitentur utrumque. Unde colligere datur, Sadducæos negasse aut Angelos esse spiritus sive spirituales, ut subsit figura ἓν διὰ δοῖν (*unum per duo*) (sic homo ex aqua & spiritu renasci debet, *Joh.* III. 5. id est, ex aqua spirituali vel ex spiritu aqueo) aut voluisse ipsos eandem Angelorum & animarum nostrarum esse rationem, neque illos magis quam hasce, si corpore exuantur, posse subsistere, ideoque pariter esse mortales. Alioqui enim non liquet, quomodo apte illa duo antea commemorata in unum deinde conjungantur. Velim, ut hanc sententiam exactiori adhibito examine perpendas. Hac occasione adjungam pauca de Judæorum sententia, quam illi à Cabalistis ibi traditam acceperunt. Homini præter unam corpoream, alteram spiritualem partem, etiam tertiam aliquam substantiam addunt, (נפש vocant) quæ mediam naturam inter utramque sortita est: sine qua homo existere nequit, eaque post mor-

Quæ non erant scripta in legibus Mosaicis.

A S. Sancto scripta.

Multa instituta populo tradiderunt Pharisæi ex Patrum successione.

Illa pro legalibus ducenda, quæ scripta sunt: quæ autem ex Patrum traditione sunt, non servanda.

Ep.603. mortem manet ſuperſtes, videndamque ſe interdum præbet. Huc torquent verba *Pſal.* XXXIX. 7. ubi David, poſtquam vitam palmis quaſi circumſcriptam brevem dixiſſet, ſubjungit אך־בצלם יתהלך־איש *veruntamen in imagine ambulabit homo.* Similiter Angelis ſinguiis, quos ſpirituales credunt, ſuum adjungunt צלם *ſimulachrum* aut *ſpectrum* potius, quod tunc conſpiciendum ſe præbet, cum Angeli hominibus tanquam corporei apparent. Cum autem ſtatuant hæc צלמים ſimulachra cibum potumque non ſumere, multum ſudant, quomodo de Angelis Abrahamo viſis dicat Scriptura ויאכלו *& comederunt.* Itaque alii putant ipſos comedentium quaſi quandam ſpeciem excitaſſe in oculis Abrahami, alii ויאכלו exponunt *abſumpſerunt*, vel *abolevérunt.* Reliqua, quæ a me perfici voluiſti, præſtabo diligenter. Salutabis officioſe D. Ouwenium, quem, quod mihi non adfuerit, exculatum habeo, quia erat ad Synodum deputatus. Duobus etiam illis venerandis viris reliquiſque fratribus plurimam meo nomine dices ſalutem. Priuſquam hanc obligno, perquam triſtis nuncius affertur è Gallia, Reformatos ibi exturbari è templis, templa ipſa multis in locis dirui. Doleo intime ipſorum vicem, ut decet membra, à ſe licet divulſa, mutuo συμπαθείας (*compaſſionis*) affectu tangi. Nam ut ii, quibus brachium aut manus poſt diuturnum dolorem reſecta eſt, tamen & membrum illud adhæreſcere, & doloris ſenſu torqueri etiam poſt divulſionem factam ſibi imaginantur: ita, quia diu illæ Eccleſiæ nobis, nos illis adhæſimus tanquam unius capitis ac corporis membra myſtica, non poſſumus non graviter ingemiſcere ipſorum malis, quibus præter meritum affliguntur. Indolere debemus eo magis, quia non ſententia longe disjuncti ſumus, animo certe & affectu conjuncti, quia major ibi viget nunc moderatio, quam in hiſce regionibus, ubi pacem qui turbant, quia ſunt multi & feroces, facile exercent dominium in conſervos. Afflictio hæc fortaſſe Gallos efficiet magis etiam moderatos; quod noſtris quidem evenit Theologis, qui, quamvis antea quoque pacis conſilia ſuggeſſerint aliis, tamen poſtquam ipſi dura pertuliſſent multa, tunc demum vere didicerunt, quanta nos & quam multa in diſſentientibus fratribus ferre oporteret. Nobis ſi pacem illi procurent, plus etiam haud dubie proficient apud Lutheranos. Nunciatur ex Anglia, Parlamentum novitio Protectori hoc inter alia poſtulata propoſuiſſe, ut exoticarum aliarum Proteſtantium Eccleſiarum cum Anglicana ſua conjunctionem meditari velit. Illene religionis diſſidia componeret, homo religionis expers? faceret hoc, credo, atque etiam perficeret, ſi non ſtudio pietatis, charitatis, manſuetudinis & piis precibus, ſed gladio armiſque carnalis militiæ, in quibus nimium eſt felix improbitas, hoc negotium eſſet adminiſtrandum. Nunc vero, dum iſte dabitur religionis protector pacifque promotor, vota ibi faciemus pro Eccleſiæ concordia, ſed in caſſum & inania, qualia jam ante nos alii ediderunt complura. Vale mi frater. Dabæ Hornæ. 1657. die XV Auguſti. Ep.104.

EPIC IV.

ABRAHAMO HEYDANO

Theologiæ Profeſſori, S. & O.

JOANNES NÆRANUS.

ORator adſum, vir excellentiſſime, quis qualiſque ſi quæris, vereor ut id tam facile intelligas, quam ego dicam. Obſcurus nempe ſum homuncio, profeſſionis vulgo exoſæ, ſed tamen frater, animi certe affectu, ac niſi toto aberramus cœlo, etiam vinculo ſanguinis ſacratiſſimi, & fidei ſalutaris, qua communem Deum, & communem Servatorem veneramur, religione ſane & cultu non tam diverſo, ut ea propter nos invicem diviſos, averſoſque & inviſos agere fas ſit. Te vero, repullulante paſſim barbarie, nominatim ſuſpicio, ut unicum, & prope ultimum inter Belgas Sacri ordinis lumen; haud paulo candidior ſtudiorum ac laborum tuorum æſtimator, quam fratres quidam, propiore quidem nexu tibi conjuncti, ſed cerebroſi, inclementes, inquieti, & ſucco temulentiariæ loligiris, quales producit nobis ſchola Bruni & novi zelotiſmi. Ego adverſa fronte his oppoſitus, in vicino vico miniſtrum ago apud Remonſtrantes: quod apud illos fateri Rhadamanthos, eſſet repulſam petere & contumeliam, in cauſa vel juſtiſſima & honeſtiſſima. De tua, longe ſanctius affecti, æquitate, non ſpero tantum, ſed promitto & mihi meliora: ita tamen, ut in cauſa quam acturus venio, neque mihi, neque illi promittam quicquam; qui cum patria ſua Polonia, miſerandum in modum inauditis cladibus afflicta, ad extremas anguſtias redactus, exul, inops; ubi in me, ejus ſortis ac quæſtus homine, qui interdum literis, perraro nummis abundant, imo vitam vix tolerant ſuam Theologicam, parum appareret præſidii; ut quod re præſenti non dabatur, id præſtare anniterer conſilio ac commendatione, urgebat ac perſuadebat; haud efficacius ſane miſerabili orationis argumento, quam verecundo ac triſti ſilentio; quod ſemel atque iterum ad nos excurrens, per complures dies, quibus agebat domi noſtræ, vix ſolvit, ad exponendam adventus ſui cauſam, niſi provocatus. Eſt autem is adoleſcens nobilis, Sigiſmundus Zabausky, ſtudiis ſuis præfectum habet doctiſſimum juvenem Wendeſlaum Broſium. Avunculum ejus, Adamum Suchodolsky, genere ac opibus inſignem, familiariter notum mihi, legit ſibi generum,

Ep.604 nerum, magni nominis vir, Sbignæus Goragsky, non magis ſenatoria dignitate, quam laude prudentiæ illuſtris; in illo regno Euangelicæ rei, & avitæ libertatis, adverſus violentiam Papalem, acerrimus vindex; quem ante extremum patriæ diem, ne tantis malis ſupereſſet, Deus exemit turbis humanis. Eundem avunculum, immaturæ ætatis tutorem habet hic noſter; ſed qui, extinctis commerciis, obſeſſis viis, clauſo mari, in ultima denique rerum omnium perturbatione, penitus à nepote intercluſus, ne literario quidem ſolatio tranſitum videtur inveniſſe à Suecorum irruptione. Neque conſtat an ex multis ad eum ſcriptis, ulla epiſtola penetraverit, imo ne quidem, an vivat ille & valeat, perditæ an integræ ſint res ſuæ; quæ bello Coſacico attritæ, eo tamen loco hactenus fuere, ut poſſeſſorem, pro conditione ſua, facile ſuſtentarent. Quomodocunque vero res ſe habeant, fructus agrorum intercipere poſſunt hi tumultus bellici, agros non poſſunt, qui, pacato tandem regno, ad dominos redibunt ſuos, vectigal reddituri ſolitum. At interim edendum eſt, cum ventre inducias paciſci non datur, moroſo exactori dimenſi quotidiani. Nihil autem apud nos venditur ipe tam longinqua, è tam longinquo venientibus. Conſumto ære præſenti, undiquaque etiam fides laborat egentium, eoque magis, quo Polonia periculoſius. Ergo ad famem ventum eſt, aut mendicitatem, miſerrimum mortis ac vitæ genus. At mortem cum vita nunquam, miſeram vitam cum fortunata, ſæpe commutant mortales, imprimis bene nati. Itaque merito præfertur vita morti, mendicitas fami, ſed verecunda. Primum itur ad me, nimis facilem hactenus in officiis pecuniariis; poſtquam mercator ſpem venturam numerando exhibere recuſabat: ſed itur ad horreum inane; ad hominem minime abundantem, & damnis inſuper recentibus, ſumptibuſque improviſis expilatum. At facile etiam intelligebant, quod à me proficiſci poſſet, differendæ fami, non excludendæ fore. Adjuveram eos imperialibus quindecim, cum ante annum inopia laborarent, more gentis, plerumque apud exteros egenæ, ſæpius emacitate ſua, aut luxuria; ſæpiſſime ſuorum imperitia ac negligentia rei nummariæ. Eam pecuniam fideliter reddiderunt. At mutuum illud petebatur dabaturque in breve tempus; jam neque quod certo promittant habent, neque modicum ſatisfaciat jam obæratæ egeſtati. Circumſpicientibus quo tandem ſe verterent in tanta neceſſitate, tentatis fruſtra omnibus, quæ aliquam videbantur offerre ſpem, tua tandem ſingularis comitas ac humanitas occurrit, qua te interdum domi tuæ ſalutantes prolixe ornaſti, non citra teſtificationem benevolentiæ neutiquam vulgaris, ſicubi opera tua uti vellent. Ergo eam adoriri ſtatuunt, & tuam implorare opem, imprimis cum tantæ humanitati parem reſpondere fortunam, fama acceſſiſſent. Aperiunt mihi illud conſilium, ſed ego protinus illud improbare non una ratione; quod inhumanum ſit atque iniquum, virorum doctorum, tam frivolo titulo, onerare humanitatem, eorumque abuti velle amicis officiis, cum etiam locupletiſſimus non ſufficiat omnium explendæ egeſtati, qui confluunt ad noſtram academiam: id vero nullo colore à quoquam peti poſſit, quod petere non poteſt quivis, eodem loco conſtitutus; cuivis negari poteſt. Addebam, ſi de corrogando, plurium collatione, ſubſidio agerent cum D. Heydano, ut inſolens ſit poſtulatum, magis tamen verecundum, & utcunque probabile futurum: ſic me ſemel atque iterum aliis ſubveniſſe. Ejus conſilii, ut peropportuni, illico ſtatuebat aleam tentare: at ſimul inſtabat, ut qui author ejus eſſem, ejuſdem apud te promotor eſſe non gravarer; neque profuit, quod ignotus prorſus atque alienus cum eſſem; negotium, ut noſtri ajunt, ſcabioſum, ſine nota cujuſdam impudentiæ ac temeritatis non eſſet occupare. Sic extorſit, ut operam qualemcunque meam, & abeunti epiſtolam pollicerer, cunctantem deinde per literas datæ fidei admonuit. Eam vides ut hic liberem, ſimulque quid contendam tot ambagibus. Veruntamen nihil præſcribo, nihil flagito; petimus non exigimus beneficium, & per te, non à te id expectamus in homines extorres, & communibus ſacris tibi conjunctos. Petimus denique mutuum, non donum. Deſæviet tandem tempeſtas illa hyperborea, reſtituta pace, reſtituentur ſingulis ſua, & his facultas reddendi cuique ſuum, qui opem tulerit laborantibus. Illi ſe chirographo obſtringent, ego me ad flagitandum apud tutorem ejus debitum. Familiaris meus eſt mercator qui eorum pecunias procurat, mihi facile eſt apud eum præſtare, ut ſimulac novum argentum pervenerit, ex eo creditoribus eorum ſatisfiat. Iſta polliceor omnia, non tamen ſpondeo. Poteſt illis ſuccurri forſan ſine diſpendio, non poteſt ſine periculo. Mutuum quidem petitur, ſed Euangelicum: quod reddere, qui petunt, valebunt, ubi patriam iis Deus reddiderit, hoc tempore ludibrium barbarorum, & prædam crudelium Suecorum. Hinc diſcrimen partimur in plures, & ego, ne tuaſor ſim aſymbolus, ejus etiam particulam recipio in me. Conferam quatuor Philippicos, ſupra duodenos, quos alii ejus contemporaneo, pariter fortunato numeravi. Et præter hos, alius ex ea gente, debet nobis imperiales quinquaginta ab aliquot jam annis. Vix ullum tempus, quo non aliqua pecuniolæ noſtræ portio hæreat inter Polonos, frequenter non ſine incommodo: neque invenit rationem mea facilitas, onus moleſtum amoliendi. Quod jam minatur tibi, à me profectum eſt, ut premat mitius. Inopes conſilii, ultimæ neceſſitatis telum rejecit in te. Ut vero indigenti inutilis verecundia, ita etiam agenti ejus cauſam. Hanc, quod Ep.604

Ep.605. potius ſuſceperim in gratiam miſerorum, quam deſtituerim in tuam; quin accepturus ſis in bonam partem, nolo dubitare, ne de tua æquitate dubitare videar; de qua tam magnifice ſentio, ut, quod ſine ſcrupulo auſus non ſum, ac deprecatione offenſæ; idipſum ad amicitiam tuam aditum mihi poſſe ſtruere confidam: qua, & ſi probe conſcius meæ paupertatis, dignum tamen me cenſeo hoc uno nomine, quod digno cultu venerari calleo magnos viros, & in his jam olim, primi nominis gradum, palam tibi defero, non alio authore quam temetipſo; ubi te ſpectandum præbes in luce media, parte tui meliore. Etſi officii mei eſt, ita ſentire, eo animo te perſequi; hinc tamen gratiam mihi apud te nonnullam vendico, quia & hoc aliquid eſt, officii ſui habere rationem, cujus, pervulgata jam odia & jurgia, pene nomen etiam perſcribunt. Me Servator meus docuit peſtes illas ac faces furiales cum horrore deteſtari, odiſſe neminem, diligere etiam odio dignos, haud laudare tamen: ſocios vero ſimpliciter amare, adeoque etiam te; quem doctum & ſapientem eſſe ſcio, bonum eſſe virum concludo; quia malis diſplices, & tantum ſua amantibus. Deus Opt. Max. vir excellentiſſime, talem te ſervet diu incolumem. Ignoſce verboſitati pene affectatæ, ſed quæ tantum abeſt ab aſſentatione, quantum ego à cauſa, qui id unum capto, ut grata tibi ac jucunda ſit obſervantia jam pridem,

Tui

J. NÆRANI.

Apud Veteramnates, XVI Kal. Febr.
CIↃ IↃC LVI.

IↃC V.

STEPHANUS CURCELLÆUS SAMUELI SORBERIO S.P.

MOnſieur mon Couſin, Je croyois apprendre par la premiere lettre que vous m'eſcririés à voſtre retour de Rome, que le Pape vous auroit pourveu de quelque riche Benefice, qui, en vous triant de la neceſſité, vous donnaſt le loiſir d'employer voſtre ſavoir exquis à l'illuſtration des belles lettres. Mais au lieu de m'entretenir des particularités de ce voyage, & de m'eſcrire combien il avoit ſervi à meliorer voſtre fortune, vous vous eſtes contenté de me dire en termes generaux, que vous l'aviés fait heureuſement. Et m'avés envoyé deux petits imprimés de voſtre façon; deſquels l'un, qui eſt Latin, s'addreſſe au Pape, à qui apres avoir donné toutes les louanges dont voſtre docte & eloquente plume s'eſt peu adviſer, vous expoſés l'eſtat de vos affaires & offrés voſtre ſervice, le ſuppliant de vouloir deployer envers vous ſa munificence. Dans l'autre, eſcrit en François, vous reſpondés à un Proteſtant, qui s'eſtoit perſuadé que le voyage que vous avés fait à Rome, pourroit ſervir à vous ouvrir les yeux, & vous faire rentrer dans le bon chemin que vous avés quitté; & lui racontés combien vous avés eſté edifié de la grande ſainteté du Pape & de ſa Cour. Je vous en remercie bien humblement, & quoi que la matiere de ces eſcrits ne me plût gueres, je n'ai pas laiſſé de les lire avec un ſingulier contentement, à cauſe de la politeſſe de voſtre ſtile, qui charmoit mon eſprit. Mais vous deviés adjouſter quel effet avoit eu le Latin, afin que je reconnuſſe par là combien ce nouveau Pape ſurmonte en vertu pluſieurs de ſes devanciers, qui ſe ſont joüés des biens de l'Egliſe, & au lieu de les donner à des perſonnes de merite, en ont fait la recompenſe des miniſtres de leurs voluptés. Je voi bien que c'eſt. Vous eſtes d'un naturel genereux, & avés eu honte de me decouvrir que voſtre eſperance vous avoit deceu, aimant mieux que je le recueillisſe de voſtre ſilence, que m'en faire des plaintes inutiles. Je ne veux point pourtant concevoir une ſiniſtre opinion de la bonté de ce Pape, ni vous accuſer de flatterie en ce que vous l'avés tant exalté, comme ſi voſtre plume avoit trahi les ſentimens de voſtre ame. Vous avés ſeulement parlé de ce qui vous paroiſſoit au dehors, n'eſtant point obligé à penetrer plus avant. Et lui ne vous a pas bien connu, pour vous traiter ſelon que vous en eſtes digne. Ce qu'il ne faut imputer qu'à voſtre malheur, & au defaut de fideles amis qui vous ayent recommandé avec la chaleur & affection qu'il falloit. Ep.605.

Je ne ſuis point de ces Proteſtans paſſionnés, qui penſent que l'on manque de zele à la religion ſi on ne vomit force injures à l'encontre des Papes, comme s'ils eſtoient tous des gens vicieux, & ſans conſcience ni crainte de Dieu, au moins ceux qui ont occupé le ſiege depuis ſept ou huit cens ans en ça. J'ai un ſentiment plus moderé d'eux, & de leur conduite. Je ſai qu'il faut faire diſtinction entre les bons & les mauvais Papes, & entre les crimes & les infirmités humaines. Et je tien pour tout certain que Dieu n'a point tellement abandonné ſon Egliſe, qu'il ait permis qu'une ſi longue eſpace de temps elle ne fut gouvernée que par des meſchans & profanes. Je veux donc croire qu'Alexandre VII a merité une bonne partie des eloges que la voix publique lui donne. Les Courantes d'Amſterdam, qui n'ont pas accouſtumé de celebrer les louanges des Papes, comme les Gazettes de Paris font ſouvent, nous ont dit tant de bien de lui, qu'il ne ſe peut faire qu'il n'en ſoit quelque choſe. Elles ont meſme rendu teſmoignage qu'il avoit improuvé les cruautés exercées depuis peu ſur ces povres Vaudois des vallées de Piedmont, diſant que ce n'eſtoit point la procedure qu'il fal-

Ep.605. falloit tenir pour ramener les devoyés dans le giron de l'Egliſe. Avec quoi s'accorde fort bien ce que vous racontés en voſtre reſponſe ſuſmentionée à un Proteſtant, du gracieux accueil qu'il a fait à quelques Gentilshommes Anglois, encore qu'ils lui euſſent avoüé qu'ils n'eſtoient pas de ſes brebis. Et je m'aſſeure que ſi ſes Predeceſſeurs s'eſtoient tousjours comporté avec une pareille douceur envers ceux de creance contraire, perſonne n'eut jamais penſé à leur donner ce titre infame d'Antechriſt. Quant à moi, je ne le voudrois point faire pour les ſeules opinions dont nous ſommes en different; nonobſtant qu'il y en ait quelques unes de grande importance, que je confeſſe avoir donné un tres-juſte ſujet à la ſeparation qui eſt arrivée le ſiecle dernier, pource qu'on les ſouſtenoit avec opiniaſtreté, & que les Papes oſtoient toute eſperance de mieux à l'avenir, en ſe diſant eſtre infallibles en la foi. Mais ſans la barbarie & inhumanité avec laquelle on a perſecuté ceux que la conſcience empeſchoit d'y ſouſcrire, elles auroient pu paſſer pour des ſimples erreurs, deſquelles il n'y a aujourdui aucune Secte de Chreſtiens qui ſe trouve du tout exemte. Je confeſſe auſſi que ſi on vouloit examiner ſans paſſion les controverſes qui divitent les Proteſtans d'avec l'Egliſe Romaine, on reconnoiſtroit qu'elles ne ſont pas en ſi grand nombre, que les plus fervens tant d'un coſté que d'autre veulent faire croire; par exemple, *Tilmannus Heshuſius*, qui a fait un livre, *Des ſix cens erreurs des Papiſtes*; & *Jaques Gaultier* qui en ſa Table Chronologique en objecte *cens* aux Calviniſtes. Sans conſiderer que s'ils n'avoient meſlé parmi les erreurs d'autrui pluſieurs des leurs propres, ils auroient eſté bien empeſchés à trouver leur conte. Tout deplaiſt en ceux qu'on haït, juſques aux meilleures choſes. J'ai connu des Proteſtans qui s'offenſoient de voir leurs freres juſner ou s'abſtenir de manger de la chair le Vendredi, diſant qu'ils imitoient les Papiſtes. Au reciproque il y a des Catholiques Romains qui penſeroient eſtre coulpables d'un grand crime, s'ils avoient aſſiſté aux prieres des Proteſtans; comme ſi nous n'avions pas tous un meſme Dieu pour Pere, & un meſme Jeſus Chriſt pour Sauveur. Et le Jeſuite Maldonat confeſſe quelques-fois en ſon Commentaire ſur les Euangiles, que les expoſitions de Calvin ou de Beze ſont probables & fondées ſur des raiſons qui ont grande apparence: mais ne les veut pas ſuivre, pource qu'elles viennent d'auteurs Heretiques. Sans doute ſi ces Heretiques entrent un jour dans le ciel, il ne voudra pas leur tenir compagnie, depeur d'en eſtre contaminé. De la vient auſſi qu'on eſtime ces differens de beaucoup plus grand poids qu'ils ne ſont tous en verité, & que des mouſches on en fait des elefans; prenant en la pire part des termes ou façons de parler ambigues; ou accuſant comme criminelles quelques ceremonies, qui ſe trouveroient innocentes ſi on les regardoit du bon biais. Pour dire donc franchement où j'en ſuis logé, je ne ferois point de difficulté de rentrer dans la communion du Pape, s'il donnoit ordre que les abus taxés par Eraſme, Caſſander, & quelques autres doctes & ſaints perſonnages de ſon parti, fuſſent reformés. Et je ne m'arreſterois point, comme font certains eſprits chagrins, à quelques menues vetilles, qui ne touchent point le fondement de la foi: ſachant que la charité & la paix de l'Egliſe ſont d'un prix infiniment plus grand, & qu'il vaut mieux ignorer ou diſſimuler quelques verités de petite importance, que de la violer par nos contentions. Ep.605.

Mais je m'eſtonne de la Politique des Papes & Conducteurs de l'Egliſe Romaine, qui ayans fort ſouvent eſté ſommés par les Empereurs, Rois de France, & autres Princes de la Chreſtienté, & exhortés par divers excellens hommes, de vouloir remedier aux erreurs & deſordres qui ſcandaliſent tant de gens de bien, ont tousjours fait la ſourde oreille, & ont mieux aimé fomenter ce lamentable Schiſme qui dechire les entrailles de l'Egliſe, en ſouſtenant impudemment qu'il n'y avoit rien à corriger, que de ſouffrir la moindre diminution du monde en l'autorité qu'ils ont uſurpée. En quoi ils font paroiſtre, non ſeulement que leur ambition & avarice leur ſont en plus grande recommandation que la gloire de Dieu, & que la paix de la Chreſtienté; mais auſſi qu'ils manquent de prudence mondaine, alienans d'eux par une telle procedure pluſieurs millions d'ames, & des royaumes & Provinces entieres, qu'ils auroient peu retenir en leur obeiſſance, en relaſchant quelque choſe de cette rigueur, & s'accommodant un peu à leurs juſtes deſirs: eſtans meſmes en danger d'en perdre encore davantage, s'ils continuent tousjours à tenir ce train.

Vous me dirés peut-eſtre, Monſieur, que le Pape d'aujourdui eſt mieux intentionné que ſes devanciers, & que c'eſt de lui qu'il faut attendre la reformation de l'Egliſe, apres laquelle on aſpire des ſi long temps; qu'on en void deja des commencemens, en ce grand ſoin qu'il prend d'accorder les Princes Chreſtiens, & eſtablir entreux une bonne & ferme paix. Je vous accorde que cette affection, qu'il monſtre avoir pour la paix, eſt digne de grande loüange, & prie Dieu qu'il vueille verſer ſa benediction ſur un ſi bon deſſein, & le faire reüſſir au bien general de toute la Chreſtienté. Mais je crain qu'il ne viſe point à ce but là. Et il y a bien plus d'apparence que le Pape ne taſche à renouër la paix entre les Rois de France & d'Eſpagne, qu'afin de pouvoir puis apres ſe ſervir de leurs forces à opprimer les Princes & Eſtats qui ne le reconnoiſſent point pour chef de l'Egliſe. Ce qui certes ne ſeroit point un ſigne qu'il penſe à la reformation. Et quand bien il y penſeroit, ceux qui ne

Ep.605. connoiſſent pas ſes intentions, ne ſeroient point obligés à le croire avant que d'en appercevoir quelques effets; & ne ſeroient pas ſagement d'embraſſer ſon parti ſur une eſperance incertaine, & qui les pourroit facilement tromper. Il y a eu d'autres Papes devant lui, qui ont fait la mine de vouloir travailler à la reformation de l'Egliſe, & cependant n'en ont pas corrigé un ſeul abus. Adrian VI. avoit donné charge au Nonce qu'il envoyoit l'an CIↃ IↃ XXII à une diéte de l'Empire, de promettre en ſon nom, qu'il feroit tout ſon poſſible pour reformer au pluſtoſt la Cour de Rome. Ce qui donna occaſion aux Princes & Deputés des villes aſſemblés, de dreſſer un Memoire au nom de toute la nation Allemande, de Cent principaux griefs ou injures qu'elle recevoit de cette Cour-là, & de le lui envoyer, afin qu'il y apportaſt les remedes neceſſaires. Mais la courte durée de ſon gouvernement fit avorter ce beau deſſein; & il y eut du ſoupçon que les ennemis de la reformation avoient haſté ſes jours. Quatorze ans apres, Paul III donna charge à neuf doctes Prelats, entre leſquels il y en avoit quatre Cardinaux, d'examiner quels eſtoient les deſordres de l'Egliſe qui avoient beſoin de correction, & de l'en advertir. Ce qu'ils firent avec aſſés de liberté, & lui preſenterent un cayer contenant pluſieurs articles d'importance, auxquels ils jugeoient qu'il eſtoit neceſſaire de pourvoir. Mais la plus part des autres Cardinaux, avec qui le Pape le communiqua, ne pouvans gouſter cette reformation, qui leur eut retranché quelque choſe de leurs ſuperfluités, elle fut remiſe à un temps plus commode. Marcel II fit encore quelque ſemblant d'y vouloir entendre. Mais ceux qui avoient le plus de connoiſſance de ſes inclinations, ne peurent croire qu'il parlaſt à bon eſcient. Et quand bien il eut eu la meilleure volonté du monde, il ne l'euſt peu executer, n'ayant tenu le Siege que XXII jours. C'eſt de lui qu'Onuphrius teſmoigne en ſes additions à Platine, qu'eſtant un jour aſſis pour prendre ſa refection, apres avoir eſté long temps ſans parler, il s'eſcria, en frapant la table de ſa main, *Je ne vois point comment ceux qui occupent cette haute place peuvent eſtre ſauvés.* Ce qui, comme il y a de l'apparence, procedoit de cette conſideration, que tout le corps du Clergé eſtoit tellement infecté de vices enormes & inveterés, que les Papes n'y pouvoient pas apporter le remede auquel leur charge les obligeoit, ni meſme ſe garentir d'y participer en quelque ſorte. Gregoire XIII a bien auſſi reconnu que l'autorité des Papes eſtoit trop foible pour corriger les corruptions qui avoient la vogue en l'Egliſe. Car, devant qu'eſtre parvenu au Papat il avoit ſouvent en particulier diſcouru avec ſes amis de la neceſſité d'une bonne reformation. Mais quand il fut monté ſur le throne, & qu'on l'exhortoit d'y mettre la main, il reculoit en arriere, & diſoit que *tout ce qu'il pourroit faire, ne ſeroit que comme une goute d'eau au regard de la mer.* Et n'a rien avancé d'autre durant ſon Pontificat, ſinon qu'il a reformé le Calendrier; qui n'eſt pas grand choſe, & dont le monde ſe fuſt bien paſſé. Ep.605.

Je ne veux point, Monſieur, revoquer en doute ce que vous dites, *que vous avés rencontré dans le College des Cardinaux, parmi les Prelats & les Eccleſiaſtiques, & dans les maiſons religieuſes, des perſonnes dont la vie eſt exemplaire.* Ce ſeroit une choſe horrible que la corruption euſt tellement gagné dans ce grand corps du Clergé, que parmi un nombre preſque infini de perſonnes, il ne ſe trouvaſt toujours quelques gens de bien & d'honneur, comme des Lots dans Sodome. Mais pardonnés moi, Monſieur, ſi je ne me puis perſuader qu'il y en ait *une infinité* de tels. C'eſt la charité, qui ne ſoupçonne point de mal, là où elle n'en void point de ſubjet apparent, qui vous a fait parler ainſi. Outre que vous n'avés pas ſi long temps converſé parmi eux, que vous ayés peu encore percer au travers des cachettes de l'hypocriſie, & diſcerner la vraye ſainteté d'avec celle qui n'en a que la monſtre externe. Gregoire XIII ne l'a point creu, qui ne s'eſtimoit pas d'avantage qu'une goutte d'eau dans la mer pour reformer l'Egliſe. Car il n'euſt pas apprehendé que tant de gens de probité exemplaire ſe vouluſſent oppoſer à un ſi religieux deſſein; au contraire il s'en fuſt promis un ſecours aſſeuré pour l'executer. Il n'eſt point beſoin que je me mette en peine de chercher des preuves de ceci. La choſe parle d'elle meſme, quand bien tout le monde s'en tairoit. Pluſieurs bonnes ames du temps de nos peres ſouſpiroient apres la reformation, au moins de quelques uns des plus groſſiers abus qui par la longue ſuite de pluſieurs ſiecles s'eſtoient gliſſés en l'Egliſe, & eſperoient que le Concile de Trente, qu'on aſſembloit avec une grande pompe de tous les endroits de l'Europe, en prendroit le ſoin. Mais qu'eſt-il arrivé? Les Papes & Cardinaux, qui apprehendoient autant que la mort, que, ſi l'on touchoit cette corde, leur pouvoir en ſouffrit de la diminution, y ont ſi bien travaillé que ce Concile s'eſt ſeparé ſans avoir remedié à un ſeul abus; meſmes il en a fortifié la plus part. Le Pere Paul Servite, qui en a deſcrit l'hiſtoire, raconte combien de maudits artifices l'on a employé pour empeſcher une ſi bonne œuvre. Qui eſt une demonſtration irrefragable, qu'il n'y avoit point alors tant de gens de bien dans le College des Cardinaux, & parmi les principaux Eccleſiaſtiques. Car leurs ſuffrages euſſent prevalu par deſſus ceux des meſchans & des ennemis de la reformation. Ce que conſiderans deux bons Empereurs, Ferdinand I, & Maximilian II, & que l'eſperance qu'ils avoient euë du Concile de Trente eſtoit eludée, ont jugé qu'il falloit avoir recours à d'autres moyens

pour

Ep.607. pour corriger les abus de la religion. Ils se sont donc addressés à ces doctes & celebres Theologiens, Cassander & Wicelius, & leur ont demandé advis comment ils auroient à se comporter en une affaire de telle importance. Lesquels leur ont respondu par escrit, & en ont laissé à la posterité deux excellentes pieces, qui rendront tesmoignage tant que leur memoire durera, contre l'impieté des Prelats qui se sont opposés à la correction des abus.

On requeroit que le service public de l'Eglise se fit en la langue vulgaire de chaque pays, afin que le peuple, qui n'a point estudié, en reçeut plus d'edification & de consolation. Mais sans avoir aucun egard à l'equité de cette demande, que nul qui ait l'esprit bien fait ne peut revoquer en doute, on s'est opiniatré à retenir l'usage de la langue Latine, depeur que, si on le changeoit, le peuple presumast qu'il y avoit eu auparavant de l'abus. Dont voici comme parle un bon Catholique Romain, en un advertissement qu'il a mis du devant des livres du Mespris du monde du Pape Innocent III. *Afin que les mysteres de Dieu ne fussent profanés & divulgués à gens qui de ce n'avoient besoin, il leur à semblé bon* (à savoir aux Prelats de l'Eglise) *les mettre en Latin: non pas que absolument il soit mal de les dire en François; mais parce qu'il est beaucoup meilleur & expedient, que chacun suive l'ancien usage de l'Eglise, en representant ses oraisons à Dieu, que non pas les inventions & nouvelles manieres des heretiques de nos temps: attendu qu'en choses mesmes indifferentes, comme il appert es saints Conciles & decrets anciens sur ces paroles,* Θεοτόκος *&* Χεροτόνος, (c'est à dire mere de Dieu, & mere de Christ) *& sur le pain de l'hostie, avec levain ou sans levain, l'Eglise Catholique a tousiours esté d'opinion ne s'accorder point, ni à la maniere de dire, ni à la maniere de faire, trouvée & mise en avant par les heretiques; combien que quelquesfois ne fussent du tout mauvaises telles manieres de faire ou de parler; mais pour leur faire entendre, qu'ils ne doivent donner loix à ceux de qui ils les doivent prendre.* Il est vrai que ce n'est ici qu'un particulier, sans nom ni aveu. Mais je ne me fonde pas sur son autorité. Je le considere seulement comme un homme qui parle avec naifveté, & nous descouvre les vrais fondemens de ce qui se pratique en l'Eglise Romaine, que peut-estre d'autres plus fins que luis'estudieroient de cacher. Ces gens qui pour faire depit aux heretiques, & monstrer qu'ils sont leurs maistres, ne veulent pas s'accommoder à eux en aucune chose, sinon bonne, & à laquelle ils sont obligés, au moins indifferente & licite, sont-ils imitateurs de S. Paul, qui *s'est fait aux Juifs, comme Juif, afin de gagner les Juifs; & s'est fait toutes choses à tous, afin de sauver tous?* 1 *Cor.* IX. Qu'ils sachent aussi, que le nom odieux d'heretiques, qu'ils nous donnent, ne nous espouvante point. Jesus Christ a bien esté appellé Samaritain, & condamné comme faux Prophete & blasphemateur par les Prelats de l'Eglise de son temps. Ce n'est pas donc de merveille si ses disciples sont traittés de mesme par des mauvais Chrestiens. Ep.608.

On requeroit que l'usage de la Coupe en l'Eucharistie fust restitué au peuple, & qu'il y peut participer, comme cela se faisoit autresfois. Et le Concile n'osoit pas nier que cela fust equitable. Car c'eust esté condamner l'ancienne Eglise qui le pratiquoit ainsi. Mais toutesfois il a declaré qu'il n'estoit pas necessaire, afin d'avoir un pretexte d'esconduire ceux qui insistoient là dessus. Et les a renvoyé au Pape, lequel, si bon lui sembloit, le leur pourroit accorder par une grace speciale. Le Pape donc, quelque temps apres que ce Concile eut esté tenu, conceda aux peuples d'Allemagne, en des lettres qu'il escrivit aux Electeurs Ecclesiastiques, l'usage de cette sainte Coupe. Mais sous une condition qui gastoit tout: *Que ceux qui veulent communier sous les deux especes, confessent, declarent & croyent, que le vrai corps de Christ est tout entier au Sacrement de l'Eucharistie, tant sous une espece que sous toutes les deux; & que l'Eglise Romaine, qui communie tous les fideles, tant Clercs que Laïcs, excepté seulement les Prestres celebrans, sous la seule espece du pain, n'a point erré & n'erre point en cela.* Je vous laisse à juger si ceux qui desirent participer à la coupe, pour ce qu'ils croyent qu'ils y sont obligés par le commandement de Jesus Christ, peuvent estre satisfaits de cette clause. Quant à moi, j'aimerois mieux en estre privé tout à fait, que de faire une telle declaration pour la recevoir. Car en l'un je n'agirois point, mais seulement je souffrirois l'injuste joug dont on me chargeroit; au lieu qu'en l'autre je pecherois contre ma conscience, disant le contraire de ce que je pense.

On requeroit que le mariage fut permis aux Prestres & Ecclesiastiques, à qui tous sont d'accord qu'il n'est point defendu en la parole de Dieu, ni en aucun Concile general, mais seulement par les Constitutions des Papes, dont les Conciles, qui sont par dessus eux, peuvent relascher, quand ils voyent que la necessité le requiert. Et l'on representoit qu'il n'y avoit point d'autre moyen pour empescher non seulement concubinage, qui estoit presque aussi commun entre les Ecclesiastiques, que le mariage entre les seculiers, mais aussi plusieurs autres enormes crimes. Mais les Peres du Concile de Trente ne s'en sont point soucés, aimans mieux souffrir des Prestres paillards & adulteres, que mariés. Et il y a des celebres Docteurs qui n'ont point eu honte d'escrire, que *c'est un plus grand peché à un Prestre de se marier, que de paillarder.* Comme s'ils avoient voulu contredire en face à l'Apostre, disant, *Le mariage & la couche sans macule est honorable en tous: mais Dieu jugera les paillards & adulteres, Hebr.* XIII. Sur quoi est remarquable une chose, dont les Estats de l'Empire se plaignent

Ep.605. dans leurs Cent griefs, qu'une amende pecuniaire ayant eſté impoſée par la Cour de Rome aux Preſtres concubinaires, ceux qui eſtoient commis pour l'exiger, contraignoient les chaſtes & continens de la payer, leur diſant, qu'ils ſe ſervillent de concubines, ſi bon leur ſembloit, auſſi bien que les autres. Ce qui monſtre bien que ce reglement avoit eſté fait, non point pour empeſcher le deſordre, mais ſeulement pour avoir un pretexte de tirer de l'argent de la bourſe des Preſtres. Le mal depuis ce temps là n'a point eſté amendé, particulierement à Rome, ou chacun ſait que le Pape permet les bordeaux, les donnant à ferme, dont il a un revenu annuel de quarante ou cinquante mille ducats, qui ſert à entretenir ſon orgueil. Car le bruit commun porte, qu'ils ſont plus frequentés par les Eccleſiaſtiques, à qui la liberté de ſe marier a eſté oſtée, que par aucune autre ſorte de gens. Comme ſi le Pape avoit voulu adoucir la rigueur du joug dont il les a chargés, en leur ouvrant un facile moyen de raſſaſier autre part leur convoitiſe. Et touchant la chaſteté des principaux piliers de l'Egliſe, voyés le *Divorce celeſte* de Don Ferrante Palavicino, il vous en apprendra aſſés de nouvelles. Ne penſés pas les laver, Monſieur, en diſant que par tout le Septentrion l'yvrongnerie eſt tolerée, ou meſme y paſſe pour une galanterie; & que cela ne nous empeſche pas de croire que la vraye religion s'y eſt refugiée. Car c'eſt autre choſe de conniver à un vice qu'il eſt impoſſible d'arracher du tout, & autre de l'autoriſer par des loix ou permiſſions publiques. Et il y a bien de la difference entre les particuliers qui font profeſſion de la vraye religion; & entre le Pape qui ſe vante d'eſtre le chef de l'Egliſe & infaillible en la foi. Ce qu'aucune perſonne de bon ſens ne pourra jamais croire, qui le verra faire de ſi lourdes bronchades en ſes mœurs. Que ſi entre les Proteſtans la Magiſtrature & la charge de Paſteur eſtoient jointes en une ſeule perſonne, comme elles le ſont au Pape, pourroit-il dire de bonne grace à quelcun, Mon ami je vous permets de boire tant qu'il vous plaira, & de vous enyvrer tous les jours, pourveu que vous me donniés dix ſols par chacune ſemaine. Mais je vous excommunie comme un vilain porc du troupeau d'Epicure, indigne d'avoir aucune part à Jeſus-Chriſt, & vous denonce que vous n'entrerés point au royaume des cieux. J'ai auſſi de la peine à croire, Monſieur, qu'une ſi grande ſeverité, commes vous dites, ſoit gardée dans les tribunaux de la conſcience, puis que les Preſtres à qui les putains publiques confeſſent leurs pechés à Paſques, leur donnent ſur le champ l'abſolution, encore qu'ils ſachent bien que des le lendemain elles retourneront au bordel, ou à tout le moins n'ayent aucune aſſeurance, ni indice probable, qu'elles vueillent renoncer à leur mauvaiſe vie. Au lieu qu'ils devroient differer quelques années, & attendre qu'elles euſſent donné des preuves de leur converſion. Ce qui ſe pratique auſſi à l'endroit de toutes ſortes de pecheurs, qu'on abſout au meſme inſtant qu'ils ſe ſont confeſſés, ſans ſavoir s'ils accompliront la ſatisfaction qui leur a eſté impoſée, ou non. Ep.605.

On requeroit que le trafic honteux des Indulgences, dont Martin Luther à pris occaſion de mettre en diſpute le pouvoir du Pape, & de faire revolter contre lui une bonne partie de l'Allemagne, fut aboli. Mais bien que le Concile ait fait quelque ſemblant d'y vouloir remedier, ordonnant qu'on diſtribuaſt gratuitement les Indulgences, cela n'a eu aucun effet. Car il s'y eſt comporté trop froidement, & par maniere d'acquit, n'ayant eſtabli aucune peine à l'encontre de ceux qui deſobeiroient; combien qu'en pluſieurs autres choſes, de beaucoup moindre importance, meſmes où il n'y avoit rien qui fuſt digne de blaſme, il n'ait point epargné le foudre de ſes anathemes. Le gain, qui en revient au Pape, & à tous ceux par les mains deſquels paſſe l'argent que le peuple donne, eſtoit trop doux pour s'en priver ſi facilement. L'on continue de faire comme auparavant, ſans aucune honte. Les Indulgences plenieres, où l'on promet la remiſſion des pechés, pour cent mille ou deux cent mille ans & davantage, ſont affichées aux portes des Egliſes. Les Jubilés tant ordinaires de XXV en XXV ans, qu'extraordinaires, où l'on fait un trafic ſolennel de cette ſorte de marchandiſe, ſe publient; & le pardon de tous pechés eſt offert *manus porrigentibus adiutrices*, c'eſt à dire, à ceux qui jetteront de l'argent au baſſin. La Taxe de la Chancelerie Apoſtolique, où les Dataires du Pape ont mis à un certain prix les lettres d'abſolution des plus enormes crimes, a eſté reimprimée une ou deux fois depuis ce Concile. Qui eſt un livre ſi infame, que Claude d'Eſpenſe, celebre Docteur de Sorbonne, le compare à une putain publique, qui ſe proſtitue à tous venans. Et où parlans des cauſes matrimoniales ils ont eu l'effronterie de dire, *Notés diligemment que telles graces & diſpenſes ne s'octroyent point aux povres, à cauſe qu'ils n'ont pas de quoi, & pourtant ne peuvent eſtre conſolés.*

On requeroit que le luxe, & façon de vivre mondaine des Eccleſiaſtiques, qui ne ſe reſſentent en aucune ſorte de la ſimplicité des Apoſtres, & ſcandaliſe tant les Chreſtiens que les infideles, fut reprimée. Mais cela auſſi a eſté negligé, pource qu'on n'y pouvoit donner ordre ſans toucher au Pape & à ſa triple couronne, dont tous les membres du Concile eſtoient des eſclaves jurés. Et tandis que le chef donne un ſi mauvais exemple, il n'y a gueres d'apparence que les autres ſe vueillent reformer. Si voſtre nouvel Alexandre eſtoit auſſi ſaint & regeneré qu'il deſire que nous le croyons, ſouffriroit-il qu'on l'adore, ou qu'on lui baiſe les pieds? Diroit-il pas à ceux qui l'approchent, & lui veulent rendre un tel honneur; *Levés vous, je ſuis auſſi homme?* comme S. Pier-

Ep.605. S. Pierre, duquel il se vante d'estre successeur, faisoit autresfois à Corneille. (Je serois fort curieux de savoir s'il approuve ce que dit le livre des Sacrées ceremonies, *Quod Pontifex Romanus neminî omnino mortalium reverentiam facit*: que le Pape ne fait la reverence à personne du monde, ni en se levant manifestement, ni en baissant la teste, ou se decouvrant.) Les Evesques, & autres Prelats, se souviennent-ils de la modestie & frugalité à quoi leur charge les oblige, quand ils tiennent un train de Princes, ou sont la plus grand partie du temps à la Cour, & gaspillent les revenus de leurs benefices, au jeu, en festins, à entretenir un nombre superflu de serviteurs, des chevaux, des chiens, & des oiseaux; sans penser aux povres, à qui ils desrobent ce qui leur est deu? Mais y a-t'il rien de plus contraire à leur vocation que la guerre, en laquelle on void les principaux d'entreux se fourrer si avant, jusques à estre generaux d'armées, & prelider aux conseils de guerre, ou faire de semblables fonctions? Qui est ce qui les pourroit reconnoistre pour serviteurs & ministres du Prince de paix? puis qu'ils ne portent point sa livrée qui est la charité; & vaquent à un exercice non seulement indigne de Prelats de l'Eglise, mais aussi de simples Chrestiens, qui ne doivent jamais prendre les armes, si non qu'une extreme & inevitable necessité les y oblige.

On requeroit que les Benefices fussent donnés gratuitement à des gens de bien & capables d'instruire les autres; que l'on en retranchast la pluralité, & obligeast ceux qui en sont pourveus à faire leur residence sur les lieux; afin de pouvoir continuellement travailler au salut des ames qui leur ont esté commises, & dont un jour ils doivent rendre conte au Souverain Pasteur. C'est sur cela qu'insistent principalement les Prelats, à qui Paul III avoit demandé advis des abus qu'il estoit neccessaire de reformer. Ils lui remonstrent qu'il n'est pas le maistre & Seigneur des Benefices, pour en gratifier qui bon lui semble; mais seulement l'Oeconome & le dispensateur, qui doit prendre garde à ne les donner qu'à des personnes dignes, & qui se puissent bien acquiter de la charge qui y est annexée. Et lui proposent le commandement expres de Jesus Christ; *Vous l'avés receu gratuitement, donnés le gratuitement.* Mais l'execution de ces bons & salutaires conseils a esté traversée par ceux qui esperoient tirer de l'avantage du desordre. Au lieu de conferer ces biens de l'Eglise à des personnes doctes & vertueuses, on les baille au plus offrant, ou à celui qui a de plus puissans amis en Cour, sans se soucier beaucoup s'il est docte ou ignorant, vertueux ou debauché. Souvent mesme ils sont la recompense, non seulement des flatteurs, mais aussi des maqueraux ou des Ganymedes. Ne pensés pas, Monsieur, que je prene plaisir à calomnier: (cela est du tout eloigné de mon humeur:) je parle apres les plus celebres auteurs Catholiques, dont je pourrois produire les passages & les paroles, s'il estoit besoin. Et cependant que ceux qui ont du credit, obtiennent tant de benefices qu'ils en regorgent, & ne peuvent, quand bien ils le voudroient ou en seroient capables, satisfaire à la dixieme partie de ce à quoi ils sont tenus, d'autres qui s'en pourroient beaucoup mieux acquitter, n'ont pas seulement une petite prebende pour s'entretenir. Mais je n'ai que faire, Monsieur, de m'estendre plus au long sur ce sujet. Vous en savés maintenant davantage que moi. J'en ai acquis quelque mediocre connoissance par la lecture des meilleurs Theologiens de l'Eglise Romaine: (ce n'est qu'à ceux-là à qui je me fie, quand je veux estre bien informé de son estat.) Mais vous en appercevés la pratique devant vos yeux; & peut estre en vous mesmes, quoi que vous me le dissimuliés, ayant honte de confesser qu'on vous a repeu de vent. Non point que je croye que c'ait esté vostre principale visée quand vous avés changé de parti. Dieu me garde d'avoir une si mauvaise opinion de vous. Mais c'estoit du devoir de ce Saint Pere, entre les bras duquel vous vous estes jetté, qui a tant de biens & de charges en sa disposition, de ne permettre point qu'un nouveau proselyte, si digne d'un honorable emploi, eut sujet de se plaindre de sa mauvaise administration, & de se repentir d'avoir esté trop credule. Ep.605.

Y ayant donc tant de grossiers & inexcusables abus en l'Eglise Romaine, comme je viens de representer, (sans parler maintenant de plusieurs superstitions, & doctrines erronées, sur lesquelles il seroit trop long d'insister,) je ne sai quels peuvent avoir este les motifs qui vous ont fait si promtement resoudre à vous y adjoindre, sans vous donner la patience d'attendre qu'ils fussent reformés. Car je ne pense pas que vous vueilliés alleguer, que le desir ardent de vostre salut, qui autrement eut couru risque, a esté cause de cette hastiveté. Car encore que vous ne soyés point d'accord avec les Protestans en divers points de la religion, vous n'oseriés pas dire, que leur creance est si mauvaise que tous ceux qui en font profession, quoi qu'au reste vivans en la crainte de Dieu, soient inevitablement damnés. Qui est bien le sentiment de quelques zelés parmi vous; mais non pas des plus judicieux, comme Cassander, & autres de pareil merite. Depuis peu il m'est tombé entre les mains un abbregé de Theologie d'un Anglois, Docteur de Sorbonne, nommé Holden, ou il use de mesme retenue que Cassander, & improuvant le Schisme des Protestans, (comme il l'appelle) neantmoins n'ose pas prononcer contre eux sentence de condemnation. Supposant donc, Monsieur, que vous ne vous eloignerés point de cette moderation, & que vous avés

quitté

Ep.605. quitté le parti dans lequel vous avés eſté nourri & elevé, pluſtoſt pour l'amour d'une plus grande perfection que vous vous imaginiés de trouver en l'Egliſe Romaine, que jugeant que cela fut abſolument neceſſaire à voſtre ſalut, je vous dirai qu'il eut eſté beaucoup plus à propos de n'uſer point d'une telle precipitation, & de conſulter meurement avec vos amis, devant que de vous reſoudre. Je me perſuade que je ne ſuis point l'un des derniers, & cependant vous ne m'en avés rien communiqué qu'apres le coup fait. En quoi j'ai ſujet de me plaindre, que vous n'avés pas obſervé ſi eſtroitement les loix de l'amitié, comme il fallоit. Sinon que vous en vouliés rejetter la faute ſur noſtre eloignement, qui n'a pas permis que vous m'ouvriſſiés ſi familierement voſtre cœur, ainſi que vous avés fait autresfois. Mais puis que, comme l'on dit, de choſe faite les conſeils ſont pris, & que ce qui a eſté fait, ne peut qu'il ne le ſoit, il reſte d'adviſer, ſi vous ne devriés point prendre d'autre reſolution pour l'avenir, & voyant que vous n'avés point trouvé en l'Egliſe Romaine la ſainteté que vous vous eſtiés imaginée, & qu'il reſte fort peu d'eſperance qu'elle ſe vueille amender, retourner ſur vos premieres briſées. Je m'imagine que vous pourrés avoir eſté degouſté de vos Reformés, à cauſe de quelques opinions erronées qu'ils maintiennent avec grande vehemence, ne permettant pas qu'on y contrediſe. Par exemple; Que la foi & l'infidelité, le ſalut & la damnation dependent d'un decret abſolu & irrevocable de Dieu, par lequel le nombre de ceux qui croiront & ſeront ſauvés eſt tellement determiné qu'il ne peut ni croiſtre ni diminuer. Que l'homme n'a point une volonté libre pour embraſſer ou rejetter la grace qui lui eſt preſentée en l'Euangile; mais que Dieu produit la foi & converſion en quelques uns par une puiſſance inſurmontable, & qu'aux autres, deſquels Dieu ne fleſchit point les cœurs avec une telle efficace, il eſt impoſſible de croire & de ſe convertir. Que ceux qui ont une fois creu en Jeſus Chriſt, ne decheent jamais totalement ou finalement de la foi, ni de la grace de Dieu, encore qu'ils commettent des enormes pechés, comme adultere, meurtre, trahiſon, idolatrie, & ſemblables. Que l'homme eſt juſtifié devant Dieu par la ſeule foi, & non point conjointement par la foi & par les bonnes œuvres. Qu'encore que noſtre conſcience nous accuſe que nous avons grievement peché contre tous les commandemens de Dieu, & n'en avons gardé aucun, & ſommes encore aſſiduellement portés à toute meſchanceté, neantmoins Dieu, ſans que nous l'ayons merité, nous donne & impute de ſa pure grace la parfaite ſatisfaction, juſtice & ſainteté de Chriſt, tout de meſme que ſi nous n'avions jamais peché, & avions rendu à Dieu toute l'obeiſſance que Chriſt a accomplie pour nous, pourveu que nous embraſſions ce bien Ep.605.
fait avec un cœur fidele. Et telles autres opinions, non ſeulement contraires à l'Eſcriture S. & au ſentiment commun de la plus pure antiquité, mais auſſi grandement prejudiciables à la gloire de Dieu & à l'avancement de la pieté. Mais vous deviés auſſi conſiderer, Monſieur, que l'Egliſe, à la quelle vous vous allés ranger, n'eſtoit point exempte de tare; que vous meſmes y apperceviés pluſieurs grands defauts, & en deſiriés la reformation. Vous deviés donc attendre qu'elle fut faite, & preſſer les Prelats aupres deſquels vous aviés accés, afin qu'ils ſe depeſchaſſent de travailler à une ſi bonne œuvre, & tant deſirée depuis long temps par beaucoup de gens de bien. Alors, comme vous dites que c'a eſté voſtre ſouhait, vous ſeriés entré en la communion de l'Egliſe Romaine accompagné d'une grande troupe de Proteſtans. J'aurois moi meſme, ſi elle eſtoit faite, voulu eſtre de la bande, & vous n'euſſiés point rougi d'y paſſer tout ſeul, abandonnant la plus part de vos parens & amis, qui ſont dans un parti contraire. Puis donc que cette reformation tant neceſſaire n'eſt point encore commencée, & qu'il y a fort peu d'apparence qu'elle ſe face bien toſt, quittés une Egliſe dont la maladie ſemble eſtre incurable & deſeſperée, pource qu'elle ſe fait accroire qu'elle ſe porte bien, & ne veut point ſouffrir que ceux qui connoiſſent le dangereux eſtat où elle eſt, lui appliquent les remedes dont ſa maladie a beſoin. Si la religion, en laquelle vous avés eſté inſtruit par vos parens, vous deplaiſt maintenant, que vous avés conſideré de plus pres ſes manquemens, retournés en Hollande, où vous vous deleſtiés tant par ci devant, & venés vers les Remonſtrans, dont vous connoiſſés la doctrine & la conduite. Je m'aſſeure qu'ils vous recevront à bras ouverts, & feront plus d'eſtat des excellens dons que Dieu vous a departis, qu'il me ſemble que les Catholiques Romains n'en font. Vous ſavés que nous n'avons point de part à ces abſurdités que les Reformés d'Orange & du Languedoc maintiennent, & que nos ſentimens touchant les controverſes de la religion ſont beaucoup plus moderés que des autres Proteſtans. Car nous faiſons profeſſion de reconnoiſtre pour nos freres en Jeſus Chriſt, tous ceux qui reçoivent la S. Eſcriture pour unique & parfaite reigle de la foi & des mœurs, & taſchent de s'y conformer en tout & par tout; encore que ſelon noſtre jugement ils s'abuſent en l'intelligence de quelques paſſages obſcurs, & en des choſes qui ne renverſent point le fondement; eſtimans qu'il n'y a point de meilleur moyen pour reünir les eſprits des Chreſtiens diviſés, que de ſe tolerer ainſi mutuellement les uns les autres, en attendant qu'il plaiſe à Dieu d'illuminer ceux qui ſont en erreur, & cependant cheminer d'un meſme pied en la confeſſion & pratique des ve-

rités

Ep.606. rités eſſentielles dont nous ſommes d'accord. Ne meſpriſés point, Monſieur, noſtre petit nombre. Vous avés veu autresfois nos aſſemblées à Amſterdam, & en d'autres villes de Hollande. A la verité elles ne ſont point ici gueres grandes, eu egard à la multitude d'habitans qu'il y a en cette ville. Mais toutesfois vous ne nierés point qu'elles ne ſoient compoſées une bonne partie de perſonnes de qualité, & qui tiennent un rang honorable entre les bourgeois. Je ne vous veux point entretenir de promeſſes de vous recommander à noſtre Societé, afin qu'elle ait ſoin de vous, & vous donne quelque emploi qui ſoit convenable à voſtre merite. Vous connoiſſés la ſincerité de mon affection, & ſavés que j'aime beaucoup mieux faire que dire. En un mot vous pouvés eſtre aſſeuré, que tout ce que mes amis & moi aurons de credit ſera employé à vous procurer un bon eſtabliſſement parmi nous. Penſés y donc à bon eſcient. Je ne demande point que vous vous haſtiés tant que quand vous avés quitté Orange. On ne ſauroit apporter trop de circonſpection en une affaire de telle importance. Cependant je ne ceſſerai point de prier Dieu, qu'il vous face la grace de reconnoiſtre combien grievement vous vous eſtes abuſé, & flechiſſe voſtre coeur pour donner lieu aux charitables remonſtrances que vous fait,

MONSIEUR,

d'Amſterdam, le 24 deDecemb. 1655. *Voſtre tres-humble tres-affectionné Conſin & ſerviteur*

E. DE COURCELLES.

IↃC V.I.

STEPHANO CURCELLÆO

ADRIANUS PAETIUS S.P.D.

Amſtelodamum.

Judicium de literis Curcellai ad Sorberium ſuper erroribus Pontificiorum.

VIr Doctiſſime, Gratulor mihi quam nactus ſum occaſionem te litteris compellandi, & neceſſarium quodammodo ſcriptionis argumentum deſideratum truſtra hactenus expetitumque: non quod veritus fuerim te cujus indolem longe optimam & humanitatem cognoveram meis litteris offendere, ſed quod exiſtimaveram nefas eſſe, quæſito illo & vulgari litterarum genere tua tempora morari, adeoque peccare in commoda rei communis, cui operam navas. Epiſtolæ tuæ ad D. Sorberium pectus illud pacis concordiæque amantiſſimum ſpirantis ſimul ac mihi à D. Hartſoekero copia facta fuerat, cœpi cum eo de ejus verſione in linguam vernaculam agere, ab eoque petere, uti tuum authoris & judicium & ſententiam exquireret, ne verſio te inconſulto adornaretur & renitente: perlectis autem tuis ad D. Hartſockerum litteris, in quibus traductionem diſſuades, relicta nihilominus nobis ea de re ſtatuendi libertate, adeo à propoſito non ſumus dimoti, ut quibus tu ad dehortandum rationibus uſus es, eædem nos ad tranſlationem animum addiderint: fuit enim ſemper mea hæc ſententia (neque dubito quin etiam ſit Hartſoekeri) fieri haud poſſe, ut diviſus orbis Chriſtianus coaleſcat, niſi illi, quibus pax flagrantibus bonorum votis expetita, curæ & cordi eſt, operam dent ut populus Chriſtianus tandem perſpiciat, nunquam eam orbi noſtro reſtitutum iri, ſi nihil ab intemperanti zelo & partium ſtudio remittatur. Calviniſtis noſtratibus uti nunquam à Remonſtrantibus ſatisfactum eſt, ita nulla prorſus ſpes affulget, fore ut quicquam ab ea parte profectum, caninos eorum dentes & morſum effugiat. Verum contemnendi ſunt deſpiciendique, quorum inſipido palato nihil ſapit, niſi quod ad ipſorum normam & regulas ſit exactum. Pontificiis adeo infeſtos eſſe non miror, cum non tantum ab iis diſſideant ἀπὸ μέρους, verum etiam ſibi metuant à quibuſdam eorum placitis, vereanturque ut ſoli habitent & dominentur Iſraëlitæ. Nihil ergo arbitror epiſtola tua contineri, quod non jam pridem à nonnullis Proteſtantibus dictum ſit prius, quibus ob id ipſum duriores & male vellent & maledicerent. Ante te Clariſſ. Junio Eccleſia Romana appellata eſt Eccleſia Dei & Chriſti, quo nomine meo quidem judicio non indignæ ſunt Eccleſiæ, quotquot unum Deum & Servatorem Chriſtum pia mente venerantur & ſacros codices ſua authoritate non ſpoliant. Quod te rediturum in Eccleſiam Romanam ſpondes, *ſi le Pape donnoit ordre que les abus taxés par Eraſme, Caſſander & quelques autres doctes & ſaints perſonnages de ſon party, fuſſent reformés*; Intelligo quibuſdam diſplicere, quamvis nulla ratione, quum & illi duo Eccleſiam graviſſimorum errorum ream peregerint, & verba *quelques autres doctes & ſaints perſonnages de ſon party*, eos etiam complectantur qui in reprehendendis erroribus vitiiſque ulterius ſunt progreſſi. Porro quod nullibi Eccleſiæ idololatriæ crimen objicis, in eo videberis à reliquis Proteſtantibus divortium facere, cum hoc nomine apud omnis generis Reformatos potiſſimum traducantur ejus ſectatores. Epiſcopius ἀπροσώπως, qui temeritatis in quoquam damnando notam nunquam ſubiit, Pontificios tanti crimini inſimulat, & quidem (ut videtur) animo intrepido imperterritoque. Ego uti eos non plane abſolvo, ita neque iis plane aſſentiri poſſum, qui putant Pontificios ejus criminis tam manifeſto contineri, ut homicidii qui non provocatus hominem necat. Adorant fateor noſtro judicio cruſtam panis, ſed ſuo colunt Chriſtum Servatorem: ſed & Deo in ſuis

Ep. 606. idolis ſupplicavere gentiles, & Judæi Deum creatorem venerati ſunt in vitulo ſabrefacto, quibus tamen utriſque idololatriæ crimen objicit ipſe Deus; verum eſt, at illi criminis tam atrocis rei, imo palam convicti, quod Deos colerent, non Deum verum; vel quod eum in idolis colerent invita & reluctante ratione, ni quod & contra rationem & expreſſum Dei creatoris mandatum; cum Pontificii & Chriſtum adorent quem in cœna præſentem arbitrantur, eum adorent ſi non diſerto juſſu, conſilio tamen (ut illis perſuaſum) non illaudato. De cultu imaginum gravior meo judicio difficultas eſt, quamquam fere habita levior & minoris momenti; nec enim congruit id, quod cordatiores ſentiunt, cum eo quod à vulgo fit non obſiſtente clero, & ne cum eo quod celeberrimi authores palam profitentur. Utut enim ſcelus non ſit caput inclinare ſigno crucifixi, ſi non imago, ſed ipſe crucifixus hoc honore afficiatur, ſimulacro refricante ejus memoriam: ita illud adorare, in hoc oculos intendere, huic oſcula figere gentilium prorſus ritu, crimine non vacat. Quod obtenditur honorem & cultum, qui imaginibus exhibetur, non ad ipſas imagines, ſed ad ipſa prototypa referri, ut habet canon Concilii Tridentini; & ut alii, ſacrum cultum imaginibus deferri in honorem prototypi, crimen non minuit, cum neceſſe ſit ut quod in alterius gratiam colis, id ipſum quoque colas: præterquam quod crimini affine ſit (ſi non ipſum crimen) divos venerari, qui fere imaginibus repræſentantur. Verum, ut dixi, nihil definio: ſtatuerit de iis ipſe Deus ſceleris tam horrendi ſeverus vindex. Verſionem quam vides rogo uti cum Gallico exemplari conferas, eaque corrigas, quæ minus appoſite tradu&ta videbuntur. Libertatem, qua in vertendo uſus ſum, ego tibi authori in corrigendo tuo jure tribuo. Præfationi ſi quid addendum detrahendumve putes, vel etiam ſi eam prorſus delendam, quæſo me facias certiorem. Feſtinandum eſt, ut præter reliqua accedat etiam gratia novitatis. Quod ſupereſt, Deum optimum maximum ſupplex precor venerorque, ut te virum pietate & eruditione inſignem, bono publico quam diutiſſime ſoſpitet, & te rogo ut me redames.

Rotterdami 18 Mart. 1656.

IOC VII

Doctiſſimo & integerrimo viro,

D. ADRIANO PATIO

ADVOCATO

STEPHANUS CURCELLÆUS S. P. D. Rotterdamum.

Reſponſio ad ſuperiorem, qua agitur de idololatria Pontificiorum; & quo loco ea ſit habenda.

DOctiſſime vir & amice plurimum obſervande, Scripſiſti ad me nonnullos offendi, quod in Epiſtola ad D. Sorberium, in qua Eccleſiæ Romanæ reformandæ neceſſitatem obiter demonſtro, nullam multiplicis idololatriæ, cujus à Proteſtantibus accuſatur, mentionem fecerim: quaſi illud manifeſtum ſit indicium me ab ea non tantopere, ut verum Chriſtianum oportet, abhorrere. Sed boni iſti viri toto cœlo errant. Alias longe quam opinantur habui inſtituti mei cauſas: primam quidem, quod non librum, ſed brevem tantum epiſtolam ſcriberem, in qua non credebam opus eſſe omnia ſigillatim commemorare, quæ in iſta Eccleſia diſplicebant: alteram quod continere me vellem intra illa quæ Galliæ Rex, & aliquot alii Principes Chriſtiani, petierant per Legatos ſuos à Concilio Tridentino emendari, quibus ſperabam Sorberium meum non contradicturum: caput autem iſtud ab iis non attingeretur. Sed tamen id non penitus diſſimulavi. Nam ſub epiſtolæ finem, poſt enumeratas craſſiores aliquot corruptelas, dixi me præterire multas ſuperſtitiones & erronea dogmata, de quibus nimis prolixum foret agere; voce ſuperſtitionis paulo molliore id intelligens quod alii idololatriam ſolent appellare. Et antequam in campum illum ingrederer, ſignificaveram me deſiderare ut abuſus ab Eraſmo, Caſſandro, & aliquot aliis partium iſtarum doctis & piis viris reprehenſi corrigerentur; ad Lud. Vivem, Claud. Eſpencæum, Georg. Wicelium, & ſimiles reſpiciens, qui nullos fere paulo majoris momenti Eccleſiæ Romanæ errores reliquerunt intactos, quos non ſatis acri ſtylo perſtrinxerint. Cum igitur lectorem meum ad illos remiſiſſem, arbitrabar id ſufficere ad omnem ſiniſtram opinionem à me amoliendam. Sed quia ex tuis literis me nondum ſatis omnibus purgatum eſſe animadverto, propoſui tibi paucis aperire quid de univerſa iſta materia ſentiam, ut in promptu habeas argumenta quibus ἐγκλεῖσιν meam, ſi opus fuerit, adverſus calumniatorum morſus tuearis.

Primum occurrit cultus qui Sanctis mortuis in Eccleſia Romana publice, & privatim exhibetur. In quo fœde peccari jamdudum conqueſti ſunt aliqui eruditi viri, ut Lud. Vives, inquiens: *Multi Chriſtiani in re bona plerumque peccant, quod Divos Divaſque non aliter*

Ep.607. *aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis quod ſit diſcrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de Diis ſuis.* Comment. in Auguſtinum, de Civit. Dei, lib. VIII. cap. XXVII. Nec ſola plebs culpæ iſtius eſt rea; magnam quoque in ea partem habent Paſtores, qui ad vulgi ſuperſtitiones connivent, aut etiam eas emolumenti ſui cauſa fovent; & ex Concilii Tridentini præſcripto inculcant populis curæ ſuæ commiſſis, *Bonum atque utile eſſe Sanctos una cum Chriſto regnantes ſuppliciter invocare, & ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Etſi nullum invocationis iſtius mandatum aut exemplum è Scriptura S. afferre queant, unde eam Deo gratam, vel ſaltem licitam eſſe nobis conſtet. Non tamen auſim iſtum Sanctorum cultum æquiparare idololatriæ, quam Ethnici circa Solem, Lunam, & Reges ſuos defunctos, imo Dæmones ipſos exercebant. Magnum enim eſt inter utroſque diſcrimen; & quidem in hiſce tribus potiſſimum. 1. In Eccleſia Romana unus Deus ſummus, cæli & terræ creator atque gubernator, agnoſcitur & adoratur. Sancti vero inferiore honoris gradu, tanquam Dei amici, qui gratia apud ipſum valent, afficiuntur. Sed Ethnici verum Deum ignorabant, & iſtos quos dixi in ejus locum ſubſtituebant, & quaſi Deos venerabantur. 2. Nullum eſt dubium quin Sancti & Martyres, quos Romano-Catholici colunt, aliqua animi veneratione ob eximias eorum virtutes, & conſtantiam in perſecutionibus, ſint digni. Sed Aſtra ſenſu & ratione deſtituta colere ridiculum eſt. Memoriæ impiorum & ſceleratorum regum, qualis fuit Jupiter, nullus debetur honor. Dæmones ut Dei & virtutis oſores, omnibus piis execrationi eſſe meruerunt. 3. Pontificii quidem Sanctis ſcientiam tribuunt divinæ quodammodo æmulam, per quam preces noſtras audiant, & neceſſitates perſpectas habeant; licet Scriptura omnem à mortuis cognitionem removeat: *Eccleſ.* IX. 5, 6. *Job.* XIV. 21. Sed illorum errorem id aliquatenus minuit, quod profiteantur Sanctos ſcientiam iſtam non ex ſe, ſed ex Dei dono habere. Gentiles vero inexcuſabiliter errant, dum falſis ſuis numinibus ſcientiam & potentiam independentem, qualis ſummo Deo ſoli convenit, adſcribunt.

Secundo loco conſideranda venit Imaginum veneratio, quam nullus in Sacris literis aliquantum verſatus ignorare poteſt Chriſtianis eſſe indignam. Procumbunt enim coram iis in genua, aperiunt caput, preces ad eas dirigunt, vota faciunt, cereos iis accendunt, thus adolent, donaria offerunt, coronas imponunt, veſtibus pretioſis amiciunt, publice in proceſſionibus circumgeſtant, peregrinationes ad illas inſtituunt. Quæ adeo bilem moverunt Polydoro Virgilio, ut non veritus ſit ſcribere: *Eo inſaniæ deventum eſt, ut hæc pietatis pars parum differat ab impietate. Sunt enim bene multi rudiores ſtupidioreſque, qui ſaxeas, vel ligneas, marmoreas, aneas, ſeu in parietibus pictas, variiſque coloribus litas imagines colant, non ut figuras, ſed perinde quaſi ipſa ſenſum aliquem habeant, & iis magis fidant quam Chriſto, vel aliis Divis quibus dicata ſunt.* De invent. rerum lib. VI. cap. XIII. Et quamvis Concilii Tridentini Patres probe ſcirent hanc eſſe petram ſcandali, ad quam plurimi è vulgo offenderent, non curarunt tamen illam removeri, quemadmodum ex officio tenebantur, & omnes pietatis ſtudioſi ab iis expectabant. Sed decreto ſuo ambiguis locutionibus concepto ſuperſtitionem paſſim receptam potius confirmarunt, quam ullum ei remedium attulerunt. Sancientes, *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, &c.* Non tamen declarantes, prout ad abuſus præcavendos fieri oportuiſſet, qua in re debitus ille honor & veneratio conſiſtant. Et nullam imaginum Dei paſſim erectarum facientes mentionem; ideo, ut conjicio, quod ſecundæ Synodo Nicenæ, in qua improbantur, non auderent contradicere, & tamen id quod in Eccleſia Romana jamdudum uſitatum eſſe noverant non liberet ipſis reformare. Porro iſtam Synodum laudantes in eo quod conſtituit, *ut omnes imaginibus ſalutationem & honorariam adorationem exhibeant, non tamen veram latriam, &c.* quæ etiam pronunciat ut *quicunque ſententias Sacræ Scriptura de idolis contra venerandas imagines adducunt anathema ſint.* Ne igitur laici, quos vocant, ſcire poſſint quam crebro & diſerte Scriptura omnem imaginum cultum damnet, Antiſtites ſacrorum ipſos ab ejus lectione arcent, ſub hoc excogitato colore, quod *inde plus detrimenti quam utilitatis oriatur.* Et in Catechiſmis, Officio B. Virginis, & aliis ejuſmodi libellis, quos loco Scripturæ populo tradunt & commendant, ſecundum Decalogi præceptum ſolent omittere, ne forte magis quam brutum anathematis ſui fulmen, aliqui expreſſum iſtud Dei interdictum vereantur: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Quibus verbis, omnis generis ſculptile & ſimilitudinem abſque exceptione comprehendentibus, non minus imaginum Abrahami, Joſephi, & ſimilium ſanctorum cultus, ſi quis eum inter Iſraëlitas inſtituere aggreſſus eſſet, quam idolorum Gentilium prohibetur; ut fruſtra effugium quæratur in diſtinctione inter imaginem & idolum; quaſi ſolummodo idolorum, & non etiam imaginum cultus Deo diſpliceret. Nullatenus ergo ſuperſtitiones quæ circa imagines exercentur probo, aut excuſare volo. Utinam nullæ amplius fierent, & omnes qui Chriſti nomen invocant ab iis non minus quam

Ep.607. Judæi aut Mahometani abhorrerent. Nam quamvis forte modum excedant, nihil tamen detrimenti inde ad Chriſtianam religionem rediret. Uſus certe quem dicuntur præſtare, ut ſint idiotarum libri, non eſt tanti, ut ideo in periculum idololatriæ conjicere quemquam oporteat. Sed religio mihi eſt eo uſque progredi, ut illas eodem cum Ethnicorum idolis habeam. Nam etſi inter modum colendi aliqua ſit affinitas; tamen ingens reſtat adhuc inter Chriſti atque ſanctorum ejus imagines, & Jovis, Dianæ, Mercurii, atque Dæmonum quos Gentiles colebant ſimulacra diſcrimen. Neque negari poteſt quin illæ in aliqua apud nos exiſtimatione eſſe debeant, propter eos quos repræſentant, ut parentum icones eſſe ſolent, quas tanquam κειμήλια ſtudioſe cuſtodimus; hæc contra omnium bonorum abominationem mereantur. Non puto etiam omnes qui cum Eccleſia Romana communicant, peccati iſtius circa imagines eſſe accuſandos. Sunt plurimi, præſertim in Gallia, docti & pii viri, qui ſerio ſuperſtitiones iſtas improbant, & toto animo exoptant ut coërceantur. Et magna laude digna eſt Synodus Moguntina, quæ ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo, poſt decem Concilii Tridentini celebratas ſeſſiones, non expectata illius concluſione, auſa eſt pronunciare, *Imagines non ad adorationem aut ad cultum iis deferendum in templis proponi; ſed ad ea tantum in memoriam revocanda quæ adorari oportet. Quod ſi ad imaginem aliquam populus confluat, cui homines opinionem quandam divinitatis tribuunt, eam hoc caſu inde auferendam, aut aliam diverſæ magnitudinis in ejus locum reponendam; ne populus inducat animum credere, Deum & Sanctos ſupplicum votis annuere per imaginis illius ſolummodo interceſſionem.* Hiſtor. Concil. Trident. lib. III. Cum qua conſentit Henricus Holden Doctor Sorbonicus, in ſua nuper edita Divinæ fidei analyſi; ubi dicit, *hanc eſſe univerſalis Eccleſiæ doctrinam Catholicam: 1. Imagines Chriſti Domini, Dei para virginis, nec non & aliorum ſanctorum, haberi ac detineri poſſe, præſertim in templo. 2. Hujuſmodi imaginibus honorem & venerationem aliquam quodammodo impartienda eſſe.* Et aliquanto poſt, non obſcure Trinitatis & Dei imagines, ſicut & uſum vocabulorum *adoratio* & *adorare*, cum agitur de veneratione imaginum, improbat. Quibus ſi reliqui omnes Catholici ſubſcribere vellent, libenter eos, quod ad me attinet, à crimine non ſolum idololatriæ, ſed etiam ſuperſtitionis hac in parte, abſolverem.

Tertio, quod ad cultum Euchariſtiæ, obſervandum eſt duplex eſſe poſſe adorationis quæ illic exerceatur fundamentum; nempe vel Tranſubſtantiationem, ut vocant, vel præſentiam Chriſti ſpiritualem, cujus ſymbolum ſint panis & vini elementa. Et quod tranſubſtantiationem ſpectat, cum illa nihil aliud ſit niſi ridiculum humani ingenii commentum, eam pro adorationis fundamento aſſumere nemo poteſt, quin ſe manifeſta & palpabili idololatria polluat, ſummum latriæ cultum, quem ſoli Deo deberi omnes agnoſcunt, pani & vino deferendo. Quod etiam Jeſuita Coſterus fatetur in Enchiridio ſuo, dicens, *nullam unquam viſam vel auditam fuiſſe in univerſo mundo idololatriam ſimilem illi quam Eccleſia Romana committeret, ſi verum Jeſu Chriſti corpus in Euchariſtia Sacramento non contineretur.* Acquieſcimus ergo in condemnatione quam adverſus ſeipſum & ἀμοιβαῖον pronunciat, cum ſimus certi nullam ibi Tranſubſtantiationem fieri. Nam ea repugnat, 1. Scripturæ Sanctæ quæ diſerte dicit fideles in Euchariſtia panem comedere: 1 *Corinth.* XI. 26, 27, 28. 2. Rationi, quæ docet corpus Chriſti, quod jam exiſtit, denuo fieri non poſſe, ſaltem ita ut quod recenter fit, idem ſit cum eo quod jamdudum fuit. 3. Senſibus, qui nullam fieri in pane & vino mutationem docent; ſed poſt verba conſecrationis, ut vocant, prolata, eandem prorſus manere figuram, quantitatem, colorem, ſaporem, nutriendi vim, & corruptibilitatem quam ante habebant. Sed quia indubium eſt Dominum Jeſum ſpiritu præſentem eſſe in Euchariſtia, cum ex ipſius mandato in cœtu Chriſtianorum celebratur, ſecundum id quod promiſit, ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio *eorum*: *Matth.* XVIII. 20. iſto reſpectu nihil prohibet quominus ipſum in hac actione adoremus. Imo nos tenemur id facere, cum ritus iſte à Chriſto ſit inſtitutus, ut ipſi pro ineffabili ſua dilectione, qua maledictam crucis mortem ad nos ſalvandum ſubire non refugit, gratias ageremus: quod ſine adoratione & laudum ejus religioſa celebratione fieri nequit. Hoc ſe facere dicunt Catholici cordatiores, qui Tranſubſtantiationem non credunt, aut ſuſpectam habent, & ſe unicum Jeſum Chriſtum, cui omnis cum Patre honor & gloria in Spiritu Sancto debetur, in Euchariſtia adorare profitentur. In quibus nihil aliud deſidero, niſi quod interim conniveant ad aliorum cum quibus communicant idololatriam, non ignorantes ipſos adorationem ſuam ad ſymbola Euchariſtica dirigere, quaſi Jeſus Chriſtus illic corporaliter eſſet præſens, pane & vino in corpus ejus ſubſtantialiter transformatis, ſoliſque accidentibus illorum remanentibus. Prætexunt quidem Concilium Tridentinum nihil aliud à ſe requirere, cujus Canon VI de Euchariſtia ſic habet: *Si quis dixerit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo, adorandum, anathema ſit*, &c. Sed an ejus mentem ſatis aſſequantur, ipſi viderint; cum iſte Canon ex præcedentibus pendeat, in quibus Tranſubſtantiationis dogma ſancitum, & inſtar fundamenti adorationi hoſtiæ quam Sacerdos ad altare manibus tenet & elevatam populo oſtendit, ſubſtra-

Ep.607. ſtratum fuit. Quod vero exiſtimant licitum ſibi eſſe coram illa procumbere, tanquam præſentiæ Jeſu Chriſti ſpiritualis ſymbolo, veluti olim Iſraelitæ ante arcam fœderis, de qua mandatum acceperant, *Adorate ad ſcabellum pedum ejus: Pſal.* XCIX. 5. id non caret mali ſpecie, & adſtantibus offendiculum præbere poteſt, quaſi non Jeſum Chriſtum ſolum, ſed etiam hoſtiam illam, quæ merus panis eſt, adorent. Sed quia iſtud habent commune cum illis Proteſtantibus qui adgeniculantes Euchariſtiæ participant, quorum fraternitati cæteri non ideo renunciant, non facile etiam in illorum, tanquam idololatrarum, condemnationem conſenſerim; ſed potius Dei judicio, qui mentem eorum videt, & ex quo fonte proficiſcatur id quod faciunt perſpectum habet, relinquendos eſſe exiſtimarim.

Et hæc ſpeciminis inſtar de Romanæ Eccleſiæ ſuperſtitionibus delibaſſe nunc ſufficiet. Inde enim quid de cæteris affinibus ſentiam facile tibi erit colligere. Quamvis autem eas omnibus qui in illius communione vivunt indiſcriminatim impingere nolim; ſciens quamplurimos, qui non contemnendam corporis iſtius partem conſtituunt, ab iis eſſe alienos, & optare ut emendentur; tamen cum Pontifex Romanus, qui ſe pro ejus capite gerit, celeberrimique & doctiſſimi Prælules, ingenti plebis turba comitati, mordicus eas defendant, & reformationem ſuadentes oderint & inſectentur, credo Proteſtantes juſtiſſimam ſuperiore ſeculo habuiſſe ſeceſſionis cauſam, nec bona conſcientia ad eam redire nos poſſe, quamdiu gubernatores, & qui maxima potentia pollent, non ſolum in peccatis ſuis obſtinate perſeverant, ſed etiam cæteros ad aſſentiendum cogunt. Oportet enim obſervare eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt præter doctrinam quam ex Euangelio didicimus, & *declinare ab illis: Rom.* XVI. 17, 18. Quod præcipue tenentur facere qui veritatem noverunt. *Scienti enim facere bonum, & non facienti, peccatum eſt illi: Jacob.* IV. 17. *Et ſervus qui novit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: Luc.* XII. 47. Sed tamen procul abſum ab illorum ſententia qui putant Eccleſiæ Romanæ cultum, nihilo idololatria Ethnica eſſe tolerabiliorem. Nihil enim ſani erat in Gentilium religione, ſive objecta ſpectes quæ colebant, Aſtra, Principes impios defunctos, Dæmones; ſive in modo quo illa edebant, cum omni genere petulantiæ & ſpurcitiæ. Ideoque Deus non juſſit eam reformari, ſed penitus eradicari. Eccleſia vero Romana retinet adhuc Religionis Chriſtianæ fundamentum; agnoſcit Scripturam Sanctam eſſe verbum Dei & infallibilis veritatis, nec audet ei contradicere; etſi defectum quem imaginatur in illa, traditionibus ſuis & variis inventionibus humanis ſupplere præſumat. Nihil ergo aliud requiritur, niſi ut additamenta iſta, quibus obfuſcatur veritas, removeantur, & Eccleſia Ro- Ep.607.
mana in priſtinum illum ſplendorem, quem habebat tempore B. Pauli, cum fides ejus annunciaretur in univerſo mundo, *Rom.* I. 8. reſtituta erit. Celebratur in ipſa Sacrificium Euchariſticum, quod Dominus Jeſus in commemorationem mortis ſuæ inſtituit; falſis quidem aliquot opinionibus conſpurcatum; ſed quarum odio non oportet id quod bonum eſt abolere. Quod perinde foret ac ſi quis ad domum ſuam à ſordibus repurgandum, eam everteret aut incenderet. Eccleſia Romana majorem aliquanto affinitatem habet cum decem Iſraelitarum tribubus, quæ vitulos à Jeroboamo in Dan & Bethel erectos colebant, quaſi Dei illius eſſent imagines, qui majores ſuos ex ſervitute Ægyptiaca liberaverat. Sed negari nequit quin purius in ea colatur Deus, quam inter Iſraelitas. Nam quamvis habeat aliquas Dei imagines, illæ decreto Magiſtratus publico, aut Synodali auctoritate, propoſitæ non ſunt ad adorandum, multique celebres doctores aperte abuſum iſtum damnant. Quod apud Iſraelitas non licuiſſet impune, ut docent duæ celebres hiſtoriæ, quarum altera legitur 1 *Reg.* XIII. altera vero *Amos* VII. Adeo ut illæ Dei imagines quæ apud Romano-Catholicos alicubi conſpiciuntur, pro ſuperſtitione privata haberi debeant, non pro lege publice recepta aut approbata. Quare non aſſentior illis qui omnia quæ Scriptura de Gentilibus & abominanda ipſorum idololatria dicit, Pontificiis applicant, quaſi nihil aut parum admodum inter utroſque eſſet differentiæ; & ſuadent ut adverſus eos ſecundum id quod lex Moſaica decernit de Cananæis procedatur, quæ Iſraelitis edicebat; *Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum. Diſſipate aras earum, & confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: diſperdite nomina earum de locis illis: Deuter.* XII. 2, 3. Et præcipiebat ut abſque miſericordia interficerent eos qui deficiebant ad alienos Deos, aut aliquem ad ejuſmodi defectionem clanculum inſtigabant, quamvis eſſet frater uterinus, vel filius, vel filia, vel uxor, vel amicus intimus; imo ſi forte tota aliqua civitas apoſtaſiæ ad Deos alienos rea comperiretur, omnes ejus incolas, & pecora ipſa, percuterent in ore gladii, omnemque ſuppellectilem ibi inventam cum ipſa ſuccenderent, nec liceret illam rurſus ædificare, ſed deſolata maneret in æternum: *Deut.* XIII. Iſtæ enim politicæ conſtitutiones ſolos Iſraelitas obligabant, uti Calvinus id agnoſcit in ſua Inſtitut. lib. IV. cap. XX. ſect. XVI. & cum illo fere omnes Theologi Proteſtantes. Et à Chriſtianis Magiſtratibus non obſervantur hodie in pœna furti, adulterii, & multis aliis. Imo qui eas urgent in cauſa idololatriæ & hæreſeos, ſe diſpenſatos putant ab iſto mandato: *Sculpti-*

Ep.607. *lia eorum igne combures : non concupiſces aurum & argentum de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quicquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut illud eſt. Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt :* *Deuter.* VII. 25, 26. Nimis ſplendet in ipſorum oculis aurum & argentum ex quo imagines ſunt conflatæ, aut ex mulctis & ſpoliis hæreticorum collectum, ut igne id velint conſumi. Sed ſi lex non obligat in uno capite, neque etiam in alio, privati enim arbitrii non eſt partem quæ arridet aſſumere, & eam quæ diſplicet repudiare. Præterea obſervandum eſt leges pleraſque quæ externum cultum ſpectabant, & ſpeciatim iſtas de idolis & idololatris exſcindendis, pro terra Canaan fuiſſe datas, ut apparet ex præfatione præfixa : *Hæc ſunt præcepta atque judicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus patrum vorum daturus eſt tibi, ut poſſideas eam cunctis diebus quibus ſuper humum gradieris. Subvertite omnia loca*, &c. *Deut.* XII. 1. Et ex eo quod ſæpe ibidem inculcatur, de ſacrificiis extra Cananæam & locum quem Deus in illa elegiſſet non offerendis. Nec eas Iſraelitæ uſurpare debebant adverſus alios Ethnicos, extra regionem quam Deus in poſſeſſionem ipſis dederat habitantes, ſi forte eos bello deviciſſent; Deus enim expreſſe inter utroſque diſcrimen facit ; & longe majore lenitate vult agi cum iis qui degebant extra terram Canaan, quam cum illius incolis : *Deuter.* XX. 10. *& ſeqq.* Quinetiam poſtea in Cananæa ipſa decem Iſrachitarum tribus defectrices ab iſtarum legum rigore exceptæ fuerunt : nempe quia Dei legem aliquomodo adhuc, licet valde corruptam, retinebant. Nam cum Judæi ſub Roboamo cum ingenti exercitu pararent ſe ad eos bello impugnandum, prohibiti fuerunt à Deo, dicente ; *Non aſcendetis neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael*: 1 *Reg.* XII. 24. Sed inquies ; laudantur in Scriptura pii aliquot Reges Juda, qui collapſum in regno ſuo Dei cultum reſtituerunt, & idololatriam omnem aboleverunt, ut Aſa, Joſaphat, Amaſias: & ſupra cæteros Ezechias, quod excelſa diſſipaverit, ſerpentemque æneum quem fecerat Moſes confregerit, quia filii Iſrael incenſum illi adolebant : 2 *Reg.* XVIII. 3, 4. Item Joſias, quod etiam excelſa ſuſtulerit, & altare quod erat in Bethel polluerit, ſupra ipſum oſſa hominum è ſepulcris deſumta comburens, & ſimul in cineres redigens : atque in Samaria Sacerdotes excelſorum qui ibi erant occiderit ſuper altaria, oſſaque humana ſuper ea combuſſerit: 2 *Reg.* XXIII. Et notatur in quibuſdam aliis Regibus, cætera piis & Dei timentibus, tanquam ὕστερον ſeu defectus non exiguus, quod excelſa in quibus populus ſacrificabat demoliti non fuerint. Teneri itaque Magiſtratus Chriſtianos, ad illorum exemplum, omnem idololatriam & ſuperſtitiones Pontificias in ditionibus ſuis abolere, & penitus eradicare, ſi cupiant ut Deus regimini ipſorum benedicat. Sed obſervandum eſt qua in re conſtiterit iſta reformatio, ne præpoſtere ad ea quæ non ſunt juriſdictionis humanæ trahatur. Omnem externam idololatriam, de qua ne illi quidem qui ejus rei erant dubitare poterant quin pugnaret adverſus legem, ſuſtulerunt: ſimiliter excelſa, quæ contra expreſſum Dei interdictum, ne alibi quam in loco quem Deus elegiſſet (qui fuit primum Silo, ubi Joſue fixit tabernaculum, *Joſu.* XVIII. 1. & 1 *Sam.* I. 3. deinde Nob 1 *Sam.* XXI. 1. denique Hieruſalem & templum Salomonis, 1 *Reg.* VIII. 10. & IX. 3.) ſacrificia offerrent, extructa fuerant. Sed cum aliqua fuit lis de ſenſu legis, inter pios qui illam pro divina amplectebantur, & ſe ejus auctoritati ſponte ſubjiciebant, Reges iſti nunquam conſtituerunt ut hæc opinio potius quam illa reciperetur. Indeque factum eſt poſtea, ut controverſiæ inter Phariſæos, Sadducæos & Eſſenos exortæ, qui ſinguli legem Dei opinionibus ſuis favere aſſerebant, indeciſæ manerent; quia deciſio nonniſi à Propheta, & per revelationem Dei extraordinariam, fieri poterat ; Deus autem tunc temporis Judæos non amplius per Prophetas alloqueretur. Imo Judæi ſub Machabæorum dominium, ne quidem auſi ſunt privato arbitrio quicquam ſtatuere de lapidibus altaris holocauſtorum, quos gentiles impuris ſuis oblationibus contaminaverant. *Sed repoſuerunt lapides* iſtos *in monte domus in loco apto, quoad uſque veniret Propheta, & reſponderet de illis*, 1 *Mach.* IV. 44, 45, 46. Quam moderationem ſi Chriſtiani Antiſtites fuiſſent imitati, non tot haberemus temerarias deciſiones de rebus nuſquam in verbo Dei clare revelatis, quarum occaſione Eccleſia in partes miſere lacerata fuit. Nec Joſias interemit Sacerdotes Samariæ, & ſuper altaria ſua immolavit, propter cultum vitulorum à Jeroboamo fabricatorum ; ſed in ultionem idololatriæ mere Ethnicæ quam exercebant, quemadmodum & illi qui juſſu Eliæ & Jehu occiſi fuerunt: 1 *Reg.* XVIII. & 2 *Reg.* X. quod ſecundum legem ſupra memoratam *Deuter.* XIII. facere tenebatur. Et quamvis Deo omnis idololatria ſive circa vitulos, ſive circa imaginem Baal commiſſa valde diſpliceret, non tamen utramque eodem loco habuit; ut inter alia videre licet in eo quod de Achabo rege Iſrael memoratur. *Non ſufficit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat; inſuper ſervivit Baal & adoravit eum ; irritans Dominum Deum Iſrael ſuper omnes Reges Iſrael qui fuerunt ante eum* : 1 *Reg.* XVI. 30. *& ſeqq.* Imo laudatur Jehu, licet vitulorum cultor, ob zelum quem oſtendit in abolenda Achabi

Ep.607. Achabi idololatria, & Deus ei dicit; *Quia ſtudioſe egiſti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui uſque in quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael*: 2 *Reg.* X. 18. *& ſeqq.* Sed iſtud manifeſtius adhuc apparet ex hiſtoria quæ legitur 2 *Reg.* XVII. 25. cujus ſumma eſt: Cum Deus immiſiſſet leones in Gentiles qui Samariæ civitates incolebant, poſt abductas in captivitatem decem tribus; rex Aſſyriorum ut huic malo mederetur, conſultum judicavit illuc ablegare ſacerdotem Iſraelitam, qui doceret eos quomodo deberent Deum colere. Et ſic Deus erga ipſos fuit placatus, licet non ei ſoli, ſed etiam idolis ſuis ſervirent. Unde duo diſcimus. 1. Religionem Iſraelitarum qui Deum verum ſub imaginibus vitulorum colebant, vitam fuiſſe tolerabiliorem Deo quam Gentilium qui ipſum non timebant, ſed tantum ſua idola. 2. Gentiles qui Deo & idolis ſimul ſerviebant, magis placuiſſe Deo iis qui ſola idola colebant. Cum ergo, ut ſupra oſtendi, Eccleſiæ Romanæ ſuperſtitiones gravitate non æquent idololatriam vitulorum quam Jeroboam introduxit, ſequitur ab æquitate eſſe alienum, pejus earum ſectatores Iſraelitis idololatris excipere velle. Illud quidem ad exemplum regum Juda fieri recte poſſet, ut ſicubi Pontificii imagines Dei, Jeſu Chriſti, aut Sanctorum, in ditione Proteſtantium publice erigere & colere auderent, illæ auctoritate Magiſtratus tollerentur. Multo enim potiori jure iſtud facere iis liceret, quam Ezechiæ ſerpentem æneum in pulverem comminuere; quia ille juſſu divino olim fuerat erectus, & iis qui morſi fuerant à ſerpentibus ad ſpectandum propoſitus: de his vero nullum extat Dei mandatum, ſed contra in variis Scripturæ locis damnantur, ut *Deuter.* IV. 15. & V. 8. Sed præcipue dignum eſt imitatione factum Joſaphat, qui aliquos de ſuis Principibus miſit, & cum iis Levitas, qui circumirent cunctas urbes Juda, atque erudirent populum: 2 *Chronic.* XVII. Hæc eſt demum vera ratio omnem idololatriam & ſuperſtitionem abolendi, eas per bonam inſtitutionem è cordibus hominum eradicare. Sic enim nullus erit metus ut repullulent. Edicta vero & coactio forte quidem ad tempus illas coërcent, ſed nunquam ſanant. Et ſuſpectam reddunt veritatem, quaſi ex ſe nimis infirma ſit ut prævaleat mendacio, niſi armis & potentia carnali defendatur. Quam viam ſi Magiſtratus in craſſioribus vulgi ſuperſtitionibus, quæ nemini intelligenti unquam placuerunt, ex Eccleſia eliminandis ſequi teneantur, multo magis ubi agitur de ſubtilioribus fidei quæſtionibus, de quibus inter doctos & veritatis ſtudioſos diſputatur: maxime cum Theologi qui opiniones eorum quos vocant hæreticos oppugnant, & in omnium odium adducere ſtudent, non audeant diffiteri illas eſſe probabiles, & rationi humanæ conſentaneas; & certum ſit neminem de illis recte pronunciare poſſe, niſi qui non ſolum in Scripturis egregie ſit verſatus, ſed etiam qui animum habeat omnibus præjudiciis & affectibus vacuum; quales pauci ſemper, præ reliquorum multitudine, reperiuntur. Vereri enim debent ne eradicent triticum, putantes ſe avellere zizania, & ne perſequantur Chriſtum, dum ſe exiſtimant punire hæreticos; ut ſæpe antea factum eſſe, & hodie adhuc multis in locis fieri, ipſi norunt & conqueruntur. Quod enim aliis hominibus contigit, id à ſe, qui homines etiam ſunt, alienum putare non debent. Ep.608.

Hæc ſunt, amice quamplurimum obſervande, quæ breviter de iſta materia tibi reſcribenda putavi; non quidem pro ejus merito & amplitudine, ſed ita tamen ut hæc duo ſufficienter animadvertere queas. 1. Me nullo modo ſuperſtitionibus aut idololatriæ favere, aut eas quæſitis coloribus palliare velle; ſed optare ex animo ut Chriſtianus orbis tandem aliquando penitus ab illis repurgetur, ne amplius Judæis & Mahometanis offendiculo ſimus, & converſionem illorum remoremur. 2. Nihilominus non exiſtimare idem de Pontificiis, qui illis adhærent, judicium quod de Ethnicis ferri debere, aut conſtitutiones legis Moſaicæ, & piorum Juda regum exempla recte uſurpari ad oſtendendum Magiſtratus Chriſtianos ex officio, quod exercent, teneri eorum vel aliorum in fide errantium coetus diſturbare. Præſtare igitur illos, cum alia tutior via non ſuperſit, Dei judicio relinquere, qui ut miſericors eſt erga peccantes ex ignorantia, ita profanos veritatis ſuæ contemtores, & qui eam in injuſtitia detinent, inultos non ſinet: atque interim manſuetudine, patientia, benignitate, quæ genuinorum Chriſti diſcipulorum ſunt notæ & propria, allicere; ſi quando Deus det ut oculos aperiant, & errores in quibus immerſi jacent, agnoſcant & deſerant. Quod ut pro immenſa ſua miſericordia brevi facere dignetur ex intimo corde rogo. Cui etiam te, & tua ſtudia commendo. Vale. Amſteldami, 24 Martii 1656.

EPISTOLA VIII.

D. GUILIELMO HATTEM

Paſtori Reformatæ Eccleſiæ apud Veteramnates,

JOANNES NÆRANUS.

REverende Vir, Frater in Domino dilecte, Si tu frater es mihi, obſcurum non eſt qualem me conveniat eſſe tibi, niſi quantum habet caritatis vocabulum fratris, tantundem non habet veritatis. Dubitare potes de veritate? Ego nullus dubito, quin utrique noſtrum, quan-

Ep.608. quantumvis dissentientibus, Pater sit Deus, frater primogenitus, Dei Filius, idemque Deus in sæcula benedictus; dummodo ne fraternæ caritatis officio desimus; qua, qui est imbutus, is demum & natus ex Deo est, & novit Deum: qui non est, Deum non novit; quantumlibet de Deo accurate disputet. Deus, ut ipsa est caritas, ita ad caritatem refert omnia, ad studium diligendi, non ad subtilitatem credendi. Quantum diligimus, tantum intelligimus. Compendium, complementum, finis ac scopus legis, caritas: spiritus, anima, vita, vis salutaris fidei, est caritas. Disciplinæ Christianæ alumnos germanos à spuriis distinguit alma caritas. At friget passim, alibi extinctum est caritatis studium, fervet veritatis, raro necessariæ, sæpe supervacuæ, non raro abstrusæ & mentis humanæ captum excedentis; fervent studia partium, jurgia, odia clericorum ambitiosa, laicorum imperita. Hæc illa hæresis, quam sententia Apostolica damnat, inter opera carnis, aliam non agnosco, quam erroris, imo etiam veritatis turbidæ, factiosæ, violentæ, ex sapientia illa, non quæ cælitus orta & inspirata, intaminata est, facilitate, obsequio, æquitate, candore, pacis studio bonis se omnibus commendat, & plena misericordiæ est, ac fructuum bonorum; sed quæ terræ filia, humana, diabolica est. Hinc illæ lacrymæ tot dissidiorum, tot bellorum, malorumque & cladium per orbem Christianum. Piscator ictus sapit, experientia proficit stultus, sensu eruditur asinus; nondum nos de cælo tacti, tot prodigiis admoniti numinis infesti? Sed quod volo, hoc est, colloqui tecum de rebus quæ faciant ad pacem, non Ecclesiasticam, quam vestri Trajectini, miro cum supercilio & ludibrio, exigua sane cum laude suæ probitatis, candoris, æquitatis, pietatis, solertiæ, nuper indigne explosérunt. Et fuimus, & erimus omni tempore ad eam, cum bono Deo, amplectendum longe facillimi. Ego tecum, si hoc velle atque audere possis, transegerim una conditione, qua nihil, aut simplicius, aut plenius, aut expeditius, aut salubrius, aut sanctius suppeditat ratio humana, & authoritas divina. Eam, ad pacem, & cum Deo, & cum hominibus, præscribit Servator *Matth.* VII. in hæc verba: *quicquid volueritis ut homines faciant vobis, idem & vos facitote illis*: sic enim est. Hoc unum volunt, urgent, inculcant, *Lex & Prophetæ*. Hanc conditionem si rejicere potes, pacem potes, ex hac lege si vivere mecum & agere potes (potes autem si vis, & debes velle, si vis morem gerere Christo, parere Legi & Prophetis) in pace vivemus ac fraterna conjunctione. Sed ego aliam jam pacem, civilem videlicet meditor: at meo Marte, consulto, conscio nemine. De illa me auditurus, si placet, horam mihi constitues, qua vel ego ad te, vel tu accedas ad me: vel, quod præoptem, si à convictu & pane non abhorres excommunicatorum, cras, nisi in mora periculum, te nobis, cum socia vitæ, sistes in cœnam: sed Theologicam. Fraterne, id est, familiariter vos excipiemus, pro loci annona & invitantium fortuna. Interea bene vale cum parte tui altera, & animum si vis meum habere exploratum, fac periculum quovis experimento; invenies tibi affectu fraterno addictum Ep.609.

JOANNEM NÆRANUM.

Ex musæo hora vespertina, VIII Idus Novembris, 1656.

IↃC IX.

N. N.

ROBERTUS EUSTACHIUS S.P.

VIr clarissime, mihique plurimum colende. Litteras tuas x Februarii datas magna cum voluptate legi, utpote significatione amoris, quo me immerentem prosequeris, itemque sollicitudinis de meo statu, cui & consilio succursum is, refertas: quo nomine plurimum obstrictum me tibi fateor. Ego me hic etiamnum tolero in pago urbi vicino, nec uilum adhuc à militibus damnum, quod quidem reputari mereatur (Deo sit laus) retuli, quamvis viciniam proximam etiam ad sagittæ jactum non semel infestaverint. Quod in urbe mihi vestra refugium ostendis tutum, id magno mihi solatio fuit, utarque lubens consilio tuo, si quid hic gravius ingruat: interim, quamdiu spes nos aliqua melioris auræ tenet, hinc non facile me in loca tam longinqua movebo, præsertim cum familia, quam per Dei gratiam satis numerosam habeo. Nec vero cura Ecclesiarum his in oris deferenda mihi videtur, quamdiu dabitur iis aliquis adhuc locus, nec modus vivendi, quo hic utimur tolerabili cum vestro nimium sumptuoso commutandus. Quanquam enim Dei immortalis munere mihi suppetat, unde me meosque ad tempus sustentare possem: illa me tamen copia, si nihil aliunde accedat, facile defecerit. Et ut mihi non longum restet vivendi spacium, cum LXVIII ætatis annos jam excesserim: inhumanum tamen videtur, si patrimonium omne vivus absumerem, & uxorem deinde cum tot liberis alienæ misericordiæ in peregrina natione relinquerem. Ut ex opera aliqua litteraria, ad quam per Dei gratiam satis adhuc mihi virium suppetit, rem istic faciam, non facile sperandum est ob invisum meum nomen, quod omnes abhorrebunt: at me litterulas stulti docuere parentes, nec præter illas artem aliam didici, & hæc quoque ætas ad discendum sera est. Gener meus, I. S. de quo quæris, Dei beneficio valet quidem, & in eodem mecum agit contubernio: sed & illum iniquitas temporum in angustias non exiguas rede-

Digitized by Google

Ep.609. redegit, quandoquidem à biennio & semestri, quod hic agit, promissum è Polonia salarium frustra adhuc præstolatur. Frater illius Christophorus cum nonnullis auditorum suorum nobilium in Silesiam secessit, & Cruciburgi nunc agit XII à Vratislavia milliaribus sub patrocinio Ducis Brigensis, unde nonnunquam in Poloniam ad obeunda sacra excurrit. Cæteri amicorum nostrorum, quos tu nosti, omnes Cracoviæ inclusi sunt, quo florentioribus Suecorum rebus velut in asylum refugerant, ut grassantium in se popularium, præcipue rusticorum montanorum, impetum evitarent. Circa Lublinum tamen & in Volinia, immo & in Lithuania sub Moscho, nonnullis nostrum munere suo per intervalla fungi licuit: nunc quid fiat, postquam Ragocianæ expeditionis fama belli molem versus Hungariæ confinia traxit, ignoro. Ad quæstionem de Sabbato, quam ipse proposueram, illud respondendum censeo, sanctimoniam Sabbati ab exordio quidem mundi à Deo decretam ob perfectam ante illud rerum creationem, legem tamen de illo feriando jam tum nullam fuisse latam, quæ genus humanum universum obstringeret, sed populo demum Israelitico, accedentibus & aliis illi peculiaribus causis, irrogatam, quæ proinde cæteras gentes, nisi Israelitis immixtæ habitarent, non innodaret. Ipsimet Judæi, si bene memini, Sabbati religionem non includunt præceptis Adamo Noæque datis. Unde recte tu observasti, primam observandi Sabbati mentionem *Exodi* XVI haberi, ubi religio illius Israelitis manifesto cohibitæ mannæ documento commendata fuit. Cæterum si quæratur, an nos etiam, qui Christo nomen dedimus, Sabbati vinculo constringamur: respondere velim cum Apostolo, neminì jus esse
Coloss. 2. 16. 17. nos damnandi *ἐν μέρει* diei festi, aut novilunii aut Sabbatorum, ut quæ fuerint umbra rerum futurarum, cum nos corpus, quod est Chri-
Rom. XIV. 5. sti, teneamus. Nam & idem Apostolus alibi tam eum, qui diem quemvis peræque æstimat, quam qui diem præ die æstimat, in animo suo plene certum esse jubet, puta, se, quod agat, recte agere, cum quicquid non est ex fide pro peccato habeatur. Quin & *Act.* XV. cum in Synodo Hierosolymitana leges quædam rituales ethnicis ad Christum conversis ad sanciendam inter ipsos & Israelitas conversos concordiam ferrentur, nihil illis de Sabbatorum feriis inculcatum legimus. Ponitur quidem ibidem Mosi ab antiquo id honoris haberi, ut in Synagogis per omne Sabbatum legatur: nulla vero lex ibi promulgatur, ut id in Ecclesiis Christi perpetuo fiat. Quanquam vero existimem, nos præcepto decalogi de Sabbato directe non obligari: recte tamen sic concludi putem, si Israelitæ septimam vitæ partem cultui divino consecrari jussi sunt, quid nos facere æquum est, quibus non, ut illis, terrena, sed cælestis felicitas est promissa? Item, Si Deus Israelitas & sibi, & familiæ & pecori quietem septimo quoque die indulgere voluit: Ep.610. nos utique par est haud magis illis labori reliquæ faciendæ intentos esse, & familiam pecusque nostrum laboribus fatigare. Sic vero & alias rituales leges in usum Christianorum trahi posse credo: verbi gratia, jubebantur Israelitæ & primitias frugum atque primogenita, itemque decimas Deo consecrare: tantundem igitur & Christiani, aut etiam amplius, de facultatibus suis decidere, & vel Dei promovendæ gloriæ, vel usui pauperum impendere merito debebunt, si modo eo carere possint. Atque hæc quidem ista de re mea nunc est sententia: tu si quid rectius, ista candidus imperti.

Deum opt. maximum rogo, ut Ecclesiæ te sui Filii diu salvum & incolumem conservet. Dabam in Sacro Fonte a. d. XVII kal. Mart. anno 1657.

IↃC X.

JOANNES NÆRANUS

D.N.N. Pastori Reformatæ Ecclesiæ.

DOctissime ac Reverende Vir, Agunt hic senes duo, decrepiti, capulares, paulo minores octogenariis, maritus & marita. Illa per multos annos gressum ægre molitur, gemino innixa scipione, cruribus debilitatis dolore morbi articularis, qui miseris modis infelicem excarnificat. Ille hactenus, cum sua, vitam tolerat, quæstu opificii, quo soleæ ligneæ exaptantur, unde cognomen Klompii vulgo fortitus est. Sed aliquo jam tempore cæcutientem, prorsus hoc anno oculi deficiunt, & simul omnis ratio quærendi victus. Ergo brevi ad egestatem, imo inediam redactum, omni & re, & spe consumta, ut præter æs alienum supereset nihil, compulit necessitas ultima, ad petendum vivendi subsidium ex ærario indigentium, quod non incommode hic sancti Spiritus peculium indigitant; quippe ejus instinctu, à piis collatum in pios usus caritatis simplicis, ac æquabilis, sine delectu, in omnes hujus parœciæ cives, quotquot commendat inopiæ ratio. Comiter satis ac benigne exceptus est initio, ab eo, qui sacram illam hic gessit quæsturam. Per eum impetravit hebdomadatim octodecim stupheros, octo librarum panes duos; suppetias quidem non contemnendas, sed unde tamen, quod opus est, neutiquam sufficit necessitati capitum duorum: præterquam quod ita minime æquali sorte habentur cum æqualibus; imo minus multo ferunt, quam qui egent minus. Intelligebat id bonus ille quæstor, eoque, quod pro tempore attributum ipsis erat, ut æquo animo tollerent, monebat: at stipis, postmodum augendæ, spem bonam securi operirentur. At ubi dein, pauperie premente, successorem viri

Digitized by Google

Ep.610. boni bonus ſenex aggreſſus eſt ſermone petaci, alium comperit, aliud reſponſum; iterumque & iterum repulſam tulit, quaſi quod aliis datur ac debetur, non item debeatur illi, homini addicto partibus Remonſtrantium, ad quos non obſcure rejiciebatur: cum tamen publice conſtet jure indubitato, & more ac inſtituto hactenus recepto, in Sacro illo ærario præſidium eſſe repoſitum univerſis, in hac parœcia, egenis, ex æquo commune. In his, qui illud ſibi depoſcunt, non profeſſio religionis, ſed ſola ſpectanda eſt conditio egeſtatis. Sic voluerunt, qui conſtruxere fontem iſtum benignitatis, ſaltem qui ſuſtentarunt auxeruntque liberalitate ſua, poſt tempora reformata; pauciores forte animati, aut reformari ad ſenſum veſtratem. A nobis ſtetit, nobiliſſima iſtius nuper pagi domina, ac parœciæ patrona; pauperum iſtic cenſum, non contemnenda, ut intelligo, acceſſione amplificavit. Idem præſtitit alius minime alienus: numquid ea mente, ut ſui aut ſecluderentur, aut deteriori loco eſſent, quam qui amant eſſe iis adverſarii? Hoc qui agant, ac ſuis privatim, aut in totum vendicare, aut parte meliori ſatagant, quod eſt publicum; non modo ſibi invidiam conflaverint juſtam: ſed ipſi etiam ærario, cui præeſſe contingat, & prodeſſe eos conveniat; adeoque non pauperibus tantum conſulant male, fontem obſtruentes munificentiæ; quo nomine querelas jam pridem audio: Sed id etiam committant imprudentes, quod genus ſit, non modo iniquitatis invidæ, ſed injuſtitiæ etiam ſacrilegæ. Quales vero ſint illi cives, ne dicam Chriſtiani, qui non communia tantum populi bona parti arrogent: ſed tam averſo ſint inſuper ab omni pace ac concordia animo, ut communia eſſe civibus nolint etiam caritatis ac benevolentiæ officia? Tamen apud non paucos, tantum religio potuit ſuadere malorum, ſed papalis, Jeſuitica: cujus æmula eſt fanatica Scotobritanna, Puritana, Bruniſtica, Sabbataria, Voetiana, Presbyteriana imperium in imperio ædificantium: totidem fere luſtris, quot illa ſæculis conſecuta, ut jam famoſior ſit rebus geſtis. Ejus ſpiritu agitur, nonnemo illic, haud ita pridem noſtras, textor viminalis, & eleemoſynarius jam novus. Illius acumen ni fallor, excogitavit, qui bonus & miſer ille ſenex, quia veſtras non eſt, haberi ut alienus, & quod debetur ipſius egeſtati, denegari poſſit religioni. Nimirum oſor ſui ordinis apoſtata eſt. Apoſtata vero mihi, non qui ſententiam mutat, vel in pejus, & alias in partes tranſit, etiam deteriores, fide bona, animo pio, ductu conſcientiæ ſinceræ, quamvis, per imbecillitatem ingenii, ſeductæ; ſed quem ſuorum qualiumcunque deſertorem transfugamque facit, ulcus animi, dirus affectus, iræ, odii, invidiæ, inimicitiæ æſtus impotens; timoris, ſpei, commodi, incommodi ratio impia. Noſter ille, non tranſiit poſt maturum examen, animo compoſito; ſed præcipitem ſe dedit in partes veſtras, poſt turbas datas, ſeditione fœda, ſchiſmate turpi, quas nequeas tu, pro candore tuo, non deteſtari omni ex parte. Orta de loco miniſterii controverſia, poſt omnes pacis conditiones æquas & neceſſarias præfracte repudiatas, omnem ordinis autoritatem proterve ſpretum; tandem ille cum ſociis è vicinia accerſit puerum indoctum, inſulſum, omnium bonarum artium rudem, imo ſtultum plane ac vecordem. Illorum autoritate initiatus myſta novus, cathedram conſcendit, aqua tingit, tandem etiam, profana audacia, ſe comparat ad temerandum panem ſacroſanctum. Id vero noſtrates non ferendum rati, denunciant iis, ni deſiſtant, excommunicationem. Sic, cum ſeditio non procederet, & pactam mercedem efflagitaret novitius paſtor, hic gregalis ejus, ſubito enthuſiaſmo correptus, ad vos ſe proripuit. Secutus eſt pecudem ſuam paſtor, & paſtoris genitrix, vara vibiam; cum non obtinerent, ut aliquem ei gregem committeremus, quo eſſet, unde paſceretur. Animum deinde virulentum hoſtiliter ſubinde ovicula iſta prodit, ne matri quidem parcens ſuæ. Nunc occaſionem nactus nova præfectura, novus apud vos honio, acerbitatis ſuæ virus in miſerum huncce ſenem exonerare geſtiit. Tales proſelytos non amat diſciplina noſtra, aliam experti ſunt afflicti Valdenſes veſtrates, niſi potius noſtrates, quales facere ſolet afflictio: mites, modeſtos, infeſtos tyrannidi in hominum conſcientias. Nos eos juvimus ære non parvo. Cauſantur quidem quæſtores illi ſacri rem quoque anguſtam; ſed vera eſt cauſa animi iniquitas, quæ dejecta ſuis argumentis, eo tandem effugio evadere maluit, quam victas dare manus æquitati. Nos, quod hic poſſumus, eſt perexiguum, quod poſſumus præſtamus, cum oſtiatim colliguntur eleemoſynæ in uſus communes. At ſi poſſemus plurimum, alendos tamen non ſuſcipiamus noſtros pauperes ſeorſim: collatis in commune ſubſidiis, foveamus potius, qualecunque illud eſt, quod indomitus diſſidendi furor reliquum fecit alicubi Chriſtianæ communionis: ut quos ſociare nequit conſenſus religionis, aliquouſque ſaltem conjungat ſocietas caritatis. Interim vero, ne eſuriant miſelli ſenes, appellandus veniet nobiliſſimus parœciæ patronus; cujus autoritas, ſi conquerentibus ſuppliciter non ſubvenerit, veſtrique non dederint, quod debetur, & datur aliis: illinc apud noſtrates petam ſupplementum, ubi veſtratibus datur, quod non debetur. Orphanis Roterodamenſibus aliquot millia quotannis liberaliter proveniunt ex Eccleſia noſtra. Erogati jam in illos floreni prope centies mille, ſi numerum bene meminit, qui nuper id mihi memoravit. Inde poſcam, quod hic negabitur, ratione favorabili. Viduæ cuidam pauperrimæ ac valetudinariæ ad aggerem Ryniaterwoudanum, nonnihil ſubſidii in habitaculum conceſſum erat. Ep.610.

Digitized by Google

Ep.610. erat. Id quoque ei jam ſubtrahi audio, cum augendum eſſet jure merito. Enitendum omnino eſt nobis, ne abeat injuria iſta in conſuetudinem. Cæterum priuſquam alia tentemus, experiri viſum, quid tua humanitas pietaſque velit ac poſſit. Ex indiciis namque amicis aliquot polliceor mihi, ſanctius te animatum, quam veſtrates multi, ex grege Puritano: inſociabile, inhoſpitum, immite, intractabile genus: at quibus tamen hoc fortaſſis acceptum ferimus, quod mitius jam diſceſſant à nobis, qui inter vos ſunt probi ac cordati; & illos fratres ſuos, moroſos, factioſos, ſuperbos, imperioſos, experiuntur longe duriores, quam nos, ſuos adverſarios, nunquam tamen hoſtes aut inimicos. Ita me amet Deus, ut amo non minus Contraremonſtrantem, quam Remonſtrantem; ſi mitis ſit animi, in diſſentientes æqui, & à tyrannide alieni: quales Reformati in Polonia, Germania, & permulti nunc in Anglia, ac Gallia. Errare credimus Contraremonſtrantes, illi Remonſtrantes; numquid toto cœlo? Nemo noſtrum dixerit, nemo veſtrum, niſi qui neſciat, quam proclivis in arduo ſit lapſus, quam mitis ſit Chriſtus, quam facilis imbecillitati, quam æquus errori. Sic errent, qui hoc dixerint, imprimis ſi armis potius errantes oppugnent, quam argumentis errores: quo genere pſeudo-Chriſtianorum, nihil Chriſtianæ rei, & humano generi magis peſtiferum. Nobis, ſecundum Ciceronem, nulla ſocietas cum tyrannis, & potius ſumma diſtractio eſt. Tyrannis autem longe omnium deterrima eſt, premere imperio hominum mentes, & dominari quoquomodo alienæ fidei, alia lege quam ipſi velimus pati. Nos alioqui ut fratres ſimus, nil requiritur niſi fraternus affectus. Aliter fortaſſe ſentiat frater noſter Hattemius. Semel iterumque invitatus amanter, occaſione data, ad commercium humanitatis, & conſortium menſæ, dedignatus obſequium eſt, nefas ratus, ut accepi, quicquam habere commune cum doctore falſo, ex illo Apoſtoli præſcripto ad *Titum*. III. 10. αἱρετικὸν ἄνθρωπον παραιτοῦ, arce, averſare, cætera noſti. An talem me noris, ignoro equidem: ſed novi, quem ſapiat illa ſapientia magiſtrum, omnibus numeris αὐτάνθρωπον. Ambitioſi, imperioſi, turbulenti, factioſi, ſeditioſi, rixoſi, calumnioſi, graſſatores in Eccleſia, turba gravis paci, placidæque inimica quieti; quales depinguntur ſecunda ad Timotheum tertio, & rerum potiuntur noſtro ſæculo: hi ſunt deſignati in Scripturis hæretici, terræ filii, carnis ſervi, cujus unice libidini velificantur: non quos myſteriorum abſtruſa, divinitatis abdita, religionis arcana, aut latent ignoratione, aut fallunt errore; immunes ab improbitate, ſuperſtitione, idololatria, tyrannide, ſchiſmate. Quibus ſacra pagina ſacrorum norma unica & conſummata eſt, fratres nobis ſunt, quantumvis alioqui aſſerant abſurda, falſa, inſulſa. Veniam petimuſque damuſque viciſſim. Dummodo intemeratum ſit, quo ſine ſalva non ſit fiducia in Deum ac Chriſtum ejus, & mandatorum divinorum obedientia neceſſaria, ex evidentiſſimis & diſertiſſimis ſacri codicis effatis. Vis idem ſtatuentem pro cauſa reformata, & cauſa noſtra, hominem reformatum, adverſus deformatores antiquos & novos? Is eſt Joannes Comenius, exul Moravus, quem nuper huc exturbatum clade Poloniæ, Amſtelodami fovet ordo Senatorius, & eccleſiaſticus. Ejus illic prodiit liber editione ſecunda, quem communi nomine Euangelicorum emiſit in lucem, adverſus Valerianum quendam, monachum Mediolanenſem in Bohemia. Sic loquitur, in concluſione primæ partis, paragrapho octavo: Si inſuper placet dogmata in Scripturis tam clare tradita, ut à nemine vocari queant in dubium, eoque Catholice nota, aſſumi in unitatis Eccleſiæ normam, ſalvo jure diſſentiendi in iis, quæ minus aperte revelata ſunt; docebit nos hoc pulchram Apoſtolici conſilii praxin *Phil.* III. 15, 16. Enimvero placet ac perplacet, quod vir ille hic vere Reformatus, ex ſententia ac voluntate Reformatorum per Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Bohemiam, Poloniam, Marchiam, Boruſſiam, pronunciavit plane ad cenſum noſtrum, imo Apoſtolicum; univerſum Chriſtianæ pacis negocium, pauciſſimis expediens verbis. Idem ubi audire hic dabit Deus, ex iis, qui ſoli audire Reformati volunt hic cum Voetio, non eſſe cum Comenio; Eccleſiæ, impio ſchiſmate deformatæ, redibit ſaluti ſera pax & decus priſcum Reformationis; reipub. robur & antiqua majeſtas: ut veneratione ſimus vicinis, præſidio amicis, terrori hoſtibus; qui undique jam fortunis & libertati noſtræ imminent, ſolis provocati diſcordiis civium, quas unice fovent factiones Eccleſiaſticorum. Illud eſt, quod ſanguine etiam meo redemtum cupiam. Servet nos tandem redemtor à progenie illa prava, fratrum pacem, gentium ſalutem, averſantium, ut dominentur ſoli. Libertatis filia pax eſt. Pax optima rerum, quas homini noviſſe datum. Ea vero non eſt conſenſio ingeniorum, ſed conjunctio animorum. Sentire in omnibus tecum, nunc quidem non poſſum, nec tu mecum: ſed amare debeo te, tu redamare me; neque tu id negaveris: ſed dubites forſan an poſſis ut ſocium, amicum, fratrem. Ego poſſum & volo, niſi omnino tu nolis; & ſic te jubeo valere, ut fratrum tuorum conjunctiſſimus quiſque ac amantiſſimus nequeat amanter magis ac officioſe.

Ep.610.

Apud Veteramnates, XV Kal. Octob. 1658. J. NÆRANUS.

Legi diſputationes de Sabbato adverſarias, D. Heydani & Eſſenii. Hic quanto cauſa, tanto minor marte ac arte, vix dum ſatis fandi potens, ut ſolent, qui proveniunt à ſchola Voetii, eo ſolo diſſimiles magiſtri, ſatis linguacis.

Ep. 611. Sed Horenbeecquium vide, ineptiſſimum autorem, quem pueri caſtigent è triviali. Indignus quidem Eſſenius, qui Æneæ magni dextra cadat, ſed unus ante alios dignus & idoneus Heydanus, qui libertatem Chriſtianam aſſerat, & invaleſcentem retundat ſuperſtitionem, cujus pediſſequæ ſycophantia Judaica, & tyrannis Phariſaica.

IOC XI.

GERARDO BRANTIO

ARNOLDUS POELENBURG S.P.

Neocopiam. SImulac hanc ſtationem Roterodamenſem ſuſcepi, ea obvenit difficultas controverſiæ graviſſimæ, de qua ut te pluribus edoceam efflagitas. Spero autem, ubi conſilii noſtri factique rationes cognoveris, te minime miraturum, cur hoc à nobis geſtum, & cur hoc ita geſtum fuerit. Enimvero ita ſe res habet, ut credunt iſti: ab initio nihil noſtri aliud à fratribus Contraremonſtrantibus poſtulabant, niſi ut in illis quinque fidei capitibus controverſis de prædeſtinatione, morte Chriſti, modo operationis gratiæ, &c. diſſenſio utrimque toleraretur. Nunc vero plura diſſentientium aliorum dogmata ferenda ſtatuimus, uſu magis & evidentia rationum edocti. Neque tamen cenſendi ſumus propterea deſerere fundamentum, quod ab initio laudabili conſtitutione eſt poſitum, ſed potius in eo conſiſtere, atque ædificium, quod ſtruendum erat, exſtruere. Nam, ſi rem ex vero conſideremus, hoc fuit fundamentum, quod à noſtris jactum eſt, in omnibus controverſiis & erroribus, quibus obnoxii ſumus homines, concordiam in Chriſto colendam, ſi error non neceſſario animæ ſalutem interimat. Ex hac cauſa illud ortum eſt, quod noſtri quinque graviſſimos errores iſtos in quibuſdam Doctoribus ferre non recuſaverint, quia, licet ex illis, ſi ſecundum naturam ſuam exigantur, plurimum noxæ dimanare queat ad gloriam Dei offuſcandam, & infringendum pietatis noſtræ curſum, tamen non ſemper nec neceſſario in illud damnum incurritur. Cum vero noſtri poſtea ſeparatos coetus agere coacti ſunt, juxta ejuſdem fundamenti conſtitutionem in alios etiam Chriſtianos, qui in errore quidem, ſed non cum certa ſalutis jactura verſabantur, eundem concordiæ affectum exſerere debuerunt. Quod quidem ut facere liceret, antea quoque in votis erat, ſed quia acerrima adverſantium multitudine vincebantur, id quod cupiebant efficere nequiverunt. Quæris autem, cur ad Mennonitas potiſſimum iverimus, ut iis pax ante alios offerretur, & cur hoc factum ſit inconſulta Societate noſtra.

Principio noſti, quales ſint Mennonitæ, non homines fanatici, nec turbulenti, ut olim Monaſterienſes illi & hodie in Anglia nonnulli; ſed fideles, probi, moderati, qui Scripturas ſacras & fide ſincera amplectuntur, & omni opere bono, quantum judicare licet, adimplere conantur. Diſſentiunt tamen à noſtris in quorundam locorum interpretatione, ubi agitur de Chriſti Domini incarnatione, de juramento, de Magiſtratu, de adminiſtrando baptiſmo. Sed horum dogmatum defenſionem partim jam reliquerunt, partim mitigarunt non pauci. Verbi naturam divinam in carnem eſſe converſam vix nunc inter ipſos aliqui contendunt; magis id urgent, ingens myſterium quoddam hic latere, quod nemo negaverit. Audivi paſtorem aliquem ipſorum confitentem juramenta in N. Teſt. non ita liquido eſſe vetita. Magiſtratum ſi quis gerat, eapropter ex Chriſtianorum cenſu expungendum non temere affirmant, quanquam id illicitum credunt. Ab infantium baptizatione abhorrent, ſed id æquiori animo ferendum eſt, quia hoc dogma non ita gravis eſt ponderis, cum non diſceptetur, an ſit, ſed quando baptiſmus adminiſtrandus. Et quanquam inter ipſos nonnulli ſunt aſperiores in alias Chriſtianorum diſſidentium ſectas, tamen in omnibus ferme locis reperiuntur aliqui, qui ſunt & ſententia & animo mitiores. De Waterlandico nunc coetu ago, qui ſupra alios moderationis ſtudio ducitur. Ad hos igitur potiſſimum dimiſſi ſumus, quia ipſorum fides ad noſtram proxime accedit, & quia ipſi ſunt moderati magis quam alii; quem moderationis ſenſum ex Theologorum noſtrorum ſcriptis ſe didiciſſe candide confitentur. Peculiaris etiam nos invitabat occaſio ad bene ſperandum de concordiæ via cum ipſis ineunda, quia ipſorum nomine nobis renunciatum ferebatur, quod aliquam oblationem pacis illi ex noſtra parte propediem exſpectarent. Arbitror has cauſas ſatis fuiſſe graves, cur Mennonitæ, & hi quidem præ aliis, ad communionem ſolenni ratione fuerint evocandi. Nam hactenus noſtri Chriſtianos omnes, qui Scripturam ſolam fidei normam agnoſcunt, & improbitatem oppreſſionemque tenellarum conſcientiarum averſantur, publice concionibus libriſque editis ad fraternitatem nobiſcum ſuſcipiendam hortati ſunt. Docuit autem experientia, multorum animos ex ea re quidem emollitos aliquo modo fuiſſe, non tamen tantopere pacis ardore inflammatos, ut ad noſtram communionem ſe adjungere niterentur. Itaque vidimus manus operi ſtudioſius etiam quam antea admovendas, & paſtores cum presbyteris diffidentium Eccleſiarum compellandos. Id vero tentandum ibi primum fuit, ubi aliquid boni ſperandum maxime videbatur. Quod ſi hanc Mennonitarum ſectam ſepoſuens, ad quam quæſo aliam nos cum aliqua ſpe voti obtinendi conferre poteramus? num ad Pontificios? At cum his nunquam (qualis olim & nunc eſt ipſorum conditio) noſtri pacem iniri poſſe crediderunt. Num ad Lutheranos? At hi plerique errores ſuos

Ep. 611. ſuos in S. Cœna & juſtificatione quos tenent, tam acriter tuentur, ut de his ad concordiam permovendis fiduciam aliquam hactenus non potuerimus ſatis magnam concipere. Num ad Reformatos noſtros? Hi vero pacem non expetunt nec admittunt, niſi cum præſenti pactione ſervitutis conjunctam. Et quid inde pacis ſperes, ubi nos paſſim ut Socinianos acerbe traducunt? Quamobrem non poteramus alios huic oblationi reperire magis idoneos quam Mennonitas, non omnes promiſcue (nam Flandri, Friſii, qui vocantur, aliique nimium ſunt alieni) ſed Waterlandicos, inter quos eſſe nonnullos audivimus, qui pro pace Eccleſiæ nobiſcum conſtituenda ſine intermiſſione vota faciunt ad Deum. Igitur D. Vorſtius & ego cum duobus tribuſve presbyteris dimiſſi ſumus nomine magni ſynedrii (in quo comparent omnes, qui aliquando presbyterium geſſerunt, & præter hos ex Collegio Decanorum tres plerunque Deputati) ut Presbyterium Waterlandorum adiremus, rogaturi, an noſtros Eccleſiæ cives, qui ab illis in baptiſmi infantium adminiſtratione aliiſque vulgo notis controverſiis diſſentirent, in communione ſua ferre poſſent. Antequam hujus legationis ſucceſſum referam, videntur ea eſſe refutanda, quæ tu, quamobrem ea pacis oblatio inſtituenda non fuerit, ex aliorum mente objici nobis poſſe putaviſti.

Ad primum illud, quod adducis, hoc pacto ſpem omnem intercludi concordiæ redintegrandæ cum Reformatis noſtris, quos à Mennonis grege alieniſſimos eſſe conſtat, jam quodam modo reſpontum eſt ante, & reſponderi poteſt copioſius, quod hæc conciliatio non oberit, ſed proderit magis ad id quod cupis conſequendum. Non oberit, quia Synodus Dordracena ichuſina hoc fecit, & immortale reddidit, dum omnes paſtores ad canonum ſuorum ſubſcriptionem irrefragabili autoritatis præſumptione conſtringit. Præterea illi, qui Canonibus ſubſcribunt, cœtus noſtros nuper proſcribi cupiverunt ex omni ditione, ubi Eccleſias formatas nondum habemus, idque in celeberrimo Ordinum omnium conventu anno CIↃ IↃC LI perfecerunt. Nunc etiam nihil hodie relinquunt intentatum, ut Seminarium noſtrum aſſiduis rogationibus & malis criminationibus ſubvertant. Num hoc fraternum ſpirat affectum? num hæc via ad pacem, ac non potius ad vaſtitatem? Quid quod jam illis contemptui ſimus, quod evenit partim quia nimium ſæpe pacem propoſcimus, partim quia ipſorum cœtus ſunt frequentiores. Itaque proderit hoc, ſi cum aliis conjunctionem moliamur, tum quia ſic ſpectati videbimur illis tanto magis, tum quia ipſi forte æmulatione nova ſuccenſi malent noſtros non aliis ſed ſibi aggregari, aut ſaltem ſibi non minus quam aliis.

Secundo exiſtimant hinc noſtrorum nonnullos, qui minus propenſi ſunt ad Mennonitas, gravi offenſione turbatum iri, ideoque plus damni quam emolumenti exſpectandum, præſertim cum in hac civitate ſint pauci admodum Mennonitæ. Itaque ſi omnino coaleſcere debeant Eccleſiæ, magis id tibi arridet, ſi oves ad nos ſine paſtoribus accedant. Et placet ideirco hoc magis, quia alioqui dubium erit, ſint ne noſtri appellandi Remonſtrantes an Mennonitæ; immo id etiam aliqui metuunt, ne noſtri reipſa evadant Mennonitæ. Hic multa complecteris ſimul, ad quæ ſigillatim aliquid reponendum eſt. Quæro primum, quinam ſint iſti, quorum offenſionem tam graviter extimeſcis? rudes, an periti? Si periti, recta iis ratio meliorem pacatioremque ſententiam facile perſuadebit. Si rudes, hi accuratius ſunt inſtruendi. Tametſi quis poteſt inter noſtros adeo rudis eſſe ac ſurdus, ut non audiat, id quod de ſuggeſtu quotidie promulgatur, nos omnibus iis, quorum fides & vita ſalutis jacturam non inferet neceſſario, communionem deferre? Non eſt igitur ulla offenſio pertimeſcenda; aut ſi ſit forte aliqua, ea inter paucos conſiſtet, & facile conſileſcet. Nihil metuendum mali, multum haud dubie ſperandum boni. Nec vero infrequentia cœtus illius remoram laudabili negotio debet injicere, quandoquidem inter nos conſtat non hominum numerum, quam ſit magnus, ſed ipſam cauſam, quam ſit æqua & juſta, hoc loco ponderandam. Si ratio & religio & charitatis lex ſuadeat errores eorum non eſſe tam graves, ut propterea ab iis, ſi multi ſunt, ſegreges habere cœtus nobis liceat; eadem lex, ut cum paucis eodem conjungamur amoris nexu, jubebit. Non aſpernatus eſt Dominus puſillum diſcipulorum gregem, præcipiens, ut exſultent, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; & nos, qui nos Domini hujus ſervos profitemur, conſervos noſtros deſpiciemus propter paucitatem, cum regni cæleſtis eos nobis fore cohæredes inficiari non audeamus? Videntur etiam ab iis refugere nonnulli, quia eos nec divitiis, nec honoribus, nec veſte ſplendida, nec alia re mundana fulgere animadvertunt, & haud ſciam, an hac adducti ratione potius ad Reformatos animum aliqui magis adjiciant. Horum lubrica cogitatio refutatione prolixa non indiget: tantummodo hos monere oportet, ſi qui ſunt tales, ut Apoſtolos piſcatores & alios plebejos homines ſibi conſiderandos proponant, quibuſcum Dominus Jeſus aſſidue verſabatur. Nonne Dominus contemptibilia mundi elegit? Nonne ipſe in ſpeciem maxime videbatur contemptibilis? Sed hi, quia conſcientia ſua redarguuntur, leviter tantum, nec ſerio, ut arbitror, refragabuntur. Magis id conſideratione dignum puto, quod oves admittant paſtoribus ſecluſis. Vide, quantum in hoc ſit imprudentiæ. Nonne enim eadem eſt fides paſtorum, quæ ovium? Nonne igitur utrique pariter tolerandi? Nos etiam ipſi, cum Reformati noſtri talem nobis

Ep.611. pacem offerunt, eam ut iniquiſſimam repudiamus: & tamen illi eandem multitudinis cauſam huic perverſo poſtulato poſſunt prætexere reſpectu noſtri, qui multo ſumus in ſpeciem ipſis pauciores, minuſque ſpectabiles ſecundum mundum. Et ſane hæc conciliationis via eſt injuſtiſſima, cum eodem res redeat, ac ſiquis, ſuo tamen judicio valde pacificus, Princeps aliis ex adverſo ſtantibus populis populique rectoribus pacem deferat ea lege, ut ipſe ſolus imperii gubernacula teneat; aut ſi quis Imperator milites alienos ducibus ſpoliatos manipularibus ſuis inſerat cohortibus, ut ipſe eos pacate ex voto ſuo ducat ac reducat quocunque libuerit. Non eſt pacificus, qui pacem æquis utrimque legibus non exoptat. Qui alios ſub ſua jura redactos cupit, dominium quærit, non pacem. Nos inprimis, cum hanc ut iniquam, ſi nobis offertur, repudiemus, ipſi eam ut æquam aliis commendare non poſſumus. Neque vero noſtros affligi oportet incerto hoc metu, ne, ſi illi quoque munus paſtorale retineant, noſtri paulatim ad Mennonis errores deflectant. Etenim ſi hic timor ſit juſtus, jam cum nemine, qui nobis errare videtur, ex æquo & bono concordiam paciſci licebit. Cur autem charitas & fiducia veri hunc vanum tremorem non expellunt? Cur non id magis ſperant fore, ut illi, cum nos rationeſque noſtras benevolis animis exceperint, veritatis lucem percipiant, cujus nunc diffundendæ tam opportuna occaſio non datur? Num majorem credis efficaciam erroris quam veri, & quidem apud homines probos, quales ipſos eſſe non negas? Nimis profecto hi contemptim abjecteque ſentiunt de veritatis divinæ viribus, quam à nobis ſtare plane confidimus. Ego vero longe aliter ſum animatus, ut qui credam, ſi propter amorem charitatis in unum coëamus aliquando, futurum, ut, ſicut ſol nebulas claritate ſerena diſpellit, ſic veræ lucis radii diſcuſſis erroribus in animos penetrent omnium fidelium, unde veritati honos, & nobis gaudium, & illis propior ſalus affulgeat. Tunc non illud expaveſcendum adeo fuerit, ne aut illi Remonſtrantes aut nos Mennonitæ dicamur (quod tamen revera nullius eſt pretii) ſed hoc potius ſperandum, ut omnia ſchiſmatum inſignia cum nominibus ſuis æterna oblivione deleantur.

Tertio illud poſtulas, ut Mennonitæ, priuſquam nobis adjungantur, inter ſe conjungantur; nos deinde meditemur, quemadmodum pax ſit componenda non cum uno exiguo grege, ſed cum omnibus ubique diſperſis. Placet etiam, ut conditiones illæ ad univerſam ipſorum ex omnibus Eccleſiis collectam fraternitatem potius deferantur. Diſplicet vero, quod inconſulta Synodo noſtra tam arduum facinus aggreſſi ſumus. Equidem fateor etiam ego, ſi id fieri cum fructu queat, dandam his Mennonitis operam, ut alias Anabaptiſtarum ſectas ſibi adjungant, antequam nobiſcum congregentur. Sed id jam egregio conamine tentarunt aliquoties, neque tantillum apud ſuos proficere potuerunt: immo etiam, quia omnibus promiſcue obtulerunt pacem, hinc paſſim probroſis infamati nominibus apud ſuos in contemptum venerunt, ita prorſus ut noſtri quondam, cum concordiam fratribus pure Reformatis ad nauſeam uſque obtruderent. Synodorum porro vinculis illi non tam arcte conſtringuntur, ut hoc judicium ſolicite exſpectandum ſit. Poſſet etiam id forte ad negotium pacis promovendum aliquid objicere incommodi, ſi conſenſum illorum, qui inter multos ægre reperitur, nimis anxie requirere vellemus. Illud magis ſperandum, ſi una detur Eccleſia in urbe celebri, quæ pacis amorem profeſſa cum diverſo cœtu in corporis aut ſaltem communionis unius compagem coaluerit, alios hoc illuſtri exemplo exſtimulatos de ſchiſmatibus medicandis ſerio deliberaturos. Neque tu rurſum ingerere debes exiguum hunc eſſe cœtum, ideo exemplum prodeſſe non poſſe. Quid enim? Nonne unus vir, ſi præclari facti laudabile exemplum ediderit, propterea ſæpe à multis celebratur nationibus? Nonne pauci, ſi aliquid eximium præſtiterint, poſſunt multos ad ſui vel admirationem vel imitationem accendere? Tum ſi multitudo noſtra ad ipſorum paucitatem ſe ſponte demiſerit, patebit nos non cupiditate aliqua multitudinis augendæ, ſed ingenuæ charitatis ſtudio adductos cum aliqua noſtri humiliatione concordiam ambire. Quod factum noſtrum, ſi illi aliis in locis ſint nobis multitudine ſuperiores, invitare eos quoque poterit ad ſimilem animi moderationem noſtris exhibendam. Sane mi frater, ſi nonnulli ad ſinceræ charitatis normam ac non potius ad regulam judicii humani, ne dicam mundani, hanc rem ſacram ac divinam exigerent, non tantopere eos illa majoris aut minoris numeri cauſa ſolicitos teneret. Non decet certe id ipſum imitari, quod recte judicamus in aliis reprehendendum, qui eodem prætextu ſchiſma nobiſcum alunt. Quod ſi editum à paucis exemplum ad plures quaquaverſum dimanaverit, perpende, quanta hinc lux & gloria veræ religioni ſit acceſſura per provincias has fœderatas, per magnam Germaniæ partem, per orbem Reformatum univerſum, non iis tantum in locis ubi Mennonitarum cœtus, ſed etiam ubi alii pacis ſtudio dediti coliguntur. Neque vero Societas noſtra nobis in hac re moram injectura eſſet, ſed magis hortaretur ad præclarum inceptum ſtrenue urgendum, de quo cum liquido nobis conſtaret, non neceſſe habebamus vota noſtra in aliud tempus differre: Tametſi cavimus ſatis, ne qua offenſio apud fratres alibi oboriri poſſet. Nam cum nos ad Presbyterium ipſorum deputati quæriviſſemus, an Remonſtrantes noſtros, quales dixi, poſſent in Eccleſiæ ſuæ communionem recipere, ſubjunximus ex decreto magni ſynedrii, ſi no-

Ep.611. si nobis ex animi ſententia moderatam reſponſionem redderent, velle nos reprius cum aliis alibi fratribus communicata de pacis conditionibus cum ipſorum deputatis conſilia conferre. De ſucceſſu ac ſcriptis ultrò citroque miſſis prolixe ſcribere non videtur neceſſarium, cum jam pleraque tibi per alios ſint renunciata. Summa huc redit: habent illi ſingulis hebdomadis collegium quoddam, in quo libertas conſtituto tempore cuivis conceditur nonnulla de aliquo Scripturæ contextu publice diſſerendi, quæ ad inſtitutionem aut ædificationem videntur utilia; ibidemque ea etiam, quæ contra dici poſſunt, libere licet proferre; quod fieri putant ad exemplum inſtitutionis Apoſtolicæ, qua in Eccleſia Corinthiorum Prophetæ quondam utebantur. Simile collegium apud nos per annos aliquammultos fuerat apertum non ſine multiplici fructu, ſed poſtea, cum inter fratres eſſet exorta diſſenſio, indeque contentio ſatis acerba, id rurſum, ut noſti, fuit occluſum. Poſtulabant hoc nunc rurſum aperiri Mennonitæ, dein ſe cum fratribus alibi ſuis de pacis conditionibus acturos ſpondebant. Quod ipſorum poſtulatum nobis iniquum videbatur, quia non neſcirent ipſi, quantos ea res motus apud nos haud ita pridem excitaviſſet, & quam difficulter id, quod per delectos utrimque arbitros vixdum conſtitutum erat, ita ſubito poſſet reſcindi. Præterea in reſponſis iis, quæ ad nos mittebant, illos, qui Collegii illius occludendi fuerant auctores, haud oblique nec ſine morſu perſtringebant: quod nobis permirum accidit & tanquam à pace alienum. Intellexi vero aliam occultam rationem ſubfuiſſe magis gravem, quæ primarios ipſorum viros ad collationem noſtram abrumpendam impulerit, quia videbant animos plebis ſuæ magis præparandos, antequam nos diſſentientes ferre poſſent. Quod ſi ita ſe habeat, meo judicio magis ex uſu ambarum partium feciſſent, ſi animos ſuorum hominum nondum ad tantam cognitionis ubertatem aut ad juſtam illam charitatis plenitudinem maturuiſſe ingenue reſpondiſſent, atque addidiſſent inſuper, ſe, qui plus viderent, allaboraturos ſedulo, ut plebs infirma ad majora notitiæ incrementa paulatim adoleſceret. Verumtamen excuſari quodammodo poſſunt, quia, ſi hoc ita palam percrebuiſſet, plebs forſan ipſorum ductui ſe præbuiſſet minus obſequentem. Nam apud infirmas animulas plus ambagibus & arte proficias interdum, quam ſi ex aperto aliquem te aggredi velle oſtenderis; quia tunc ſolent homines ex veteri præjudicio omnia defenſionis munimenta in adverſum opponere, ac non raro, cum diu multumque contra nixi fuerint, ne videantur victi, pertinaciam pro clypeo induere. Quicquid ſit, non oportuit controverſiam nobis de collegio aperiendo movere, quaſi id ſit neceſſarium; cum inter noſtros pariter & Mennonitas vix una aut altera reperiatur Eccleſia, in qua libertas illa publice prophetandi ſic omnibus communis obtineat. Potuerant illi eam, quam habent, libertatem ſibi intra ſui templi limina conſervare, à quibus ne noſtros quidem avocare animus erat, ſi illo exercitio gauderent. Id illis, ut audio, in mentem non venerat; quod ſi veniſſet, parcius credo incubuiſſent in hanc partem. Nam initio, quamdiu omnium mentes ad ferendos alios diſſentientes nondum ſatis eſſent diſpoſitæ, ſufficere videbatur, ſi viciſſim alii alios ſe pro fratribus amplecti publice declaraſſent, ut conſtaret nos animis eſſe conjunctos, quamvis ad tempus corpore tenus diſtracti viveremus. Potuiſſet poſtea, animis utrimque magis corroboratis, junctim celebrari ſacroſancta communio. Quia tamen ex noſtris rudiores nonnulli vix unquam æquis hoc oculis aſpicient, ſi quis in pueritia baptizatus iterum baptiſmum ſuſcipiat, hinc fortaſſis ad pacem imperturbate conſervandam commodius fuerit, ſi per multos annos illi ſuum, nos templum noſtrum retinuerimus. Spero, mi frater, quanquam nunc ſpe noſtra fruſtrati ſuimus, futurum tamen in poſterum, ut, poſtquam illorum plebs melius edocta fuerit, redintegratis animis hoc inceptum majore cum fructu proſequamur, quod ſui etiam ſpiritus gratia provehet Deus pacis: quem ut hoc facere dignetur precor ex animo, ſimulque ut Eccleſiæ tuæ tibique & laboribus benedicat. Roterodami, 1658. die 29 Decemb. Ep.612.

IOC XII.

LITERÆ
ELECTORIS
BRANDENBURGICI
Ad N. N.

ANgliam inde uſque ab eo tempore, quo puriorem Euangelii doctrinam Deus inibi doceri voluit, Eccleſiæ Euangelicæ, & cum primis Reformatæ, in maximis ejuſdem adverſitatibus temporibuſque iniquiſſimis inſigni ſemper ſolatio auxilioque fuiſſe, ut in propatulo eſt; ita inclytæ & Gallicæ & Belgicæ Nationes grato agnoſcunt animo, & nunquam ſatis deprædicabunt.

Igitur in ea poſtquam incidimus tempora, quibus Euangelicorum res in his oris, & ſacræ & profanæ omnes, non niſi per Euangelicos turbentur, & tantum non evertantur, de tantorum malorum remediis cogitantes, non potuimus non oculos in C. V. conjicere. Quo animo erga Euangelium profeſſos, atque inter Eos & Nos eſſet, per Ablegatum ſuum N. N. Nobis expoſuit, & eandem quoque mentem Eidem eſſe non dubitamus.

Hoc confidentius ergo in his publicis malis, tum per Ablegatum Noſtrum, quem ad C. V. deſti-

Digitized by Google

Ep.612. destinavimus, tum per hasce Nostras, ne aliqua quidem mora Reipublicæ nocumento sit, cum C. V. agendum, mentemque Nostram exponendam censuimus.

Novit autem C. V. Regem Sueciæ hodiernum ante hos tres annos bellum Poloniæ intulisse, inter alios prætextus & hoc obtentu, ut Rem Euangelii inibi promoveret, hoc autem revera successu, ut aliquot centum templa in cineres redacta, infinitæ Protestantium familiæ internecioni datæ, cœtusque quam plurimi dispersi deletique, divinam vero veritatem professi omnium odio expositi fuerint, ita ut post hominum memoriam in terris istis nunquam majore clade res Euangelicæ affectæ, nunquam pejore loco, nunquam Euangelici sub Catholicorum regimine tam dura passi fuerint, quam sub isto Euangelicorum scilicet Patrono experti sunt.

Nec intra fines Poloniæ hoc malum stetit, involvit eodem idem Rex præter alios & Transylvaniæ Ducem, atque in eam conjecit fortunam Principem maximi, pro Euangelica veritate, zeli, ut ipse de Terris amplissimis, & Subditi de bonorum maximo, conscientiæ videlicet libertate etiamnum periclitentur Sed ut eo clarius pateseceret, non cœlum sed mundum, & per maris dominium, terræ quoque hic peti, prædictus Rex contra fidem datam & pacem, authoritate, studio & officiis C. V. Parentis procuratam initamque, nulla clarigatione prævia, alias etiam Ethnicis solenni, Regem Daniæ denuo adortus est, Princeps scilicet Euangelicus Euangelicum, alienissimo tempore, omnibus spoliatum præsidiis, ex improviso ac nihil tale, pace tam recenter, tanto amicorum studio, tot damnis procurata, vel somniantem.

Dedit quoque ejus rei illustre, sed triste omnibus bonis documentum, Curlandiæ Dux: est ille Lutheranus, ejus scilicet confessionis, quam Rex Sueciæ præfert & quam unicam in Regno suo se toleraturum in solenni sacro juravit, & tamen per insidias, post tot beneficia in Suecos collata, ut inde Domino suo, Regi Poloniæ, suspectus esset, post pactam Medii seu Neutralis conditionem, cum Serenissima Uxore liberisque septem, inaudito exemplo domo ejicitur, atque Rigam captivus abducitur.

Cæterum quemadmodum in sacris consensus efficere non potest, ut suis parcat, quando terras ipsorum & emolumenta opportuna sibi autumat, ita ut Euangelicis Reformatis etiam in credendis & cæremoniis legem præscribat, vimque faciat conscientiæ ipsorum, ille quo adversus eos utitur, zelus animusque impellunt. Perhibet hujus rei testimonium Elbinga locupletissimum, quo eo libentius utimur, quo magis id in Anglia notum esse potest. Gaudebant inibi Reformati sub Rege Catholico communi cum aliis Euangelicis & concordi Religionis exercitio, nunc Inspector Lutheranus, tortor Conscientiarum ibi constitutus, cui, qui Ministri verbi Divini deinceps esse voluerint, confessionem suam probare, &, in sacris parere, plane novo exemplo, necesse habent, erepto pariter Magistratui politico, uti maximam partem Reformato, jure, quod ipsi in talibus, & præcipue in constituendis verbi divini Ministris, competebat. Communio sacra ad ritum Reformatorum, non nisi inclytæ Anglicæ nationi, ad preces Legati Anglici, tantum in ædibus privatis indulta est, & de cætero tantus est adversus reliquos Reformatos fervor, ut Psalmi Davidici, per multos annos in Ecclesiis inibi cantati, quique omnibus Christianis communes esse, usque commendari debebant, è templis plane eliminati, ut cum injuria hominum illa quoque Dei conjuncta sit. Ep.612.

His itaque probe consideratis, non possumus in animum inducere, ut credamus, fore, ut C. V. quemadmodum Sueci jactant, iis suppetias ferat, eorumque juvet conatus, qui ubique vi, tantaque injustitia grassantur, atque suas alienasque opes in Ecclesiæ opprobrium damnumque irreparabile, tum ad turbandam ubique pacem publicam, convertunt.

Utuntur equidem illi, uti accepimus, infensissimi Religionis hostes, adhuc Religionis obtentu, & cum Catholicis, iisque Austriacis, rem sibi esse, illosque portubus ad mare Balthicum inhiare, invidiose spargunt: Nos vero traducunt quod contra Euangelicos cum Catholicis fœdera pacti simus.

Sed bellum geritur, uti constat, inter Danos & Suecos, Euangelicos utrosque. Et si S. Cæs. Majestas non admittit, sed missis copiis prohibet, ne Sueci Holsatiam Imperii Romano-Germanici indubiam partem, Regi Daniæ & sibi, uti supremo Domino, eripiant, annon in eo facit, quod pio, quod Christiano Principe dignum? Quod si omitteret, partes suas desereret, & officio à Deo commisso deesset. In eo autem si Eidem assistimus, membrum scilicet capiti pro alterius membri defensione, an aliam quam debitam, & non nisi cum desertæ patriæ nota omittendam, præstamus operam? Nullæ certe aliæ hic sunt Austriacorum, nullæ unquam nostræ nec partes, nec intentiones. Et si forte aliis cum Regnis, Statibus aut Rebusp. lis quædam Austriacis intercedit, illa certe cum hoc negotio nihil commune habet, nec Imperium Romanum ejusve caput spectat, nec ab aliis impedimenta his tam piis, tam honestis & necessariis objici conatibus æquum fuerit.

Portus autem tantum abest, ut S. Cæs. Majestas cuiquam eripere velit, ut ne latum unguem ex his locis sibi vindicet; Misit copias suas, ut veris Dominis sua restituant, non ut detrahant quicquam vel bonorum vel commodorum. Argumento est Insula Alsenia: non tam cito erepta fuit Suecis, quam verus ejus Domi-

Ep. 612. Dominus Rex Daniæ ad ejus defensionem invitatus, ut nullis quam Danicis præsidiis, quæ inibi sunt munimenta & portus, nulli forte ex iis, qui ad mare Balthicum sunt, commodiùs secundi, custodirentur.

Et quid ista verborum opus est contentione? Rem spectemus: Restituat Rex Sueciæ aliis vi & injuria extorta, farciat Nobis aliisque, quæ fecit damna, caveat neminem se deinceps invasurum, quomodo Polonos, Danos, Curlandum nuper invasit, & cavebimus viciſſim, nusquam nec in alieno sive patenti campo sive portu alienum compariturum militem, sive Cæsareus is sive Sociorum fuerit.

Nec commerciorum difficultas aut jactura metuenda est à paribus hisce: Nostri cum primis interest, ut libera ista sint & incrementa capiant, nec videmus, qua via id obtineri possit expeditiore, nisi omnia in eum reducantur statum, quo ante has omnes Danicas fuerunt turbas; id quod unice elaborabimus.

Nobis vero fœdera cum Catholicis qua fronte objecerint Sueci, qui non una cum Gallis pepigerunt, nisi hos hæreticæ pravitatis (quam averiantur) reos peragere velint?

Et quid quæso Euangelii habent isti, qui dum Catholicorum purgatorium (quod nemini nocituram per Dei gratiam novimus) impugnant, in ipsam interim Ecclesiam, non nisi Ecclesiæ membris exitiabilem invehunt injustitiæ immanis & Cyclopicæ sentatis sentinam?

Quid quæso Euangelii habent, qui ferro, igne Poloniam, Daniam & non contemnendam Germaniæ partem devastarunt ac everterunt? Quique dum Catholicos bona opera in via salutis requirentes condemnant, ita vivunt, ita agunt quasi non nisi peccatis vitiisque horrendis cœlum parari possit & æterna gloria?

Quid dignum habent Christiano nomine isti, quid id efficiunt, ut Gentiles fidei tam retinentes, & nunc & olim, non absque magno Christiani nominis dedecore & opprobrio, perfidiam non nisi Christianorum esse jactent?

Igitur quod restat, C. V. per Dei gloriam, Ecclesiæ salutem, justitiæ amorem & communia rogamus atque obtestamur sacra, ut si à Rege Sueciæ ad suppetias sollicitetur ferendas, actiones ipsius introspicere, & sanctissimorum illorum, quæ diximus, nominum rationem habere, & oppressis potius quam oppressoribus adesse velit. Quo quemadmodum Divino Numini nihil gratius fieri potest, ita nulla re magis C. V. Nos omnesque & Ecclesiæ & publica decora amantes obstringentur. Quam de cætero Divinæ protectioni commendamus. Dabantur Ripis Cimbrorum 28 die Decembris, 1658. S. V.

IↃC XIII.

JOANNI PESSERO J.U.D.

ARNOLDUS POELENBURG S.P. Rotterodamum.

BOno te animo mihi suadere existimo, eruditissime Pessere, ne prolixis & intricatis de Prædestinatione disputationibus immergi me sinam, quandoquidem de hoc sublimi argumento permulta ac forte nimium multa conscripta sunt. Verum nosti non nostro ex voto semper, sed sæpe alieno more vivendum, si vel occasio insignis, vel Ecclesiæ utilitas, vel adversaria importunitas in diversum nos trahant. Fateor tamen nullum esse studiorum genus, quod majorem homini vere Theologo fructum delectationemque conscientiæ afferat, quam si in scrutandis atque explicandis S. Scripturis jugiter versatus consenescat. Itaque animadverto etiam eos, qui in arduis illis disceptationibus tempus omne contriverunt, non in suis laboribus sic acquiescere, quin magis probent alienos, eorum qui citra contentionem in sacris literis pervestigandis laborarunt. Tali erat sententia Piscator, qui plurimum operæ in Philosophicis ac Theologicis concertationibus posuerat: tali etiam C. Vorstius ejus ex discipulo pro veritate adversarius, qui licet in gravi argumento magistrum superaverit, tamen optavisset magis, si licuisset, nunquam in arenam illam descendere. Episcopius quidem noster, qui nescio an parem sibi quenquam disputandi peritia habuerit versatissimus in omnem partem, tamen & aliis autor erat, ut disceptationibus istis non inhiantes emendandis moribus potius incumberent, & ipse nihil majus habebat in votis, quam ut Scripturam Novi Test. universam annotatis illustrare licuisset. Jamque se ad opus illud exsequendum accinxerat succincto in Matthæum commentario confecto, cui Marcum & Johannem pari brevitate adjungere, Lucam vero, quia hujus Euangelium est πολύτροπος, diffusius explicare meditabatur. Mihi vero, cum ad stationem Roterodamensem capessendam per hanc urbem iter ad vos facerem, similis consilii autor fuit b. m. prædecessor meus Stephanus Curcellæus, cujus autoritatem, quia opera ac benevolentia ejus plurimum adjutus sum, magni me facere oportet. Quo magis moveor, ut id quod me facere tantopere cupis, diligenter ad animum revocem. Ac me quidem non valde reluctantem fortasse permoveres, nisi & mearum virium imbecillitatem ipse perspectam haberem, & simul perviderem, quanta subsidia tum ingenii atque judicii à natura, tum multijugæ eruditionis ab exercitatione, tum superioris gratiæ ex dimensione cœlesti requirantur à Patre luminum, ad onus tam eximium cum honestate & dignitate utiliter administrandum. Non

De commentariis in Scripturam. Varia solvuntur ad locum Rom. VI. 12, 13, 14. De natura peccati. De præstantia N. supra variis Tist.

Ep.613. desinam precari Deum, ut instinctu suo eo me ducere dignetur, quod ad publicam ædificationem novit maxime conducere. Dubito etiam, an non commentariorum sit satis; nisi quod Nostri, dum Adversariis respondendum fuit, hac in parte nihil plenum præstiterint, si unum Illust. Hug. Grotium excipias, qui tamen Euangeliorum opus potissimum elaboravit, & sunt qui aliud etiam desiderant. D. Vorstius epistolarum tantum partem attigit, & id quod attigerat, aliter occupatus & præmature moriens elimare non potuit. D. Episcopio datum non fuit plura pertexere quam illa quæ edita sunt in aliquot capita epist. ad Rom. & ea, quæ nondum lucem vident, in Matthæum, primam epistolam Johannis, & tria priora Apocalypseos capita. Arminius, & alii, qui hunc præcesserant, perpauca scripserant, nisi in nostrum censum (quod merito possumus) velimus referre Melanchthonem, Hemmingium, cæterosque nonnullos, qui his etiam multo sunt antiquiores; quorum tamen labores, nescio quo seculi hujus vitio, multis paulatim elabuntur è manibus: quamvis ille, dum viveret, communis Doctor Germaniæ, hic Daniæ vicinorumque regnorum magister suo merito sit habitus, atque etiamnum habeatur ab iis, qui viros eruditos, pios, moderatos debita existimatione prosequuntur.

Caterum, ut his nunc relictis petitioni tuæ proxime satisfaciam, referam tibi meditationes illas, quæ mihi nuper exponenti verba Apostoli ad *Rom.* VI. 12, 13, 14. inciderunt. Ad *vers.* 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*, duplex imprimis movebatur disquisitio: prior, an illa concupiscentiarum initia, quas alii ἐπιθυμίας, alii κακοπαθείας vocant, sint pro peccatis habenda? Non censeo. Nam peccatum, nisi libera voluntate inhiberi aut suscipi possit, proprie peccati nomen non meretur. Immo, nisi talis esset in nobis propensio ad res desiderabiles expetendum, vitio locus esse non posset, atque adeo ne virtuti quidem, cui tunc demum apte respondet & laus & præmium, cum tendit in ardua, superatque luctam ab appetitu concupiscente oblatam. Quid quod parentes primi, antequam, peccatum primum perpetrarent, hac tali concupiscentia, qua in res desiderabiles ferebantur, non caruerint: unde in peccatorum censum eam non referendam colligimus. Erat enim arbor illa desiderabilis oculis, *Gen.* III. Jacobus quoque Apostolus primum illud concupiscentiæ tentamen peccatum esse non dicit, sed postquam concupiscentia conceperit, tum demum eam parere peccatum affirmat. Quod idem his Paulinis verbis firmatur, cum non desideria ex naturæ propensione orta suffocat, sed, ne *obediamus* concupiscentiis, mandat. Verum est, quod legis tabula post alia vetita subjungat interdictum de non concupiscendo, quod peccatum esse non constaret, nisi lex id esse peccatum doceret, testante Paulo ad *Rom.* VII. Sed non est dubitandum, quin ejusmodi intelligatur concupiscentiæ gradus, cui consensus voluntatis accesserit. Itaque Augustinus, quamvis acer in Gentilium peccatis exaggerandis judex, non judicat tamen concupiscentiam peccatum dici debere, nisi aut mens assentiatur, aut operatio adjungatur: in quo hunc sibi adversum agnoscit Calvinus Instit. lib. III. cap. III. §. IX, X. Notum est quod in hanc sententiam affertur ex Hieronymo; Difficile, „ quin potius impossibile, perturbationis initiis „ carere quempiam. Et ex Seneca, Primum illum animi ictum ratione effugere non possu- „ mus: sicut ne illa quidem, quæ diximus acci- „ dere corporibus, ne nos oscitatio aliena solicitet, ne oculi ad intentionem subitam digitorum comprimantur. Ista non potest ratio vincere: consuetudo fortasse & assidua observatio „ extenuet. Addo, implorandum insuper Dei Spiritum, ut novas propensiones instillando veteres gratia sua magis magisque expurget.

Secundo quæritur, unusne actus sufficiat, an vero consuetudo ex iteratis actionibus orta ad id requiratur, ut quis peccati vel corporis desideriis obsequi dicatur? Respondetur breviter; sicut is, qui unica alicui actione subservit, non illico mancipium redditur; ita eum, qui una ratione deliquit, inter peccati servos non statim referendum. Non illico avarus est, qui semel aliqua in re nimium parcus deprehenditur; nec libidinosus, qui semel actum libidinis exercuit; nec ebriosus, qui semel, ut Noach, ad ebrietatem prolapsus; nec iracundus, qui semel exacerbatus, in alium, ut in Nabalem David, efferbuit; nec rixosus, aut maledicus, qui semel ultra metas moderatæ reprehensionis in gravi præsertim injuria provectus fuit: quo referunt Pauli excandescentiam nonnulli, cum diceret invectus in Ananiam Pontificem, *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Potest hoc idem ex contrariis vitio actionibus probari, nempe virtutum; quandoquidem nemo dicitur aut liberalis, qui semel in egenos nummorum summulam exprompsit, aut temperans, qui per unum alterumve diem ab immoderato voluptatum usu abstinuit, aut injuriæ patiens, qui semel malum non reddidit inferenti: sed ad harum virtutum justam possessionem laudemque requiritur assiduitas & consuetudo plurimis actionibus roborata. Attamen, inquies, Paulus Apostolus ubi de peccatis agit, quæ nobis regnum cœleste eripiunt, 1 *Cor.* VI. & *Gal.* V. & parricidia eo refert & contra naturam admissa vel patrata: quæ partim sunt atrocia valde, partim ejus naturæ, ut sæpius perpetrari non possint. Quid igitur? ideone, quia omnia, ibi quæ recensentur, delicta nos è regno cœlesti excludunt, omnia æqualis esse gravitatis aut pari momento nos excludere statuemus? Nequaquam vero.

Digitized by Google

Ep.613. vero. Nemo enim dixerit, eum, qui ſemel ad rixam prorupit, æquo in gradu collocandum cum eo, qui hominem occidit; aut eum, qui forte in ebrietatem lapſus eſt, æquiparandum cum adultero. Sed hæc omnia dijudicanda ſunt ſumma adhibita prudentia & æquitate & pietate, ne aut alios temere damnemus, aut nobis ipſis ad peccandum fræna laxemus. Interdum unicum facinus propter ſui atrocitatem aliquem ſuo merito de ſtatu vitæ æternæ deturbat, qualia ſunt parricidia & diverſa genera mixtionum inceſtuoſarum, quæ recenſentur *Levit.* XVIII. & XX *cap.* Interdum plures actiones ad infligendam damnationem requiruntur: non quod unica exitium non mereatur natura ſua, ſi Deus ex rigore litem intendat; ſed quia in novo fœdere Deus ſe nobis gratioſum Patrem fore promittit, qui propter unicum admiſſum; etiamſi grave ſit aliquo modo, non ſtatim filium abdicat, aut expellit, aut teſtamento proſcribit; præſertim ſi vehemens naturæ propenſio, mali exempli pernicies, aliæque circumſtantiæ haud iniquam excuſationis cujuſdam ſpeciem admittant. Sic Deus videns, quod *cuncta cogitatio cordis mala ſit omni tempore*, *Gen.* VI. *Delebo hominem*, inquit, *quem creavi, à facie terræ.* At poſt diluvium, ut benignitatem paternam magis exſerat, id ipſum in longanimitatis amplificandæ argumentum arripiens, dicit Noacho Deus; *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia.* Quanto magis hanc ſummam benignitatem Deus exhibebit iis, qui ſub novo gratiæ fœdere adverſus unum aliquod mandatum una vice delinquunt? quanto magis, ſi circumſtantia aliqua vel caſus opportunam veniæ largiendæ occaſionem offerat? quod frequenter uſu venit in peccatis nonnullis; ſi quis ad iram, vel ebrietatem, vel inimicitias aliorum prava ſuggeſtione devectus fuerit.

Tertio adjungi poteſt quæſtio, an quiſpiam qui peccato actu obedit ſub peccati dominio non ſit, ſi modo ei mentis cogitatione aut voluntatis anniſu reluctetur. Qua quidem quæſtione carere poteramus, niſi verba Pauli cap. proxime ſequentis hodie Reformati nonnulli non ſine gravi pietatis noxa aut ſaltem periculo in alienum ſenſum detorquerent. Nam cum dicit, *verſ.* 19. *Non quod volo bonum hoc facio: ſed quod nolo malum hoc ago*, Paulum de ſua proprie perſona loqui pertendunt. Quod ſi verum eſt, jam Paulus fuerit peccati ſervus, ſiquidem iſtic non diu ante dixit, *ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum*; quod de graviſſimo peccatore Achabo alibi memorat Scriptura. Et tamen hic eſt ille Paulus, qui Chriſtum in ſe vivere, qui ſe carnis cupiditates frangere, qui ſe mundo, mundumque ſibi crucifixum teſtatur. Num igitur vivit etiam Chriſtus in ſervis peccati, in carnis mancipiis, in mundi aſſeclis? Nequaquam vero. Sed non eſt opus, nec locus permittit plura nunc aliunde argumenta conquirere, ut oſtendamus, ibi ad *Rom.* VII. omnia *ὡς ἐμοὶ μεθαρμοζειν* Paulum, quo verbo utitur in occaſione conſimili 1 *Cor.* IV. 6. Nunc obſervare ſufficiat, quod Apoſtolus poſt verba contextus propoſiti ſermonem ita proſequitur, *An neſcitis, quod, cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccato ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam?* Is igitur, qui obedit peccato, peccati ſervus conſtituitur. Hoc ipſum Apoſtolus liquido demonſtrat, cum in us, de quibus agimus, verbis ita præcipiat, ne ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, *ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ep.613.

Addit deinde, *Neque ſiſtite membra veſtra arma injuſtitiæ peccato: ſed ſiſtite vos Deo tanquam ex mortuis vivos*, conſiderans peccati inolitam conſuetudinem veluti dominum, hominem autem ut peccati mancipium, membra humana ut arma hujus militiæ; militia ipſa ſuſcipitur adverſus Deum ſive juſtitiam; lex eſt dominantis peccati, ut deſideria carnis expleamus; ſtipendium, quod ab hoc regnante paſſim tyranno perſolvitur, mors eſt. Porro digna ſunt diligenti ſcrutamine illa verba, *Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Quibus prioribus verbis non id ſignificatum vult Apoſtolus, quod peccati conamen ad dominium ſibi comparandum non tendat, cum ex adverſo dicat Caino Deus, *Gen.* IV. 7. *ad te deſiderium illius*, nempe peccati, cujus ibidem meminerat. Sed primo datur præceptum, ne peccatum in nos dominium exercere patiamur: uti *Gen.* IV. ad quem locum hic alludi videtur, quia Cainus primus & maximus, quod credibile eſt, fuit peccati ſervus; *Tu*, inquit, *dominaberis ei.* Scio hoc Dei ad Cainum effatum ab aliis diverſo ſenſu accipi, quaſi dicat; videris contriſtari, quia tibi prælatus eſt Abel. Nonne vero ſi bene feceris, exaltaberis ſupra eum? ad te deſiderium illius, tu dominaberis ei, quia es primogenitus: quod illuſtrari putant illis Dei verbis, quibus Evam affatur cap. præced. *Ad ipſum erit deſiderium tuum, ipſeque dominabitur tibi.* Verum infirmatur hoc interpretamentum ex eo, quia, cum dicit Deus, *in te erit deſiderium illius*, peccati mentio, non autem Abelis proxime præceſſerat; nec ut in uxorem mariti, ita primogeniti in cæteros fratres imperium habebant, præſertim vivis etiamnum parentibus. Sed in hoc commorari non eſt neceſſe. Sunt enim non pauci, qui hunc Pauli ſermonem ad robur fidelibus addendum dirigi exiſtimant, ut innuat haud fruſtra eos adverſus peccatum arma laturos, quin etiam ipſos non peccati ſervos, quales fuerant, ſed dominos futuros, ita tamen non ſi quoquo modo ſe gererent, ſed ſi ſecundum militiæ normam paulo ante præſcriptam curſum conformarent. Hæc enim duo ita con-

Ep.613. junguntur, ut divelli nec debeant, nec poſſint. Vide *Phil.* II. 12, 13. *Col.* I. 22, 23. *Heb.* III. 14.

Atque quo magis conſtet, quo nixus fundamento Apoſtolus ad tantam victoriæ obtinendæ ſpem fidelium animos excitatos reddat, proponit iis ſtatum, in quo antea ſub Moſe vixerant, & ad quem à Chriſto fuerant tranſlati. *Non enim*, inquit, *eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Nihil vetat, quominus Euangelium nomine gratiæ deſignatum intelligamus, immo & loca conſimilia, & hujus loci circumſtantiæ, atque totius Apoſtolicæ diſputationis occaſio hunc ſenſum manifeſto requirunt. Hoc enim ſibi ab epiſtolæ hujus primordio demonſtrandum propoſuit Apoſtolus, Euangelium eſſe potentiam Dei ad virtutem cuivis credenti, *cap.* I. *verſ.* 16. Et alibi Scriptura legem Euangelio opponens; *Lex*, inquit, *data eſt per Moſem, gratia autem & veritas facta eſt per Jeſum Chriſtum. Joh.* I. 17. Neque obſcurum eſt, cur Apoſtolus Euangelium nuncupatione gratiæ deſignet, quandoquidem Chriſtiani fideles non, uti olim Judæi, ceremoniarum jugo obruuntur, *Act.* XV. 10, 11. deinde quia omnium præcedentium peccatorum venia promulgata in gratiam recipere voluit Deus omnes eos, qui Chriſtum Dominum vera fide ſuſciperent. *Act.* XIII. Accedit tertia ratio, quod nos viam, ad cœlum quæ ducit, exactiorem nunc quam antea per Chriſtum gratioſe docuerit. *Matth.* V. 17. Poſtremo quia promiſſiones vitæ cœleſtis apertiſſimas nobis in Euangelio propoſuit, qualibus lex deſtituebatur. *Heb.* X.

Ex his nunc variæ difficultates, quæ objici poſſent, diſſolvuntur.

Primo enim illud objici queat, quod Apoſtolus ipſe huic loco alibi contradicere videatur, *Rom.* III. 31. *Legem igitur deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtabilimus.* Verum amica conſenſio eſt; quod liquebit, ſi quis legem (cum ex triplici præceptorum genere conſtaret, quorum alia erant in moribus bene formandis poſita, alia in ceremoniis ordinandis, alia in civili ſtatu gubernando) animadvertat ſtabiliri per fidem, quatenus vitam bene moratam reddebat ex Dei præſcripto. Fides enim novas vires ſuggerit, & ex natura ſua, & quia gratia ſuffulta eſt, ad omnem honeſtatis rationem plenius obſervandam: immo etiam, quia recti & juſti ſtudium etiam gentibus ex Euangelio præcipitur, vis legis, quæ ad juſtitiam directa eſt, per fidem maxime confirmatur ac propagatur. Sed enim quærendum eſt accuratius, quid imprimis hic ſpectet Paulus, cum legem opponens gratiæ nos eſſe ſub gratia, non ſub lege affirmat. Ad ceremonias legis, ad quas Euangelio nos non conſtringi paulo ante monuit, hoc loco præciſe non reſpici certum habeo, tum quia magis receptum eſt legem, quatenus ceremonias complectitur, veritati opponi quam gratiæ, *Joh.* I. 17. XIV. 6. *Jac.* V. 19. tum Paulus nec hoc nec præcedenti capite ullam fecit mentionem ritualium mandatorum. Lex vero, quæ honeſtatem præcipit & minas continet, duo imprimis munia præſtabat circa peccatores; primo juſtitiam & juſtitiæ æquitatem docuit, eos ad ſui obſequium compulit, immorigeros omnes peccati convicit, flagitiorum conſcientia conſtrinxit. Deinde, quia maledictionem ſevere minabatur omnibus iis, qui omnia ibi ſcripta mandataque non exacte ſervaverant, ea univerſum hominum genus ſub damnatione concluſit. Unde illud quidem exoriebatur, ut gratiam expoſcerent, ſed eam non reperiebant tamen in lege. At Euangelium Chriſti ex adverſo exactiorem quidem pietatis normam præſcribit, ſed ita ut gratiam adjungat, cujus ſubſidio multo facilius præcepta illa obſervarent, ruptis peccati vinculis, quibus homines ſub lege propter diuturnam peccandi conſuetudinem conſtricti tenebantur. Præterea Euangelium veniam illorum, quæ ſub lege commiſerant, delictorum gratioſe indulſit, unde multo major in Deum fiducia & charitas ſuccrevit. Sic reatus ille mortiſque metus, quo omnes homines ſub lege premebantur, exſolutus eſt. Ac mihi cogitanti, ad utram partem tum legis tum gratiæ hoc loco reſpiciat Apoſtolus, tametſi priorem excludi nolim, tamen poſteriorem diſertius judicio meo deſignat. Nam ſi per gratiam maledictionis legalis abolitionem & peccatorum remiſſionem largiſſime conceſſam intelligas, tum demum facillime liquebit, quemadmodum illico poſt hæc verba hanc ſibi ex aliorum mente quæſtionem objiciat Apoſtolus, *Quid igitur: peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?* Etenim veniæ largitio ad peccandum nonnullis audaciam accendit. Neque tamen refragabor, ſiquis utramque gratiæ partem intelligi exiſtimet, præſertim quia Spiritus Dei ex illa remiſſionis indulgentia vires nobis ad obedientiam alacrius præſtandam adauget.

Ep.613.

Sed hinc aliud oritur objectamentum, quomodo ex eo, quia non ſub lege ſumus, hoc eſt, non ſub ſevera illa communatione, ſed ſub gratiæ conceſſione, deducere Apoſtolus queat, peccatum in nos dominium non habiturum: immo vero tanto magis habiturum videtur, liquidem ad inhibenda flagitia plus virium habet mortis metus quam vitæ exſpectatio. Videmus enim, improbiſſimos quoſque, qui promiſſa non audiunt, minarum vi perculſos intra officii cancellos compelli. Tametſi autem hoc verum eſſe concedam, duas tamen res obtinebo, quæ ad veritatem ſermonis Apoſtolici vindicandam ſufficiunt. Primo eos, qui metu compulſi officium faciunt, non probos eſſe tamen animo, quem ſibi probatum Deus imprimis exoptat. Non enim corporis ſervitium tantummodo efflagitat, ſed cordis circumciſionem atque adeo obſequium ex toto pectore & ex intima animæ dilectione præſtandum urget.

Ep.613. get. Secundo, ita quidem comparatum eſt, ut ſiquis nondum ullius delicti ſibi eſt conſcius, ille malo abſterritus à peccato fortaſſe magis abhorreat; ſed vero ſi ille, qui vel ſemel graviter deliquit, audiat, iis, qui per omnia non exacte obedierint, in maledictionem neceſſario incurrendum; quid aliud hinc exſpectandum, quam inevitabilem deſperationem, ex deſperatione autem vitæ diſſolutionem, indeque omnium flagitiorum ad extremum uſque ſine fine, ſine modo, propudia condenſata? Si autem in huiſce conſcientiæ laborantis anguſtiis remiſſionis gratioſæ lux aliqua affulgeat, quanta hinc oboriri debet lætitia, quanta alacritas, quanta propoſiti melioris firmitudo ad omne bonum opus conſtanter in poſterum exſequendum? Enimvero ſi quis ullam modo vel minimam partem ingenuæ rationis, honeſtæque ac generoſæ indolis, ex primævo lumine retinuerit; non dubitabit, ubi ſe maximo & inſperato beneficio affectum intelliget, quin tanto ſit arctius ad cultum pietatis obſtrictus. Simul etiam illud in mentem veniet, ſi oblatum gratiæ donum reſpuat, atque contumaciam veterem novis flagitiis accumulet, quod tanto gravioribus ſuppliciis in æternum exantlandis merito ſe reddat obnoxium. Immo hæc ipſa obſtinatis iſtis ac obduratis peccatoribus comminatur Euangelium graviora multo quam lex Moſaica, ad *Heb.* II. 1, 2, 3, 4 & X. 26, 27, 28, 29. Itaque ſi quis minas ad promovendam pietatem plus valere putet, is ipſe haud dubie majori efficacia hanc Euangelicæ primo libertatis, deinde ſeveritatis legem inſtructam eſſe fatebitur. Improbiſſimo autem animo eos eſſe oportet, qui tam immenſa gratiarum copia, quanta in Euangelio effunditur, non permoventur.

Poſtremo illud objicitur, fruſtra Paulum propter gratiæ largitatem Euangelium legi præferre, cum lex tantam, quantam concipere mens humana poteſt, reſipiſcentibus indulgentiam concedat: *Jeſa.* I. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Ezech.* XXXIII. 11. *Vivo ego dicit Dominus Deus, Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Hoc vero objectamentum grave (quod utinam Paulus ipſe ſolviſſet apertius!) triplici ratione diſſolvendum arbitror. Nam primo in tabulis legis Moſaicæ nulla fit expreſſa mentio tam eximiæ promiſſionis. Itaque quæ venia uni aliquando vel homini, puta Davidi, vel integro populo hujus aut illius ſeculi data eſt, ea legis Moſaicæ tabulis non continetur expreſſa, neque ea omni ævo conceſſa multiſque temporibus minus certo cognita palam videtur fuiſſe. Verum eſt, quod Moſes alicubi integro populo, ſi reſipiſcat, ex divina benignitate delictorum condonationem promittat: verum id non ſingulos ſpectabat è populo, ſed populum univerſum: quod bene obſervatum eſt ab acerrimi judicii ſcriptore Judæo Iſaac Abarbenel in ſect. בחקותי. Neque tamen negandum, Ep.613. quod tum ex aliis argumentis, tum ex hac ipſa promiſſione colligere potuerint ſinguli, ſi ad Domini miſericordiam confugerent, id gratum Deo futurum: ſed, quia promiſſio diſerta non exſtabat, hinc infra Euangelium lex dignitate cenſenda eſt. Prophetæ vero, qui hanc rem expreſſerunt diſtinctius, ad Chriſtum jam appropinquantem propius reſpexerunt, cujus adventantis lumine illi quodammodo colluſtrati tam eximia præconia dedere: quemadmodum ante ſolis exortum lux ampla diffunditur, quam tamen à ſole, licet is in conſpectum nondum prodierit, manare certiſſimo novimus. Hinc altera naſcitur reſponſio, quod, cum juxta perpetuam Dei normam *ſine ſanguinis effuſione non fiat remiſſio*, *Heb.* IX. 22. non poterant ſub lege fideles indagare, qua via Deus peccata graviora expiaret. Nam levioribus quidem maculis expurgandis ſacrificia adhibebantur, ſed flagitia, voluntario ſuſcepta, erant citra veniam morte mulctanda, & quidem ex Dei mandato. At in novo fœdere nobis non tantum peccati remiſſio, ſed etiam Chriſti oblatio proponitur amplectenda, ut jam multo facilius hujus arcani intimos receſſus poſſimus perveſtigare. *Sanguis* enim *Jeſu Chriſti filii ejus nos emundat ab omni peccato.* 1 *Joh.* I. 7. Hinc Paulus *Act.* XIII. 38, 39. *Ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſis juſtificari, in hoc qui credit juſtificatur.* Tertio Prophetæ quidem peccatorum remiſſionem vel annunciaverunt vel certe prænunciarunt, ſed cum remiſſionis præconio expreſſam vitæ æternæ promiſſionem non conjunxerunt. Unde, cum tamen graviter delinquentibus ex divina lege mors eſſet infligenda, factum eſt, ut exiguam aut ſaltem minus perfectam ex illa gratiæ annunciatione conſolationem perceperint. At in novo fœdere cum remiſſionis ampliſſima largitione clariſſimam regni cœleſtis prædicationem junxerunt. Immo vero Chriſti reſurrectio & ſecuta poſt reſurrectionem glorioſa exaltatio hanc ſpem indubitatam reddiderunt. His modis ad illas, quæ ex profixa ibi diſputatione Apoſtoli emergunt, difficultates commodiſſime ac veriſſime arbitror reſponderi; ac ſpero me tibi quoque hac in re pro tuo deſiderio ſatisfacere. Ego certe tibi exſolvi quod debebam, nec debere debebam diutius. Deum vero precor & Jeſum Chriſtum hujus fidei autorem ac ducem, ut nobis per Spiritum gratiæ ad horum & ſimilium graviſſimorum myſteriorum intelligentiam omnemque fidei plenitudinem magis magiſque proficere detur. Vale amicorum integerrime. Dabam Amſtelod. 1660.

IↃC XIV.

CHRISTIANO HARTSOEKERO ADRIANUS PATIUS S.P.D.

Eodem.

De consanguinitatis gradibus in matrimoniis vitandis.

QUod hactenus ad litteras tuas, mi Hartsoekere, non respondérim, id non est profectum ex animo tui minus studioso, verum ex eo quod nescirem tam celeri responsione opus esse: à D. Poelenburgio certior factus te jam diu responsum desiderasse, recepi me hisce feriis super quæstionibus tuis sententiam meam ut soleo libere expositurum; nunc igitur otium nactus, quo nonnunquam abundo quidem, sed non semper ex voto fruor, non potui non tibi amicissimo morem gerere, & fidem D. Poelenburgio tuo nomine stipulanti datam obstrictamque liberare.

Quæstio de conjugiis eorum qui sanguinis aut affinitatis vinculo junguntur non exigui est momenti, verum inter eas, quæ, si quæquam alia, sæpe vehementibus animorum studiis, non raro etiam magnis regnorum motibus est agitata.

Ad tuas quæstiones, ut ordine riteque respondeam, primum exponam quid videatur de matrimoniis ob sanguinem & cognationem prohibitis, deinde de iis, quæ interdicta sunt propter affinitatem. Linea in qua gradus cognationis ponuntur, vel directa est & perpendicularis, vel transversa. Directa est vel ascendens, in qua sunt parentes; vel descendens in qua sunt liberi. Transversa eos complectitur qui ex latere veniunt, estque vel æqualis, eorum nempe qui pari gradu distant à communi parente, ut fratres & sorores, consobrini & patrueles; vel inæqualis, cum alter altero à communi parente est remotior, ut patruus avunculus, & fratris & sororis filii, filiæque.

In linea directa prohibitio est infinita; & certe matrimonia parentum cum liberis cujuscunque gradus, non tantum Jure constituto tum divino tum humano, verum Jure ipsius naturæ illicita esse censuit ab omni ævo humani generis cultior pars; ita ut mirer nonnullos hodieque inveniri, & quidem inter Christianos, qui jure naturæ licita putant, parentum cum liberis conjugia: notati Persæ à cæteris gentibus, quod hæc matrimonia, incesta Juris gentium, quomodo ea Paulus Jurisconsultus vocat in *l. ult. D. de Rit. nupt.* permissa vellent. De Parthis Lucanus,

> *Cui fas implere parentem*
> *Quid vear esse nefas?*

Neque videntur matrimonia illa pugnare cum Jure naturæ, ob eam solummodo rationem, quod cum maritus superior sit lege matrimonii, reverentiam eam matri præstare nequeat quam exigit natura, nec patri filia, inferior quidem in matrimonio, comes tamen & vitæ socia; verum etiam ob fugam quandam commixtionis cum parentibus & ex se natis, à natura ipsis affectibus inditam, à qua etiam quædam animantia solo naturæ instinctu abhorrere, à nonnullis proditum est. In linea transversa æquali unus tantum gradus jure divino & civili prohibitionem habet, nimirum fratrum & sororum nuptiæ. Cæterum inter doctos disceptatur, utrumne interdictio hæc & ipsa moralis sit, & naturalem causam prohibitionis habeat, an vero horum nuptiæ illicitæ tantum sint jure constituto: certe Mosis verba expendenti dubium esse vix potest, quin conjugia hæc prohibitionem perpetuam habeant: *qui acceperit sororem, nefariam rem operatus est*, inquit *Levit.* XX. 17. Adeoque ex abominationibus propter quas Cananæos exturpavit Dominus, hæc una fuisse videtur, qui tamen non aliam quam naturæ legem habuere. Plato quoque fratrum & sororum conjugia ait esse μεδαμῶς ὅσια: denique non Romani tantum, verum etiam alii populi, & omnis pæne Græcia nefas duxere fratres cum sororibus miscéri. Quid ergo dicendum? Mihi quidem, ut libere quod sentio exponam, nunquam visæ sunt fratrum & sororum nuptiæ jure naturæ immutabili tam manifesto repugnare; moveor quod ante auctum humanum genus, homines ad hæc conjugia necessitate quadam compulerit ipse Creator, qui omni dubio procul necessitatem hanc plures creando sustulisset, siquidem hæc matrimonia naturæ rationali adversarentur. Quod regerunt, insolens non esse, ut Deus vinculum naturalis obligationis aliquando relaxet, ut quum furtum & homicidium mandat; id profecto nulla quidem prorsus ratione objicitur; si quem enim Deus occidi præcipiat, si res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium involvunt, sed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum supremo Domino fit auctore. Aut igitur distinguendum est inter jus naturæ, ut aliud immutabile sit, aliud quod æquitatem quidem in se contineat, verum in rerum natura sola Dei voluntate impressam, dicendumque nuptias fratrum & sororum non isti, verum huic repugnare: aut statuendum cum quibusdam viris eruditis, humano generi sive in prima constitutione, sive in reparatione post diluvium, datam esse à Deo legem, ne fratres cum sororibus miscerentur: quæ lex deinde per manus tradita, omnibus gentibus in legem veluti naturæ abierit.

Consobrinos autem sive patrueles inter se conjungi, nec jure divino nec civili prohibitum; prohibuerat has nuptias Theodosius major, sed legem patris, filii Arcadius & Honorius sustulerunt, revocata prisci juris, ut inquiunt, authoritate *L. celebrandis C. de Nupt.* Pontifices vero Romani, quibus solenne leges ferre & latas abrogare, etiam divinas (quod horrendum) sola compendii gratia, ulterius pro-

Ep. 614.

Ep.614. progreſſi, non ſolum conjungi vetuerunt conſobrinos, ſed etiam ſobrinos & eorum liberos, qui octo gradibus dinumeratione juris civilis inter ſeſe diſtant; quos cum hanc ob cauſam pro meritis exceperit Beza vir doctus quidem ſed mordax plus ſatis, ego quidem, mi Hartſoekere, verbis eorum audaciam non exaggerabo. Abſtinendum vero hujuſmodi nuptiis honeſtatis cauſa, quod tu judicas, ego non video, cum nec honeſtati tales nuptiæ repugnent, nec leves etiam rationes ſint, cur videri poſſint magis expetendæ.

Sequitur linea tranſverſa inæqualis; in qua jure civili prohibitæ ſunt nuptiæ inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve loco ſint. *L.* 17. §. 2. *l.* 39. *D. de nupt. l. nemini C. eod.* Sed an huic prohibitioni conſentanea ſit lex divina, non abſque ratione quæſitum. Id certe extra dubitationis aleam ponendum, quamvis ſingula apud Moſen expreſſa non ſint, de ſimilibus idem ſtatuendum, atque proinde cum Dominus expreſſe vetet amitæ & materteræ nuptias, etiam prohibere nuptias amitæ magnæ & materteræ magnæ, & deinceps aſcendentium: verum an etiam vetuerit nuptias fratris & ſororis filiæ, & ex his deſcendentium cum patruo & avunculo & reliquis in eadem linea aſcendentibus, id video in controverſiam vocari. Par quidem utrobique ratio eſſe non videtur: nam quod nefas ſit cum amita vel matertera nuptias contrahere, id ea eo eſſe nonnulli putant, quod quodammodo naturæ ordinem evertere videatur, eam per conjugii legem viro ſubjici, cui veluti matris loco ſit: quæ ratio cum in patrui & avunculi nuptiis cum fratris vel ſororis filia ceſſet, exiſtimant eas pro illicitis habendas non eſſe. Quæ quamvis probabiliter ita diſputentur, mihi tamen negantium ſententia ſemper viſa eſt tum honeſtior tum tutior: Atque hæc de ſanguinis gradibus dicta ſufficiant.

Cognationis quoddam ſimulacrum eſt affinitas, cujus ea quoque vis eſt ut quoſvis affines quibuſvis jungi nec jus divinum nec civile patiantur: Sunt autem affines, viri & mulieris cognati, dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ inter ſe diverſæ ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.

In linea recta eadem prohibitio in affinitate quæ in cognatione: itaque nec ſocer nurum, nec ſocrum gener, nec vitricus privignam, nec privignus novercam ducere poteſt: Atque hanc prohibitionem etiam perpetuam eſſe evincit locus Apoſtoli 1 *ad Corinth.* V. ubi tale ſtuprum ne quidem inter gentes nominari dicit.

In linea tranſverſa æquali, neque fratres defuncti fratris uxorem ducere, nec maritus ſororem uxoris ob paritatem rationis, quam tamen quidam negant, uti nec licitum uxori mariti fratri nubere, quæ lex tamen olim exceptionem patiebatur in fratre, qui jubebatur fratri abſque liberis defuncto accepta ejus uxore ſemen ſuſcitare. Ep.614

In tranſverſa affinitatis linea inæquali Dominus expreſſe apud Moſen *d. c. in Levit. verſ.* 14. conjungi vetat fratris filium cum uxore defuncti patrui, cui conſequens quidem eſt nec ſororis filium cum uxore defuncti avunculi conjungi poſſe: verum an eidem quoque conſequens ſit, nec amitam aut materteram cum marito filiæ fratris, aut ſororis, nec patruum aut avunculum cum uxore filii fratris aut ſororis conjungi poſſe, ſunt qui dubitent: tutior tamen eſt ſententia, meo quidem judicio, exiſtimantium conjugia hæc lege divina ἀναλόγως prohiberi.

Quod ad conjugium attinet mulieris cum marito materteræ ſuæ, de quo conſultus fuit is cujus tu mecum conſilium communicaſti, id non video juri divino adverſa fronte adverſari: nec ſolide mihi videbitur argumentari quiſquis ita collegerit: ſi mihi nefas ſit uxorem patrui ducere, quod diſertis verbis prohibitum *Lev.* XVIII. 14. nec ſorori meæ fas erit marito materteræ nubere: in priori enim conjugio, nimium ſanguine propinqui cum eadem miſcentur, atque inſuper natura everſitur, cum contra ejus ordinem mulier mariti fratris filio, cui quodammodo matris loco fuit, per legem matrimonii ſubjiciatur, cum in poſteriori nec commixtio ſanguinis ſit, nec ordinis naturalis ſubverſio. Conſultius tamen eſt ejuſmodi matrimoniis abſtinere propter periculum, quod abſtinentia evitabitur. De ſpecie autem de qua tu interrogatus es aliquando, intrepide reſpondendum, ejuſmodi matrimonium juri divino plane repugnare; ſi enim mihi illicitum viduam patrui ducere, *Levit.* XVIII. 4. quomodo viduam avunculi ducere licebit? cum utrobique eadem militet ratio. Meo igitur judicio erraſti, quod putaveris ſpeciem D. Arminio propoſitam cum tua congruere, cum diſtent, uti ex hoc, quod adjecimus, ſchediaſmate manu D. Poppii exarato, patet. Plura poſſent circa hanc materiam diſputari, verum cum ex jam dictis haud difficile ſit de reliquis ſtatuere, nihil nunc quidem addam. Nec dubito quin tibi nunc conſtet quid reſpondendum ſit ad quæſtiones ſub finem litterarum tuarum propoſitas.

An vero legibus quæ exſtant *Levit.* XVIII. etiamnum teneamur Chriſtiani, diſputant viri docti: Eruditiſſimus Grotius in admirando tractatu de Jure belli & pacis pag. 153. non putat omnes illas leges eſſe perpetuas, reſtringitque locutionem univerſalem qua utitur Moſes d. cap. ad præcipua ejus capitis, ut de concubitu cum maſculis, cum beſtiis, cum parentibus, cum ſororibus. Alii contra cenſent omnibus iſtis legibus Chriſtianos adhuc obligari, quorum ſententia quamvis difficultatibus non careat, tutior tamen eſt, & idcirco in dubio præferenda. Vale amiciſſime Hartſoekere & me ama. Rotterodami 21 Martii 1659.

Viri

Ep. 614.

Viri Doctiſſimi, puto

D. JACOBI ARMINII,

Conſilium ſuper hac quæſtione, ſive hoc caſu,

An liceat jure divino mulieri nubere viro materteræ ſuæ, nec ne.

SUnt diverſæ ſententiæ ſuper hac re. Si eſt gradus prohibitus, eſt poſtremus, & propterea difficilis quæſtio. Qui dicunt non licere, illi quædam pro jure ſuo præſupponunt; ex XVIII *Levit.* dicunt non licere viro nubere nepti ſuæ. Præſupponunt I. non expreſſe prohiberi omnes gradus, ſed aliquos ex analogia. II. Eandem eſſe rationem mulieris & viri: ut mulieri non licet duobus conſanguineis nubere, ita nec viro duas ducere. III. Omnes gradus vetitos in conſanguinitate, etiam vetitos eſſe in affinitate. IV. Eandem eſſe rationem juniorum & ſeniorum, ut ſi liceat viro ducere neptem poſtquam duxit materteram, ei etiam liceat ducere materteram poſt neptem; nempe, ſi primo materteram, deinde neptem, vel primo neptem dein materteram.

Qui contradicunt, primam & ſecundam hypotheſin negant. Vetiti enim ſunt gradus proximæ conſanguinitatis, ut vitetur commixtio; at hic nullum eſt periculum. Deinde dicunt non eſſe eandem rationem viri & mulieris, quia viro licuit habere etiam duas & plures uxores, at mulieri non plures viros. Deinde ratio in illo *cap.* XVIII *Levit.* additur, *quia eſt nuditas tua*; at mulieris nuditas eſt viri, viri autem nuditas non dicitur eſſe mulieris; in negotio enim conjugati viri ſunt priores partes. Poſtremo vir ætatis vegetæ effœtam non ducit, & licuit viro ætatis ſenilis ducere juvenculam: alia ergo ratio eſt utriuſque. Licet ergo mulier non poſſet nubere duobus conſanguineis, poſſet forte duobus affinibus. Et, ſi non poſſet illud, forte vir poſſet & quidem prius ducere materteram, deinde neptem. Hypotheſes illæ habent veriſimilitudinem, & exceptio habet veriſimilitudinem; non liquet mihi utra ſententia ſit præferenda. Optandum eſſet, ut magiſtratus hac in re aliquid ſtatueret: ſaltem quamdiu res dubia, præſtat omittere: vix ſaltem mihi videtur eſſe inceſtum. Confuſio ſeminis vitari non poteſt, ſi una jungatur duobus; poteſt autem, ſi unus jungatur duabus. Si igitur non eſt inceſtum, neque ſeparandum ſi contractum eſt, potius ſuadendum ne ineatur: ſed ſæpius conſilium petitur re non integra. Ego non unius tale conjugium diſſuaſi, ſed fruſtra. Ordines noſtri viri prudentes gradus quoſdam affinitatis & conſanguinitatis prohibuerunt, ſed hunc non vetuerunt; non ex ignorantia, non enim potuerunt hoc ignorare; ſed quia forte tale conjugium non auderent condemnare ut inceſtuoſum, quia pleræque familiæ nobiles ex tali conjugio oriundæ ſunt. Sed quia res eſt dubia, videntur potuiſſe vetare tales nuptias, non ut inceſtuoſis, ſed ut ſibi non placentes. Quidam, cum rogarer de hac re, dolebant me *ἀνίχνευ*; (*hærere*) non doleo, me huc uſque dubitaſſe, cum videam utrimque adferri graves rationes. Ep. 615.

Super hoc caſu conſului etiam ipſe, ex mandato Senatus Eccleſiaſtici Goudani, Conſiliarios D. Francken, & D. Roſendael, qui negativæ ſententiæ aſtipulati ſunt, hoc inſuper addentes, non ita pridem (puto anno CIↃ IↃC IX aut CIↃ IↃC X de caſu illo conſilium poſtulatum fuiſſe à Senatu ſupremæ curiæ, nec non Senatu provinciali; atque ab utroque negativam ſententiam pronunciatam eſſe (quamvis D. Roſendael exiſtimabat in ſuprema curia ſecus judicatum, ſed D. Francken id negavit,) ſed nihilominus tamen ab Ordinibus propter aliquas ſpeciales conſiderationes tum temporis admiſſum eſſe iſtud matrimonium, nimirum procuratori (ut appellant) generali (niſi me fallit memoria) ſed cum hac expreſſa cautione, non eſſe hoc factum trahendum in exemplum, utpote quod poſthac admittendum non ſit.

IↃC XV.

NICOLAO BORREMANNO

ARNOLDUS POELENBURG.

De caſu quodam conſulto.

EXemplaria verſionis, dilecte plurimum frater, abs te nuper adornatæ ac editæ, huc ſunt allata, pro quibus tibi munuſculis gratias agimus. Simul perlatæ ſunt literæ, quibus D. Prævooſtii ac meam ſententiam exquiris ſuper quæſtione à quibuſdam Eccleſiæ noſtræ civibus ad te delata. Scribis A in matrimonio habuiſſe B, fuiſſe autem B ſororem C, qui C ſibi D uxorem adſcivit. Poſtquam vero B obiit relictis liberis duobus, hujuſque frater C itidem duobus relictis liberis è vita exceſſit, conſenſiſſe A & D in matrimonii vinculum, ita tamen ſi hoc factum & honeſti ratio, quæ ex S. literis haurienda, & leges patriæ, de quibus Juriſconſulti conſulendi, fas eſſe concedant. Atque hi quidem ſententiam rogati reſponderunt iſtiuſmodi connubia nullis omnino legibus prohiberi. Poſtea vero ad te atque exhinc ad nos devoluta controverſia eſt, quia homines ſunt pii, qui in hac conjunctione id unice ſpectant, nequid Deo aut conſcientiæ adverſum committant, neve ulla ex ſuo facto labes in Eccleſiam redundet, ſed ut ipſi vitam colant honeſtam, liberoſque pari ſtudio ad omnem honeſtatem informent. Principio cum in hanc cauſam obiter intueremur, nobis liquido ſatis licita videbatur, tum quia viduus & vidua,

Ep.615. vidua, qui hoc matrimonium appetunt, nullo ſe mutuo cognationis gradu contingunt (ſi quod enim vinculum interceſſit, id morte diſſolutum videtur) tum quia ſub Vet. Teſtamento frater defuncti fratris uxorem ducere tenebatur. Cæterum re propius expenſa haud mediocrem pariunt difficultatem liberi utrimque ſuperſtites. Ceſſabat enim jus leviratus ſub Vet. Fœdere, immo id injuſtum prorſus ac nefaſtum habebatur, ſi frater defunctus liberos reliquiſſet. Id manifeſtum ex *Levit.* XX. 21. *Vir ſi duxerit uxorem fratris ſui, turpitudinem fratris ſui revelavit, abſque liberis erunt*: vel quia orbi erunt non benedicente eis Domino; vel ſecundum alios, quia antequam ex impura mixtione liberi enaſci poſſint, ſunt interficiendi; quod durius eſt, licet aliquo modo probabile fiat ex verſu præcedenti. Lex de fratris uxore ducenda cum diverſa lege quam ex Levit. attuli, conciliari poſſe non videtur, niſi per uxorem fratris intelligas viduam ſine liberis. Nam quod nonnulli *Levit.* XX. interpretantur *uxorem fratris* etiamnum viventis, id ſatis univerſali adulterii interdicto erat prohibitum; neque agitur in hoc capite de adulterii legibus, ſed de nuptiis illicitis propter inceſtum aut ſaltem propter inceſtus cognationem. Neque illud verum eſt, quod contendunt alii, inter quos Calvinus, qui exiſtimant fratris nomine, cum lex ei permittit aut mandat fratris uxorem ducere, deſignari, uti mos eſt Hebræis, conſanguineum aliquem proximum; quia exiſtimant, ſi frater uxorem duxerit fratris vel germani vel uterini, omni modo inceſtas fore nuptias. At enim id falſi arguitur exemplo Thamar, quam pluribus fratribus Ger, Onan, & Zelah ex ordine nupſiſſe conſtat, idemque interpretamentum perpetuo Judæorum praxi ſatis refellitur. Neque vero obſcurum eſt, quanam de cauſa liberi ſi relicti eſſent, iſtiuſmodi connubium pro inceſtuoſo habitum fuerit. Quia enim ſanguis paternus etiamnum in liberis vigebat vivebatque, hinc illud matrimonium illaque ex matrimonio orta vel affinitas vel nova cognatio, qua uxor fratris fratrem contingebat, non penitus exſtincta cenſebatur. Ad quam normam ſi caſum propoſitum exigamus, contracta ex prioribus conjugiis affinitas, quæ eſt quædam cognationis quaſi ſpecies, nondum dirempta videbitur, quia liberi ſuperſunt, idque eo magis, quia ſuperſunt utrimque. Sanguis enim utriuſque defuncti parentis in liberis etiamnum ſe agitat. Unum eſt tamen quod objici videtur maxime poſſe, tunc ſub lege veram ſanguinis fuiſſe cognationem inter fratrem & fratris defuncti liberos, ideoque arctius exſtitiſſe vinculum inter uxorem & fratrem defuncti, quam hoc loco, ubi utraque pars contrahentium nulla ſanguinis mixtione conjungitur, niſi primo per uxorem aut maritum demortuos, deinde per demortuorum liberos. Sed vero tunc quoque ſub lege, quamvis liberis fuerit cognatio aliqua cum patruo, ea tamen uxori nulla interceſſit cum fratre mariti, niſi per liberos qui poſt mariti mortem remanſerunt: id quod etiam in caſu abs te propoſito locum habet, & quidem utrimque, quo magis nexus aſtringitur. Fateor tamen hinc aliquam diſſimilitudinem inferri, & quidem tantam, ut propterea res alicui prorſus concedenda videri queat. Quæ etiam ratio nos movet, ne hanc conjunctionem inter nefaſtas referre audeamus: quandoquidem Deus eam nuſquam exſerte prohibuit; neque illud ex ſimilitudine ductum argumentum, in hac præſertim connubiorum ratione, ſemper æquali robore procedit. Ducere amitam vetitum, at fratris filiam vetitum non erat, cum tamen utrobique par ſit gradus propinquitatis. Nos vero non oportet Chriſtianam libertatem legibus noſtris circumſcribere, aut ſcrupulos citra neceſſitatem alienæ conſcientiæ ingerere. Interea tamen laudabilius arbitramur atque etiam tutius, ſi quis ab iſtiuſmodi matrimoniis ſibi ſponte temperet, quæ ad prohibita illa ac nefaſta propinquo gradu accedunt, & propterea populo graviter inviſa ſunt, non ſine cauſa, nec ſine fructu; quoniam, ſi ab iis, quæ dubii ſunt juris, abhorrent, tanto magis vitabunt illa, quæ juſſu Dei aut naturæ inſtinctu palam vetantur. Neque in vituperio, ſed in laude ponendum, ſi hac in re aliquid uſui recepto moribuſque patriis concedamus, quia conſuetudo vim legis ſæpe obtinet. Quo pacto & infirmorum offenſionem evitabimus, & ab omni ſpecie mali nos continebimus. Habet enim hoc mali ſpeciem, ſi id committamus, quod cum peccato aliquam habet vicinitatem. Eodem referri poſſunt patruelium & conſobrinorum connubia, de quibus Auguſtinus; *Raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: veruntamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti.* Quod ſi tamen & hiſce hominibus, quorum nomine conſilium expetis, propoſitum ſit hac in re animi ſui ſententiam exſequi, id facient neque laudantibus nobis, neque valde approbantibus, ſed permittentibus id haud gravatim, quod divina lex expreſſe non vetat: Quo nomine juſtior erit eorum excuſatio apud plebem, ſiquidem non carnis impetu, qui ſæpe perverſus, ſed ex pietatis ſtudio hoc propoſitum ſuſceperunt. Id magis erit probabile, ſi vita anteacta utriuſque fuerit inculpata. Vale mi frater, Deo commendatus. Dabam Amſtelodami 1660. Ep.615.

Digitized by Google

IↃC XVI.

ADRIANO PATIO

Rotterodamum.

ARNOLDUS POELENBURG S.P.D.

Judicium de scripto Leonardi à Ryssen. Nonnulla refellentur, imprimis maledicta prafatio.

DIu multumque dubitavi, eruditissime Paetli, quorum potissimum amicorum consiliis morem gerere deberem, tuisne & aliorum multorum, qui Leonardo Rysienio ad scriptum mordax & aculeatum magis quam acutum respondendum omnino non censetis, an vero iis accederem, qui existimant retundendam hominis leoninam ferociam, qua nos causamque nostram, quantum potest, acerbissime dilacerat. Ac primo quidem, dum erat animus commotior (quis enim immoto pectore ista legat?) tam gravibus contumeliis, à justis causæ veræ vindiciis non valde abhorrebam, præsertim quia videbatur homo glorioſus, & suo judicio potens, tuo & aliorum impotens admodum, taciturnitate nostra ad triumphum sibi decantandum abuti posse. Sed postea auditis plurimorum amicorum gravissimis rationibus, re diligentius perpensa, libro ipso adversario, quem nondum totum legeram, perlecto tot mihi causæ in eam partem se obtulerunt, quæ responsionis propositum inhibebant, ut nullus dubitandi amplius locus supersesse queat. Nam ut non dicam, homines hoc disputationum genere jam exsatiatos silentium magis exposcere: ut taceam argumenti hujus sublimitatem intelligentiæ nostræ caligante acie vix satis pervestigari posse: ut mittam nihil hic mihi reponi, quod non aliunde corrasum, atque à nostris sæpius discussum est: quas tamen tuas causas fateor esse gravissimas: verum obstant etiam aliæ rationes, quæ partim ex hoc adversarii scripto se offerunt, partim ex autoris consideratione, qui responso indignus, partim ex Societatis nostræ voluntate, quam video aliis me rebus malle incumbere.

Ac primo quidem potissima pars istius libelli me non tangit, sed alios, in quos certandi avidus autor, ut bos petulcus, passim incurrit, nunc in Scholasticos Jesuitas, nunc in Dallæum, nunc in suos qui minus alte quam ipse sapiunt & ultra lapsum non audent ascendere. Sumit etiam refellendas sibi sententias nonnullas, quas nemo unquam defendere conatus est: immo, ausim dicere, quas nemini unquam in mentem venisse crediderim; videlicet, ne careret adversario. Possent adduci alia, sed quid opus est pluribus, cum ipsum de se habeamus confitentem, pag. 91. ubi cum prolixe rationes rationibus accumulasset; *Sed verum fatear*, inquit, *vix opus esse judico, ut pluribus demonstrem*, &c. *quod id habemus assertum non meminerim.* Quinetiam intellexi jam ipsum absolvisse hunc suum libellum, priusquam ego meum scriptum edidissem. Postea ego quoque factus sum tractatuli istius accessio, quem tamen nescio cur tanto impetu tamque ferociter adoriendum duxerit vir magnus, (sic enim appellatur in carmine, quod opusculo suo præmisit) cum tamen me ut puerum pueriliter traducat. Præterea si quid ex ista scriptiuncula veritati aut causæ nostræ detrimenti esset metuendum, putarem eam justa responsione diluendam. Nunc autem quid metuam, cum vir magnus ita hæc sua obscuritatibus involvat atque convolvat, ut interdum quid velit vix ipse consequi posse videatur; interdum sic barbarus, licet se oratione haud inopem statim ab initio prædicet, ut ille, qui jam nunc ad Patrum lectionem festinat, quod scribit ad Hoornbeeckium suum, (qui, cum opusculum istud non perlegisset, sed *perlustrasset* idque *in transcursu*, tamen laudabilem ei hederam bene rogatus appendit, ut merces malæ fierent vendibiles) ad Ciceronem, Terentium, aliosque revocandus videatur. Si tamen illos nolit, quos omnes non veretur orco adscribere, sed omnino ad Patres iter intendat, legat imprimis Hieronymum & Lactantium, tum propter Latinum sermonem, tum quia inde discet cruda ista dogmata, quæ ipse effundit, vehementer displicuisse veteri Ecclesiæ. Nec dehortandus, ut Augustinum & Prosperum legat, quia ex his etiam dabitur occasio multa aspera mitigandi. Sed redeo ad obscuritatem, cui interdum studiose deditus videtur, ut habeat subtilitatis speciem. Et sane fateor interdum ex Scholasticorum lacunis nonnulla satis eum attulisse subtiliter, adeo quidem, ut, nequis ignoret, dicat se *nimium ad Scholasticos deviare.* Itaque ne quis ipsum putet virum magnum esse parvum Scholasticum, affert nobis Thomam, quem ipse vocat Doctorem Angelicum; Bonaventuram, quem Seraphicum; Joh. Scotum, quem subtilem; Bradwardinum, quem profundum appellat; denique alios Zuarez, Alvarez, Cumel, & nescio quos alios cumulos Scholasticorum accumulet, ne quis ipsum parum esse Scholasticum suspicetur. Me vero præ se valde despicit, quia ipse sibi vehementer ut ait persuadet me nullum legisse Scholasticum. Quid exspectandum ab hoc hominum genere foret Apostolis, si reviviscerent, nisi contemptus? quandoquidem piscatores ipsi, quemadmodum pulveri Scholastico innutriti non fuerunt, ita sermone utuntur perspicuo & plano, non aliter atque si Scholasticam prorsus non attigissent. Paulus Apostolus nonne irrideretur ab hisce hominibus, ut quondam à Stoicis veteribus? Nonne hic noster ipse in arenam procedens diceret; *Tu, quem nullum unquam Scholasticum Doctorem legisse vehementer mihi persuadeo, adversus ingentem Twissum exercitum conscribis?* Etenim Paulus quoque adversus Twissum insurgit, cum sæpius inculcat Deum velle omnes homines salvos fieri, Christum Ep. 616

pro

Ep.616. ſtum pro omnibus eſſe mortuum,&c. Eſt enim id huic noſtro mirandum, quomodo homo in Scholaſtica rudis, ut ille opinatur, Twiſſum aggredi auſus fuerim, & quidem iſtiuſmodi argumenti ſubverſionem ſuſcipere, quod iſte magnanimus heros ne Diabolum quidem cum omni Angelorum ſuorum ſatellitio ſolvere poſſe gloriabatur. Cur autem ille me Scholaſticum non putet, facile aſſequor, quia me videt iſtis verborum argutiolis non delectari, neque dogma tali tibicine ſubnixum defendere. Nam ſi quis Calvini ſententiam defendat aut eam propius exprimat, audit ille mox egregius Scholaſticus, ut apud Twiſſum Molinæus. Si vero alius quiſpiam ad noſtram ſententiam propius accedat, manebit quidem forte Scholaſticus, ſed ſubtilitatis tamen laudem in ea re non obtinebit. Sic, *Audacior*, inquit, *hic fuit quam ſubtilior Jeſuita Arriaga, qui contra expreſſum Thomæ ſui textum* (ohe! quantum crimen!) *defendere non veretur; decreta Dei quod ad actum à parte noſtra cauſam moralem habere poſſe.* Ubi, cum noſter argumentum ex ſcholaſtica ſua deſcriptum adduxiſſet, ſtatuens *non velle Deum ſalutem omnium & ſingulorum decreto à conditionis alicujus impletione producto & excitato*, quoniam *non eſt talis Dei actus qui à conditione produci poſſit. Neque enim decretum Dei æternum effectum hominis eſſe poſſe*, ille qui me Scholaſticum non putat, tamen confeſtim ad argumentum iſtud Scholaſticum ſcholaſtice reſpondentem inducit, *Cauſalitatem moralem fieri media cognitione, potuiſſe Deum opera noſtra ut futura providere, & ſic iis allici ad volendum.* Veruntamen fateor me non tanti facere Scholaſticas tricas, ut non arbitrer tempus noſtrum multo melius collocari in ſacrarum literarum cognitione perveſtiganda: immo lubens agnoſco, me tantum eo fine hoc ſtudium colere, ut adverſariorum argutias, quas captant in verbis, intelligere, &, ſi falſa exinde præſidia metuentur, ea propulſare commodius queam. Progrediamur nunc ad alia non paulo graviora.

Continentur iſto libello partim dogmata tam horrida, partim collectiones adeo abſonæ, ut nihil minus inde metuendum quam noxæ vel leviſſimæ periculum, quod ille cauſæ noſtræ iſtac ſcriptione parare ſe poſſe nimis confidenter autumat. Audiamus primum dogmata, quæ tum ſanam rationem, tum legitimam Scripturæ interpretationem evertunt. Pag. 322. Angelos negat *eligendos ut bonos, reprobandos ut malos* à Deo *conſideratos* fuiſſe. Pag. 224. haud obſcure aſtipulatur Calvino ſtatuenti gentiles *cum ſuis infantibus* reprobatos, quanquam non dicit Calvinum id decretum *horribile* appellare, & tamen verum eſſe defendere. Pag. 254. cum diſtinctionem inter *reprobationem negativam* & *poſitivam* rejeciſſet, qua utuntur nonnulli ad horrorem dogmatis ſui obvelandum, ipſeque negaſſet *negativam* dari, *oſtendit* mox cap. ſequenti, *peccatum ſive originale, ſive actuale ſit, reprobationis poſitivæ cauſam dici non poſſe.* Pag. 267, 268. Altingium pro ſe affert teſtantem, *Orthodoxos communiter docere, Deum creatione ſecunda condidiſſe electos ad vitam, reprobos ad mortem.* Ac dicit Calvinum non ſemel hoc aſſerere, *Non pari conditione creantur omnes, ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt* ..... Atque iterum, *quos ergo in vita contumeliam & mortis exitium creavit.* Immo *magnus Beza cum Paulo loqui eos aſſerit, qui quoſdam dicunt ad juſtum exitium à Deo conditos eſſe.* Zanchius, inquit, etiam *aſſerere non veretur* (quod ſane, cum audax ſit facinus, verendum erat) *Deum quoſdam creare ut ſerventur, & ita in eis ſuam declaret miſericordiam: alios vero ut perdantur, & ita in eis ſuam patefaciat juſtitiam.* Feſtus quoque inter fructus prædeſtinationis ponit *creationem electorum & reproborum.* ô fructus amaros! Quiſquamne exiſtimet me in his opinionum abſurditatibus refellendis commorari debere, quæ ſponte ſua corruunt, quæ refutatæ ſunt ſæpius, quæ ab orbe Chriſtiano prope univerſo hodie exploduntur. Eas, ſiquis modo commemoret, ſatis refellit apud eos, qui rationi & Scripturæ auſcultant, præjudicio & affectu ſemoto. Ep.616.

Perpendamus vero, quam dextris, quam ſanis ac ſalubribus collectionibus utatur fortiſſimus argumentator Scholaſticus. Duxeram ego validum, ſed pervulgatum argumentum ex eo, quia Deus ex ipſorum ſententia cum reprobis non vere, ſincere, candide agere videretur. At ille, quaſi in iis verbis eximia ars lateat, me ex Rhetorica mea declamare ingerit: mox ad reprobos neſcio quam apte, aut potius inepte, ne dicam truculente, & tamen per riſum quaſi ſermonem convertit; *Credere quidem*, inquit, *ô reprobi in veſtra manu eſt, poteſtis ſi velitis, ſed ſi faciatis quod poteſtis, fieri tamen non poteſt ut ſalvemini; quoniam Deus vos ab æterno immutabili decreto igni addixit. Atque in tempore de vobis ſalvandis decretum formare non poteſt; omnes enim quos ſalvare decrevit, ante jacta mundi fundamenta elegit in Chriſto.* Hæc ille, pag. 85. ſatis inſulſe. Ecce autem aliud abſurdum, quod abſurde colligit ex voluntate Dei, quam conditionatam nuncupamus. *Si*, inquit, *Deus conditionate, ſi credant, vult homines ſalvari, ſi non credant non ſalvari, ergo tam obediendo quam non obediendo ſpernunt conſilium Dei.* Me miſerum! At ego arbitrabar, cum Deus conditionate ſalutem promittit, ſimul aliquid præcipere; & cum damnationem ſub conditione minatur, ſimul aliquid vetare & quidem ſevere. In priore decreto conditionato affectus ad obedientiam, in altero averſus ab inobedientia animus vel expreſſius eſt, vel ſaltem tenetur incluſus. Quam igitur abſone ille

Digitized by Google

Ep. 616. hinc colligit, ſi conſilium Dei de noſtra ſalute ſuſceptum ſit ſub certa conditione, quod tam obediendo quam non obediendo conſilium Dei ſpernatur. Neque ex ſe tamen hanc ſequelam deduxit, ſed ex forti quodam Rhetore (ſic enim appellat) eam mutuatus eſt, quod ipſe ad marginem notavit. Hiccine vero eſt ille Rhetor fortis, quem ille malleum Remonſtrantium audet vocare? quanquam plures ille malleos nominat, ſed qui poſſint omnes, quantumvis in Schola tricarum bene durati, uno verbi divini malleo facile confringi. Jeremias Propheta verbum Dei malleum appellat, hic noſter malleos habet Doctores ſuos Scholaſticos. Latet vero in iſtiuſmodi collectionibus, ſi bene advertas, ingens pernicies. Nam cum dicit Dominus, ſi credideris ſervaberis, ſi non credideris damnaberis (quæ omnes ferme homines exiſtimant eſſe Dei decreta conditionata, paucis ſubtilitatum rimatoribus exceptis) ſi ex iis, modo condionata ſint, liceat concludere, *tam obediendo quam non obediendo ſperni Dei conſilium*, profecto obedientiæ noſtræ ſtudium, quod maximè neceſſarium eſt, & cum obedientia ſalus hominum in certiſſimum diſcrimen adducitur. Accipe aliam conſimilem collectionem, unde facili nexu omnis religio diſſolvitur; *Bona opera*, inquit, *cauſa reprobationis poſitiva non ſunt, non ergo etiam mala.* Bone Deus! an tempus tererem in hujuſmodi connexionibus ſolvendis, quas jam omnium prope hominum conſenſio averſatur. Accipe & aliud commentum, quod ille argumentum eſſe dicit; *Si peccatum reprobationis poſitiva foret cauſa, & quidem meritoria, tum Salvator noſter reprobari debuiſſet.* Apage fœdas iſtas abſurditates, in fidem Chriſtianam, divinam pietatem, Deumque ipſum palam injurias; quibus eructandis ſi juſtam ſcriptione mea cauſam huic homini dederim, non ſcripſiſſe mallem. Habet vero & alia aliena ab omni probabilitate permulta: ut, cum ſtatuit hoc libertati divinæ repugnare, immo & juſtitiæ, ſi Deus Angelos eligat qua bonos. Quin etiam, quaſi res extra dubium ſit, quærit fidenter; *Quid? liberumne Deo Angelos qua bonos reprobare, qua malos in gratia conſervare & glorificare? Et hoccine pateretur juſtitia?* At ego juſtitiam longe diverſum quid atque adeo adverſum flagitare credebam. Quanto congruentius Dei verbo rectæque rationi quæram ego; *Quid? liberumne Deo* Angelos, quos ad bonitatis ſuæ manifeſtationem tam ſublimi ratione conditos & evectos voluit ſupra omnes creaturas, citra ullam peccati cauſam non modo infra beſtias abjicere, ſed etiam eoſdem ad ignes infernales in æternum perferendos deſtinare, idque ut gloriam inde ſibi comparet? Hæccine Dei gloria! Hoccine pateretur Dei tantopere celebrata miſericordia, juſtitia, charitas, qua ſummus opifex omnia manuum ſuarum opera complectitur? Pag. 321. *Parum abeſſe* dicit, *quin credat, præſuppoſito Adami* Ep. 616. *peccato, & nulla prædeſtinatione prævia, omnes reprobari debuiſſe.* Quam hoc alienum ab omni probabilitate, cum Scriptura Adamum ipſum propter hoc peccatum ne potuiſſe quidem in æternum cruciari ullquam perſpicue aſſerat? præſertim ſi maneat illud, quod noſter ſtatuit, neminem puniri poſſe ſupplicio, quod ipſi Deus antea comminatus non fuerat. Neque hoc liquet ex verbis *moriendo morieris*; cum Deus poſtea, quam mortem minatus fuerit, ſatis diſerte explanet; *Pulvis es*, inquiens, *& in pulverem reverteris.* Præterea fac potuiſſe: unde ſequetur Deum Adamo debuiſſe infligere cruciatus æternos? præſertim ſi Chriſtus pro nobis moriturus ſtatuatur. Poteritne creditor debita condonare; & Deus peccata non poterit? Fac etiam debuiſſe Deum ita cruciare Adamum: unde Deum poſteros etiam aut potuiſſe propter id peccatum aut debuiſſe tam durè affligere probabit? cum nuſquam iſtiuſmodi exſtet comminatio, & Scriptura contrarium affirmet, quod nec pater iniquitatem filii luet, nec filius paternam, *Ezech.* XVIII. Immo vero, inquit, habetur, *Tuque & poſteri moriemini* pag. 203. Decipiat ſic eos, qui tantum Scholaſticos, nunquam Scripturas legerunt; cum liqueat ne apicem quidem vocis *poſteri* in Dei commina-tione reperiri. Simile eſt illud, de libertate quod repetit, pag. 321. *Ut ut enim præſuppoſito peccato omnes reprobari aut eligi potuiſſent, laditur nihilominus libertas, eo quod homines reprobari aut eligi neceſſe eraſ.* Fiat argumentum; Si Deus aut reprobare aut eligere pro arbitrio potuit, igitur non eſt liber, &c. Vide, quam perverſa conſecutio, cum omnes & noſtri & Adverſarii omneſque ſani homines contrarium colligere deberent hoc modo; Si Deus pro arbitrio eligere poſſit & reprobare, eſt igitur liberrimus. Quia vero de Angelis antea facta eſt mentio, ſuperioribus adjungendum, non modo eandem ab ipſo conſtitui rationem electionis Angelorum & hominum, quod ſi recte intelligatur admitti poteſt; ſed etiam ipſum abſurdiſſime inferre adverſus Arminium, quod ex ipſius ſententia ſequatur, Deum tam cum hominibus ſecundum legis rigorem agere, quam cum Angelis. Cur vero? quia *hominibus dicit, crede aut peribis; Angelis, fac hoc aut peribis.* At primo vix nobis quicquam de eo conſtat ex ſacris literis, quo Deus rigore utatur in præceptis quæ Angelis præſcripſit: immo ne illud quidem perſpicuum eſt, quænam præcepta Deus Angelis injunxerit. Quid vero? Nonne etiam ſibi palam repugnat, cum fidem ſtatuit æque gravem quam perfectam legis obſervationem; illam nempe fidem, quam ſine operibus nos juſtificare exiſtimat? Denique tametſi præcepta utrobique reſpectu tum Angelorum tum hominum æqualis eſſent gravitatis, non tamen ex eo rectè deducitur, quod Deus non minori in homines

Ep.616. mines quam in Angelos rigore uteretur; quoniam fidei conditio, si quis deliquerit, veniam resipiscentiæ concedit; at operum lex, quæ Angelis fuerit lata, remissioni spem omnem severe præclusit. Porro pag. 252. ex verbis Apostoli *Rom.* IX. *Major serviet minori*, Walæum secutus absolutam reproborum prædamnationem inepte concludit: quæ si esset firma collectio, miserrima foret omnium conditio servorum. Neque tamen Esau, quem prædamnatum contendunt, servivit ipse Jacobo, sed posteri posteris: Vide *Gen.* XXV. 23. Verba *odio habui* non fuerunt ante gemellorum nativitatem prolata, sed multis postea seculis elapsis edita, *Malach.* I. 2. Paulus vero hæc exempla typice tantum instituto suo applicuit, ut ostenderet liberum esse Deo, ut fideles nunc in populum sibi adoptaret ex quacunque gente, *Rom.* IX. 24, 25, 30, 31.

Alibi mirabiliter defendit, immo sub calcem in eo totus est, ut obtineat *decretum Dei de demonstranda sua gloria in homine possibili*, quem ut crearet nondum decreverat. Quo pacto non tantum Dei sapientia violatur, sed etiam ea, quæ sunt contraria, ei tribuuntur; cum nemo sapienter velit, Deus reipsa non possit actione aliqua versari circa rem, quam nondum futuram constituit neque cognovit. Hoc enim tantundem est, ac si quis accidens adjunctum aliquod sibi fingat existere aut existere posse sine subjecto. Quapropter frustra regerit ex negatione nostra sequi, *nullum decretum posse versari circa possibile, & neminem probaturum possibile esse nonens.* Nam ad primum quod attinet, non omnium eorum, quæ fieri possunt, eadem est ratio; cum Deus aut circa possibilia tanquam objecta versetur, quæ, nisi ut fiant jam ante decreverit, objecta esse non possunt; aut circa ea tanquam terminos rerum producendarum vel potius actionum suarum, de quibus terminis hoc loco non agitur. Hæc cum perpenderet Gomarus, vidit ad decreta conditionata necessario recurrendum; cui sententiæ noster ille omnino refragatur. Alterum, quo possibile negat esse non ens, est inanis subtilitas: quandoquidem si rem præcise consideremus, id possibile vocatur, quod cum possit esse non est tamen; quod eodem redit, ac si diceres, est non ens. Si quis autem facilioris doctrinæ gratia distinguat inter ens participialiter ut vocant sumptum, & ens nominale, quorum prius illud actu existere intelligitur, nolim ea, quæ sic recepta sunt usu, convellere. Illud tamen omnino retinendum est, ejusmodi ens non esse idoneum actionis divinæ subjectum, priusquam Deus id in actum producere decreverit. Non potest inquam Deus constituere, velime hominem eligere an reprobare, priusquam ipsum condere jam ante statuerit; quia hoc ordine naturæ sic præcedit, ut, si quis contrarium asserat, manifestam contradictionem involvat. Tandem ille pertendit decretum primum hoc modo informari posse; *ego in eo, quod hominem facere possum, demonstrabo misericordiam.* Verum tale decretum, si modo verba transmutentur, facile convertitur in conditionatum, quod ille toto pectore refugit. Præterea si diceret Deus, *in eo quod hominem facere possum*, unum aliquod ex hisce tribus eligat noster oportet, aut decretum de homine condendo iis dictis conditum esse, aut saltem Deum ad id constituendum aliquo modo propensum fuisse, aut rem prorsus in ambiguo hærere. Primum istud haud placebit, quia contendit fuisse primum decretum de gloria misericordiæ condenda, non de homine condendo: atque insuper homo tunc in genere possibilium non amplius maneret, sed ad classem futurorum transiret. Alterum quoque id eligere non poterit, quia propensionem ut actum incompletum à Deo removet. Postremum illud si amplectatur, Deus eadem ratione dicere potuisset, *in eo quod facere possum vel avem vel piscem vel quadrupedem*, quia de homine ad demonstrationem misericordiæ designando nihil erat constitutum magis quam de quolibet horum animalium. Hoc autem absurdum ista loquendi formula quadantenus effugere studebat. Similiter cum pictorem fingit hujusmodi formare propositum; *ego in eo, quod imaginem Cæsaris facere possum, demonstrabo ingenium & artem meum*; aut pictor decernit Cæsaris vultum exprimere, aut saltem eo propensus est, aut propositum illud sive decretum (nam has voces eandem vim habere ex Bonaventura luculente probat) prorsus erit vagum ac vanum; quod ita re vera se habet. Neque potest dicere tunc pictor, *demonstrabo* (alioqui jam supponeret decretum de Cæsare pingendo) sed tantummodo, *possum demonstrare.*

Præterea non prætermittendum, quod noster, animadvertens credo absolutum ejusmodi decretum reprobationis quod sit horridum valde, aliquid alicubi lenimenti rei asperrimæ suo fortasse judicio adhibere annititur, statuens reprobationem nec pœnam esse nec malum. pag. 274, 275. Hoc sane si evicerit, multum suis absolute reprobis solatii attulerit. At *reprobatio æterna est & actio interna, nec subjectum inhæsionis habet. Nihil est ergo, cui mala dici possit. Homini reprobato non. Nam is adhuc non est.* Hæc ratio si valeat, noster hac una responsiuncula tanquam panacæa multis simul argumentis, tanquam vulneribus, quæ reprobationi absolutæ perquam gravia infliguntur, facillime medebitur. Si objicianus Deum constitui hoc pacto injustum, respondebit nemini fieri injuriam, quia homo nondum est. Si dicamus Deum videri immitem, immisericordem, truculentum, non φιλάνθρωπον, sed μισάνθρωπον, id ipsum quoque negabit, quia homo nondum existit. Si contendamus miserrimum esse sic reprobari, inficiatio in promptu. Quia enim nondum sunt,

ed by Google

Ep.616. ne miſerum quidem quicquam iis accidere poteſt. Egregia vero conſolatio: atque hæc tamen minus dura, quam illa Zanchii & Gomari, qui reprobationem ſummi beneficii loco interpretabantur, ſtatuebantque reprobos in mediis cruciatibus infernalibus Deo magnas debere gratias, quia eorum reprobatio ad Dei gloriam & bonum univerſi comparata eſt. Hæc talia illi non dicerent, credo, niſi ſe ſua ſententia electis aggregarent: mihique videtur iſta inanis ad reprobos relevandos conſolatio. Attamen, inquit, *homo non eſt: non igitur mala homini reprobatio.* At certe futurus erat homo. Negare id quoque poteſt, nam erat *poſſibilis.* At hinc ſequetur, hominem eſſe reprobatum, antequam erat, immo antequam futurus erat: quin etiam Deum feciſſe decretum de creaturis reprobandis (nam certe ſeipſum reprobare non voluit) antequam quicquam creare decreviſſet: quod plane ἀσύστατον. Non audet huic reſponſo magis inſiſtere. *Sed*, addit, *dem futurum eſſe. Futurum quod eſt, illud non actu, ſed tantum in futuro, miſerum eſſe poteſt, id eſt, miſerum erit, cum actu erit, aut miſeria ei obveniet cum actu exiſtet.* Nonne hoc modo ſeipſum jugulat, nonne hoc ſufficit ad ſtatuendum, quod homini mala ſit reprobatio, ſiquidem ex ea ipſi neceſſario provenict æterna damnatio? *Aſt reprobatio nunquam eſt futura, ſed ſemper ab æterno facta. Ea ergo quando erit homini mala?* Video ſpeciem acuminis. Sed reſpondetur eam tunc malum eſſe homini, cum fit ut malum homini ex ea inferatur. Quid autem, ſi Rex aliquis ſecum conſtituat maſculam alicujus prolem nondum natam poſt aliquod ſpatium occidere; an non dicemus hoc decretum infanti, qui præſtituto tempore occiditur, fuiſſe malum, quamvis in vivis tunc non fuerit? Sed ne qua ſit dubitatio; ex eadem ratione poſſet ille colligere, electionem non eſſe bonam homini, quia *ſemper ab æterno facta eſt. Ea ergo quando homini* bona? Num hoc ipſe credit? nonne quod electus ſit Deo gratias agit? nonne electionem ſummi beneficii loco ducit? Eſt igitur hoc inane pharmacum quod porrigit reprobis; manetque inconcuſſum illud, ſi damnatio ſit homini mala, ſi inſuper injuſta extra peccati cauſam, reprobatio quoque erit mala, injuſta, immiſericors. Nec alia fuit mens Arminii, cujus locum mutilando corrupit. Verbis enim citatis ſubjicit Arminius indivulſe, *ſed exſecutio illorum actuum.* Denique paulo poſt hinc infert Arminius, *Deum non præterire actu externo niſi peccatorem, non damnare actu externo niſi peccatorem. Hinc ſequitur Deum actu interno ..... non præterire ſtatuiſſe niſi peccatorem, non prædamnare niſi peccatorem.* Hæc non ille conceſſerit. *Præteritio & prædamnatio*, licet, *ut actiones in* Deo *agente manentes, nullam in objecto externo inferant ex ſe paſſionem* (hoc enim nemo dixerit fieri, quamdiu & quatenus ſunt immanentes) inferunt tamen paſſionem, quatenus exſecutioni mandanda, & hoc modo eas homini malas recte aſſerimus, nuſquam refragante Arminio, cujus tamen verbis ſerviliter nos mancipatos nemo putet. Ep.616.

Videamus autem alias etiam hominis corruptelas, ut pateat, ipſum cui reſpondeatur indignum. Non repetam ipſum celebri loco *Geneſ.* II. 17. addidiſſe, *& poſteri*, quod fortaſſe ex ignorantia profectum eſt, quia non legit Scripturas, dum trivit Scholaſticos, ſi tamen trivit: (qua de cauſa monendus eſſet, ut, priuſquam Patres adeat, potius Scripturas legat.) Sed diſputans alibi adverſus Infralapſarios ſuos de ſenſu loci *Rom.* IX. 12. cum excipiunt excludi quidem ab Apoſtolo *qualitates diſtinctivas*, puta bonarum aut malarum operationum, *ſed non utrique communes, ut eſt peccatum originale*; reſpondet prudenter, dicere Apoſtolum, *cum nec boni nec mali*; verba, *quid feciſſent*, omittens; ne forte quis cogitet illos reſponſuros, Apoſtolum factorum diſcrimen excludere, non corruptionem omnibus communem. Credidit ille forſan Infralapſarios ſuos fungos fore. Nec aliam viam ingreſſus eſt, cum ſcripta D. Epiſcopii & mea improbe mutilavit, ut ſcilicet improbiſſima ſuſpicione nos oneret. In ſua præfatione ex Inſtit. Epiſc. tomo 1. pag. 334. citat hæc verba ad conciliandam invidiam, ſi queat; *Periculoſe mihi errare videntur, qui Filio & Spiritui ſancto communem quidem naturam divinam cum Patre eſſe contendunt.* At addendum quod erat detraxit, nempe duas voces, *non communicatam*: quod ſolum ſufficit ad omnes livoris maligni morſus repellendos. Dixeram in præfatione, quam Anti-Spanhemio præmiſi, *Non enim quinque tantum quæſtionum controverſarum capita, ſed plura ſunt:* quæ verba cum adduxiſſet ille, quod ego addidi non addidit, *tametſi omnes hæ controverſiæ inter ſe vinculo quodam & cognatione continentur:* ut pateat me ad ſolas controverſias de prædeſtinatione ſimilibuſque fidei capitibus obortas reſpicere. Præterea ipſe reſponſo indignum ſe facit aſſiduis maledictis. Quid enim me moveat cum illo certamen ſuſcipere, qui nos vult *ad Socinum, Papam, Pelagium, ſimilemve hæreticum deflectere*? qui aſſerit *noſtros diſſenſionum & rixarum acervum adaugere*, qui *audacem impudentiam* exprobrat D. Curcellæo nunc pie defuncto, mihi *continuam petulantiam*, cum alii in ſcripto meo nimiam in talem adverſarium lenitatem culpaverint. Sed ille, quod Cicero in quodam non magni judicii oratore reprehendit, in omni re bona pariter malaque voluit imitari elegantias magiſtri ſui, qui paulo ante dixerat in epiſtola ſyſtatica, ipſum *vindicare* hoc argumentum *contra vanos hominum ſemper divinis myſteriis petulanter oblatrantium inſultus ac ferociam.* Id non male hauſtum dixeris ex inſtituto Calvini, qui adverſarios non ſemel canes appellat, iſdem latratum objiciens. An igitur iſti

Ep.616. iſti convitia eſſe vitia non putant? Doleo vero Theologum illum veteranum nec ſeipſum noſſe cum judicium ſibi de ſtyli elegantia aſſumit, & nobiſcum agere tam immodeſte, nullum ut ſervet modum; quanquam in immodeſtia fruſtra modum requiras. Alibi noſter proponit ſibi fictam aliquam objectionem refellendam, moxque, quia dolet reſponſum Twiſſo, ingerit, *Neſcis quid dicas.* Alibi, cum Spanhemius locum ad *Rom.* VIII. 30. ante alia omnia adductum dixiſſet nullam exceptionem admittere, reſponderam locum jam ante refutatum, adhibito etiam pro nobis Calvini teſtimonio; excandeſcens hic noſter hoc gravi maledicto me impetit, *Qui verbum Dei confutat, eum Deus confundat.* An hoc ſpiculum in ſuum etiam torquebit Calvinum? Accedit, quod, cum omnes, quos audivi aut vidi viros cordatos, laborem ejus viliſſimum putent, ipſe tamen incredibili arrogantia ſeipſum ad cœlum effert homo, negans noſtros omnes ſibi uni eſſe pares. Titulus ipſe nondum lecto libro miras non paucis de hominis ſublimi indole cogitationes ſubjecit, cum dicit, in libello ſuo *Reformatorum ſententiam ab imis fundamentis ad ſummum gradum uſque demonſtrari.* Alii putabunt ſingula verba ab imis fundamentis demonſtrare nobis hominis ad entia uſque tranſcendentia ſubvolantis ingenium. *Colligite*, inquit in præfat. *omnes omnium veſtrorum vires & iras, ego me ſolum eaſdem ſuſtenturum promitto.* Itaque non pauci de Noſtris, cum has criſtas à fronte proſtare cernerent, illico cogitarunt, *Quid dabit hic tanto dignum promiſſor hiatu.* Cum autem paulo ulterius eſſent progreſſi, alterum illud in mentem venit: *Parturiunt montes*, &c. paulo poſt, *Sane velim*, inquit, *idem veſtro animus fuiſſet, qui mihi*: quaſi Thraſonis illud verbis in ſe tranſmoveret ut fortem virum decet, *Eſt iſtud profecto datum mihi, ut grata ſint, quæ facio omnia.* Egregie. Placet. Venit hoc loco in mentem mihi Martini Schoockii, qui cum le D. Gisb. Voetio magiſtro ſuo dediſſet hyperaſpiſtem, vidiſſetque objici à Theologis noſtris, quod ex adverſaria ſententia ſequeretur omnes homines ipſoſque adeo reprobos teneri credere ſe electos eſſe, is ingenti ſumpta fiducia palam teſtatus eſt, ſi vel unum erroris tam fœdi patronum ex illorum grege Noſtri poſſent producere, ſe totam cauſam nobis traditurum. Sed is qui adeo fidenter dixerat, *totam cauſam tradam*, poſtea, cum id demonſtratum cerneret, intra ſuas ſe latebras continuit. Adeo periculoſum eſt pro iſta cauſa, quæ tam multis ac gravibus laborat incommodis, magnanimos ſpiritus induere. Neque tantum ſic ſapientiæ palmam præripit ſuo judicio noſtris, ſed etiam ſuis, maxime autem Infralapſariis. Itaque ipſe parum memor moniti ſaluberrimi, *noli altum ſapere*, aliud hoc longe diverſum uſurpat, aſcendamus ulterius, aſcendamus ulterius, aut, *Ita ſi per gradus aſcendamus, tandem ad ſummum perveniemus.* Ep.616. Et *nunc res ipſa agitur, nunc ad ſummum perventum eſt.* Immo etiam, ut appareat potentem eſſe, omnes alios in ſua caſtra pertrahit, cogitque volentes nolentes, ut ſint Supralapſarii. Nihil vidit Wallæus, nihil Molinæus, nihil Lubbertus, qui ſe infra lapſum ſubſiſtere atque à Gomaro diſſentire arbitrabantur. Fruſtra Voetius hujus diſcipuli magiſter, & Mareſius πολύγραφοι tantas de nullo diſcrimine concertationes aluerunt. Noſter, qui fortis eſt & invictus, evincet, egregie iſtos conſpiraſſe, ut in velabro olearii. Sed nihil miror, hoc eum poteſſe, qui rogatus, eſſetne in caſtris eorum, qui ſupra lapſum aſcendunt, an vero in inferiori parte ſubſiſteret, reſpondit ſe utrobique verſari, ſive (quod eodem redit) duabus ſedere ſellis. Si enim coram eruditis expromenda ſententia, ſe ſupra lapſum aſſurgere; ſi coram plebe, ſe infra ſubſiſtere: hos verum dicere, ſed non quod ſatis eſt: immo etiam noſtram ſententiam eſſe veram, ſed eam non omne id quod verum eſt comprehendere. Itaque, ſi lubitum fuerit, poterit Remonſtrantibus ſe Remonſtrantem adjungere, chamæleontis inſtar aut polypi, qui cuicunque colori adhæreſcunt, cum, ut ſunt natura habiles, ſtatim ſine mora ſuſcipiunt. Gaudeat ille natura ſua. Quam etiam illud puerile, quod nunc *coram quovis ſe aliquid demonſtraturum* jactat? nunc exclamat *vici*, nunc dicit *viceris ſi hoc evincis.* alibi, *in cauſa cæcitas mea*, cum innuit ſe valde oculatum. Alibi, *in has pugnos, ſi tibi pruriant, rogo, ut primum domes*: non aliter ac ſi certamen eſſet de contentione puerili ſuſcitandum. Verum iſtam, ni fallor, locutionem ex Plauto decerpſit, ubi Mercurius Jovis filius, qui Soſiæ formam mentiebatur, verum Soſiam pugnis contundit uſque ad necem. An hic quoque, quia ſe inter Jovis alumnos reputat, omnia ſibi ad eundem modum licita credit? Id vero, licet centenos corradat Scholaſticos, nunquam cordatis viris perſuaſurum confido. Eritne quiſquam, qui mihi cum hoc homine, qui nobis maledicit, ſeipſum extollit, omnes pene alios deſpicit, concertationem ingrediendam ſuadeat? Ac licet omnia, quæ conſcripſit, ad unguem reſecarem, quiſquamne eum vinci cupere veritate putet, cum toties ſe viciſſe clamet, cum inſipidæ ſapientiæ ſuæ fiducia adeo intumuerit, cum aperte dicat, *ſe hoc cauſæ deſperatæ indicium habiturum, ſi quis iterum excipiendo ſecum pugnare inſtituat. Nulla enim*, inquit, *adeo manifeſta veritas, ad quam laſcivienti ingenio exceptio non occurrat.* Vidit igitur à me varias exceptiones non leves ſibi obduci poſſe, quas quia ipſe non recepturum ſe dicit, quid opus eſt laborem inanem illius cauſa capere? Nam cæteros, ſi qui opuſculum iſtud legerunt, id ne minima quidem ex parte à vero dimovebit, quod nos omnes pariter exiſtimamus. Immo neque legere quiſpiam facile digna-

Digitized by Google

Ep. 616. dignabitur: D. Provoostius certe, cum sibi id prælegi vellet, aliquem qui prælegere cuperet, non invenit; quæ tamen copia alibi non deficit. Ad hæc, quamvis undique constrictus teneretur, ille, qui exceptiones audire non vult, hac tamen exceptione semper uteretur, nondum Twissum suum enervatum, nondum Amesium & Rhetorfortem esse debellatos. Hoc ipsum ante hunc ingeminarunt jam alii. Quare aut supersedendum certamine, postquam de hoc argumento disceptatum nunc satis, aut isti militiæ adversariæ antesignani amplius exarmandi, quod jam in Twissi argumento palmario aggressi sumus. Nam quas ille in adversum captat minutias, eas ne teruncii quidem facturi sunt alii. Nos vero non solos prætumidum Twissi judicium parvi pendere, liquet ex Sam. Maresii in Clariss. Dallæum scripto, ubi de Molinæo respondens, *Certum est*, inquit, *Twissi judicium omnino esse abnorme, ac iniquum, & profectum ab homine sibi supra modum placente, & vehementer volente quicquid vult, atque, quod magis est, directe contrarium definitioni Synodi Dordracenæ.*

Hunc nostrum vero, quanquam se brevi Theologiæ Doctorem fieri posse putat, ac licet clamet, *Colligite omnes omnium vestrorum vires & iras*, scire oportet se ira nostrorum prorsus esse indignum propter exquisitam ut dixi maledicentiam, quam & alibi & imprimis exercuit in præfatione. Inscripsit eam *Reverendis, honorandis, doctisque viris*, &c. *Remonstrantium in urbe Amsterodamensium pastoribus.* At paulo post ita irreverenter eos excipit tanquam homines omni honore ac pudore dirutos, ut, quomodo posterioribus prima consentiant, haud equidem videam. Nonne hoc est altera manu panem, altera lapidem offerre, quo nostros colaphizet? Nescio, quid spectaverit hac falsa reverentiæ specie, quam in frontispicio præfert, nisi forte voluerit facetus videri ac lectoribus cachinnos movere, ut fronte serena ad nebulosum opus accederent. Apage vero istas hominis inficeti facetias, quæ Christianum hominem non decent, multoque minus eum, qui alios quid deceat docet. Eheu! quam verum illud Gentilium dictum vetus (etiam inter Christianos, proh dolor!) ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. (*hostium dona non dona.*) Atque ut habeamus reverentiæ istius specimen, exprobrat viris spectatissimis & integerrimis, *quod hic pro foco disputetur.* Siccine vero agere oportet aut agi inter Theologos? Num cogitat quid dicat? Num nostri bonis Ecclesiasticis, grandi gestando marsupio, inhiant? num nostri parum ampla stipendia queruntur? num nostrum cuiquam actio injuriarum intenditur? num in aliam provinciam evocatio procuranda est aut dimissio injungenda, ut ipsis à magistratibus aut magistratui ab ipsis nihil esset jure metuendum? Atque hæc non illius accusandi causa dico, qui se alienis litibus nimis ut audio immiscuit homo adolescens; sed ut liqueat, quam immerito istiusmodi homines nos cupiditatis suspicione traducant, cum non ignorent nos à talibus factis immunes, & sciant Nostros semper Magistratuum jura contra Ecclesiasticorum quorundam invasiones vindicasse. Unde etiam illi, qui Magistratui nuper ibi jus aliquod in Ecclesiæ moderamine tribuebant, Remonstrantismi crimine infamabantur. Si autem noster etiamnum illam de foco suspicionem foveat, respiciat ad ea tempora, quibus Theologi nostri ab aris focisque se depelli siverunt amore tutandi conscientiam fidemque illibatam; cum Magistratus eadem ut manerent honoraria promitterent, si modo nostri à veritatis, quam credimus divinam, præconio desisterent. Ac nuper etiam Ultrajecti, cum Reformati isti privata Ecclesiæ nostræ membra ad se pellicere cuperent, simulque nostris pastoribus de foco promissa darent, si ministerio relicto, ut segnes operarii, in vinea Domini quieti se darent atque socordiæ; ab omnibus non sine indignatione, uti par erat, rejecti fuerunt. Si in posterum istiusmodi de foco pollicitationibus (quomodo ex imperita multitudine non pauci similibus illiciis capiuntur) viros cordatos abduci posse sperent, eadem uti hactenus experti sunt ratione animadvertent se nihil proficere. Pacem cupiunt Nostri, sed eam quæ æquo conditionum libramine consistat: hanc autem cum ibi nostri nuper expeterent, tulerunt repulsam. Sed enim unde hic noster tam atrocem illam de foco suspicionem hausit? Audiamus rationem scholasticam; *Olim*, inquit, *non aliud spirare videbamini, nisi ut resarcito schismate, in unum nobiscum coire concederetur, jam vestris etiam quasi serio unionem* (*unione* rectius diceret) *nobiscum interdicitis.* Et ibidem, *Quis non obstupescat*, &c. Stupidus sane mihi videbitur, si quis tali ratione perculsus obstupescat. Supponit enim nostros pacem commendasse privatis Ecclesiæ membris excluso veritatis præconio; quod nunquam fecerunt neque faciendum putarunt. Hoc πρῶτον ψεῦδος. Secundo si hoc statuat ex eo, quia Ecclesiam universam admittimus, negatur doctissimi viri consequentia. Non enim si pastoribus & ovibus junctim commendemus pacem cum alio cœtu ineundam, hinc efficitur eandem privatim nonnullis suadendam aut injungendam. Committitur ἀπὸ τοῦ τινὸς ἐπὶ πᾶν, fallacia divisionis, ut vocant. Tertio pax ejusmodi est iniquissima & via ad servitutem; ut, si qua civitas nostra citra consensum aliarum ei se adjungat reipublicæ aut regno aut Regi, qui se cum universa republica nostra concordiam fatetur nolle, aut non velle, nisi prius legitimis abdicatis rectoribus, qui causam subditorum adversus violentiam iniquam pie hactenus ac strenue defenderunt. Quarto ipsi Adversarii, si praxin eorum spectes, hac in re nobiscum consentiunt, qui licet & nunc & olim

Ep. 616.

Ep.616. olim Lutheranis communionem obtulerint, non volunt tamen iis in locis, ubi viget illa diſtractio, ſuos paſtoribus relictis cum Lutheranis privatim paciſci. Quinto, magna pars rationum mearum eos ferit graviſſime, qui honoris aut lucri ſpe impulſi veritatem divinam omneſque veritatis aſſertores deſtituunt atque proſtituunt. At illos ne hic quidem ipſe conceſſerit recte facere, qui ab aliis nihil vult pro foco fieri. Poſtremo ſi demus, quod ipſe ſibi falſo perſuadet, nos ſpiraviſſe olim magis quam nunc in unum cum ipſis coire ſchiſmate reſarcito, non tamen video, qua fiducia hinc illud extorqueat, *Noſtri & veſtri facile animadvertent quod hic pro foco diſputetur.* Cur non aliam quamcunque cauſam ſibi potius proponit quam hanc adeo ab omni charitatis judicio alienam? Neque deerat alia, neque ea ex abdito eruenda, aut ex longinquo arceſſenda: tantum in ſe deſcendat ipſe & in ſymmyſtas ſuos multo nunc ſententia duriores pleroſque quam olim. Novit enim ipſe, novit orbis Chriſtianus per omnes terras tractuſque diſperſus, nos omnes illa re maximopere offendi, quod ex ſententia iſtius Eccleſiæ Doctorum, qui ſe hoc nomine ſolos pure Reformatos dici volunt, ſequatur Deum eſſe autorem peccati. Id perſuaſum habemus conſequi ex opinione Infralapſariorum haud obſcure, ex Supralapſariorum apertiſſime; in quo poſteriore judicio habemus ipſos Infralapſarios nobis ſuffragantes. Nunc vero longe aliter, atque olim Synodi Dordracenæ temporibus, Supralapſarii, qui tunc erant oppido pauci, in tantum excreverunt numerum, ut omnia præcipuarum ſubſellia Academiarum obſederint, unde ingentia Supralapſariorum agmina tanquam ex equo Trojano jamdiu prodierunt: adeo quidem, ut hic audeat in fronte libelli ſui dicere (quanquam charta, ut dici ſolet, frontem non habet) ſe *Reformatorum ſententiam* demonſtraturum. Immo id etiam perſuadere conatur, id agit, ut nobis omnes ſuos ex Infralapſariis faciat Supralapſarios. Quod ſi verum ſit, noſtris datur tanto major ac juſtior offenſionis graviſſimæ cauſa, tantoque minor hinc apud nonnullos oriri poteſt propenſio de novo cum illa Eccleſia coalescendi, quæ proficit in pejus & deterior eſt quam fuerant opinati. Interea laus eſt tribuenda huic fervori, quod ulcera ſuorum male jamdudum obtecta denudet nunc ipſe, incruſtamentis à pariete intergerino revulſis. Sæpe dixerant noſtri Infralapſarios ad Supralapſariam ſententiam haud difficulter redigi poſſe, quanquam illi acerrime renitebantur; ipſe vero eos eſſe Supralapſarios judicio ſuo irrefragabiliter demonſtrat. Cum enim aliquid, in quo omnes conſpirant, poſuiſſet; ſubjicit, *quo poſito, nullam amplius ſupereſſe controverſiam ego coram quovis demonſtrare paratus ſum.*

Non arbitror neceſſarium, ut reliqua ejus in præfatione male aut calumnioſe dicta perſequar. In dogmate SS. Trinitatis ſi D. Curcellæus aliuſve circa ſubtilem quæſtionem & imperveſtigabilem (qualem hanc eſſe nemo negat) alicubi à ſententia paſſim nunc recepta diceſſerit, non latet Adverſarios, tolerari etiam inter ipſos non pauca, quæ non omnibus probantur tamen: Quanquam notandum, quod D. Curcellæus in hac quæſtione, in qua de antiquitatis ſententia diceptatur, multa habeat pro ſe teſtimonia vehementer probabilia, quod ante ipſius ſcriptum editum ipſe agnovit eruditiſſimus Petavius. De labe originaria ſi initio aliter quam nunc ſenſiſſe noſtros autumet, non multum adverſabor: ſed id neque mirandum cuiquam videbitur, ſi perſuationem, quæ alte inſederat, non repente exuere potuerint; neque hoc reprehendiendum, ſi ad Scripturæ & Eccleſiæ primitivæ conſenſum in hoc dogmate propius acceſſerint: quod alibi Molinæi atque etiam ex parte Calvini teſtimonio haud obſcure comprobavimus. Scripta noſtrorum ſi quis cum cura legerit, deprehendet facile eos ſatisfactionis plenitudinem non abnegare. Dicunt enim Chriſtum juſtitiæ Paternæ pro ſua parte plene ſatisfeciſſe, ita tamen ut impetrati beneficii non fierent participes, niſi præſtita fidei conditione: eodem modo ac ſi Rex quiſpiam ſubditis rebellibus omnibus omnia delicta condonet propter illuſtre filii factum, ea tamen lege, ſi illi intra præſcriptum tempus ad regiam ſumpta fiducia acceſſerint, ſeque in poſterum fideles fore ſubditos ibi promiſerint: ſi quis non venerit, is ſeipſum excluſiſſe cenſeatur. Hinc eluceſcit fidei ac obedientiæ noſtræ in Deum Chriſtumque neceſſitas: quam ſententia ſua tollunt Adverſarii. Unde Ludov. Molinæus Petri filius poſt alios defendere ſcripto edito non erubuit, (delitescens ſub ficto per anagrammatiſmum nomine Ludiomaci Colvini) nos non per fidem juſtificari, ſed *juſtificari antequam fidem habeamus.* Quid eſt Scripturæ in os contradicere, ſi hoc non eſt, cum diſerte dicat Apoſtolus, nos juſtificatos per fidem habere pacem cum Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum? *Rom.* V. 1. Et tamen hic noſter graviter quaſi accuſare nos audet, quod juſtificationem per fidem non agnoſcamus; cum ipſe eam aut abneget ſi conſentanee ſibi loqui velit, aut abnegare cogatur, aut ſaltem eos, qui abnegant, in Eccleſia ſua tolerari negare non poſſit. At objiciet forſan nos opera ad juſtificationem requirere. Id ſi verum per omnia eſſet, minus eſſet periculoſum, quam ſi quis cum operibus fidem ipſam excluderet. Sed neque illud omnino verum, quandoquidem fides illa initio obedientiæ propoſitum continet tantum; ut liquet ex eo quod diximus; deinde ut fides porro juſtificet, opera etiam ſunt neceſſaria, quia alioqui fides eſt mortua, *Jac.* II. 17, 18, 19, &c. Addit, *Imo tantum crevit audax impudentia, ut etiam probare conatus fuerit*

Ep.616. *Curcellæus, quod cognitio Chriſti ad ſalutem neceſſaria non ſit.* Nunquam id tam craſſe & illimitate aſſeruit D. Curcellæus, ſed ſub multiplici conditione & modeſte, non abſurdum putavit, Gentiles eos, quibus Chriſti Euangelium non illuxit, ſi naturæ lumine recte fuiſſent uſi, poſſe ſervari per extraordinariam quandam Dei gratiam, idque non citra Chriſti intuitum. Neque id fidenter definit, ſed credit hoc tutius aſſeri, quam ſi omnes pariter, eos etiam quorum probitas ſupra alios eminuit, ad interminabiles gehennæ cruciatus citra peccati non evitabilis intuitum deſtinatos à Deo ſtatuamus cum adverſariis: qui hoc credunt tantummodo quia Deo ſic libitum eſt, & propter Adami peccatum, & quia in Chriſtum non crediderunt, in quem, quia ipſis annunciatus non erat, credere nequiverunt, teſtante Apoſtolo, *Rom.* X. 14. Nec refragatur valde D. Curcellæus, ſi quis eos damnandos propter ſua, quæ vitare potuerant, delicta contendat. Næ ille acutum cernit ut aquila aut ſerpens Epidaurius, & in ſole etiam maculas obſervaturus eſt facile, qui in hac tanta æquitate Curcellæi noſtri notat *audacem impudentiam.* Dijudicent alii, an ipſe non depuduerit, qui hoc facit. Quid? an ignorat, quod allatis autorum teſtimoniis D. Curcellæus comprobavit, ejuſdem fuiſſe ſententiæ Juſtinum Martyrem, Clementem Alexandrinum, Origenem, Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Theodoretum, Alphonſum Toſtatum, Eraſmum, Jac. Fabrum, Zuinglium alioſque? An hi omnes igitur fuerunt hæretici? Sed hoc exiguum: mox aculeatis dictis inſequitur nos hunc in modum, *Veſtri ſunt qui docente Poelenburgio non modo Prædeſtinationem ex præviſa fide poſthac agnoſcere non volunt, ſed quæ ab æterno ſit facta plane nulla. Solum conceptum illum confuſum de credentibus ſalvandis admittunt*: quem cum *decretum* eſſe negaſſet, ſubjungit, *Adeone horaria & fluida veſtra fides eſt, ut nec verbo Dei nec propriis quaſi juramentis ſtetis?* Et paulo poſt, *nemo mirari debet, quod* perſeverantiam ſanctorum *non defendatis.* Exhorreſco inauditam atrocitatem mordacitatis atque calumniæ. Si quis noſtrum non paria regeſſerit, ſe viciſſe clamabit: ſed vicerit ſane, quando maledictis certare nec gratum eſt nec pium. Valde mirum eſt, quod, cum ſtatuamus Deum decreviſſe ſalvos facere fideles, quo pacto audeat negare hoc *decretum* à nobis dici poſſe. Mirandum etiam, quomodo id, quod eſt de hominibus factum, dicat confuſum non decretum, ſed conceptum tantummodo; cum ipſe aliud diverſum tueatur quod eſt de poſſibili, de quo diſceptatur ſitne in numero entium reponendum. Nonne hoc evanidum decretum, ſi ſit decretum, etiam ipſius judicio multa magis erit confuſum? Quis non illud quoque miretur, quod tam aſpere de præſcientia rixetur, quaſi de ea ſit valde ſolicitus, cum Deum nihil præſcire ac ne poſſe quidem præſcire credat, niſi Ep.616 quod neceſſario eventurum eſt ex abſoluto decreto? Quod idem fundamentum tenent Sociniani, cum Deo futurorum contingentium præſcientiam detrahunt, in hoc tantum à Reformatis hiſce diſcedentes, quod aſſentire nequeant ſtatuentibus omnia hominum facta, etiam ſcelerata, à Deo decretis æternis conſtituta, ut fiant neque aliter fiant aut fieri poſſint. Utri rectius ſentiant, nobis quidem apertiſſimum videtur. Præterea nuſquam ego præſcientiam illam Deo denegaveram, neque negaveram eam Prædeſtinationis decreto præſtrui commode poſſe, immo utramque illam rationem procedendi in examine meo haud obſcure ſervaveram. Quid igitur tantopere tumultuatur? An quia innueram, inter noſtros non deeſſe qui aliter ſentirent, qui decreta ad præſcientiæ normam de ſingulorum hominum exitu condita eſſe negant? At non erat quod hoc nomine tantopere extra omnes moderationis metas efferveſceret? Nam primo haud ignoravit inter Pontificios quoque non deeſſe Gabrielem Pennottum alioſque, qui ad judicii uſque diem aut ſaltem ad finem vitæ uniuſcujuſque mortalium *ſententiam pendentem* habere locum exiſtimant. Tum quamvis noſtri nonnulli ſtatuant decreta ſecundum præſcientiam ab æterno conſtitui, non tamen idcirco Deum actiones hominum præſcire poſſe inficiantur, ſed, ut alibi oſtendi, in hac re longius progrediuntur quam hi Reformati. Adde quod non multum interſit ſive præſcientiam decreto præmiſeris ſive non præmiſeris, quia exinde nulla mutatio aut in hominum facta inducitur, aut in Dei judicium de hominum factis ferendum. Nam ſcientia omnis, ut viſio, objectum ſuum non facit, ſed invenit; prout vulgo loquuntur. Poſtremo ſi iſte tam immaniter excandeſcit, quia in Collat. Hag. dixerant noſtri ſtatum controverſiæ in eo poſitum eſſe, *an Deus ab æterno decreverit aliquas ſingulas perſonas conſideratas ut in Jeſum Chriſtum credentes ſervare*; perquam iniquus eſt, neque iraſci poteſt aut iiſdem qui hoc aſſeruerunt fratribus, quia nunquam contraria docuerunt, neque aliis, quia illi alieno judicio conſtricti non tenentur. Tum diſcrimen hoc ſententiarum eſt parvi momenti, quod ipſi Confeſſionis noſtræ Cenſores agnovere ſatis in Synopſi pur. Theolog. diſput. XXIV. theſ. XXXVII.

Porro quia animadvertit ex illa fatali tum prædeſtinatione tum reprobatione magnam autoribus ſuis invidiam creari, non quidem à ſe fatum avertit, ſed nobis fatum objicit *multo deterius & ſacrilegum plane.* Bona verba, quæſo! Nonne autem dum nobis deterius affingit, ſuum eſſe malum fatetur? Poteſt tamen hoc condonari incogitantiæ. At quo argumento de nobis id probat? duplici quidem. Prius ex *ſcientia media* deſumitur, quam dicit nos omnes defendere. Id an ſit univerſaliter verum, haud

Ep.616. haud ego tam fidenter dixerim quam ille, quanquam mihi noſtri noti magis. Quid autem an nemo inter ipſos ſcientiæ mediæ patronus? An igitur Gomarus fatum defendit *ſacrilegum plane*, qui non alia via credidit Deum à culpa peccati poſſe liberari? Siccine etiam invehetur in ſuos? Mirandum vero, quomodo hinc eliciat noſter fatum aliquod ſuo fato deterius. Video quorſum ſpectet; quia hinc ſequitur nos agnoſcere immobilia decreta. At ignorare non debuit, neque videtur omnino ignoraſſe, illa decreta liberas hominum actiones ſupponere. Mox ſecundo quaſi loco ad Dei præſcientiam tranſvolat. *Quum enim præſcientia falli non poteſt*, inquit, *tum contingere nequit, ut res præviſa aliter eveniat*, &c. quaſi non ſit in promptu receptiſſima diſtinctio inter neceſſitatem conſequentis & conſequentiæ. Neque addendum nunc aliquid ſupereſt, niſi hoc unum; ſi nobiſcum bona fide Dei præſcientiam agnoſcat, non poſſe eum nobis recte *fatum deterius* tribuere. Si noſtrum ſacrilegum ſit, eodem crimine denigrabit ſuum. Verum dummodo nobis liceat dicere male, nihil penſi habet quid in ſuos aut in ſeipſum maledicti ex illa ſententiarum ſimilitudine derivaverit; niſi forte hac de cauſa ſe melius ſentire exiſtimet, quia præſcientiam ipſumque fatum ex Dei decreto dedueit. Hoc vero cum ſtatuere puderet Manichæos, quia tale fatum eſſe deterrimum arbitrabantur, quo Deus autor peccati videtur conſtitui, iſtiuſmodi vel neceſſitatis vel fati cauſam Diabolum dici maluerunt. Nos vero rejicimus utrumque, quoniam veremur, ne hac via tales homines evaderent, quales ille formare voluit, qui ſcripſit,

Solvite mortales animos curiſque levate,
Totque ſupervacuis animum deplete querelis,
Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege.

Quam igitur ineptum iſtud epiphonema, *Id unum orabo ut è ſuggeſtu poſthac declametis, nos hodie fatum docemus quod nihil magis moveri poteſt quam quod amplexantur Reformati.* Nimirum ſtolidos vult noſtros facere, quod hominis ſapientis non eſt. An igitur cupit publice ſibi à noſtris exprobrari fatum? Sic videtur optare; in quo jamdudum tamen voti ſui eſt compos, cum nihil animis noſtris magis diſpliceat quàm illa defenſio fati. In his diutius diffuſiore tractatione explicandis nunc non morabor.

Video vero primarios Societatis noſtræ viros magis exoptare, ut ingenii qualiſcunque & induſtriæ meæ nervos in alias partes convertam, tum quia hoc magis ex uſu publico futurum, tum ne exprobrent Adverſarii nos pauca in alios, ſemper in ipſos aliquid moliri, quod hic ingerit, ſed non ſine falſi crimine, quandoquidem objicit nos *nunquam adverſus Pontificios verbum ſcribere*, unde colligit noſtros *mero odio & immobili pertinacia ſeorſim habitare velle*. Ea conſecutio quam valida ſit, prudentes viri facile dijudicabunt. Interea men- Ep.617.
dacii arguitur noſter ex eo, quia D. Voſſius, Epiſcopius, Huttenus, Batelirius, aliique, nec paucas nec pœnitendas lucubrationes contra Pontificios dignis æternitate literis conſecratas ediderunt. Magis noſtri deſiderant, ut ea, quæ omnibus Chriſtianis probantur, elucubremus, quæ tum ad defenſionem religionis ſanctiſſimæ adverſus extrancos, tum ad conſociandos Chriſti ſubditorum animos, tum ad illuſtrationem Scripturarum divinarum pertinent. Nam dum dentatis invicem ſcriptis alii in alios incurrimus, ſæpe nec veritas promovetur, & charitas exſtinguitur. Deum precor, ut animum omnibus nobis ad quodvis bonum opus & ſuſcipiendum & perficiendum corroboret: deinde ut conſopitis tandem aliquando quotidianis concertationibus exardeſcamus alii in aliorum mutuam dilectionem, ad Chriſti Domini gloriam, & Chriſtianæ religionis amplificationem. Amen. Dabam Amſtelod. A. C. 1660.

IↃC XVII.

Rectoribus, & Senatoribus Civitatis & Reipublicæ Bernenſis;

Conſules & Rectores Civitatis Rotterodamenſis, S. D.

AMpliſſimi, Spectatiſſimique Viri, Amici plurimum colendi. Abhinc diebus aliquot ab Antiſtitibus Eccleſiæ, quæ ab Anteſignano Mennone Mennonitarum dicitur, oblatus nobis eſt libellus ſupplex, ejuſdem cœtus nomine; in quo prolixe queſti ſunt, in fidei & religionis ſuæ conſortes, ſub Anabaptiſtarum invidioſo nomine, in veſtra Civitate tam crudeliter ſæviri, uti ne quidem iis innoxiis quamvis, & nullius criminis reis per edicta integrum ſit, cum fortunarum ſuarum ſumma, relicta veſtra civitate, alio commigrare, quinimo nonnullos exutos bonis in carceres compingi, idque ſolius Religionis ſuæ odio, enixeque à nobis petierunt, uti ſi quidem fieri poſſet, pœnas in fratres ſuos conſtitutas deprecaremur; quibus eorum precibus non injuſtis, ſi veritate nitantur, cum deeſſe officii ratione non potuerimus, rogamus vos Viri Ampliſſimi, obteſtamurque per fidem Jeſu Chriſti, quæ nobis vobiſcum communis eſt, uti edicta decretaque illa ſeveriora in innoxios errantes condita, vel antiquetis, vel ſi id rebus veſtris non conducere arbitremini, de quo vobis ſtatuendum eſt, uti certe patiamini miſeris, diſtractis prius & divenditis prædiis ſuis, rebuſque compoſitis, cum fortunis ſuis eo diſcedere, ubi tutis liceat eſſe & quietis: Nobis quidem, Viri Nobiliſſimi, inde à jactis hujus Reipublicæ fundamentis, ea ſemper fuit mens, &

Ep.617. ſententia, iſtud hominum genus Reipublicæ nequaquam moleſtum (ſi abſit veterum Anabaptiſtarum Monaſterienſium furioſus genius) in Republica tuto ferri poſſe, atque ita ſtatuendi nobis author fuit feliciſſimæ memoriæ princeps Guilhelmus Auriacus, conſcientiarum libertatis aſſertor ſtrenuus, qui nunquam tantum improbis quorundam precibus, & ſtudiis conceſſit, uti Mennonitas æquali cum concivibus jure frui non pateretur: neque certe hactenus nos hujus rei pœnituit, quippe nunquam expertos, Mennonitas, ſub Religionis prætextu, quod unum exitiale Rebuſpublicis eſt, unquam res novas molitos; verum expertos contra, eos vectigalia, tributumque, & quicquid principi à ſubditis debetur, alacres ſemper, lubenteſque perſolviſſe, quin imo Reformatos alibi propter Religionem laborantes, fortuniſque ſuis ſpoliatos, atque non ita pridem Valdenſes fratres, à Sabaudiæ duce, inſtigatu Pontificis miniſtrorum, extrema paſſos, haut pœnitenda liberalitate ſublevaſſe: Non ignoramus, Viri Ampliſſimi, nonnullos perverſo præpoſteroque abreptos zelo, argumenta, & rationes vobis ſuggerere, quibus perſuadeant noxium Reip. Mennonitas tolerari; verum iſta argumenta tanti ponderis, & momenti nunquam nobis viſa ſunt, uti propterea durius quicquam in Mennonitas ſtatueremus: quod enim illicitum homini Chriſtiano Magiſtratus officium exiſtimant & jurejurando religioſe abſtinent (quibus duobus capitibus maxime aggravantur) id tamen nequaquam obeſt Reip. cum obedientiam Magiſtratui non denegent, cui ſe etiam ex conſcientia, quamvis dura imperanti, obligatos palam profitentur, & ſimplici aſſeverationi ita teneri velint, uti parati ſint, ruptæ fidei falſique convicti, perjurorum pœnis ſeſe ſubjicere: quæ certe quamdiu inconcuſſa manent immotaque, haud perſpicimus quid detrimenti patiatur Reſpub. quod nonnulli religioſo an ſuperſtitioſo metu, Magiſtratu abſtinent, & jurejurando; quicquid tandem occinant illi, qui ſub Reformatorum vere glorioſo nomine, Pontificis tyrannidem imitantur, quique ſub ſplendidis Reformationis & fidei puræ titulis, papatum invehunt, cujus ſævitiæ, olim in hac civitate, præcipue in Mennonitas exercitæ, quoties memoria archivis noſtris aſſervata, mentes ſubit, toties horrore toti contremiſcimus, & gratulamur nobis depulſum profuſo ſanguine ſævientis meretricis jugum: quæ omnia ſi à vobis, Viri Ampliſſimi, ita, uti par eſt, perpendantur, in ſpem excitamur fore, ut vel edicta veſtra in Mennonitas reſcindatis, vel exemplo Schaphuſiæ unius ex Helvetiæ Civitatibus, & Ducis Nieuwenburgici Principis Pontificii, miſeris errantibus tantum temporis largiamini, quod ſufficiat rebus ſuis componendis, & penatibus alibi collocandis figendiſque: quod ſi feceritis, Viri Ampliſſimi, præſtiteritis rem Deo gratam, Reformato nomini glorioſam; errantibus talutarem, nobis, qui ejuſdem Religionis arctiſſimo vinculo vobiſcum colligamur, perjucundam, omnibus denique, qui auguſto mitiſſimi Servatoris ſuperbiunt nomine, imitandam. Deum ter Opt. Max. ſupplices veneramur, uti vos, & Rempub. veſtram veritate ſua illuſtratum quam diutiſſime ſoſpiter. Rotterodami in Hollandia 14 die Januarii anno 1660. Ep.618.

IↃC XVIII.

JOANNI PESSERO

ARNOLDUS POELENBURG S.P.D. Rotterodamum.

QUantam hæc inexſpectata, ſummopere tamen exoptata, Peſſere eruditiſſime, ſtatus Anglicani mutatio lætitiam animo tuo attulerit, mihi, prout te in Regem omnemque regiam ſtirpem ſemper affectum novi, haud eſt difficile conjectura aſſequi. Nos quidem Deo Regum regnorumque ſupremo præſidi ea propenſione gratias agimus, ut majores expromere mens noſtra non poſſit. Scripſit jam olim inter Romanos diſertiſſimus orator, afflictam Regum fortunam facile aliorum animos allicere ad miſericordiam, maximeque eorum, qui aut Reges ſunt, aut vivunt in regno. Proceres noſtri, quanquam Reges non ſunt, & nos Remonſtrantes, Procerum Hollandiæ ſubditi, quanquam in regno non vivimus, tamen ea ſemper apprecatione omnium bonorum, ac, ſi dicere liceat, eo miſericordiæ affectu afflictam Majeſtatem proſecuti ſumus, ut neſciam, an ulli vel ex fideliſſimis ejus ſubditis amoris & obſervantiæ magnitudine concedamus. Dedit vero Rex, quod pro certo nobis renuntiatum eſt, præclara initia ſuſcepti principatus, unde effloreſcit egregia fama ſapientiæ atque clementiæ. Nam cum Parlamenti nomine Deputati nonnulli regium regimen ſimulque poſtulata quædam ad ipſum deferrent, reſponſum dedit non minus propter prudentiam quam moderationem animi laudandum, ſe omnibus ſubditis anteactorum delictorum veniam liberaliter indulgere, neque velle cuiquam propter ea, quæ vel in Patrem ſuum venerandæ memoriæ, vel in ſe admiſerant, pœnam irrogari, demptis tantum iis, quos, ut majorum ſcelerum reos, ſumma Parlamenti curia nominatim exciperet. *De Regis Caroli II. reſtitutione, ejuſque clementia & moderatione.*

Neque hoc tantum promiſit Rex, ſed etiam promiſſum exſolvit. Exſolvit vero id multo largius quam promiſerat. Nuncius enim affertur, quod non pauci eorum, qui parricidio Regio addicti fuerunt, gratiam à Rege conſecuti ſint, adeo quidem ut nonnulli, qui ſemper habiti fuerunt inter turbonum primipilos, in ſpem veniant veniæ impetrandæ. Obſtupui. Laudatur Rex Amazia 2 *Reg.* XIV. 6. quod

filios

Ep. 618. filios eorum, qui parricidio regio manus ſuas imbuerant, inviolatos eſſe juxta legem voluerit interemptis tantum ipſis parricidis. At Carolus II. gratiæ ſuæ benignitatem in ipſos etiam parricidas profudit, quod plane inauditum. Phocion, cum Princeps Athenienſem rempub. diu gubernaſſet, poſtea prævalente adverſa factione damnatus immerito, rogatuſque, quid filio ſuo poſtremum renunciari cuperet; nihil aliud reſpondit, niſi ut injuriarum paternarum memoriam deponat, neque eas cuiquam rependat. At hic Rex (quod magis mirandum, quia Rex eſt) ductus miſericordiæ affectu, & ut omnia Chriſtiani hominis officia expleat, immo ut magis arduum præſtet aliquid, quam quod improbi ſperare, boni exſpectare audebant, hoſtibus ſuis, immo plus quam hoſtibus, Patris optimi ac dilectiſſimi ſimulque Regis ſui percuſſoribus, vitam, quam iſtis verbo eripere poterat nemine aut refragante aut vituperante, immo multis id factum ut juſtum ac pium quodammodo approbantibus, clementer per inuſitatam prorſus gratiam concedit. Fortaſſe hæc nimia quibuſdam indulgentia videbitur, quæ licentiam gignere & improbis hominibus alere audaciam poſſit. Ego vero videor mihi videre, quid Rex potiſſimum in hac inaudita moderatione animi exercenda ſpectaverit. Primum, ſi ea quæ afferuntur vera ſunt, hoc pacto Rex declaravit inſignem animi pietatem, qua Regis Patris ſui pia monita in ſupremis data proſequitur. Nam, id perſcriptum ab illo Rege mirabiliter cernimus in illa cygnea cantione, in tractatu vere regio, in Βασιλικῷ Δωρήματι, ubi Rex ille ſe alterum nobis Salomonem exhibet, hoc eſt Eccleſiaſtem Regium, cum plena ſapientiæ ac pietatis dicta liberis ſubditiſque præſcribit, neque præſcribit tantum, ſed etiam exemplo ſuo graviſſimo efficacius iis quam ſtylo celſiſſimo concionatur. Ego ſane mentem meam intime permoveri perſentiſco, » cum illa lego verba. Nihil mihi jam aliud ſu- » pereſt, niſi poſſe condonare etiam iis qui me » omnibus ſpoliarunt, atque hic Dei gratiam » agnoſco, quod ſim animo in hoc paratiſſimo, » nec me minus conſolatur hæc gratia quam » quæ unquam Deus dedit jucundiſſima, cum » ſit Divini amoris in me certius indicium, quam » ulla in rebus ſecundis felicitas. Et paulo poſt; » Te vero ut ſors tua *ſublimior* non permittit, » in ſingulare certamen *deſcendere*, ita multum » infra celſæ mentis indolem ducas de vindicta » cogitare, vel in plures iram effundere. Deinde ſi hic Rex iis parceret tantum, quos aſſequendi puniendique facultas non datur, aut quos Parlamentum cenſuit non ab omni ſpe veniæ removendos; jam ipſum non animus adeo ad ignoſcendum propenſus, quam neceſſitas quædam, aut alia quævis cauſa, ad hanc clementiam impuliſſe quibuſdam auſteris hominibus videri poterat. Nunc vero, ſi illorum nonnullis gratiam indulgeat, quos omnes omni gratia prorſus indignos affirmant; quos tenet Ep. 618. cuſtodia comprehenſos, ne improbus quidem quiſquam dubitabit, quin hæc omnia benefacta indoli bonitatis atque miſericordiæ in totum accepta debeantur. Succurrunt in eadem ad Principem tunc Walliæ epiſtola Regis Patris eximia monita. Cum enim Rex optimus dixiſſet, ultro detuli impunitatem & amneſtiam tam amplam, &c: ſubjungit hæc verba, Chriſto ac Chriſtiano Principe digna, Quem à Te etiam obſervari morem cupio, quoties hæc vel *petunt* homines vel ſunt parati *accipere*, ut eo modo largiaris, quo non mera *neceſſitate* aut politicis rationibus expreſſa, ſed à Chriſtiana *charitate* voluntario profecta videantur. Accedit quod nulla res ſit efficacior ad duros animos, ad voluntates hominum devinciendas, quam illa clementia regalis, ſi quando hominem, qui jam illico mortem exſpectat, vita donat: quod factum non aliter interpretandum eſt, ac ſi mortuum in vitam reduceret; qui ſupremus eſt apex non tantum humanæ, ſed etiam divinæ benignitatis. Neque alia ratio melior eſt omnia conjurationum molimina, priuſquam concepta ac nata ſunt, in herba ut ajunt penitus exſtirpandi, quam ſi inſperato & maximo beneficio affecti homines improbi intelligant, ſe tantam, quantam debent, gratiam ne mente quidem ſatis poſſe concipere, nedum ut ei aut opere aut manu ſua pro merito ulla ex parte reſpondeant. Quod illuſtri exemplo comprobavit Auguſtus Cæſar, qui cum ex ſuppreſſis veteribus novas indies conjurationes ſuccreſcere videret, tandem ſuadente Livia uxore Cinnam perduellione convictum accerſit; ſua beneficia, illius ingratum pectus exprobrant; ad extremum, cum cerneret pudore ac dolore fractum, ſubjicit ſe nolle tamen vindictam ſumere, immo ſe gratiam concedere delicto, ea lege ne in poſterum delinqueret. Nec diu poſt conſulatu ſponte delato, quia petere pudebat, eum ad ſummum honoris gradum extulit. Hac ille clementia ſic hominum animos in ſui amorem accendit, ut non modo Cinnanam illam, ſed etiam omnes alias conjurationes exſtinxerit. Quod ipſum crediderim hunc ſpectaſſe Regem, ut ſubditorum ſuorum animos, ſi qui Regium nomen reformidant, benignitate ac miſericordia ſibi adjungeret. Illud inſuper audivi pro certo, dixiſſe Regem Illuſtr. Ordinibus, ſe non id adeo Deo gratias agere, quod regnum patrium & avitum adeptus eſſet, ſed quod res tanta confecta ſit ſine cæde ac ſanguine profuſo. Quid mirum igitur, ſi Rex ad ſummi Regis exemplum, à quo regnum magnum accepit, majus exſpectat, hæc auſpicatiſſimi regni primordia, hæc univerſi populi conjuncta gaudia, multorum hominum cruore fuſo, quamvis nocentiſſimorum, turbari aut maculari non velit? Quicquid ſit, dubitare nemo poteſt, quin Carolus Secundus omnium bonorum conſenſu ſit Carolus clemens appellandus.

Ep.618. Quod ipſi nomen tamen jure tribuendum foret, licet omnes iſtos maleferiatos juſta nece mulctaret, quia præter hos ad miſericordiæ laudem obtinendam ſatis multos ſervavit.

Præterea religionis negotium ſapienti adhibito moderamine tractavit, cum dixit atque edixit, ſe tenellis animabus, quæ à vero tramite aberraſſent, nolle vim ullam inferri, ſed iis omnia tranquilla ſervari, ſi modo ipſæ tranquillitatem regni non turbarent. Quæ Regis clementia quam late pateat, dicitur nuperrime re ipſa comprobaviſſe, cum iſti hominum generi, quod præter alios omnes veritati divinæ ſummoque regimini videtur infeſtum (vulgo *Quaeckers* appellant) omnia tuta & pacata promiſit, ſiquidem ipſi pacem publicam, quantum in ſe eſſet, inviolatam cuſtodirent. Quid alii ab æquitate Regia non ſperent merito, ſi tam alienis ab humanitate, tam remotis à veritate hominibus libertatem non deneget? Quod non noſtri cauſa adeo lætor, quaſi ſperans fore, ut noſtri iſtic defenſione publica protegantur, cum conſtet diverſas de Prædeſtinatione ſententias iſtic palam in ipſis etiam Eccleſiarum miniſtris animis æquiſſimis utrimque tolerari; ſed quia neminem conſcientiæ cauſa vel opprimere vel opprimi omneſque æqua frui libertate cupio, & quia gratulandum cenſeo orbi Chriſtiano, imprimis Reformato, quod talis nunc inter noſtros vivat Rex, qui non minus multiplicis ſceptri fulget inſignibus, quam ornamentis eximiis maximarum virtutum, patientiæ, clementiæ, moderationis. Enimvero hæc unica ratio eſt regno pacem & ſtabilitatem conciliandi; quod jamdudum Illuſtriſſ. Ordines felici multorum annorum experimento comprobatum dederunt. Hæc unica via eſt, regni cœleſtis, cui Chriſtus in cœlo præſidet, pomœria longe lateque propagandi; quandoquidem non vi, ſed ratione; non enſe ferroque aut igni, ſed gladio ſpiritus, ſed ſpiritu manſuetudinis & charitate Chriſtiana homines ad religionis fideique veræ obſequium ducuntur. Speramus vero, hunc Regem, quem ad tam ſublime ac glorioſum opus ſuſcipiendum ac peragendum Deus per tot calcatas afflictiones videtur peculiari quadam ratione conſecraſſe, omni virium conamine allaboraturum, ut, ſimulac Deo duce, cui ſoli ſe regnum recuperatum debere profeſſus eſt, firma ac diuturna pace in regno fruetur, Eccleſiis Reformatis omnibus, quæ à Pontifice Romano ſegregatos cœtus colunt, concordiam ſedulo commendet & autoritate ſua Regia procuret. Utinam Deus noſter, Deus pacis, qui Regem hunc tot beneficiis ampliſſimis cumulatum reddidit, ipſi hunc animum deſuper inſpiret, ut ad hanc piam & laudabilem curam omnes cogitationes convertat! Non poterit ille Deo gratiorem gratam rependere aut munus Chriſto magis acceptum offerre, quam ſi tot populos ex illa diuturna diſtractione ad unius corporis myſtici communionem revocatos convinciat atque convincat. Non, ſi regna regnis adjungat hoſtibus ubique profligatis, tantum veræ, Deoque gratæ, hominibuſque ſalutaris gloriæ conſequetur, quam ſi diſſidia nimium diu inveterata confringat, animos à ſe mutuo male divulſos felici auſpicio conjungat, & regnum Chriſto pacis duci tradat pacificum. Adjuvabunt, ut ſpero, ſpectati eruditione ac pietate Prælules ampliſſimi Eccleſiarum, qui & antea, cum fruerentur ſtatu quieto, concordiæ dediti fuerunt, & nunc malis exercitati eodem aſpirabunt ardentius. Ardore enim opus eſt maximo & violentia quadam tum ad expugnandum ac diſſipandum regnum iſtud diſcordiæ, quod nimium late dominatur & profundas egit jamdudum radices; tum ad erigendum confirmandumque concordiæ domicilium, quod Satanas indefinenter vi & aſtu diſturbat. Aſpirabit tam benignis cœptis (quæ utinam incepta eſſent!) benignus Deus, quem ut idonea tanto molimini perficiendo dona conferre viris talia conantibus velit, flagrantibus ex animo votis obſecramus. Audivi quondam Illuſtrem virum, qui fuit non minus Remonſtrantium cauſæ quam pacis Eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, hujuſmodi agitaſſe conſilia cum Rege Britanniarum celſiſſimo Carolo I. & cum rever. Archiepiſcopo Cantuarienſi Guilielmo Laud; neque ipſum deſperaſſe, quin, niſi illa miſerabilis interveniſſet calamitas, aliquid boni fuiſſet expectandum. Vir apud Scotos non incelebris Joh. Duræus hoc idem poſtea opus aggreſſus eſt; ſed partim ille pacis autor judicio quorundam præſtantium virorum haud ſatis æquus fuit, partim vehementius obluctabantur Theologi Lutherani, imprimis Argentinenſes & Suedi, qui ſuam ſententiam à Synodo Dordracena in Belgio explosam damnatamque querebantur. Quæ quidem perjuſta fuit accuſatio, quia haud dubie peccarunt Dordraceni Patres, qui flagranti contentionum æſtu impulſi id auſi ſunt, quod à Chriſtianiſſimi primordiis nulla Synodus eſt auſa: ſed tamen excuſatio non ſatis juſta fuit Lutheranorum, cur pacem oblatam non admitterent, ſiquidem id, quod male conſtitutum erat, potuit aboleri, præſertim quia omnes Reformati pari conſenſu credunt Synodos eſſe non modo erroris periculo, ſed haud raro ipſis etiam erroribus obnoxias. Si tamen hoc nimis magnum poſtulatum videbitur, potuit ſaltem tolli illa Synodi canonibus ſubſcribendi neceſſitas, quod ſane jugum eſt iniquiſſimum & acerbiſſimum, cum hæc tam ſublimis autoritas ſoli Scripturæ conveniat, quæ ſola divina eſt & extra omnem erroris ac vitii aleam conſtituta. Scio quid vulgo obtendant, qui Synodorum canones conſcriptos aut Catechiſmos ad tam ſublimem honoris gradum evectos cupiunt: quia alioqui perpetua vigeret diſſenſio, neque unquam immota maneret conſenſio, quia alioqui nova ſine fine ac modo dogmata ſuppullularent, quia nili hoc adhibito medio ſpiritus erronei neque dete-

Ep.618. detegi neque convinci poſſunt. Mira hæc oratio & incongrua prorſus & adverſa Scripturis, quoniam & ipſi credunt ſacras literas omnia ad ſalutem neceſſaria ſufficienter complecti, & Paulus ad Timotheum ſcribens Scripturam tradit utilem eſſe ad doctrinam & redargutionem, & quidem ita, ut homo Dei ſit perfecte inſtructus ad omne opus bonum. Certe Eccleſia Judaica vetus formulas iſtiuſmodi non habuit, nec primitiva Chriſtiana ab Apoſtolis aliud quam Scripturas accepit; & videmus eas ne ad conſenſum quidem teſtandum neceſſarias valde, cum illi, qui ſolis Scripturis pariter adhærent, vix unquam in neceſſariis diſſentiant, quod ex variis diverſarum ſectarum Reformatarum confeſſionibus apparet. Nam etſi in non paucis diſſentiunt, in neceſſariis tamen dogmatibus conſentiunt; quod nihil mirandum, ſiquidem illa neceſſaria omnibus perſpicua ſunt & numero fane perpauca. Agnovit hoc ipſum quondam ſapientiſſimus Rex magnæ Britanniæ Jacobus, & Regis interpres Caſaubonus, & poſtea fidei Regiæ defenſor Molinæus, quorum teſtimonia graviſſimi ponderis in Confeſſionis apologia Noſtri deſcripta fuſius adduxerunt. *Nam & pauca illa ſunt*, inquit Rex, *& fere ex æquo omnibus probantur, qui ſe Chriſtianos dici poſtulant.* At Canonibus à Synodo conſtitutis lites gliſcunt magis, augentur odia, inducuntur ſchismata, ac ſi forte erraverit Synodus, quod humanum eſt, veritati divinæ præcluduntur fores, quas, niſi turbulentus audire velis, perrumpere non licet. Hinc multa coguntur infirmiores animæ ſuſcipere tanquam neceſſaria, quæ ne vera quidem ſunt, nedum divina aut neceſſaria. Eſt hic inſignis aſtus, inter *Stratagemata Satanæ* merito reponendus, quæ in hoc genere permulta felicissime perveſtigavit atque detexit Jacobus Acontius præclaro opere, quod *Divæ Elizabethæ Angliæ Reginæ* dedicavit, quo nomine gratiam, honorem, ſuſtentationem ab illuſtriſſima illa heroina promeruit; cujus rei non tantum ipſe teſtis in ſuis ad Wolphium literis, ſed etiam in præfatione operis aurei Johannes Graſerus Theologus & Philoſophus Baſilienſis. Quia autem in Sereniſſima nomina Eliſabethæ & Jacobi Regum incidi, non poſſum non addere id, quod uterque pro conſtituenda pace in controverſiis hiſce noſtris conſilii & laboris poſuerunt. Durante regia Illuſtriſſ. Elizabethæ adminiſtratione, cum Theologi nonnulli articulos fidei Lambethanos, quos vocant, privato auſu contra regni illius leges condidiſſent, ad ſpeciem ac robur abſolutæ prædeſtinationi conciliandum; Regina, ut inſigni prudentia pollebat, voluit ut canones iſti, quia rem non decidendam præſumptuoſa nimium authoritate decidebant, in perpetuum ſuppreſſi lateremt. Aderat tunc ibi vir quidam autoritatis in regno primariæ, intimuſque Reginæ conſiliis, qui (ut apud Uytenbogardum & Corvinum accurate perſcriptum reperio) quoniam ad ipſum cura Acm Ep.618.
demiæ peculiariter pertinebat, rem geſtaexponens Reginæ dixit, eos ita exiſtimare atque docere, quicquid gereretur rerum humanarum, bonum id malumve eſſet, id omne conſtringi lege immutabilis decreti: ipſis quoque hominum voluntatibus hanc impoſitam neceſſitatem, ut aliter quam vellent homines velle non poſſent. Quæ ſi vera ſunt, inquit, Domina Auguſtiſſima, fruſtra ego aliique fideles tuæ Majeſtatis miniſtri, quid in re quaque opus ſit facto, quid ex uſu ſit futurum & regni & tuo, ſuſpenta diu conſilia verſamus, cum de his quæ eveniunt neceſſario ſtulta ſit conſultatio. Poſtea vero Regum eminentiſſimus Jacobus, cum D. Reynoldus in Hamptonienſi colloquio aſſertiones iſtas in corpus canonum Eccleſiaſticorum inferri cuperet, id ne fieret autoritate regia perfecit. Cumque Rainoldus & alii, qui contra Epiſcopos ſtabant; vellent ut poſt verba Conf. Art. XVI. *Poſt acceptum Spiritum Sanctum à gratia data recedere*, articulo infererentur hæc: *Non tamen totaliter nec finaliter*: Rex, poſtquam ſuper loco Apoſtoli, *Operamini ſalutem veſtram in timore & tremore*, multa diſſeruiſſet, judicavit neceſſarium potius eſſe, ut vox *ſæpe* aut ſimilis adderetur: ut ſcilicet legatur *poſt acceptum Spiritum Sanctum poſſumus ſæpe à gratia data recedere.* Quin etiam cum apud nos contentio graviſſima de prædeſtinatione divina exarſiſſet, ſapienter Ordinibus noſtris conſuluit Regia Majeſtas; *Diſſidentibus diſtricte imperent, ut pacem colant, invicem ſe tolerando in iſta opinionum ac ſententiarum diſcrepantia*, &c. quod *neutram comperiat adeo deviam, ut non poſſint & cum fidei Chriſtianæ veritate & cum animarum ſalute conſiſtere.* In quam etiam ſententiam Illuſtr. Ordines noſtri decretum de concordia Eccleſiæ per mutuam tolerantiam reſtituenda condiderant. Aliud quidem poſtea conſilium Rex dedit, cum rem à Synodo decidendam duxit: ſed id vel ſuaſorum haud recte conſulentium inductu factum videtur, vel quia Adverſarios noſtros, qui plurimi erant & minime quieti, alioqui ſedari non poſſe animadvertit. Vix enim dubitandum eſt, quin alioqui Rex in priori illa ſententia perſtitiſſet, præſertim quin ipſe eam plurimis optimiſque rationibus fulciverat, quod jam ex parte vidimus. Ex his videre eſt, quanto ſedatiora ac meliora conſilia ad conſervandam in religione concordiam ſæpe promant viri primates, qui rebus tamen civilibus vivunt diſtractiſſimi, quam Theologi nonnulli, qui ad ſuum placitum omnium ſententias dirigi inique poſtulant: ac, niſi id quod injuſte concupiunt impetrent, graviter expoſtulant: immo etiam alios à ſe in dogmate non gravi diverſos exturbant non tantum è foribus Eccleſiæ, ſed etiam è patria, atque adeo è vita interdum, ſi quantum libet licet. Credo Noſtros hac quondam ratione permotos fuiſſe, ut nunc

Ep.618. alias cauſas graviores omittam, cur ſtatuendum cenſuerint, Magiſtratui ſupremo jus architectonicum in Eccleſiæ regimine competere, aliaque privilegia eidem in Synedriis ac Synodis moderandis merito tribuenda, quoniam Theologi non pauci zelo præpoſtero intlati extra juſtæ moderationis metas facile prorumpunt. Huic ſententiæ noſtræ obluctati ſunt ſemper, atque etiamnum obluctantur in noſtris regionibus multi ex iis, qui ſe ſolos Reformatos dici volunt, cujus rei nunc exemplum triſte nobis exhibet ampliſſima civitas Ultrajectina. Nam cum Paſtores octo (alios ibi aut alibi moderatiores non tango) Magiſtratui ſuperiori litem intenderent invidiæ plenam, clamantes bona Eccleſiaſtica à Canonicis politicis injuſte teneri occupata; cæteri quatuor collegæ, cum jura Magiſtratuum palam defenderent, graviſſima cenſura mulctabantur. Qua re intellecta ſpectatiſſimi Coſſ. ac ſenatores cenſuerunt è republica futurum, ut facerent, id quod facere ex conſtitutione Dordracena liceret, duoſque viros delectos ad ſynedrium aſſidue mitterent, qui omnia ibi conſilia ſuſcipienda ſuſceptaque ex æquo & bono ad publicam tranquillitatem dirigerent. Verbis aſſequi nequeo, quantas hæc juſtiſſima Magiſtratuum petitio turbas excitaverit propter concionatores, qui palam queruntur novum Remonſtrantiſmum induci, templi ſui ſepta perfringi, lædi jura Eccleſiæ; adeo quidem ut res omnis ad extremum diſcrimen ac prope ad vaſtitatem ſpectare videatur. Magiſtratus, cum jus ſuum ne tueri ſatis poſſet metueret, octo delectas equitum peditumque cohortes in urbem arceſſivit. Quo res tandem evaſura ſit, non ſine gravi metu ſuſpenſi exſpectamus. Spes tamen ſuperior eſt, omnia Magiſtratui ſucceſſura ex voto, quia civium pars melior ac major cum ſenatu egregia voluntate conſpirat. Illuſtres etiam Ordines iſtius provinciæ, ut ſua Magiſtratui jura conſervent, totis viribus incumbunt, & audio novas equitum turmas propediem exſpectari. Deus urbi floreuti concordiam & pacem reſtituat. Ut vero ad Angliam revertar, valde ambigunt plerique, quem ordinem in Eccleſia gubernanda Sereniſſ. Rex Carolus II. prælaturus ſit, eumne qui favet Epiſcopis, an illum qui presbyteris addictus. Nuper paſtorem quendam Eccleſiæ Anglicanæ conveni, qui exiſtimabat, licet Rex in utramque partem ferme videatur æqua lance propenſus, magis tamen eſſe credendum, quod in Epiſcoporum deſignationem animus inclinet. Quod etiam mihi videtur probabile, non modo quia diuturna conſuetudo iſtam regiminis conſtitutionem firmavit, ſed quia regni iſtius incolumitas vix aliter videtur conſtare poſſe, ut judicabat imprimis hujus Regis progenitor Rex auguſtus Jacobus, cujus hoc erat augurium (utinam vanum!) qui ſuſtulerit Epiſcopos, eum tollere Regem ipſum. Noſtri (quod liquet ex Apologia Confeſſionis noſtræ, & ex Hugonis Grotii ſcriptis, & ex Danielis Tileni ad Scotos epiſtola parænetica (quam cum ejuſdem autoris Diatypoſi Dialogiſtica nuper edidimus) ordini Epiſcopali ſemper eximie faverunt. Nec videtur multum noſtra intereſſe, qualeſcunque deligantur, ſi modo eligantur viri eruditi, pii, moderati; quod, quia larga ibi talium copia non deeſt, quin futurum ſit, non dubitant qui Regiæ Majeſtatis indolem prudentiamque perſpectam habent. Deum ter Opt. Max. ex animo precor, ut, qui Regem hunc regno regnumque Regi reddidit, pacem quoque eodem adminiſtrante reſtituat Eccleſiæ in ſanctæ cuſtodia veritatis. Vale amicorum integerrime. Amſtelod. A.C. 1660. die xv Julii. Ep.618.

EPIC XIX.

ADRIANUS PATIUS

CHRISTIANO HARTSOEKERO S.P.

Reſtatus Synodorum.

VIr eruditiſſime & cognate chariſſime, Si cuti à multis retro annis operam dedi non pœnitendam, ut quæ ſentirem circa ſacra ſolido atque inconcuſſo fundamento inniterentur; ita non vulgariter me afflixit nuntius de Enthuſiaſmo eorum, quos adverſus illam dementiam ſatis munitos inſtructoſque arbitrabar. Concoquere non potui, viros probos & ſedatæ mentis homines ſententiarum ſtoliditſſimæ palam applaudere, atque adeo tranſitum meditari in eorum caſtra, quibus helleborum propinandum dixi ut ad ſanam mentem redeant. In ſpem tamen non vulgarem erigor, futurum, ut cognitis Enthuſiaſtarum deliriis, veſaniam illorum averſentur; quam fiduciam auget tum concepta de eorum probitate opinio, tum perſuaſio, animi quodam fervore, qui non eſt κατ' ἐπίγνωσιν, eos tranſverſos agi. Ut vero proſpiciant laudare ſe, quod non intelligunt, conſtituendus formanduſque eſt controverſiæ ſtatus, diſquirendumque quæ *ſit nobis fides morumque regula, verbumne perſcriptum*, quod *S. Scripturam* vocamus, an vero inſpirationes, quas crepant Enthuſiaſtæ? Inſpirationes cum rejicio, non eas intelligo divinas, quibus mentes noſtræ flectuntur in revelatæ fidei obſequium: ſed illas, quibus Enthuſiaſtæ pertendunt à S. Scriptura diverſa, quin imo & ſæpe ei contraria animis inſinuari: quo errore nullus eſt perniciofior. Quin Deus in hominum mentes agat Spiritus ſui efficacia, animoſque ad virtutem flectat & fidem, dubitari non poteſt: Sed nihil neceſſe eſt Deum *modo extraordinario* eos conſcios reddere ſuæ operationis; cum cogitationum ſuarum normam habeant rationem & S. Scripturam, ad quam ſolam exigendæ ſunt, non ad amuſſim inſpirationis: cum ex. gr. Deus ſpiritu ſuo hominem commovet ad fundendas preces, ad exercenda caritatis opera, &c. de

oratio-

Ep.619. ſuaſus ex principio rationis atque Scripturæ, pie eam Spiritui divino attribuit ex pio & ſancto atque, meo judicio, veriſſimo principio, omnes ſanctas cogitationes Deum authorem habere, ſed modo incomprehenſibili, cum & quodammodo ab anima proveniant: ita ut cogitationum ſanctitas, nixa ſolo rationis & S. Scripturæ principio, nos de divina inſpiratione (loquor de ordinaria) certos reddat, non vice verſa. Sed hæc nihil ad inſpirationes Enthuſiaſtarum, quas ipſi nolunt vel ad rationem vel ad S. Scripturam explorari, quo nihil eſt periculoſius. Quotquot enim inſpirationis ſuæ non aliam normam habent, quam ipſam inſpirationem, ad furores Muntzeri, Knipperdollingi, & Joannis Leydenſis acceduat, quorum poſtremus è ſartore rex factus, atque ex rege carnifex, fanatici ſpiritus inſtinctu uxori in publico foro cervices præcidit. Scio hodiernos Enthuſiaſtas Monaſterienſium illorum facinora atque furores deteſtari. Sed ajo ego aſſeroque, id non fieri doctrinæ ſuæ genio, ſed beneficio temperamenti, in quo atra bilis nondum dominatur: dicant enim mihi viri boni, quid illos adverſus illam veſaniam præmuniat, quando non ex S. Scripturæ dictamine, ſed ex inſpirationum atque enthuſiaſmorum præſcripto vitam inſtituendam arbitrentur. Quod enim dicunt, lucem illam internam ſequentibus abunde cautum eſſe adverſus Monaſterienſium dementiam, pro nihilo ducendum eſt; cum & ſuam lucem ſecuti ſint fanatici Monaſterienſes: quæram enim ex iis, ſi fanaticorum aliquis ſibi divinitus impoſitam neceſſitatem contenderet uxorem vel liberos interficiendi, qua ratione talem à propoſito dimoverent? dicerentne illam obtentam revelationem repugnare rectæ rationi, atque proinde Deum authorem habere non poſſe? Sed reſponderet fanaticus, Deum pro jure ſuo in creaturas illud imperare poſſe, atque aliquando imperaſſe, neque rem illicitam eſſe eædem, quæ fiat Deo authore. Quid replicarent ad hæc Enthuſiaſtæ, qui & ipſi inſpirationes ſuas pro divinas habent, quamvis nullis indubitatis divinitatis nixas notis? Orthodoxus vero, id eſt vere Chriſtianus, fanaticum & furoris ſettro percitum cuſtodiæ mancipandum cenſeret, non ob aliud, quam quia horrendi mandati nulla poſſet proferre argumenta indubitata. Quod ſi etiam aliquis ex eorum grege tam inſolitæ inſpirationis notas exigeret omni exceptione majores, rogabo eum, qua adactus ratione id faceret, cum & ipſe fidem vitamque formet ex ſuggeſtionum æque incertarum præſcripto. Ajunt quidem Enthuſiaſtarum nonnullos exiſtimare interdictum Chriſtianis eſſe gladii uſum, quæ ipſos ſententia, modo conſtans eſſet, adverſus Monaſterienſium homicidia ſatis muniret. Sed unde eam opinionem hauſere? non à S. Scripturâ, quam pro fidei regula non admittunt, uti neque à recta ratione, cui uſum gladii non repugnare ipſi fatebuntur; ſed ab inſpirationibus Ep.619. ſuis. At quomodo ſciunt illas cœleſtes eſſe, & non futurum aliquando, ut per aliam inſpirationem ſententiæ, de interdicto Chriſtianis gladii uſu, valedicant? Sicuti ipſis atque aliis Enthuſiaſtis ſæpe contigit, ut per ſubſequentes inſpirationes priores ſententias mutarent: quod ſi fiat, jam facile perſpicient, talibus non difficilem eſſe in Monaſterienſium furores tranſitum: cujus rei exempla exſtant ſatis recentia, præcipue in Anglia, in qua Enthuſiaſmus ſedem ſuam fixit. Deum ſanctiſſime teſtor, me hæc non exaggerare ad Enthuſiaſtas eorumque ſententiæ conflandam invidiam; ſed iſta aſperius dicta, & pluſculo aſperſa ſale, non aliunde provenire, quam ex animo, qui, ſupra quam dici poteſt, averſatur omnes qui eo nam mentem ejurant. Tu qui me noſti, vir amiciſſime, non ignoras, quantum ego indulgeam errantibus, & quam ægre à me impetrem, ut etiam in gravioribus à rectâ ſemitâ deflectentibus ſuccenſeam; ſed cum Enthuſiaſtarum error capitalis ſit, penitusque ſubvertat Chriſtianiſmi fundamenta, ego quidem ita apud me ſtatuo, nunquam ſatis declamari poſſe in ſententiarum opinionumque perniciofiſſimam; neque credant viri boni, me Enthuſiaſtarum ſententiam ignorare, vel me neſcire, quantum à Chriſtianorum mente hac in parte diſtet. Non ſoleo ego opiniones mihi ignotas inſectari, uti nec ferri in id, quod minus perſpectum habeo: quod ſæpius iis accidit, quos externa pietatis ſpecies, & ingerens ſe in oculis ardor decipit. Ne vero illi hac in re, & in conſtituendo tanti momenti controverſiæ ſtatu, incauti fallantur, interrogent Enthuſiaſtarum anteſignanos,

I. An S. Scripturam habeant pro unicâ fidei & morum regulâ, an vero extra eam inſpirationibus opus eſſe credant, ex quarum dictamine formanda fides inſtituendaque vita ſit?

II. An non credant per illas inſpirationes nonnunquam ea mentibus ſuggeri, tam in fidei, quam in morum materia, quæ ex Scripturâ erui non poſſint?

III. An non credant poſſe per illas, quas vocant, inſpirationes hominum animis inſinuari, quæ S. Scripturæ repugnent, & an non perſuaſum habeant, talia nonnunquam revera inſpirari?

Ego ſcio ad primum articulum de fidei morumque regulâ eos reſponſuros negative.

Ad ſecundum cum affirmatione.

Ad tertium dubitanter; non quod circa eum articulum hæſitent, ſed quod vereantur, ne myſteria pandendo nondum initiatos deterreant.

Ego vero in univerſum ſtatuo, omnes, qui in fidei morumque negotio, vel plus vel etiam tantundem tribuunt inſpirationibus, quam S. Scripturæ, in Chriſtianorum numero habendos non eſſe: quod evinco argumento hoc apodictico. Quæram ab Enthuſiaſta, ſi quo tempore Apoſtoli & viri divinitus afflati fidei dogmata, vivendique regulas hominibus annun-

Digitized by Google

Ep.619. tiabant, ſuamque doctrinam confirmabant miraculis, aliquis inventus fuiſſet, qui & ipſe revelationes obtenderet, cæteque ſibi poſtulaſſet, quamvis nec ſua dogmata Apoſtolorum placitis eſſent conformia; neque etiam ullis indubitatis divinitatis notis confirmarentur, an talis non fuiſſet habendus pro pſeudo-Chriſtiano & pro fatuo vel impoſtore? Non arbitror id negaturum Enthuſiaſtam, in quo vel mica bonæ mentis ſupereſt. Atqui quotquot ſunt vere Chriſtiani tam firmiter perſuaſi ſunt de veritate eorum, quæ Apoſtoli annuncia-vere, deque miraculis, quæ edidere, quam ſi vivi videnteſque illa auribus hauſiſſent, atque oculis uſurpaſſent: Ex quo infero, & hoc tempore pro pſeudo-Chriſtianis habendos eſſe, qui in fidei morumque negotio inſpirationes crepant, quas nec ad primas illas vere divinas exigunt, nec confirmant miraculis: Cum enim fides nos quaſi Apoſtolis coævos reddat, non magis nunc tolerandus eſt fanaticus ejuſmodi inſpirationes obtendens, quam ferri potuiſſet tempore Apoſtolorum. Quo vero manifeſtior appareat erroris hujus abſurditas, rogabo Enthuſiaſtas, an non hiſtoria de nativitate Chriſti, de ejuſdem miraculis, morte, reſurrectione, aſcenſu in cœlos, & quæ iſti hiſtoriæ ſuperſtruuntur fidei ſalutaris dogmata, eſſentiam conſtituant Chriſtianiſmi? Si negant, non tantum conſtrictos convictoſque eos tenemus ſubverſæ religionis, ſed etiam opinionum ſtolidiſſimæ, quæ ſtatuit religionem Chriſtianam incolumem manere non tantum dirutis ejuſdem fundamentis, ſed etiam penitus incognito illius authore: Sin vero concedunt hæc omnia ad ſubſtantiam religionis Chriſtianæ pertinere, quæram porro ex iis, an illarum rerum cognitionem acceptam referre poſſint ſuis inſpirationibus, an vero illam hauſerint ex S. Scriptura vel lecta vel prælecta? Si affirmant prius, obloquuntur

Rom. 10. rationi, experientiæ, & Paulo Apoſtolo aſſerenti fidem eſſe ex auditu, auditum vero ex verbo Dei; id eſt, objecta fidei, quatenus hiſtoriâ factorum continentur, ex ſolo verbo cognoſci, non ex verbo interno, quemadmodum loquuntur Enthuſiaſtæ, ſed ex verbo evangelizantium pacem, quibus ſpecioſos pedes tribuit Apoſtolus: quæ certe non conveniunt, niſi primis Evangelii præconibus: ſin poſterius, jam ſibimet contradicunt, & propriâ confeſſione evertunt Enthuſiaſtarum fundamenta, non aliam religionem agnoſcentium, quam quæ nitatur inſpirationibus, non quæ ſalutis obtinendæ rationem hauriat ex lectione vel auditu S. S. Litterarum. Ut vero liqueat, quam fragili fundamento nitatur Enthuſiaſtarum de inſpirationum ſuarum divinitate perſuaſio, certum eſt eas, quas jactant, inſpirationes, conſiſtere incertis animæ cogitationibus, quas pro divinis habere, ridiculum foret, niſi divinitatis notas haberent certiſſimas & ſigna indubitata, quæ notæ reperiri deberent vel in ipſis cogitationibus, id eſt, in animæ cogitantis certis affectionibus, vel in ſignis externis cogitationes concomitantibus, qualibus Prophetæ de inſpirationibus certi reddebantur; quæ ſigna externa cum nequidem jactent Enthuſiaſtæ, omnis illis certitudo petenda eſt à certis animæ affectionibus, quæ quidem certa indicia eſſe nequeunt cogitationum cœlitus immiſſarum, niſi ante conſtet eas affectiones non tantum Deum authorem habere, ſed eſſe in animâ ab eo productas, ut ſemen eſſent divinæ revelationis, de quo cum anima certa reddi nequeat, niſi per aliam rurſus cogitationem, de cujus naturâ dubitari quoque poteſt & debet, vident facile omnes rerum intelligentes, abſurditates abſurditatibus cumulari: quod ſemper contingit iis, qui ſua intereſſe exiſtimant ſententiam ſuam quovis modo tueri. Cum dixi eos qui plus ſuis inſpirationibus tribuunt, vel etiam tantundem quam S. Scripturæ, ferendos non eſſe, non innuere volui eos tolerandos non eſſe in Republicâ; ſed id tantum, in Chriſtianorum numero tales habendos non eſſe, atque etiam arcendos à familiari conſortio recte ſentientium. Et ita quidem ſemper in animum induxi, capitalem errorem defendentibus non eſſe familiariter utendum: quales extra controverſiam ſunt, qui nobis ex ſuggeſtione illius ſpiritus, quo aguntur, id eſt, ex dictamine non ſatis confirmatæ mentis, novum Evangelium & ſtolida placita procudunt. Me ita de iis judicare non tantum per me licet, ut ſciant, ſed etiam eorum intereſſe puto, ne id ignorent. Ne vero offendantur eo, quod dixi, Enthuſiaſtis helleboro opus eſſe, ut ea ſui parte curentur, quæ maxime laborat, nunc etiam addo dogma illorum de Spiritus inſpirationibus, tam eſſe ſtolidum & ab omni ratione alienum, ut vel leviter eo imbutos, quamvis cætera rectæ mentis, mox ita dementet, ut rebus ſacris omnem divinam atque humanam rationem exterminent. Ne vero, quod de helleboro dixi, ferant ægrius; ſciant tam arcte unitam eſſe mentem corpori, ut quemadmodum hujus mala affectio illius operationibus officit, ita quoque animæ quædam cogitationes corporis rectæ operationi obeſſe, quod ſit ſpirituum vitalium (quos vocant) pravâ determinatione: ex quo aliquando evenit, ut homines de pleriſque rebus non infeliciter diſſerentes, in nonnullis tamen ita prorſus deſipiant, ut non difficile ſit ſigna commotæ mentis deprehendere; quamobrem curandum eſt diligenter, ut mens ſana ſit in corpore ſano, cavendumque ſedulo ne intemperantia atque ingluvie nobiſmetipſis noceamus; intemperantiam cum dico, non eam tantum intelligo nimiam corporis repletionem, ſed illam etiam animi ingluviem, quæ efficit, ut quælibet etiam non præguſtata avide devoremus, quæ poſtea male digeſta animum miſerandum in modum affligunt, ductuſque obſtruunt, quibus

Ep.620. quibus ſalutifera ratio ad partem meliorem feratur: Annitendum eſt, ne quid unquam recipiamus niſi prævio examine, & attenta meditatione; cui qui mentem ſuam aſſuefaciunt, ſpondeo futurum, ut divino adjuti auxilio, quod ſemper præſto eſt veritati ſtudentibus, nunquam in fanaticorum deliria incidant. Ep.621. Vale.

Tuus

A. FAETS.

Mont. Carpetan. 4. Julii 1674.

LECTORI.

CUm editio hæc jam ad finem eſſet perducta, ecce ab amico, cui potiſſimam harum Epiſtolarum partem debeo, & hæ ſequentes offeruntur; quas quia ejuſdem cum prioribus ſunt argumenti, earumque aliquæ reſponſum continent ad quaſdam hoc volumine contentas, eas hic ad calcem adjicere placuit.

IↃC XX.

JOANNES UYTENBOGARDUS JOANNI NARSIO S.P.

Ecclefia. CHariſſime Frater: Quod animum erga me tuum munuſculo teſtificari voluiſti, gratum eſt. Sed rogo ut in poſterum iſtis impenſis parcas, tibique certiſſime perſuadeas, firmam nihilominus permanſuram quam in Domino colimus amicitiam. Adventus meus Trajectum non ita certus, atque D. Bruno ſibi perſuaſit, ut ut ædes conductæ ſint. Quum enim de dimiſſione, ut cœpi, agere pergo, tot injiciuntur obſtacula, ut valde dubitem de eventu. Saltem video me hac hyeme non migraturum: dabo operam ut id circa æſtatem proximam, aut potius verno tempore, fieri poſſit, ſi Dominus cœptis afflaverit. Interea habebitur non quidem Synodus Nationalis (quod vix puto) ſed, quod firmiter ſpero, Synodus Provincialis totius Hollandiæ, convocanda, ut videtur, circa Cal. Octobris. De actis poſtremo conventu obſtrinximus nos nihil eliminaturos, ſed hoc relaturos in genere iis qui quærunt: Amice & fraterne omnia acta, & velle utrumque Profeſſorem perſtare in Confeſſione ad proximam uſque Synodum; interea pacem colere, & à diſputationibus inutilibus, & unde diſſenſiones oriri poſſent, abſtinere. Serio demum agetur in Synodo, cui Dominus benedicat ad veritatis & pacis conſervationem. Triumphator ille Friſius conventui iſti non interfuit, nec de eo quod agat vel non agat magnopere laboro. An triumphum cecinerit ante victoriam, imo ante juſtam pugnam, Deus & dies docebunt. Nihil fratres quidam intermittunt de ferocia, imo majores ſibi animos quotidie ſumere videntur. Qui autem veritatem cum pace ſectantur, fortiter quidem, ſed & modeſte agere debent, & in ſpiritu manſuetudinis patienter ferre injurias, dum innocentiam eorum Dominus paſam fecerit: quod ſpero faciet. Interea rogandus Deus ardentibus precibus Eccleſiæ ſuæ miſereatur, eamque, heu nimis multum laceratam! ab ulteriore ſchiſmate tueatur, quin muros Hierololymæ pene dirutos inſtauret, & maxime pietatis arcem, quam ita ariétibus ſuis quatit Satan ut caſui proxima videatur. Quos ſalutari voluiſti, eras, ni fallor, mihi aderunt: officio iſto tum defungar. Librum illum promiſſum mittam, ubi cum exemplari mihi reliquo contulero: quod hactenus non licuit. Faciam, ſpero, propediem. Interea vale. Dominus tuo munori benedicat. 2. Julii 1608.

Tui ſtudioſiſſimus in Domino

J. UYTENBOGARDUS.

IↃC XXI.

JOANNES UYTENBOGARDUS ADRIANO BORRIO S.P.

QUa conſtitutione jam ſit æger noſter, pro cujus ſalute Domino ſacrificia offerre non deſinimus, rogo fac nos certiores. Deputati Synodorum heri intromiſſi acriter urſerunt Synodum Provincialem. Habita deliberatione reſponſum, nondum poſſe DD. Ordines diem nominare, propter D. Doctoris invaletudinem: ſed in omnem eventum Synodum non conceſſuros, ni primum pareant Ordinum mandatis Alcmariani: hocque decretum ſtare. Deputati petierunt, decretum hoc ut ſcripto daretur. Conceſſum. Audimus diſceptatiunculam quidem aliquam fuiſſe inter ipſos Ordines; ſed tandem fere unanimiter itum in iſtam ſententiam, ipſa quoque eam approbantibus Dordracenis. Multæ etiam urbes palam ſuffragiis ſuis & hoc adjecerunt, nunquam ſe paſſuros autoritatem ſuam proculcari; Synodum etiam ſe concedere nolle, niſi talem, in qua Ordines præſideant, modum & formam præſcribant, omniaque dirigant, &c.

Ecclefia.

Ep.621. Fuerunt etiam qui dicerent, exemplum esse statuendum in refractarios istos, & primum stipendia illis auferenda, &c. Sed responsum tale fuit, quale dixi. Plancius cum videret Ordinum animos, ita serviliter Ordinibus blanditus est, ut mireris: Domini mei, nos agnoscimus vos esse Magistratus Christianos, observamus, reveremur, suspicimus, colimus, omnem obedientiam præstare volumus, imo pro vestra authoritate sanguinem fundere parati sumus, &c. Subjecit Advocatus: Recte D. Planci, credimus vos ita sentire, nec dubitamus quin ita sit; sed reipsa hoc ostendite, & efficite ut Alcmariani pareant & in ordinem redigantur. Quid hic Plancius responderit ignoro. Animadversa varia vultus mutatio: aliunde autem intelligimus, ex iis qui familiariores illis sunt, ita præter omnem exspectationem responsum hoc esse, ut fere desperent de successu totius negotii, adeo ut jam Alcmarianos culpare incipiant, &c. Heri appulit Hillenius cum deputato suo Meusevoetio, hodie audientiam petituri. Commode adsunt Venator & Lomannus, & illi intromittendi. Videbimus jam quid possint novi hi Oratores.

Mea vocatio plus habitura difficultatis videtur, quam initio putassem. Senatus Ecclesiasticus rem exposuit Collegiis quatuor, Supremo scilicet Senatui, Curiæ Provinciali, Rationariis, & Magistratui Hagiensi: Hi decreverunt legationem ad Principem Mauritium, illius opem & autoritatem imploraturam. Stat tamen mihi sententia firma & inconcussa abire, ni ipsi Trajectini, & omnes qui ibi sunt Ordines jure suo cedant, & judicent è re Ecclesiæ ut hic maneam. Hodie & illi, Trajectini nempe, intromittendi in Consessum Ordinum. Vale, &, quod ferme sperare non audemus, nuntio læto & hilari de ægro nostro nos recrea. 17. Septemb. 1609.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

IↃC XXII.

DEPUTATI SENATORES

Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ

WILHELMO HENRICO

Comiti Steinfurtensi.

De Vorstio. GEnerose Comes: Præmissa amica nostra salutatione, non possumus G. V. celare, redditas nobis esse literas G. V. datas VI. Septembris, idque per manus Conradi Vorstii Doctoris S. Theologiæ & Professoris, ac præterea Pastoris V. Steinfurti: rebusque omnibus maturè expensis, fatemur quidem prædictum D. Vorstium jam inde à tempore regiminis Patris G. V. felicis recordationis, ac postea vestræ quoque gubernationis ac Generosorum Ep.622. D D. Fratrum vestrorum Comitum in Bentheim, Teclenburg, Steinfurt, Limburg, &c. egregiam operam in illis partibus navasse ad promotionem veræ Christianæ Religionis in Ecclesia Dei, eundemque idoneum esse ad continuandam porrò augendamque illam provinciam. Cæterum, quum ad ædificationem regni Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi, ejusque Ecclesiæ, secundum S. Dei verbum & Ecclesiæ Reformatæ consuetudinem, quilibet eo loci professionem obire teneatur, ubi quam maximè prodesse publico potest: Sitque consultum à prænominato D. Vorstio multo plus commodi posse redundare non tantum ad Ecclesias Reformatæ Christianæ Religionis in Hollandia & West-Frisia, quæ & multæ sunt & magnæ: sed etiam ad plures alias in vicinis regionibus, si is in Academia Leidensi degat: quemadmodum à Deputatis prolixe V. G. & Generosis fratribus vestris demonstratum est: hinc confidimus plane, Generositatem vestram fratrumque vestrorum deinceps non fore in morâ, quo minus prædicta illa vocatio effectum suum sortiatur: tum ad promovendum juxta sacrum Dei verbum regnum Domini nostri Jesu Christi: tum ad augendam amicitiam & vicinitatis consuetudinem quæ inter G. V. & istas regiones intercedit: quemadmodum id ipsum adhuc instanter & amice petimus, &c. Non dubitamus, quin V. Vestrorumque Fratrum Generositas rationem commodam inventura sit, qua prospiciatur Scholæ Ecclesiæque Steinfurtensi de alio aliquo idoneo Doctore. Attendimus etiam diligenter ad ultimum caput Epistolæ G. V. & sæpius jam nominatum D. Vorstium super iis quæ malevoli quidam tum in hisce regionibus, tum extra eas, contra ipsius mentem proposuerunt, prolixe audivimus, deque ipso nihil aliud intelleximus, nisi quod sincera in Deum pietate, rerum multarum scientia, & egregia rerum Theologicarum peritia, ac præterea etiam modestia aliisque virtutibus instructus sit, quæ in Doctore & Professore S. Theol. requiruntur: adeò ut nos in ipso acquiescamus. Hisce

Generose Comes, rogamus Dominum Deum omnipotentem, ut G. V. una cum Domina Matre & Fratribus Generosis in protectionem suam accipiat, inque omnibus benedicat divina sua beneficentia. Dat. Hagæ Com. die 19. Octob. Anno 1610.

Benevoli amici G. Vest.

Deputati Senatores Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ.

Ipsorumque mandato

A. DUYCK.

IↃC XXIII.

Ep. 613.

IↃC XXIII.

JOANNI UYTENBOGARDO

CONRADUS VORSTIUS S.P.

Reſponſio ad Epiſt. 164.

REverende Vir & Frater in Chriſto chariſſime: Satis acriter epiſtola tua me pupugit, & tantum non cor mihi lancinavit: Sed excuſo te libenter apud animum meum; quum mœroris tui cauſam, imo indignationis, juſtam ſat eſſe intelligam. Ais admodum dolenter, rumorem illic gliſcere de literis inter Oſtorodum & me miſſitatis; & quid hujus rei ſit vehementer ſcire deſideras. Agam igitur tecum ingenue, uti Chriſtianum decet, nec quicquam te celabo, cujus ullo modo mihi conſcius ſum. Tergiverſatione nulla utar, ſed tanquam in Dei conſpectu rem omnem edifferam. Principio fateor aperte (nec ſemel apud alios amicos faſſus ſum) ante decennium ex Polonia virum nobilem Hieronymum Moſcorovium ad me ſcripſiſſe nomine Eccleſiarum illarum, quas Anabaptiſticas vel Samoſatenicas illic vulgo vocant, certumque hominem huc miſiſſe, qui mecum de profeſſione Theologica illic ſuſcipienda ageret. Accidit id anno ciↃIↃCI, menſe Majo. Reſpondi autem illo ipſo tempore, & quidem è veſtigio, prout in adverſariis meis ſummatim notavi, me vocationi huic aſſentiri non poſſe, tum quod non idem cum ipſis de doctrina ſentirem: tum quod honeſtam hic ſtationem haberem, in qua cœleſtem veritatem, quatenus mihi cognita eſſet, ſat libere profiteri poſſem. An Oſtorodius eo ipſo tempore quidquam ad me ſcripſerit, & numquid ego ipſe reſcripſerim, neque affirmare neque negare certo poſſum. Illud ſancte coram Deo teſtor, me nec autographum, nec apographum ullum ſive literarum tunc ab illo miſſarum, ſive reſponſi mei, inter ſchedas meas poſt diligentiſſimam inquiſitionem invenire potuiſſe: ſed nec memoriam ullius ejuſmodi ſcripti aliquam mihi ſupereſſe. Si quid hujus generis fuit, ab aliquo Sathanæ emiſſario clam mihi ſurreptum eſſe oportet. Sed quicquid ſit, ego nihil unquam pro meo agnoſcam, quod non mea ipſius manu demonſtratum fuerit. Vocatum me ab illis fuiſſe (& quidem ſemel tantum, anno jam dicto) nunquam negabo. Vocationem etiam ſubito à me recuſatam fuiſſe, nunquam ii ipſi negabunt, qui vocarunt, ſi modo viri boni ſunt; & quidem recuſatam ob utramque cauſam ſupra dictam. Quis autem ego ſum, qui quo minus alii me vocent (licet etiam hæreticiſſimi) prohibere poſſim? Id potius in laude à noſtris ponendum erat, quod, qua hora vocatum me eſſe ab exoticis illis intellexi, eadem præciſe vocationem repudiavi. Qua de re legatus ipſorum, ſi modo vivit & verum dicere voluit, abunde teſtabitur. Illud vero mihi falſo impingitur, hanc recuſationis cauſam in reſponſo meo prætenſam fuiſſe, quod *exiſtimarem* (ut ais) *me illis operam longe utiliorem hiſce in locis navare poſſe, alioquin aperte in ipſorum caſtra tranſire paratum*, &c. Nihil enim tale in adverſariis meis invenio, ubi ſummam reſponſi mei annotavi: imo contrarium illic invenio, me videlicet ipſorum doctrinæ aſſentiri per omnia non poſſe, & propterea imprimis hanc ipſorum vocationem repudiare. Fingamus tamen aliquid ſaltem ſimile tunc à me ſcriptum fuiſſe: an non æquitas ipſa poſtulat, ut mea ipſius declaratio ſuper hiſce qualibuſcunque verbis audiatur? Sic autem ipſe mentem meam in hoc caſu declaro: Me nunquam ipſorum doctrinæ per omnia ſubſcripſiſſe, aut ſalva conſcientia ſubſcribere potuiſſe: quædam tamen in ea, ex quo cognoverim, ſemper approbaſſe, quæ ſcilicet ad ſtudium pietatis maxime facere videntur: v. gr. illa quæ neceſſitatem ſimul & poſſibilitatem Chriſtianæ pietatis confirmant; eoque partim cum abſoluta illa & fatali Dei prædeſtinatione, & irreſiſtibili hominis converſione, partim cum præciſa Satisfactionis Chriſti neceſſitate, aliiſque id genus opinionibus, apud noſtros vulgo receptis, non obſcure pugnant. De his, inquam, dogmatibus quædam ab illis rectius tradi, quam à noſtrorum nonnullis, & tunc exiſtimavi, & adhuc exiſtimo. Et horum capitum reſpectu me cauſæ illorum in hiſce locis patrocinaturum forte promiſi. Dico, forte; quia per conſcientiam nihil certi de ejuſmodi promiſſo teſtari poſſum. Si quod tamen exſtiterit, non niſi cum ea, quam dixi, limitatione intelligi par eſt. Nam de S. Triade, & ſimilibus fidei capitibus, ullum me doctrinæ cum illis conſenſum coluiſſe, nunquam citra calumniam probabitur. Scio me bis terve ad Oſtorodum & alios in Polonia ſcripſiſſe, idque eo fine, ut libros ipſorum elicerem, quos alioqui nulla ratione nanciſci me poſſe animadvertebam. Quare fortaſſe etiam paulo civilius, aut lenius, quam pro voto & more quorundam zelotarum cum illis tunc agendum putavi, ut tempori ſimul & cauſæ ſervirem: hoc eſt, ea quæ cupiebam ſcripta facilius obtinerem, opinionesque ipſorum omnes hac ipſa ratione penitius cognoſcerem. Itaque & illa, quæ ſupra dixi, dogmata de prædeſtinatione, &c. in ipſis ſincere probavi, & de aliis nonnullis quæſita quædam ipſis propoſui, ut intima ipſorum ſenſa rimarer: denique fratres interdum ipſos obiter appellavi, puta, quoad communem Chriſtianiſmi profeſſionem: quo modo Auguſtinus, aliique Patres, antiquos hæreticos ſæpe fratres appellant. Sed totam ipſorum doctrinam neque antehac unquam approbavi, neque etiam nunc approbo. Quin etiam ex quo tempore voti mei compos aliquatenus evaſi, hoc eſt, libros quos volui pleroſque impetravi (ſiquidem meæ profeſſionis eſſe credi-

Ep. 623.

Ep.623. di omnia omnium ſectarum ſcripta perlegere ac dijudicare) ſtatim ab omni literarum cum ipſis communicatione obſtinui: adeo ut Oſtorodus ille, ſæpe jam dictus, ea de re ſolemniter apud amicos ſuos alibi in Weſtphalia degentes conqueſtus ſit, meque ſat acriter hypocriſeos & ſimulationis accuſaverit; teſtibus ejuſdem literis, quarum autographum apud me etiam nunc aſſervatur. Quum enim ex vocatione ſupra dicta, & aliis indiciis, abunde animadverterem, ipſos de meo in doctrina ſua conſenſu plus quam par eſſet ſibi perſuaſiſſe, meque hac ratione apud noſtros magis magiſque ſuſpectum effici, ſcriptionem omnem continuo abrupi, nec ullas ab annis jam bene multis literas ad ipſos miſi, vel ab ipſis ullas accepi. Ponamus igitur, aliquid forte liberius aut imprudentius, ante tot annos ad Oſtorodum aut alios à me ſcriptum fuiſſe (nam ipſorum ſive ad me ſive ad alios ſcripta, qualiacunque tandem ſint, præjudicare mihi non poſſunt) id tamen tanta temporis intercapedo, tamque conſtans mea in generali noſtrarum Eccleſiarum confeſſione perſeverantia, apud æquos rerum arbitros excuſare deberet, adeoque publica ſcripta mea, item quotidianæ lectiones & conciones omnem ſiniſtram de me ſuſpicionem delere jam pridem merito potuiſſent. Memini ego probe, quid Ampliſſimis DD. Curatoribus in profeſſione S. Theologiæ ſuſcipienda promiſerim, quoſque doctrinæ meæ cancellos ultro ipſe circumdederim, quum juxta verbum Dei S. Literis comprehenſum, & generalem Euangelicarum Confeſſionum Harmoniam, docturum me publice reciperem. Quod profecto ſalva conſcientia nec polliceri, nec præſtare poſſem, ſi doctrinæ illorum Exoticorum per omnia ſubſcriberem. Hic igitur pes figendus erat Ariſtarchis æmuliſve meis, ut promiſſum iſtud, DD. Curatoribus à me datum, vel inane atque illegitimum, vel ullatenus hucuſque à me violatum eſſe doceant; non autem quid olim Oſtorodus, aut ſocii ejus, ad me ſcripſerint, quidve iſtis ego tunc reſponderim, curioſe indagarent. Nam quicquid tandem utrimque ſcriptum antehac ſit, quam diu fidem DD. Curatoribus datam integre ſervavero (quod equidem Deo bono me juvante ſancte facere paratus ſum) tam diu bonos ac cordatos omnes innocentiam hac in re meam ultro agnituros eſſe confido; idque nominatim faſturos, non continuo Oſtorodianum eſſe, qui certis de cauſis ad Oſtorodum paulo familiarius forte ſcripſerit: Alioqui jam pridem etiam ad Jeſuitarum, imo quorumvis hæreticorum, adeoque incredulorum, ſectam non me tantum, ſed & plures Euangelicos alios aggregandos eſſe eadem ratione Ariſtarchi noſtri evincent; quum & literas & libros non ſemel ab illis acceperimus, & viciſſim iis humaniter ſæpe reſcripſerimus, interdum etiam quædam in ipſorum religione laudantes, & de aliis occultioribus amplius inquirentes, &c. Ep.624. Quiſquis hanc literarum, etiam familiarium ac liberius forte ſcriptarum, libertatem, inter doctos præſertim, ſublatam cupit, is novam tyrannidem in Eccleſia Chriſti reipſa molitur. Qui vero civilem & manſuetam illam, etiam cum teterrimis hæreticis, agendi rationem criminatur, inque ſiniſtræ ſuſpicionis materiam ſtatim convertit; is humanitatem ipſam ex hominum ſocietate tollere conatur, ſaltem quid charitas Chriſtiana poſtulet, quamque late ſeſe extendat, aliquatenus ignorare videtur. Habes univerſam rei hiſtoriam, vir reverende, unaque brevem apologiam meam. Quæ ſi tibi, aliiſque amicis, ut ſpero, ſatisfecerit, animique tui dolorem ac curas levaverit, bene erit. Sin aliud evenerit, tibique ipſi pravæ de me ſuſpicionis aliquid adhæſerit, æquo id animo (ut alia multa, quæ præter ſpem præterque meritum in hac vita nobis eveniunt) ferendum erit. Interim Deum ſupplex orabo, ut mei miſertus à malevolorum calumniis innocentiam meam aſſerat, voſque omnes ſpiritu ſapientiæ ſimul & fortitudinis inſtruat, ne talibus rumuſculis fracti, aut debilitati, bonam illam ſanctamque alioqui cauſam, quæ per meum latus his artibus à diabolo petitur, ullo unquam tempore deſeratis. Vale, vir eximie & frater in Domino colende, meque, licet aliis ſuſpectiſſimum, coram Deo tamen in hac cauſa innoxium, in Chriſti viſceribus amare pergito. Ita Deum tibi mihique propitium opto. Salutem officioſam fratribus omnibus adſcribo, iis præſertim, quorum nomine ſimul ad me ſcripſiſti, quibus etiam hoc reſponſum communicari peto. Steinfurti 20. Junii 1611.

IↃC XXIV.

NICOLAUS SEISTIUS

CONRADO VORSTIO S. P.

CLariſſime Domine Paſtor, reverende Vir. Lectæ & perlectæ ſunt tuæ ad Dominos Curatores & Conſules litteræ, quibus tibi aut publicum congreſſum cum Scoto iſto concedi poſtulas, aut ut via aliqua inveniatur qua proterviæ & impudentiæ iſtius hominis obviam eatur. Sed reſponſum ſuper hac re dilatum, donec totum negotium cum Dominis Deputatis Ordinum & Domino Advocato deliberaverint. Interim video diſputationem publicam non poſſe concedi, tum quia illud obnoxium foret plurimis calumniis, tum quod non liberum foret, aut ſaltem non à periculo tumultus qui hinc in populo oriretur, tum etiam quod non eſſet è dignitate Academiæ nec exiſtimatione tuæ Amplit. ad ſtrepitum alicujus peregrini nebulonis tantum tribuere. Famam tuam interea ſcito Dominis Curatoribus

Ep.625. bus & Conſulibus perquam eſſe commendatiſſima: ſed quod non omnia poſſint quæ volunt ad audaciam nebulonis depellendam. Cauſa eſt malitia illorum hominum, quos noſti, & ignorantia aliorum quos prætextu Religionis faſcinant: prætereo rationes quaſdam politicas, quibus ſpe melioris eventus pro tempore eſt indulgendum. Mitto apocham noſtri quæſtoris, cui velim ſubſcribas, & ipſus venias, vel uxorem vel alium mittas ad argentum recipiendum, vel ſi mavis ad me remittas, ut illud quamprimum ad te una cum uxore deferam. Si huc advolaveris ad nos velim divertaris. Adventus gratiſſimus erit: idem facturus ego, ubi Goudam venero. Hiſce tuam Amplitudinem una cum uxore & reliqua familia Deo Opt. Max. commendabo & me precibus apud illum tuis. Salutabis meo & uxoris nomine uxorem tuam. Leydæ 12. Auguſt. 1612.

Tuæ Amplitudinis Studioſiſſimus

NIC. SEISTIUS.

IↃC XXV.

JOANNES UYTENBOGARDUS

CONRADO VORSTIO S.P.

Reliqua. REverende Vir, tuas cum adjunctis ſcriptis accepi, & cum guſtu legi. Ferent fructum ſuo tempore. Horrorem incuſſerunt Aphoriſmi illi Piſcatorani. Sed depuduerunt iſti homines. Apud tuum illum perfugium nobis non eſſe jam video. Statutum erat in patriam tuam, quæ & uxoris meæ eſt, migrare: Sed poſt captum Moersbergium, id iter amicis omnibus diſſuadentibus, mutavi conſilium. Jam hic aliud habeo hoſpitium valde incommodum. In Galliam cogito, ita ſuadentibus pleriſque: invaletudo tamen & aëris rigor, præter alia quædam impediunt quo minus me itineri commiſerim. Decrevi huc hærere, ſi poſſum, ad menſem, poſtea facturus quod ex uſu erit. Undique mihi ſtructæ inſidiæ. Perſequuntur canem mortuum. Aveo ſcire quid CCtus. novi de te. Seriò ſatis D. Epiſcopio & Nicolao de tuis rebus ſcripſi: non auſus palam omnibus qui ibi una ſunt, quod pleronumque ingenia minus ſint nota. Factum fratres quod poterunt & licebit, liberabuntque, ſat ſcio, conſcientiam. Parum tamen poterunt pro te, qui pro te nihil poſſunt, quod ipſe facile vides. Vides ubique tyrannidem, cui nil quod opponi poſſit à te, à me, ab aliis, video præter ſcutum fidei & patientiæ. Magna in nos ira Divina, major tamen in illos qui nos affligunt. Nobis erit relaxatio, illos horrenda manet pœna tum cum apparebit Chriſtus: forte & antea. Sed iſta permittenda illius judicio. De bonitate cauſæ plene ſum perſuaſus: at dubito aliquando de quibuſdam aliis, non ſine gravi luctu. Utinam liceret colloqui ad trihorium vel quadrihorium tantum! Sed hoc non concedit modo Deus. Coactus hic fui mutare hoſpitium, & quod jam habeo, valde incommodum, ſum ignotus apud hominem ignotum, & quidem ſolus. Quid agam? Hæc eſt Domini voluntas, cui abſit ut refragari velim. Dura tamen conditio, & cum quavis alia commutanda, niſi obſtaret religio & conſcientia. Quod petis, manebit, per Dei gratiam, amor nempe ardens & conſtans ex mea ſaltem parte: de altera dubitare nolo. Sed nimis ſejuncti ſumus. Laborandum ut jungamur propius. Quo ſedem transferre cogitem, jam dixi ut te hic conſilio juvem, non habeo, ipſe conſilii expers. De iis quæ me ex D. Nicolao intellecturum putabas, vid. quid ad CC. ſcribere decreveras, non monuit. Prodeuntne hæc tua ſcripta publice? Utinam! Pluris tum fient ab exteris. Vellem tecum eſſe Hamburgi. Ex Gallis eò haud difficulter migrare poſſem, ſi te & alios ibi eſſe intelligam. An conſultum tibi ſit ad Synodum ire, etiam vocato, admodum ambigo. Si vis ire, da operam probe caveatur. Tun' tibi aliquid boni ſperes ex iſto conventu! Nulla confeſſio tua ſatisfaciet. Habebis ibi hoſtes acerrimos. Precari Dominum non deſinam ut tibi adſit tuo ſpiritu & confirmet cœlitus. Conſilium de conventu habendo omnium jam ante probaveram, & probo etiam nunc. Non habeo quod addam, niſi hoc unum, inſtandum precibus. Vale vir R. idemque mihi colendiſſime: ſalveat uxor tua, & fratres qui ibi ſunt fidei bonæ. 4. Mart. 1619. Ep.626.

Abs T. R. addictiſſimus

J. UYTENBOGARDO.

IↃC XXVI.

NICOLAO van SORGEN

CAROLUS NIELLIUS S.P.

MOnſieur. Vous nous avez tous grandement obligez par l'advertiſſement que nous avez donné, touchant la charge, qu'avoyent Meſſieurs les Commiſſaires des Eſtats Generaux, de nous propoter la volonté & deſir de leurs Seigneuries. Nous avons par voſtre benefice eu le loiſir & commodité, de conſulter & deliberer ſur ce qui ſeroit le plus expedient de leur reſpondre. Le conſeil que nous avez benignement departi, eſtoit voirement bien conſiderable, comme fondé ſur pluſieurs raiſons d'importance: auſſi l'avons nous diligemment balancé & pezé de pres. Et ſommes convenus de le vouloir ſuivre ſi avant, qu'en eut que leurs Seigneuries nous euſſent propoſé un commandement abſolu de nous abſtenir de tout exercice de Miniſtere, avec promeſſe qu'en ce faiſant on pourvoiroit a noſtre entretenement, nous nous euſſions

teu

Ep.626. teu la deſſus, ou meſmes dit, qu'eſtions enclins a ſuivre ce commandement, autant qu'il nous ſeroit poſſible de ce faire, ſans navrer nos conſciences. Mais maintenant ils y ſont allez d'une autre methode, & nous ont premierement dit, que Meſſieurs les Eſtats Generaux eſtoyent enclins de pourveoir benignement a noſtre entretenement, pourveu que nous nous obligaſſions par promeſſe expreſſe, de n'exercer en ces pays aucun acte de Miniſtere: mais de nous comporter purement comme perſonnes privées, ſans preſcher, ni faire aucune admonition en aſſemblee petite ou grande. Voire ſi avant qu'ils ont propoſé a Monſieur le Profeſſeur, qu'il ne pourroit eſcrire ni en forme de traicté, ni par lettres ou miſſives particulieres pour confirmer les perſonnes en la verité, & deſcouvrir le menſonge. Telle promeſſe nous a ſemblé illicite, deshonnorable, & ſcandaleuſe a toute l'Egliſe de Dieu, & qui feroit paroiſtre a tout le monde, que la verité celeſte nous eſt vile & de bien petit prix, ſi pour un morceau de pain, a la premiere offre qu'on nous faict de continuer noſtre traictement, nous nous aillions obliger d'enfouir en terre les peris talens que le Fils de Dieu nous a departis, pour l'edification de noz prochains & l'advancement de ſa gloire; leſquels auſſi nous ſcavons fort bien qu'il redemandera au jour du jugement avec ſurcroiſt & uſure, & qu'il fera jetter & tenebres eternelles le ſerviteur inutile, qui a envelopé ſon marc en ſon mouchoir & enfoui ſon talent en terre. Selon noſtre petit advis, nul fidele Miniſtre ne doibt & ne peut faire telle promeſſe, quand meſmes il y auroit le danger tout evident d'une mort preſente devant ſes yeux. Non ſeulement les Apoſtres, qui premierement ont fondé l'Egliſe Chreſtienne, mais auſſi leurs ſucceſſeurs, Miniſtres ordinaires, n'ont point attendu que les Empereurs leur permiſſent d'annoncer la verité, mais en tel cas ont dit tout reſoulument, qu'il faloit pluſtoſt obeir a Dieu qu'aux hommes. S'ils euſſent voulu ſubir le joug d'une telle obligation, la plus part d'iceux n'euſſent eu aucun beſoin de rien ſouffrir. Et ne ſcaurions faire plus grand ſervice a nos adverſaires, & mieux eſtablir leur nouvelle tyrannie qu'ils ont en teſte, que par telle voye. Car ſi le peuple, qui a quelque gouſt de la verité, appercevoit que nous oſons bien promettre de ne la point preſcher, pourquoy s'eſtimeroit il obligé de l'eſcouter? Nous ſcavons aſſez, que la plus grand part de la commune eſt compoſée de gens fort infirmes, & leſquels ne ſubſiſteront guerres, s'ils ne ſont fortifiez ou par nos admonitions, ou par noſtre conſtante patience, laquelle couſtumierement edifie davantage que les predications: n'ayant point eſté dit ſans cauſe, que les ſouffrances des Martyrs ſont la ſemence de l'Egliſe. Pour ces raiſons & pluſieurs autres, nous avons eſtimé que telle promeſſe ne ſe pouvoit faire par nous, ſans nous obliger en Ep.626
effect de deſobeir a noſtre Sauveur Jeſus Chriſt, pour obeir aux Magiſtrats terriens. Ainſi ayans eſté appellez le vendredi au ſoir, tous, l'un apres l'autre, devant Meſſieurs les Commiſſaires, accompaignez de tous les Deleguez, noſtre reſponſe, ores que diverſe en paroles, a eſté toutesfois uniforme en ſubſtance, aſſcavoir, qu'eſtions deſireux d'obeir a Meſſieurs les Eſtats en toute choſe licite & poſſible: mais que ne pourrions, ſans bleſſer griefvement noz conſciences, faire telle promeſſe qu'on demandoit de nous. Monſieur Leo ſeul s'eſt laiſſé gliſſer plus avant qu'il ne debvoit, ayant dit ſans reſerve, qu'il obeiroit aux commandemens de Meſſieurs les Eſtats. En quoy il euſt mieux faict a noſtre advis, d'enſuivre la ſaine magnanimité de Daniel le Prophete, lors qu'on luy fit commandement de ne point prier Dieu en trente jours. Auſſi eſt il grandement blaſmé par tous les plus gens de bien, tant de ceſte ville que par tout ailleurs. Et au contraire nous entendons de tous coſtez par les lettres qu'on nous eſcrit, que le refus qu'avons faict, de prendre argent a telle condition, a grandement edifié par tout noz Egliſes. Le ſamedi au matin on nous a demandé pour une deuxieſme fois, ſi nous perſiſtions en noſtre reſponſe du jour precedent. Laquelle auſſi on nous a faict ſouſſigner de noz mains, avec quelques propos qu'avons adjouſté pour confirmation. Cependant avons declaré que de tout noſtre pouvoir nous deſtournerons le peuple de tous conſeils turbulens, & empeſcherons tout ce qui pourroit tendre a tumulte & ſedition. L'apreſdinée du meſme jour, on nous a faict comparoiſtre la troiſieſme fois, & on nous a propoſé divers interrogatoires, principalement ſur ce qui touche l'aſſemblée tenue à Rotterdam. La ſomme de noz reſponſes a eſté, que la reigle de noſtre parler & taire, n'eſt point ſeulement la verité, mais auſſi l'egard qui devons avoir a la gloire de Dieu & a l'edification de nos prochains. Et pourtant qu'il ne nous eſtoit point permis de rien dire qui fuſt prejudiciable a l'un, ou contraire a l'autre. J'ay dit particulierement, qu'a Couloigne, l'Egliſe reformée a ſubſiſté plus de cinquante ans en la ville, contre toutes ordonnances & placarts des Magiſtrats. Que pluſieurs Miniſtres & autres avoyent eſté priſonniers avec menaces de toutes ſortes de tortures, pour tirer de leur bouche la connoiſſance des Anciens & conducteurs de l'Egliſe. Mais que juſqu'a preſent les noſtres avoyent conſtamment refuſé d'employer leur langue au detriment de la gloire de Dieu, & contre la charité deuë a leur prochain; & que les martyrs du temps paſſé par nuls tourmens n'avoyent peu eſtre induicts de deſcouvrir quelque choſe, qui ſervit a mettre leurs freres en danger. On me demanda, ſi je voulois accomparer Meſſieurs les Eſtats

au

Ep.626. au Magiſtrat de Couloigne. Je dis, que le Magiſtrat de Couloigne eſtoit legitime, & avoit authorité en ſa ville, comme Meſſieurs les Eſtats en leurs Provinces, ſur tout, quand leurs mandemens ſont authorizez de la part de l'Empire : & qu'eux auſſi penſoyent defendre l'ancienne Religion Catholique, auſſi bien que Meſſieurs les Eſtats croyent defendre la vraye Religion Reformée ; qu'il ne falloit en matiere de pieté, rendre ni aux uns ni aux autres une obeiſſance aveugle ou abſolue, mais ſelon Dieu & ſa parole. Sur quoy rien ne fuſt replicqué davantage. Auſſi ſcait on aſſez que Tibere eſtoit Empereur Romain, lorſque la verité prononça ceſte belle ſentence: *Donnez a Ceſar ce qui eſt a Ceſar, & a Dieu ce qui appartient à Dieu.* La vertu ou vice ne donne ni n'oſte point l'authorité au Magiſtrat: & un enfant eſt tenu d'obeir a un meſchant pere, pourveu que ſon commandement ne ſoit point contraire a la pieté ou juſtice. Nous ſouhaittons fort qui noz treshonnorez freres, Borræus & Thombergius, puiſſent demeurer fermes a ne rien declarer, qui ſoit dommageable a noz freres, ou prejudiciable a la bonne cauſe que maintenons. Car quand on vient a deſcouvrir cy ou la un poinct, qu'on eſtime peu important, le Magiſtrat pouſſera touſiours plus outre, & tout ce que ferez difficulté de deſcouvrir, ſera tousjours tenu pour veritable. L'Egliſe de Couloigne ne fut jamais en plus grand danger, que lors qu'un certain membre de l'Egliſe, empriſonné pour avoir tenu aſſemblée en ſa maiſon, alla deſcouvrir celuy qui avoit appellé les gens pour venir au preſche: lequel fut contrainct de s'enfuir avec grand peril de ſa perſonne & avec perte de tous ſes biens, qu'il avoit en la ville. Et le meſme priſonnier fut par apres plus preſſé qu'au paravant. Car quant il s'excuſoit ſur ſa conſcience, on luy demandoit, pourquoy il eſtoit plus conſcientieux a deſcouvrir l'un que l'autre? de ſorte que ceſte ſienne craintiveté trop grande mit tous les gens de bien en extreme peine. Pourtant nous vous prions Monſieur avec autant d'affection & d'inſtance qu'il nous eſt poſſible, de conſeiller a ceux qui pourront eſtre mandez devant les Magiſtrats, de tenir pied ferme la deſſus, que c'eſt forcer les conſciences, de vouloir contraindre les perſonnes a deſcouvrir ce dont en croyent la connoiſſance ou manifeſtation eſtre prejudiciable a la gloire de Dieu, ou contraire a la charité qu'on doibt au prochain. Que ſi les Magiſtrats diſent telles aſſemblées eſtre prejudiciables a l'Eſtat, & pourtant qu'un chacun eſt tenu d'en deſcouvrir ce qu'on luy demande: la reſponſe eſt toute preſte: que d'ancienneté les Empereurs & Republicques ont tousjours pretendu, que les aſſemblées des Chreſtiens & fideles eſtoyent prejudiciables a l'eſtat, mais qu'on leur a bien ſceu monſtrer le contraire, en leur prouvant, que violenter les conſciences eſt la choſe la plus contraire au bien de l'Eſtat. Or n'eſt ce pas ſeulement forcer les conſciences, quand un Magiſtrat commande de faire ce que la perſonne croit eſtre defendu de Dieu: mais auſſi quand il veut qu'on laiſſe en arriere ce qu'on croit eſtre commandé par l'authorité divine de Chriſt & de ſes Apoſtres. Mais je prens un labeur ſuperflu de vous vouloir monſtrer, ce qu'entendez aſſez de vous meſmes. Nous vous ſupplions tous treshumblement vouloir employer toute diligence poſſible, pour entendre & nous advertir de ce qui ſe paſſe par de la en noſtre faict. Vous le pourez faire ſeurement & commodement par le porteur de la preſente. Monſieur voſtre frere dernierement n'a point voulu recevoir de nous les frais de ſon voyage, qu'il avoit faict pour nous apporter voſtre plus que treſagreable lettre. Nous avons trouvé equitable de vous en rembourſer, & vous envoyons a ceſte fin ce que trouverez icy enclos. Vous remercians treshumblement de la peine que prenez pour nous, & de l'affection cordiale & ſincere, que portez a la ſaincte cauſe que ſouſtenons, & a noz perſonnes. Endroict ou finirons la preſente par noz humbles & treſaffectionnées recommandations a voz bonnes graces, & de Mad^le. voſtre Conſorte, & de tous les bons amis de pardela, prians Dieu, Monſieur, qu'il vous conſerve avec tous les voſtres en longue proſperité. De Dordrecht ce de May 1619. Ep.627.

Voz treshumbles & affectionnez
Freres & Serviteurs

Les Miniſtres citez au Synode National de la part des Remonſtrans, & au nom d'eux tous

CHARLES de NIELLES.

IↃC XXVII.

NICOLAO van SORGEN

CAROLUS NIELLIUS S.P.

De libertate conſcientiarum.

MOnſieur. La voſtre treſagreable du premier de ce mois nous a eſté fort bien delivrée, qui nous faict paroiſtre de plus en plus l'affection ſincere & ardente, que portez a la vraye doctrine de pieté, & auſſi a la liberté de conſcience, acquiſe ſi cherement & au prix de tant de ſang en ces pays: & l'eſtime de laquelle eſt tellement gravée es cœurs de tous bons patriots, que ceux meſmes qui la veulent renverſer, & ramener une nouvelle tyrannie en matiere de religion, ne l'oſent faire ouvertement, ayans peur que leur intention ne ſoit apperceue & deteſtée de tous ceux, qui n'ont point encor perdu toute memoire des choſes

Digitized by Google

Ep.627. paſſées. C'eſt pourquoy on nous a touſiours dit au Synode tant par la bouche du preſident Eccleſiaſticq, que par les Seigneurs Deleguez, que Meſſieurs les Eſtats ne contraindroyent point noz conſciences a croire ce que le Synode ordonneroit. Grand benefice; & du quel nous les devons bien remercier: comme ſi homme du monde me pouvoit contraindre a croire ce que je ſçay eſtre faux: & comme ſi on ne ſcavoit pas de quel bois ſe chauffe ce bon preſident, qui en ſa preface ſur le livret de Beze touchant la punition des heretiques, travaille tant a recommander les pernicieuſes maximes de tuer les gens de bien pour leurs opinions, leſquelles auſſi il veut que noz Magiſtrats mettent en œuvre contre les pauvres Anabaptiſtes, quand bien les villes devroyent eſtre rendues ſolitaires, & privées de toute trafficque. Mais graces a Dieu que les Magiſtrats ont eſté juſqu'a preſent meilleurs Chreſtiens, & plus adviſez en ces matieres, que luy & tous ſes ſemblables; qui ne ſe ſervent de la religion, que pour un inſtrument de leur authorité, de leur avarice & commodité, voulans qu'on refute les argumens de tous ceux qui n'adorent leurs imaginations, avec le glaive du bourreau, afin que leurs paſteurs n'ayent point la peine de mieux inſtruire les perſonnes errantes par l'Eſcriture ſainte. De meſme ſource procede, qu'on allarme la lie du populas contre tous ceux qui ont ſentiment contraire, qu'on les faict huer ſur les rues, qu'on les expoſe a la merci d'une canaille de ville, ſans que ces bons paſteurs les en reprennent, ou leur remonſtrent combien telles vilenies ſont contraires a toute Chreſtienté. Dieu fera connoiſtre ſans doute en ſon temps, de quel eſprit ces gens ſont menez. Cependant nous ne pouvons mieux faire, que nous armer de vraye patience, avec prieres a Dieu, & humbles requeſtes & remonſtrances a ceux qui peuvent & doivent remedier a tels deſordres. Auxquels auſſi me ſemble, ſauf meilleur advis, qu'il ſeroit expedient de bien faire entendre, que les conditions qu'ils propoſent a ceux de noſtre ſentiment, ne peuvent ſubſiſter avec la liberté de conſcience, qu'on dit nous vouloir laiſſer. De tout temps la vraye Egliſe de Dieu a eu commandement de s'aſſembler, de prier Dieu & le louer en commun. Non ſeulement les Apoſtres qui ont mis le fondement de la Chreſtienté ont tenu les aſſemblées avec danger de mort, mais ils ont faict conſtituer par tout des Paſteurs & Anciens ordinaires en leurs places, ou ils avoyent ja conſtitué les Egliſes, & nous ont commandé de tenir ceſt ordre en l'Egliſe juſques a la venue de Jeſus Chriſt. Ont ordonné quelles perſonnes il faut choiſir pour Paſteurs & Anciens, & Diacres, leur ont preſcrit leurs charges. Leſquelles les plus proches ſucceſſeurs des Apoſtres ont exercées conſtamment au milieu des plus aſpres perſecutions, entre les feus & les glaives des bourreaux. S'il eſtoit licite a un chacun de vivre ſans exercice commun de religion & de pieté, il appert que Polycarpe, Irenée, Cyprian & tant d'autres fideles martyrs & grands perſonnages, euſſent faict folement d'encourrir danger de mort, pour choſes non neceſſaires, & leſquelles ſans offenſer Dieu ils euſſent peu voire deu laiſſer en arriere, puis que les edits des Princes les leur defendoyent, auxquels on eſt tenu d'obeir en toutes choſes hortes. Et ſoit qu'on commande aux fideles de faire ce que Dieu defend, comme aller a la meſſe, invocquer les Saincts, commettre idolatrie, ſoit qu'on leur defend de faire ce que Dieu commande, comme de s'aſſembler, pour prier Dieu, le louer en compaignie de pluſieurs, s'entr'inſtruire & s'entr'edifier les uns les autres & s'entrefortifier en la vraye pieté. L'on eſt auſſi bien contraire a la liberté de conſcience que l'autre; puis qu'il ne ſuffit point pour eſtre ſauvé, de laiſſer le mal, mais il faut auſſi faire le bien. Et n'a de rien ſervi au mauvais ſerviteur, qu'il n'avoit point gaſpillé ſon talent avec les yvroignes ou paillardes, mais il a eſté condamné pour n'avoir rien faict de bon avec iceluy, & l'avoir rendu a ſon maiſtre tel qu'il l'avoit receu. Et toute l'Eſcriture ſainte nous dit, que non ſeulement les mauvais arbres, ſarment, figuier &c. mais auſſi tout arbre ſterile qui porte point bon fruict, le figuier qui occupe la place inutilement &c. ſeront coupez & jettez au feu. Et qu'eſt il beſoin de beaucoup d'autres raiſons. Ceux qui procurent aujourd'huy qu'on nous defende noz aſſemblées, ont ils penſé d'avoir liberté de conſcience, lors que la Gouvernante de Parma leur donnoit congé de ne point aller a la meſſe? nullement. Si long temps qu'on ne leur a point donné liberté de s'aſſembler & d'avoir leurs preſches: Si long temps qu'on ne leur a point otroyé liberté d'exercice, ils ont crié que c'eſtoit tyrannie & forcer les conſciences. N'ont ils pas belle raiſon donc, que quand ils font le meſme a d'autres, de ſe vanter qu'ils leur donnent liberté de conſcience? en ceſte façon ce qui eſtoit hier tyrannie ſera aujourd'huy liberté. Je n'eſcri point ces choſes pour vous, Monſieur, qui n'en avez aucun beſoin, mais ſeulement pour avoir voſtre advis, s'il ne ſeroit point expedient, que noz Egliſes remonſtraſſent humblement a Meſſieurs les Eſtats & a ſon Excellence, qu'on abuſe leurs Seigneuries, leur faiſant croire, qu'en nous privant de tout exercice publicq ou exterieur de religion, on nous laiſſe liberté de conſcience. Si les premiers Chreſtiens ſe fuſſent contentez de telle liberté, la pluſpart des Empereurs Romains les euſſent facilement laiſſé en paix. Car on ne faiſoit rien a ceux de la ſecte d'Epicure, qui n'invoquoyent point les Dieux, mais ſe tenoyent ſans aucun exercice de ſuperſtition payenne. Et peut

Ep.627.

eſtre

Ep. 627. estre que si son Excellence scavoit, que telle defence est conjoincte avec vraye contraincte de conscience, il ne voudroit point se charger de ceste tache tant odieuse au naturel de tout ce pays. Avec ce que nous nous asseurons, qu'on ne subsistera point la, mais que peu a peu on ira plus avant, comme les livres de Teelink, de Bogermannus, & la conclusion des Canons donnent assez dequoy appercevoir ou c'est que les bons Peres Synodaux pretendent. Au reste nous vous remercions tous infiniment de vostre bon zele que portez a la cause de Christ & de sa verité. Mais sommes marris que vostre excez de bienveuillance, vous rend voz peines dommageables. Nous tous portons plus facilement tels despens que vous seul, & par ce moyen vous nous ostez la hardiesse de vous requerir d'avantage de nous faire plaisir, parce qu'aurons crainte de vous charger de despens; a quoy nous vous prions de permettre qu'apportions equitable remede. Depuis le partement de Messieurs les Commissaires, n'avons du tout rien entendu de certain de noz affaires. Les Peres du Synode sont tous en allez, aussi Messieurs les Deleguez. On faict courir le bruict, qu'es lettres de convocation de l'assemblée des Provinces, il y auroit un poinct, touchant ce qu'on fera des quinse Remonstrans arrestez a Dordrecht. En somme, nous demeurons arrestez icy, retenus en une facheuse incertitude de ce qu'on voudra faire de nous. Mais le bon Dieu est puissant & bon pour nous fortifier de patience, & nous donner heureuse issuë de toutes noz difficultez. Je le prie

Monsieur, vous conserver avec toute vostre famille en longue prosperité, vous comblant de ses benedictions plus salutaires. Je me recommande avec tous les freres d'icy treshumblement a voz bonnes graces, & de Madame vostre compaigne, comme aussi de Monsieur Herboldus, & de tous autres amateurs de la verité salutaire. En poste de Dordrecht ce de Juin 1619.

Vostre treshumble Frere & affectionné Serviteur

CHARLES de NIELLES.

Monsieur J. Uytenbogaert vostre grand amy, nous a escrit une ample lettre, en laquelle il approuve fort ce qu'avons faict, & nous prie de saluer tous les bons amis, entre lesquels vous estes des premiers.

IↃC XXVIII.

JOANNES UYTENBOGARDUS CONRADO VORSTIO S.P.

Ecclesiastica. REverende Domine, frater in Christo dilectissime, cum horrore & fremitu legimus decretum Ordinum Hollandiæ in T. R. latum, quo sententia Synodi, nobis æque ac T. R. invisa, à cœcis Proceribus executioni mandatur. Cœcos voco, quod non putem rationes Synodicas ab illis fuisse examinatas, sed existimem semel decretum esse exequi omnia statuta Synodica, etiam non perpensis & cognitis rationibus. Tuas etiam accepi litterulas, quas & Dæmonico nostro communicavi, qui mecum dolet & indignatur vehementer super hac agendi ratione iniquissima. Sed quid agas? hæc fors T. R. nobiscum communis est. Furit mundus & præcipitem se dat in omnem impietatem & injustitiam: signum imminentis mutationis: an in pejus, vel in melius, novit Dominus: qui interea suorum curam geret, & in ira misericordiæ recordabitur. Libellos ad Principem & Ordines obtulisti? cui bono? Quàm etiam T. R. colloquium appetamus vehementer, fuse non ita pridem ad te perscripsimus, simulque ad id, de sede figenda alicubi, respondimus. Utinam secreto omnino & clam huc ire & redire T. R. liceat! Secreto & clam, alioqui re non careret periculo, sive hinc si resciscant hi T. R. hic esse: sive illinc, si post reditum subodorentur illi te hic fuisse. Hinc Hamburgum, intacta Provincia illa transire non licet, nisi curru per Westphaliam, longo, molesto & sumptuoso, adde etiam periculoso, itinere, vel navigio ex portu Duynkerckensi vel Ostendano, unde nobis solvendum erit, si eo recipere nos coacti fuerimus. Non puto nos hic hyematuros, nec satis tutum nobis hic fore locum. Putamus tamen nos brevi aliquid certi statuere posse, nempe ubi relata ad nos fuerit sententia, in fratres nostros Dordracenos vel lata jam, vel mox ferenda: quæ utinam potius in exilium, quam in perpetuum vel diuturnum carcerem finiat! Tum ad T. R. perscribemus quid animi nobis, & ubi stationem quærere decretum sit. Hic difficulter te sympolitem habituri sumus, alibi vero habere posse & speramus & optamus. Consulimus ad profectionem omnia tua componas, interea consilia amicorum undequaque exquiras, nobisque amplius de mansione, vel profectione instituenda, cogitandi spacium des. Vale Reverende frater in Christo Jesu Domino nostro, cui te, familiam, nos, nostra omnia commendamus. 6. Julii 1619.

T. in Domino observantissimi

J. UYTENBOGARDUS.
NIC. GREVINCHOVIUS.

Ep.629.

IↃC XXIX.

CAROLUS NIELLIUS

NICOLAO van SORGEN S. P.

LA treſamiable viſite, les recommandations cordiales apportées de voſtre part, & la longue preſence du Sr. & ſingulier ami, porteur de ceſte, nous ayant eſté treſagreables, & ayant fort recrée nos eſprits en ce facheux exil, que nous ſouſtenons pour avoir voulu garder nos conſciences entieres; nous ne l'avons pour laiſſer retourner chez vous, ſans le charger de ce mot, pour vous declarer, combien nous gardons entiere, & combien nous eſt precieuſe la ſouvenance de l'amour ſincere, que portez a la verité ſalutaire de noſtre Sauveur Jeſus Chriſt, & de la conſtante & perpetuelle affection, qu'a cauſe d'icelle vous avez par pluſieurs effects demonſtré envers nos perſonnes. Tant s'en faut que l'opprobre, la haine du monde, les incommoditez & perſecutions, qui nous preſſent de tous coſtez, ayent amoindri voſtre dilection fraternelle, & ſaincte ſollicitude que portez pour nous, qu'au contraire, c'a eſté depuis nos adverſitez, que vous avez embraſſé de plus pres & renforcé l'amitié envers tout noſtre corps, & un chacun membre d'iceluy en particulier: à quoy certes n'avez peu eſtre incité par aucune conſideration de la chair, ou du monde, (tels conſeillers vous euſſent faict prendre un chemin purement contraire) mais par l'honneur tant ſeulement & amour que portez a ceſte noble verité, laquelle d'eſclaves de ſathan, nous peut faire domeſticques de Dieu, voire ſes enfans, voire un avecques luy. C'eſt celle la qui nous conſole, & laquelle eſtant fille du Souverain, heritiere de l'eternité, & ayant ſon origine du ciel, eſt eſtrangere en ce monde, & pourtant inconnue, malvoulue, & par la ſage permiſſion de Dieu, bien ſouvent mal traittée par le Prince de ce monde & par ſes ſuppoſts, qui ſouvent par beaux tiltres & vaine hypocriſie ſe changent en anges de lumiere, mais par leurs fruicts, & œuvres de tenebres, ſe diſcouvrent aſſez a tous ceux qui aiment la verité, & deſirent faire la volonté de leur Pere celeſte. Cependant nous ne laiſſons pas de ſentir & apprehender les difficultez qu'il y a en ce combat, & combien noſtre chair eſt foible ores que l'eſprit ſoit prompt. Pourtant avons nous grand beſoin de nous entrencourager & fortifier les uns les autres. Ce que nous nous ferions, & plus ſouvent & plus amplement & ſerieuſement tant envers tout le corps de nos Egliſes, qu'envers les membres d'icelles en particulier, ſi nous eſtions un bien peu en un eſtat plus ſtable, & en une place plus libre, & moins expoſée a toutes ſortes de dangers. Ce que nous eſperons Dieu aidant obtenir de brief. Et lors ne faudrons d'employer autant qu'il nous ſera poſſible, tout ce qu'il plaira au Seigneur nous donner de moyen & de force, pour edifier tous nos freres & ſœurs en la vraye pieté, & eſpandre l'odeur d'icelle par toute la Chreſtienté ſi avant que faire ſe pourra. Ce qu'attendant, vous ne prendrez point de mauvaiſe part, ſi nous oſons humblement requerir, qu'il vous plaiſe avoir recommandée noſtre bonne cauſe en vos plus ardentes prieres, & en toutes bonnes & ſainctes occurrences avoir l'advancement d'icelle a cœur, de quoy nous confians pleinement en voſtre bienveuillance & pieté, ne ferons la preſente plus longue, ſinon pour prier Dieu, Ep.629.

Monſieur, qu'il vous conſerve avec toute voſtre famille en longue proſperité, & vous comble de ſes benedictions plus ſalutaires: nous recommandans derechef a vos bonnes graces & prieres, & celles de toutes les bonnes ames, qui ſouſpirent apres la ſalutaire inſtruction des paroles de vie eternelle, au lieu de voſtre reſidence, leſquelles toutes nous vous ſupplions ſaluer cordialement de noſtre part, ſelon les occaſions & commoditez qui s'en pourront preſenter. En haſte du lieu de noſtre reſidence ce 26. d'Aouſt 1619.

Voz humbles & plus affectionnez freres

Les Serviteurs de Jeſus Chriſt, chaſſez des Provinces Unies, pour n'avoir voulu contre l'exprez commandement de Dieu, promettre de ne plus ſervir a leur bon Maiſtre & ſeul Sauveur, & par charge d'iceux tous

CHARLES de NIELLES.

IↃC XXX.

JOANNES UYTENBOGARDUS

CONRADO VORSTIO

S.P. in Chriſto.

REverende Vir, idemque in D. Jeſu mihi ſemper obſervande Domine. Quod ad tuas binas vel ternas hactenus nihil a me reſponſum ſit, nolim tibi moleſtre accipias. Præcipuum de quo agebant negotium ad conventum, quem tum moliebar, fratrum referendum erat; hujus igitur mihi expectandum initium & finis. De quibuſdam aliis tempus me edocturum rebar. Soluto conventu Bruxellas cundum fuit. Redirum excepit moleſta ſatis in aliud hoſpitium migratio: hanc innumeræ occu-

Ep. 630. cupationes ex actis in conventu noſtro profluentes, huc maximè ſpectantes, ut ex ordine à nobis inſtituto proſpiceretur Eccleſiis: Varia hac de re cum fratribus hic qui commorantur habenda fuere colloquia: ſcribendæ litteræ innumeræ. Animus interea ſæpe non ita erectus, partim ob invaletudinem ex catharro identidem me infeſtante contractam; partim ex mœrore quodam accerſitam, quod filiolam ſuam periculoſa laborare febre nunciaret magna cum mœſtitia uxor, ſimulque ad divenditionem meorum mobilium ſub haſta properaret ſticus, uſque adeo ex hiſce adverſitatibus fracta conjuge chariſſima, ut frequentiſſimis litteris ſolanda & erigenda mihi fuerit. Nondum ſublatis & ſuperatis iſtis anguſtiis, has tamen ad T. R. dare volui, ne vel immutatum meum erga T. R. animum, vel officii nimis neglig ntem putaret. Quid in cœtu noſtro actum, ex aliis, ni fallor T. R. jam accepit: quin & hoc, de T. R. negotio tandem aliquid ſtatutum eſſe, non ſine aliqua moleſtia. Quid hic præſtiterim, dicant alii. Peregi tandem, quod tibi amiciſſimi ſine me peragi potuiſſe negabant. Omnes quotquot aderant conventus noſtri membra te erga T. R. probe affectos palam teſtabantur, de reliquo tamen rem differendam putabant. Urſi è contra: tandem obtinui id quod Actis inſertum tibi, rotunde, & eorundem actuum verbis, aperiam, hac lege, ne cui communices, ſed tibi ſecreto habeas.

Ut hic T. R. commoretur nec tutum nec conſultum eſt, variis de cauſis tuam inprimis R. concernentibus: ideoque nec ſciſcitari, quis hac in re iſtorum hominum animus ſit, lubuit. Si quid T. R. habet quod prælo mandari velit, ut id ad nos, qui totius Societatis nomine, & ut rei noſtræ publicæ curam geramus, ad tempus hic moramur, tuto tranſmittat petimus, tum omnium optimè judicaturos quid facto opus ſiet. Adfuit nobis non ita pridem nobilis quidam, qui & ad T. R. mandata ſe habere affirmabat, rectáque hinc ſolvens te petere velle videbatur: huic id roganti & quærenti permiſimus T. R. libere exponeret, quæ apud nos egerat, & reſponſum à nobis datum referret. Hic an T. R. adfuerit, & quid cum illa egerit, quidque reſponſi tulerit, ſcire avemus. Operarios quoſdam ad meſſem ablegatos procul dubio audiviſti: Innotuit etiam T. R. haud dubie crudelitas à milite in Chriſtianos Roterdamenſes exercita. Etiam Gaudam Commiſſarios, qui cœtus ibi habitos inhibeant, miſſos, quin tibi perſcriptum ſit, non ambigo. In divendendis meis reculis jam eſſe adverſarios puto: quos etiam in hac urbe vitæ meæ inſidias ſtruere certiſſimum eſt, adeo ut jam mihi cavere magis quam antea debeam. Palam Hagæ dictitant Proceres, mei ſolius inſtinctu, ſuaſu, conſilio, impulſu turbari Rempublicam. Precibus apud Dominum inſtanter adlabora, ne der prædadentibus illorum, ſed potius ut me alioſque ſymmyſtas ro- Ep. 631.
bore ſuo confirmet & fulciat magis ac magis, quo conſtantiſſime ad extremum uſque halitum decurrere certamen hoc ejus gratia poſſim. Vale & ſalve, Vir Reverende idemque doctiſſime clariſſime, mihique perpetuo obſervande. Salveat uxor & hoſpes. 29. Oct. 1619.

Tuus

J. UYTENBOGARDUS.

IↃC XXXI.

G. M. LINGELSHEMIUS

HUGONI GROTIO S.P.

AMicorum eximie & optime. Eſt ita, ut dicis: exigit fortuna noſtra utriuſque mutua ſolatia, ideoque mirificè me recrearunt litteræ tuæ XVII. Dec. datæ, ad quas acceſſit Tileni noſtri ſuaviſſima compellatio. Præcipuè placuit, quod vos ἐμοικεῖτε (*cohabitantes*) cognovi; confido itaque hunc veſtrum convictum redundaturum in publica commoda. De Annalibus tuis, ita eſt, ut dicis. Periculoſæ plenum opus aleæ, ſi ſermones & invidiam metuis, quam experti omnes eximii. Tu tamen urge opus, & fac ut poſteritas te laudet, quidquid livor præſentem urat. Bernegger totus tuus eſt, & te cum affectu reſalutat; hoc uno cruciatur, quod propter ſcholaſticas occupationes non ſatis temporis habet, ad ea conficienda, quæ molitur.

In Britannia videtur res aliam faciem nacturæ, ſenis torpor ardore juvenis nondum excuti potuit: ſpes tamen eſt, fore locum aliquando ſanioribus conſiliis, poſtquam Hiſpanicæ artes patent. Sed hæc mitto, potius operam do, ut Deo obſequi poſſim, & æquo animo, quæ cœleſtis parens immittit, ſuſtineam. Vale decus meum. Argentorati. 12. Jan. 1624.

Tuus

G.M. LINGELSHEMIUS.

IↃC XXXII.

CAROLUS NIELLIUS

PETRO CUPO.

MOnſieur & tres honnoré Frere. Il ne me ſeroit pas poſſible de repreſenter en peu de mots la triſteſſe qui j'ay receue des adverſitez advenues depuis n'aguerres tant a la famille honnorable de Madamoiſelle voſtre belle mere, qu'a voſtre perſonne en particulier, & plus grande encore de la faute de mon beaufrere, que de voſtre captivité. Car j'a- *Conſolatoria.*

Digitized by Google

Ep.632. ſoit que la liberté pourroit ſembler de prime-face plus precieuſe que les biens exterieurs, toutesfois je conſidere, que voſtre empriſonnement, auſſi bien que le noſtre, eſtant conjoinct avec une bonne conſcience, peut beaucoup ſervir a la gloire de Dieu, lequel eſt puiſſant de tirer en ſon temps la lumiere des tenebres, & de rendre nos ſouffrances autant & plus fructueuſes, que le travail que pourrions prendre a edifier noz prochains par bons & ſalutaires enſeignemens. Il a jadis faict crier le ſang d'Abe de la terre. Il ſçaura bien auſſi rendre intelligible en ſon temps le ſilence de noz priſons, & me tiens aſſeuré que noz adverſaires, en nous perſecutant de la ſorte qu'ils ont faict depuis quelques années, advancent plus noſtre bonne cauſe, qu'ils ne la reculent, de maniere que ſi noſtre homme exterieur ſe trouve oppreſſé, & enterré entre les limites de quatre murailles, l'odeur toutesfois de noſtre conſtance & patience Chreſtienne ne laiſſe pas de s'eſpandre au long & au large, pour rendre honteuſe la cauſe, qui ne ſe ſçait maintenir que par cruauté, & violence inique, qui ſont les propres armes du menſonge. Et pour noſtre particulier, nous ſommes inſtruicts en l'eſcole de verité, quel heur, felicité & joye ce nous doibt eſtre, d'endurer perſecution pour juſtice, & pour maintenir noſtre conſcience entiere envers Dieu, ſcachans que noſtre affliction legere, qui ne faict que paſſer, produict en nous *un poids de gloire excellemment excellente, quand nous regardons non point aux choſes viſibles, mais aux inviſibles, qui ſont eternelles.* Toute la durée de ceſte noſtre vie au prix de l'eternité, n'eſt pas autant qu'un ſeul liard au prix des threſors infinis, que tous les rois de la terre ont jamais poſſedé. Et ceſte noſtre priſon meſmes eſt pluſtoſt une retraicte de ſolitude pour acquerir une vraye liberté d'eſprit, & nous mettre a couvert de pluſieurs facheries, que non pas une ſervitude ou condition, qui en luy meſmes ſoit penible & miſerable. Les parrois eſpeſſes, les foſſez & ſentinelles empeſchent bien les gens de nous viſiter, & nous privent des entretiens & compaignies des hommes, qui ſouvent ſont auſſi tedieuſes, ou fades & ſans ſel ſelon la verité, comme les eſclaves de la vanité mondaine les jugent agreables: mais tous les empeſchemens du monde ne nous ſçauroyent priver de la compaignie de Jeſus-Chriſt noſtre Sauveur, & de la douce conſolation de ſon Eſprit largement eſpondue es eſcrits des S. Prophetes & Apoſtres, par la meditation continuelle deſquels, conjoincte avec prieres humbles & ardentes a Dieu, nous pouvons heureuſement ſurmonter tous noz ennuis, & finir toutes noz triſteſſes en joye, voire changer noz larmes de douleur en larmes de lieſſe. Ainſi donc combien que mon cœur & toutes mes entrailles ſe ſont tournées en moy, lors que je vous vis par ma feneſtre paſſer le pon, pour entrer en ce domicile de captivité corporelle, ſi eſt Ep.632. ce que les raiſons ſuſdites, avec l'experience du contentement & de la tranquillité d'eſprit, que je trouve en ceſte mienne condition, m'a faict moderer ma triſteſſe, & appaiſer mon ennuy pour ce regard. Mais je ne ſcay pas ſi bien ſurmonter ceſte autre meſadvenue, conjoincte avec un ſi grand dommage pour ceſte bonne famille, & avec une injuſtice ſi manifeſte, que je ne la ſcaurois, ni ne voudrois excuſer en aucune façon. Le bonheur & ſuccéz de noz affaires depend de la benediction de Dieu, qui accompaigne l'induſtrie & le labeur des hommes comme il luy plaiſt, mais quand l'integrité & bonne conſcience nous manoque, il eſt une faute qui procede de nous, & qui eſt extremement a deplorer, quand gens de bonne renommée, & qui font profeſſion de vraye crainte de Dieu, tombent d'une cheute ſi enorme. Et d'autre part la ſomme eſt trop grande, pour le perdre ainſi en un coup, & ce en un temps ſi miſerable, auquel chacun ſe plainct, que toute ſorte de trafficq & de ſtyle eſt comme ruiné de fonds en comble, & qu'il n'y a preſque rien a gaigner. J'en ay eſté & ſuis encores extremement mary, & n'euſſe jamais penſé, que les affaires de ceſt homme la ſe fuſſent porté ſi mal. Je ne ſcay plus deſormais comment le monde ſe conduict. J'ay eu largement ma part auſſi de pertes tres facheuſes, mais je ne ſcay ſi aucun mien dommage particulier m'a jamais ſi fort navré le cœur, que ceſte inſigne affliction, venante d'un mien parent ou allié ſur une maiſon, que j'aime & honnore d'une affection intime. Si faut il ſe reſoudre a porter patiemment, ce qu'on ne peut changer, & tacher de faire noſtre prouffit ſpirituel de tels maux exterieurs, combien qu'ils ſoyent grands & preſques inſupportables. Car icy peut auſſi avoir lieu ceſte doctrine generale de l'Apoſtre: *Que toutes choſes cooperent en bien a ceux qui aiment Dieu.* Le Seigneur nous veut par ce moyen inſtruire a detacher noſtre cœur de ce monde, & a ne point mettre noſtre confiance es biens terreſtres, qui ſont ſi incertains, & ſubjects a ſe perdre par mille voyes. Vous ſcavez cecy mieux que moy, mais j'eſcri cecy pour addoucir ma douleur, pluſtoſt que pour vous conſoler. Au reſte quant a voſtre lettre du XVII. de ce mois, que j'ay fort bien & volontiers receue, elle m'a fort pleu, tant au regard de ſubject que de ſtyle, lequel je trouve nayf, & exprimant en bons termes François voz conceptions. Vous jugez fort bien de la convenance qu'il y a entre l'ancienne Papauté, & celle qu'on a voulu rebaſtir en noz jours ſur les ruines de la precedente. C'eſt une meſme tragedie qui ſe joue par autres perſonnages, mais poulſez & inſpirez d'un meſme eſprit d'ambition & d'orgueil ſpirituel, qui ne ſe ſcait mieux couvrir que du manteau de pureté ſpeculative en la religion, ſous lequel pretexte on tache par humilité Catho-

Ep.633. tholique a s'attribuer l'empire souverain de Dieu sur les consciences de grands & petits. Quant au traité que je vous ay envoyé, servez vous en librement a voſtre aiſe. Je ne ſuis point halté de le ravoir. Et ſi j'ay quelque autre choſe qui vous puiſſe edifier ou recreér, vous me ferez plaiſir de le demander, & de vous en ſervir comme du voſtre. Noſtre geolier a faict fidelement voſtre meſſage a Monſr. Vezekius, & luy a preſenté de luy apporter une de vos chemiſes, vous a auſſi rapporté au vray la reſponſe dudit Sr. Vezekius, lequel a eſté pourveu de linge par les amis de Gorcom. Quant a voſtre lettre, je n'y ſcaurois rien amender, & ſuis joyeux qu'avez ſi bien employé voſtre temps en France. La lecture des bons livres en ceſte langue pourra fort ſervir a vous conſerver ce qu'en avez acquis. Et s'il vous plaiſt nous pourrons entrecommuniquer par lettres en icelle, ce qui nous viendra a propos. Je ſuis extremement mari de l'indiſpoſition de c'eſt excellent perſonnage qui eſt avec vous, du quel j'admire la ſincere pieté non moins que l'erudition rare & treſolide, & noſtre communion treseſtroite qu'avons eu enſemble, m'oblige a me paſſionner au vif pour tout ce qui luy touche. Je repute a grand heur & honneur d'avoir eſté ſon compaignon en meſmes ſouffrances, pour meſme cauſe: & d'avoir joui ſi long temps de la converſation treſagreable, & de la ſincere amitié pleine de bons offices, que Mad. ſa femme m'a monſtrée ſi long temps qu'avons peu eſtre enſemble. J'eſpere luy reſpondre ſi je puis. En tout evenement je vous prie les ſaluer treſcordialement de ma part, comme auſſi je me recommande treshumblement a voz bonnes graces & prieres, vous aſſeurant que ne ſerez jamais oublié aux noſtres. Monſr. Vezekius ſe porte bien & vous reſalue treſaffectueuſement avec moy. En poſte ce lundi 19. Febru. 1624.

Voſtre treshumble Frere & affectionné Serviteur

CHARLES de NIELLES

IↃC XXXIII.

CAROLUS NIELLIUS

JOANNI UYTENBOGARDO S.P.

De captivitate ſua aliorumque in ara Lugdunenſi.

MOnſieur & treshonnoré Pere. Il y a bien longtemps que je n'ay point parlé a vous de la plume: mais vous vous pouvez bien aſſeurer, que vous & voſtre honnorable compaignie n'avez eſté un ſeul jour hors de mes penſées, ni de mes humbles & plus ardentes prieres a Dieu, a ce qu'il plaiſt a ſa divine bonté vous conſerver de tout mal & vous benir ſpirituellement & corporellement, pour rendre encor voſtre ſage & venerable vieilleſſe utile & profitable a la Chreſtienté, & particulierement pour tenir encor le gouvernail de noſtre pauvre barque, pour la conduire parmy tant de tempeſtes a quelque bon port, & faire que le publicq ſoit encor en quelque facon edifié par tant de ſouffrances & labeurs, qu'avez juſques icy vertueuſement ſouſtenu, nous donnant a tous exemple & de patience, & de diligence, & de bien eſperer juſques au bout. Je m'aſſeure de meſmes, que j'auray eu touſjours part en voz plus ſainctes oraiſons, aux quelles j'attribue & a celles de tant d'autres gens de bien, l'heureuſe conduite & le favorable ſuccez que le Seigneur nous a donné de tant de dangers horribles, de tant de tempeſtes eſpouvantables & des ravines les plus perplexes par leſquelles nous avons paſſé. Car jacoit que noſtre conſcience nous a bien touſiours rendu bon teſmoignage, & nous a rempli le cœur d'aſſeurance & de confiance en la miſericorde du grand Dieu par Jeſus-Chriſt. Si n'a ce point eſté noſtre ſageſſe, ni prudence, ni juſtice, qui nous a garenti de ce gouffre de mort, mais une faveur tres particuliere & providence paternelle de Dieu, que a empeſché que jamais nous ne nous ſommes rencontrez en lieu ou compaignie aucune, ou nos oreilles innocentes euſſent peu nous cauſer une mort infame, quant bien nous euſſions eu meſcru & tenues pour reſveries de quelque ſongecreux ce qu'on en euſt dit, ou bien quand nous nous y fuſſions oppoſé & de cœur & de bouche, tout cela ne nous euſt peu ſauver ni excuſer envers des juges tant deſireux de nous trouver, ou de nous rendre coupables, s'ils euſſent peu trouver la moindre apparence de preuve, pour fonder l'accuſation. Et quand ils n'euſſent point eu aucune preuve d'autre part, ils en euſſent facilement tiré de noſtre bouche, puis que nous avons eſté trois mois entiere ſans recevoir aucun advertiſſement de dehors, & que les juges ſe ſervoyent a droite & a gauche du privilege que leur donne Platon, de pouvoir mentir pour le bien publicq. Car on nous faiſoit accroire, que Corn. Gerſteranus, Velſius, Duinglo avec tous ſes papiers eſtoyent en bonne garde, & on nous preſſoit ſur tous les propos qu'avions jamais eu avec eux, ou de bouche ou par lettres, de maniere que nous ne penſions pas pouvoir mieux faire, que declarer le plus rondement & ſincerement tout ce que noſtre pauvre memoire nous pouvoit ſuggerer avoir jamais dit, eſcrit, leu, es lettres de ces pretendus priſonniers, ou bien ouï dire d'aucun de ceux, que nous eſtimions avoir peu dire de nous tout ce qu'ils ſcavoyent, ou le pouvoir encor dire. C'a doncques eſté une ſinguliere faveur du bon Dieu, qui a auſſi bien preſervé nos pauvres oreilles d'ouïr ce qui nous euſt eſté mortel, auſſi bien en le repouſſant qu'en l'acceptant, comme il nous a donné d'avoir touſiours horreur des conſeils violens, ſeditieux, ou ſanguinaires. Il ne me ſemble

Ep.633. ble point que j'euſſe eu grande apprehenſion de mourir de mort violente pour une bonne & ſaincte cauſſe, & telle que je la peuſſe approuver en ma conſcience: mais de mourir d'une mort infame, pour une cauſe que je deteſterois de tout mon cœur, m'euſt eſté extremement grief. Dieu veuille garder toutes gens de bien de ſemblables rencontres. Horſmis telle difficulté extraordinaire, qui nous a cauſſé des apprehenſions pleines de triſteſſe & d'angoiſſe l'eſpace de trois mois, je trouve que pour gens de noſtre ſorte il n'y a que toute occaſion de repos, de contentemens & de joye en la priſon, que nous ſouſtenons a preſent. Mais noſtre principal voire unique mal a eſté, lors qu'on nous cachoit ou vouloit cacher tout ce qui ſe paſſoit en public, & cependant, on ne ſe donnoit point de garde que les malfaicteurs, qu'on amenoit tous les jours nouveaux crioyent les uns autres des propos, qui ne nous donnoyent qu'une connoiſſance confuſe d'un extreme malheur, & des horribles ſupplices qu'ils diſoyent eſtre faicts des Arminiens, & de la mort dont on nous feroit mourir auſſi bien que les autres, voire comme principaux directeurs, qui avions conduict toute l'entrepriſe & fourni l'argent, pour l'executer. Si ceux la ſe fuſſent teus, ou bien ſi on y euſt prins garde pour placer eux ou nous autre part, nous n'euſſions eſté en peine juſqu'au jour de noſtre examen: mais maintenant nous ne ſcavions rien de particulier, & on nous remplifſoit de triſteſſe, d'angoiſſe & d'eſpouvantement par des propos entortillez, & qu'on ne prononcoit, qu'en gros, avec ce qu'on ne pouvoit entendre la ſuite & liaiſon des contes qui ſe faiſoyent, mais on entendoit cy & la un mot avec peine, & ſi n'oſions nous faire ſemblant d'avoir rien entendu, pource qu'on vouloit qu'ignoraſſions tout, afin qu'on nous peuſt mieux deſcouvrir tout a plein. Je tiens ce temps la avoir eſté ſeulement noſtre temps de ſouffrance, noſtre condition precedente & preſente a eu auſſi bien ſes commoditez a qui les a ſceu choiſir & prendre a point, que ſes difficultez. *Dulces affi labores.* Cecy eſt une douce retraicte, un lieu propre, pours'exercer en continuelles prieres, en meditations autant douces que libres, pourveu que nous nous laiſſions doucement conduire a la ſage providence de ce grand Dieu, ſans nous chagriner l'eſprit & le cœur, des choſes leſquelles ne pouvons remedier, & nous portant avec une alaigre tranquilité d'eſprit, avec un ſens raſſis a ce que nous pouvons faire: tout y eſt facile, agreable & plein de joye. J'ay craint autresfois & fort apprehendé c'eſt eſtat. Mais c'a eſté faute de prudence & d'experience. Je ne m'eſtonne pas que S. Baſile le grand, Nazianzene & autres ont tant aimé la ſolitude, en laquelle il y a tant de matiere de contentement, & ou l'eſprit eſt en ſa pleine liberté pour entrer en ſoy, guerir ſes propres maladies, rendre l'ame entiere ſaine & accordante avec ſoy meſmes: c'eſt une vraye academie ſpirituelle. Je viendroy maintenant a reſpondre a voſtre treſagreable lettre, car j'ay certes treſſailli a la ſeule veue de voſtre main. Mais je ſuis treshonteux, & la vergoigne me couvre la face, quand je penſe aux exceſſives hyperboles dont vous uſez en vous abaiſſant vous meſmes, & me chargeant helas de qualitez qui ne m'appartiennent nullement, & leſquelles pourtant je ne puis en facon du monde accepter, ſi je ne veux du tout perdre la connoiſſance de moy meſmes, & me priver du threſor de modeſtie & d'humilité, fondement de la ſanté de l'ame, a la gueriſon de laquelle j'employe maintenant toute mon eſtude. Je palleray donc avec voſtre congé ce qui eſtoit exceſſif en voſtre lettre, & ne puis reſpondre au reſte, ſinon autant que ma pauvre memoire me pourra ſuggerer. Car il m'a falu a mon regret bruſler voſtre lettre paſſé plus de quatre mois, pour la nouvelle eſpouvante qu'on nous a icy donné par une ordonnance non attendue de Meſſieurs les Eſtats Generaux faicte le xx. d'Aouſt, qu'on eut a promptement faire retirer toutes les familles des Miniſtres priſonniers, ſans leur permettre de plus retourner juſqu'a ce que leurs Seigneuries en auroyent autrement ordonné. *Ende dat* (ce ſont les termes expres) *om redenen haar H. M. daer toe moverende:* ſans que peuſſions alors conjecturer, ni qu'ayons peu encor ſcavoir depuis, quelles eſtoyent les raiſons motives d'un decret ſi abſolu & ſoudain faict en pleine aſſemblée des Seigneurs Eſtats. Tant y, que femme & enfans furent contraincts ſe retirer promptement, horſmis la mienne, qui par l'eſpouvantement retomba en ſon mal ordinaire, qui reſſemble fort a l'epilepſie, procedant toutesfois d'une cauſſe qui eſt peculiere aux femmes. Les ſoldats qui venoyent pour la faire ſortir d'avec moy, la trouvans comme morte ſans uſage de ſens exterieurs ni d'entendement, en furent eſpouvantez, & virent bien qu'elle ne pourroit aller juſqu'a la barque, mais qu'il la faudroit porter. Et n'ayant quant a moy perſonne en tout le pays, que j'euſſe oſé charger du ſoin d'icelle, je fis par un de mes fils remonſtrer a la Haye ſon triſte eſtat, & requerir qu'on la laiſſaſt aupres de moy, non pour eſtre ſoulagé par elle en ma priſon, mais pour la pouvoir penſer & ſoulager en une ſi affreuſe maladie: Adjouſtant, que ſi Meſſieurs me refuſoyent, ou plus toſt a elle, ce benefice, que doncques il leur plaiſt ordonner quelque place, ou on la pourroit porter, puis que je n'avoy point de domicile au pays, ni aucun parent ou amy, qui ſe voulut charger de tel fardeau. On ne me fit point de reſponſe, mais par connivence elle demeura icy, ſans qu'elle ou aucun des enfans euſt permiſſion en neuf ſepmaines, que les autres familles furent abſentes, de mettre le pied hors de la chambre, quoy que noſtre fil-

Ep.633.

Ep.633. fillette agée de ſix ans priaſt ſouvent de pouvoir ſeulement une fois prendre l'air, mais n'obtint pas ce qu'elle demandoit. Noſtre venerable vieillard (qui a volontiers accepté voz recommandations & m'a prié vous reſaire les ſiennes treſcordiales) eſtoit merveilleuſement eſpouvanté de ce nouvel orage. Car on parloit du commencement de faire auſſi retirer ſa fille, qui luy appareille ſa nouriture, mais par ce que ſa vieilleſſe l'empeſchoit de s'aider auſſi ſeul & ſe ſervir ſoy meſme, ſes autres enfans obtindrent par requeſte que l'une des filles pourroit demeurer, a condition qu'elle ne pourroit ſortir de la maiſon, point meſmes aller au fort, mais quatre ſepmaines apres, on luy permit d'aller une ſeule fois en trois ſepmaines acheter des vivres a Gorcom. Le bon pere vray patron de bonté & de ſincerité, & de pieté, fuſt fort abbatu, & m'a merveilleuſement remercié des petites conſolations, que je luy envoyay lors au mieux que je pouvois par moyen extraordinaire. Or comme je ne ſcavois que penſer de la cauſe d'une ſi ſubite ordonnance, je fis incontinent un feu de tous mes papiers qui euſſent peu donner ſubject de nouvelle calomnie. Je m'imaginois que ce miſerable Princius, qu'on avoit fort rudement torturé, n'euſt, pour faire finir ſes tourmens, donné ſubject aux juges de nous venir icy troubler par nouvelles enqueſtes. Mais toute noſtre crainte a eſté ſans juſte cauſe. Perſonne n'ayant parlé a nous. Cependant cela me donna ſubject de bruſler tous mes papiers, deſquels je pouvois penſer, qu'on ne print occaſion, ou de plus grande aigreur ou de nouvelle calomnie contre moy, ou contre mes meilleurs amis. Voila comment voſtre lettre me defaut, pour y reſpondre, & euſſe eſcrit volontiers plus toſt lors que la memoire m'en eſtoit plus recente; mais Monſieur Cupus me ſignifie, qu'aviez mandé qu'on ne vous eſcriviſt pas juſqu'a tant qu'on fuſt plus aſſeuré du lieu de voſtre reſidence. Voila qui m'a faict dilayer, avec ce que je n'avois rien qui meritaſt de vous eſtre eſcrit. Nous ſommes icy hors du monde & *civiliter mortui*. Il faut que toutes les nouvelles viennent de dehors. Il me ſouvient que vous diſiez deſirer d'eſtre icy aupres de nous. Certes je me reputerois tres heureuſe ſi je pouvois avoir une telle compaignie; que j'eſtimerois plus precieuſe que tout l'or du Peru, & ſeray content d'eſtre voſtre cuiſinier & ſerviteur a tout faire, encor n'enſuivrois je que de bien loing l'exemple que le Fils de Dieu a donné a ſes diſciples en leur lavant les pieds, S. Jean XIII. Mais ce ſeroit a condition que vous fuſſiez mon medecin ſpirituel, pour me preſcrire & les receptes & la diete qu'il faut tenir & ſuivre, pour jouir d'une ame ſaine, qui eſt la plus douce volupté, & le plaiſir plus univerſel qu'il y ait au monde. O l'eſtude belle & fructueuſe! que j'avois icy commencé avec ceſte vive image de pieté, modeſtie & douceur, que Dieu nous a ravi pource que nous en eſtions indignes. Il a fini autant heureuſement que ſainctement ſes jours en ceſte chambre meſmes, d'ou j'eſpere l'enſuivre au repos celeſte. Nous y avons couché ſur un meſme lict l'eſpace de neuf ſepmaines, d'evant que ſa famille peuſt obtenir acces. Il n'y a jamais eu entre nous autre debat, qu'a qui demeureroit la victoire de prevenir ſon compaignon par honneur, ayant ceſte creance fermement enracinée en ſon ame, que c'eſt choſe plus heureuſe de ſervir authruy par charité non faincte & vrayement fraternelle, que d'eſtre ſervi, comme c'eſt choſe plus heureuſe de donner que de prendre, ſelon le teſmoignage meſme de la verité infaillibile. Eſtre ſervi peut advenir a un meſchant, mais ſervir volontairement & ſans obligation de contrainćte a celuy qui n'a autre authorité ſur nous, que celle que luy donne la ſageſſe & pieté, cela ne peut arriver qu'a celuy qui a deſia l'ame bonne, ou eſt en chemin pour y parvenir. Quand je penſe encor a ce peu de temps, que nous n'eſtions icy que nous deux, & aux conferences autant fructueuſes qu'agreables qu'avions enſemble, je ne trouve rien en toute ma vie qui merite d'eſtre egalé a ce contentement. Mais noz familles ayant obtenu accés aupres de nous, le bruićt des enfans grands & petits, les riotes des femmes, leſquelles toutesfois n'ont jamais eu l'authorité ni la force de nous meſler en leurs petis debats, nous ont contraićt de demander d'avoir chacun une chambre a part. Nous nous ſommes departis avec regret du part & d'autre, & luy en ſa derniere maladie s'eſtoit plainct aux filles de noſtre bon Seigneur (qui le vindrent voir) qu'il avoit inſtamment requi de pouvoir encor parler une fois a moy, comme auſſi de ma part j'ay pluſieurs fois prié, qu'on me permit de veiller, aſſiſter & ſervir de tout mon pouvoir un ſi parfaict amy, mais n'avons ſceu obtenir une faveur ſi petite & facile (n'ayant qu'a paſſer une ſale & monter les degrez pour aller de ma chambre d'embas a la ſienne d'enhaut) qu'on n'a point accouſtumé de refuſer aux plus execrables malfaicteurs, quand ils doivent mourir par execution de juſtice, leſquels on laiſſe lors parler a toutes ſortes d'eſtrangers, qu'on va ſouvent querir de dehors, ou qu'on amene de l'un cachot ou l'autre en leur preſence pour leur complaire. Mais il n'y a ſi meſchant, qui ne merite compaſſion au jugement des hommes qui ont quelque reſte d'humanité. Mais les gens de bien n'en meritent pas au jugement pervers des partialiſtes zelateurs, qui conſtituent toute religion en des paſſions plus toſt diaboliques, qu'humaines, gens qui pardonnent facilement & ne laiſſent pas d'honnorer ceux qui font meſtier de blaſpheimer Dieu a leur eſcient, pourveu que ce ſoyent des grands qui favoriſent leurs fantaſies, & les peuvent authorizer en leur tyrannie ſpirituelle ſur les

Ep.633.

Pippius.

Ep.633. consciences: mais ils veulent que les seuls blasphemes commis par ignorance soyent pechez irremissibles, contrevenans directement a la loy mesmes plus rigoureuse de Moyse, qui punit les seuls blasphemes volontaires, & ordonne des sacrifices pour obtenir pardon des fautes commises par erreur. Le Turc est seul en cecy meilleur & plus fidele observateur de la Loy de Moyse, que ne sont noz inquisiteurs aussi bien nouveaux que vieux. Car il punit severement tout blasphemes volontaires aussi bien contre Dieu, & Jesus Christ, que contre Mahomet, mais il permet a toutes sectes & diverses sortes de Chrestiens libre profession & exercice de leur religion. Mais telles digressions me meneroyent trop loing, il faut racourcir mes propos puis que le papier est pres de finir. Vous me demandiez advis du lieu que debviez choisir de vostre demeurance. Je connoy mon jugement trop foible & ma prudence trop petite pour vous conseiller. Par obeissance je diray mon petit advis, tout aussi bien qu'en un synode on demande aussi bien aux anciens de village, qu'aux plus sages & experimentez. Je vous ay passé long temps souhaité aupres du Duc de Holstein avec Monsieur le Professeur, & ce Grand aussi bien d'effect que de nom. Je scay qu'y seriez extremement bien venus, & y remontreriez selon mon pauvre advis moins de parade & de courtoisie, plus de faveurs vrayes & substantielles. Nostre commun grand amy M^r. Borrius m'a escrit, passé long temps & devant que je receusse vostre lettre, les difficultez qu'y trouvées pour le regard de l'air rude & contraire a vostre santé. Mais je peserois plus la longueur du voyage, & peut estre l'antipathie de Mad^le. vostre compaigne avec ceste nation rude & grossiere. L'incommodité de l'air se peut facilement rendre tolerable par l'abondance de bon bois & tourbes selon qu'aimez mieux. Mais c'est plaisir des beaux feus qu'on y faict de bois de chesne, qui s'y trouve en grande abondance, & le choix ou de poisles, ou de chambres a cheminée comme vous voulez, & qui vous empescheroit d'avoir l'esté & clarté d'un bon soleil de bois en vostre chambre, pendant que l'hyver, les bruines, pluyes & frimaiz sont la dehors? Et croy quant a moy que l'air y est bien de sa nature plus rude, mais aussi moins corruptible qu'en France, le serain n'y est pas si dangereux, les maladies contagieuses moins frequentes. La longueur du voyage se pourroit fort abbreger par un bon vent. Et quant a rudesse du peuple, cela s'addoucit par la humtise des nations plus humaines, & on s'y accoustume peu a peu. Encor ne sont ils pas si inhumains que souloit estre le commun peuple a Hambourg, joinct qu'on y peut frequenter ceux qui y demeurent de ces pays cy. Je pense Monsieur, que si vous y estiez avec vos deux compaignons ordinaires, vous y pourriez faire un tresgrand fruict a dresser un bon ordre

Levit. 24. & Num. 15.

Erard

Borrius

Ecclesiasticq en la nouvelle ville. Le Prince est sincere amateur des gens de scavoir, tres desireux d'avoir des hommes de grand merite, & qui prend a gloire de favorizer les rares esprits. Il me demanda lors que j'y estois, s'il n'y auroit point moyen d'attirer la M^r. Grotius avec nos trois principaux, comme il les appelloit avec raison. Je pense que ce bon Seigneur trouveroit la plus de solide tranquillité d'esprit, plus de substantiel contentement, qu'a la cour de France, si subjecte a des continuels changemens, ou tout est si plein d'incertitude, qu'on ne sçait a qui se vouer. Il n'y seroit pas aussi inquieté touchant sa religion. Son revenu, peut estre moindre, mais plus asseuré, & ou il n'est pas besoing aussi de faire telle despense, pour maintenir son degré. Mais c'est trop presumée a moy de conseiller un tel personnage. Estimez que ce n'est que la bonne affection que parle, accompagnée d'un peu d'imprudence, mais sincere toutesfois. Mais pour vostre honnorable vieillesse, pensez s'il vous plaist qu'elle aura son repos au ciel avec son guerdon selon son labeur. Je souhaite que vostre vie finisse en belles & importantes actions. *Imperatorem stantem mori oportet*, disoit un grand Prince, que vous pouvez par la grace de Dieu ensuivre selon vostre qualité: Nous avons une tres bonne & saincte cause, & pour laquelle j'aimeroy mieux mourir, que pour combattre la Transsubstantiation, erreur voirement grossier, mais qui ne heurte en rien la pieté & l'estude de vertu sincere. Nous avons pour nous la nature de Dieu, & sa parole; mais nous avons qui plus est pour nous la lumiere naturelle de raison, laquelle s'il faut esteindre pour devenir religieux, en quels horreurs & labyrinthes tomberons nous en fin? nous avons toute l'ancienneté pour nous la plus pure & plus proche des Apostres. *Si homines fato boni vel mali sunt*, dit Justin Martyr, *nullum potest esse Dei judicium, nullum virtutis præmium, nulla vitii aut peccati pœna.* Nous avons pour nous toutes les sectes des Philosophes, contraires les unes aux autres presque en toute autre chose. Et me semble que c'est a tort qu'on appelle noz adversaires *Zenonianam Sectam*, leur opinion, *fatum Stoicum. Stoici omnia quidem fato subjiciebant præter animos hominum*, dit un fort ancien grand autheur, qui avoit veu plus de libres de ceste secte que nous n'en avons aujourd'huy. Il ne nous reste maintenant que deux escrivains d'icelle: Senecque & Epictete, qui exaltent si haut le franc arbitre, que Pelagius n'en osa jamais dire tant. *Nulli præclusa est virtus*, dit le premier, *omnibus patet, omnes admittit.* Et ailleurs: *Perseverasse ad bonam mentem, quam plurimum est optare, quum possis a te impetrare. Non sunt ad cœlum elevanda manus.* Epist. XLI. item: *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles, nec rejicis quemquam Philosophia nec eligit, omnibus lucet.*

Ep.633

Sothius

Ep.633. *in.* Epiſt. XLIV. Mais Epictete en ſon manuel, qui eſt comme l'ame de la Philoſophie des Stoiques, commence par la, pourſuit & acheve tout ſon ouvrage, faiſant le principal poinct de ſageſſe, de ne point cercher la felicité & le bonheur de l'homme es choſes qui ne ſont pas en noſtre puiſſance. Il preſſe tant ce poinct en tous ſes diſcours, que je m'eſtonne comment on a peu attribuer aux Stoiques l'opinion de Calvin. Or la ſecte Stoique a produict au monde les plus grands & relevez exemples de vertu, & ſelon mon pauvre jugement ſurpaſſe en la moralité toutes les autres ſectes des anciens, ayant formé des perſonnages admirables entre les Gentils. Et puis qu'eux auſſi bien que les autres ont creu & enſeigné la vraye liberté naturelle de la volonté humaine, cela m'eſt une raiſon pour prouver que tel ſentiment procede de la lumiere naturelle de l'homme, la verité eſtant uniforme, la fauſſeté tres variable, & diverſe, pleine de contrarietez, & de grands debats. Ayans donc la lumiere naturelle pour nous, conforme a toute la maniere d'enſeigner de l'Eſcriture, nous devons tant plus conſtamment travailler a maintenir par toutes voyes juſtes, vrayement Chreſtiennes & raiſonnables, noſtre bonne cauſe, & nous resjouir en toutes noz difficultez & tribulations, puis que nous ſouffrons, pour maintenir une doctrine que non ſeulement l'Eſcriture Saincte approuve, mais laquelle toutes gens raiſonnables & non abbrutées ont reconnue pour veritable, & pour fondamentelle en la doctrine de moralité. Au demeurant nous ſommes icy encor tous bien reſoulus contens & diſpos. Noſtre honorable vieillard nous monſtre a tous exemple de conſtance, ayant bien permis que ſes enfans ayent dreſſé une requeſte en leur propre nom, pour demander que leur Pere ſoit delivré de ce lieu, & puiſſe avoir ſa maiſon pour priſon, mais ſans reconnoiſtre aucune faute ni demander grace en ſon nom: auſſi ne l'a il pas voulu ſigner luy meſmes, afin qu'on ne le calomniaſt d'avoir reconnu faute, ou demandé obliquement pardon. Les enfans ne parlent que pour leur propre ſoulagement, afin que les jeunes filles ne ſoyent pas contraincles de voyager ſur les frontieres avec danger en temps de guerre, de converſer perpetuellement entre les gens de guerre contre la bienſeance, & de ſe charger de double deſpenſe pour tenir meſnage en deux places. Au reſte font un recit de leur honnorable parentage du coſté de pere & mere, & des ſervices rendus par leurs devanciers a la patrie, meſmes auſſi par leur pere juſques a ce qu'il accepta la derniere fois l'office de penſionaire a Leyde, ne diſans rien du tout du dernier temps de huict mois, d'ou on a pris tout le ſubject de ſa condamnation, de quoy ils ne parlent ni en bien ni en mal; & ne demandent meſmes point qu'on ait compaſſion de leur pere, mais qu'on veuille avoir eſgard a leur jeuneſſe. Le bon Seigneur eſt Ep.633. pleinement reſoulu d'achever plus toſt ſa vie en priſon, que de rien dire ou faire, qui puiſſe grever ſa conſcience ou ſcandalizer les infirmes. Ayans un tel exemple en un honnorable ſenateur, qu'elle honte nous ſeroit ce de ne point enſuivre ſa conſtance? J'employe beaucoup de temps a conferer avec luy par lettres, en quoy il me faict tant d'honnettes remerciemens que j'en ſuis honteux, m'eſtant aſſez de plaiſir, que je puiſſe coucher quelque choſe par eſcrit, qui luy ſerve a addoucir aucunement ſes ennuis. Noz femmes ont permiſſion de ſortir du fort, ſeulement une fois par mois, mais peuvent ſortir deux fois la ſepmaine de la chambre, & ſe trouver avec les enfans aupres des filles de Mr. H. leſquelles nous font tout le ſoulagement, qu'elles peuvent, en quoy leur bon pere par une charité & debonnaireté ſuperlative ſe monſtre ſi ſoigneux de nous bien faire, que l'hyver paſſé le bon vieillard fuſt quelques jours ſans feu, pource qu'il nous avoit accommodé de ſa portion de tourbes. Je trouve toutes ſes lettres (j'en recoy quaſi toutes les ſemaines par le moyen de ma femme & enfans) encor ſi bien eſcrites & couchées, qu'on ne s'appercoit encor du tout point que la vielleſſe luy ait attaché aucune ride en l'eſprit: il ſe plaiſt fort a la lecture des Anciens Docteurs de l'Egliſe, dequoy il confere quaſi continuellement avec moy par lettres, ſe trouvant fort edifié, de ce que ces autheurs le conferment du tout en noſtre ſentiment. Monſtrant une ſincerité, patience, & probité du tout exemplaire. Il n'y a que le pauvre Arnould Geyſteranus, qui eſt ſeul deſtitué du moyen de conferer par lettres, pource qu'il eſt encor ſeul, & n'y a perſonne en ſa chambre qui luy puiſſe rien apporter, ou emporter de luy. J'aime & honnore grandement les bonnes parties de ce ſage jeun'homme, qui eſt de converſation treſagreable, irreprehenſible en ſes mœurs, & qui a faict tres grand fruict par tout ou il a eſté. Et me resjoui de ce, que je m'aſſeure qu'il ſurmontera bien avant moy & mes ſemblables: tres mari que je n'oſe parler avec luy. Il eſt logé proche de moy, mais y a une paroy entre nous deux de l'eſpaiſſeur de ſept ou huict pieds. Nous ne pouvons parler l'un a l'autre que par les feneſtres, ce qui s'entend au fort, & jacoit que nous ſerions contens d'uſer du langage du pays, & qu'un chacun entendiſt ce que nous diſons: ſi eſt la malignité ſi grande qu'on nous envie ce peu de communication. On eſpere que le Lieutenant qui commande au fort deſirera luy meſmes, qu'il puiſſe prendre ſon repos avec Monſieur Cupus, pour eſtre dechargé de ceſte obligation de luy envoyer ſa viende: a quoy il ne trouve que du dommage, pource que d'un coſté il ne veut point avoir le renom de mal traicter les priſonniers, & quoy qu'il ait ſupplié pour avoir davantage lors qu'il nous

Ep.633. avoit nouri Monſieur Poppius & moy l'eſpace de 12 ſepmaines devant la venue de noz femmes, ſi n'a il peu obtenir que huict patars le jour pour un chacun, en qui il ſe plainct d'avoir ſouffert dommage, ce que je croy fort bien. Car Monſieur le Fiſcal qui nous amena icy, & nous monſtra beaucoup d'humanité en chemin, declarant le mariſſement qu'il avoit d'eſtre contrainct d'executer contre nous une charge ſi contraire a ſon inclination, nous avoit fort recommandez, de maniere que nous fuſmes traicté plus liberalement que nous meſmes ne demandions. On nous offroit de donner tous les jours du vin. Mais bien en print que nous refuſaſmes honneſtement ceſt offre, & ne voulumes pas ſouffrir qu'on nous en apportaſt ſinon les demanches au ſoir a chacun un petit traict, autrement le dommage du bon homme euſt eſté ſans comparaiſon plus grand; combien que nous ne penſions pas a cela, mais avions ſeulement eſgard a oſter a la calomnie toute occaſion, comme ſi nous euſſions eſté amateurs de vin, pour laquelle cauſe auſſi je n'en voulu pas accepter tout le temps de ma priſon a Harlem, non pas par ſuperſtition, ni par deſir de faire une vaine oſtentation d'abſtinence; mais pource que je ſcay la maniere de faire des geoliers, qui pour leur prouſit, en font les comtes beaucoup plus grands, ce qui cauſe par apres des detractions, & le vulgaire, qui faict tousjours le plus grand nombre, regarde de pres a tels fatras. Monſieur Lindenius eſt avec Simon Lucæ, ou il a deſiré d'eſtre placé, en cela d'humeur contraire a la mienne, qui achetteroy bien cher la ſolitude, je veux dire la liberté d'eſtre exempt de bruict d'enfans. J'ay eſté pluſieurs ſepmaines purement ſeul, n'ayant ſervice d'autre que de moy meſme, cuiſinant ma viande, lavant mes uteniſiles & tout. Je me contentois fort bien de ceſt eſtat d'hermite, & n'euſſe pas ſouhaité pour moy d'en ſortir, ſi ce n'euſt eſté pour avoir ſeulement compaignie d'un homme ſtudieux. Mais je ne pouvois changer autr'huy de ma femme & enfans. Pour la communication avec mes collegues j'en avoy deſia trouvé moyen, par l'entremiſe de ce bon Seigneur, que je vous loue tant, qui avoit ſa chambre au deſſus de la mienne, & ſe plaiſoit fort a m'ouir pſalmodier. Mais par le decez de feu noſtre bon Poppius, a l'inſtante requeſte de ma femme & enfans, je reprins ma premiere chambre, qui eſt plus claire & a un beau proſpect ſur les champs & ſur la riviere. Le bon Seigneur euſt mieux aimé que j'euſſe demeuré en bas, pource qu'il craignoit que perdrions toute occaſion de conferer par lettres, ſi ma famille ſe retiroit encor un coup arriere de moy. Mais juſqu'a preſent n'ay pas encor eſté ſeul depuis le mois de May, que ſommes icy revenus. J'aime les conferences libres & ſinceres par lettres, telles qu'elles ſont icy entre nous: il n'y a qu'un mal qu'elles emportent beaucoup de temps, par Ep.633. ce qu'il faut eſtre quelques heures, (& j'y employe vers noſtre bon viellard aucunesfois des jours entiers, purement en diſcours Theologiques ou hiſtoriques) pour eſcrire puis a l'un, puis a l'autre les choſes qu'on diroit en fort peu de temps. Je ſouhaitterois pouvoir rallonger les jours au double, & m'eſtonne moy meſmes que j'ay icy ſi grand faute de temps pour lire & mediter tant que je voudrois bien. Vous avez icy une lettre brouillée en extreme haſte, & de tant de petites brouelleries qui ne valent pas la peine d'eſcrire. Qu'en feray je? je vous ay voulu donner a connoiſtre noſtre petit eſtat de pardeca: pource que les nouvelles d'importance vous ſont eſcrites par ceux qui les ſcavent mieux que moy. Je vous devrois remercier tres humblement, comme je fay de bon cœur, du labeur qu'avez pris de reſpondre a l'admonition de Triglandius la premiere, car je n'ay encor rien veu ſur la deuxieſme, que donne belle occaſion de deſcouvrir le defaut de ſincerité & de charité qu'il y a en ceſt homme la. Voſtre ſtyle a une ſinguliere grace & beauté tres heureuſe, qui ſe faict incontinent connoiſtre: je vous devrois, dis je, bien fort remercier de ce labeur, mais par l'excez hyperbolicq des louanges nullement meritées que vous me donnez, j'ay craint que ne donnaſſiez occaſion a quelqu'un qui connoiſt mes grands defauts d'en dire quelque choſe en publicq. Combien que voſtre bonne affection m'oblige fort, je vous prie ne parler plus de moy ſi advantageuſement. Il me ſuffit ſi je ſuis un du commun de noſtre compaignie, qui en connoy par douzaines entieres entre les noſtres, leſquels, pour parler ſincerement & en vraye rondeur, m'outrepaſſent en toute ſorte de capacité. Mais j'eſtois accaplé avec un tres excellent perſonnage, les vrayes qualitez du quel ne ſe pouvoyent pas bien ramentevoir, ſans m'entrainer avec luy. Il va bien, que Triglandius a ainſi ſceu paſſer cela ſans me depeindre au contraire de couleurs plus veritables, & tout contraires a celles que m'aviez preſté outre mon merite. J'ay veu auſſi ce qu'a faict ce bel eſprit avec une grande ſolidité contre les inepties de Bodecherus, lequel il traite ſelon ſon merite: auſſi ſon Anti-Capel, ou il a diſputé ſelon ſa couſtume, c'eſt a dire treſſolidement & judicieuſement, j'ay ma part a l'obligation du publicq envers ce grand ornement de toute voſtre compaignie, & vous prie le remercier de la part de nous tous. Car tous noz confreres luy en ſcavent grand gré, & noſtre bon viellard, qui me l'a envoyé, m'a eſcrit l'avoir leu avec ſingulier plaiſir & delectation. Il vous plaira luy preſenter noz humbles & cordiales recommandations, comme auſſi a ceſt autre grande lumiere & de ſa patrie & de noſtre ſiecle, les annales duquel, lequel œuvre il promet en ſa preface de la verſion de Stobæe, nous font

gran-

Ep.634. grandement desirer sa longue vie & prosperité, pour en voir l'effect accompli a l'esclaircissement & defense de la verité, & de la renommée de l'autheur, qui s'estend aussi loin, & durera tant que le monde.

Monsieur & tres honnoré Pere, n'ayant pour le present autre chose a vous signifier, je finiray par les plus humbles recommandations de moy & de tous mes compaignons de souffrances tres heureuses, & principalement de nostre grand Nestor (qui m'a prié vous resaluer tres affectueusement de sa part, ne doubtant pas, qu'il seroit tres joyeux d'avoir aucunesfois de voz nouvelles) a voz bonnes graces, & de toute vostre compaignie, priant Dieu qu'il vous conserve en longue & heureuse vie, vous donnant une verte & vigoureuse vieillesse avec accroissement de toutes ses benedictions plus salutaires, prians avoir tousjours lieu en voz prieres, comme vous n'estes jamais oublié aux nostres. De ma prison ce 3. Janvier 1625. année que je vous souhaitte salutaire.

Vostre tres humble Serviteur & tres affectionné Frere en Christ

CHARLES de NIELLES.

EPIC XXXIV.

CAROLUS NIELLIUS

SIMONI EPISCOPIO S.P.

De scripto Camerar. ad ista quæ.

MOnsieur & treshonnoré Frere. Il y a fort long temps que je ne vous ay point escrit, mais si puis je dire sincerement, que j'ay tousjours eu souvenance de vous en mes plus humbles & ardentes prieres a Dieu, a ce qu'il luy pleust vous conserver en longue vie, & vous accroistre ses graces plus salutaires, pour pouvoir encor grandement servir a l'advancement du regne de Jesus Christ, & en ces tristes divisions de la pauvre Chrestienté proposer des conseils de dilection, de paix, & d'edification, pour planter l'amour fraternel entre tous ceux qui ont la crainte de Dieu vifvement enracinée en leur ame, & desirent sincerement de pouvoir estre agreables a Dieu par sa grande misericorde en un seul Jesus Christ. Et pource que je connoy & honnore les tres belles parties & dons excellens, que Dieu a mis en vous, je ne vous ay point voulu importuner par mes lettres, pour ne vous destourber de choses meilleures, ains vous laisser plus tost employer tout vostre temps au service du publicq, que d'en desrober quelque partie pour satisfaire a mes affections particulieres; reputant que vous escrivez aussi bien a moy & pour moy que pour autr'huy, tout ce qui est communiqué au publicq, & je serois peu equitable si je preferois mon contentement particulier a l'edification de plusieurs, qui peuvent beaucoup prouffiter par voz doctes labeurs. Et de me recommander a voz bonnes prieres, je scay que de vous mesme vostre charité vous y incite assez, sans qu'il soit besoin que je vous en requiere: m'asseurant que vostre pieté n'aura jamais laissé sommeiller la dilection fraternelle en vous, comme elle a tousjours par la grace de Dieu retenu sa vigueur en nous. Cependant toutes ces considerations ne m'eussent pas retenu si longtemps, si j'eusse esté plus tost asseuré & du lieu de vostre residence, & du moyen de vous faire tenir mes lettres. Mais comme je vous ay plusieurs fois souhaite avec nostre venerable viellard auprés de ce bon Prince Allemand, qui nous a passé quelques années tendu la main, aussi estoy je tres joyeux d'entendre qu'estiez en deliberation de vous y transporter tous deux, afin d'adviser ensemble avec Monsieur Victor pour bien regler la principale conduicte de nostre bonne cause par de la, & avec les commencemens de la nouvelle ville mettre un bon fondement de la police de l'Eglise, & de la discipline, principalement des Ministres au regard de leur vie, sans laquelle je tiens pour vains & perdus tous les labeurs que prenons, pour advancer la vraye doctrine de pieté. Voire comme les medecines qui ne profitent point, empirent l'estat du pauvre malade; ainsi crois je qu'il vaudroit mieux pour le publicq, qu'on n'eust jamais rien remué, que de vouloir corriger quelques abus en matiere de religion, par des personnes qui expriment en leur vie tout le contraire de la doctrine, pour laquelle ils travaillent & souffrent, & ferions beaucoup plus de fruict avec peu de personnes données de mediocre prudence avec une sincere crainte de Dieu, qu'avec grand nombre de gens, qui n'ont pour tout que la science de parlerie, & qui n'entendent point encor les maladies mortelles de leur ame propre, tant s'en faut qu'ils soyent capables d'appliquer la medecine spirituelle a autr'huy. Les grands dommages qu'avons receu de telles gens par le passé, nous doivent rendre sages a l'advenir. Je scay de combien de perplexitez les conseils de noz plus sages conducteurs ont esté entortillez: & qu'il est plus facile a plusieurs de se plaindre d'autr'huy que de mieux faire. Les passagers inconsiderez imputent souvent aux plus sages & experts pilotes les malheurs causez par la vehemence des tempestes, & qui sont souvent inevitables a la plus exacte prudence. Et puis en l'estat ou nous estions, chacun a voulu estre son propre conducteur, & n'a point esté possible de remedier a plusieurs maux inconnus. Mais maintenant qu'il nous est permis de dresser en publicq une Eglise, je pense qu'il importe merveilleusement, que des l'entrée on travaille en la crainte de Dieu & avec toute la diligence qui est aucunement possible de dresser un ordre Ecclesiasticq, par lequel la li-

Ep.634. licence desbordée soit tenue en bride, aussi bien que la tyrannie empeschée & forcloſe. De nature nous abhorrons la ſervitude, & ſuis bien asſeuré que les perſonnes qui ſont conduicts par l'eſprit de Chriſt, n'appeteront pas a ſeigneurier ſur les conſciences de leurs confreres, ni de borner la liberté de quelqu'un plus avant que la parole de Dieu ne le limite. Mais l'infirmité commune des hommes eſt ſubjette a ce malheur, de tomber tousjours de l'une extremité en l'autre, par haine de la tyrannie on tombe facilement en une licence deſbordée beaucoup pire que la tyrannie, dont advient derechef que l'abus de liberté eſt cauſe d'une tyrannie nouvelle. Pour laquelle cauſe de noſtre temps les plus ſages, comme Melanthon & autres, a la diette de l'Empire, qui ſe tenoit a Auſpourg l'an CIↃIↃXXX, avoyent crainte d'amander l'autorité ancienne des Eveſques, redoutans que les eſprits de quelques uns ne ſe desbordaſſent du tout, quand ils ne ſeroyent plus retenus par aucune authorité, comme ils en avoyent veu des horribles effects en Muncer & autres chefs des premiers troubles en Alemagne, & comme l'experience l'a faict voir es premiers Docteurs des Anabaptiſtes. Je ſcay bien qu'il eſt impoſſible de dreſſer une police par laquelle on puiſſe prevenir & empeſcher toutes incommoditez: la condition des affaires humaines eſt incapable d'une telle perfection. Mais je croy toutesfois que l'experience du paſſé nous peut beaucoup ſervir, & que ſi noſtre ſage Neſtor eſtoit avec vous ſur le lieu, vous pourriez enſemble faire grand bien, & obvier a pluſieurs maux, qui ne ſont pas ſi faciles a oſter quand ils ont pris racine. J'ay veu au baſtiment de la nouvelle ville de Hanau, combien de difficultez & querelles ſe ſont eſmues du commencement entre les chefs, chacun ſe voulant prevaloir ſur ſon compaignon, & n'ont les villes jamais plus grand beſoin de gens prudens, que lors qu'elles ſont encor in fieri. Pourtant je ne vous ſcaurois aſſez exprimer combien je vous ay ſouhaité vous trois enſemble, pour cultiver les occaſions qui ſe peuvent offrir de faire un tres-grand bien, & le plus ſignalé ſervice que pourriez jamais faire, ſelon que je puis voir encores, a la cauſe pour laquelle nous ſouffrons juſques icy. Ce qui me cauſa une grande joye, lors que j'entendis, qu'eſtiez en train de vous acheminer par de la. Mais ayant oui depuis en quel danger vous aviez eſté, je me ſuis trouvé rempli de nouvelle triſteſſe & enſemble de joye. De triſteſſe, pour le peril ou vous aviez eſté, & de ce que voſtre voyage en eſtoit rompu, ou pour le moins retardé: de joye, pource que Dieu vous avoit preſervé comme par miracle d'un ſi terrible danger: dequoy je vous ay congratulé de tout mon cœur. Et cependant ne vous ay oſé eſcrire, ne ſcachant point combien vous arreſteriez par de la. Depuis ce temps j'ay leu trois divers traictez polemiques, que je pouvois aſſez remarquer eſtre procedez de vous, quand bien perſonne ne le m'euſt dit. Je les ay leu tous trois avec un extreme plaiſir & contentement. Bodecherus a eſté traicté comme merite une ame venale & mercenaire, eſclave de ſon avarice. Cappel a auſſi eſté excellemment refuté, combien que voſtre modeſtie l'a en quelques endroicts fort eſpargnée, ne voulant par un choix judicieux employer autres raiſons que preſſantes & ſolides: autrement qu'elle impudence a luy, d'oſer dire qu'on a bien peu tolerer Melanthon, pource qu'il n'auroit faict que propoſer ſimplement ſa creance, ſans rejetter l'opinion contraire. Quelle hardieſſe afin, que je ne die pis! Melanthon n'a il faict que ſimplement propoſer ſon ſentiment, luy qui en tous ſes livres non ſeulement de Theologie, mais auſſi de Philoſophie crie par tout a la jeuneſſe, *ut fugiant Stoicas imaginationes & delira Manichaica*, quæ tollunt contingentiam &c. *Item: Oro juniores quantum poſſum ut fugiant has opiniones; quæ contumelioſa ſunt in Deum & perniciosa bonis moribus*: dit il en ſon traicté *contra articulos Bavaricos*. Il ne ſemble a peine deteſter aucun erreur avec telle vehemence & zele, que ceſtuicy, qu'il avoit le premier aidé a planter en la jeuneſſe. Il y a encor divers autres endroicts, ou Cappel faict violence a la verité de l'hiſtoire. Mais j'ay principalement prins plaiſir, & cueilli beaucoup de fruict de l'Epiſtre, en laquelle eſt examinée l'opinion particuliere de Monſieur Cameron; laquelle m'a confirmé de plus en plus en l'aſſeurance de la bonté de noſtre cauſe, & m'a fort edifié. Vous avez, ce me ſemble, fort heureuſement & clairement exprimé les raiſons qui m'ont tousjours fort eſmeu, & croy que ceux qui ſont ſtudieux de la connoiſſance de verité, trouveront dequoy y prouffiter. J'ay leu auſſi la defenſe du S. Cameron, ou il employe toute ſa ſubtilité, ſa ſuffiſance & faconde, pour guerir ſa cauſe des playes mortelles que luy avez donné: mais il vous donne une occaſion tres ſouhaitable de deſcouvrir de plus en plus la profondeur de ce myſtere d'iniquité, & faire luire la lumiere de verité, en chaſſant au loin toutes les tenebres & brouillis de quoy il la veut obſcurcir. Tellement que conſiderant ceſte belle occaſion qui vous eſt donnée par luy a ſouhait, je viens en doubte, ſi Dieu par une providence ſinguliere ne vous a point retenu en France tout expres, pour rendre ce neceſſaire ſervice a ceux qui ſont touchez de quelque amour de verité. Car puis que ce bon homme vous provoque tant, & ſe plaiſt ſi fort en ſes inventions, qu'il monſtre eſperer voſtre converſion, voire vous prie de luy repliquer, vous ne pourriez reculer, ſans faire, ce me ſemble, un grand tort a la cauſe de Dieu, & a voſtre conſcience, afin que je ne parle point de voſtre reputation.

Ep.634.

Bodecherus

Cappel

Melanthon

Cameron

Avec

Ep.634. Avec ce que ſon œuvre de primeface a je ne ſcay quoy d'attrayant, & eſt propre pour ſeduire ceux qui s'arreſtent a l'eſcorce exterieure, ſans penetrer le ſuc & la moëlle de ceſte peſtilente opinion, qui ſe couvre du pretexte de la hauteſſe de Dieu, & ſe pare de l'apparence de modeſtie & d'humilité, comme pluſieurs gens de bien ſe laiſſent retenir de ce beau pretexte: qu'on ne peut jamais trop attribuër a Dieu, ni trop abaiſſer l'homme, lequel ne peut trouver que ruine & confuſion, quand il veut apporter quelque choſe du ſien, ſans eſtre redevable du tout a Dieu, la Majeſté du quel on ne peut trop exalter, ni trop humilier l'arrogance humaine, qui veut ſonder les ſecrets, que Dieu nous a cachez, & ſe veut rendre Dieu redevable. Voila certes une conſideration plauſible, & laquelle on peut facilement orner de toutes belles couleurs d'eloquence. Mais quand on conſidere de bien pres comment Cameron applique ce beau lieu commun de la hauteſſe de Dieu & de la petiteſſe de l'homme a voz fermes raiſons, & demonſtrations tres evidentes, on void qu'il n'y a que des paroles, & fallaces de ſubtilitez recherchées, ſans ſubſtance ſolide qui puiſſe contenter un eſprit ſtudieux de la gloire de Dieu & de ſa verité. Car Dieu n'eſt pas moins glorifié par la connoiſſance de ſa bonté, ſainćteté, juſtice, loyauté, verité & ſageſſe, que par la connoiſſance de ſa hauteſſe. C'eſt arrogance & orgueil damnable, qu'un pauvre ver de terre ſe veuille attribuer quelque bien de ſoy meſme comme de ſoy meſme; mais c'eſt ingratitude extreme de penſer, que la grace de Dieu nous a manqué, & que ſa bonté nous a defailli plus toſt, que nous n'avons defailli a ſa bonté. Voire que Dieu ait fauſſé le premier ſa promeſſe qu'il nous a faićt a noſtre bapteſme, devant que nous ayons par noſtre ingratitude aneanti ſa grace. Je voudrois que Cameron m'accordaſt une fois ſon opinion avec le propre formulaire du bapteſme des Egliſes reformees de France, ou il eſt dit que Dieu au bapteſme nous promet la remiſſion de noz pechez & la grace de noſtre renouvellement ſpirituel, pourveu que nous n'aneantiſſions la vertu de ce Sacrement par noſtre ingratitude. Si ceſte grace de regeneration opere en nous par une puiſſance irreſiſtible; comment la pouvons nous aneantir? Mais certes tout le tiſſu des raiſons de Cameron introduićt une fatalité purement abſolue, & renverſe toute la nature de vraye religion. Car ſi la religion eſt un debvoir de l'homme envers Dieu, il n'y a rien plus contraire a la nature d'un tel debvoir, qu'une neceſſité purement inevitable. Quelle repentance, quelle douleur & remors de conſcience peut jamais avoir lieu en l'homme, s'il croit fermement n'avoir jamais peu faire mieux qu'il n'a faićt? Son opinion renverſe tout auſſi bien le franc arbitre en Adam devant ſa cheute, qu'aux plus meſchans. Car ſi Adam a eſté privé de la lumiere neceſſaire pour perſiſter en obeiſſance devant ſa cheute; ſi la grace de Dieu luy a manqué devant que luy ait manqué a la grace, qui ne void qu'il luy a donc eſté impoſſible de demeurer debout? Voila donc par terre & purement renverſé tout le fondement, qu'a poſé le Catechiſme de Heydelberg, pour maintenir la juſtice de Dieu en la reſponſe a la IX. demande. Voire ſelon l'opinion du Sr. Cameron, c'eſt fauſſement qu'on attribue a l'homme aucune liberté de volonté es choſes humaines, veu qu'il maintient que la ſcience de Dieu fait la nature des choſes, & pourtant qu'il ne peut connoiſtre les choſes futures s'il ne les a auparavant determinées par une neceſſité inevitable. Or puis que Dieu connoiſt toutes choſes futures, il faudra dire, qu'il a de toute eternité determiné toutes les meſchancetez abominables qui arrivent au monde, & qu'abſoluement il ne veut pas qu'il y ait, ou puiſſe avoir un ſeul homme de bien plus qu'il n'y en a au monde, ni que les gens de bien facent plus de bien, ou laiſſent plus de mal, qu'il ne font reelement. Si cela eſt, qui ne void que c'eſt ſottiſe de ſe repentir, ou deplorer ſes fautes paſſées, puis que nous apprenons par la, que tout ce qu'avons faićt nous a eſté purement inevitable? Et quel ſera le ver de conſcience qui rongera les meſchans, s'ils ſcavent par ceſte doctrine n'avoir peu faire que ce qu'ils ont faićt, & qu'autrement Dieu euſt eſté privé de ſa preſcience? Combien vaudroit il mieux adorer les ſecrets incomprehenſibles de la preſcience de Dieu, que d'abuſer d'icelle pour eſteindre en nous la lumiere de nature, & le teſmoignage naturel de la conſcience, qui teſmoigne aux plus meſchans, qu'ils ont commis pluſieurs pechez qu'ils euſſent bien peu laiſſer, & negligé faire beaucoup de bien, qu'ils euſſent fort bien peu faire? A ce conte la lumiere de vraye religion renverſera & defracinera de fonds en comble la droićte raiſon & toute lumiere naturelle de la conſcience: laquelle dićte & crie a tous hommes, qu'il n'y a point d'excuſe plus juſte, plus equitable, plus peremptoire, que quand nous pouvons dire en verité, qu'il nous a eſté impoſſible de faire autrement que n'avons faićt. *Neceſſitas non habet legem:* S. Chryſoſtome, & devant luy Juſtin Martyr, Tertullian, & tous autres anciens preſſent ſi fort ceſte claire raiſon, qu'ils crient tout haut, que ſi l'homme eſt bon ou mauvais par neceſſité, il n'y peut avoir aucun jugement de Dieu: Et S. Auguſtin de meſmes: *Si non eſt gratia quomodo Deus ſalvat, ſi non eſt liberum arbitrium quomodo Deus judicat mundum?* Et en pluſieurs endroićts il maintient qu'il n'y a point de peché au monde ſi tout advient icy par neceſſité. *Peccatis reum teneri quenquam quia non fecit quod facere non potuit, ſumma iniquitatis eſt & inſania.* Libr. de

Ep.634.

Ep.634. de duabus animab. cap. XII. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*: Libr. de Natura & gratia cap LXVII. Mais il n'eſt beſoin de prendre grand labeur pour ſcavoir ce que la plus ancienne Egliſe a jugé de noz controverſes d'aujourd'huy. *Scultetus*, un des principaux du Synode de Dort, confeſſe haut & clair en ſa *Medulla Patrum*, que tous les Anciens Docteurs de l'Egliſe, qui ont veſcu devant le Concile de Nicée, ont tous maintenu le franc arbitre. Le meſme confeſſent les Centuriateurs de Magdebourg en toutes leurs premieres centuries. Et eſt merveille que Cameron ſe penſe aſſez purger du Manicheiſme en alleguant quelques paſſages de S. Auguſtin ſeulement: veu qu'il eſt evident, que S. Auguſtin eſt bien aucunement d'accord avec noz adverſaires au premier article de noz controverſes, mais point es trois autres, & qu'iceluy prend a grand injure, quand on luy impute qu'il nie le franc arbitre. N'importe auſſi rien, ſoit qu'on die que ceſte neceſſité fatale procede d'une autre cauſe, ou qu'elle n'eſmeut pas l'homme comme une creature brute ou inſenſible; veu que c'eſt egalement neceſſité fatale, ſi elle eſt inevitable, & pourtant fournit tousjours la plus juſte & peremptoire excuſe qu'aucun puiſſe alleguer, s'il peut dire en verité qu'il n'a peu faire autrement qu'il n'a faict. Cecy eſt une doctrine ſi univerſelle & vrayement catholique en tous les Anciens Docteurs, que tous univerſelement reputent pour une hereſie execrable de nier le franc arbitre. Mais j'ay eſté fort eſtonné de lire au livre de Cameron l'erreur & ignorance tres-groſſiere, qu'il attribue a Adam en l'eſtat d'innocence, & ce par defaut de l'illumination divine, qui luy eſtoit neceſſaire pour bien croire. Il tient qu'Adam a creu que Dieu eſtoit malin, envieux, menteur. Comment donc Adam a il eſté creé ſi ſage & doué de ſi excellente connoiſſance qu'on crie communement? Certes je ne croy pas qu'aucun Philoſophe ou payen doué de raiſon, ait jamais eu une opinion ſi fauſſe & deteſtable du vray Dieu. Platon Senecque Epictete euſſent eu horreur d'une imagination ſi deteſtable. Epicure meſmes avoit un ſentiment plus honneſte de Dieu que cela. Et ou ſe trouve aujourd'huy nation ſi barbare, qui croye que le Souverain Dieu puiſſe eſtre tel, qu'on dit icy qu'Adam l'a creu eſtre, & comment celuy qui eſtoit doué d'une ſi excellente connoiſſance pouvoit il ſouſpeçonner telle choſe de la fontaine de ſainctete & bonté? Cameron faict grande parade de deux paſſages de S. Paul, en l'un deſquels eſt dit expreſſement, qu'Adam n'a point eſté ſeduict, mais la femme. L'expoſition qui eſt faicte de ce paſſage en la Bible Françoiſe ne m'a jamais ſatisfaict; aſſc. qu'Adam eſt dit n'avoir point eſté ſeduict, pource qu'il n'a point eſté ſeduict par le ſerpent. Car qu'importe qu'il ait eſté ſeduict par le ſerpent ou par autre? s'il a eſté vrayement ſeduict, je ne voy point comment l'Apoſtre le pouvoit ainſi nier univerſellement? Et telles expoſitions forcées & violentes de l'Eſcriture Saincte pourroyent ſervir aux Jeſuites, pour fonder leur doctrine tant deciriée des equivocations. Car ils pourroyent auſſi imiter ce ſtyle de l'Apoſtre, & jurer qu'ils n'auroyent point veu un tel, ou parlé a un autre, & uſer de telle retenue mentale, aſſcavoir qu'ils n'auroyent point parlé a luy en Anglois, ou a Conſtantinople, ou du temps de leur jeuneſſe &c. Puis donc que l'Apoſtre nie qu'Adam a eſté ſeduict, on peut par ceſte inſtance renverſer la force de ce que Cameron baſtit la deſſus. Mais il dira, qu'il appert au moins qu'Eve a eſté ſeduicte. Voirement oui. Mais d'ou prouvera Cameron, qu'elle ait eſté ſeduicte d'evant qu'avoir commis aucun autre peché? ne pouvoit elle point avoir deſiré de ſe hauſſer par orgueil, & de s'exempter de la ſubjection de Dieu, devant qu'eſtre ſeduicte? Certes il me ſemble que c'eſt choſe horrible a penſer, que Dieu ait abandonné ſa creature devant que ſa creature l'avoit abandonné, & que le premier homme, qu'on dit avoir eu une ſi excellente connoiſſance de Dieu, ait peu croire une opinion ſi groſſierement deteſtable, que tout homme doué d'entendement commun auroit horreur de donner lieu en ſon entendement a une telle penſee. Mais quoy qu'il en ſoit, je voy evidemment, que le S$_r$. Cameron ſauf tout ſon beau langage maintient tout ce qu'il y a de plus cru & groſſier au libre du ſerf arbitre de Luther, & es premiers lieux communs de Melanthon, qui a ouvertement changé & retracté ſes opinions, deſquelles il a eſté honteux, auſſi toſt que l'age & l'experience luy ayans meuri ſon jugement, luy ont faict voir combien elles eſtoyent contraires a la gloire de Dieu, & a la nature de toute religion. Il me ſemble que le S$_r$. Cameron ſe trompe ſoy meſmes, & veut tromper autr'huy par des façons de parler ambigues, confondant aucunesfois enſemble des actions fort diverſes de ce qu'il appelle *judicium practicum: cum ultimus actus judicii practici revera non præcedat, ſed ſequatur determinationem voluntatis. Et propter ſummam conjunctionem duarum iſtarum facultatum ſæpe uni admodum eleganter tribuatur quod eſt alterius proprium.* Comme auſſi la preud' hommie ou probité eſt ſouvent appellée prudence ou ſageſſe, tant es autheurs ſacrez que prophanes. Or il me ſemble Monſieur, que vous avez une tres belle & ſouhaitable occaſion d'eſclaircir de plus en plus la verité. Et me ſemble qu'on peut reſpondre ſolidement aux raiſons du S$_r$. Cameron & faire paroiſtre la foibleſſe d'icelles. Seulement s'il m'eſt permis de dire librement mon petit ad-

vis,

Ep.634. vis, il y a en voſtre lettre une choſe de laquelle je crains quelque ſcandale ou incommodité. C'eſt que vous concedes que Jeſus Chriſt icy en terre a peu pecher. Je n'ay encor, que je ſcache, veu aucun eſcrivain qui ait oſé ou voulu dire cela. Et m'eſt advis qu'on euſt peu eviter la neceſſité de prononcer une choſe, de laquelle je crains qu'on ſe voudra prevaloir pour rendre noſtre bonne cauſe odieuſe. C'eſt exemple de Jeſus-Chriſt Dieu & homme en unité de perſonne eſt en toute manieres tres ſingulier. On ſcait que les privileges ne font point de loy. Et ce ſeroit arrogance intolerable a quelqu'un de ſe vouloir appliquer une impeccabilité, telle qu'il y a eu en Chriſt noſtre Seigneur. Le myſtere de pieté eſt grand & du tout incomprehenſible, que Dieu a eſté manifeſté en chair. J'adore volontiers en reverence ce que je ne puis comprendre. S. Auguſtin, traictant du peché, excepte de la condition commune la S. Vierge mere de noſtre Seigneur; *de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* De meſmes parlent pluſieurs anciens, & jaçoit qu'il y peut avoir eu quelque ſuperſtition meſlée avec leur pieté, j'aimerois mieux toutesfois enſuivre leur religieuſe modeſtie, que de prononcer en ces matieres treshautes & difficiles quelque choſe, qui pourroit ſcandalizer pluſieurs gens craignans Dieu, & nous rendre odieux avec toute noſtre cauſe tant envers les Papiſtes que Martiniſtes & autres, la bienveuillance deſquels nous avons beſoin de meſnager, non ſeulement pour eviter les dangers non neceſſaires, mais auſſi pour ne point effaroucher ceux, que nous ſommes obligez d'attirer doucement a l'amour & connoiſſance de verité. Selon mon petit jugement, il euſt eſté plus a edification, de dire en quelque ſorte a l'imitation de S. Auguſtin. *Excepto ſemper Domino Jeſu Chriſto Mediatore Dei & hominum, de quo propter ſummam reverentiam perſonæ ipſius, nullam volumus habere quæſtionem cum agitur ſive de peccato, ſive de poſſibilitate peccandi: ipſius exemplum omnibus modis prorſus ſingulare eſt, quippe qui Sanctus Sanctorum ſpiritum quoque accepit ſine menſura. Sed non puto Cameronis, aut cujuſquam pii tantam fore ſuperbiam & præſumtionem, ut ſibi & electis ſuis hujuſmodi prærogativam arrogare audeat.* Et cependant je croy de ma part volontiers, que non ſeulement Jeſus Chriſt, mais auſſi quelques uns des fideles peuvent eſtre & ſont aucunesfois tellement remplis ſelon leur meſure des graces du S. Eſprit, qu'il leur eſt comme impoſſible de s'eſloigner de l'obeiſſance de Dieu: comme j'eſtime que pouvons pieuſement croire de Jean Baptiſte, qui a eſté ſanctifié des ſon enfance; & qui eſt ce qui peut pleinement comprendre la grande diverſité des graces excellentes, & des privileges du tout peculiers que Dieu faict a quelques uns? Et n'y a point de doute, que Dieu n'en ſauve pluſieurs par des graces tres extraordinaires, comme il a attiré S. Paul, le brigand en la croix, & pluſieurs treſenormes pecheurs. Il luy faut laiſſer la puiſſance de diſtribuer des privileges par tout ou il luy plaiſt, & je trouve, quant a moy, tres louable l'humble reverence, par laquelle, admirans la grandeur incomprehenſible de Dieu, & l'abyſme de ſes jugemens, & connoiſſans avec ce grand perſonnage Job noſtre vile condition, nous confeſſions volontiers qu'il y a en la conduite de ſa ſage providence & en toutes ſes œuvres une infinité de ſecrets, leſquels noſtre pauvre entendement ne void goute, & deſquelles nous devons prononcer en verité ces humbles confeſſions des plus ſaincts & ſages qui furent jamais: que ces choſes ſont trop merveilleuſes pour nous, & que nous ny connoiſſons rien. *Job.* XLII. 3. & *chap.* XXVI. 14. *Pſeaum.* XXXVI. 7. *Rom.* XI. 33. Et pour vous parler rondement, depuis ce mien empriſonnement, il me ſemble que par la lecture de l'Eſcriture Saincte j'apperçois en noz controverſes aucunes choſes, que les noſtres ne me ſemblent point encor avoir ſi pleinement & nettement declarées, qu'il ſe pourroit bien faire avec le temps. Mais ſi ne faut il pas que ceſte reverence que nous portons a Dieu, & aux ſecrets incomprehenſibles de ſes jugemens, nous bouleverſe tellement le cerveau, que nous luy attribuions des choſes directement contraires a ce qu'il teſmoigne de ſoy, voire a ce qu'il jure en ſa parole, *Ezech.* XVIII. 23. & XXXIII. 11. &c. Je croy que Dieu peut ſauver & ſauve pluſieurs perſonnes par des moyens inevitables, comme il appert en pluſieurs qu'il retire de ce monde devant que le peché a peu corrompre leur eſprit. Et quelle raiſon pourroit empeſcher Dieu, de faire par tout ou il luy plaiſt tout plein de graces extraordinaires? Les Princes donnent tous les jours des privileges par deſſus les loix communes, leſquelles loix ils donnent bien a leurs ſubjects, mais nullement pour ſe lier les mains eux meſmes. Si donc il plaiſt a Dieu d'en ſauver pluſieurs irreſiſtiblement, s'enſuit il pour cela, qu'a l'oppoſite il veuille damner tout le reſte du genre humain & les jetter es tourmens eternels, pour des pechez qui leur ont eſté inevitables? Puis tous fideles ſont ils obligez de croire que Dieu leur fera une telle grace extraordinaire? Cameron les veut icy tous privilegier & leur donner une ſollicitude qui ſoit exempte de toute anxieté. Mais comment cecy ſe peut il accorder avec l'exemple de S. Paul, qui reduiſoit ſon corps en ſervitude, de peur d'eſtre reprouvé? Il commande ailleurs a tous fideles de craindre, *Rom.* XI. 20. 21. & de faire leur ſalut avec crainte & trem-

Ep.634.

utilité de son empriſonnement

Ep.634. blement, *Philipp.* II. 12. Et l'Escriture Saincte est pleine de tels passages, & s'accorde a cecy le consentement de toute l'ancienne Eglise, mesmes S. Augustin, de l'authorité duquel seul Cameron se veut armer. Mais il luy est directement contraire, & croit que nul fidele ne peut icy estre asseuré de sa perseverance, ut *sollicitudinem salutarem utilis metus servet.* J'ay leu autresfois au Mercure François, que le Seigneur Cameron s'estt trouvé en peine, pour avoir par cy devant publié quelque escrit a la louange de deux pirates qui furent executez par justice, desquels Cameron avoit fort exalté l'excellente foy, & l'asseurance qu'ils avoyent de leur salut. Mais il devoit lors penser a ce qu'a bien remarqué le Theologien Escossois Couperus grand Predestinaire, lequel sur le chap. VIII. de l'Epistre aux Rom. dit fort bien, qu'on ne trouve point de gens plus faciles a s'asseurer de leur salut par Jesus Christ, que ceux la mesmes qui n'ont point de part a Jesus Christ ni a ses benefices. Il faut une grande discretion pour bien discerner l'asseurance de la foy d'avec la securité charnelle. Je trouve en l'Escriture Saincte les profondes & treshumbles & vives repentances des fideles, qui ont peché, comme David, *Psaum.* VI. XXXIII. LI. &c. comme S. Piere & plusieurs autres: dequoy les anciens Docteurs souloyent dire: *profundo vulneri profunda adhibenda est pœnitentiæ medicina*; &c. Mais on voit aujourd'huy par ceste sollicitude exempte de toute anxieté, laquelle Cameron recommande tant, regner une vraye profanité, une securité exempte de toute crainte de Dieu: dequoy je ne m'esmerveille pas trop en ceste multitude de disputes, & d'opinions exorbitantes. Car je croy fermement, que si David eust creu, que la providence de Dieu luy eust imposé necessité de commettre adultere & meurtre, il n'en eust jamais peu avoir un tel regret, ni une telle confusion de face avec tant de larmes. Il en eust peu estre triste, que Dieu l'auroit ainsi privé de ceste lumiere irresistible, qui penetre, selon Cameron, *usque ad ultimum actum judicii practici*; mais d'en avoir remors de conscience, d'en accuser soy mesmes avec vergoigne, & d'employer contre soy mesmes ce *Zele*, *& ceste vengeance*, *ce soing*, *ceste crainte*, dequoy parle l'Apostre 2 *Cor.* VII. 11. comme de vrais effects d'une vifve repentance & de la tristesse qui est selon Dieu, je ne croy point que David l'eust faict. Celuy eust esté assez, d'avoir une telle tristesse de son peché, que le Seigneur Cameron peut avoir du peché Originel, duquel il est inevitablement entaché par la desobeissance d'Adam, ou bien un tel remors, que nous pourrions avoir du peché contre la loy, en cas que Dieu ne nous eust point baillé de Loy, ou du peché contre l'Euangile en cas que Christ ne fust point venu au monde. Lequel peché forgé par le S^r. Cameron Jesus Christ tesmoigne ouvertement n'estre point peché, Ep.634. *Johan.* XV. 22. &c. Saint Augustin dit ouvertement en quelque passage, que s'il est impossible de resister a la convoitise, qu'il n'y a donc point de peché a consenter a icelle. Mais je say ineptement & imprudemment de vous empescher par la lecture d'une si longue lettre, & je crains encor d'encourir une juste note d'arrogance, de vous vouloir dire des choses que voitre jugement tresexquis comprend sans comparaison mieux, que ma pauvre incapacité ne scauroit faire. Mais je vous prie croire Monsieur, que je n'escri nullement ces choses pour vous enseigner, je connoy & honnore les excellens dons, desquels Dieu vous a richement orné, & je sçay en partie combien est grande mon ignorance: mais je souhaite d'estre confirmé par vous es choses, ou il vous semble que je ne juge pas du tout mal, & d'estre redressé en mes erreurs, si voz occupations vous permettent de me respondre par un petit mot. Je desire en somme d'estre de plus en plus confirmé par vous en la cause, pour laquelle j'en iure avec vous. Et puis il peut aucunesfois arriver, que les moindres passagers donnent quelque advis salutaire aux meilleurs pilotes. Souvent les plus excellens maistres ne voyent pas en l'ardeur du combat, ce qu'apperçoivent facilement les plus ignorans des spectateurs. Je souhaite qu'ayiez desia respondu au Seigneur Cameron solidement devant que recevoir la presente. Mais si vous ne l'avez pas faict encores, il se pourroit faire que mes maigres considerations vous donnassent occasion de penser a aucunes choses que scavez assez, mais qui ne vous fussient pas venues en la pensée. Monsieur de Beze, escrivant de la personne de Christ, s'est une fois laissé eschapper de dire, qu'il y avoit en luy deux unions hypostatiques, une de l'ame avec le corps, l'autre de toute la nature humaine avec sa personne divine. En estant adverti par un moindre que luy, il l'a corrigé par apres, tellement que cest erreur ne se trouve plus en son livre. Pleust a Dieu que quelqu'un eust semblablement adverti Monsieur Calvin, pour luy faire corriger ceste opinion scandaleuse qu'il a mis en lumiere, touchant les douleurs des damnez, qu'il dit avoir esté endurées par Jesus Christ, ou il y a des choses qu'on ne sçauroit point solidement exempter de tout peché. Mais encor icy je plus souhaité autresfois, qu'en l'histoire du supplice de Servet il se fust abstenu de coucher ces mots: *Quanquam fatear me non fuisse illi usque adeo infensum, quin licuerit vel sola modestiâ vitam redimere.* Ah, quelle imprudence pour un homme si sage! Je n'approuveray jamais en personne l'immodestie: mais estoit ce un peché si enorme d'estre immodeste contre Calvin, qu'il falust pour ceste cause brusler vif un pauvre homme errant? Il me semble que Calvin s'est plus flestri soy mesmes par

Couperus

nota contra Calvinianos

Erreur de Beze

Contre Calvin

Servet

Cruelité de Calvin

Ep.634. par ces paroles envers toutes perſonnes non paſſionnées, & qui ſont douées de l'eſprit de Chriſt, qu'il n'a faict Servet par tous les erreurs, qu'il luy impoſe. Il devoit taire cela encor qu'il euſt eſté vray. Je voy que Cameron vous taxe auſſi ſouvent de faute de modeſtie, ce qu'il ne feroit pas s'il vous connoiſſoit ſi bien que je vous connoy. Mais qu'elle arrogance a ces gens icy, de penſer que tout le monde doit plus de reſpect a Calvin, que luy meſme n'en a monſtré contre toutes les plus grandes lumieres de l'antiquité. Avec qu'elle irreverence ſe prend il a S. Hierome? Avec quel meſpris eſt il accouſtumé de parler de pluſieurs grands Conciles, leſquels en ſplendeur d'autorité humaine, & en apparence de majeſté mondaine ſurpaſſent plus avant les pauvres Synodes de Dort, Alez & Charenton, que ces trois Synodes la ne ſurmontent quelque petit conſiſtoire d'une Egliſe de France. Quand Beze oſe dire, que l'eſprit du Diable a preſidé en pluſieurs des meilleurs Conciles de l'ancienne Chreſtienté, c'eſt modeſtie Calviniſtique. Mais quand vous oſez revocquer en doute, qu'un Synode National ou deux de France n'a pas bien compris l'interieur du ſentiment de Cameron, c'eſt une confidence inexcuſable, comme ſi on avoit deſia oublié la belle maturité & prudence que quelques Synodes Nationaux ont employé a condamner l'opinion de Monſieur Piſcator au poinct de noſtre juſtification. Si le Seigneur du Pleſſis & quelques ſcavans perſonnages n'euſſient eſté plus prudens, que ceſte bruillante vehemence des Synodes, qui ſe laiſſoyent conduire par quelques teſtes plus zelées que ſages; on euſt cauſé un ſchiſme pour ceſte occation par toutes les Egliſes reformées. Il me ſemble que le Seigneur Cameron meſmes affecte plus l'apparence de modeſtie, qu'il ne s'eſtudie d'en avoir la verité. Il ſe moque de ce que voſtre Epiſtre au frontiſpice vous attribue le tiltre d'homme docte, & dit par humilité Catholique que luy n'eſt pas docte, mais qu'il ne peut empeſcher qu'autres luy donnent ce titre, &c. Et cependant nous produict diverſes lettres & atteſtations de ſon admirable erudition & ſubtilité, avec nombre de ſignatures, comme les charlatans mettent en leurs bulles. Noſtre Feſtus nous y eſt introduict comme un oracle de ſapience & ſainctеté, donnant au Seigneur Cameron le prix de doctrine & ſubtilité. En ſomme il faict luy meſmes trompeter ſes louanges par autr'huy, & puis joue le perſonnage d'homme modeſte. Il vous corrige voſtre Latin, comme nouveau Critique, ne voulant point qu'on employe le mot de *fucus* en la ſignification, qui eſt ordinaire non ſeulement aux hommes doctes de noſtre temps, mais aux meilleurs autheurs Latins. Vanité magiſtrale! Il ſe plaiſt en aucunes ſubtilitez vrayement pedanteſques, & qui ont de la vaine oſtentation, mais peu ou point de ſolide edification. Quel tintamare faict il d'entrée & en l'Epiſtre dedicatoire a deviner les cauſes, qui peuvent avoir eſmeu a taire voſtre nom? deſquelles il faict un denombrement inſuffiſant: & faict ſonner cela ſi haut, comme s'il y avoit du crime a publier des eſcrits ſans le nom de leurs autheurs. Bucer donc aura bien faict pis en changeant le ſien, comme auſſi a faict de Beze en quelques eſcrits. Zacharie Urſin, docte perſonnage de noſtre temps, n'a jamais voulu qu'aucun ſien eſcrit fuſt publié durant ſa vie qui portaſt ſon nom. Dequoy il rend expreſſément une raiſon importante, que Cameron n'a point touché: parce, dit il, que bien ſouvent il arrive es eſcrits polemiques, qu'on oublie la ſubſtance principale, pour s'attaquer a la perſonne de l'eſcrivain. Le Seigneur Cameron debvoit avoir conſideré ceſte raiſon entre tant d'autres qu'il s'imaginé pour les refuter. Il penſe qu'on n'apperçoit point la groſſiere hypocriſie & la farce plus que Neronene, qu'il faict jouer a Dieu, luy attribuant *duplicem ſchefin*, comme Calvin parle de double perſonnage, & Luther en ſon ſerf arbitre *de Deo abſcondito & Deo revelato*. Mais qu'elle hardieſſe a luy, d'oſer prononcer ſi magiſtralement, que noſtre creance eſt odieuſe a toutes gens de bien. Nul ne peut nier, que ce ne ſoit la creance des plus anciens Docteurs de l'Egliſe, & aujourd'huy encores de toute la Chreſtienté, horſmis ſeulement les Inquiſiteurs d'Eſpaigne, & quelques autres qui les ſuivent avec les Calviniſtes. Dont s'enſuivra, qu'il ne ſe trouve nuls gens de bien au monde horſmis les Calviniſtes. Entre les Anciens peres ny aura pas eu un ſeul homme de bien. *Melanthon*, nommé par les Calviniſtes de Neuſtadt le *Phenix d'Allemagne*, n'aura pas eſté homme de bien, ni Hemmingius, ou aucun de ſes diſciples, qui paſſent bien avant le nombre la doctrine & pieté de tous les Venerables Peres de Dort d'Alez & Charanton, quand bien on y adjouſteroit tous les teſmoins qui ont ſigné les bulles du Sr. Cameron. Il dit, que nul homme de bien ne nous a iamais donné le tiltre d'aſſerteurs de pieté, de deſtructeurs de la fatalité &c. Le Seigneur Cameron n'a point encor parlé a tous les gens de bien de la Chreſtienté, ne ſuſt qu'il ſe tient deſia pour Pape, & croye que nul ne peut eſtre bon Chreſtien ſans croire comme luy, & ſelon les Canons de ſes trois Synodes. Il y a encor des gens de bien autre part qu'en France, & qu'es Egliſes Calviniennes. Il eſt certain que les Theologiens de Witteberg, Lipſich, Strasbourg, Tubinge, quatre Academies qui ont eſté les premieres reformées de noſtre temps, & qui ont des lettres un peu plus anciennes que les bulles de Cameron, ont par des eſcrits publics declaré, que ceux, qu'on nomme Arminiens au pays bas, ſont homodoxes avec elles es poincts pourquoy ils ont eſté condamnez par le Synode de Dort. Dont ceux de Wittenberg ont

Ep.634. pris occaſion d'exhorter tous ceux de la confeſſion d'Auſpourg, eſpars en Boheme, Auſtriche, Sileſie, Moravie &c. de ſe bien donner garde d'aider a accroiſtre la puiſſance des Calviniſtes, *perſecuteurs de ceux qui leur ont preſenté la fraternité, laquelle*, diſent ils, *on nous a frauduleuſement preſentée paſſé tant d'années. Car s'ils ont ſi cruellement traicté ceux qui ſont d'accord avec nous au poinct de la predeſtination & ſes dependances, comment nous euſſent ils ſupporté, qui avons tant d'autres controverſes avec eux? Et maintenant*, adjouſtent ils, *ces gens travaillent nuict & jour, pour eſlever un Prince de leur Religion a la dignité imperiale. S'ils peuvent obtenir ce poinct, on ſe peut bien aſſeurer que ceſt Empereur Calviniſte nous convoqueroit en Allemagne incontinent un Synode ſur le modelle du Synode de Dort. La ou leurs Docteurs tiendroyent le haut bout, & nous pauvres Lutheriens ſerions contraincts de venir la devant noſtre partie adverſe le chappeau a la main, & eux auroyent l'authorité de nous tailler noz morceaux, nous demander ce qu'il leur plairoit, & nous laiſſer reſpondre ſi avant qu'ils trouveroyent bon. S'enſuivroit le jugement Synodal avec ratification de l'Empereur, auquel quiconque n'obeiroit point ſeroit traicté auſſi fraternellement qu'ils ont traicté les Arminiens en Hollande: voire encor pis. Car c'eſt un article de foy entr'eux, qu'il faut exſtirper les hereſies avec le glaive. Or ſommes nous deſia heretiques en leur opinion. Car ils nous appellent Pelagiens, Neſtoriens, Eutichiens. Doncques le bourreau feroit incontinent la concluſion, & la grande benignité & douceur fraternelle de Calviniſtes ſe termineroit en une amertume bien lamentable pour nous & pour toute l'Allemagne.* J'ay leu cecy de mes propres yeux en une remonſtrance publicquement imprimée a Wittenberg en l'an CIↃIↃCXIX. lors que les affaires de l'Electeur Palatin eſtoyent en leur plus grande proſperité. Et a eſté ceſte Remonſtrance imprimée en Allemand, & eſparſe par la Boheme, & autres pays, pour deſtourner les Martiniſtes, qui y ſont en tresgrand nombre, a ne point aſſiſter d'argent & forces le Roy Fridrick. En quoy je ſuis treſmari que noſtre malheur a ſervi, pour affoiblir ceux qui s'oppoſoyent a l'Antechriſt Romain. Mais les bons confreres de Cameron devoyent plus meurement avoir penſé a leurs affaires, devant que pourchaſſer ſi chaudement la condamnation d'une creance, qui nous eſt commune avec le meilleure partie de toute la Chreſtienté, tant ancienne que moderne. Et luy, qui veut paroiſtre ſi modeſte, devroit eſtre un peu plus circonſpect, a prononcer ſon jugement de tant de miliers de gens de bien, qui ne cedent, graces a Dieu, ni a luy, ni aux ſiens, en aucune bonne qualité. Il produit encores un fragment de miſſive par luy eſcrite a Monſieur du Pleſſis, ou il dit qu'il a touſjours fermement creu, *que ceux la ſont decheus de Chriſt, qui attribuent tant ſoit peu a l'homme*, &c. Ce qu'il Ep.634. applicque ſur nous. Or puis que, ſelon le propre teſmoignage de Scultetus & des Centuriateurs, tous les celebres Docteurs de l'Egliſe primitive ont a leur advis trop attribué au Franc arbitre; Ergo ils ſont tous decheus de Chriſt. Melanthon le Phenix d'Allemagne avec tous ſes diſciples, toutes les Egliſes de la confeſſion d'Auſpourg en Allemagne, Suede, Danemarc, Pologne ſont toutes decheus de Chriſt. Et puis que Calvin confeſſe, que ſon opinion du ſerf arbitre eſt directement contraire a ce qu'on a creu en pluſieurs ſiecles: puis que Melanthon a l'aage de XXV. ans en la premiere impreſſion de ſes lieux communs nous diſoit rondement, *que tous les anciens, Pere point un ſeul excepté, avoyent erré en ce point*, on pourra dire que la doctrine neceſſaire a ſalut a eſté du tout eſteincte au monde juſqu'a la venue de ces nouveaux Docteurs. Melanthon a eu honte de ceſte ſienne temerité & inſolente hardieſſe, a condamner ainſi en un mot tous ceux qui l'avoyent precedé. Que le Seigneur Cameron, s'il luy plaiſt, ait honte auſſi de ceſte ſienne arrogance, & luy qui vous reproche tant de fois voſtre pretendue confidence, apprenne a eſtre un peu plus retenu a prononcer telles ſentences, & a condamner tant de millions de fideles, pource qu'ils n'ont point creu la fatalité de Calvin, & le Manicheiſme renouvellé du Seigneur Cameron. Que ſi le conſentement ou authorité de ſes trois Synodes luy enfle tant le courage, qu'il conſidere que les Ariens ſous l'empire de Conſtantius ont eu dix Synodes Generaux, ſelon le teſmoignage de Wittaker, eſquels l'Arianiſme a eſté confirmé, & la verité condamnée. Un ſeul de ces Synodes la avoit plus de luſtre & d'apparence que dix Synodes de Dort ou Charenton ne pourroyent avoir enſemble. Eſcoutez un peu, s'il vous plaiſt, ce que Victor recite de Hunnericus Roy des Vandales Ariens, qui avoit occupé toute l'Afrique. Il fit un edict touchant la religion contre les Homoouſiens, (les Ariens donnoyent ce nom aux orthodoxes) lequel edict eſt inferé tout entier par Victor au livre 3. *de perſecut. Vandalica* au commencement. Le Roy nommoit ce placard *legem profluentem e fonte juſtitiæ, ac dicit, ibi eſſe homines homoouſion erroribus implicates, quorum fides prædamnata eſt concilio Ariminenſi a mille & quot excurrunt Pontificibus de orbe collectis.* Voila bien une autre magnificence, que tout ce qu'on peut dire des Synodes de Dort, Alez & Charenton, qui ne ſont que petis conventicules au prix de cela. Or je ne croy point que Cameron prendroit de mauvaiſe part, ſi quelqu'un oſoit dire, que le Synode d'Arimini, au double plus grand que celuy de Nicée, auroit failli par imprudence, condamnant l'homoouſion ſans en bien comprendre l'importance. Pourquoy donc prend il de ſi mauvaiſe part,

Digitized by Google

Ep.634. part, ſi quelqu'un eſtime que ces petis ſynodes peuvent avoir failli par prejugé ou autre infirmité humaine? C'eſt une abſurdité trop groſſiere, que les Reformez d'un coſté maintiennent contre les Papiſtes, que tous Synodes peuvent faillir & errer, voire que les eſleus meſmes peuvent errer toute leur vie es choſes non neceſſaires a ſalut, & meſmes pour un temps es articles les plus neceſſaires, & cependant veulent contraindre par pure violence les gens de bien, de tenir pour verité tout ce que leurs Synodes, qui ſuivant leur propre doctrine ſont ſubjects a errer, ordonnent. Les Papiſtes ont ſans comparaiſon plus d'apparence d'exercer perſecutions contre les pretendus heretiques que n'ont ces gens cy. Cameron ſe mocque ſarcaſtiquement de noz calamitez, diſant que vous & autres pouviez tranquillement demeurer en voſtre pays. Auſſi pouvoit Cameron & tous les ſiens demeurer tranquillement en leurs maiſons, lors qu'ils ont tant de fois troublé leur patrie par guerres (ce que nous n'avons encor jamais faict graces a Dieu) plus que civiles, pour avoir libre exercice de leur religion. Et le Prophete Daniel pouvoit librement demeurer en repos, lors qu'il aima mieux eſtre jetté en la foſſe des lions, que de s'abſtenir l'eſpace de xxx. jours d'invoquer publiquement ſon Dieu. Je demanderois volontiers au Seigneur Cameron, ſi un vray Chreſtien peut en bonne conſcience promettre, qu'il s'abſtiendra d'edifier ſon prochain en la verité, qu'il croit eſtre ſalutaire & bien fondée en la parole de Dieu? Ou s'il peut dire le mal eſtre bien, & le bien eſtre mal contre ſa conſcience, pour vivre a repos en ſon pais? Il eſt facile a ces Meſſieurs d'inſulter par une petulance charnelle aux miſerables, & d'adjouſter affliction aux affligez. S'ils avoyent auſſi bien l'effect qu'ils veulent avoir l'apparence de modeſtie & pieté, ils s'abſtiendroyent de tels ſarcaſmes couverts, & craindroyent que le meſme leur peut auſſi bien advenir, d'eſtre chaſſez de leurs pays, comme il nous eſt advenu: dequoy je prie Dieu les preſerver par ſa clemence infinie. Ceux de Heydelberg ſe mocquoyent auſſi de nous en grande ſecurité lors qu'ils eſtoyent au Synode de Dort. Las en quel eſtat eſt a preſent reduict ce pays ſi floriſſant, auſſi bien que celuy de Heſſe? Je ſuis mari de leur calamité, & ja ne m'advienne que je pervertiſſe l'uſage des jugemens de Dieu, pour ſementer en moy aucune mauvaiſe paſſion, ou pour repaiſtre mon affection de vengeance. Nul ne ſcait ce que luy doibt advenir, & tel eſt heureux ſelon le monde a ce ſoir, qui ſe levera demain miſerable. Mais le Seigneur Cameron devroit avoir peur de tels exemples, & juger plus ſagement & charitablement de ceux qui ſont affligez. Finalement je voy Cameron diſputer fort ſubtilement & a ſon aiſe de ceſte lumiere, qui eſclaire irreſiſtiblement les ſeuls eſleus; & qui leur faict aimer Dieu ſi ardamment, qu'ils ne luy ſcauroyent non plus deſobeir, qu'un enfant bien né & d'excellente pieté ne peut ou ne ſcait deſobeir a ſon pere. Voila une fort belle ſpeculation. Mais je cherche & recherche ou, & en quel parti de toute la Chreſtienté ſe rencontrent ces gens illuminez de ceſte lumiere tant puiſſante, & qui commencant par l'entendement, s'inſinue en toutes les facultez de l'ame. Selon Cameron tous ceux qui ne croyent point une telle illumination irreſiſtible ſont decheus de Chriſt. Doncques on ne les trouvera nulle part qu'entre les Calviniſtes. Si je ne les connoiſſois point, ſi je n'avois veſcu entr'eux, ſi je n'avois veu, gouſté & experimenté leur converſation, j'en pourrois croire quelque choſe, puis que Cameron nous en donne tant d'aſſeurance. Certes j'ay experimenté qu'on trouve entr'eux des gens de bien. Mais point davantage, ſelon la proportion de leur nombre, qu'es autre partis de la Chreſtienté; meſmes en excellence de pieté, en integrité, humilité, modeſtie, charité, benignité, attrempance & autres fruicts du S. Eſprit, il y en a es autres ſectes qui les egalent ou ſurmontent de bien loing. Ainſi toute ceſte belle ſpeculation de lumiere ſi puiſſante, ſi divine, ſemble eſtre une peincture en l'air de choſe, dont on ne void aucun effect. Les Theologiens de Baſle donnent un grand teſmoignage d'excellente pieté a S. Caſtellion, & meſmes Polanus grand predeſtinaire confeſſe, que Caſtellion a eſté *de ſaincte vie & d'une converſation exemplaire*: lequel Calvin par un appetit vindicatif & fort contraire a l'eſprit de Chriſt nous a depeinct en ſes eſcrits comme un larron, profane & atheiſte. De Beze auſſi tache avec toute ſon eloquence de le rendre infame & deteſtable autant qu'il peut. Je voy bien en de Beze un langage Ciceronien, un ſtyle ſatyricq, & une eloquence pour diſertement railler, picquer & navrer la bonne renommée de ſon adverſaire.* Mais je ne voy ni es poeſies de ſa jeuneſſe (qu'on peut pardonner a l'aage) ni es eſcrits de Theologie aucune marque de ceſte illumination ſi puiſſante, de quoy parle Cameron. Et toutesfois il nous a dechiffré ſi nettement & particulierement tous les degrez de la treshaute predeſtination, que c'eſt merveilles qu'un homme en a peu tant ſcavoir. Je trouve quant a moy plus d'edification de pieté es eſcrits d'un Thomas a Kempis, d'un S^t. Bernard, & autres qui ont eu des erreurs, que je ne ſcauroy trouver en toute la treſexacte pureté de Beze & Calvin. Et ſur tout, je ne trouve point que leurs adverſaires leur ayent jamais donné bon teſmoignage, comme Polanus a bien faict a Caſtellion, meſmes en l'endroict ou il diſpute contre luy touchant la predeſtination. Ainſi je trouve que des grands Papiſtes, entr'autres François premier Roy de France, a eu Melanthon en grande eſtime, le tenant pour un homme de bon-

Ep.634.

Castellion

emportement de Calvin

Thomas a Kempis S. Bernard

Ep.634. bonne conſcience, lequel il avoit propoſé de faire venir en France pour l'ouir en ſa preſence conferer de la religion Chreſtienne avec quelques graves Theologiens du parti contraire. Or eſtoit Melanthon en ce temps la decheu de Chriſt, ſelon la ſentence peremptoire de Cameron, qu'avons veu cy deſſus. C'eſt donc merveille que luy tenant pour Manicheiſme l'opinion de Cameron, a toutesfois receu un ſi grand teſmoignage des Calviniſtes & d'aucuns Papiſtes, la ou Calvin & Beze n'ont eſté louez que de leurs ſectateurs. Certes une lumiere ſi divine ſi excellente & puiſſante devroit, ce ſemble, produire des autres effects. Et ſi tous ceux qui ſont participans de ceſte lumiere ſont portez par une inevitable neceſſité a l'obeiſſance de Dieu & vraye ſainſteté, & ſi ces predeſtinez de Cameron ne ſe trouvent qu'entre les ſeuls Calviniſtes, & que tout le reſte de la Chreſtienté eſt deſcheue de Chriſt, il faudroit qu'il y euſt une merveilleuſe difference entre eux & tous autres hommes, autant qu'entre les enfans de Dieu & les enfans du Diable. Je dis a prendre les uns & les autres en gros & en commun. Or on voit evidemment le contraire. Et quand a l'opinion en ſoy meſmes, que ſera toute l'Eſcriture Sainſte autre choſe qu'une cruelle farce, ſi Dieu ſe courouce, ſe plainſt, ſe lamente, de ce qu'il y a ſi peu de gens de bien, en cas qu'il a voulu abſolument qu'il n'y en puiſſe avoir un ſeul davantage? Combien eſt il horrible de croire de la bonté ſouveraine de Dieu, qu'il punit de tourmens eternels la plus part de ceux qu'il appelle a ſoy par l'Euangile, pource qu'ils ne font point ce qui luy meſme a ordonné qu'ils ne ſcachent jamais faire. *Il y a peché*, dit S. Jaques, *a celuy qui ſcait faire le bien & ne le faict pas. Jacobi* IV. 17. Et tous les anciens Theologiens croyent que l'ignorance invincible excuſe de peché, & par un inſtinct d'humanité on faict ce jugement des pauvres innocens, auxquels Dieu n'a point donné l'uſage de raiſon, qu'ils ne lairont pas d'eſtre ſauvez. Je ne ſcay ſi Cameron les oſeroit conter entre ceux qu'il prononce eſtre decheus de Chriſt. Mais c'eſt aſſez de cecy. J'eſpere que vous deſcouvrirez a plein la foibleſſe de ces raiſons, eſquelles il ſe plaiſt tant. Au reſte j'entens que le zele commence a ſe rallumer en noz pauvres Egliſes, mais qu'il y a grand faute de bons ouvriers. Je ſuis mari que nous ne pouvons aider noz confreres ſelon noſtre petite capacité. Nous ſommes icy preſentement ſix Miniſtres priſonniers, ſans qu'il nous ſoit permis de nous entrevoir ni eſcrire l'un a l'autre, ſinon a la deſrobée. J'ay ma femme avec trois enfans aupres de moy, ce qui m'empeſche fort en mes eſtudes. La ſolitude, ou la compaignie de quelque homme ſtudieux ſeroit plus ſelon mon humeur. Je n'euſſe jamais penſé, que le temps m'euſt ſemblé ſi court en ceſt eſtat: je voudrois pouvoir rallonger les jours de la moitié. J'ay ſouvent des longues confe- Ep.634.
rences par lettres avec ceſte bonne ame, je dis ce venerable viellard, qui eſt icy, qui me propoſe ſouvent des queſtions de Theologie, aux quelles je reſpons ſelon ma pauvre capacité. Mais il recoit avec une debonnaireté ſi entiere tout ce qui vient de moy, que je trouve grand plaiſir au travail, que je prens pour luy complaire. Il nous eſt a tous un vray patron d'integrité, de patience & de conſtance, declarant qu'il aime mieux mourir en priſon, que de faire ou dire choſe aucune, qui puiſſe bleſſer ſa conſcience ou ſcandalizer les infirmes. Il m'a prié de vous ſaluer treſaffectueuſement de ſa part, quand je vous eſcrirois, comme auſſi tous les autres amis qui ſont en France. Je m'eſtonne que la deuxieſme admonition de Triglandius eſt ainſi demeurée ſans reſponſe: laquelle toutesfois donne belle occaſion de traicter avec edification divers poincts de doctrine qui ſont par luy touchez, & auſſi de le convaincre clairement de fauſſeté en pluſieurs poincts. Si on pouvoit dreſſer a Fridrickſtadt un bon ordre, & qu'il y euſt une imprimerie, je ſouhaiterois extremement que noſtre bon Neſtor, ceſt ancien & excellent ſerviteur de Dieu, auquel vous avez ſi longtemps tenu compaignie, nous communiquaſt ſes ſermons ſur l'Eccleſiaſte de Salomon, & autres belles pieces qui me ſeroyent plus precieuſes qu'aucun joyau de grand prix. On m'a communiqué un eſcrit Flamend, touchant la nullité de l'excommunication Calviniſtique de quelques gens de bien en Amſterdam, que j'ay leu avec un merveilleux plaiſir & grande edification. Peut eſtre que la poſterité cuillera quelque plus grand fruict de noz labeurs & ſouffrances. Ce nous eſt aſſez, que nous attendions noſtre loyer au ciel par la miſericorde de Dieu en Jeſus Chriſt, & qu'en ceſte vie nous jouiſſions de la douce tranquillité d'une bonne conſcience. Pour moy je m'attens a finir icy mes jours en la meſme chambre, ou mon treshonnoré confrere, ceſte ame ſaincte & paiſible, a heureuſement fini tous ſes travaux, & s'eſt repoſée au lict d'honneur. Vous avez icy une rapſodie longue & facheuſe, j'eſcriray plus ſuccinctement une autre fois. La lecture recente de Cameron m'a rendu prolixe plus que je ne penſois. Et puis, parce qu'il me faut eſcrire parmi le bruict de femme & enfans, qui ſont tousjours enfermez en meſme chambre avec moy, je vous prie prendre de bonne part ceſt amas confus de divers propos, & ſi le temps le permet, je vous ſupplie que puiſſions avoir aucunesfois un petit mot de voz nouvelles, quand ce ne ſeroit que de peu de lignes, pour ſcavoir comment vous vous portez avec tous les bon S^rs. & amis de pardela. Je finiray par mes humbles recommandations a voz bonnes graces, & de tous ceux auxquels vous penſez que mes petites recommandations peuvent eſtre agreables:

no-

Ep.635. notamment de noſtre treshonnoré Pere en Chriſt, ſi vous eſtes encor aupres de luy, de Monſieur noſtre Grand, Monſieur Tilenus, Goulart, Dor, Trezel, & tous ceux de ma connoiſſance, priant Dieu,

Monſieur & treshonnore frere, qu'il vous conſerve en longue proſperité, & vous rende de plus en plus un inſtrument d'eſlite pour advancer ſa gloire a l'edificarion de pluſieurs & a voſtre ſalut. De ma priſon ce 14. Febvrier 1625.

Voſtre treshumble Frere & Serviteur

CHARLES de NIELLES
Priſonnier de Jeſus Chriſt.

IↃC XXXV.

CAROLUS NIELLIUS SIMONI EPISCOPIO S.P.

Reſponſio.

MOnſieur & treshonnoré frere. J'ay entendu avec une ſinguliere joye voſtre heureux arrivement en ces quartiers, dequoy je remercie le bon Dieu, comme d'un grand benefice pour noſtre bonne cauſe, & le prie vous y preſerver de tout mal, & benir plantureuſement voſtre perſonne & voz bons deſſeins a ſa gloire. Nous euſſions fort ſouhaitté, que ceſt excellent perſonnage, qui eſt retourné vers Holſteyn vous euſt peu icy accompaigner. Mais ne pouvant davantage eſtre abſent de ſa famille grieſvement affligée, il nous faut acquieſcer au bon plaiſir de Dieu, & nous contenter de ce qui ſe peut faire. Et comme nous ne doutons pas, qu'il ne vous ait amplement declaré l'eſtat des affaires de par deça, ainſi je n'entreprendray pas de vous en eſclaircir, veu que les freres qui peuvent parler de bouche avec vous, ont le moyen de vous informer de toutes particularitez mieux que nous ne ſcaurions faire. Seulement j'ay voulu vous congratuler treshumblement voſtre advenement en ces pays, lequel je ſouhaite pour voſtre ſeureté, & pour le bien commun, que ſoit tenu le plus ſecret que faire ſe peut. Monſieur Victor durant ſon ſejour par deça ayant a voyager de part & d'autre, avoit eſté rencontré & reconnu par un des Miniſtres du party contraire entre Delft & la Haye. Vous entendez combien cela eſt dangereux, & pourtant vous ſupplie eviter tous perils & dangers autant que faire ſe peut, & ne point beaucoup voyager. Vous ſcaurez mieux que moy ou c'eſt que voſtre preſence ſera la plus neceſſaire, & j'eſpere que par l'entremiſe des plus fideles amis, vous y trouverez quelque maiſon, ou puiſſiez eſtre a couvert & aſſeuré. Si noſtre bon Neſtor, ce venerable viellard qu'avez ſi long temps accompaigné en France, pouvoit venir par deça avec une mediocre aſſeurance pour ſa perſonne, ce nous ſeroit une joye indicible, & ſa prudence incomparable, ſon jugement exquis, ſa longue experience, & l'authorité qu'il a vers pluſieurs perſonnes de marque, & notamment vers Monſ. le Pr. qui reſpecteroit ſes ſages advis, pourroit ſans doute effectuer tout ce qui ſe pourroit eſperer en un temps ſi confus, & auquel les affaires ſe trouvent entortillées de mille difficultez. Mais puis que ne pouvons encor jouir de ſa preſence extremement deſirée & neceſſaire, encor nous ſera ce un grand contentement d'entendre, qu'il ſoit heureuſement arrivé au lieu, vers lequel il deſſeignoit aller, & ne ceſſeray, de prier Dieu qu'il y addreſſe ſon voyage, & le conſerve en longue vie & ſanté pour l'advancement de ſa gloire. Il ſera la plus proche de ces pays, & on pourra mieux communiquer avec luy ſur toutes occurrences qui ſe preſenteront. J'ay paſſé plus d'un an receu de luy & auſſi de vous des lettres pleines d'affection & de courtoiſie, aux quelles j'euſſe reſpondu paſſé long temps: mais j'ay depuis le decez du feu Prince de H. M. tousjours eſté en doubte du lieu de voſtre reſidence, pource qu'on nous rempliſſoit icy de tous coſtez de grandes eſperances, que ſeriez en brief rappelles par deça: ce que de ma part j'ay tousjours autant ſouhaitté, que peu attendu: ayant tousjours predit & aſſez preveu, qu'il y auroit a cela plus de difficulté qu'on ne penſoit. Non que je vouluſſe revoquer en doute la bonne volonté & l'affection de celuy, que Dieu a eſlevé en la dignité du defunct. Mais je connoy en partie par noſtre propre experience, en partie par la lecture des hiſtoires, l'eſprit & l'humeur de noſtre adverſe partie, qui tiennent pour juſte & legitime tout ce qui ſe faict par zele de la Religion Reformée: & pourtant je m'ay tenu pour aſſeuré, qu'ils feroyent des ligues entre ceux qui ſont intereſſez en la conſervation de leur authorité Eccleſiaſtique, pour laquelle on a entrepris & faict tant de choſes contre toutes les loix de nature, & du pays. Cependant avec le temps il ſe pourra faire quelque choſe a noſtre advantage. Et quand bien nous debvrions icy finir noz jours en ceſt eſtat, ſi devons nous ſouhaitter l'advancement du Regne de Jeſus Chriſt, le redreſſement de la doctrine de verité qui eſt ſelon pieté, & tacher juſques a la mort de combatre pour une cauſe ſi ſaincte & ſalutaire, auſſi pour la liberté de conſcience, & pour propoſer tous moyens poſſibles d'unir en charité & en vraye concorde fraternelle tous ceux qui craignent Dieu, & ſont menez par l'Eſprit de Jeſus Chriſt, a quoy la tolerance de ceux, qui de pluſieurs choſes peuvent avoir autre ſentiment que nous, eſt grandement neceſſaire. Je croy qu'aurez entendu qu'un certain Miniſtre de Neurembergues Joachim Peuſchelius, a eſcrit

Ep.631.

Pauschelius

Ep.635. ſcrit a noz Confreres qui ſont a Fredrickſtadt des lettres congratulatoires de leur conſtance, a maintenir la verité parmy tant de ſouffrances, leur mande auſſi que les eſcrits des noſtres ſe liſent de pluſieurs gens doctes en Allemaigne avec grand contentement; meſmes noſtre Confeſſion, laquelle le dit Peuſchelius a tranſlatée du Latin en Allemand, en intention de la faire imprimer. Nous debvons grandement ſouhaitter, que les conſiderations de Tolerance mutuelle s'eſpandent au long & au large entre tous Chreſtiens, qui ſeroit un vray moyen pour faire breſche a la Papauté, laquelle n'a rien de plus plauſible que cecy, que puis qu'il faut decider de toutes controverſes de Religion, il faut donc qu'outre la loy, qui eſt l'Eſcriture Saincte, il y ait un juge qui prononce infailliblement de toutes matieres qui viennent en debat. J'ay receu depuis naguerres un placard, publié en Angleterre de par le Roy, pour maintenir l'union & la paix en l'Egliſe & en la police: par lequel je remarque qu'il y a eu en Angleterre quelques diſputes d'importance entre les Theologiens, & ſemble que le Roy s'y eſt pour un temps porté avec quelque moderation: mais nous ne pouvons pas bien connoiſtre les particularitez dont on a debattu, & je m'eſtonne qu'on ſcait ſi peu par deça ce qui ſe paſſe chez noz voiſins. Autrement je croy, que ſi les Egliſes de dehors commençoyent un peu a relaſcher de leur partialité, que les Diotrephes de pardeça pourroyent auſſi mieux eſtre induicts a mettre de l'eau en leur vin. J'eſtime qu'aurez veu le jugement, que les Theologiens de Leyde ont faict, d'une pauvre Remonſtrance d'un certain Hornhovius Miniſtre dela Province d'Utrecht, que je connoy fort bien, & que je ſcay n'eſtre point capable de quelque choſe de grand. Auſſi ay je tenu l'ouverture qu'il a faict, pour pacifier noz differens avec l'adverſe partie, aſſez mal fondée & impracticable. Neantmoins cette ſienne remonſtrance aſſez mal baſtie a couru par le pays, & on a faict imprimer a l'encontre d'icelle en Flamand le jugement ou advis des quatre Profeſſeurs de Leyde, avec encor une preface bien aſpre & trenchante, en laquelle non ſeulement le pauvre Hornhovius eſt baffoué avec grand meſpris, & ſon advis rejetté bien loing comme ſot & dommageable; mais auſſi l'advis d'autres plus eſtimez que luy eſt rejetté de meſmes, avec une cenſure magiſtrale du bon Irenæus Philaletius, qui a par cy devant avec ſi grand zele advancé le Synode National, & publié toutes ces Querelas Eccleſiæ qu'avons veues courir par le pays. Ceſtuy ci ſemble maintenant avoir eu quelque inclination a reunir ce qu'il a ſi ardamment aidé a dechirer: de quoy on luy donne une bonne cenſure en paſſant, comme aux autres qui ſont de ſon opinion. Je croy que l'autheur de ceſte preface, eſcrite d'un ſtile magiſtral, eſt noſtre Triglandus, ce grand clabaudeur, & depuis quelques annees la principale trompette de ſchiſme & de ſedition. Or je trouve en ſes eſcrits, qu'il donne bien matiere de le convaincre de pluſieurs groſſiers menſonges, & fauſſetez fort malicieuſes. Dont je m'eſtonne qu'on laiſſe ainſi triompher ce Goliath, ſans rien reſpondre a pluſieurs choſes, qu'il ſeme impunement par le pays, & par leſquelles il abuſe pluſieurs ſimples, qui tiennent pour oracle tout ce qu'il dit. Noſtre bon Neſtor avoit paſſé deux ans dreſſé une reſponſe a ſa deuxieſme Admonition: laquelle eſtant icy envoyée on n'a point faict imprimer. Et toutesfois il me ſemble, ſous humble correction, qu'il importe grandement, qu'on tache a rompre le credit de telles gens, que je tiens pour vrayes peſtes & de la vraye Chreſtienté, & de noſtre bien aimée patrie: l'amour de l'une & de l'autre debvroit, ce me ſemble, induire les gens de bien a leur faire autre reſiſtence qu'on ne faict. Les predications de vive voix ſont bien fort neceſſaires, pour entretenir noz Egliſes, & empeſcher que le peuple ne devienne profane par faute de bonne inſtruction. Mais les ſermons ne ſont ouis que de ceux qui frequentent nos aſſemblées, & qui deſia nous favorilent: & combien que la vifve voix eſmeuve plus que les eſcrits, ſi eſt ce, qu'elle s'eſvanouit avec le ſon en l'air, & ne ſert, qu'a peu de gens. Mais les eſcrits demeurent, & vont par tout, peuvent profiter en tous lieux & en tous temps. J'eſtime que les eſcrits imprimez de feu noſtre bon Poppius, ont plus advancé noſtre bonne cauſe, que n'euſt peu faire en cent ans ſa vifve voix. Et on ſcait combien plus grand nombre de gens ont eſté amenez a la connoiſſance de verité ſalutaire, par les bons livres ſoit des Prophetes & Apoſtres, ſoit de ceux qui les ont enſuivis, que par leur vifve voix. Pourtant ſeroit il fort a ſouhaitter, que ceux qui ont les dons neceſſaires pour eſcrire avec edification, prinſſent la peine de rompre le credit de Triglandus & ſemblables. Icy me ſemble avoir lieu le ancien, *Bonis nocet quiſquis parcit malis.* On pourroit auſſi effleurer quelques fautes plus groſſieres de Walæus en ſa reſponſe a Johannes Arnoldi, ſans s'arreſter a une longue refutation, qui ſeroit de grand couſt, ennuyeuſe & moins profitable, que ſi on publie un eſchantillon, pour faire par la juger de toute la piece. Mais parceque luy a eſcrit en Latin, je croy que cela ne peut pas tant nuire, que ce qui ſert a eſmouvoir le peuple: en quoy Triglandus & quelque peu d'autres font le plus grand mal. La reſponſe courte, claire & treſſolide que noſtre Seigneur Victor a oppoſée a la briefve Remonſtrance que les Deputez du Synode ont faict devant trois ou quatre mois en l'aſſemblée des Eſtats de Hollande, a merveilleuſement eſté fructueuſe, & a ouvert les yeux a grand nombre de perſonnes, qui par la commencent a ſuſpecter ces ſouffléts de ſedition

Ep.635. dition & docteurs de cruauté. Encor que noz souffrances & labeurs ne pourroyent que bien peu ou rien proufiter a ceux de noſtre ſiecle, ſi ne ſcavons nous pas quel prouſit ceſte ſemence peut porter a l'advenir. Dieu pourra ſuſciter des autres en un temps plus heureux que le noſtre, & en d'autres pays, ou il y aura moins d'obſtacles, combien que je m'aſſeure que Sathan, prince de ce monde & ennemy de tout bien, s'oppoſera tousjours au vray royaume de Jeſus Chriſt, & tachera par tous moyens, que les hommes puiſſent eſtre maintenus en ce treſpernicieux erreur, de conſtituer la principale pureté de Religion en des ſpeculations difficiles & incomprehenſibles, qui ne ſervent de rien a la vraye ſanté de l'ame, & puis en des ceremonies, dont les hypocrites & meſchans ſe ſcavent auſſi bien acquitter, que les plus gens de bien. Je n'ay encor rien peu entendre de voſtre deuxieſme Anticameron, que j'euſſe fort ſouhaitté de voir en lumiere, pour le bien publicq. Je ne doubte point que l'œuvre ne ſoit digne de vous. Voz raiſons touchant le ſcrupule que j'avois m'ont quant a moy donné ample ſatisfaction. Et quand il n'y auroit eu que l'advis de ces tres grands perſonnages, qui vous ont conſeillé d'aller ſi avant, je m'en contenterois aſſez, preferant leur jugement, comme je doibs, bien loin au mien, duquel je reconnoiſtray tousjours humblement & veritablement la pauvreté & foibleſſe. Il y a en la perſonne de Jeſus Chriſt beaucoup de choſes incomprehenſibles, & du tout ſingulieres, qui ne doivent pas prejudicier aux regles generales, que tous hommes experimentent en eux. Le myſtere de Dieu manifeſté en chair eſt grand, & comme en luy la Deité, qui ne peut pecher, eſt perſonnellement conjoincte a ſon humanité, l'infini au fini, on pourroit, ce me ſemble, dire, que ceſte union perſonnelle l'a tellement remplie des dons de l'Eſprit de ſanctification, qu'il n'a peu vouloir pecher: qui eſt une perfection que nul homme n'obtient en ceſte vie, mais l'attendons la haut au ciel lors que ſerons ſemblables a luy. Je trouve que les Scholaſtiques ſont fort empeſchez de ſoudre ceſte inſtance de l'exemple de Jeſus Chriſt, quand ils traictent *de natura liberi arbitrii*. Mais je n'en ay point encor veu, qui oſent mettre en doubte, que Chriſt auroit peu pecher. Mais je ſcay que vous en aurez leu plus que moy, & pourtant je ne veux pas que mon ignorance ou faute de lecture vous apporte aucun empeſchement, d'eſclaircir la verité le plus fondamentellement que faire ſe peut. J'ay ſeulement craint, que cela pourroit donner quelque achoppement aux ames infirmes, qui ſont tousjours le plus grand nombre entre toutes ſortes de gens. Toutesfois comme j'ay dit, je cede volontiers a l'advis de plus ſages que moy, & vous remercie de la peine qu'avez pris a me donner toute ſatisfaction. Au demeurant quant a noſtre eſtat icy, nous ſommes a l'ordinaire. Je m'ay trouvé aſſez mal diſpos toute l'année paſſé: maintenant, j'ay medeciné avec mediocre ſuccez, & me trouve un peu mieux. Mes treshonnorez Confreres & compaignons de priſon ſe trouvent de meſmes. Mr. Cupus eſt affligé ſouvent de la gravelle, Vezekius s'eſt plaint aucune fois de l'humeur melancholique, auſſi Lindenius & autres, comme il advient couſtumierement en ceſte vie, que l'un jour n'eſt pas comme l'autre. Cependant je m'aſſeure en la bonté de Dieu, qu'il nous fortifiera contre toutes difficultez, & nous fera la grace de volontiers nous ſoubmettre a ſa volonté, & parachever noſtre courſe en ſa crainte, en quelque eſtat qu'il luy plaiſe nous collocquer. Je le prie de tout mon cœur, qu'il nous veuille conſerver en longue vie & proſperité avec les autres inſtrumens excellens, qui peuvent grandement proufiter a la pauvre Chreſtienté, leſquels je le prie tous les jours de fortifier par ſon S. Eſprit, & les combler ſpirituellement & corporellement de toutes benedictions a ſa gloire, me recommandant treshumblement & cordialement a voz bonnes graces & prieres, comme auſſi de noſtre venerable Neſtor, & de Mr. Victor quand l'occaſion portera que vous leur eſcrirez. De ma priſon ce 9 d'Aouſt 1626. Ep.636.

Cupus
Vezekius

Voſtre treshumble frere & Serviteur,

CHARLES de NIELLES
Priſonnier de Jeſus Chriſt.

IↃC XXXVI.

CAROLUS NIELLIUS

JOANNI UYTENBOGARDO S.P.

MOnſieur & treshonnoré Pere. Auſſi toſt que j'ay entendu voſtre heureuſe arrivée en ces pays, j'ay incontinent plié les genoux du cœur & du corps, pour rendre graces au bon Dieu, de ce qu'exaucant noz humbles prieres, il vous avoit conſervé en voſtre voyage, & vous avoit amené ſain & ſauf la ou vous avez eſté ſi ardamment ſouhaité paſſé long temps. Je vous congratule du plus interieur de mes affections voſtre venue, & ne ceſſeray de prier encor Dieu tous les jours, a ce qu'il luy plaiſe vous preſerver de tout mal, & vous fortifier en ceſte haute vielleſſe corporellement & ſpirituelement, pour encor pouvoir ſervir a l'advancement de ſa gloire, & au bien commun de la pauvre miſerable Chreſtienté: & qu'a ceſte fin, comme il a les cœurs de grands & petis en ſa main, il vous face avoir gracieux accez, & vous doint de trouver faveur envers ceux, qui peuvent le plus en la conduite des affaires, leſquelles importent

Scripſit Arnhemiæ.

Ep.636. a tous ceux qui ſincerement affectionnent la liberté & le bonheur de ces pays. Je me tiens aſſeuré, qu'auſſitoſt que les meilleurs amis auront la connoiſſance de voſtre venue, vous ſerez ſurchargé de grand nombre de lettres, & pourtant j'ay faict quelque ſcrupule de vous eſcrire la preſente, pour ne point vous empeſcher & diſtraire vos penſées de choſes plus importantes & neceſſaires. Toutesfois je n'ay peu laiſſer de vous teſmoigner auſſi entre tant d'autres & la joye ſinguliere que j'ay de voſtre venue, & le deſir que j'ay de voſtre proſperité. Et ce d'autant plus, que depuis les triſtes nouvelles qu'avons eu du deſaſtre advenu au Roy de Danemarc, j'eſtois en crainte pour vous, ayant entendu qu'eſtiez en deliberation de vous arreſter quelque temps es quartiers Septentrionaux. En ceſte occurrence de temps, il me ſemble qu'il vaut mieux beaucoup, & pour voſtre repos & pour le bien commun, que ſoyez icy: & s'il faut courir quelque danger, encores vaut il mieux ſouffrir avec la patrie, & entre les anciens amis, qu'en pays eſtrange, & ou on a peu de connoiſſance. J'ay bien eſté en peine & fort mari pour les lettres, qui ſont tombées en mauvaiſes mains: mais je m'aſſeure tant de voſtre prudence & pieté, qu'il n'y aura rien en icelles, qui ne ſe puiſſe defendre ou excuſer envers gens qui ſe laiſſent payer de raiſon. Il ſemble que c'a eſté par une providence extraordinaire de Dieu, que ces lettres ſont ainſi egarées: il en pourra auſſi toſt advenir du bien que du mal, comme ce Souverain maiſtre ouvrier & conducteur tire ſouvent la lumiere des tenebres. Cependant Roſæus a commis en cela un acte vilain, & qui ne luy peut tourner qu'a grand deshonneur, d'aller ainſi porter des lettres eſcrites entre mari & femme. Ciceron en quelque ſienne Philippique reproche avec un ſtyle trenchant a Antonius ſon ennemi capital, qu'il avoit produict en publicq contre luy certaine miſſive eſcrite a Antonius, meſmes durant le temps, qu'ils eſtoyent encor amis enſemble. Et dit que c'eſt un *acte treſindigne d'un homme d'honneur*, voire que c'eſt bannir d'entre les hommes l'humanité meſmes, que de produire en publicq telles lettres &c. Combien plus genereuſement Julius Cæſar, qui ayant trouvé entre le bagage de ſon ennemy Pompée pluſieurs pacquets de lettres, eſcrites par ceux meſmes qui faiſoyent beau ſemblant de luy eſtre amis, les bruſla toutes, ſans y vouloir rien lire. Ces payens & pluſieurs ſemblables peuvent faire le proces a tels Chreſtiens, voire a tels Miniſtres, qui debvroyent enſeigner aux autres les debvoirs d'honneſteté. J'ay honte pour ceux de noſtre robe, & rougis en moy meſmes, quand je conſidere, ce que les Politiques meſmes, auxquels il a voulu complaire, peuvent juger d'un tel Docteur de pieté & charité Chreſtienne. Mais ce n'eſt pas luy ſeul qui ſe comport ſi peu Chreſtiennement. Je voy aujourd'huy manifeſtement, Ep.638. qu'entre tous ceux qui publient des livres au monde, il n'y en a point de plus faux, de plus contrefaicts, ni de plus malins que les Theologiens, & notamment les Paſteurs & Profeſſeurs. Ce n'eſt rien de merveilles qu'il y ayt diverſité d'advis entre les plus gens de bien, voire diverſité & contrarieté bien grande. Cela ſe void en toutes profeſſions. Les Jureconſultes, Medecins, Philoſophes ſont fort divers en leurs opinions, qu'ils ont des choſes humaines. Democrit, que Hippocrates reconnoit pour le plus ſubtil eſprit de tous les anciens, apres avoir conſumé toute ſa vie en l'enqueſte de verité, reconnoiſſoit ſincerement, que la verité des choſes eſtoit chachée en un puis profond: & que les choſes que nous pouvons ſcavoir ſont fort peu au prix de celles que nous ignorons. Noſtre bon Lactance la deſſus ſe mocque de luy: mais le bon homme a verifié par ſon propre exemple ce que ce grand rechercheur de verité diſoit. Car il tient pour erreur inexcuſable, de penſer qu'il y ait ou puiſſe avoir des Antipodes, & ſe rit plaiſamment de ceux qui penſent que la terre ſoit ronde, en pendante au milieu de l'air. Car il dit qu'en les pays qu'on imagine eſtre contre nous, il faudroit que la pluye tombaſt de bas en haut, & que les arbres & plantes croiſtroyent de la ſuperficie de la terre vers le ciel en bas: ce qu'il trouve a bon droict abſurd extremement. Et nous ſcavons aujourd'huy toutesfois, que Lactance a en cela luy meſmes groſſierement erré. Baſile le grand redargue par la bien vifvement les Eunomiens, qui ſe vantoyent d'entendre fort bien les ſecrets de la ſubſtance de Dieu; & vouloyent meſurer le grand Myſtere de pieté, que Dieu a eſté manifeſté en chair, a l'aune de leur raiſon. Que ces grands Docteurs, dit il, qui ſe vantent de ſcavoir tout, me dechiffrent un peu la ſubſtance d'une fourmi, s'ils peuvent: voire qu'ils me diſent un peu comment il eſt poſſible, que la prunelle de l'œuil, qui eſt ſi petite, recoit en un inſtant la grandeur de la moitié du ciel, dequoy l'image entre en noſtre œil tout en un coup, comment cela ſe faict il, veu que la raiſon nous dicte, que ce qui eſt plus grand, ne peut eſtre contenu par ce qui eſt plus petit? Combien mieux ce ſage Job, qui parlant des œuvres de Dieu: *voila*, dit il, *le bord de ſes voyes, & combien eſt petite la portion que nous en entendons? Job.* XXVI. 14. Quel merveille donc eſt ce, qu'es choſes divines nous entendons fort peu, ſi es œuvres viſibles de Dieu, que nous voyons & touchons, nous ne comprenons pas la centieſme partie? Tant plus devons nous admirer la grandeur incomprehenſible de ce grand maiſtre Ouvrier, & nous entr'aider amiablement avec une affection ſincere, a proufiter en la connoiſſance de ſa hauteſſe, & de noſtre baſſe condition. Et pour trouver la verité des choſes difficiles,

nous

Ep.636. nous devrions y apporter ſur tout une vraye crainte de Dieu, qui eſt le commencement de ſageſſe. Nous devrions avoir plus de ſoing de la verité de conſcience, laquelle David conte entre les premieres marques des enfans de Dieu, *Pſeaume* XV. 2. que nous *parlions verité, ainſi qu'elle eſt en noſtre cœur*, & que nous prattiquions une vraye integrité, que non pas de la verité de ſcience: qui le plus ſouvent eſt par deſſus noſtre portée, & en pluſieurs choſes n'eſt pas fort neceſſaire, ni prouſitable pour nous rendre meilleurs. La verité eſt bien tousjours aimable, mais elle eſt d'une majeſté fort haute: ceſtuy qui faut a la trouver, ne la bleſſe point pourtant, ni ceſtuy qui la rejette, ne luy oſte rien de ſa valeur, mais porte le plus grand dommage a ſoy meſmes. Mais de propos deliberé employer des fineſſes malicieules, controuver des menſonges contre ſa propre conſcience, & apres qu'on eſt adverti & clairement convaincu de ſon meſconte, neantmoins perſiſter obſtinement en des bourdes, qu'on a une fois advancé temerairement, & avec un tel cœur plein de malice, de haine, de meurtre & de ſang, vouloir manier la verité celeſte, & traitter les ſacrez myſteres avec des mains ſi impures, quel bien peut on attendre de cela, ſinon que nous irritons contre nous l'autheur de toute bonne donation, qui ne doibt ni ne veut verſer ſa lumiere ſalutaire en ces vaiſſeaux ſi infects & puans? Je dis cecy a l'occaſion de divers livres imprimez depuis naguerres, que j'ay leu. La deuxieſme admonition de Triglandus a precedé, ou il a employé de l'aſtuce & malignité beaucoup, de jugement ſolide aſſez peu, de ſincerité & conſcience pas une ſeule goute, je dis entant qui touche les nerfs de ce qui eſt en debat. N'a il pas belle grace d'applicquer a ſa Reformation Calviniſticque le dire de l'Apoſtre: *Si quelqu'un eſt contentieux, nous n'avons pas une telle couſtume, ni l'Egliſe de Dieu.* Quelles gens a on jamais trouvé au monde plus farcis d'aigreur, d'amertume & de violence, que Calvin en ſes eſcrits polemiques, Beze en ſon Cyclops & ailleurs, voire avec une extremité ſi desmeſurée, que noſtre bon Aldegonde, luy meſmes tant Satyricq contre les Papiſtes, en a toutesfois eſté offenſé, & luy en a eſcrit une lettre de complainte, qui ſe trouve reſpondue entre les epiſtres de Beze. Comment ont ils traicté cette bonne ame Caſtellion, que Polanus meſme, ou il traicte de la Predeſtination, reconnoiſt avoir eſté *un perſonnage de ſaincte vie?* J'ay eſté treſmari que voſtre reſponſe a ceſte deuxieſme Admonition Triglandienne n'a point eſté imprimée: veu que j'eſtime qu'il importe non ſeulement pour noſtre bonne cauſe, mais pour le bien publicq, que tels charlatans ſoyent connus, & qu'on leur rompe leur credit, dont ils abuſent a deſtruction & ruine de l'Eſtat, auſſi bien que de l'Egliſe. Or parce qu'on luy a laiſſé paſſer ſes menſonges, ſans en deſcouvrir le venin & l'ineptie, noſtre brave Donganus a Utrecht a voulu faire encor plus que luy, & nous convaincre par noz propres eſcrits: en quoy il a eſté ſi non chalant, que ſans penſer que Triglandus fuſt un ſi effronté menteur, il a tranſcrit de ſon livre un paſſage fort groſſierement falſifié, d'un livre que les noſtres n'ont jamais approuvé; dreſſé par trois jeunes gens contre Calvin: paſſage, qui luy ſert de principal Achilles pour monſtrer qu'a bon droict on nous tient en des priſons perpetuelles, & qu'on nous doibt traicter tous ſelon la regle que ces trois jeunes hommes ont par cy devant prononcée contre les autres. On luy a monſtré ſon meſconte, mais il n'y a point tant de rondeur en luy, que reconnoiſtre qu'il a eſté abuſé. Il nous a produict un autre ouvrage de Salvations, digne de ſon autheur. Mais les Profeſſeurs de Leyde apres un long ſilence ont enfanté ceſte horrible Cenſure de noſtre Confeſſion, de laquelle j'ay eſcrit quelques miennes petites conſiderations a ceſt excellent perſonnage M^r. Vigilantius. Tout l'ouvrage eſt plus toſt eſcrit du fiel que d'encre: & un peu apres eſt ſuivi *Poppius Europylus* d'un des Miniſtres d'Amſterdam, qui correſpond du tout avec la Cenſure. Je voy que le but de ces gens eſt, non point de nous mieux inſtruire, en ce que nous pourrions avoir failli par infirmité humaine; mais de nous rendre ſeulement odieux & puants a tout le monde ſoubs le pretexte de Socinisme. Ce qui me deplaiſt le plus en leurs ouvrages, n'eſt pas, qu'ils nous contrediſent, ou refutent noſtre ſentiment. Cela leur eſt permis, voire convenable ſi long temps, qu'ils penſent, que nous ſommes en erreur. Mais cela me contriſte le plus, que je voy ſi peu de candeur, de ſincerité & de conſcience en tout leur faict. Tout leur but eſt, de nous rendre le plus odieux qu'ils peuvent, & pratticquent le dicton: *Dulus an virtus, quis in hoſte requirat?* J'eſtime qu'ils ont oui quelque bruict qui ne leur plaiſt pas, & ce de divers endroicts. Monſieur Goulart nous a eſcrit de Fredrickſtadt, qu'un des Miniſtres de Neurembergues a eſcrit des lettres fort amiables a noz confreres, qui ſont au pays de Holſtein: ou il leur congratule leur venue en ces quartiers la, & leur ſouhaite bonheur au baſtiment de la nouvelle ville: adjouſte auſſi que les eſcrits de noſtre Societé ſont fort en eſtime entre les gens ſcavans en Allemagne, & notamment noſtre Confeſſion; que ledit Miniſtre, nommé Joachimus Peuſchelius, a tranſlatée en langue Allemande, avec intention de la faire imprimer. En Angleterre il y a auſſi pluſieurs perſonnages de marque, qui approuvent noſtre ſentiment; Le Roy a faict publier un placard, ou il ſemble vouloir reprendre les fautes des deux partis: je ſuis d'intention vous en envoyer un exemplaire, ſi peut eſtre vous ne l'aviez encor veu. Il ſe peut faire qu'encor autre parti le Seigneur ouvre

Ep.636. les yeux a aucune, pour voir l'equité de noſtre cauſe. Or ces Meſſieurs Profeſſeurs, en ſcachant peut eſtre plus que nous, ne trouvent pas expedient de tant attaquer noz cinq articles, dequoy a eſté ſeulement debatu au Synode de Dort. Ils ſcavent bien qu'en ces articles nous avons la Confeſſion d'Auſpourg pour nous, auſſi le tant renommé Melanthon autheur de la dite Confeſſion, & tous les diſciples de Melanthon, en tresgrand nombre. On craint doncques que cela ſera trouvé de tresmauvaiſe odeur en la pluspart de la Chreſtienté Reformée, qu'on nous traitte ſi rudement pour un ſentiment que toute l'ancienne Chreſtienté, & la pluſpart de la moderne, approuve avec nous. Il faut donc jetter la pouſſiere aux yeux des gens, & charger noſtre cauſe du titre tresodieux de Socinisme. Mais il importe tresgrandement auſſi bien pour nous, que pour Meſſieurs les Magiſtrats, qui ont maintenu la tolerance mutuelle en ces cinq articles, qu'on deſcouvre bien evidemment & vifvement ceſte meſchante fourbe: & qu'on face connoiſtre par tout, que jamais nous n'avons eu debat avec noſtre partie adverſe pour les opinions particulieres de Socinus: que feu Vorſtius en eſtant accuſé, a touſjours nié le faict, a offert de s'en purger au Synode National, voire d'eſcrire formellement contre les opinions de Socinus, & faire approuver ſon ouvrage par les Egliſes Reformées devant que le mettre en lumiere. C'eſt donc une ruſe bien groſſiere & vrayement diabolique, qu'on laiſſe la les poincts, deſquels proprement a eſté queſtion, & ſur quoy on a aſſemblé le Synode de Dort, auquel on ne nous a jamais parlé un ſeul mot de Socinus, & qu'on nous veut faire porter maintenant l'infamie des opinions Socinienes: ſoubs ombre, qu'en noſtre Confeſſion il y a cy & la des termes que Socinus a employé devant nous. Comme ſi tous ceux qui approuvent quelque Confeſſion, eſtoyent obligez de feuilleter premierement tous les livres de ceux qu'on qualifie heretiques, afin qu'il ne leur advienne de laiſſer paſſer quelques termes, que ceux cy ou ceux la ont employez? Le Diable a appellé Jeſus Chriſt fils de Dieu, croit auſſi qu'il y a un Dieu, *S. Jaques* II. N'oſerons nous dire le meſmes que le diable a dit, de peur d'eſtre condamnez avec luy? C'eſt le meſme de l'ouvrage de feu noſtre bon Poppius: lequel a eſté fort eſtimé par cy devant d'aucunes de noz principaux adverſaires. Mais voicy que dix ans apres l'impreſſion, un grand docteur nous vient adviſer, qu'il eſt plein de venin mortel, pource qu'il a trouvé en quelques livres de Socinus ou de ſes ſectateurs des termes qui ſont la employez. Or ſeroit il a ſouhaitter, qu'on peuſt deſcouvrir bien vifvement ces impoſtures, & ce au pluſtoſt. On doibt par tous moyens juſtes & legitimes rompre le credit de ces gens, puis qu'ils nes'en ſervent qu'a la ruine du publicq, & a Ep.636. l'oppreſſion violente des innocens. De ma part je ſuis treſcontent & joyeux d'endurer pour la gloire de Dieu, & pour ce qui touche noſtre cauſe commune. Mais ſerois treſmari d'eſtre eſtimé martyr de Socinus, duquel je n'ay jamais approuvé les opinions. Or je ne doubte pas que noſtre bon Vigilantius ne ſcache aſſez ſuffiſamment defendre noſtre Confeſſion de tous faux blaſmes: mais j'entens qu'il eſt empeſché a ceſte dommageable querelle de Horne: qui a beſoing d'eſtre aſſopié au plus toſt s'il eſt poſſible. Mais je crains qu'il n'y effectuera point tant, qu'il ſeroit a deſirer. Ces deux teſtes ſont trescontraires l'un a l'autre, & ne s'accorderont jamais bien enſemble. Et je crain de ce coſté la un eſclat treſcandaleux, qui ſera tant plus difficile a eviter ou guerir, pour ce que le mal eſt en noz entrailles. Le Seigneur y veuille remedier. Il ne me ſeroit point grief de finir mes jours en ceſte priſon, moyennant que nous peuſſions ſervir de quelque choſe a la Chreſtienté. Mais las! on entend aujourd'huy tant de triſtes nouvelles de tous coſtez, tant de troubles, diviſions, & malheurs deplorables, que nous avons plus d'occaſion de craindre l'advenir, que de nous plaindre du preſent. Noſtre chere patrie ſe trouve en un piteux eſtat, & que deviendrions nous icy, en cas que la maiſon d'Auſtriche venoit a ſe faire maiſtreſſe du Danemarc, & occuper ce deſtroit, par ou nous vient le pain & autres neceſſitez? J'ay ſouvent penſé a cela, & a pluſieurs inconveniens, qui nous menacent de loin & de pres, corporelement & ſpirituelement. Je redoute ſouvent que ces contentions ſi longues, & ces debats ſans fin, ne ſoyent occaſion a pluſieurs de douter finalement de tout, & ce precipiter en un execrable Atheiſme. Teelingius Miniſtre de Middelbourg, a depuis naguerres mis en lumiere ſa deuxieſme Courante ſpirituelle, comme porte le titre en Flamend, ou il ſe plaind, que la profanité & l'atheiſme ſe provigne en ces pays: & en propoſe des treadangereux exemples. Coornhert en la preface de ſa Moralité en Flamend, craignoit deſia cela de ſon temps, qu'on ne donnaſt occaſion a pluſieurs par l'obſtinée defence de pluſieurs opinions folles & du tout contraires a la lumiere de nature, de revoquer en doute auſſi bien l'authorité des livres ſacrez que tout le reſte. *Dan ſoude eerſt*, diſoit il, *de laetſte dolinghe de erghſte weſen.* Lors que le Seigneur Advocat Fiſcal Kinichot nous amena de Harlem a la Haye, comme tout ce chemin ſe paſſa en pluſieurs diſcours fort libres & familiers, il nous contoit que feu Venator avoit une fois maintenu en pleine compaignie, qu'il y avoit grande raiſon de doubter, s'il y avoit jamais eu un Jeſus Chriſt au monde, & ſi tout ce qui en eſtoit eſcrit, n'eſtoit pas controuvé par ceux qui

en

Ep.636. en avoyent faict leur prouffit. Nous eusmes horreur d'un tel propos, que nous rejettames avec extreme detestation, & je respondi, que je ne pouvois croire en Venator une meschanceté si enorme, conjoincte avec une imprudence extreme, s'il avoit jamais tenu tels propos en compaignie. Voila le fruict des vaines disputes, & pleines d'irreverence envers le grand Dieu. Ce qui me faict grandement souhaiter, que nous nous maintenions modestement entre les limites & bornes premieres de nostre bonne cause. Je n'ay encor jusques icy trouvé rien plus detestable a mon goust en aucun heretique, qu'on appelle, que ce qui se rapporte par l'histoire Ecclesiastique touchant Eunomius: qu'iceluy se vantoit entendre aussi bien l'essence de Dieu, que Dieu s'entend soy mesmes. Propos egalement fol & diabolicq a mes aureilles. Nous n'entendons pas la substance de la terre sur laquelle nous marchons, ni la maniere de nostre veue, comment nous voyons. Les plus subtils Philosophes ont esté Academiques, qui maintenoyent, comme ce renommé Carneades, qu'il y avoit bien quelque verité, mais qu'elle nous estoit incomprehensible: *Verum esse aliquod non negamus, sed percipi posse id negamus, qui caremus criterio certo & infallibili.* Je rapporte leurs mots, que je n'approuve point en tout & par tout. Mais bien j'approuve fort en la connoissance des choses naturelles l'Academie ancienne, de laquelle estoyent Socrates & Platon, qui conseilloyent franchement la debilité de nostre esprit; *hoc unum scio*, disoit Socrates, *me nihil scire.* Mais cependant ils asseuroyent plusieurs choses, pour certaines & indubitables. Il me semble que les propos de cest ancien sage Job, lequel je lis beaucoup & avec grand contentement & edification, se rapportent a peu pres la, en divers endroicts, & notamment *au chapitre* XXVIII, ou je trouve une doctrine fort accordante avec la modestie Socratique. Aristote faict par tout du resolu, veut scavoir tout, mais aussi dit il des bien grandes sottises & impietez. Et m'estonne pourquoy on a faict de cest autheur comme le Dieu des Philosophes. Veu que ses opinions s'accordent si tresmal avec les principales veritez Chrestiennes. Gregoire de Nazianze, Basile le Grand, & autre personnages de profond jugement le detestent, & luy preferent bien loing non seulement Platon, mais aussi Epictete, qui a esté excellent maistre de sagesse & vertu naturelle. Je m'estonne pourquoy ou a imposé aux Stoiciens, qu'ils nioyent le Franc arbitre, la ou Epictete & Seneque l'exaltent si haut, que jamais Pelagius n'en eust osé tant dire. Et S. Augustin confesse franchement, *Stoicos excepisse a Fatali necessitate animos humanos*: Et S. Hierome plus avant: *Stoici in plerisque dogmati nostro consentiunt*, parlant des Chrestiens. Il me semble que nous faisons grand honneur a noz adversaires de leur imposer a crime le Stoicisme. Car je ne trouve point, que la secte Peripatetique ait jamais produit rien de semblable a Epictete (que Lucian mesmes, ce grand mocqueur de tous Philosophes & Chrestiens, a eu en admiration pour sa vertu & sincerité) a Caton d'Utique, a Thraseas, Barea Soranus (si haut exaltez par Tacitus pour leur incomparable vertu) & tant d'autres, qui tous ont esté Stoiques. Pytagoras de mesmes a produit des plus grands personnages, que le monde ait jamais porté, comme Epaminondas, Teles, & grand nombre d'autres: entre lesquels Basile le Grand conte Clinias, qui aima mieux perdre un proces de 10c escus, que de faire un serment, qu'il pouvoit faire selon verité. Aussi avoyent les premieres Pythagoriciens tous leurs biens communs ensemble, comme la premiere Eglise Chrestienne en Jerusalem. La doctrine d'Aristote ne produira point de tels hommes, pource qu'il n'enseigne pas que la seule vertu suffit a rendre l'homme heureux, & le seul vice a le rendre miserable: dont aussi je ne scay point que de son eschole soit jamais sorti un seul homme fort admirable en vertu, & qui a il aujourd'huy de plus fade, & souvent vicieux, que ceux qui ont consumé toute leur vie en Aristote, si la doctrine Chrestienne n'a planté en eux la pieté solide. Je scay que vous scavez ces choses cent fois mieux que moy. Mais si je ne vous doibs rien escrire, si non ce que je croy qu'ignoriez, je ne vous pourray jamais rien escrire du tout, sinon ce refrain ancien, *Si vales bene est, ego quidem valeo.* Le temps est escoulé, on crie pour Gorcum, j'attens que l'huys de ma chambre s'ouvre, & que les miens emportent cecy. Je ne vous pensoy point charger d'une si longue facheuse lettre. Et si n'ay point respondu un seul mot a vostre derniere tresagreable, que je n'ay point a la main: l'ayant envoyé hors d'icy, si tost que j'entendi le desastre advenu aux lettres a Madamoiselle vostre compaigne. J'ay craint que par quelque occasion on ne vinst fouiller mon cabinet. Je prie le bon Dieu, Monsieur & treshonnoré Pere, Vous avoir en sa saincte garde, vous maintenir en longue prosperité, vous octroyer une vigoureuse verte vieillesse, vous resjouir par son Saint Esprit, & vous fortifier en tout bien, vous comblant de toutes les benedictions plus salutaires, me recommandant trescordialement a voz bonnes graces & prieres, & de Mad. vostre chere moitié. En tresgrand haste ce lundi 25. Octobre 1626.

Ep.636.

Stoiciens ja-
mais

Vostre plus affectionné frere voire fils & Serviteur

CHARLES de NIELLES,
Prisonnier de corps, mais treslibre & joyeux d'esprit.

Non licuit longam hanc rapsodiam relegere. Ignoscat prudens charitas tua festinationi; & salveant a me D. Vigilantius, Borrius, & si qui alii tibi adsunt fratres aut amici.

Borrius

IↃC XXXVII.

CAROLUS NIELLIUS

JOANNI UYTENBOGARDO S.P.

Euſebia. Theologica.

MOnſieur & treshonnoré Pere. J'ay receu voſtre plus que tresagreable lettre avec joye, & l'ay leue avec ſinguliere edification & contentement plus que je ne ſcauroy dire, comme tout ce qui vient de vous. Seulement vous me faictes honte, quand vous parlez de vous excuſer de voſtre ſilence: c'eſt moy qui ay beſoing d'excuſe, laquelle ne vous peut appartenir en mon endroit, que par excez d'humanité & de modeſtie. Car je ſcay que vous avez eu des empeſchemens en tresgrand nombre, & m'eſtonne qu'en ceſte haute vieilleſſe, combatue de tant d'afflictions & treſfacheuſes ſollicitudes, vous pouvez encor ce que vous faictes. C'eſt bien le bon Dieu qui exauce en ce point noz humbles prieres, & vous fortifie extraordinairement, ce que je ne ceſſeray de requerir ardamment, qu'il luy plaiſe continuer a ſa gloire & noſtre conſolation. Quant a mes adverſitez particulieres, je les recoy de la main du bon Dieu avec autant de ſubmiſſion que je puis, ſcachant fort bien, qu'il n'eſt pas raiſonnable, que ſa Divine volonté ſe conforme a noz affections, mais qu'il faut plus toſt que nous rengions en humilité tous noz deſirs humains ſous ſa treſſage & haute Providence; & puis qu'il nous faut porter patiemment ce que les hommes, la pluſpart fols & meſchans, nous font par ſa permiſſion, combien plus ce qui nous advient comme immediatement de ſa main, qui eſt la fontaine de ſageſſe & de bonté? Je vous remercie infiniment, des conſolations & inſtructions Chreſtiennes & tresexcellentes que me propoſez la deſſus: combien que les afflictions de Job ont eſté incomparablement plus grandes & terribles que les miennes, ſi eſt ce que ſon exemple nous peut tant plus ſervir, que le Seigneur connoiſſant noſtre foibleſſe, nous envoye des eſpreuves bien petites au pris qu'ont eſté les ſiennes. J'ay depuis ma priſon ſouvent leu & medité ce livre, & j'apperçoy ſelon ma petite capacité en ce perſonnage non ſeulement un miroir de patience, comme on l'appelle communement, mais encor plus un tableau entier de vraye & ſolide ſageſſe, conſiderant avec bien autant d'admiration la conſtante conduicte de ſa vie durant ſa grande proſperité, que ſa patience en toute ſon adverſité. Un diamant de grand prix ne perd rien de ſa valeur encor qu'il tombe en la fiente, & ne l'accroiſt pas auſſi pour eſtre gardé en une boëte d'or: ainſi une ame ſi excellente, & poſſedée par l'eſprit de Dieu, porte la proſperité avec autant d'humble moderation, que l'adverſité avec patience. Mais toutesfois la EP. 637. proſperité eſt bien plus gliſſante & dangereuſe, comme les exemples de David, Salomon & ſemblables le donnent a connoiſtre. Et pourtant ſi nous ſouhaittons pour un treſexcellent threſor la ſanté de noſtre ame, & la beauté incorruptible de l'homme interieur, nous ne nous debvons point contriſter, ſi le bon Dieu, connoiſſant noſtre commune fragilité, nous forme icy pour eſtre vrayement pierres vifves de ſa maiſon ſpirituelle par beaucoup d'afflictions: comme vous ſcavez ces choſes la ſans comparaiſon mieux, que je ne vous les ſcaurois dire. Je viendray donc aux autres poincts particuliers de voſtre treſagreable. Et comme j'ay fort eſté resjoui de la courageuſe reſolution que vous avez priſe de vous preſenter a la preuve de voſtre innocence en un temps encor ſi dangereux; ainſi les raiſons que vous en alleguez me donnent beaucoup de joye, & ne doubte pas que grand nombre de bonnes ames en ont eſté merveilleuſement edifiez, & que la malignité de noz perſecuteurs en ſera de plus en plus confuſe. Et pour le regard de voſtre condition preſente, depuis que ce remede ſi juſte vous eſt refuſé, je confeſſe qu'elle eſt bien dure, ſur tout eu eſgard a voſtre aage; mais puis que ſans cela auſſi bien, vous n'en euſſiez pas eu meilleur marché, & que c'eſt l'ordinaire de ce monde, qui giſt du tout en mauvaiſtie, de faire le pis qu'il peut aux plus gens de bien, encores la bonne conſcience, & la joye interieure de vous eſtre ſubmis a une eſpreuve, autant ſplendide & genereuſe que pleine de perplexes conſiderations en un tel temps, vous doibt merveilleuſement conſoler. Que ſi maintenant les embuſches qu'on vous dreſſe ſont telles, que ſelon les raiſons de prudence Chreſtienne, qui nous commande de nous donner garde des hommes, & de ne point tenter Dieu, en nous fourrant ſans neceſſité ni apparence de grand fruict en des dangers evitables, il me ſemble, ſoubs humble correction, qu'encor vaudroit il mieux ceder a la rage des adverſaires, & ſe retirer en quelque lieu de repos, pour occuper a des eſtudes plus fructueux, & mediter quelque choſe, qui puiſſe edifier la poſterité, que de conſumer icy en vain voz peines & ce qui vous peut reſter a vivre, apres des efforts infructueux, & qu'on void bien ne ſe pouvoir obtenir pour le preſent. Mais je ſuis en peine, ou vous pourriez aller en ce temps cy, pour eſtre a repos & en ſeureté. Je voy par les rapports des nouvelles qui s'impriment toutes les ſepmaines, que la ville de Breme eſt au milieu des deux armées adverſaires. Et me ſemble ceſte guerre de Danemarc eſtre extremement dangereuſe tant pour ces pays, que pour tous les quartiers d'Ooſtlande. Le pays de Holſteyn eſt foible, & n'a pas une ſeule ville pour faire reſiſtence. Hambourg a plus d'apparence, mais c'eſt auſſi une ville Epiſcopa-

Ep.637. pale, ſur laquelle l'Empereur & la ligue Papiſtique ont paſſé long temps diverſes pretenſions. Et cependant je ne ſcay lieu a preſent, ou vous pourriez apparamment avoir plus d'eſpoir de vivre en repos. Mais je voy par les choſes paſſées combien les plus belles apparences nous trompent. Qui n'euſt penſé eſtre bien aſſeuré a Danſich? Et cependant on void ou ils en ſont avec ceſte guerre de Suede. On ne ſcait aujourd'huy quelle place choiſir, qui ne ſoit expoſée a diverſes difficultez. Il n'eſt que de ſe remettre a la garde du haut Dieu, & faire doucement ce que nous pouvons pour l'advancement de ſa gloire. J'ay leu avec une merveilleuſe joye & extreme contentement la refutation du libelle fameux, que mon fils m'a envoyé d'Utrecht, & vous puis declarer ſincerement & ſans flatterie, qui doibt eſtre du tout eſloignée de noſtre vocation, n'avoir rien veu de treſlong temps, qui m'ait tant pleu, ayant admiré la dexterité avec laquelle tant de diverſes objections & aigres reproches ont eſté repouſſées non moins ſolidement que briefvement, vifvement & clairement, choſes qui fort peu ſe trouvent enſemble en meſme ouvrage. Nous en avons eſté icy tous merveilleuſement ſatisfaicts & edifiez, eſtant noſtre commune voix, qu'il appartient a telles plumes d'eſcrire, & ſuis encor tresjoyeux, que vous nous donnez eſpoir, de voir bien toſt la reſponſe a la deuxieſme admonition de Trigland, laquelle on a mal negligée de mettre paſſé long temps au jour. Cependant vous y aurez peu accommoder diverſes choſes aux circomſtances du temps preſent. Mais ſur tout je ſuis joyeux de voſtre heureuſe rencontre qu'avez faict de voz predications ſur le XIII. *chap. de la* I. *aux Corinth.* C'eſt droictement la matiere la plus propre & neceſſaire pour ce temps cy: & comme vous avez dreſſé ces predications en un aage fleuriſſant, je ne doute pas, que repaſſant a preſent deſſus la lime d'une chenue prudence, vous rendrez ceſt enſemble ſucculent & nerveux, & propre pour edifier grandement ceux qui aiment les inſtructions ſalutaires. Quant a la demande que me propoſez, comment j'eſtime que la charité, dont parle l'Apoſtre en ceſt endroict la, ſe peut commodement definir, certes je ſouhaiterois plus que les threſors de tout le monde d'eſtre tant exercé, & avoir l'ame ſi confite en la familiere prattique de ceſte illuſtre Reyne de toutes ces vertus, que je peuſſe mettre en un ſeul mot en avant, qui vous peuſt ſervir tant ſoit peu, ou donner occaſion a plus grande ouverture. Mais je ſcay helas, *quam ſit mihi curta ſupellex*, & vous avez la aupres de vous deux eſprits incomparables, Meſſieurs Vigilantius & Victor, avec leſquels vous pouvez familierement conferer, qui du premier coup vous diront la deſſus choſes meilleures & plus ſolides, que je ne ſcaurois produire avec toute l'eſtude qui m'eſt poſſible. Cependant

Vigilantius Victor

afin qu'il ne ſemble qu'il y ait en moy aucune Ep.637.* faute de bonne volonté avec la tresgrande impuiſſance que je connois, j'adjouſteray icy un mot ou deux, non pour vous dire ce qui en eſt, mais ce qui m'enſemble. J'eſtime donc, ſous humble correction, que pour approprier a la Charité toutes les qualitez & louanges excellentes que l'Apoſtre luy baille, il la faut prendre en general, pour une habitude eſpandue par le Sainct Eſprit en la plus haute partie de l'ame, qui s'eſt diſpoſée, par la grace prevenante de Dieu, a la recevoir, par laquelle habitude connoiſſons Dieu pour ſouverain principe & fontaine de tout bien, & pour noſtre plaine felicité & derniere fin, nous avons avec reverence noſtre ſupreme complaiſance en luy, & preferons noſtre union avec luy a toute autre choſe, & deſirons ſur tout de luy complaire & nous conformer a ſa volonté par une entiere obeiſſance, ainſi aimons Dieu a cauſe de ſoy meſmes, & noſtre prochain a cauſe de Dieu & ſelon Dieu: comme auſſi tout ce qui eſt de Dieu, ſoit en nous ſoit en autr'huy, ſelon que plus il approche de ceſte ſouveraine ſource de toute bonté & bonheur. Car puis que nous devons aimer noſtre prochain comme nous meſmes, il s'enſuit que nous nous devons auſſi aimer; mais point d'une amour aveugle de concupiſcence, comme les hommes corrompus font; mais d'un amour judicieux, conduict par un jugement qui eſt eſclairé par la parole de Dieu & par ſon Eſprit. Nous devons donc aimer noſtre ame, entant qu'elle eſt ou peut devenir temple de l'Eſprit de Dieu; mais devons encor plus aimer ceſt eſprit meſmes, ſans lequel elle eſt miſerable: nous devons auſſi aimer en apres & en ſecond lieu nos corps & tous noz membres, entant qu'ils ſont armures de juſtice & inſtrumens pour ſervir a la gloire Dieu, & ainſi du reſte. De meſme ordre envers noſtre prochain, a cauſe de Dieu: *Eſt una numero charitas* (dit quelque part Thomas d'Aquin) *qua in Deum & in proximum & in nos ipſos fertur, ſed a Deo, ut a ſupremo principio & ultimo fine omnis boni, ſumit originem, directionem, ordinem & regulam.* Car autrement l'amour que nous portons a noz prochains peut eſtre ſouvent tresvicieux & meſchant, & ne peut jamais porter ce glorieux tiltre de charité, s'il ne derive de l'amour de Dieu, ne ſe regle ſelon ceſt amour, & ne ſe rapporte a iceluy comme a ſon vray but. Charité eſt une dilection de preference: mais de preference incomparable & ſouveraine au regard de Dieu, laquelle eſt comme un ſoleil en toute l'ame, pour l'embeller de ſes rayons en toutes les facultez ſpirituelles pour les perfectionner; en toutes les puiſſances pour les moderer: mais en la volonté, comme en ſon ſiege, pour y reſider, & luy faire aimer ſon Dieu ſur toutes choſes, ſon amy ſelon Dieu, & ſon ennemy meſmes pource que Dieu le commande, & entant qu'il y a

en

Ep.637. encor en luy quelque choſe de capable de la bonté de Dieu & de ſa miſericorde. La Charité ſeule couronne tous les autres dons, ſeule les rend ſalutaires, ſeule vivifie toutes vertus, qui ſans icelle peuvent avoir de la ſplendeur humaine, mais n'arrivent pas a eſtre vertus vrayes, & telles qui nous puiſſent unir avec Dieu fontaine de tout bien. C'eſt pour le defaut de charité envers Dieu, que les Anciens Peres ont maintenu, que les vertus des payens, qui nous ſemblent ſouvent admirables, n'eſtoyent pas vrayes vertus, & que leurs fideles & ſi exemplaires amitiez n'eſtoyent que complotteries vicieuſes, ou pour le moins fort defectueuſes. Il eſt vray qu'aucuns docteurs Reformez de noſtre temps ont outrepaſſé meſure, en diſant que toutes les meilleures actions des payens eſtoyent vices meritans l'enfer. Tels paradoxes ont de l'extremité: mais auſſi noſtre bon Venator a panché un peu trop vers l'autre extreme, quand il a voulu faire monter les payens au ciel par leurs vertus ſans la connoiſſance de Dieu, & ſans la grace de Jeſus Chriſt: & quand il a conté entre telles vertus le ſoing que les payens portoyent pour la conſervation de leurs enfans: affections naturelles qui ſe trouvent aux beſtes autant ou plus qu'en pluſieurs hommes. L'Apoſtre declare qu'avec la charité nous viennent toutes les autres vertus, & que ſans icelle ni ſcience, ni connoiſſance, ni foy, ni prophetie ne nous ſert de rien a ſalut, combien moins telles affections que la nature a plantés en toutes creatures. Je ſcay bien qu'il y a diverſes choſes en ceſt excellent tableau de l'Apoſtre, qui ſemblent ſe rapporter proprement a la charité envers le prochain, comme auſſi ailleurs ce meſme Apoſtre dit, que celuy qui aime ſon prochain a accompli la Loy, &c. *Rom.* XIII. & ailleurs ſe trouvent des propos a peu pres ſemblables. Mais cecy ſe dit ainſi, pource que c'eſt en l'amour du prochain, que Dieu requiert le plus la prattique de l'amour & obeiſſance que nous luy debvons. Car il n'y a homme au monde, qui ne ſe perſuade facilement qu'il aime Dieu: & entant que Dieu eſt le Souverain bien il eſt impoſſible de le hair: mais l'amour de Dieu eſt requis de nous entant qu'il eſt maiſtre & legiſlateur, & par ce qu'il n'a pour ſoy que faire de noſtre ſervice, il nous baille noſtre prochain pour eſtoffe & object de la prattique de charité que nous luy portons: de ſorte que c'eſt treſmal dit a Triglandus & pluſieurs autres, que les pechez contre la premiere table, & encor notamment en des opinions ſpeculatives, ou ceremonies, ſont plus grands & enormes que les pechez contre la ſeconde table. Il eſt bien vray que les pechez directement commis contre la redoutable majeſté de Dieu, avec meſpris de ſa hauteſſe, ſont plus enormes, & que c'eſt en ſoy choſe pire d'eſtimer peu l'Eternel, que de faire quelque tort a un homme. Comme le Sacrificateur Heli peſoit fort bien cecy es forfaicts enormes de ſes enfans, 1. *Sam.* II. 25. ou il parle des offenſes contre Dieu accompaignées de meſpris de ſa majeſté redoutable & de malicieuſe fierté. Mais de tirer cecy a toutes fautes d'ignorance, ou d'opinions, ou meſmes des ceremonies, cela eſt treſfaux & pernicieux. Car a ce conte Salomon auroit plus griefvement peché en ſacrifiant aux hauts lieux 1. Rois III. Comme auſſi pluſieurs bons rois, qui en ſont repris meſmes apres que la maiſon de l'Eternel fut baſtie, leſquels ont ſacrifié es haute lieux contre l'expreſſe defenſe *Deuter.* XII. 6. *Exod.* XXIX. 10. Je dis, que les rois, qui auroyent par meſgarde ou ignorance peché contre ce commandement, qui appartient a la premiere table & ſe rapporte au ſervice de Dieu, auroyent peché plus griefvement que David en commettant ſon adultere & meurtre, & aujourd'huy quiconques entendroit mal quelque poinct de Religion, ou bien qui prendroit le nom de Dieu en vain contre le troiſieſme commandement, pecheroit plus griefvement que s'il commettoit inceſte ou tuoit ſon pere. Car l'un eſt contre la premiere table, l'autre contre la deuxieſme. Pourquoy donc pend on les larrons & punit on de mort les voleurs qui pechent contre la ſeconde table, & on laiſſe impunis les blaſphemes volontaires, qu'on ait tous les jours ſur lés rues par grands & petis, avec une impieté plus enorme & licentieuſe qu'entre les Turcs & Payens. Et cependant ont veut par force contraindre les Magiſtrats aux punitions de ceux qu'on appelle heretiques, qui au pix aller ne blaſphement que par ignorance penſans bien faire. Mais cecy eſt une petite digreſſion contre ceſte fauſſe regle & balance trompeuſe des pechez, comme ſi tous pechez qu'on commet en aucune façon contre la premiere table de la Loy eſtoyent plus griefs & puniſſables, que ceux qui ſe commettent contre la deuxieſme. La ou au contraire tous pechez, qu'on commet contre la conſcience, violent la charité de Dieu, & on ne peut transgreſſer ſciemment la ſeconde table de la Loy ſans ſe rendre coupable contre la premiere tout enſemble. Pource qu'en tout peche deliberé nous eſtimons moins Dieu & l'obeiſſance que nous luy debvons, que noſtre prouſit, plaiſir, ou honneur: ce qui arrive tout au contraire es erreurs de la Religion, ou le plus ſouvent les hommes ſouffrent pource qu'ils preferent l'honneur de Dieu a leurs commoditez. Et cecy ſert en partie pour preuve, que toute amitié ou dilection que nous portons a noz prochains, ne peut meriter ce venerable tiltre de charité, ſi elle ne procede de l'amour & reverence de Dieu, ſe regle ſelon ſa volonté, & ſe rapporte a luy comme a ſon but. Par ou vous pouvez appercevoir, ſelon mon pauvre jugement, ce qui me ſemble de la definition ou diſcription de la Charité, laquelle l'Apoſtre depeint ſi vifve-

Ep.637 ment & magnifiquement au XIII. *chap.* de la 1. *aux Cor.* Vous voyez que je me ſuis rendu ridicule a moy meſmes, de vouloir porter de l'eau en la mer, & vous dire les choſes que je ſcay qu'aurez beaucoup mieux conſiderées & traittées que je ne les ſcauroy dire. Mais la faute qu'il y pourra avoir en cecy, ſera d'avoir eſté trop deſireux de vous complaire & obeir, ſans conſiderer aſſez ma foibleſſe. Je ne penſois que dire un mot ou deux de cecy, mais l'excellence de ceſte riche eſtoffe ma emporté plus avant que je ne penſois, & c'eſt l'ame de noſtre Chreſtienté, de laquelle helas il ne nous reſte plus que le nom. Je prie Dieu vous fortifier & benir voſtre labeur, pour nous faire voir & aimer l'exquiſe beauté de ceſte noble princeſſe de toutes vertus, & la rechercher & pourchaſſer par ardentes prieres & par toute eſtude poſſible, comme un threſor, qui ſeul vaut plus que toutes les richeſſes que tous les Rois du monde enſemble ont jamais poſſedé. O ſi ceſte la eſtoit logée en noſtre ame comme elle debvroit, tout le reſte ſuivroit bien, & elle nous tourneroit les triſteſſes en joye, & les adverſitez en bonheur. Dieu, qui eſt la Charité meſmes & la poſſede en toute plenitude, la veuille eſpandre en noz cœurs par ſon S. Eſprit, pour par ſon attouchement changer toutes noz triſteſſes en joye a la gloire. Au reſte j'ay entendu ce qui s'eſt paſſé a la Haye. Ma prudence es affaires de ce monde eſt du tout nulle; mais ſi ay je aucunement preveu, paſſé deux ans, que noz grandes eſperances, que noz gens avoyent ſi fermement ancrées en M^r. le Prince, nous tromperoyent a la fin. Car que pourroit il faire pour nous quand il vaudroit beaucoup, n'ayant nul appuy de dehors, tout contraire au dedans? Les juges de feu le Seigneur Advocat ſe tiendront a leur advis par neceſſité collez & unis avec les Miniſtres, & je connoy l'eſprit Calviniſtique, qui renverſera plus toſt tout le pays en ruine, que de rien quitter de la domination & maiſtriſe qu'il s'eſt acquis avec tant d'effort. S'il y a une ville ou deux qui panchent vers la moderation, je penſe qu'on les contraindra par force a ſuivre l'advis des autres. Si les Magiſtrats font difficulté d'executer les placarts, on les depoſera bien encor un coup, pour en mettre d'autres en leur place. On a deſia reſoulu a ce que j'entens, que les placards ſeront tenus pour edicts fondamentels de l'eſtat. J'ouy bien que ceux qui veulent ſembler nous favoriſer diſent, que c'eſt ſeulement *nomine tenus*, & qu'on laira l'execution a la diſcretion de chacune ville. Mais je tiens pour tout aſſeuré, que ce *nomine tenus* la durera juſtement ſi long temps, juſqu'a ce qu'on ait meilleur moyen d'employer contre les noſtres la force des garniſons. Maintenant il faut aller en campaigne, & par miſericorde on ſupportera ce qu'on ne peut empeſcher. Nous avons tant oui de ces vaines promeſſes & eſperances mal fondées, que ce ſeroit a mon petit advis grande imprudence a nous, de nous y amuſer davantage. Et quand bien quelques Magiſtrats voudroyent un peu civiliſer, les Miniſtres les contraindront par une perpetuelle importunité, a leur ſervir de bourreaux & executeurs de leurs paſſions. Ainſi je n'eſpere du tout rien de bien, ni nulle delivrance pour nous en ceſte vie. Voire je ne l'oſe meſmes fort ſouhaitter, m'aſſeurant qu'elle n'adviendra point, ſi ce n'eſt que l'ennemy vienne a ruiner le pays: ce que nous debvons abhorrer plus que toutes les plus grandes calamitez qui nous pourroyent advenir en particulier. Et je prie tous les jours ardamment le Seigneur, de deſtourner un tel mal, quand bien je debvrois encor vivre icy une douzaine d'années en ceſte eſtroite priſon. Ayant colloqué mes trois fils ou ils puiſſent apprendre a gaigner leur vie en la crainte de Dieu, mon intention eſt de m'enveloper icy en mes livres & papiers, & mener une vie Chreſtiennement Philoſophique, ſans me tourmenter des affaires du monde en rien qui ſoit. Ma plus grande apprehenſion eſt pour le pays, & pour tout le general de la pauvre Chreſtienté, en laquelle j'apprehende des horribles changemens. Mais n'y pouvant apporter autre aide que de mes pauvres prieres a Dieu, nous n'en debvons point tellement troubler le repos de noſtre eſprit, que nous nous conſumions nous meſmes par un chagrin inſupportable & de nul prouſit. Noſtre vraye patrie eſt au ciel, & celle de toutes bonnes ames auſſi. Nous ſommes icy touſjours pelerins & eſtrangers, & n'y avons point de cité permanente. A chacun jour ſuffit ſon affliction. Poſſedans noſtre ame en patience, & remettans noſtre charge ſur l'Eternel, il aura ſoin pour nous, & ne nous laira point eſtre tentez outre noſtre portée. Quant aux ſermons de Joſeph Ponjade, Monſieur Victor me les a envoyez, & j'avoy commencé ſelon ma promeſſe de coucher par eſcrit un examen de ſes menſonges, calomnies, & ſottes impertinences: Mais ayant entendu, que Monſieur Goulart a entrepris & deſia commencé de le refuter, j'ay la laiſſé le tout, eſtimant avec vous, que c'eſt un ouvrage extremement ignorant & malicieux tout enſemble. Il faut que ce ſoit un homme extremement vain & ſans conſcience. Comment pourroit on eſcrire contre des ineptíes ſi pueriles, & des menſonges ſi enormes, ſans appeller chacune choſe par ſon propre nom? Je n'ay encor rien veu, ou la malice & lourde ignorance fuſt ſi eſtroitement conjoincte enſemble. Si on l'a tourné en Alleman, je ne ſeroy point trop eſtonné, que le Docteur Martinius a Breme ait volontairement favoriſé ceſte ſienne imprudence, pour faire voir ſa beſtiſe a tout le monde. Eſcrire contre telles happelourdes me ſemble quaſi ſuperflu, & avec ce que je n'ay point exercé la langue Allemande en plus de vingt ans, j'entens que

Ep.637.

Ep.637. Mad. la Princeſſe entend & parle bon François, comme auſſi le Roy de Boheme. Mon petit ouvrage contre Ponjade euſt deſia eſté preſt paſſé quatorſe jours, ſans une indiſpoſition qui m'a pris, laquelle me cauſe un continuel mal de teſte, avec un defaut de dormir, de ſorte que je repoſe fort peu la nuict, ſans que j'ay toutesfois aucune remarquable douleur de corps, & encor moins de trouble d'eſprit, ains ay au contraire l'ame fort tranquille & a repos, depuis que la plus cuiſante triſteſſe de ma derniere affliction eſt un peu paſſée. Je m'eſtonne qu'un tel homme que ce Ponjade a eſté Profeſſeur en Theologie a Caſſel, & que ce bon Lantgrave, duquel on ſouloit tant priſer le ſcavoir (comme auſſi du feu Roy Jaques de grande Bretaigne) a choiſi un tel perſonnage pour ornement de ſon illuſtre college. Ces deux Princes ſcavans ont par leur gouvernement donné a connoiſtre qu'il y tresgrande difference entre la ſcience ou prattique des livres, & la ſageſſe, & que les plus grands clercs ne ſont pas le plus capables de bien gouverner leurs affaires ni leurs peuples. Selon que j'ay peu appercevoir, la ſentence de l'Empereur, par laquelle le Lantgrave Maurice a eſté privé de la ſucceſſion de Marpourg, a eſté poremẽt fondée la deſſus, qu'il avoit en pluſieurs manieres enfreint le teſtament de ſon Oncle, qui eſtoit grand zelateur de la Confeſſion d'Auſpourg, & avoit fort recommandé, qu'il ne changeaſt rien en la religion. J'ay veu auſſi par les rapports, que les Calviniſtes ont eſté chaſſez de la comté de Naſſau, & de la Weldcrau, qui ont eu leurs deputez au Synode de Dordrecht. Ils ont tous eſté contrainctz de s'en aller en exil, comme auſſi ceux de Heſſe, horſmis ceux qui ont voulu abjurer le Calviniſme & embraſſer la Papauté ou Lutheraniſme. Je deplore la calamité de beaucoup de gens de bien; mais a la verité ces gens, ayans joui pluſieurs années de la paix de Religion ſoubs le manteau de la confeſſion d'Auſpourg, ſe ſont portez ſi outrageuſement contre nous au Synode de Dordrecht, qu'ils ont donné juſte ſubject aux Martiniſtes de redouter leur plus grand advancement en Allemaigne. Ils ſont icy venu aider a nous perſecuter, & ont condamné a Dordrecht en noz perſonnes la confeſſion d'Auſpourg, qu'ils avoyent promis avec ſerment de maintenir: & les voila dechaſſez auſſi bien que nous. Je doubte que ceux de Breme & d'Emden auront a craindre, qu'autant ne leur en advienne, ſi l'Empereur peut venir a bout de ſes deſſeins. Mais je crains auſſi, qu'a la fin il tachera de chaſſer les Martiniſtes auſſi bien que les autres, comme il a faict en Auſtriche & Boheme. Les Jeſuites l'inciteront a ne ſouffrir autre religion que la Papale, comme les Calviniſtes font par tout ou les Princes veulent ſuivre l'advis de leurs Eccleſiaſtiques, comme on void en Angleterre, Eſcoſſe, & par tout ailleurs ou les Magiſtrats les ont voulu croire, qu'ils ne ſouffrent autre religion que la leur. Ainſi ils jouent au boute hors l'un contre l'autre a qui aura la maiſtreſſe ſur les conſciences. Ponjade a cela de bon en ſes ſermons, qu'il dit, que la contrainte en matiere de conſcience ne faict que des hypocrites, & qu'en voulant chaſſer la religion contraire on introduict l'atheiſme. Voila comme on chante maintenant, qu'on ſouffre ce qu'on a faict a autr'huy. Mais lors que le Lantgrave Maurice chaſſoit le Lutheraniſme de Marpourg, j'ay veu que Paræus en ſa preface ſur Otée loüoit merveilleuſement ſa pieté, & exaltoit ſon zele juſqu'au ciel. Maintenant chaſſer la religion contraire eſt introduire l'atheiſme. J'eſpere que Monſieur Goulart ne manquera point a luy bien remarquer ce beau traict, & luy dire, qu'il imprime bien cette leçon au cœur de ſes gens de pardeça, qui des le commencement ont faict tout effort poſſible, pour faire qu'on ne permiſt autre exercice de religion en ces pays que de la Calviniſtique, laquelle ſeule veut s'approprier ſuperbement le titre de Reformée, avec encor plus grande abſurdité, & moins d'apparence, que la Romaine veut eſtre ſeule Catholique. C'eſt une choſe deplorable, que ces gens, en un temps ſi calamiteux de la pauvre Chreſtienté, ne ſcavent encor quitter leur ambition tyrannique, & nourriſſent encor en leur cœur un Royaume Papal. Comme vous m'eſcrivez qu'ils ſe ſont liguez en la Claſſe de Delft, j'entens de Gorcum qu'ils ont faict la le meſmes & en toutes les Claſſes du pays. Et le Miniſtre Spiliardus a dit ouvertement, qu'ils ont faict accord de n'endurer jamais qu'on octroye liberté aux noſtres, ni qu'on allege en rien noſtre priſon. Voire ils ſont ſi effrontement hardis, que d'oſer dire en leurs diſcours communs, que ſi Monſieur le Prince nous veut procurer liberté, on le depoſera bien de ſon gouvernement, & on mettra en ſa place le Comte Erneſt: & qui pis eſt, le dit Spiliardus, l'un des Miniſtres de Gorcum, a dit, qu'il aimeroit mieux accorder avec l'Eſpaignol qu'avec nous, dequoy divers membres de ſon Egliſe ſont fort ſcandalizez. Pour moy je crain avec vous, que Dieu n'ait deſia verſé & verſera encor ſur eux, & ceux qui leur obeiſſent en l'oppreſſion des innocens, l'eſprit d'eſtourdiſſement a la ruine du pays, & a noſtre extreme regret. De maniere que j'eſtime heureux les gens de bien, que Dieu a retiré a ſoy, devant qu'envoyer les grandes punitions, qui nous menacent de loing & de pres, & leſquelles nous avons bien meritées par noz pechez. Sa divine bonté nous veuille faire la grace de bien connoiſtre le jour de noſtre viſitation, faire noſtre prouſit de ſes chaſtimens, qu'avons deſia enduré, & nous preparer a patience pour les plus grands maux qui reſtent, voire de nous humilier a bon eſcient & en faire no-

Ep.638. noſtre prouſit a l'amendement de noſtre vie. Et cependant je ne ceſſeray,

Monſieur & treshonnoré Pere, d'avoir tousjours memoire de vous en mes plus humbles & ardentes prieres, a ce qui puiſſiez encor quelque part trouver un petit lieu de repos, pour y achever le reſte de voſtre honnorable vielleſſe, & y employer vertueuſement & a l'edification de la poſterité les excellens dons, que Dieu vous a richement departis, pour parler encor apres voſtre mort a ceux qui vous voudront eſcouter, & qui ſeront juges plus equitables de noſtre bonne cauſe, pour laquelle nous endurons tant d'injures & d'indignitez, apres que les paſſions de haine, d'envie & de malveuillance n'offuſqueront plus la veue de pluſieurs comme a preſent: finiſſant par mes plus humbles & cordiales recommandations a voz bonnes graces & de Mad.^le voſtre compaigne, comme auſſi de ces deux grands perſonnages que j'eſtime eſtre avec vous, & de tous les bons amis de connoiſſance. De ma priſon ce 15. de May 1627.

Voſtre treshumble Serviteur

CHARLES de NIELLES.

La voſtre du 28. Avril eſt orprimes parvenue a mes mains le 9. de ce mois, afin qu'excuſiez tant plus facilement ma reſponſe tardive.

IOC XXXVIII.

CAROLUS NIELLIUS

JOANNI UYTENBOGARDO S.P.

Reciſſa fua.

MOnſieur & tres-honnoré Pere. J'admire, honnore, & aime autant que nul autre ſcauroit faire les qualitez incomparables que le bon Dieu a mis en vous. Et parce que je voy par les effects publicqs, que vous employez encor en ceſte haute vielleſſe voſtre loiſir ſi vertueuſement & heureuſement, je vous puis aſſeurer en toute rondeur & ſincerité, que je fais conſcience de vous derober tant ſoit peu de voz bonnes heures, pour vous empeſcher a lire ou reſpondre mes pauvres lettres. Par conſequent ja ne m'advienne de me meſconnoiſtre ſi fort moy meſmes, que de vous vouloir jamais obliger de reſpondre a toutes mes brouilleries, ce ſeroit pecher trop enormement contre le reſpect que nous tous vous devons, & contre le bien public. Pourtant j'ay leu avec honte & vergoigne les excuſes nullement neceſſaires, que vous avez faict par cy devant en voſtre lettre a M^r. Cupus, & deſquelles vous repetez encor le ſommaire ſubſtantiel en voz dernieres a moy; cauſe qui m'a empeſché & retardé de vous reſpondre, ne ſchachant quoy ni comment repartir a des lettres ſi exceſſives en debonnaireté & courtoiſie. C'eſt a moy qu'il conviendroit de ſouhaitter voſtre benediction, comme un enfant feroit de ſon pere, & de vous requerir pardon, ſi je n'ay pas aſſez monſtré la vifve ſouvenance que j'ay de vous, & combien vous eſtes ſelon ma pauvre petiteſſe hautement logé au plus profond de mon cœur. Et ne pente point, qu'en toutes ces triſtes années, que nous avons paſſé, j'ay jamais faict priere a Dieu, ſans treſaffectueuſe mention de vous, ſouhaittant ſincerement, qu'il pleuſt a ſa divine Majeſté, ſi faire ſe pouvoit, oſter quelque bon nombre des années de ma vie, pour les adjouſter a la voſtre, afin que peuſſiez encor long temps eſtre treſutile a l'advancement de la vraye Chreſtienté, & a la paix entre toutes bonnes ames, qui font cas de la ſubſtantielle pieté, & ſcavent que l'Egliſe vrayement catholique, n'eſt rien moins qu'une conſpiration de ſectaires, liguez enſemble par quelques opinions particulieres, & ceremonies; mais une vraye communion de tous les ſaincts, qui ſont vrayement conduicts par l'eſprit de Chriſt, en quelque lieu qu'ils puiſſent eſtre, & quelque nom qu'ils puiſſent porter. Je croy que rien n'a tant porté de dommage au regne de Chriſt, ni tant ſervi a eſtablir les fondemens de la Papauté, que ceſte maladie de l'eſprit humain, par laquelle on a voulu decider magiſtralement beaucoup de matieres, qui outrepaſſent la capacité de l'eſprit humain en ceſte vie preſente. Et apres qu'on a une fois pris la hardieſſe d'arreſter pour neceſſaire a ſalut, ce qui outrepaſſe la capacité humaine, & cependant n'eſt pas du tout clair & evident es Eſcritures Saincte, on a voulu maintenir par des horribles artifices, ce qu'une fois on avoit temerairement advancé. Et ainſi on a peu a peu banni de la Chreſtienté, l'ame de la foy Chreſtienne, qui eſt la Charité, la modeſtie, & l'humble & ſincere reconnoiſſance de noſtre ignorance & de la foibleſſe de noſtre entendement es choſes divines. La hardieſſe temeraire a eſté reputée pour zele de verité, & l'obſtination pour conſtance. On a preferé l'arbre de ſcience a l'arbre de vie, & ainſi il nous en eſt pris comme a noz premiers peres. Du commencement de la Reformation du temps de noz peres, tandis que Luther combattoit modeſtement les indulgences & la tyrannie Papale, incontinent tous les bons eſprits, qui avoyent quelque ſincere affection a la pieté, le favoriſerent merveilleuſement, & comme a l'envie l'un de l'autre, les uns plus couvertement, & timidement, comme entr'autres ces trois incomparables lumieres qui eſtoyent lors les plus connues, Eraſme, Budé, Louis Vives: mais apres que la bulle d'excommunication fulminée contre luy par Leon dixieſme, l'euſt outrement irrité, & d'autre part que la trop ſubite apparence du ſuccez de ſon entrepriſe luy

3 contre Luther et les autres fauteurs de la Reforme

Erasmus, Budaeus, Vivs

Ep.638. euſt un peu trop enflé le courage, & peut eſtre l'euſt enorgueilli, ſelon le naturel corrompu de l'homme, il ſe laiſſa tranſporter a ſes paſſions, & par envie de faire trouver mauvais tout ce qu'on tenoit encor pour bon en la Papauté, il delaiſſa ſa premiere modeſtie, ſa gravité, & fit en pluſieurs choſes plus de mal a ſoy meſmes, & a ſa cauſe, que non pas au Pape & a la Papauté. On ſe moque aujourd'huy fort des Academiques: & a dire le vray, les Sceptiques ont paſſé toute meſure en l'autre extremité. Mais pleuſt a Dieu, que Luther & pluſieurs de ſes compaignons euſſent eu un peu de ce, qu'il y a eu de bon en la modeſtie & ſurſeance Academique, & euſt eſté plus retenu a advancer pluſieurs nouveaux paradoxes & opinions eſtranges, plus ſoigneux de bien amender, que de vouloir par un eſprit de contradiction changer & bouleverſer tout ce qui eſtoit de long temps tenu & ſuivi par toute la Chreſtienté. Il eſt bien plus facile de contredire & de renverſer ce qu'on maintient eſtre mauvais, que d'amender & bien fermement eſtablir ce qu'on veut mettre en la place de ce qu'on a oſté. Ainſi les meilleures ames, qui du commencement avoyent avec une froide prudence & de loin favorizé les beaux commencemens de Luther, ſe retirerent derechef en arriere, & ſe tendrent a couvert en la Papauté. Voyans fort bien, qu'il y avoit la beaucoup de choſes qui requeroyent amendement & reformation; mais ne pouvoyent approuver les nouvelles opinions, qu'on vouloit introduire, & ſe plaignans qu'ils ne voyoient nulles marques de l'eſprit de Chriſt es principaux chefs de tout ceſt horrible remuement. Ce ſiecle la a porté entre noz reformateurs des eſprits grands, vifs, perſonnages fort verſez aux lettres, induſtrieux, promps & habiles: mais pleuſt a Dieu, que la prudente modeſtie, la charité debonnaire, & ſollicitude conſcientieuſe les euſt davantage accompagnez. Beze dit quelque part, que noſtre ſiecle a eu plus de ſcience, mais moins de conſcience que les premiers ſiecles de la Chreſtienté. Et a dire la verité, s'il entend par la ſcience la connoiſſance des langues, & une faconde ou eloquence Ciceroniene, je croy qu'il dit vray au regard du nombre. Car il n'y avoit point tant de gens anciennement en l'Egliſe, qui excellaſſent en l'Hebrieu & au Grec & Latin tout enſemble, combien qu'Origene eſtoit par tout d'un ſcavoir admirable, S. Hierome auſſi grand linguiſte. Mais quant a l'intelligence reelle des matieres, ou le ſcavoir des choſes, je ne ſcay par ou Beze prouveroit, que noſtre ſiecle ou celuy de noz peres a ſurpaſſé l'ancienneté. Et quand bien cela ſeroit vray, ſi eſt ce que la bonne conſcience eſt plus a eſtimer que toute la ſcience du monde. Dieu a bien promis ſon S. Eſprit, & la revelation de ſes ſecrets a ceux qui le craignent; mais nullepart aux a ceux qui ſont le plus pourveus de ſcience ſeculiere. Or maintenant, Monſieur & Pere, la pauvre Chreſtienté eſt par tout en telle horrible confuſion, & ſi piteuſement dechirée, que nous ne ſcaurions aſſez nous humilier devant Dieu, & impetrer ſa miſericorde. Et quand a l'induſtrie & travail qu'on peut employer, pour apporter quelque remede aux malheurs extremes qui nous menacent de toutes parts, j'eſtime que nous avons plus de beſoing de ſaincte prudence, que de fecondité d'eſprit, ou fertilité d'eſcrits polemiques. C'eſt pour cela que j'eſtime tant voſtre longue vie nous eſtre treſneceſſaire. Eſcrire des livres eſt un affaire, qui aujourd'huy n'eſt pas fort difficile. Mais eſcrire circonſpectement & prudemment, de maniere qu'on proufite ſans porter dommage, eſt un don treſrare, & qui ſe trouve en fort peu de perſonnes, quelques doctes, lettrez, ingenieux & habiles qu'ils puiſſent eſtre. Ceſte ame ſaincte, feu noſtre bon Poppius, a travaillé beaucoup & heureuſement, a fort edifié par ſes eſcrits. J'ay leu avec treſgrande edification & merveilleux plaiſir un eſcrit, touchant *la nouvelle Sainte Ligue*, qu'on voudroit bien baſtir en ces pays, dreſſé avec une treſjudicieuſe dexterité & une prudence admirable. Il ſemble bien que l'autheur y a voulu cacher ſon ſtyle, pour ne point eſtre connu: mais je doute, que la maturité de ſes ſages advis, ſon jugement grave & ſolide, le feront bien connoiſtre a ceux qui ont un peu bon nez. Nous luy ſommes tous fort obligez, d'avoir faict encores un ſervice ſi neceſſaire, & de proufit ſi ineſtimable a noſtre bonne cauſe. Les exemplaires ont eſté cherchez avec une avidité incroyable, & achettez a prix exceſſif pour le regard de la quantité des feuilles, mais non trop cher pour le regard du fruict, qu'on ne ſcauroit aſſez eſtimer. En une matiere ſi meſlée de pluſieurs diverſes conſiderations, & ſi ſcabreuſe a manier, ſcavoir garder par tout la decence, & ne heurter rien mal a propos, eſt une œuvre de merveilleuſe circonſpection, & qui requiert une ſageſſe incomparable. Je loue le bon Dieu, que noſtre bonne cauſe n'eſt point encor du tout deſtituée de ſi excellens defenſeurs, & prie tous les jours ſa Divine bonté, qu'il les conſerve en longue vie, avec accroiſſement de ſes meilleures benedictions. Je vous remercie bien humblement de la communication de voz nouvelles, & notamment de celles de France. Nous avons leu avec eſtonnement les deux diſcours imprimez en France. Les foudres du parlement de Thouloufe contre le Duc de Rohan ſont eſpouvantables & merveilleuſement rigoureux contre une perſonne de telle qualité. Mais la harangue des bons Reformés de Rouen, nous a ravis en admiration, de ce qu'ils logent ſi hautement au ciel un Preſident Papiſte. Ne ſeroit il pas expedient, que cela fuſt tranſlaté en Flamend, & imprimé es deux langues, pour divulger les exem-

Ep.638. exemplaires par deça, & faire honte a quelques clabaudeurs, qui veulent enclore l'eſperance du ſalut en la creance Calviniſtique, & puerilement ou ſottement borner les limites de l'Egliſe vrayement Catholique entre les ſectateurs d'un homme, ou de quelques hommes de noſtre temps? On y pourroit adjouſter une petite preface, pour deſcouvrir leur folie un peu plus clairement. J'eſtois un peu mari, que Monſieur Cupus par inadvertence avoit renvoyé par ſon beau frere les dits diſcours, & notamment ceſte harangue, ſans me donner la commodité d'en faire un tranſcript, pour mon uſage. Car je garde volontiers la memoire de telles pieces; avec ce qu'il y avoit de belles poinctes d'une gentilleſſe & vaine Françoiſe. Si vous trouvez expedient de le faire imprimer par deça, je ſupplie en avoir un exemplaire, ou pour le moins une copie eſcrite, que je payeray volontiers, comme une choſe rare & ſinguliere. J'ay eſté marry d'entendre qu'on ne vous l'avoit pas encores rendu, & toutesfois les amis de Rotterdam l'ont ſans mon ſceu remporté avec eux, deſquels j'eſpere que l'aurez j'a receu. Quant a l'eſtat de noz Egliſes, nous avons encor matiere de louer Dieu, qu'elles ſubſiſtent apres tant d'horribles ſecouſſes, qu'elles ont receues. D'eſperer que tout en un coup, ceux qui gouvernent, changeront leurs procedures, ou caſſeront reëlement leurs ſentences données avec tant de bruict & ſolemnité, annulleront leurs placards, qu'on a transformé depuis ſi peu en edit perpetuel & loy fondamentelle de l'eſtat: c'eſt une choſe, qui ne m'a jamais ſemblé eſperable. Ce ſera tout, ſi on peut obtenir que peu a peu, comme par connivence des villes & lieux particuliers, on puiſſe arriver a une demi tolerance generale, telle qu'ont les Anabaptiſtes & autres ſectes. Quant a noſtre delivrance, je n'en ay jamais ſceu concevoir ſi grande eſperance, que mes autres confreres par deça: j'ay des le commencement preveu, que comme le feu Prince Maurice de H. M. n'euſt jamais voulu faire pour nous ce qu'il euſt peu, de meſme ceſtuy cy ne pourroit ce qu'il voudroit. J'ay aucunement preveu & predit les difficultez qui ſe rencontrent a preſent, point par aucune prevoyance ou prudence que je m'attribue, (je ne ſens que trop combien eſt courte la veue de mon pauvre jugement) mais parce que quelque petite lecture des hiſtoires m'a faict connoiſtre les proprietez de l'eſprit Calviniſticq, qui renverſeroit plus toſt tout le deſſus deſſous, que de ne point faire le maiſtre abſolu par tout ou les forces ne luy manquent pas. Encores a preſent en ceſt eſtat lamentable de toute la pauvre Chreſtienté, je viens de lire un livret tout frais imprimé a Leyde par Elzevir, portant inſcription *de Jure Regni Diaſcepſis*, authore *Alexandro Irvino Scoto*, dedie au Roy de la grande Bretagne, ou le chapitre XVIII. pag. 210. porte ce ſommaire. *Quod Reges aliique fideles jugum tyrannidis Pontificiæ non immerito excuſſerint, & Papam ac Papanos perſequi teneantur.* & au chapitre meſme, il dit: *Nec ſatis eſt fideles Babylone egreſſos eſſe; niſi etiam damnum damnis & cladem cladibus rependant. Reddite ei, ſicut ipſa reddidit vobis: & duplicate ei duplum ſecundum opera ejus: in poculo quod propinavit, propinate ei duplum, &c. Dominus quidem fons omnis miſericordiæ, ita deteſtatur atque abominatur Meretricem iſtam, ut ſuos (quibus aliaqui vindictam omnem prohibet) in illam armans, ſeveriſſime ſe ulciſci imbeat.* &c. & paullo poſt. *Quid dubitant igitur pii perſequi Pontificios? an ſuis viribus diffidunt? At Dominus certam ſibi ac ſuis victoriam de Meretrice illa ejuſque comitibus pollicetur.* Ne vivons nous pas bien aujourd'huy en un temps propre, pour faire tels diſcours? Et cependant, il ſemble que la meſme ma'adie d'eſprit s'eſpande auſſi entre les Lutheriens Allemans. J'ay veu le Catalogue de ceſte derniere foire de Francfort, qui contient force livres polemicqs contre la Papauté, entr'autres un qui porte ceſte inſcription: *Judicium & excidium Meretricis Babylonia Romana, ſeu Commentariorum in Apocalypſim S. Johannis liber ſextus, authore Matthia Hebe Doctore Theologo. Lipſia in 4.* Ce Hohe eſt le principal Miniſtre de la court de l'Electeur de Saxe, de noble race du pays d'Auſtriche, & lequel on a de long temps ſoupſonné d'eſtre couvertement Papiſte. Je m'eſtonne, qu'en ceſte conſtitution du temps & des affaires il trouve bon d'eſcrire contre la Papauté d'un ſtyle ſi trenchant & odieux, d'autant plus, que l'Electeur de Saxe a tousjours fort cherché de nourir entiere envers ſa maiſon la bienveillance de l'Empereur. Il y a encor divers autres qui ont aſprement eſcrit contre l'Egliſe Romaine, auſſi ſemble y avoir a Roſtoch un certain Magiſter Lutherien, qui a publié une admonition contre un certain, qu'il nomme *Intimatorem, qui ab Auguſtana Confeſſione diſceſſum fecit atque Arminiana Calviniana dogmata ſerere conatus eſt.* Comme au contraire un autre a eſcrit une Apologie *de Vero Armdi* (je doute qu'il y a faute de l'impreſſion, & que ce doibt eſtre Arminii) *P. M. Chriſtianiſmo, authore Georgio Roſtio.* Lequel Roſtius a excercé le Miniſtere a la court du Duc de Meklenbourg, a preſent privé de ſon pays par l'Empereur. Ce meſme Roſtius a publié encor un autre livre en Allemand, avec inſcription. *Formula pacificatoria, oder friedensmittel, welcher geſtalt den onheyl in der Chriſtlichen Kirchen van den erregten ſtraytigheyten das woort Godts betreffende abſtuhalfen, herfuſt durch Georgium Roſtium. Roſtochin 12.* Item encor un traitté du meſme autheur, ou il pretend prouver, qu'on ne peut faire ſon ſalut en la Religion Papiſtique, qu'on ne peut avec raiſon contraindre les gens a recevoir la Religion Papale, & qu'un

Ep.638.

Ep.638. Prince Catholique ne peut avec raiſon reformer ſelon ſon opinion tout un pays. Je ſeroy deſireux de voir ce qu'il en dit: & ſeroit fort a ſouhaiter pour noſtre bonne cauſe, qu'es autres endroicts de la Chreſtienté il pleuſt au bon Dieu ſuſciter des perſonnages amateurs de pieté & de paix. Nous avons veu icy le ſermon d'un certain Eveſque d'Angleterre faict a l'ouverture du dernier Parlement. Mais parce qu'il ne parle que fort generalement, on n'en ſcauroit recueillir grand choſe, ni bien diſcerner s'il veut parler pour la moderation ou au contraire. Quant a noſtre delivrance, je n'en ſuis pas tant en peine, comme de la conſervation du pays, apprehendant extremement les dangers qui nous menacent de tout coſtez, de loing & de pres. Je m'eſtois bien auſſi un peu reſjoui de voir par noz courantes ordinaires, que l'Empereur ſe tailloit tant de beloigne tout enſemble, eſperant qu'il eſtreindroit mal par vouloir trop embraſſer. Mais depuis il m'a ſemblé, que je remarquois un autre deſſein en la conduite, aſſcavoir, qu'il tache de faire d'une pierre deux coups. 1. De faire nourir ſes grandes armées aux deſpens d'autr'huy, durant la ſaiſon qui n'eſt pas encor propre pour marcher en campaigne. 2. Par meſme moyen appauvrir les princes & pays, qui pourroyent penſer a luy faire teſte & empeſcher le progrez de ſes deſſeins. Et qu'il n'aura point peut eſtre taſché de ſe prendre aux Suiſſes, mais bien de nourir ſes armées es pays circomvoiſins d'iceux, & les appauvrir. On parle icy beaucoup de trefves, meſmes noz ſoldats en ont la teſte pleine. Mais ſelon mon pauvre jugement, je voy fort maigre apparence, que l'Eſpagnol ou la maiſon d'Auſtriche, qui proſpere a preſent par tout, nous veuille donner une paix ou trefve telle qu'a eſté la precedente, laquelle cependant a ſi fort deſpleu a ſi pluſieurs, grands & petis. Ainſi je voudrois pour beaucoup, que l'eſtat du pays & de noz voiſins fuſt tel, que nous euſſions quelque occaſion de bien eſperer. Ce qu'advenant j'eſpererois auſſi toſt voſtre liberté, que la noſtre; laquelle me ſemble ſous humble correction qu'on pourroit bien acheminer peu a peu, ſans eſclat ni ſans acte formel, qui contrevinſt aux maximes, qu'on a voulu tenir ſelon le temps qui a couru. Les reigles de gouvernement ſe changent d'ordinaire ſelon les occurrences. Autrement, j'aimerois beaucoup mieux demeurer en priſon ce qui me peut reſter a vivre, & voir voſtre perſonne en liberté, pour le bien commun de noſtre cauſe. Quand aux moyens de ſubſiſter, j'eſpere que le bon Dieu y pourvoira. J'ay eſté treſmari d'entendre le treſpas de ce vray Iſraelite & fidele ſerviteur de Dieu Monſieur Goulart. Peut eſtre que le bon Dieu l'a voulu retirer miſericordieuſement en ſon repos celeſte, devant la venue des plus grands maux qui nous ſemblent menacer. Je l'eſtime heureux d'eſtre delivré de ce monde mauvais. Il va bien que ſa bonne veſve porte ſi patiemment ſa triſte perte. Cependant elle eſt la en un lieu bien faſcheux pour le preſent, au milieu de la flamme de guerre. J'en ay grande compaſſion, & ſouhaitterois la pouvoir ſoulager ou conſoler en ſes ennuis. Nous ſommes icy tant eſloignez, puis les chemins ſi difficiles & dangereux, qu'on ne ſcait comment entretenir correſpondence. J'entend que les amis qui penſoyent aller vers Fredrickſtadt, ſont retournez, ſans oſer parfaire leur voyage. Je vous remercie bien humblement de la communication des nouvelles. Le grand Dieu des armées peut beloigner par deſſus tout ce que nous ſcaurions comprendre. Mais ſelon l'apparence humaine, je ne ſcaurois prevoir ni conjecturer autre choſe, ſi non que toute la Chreſtienté, & notamment ces pays, ſont en tresgrand danger, & que nous avons tous grande occaſion de nous humilier extraordinairement devant Dieu, & par vifve repentance & amendement de vie aller au devant de ſon juſte couroux. Si la Rochelle ſe perd, en quel eſtat ſe trouveront les pauvres Egliſes reformées de France? Certes je deplore leur calamitez. Il y a encor beaucoup de bonnes ames entr'eux. Pluſieurs pauvres innocens ſeront contraincts de porter la punition des conſeils temeraires de leurs conducteurs. Le bon Dieu veuille avoir pitié de tant de perſonnes affligées, & veuille remedier a toutes ces horribles confuſions. Quant a noſtre petit eſtat icy, il eſt a l'ordinaire. C'eſt une choſe un peu malconvenable, qu'il nous faut icy eſtre parmi les ſoldats, l'un deſquels eſtant ſuperlativement yvre, menaça devant peu de jours Mr. Vezekius de luy fendre la teſte avec ſon eſpée, ſans qu'on luy euſt donné la moindre occaſion d'aucun meſcontement. Nous n'en voudrions point faire plainte, pource que des le lendemain il envoya demander pardon. Mais cependant il eſt faſcheux de vivre entre telles gens. Puis le Gouverneur auſſi ſe comporte envers nous ſouvent fort diſcourtoiſement. Nous ſouhaitterions fort quelque bon changement de place, qui peuſt ſervir d'acheminement a noſtre delivrance, s'il plaiſoit au bon Dieu nous l'ottroyer. J'entend que Monſieur Noble de Rotterdam auroit faict ouverture de quelque conſeil, qui ſeroit de requerir noſtre ſortie, en donnant pleige de nous repreſenter derechef, quand Meſſieurs les Eſtats nous demanderont. Qu'on pourroit alleguer, que nous avons, qui plus qui moins, noz petites neceſſitez domeſtiques, qui concernent noz enfans & familles. Je doubte que cela n'aura pas grand poids. Cependant ſi Meſſieurs nous vouloyent laiſſer ſortir ſous caution de ſiſtendo, ceux qui ſeroyent reſpondans pour nous, pourroyent parapres requerir avec le temps d'eſtre deſchargez de leur obligation. Et Meſſieurs ne ſembleroyent pas

tant

Ep.639. tant ſe desdire de leurs actions precedentes, en nous relaſchant ſous telle caution. Paradventure que cela ne s'obtiendroit pas du premier ni deuxieſme coup: mais reiterans la meſme requeſte & tachans de la faire recommander, aucuns penſent qu'on l'obtiendroit. Je n'eſcri point cecy de moy meſmes, ni que j'en aye guerres d'eſpoir; mais quelque amy de dehors nous eſtant icy venu faire ceſte ouverture, Monſieur Vezekius & quelques autres m'ont fort prié de vous en toucher quelque mot en paſſant. Mais vous ſcaurez beaucoup mieux entendre ou conjecturer par vous meſmes ce qui ſera le plus expedient de faire. Je ſuis honteux de vous charger d'une ſi longue & fiecheuſe rapſodie. C'eſt l'excez de voſtre bienveuillance qui m'en donne la hardieſſe: pardonne moy que j'abuſe ſi avant de voſtre bonté.

Monſieur & treshonnoré Pere, Je prie le bon Dieu, qu'il vous conſerve en longue proſperité & vigueur pour l'advancement du Royaume de Chriſt, & vous accroiſſe toutes les meilleures benedictions a ſa gloire, me recommandant treshumblement a voz bonnes graces, & de Madle. voſtre compaigne.

Tous les Freres d'icy combattent avec moy par leurs plus ardentes prieres a Dieu pour voſtre longue vie & proſperité, & ſe recommandent treshumblement a voz bonnes graces & prieres. De Louveſteyn ce 3. Juin 1628.

Voſtre treshumble & affectionné frere & Serviteur,

CHARLES de NIELLES.

IO CXXXIX.

CAROLUS NIELLIUS

JOANNI UYTENBOGARDO S. P.

Paris, præſertim de libertate conſcientiæ.

MOnſieur & treshonnoré Pere. Les treſagreables lettres, qu'il vous a pleu eſcrire a Mr. Cupus, m'ont eſté communes avec luy, & en outre ay receu de vous divers dons, qui me ſont de plus grand prix, que vous ne ſcauriez jamais croire. O ſi nous pouvions obtenir de Dieu ce bien, que la vieilleſſe ne vous fiſſe point vieillir, & que ceſte prudence incomparable, de laquelle voſtre ame eſt ſi excellemment enrichie, peuſt encor pluſieurs années ſervir au bien de la Chreſtienté ſi miſerablement desfigurée par ſes diſcordes inteſtines, qui luy rongent le cœur, & la ruinent de fonds en comble! Certes je vous puis dire ſans flatterie, que je lis avec admiration tout ce qui vient de vous, & me ſemble tousjours, que voz dernieres œuvres ſurpaſſent les premieres. Sur tout je ne me ſcay raſſaſier de lire & conſiderer, ce qui eſt dreſſé ſur le *Projet*, avec une dexterité ſi inimitable, avec une ſageſſe ſi profonde, & des propos ſi mouelleux, & leſquels en toutes ſortes donnent matiere au lecteur, de plus encores penſer, qu'il n'en eſt dit ouvertement. Je m'aſſeure que toutes perſonnes, qui portent le cerveau en la teſte, & regardent un peu plus avant, qu'a ce qui eſt devant leurs pieds, y trouveront a ruminer, & verront la difference qu'il y a entre les conſeils que ſuggere la partialité aveuglée de paſſion, & ceux qui procedent de la vraye prudence. Les evenemens de noz affaires, & toute l'iſſue des entrepriſes humaines eſt en la ſeule main de Dieu, lequel eſt merveilleux en ſes œuvres: & combien helas eſt petite la portion que nous comprenons de ſes conſeils! Mais tant y a, que ce nous eſt a tous une grande conſolation, & un contentement indicible, de voir que noſtre bonne cauſe, pour laquelle nous ſouffrons, eſt encor par vous ſi excellemment defendue. Les autres pieces juſqu'a trois ou quatre, qu'il vous a pleu m'envoyer, chacune en ſon reng, & ſelon la matiere qu'elles traittent, ſont auſſi tresdignes du meſme ouvrier. *Le Diſcours ſur les conſiderations conſcientieuſes touchant la Treſve*, nous a merveilleuſement edifié, & a eſté leu icy avec grande louange & approbation de l'un des Officiers de ce fort, qui eſt bien le plus judicieux qu'ayons en ce lieu. De meſme l'autre traicté touchant *l'affermiſſement de la Religion*, lequel eſt plein de nerfs: comme auſſi ce qui eſt faict ſur la ſentence de *Smonitius*, dit en peu de mots treſheureuſement tout ce qu'on ſcauroit ſouhaitter en telle matiere. Quant a la reſponſe a *Henricus Arnoldi*, je plaindrois grandement tant de belles choſes & un ouvrage ſi riche employées contre un adverſaire ſi chetif & miſerable, n'eſtoit que le ſubject de ſoy meſmes euſt merité une ſi belle plume. J'y ay veu le treſpeu de petis lopins, que je vous avois envoyé de ma pauvre memoire, leſquels y ſont enchaſſez comme des corals ou pieces de vitre entre les diamans & perles en un exquis ouvrage de broderie. Vous leur avez faict plus d'honneur, qu'ils ne meritent; mais c'eſt voſtre ordinaire, de trop exalter le treſpeu d'autr'huy au prix de ce qui eſt de vous. Pleuſt a Dieu, que j'euſſe la dixieſme partie de ce que m'attribuez, pour pouvoir apporter quelque aide a l'advancement de noſtre treſbonne cauſe: laquelle auroit bien grand beſoing de pluſieurs bons ouvriers, pour eſtre bien maintenue. Mais je ne ſcay, comment il eſt de tout temps arrivé, que la ſaine religion, & la droite edification de la Chreſtienté, n'a point eu grand nombre d'excellens Miniſtres, & de gens ſuffiſans, qui s'y employaſſent de tout leur cœur, & avec une entiere ſincerité. Les plainctes qu'en font les Apoſtres en leurs Epiſtres, nous ſont a tous connues. Et peut eſtre n'eſt ce point ſi grand merveille, qu'en temps de grande per-

Ep.639. perſecution ; les eſprits excellens s'emploient plus volontiers ailleurs, qu'en la vocation du Miniſtere, accompaigné de tant d'eſpineuſes difficultez. Mais je voy meſmes qu'en la plus grande fleur de la Chreſtienté, Nazianzene & autres font des ſi horribles complainctes de la corruption extreme, qu'il y avoit es Eveſques de leur temps, qu'on eſt eſtonné de les lire. Et combien de fois a il ſemblé, que tout le baſtiment du Chriſtianiſme eſtoit bouleverſé de fonds en comble, lors que divers Empereurs Payens ſe vantoyent d'avoir du tout eſteint & aneanti *la dommageable faction, de la nouvelle ſuperſtition Chreſtienne.* C'eſtoyent les titres dont ils qualifioyent la vraye Religion. Certes il a pluſieurs fois ſemblé, que tout ce qu'on avoit travaillé pour dreſſer le Royaume de Chriſt, eſtoit purement perdu.

Tanta molis erat Chriſtianam condere gentem.

Cependant la verité s'eſt relevée, mais a eu beſoing de beaucoup de temps & de peine. Ce n'eſt point merveille, ſi le Prince de ce monde avec toute ſa ſequelle s'oppoſe de tout ſon pouvoir a noſtre bonne entrepriſe, qui ſouhaittons de pouvoir mettre en evidence l'ame de la vraye Religion, & de faire connoiſtre la vraye amplitude de l'Egliſe Catholique, laquelle conſiſte en tous ceux, qui vrayement craignent Dieu & portent reverence a ſa Sainte Parole, deſirans d'eſtre joincts de cœur a tous ceux, qui pourchaſſent foy & charité d'une affection ſincere. C'eſt bien une horreur de penſer, comment avant la venue de Chriſt, on ſacrifioit en pluſieurs nations grand nombre d'hommes au diable, ſous les noms de faux dieux. Mais depuis la venue de Chriſt, ſous le tiltre d'hereſie, & d'erreurs en la Religion, les pauvres Chreſtiens s'entreſacrifient au diable, ou a leurs paſſions, enragées de vengeance ſous le beau titre de zele a l'honneur de Dieu, & a la verité cœleſte. Pluſieurs bons perſonnages anciennement & de noſtre temps ont apperceu ceſte horrible tromperie de Sathan, & ont taché de deſcouvrir ſes ruſes les plus dommageables; mais il n'arrive point en ce mauvais monde, que ce qui eſt le meilleur, plaiſe a la pluſpart. Et puis tout ainſi que l'or ſe trouve en peu d'endroicts de la terre, ainſi la ſolide prudence eſt rare, & donnée a peu de gens. Dont il advient que ceux la meſmes, qui aident a maintenir une bonne cauſe, bien ſouvent ou par meſgarde, ou tranſportez de quelque paſſion humaine, empeſchent plus le progres d'icelle, qu'ils ne l'advancent. Combien de fois eſt il advenu, que ce qu'on penſoit debvoir grandement ſervir, pour advancer, ou affermir la vraye religion, a depuis ſervi pour la ruiner. Des grands perſonnages jadis ont fort travaillé, pour dreſſer pluſieurs reglemens, qu'ils penſoyent debvoir ſervir fort au bien de la vraye Chreſtienté, mais leſquels depuis Sathan a ſceu tourner a l'entiere ruine d'icelle. Cecy a eſté par vous excellemment remarqué ſur le Project & ailleurs. Il y a pres de mille ans qu'en Hiſpaigne en un tresgrand Synode General, ou pluſtoſt National, on a aſtreinct les Rois d'Eſpaigne a faire un ſerment, qui depuis a couſté la vie a pluſieurs milliers de perſonnes, & porté des effects horribles ſur les pauvres Juifs & ſur les Chreſtiens. J'eſtime que les autheurs, ou Conſeilliers Theologiens du Project que vous avez tresjudicieuſement balancé, ſouhaitteroyent bien qu'on en fiſt icy un ſemblable. Je le tranſcriray icy, ſelon que le Cardinal Baronius en faict le recit ſur l'an de Jeſus Chriſt IↃCXXXVIII. *Anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo octavo, Indictionis undecimæ, Cinbſlani Hiſpaniæ Regis ſecundo, &c. Celebratum habetur generale, ſive dixeris nationale* CONCILIUM TOLETANUM, *Sextum nominatum, cui præfuit Silva Epiſcopus Narbonenſis cæteris ſenior, interfuerunt quæ Epiſcopi, ſive per ſe, ſive per legatos, numero quinquaginta duo; a quibus ſancita ſunt capita decem & novem, tum ad Catholicam fidem ſtabiliendam, tum etiam ad Eccleſiaſticam diſciplinam cuſtodiendam elaborata. Quorum tertio in odium maxime Judæorum, ex ejuſdem Regis ſententia, atque Optimatum Regni conſenſu, à Patribus ſancitum eſt, ut qui in Regnum Hiſpaniæ in poſterum vocarentur, non ante thronum conſcenderent, quam inter reliqua conditionum ſacramenta polliciti eſſent,* SE NULLO MODO PERMISSUROS, IN REGNO SUO ALIQUEM DEGERE, QUI NON ESSET CATHOLICUS; ADEO UT SI QUIS EORUM EJUS LEGIS AC PROMISSIONIS TEMERATOR EXISTERET, ESSET (inquiunt Patres) ANATHEMA MARANATHA IN CONSPECTU DEI, ET PABULUM EFFICERETUR IGNIS ÆTERNI; SIMULQUE CUM EO DAMNATIONE PERCELLERENTUR, QUICUNQUE SACERDOTUM VEL QUORUMLIBET CHRISTIANORUM EJUS IMPLICATI FUISSENT ERRORI. *Ex quibus apparet, haud indebite tributum eſſe titulum Hiſpaniæ Regibus, ut* CATHOLICI *cognominentur, utpote tanto facti titulo digni, quod non tantum jurent ſe fore Catholicos, ſed neque paſſuros* QUENQUAM NON CATHOLICUM IN AMPLISSIMO SUO REGNO PERMANERE. Juſques icy les propres mots du Cardinal, qui contiennent un Canon memorable, lequel j'eſtime avoir eſté la maiſtreſſe pierre du fondement de tout l'edifice de l'Inquiſition, laquelle depuis fut dreſſée contre les Juifs, qui feinctement s'eſtoient faicts Chreſtiens, mais demeuroyent Juifs en leur cœur: de ſorte qu'on eut depuis pour hypocrites Chreſtiens, c'eſt a dire doublement meſchans, ceux qui auparavant eſtoyent au dehors comme au dedans.

Ep. 639. dans. Ceux qui retournerent au vomiſſement furent appellez *marrans*, propre & premier object de l'Inquiſition. Il n'eſt ja beſoin que je vous die toutes les conſiderations que j'ay ſur ce canon, que j'eſtime avoir abbatu plus de millions de teſtes, que les pauvres Payens n'en ſacrifierent en pluſieurs batailles & ſieges de ville. Qu'on ſe rememore l'horrible boucherie qui t'eſt faicte des Juifs en Eſpagne, des pauvres Indiens au nouveau monde, des pretendus heretiques en ces pays, & on comprendra aiſement ce que vaut ceſte belle regle, qu'on donne aux Princes & Superieurs, *de n'endurer nuls ſubjects, qui ne ſoyent de leur Religion.* Et c'eſt ordinairement le but, ou tend l'ambition Eccleſiaſtique, ſous le pretexte de zele de Religion, comme vous avez tresbien remarqué. Mais il n'y a rien plus contraire a l'eſprit de Jeſus Chriſt, qui ne demande nullement des ſubjects forcez, mais requiert un peuple plein de franc vouloir, comme il eſt dit au *Pſeaume* cx. Dont on peut recueillir, que ce n'eſt pas l'eſprit de Dieu, qui a preſidé a ce Synode & autres ſemblables, mais l'eſprit de meurtre & menſonge, ſe transfigurant toutesfois en un bel ange de lumiere. Car le pretexte eſt tousjours beau, d'empeſcher les hereſies & diſſenſions en l'Egliſe, & cependant on y plante beaucoup pis que toutes les hereſies. Mais a quoy faire vous eſcrire ces choſes, que vous ſcavez beaucoup mieux que moy? Quant a l'inſtance, qu'il conviendroit faire pour noſtre delivrance: j'ay tousjours eſté d'advis, que ce n'eſt pas grand choſe de beaucoup courir, ſi on ne ſcait comment, & avec quelle apparence. Une medecine donnée hors de ſaiſon nuit davantage qu'elle ne proufite. Il en va de meſmes de tout ce qu'on faict hors temps & mal a propos. Nous ne proufiterons rien par importunité. Il faut faire tout avec prudence, & ſelon le conſeil de ceux, deſquels nous eſperons eſtre aidez. Aucuns m'ont eſcrit, que noſtre partie adverſe feroit bien autre diligence, ſi elle eſtoit en noſtre place. J'ay reſpondu aux amis, qu'il eſt vray. Mais que toute ceſte tresgrande diligence, que noz perſecuteurs ont employée depuis quelque temps, ne les a pas fort advancé pourtant, & qu'ils ont faict beaucoup de bruict avec peu de fruict. Je ſuis tresjoyeux que Monſieur Victor s'eſt laiſſé induire d'aller en Amſterdam, eſtimant que le bon progres de noz affaires en ceſte grande ville nous importe merveilleuſement, [redacted] que ſa preſence y peut plus que je ne ſcaurois dire en peu de mots. C'eſt de ce lieu la qu'eſt procedée la ſource principale de tous noz maux. Qui ſcait ſi par la benediction de Dieu ſur ces bons commencemens noſtre reſſource en pourroit auſſi bien venir. J'ay eſté tresjoyeux d'entendre, que Made. Uyttenbogart doibt rentrer ce printemps en ſa maiſon. Combien que c'eſt avec dommage, auſſi bien l'argent demeurera au monde quand nous n'y ſerons plus: il nous en faut peu pour bien vivre, encor moins pour bien mourir. Dieu doint que cecy nous ſoit un prognoſtic du retour & reſtitution de ce grand perſonnage Monſieur ſon mari, & qu'apres tant de facheux tracaſſemens & penibles traverſes, il puiſſe paſſer le reſte de ſa vieilleſſe honnorable en ſa propre maiſon, & y employer a la gloire de Dieu, & pour la reſtauration de la vraye Chreſtienté, ce qui luy peut encor reſter a vivre. Adviſant ſi entre ſes papiers & memoires, il n'y auroit pas quelques pieces propres, pour eſtre données au public, & pour edifier par icelles encor apres ſa mort plus de perſonnes qu'il n'a faict par ſa vifve voix. Car quoy qu'il en ſoit, la parole paſſé en l'air s'eſvanouit, & n'eſt receue que de peu de perſonnes preſentes, qui encor bien toſt l'oublient: mais l'eſcriture demeure & apres noſtre treſpas, l'envie & malveuillance eſtant amorties, eſt leue avec plus de jugement, & d'un eſprit non paſſionné. Pluſieurs grands perſonnages ont eſté meſpritez & perſecutez en leur vie, mais apres leur mort ont merveilleuſement proufité a un nombre incroyable de perſonnes. Mais ja ne m'advienne, que je vous incite a vous ſurcharger de labeurs outre meſure. Je ſuis eſtonné qu'en ceſt aage vous pouvez, ce que vous faictes. Seulement je deſcouvre mon ſouhait, en cas qu'il pleuſt au bon Dieu, vous ramener heureuſement chez vous, pour avec plus de tranquillité d'eſprit employer le reſte de voz jours en des occupations autant agreables a vous, que ſalutaires & proufitables aux gens de bien. Endroict, ou je finiray par mes humbles & plus cordiales recommandations, & de tous les freres qui ſont icy, a voz bonnes graces, & de Made voſtre compaigne, priant Dieu, Ep. 640.

Monſieur & treshonnoré Pere, qu'il accroiſſe le nombre de voz années en parfaicte ſanté d'eſprit & de corps a ſa gloire, & vous fortifie & affermiſſe en tout bien a ſalut. De ma priſon ce 15. de Mars 1630.

Voſtre treshumble & affectionné frere & Serviteur,

CHARLES de NIELLES.

IↃC XL.

JOANNES UYTENBOGARDUS CASPARI BARLÆO S.P.

CLariſſime Domine, doctiſſime ac celeberrime vir, frater in Chriſto obſervande: Vix aliquid gratius accidere potuit mihi, hoc quidem tempore, quam videre & legere tuas literas, etiam ob argumenti facetiam, petulanti ſane cachinno dignam. Jam antea *Reſponſa ad Epiſt. 482.*

Ep. 640. inaudiveram aliquid de Polyandrico illo, quod dicis, malagmate: ſed tanti non fuit, ut putarim, aut etiamnum putem, ejus ullam rationem habendam in reſponſo ad illud Specimen. In adornando Prodromo (quem te vidiſſe puto) quum eſſem, animum quidem ſubiit lenis iſtius rei titillatio quædam; ſed quæ mox evanuit, ut prorſus vanæ, & indignæ quæ negotio tam ſerio admiſceretur, quæve vel tantillum ad cauſam momenti adferre potuiſſet. Omnino igitur veſtro ſubſcribo judicio, ac nil tale, quod ille metuit, futurum ſpondere audeo. Etiam Matthæus noſter, qui jam apud vos eſt, eadem de re, tuo, credo, hortatu, D. Vigilantium monuit, prout indicant ejuſdem Vigilantii ad me, heri paulo poſt tuas redditæ, literæ. Addiderat Matthæus, in conventu quodam, Te, Voſſio & Heinſio præſentibus, eundem illum ſermonem habitum a Pamphilo, indeque Heinſium anſam arripuiſſe protinus perſtringendi hominem ſatis acriter, quin & minatum fuiſſe, rem omnem ſe ad Collegas delaturum, & ut litem illi hoc nomine moveant excitaturum. Quæ ſi vera ſunt, qui poteſt negare alter id a te dictum? Verum quæ ex relatu tantum Matthæus hauſit forte non bene retulit. Ut ut ſit, non eſt quod ſibi metuat bonus ille vir, etiamſi illum cum lupis ululare jam dudum probe norimus. Securum hic eſſe, & in utramque aurem (quod valde amat) dormire jubeo. Sed quid ipſe D. Heinſius? An & ille dicam ſcribere & impingere molitur grandem miſellis Remonſtrantibus? Sic audio: &, quia ipſius Cæſaris ira indignos illos judicat, alium ſubmiſſurus dicitur qui ſtylum in illos acuat, ob notatum obiter Ariſtarchum. Errabit, ſi fecerit. Quin ſabam potius cudat in damnatorium illum ſpiritum, cui ſolenne eſt, tanto cum ſupercilio inferis adjudicare non loquentes ad amuſſim quam præſcribit. Quod ſi tamen ſpiritui iſti probare poterit, ea, quæ notavimus, eſſe orthodoxa & catholica, profeſſat, quæſo, iſtius judicii teſtimonium publicum, ut mundo conſtet, quæ navis receptaculum ac ſentina ſit omnium hæreſium. Sed hoc inter nos, ne crabrones irritentur; quod ſane meum non eſt. Hortationis Voſſianæ, fidei profecto & probæ, habebitur, ſpero, ratio, quantum fieri poterit, & adverſariorum permittit nimia ſane improbitas, ne quid dicam gravius. Ego eadem de re D. Vigilantium jam antea monueram, & monere porro non deſinam, cum ob eam, quam Clariſſimus Voſſius attingit, rationem; cum ob alias, quas hic proferre non eſt neceſſe. Cæterum, Vir Doctiſſime, utinam calamus ſæpe tibi pro communis cauſæ defenſione pruriat, & ceatque videre pagellas reliquas omnes ejuſmodi lineis conſpurcatas! Quas etiam nuper ad D. Vigilantium miſeras, minime neglectas videbis ſuo tempore. Perge, quæſo, mi Domine, & pro Chriſti cauſa laborantes ſerio adjuva. Quod ut fiat, tutiorique loco in Ep. 641. eum finem vivere detur propediem, tecum ex animo opto voveoque. Vale clariſſime Domine, doctiſſime ac celeberrime vir, mihi ſemper colende. D. Jetius tibi & tuis ſtudiis benedicat. Salveat quæſo a me officioſiſſime clariſſimus D. Voſſius. In Alpheano. IV. Nonas Decemb. CIↃ IↃCXXX.

Tui obſervantiſſimus

J. UYTENBOGARDUS.

Si forte Prodromum non vidiſti, quia heri demum prodiit, en mitto, quanquam tuis oculis indignum. Saltem nihil in eo acerbius dictum, ni valde fallor, reperies. An acceperis, tribus verbis indices velim.

IↃC XLI.

HUGONI GROTIO

Viro incomparabili S. D.

JOANNES BEVERWYKIUS.

NIhil mihi unquam moleſtius fuit, quam cum tu, V.C. Roterdami eſſes, ego hic apud ægros tanquam clavo Æſculapii fixus, gaudium, quod ex reditu tuo ceperam, coram minus demonſtrare, & gratulabundus candidiſſimum pectus exoſculari potuerim. Quod deſiderium cum nimis diu tuliſſe viderer, & audirem undique quantas turbas ἀκατάλλακτον πόλεμον πολεμοῦντας (*irreconciliabile bellum gerentes*) in conventu D. D. Ordd. darent, recta relictis rebus omnibus per portum Delfenſem Hagam, ne ἀνήνυτον (*quæ nihil confert*) te accederem, me confero. Quam vix ingreſſo, & de rerum tuarum ſtatu ſciſcitanti, refertur quid pridie decretum fuerit. Obſtupui primo auditu, & ἄχος κραδίην τε φρένας τε ἵκανεν (*dolor cor & animum prehendit.*) Merito enim verebar, ne dum Ariſtotelis exemplo non committis ne Athenæ bis in Philoſophiam peccent, lumine & ornamento ſuo reſpublica privaretur, indeque optimo ſeni,

πατρὶ σῷ μέγα πῆμα, πολείτῃσιν δὲ ἕκαστα,
ἀνδράσιν μὲν χάρμα, πολῖται δὲ φίλοισιν.

(*Patri tuo magna calamitas, & civitati tuæque populo, inimicis quidem gaudium, amicis vero ingens mœſtitia.*)

Poſtridie diſcedo triſtis, licet nonnihil erectus ſermone eorum, qui primam coitionem acerrimam fuiſſe indignatione potius quam dolore dignum judicabant, ac in poſterum ſpem eſſe, ne quid indigni viro magno eveniret, meas quoque partes eſſe, pro viribus videre, ut civitas noſtra loco ſuo & tot egregiis conſiliariis ſe dignam gereret. Igitur ſpe bona recreatus hoſpitium tuum cum Wittio avunculo peto, cum famulus abiiſſe herum nuntiat, & dubi-

Quando & iterata Grotii ejus Bion.

tan-

Ep. 642. tantibus ſerio idem affirmat. Quod ægritis tuliſſem, ſi bonis nuntiis onuſto τὸ ἀφ' ὑμῶν ἐπαινῶ (*idonea loqui*) licuiſſet. Huc reverſus apud nominis tui cultores, imo & æmulos, conqueror, tantas eſſe animis terreſtribus iras, ut nondum exſaturati odiis cœleſtem animam nobis & patriæ invideant, cæteras tantum ſtuporem oppreſſiſſe, ut non reſiſtant, aut reſiſtere audeant tribunis, qui nihil magis curant, quam ne Reſp. ad eos, quibus ſe ipſa olim commiſerat, poſtliminio revertatur. Quanto animoſius Conſul Amſtelodamenſis diſerte tuas laudes prædicare non extimuit? quanto Conſul Delphenſis Seriphio cuidam, Themiſtoclis noſtri virtutibus obtrectanti, poſſe ſuos non minus, quam Roterodamenſes Eraſmo fecerant, ſtatuam D. Grotio erigere, reſpondit? Vivite præſtantiſſimi heroës, aureo potius, quam hoc inficeto ſeculo digni, ac vel hoc nomine, ſi quis virtuti, ſi quis eruditioni honos apud poſteros,

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Cum hiſce apud nos ſentiunt & ſapiunt, quibus ullus recti ſenſus, aut mica ſalis in corde. Pauci degeneres animi, & qui aliorum libidine ſe circumferri ſinunt, nocere non poterunt ei, qui omnibus profuit, nocuit nemini. Hoc, virorum præſtantiſſime, Sibyllæ folium eſſe credas, ea tibi expectanda ab hac civitate, quæ virtutes tuæ, & merita in patriam merentur. De nonnullis ſperare liceat, brevi cognituros,

Τὴν ἄνοιαν, ἣν ἄγαν Ἀχαιῶν ἴδιν Θεόν. (*Quam calamitatem, quod Græcorum optimum nequaquam honoraverunt.*) Τοῖς μὲν ὑγιαίνειν ἐπεύξομαι καὶ ἐπιτάξω κλαίειν, σοὶ δ', μέγα κῦδος Ἀχαιῶν, ἐῶ σέθεν ἀθανάτους. (*Quibus quidem ſanam mentem precor, aut plorare jubeo. Tibi vero, magnum decus Græcorum, ut æternum bene valeas.*) Dordrechti XIV. Mart.

Virtutum tuarum cultor, & eruditionis admirator,

JOH. BEVERWYCKIUS.

Cum has ſcripſiſſem, ſupervenit collega Ruſius, Conſulis Beverii affinis, & te ex animo ſalvere jubet.

IↃC XLII.

ISRAEL JASKII

HUGONI GROTIO S.P.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Domine Obſervandiſſime, Miſerrimus jam eſt ſtatus Evangelicorum in Polonia. Poſt rigidum enim illud decretum de demoliendo templo Vilnenſi omnia triſtia omnia plena ſunt metus. In ſupplementum decreti regii Epiſcopus Vilnenſis ſeptem moniales abſolutione per- Ep. 643.
jurii promiſſa jurare coegit, concionatores Evangelicos authores turbarum Vilnenſium fuiſſe. Ita hi coacti ſunt Vilnâ excedere. Princeps Radzivilius IX. millia hominum (ut quidam affirmant) prope Vilnam in caſtris ſuis habet, demolitionem templi prohibiturus. E contra Epiſcopus Vilnenſis cum quibusdam Magnatibus Lithuanicis aliquot millia militum collegerunt executionem decreti regii vi armata promoturi. Deus pacis, Deus concordiæ inteſtinum bellum, quod hæ turbæ minari videntur, clementiſſime avertat. Ab externo hoſte nihil jam habemus periculi. Nam Turca, qui longe lateque Poloniæ terrorem intulerat, exercitum ſuum Babiloniam verſus mîit, ab obſidione Regis Perſarum illam liberaturus. Deus Excell. Veſtram diu ſoſpitem incolumemque velit. Dabam currente calamo, Dantiſci XVI. Aug. A. CIↃ IↃCXL.

Excell. Veſtræ obſequentiſſimus

ISR. JASKII.

IↃC XLIII

ISRAEL JASKII

HUGONI GROTIO S.P.

ILluſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Domine Obſervandiſſime, Pro voto, quo Excell. Veſtra civitatem noſtram proſequitur, ut ſecura periculi aliorum certamina intueri poſſit, maximas ago gratias. Utinam vero iſti felicitati & illa accedat, ut aliquando Excell. Veſtram ſuum incolam dicere queat! Chriſtianorum eſſet, non tantum bella ſua, ſed imprimis de religione certamina moderari, & ſopitis inter ſe diſſidiis, Turcarum potius cum Tartaris, & aliis Mahometiſmum profitentibus, de Mahometis inſtitutis diſputationes audire, quam ſuas de fide, quandoquidem ad fidem nihil facientes, opiniones tenaciter defendere. Inde illa tot precibus & lachrymis a piis Chriſtianis flagitata mutua tolerantia ſequeretur, nec nos, ut jam, proh dolor! fit, mutuis odiis conficeremus. In illam ſententiam Papa, pacis Eccleſiaſticæ (ut multi affirmant) ſtudioſiſſimus, facile induci poſſet, præſertim ſi Evangelici deſinerent invidioſo iſto Antichriſti nomine ipſum appellare. Non video cur quidam Theologi tam vehementer defendant Papam Antichriſtum eſſe, cum nullus ſit articulus fidei, & hoc illæſa fide Chriſtiana credere vel non credere poſſim. Nec ideo dogmata omnia Pontificia ille approbat, qui Papam Antichriſtum non eſſe affirmat. Inprimis Papæ hoc concedi poſſet, ſi Inquiſitionem, illam conſcientarum torturam abrogare, nec diſſidentes de Eccleſia Ro-

ed by Google

Ep. 644 mana pro hæreticis habere & execrari vellet. Elector Brandenb. 1. Decembris hora ſeptima veſpertina inopina morte Regiomonti defunctus eſt. Ætate erat vegeta, ſed corpore ob nimios bibendi exceſſus valdè debili. Qua de cauſa merito inter Theologos quæri poſſet, an præfixum à Deo vitæ terminum attigerit, an inordinatè vivendo eum præoccuparit? Quæ quidem quæſtio ut ſummæ difficultatis eſt, ita a plurimis Theologis non ea qua par eſt prudentia expenditur, præſertim ab illis, qui abſolutum illud decretum tantopere urgent, nihilque immoderatæ hominis luxuriæ aut aliis externis cauſis attribuunt. Sed præſtat hic terminum figere, quam fines epiſtolæ excedere, quam voto pro incolumitate Excell. veſtræ finio, meque favori ejuſdem quam diligentiſſime commendo. Dab. Dantiſci 13. Decembris Anno 1640.

Excell. Veſtra obſequentiſſimus

ISR. JASKII.

---

10 CXLIV.

JOANNI MOLANO

Scholæ Bremenſis Rectori

GERARDUS MERCATOR

Salutem per Chriſtum.

Theologica. De perſeverantia, & timore fideli.

Dilectiſſime frater, incidi aliquando cum docto quodam & pio viro in diſputationem, de viribus humanis; quam quæſtionem cum ex *Rom.* VII. determinare & explicare niterer, neque ex tempore, & inter oberrantes utriuſque ratiocinationes, methodum & energiam argumentorum comprehendere, & ſufficienter exponere valerem, incitatus tum meo ſtudio, tum illius rogatu, explicationem ſeptimi capitis ſcripto concepi, in quo Paulum hoc capite non perpetuo renatum in Chriſto hominem (ut omnes fere interpretantur) ſed primum hominem ante legem, deinde legalem, denique in Chriſto deſcribere demonſtravi. Quibus ſane Pauli diſtinctionibus & deſcriptionibus adeo elegan-ter, & abſolute, natura & vis humana in omni ſtatu explicatur, ut ſi cum iis, quæ de hominis Deique voluntatibus ſcripta, paucaque de Dei providentia, præcipue in illam ſententiam *Eph.* 1. *Cujus vi ſiunt univerſa*, &c. annotata habes, conferas, facile liberi arbitrii Prædeſtinationiſque nebulas & caligines omnes diſcutias; tum etiam quo pacto timor ille, quem Paulus incutit, cum fidei certitudine conſiſtere poſſit, ſine omni difficultate apprehendas. Hoc ſcriptum cum cuidam alteri communicaſſem, ut quid contradici poſſit ab illo cognoſcerem, amiſſum eſt; furto, ut ſuſpicatur ille, ſublatum; vereor ego, ne ab aliquo illius noſtri coryceo: avidiſſime enim meis & meditationibus & literis inſidiatur, quo prodendi materiam, ſive apud Pontificios, ſive apud Evangelicos, inveniat, & ad hoc omnes nervos intendit quo aliquid tale à me extorqueat. Prodiit, ut viditti opinor, Belgicæ ab Hiſpanis liberandæ hypodixis ad Principem Auriacum, in cujus pagina 19 ſic in exules Belgas invehitur autor: *Adeo nihil ad inſtitutum tuum plerique conferunt vel opis vel opera, ut potius illos qui id faciunt, contemnant, oderint, prodant, traducant; homines ſcilicet (quod paſſim re ipſa declarant) naſuti, curioſi, molles, effeminati, ſuſpicioſi, omnia interpellantes, viciſſim nominum audientes, arcanorum ſcrutatores futiliſſimi, ſomniorum, quæ ſuis ipſi conjecturis conſarcinant, interpretes, figmenta ſua pro oraculis etiam literis illinunt*, &c. Duo hic callidiſſime machinari omnino videtur autor; unum, ut quem odit, vel minima occaſione oblata hoſtilitatis & proditionis apud Principem ejuſque nobilitatem inſimulare poſſit: alterum, ut eundem apud Pontificios prophetiarum nocentiſſima apud Principem interpretatione inſimulare & accuſare queat; idque teſtimonio hujus libelli, tanquam alieni autoris, comprobare, tum etiam dictis aut interceptis literis veriſimili fuco confirmare; & interim adeo contemptim de Oraculis, & eorum interpretatione loquitur, ut gratiam adverſarii ſui (quem hoc nomine apud Pontificios gravare ſtudet) apud principem vilem reddat; cum nihil hactenus mihi apud illum negotii fuerit: ſed alienandum a ſpe gratiæ putat quem vult perſequi. Ita ex longinquo materiam aſſumere, exaggerare, & calumnias fortes fabricare novit meus ſycophanta in omnem partem; in quem ſi pergat, ut nunc denuo cœpit, perſequi, plane cogor apologiam edere, qua intelligant omnes ejus impietatem, meamque innocentiam. Tacui hactenus, & multis annis illius perfidiam ſuſtinui patienter, Dei protectione, quam manifeſte expertus ſum, niſus, & ſperans tandem fatigatum mea modeſtia victum iri: verum quum inſatiabilem illius malitiam videam, & hoc nunc ab eo agi, ut undequaque conſtringar, & in laqueos adigar, poſtulat neceſſitas, ut quæ Dominus ad defenſionem media dedit, eo impendam. Hac neceſſitate adactus, proditionum in me factarum hiſtoriam & calumniarum technas partim carmine, partim proſa, concepi; in quo ſcripto exemplar verſutiſſimi peritiſſimique ſycophantæ hominibus ob oculos ponitur, quo intelligant & videant, quanta peſtis ſit eruditio cum impietate juncta, quam caute cum hujuſmodi verſandum ſit, & quomodo internoſcantur. Mirabuntur ſcio homines inauditam docti hominis truculentiam & perfidiam, diſcentque meo exemplo, quam fortis ſit adjutor

Ep.644 tor Dominus noſter Jeſus Chriſtus iis qui ipſi ſervire deſiderant, ipſius imperio ſe committunt, profectionemque ab eo ſperant. Scribam tibi per otium opuſculum hoc, & mittam, ea lege ut penes te lateat, donec edendi neceſſitas poſtulet. Quod ſi fraude aliqua intercipi me contingat (quod Dominum averſurum confido) tum omnino ea evulges obteſtor, quo beneficia Chriſti in admirabili mei liberatione mundo teſtata ſint, & ſuam apud pios gloriam inveniant, nec ab impii hominis factione obſcurentur.

Quod ad timorem illum, quem Paulus præcipit, attinet, quum illum in fide ſtantibus imperet, illud primum conſtat, ſtantem & inſertum oleæ poſſe excidere. *At qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*; igitur qui ſtat & inſertus eſt ſpiritum Chriſti habet: Porro ſpiritus illius teſtimonium in nobis eſt, quod ſimus filii Dei: igitur filii Dei excidere poſſunt. Hoc mirum ut videatur multis, tamen verum eſt: ad quos enim Paulus loquitur *Rom.* XI. cum ait: *Into vero ecce bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate*; nonne de inſertis & membris totius corporis eccleſiæ? Hi ergo ſi conditionaliter tantum in corpore manent, ſi nimirum permanſerint, etiam excidere poſſunt, & a regno Dei iterum excludi, ſi videlicet non permanſerint. Conditio enim ad eſſe & non eſſe poſſibilitatem comprehendit. Sed unde non eſſe contingit? unde caſus? a Deo ne, an ab homine? Quod ab homine, non autem a Deo, ſatis conſtat 1. *Cor.* X. ex his verbis, *Fidelis eſt Deus qui non ſinet*, &c. manifeſte enim ibi Paulus voluntatem, incitationem & cauſam omnem ad caſum, a Deo tollit; fidelem enim illum facit, qui, quod variis locis promiſit, neminem deſerit, niſi a quo primum deſeritur; ad membra Chriſti omnia vitalis & vivificus ejus ſpiritus pertingit, nullum deſerit, niſi quod per ſe vitalem ſpiritum excludit & rejicit; ſed facit in omni ſuorum tentatione talem eventum, talem illis tribuit fortitudinem, ita vim tentationis temperat, ut ſuſtinere poſſint, non tamen ut neceſſario ſuſtineant; ſic enim tolleretur quod conditionale eſt, & perperam Paulus moneret hominem ſolicitum eſſe ne cadat. Igitur caſus penes hominem eſt, propter naturæ vires a Deo in creatione inditas, quibus in iis, quæ ſufficienter, ſine neceſſitate tamen, movent & invitant, liberam electionem habet, ut poſſit invitanti propter neceſſitatem gratiæ non obſequi, ſed ab illa deficere. In hanc ſententiam quoque interpretandus eſt locus ille ad *Philip.* II. *Deus agit in vobis ut velitis*: non neceſſario, ſed ſufficienter invitat voluntatem, ſufficienter trahit, ſufficienter affectum commovet, ut poteſtatem habeatis vobis ipſis imperandi ad obedientiam Spiritus Sancti. Deinde facit, *ut & efficiatis* pro veſtro illo voluntatis propoſito, & imperio: non facit ut neceſſario efficiatis, ſed vires voluntatem ad actum deducendi tribuit: Ep.444 quaſi velit dicere: Quod ſentitis in vobis inclinationem aliquam ad bonum faciendum, & per eam inclinationem opera completis, id virtute Dei vobis contingit, qui ſpiritu ſuo ita corda veſtra commovet, ita animum veſtrum ejuſque vires a carnis & peccati ſervitute ſolvit, ut Spiritui Sancto obſequi, & viribus motricibus ad obediendum imperare poſſit; itaque cum timore, & tremore, &c. ne veſtra culpa cadatis, & in Dei judicium, qui gratiam dedit, incidatis. Niſi enim in eam ſententiam loquatur Paulus, perperam cum timore & tremore operandam ſalutem præmonet: quo enim ſpectabit iſte timor, ſi gratia neceſſitatem ſecum ferat, ut cadere homo non poſſit? ſupervacaneus enim erit. Quod ſi timor hic ad abjectionem & repudiationem Dei referendus ſit, jam non inutilis tantum erit, verum etiam noxius, & veluti quædam dubitatio, aut diffidentia, de continuanda in nos miſericordia Dei. Eſt ergo timor hic, non quo Deum veremur nos primo deſerturum; nullum enim corporis Chriſti membrum ſanatum ſemel, ſponte aut ſolo proprio motu abjicit: neque quo non ſufficientem gratiam, qua poſſimus conſiſtere, nos accepturos metuamus; Deus enim talem facit eventum ut poſſimus, &c. ſed eſt is timor, quo ne gratiæ Dei, ſufficienter in nobis operanti, aliquando non obediamus metuimus, non coactione, nec voluntatis noſtræ ad malum neceſſitate impediti (quod in membro Chriſti propter rationes dictas fieri non poteſt) ſed quia naturales vires jam a ſervitute ſolutas, libere in malum dirigimus, quum in bonum ſufficienter propoſitum, & intus invitans commonenſque, poſſemus. Hic timor, ut vides, ſibi adjunctum habet liberum arbitrium, quod vere per Filium Dei, ut *Joh.* VIII. & *Rom.* VII. in fine, conſtat, liberatur, ut poſſit jam bene velle & operari; non tamen neceſſario velit & operetur, ſed liberum ſit ad utrumque, facere, & non facere. Niſi enim ſic liberum conſtituamus in homine renato aut ſancto arbitrium, ſed gratiam non quidem cogentem, at ſuaviter impellentem, & neceſſitatem ſecum ferentem in tali homine eſſe dicamus, qui potuit Adam labi? Quomodo & ſententia Pauli, *Qui ſibi videtur ſtare*, &c. conſiſtit? Itaque in homine renato aut ſancto libera eſt electio, juxta quam donis ac vocationi Dei acquieſcere, vel non acquieſcere, poteſt. Neque propterea in cauſa ſalutis aliquid derogatur Deo, & arrogatur homini, quod conſenſus, quo gratia admittitur vel repudiatur, penes hominem eſſe dicitur. Non enim conſenſus ille eſt, qui medetur, & ſalvat; ſed gratia Dei intus operans, & hominem regenerans; ad quam homo ſe mere paſſive habet, nec quicquam ſibi in cauſa ſalutis vendicare poteſt. Quid enim ſibi arrogabit omni parte miſer, qui non meritum, ſed gratuitum, &

Ep. 644. ex ſola miſericordia oblatum beneficium accipit? Quum igitur caſus homini relinquatur (quanquam non æqualiter omnibus) & neſciat homo quo ſuam ipſe voluntatem in poſterum directurus ſit, merito cum timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operabitur, ſollicite circumſpiciens, ne gratiæ Dei intus vocanti aut trahenti reſiſtat, ne negligenter illi obſequatur, ne temeraria fiducia prætereat, carnique obſequatur, poſt ad Chriſtum reverti ſtatuens: Juſtus enim eſt judex Deus qui gratiam ſemel dedit; ſi quis contemnit, aut temeraria reverſionis perſuaſione prætermittit, fieri poteſt ut a Deo deſeratur in æternum; nemini enim quicquam debet: quod dedit, gratuito ex mera miſericordia dedit: de cætero ſi abſtinet & deſerit, juſte facit: per ſeſe autem nemo ad Chriſtum reverti poteſt. Ecce timendi neceſſitas. Porro hic timor tantum abeſt ut ſalutis incertitudine terreat, ut magis erigat, magis confirmet: vere enim hic filialis eſt timor, qui nos in pietatis & juſtitiæ officio continet, & evictæ paulatim carnis, invalescentiſque in nobis gratiæ Dei fidele eſt teſtimonium; qui enim timent Dominum offendere, apprehendunt ſapientiam, & Dominus beneplacitum habens ſuper timentes ſe gloriatur in opere ſuo, arctius illud fovet, & auget talenta. Timor igitur hic cum vires augeat, etiam ſpem in Chriſto permanendi auget; ſpes autem hæc nos non pudefaciet aut fallet, quia charitas Dei, qua nos diligit, ſanat, docet, monet, ad bonum commovet, & in ſumma ad æternam ſalutem perducere deſiderat, diffuſa eſt in cordibus noſtris, aperto interiæ regenerationis & timoris Domini ſenſu percipitur, quo teſtimonio nos filios Dei eſſe intelligimus. Reſpectu Dei igitur, & benigni Patris, qui ſuos non deſerit, certa & infallibilis eſt ſpes futuræ ſalutis: reſpectu noſtri autem, cum proclives ad malum ſimus, casus fieri poteſt: at ſi timor adeſt, jam ſapientia adeſt, voluntas obſequens adeſt; Chriſtus autem ſui corporis membra, necdum corrupta, ſponte non abjicit. Huic igitur fragilitati, huic periculo, hunc clypeum objicimus: *Scimus quod bis qui diligunt Deum* (timor enim hic charitati ſocius eſt) *omnia coöperantur in bonum*; neque deſerendos nos a Deo ſcimus, ſi & quamdiu in timore hoc manſerimus; quod per gratiam Dei in noſtra poteſtate exiſtit. Vides vocatorum & ſemel inſertorum ſalutem reſpectu Dei certam & firmam eſſe; reſpectu hominis autem ambiguam, quum homo in ea manere & non manere poſſit, gratia movente, incitante, & corroborante, non tamen (quod ajunt) neceſſitante. At cum recepta gratia timor hic filialis natus fuerit, reciproca timoris & diligentis Dei ſollicitudine corroboratur ſpes & fiducia continuandæ ſalutis indies magis ac magis; ſemper tamen quoad in hac fragili carne vivimus manet labendi poteſtas, proinde hæc etiam conditio, ſi manſerimus in fide &c. ad mortem uſque ſpei annexa eſt: unde Ep. 644. timor, etſi paulatim ſecuritate dilectionis & fidelitatis Dei amplius fortiuſque muniatur, nunquam tamen tolli debet, quoaduſque vivimus: hic enim unicum eſt frenum quo ad obſequium gratiæ perducimur, ſine quo ſalvi fieri nequimus, imo nec corpori Chriſti inſeri. Quapropter miror concionatores hunc timorem non diligentius ſtrenuiuſque hominibus proponere, explicare, inculcare, & incutere, poſtquam tantam ſecuritatem, tam levem intus vocantis gratiæ æſtimationem, tam facilem ab ea digreſſionem, tam temerariam ejuſdem pro arbitrio reaſſumendæ perſuaſionem, in ipſis vident; atque ita plurimos a regno Dei penitus excidere, & in carnales plane homines evaneſcere, ſi attendant, experiuntur.

Hac de timore filiali doctrina ſtante, ſequitur id quod non uno loco apud Auguſtinum me legiſſe memini: hominem quamdiu vivit de ſui prædeſtinatione ad vitam certo affirmare non poſſe. Quæ ſententia quibuſdam dura videtur & intolerabilis, putant enim diffidentiæ & deſperationi feneſtram aperiri: minime vero id ita eſt. Quomodo enim diffidere aut deſperare poteſt, qui nunc, hoc eſt præſenti tempore, teſtem ſpiritum habet, quod ſit filius Dei, quod ſit membrum Chriſti, & quod a Chriſto non deſeretur, niſi ipſe primus illum deſerat, & quod gratia illius ſufficiens erit ad perſiſtendum? ſi enim perſiſtat (quod per præſentem gratiam in illius poteſtate eſt) non excidet; quod ſi excidat, id mere ſua culpa, non Dei, aut gratiæ defectu eſt. Majorem ſecuritatem ſalutis quomodo poſtulabimus? Univerſa enim Scriptura clamat, beati & ſalvi eritis, ſi permanſeritis in fide, in dilectione mea, ſi obedieritis, ſi mandata feceritis, &c. conditionem autem illam penes renatos eſſe plurimis teſtimoniis luculentiſſime conſtat. Quamobrem cum qui ſtat cadere poſſit, & plurimos cadere oculis videamus, prudenter hunc timorem, donec vivemus, præcipit Paulus & Spiritus Sanctus; hic enim ad œconomiam regni Chriſti abſolute neceſſarius eſt, ut ſine quo ſecuritas & neglectus gratiæ Dei continuo ſuboriretur, & propterea de præſenti tantum tempore teſtatur Spiritus Sanctus ſpiritui noſtro, *Rom.* VIII. ut de ſequenti ſolliciti reddamur, & gratiæ in nobis operanti non ſegniter adhæreamus. Hæc ſunt, mi Frater, quæ nunc pro temporis brevitate obiter meditari datum eſt: tuum erit, ſi quid non ſatis clare aut recte a me dictum putas, ſignificare; quo mutua collatione ad veram & ſalutarem doctrinam, qua animi noſtri ad ſanctitatem & vitam æternam inſtituantur, perveniamus. Bene vale in Chriſto Jeſu. Duysburgi 20 Julii. 1575.

Tuus
GERARD. MERCATOR.
IↃC XLV.

EPISTOLA XLV.

JOANNI MOLANO

GERARDUS MERCATOR.

Theologica de Transubstantiatione, & viribus humanis.

SAlutem per Christum. Dolet mihi ex animo, mi Molane, quod in eam altercationem incideris, unde non sine magnis molestiis & multorum offensione emergere liceat. Scis enim quantis dissidiis ea quæstio hactenus ventilata sit, & quam multos potentes adversa pars patronos habeat. Equidem quid de hujusmodi propositionibus: Panis est corpus Christi essentiale, est corpus Christi naturale, &c. judicem, haud scio, nisi asserentis interpretatio accedat. Intelligi enim potest, prædicatum secundum suam essentiam de subjecto aut absolute, aut conditionaliter dici. Si absolute, tunc necesse est transubstantiationem ponere, & panem jam secundum suam essentiam esse corpus Christi; adeoque falsum erit quod sit sacramentaliter corpus Christi, sive sacramentum corporis, nisi sacramentum & rem sacramenti confundere velimus: quod magnas difficultates, intricatasque & inutiles rixas pariet. Sin vero conditionaliter de subjecto dicitur, ut panis sacramentaliter sit corpus Christi; quid prohibet dicere: panis non est corpus Christi essentiale, aut etiam corpus Christi, intelligendo absolute, hoc est, secundum substantiam & essentiam subjecti, suam inquam. Utrumque enim verum est juxta antiquiorum Patrum doctrinam, panis absolute, sive secundum suam essentiam non est corpus Christi, & panis secundum quendam modum, ut habet Augustinus, sacramentaliter videlicet, est corpus Christi. Memini olim a præceptoribus meis multa de verbo Sum disceptata esse; & inter cætera hoc retinui: adverbia aliter verbum Sum, aliter reliqua verba determinare. Hoc autem in primis attendendum est, verbum Sum, non actionem aut passionem alicujus subjecti significare, sed tantum essentiam rei ponere, & de essentia ejus aliquid dicere sive enuntiare; reliqua autem verba ipsum Sum tanquam copulam subjecti & prædicati continere, & præterea actionem aut passionem, quæ enuntiati sive prædicati pars sit censenda. Hanc enim: Petrus currit celeriter, sic resolvebant: Petrus est currens celeriter: & in universum omnes similiter. Jam adverbia complura verbum ratione actionis aut passionis determinare, ac proinde ad prædicatum pertinere, ejusque conditionem aliquam præscribere; uti hic celeriter currentem sive cursum determinat, non autem Petrum. Contra quædam adverbia esse, quæ actionem aut passionem determinare nequeant, sed tantum essentiam subjecti, quam verbum Sum designat. Proinde cum dicimus: panis est sacramentaliter corpus Christi, sacramentaliter non determinat prædicatum: corpus Christi (inepta est enim compositio: sacramentaliter corpus) sed subjecti essentiam, sive verbum Sum, illius essentiæ designatæ respectu. Similiter cum dicimus: panis est corpus Christi essentialiter, referendum est adverbium ad essentiam subjecti, non ad essentiam prædicati. Cum ergo dicimus: panis est essentiale aut verum corpus Christi, & interpretationis loco addimus, non tamen essentialiter; quid aliud dicimus, quam panis est sacramentaliter essentiale aut verum corpus Christi, sive, panis est sacramentum veri & essentialis corporis Christi? Vides, mi frater, meram esse logomachiam in hujusmodi dissertationibus. Elegantissime & perfectissime videtur mihi Paulus sententiam aut intentionem dictæ propositionis explicuisse, cum diceret: panis est communicatio corporis Christi, &c. Porro si de ratione præsentiæ corporis & sanguinis Christi agatur, ea per prædictas propositiones nec asseritur nec negatur sufficienter; illa enim quomodo prædicatum subjecto conveniat, tantum enuntiant. Et Christus *Joh.* VI. cum ingenue & aperte de vero suo corpore edendo & sanguine vero bibendo dixisset, & contra Capernaitas etiam asseruisset; tamen cum effectum esus & fidei eundem faciat, nimirum vitam æternam, quam sine esu non habendam, & tamen per fidem in Christum haberi confirmavit, quis non videat ibi idem esse Christo: credere in Christum Jesum pro nobis passum, &, edere veram carnem pro nobis oblatam, sanguinemque pro nobis effusum bibere? Itaque cum dicimus, panem esse corpus Christi verum sive essentiale, non tamen essentialiter, nihil aliud dicimus, quam panem esse sacramentum corporis Christi veri & essentialis. Et cujus quæso alterius esset? Non tamen hac propositione asseritur aut negatur præsentia veri corporis Christi: quam qui sub pœna excommunicationis & condemnationis credi volunt, & hoc nomine perniciosas in ecclesia turbas concitant, ipsi videant quid agant: judicium suum ferent. Mysterium hoc majus est quam ut omnes possint intelligere, neque in necessariis ad salutem fidei articulis continetur: tantum cui datum a Domino est hic intelligit. Proinde sive quis hoc, sive illo modo sentiat, pie tamen, nec aliam inde hæresim contra Dei verbum statuat, eum propterea damnandum minime persuadeor, nec judico communionem cum hujusmodi hominibus evitandam esse. Hæc sunt, mi clarissime Molane, quæ nunc in hac materia occurrunt: si quis præterea sit scrupulus, per fidos nuntios indica: dicam quod potero. De viribus humanis spero te abunde ex iis quæ scripsi intellecturum quid sentiam. Deus volentem quidem trahit, at non primum volentem, ipse volentem facit, & jam volentem trahere pergit, donec ad se pellexerit.

Ep. 645.

Ep.645. rit. Sed quid, inquies, an non qui vult jam pertractus est? nequaquam. Intellige quid sit velle. Voluntas plures gradus habet: primus est, cum utcumque aliquid arridet & placet: secundus est, cum res objecta aut movens appetitum & desiderium quoddam sui adfert: tertius, cum suavitatis aut necessitatis intentione quodam modo impellit: quartus & ultimus est, cum arbitrium & ratio hominis, victa omni fragilitate humana, jam viribus omnibus imperat ad prosequendum id quod primum animum movebat. Ita cum Paulus dicit: *velle mihi adest, at ut perficiam non invenio*, non de postremo gradu voluntatis loquitur (is enim cum a Deo sit uti jam perfectus non potest non exequi quod vult) sed loquitur de primo aut secundo gradu. Igitur Deus primum facit hominem volentem, hoc est, ita illustrat animum ejus cognitione boni, ut bonum esse intelligat aut videat, adeoque ex natura a creatione indita approbet; deinde ita cognitionem & affectum illius boni auget, ut ea animus ad appetitum moveatur, qui appetitus cum jam æqualis aut paulo robustior contrario appetitu carnis evaserit, potens est per gratiam Dei jam bonum amplecti, carni autem resistere; & mox ut in hoc consensus & voluntas hominis tendit, adest gratia Dei Ep.645. fortior ad perficiendum, quod Spiritus Dei suaserat. Cavendum summopere, ne judicemus Deum nostram voluntatem sine nostra voluntate perficere, hoc est, hominem sine suo consensu ad perfectam voluntatem adducere, quasi hic in homine cessent omnes naturales actiones, quas in cæteris rebus valere experimur; sed suscitat Deus per lumen & gratiam Spiritus Sancti sui in nobis eas animi naturales vires, quæ in rebus divinis plane consopitæ erant; non autem novas creat, ut VII. *ad Rom.* manifestissime comprobatur. Hæc nunc ut potui tuis responsa habe, dilectissime D. Molane, cætera ex antescriptis satis intelliges, & si quid amplius desideras, quicquid potero præstabo. Sed hæc quæso ne ex me alicui recites, ne forte adversarius meus rescisat & calumnietur. Bene vale in Christo Jesu Domino nostro. Salutamus ego & uxor & liberi te uxoremque tuam & parvulos tuos quam amantissime. Duysburgi post mediam noctem 27. Julii 1576.

Tuus perpetuo

GERARD. MERCATOR.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM.

a *primam paginæ columnam denotat*, b *ſecundam.*

A.

Brazat vox Baſilidianorum. p. 822. b

Academicorum ſententia quæ fuerit 958. a.

Acronius Jac. 921. a.

Acronii querela de indoctis miniſtris. 142. a.

Acronius Confeſſionem & Catechelin ut interpretationis Scripturæ normas urget. 210. b. edit concionem quandam Uytenbogardi de autoritate Magiſtratus circa ſacra. 264. b.

Alfonſi Medici opus. 40. b.

Adami lapſus quomodo liber & à Deo præviſus. 34. a. & ſeq. liberum arbitrium ante lapſum. 404 a.

Akmariani motus 248 292 5. b.

Alexiana Synodus. 775. a.

Alexander VII Papa. 876. b.

Allingii explicatio Catecheſeos confutata. 167. a. & ſeq.

Amſtelodami editus libellus puritaniſſimus. 475. a. variæ contra Arminium ſparſæ criminationes. 184. 185. 212. 217.

Amſtelodamenſes Scholam illuſtrem erigunt; iis ſe opponunt Leydenſes. 759. Lis illa diſceptatur in conventu Ordinum Hollandiæ. 762. Decidirur ab utraque curia Hollandiæ. 766. a.

Amſtelodamenſes Paſtores ſeditioſi. 818. b.

Amſtelodami conſilia agitantur de ſchiſmate. 413. a. b.

Anapraſis circa Gratiam Univerſalem ſententia. 870. b. ſcripta. 794. a.

Anabaptiſtarum argumenta adverſus pædobaptiſmum. 1. & ſeq.

Ἀνάθεμα & *ἀναθεματίζειν* quid proprie. 761. a. & ſeq.

Angeli fidelium cuſtodes. 153. b.

Angelus qui Moſi apparuit Deus dicitur. 118. b.

Anglicana Eccleſiæ ritus. 421. b.

Angli Browniſtæ in Belgio viventes confeſſionem ſuam defendunt. 73. a. & ſeqq. rationes afferunt ſeceſſionis ſuæ ab Eccleſia Anglicana. 66. b. & ſeqq.

Angli Theologi nolunt ſcriptum aliquod apologeticum pro doctrina Synodi adornari, antequam judicium à Synodo ſuper doctrina ſit pronuntiatum 523. a. b.

Diſcrepant inter ſe de articulo ſecundo. 540. b.

Status quæſtionis inter ipſos. 543. a. b. 544.

Litem inter Scultetum & Bremenſes componunt. 549. a.

Synodalia judicia non clam, ſed palam prælegi cupiunt. 552 b.

Ex Anglia mandatum accipiunt, qua ratione articulum ſecundum decidere debeant. 559. b.

Nolunt ſuffragium dare de perſonali cenſura. 567. b. 571. b.

Judicium ſuum pronuntiant de canonibus ſuper articulo ſecundo. 568. 569.

Diſputant cum tota Synodo de abſoluta neceſſitate ſimilitudinis naturæ Chriſti cum noſtra. 569. a.

Cupiunt quaſdam doctorum quorundam phraſes duriores rejici 569 570.

In Synodo judicium ſuum privatum dixerunt, non tanquam deputati Anglicanarum Eccleſiarum. 570. b.

Anglia Legatus improbat acerbam Remonſtrantium è Synodo Dordracena dimiſſionem. 529. a.

Pogermannum Synodi Dordracenæ Præſidem per epiſtolam monet ad moderationem agendi rationem. 550. a.

Ejus admonitiones optime conſuſiones in Synodo impedire poſſunt. 559. b.

Antelapſariorum ſententia quam periculoſa. 426. b.

De Antipodibus Lactantii error. 956. b.

Antonini Nic. Genevæ propter Judaiſmum ultimo ſupplicio affectus. 768. a.

Apocrypha libri in Syn. Dordracena exagitati. 514. a.

Arauſicani Concilii de prædeſtinatione ſententia. 422. a.

Argumentorum infirmitas quam vetitati noxia. 28. b.

Armenica lecta. 363. a.

Arianorum controverſiæ. 756. a.

Ariſtotelis doctrina cur non tot produxerit eximios viros quam Stoicorum. 959. b.

Arminius J. Anabaptiſtas refutandi onus à Synodo impoſitum ſuſcipit. 102. a. 111. b. ejus de Anglis Browniſtis judicium. 78. b. ſententiam ſuam explicat de Trinitate. 85. & ſeqq. de Filii Dei divinitate. 197. b. 205. 206. de Providentia Dei, 207. a. de Prædeſtinatione. 207. b. de gratia & libero arbitrio, & de Juſtificatione. 208. 97. Ejus zelus inveſtigandi veritatem. 102. a. 106. b. calumniis petitus ab adverſariis. 110. b. 143. a. 184. b. & paſſim. ejus conſiderationes ad quæſita quædam de Prædeſtinatione. 151. a. & ſeqq collatio cum F. Junio de lapſu Adami. 33. a & ſeqq. fama apud Anglos. 148. b. Gallos. 179. a. Lugdunenſem profeſſionem primum detrectat. 107. b. dein accipit. 117. a.

Arminius contra accuſatorum calumnias ſe ſolatur fiducia in Deum. 110. a. Deſiderat ſententiam ſuam in conventu doctorum aperire & confirmare. 111. a. Ejus collatio cum Helmichio. 111. b. 137. b. Quid ſpectaverit in profeſſione ſuſcipienda. 117. b. Studium ejus pacem colendi. 141. b. Contra eum machinationes. 143. criminationes. 147. b. Purgat ſe contra varias Amſtelodamenſium Miniſtrorum criminationes. 184. 185. 212. 217. b. Quæ fuerit ipſius & Uytenbogardi ſententia de revitione Confeſſionis & Catechiſmi, & ratione habendi Synodum. 191. & ſeqq. 200. 201. a. Socinianiſmo purgatur. 327. b. Diſputatio ejus de vocatione. 226. a. mors. 238. b. Judicia de illo Bezæ. 26. b. Buxtorfii. 244. b. Caſauboni. 249. a. Cyrilli. 364. b. Martinii. 238. b. Thyſii. 327. b.

Super *Articulo* ſecundo non conſentiunt Theologi in Synodo Dordracena 559. b.

Athanaſii Symbolum. 748. b.

Auguſtini ſententia de libero arbitrio & perſeverantia. 422. a. & ſeq 948. a. 976. b. de prædeſtinatione. 425. b. 427. b. de Maria Virgine. 947. a.

Aulici paraſiti. 600. b.

B.

Balcanqualius Doctor Scotus ad Synodum Dordracenam deputatus. 527. b. Judicat graviores eſſe exceptiones contra Synodum Dordracenam, quam Tridentinam. 528. a.

Baleus. 696. a 699. b.

Baptiſmus infantium. 2. b. Vid. *Pædobaptiſmus*. ejus effectus. 781. b. Græcæ Eccleſiæ. 315. b. infantium Ethnicorum. 315 b.

Barlaus Amſtelodamum vocatus. 755. a 759. a. ejus Fides Imbellis. 630. b. Epigramma in Lib. Manaſſis Ben Iſrael de Creatione. 795. a. & ſeq. Nihuſium invitat ad collationem de Religione. 702. a. ejus Poëmata. 735. a. hymnus in Chriſtum. 737. a. Argonauticum. 738. b. opuſculum de Reginæ Mauris ingreſſu in urbem Amſtelodamenſem. 796. a.

Barneveldii J. ultima ad cognatos & affines verba. 582. b.

Baronii refutationem à Voſſio inſtituram arget Archiepiſcopus Cantuarienſis 732. a. 734. a. 736. a. 742. b. 756. b. 765. a. 771. b. 772. a. 786. b. 789. a.

Barzanes nomen. 821. a.

Becani criminationes Vorſtii 265. a. 267. a. & ſeq.

INDEX

Beckius Helvetius Theologus. 542. b.
Beyerus 417. b.
Belgarum Romanenſium mos panem vino intinctum die quo Euchariſtia celebrata eſt familiæ præbendi. 807. b.
Belgicarum controverſiarum deſcriptio. 498. a. & ſeqq. quinam eas foverint. 338. b.
Beneficiorum diſpenſatio. 881. a.
Bertii P. liber adverſus Piſcatorem. 386. b. Pelagiana Hiſtoria. *ibid.* Pontificiam Religionem amplectitur. 630. a. 644. b.
Bibliorum verſio Belgica. 514. a & ſeq. Hiſpanica. 109. a.
Bifterfeldius mortuus Dordraci. 556. a.
Blondelli D. Epiſcoparui infenſus. 824. a. & ſeq.
Bogermannus Synodi præſes acerba oratione Remonſtrantes è Synodo ejicit. 526. b. 528. a.
Pronuntiat contra eos ſententiam, quæ Synodi non eſt. *ibid.*
Ob ſuam acerbitatem à Crocio reprehenditur. 530. a.
Ejus acerbitas improbatur ab Ordinibus. 529. a.
Peſſima excerpit ex Remonſtrantium ſcriptis. 542. b.
Gomaro gratias agit ob invectivam in Bremenſes, ſeque cum aliis contra Bremenſes conſpirate oſtendit. 548. a.
Eam ob cauſam à Legato Anglico literas accipit, quibus ad initiorem agendi rationem inducitur. 550. a.
Judicia Synodica propria autoritate clam legi jubet. 552. b.
Per Scribam Dammannum Anglos ſollicitat, ut ſuæ ſententiæ accedant. 553. a.
Plura ſibi arrogat, quam ullus ante eum præſes. 565. a.
Tot ſibi habet Provintiales addictos, ut determinare poſſit quæcunque velit. *ibid.*
Nullam habet rationem honoris Exterorum Theologorum. *ibid.* a. b.
Omnium de ſe ſpem fefellit. 567. b.
Propugnat hæreticidium. 933. a.
Ejus alloquium ad ægrum Principem Mauritium. 811. a.
Brandeburgicus Marchio ſcribit ad Syn. Dordracenam. 563. b.
Bredana Eccleſiæ diſſidia. 432. b.
Bremenſes Theologi à Sibrando, Sculteto, & Gomaro acriter in Synodo perſtringuntur. 547. 548.
E Synodo Dordracena abire cogitant. 549. a.
Coram Deputatis Ordinum conqueruntur de Gomaro. *ibid.*
Cum Sculteto, Gomaro & Sibrando conciliantur. 551. a.
Rotundius de infantium ſalute loquuntur, quam alii. 553. b.
De objecto mortis Chriſti diſſentiunt ab aliis. 558. a.
Cautelam proponunt ſuper canonibus de ſecundo articulo. 569. a.
Quaſdam duriores quorundam autorum phraſes rejiciendas judicant. 569. b.
Ipſorum judicium de perſonali cenſura. 572. a.
Brewerus Lauſannenſis Academiæ Profeſſor. 349. b.
Bucers dictum in Calvinum. 817. b. moderatio in Britannia reformanda. *ibid.* Ejus opera Genevæ à Calvino caſtrata. 818. a.
Buckingamii Ducis mors. 734. b.
Bullingeri dictum de Senecæ Theologia. 754. b.
Bunius in carcerem conjectus. 11 a.

C.

Cainus, an admiſerit peccatum in Spiritum. 5. 95. b.
Calixti G. liber de Arte nova. 788. a.
Calvini auctoritas apud ſuos. 249. a. & ſeq. acerbitas. 462. b. 817. a. & ſeq. 951. b. ſcriptum in Caſtellionem. 462. b. in Servetum. 948. b.
Calviniſta ab Antiquitate receſſerunt judice Caſaubono. 250. b. & ſeq. eorum ſuperbia ab eodem notata. 249. a. & ſeq. eorum ingenia & indoles. 633. a. 963. a. 967. a. Vid. *Contraremonſtrantes. Reformati.*
Camero. 793. b. ſententia illius refutatur. 944 b. & ſeqq.
Quidam Præſidi Bogermanno adjunguntur ut *Canones* concipiant. 566. a.
Mutatio in *Canonibus* facta poſt ſubſcriptionem. 568. b.
Caritas erga diſſentientes in Religionis negotio. 32. a. 40. a. 54. a. 539. a. & ſeq. 578. a. & ſeq. 659. a.
Capitalia ſupplicia. 697. a. & ſeqq.
Carletonus Regis Britanniæ legatus in Remonſtrantes invehitur. 488. a.
Caroli I. Britanniæ Regis laudes. 919. a. mors. 842. b.
Caroli II. ſtratagema quo vitam ſervavit. 842. a. reſtitutio, ac laudes. 918. b.
Caſaubonus Pontificis favere accuſatus. 250. a.
Caſſandri G. conſultatio. 812. a. Laus. *ibid.*
Caſſandrianorum ſententia de retinenda communione Eccleſiæ Romanæ. 631. b.
Caſtellio 951. b.
Catechiſeos auctoritas. 165. a. quid de ea cenſuerit Synodus Dordracena. 515. a. ejus reviſio licita. 251. b.
Catechiſis Goudenſis. 215. 2217. a. 220. b.
Catechiſis Palatina legitur in Syn. Dordracena & probatur. 575. a.
Cenſura perſonalis Synodi Dordracenæ membris non erat communicata antequam in Synodo publice prælegeretur. 567. b.
Cenſura in Confeſſionem Remonſtrantium. 772. b. 957. a.
Certitudo ſalutis. 426. a. 604. b. 814. b. de ea narratio quædam Arminii. 107.
Charitatis prolixa deſcriptio. 961. & ſeqq.
Chriſtus in Adami lumbis quomodo conſiderandus. 120. a. & ſeq. *Chriſti* adventus Matt. xxiv. 32. quomodo ſit intelligendus. 182. a. & ſeq. *Chriſtum* damnatorum pœnas non tulille oſtendit Vorſtius. 51. a. 61. b. quod impugnatur à Baſilēnſibus. 59. b. *Chriſtus* electionis fundamentum quomodo juxta Contraremonſtrantes. 531. b. *Filius Dei viventis* quo ſenſu dicatur Matt. xvi. 179. b. & ſeq. *Chriſti* mors ut ſacrificium potius ſpectanda quàm ut pœna. 478. a. ejus ſufficientia & efficacitas. 155. b. objectum à Theologis Dordracenis explicatum. 558. a. & ſeq. univerſalitas. 814. a. triduum mortis Chriſti. 871. a. quo ſenſu eam ſit deprecatus. 646. a. & ſeq. *Chriſti* obedientia duplex. 122. obedientiam tantum mortis nobis imputari. 123. a. *Chriſtus* an habuerit ſecundum humanam naturam aliquam peccandi potentiam. 232. b. & ſeqq. ejus reſurrectionis teſtimonia. 872. a. & ſeq. Satisfactionem *Chriſti* plenam à Remonſtrantibus agnoſci. 915. b.
Claſſicalium congregationum abuſus, juxta Wigerum. 19. a.
Clementina falſa in Religionis negotio. 701. a.
Clippenburgius ob ſeditionem Amſtelodamo profugus. 818. b.
Colinia Lud. Wilhelmi Principis vidua Uytenbogardo favet. 581. a. & ſeq.
Concordia inter Chriſtianos quàm optanda. 659. a. 670. a.
De *Concordia* Eccleſiæ liber. 746. a.
Confeſſionum quæ ſit habenda ratio, juxta Wigerum. 19. a.
Confeſſiones non eſſe fundamenta Religionis Reformatæ. 703. b. 705. b. neceſſarias non eſſe. 920. b. & ſeq.
Confeſſionis reviſionem urgent Arminius & Uytenbogardus. 191. a. b. 220. b. eam licitam eſſe. 251. b. & ſeq. ei quotannis ſubſcribere cogi non debere miniſtros. 103. a.
Confeſſio Belgica à quibus ſcripta. 295. a. ejus primi autores non intenderunt ut fidei canon eſſet. *ibid.* præfecta in Syn. Dordracena. 574. a. de ea judicium Theologorum. *ibid.* b
Confeſſio Univerſalis propoſita à Molinæo. 529. a. 531. a.
Confeſſio Remonſtrantium conſcribitur. 652. a. b. in eam Cenſura Profeſſorum Lugdunenſium. 722. b. 957. b. Illam in linguam Germanicam vertit Joach. Peuſchelius Norimbergenſis Paſtor. 721. a. 953. b. 957.

Con-

INDEX

Confidentia timiæ exemplum. 329. a.
Conjecturæ quibus modis vis inferatur. 745. a. & ſeq. 970. a.
Conſequentia non eſſe adverſatio imputanda. 304. b.
Conſiſtoriorum abuſus juxta Wigerum. 19. a.
Conſolatoria in afflictionibus inſtrumenta. 600. a. & ſeq.
Conſtantinus Imp. Arianiſmum poſt Syn. Nicænam amplexus. 757. ejus leges adverſus hæreticos. 445. b.
Contingentia quomodo concinnanda cum Dei decreto. 139. a.
Contraremonſtrantes quam acerbi in Syn. Dordracena. 527. b.
Contraremonſtrantium ſententia, qua ratione Chriſtus ſit fundamentum electionis. 531. b.
Adeo proni ſunt in condemnationem Remonſtrantium, ut ipſis impingant contrarium illorum quæ docent. 567. a. eorum mores. 633. a. ſecceſſio à Remonſtrantibus. 413. a. violentia. 341. a. & ſeq. Pulſi è Naſſovia & Wedderavia. 964. a. nullam præter ſuam religionem tolerari volunt. 963. b.
Contraverſia quantum licet vitandæ. 899. b. inter Reformatos & Pontificios licet magnæ, non tamen ſunt tantæ ac vulgo creduntur. 877. a.
Conventus præparatorius ad Synodum Nationalem in Belgio habendam. 186. a. ejus acta. 188. a. & ſeq. 190. a. & ſeq.
Coptica facta. 363. b.
Corporis corruptio & regeneratio. 101. a.
Creare idem eſſe aliquando ac procreare, gignere. 416. a. & ſeq.
Crellii J. liber de ſatisfactione Chriſti adverſus Grotium 763. b. quare reſponſum non tulerit. 797. a.
Crocius Praſidem Bogermannum reprehendit ob ſuam acerbitatem in diminuendis Remonſtrantibus. 530. a. Summa ejus patientia in Synodo contra Sibrandi & Gomari invectivas. 548. b.
Epiſcopi ſententiam de juſtificatione in Synodo exagitat. 564. b.
Cromwellius. 842. b.
Cunæi P. Satyra Menippæa. 337. a. mors. 796. a.
Cupus in carcerem Lupiſtemenſem conjectus. 699. b. 700. b. 935. b. 936.
Curcellæus Amſtelodamenſis Paſtor. 696. a. 699. b. ejus ſententia de cognitione Chriſti. 915. b. de S. Trinitate. *ibid.*
Cyrillus Patriarcha Belgis pacem ſuadet. 314. b.

D.

Dallæi J. ſcriptum adverſus Millererium. 794. a.
Dathenæus J. conſilium in Syn. Dordracena de legendis judiciis exterorum Theologorum. 552. b. judicium de objecto mortis Chriſti. 961. b.
Decreta Dei. Vid. Deus.
Delphenſi colloquium. 351. b.
Delphenſis Synodi in Remonſtrantes quoſdam acerbitas. 504. a. iniquitas in Uytenbogardum. 535. a.
Dei decreta non eſſe Deum. 63. b. 162. a. & ſeq. Decretum à Deo factum eſſe de ſervandis hominibus non negari à Remonſtrantibus. 416. a. Quàm utile ſit Dei decreta ordine digerere. 127. a. Ordo eorum juxta Arminium. 151. a.
Dei effigies facere illicitum eſt. 119. a.
Dei immutabilitas. 114. a.
Deum peccati auctorem eſſe juxta ſententiam Contraremonſtrantium. 235. b. & ſeq.
Dei pœnitentia quomodo ſit intelligenda. 114. b. præſcientia & concurſus in peccato. 404. b. & ſeq.
Dei ſimplicitas. 63. b. 162. a.
Diamantius Eccleſiæ Bredanæ Paſtor. 433. b.
Dibberius. 417. b.
Dies quam fecit Dominus quæ dicatur. 27. b.
Diſſatus in Syn. Dordracena acerbiſſimus. 539. b.
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ abuſus juxta Wigerum. 18. & ſeq.
Doctores pravi quotuplices. 730. b.
De *Dominis* M. A. ſententia de diſſidiis Belgicis. 484. b. 490. b.
Donellus Juriſconſultus. 665. b.
Dordracena Synodus. *Vide*, *Synodus Dordracena*.
Dordraceni ſe Voſſii vocationi opponunt. 269. a. 263. b.
Druſius J. De eo judicium Arminii. 98. b. ejus commentarius in duodecim Propheras. 723. b. laudes. 210. a pecuniam impetrat ab Ordd. ad coëmendos libros. 99. b. aptus vertendis Bibliis. 100. b. excluſus à tranſlatione Bibliorum. 102. b. ejus judicium de libro S. Lubberti contra Socinum. 417. a.
Duditius Arianiſmi ſuſpectus. 32. a.
Duræus J. Reformatis conciliare Lutheranos conatur. 795. b. 920. b.

E.

Eccleſia auctoritas. 605. b. diviſiones quantum dolorem incutiant bonis. 100. a. perpetuitas. 608. a.
Eccleſiaſtæ turbarum auctores. 491. b. 495. a.
Edinburgenſes concionatores ſeditionem excitant. 35. a. & ſeq.
Electio an cauſa fidei. 467. a.
Electorum objectum eſſe fideles qua tales. 155. b.
Electionis ad fidem & ſalutem diſtinctio. 113. a.
Epheſinum concilium. 756. a.
Epiſcopi R. domus Amſtelodami directa. 479. b. obitus. 719. a.
Epiſcopius S. diſputat cum Sibr. Lubberti. 229. 240. Amſtelodami à plebe impetitus. 352. b. calumniis lacerатus. 412. b. Judicium ejus de libro Grotii de Satisfactione. 478. Ab Ordinibus Generalibus vocatur ad Synodum. 506. b. poſtea citatur. 508. in Dordracena Synodo perorat. 510. a. & ſeq. 516. b. poſt exilium redit in patriam. 953. a. Magiſtratus jura libro edito tuetur. 683. b. 696. b. 698. a. nuptiarum gratulationem à Grotio accipit. 750. Sociolatiſmi falſo ſuſpectus. 481. a. cum Wadingo Jeſuita collationem habet. 604. a. & ſeq. Cameronem refutat. 718. b. Quam ob cauſam Profeſſores Leydenſes paulo acrius exceperit. 747. a. 775. b.
Epiſcopatus quo ſenſu de jure divino. 487. b.
Epiſcoporum monogamia. 169. b.
Epiſcopus Landavenſis irreverenter à Gomaro in Synodo excipitur. 548. a.
Oſtendit Gomarum verba Confeſſionis Anglicanæ detorquere in alienum ſenſum: & Gomari ſententiam à Synodo improbari debere judicat. 557. a. b.
Errorem involuntarium non damnare. 867. b. & ſeq.
Errores omnes non exitiales ſilentio premendos non eſſe. 249. b.
Ethicorum virtutes. 423. b. & ſeq.
Evangelium an perfectiora habeat præcepta quam Lex. 787. a.
Euchariſtiæ calix quàm malè populo negatus. 879. b.
Euchariſtiæ cultus. 886. a. & ſeqq fractio panis. 104. a.
Euchariſtiâ celebratâ ſolent Romanenſes Belgæ eadem die panem intinctum vino familiæ præbere. 807. b.
Euchariſtia quomodo explicetur & celebretur ab Eccleſia Græca. 361. a. & ſeq.
Examen quam neceſſarium in Religione. 698. b.
Exilio mulctati viri ſummi. 655. a.
Exilium pietatis cauſa. 600. a.

F.

Fabricius G. Naſſovienſis. 516. a.
Fides deſcriptio. 470. b. & ſeq.
Fidem in Chriſtum an omnes teneantur habere. 468. a. ejus neceſſitas ad ſalutem. 135. a & ſeq.
Fides & fiducia diſtinctio. 134. a.
Fides quomodo producatur. 112. b. in voluntate eſt non in intellectu. 605. a. quomodo dicatur imputari in juſtitiam. 97. b. 133. b. 241. b.
Fidei Hiſtorica. 152. a. & ſeq.
Fides Juſtificans quænam. 51. b. & ſeqq. 60. a.
Fidem Temporariam à Juſtificante non differre niſi gradu.
Filius Dei an recte dicatur αὐτόθεος. 86. a. & ſeq. 197. b. 205. b.
Filius hominis quare dicatur Chriſtus. 154. b. 179. a.
Friderius Barbaroſſa. 222. b.

Fridericus Henricus Arauſionenſium Princeps operam ſuam offert Grotio. 683. a.
Fœderis interni & externi diſtinctionem non eſſe in Scriptura. 154. a. & ſeq.
Fontanus. 260. a. & ſeq.
Forbeſius. 488. b.
Fulgentii de Libero Arbitrio, prædeſtinatione & perſeverantia ſententia. 422. a. & ſeq.
Fundamentum Eccleſiæ quid ſit. 612. b.

G.

Galilæus Galilæi. 798. b.
Gallia Regis declaratio in gratiam Remonſtrantium. 676. b.
Gallis deberi nimiæ poteſtatis Pontificiæ moderationem. 222. b.
Gangrenſe concilium. 756. a.
Genera ſingulorum non ſingula generum Deum velle ſervare: quid de ea diſtinctione judicandum. 156. a.
Genevenſes in Caſaubonum injurii. 199. b.
Genevenſes Theologi in Synodo Dordracena. 553. b. 559. a. 564. a.
Geyſteranæ fratres. 572. a.
Geyſteranus J. 644. a.
Geiſteranus A. in arce Lupiſteinenſi captivus. 941. b.
De *Gentilium* actionibus honeſtis quid ſit judicandum. 962. a.
Gladii uſus ſub N. T. 690. a. & ſeq.
Goadus Doctor Theologus Anglus ad Synodum Dordracenam deputatus. 528. b. 529. b.
Gocienius litem inter Sibrandum Lubberti & Martinium componere ſtudet in Synodo Dordracena. 542. a. 547. a.
Godſcalchus Monachus. 771. b.
Goſſius St. 486. b.
Gomarus F. ducem ſe partium facit. 212. b. Arminium accuſat coram Ordd. Holl. & Weſtfriſiæ. 219. a. indignatur Arminio ob diſputationem cum Jeſuita quodam habitam. 227. b. in Syn. Dordracena invehitur in Epiſc. Landavenſem. 548. a. in Bremenſes. 547. b. Martinium provocat. 532. a. turbas excitat. 549. a. 565. a. in objecto Prædeſtinationis ab aliis diſſenſum teſtatur. 556. a. 557. a. & ſeq. perperam citat Confeſſionem Anglicanam. *ibid.* De eo judicium Franciſci Junii. 239. a.
Goularius S. munere ejectus. 414. b. 417. a. Walones Remonſtrantes conſolatur. 648. b.
Græcarum Eccleſiarum regimen. 361. b.
Gratia Dei in hominis converſione quomodo operetur. 811. b. 781. a.
Gratiæ reſiſtibiles. 226. b. & ſeq.
Gratia ſufficiens. 424. a. & ſeq. 466. b.
Gratiæ ſufficientis & efficacis diſtinctio. 157. a.
Gratiani Imp. edictum in Hæreticos. 446. a.
Grevenkhovius accuſatur à quibuſdam Contraremonſtrantibus Roterodami. 418. & ſeqq. pridie antequam citarentur Remonſtrantes ad Synodum Dordracenam fuit exauthoratus. 516. a. cum citatis adjungi recuſat Synodus. *ibid.* citatur Hagam. 583. b. Ejus judicium de Cenſura Profeſſorum Leydenſium in Confeſſionem Remonſtrantium. 722. b. Opuſculum pro Remonſtrantibus. 954. b.
Grevius J. tentatur ut Remonſtrantium doctrinam deſerat. 625. a. graviter reſpondet. 626. a. è carcere Amſtelodamenſi eradit. 670. b.
Grotii H. liber de Antichriſto. 809. b. & ſeq. Apologia. 667. b. notæ in conſultationem Caſſandri. 812. b. 825. a. Commentarii in Euangelia, qua ratione editi. 809. a. 813. b. 816. b. Lucanus. 377. b. Pietas Ordd. Hollandiæ. 367. a. 369. b. Judicium Voſſii de eo libro. 369. a. & ſeqq. Liber de jure ſummarum Poteſtatum circa ſacra. 486. a. & ſeq. Lingelsbemii de eo judicium. 484. a. Liber de ſatisfactione Chriſti. 477. a. 478. a. Lingelsbemii de eo judicium. 489. a. Overalli. 488. b. Crellio cur non reſponderit. 797. Liber de Veritate Rel. Chriſtianæ Belgicis rythmis conſcriptus. 673. a. Latinè ab ipſo verſus. 728. a. ejus encomium. *Ibid.* in varias linguas verſus. 797. a.
Grotius H. carcere liberatus. 653. b. Gratulationes accipit amicorum. 655. b. 656. a. 660. a. 662. a. 680. b. conſtans eſt in Religione. 663. a. Pacis inter diſſentientes Chriſtianos ſuaſor. 474. a. 475. a. calumniis ab aliis petitus. 816. b. ab aliis laudatus. 475. b. redit in patriam. 766. a. 972. b. 973. a. rurſus diſcedit. 771. a. Socinianiſmi fruſtra acculatur. 797. a. Sueciæ Regni legatus in Galliam. 789. a. moritur. 828. a.
Grotius Pet. H. F. 604. a. 743. b.
Gruterus. 417. b.
Gualterus M. rectoratu exautoratus. 601. a.

H.

Habitus infuſi. 605. a.
Joſephi *Halli* Doctoris Angli concio in Syn. Dordracena. 515. a.
Hamptonienſe colloquium. 921. b.
Harlemenſes proponunt in Synodo, cogendos eſſe miniſtros quotannis confeſſioni & catechiſmo ſubſcribere. 103. a.
Haſſiaci Theologi aliquid reprehendunt in Canonibus Dordracenis de ſecundo articulo. 569. a. cupiunt quaſdam phraſes duriores à Synodo rejici. 569. b.
Hebraicarum literarum neglectus. 33. a. & ſeq. 38. a.
Hemſii Ariſtarchus ſacer. 725. b. locus de Trinitate. *Ibid.* 729. a. 746. b. 747. b. 972. Exercitationes in N. T. 800. b. 873. b. ſuperbia. 763. b. 800. b. 801. a.
Helmichius Paſtor Amſtelodamenſis. 105. b. ejus collatio cum Arminio. 111. b.
Henrici IV. mors. 147. a. & ſeqq.
Henricus Arnoldi Delphenſis Paſtor. 516. a. 747. a. ſcribit de captivitate Barneveldii, &c. ad Martinium Gregorii. 506. a.
Hemmingii ſententia de prædeſtinatione à Beza detorta. 29. a.
Hillenius Alcmariano miniſterio ejectus. 269. a.
Hiſpana regum juramentum. 970. b.
Hogerbetii animus erectus in captivitate. 656. b. 657. a. judicium ejus de Confeſſione Remonſtrantium. 661. b. de tractatu Epiſcopii de Magiſtratu. 696. & ſeqq. ejus afflictiones in carcere, & collationes cum Niellio. 939. a. 941. a, b.
Hollandia Ordines. Vid. Ordd.
Hollandorum Borealium abſurdum judicium ſuper objecto mortis Chriſti, in Syn. Dordracena. 559. b.
Hollandiæ civitates Barneveldium, Hogerbetium, & Grotium ad ſuam juriſdictionem pertinere contendunt. 506. a.
Hommii Feſtivimodeſtia. 267. b. ſcriptum Ordd. oblatum. 372. a. & ſeq. quæſtiones ab ipſo propoſitæ ad dignoſcendam miniſtrorum ſententiam. 149. a. Roterodami ſchiſmaticorum patronus eſt. 417. b. accuſat Epiſcopium. 473. b. Scriba Synodi Dordracenæ. 513. b.
Honerdus Delegatus ab Ordinibus Generalibus ad Syn. Dordracenam. 525. a. improbat Vedelii ſcripta contra Barlæum. 795.
Hortenſius Mathematicus. 787. a. 798. b.
Humaniores literæ ab imperitis ſpretæ. 678. a. & ſeq.
Huntlienſis Comes Scotus. 35. a. 37. a.
Hypocrita inter Eccleſiaſtas. 600. b.

I.

Jacobus Rex Britanniæ probat decretum Ordinum Hollandiæ pro pace Eccleſiarum. 379. a. non vult ſuos ſe immiſcere controverſiis Belgicis. 440. b. ejus judicium ac conſilium de iiſdem. 351. a. 482. a. 484. a. affectus erga M. A. de Dominis. 482. b. & ſeq. paucos fidei articulos eſſe credidit. 921. a. de Voſſio ad Ordd. ſcribit. 283. b. eidem offenſus eſt ob dicta quædam in Anti-Sladd. 438. b.
Jacobita. 364. b.
Jaminus commendat Ordd. Fœd. Pontificios in eorum ditione viventes. 223. a. & ſeq.
Janſenii V. Propoſitiones à Pontifice damnatæ. 869. b.
Ignatii Epiſtolæ. 825. a.
Idololatras quoſvis indifferenter exſcindendos non eſſe. 887. b. & ſeq.
Idololatriæ varia genera. 888. b. & ſeq.

Idololatria Pontificiorum quomodo differat ab Ethnica. 883. b. 884. b. & ſeq. 887. a.
Jehovæ nomen per tropum Creaturis tribui. 266. b.
Jeſuitarum Ethica. 840. b.
Imaginum cultus. 109. b. 885. a.
Imagines Dei illicitas eſſe. 119. a. b. etiam fatentibus quibuſdam ex Pontificiis. 866. a.
Imagines ſanctorum an ſint confringendæ. 866. a.
Imputare quid propriè ſignificet. 122. b.
De *Imputatione* juſtitiæ Chriſti ſententia Piſcatoris. 121. & ſeq. ea examinatur ab Arminio. 138. 139.
Incarnatio quomodo à Græcis explicetur. 360. a.
Independentes Angli. 820. b.
Indulgentiæ Pontificiæ. 880. b.
Inexcuſabiles quinam ſint. 157 a. & ſeq.
Infantes non eſſe peccatores propriè dictos. 777. b. 814. b.
Inquiſitionis Hiſpanicæ origo. 970. b.
Intellectum & voluntatem non eſſe duo re diverſa. 805. a.
Joſephi Vice Comitis liber de Baptiſmo. 755. b.
Irenæi Philadelphi liber. 811. a.
Judæ an admiſerit peccatum in Spiritum Sanctum. 96. a.
Julianus an peccaverit in Spiritum Sanctum. 96. a.
Junii F. judicium de confeſſione Anglorum Browniſtarum. 69 b. & ſeq. 80. b. 83. b. à Scaligero maledictis impetitur. 726. a. à Thuano immerito notatur. 665. b. ejus mors. 108. b.
Juſtificationis explicatio Voſſii. 208. b. Epiſcopii. 606. b. Synodi Dordracenæ. 649. b.
Juſtini Martyris locus de dilentientibus circa Divinitatem Chriſti toleranda. 748. b. & ſeq. 756. b. 761. a.
Juſtiniani Imp. edicta de Religione. 447. a.
Juſtitiæ divinæ diſtinctiones variæ. 50. a. 59. b. 63. b.

L.

L*Ambethani* articuli. 921. a.
Lauſanenſis Epiſcopus moderationem ſuadet in Syn. Dordracena. 548. a. orationem habet. 551. a.
Latina lingua ulus in ſacris quàm abſurdus. 879. a.
Latomi ſe in Synodo Dordracena defendit contra Sibrandum Lubberti. 568. a.
Laudes Guil. Archiepiſcopus Cantuarienſis. 772. b. commendat Voſſio refutationem Baronii. 732. a. 734. a. 736. a. 742. b. 758. a. 765. a. 771. b. 772. a 786. b. 789. a. oſtendit ſe pacis ſtudioſum. 741. a. moderate ſcribit de moribus Anglicanis. 799. 800. calumnias patitur. 786. b. à plebe ſeditiola obtellus. 808. in cuſtodiam conjectus. 810. b. 813. a.
Jac. *Laurentii*. 815. b. 818. b. & ſeq.
Leydenſes diſſentiones tempore Arminii. 148. a. & alibi paſſim.
Leidenſis Claſſis Ordinibus parere recuſat in tolerandis fratribus. 164. b. ab Ordinum Hollandiæ legatis in ordinem redigitur. 267. b.
Leidenſium Profeſſorum Cenſura in Confeſſionem Remonſtrantium. 722. a. & ſeq. Specimen adverſus Apologiam Remonſtrantium. 751. b. & ſeq.
Lenitas in refutandis erroribus. 617. a. 665. a.
Leonis Imp. leges de Religione. 446. b.
Lex quomodo Evangelio ſtabiliatur. 902. a. an miſericordiæ promiſſa habuerit. 903. a. & ſeq.
Libertas in Religione quæ eſſe debeat. 32. b. 274. a. 288. a. 301. a. 635. a. & ſeq.
Libertas conſcientiæ ſpecie tenus à multis defenſa. 745. a. Vid. *Conſcientiæ*.
Libertatem conſcientiæ urgent Ordd. Bohemiæ. 602. b.
Libertas inquirendi in recepta dogmata. 176. b.
Liberum arbitrium. 208. a. cum omnipotentia Dei conciliatur. 406. a. cum ſapientia. 407. a. cum juſtitia. 408. a. non periit per Adami peccatum. 417. a. & ſeq. quomodo à Veteribus explicetur. 384. b. & ſeq. ab Auguſtino agnitum. 862. b.
Libertatis natura. 422. b. & ſeq. 802. a. & ſeq.
Libera Obedientia. 235. a.
Librorum mors quomodo ferenda. 798. a. 786. b.
Librorum omnium lectionem licitam eſſe. 279. b. & ſeq.
Ligare & ſolvere quid in Evangelio. 612. b.
Lindanus in arce Lupiſcinenſi captivus. 942. a.
Lopez Dominici liber de Scriptura. 259. b.
Sibrandus *Lubberti*. 125. a. judicium de eo Arminii. 125. b. Epiſcopii. 229. a. Arminium & Uytenbogardum calumniatur. 187. a. accuſat Druſium. 415. b. 416. ejus bona fides. 394. b. in Synodo Dordracena turbas excitat. 549. a. 565. a. & ſeq. 568. a. in Martinium invehitur. 543. a. 547. a. in Feſtum Hommium. 573. a. b. concitat Raveuſpergerum ut ſcribat contra Voſſium. 796. b.
Lutherani quomodo conciliari poſſint cum Reformatis. 792. a. 795. b. eorum methodus diſputandi in Calviniſtas. 441. a. eorum cum Contraremonſtrantibus collatio. 442. a. & ſeq.
Lutheri dictum in Calviniſtas. 441. a. paradoxa de libero Arbitrio. 314. a.
Lydius increpitus ab Ordinibus. 248. b.

M.

M*Accovius* J. Franekeranus Profeſſor hæreſeos accuſatus ad Syn. Dordracenam confugit, & abſolvitur. 572. a. & ſeqq.
Magiſtratus jura in ſacris. 429. a. & ſeqq. 444. a. & ſeq. juxta Voſſium. in dubium revocata in Belgio. 498. a. & ſeqq.
Magiſtratus jura & officium ſub N. T. 685. a. 696. b.
Magiſtratus jus ab ejus eruditione aut probitate non pendere. 429. a.
Magiſtratus mali quomodo ferendi. 655. b.
Maresius S. ſcribit contra Grotium. 809. b. contra Voetium. 821. b.
Maria Magdalenæ cum aliis mulieribus itiones ad ſepulchrum Chriſti: quomodo conciliari circa eas queant Euangeliſtæ. 848. b. & ſeq. fuſè.
Marciani Imp. Leges de Religione. 446. b.
Maronita. 364. b.
Marpurgica Academia. 177. b.
Martini M. laus. 546. a 547. b. in Synodo Dordracena diſputat cum Gomaro. 546. a. ab eo & Provincialibus malè excipitur. *ibid.* & 532. a. diſputat cum Sib. Lubberto. 543 a. 547. b. ejus mors, & de eo judicium W. Laudi Archiepiſcopi Cantuarienſis. 758. b.
Matrimonium Presbyterorum. 879. b.
Matrimonia ob cognationem aut affinitatem vetita. 904. a. & ſeq.
Matrimonium cum ſorore uxoris an illicitum ſit. 369. a.
Matrimonium cum vidua fratris uxoris an licitum. 906. b.
Matrimonium cum viro materteræ ſuæ an licitum. 906. a.
Melanchthon quid ſenſerit de abſoluta predeſtinatione. 944 b. 950. b. ejus elogium. 949. b. 951. b.
Meletius Patriarcha Conſtantinopolitanus. 39. b.
Melitus Brunſcuna. 142. a.
Mennonitarum mores & ingenium. 894. a. 918. a. eorum placita. 894. a & ſeq. quomodo ſint in unionem revocandi. 857. b. 894. a. & ſeq.
Mennonita quidam à Remontibus vexati. 917. b.
Mileterii liber de conciliatione Religionum. 793. b.
Miniſtri non debere Eccleſias ſponte deſerere. 626. b.
Miniſtri indocti. 142. a.
Molinæi P. ſententia de controverſiis Belgicis. 466. a. & ſeqq. à Caſaubono notatur. 249. b. ejus confeſſio de quinque Articulis præfecta in Syn. Dordracena. 574. ſcriptum adverſus Mileterium. 793. b. in Remonſtrantes acerbitas. 617. a. & ſeqq. cruda ſententia de Dei decretis. 618. b.
Mornæi Ph. conſilium de concordia. 465. b. 480. a.
Mori T. Utopia. 822. a.
Munſenholtus Bredanus Miniſter. 432. b.
Mythra Sol Perſice. 822. a.
Mylius in inſulam Goereem relegatus. 613. b. 653. a. ejus mors. 825. b. ejus laudes. 653. a. 825. b.

N.

N*Amani* Syri factum. 866. b.
Narſæi J. ſententiam ſuam exponit de controverſiis Belgicis. 332. a. miniſterium ſuum deſcribit. 333. a.

Natura legem obſervantes ante Moſem ſervatos Veteres credíderunt. 385. a.
Nebuchadnezzaris Metamorphoſis. 158. b. & ſeq.
Neceſſitas & Contingentia. 137. & ſeqq.
Neceſſarium quid ſit propriè. 139. a.
Neceſſitatem infallibilitatis non ſatis bene dici. 138. b.
Neceſſaria ad ſalutem. 722. b. 739. b. haud multa. 396. b. quænam illa ſint & ubi quærenda. *ibid.* 826. b. & ſeq.
Nicæni Concilii Canones. 756. a. 761. an dixerit anathema Ario. *ibid.*
Nicolaus C. Lupiſteni in carcerem conjectus. 696. a. ejus laus. 776. b. ejus & Poppii afflictiones in carcere Harlemenſi. 937. b. 938. a. in carcere Lupiſteinienſi. 938. b. 942. a.
Nihuſius Bart. 787. b. ejus collatio cum Barlæo. 702. b
Ninivitarum pœnitentia. 113. b.

O.

Opinio ſæpe cum ſcientia confunditur. 99. b.
Ordines Generales probant Canones Synodi Dordracenæ. 574. a.
Ordinum Hollandiæ & Weſtfr. decretum de pace Eccleſiaſtica. 379 a. probatum Jacobo Regi. 378. b. 380. a. defenſum à Grotio adverſus zelotas. 387. b. & ſeq.
Ordinum Hollandiæ & Weſtfr. ſententia de diſſidiis Belgicis. 497. a. & ſeq.
Origenes. 753. b.
Orientalium Eccleſiarum ſtatus. 315. a. & ſeq.
Originis peccatum non damnat eos qui ſunt in fœdere Dei, juxta Wigerum. 14. b. & ſeq. quid ſit juxta eundem 16. a. Vid. Peccatum.
Oſiandri literæ ad Vorſtium. 275. a. 276. a.
Oſius poſt Synodum Nicænam factus Arianus. 758. a.
Overalli J. Coventrenſis & Lichfeldenſis Epiſcopi ſententia de prædeſtinatione. 353. b. & ſeqq. de Controverſiis Belgicis. 474. b. 484. a. & ſeq. mors. 659. b.

P.

Pacis inter Chriſtianorum ſectas ineundæ optimam eſſe rationem, articulorum fundamentalium ab iis qui non ſunt diſtinctionem. 250. b.
Pædagogi. 743. b.
Pædobaptiſmus quomodo in Scriptura reperiri queat. 2. b. Veteribus probatus. 6. b. & ſeqq.
Palatini Theologi in Synodo Dordracena valde ſunt magiſtrales. 559. b.
Palinodiam non poſſe exigi niſi ab erroris convicto. 54. b.
Papas erroti obnoxios eſſe & ſæpe erraſſe. 868. b.
Papiſmum quid maxime promoverit. 965. b.
Parei D. Epiſtola ad Synodum Dordracenam de quinque Articulis. 552. a.
Parvuli quinam ſint Matt. XVIII. 2. 153. b.
Patres contempti à Calviniſtis. 249.
Patriarchæ Græcæ Eccleſiæ. 362. a. & ſeqq.
Pauli & Jacobi circa Juſtificationem conciliatio. 785. a.
Peccatum peccato non puniri. 197. b.
Peccatum nullum eſſe in [illegible] 900. a.
Peccatum originis ſit an non, neceſſarium non eſt ad ſalutem ſcire. 780. b. & ſeq.
Peccatum originis homines ineptos reddere ad acquirendam ſalutem. 785. a.
Peccati ſervus quis dici debeat. 900. b.
Peccatum in Spiritum Sanctum explicatur ab Arminio. 89. b. & ſeq.
An *Peccata* contra primam tabulam ſemper ſint graviora peccatis contra ſecundam tabulam. 962. a. b.
Perfidia obedientiæ quam Chriſtus à fidelibus requirit. 471. a.
Perſonarum divinarum diſtinctio & œconomia. 85. b. 205. b. & ſeq.
Peſte Amſtelodami graſſante, an. 1602. paſtorum officia. 105. a.
Pertinacia in Hæretico quomodo intelligenda. 713. b.
Petitus Samuel. 822. a.
Petro ſupra cæteros Apoſtolos nulla tributa auctoritas. 612. a. ejus ſimulatio in gravem Judæorum. 671. a.
Peuſchelius J. Norimbergenſis Germanicè vertit Confeſſionem Remonſtrantium. 721. a. 953. b. 957. b.
Phariſæorum juſtitia. 778. b
Piſcatoris J. conſiderationes in Catecheſin Palatinam. 166. a. & ſeqq. explicatio ſententiæ ſuæ de juſtificatione in literis ad Synodum Nationalem Gallicam. 121. b. & ſeqq. ea unà cum adverſariorum ejus ſententia expenſa ab Arminio. 118. b. Vorſtii tractatum de Deo reprehendit. 303. a.
P. Plancius invehitur in novos Pelagianos. 150. a. in Arminium. 212. in Conventu Ordinum Hollandiæ comparet pro Alcmarianis. 926. a. ejus calumniæ de Epiſcopio. 414. a.
Plancius Eccleſiaſtes Amſtelodamenſis cum Vorſtio collationem habet coram Conſulibus Amſtelodamenſibus. 260. a. & ſeqq. accuſat Remonſtrantes coram Ordd. Hollandiæ. 268. b.
Pondus quid ſignificet Matt. XXVI. 39. 646. a. & ſeq.
Polani teſtimonium de Caſtellione. 951. b.
Polonicum fœdus inter diſſentientes in Religionis negotio. 834. b.
Poloniæ Rex Vladiſlaus IV. 771. b.
Polyander J. 749. b. 972. a. de eo judicium Epiſcopii. 473. b.
Joſeph *Ponjade* inepte ſcribit adverſus Remonſtrantes. 963. b. & ſeqq.
Pontificum Romanorum contumacia. 877. b. quàm ſint à reformatione Eccleſiæ alieni. 878. a.
Pontifices: an inter eos ſit publicè concionandum. 865. a. eorum idololatria. 861. b. ſuperſtitio. 863. b. & ſeq. moderationes Pontificii. 681. b. provinciis fœderatis ſubditi commendantur à Jannino. 223. a. & ſeqq. Pontificiorum templa non licere Reformatis aperto capite ingredi. 866. b.
Poppius Ed. in carcerem Lupiſteni conjectus. 696. a. Ejus afflictiones in carcere Harlemenſi. 937. b. 938. a. & Lupiſteinenſi. 942. a. ejus concliones. 470. a. & ſeqq. 958. a. moritur. 700. b. 939. b. Ejus ſcripta quo cum fructu legantur. 954.
Poſt ſumi aliquando pro *intra*. 871. b.
Poteſtatum ſummarum auctoritas in Rebus Eccleſiaſticis. 294. a.
Non *Potuiſſe credere* quare Judæi dicantur. 183. a & ſeq.
Prædeſtinatio: ues circa illam ſententiæ. 22. b. ejus tabulæ ab Arminio adornatæ. 41. b. & ſeq. ejuſdem de illa ſententia. 207. b. Jeſuitarum & Sorbonicorum circa eam diſputationes. 840. b. quomodo à Veteribus explicetur. 784. b. & ſeq. quænam ſit ejus cauſa 910. a. & ſeq. prudenter proponenda. 564. a.
Prædicatio Euangelii. Quid in ea peccent Reformati juxta Wigerum. 17. b.
Præſcientia Dei. 196. a. & ſeq. quomodo conciliari queat cum libero arbitrio. 843. b. & ſeq.
Profeſſori Theologiæ liberum eſſe debet cum diſſentientibus literas commutare. 978. a. b.
Proſperi Aquitani de Libero Arbitrio, prædeſtinatione, & perſeverantia, ſententia. 422. a. 427. b.
Providentia Dei circa peccatum. 201. a.
Provinciales Theologi non togantur ſententiam cum Remonſtrantes Synodo eſſent ejiciendi. 528. a. Valde animati ſunt adverſus Remonſtrantes, magis autem contra eorum perſonas, quam doctrinam. 527. b. Eorum quidam inciviliter agunt cum Martinio. 546. a. volunt canones ſuos turgere ſpeculationibus catecheticis. 565. b. 566. a.

Q.

Quiſtorpius J. Roſtochienſis Profeſſor moribundo Grotio adfuit. 828. a.

R.

Radevilii Principis ſervus Leidæ ultimo ſupplicio affectus. 766. b.
Receſſuum utilitas. 173. b. & ſeq.
Reformationem ſimul & ſemel fieri non potuiſſe. 27. b. 176. b.
Reformati. Vid. *Contraremonſtrantes*, *Gallobelgicæ*.
Reformatorum Eccleſiaſtarum indoles. 633. a. & ſeq. 638. b. ſcriptorum humanorum auctoritate ſine ſtra utun-

utuntur. 441. b. in Pontificiorum principia relabuntur. 210. b. & ſeq.

Reformatorum progreſſui quid maxime obſtiterit. 965. b.

Regenitorum ſtatus. 398. a. & ſeqq. 974. a.

Regum officium in defendenda Religione juxta Auguſtinum. 442. b.

Reliquiarum cultus illicitus. 867. a.

Remiſſio peccatorum à Presbytero facta. 487. b.

Remonſtrantia Ordd. Hollandiæ exhibita, unde nomen Remonſtrantium. 251. a.

Remonſtrantes: Apologia eorum pro confeſſione ſua. 744. b. 746. a. 748. a. eorum rationes à Bogermano male fide productæ. 542. b.

Remonſtrantes Campenſes ad Synodum Dordracenam non veniunt. 543. a. citantur. 545. a. 551. b. non adſunt. 556. b.

Remonſtrantium Confeſſio multis probata. 681. b.

Remonſtrantes Chriſtianè ſe geſſiſſe. 340. a. & ſeq.

Remonſtrantes Delphenſi Synodo offerunt explicationem ſuæ ſententiæ. 305. a. & ſeq.

Remonſtrantes excipiunt contra Synodum ut partem adverſam. 517. in Synodo Dordracenâ ſententiam ſuam de quinque articulis proponunt. 519. a. & ſeqq. conſiderationes in Confeſſionem, ibid. in Catecheſin Palatinam. 520. b. & varia ſcripta offerunt. 560. a. vetantur explicare, ut judicabant neceſſarium, ſententiam ſuam. 521. a. iis alia quam non tuentur affingitur. 567. a. dimittuntur à Synodo. 526. b. 527. b. & ſeq. 529. b. 530. a. & ſeq.

Remonſtrantium præcipuis jam erat decretum exilium, ante Synodi deciſionem. 528. b.

Remonſtrantes citati urgentur, ut manuum ſubſcriptione promittant, ſe in poſterum ab omni functione Eccleſiaſtica abſtenturos. 930. a, b. arreſto Dordraci retinentur. 933. a. in exilium mittuntur. 587. a.

Remonſtrantium Eccleſiarum ſtatus poſt exilium paſtorum. 614. a. & ſeq. & perſecutiones contra eas. 620. b. 623. a. & ſeq. 967. a.

Remonſtrantes in Gallia humaniter excepti. 657. b.

Remonſtrantes exules Galliæ Regi libellos ſupplices offerunt, & petita imperant. 674. b. 676. b. cur ſe non adjungerent Gallorum Reformatorum cœtibus. 671. b. & ſeq. queruntur de Molinæi acerbitate. 616. b. & ſeq.

Remonſtrantes qua ratione queant pacem inire cum adverſariis. 914. b. quanta paſſi ſint ab adverſariis. 632. b. Patriæ proditores non eſſe 337. b. & ſeqq. Socinianiſmi fruſtra ſuſpecti. 345. a. 367. b. 722. b. 746. a. 747. b. 957. a. 958. a.

Remonſtrantes in Belgio quales ſint. 634.

Remonſtrantium paſtorum captivitas in arce Lupiſtenenſi qualis fuerit. 937. & ſeqq. 952. a. b. 968. b. ex carcere evadunt. 764. b.

Revelatio Dei interna. 28. b.

Revers A. laus. 776. a.

Romana Eccleſia quomodo ferri debeat juxta Grotium. 817. b.

Roſæus accuſator Grevinchovii. 417. b. Uytenbogardi. *ibid.* a. intercipit literas Uytenbogardi ad uxorem. 956. a.

Roterodamenſe colloquium inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes. 418. a. & ſeq.

Roſſenſis Leon. abſurda dogmata. 909. a. jactantia. 913. a. ſcriptum maledicum in Remonſtrantes. 908. a.

S.

S *Abbatum* quando à Deo inſtitutum, & an Chriſtianos obliget. 891. a

Sadducæi an ſolum Pentateuchum admiſerint. 873. a. quomodo Angelos negare potuerint. *ibid.*

Salmaſii Cl. & D. Hemſii certamina. 800. b. & ſeq.

Salmaſius laudatur à Grotio. 679. a. Lugdunum vocatur. 743. a. 763. b.

Saltatio licita & illicita. p. 9. & ſeq.

Sacramentorum adminiſtratio, quid in ea peccent Reformati juxta Wigerum. 17. b. & ſeq.

In re *Sacramentaria* diſſenſiones inter Reformatos Caſaubono notatæ. 247. b.

Salvianus Maſſilienſis. 754. b.

Sancti fato functi an preces viventium audiant. 610. b. eorum cultus. 884. b.

Sapma Dom. antiheſes de Magiſtratu & uſu gladii ſub N. T. 685. b. & ſeq.

Satisfactio Chriſti qua ratione ſit perfecta juxta Vorſtium. 51. a. 61. b.

Satisfactionis pro peccato neceſſitas defenditur à Baſilienſibus. 58. a. & ſeq. à D. Paræo. 45. b. à Vorſtio impugnatur. 45. a. 62. a. & ſeq. non credita Auguſtino, Calvino, Muſculo, Thomæ. 49. a. 62. b.

Schiſmata cur Deus eſſe voluerit. 869. a.

Schlichtingius liber adverſus Barlæum. 795. a. 796. b.

Schola Illuſtris Amſtelodamenſis. 759. a. 762. b.

Scotorum de excommunicatione diſputationes. 37. a. turbæ à concertatoribus ſub Jacobo Rege excitatæ. 35. a. & ſeq. ſub Carolo I. 799. b.

Scripturam ſine Confeſſionibus ſufficere inter Chriſtianos. 348. b. & ſeq.

Scripturæ Metaphraſtes quàm accuratus eſſe debeat. 48. a.

Scriptura neceſſaria omnia continet. 608. b. eſtque in iis clara. 867. b.

Scultetus Ab. 260. b. ejus judicium de Vorſtio. 261. b. in Synodo Dordracena acriter invehitur contra Bremenſes. 547. b. ejus vehementia. 526. a. ejus medulla Patrum. 946. a.

Secta Chriſtianorum in Oriente. 363. a.

Serveti M. liber de erroribus Trinitatis. 383. a.

Severus Maſſilienſis Epiſcopus. 866. a.

Sibi: Oraculum de illo explicatur. 183. b.

Simon Lucæ in arce Lupiſtenenſi captivus 942. a.

Simſonis Ed. concio de regenitorum ſtatu malè accepta. 397. b.

Sirmondus Jeſuita. 797. a.

Slatius. 695. b.

Smoetius Amſtelodamo ſeditionis causâ ejectus. 742. a. 818. a.

Socinus de officio hominis Chriſtiani in Friſia editus. 327. b. 280. a.

Socini Theologiæ compendium à D. Paræo allatum. 45. a.

Sorberius Sam. Pontificiam Religionem amplectitur & Romam contendit. 876. a.

Spanhemii F. exercitationes de gratia Univerſali. 841. b.

Spiera F. an peccaverit in Spiritum ſanctum. 96. b.

Spiritus S. adoratio. 782. b. 784. a. & ſeq.

Spiritus ſancti proceſſio quomodo explicetur ab Eccleſia Græcâ. 358. b.

Stadenſes vocant Remonſtrantes in urbem ſuam. 613. b. 615. b.

Stampelii G. de mutua tolerantia ſententia. 436. b.

Stobæi Eclogæ. 678. b.

Stobæus in carcerem conjectus. 613. b.

Stoici an actiones hominum fato ſubjecerint. 940. b. inter eos plures egregii viri. 959. a. b.

Streſo C. Remonſtrantibus favere accuſatus. 791. a. & ſeq.

Succorum an. 1658. expeditiones quam cruentæ. 898. a. & ſeq.

Supralapſariorum ſententia. 468. b. Vid. *Antelapſarii.*

Suſpiciones temeratiæ quàm Eccleſiæ noceant. 56. a. 417. a. 480. b. & ſeq.

Sycophantarum ingenium quale. 974. b.

Sylvadunenſis ſodalitas B. Mariæ. 821. b.

Sylvius Corn. profeſſione juris abdicatus ob ſententiam Remonſtrantium. 602. b.

Synodorum abuſus qui, juxta Wigerum. 19. a.

Synodorum ratio & auctoritas. 193. b. & ſeq. 535. b. 588. b. & ſeq. ſententiæ in eam rem Veterum & Recentiorum. 594. b. Synodi veteres. 949. a. multo auguſtiores Synodo Dordracena. 950. b.

Synodorum deciſiones non eſſe neceſſarias. 599. a.

Synodus Gallica Nationalis ad Piſcatorem de juſtificatione ſcribit. 121. a.

Synodus Hollandiæ Auſtralis Gallicanis Eccleſiis com-

Digitized by Google

mendat reviſionem Catechiſmi & Confeſſionis. 164. a.
Synodi Gallicanarum Eccleſiarum ſcribit ad Synodum Hollandiæ Auſtralis de reviſione Confeſſionis & Catechiſmi. 165. a.
Synodi Geldricæ decretum in Voſſium. 336. a.
Synodi Cantuarienſis & Eboracenſis Canones. 808. a. & ſeq.
Synodus Sneeana libellum ſupplicem ad Elizabetham Reginam mittit. 11. b. 12. a.
Synodum urgent Contraremonſtrantes. 318. a. differtur. 321. a.
Synodus Dordracena convenit. 513. b.
Citat Remonſtrantes. 508.
Juramenti formula in Synodo adhibita. 512. a.
Contra eam tanquam partem adverſam proteſtantur Remonſtrantes. 517. a. b. 536. 537.
Synodi cenſura contra hanc proteſtationem. 518. b.
Negat Remonſtrantibus liberratem ſententiam ſuam prout conſultum judicant proponendi. 520. 521. & ſeqq.
Ejicit Remonſtrantes. 526. b. 528. a. 529. a.
Pergit in proceſſu malo, ne autoritati ſuæ aliquid decedat. 530. b.
In *Synodo* diſſenſio inter Gomarum & Martinium. 531. 532.
Decernit *Synodus* ſcripta quædam concinnari. 533. 534.
Quid de *Synodi* hujus eventu ſperandum ſit. 535. 536. ejus membra ex adverſariis Remonſtrantium electa. 537. a.
Contentiones in *Synodo* & invectivæ contra Bremenſes. 547. & ſeqq.
Synodales judicia quomodo lecta ſint. 552. b. 553. a. 556. & ſeqq.
Diſſenſus in *Synodo* ſuper articulo ſecundo. 559. b.
Turbarum in *Synodo* autores. 565.
Nulla *Synodus* tam multa ſub excommunicationis pœna conſtituit, quam hæc. 567.
Contra eam, judicio Balcanquali, graviores ſunt exceptiones, quam contra Synodum Tridentinam. 528. a.
Synodici Canones leguntur, & contentio ſuper illis in Synodo. 568. 569.
Synodum plures duras loquendi phraſes rejicere debere contendunt Britanni. 570.
Synodi cenſura in perſonas Remonſtrantium non approbata à Theologis Anglis, Haſſiacis, & Bremenſibus. 571. 572.
Synodus Maccovium, variarum heterodoxiarum accuſatum, abſolvit. 572. 573. 574. 576. a.
Approbat Confeſſionem Belgicam. 574. b. & Catecheſin Heidelbergenſem. 575. a.
Condemnat Voſſium inauditum. 575. 576.
Multæ hujus judicii nullitates. 588. a. b.
Synodici Canones publice in templo prælleguntur. 576. 577.
Synodus dimittitur. *ibid.*
Synodus Dordracena non habet requiſita quæ à Doctoribus Reformatis in legitima Synodo requiruntur. 594. b. & ſeqq. Quanta mala peperierit. 640. b.
De *Synodo* Dordracena judicium Wittenbergenſium. 950. a.
Synodi Provincialis proceſſus contra Voſſium. 664. b.

T.

Taffini I. mors. 105. b.
Telingii querela de Atheiſmo. 958. b.
Tempus non ſemper accuratè deſignari in Scriptura. 871. b. & ſeqq.
Theodoſii Magni edicta in hæreticos. 446. a.
Theodoſii Junioris de Religione. 446. b.
Theologici Syſtematis & ſtudii methodus. 783. b. & ſeq.
In rerum *Theologicarum* definitionibus ſobrietas & moderatio ſervanda. 956. b.
Thomſoni diatriba. 411. b.
Thyſius in Syn. Dordracena à Gomaro & Sibrando Lubbertii increpatur. 548. a. b.
Tiburni error de Fr. Junio. 665. b. unde natus. 667. a.
Tileni D. laus. 678. a. 679. b. 935. b.
Timor Dei filialis à Paulo præſcriptus arguit fideles poſſe deficere; non tamen ſalutis incertitudine terret. 975. 976.
Tolerantia mutua inter diſſentientes de Prædeſtinatione & annexis. 343. a. & ſeq.
Tolerantia erga diſſentientes circa Sacram Trinitatem. 753. a.
Toſſani D. mors. 103. b.
Tranſubſtantiatio, non fit in cœna Domini. 977.
Trelcatii L. mors. 108. b.
Triglandius accuſator Grevinkhovii. 417. b.
Triglandius ſeditioſus. 818. b. ſcribit contra Vedelium. 821. b. contra Remonſtrantes. 942. b. 952. b. ejus mala fides. 957. a. b.
Trinitatis conceptus vulgo haud ſatis accuratus. 87. b. 108. b.
Trinitatis myſterium quàm caute tractari debeat. 725. b. quomodo proponendum ſit infidelibus. 797. a.
Tronchinus T. Genevenſis Theologus. 550. b.
Twiſſi inepta gloriatio. 909. a.

V.

Valdenſes cum Remonſtrantibus conſentientes. 700. a.
Valentiniani edictum contra Donatiſtas. 446. a.
Vedelii liber contra Barlæum. 795. a. 796. a. de Conſtantini Epiſcopatu. 821. b. mors. *ibid.*
Venator Ad. Alcmariæ miniſter. 269. a. à Curia Hollandiæ innocens judicatus. 226. a. quid de ipſo narretur. 958. b.
Veneficæ in Scotia. 37. b.
Veritas ad examen revocata elucéſcit. 39. a. & ſeq. eſt difficilis inveſtigatu. 956. b.
Verſteeren ſententia de controverſiis Belgicis. 492. b. & ſeqq.
Inter *Verum* & neceſſarium eſſe diſcrimen faciendum. 149. b.
Vezekius Lupiſteni in carcerem conjectus. 699. b.
Victoria victis libellus. 644 b.
Vis in Religionis negotio quàm periculoſa. 137. b.
Vita æterna: quid de ea crediderint aut credere potuerint Gentiles. 845. a. & ſeqq. Patres V. T. 851. a. & ſeqq.
Vitæ æternæ promiſſa habuiſſe Patres V. T. non eſſe creditu ad ſalutem neceſſarium. 858. a.
Vitæ terminus. 773. a. 974. a. de eo ſententia Arminii. 126. a. & ſeqq.
Vladiſlai IV. Poloniæ Regis Epiſtola ad Reformatos. 831. b. replicatio. 839. a.
Ultrajectini Remonſtrantes in Synodo Dordracena. 516. b.
Ultrajecti Paſtores octo in Magiſtratum inſurgunt. 922. a.
Univerſales propoſitiones. 777. b.
Volkelii liber de Vera Religione. 763. b.
Vocatio Miniſtrorum quomodo fieri debeat juxta Wigerum. 17. a.
Voluntatem humanam quomodo moveat Deus. 977. b. 978. b.
Vorſtii C. Anti-Sladus. 438. b. liber de Deo. 257. b. de eo judicium Heidelbergenſium. 257. b. & ſeq. Theſes de Magiſtratu & uſu Gladii ſub N. T. 685. a. notæ ad antitheſes Sapmæ. 687. a. & ſeq. Paræneſis. 374. a. collatio cum Piſcatore. 303. b. & ſeqq. ſcripta poſthuma. 227. b.
Vorſtius: de eo judicium Paræi. 177. Sculteti. 261. b. 345. b. Baudii. 291. a. Genevenſium. 347. b. Goclenii. 275. a. Uytenbogardi. 317. a.
Vorſtius à Comitibus Benthemienſibus amatus. 297. a. à Britannis immeritò male habitus. 395. b. & ſeq. à Jacobo Rege accuſatur. 183. b. ſe ipſi purgat. 281. & ſeq. ad Leidenſem profeſſionem vocatur. 256. b. 262. a. & ſeq. urgetur ad acceptandum. 270. & ſeqq. eâ excidit. 296. a.
Vorſtii de juſtificatione ſententia à Paræo impugnatur. 44. b. ſententia ejuſdem de ſatisfactione Chriſti à Baſileënſibus. 58. a. à Paræo. 44. a. & ſeqq. ab ipſo defenditur. 48. b. & ſeqq. 61. a. & ſeq.

Vor-

Digitized by Google

INDEX.

Vorſtius vocatur Steinfurtum. 32. b. Socinianiſmi ſuſpectus eſt. 44. a. 46. b. à quo ſe purgat. 47. b. 54. a. iterum ſuſpectus. 258. a. 259. a. ſe purgat iterum. 263. a. 274. a. & ſeq. 276. a. & ſeq. 285. b. & ſeq.

Vorſtius cum Plancio collationem habet coram Conſulibus Amſtelodamenſibus. 266. a. & ſeqq. a Smalcio literas accipit. 373. b. ejus de Trinitate articuli, de Perſona Chriſti deque ſatisfactione, ſubſcribuntur ab aliquot Miniſtris. 316. a. 325. a. & ſeqq. Quales literas commutaverit cum Ottorodo. 927. b. De illo citando agitur in Synodo Dordracena. 560. b. 566. b. Judicatur. 575. a. Scribit ad Synodum. 578. 580. refutat ejus ſententiam. 588. b. & ſeqq. moritur. 684. a.

Voſſius G. J. Amſtelodamum vocatur. 755. a. 759. a. Britanniam petit. 743. a. Canonicus Cantuarienſis. *ibid.* à Contraremonſtrantibus male habitus. 664. b. defendit Fr. Junium. 665. b. Steinfurtum vocatur ex commendatione Vorſtii. 389. b. 410 a.

Voſſii liber de Idololatria. 815. a. Partitiones Oratoriæ. 733. b. Pelagiana Hiſtoria. 489. b. 663. a. 727. a. 728. b. 734. a quanta ob eam paſſus ſit. 735. b. de tribus Symbolis liber. 821. a. opera Theologica. 780. b.

Urbani J. Tapeinophroſyne. 463. a.

Uſſerii J. Armachani liber de Godſcalcho. 766. a.

Uſum bonum primæ gratiæ præmio uberioris affici. 423. a. & ſeq.

Uytenbogardus J. urget Arminii vocationem ad profeſſionem Leydenſem. 117. b. purgat ſe & ſecum ſentientes adverſus ſuſpiciones aliorum. 170. & ſeq.

Conqueritur de calumniis & mendaciis Sibr. Lubberti. 187. b.

Quid ſenſerit de reviſione Confeſſionis & Catechiſmi. 191. a. b.

Quid de ratione habendi Synodum. 192. & ſeqq.

Diluit apud P. Molinæum Sibrandi criminationes. 199. & ſeq.

Reprehendit Lubbertum, quod mala fide exterorum judicia de ſententiis in conventu præparatorio exquiſiverit. 215. & ſeqq.

Defendit ſe cum Arminio contra Sibrandi criminationes. 221. 222.

Ejus liber de autoritate Magiſtratus circa ſacra. 248. b. Judicium de eo Fr. Arſenii Legati ad Regem Galliæ. 245. b. Meurſii. 256. a. Saraviæ. 294. refutatur à Walæo. 443. b.

Uytenbogardus deteſtatur ambitiones Eccleſiaſticas. 246. b.

Ejus colloquium cum Caſaubono. 250. b. cum Sculteto. 260. b. 320. a. b. 323. a. cum Fontano. 260. a. cum Comite Guilielmo Naſſovio. 318. b. 320. a.

Hortatur Vorſtium ad amplectendam profeſſionem Leydenſem. 157. a. 259. b. 271. b.

Libellus contra eum famoſus. 269 b.

Præparat ſe ad Collationem Hagienſem. 273. b.

Judicium ejus de Vorſtio, & illius articulis. 316. 317.

Defendit ſe & Remonſtrantes contra criminationes, quaſi conſpiraverint cum Pontificiis & patriæ hoſtibus. 337. & ſeqq.

Conventui Delphenſi intereſt. 351. b.

Ejus piæ & ſollicitæ cogitationes de controverſiis Belgicis. 367. 368.

Acculatur a Roſæo. 416. a. b.

Uytenbogardus profugus. 506. b. 512. a. judicium ejus de Synodo Dordracena. 534. b. & ſeqq. defendit ſe contra varias calumnias. 581. 582. condemnatur. 584. a. b. innocentiam ſuam declarat. 585. b. bona ejus fiſco addicta. 613. b. 935. a. Diſſuadet migrationem Remonſtrantium in partes Boreales, & Stadam. 613. b. 614. b. quomodo in Gallia exceptus ſit. 658. a. defendit ſe contra quorundam criminationes in Gallia. 717. b. maximo in periculo eſt cum Epiſcopio. 944. a. Scribit contra Triglandium. 942. b. 954. b. 957. a. b. Redit in patriam. 955. a. ejus literæ ad uxorem intercipiuntur à Roſæo. 956. a. offert ſe Curiæ, ut purgetur à criminibus ſibi objectis. 960. b. latere cogitur. 736. b. Opuſcula ejus quædam. 961. a. 966. b. 969. a. b. ſcribit de libertate conſcientiarum. 747. Prodromus ejus ad Specimen calumniarum Profeſſorum Leidenſium. 751. b. & ſeqq. Replica ad reſponſum Profeſſorum contra prodromum. 762. a. judicium ejus de conatibus pacificis Grotii. 826.

W.

Wadingi Jeſuitæ collationes cum Epiſcopio. 604. a. & ſeqq.

Walachrorum Epiſtola adverſus Remonſtrantes. 485. a.

Walæi Ant. ſcriptum de jure Magiſtratus in Eccleſiaſticis. 443. b. judicium de eo Voſſii. 449. b. & ſeq. ejuſdem ſcriptum contra Corvinum. 954. b.

Wardi ſententia de ſecundo articulo Remonſtrantium. 544. a. b. ejus judicium de Voſſii hiſtoria Pelagiana. 728. b.

Weſterburgii Epiſtola de termino vitæ. 775. a.

Wigeri Corn. monitum de emendanda Reformatione. 17. a. & ſeqq. quædam reprehendit in precibus quæ baptiſmo & concioni præmittuntur. 14. a. & ſeqq. Remonſtrantia. 20. a. & ſeqq.

Wittenbergenſium Theologorum judicium de Synodo Dordracena. 950. a.

Wolphii H. ſententia de Controverſiis. 374. a. & ſeq.

Y.

Yſelburgius Bremenſis Theologus. 558. b.

Z.

Zelandi controverſias quotidie declamant. 211. b.

Zelus inconſideratus. 100. a. & ſeq. 289. b. 329. a. & ſeqq. 638. b.

FINIS.

ER-

Digitized by Google

ERRATA,

Quæ per Editoris abſentiam & operarum incuriam irrepſerunt, benevolus Lector ita corrigat.

Pag.	45. a.	Lin. 40.	lege.	per bona
	81. a.	8.		Nos
	96. a.	penult.		precata
	221. b.	36.		dicat
	368. a.	55.		non poſſe
	404. b.	50.		nonnihil
	410. a.	2.	dele	(*vide autograph.*)
	647. a.	33.		Chriſtus
	652. b.	9.		Quæ
	656. a.	14.		judicum
	660. a.	33.		liberavi
	661. a.	3.		eſt. Jam
	———	16.		Regio
	———	23.		faciant: cui
	———	59.		poteſt Megnedenius
	——— b.	56.		&
	669. b.	47.		Picardie
	732. b.	23.		Muſas: non tamen ea
	———	26.		Britanniæ
	———	30.		Bockingamiæ Dux
	776. a.	19. 20.		nitet
	797. a.	23.		tuo
	814. a.	ult.		cujus
	821. a.	44.		ἐξάεχον.

Epiſtola CCIII. ſit CCCCXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google